6
9 0
9

Digitized by Google

~~6 Anni~~

C
14
10

Digitized by Google

Digitized by Google

HISTORICA THEOLOGICA ET MORALIS TERRÆ SANCTÆ ELVCIDATIO:

In qua pleraque ad veterem & præsentem eiusdem TERRÆ statum spectantia accuratè explicantur, varij errores refelluntur, veritas fideliter exacteque discutitur ac comprobatur.

Opus non tantùm ad TERRAM SANCTAM proficiscentibus, sed etiam SACRÆ SCRIPTVRÆ studiosis & DIVINI VERBI præconibus vtilissimum.

Auctore Fr. FRANCISCO QVARESMIO Laudensi, Ordinis Minorum Theologo, olim TERRÆ SANCTÆ Præsule ac Commissario Apostolico.

Tomus II.

Cum triplici Indice, et Elencho CONCIONVM.

BIBLIOTECA ... ROMA VITTORIO EMAN

Qui elucidant me, vitam æt... nam habebunt Eccl. 24.

ANTVERPIÆ, EX OFFICINA PLANTINIANA BALTHASARIS MORETI, M. DC. XXXIX.

Ex Bibl.
Ios. Ren. Card.
Imperialis.

Digitized by Google

AD LECTOREM.

HActenus tribus prioribus Libris, ſiue priori Operis huius Tomo, quæ in genere de Terra ſancta inueſtigari potuerunt, explicauimus: reliquum eſt, vt quinque poſterioribus Libris, ſiue poſteriori Tomo, ea in medium proferamus, quæ ad peculiarem atque exactam ſanctorum locorum Palæſtinæ & Ægypti cognitionem ſpectant; eorum ſcilicet, quæ in miſerabili hac temporis conditione à peregrinis viſitari ſolent. Et quidem Palæſtinæ loca, Libris quatuor fuſiùs; Ægypti verò, vno, eoque vltimo, breuiùs deſcribemus.

Digitized by Google

HISTORICÆ THEOLOGICÆ AC MORALIS ELVCIDATIONIS TERRÆ SANCTÆ LIBER QVARTVS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ARGVMENTVM.

DECEM *Peregrinationibus recenſentur loca illa, quæ viſuntur à peregrinis venientibus ex Ioppe ad ſanctam ciuitatem Ieruſalem, quæ vel ſunt in eadem ſancta ciuitate, vel circà, exceptis ſanctiſſimi Sepulchri, Emmaus, & alijs remotioribus locis; & quæ de illis enuntiantur, non ſolùm breuiter & rotundè, ſed etiam accuratè exquiſitéque explicantur.*

PEREGRINATIO I. *in qua referuntur & enucleantur nouem præcipua loca occurrentia peregrinis euntibus ex Ioppe ad ſanctam ciuitatem Ieruſalem.* I. *Locus eſt ciuitas & portus Ioppes.* II. *Ciuitas Rama.* III. *Lydda ciuitas.* IV. *Caſtellum boni Latronis.* V. *Locus & Eccleſia SS. Machabæorum.* VI. *Eccleſia S. Ieremiæ Prophetæ.* VII. *Anathoth eiuſdem Prophetæ patria.* VIII. *Vallis terebinthi, & torrens intermedius.* IX. *Denique ſancta ciuitas Ieruſalem.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

CAPVT PRIMVM.

De ciuitate & portu Ioppe primo huius Peregrinationis loco, & quorumdam circa ipſam locorum ſanctorum memoria.

PII peregrini, qui ad vocem Domini patria, domibus ac familia relictis, ex varijs mundi partibus per mare veniunt ad Terram ſanctam, vt Chriſti Domini ac Reparatoris noſtri incunabula venerentur, ſanctam Ieroſolymorum ciuitatem, & in ea glorioſum Domini noſtri Ieſu Chriſti Sepulchrum, aliaque ſancta loca, vbi ſteterunt pedes Domini, viſitent & adorent; pro maiori parte ad Ioppen Iudææ ciuitatem, & portum maris Mediterranei & ipſius Iudææ præcipuum, appellunt, vel certè veniebant & appellebant olim, quoniam ceteris eius regionis portubus ſanctæ ciuitati eſt vicinior, & peregrinis commodior. Paucis tamen abhinc annis propter immodicas exactiones, violentias atque extorſiones eorum qui loco præſunt, quàm antiquitus ſolebat, cœptus eſt minùs frequentari: de eo tamen vel hoc nomine agendum, quòd ſit principalior Occidentalis Palæſtinæ terminus, & quòd illuc applicent nonnumquam, vel inde ſoluant, vt commodiori portu, reuerſuri ad patriam ſuam peregrini.

Ioppen portus Terræ ſanctæ præcipuum.

Abſoluto itaque à pijs Chriſti fidelibus marino ſanctæ Peregrinationis itinere, cùm ad Ioppen peruenerint, in terram exſcendunt, & genuflexi vt ſanctam venerantur & deoſculantur, Deum bonorum omnium Domi-

Dominum & largitorem adorant, eiq́ue gratias agunt pro ſingularibus in ipſis collatis beneficijs, & quòd poſt multa magnaq́ue terræ mariſq́ue ſuperata pericula, illos incolumes ad optatum terminum, ad Terram ſanctis illis veteribus Patribus repromiſſam, ad Terram fluentem lac & mel, ad Terram ob ſpirituales delicias ipſius paradiſi æmulam, ad Terram inquam ſanctam, perduxerit: atque ibi proprio opere, laborioſa, & inter ceteras meritoria Deoq́; accepta peregrinatione, omnium peccatorum ſuorum remiſſionem & indulgentiam plenariam conſequuntur, vt præter alios tradit F. Bonifacius initio 2. libri de Perenni cultu Terræ ſanctæ, & nos in prima huius Operis Parte explicuimus.

Indulgentiã plenariam conſequũtur peregrini cùm ad Terram ſanctã perueniunt.

Illuſtriſſimus Princeps Nicolaus Chriſtophorus Radziuilius in ſua Ieroſolymitana peregrinatione, Epiſtola 2. addit, Pontifices maximos loco Ioppe ſingulare indulgentiarum priuilegium conceſſiſſe: quicumque enim peregrinus huc appulerit, etiamſi vlteriora Terræ ſanctæ loca non viſitauerit, eo ipſo quo littus attingit, eaſdem indulgentias conſequi dicitur, quas qui eadem perſonaliter accedunt adipiſci ſolent. Id autem ea de cauſa conceſſum dicit, quòd propter bella, Arabum latrocinia, peſtem, morbos, paupertatem, multi peregrinorum inde vlteriùs progredi nequeant.

Et de Ioppe quidem ciuitate & portu, quia primò occurrit, primò ſermonem faciemus, in medium afferentes quæ vel apud alios legimus, vel quæ nos ipſi, non ſemel locum luſtrantes, adnotauimus, adeoq́ue duo præſtabimus: primò, quidnam antiquitus fuerit, & quid modò ſit explicabimus; ſecundò notatu digna, quæ ibidem diuerſis temporibus contigerunt, recenſebimus.

Quo ad ptimum ſciendum eſt, duplicem eſſe ciuitatem in Terra ſancta, quæ Ioppe vel Iapha nuncupetur, alteram in Galilæa, quam expugnauit Veſpaſianus occiſis in ea quadraginta Iudæorum millibus, vt Ioſephus Hebræus lib. 3. de Bello Iud. c. 4. tradit; alteram in Iudæa, de qua loquendum nobis eſt.

Chriſtianus Adrichomius in ſuo elaboratiſſimo & accuratiſſimo Terræ ſanctæ theatro, in explicatione tribus Dan, in qua tribu cum D. Hieronymo Ioppen agnoſcit, optimè Ioppen & portus eius conditionem mihi explicaſſe videtur ſequentibus verbis: *Ioppe quæ à Ioſepho & Ioſpha dicitur, id eſt, pulchritudo aut decor, vrbs antiquiſſima, à Iaphet filio Noë ante diluuium condita, ſita ad mare in edito promontorio, littore ſaxoſo, alto & arduo, adeò vt Ieroſolyma conſpici poſſit. VVeiff. arce ac mœnibus munita valdè. Eſt portus Ieroſolymæ & Iudææ totius. Impetuoſiſſimus eſt, & ideò ad excurſus pyraticos commodus: in quem vſum Machabæorum tempore ſæpè eſt occupatus.* Hæc ex Adrichomio de ciuitate Ioppe & portu eius, prout erant tempore Regni Iudæorum.

Diſtat à Bethleem, ſecundùm D. Hieronymum, quadraginta ſex milliaribus Italicis, & conſequenter ab Ieruſalem quadraginta, à Rama ciuitate decem. Fuit vna ex Iudææ Toparchijs, & finitimis vrbibus præerat.

Hanc noſtram Ioppen eſſe in tribu Dan, vt innuimus, videtur deduci ex cap. 19. in eiuſdem tribus ſortitione; ſed non intra ipſam incluſa, ſed in illius confinio ſitam eſſe, indicatur ibi v. 46. vbi Borealis eius terminus extremus ita deſcribitur: *Cum termino qui reſpicit Ioppen.* in Hebræo, *contra Ioppen*, ſeu *è regione Ioppes:* apud Septuaginta, *terminus prope Ioppen.* quæ omnia indicant, terminum hunc ad Ioppen accedere, & è regione ipſius eſſe, non autem Ioppen intra terminos Dan includi; quare in Dan ponitur tamquam eius terminus. Et id ipſum ratio & ſenſus perſuadent. Nam cùm Terra promiſſa non vltra maria Mediterraneum & Salſiſſimum ſe extenderet, ſed intrà includeretur, & iſta maria eſſent termini eius, illud Occidentalis, hoc Auſtralis, & ad oculum pateat, Ioppen ſitam eſſe ad mare Mediterraneum; ſequitur ipſam non ſolùm tribus Dan, ſed totius Terræ promiſſæ terminum eſſe.

Eſt in terminis tribus Dan.

Quidam Ioppen appellatam volunt ab eius conditore & inſtauratore Iaphet: alij tamen malunt, nomen datum à Ioppe Æoli filia, & Cephei vxore. Hebræis appellatur *Iapho*, & nunc communiter vocatur *Iapha.*

A conditore Iaphet appellata.

Sed nobilis ac munita hæc ciuitas, temporum mutatione etiam ipſa, ſed in deterius, mutata eſt. Breui tempore à Romanis bis capta, interfectiſq́ue multis ibi ciuium millibus, incenſa & funditus exciſa fuit. Chriſtianis Palæſtinam occupantibus, à principio ſtatim ceſſit, habuitq́; tum ſuffraganeum Epiſcopum, & Comitem. Anno 1250. Ludouicus Francorum Rex eam cinxit turribus & muris: poſterioribus temporibus cum ipſis pænè fundamentis deſtructa cernebatur, ruderumq́ue, quæ tum viſebantur, magnitudo non obſcurè vrbis ipſius magnitudinem & præſtantiam indicabant: noſtra tamen ætate adeò radicitus omnia illa rudera exciſa ſunt, vt nulla omnino ampliùs appareant, præter pauciſſima adlittus maris, quę potiùs ſcopuli, ſuper quos erecti fuiſſent muri ciuitatis, quàm arte poſita fundamenta

Mutationibus plurimis obnoxia fuit.

Digitized by Google

ta videntur; & nonnulla promptuaria in eadem parte, de quibus mox agemus.

Ego cùm tot ruinas tum fabulo opertas, tum ex ipso prominentes, corporis & mentis oculis contemplatus fuissem, sensibiliter deprehendi, verè & appositè dictum fuisse à Saluatore nostro apud S. Matthæum, perperàm & imprudenter ædificasse quemdam domum suam super arenam; descendisse enim pluuias, & venisse flumina, & ventos flauisse, irruisseq; in domum illam, eamque cecidisse & fuisse ruinam illius magnam.

Adrichomius explicatur. Quod dicit Adrichomius, Ioppen ædificatam esse in edito promontorio, littore saxoso, credo intelligendum èsse de parte illa quæ mare & portum respicit, & de castello quod in ea erat, vbi nunc Turcæ alterum, etsi non vsque adeò munitum, ædificarunt, vnde naues ad Terram sanctam venientes, & piratarum excursiones videri possunt: aliàs enim residuum, quod præcipuum erat ciuitatis, in planicie & arena situm fuisse, quæ superfuerunt ruinæ testantur.

Puteus aqua dulcis prope mare. Est ibi secus mare puteus aquæ dulcis. Remanent adhuc è regione maris nonnulla ædificia, velut promptuaria, ad quæ aliquando viatores, mercatores, & Terræ sanctæ peregrini diuertunt, ibique habitant, quoniam opportuniora habitacula non suppetunt: frequentiùs tamen sub dio vel sub aliquo papilione manent.

Portus Ioppes conditio. Portus Ioppe satis angustus est, natura & fortasse arte etiam olim munitus, & tutus celebrisque erat; sed nostro tempore arena, quam furentes vndæ & maris impetuosi fluctus adduxerunt, & ruinis ciuitatis repletus, minùs tutus est, & non nisi parua nauigia admittit. Nec etiam celebris est, quoniam propter portus incommoditatem haud multæ merces illuc aduehuntur: nec multitudine peregrinorum frequentatur, quandoquidem peregrinationes ad Terram sanctam maiori ex parte cessauerunt. Subiacet Bascio siue Gubernatori Gazæ, qui ad illius custodiam ibi habet exactorem vectigalium, quem Turcæ Emin vocant.

Alia in Ioppe. Secundum, quænam scilicet ibi memoriâ digna olim acciderint, breuiter transcurrimus. In littore illo tempore D. Hieronymi saxa monstrabantur, ad quæ Andromedam, à belua marina deuorandam nisi Perseus illam liberasset, catenis religatam fuisse dicebatur, vt idem docet Hieronymus tum alibi, tum in Epitaphio Paulæ matris ad Eustochium, dum dicit: *Ioppen quoque fugientis portum Iônæ, & (vt aliquid perstringam de fabulis Poëtarum) religatæ ad saxum Andromedes spectatricem.*

Hoc quidem ex Ouidio lib. 4. Metamorph. licet, velut huius dicti immemor (inquit Abulensis loco statim adducendo) in lib. 1. de Arte amandi, dixerit, eam arreptam fuisse à belua in terra Indorum. sic enim ait:

Andromedam nigris Perseus portauit ab Indis.

Ceterùm Abulensis in cap. 14. Exod. quæst. 11. ex Solino docet, non fabulam, sed historiam esse. sic verò scribit: *Hoc autem, licet aliqui, inter historias & fabulas distinguere nescientes, fabulosum esse testentur, veritas historica est, vt declarat Solinus in Polyhistore, cap. 37. De Casio monte, & Ioppe oppido, cùm dicit: Id oppidum saxum ostentat, quod vinculorum Andromedæ vestigia adhuc retinet, quam expositam beluæ non irritus rumor circumtulit. Nam illius beluæ ossa quidam Romanus Aedilis, nomine Scaurus, tempore Aedilitatis suæ Romæ publicauit. Annalibus enim Romanorum comprehensum est, ossa costarum illius beluæ, quadraginta pedum in longitudine fuisse.* Hæc ille.

Laurentius Valla refellitur. Laurentius Valla, Ioanne Lorino referente in cap. 9. Actuum Apost. v. 36. redarguit D. Hieronymum, quòd dixerit, in isto littore monstrari saxa, ad quæ, &c. Inquit enim, Hieronymum fabulæ oblitum: esse enim locum illius in India ciuitatem Tharsis. Verùm immeritò carpit S. Doctorem Grammaticus iste, tum propter nunc dicta ex Abulensi, tum quia Plinius lib. 5. cap. 31. tradit, in Phœniceo mari ante Ioppen esse Pariam oppidum, in qua obiectam beluæ Andromedam ferunt; sed quando scribebat, dictam alio nomine Arados, & lib. 4. cap. 5. disertè memorat, dictæ beluæ ossa Romam apportata ex Ioppe oppido Iudææ. Videatur Solinus cap. 47. Strabo lib. 1. & 16. Mela lib. 1. cap. 11. Et præterea D. Hieronymus locutus creditur ex aliorum sententia, vt sæpè aßolet, non disputando de veritate vel falsitate. Sed his omissis, ad alia firma & indubitata accedamus.

Ad hanc ciuitatem & portum venit Ionas Propheta, cùm diuino mandato iussus ire in Niniuen ciuitatem ad prædicandum Niniuitis, vt de peccatis, quibus impliciti & inuoluti erant, pœniterent, & à via sua mala recederent: quò cùm peruenisset, ascendit nauem, vt fugeret in Tharsis à facie Domini, Ionæ 1, 3.

Ad portum Ioppes ligna & lapides pro templi structura de Libano per mare ratibus transferebantur, atque inde terrestri itinere curribus peruehebantur Ierosolymam, 3. Reg. 5, 9. Idem dicendum de alijs rebus, quæ olim deportabãtur & modò deportantur per mare Ierosolymam; est enim, vt diximus, Ioppe portus totius Iudææ.

Iuxta Ioppen ducenti Iudæi à Ioppicis ſubmerſi fuere. Ibi ſæpè habitarunt Machabæi, & illam communierunt, 2. Machab. 12,4.

Domus Thabitæ. Non longè à ruinis Ioppes, verſus Ieruſalem eundo, monſtrantur fundamenta & reſiduum domus Tabithæ ſanctæ illius mulieris, plenæ bonis operibus, propter quæ à mortuis ad vitam reuocata fuit à B. Petro Apoſtolo. Quo miraculo per vniuerſam Ioppen manifeſtato, multi crediderunt in Ieſum, Actor. 9,36.

Poſt hæc, vt in ijſdem Actis cap. 9,43. dicitur, *multos dies* manſit idem S. Apoſtolus *in Ioppe apud Simonem quemdam coriarium*, cuius domus, inquit Adrichomius, erat ſub rupe poſita iuxta mare, quo loci poſteà ſacellum in honorem S. Petri conſtructum fuit. In ſuperiori illius domus parte, dum oraret, mentis ecſtaſim paſſus S. Apoſtolus, vidit mirabilem viſionem. Cælum aperiebatur, & vas quoddam, velut linteum magnum, quatuor initijs ſubmittebatur de cælo in terram, in quo erant omnia quadrupedia & ſerpentia terræ, & volatilia cæli, &c. Qua ex viſione intellexit Apoſtolus, Chriſtum non modò Iudæorum, ſed & Gentium eſſe Saluatorem, & per ipſum omnes in vna Eccleſia, velut munda & immunda animalia in vaſe vno, coniungendos; quod & experientia poſteà didicit. In ea domo excepit viros Cæſareà à Cornelio Centurione iuſſu Angeli miſſos, vt docet S. Lucas in Actis capite decimo.

Domus Simonis coriarij.

Lorinus vtfallitur. Ioannes Lorinus in eum Actorum locum ait, non longè à portu Ioppes monſtrari ſaxum excelſum, ſuper quo Petrus lauans retia ſua vocatus ſit à Chriſto ad Apoſtolatum. Verùm ego nec memoratum ſaxum vidi, nec illius aliquam in partibus iſtis mentionem fieri audiui: bene tamen ſaxi alterius, quod cernitur apud Sidonem, quamuis & id fruſtrà dicatur, vt infrà Lib. VII. Capite VIII. Peregrin. VIII. oſtendemus. Quin Lorinum hoc abſq; ſolido fundamento adſtruxiſſe arbitror: in Euangelijs enim, vbi fit mentio vocationis Petri ad Apoſtolatum, indicatur eam alibi fuiſſe factam, nimirum, in Galilæa, & ad mare Galilææ, non hic in Iudæa ad mare Mediterraneum. Et quinto Lucæ capite, vt notatur in margine à citato Auctore, dicitur, S. Petrum fuiſſe ſecus ſtagnum Geneſareth, quando vocatus fuit: conſtat verò, hoc ſtagnum non eſſe prope Ioppen, ſed procul inde in Galilæa Prouincia, vt videbimus ſuo loco inferiùs Lib. VII. Cap. XI I. Peregrin. V.

Ruinæ prope Ioppen. Cernuntur denique prope Ioppen, eundo verſus Ieruſalem, nonnullæ ædificiorum ruinæ & fundamenta, quæ aliqua myſteria referre probabiliter credi quidem poſſet, præcipuè cùm & nonnulla referantur ab incolis: quia tamen ea haud firmo ſed debili prorſus & ſtramineo nituntur fundamento, datâ operâ prætereo.

CAPVT II.

De Rama ciuitate, ſecundo loco memorabili Peregrinationis primæ, & de alijs quæ in ea obſeruatione digna occurrunt.

EX Ioppe per ſpatioſam, latam atque fecundam planitiem verſus Ieruſalem pergunt peregrini, decemque circiter milliarium itinere confecto, ad Ramam ciuitatem perueniunt, de qua pauca, ſed parum firma, dicere habeo; quia quæ ab Auctoribus de ea aſſeruntur, quomodo ei conuenire poſſint non video, nec etiam ex ſacris Litteris eius conditio (quantum mihi quidem conſtat) innoteſcit: dicam nihilominùs probabiliora, quæ inueni, vidi & cogitare potui.

Rama à Ioppe decem milliaribus diſtat.

Chriſtianus Adrichomius in Explicatione tribus Ephraim n. 79. agit de Rama, &, vt credo, de illa eadem de qua & nos, vt in illius geographica delineatione & eiuſdem explicatione indicare videtur. Etſi, vt verum fatear, non videam quomodo illa delineatio & explicatio noſtræ Ramæ conueniant. Oſtenſo, quomodo Rama pluribus nominibus nominetur, & plura eſſe loca quæ tali nomine appellãtur inſacris litteris, (vt & nos inferiùs opportuno loco dicemus) inquit, hanc Ramam ſiue Ramatham eſſe illam, quæ eſt iuxta Gabaa, de qua nos alibi pauca dicemus.

Adrichomij ſententia, Ramam eſſe iuxta Gabaa, refellitur.

Lib. VI. Cap. X. Peregr. I.

Lib. VI. Cap. X. Peregr. VIII.

Sed non video an ita ſit; nam Rama *excelſum* ſignificat, ideò S. Hieronymus locum illum Ieremiæ cap. 31,15. *Vox in Rama audita eſt*, tranſtulit, *Vox in excelſo audita eſt*, Matth. 2,18. Et ideò *Rama* de pluribus locis in excelſo ædificatis dicitur, in montibus & collibus, quod non fuit incognitum Adrichomio: nam poſtquam oſtendit, quinque loca vel ciuitates hoc nomine appellari, addidit: *Quæ omnes in montibus. interpretatur enim Rama excelſum.* Quæ ſi ita ſe habent, hæc non erit Rama iuxta Gabaa ædificata, nec alia ex illis quinque; quoniam non in excelſo, ſed in planitie conſtructa eſt, &, vt dicit ipſe Adrichomius, *in campeſtribus ſita eſt*, etſi eam in monte delineauerit. Et tantò magis hoc verum erit, ſi ab Arabibus Mahometanis, & non à Iudæis vel Chananæis, qui multis ſæculis Mahometanos præceſſerunt, fuit ædificata, vt quidam (ipſo Adrichomio aduertente) arbitrati

Rama excelſum ſignificat.

Rama ſita eſt in campeſtribus.

bitrati ſunt. ſic enim ille ſcribit : *Huius ciuitatis vetus nomen ignorare ſe ſcribit* * *VVillelmus, adeoq; illam priſcis ſæculis incognitam fuiſſe, vt quam teſtibus illorum temporum hiſtoriis Arabes Mahumeti ſectatores primùm exædificarint. Erat autem ſita in campeſtribus*, &c.

* Tyrius lib. 10. de Bello ſacro, c. 17.

Quare nec ſatisfaceret, qui diceret, ideò dici *excelſam*, quia eſt in regione montoſa, id eſt, Iudæa; quoniam allusio nominis reſpicit quod particulare eſt, & non quod commune, alias in propoſito quælibet Iudææ ciuitas Rama diceretur, quòd in eminenti regione ſita ſit, quod dicendum non eſt.

Nec mirandum, Adrichomium, nominis Ramæ ſignificatione conſiderata, hanc ciuitatem in montibus delineaſſe, quia non fuit oculatus inſpector; ſed benè mirandum eſt, eos, qui ibi fuerunt, & propriis oculis inſpexerunt hanc ciuitatem quæ in magna planitie ſita eſt, in monte ſitam eſſe ſcriptis conſignaſſe.

An ſit Arimathæa patria Ioſephi illius nobilis Decurionis.

Bonifacius initio lib. 2. de Perenni cultu Terræ ſanctæ, arbitratur eſſe Arimathæam, patriam illius Ioſeph nobilis Decurionis, occulti Chriſti diſcipuli, & conſequenter non à Mahometanis, ſed ante ipſorum aduentum ab alijs ædificatam. Eius verba, quæ Ramæ memorabilia continent, hîc tibi ſubijcio. *Peregrini, poſtquam Terram ſanctam ingreſſi fuerint, & plenariam indulgentiam conſecuti, volentes magis inſtificari, aſcendere cupiunt*, inquit, *Ieruſalem ciuitatem ſanctam, & aſcendentibus per viam, occurrit duodecimo milliario à Ioppe ciuitas, olim inſignis & diuitijs plena, ob negotiatorum ad eam accedentium multitudinem; nunc verò, licet decorem antiquum amiſerit, plena omnibus ad vitam ſuſtentandam humanam neceſſarijs, peregrinorum hoſpitium effecta eſt. Hoſpitantur enim peregrini in ea domo, qua Nicodemi Chriſti occulti diſcipuli fuit. Hæc domus in monaſterium fuit coaptata, nunc & monaſterium & hoſpitium peregrinorum eſt. Inuenies in illa parte, in qua Fratres hoſpitantur, capellam, in qua idem Nicodemus Crucifixum, qui in Lucenſis ciuitatis maiori Eccleſia piè adoratur, fabricauit, Maria expoſuit, & gratiæ Dei commendauit. Iſta ciuitas nunc corrupto vocabulo Rama vocatur. Facilè enim in hanc corruptionem Chriſtiani deſcenderunt. Infideles vocant illam Ramula, quod idem eſt quod terra arenoſa. Sed ego dico, quòd iſta ciuitas eſt Arimathia, de qua fuit ille nobilis Ioſephus, qui petijt corpus Ieſu à Pilato, & ſepeliuit in ſepulchro ſuo nouo, in quo nondum quiſquam poſitus fuerat. In hac ciuitate fuerunt duæ inſignes Eccleſiæ, quæ malo noſtro, & negligentia Chriſtianorum*

Qua ibi contigerint obſeruanda.

Principum, verſæ ſunt in meſquitas. Quarum vna vſque in hodiernum diem, ſanctus Ioannes vocatur ab ipſis infidelibus; altera verò Quadraginta Martyrum, in qua multa corpora militum Chriſti à Sebaſten ciuitate Armeniæ minoris delata fuere, & in ea honorificè collocata, in quâ in præſentem vſque diem ſub maiori altari in pace requieſcunt. Hactenus Bonifacius.

Circa huius Scriptoris verba tria placet conſiderare: primum, quòd Ramæ fuerit hoſpitium peregrinorum; ſecundum, quòd fuerit patria Ioſephi ab Arimathæa; & tertium quod dicitur de Eccleſia Quadraginta martyrum. Et quantum ad primum, illud hoſpitium arbitror eſſe locum cuius meminit Tyrius lib. 17. cap. 16. vbi loquens de Almerico Sidonis Epiſcopo, inquit fuiſſe Abbatem Canonicorum Regularium Ordinis Præmonſtratenſis in loco dicto Habacuc prope Bethleem, de quo inferiùs Libro VI. Cap. IX. Peregrin. 1. quia Almericus fuit conſecratus Epiſcopus in Eccleſia Lyddæ Ramæ proxima, vt Capite ſequenti dicetur: ſed ſi fuiſſet Abbas Habacuc prope Bethleem, in proximiori & nobiliori Eccleſia Bethleem fuiſſet Epiſcopus conſecratus; quare ſi illud verum eſt, habemus, locum iſtum fuiſſe monaſterium Ordinis Præmonſtratenſis.

Hoſpitium ibi peregrinorum ad Terram ſanctam euntium.

Quantum ad ſecundum, hanc ciuitatem fuiſſe patriam Ioſephi ab Arimathæa, cum communi traditione aſſerit Bonifacius: cui ex parte ſuffragari videntur Beda, Abulenſis, Salmeron, & alij, dum dicunt, ciuitatem Arimathæam, ex qua Nicodemus oriundus erat, dici Ramatham Samuelis, fuiſſeque eius patriam, & ab Ieruſalem diſtaſſe viginti milliaribus. *Ex parte* dixi, quatenus ſcilicet dicunt Decurionem illum fuiſſe ex hac ciuitate; nam de hac eos fuiſſe locutos, colligitur ex diſtantia quam aſſignant inter hanc Ramam & Ieruſalem, etſi maior etiam ſit, quia triginta circiter eſt milliarium: non verò quatenus dicunt, dici Ramatham Samuelis, & eius fuiſſe patriam; nam ex Ramatha Sophim (quæ non tam longè diſtat ab Ieruſalem, ſed vel tribus leucis, vt dicit Brocardus, vel etiam minùs, vt mihi cum aliis magis placet) erat oriundus, vbi & ſepultus fuit, vt manifeſtè legitur 1. Reg. 1, 1. 25, 1. & 28, 3. Quin & hæc noſtra Rama in monte non eſt ita, vt de iſta aſſeritur, & reuerà ſic habet.

Patria Ioſephi ab Arimathæa.

Adrichomius conuenit in parte cum Bonifacio, tum in eo quòd hanc ciuitatem faciat patriam Ioſephi, tum quòd iiſdem nominibus, quibus ille appellari affirmat, dicens: *Ramatha, Ramatha, Ramathaim, & Arimatha, ſiue Arimathia; poſt & Rama &*

Ramula dicta est. In reliquis non item conuenit.

Neotericus quidam Scriptor non putat probabile, hunc Ioſephum fuiſſe ex hac Rama oriundum; quoniam hæc ciuitas pertinet (inquit) ad tribum Beniamin: at Ioſephus fuit ex quadam ciuitate Iudææ, quæ eſt in tribu Dan, Arimathæa dicta; & hoc dicit S. Lucas Euangeliſta: *Et ecce vir nomine Ioſeph, qui erat Decurio, vir bonus & iuſtus: hic non conſenſerat conſilio & actibus eorum, ab Arimathæa ciuitate Iudææ* Lucæ 23, 50.

Verùm ſententia Bonifacij, quam communis harum partium traditio firmat, ratione adducta non redditur improbabilis: non enim dicit Euangeliſta, Ioſephum fuiſſe ex tribu Dan, nec probatum Auctorem, qui illud dicat, neotericus ille adducit: & Adrichomius in Ephraim deſcribens Ramam hanc ex qua putat Ioſephum oriundum eſſe, indicat, non fuiſſe ex ciuitate Iudææ, quæ erat in tribu Dan. Sed demus libenter, fuiſſe ex Dan; vnde probabit ipſe, hanc Ramam fuiſſe in tribu Beniamin? Sed ſi hac ratione dicat eſſe in Beniamin, quòd eius confinium ſit; eâdem & ego dicam eſſe in Dan, vel etiam Iuda, quia in harum finibus illam eſſe dicit Adrichomius. *Ramula ciuitas*, inquit, *ſeparata Leuitis, ſita in Sophim monte Ephraim, vnde & Ramatha Sophim dicitur, eſtq; confinium tribuum Ephraim, Beniamin & Dan, pro qua aliqui Iudam ponunt.* Sed hæc alteri Ramæ, patriæ Samuelis, conuenire, iam diximus. Non haberem tamen pro inconuenienti, & hanc ponere dictarum tribuum eſſe confinium, etſi magis ad Dan ſpectare vel etiam Beniamin exiſtimem, vt recentiorem quamdam Terræ ſanctæ delineationem conſiderans quiuis iudicabit.

Sed breuiter dico, ex D. Luca nihil colligi contra adductam ſententiam & traditionem, cùm Iudæa in Scriptura ſacra, vt notauimus Lib. 1. Cap. 11. non vnam dumtaxat habeat ſignificationem. ſignificat enim aliquando totam Terram promiſſionis, aliquando ſortem quæ tribui Iudæ contigit, vel Regnum duarum tribuum Iuda & Beniamin, vel denique Iudæam vnam ex quatuor Prouinciis Terræ promiſſionis. Et poſſemus dicere, Lucam indicare voluiſſe, hunc Ioſephum fuiſſe ex ciuitate Iudææ, id eſt, quæ eſt in Regno vel Prouincia Iudææ. Et hæc Rama verè eſt in Regno & Prouincia Iudææ.

Sed maius accipe pro dicta ſententia teſtimonium, S. Hieronymi nimirum, in hunc modum de his loquentis in Epitaphio Paulæ: *Haud procul ab ea* (id eſt à Lydda, quæ tribus breuibus milliaribus diſtat à Rama, vt Capite ſequenti dicemus) *Arimathiam viculum Ioſeph, qui Dominum ſepeliuit*, ſcilicet inuiſit Paula. Et ex hoc diſcimus, non potuiſſe Mahumetanos prima huius vrbis fundamenta poſuiſſe, quia venerunt poſt Paulam & Hieronymum; benè tamen potuiſſe munire & ampliare, & ex viculo facere ciuitatem.

An hæc ciuitas ſit Rama de qua dicitur, *Aſcendit quoque Baaſa Rex Iſrael in Iudam, & ædificauit Ramam*, &c. 3. Reg. 15, 17. quia videlicet eam muro circumdedit, vt dicitur 2. Paralip. 16. ignoro: tam affirmantibus quàm negantibus ſua non deſunt argumenta.

Quantum ad tertium, Eccleſiam ſcilicet Quadraginta Martyrum, ſciendum, quòd de illis Quadraginta Martyribus, qui Sebaſte in Armenia ſub Prætide Agricolao martyrio coronati fuerunt, & de illorum nominibus, Reliquiis, & veneratione agat Cardinalis Baronius Tom. 3. Annal. Eccleſ. ſub anno Chriſti 316. & in Notis ad Martyrologium Romanum die 9. Martij, dicatque illorum Reliquias fuiſſe in Italiam tranſlatas. *Eccleſia illa quare ſic appellata.*

Poſſemus nihilominùs probabiliter dicere pro defenſione Bonifacij, illarum Reliquiarum partem alteram in Italiam, & alteram ad hanc Eccleſiam delatam fuiſſe, ac ideò ab ipſis Eccleſiam illam nomen acceſſiſſe. Vel dicatur, fuiſſe ita cognominatam & dedicatam, ſicut illa Conſtantinopoli, & alibi aliæ, propter magnam populi, & maximè Orientalis, erga illos Martyres deuotionem. Et ſanè nationes omnes Orientales magna cum ſolemnitate illorum feſtum celebrant. Horum Eccleſia extra ciuitatem ſita eſt Occidentem verſus, paulò longiùs quàm arcus bino iactu aſſequi poſſit: cui magna domus annexa eſt. Baſilica verò S. Ioannis intra ciuitatem viſitur. Iſtam tamen Quadraginta Martyrum intra ciuitatis muros haberi dixit Bonifacius, propter magnam eius propinquitatem.

Habitant hac in ciuitate, ſicut & in aliis Terræ ſanctæ, Turcæ, & alij infideles Hebræi & ſchiſmatici, pauciſſimis Catholicis exceptis. Multi tamen ad eam diuertunt, & in domo Fratrum Minorum hoſpitantur, iiſque partim peregrini Ieroſolymam proficiſcentes, partim mercatores, qui inde magna in copia ad Chriſtianorum regiones aduehunt bombycem. *Rama quæ habeat incolas.*

CAPVT

CAPVT III.

De Lydda ciuitate, & Eccleſia S. Georgij Martyris, tertio loco memorabili Peregrinationis prioris.

Lydda quantum à Rama diſtet.

EX Rama itinere trium paſſuum milliarium Orientem verſus, parum ad Septemtrionem declinanti per ſpatioſam planitiem, occurrit Lydda ciuitas, de qua breuiter duo ſunt explicanda: alterum, quid ipſa fuerit & ſit; alterum, quæ olim in ea acciderint mirabilia.

Quantum ad primum, *Lydda ciuitas* (inquit S. Hieronymus de locis Hebraicis, & Epiſt. 77.) *ad littus maris Mediterranei ſita, quæ ipſo exordio belli Iudaici à Ceſtio eſt incenſa, reſtaurata denique, appellata eſt Dioſpolis.* Plinius lib. 5. cap. 14. inter decem Iudææ Toparchias tertio loco Lyddam collocat. ſic enim ſcribit: *Reliqua Iudæa diuiditur in Toparchias decem, eo quo dicemus ordine, Ierichuntem palmetis conſitam, fontibus irriguam, Emmaum, Lyddam, Ioppicam, Acrabatenam, Gophniticam, Thamniticam, Betholenen, Tephenem, Orinen, in qua fuere Ieroſolyma, longè clariſſima vrbium Orientis, non Iudæa modò, Herodium cum oppido illuſtri eiuſdem nominis.* Non longè abeſt à mari Mediterraneo, diſtat à Ioppe duodecim circiter milliaribus, à Cæſarea, quæ alio nomine *Turris Stratonis* dicitur, circiter mille paſſus, à Ieruſalem triginta tribus plus minus milliaribus. Cùm à Chriſtianis inhabitaretur, Epiſcopali dignitate erat inſignita, ſed ſuffraganea, vt aduertit Adrichomius de ea agens in Ephraim, vbi & ponitur, & illuſtribus condecorata erat Eccleſiis. Hæc quidem antiquis temporibus.

Eccleſia ibi S. Georgij Martyris, & in ea caput eiuſdē.

Noſtro ſæculo calamitoſo agreſtis eſt & deſerta villa, paucis domunculis conſpicua. Erat in ea olim illuſtris & grandis Eccleſia S. Georgio Martyri dicata, & in ipſo loco, vbi glorioſus Chriſti miles illuſtre martyrium obierat, ædificata; ſed hodie ferè diruta, ſuperiori parte excepta, vbi ſancti Martyris caput aſſeruari dicitur ab incolis Græcis (modò verum dicatur) quamuis non qui ei deberetur honor & reuerentia exhibeatur; tum quia Eccleſia ferè, vt iam diximus, diruta eſt, tum quia reædificandi abeſt facultas; propter Græcorum cuſtodientium paupertatem.

Cardinalis Baronius in Notis Martyrologij Romani ad diem 23. Aprilis aduertit, caput S. Georgij Romæ aſſeruari. ſic enim ibi legitur: *Fuit & Romæ, quæ adhuc perſeuerat, illuſtris memoria S. Georgij ad velum Aureum, vbi & caput eius venerandum aſſeruatur, quod Zacharias Papa in theca repertum cum inſcriptione Græcis litteris exarata, ibidem recondidit, vt teſtatur liber de Romanis Pontificibus in Zacharia.* Plura de iſto Martyre ibi notata habes. Fieri potuit, vt venerandum illud caput, ſicut & alia ſacra, è Terra ſancta Romam fuerit deportatum. Vel dici poteſt, quod altera illius pars Lyddæ, & altera Romæ aſſeruetur, ſicut de multis aliis Reliquiis accidiſſe, compertum eſt, & nos alibi notamus. Et quamuis Lyddæ non eſſet, venerandus tamen locus, quia ibi aliquando fuit, ſicut ob ſimilem rationem vacua ſepulchra Chriſti Domini, eius ſanctiſſimæ Matris, Apoſtolorum, aliorumque Sanctorum veneramur. *Perhibent Terræ ſanctæ Annales*, inquit Bonifacius lib. 2. De perenni cultu Terræ ſanctæ, *iſtam Eccleſiam fabricatam eſſe à quodam Rege Anglorum, cuius nomen non inueni.* Et hoc probabile redditur, ſi olim ſanctus hic Martyr, vt dicitur, Anglorum Patronus fuit. Procopius lib. 1. à Iuſtiniano Imperatore ædificatam eam eſſe aſſerit, idem & Adrichomius: ſed deſtructam anno Domini 1009. à Principe Babylonis, tradit ad hunc annum Baronius, & nos notamus Lib. v. Cap. v. Peregrin. 1.

ab Anglo Rege quodam ædificata.

In hac vrbe (vt ad id quod ſecundo loco propoſuimus accedamus) Petrus Apoſtolus, quo tempore collectas Chriſtianorum Eccleſias viſitabat, inuenit hominem quemdam, qui appellabatur Æneas, & octo iam annis ex paralyſi decubuerat. D. Petrus miſerum hominem videns, ait illi: *Æneæ, ſanat te Dominus Ieſus Chriſtus: ſurge & ſterne tibi. Et continò ſurrexit: & viderunt eum omnes, qui habitabant Lyddæ & Saronæ; qui conuerſi ſunt ad Dominum.* Ita S. Lucas Actor. 9, 34.

De Lydda, quam & viſitauit celebris illa Paula Romana, hæc in eius Epitaphio ſcribit S. Hieronymus: *Et Lyddam verſam in Dioſpolim, Dorcadis atque Æneæ reſurrectione ac ſanitate inclytam*, ſcilicet viſitauit Paula. Aduerte tamen, Dorcadem, id eſt Tabitham, non Lyddæ, ſed Ioppe fuiſſe reſuſcitatam, vt ſuprà Cap. 1. diximus. ſed ideò dixit S. Doctor, Lyddam eſſe illius reſurrectione inclytam, vel quia Lydda haud procul Ioppe aberat, vt propter vtriuſque vicinitatem ita fortaſſe locutus fuerit; vel è conuerſo, quia ex ſanatione paralytici Lyddenſis occaſionem ſumpſerunt Ioppenſes confugiendi ad S. Petrum, eumque exorandi, vt ſicut Lyddæ paralyticum ſanitati reſtituiſſet, ita & Ioppe Dorcadem illam, bonis operibus plenam, à mortuis ad vitam reuocaret, dixit Lyddam eſſe inclytam

tam Dorcadis ad vitam ſuſcitatione, eò quòd ſingulariter Lyddæ diuulgata fuerit. Sed his omiſſis, alia nonnulla de S. martyre Georgio proſequamur.

CAPVT IV.

Alia de ſancto Georgio martyre ex Adamnano.

QVoniam S. Georgij Martyris celebertima eſt memoria non ſolùm in his Iudææ ac Palæſtinæ, ſed etiam in pleriſque aliis Orientis regionibus, adeò vt ad illius opem ex voto multi confugiant, eique ſe ſuis in neceſſitatibus commendent, tum Catholici, tum etiam ſchiſmatici, imò etiam nonnumquam ipſi Turcæ & Mauri, placuit aliqua de iſto ſancto ex Adamnano ſubnectere, qui lib. 3. de Locis ſanctis cap. 4. ſequentia ſcribit ex ſancto Arculpho, prout idem à pluribus in Conſtantinopolitana ciuitate audiuerat. *In Dioſpoli ciuitate martyris Georgij, in quadam domo ſtatua marmorea in columna, contra quam alligatus perſecutionis tempore flagellatus eſt,* * *formula depicta eſt; qui tamen poſt flagellationem è vinculis abſolutus, multis vixit annis. Quodam verò die, cùm quidam* * *duri cordis & incredulus homuncio, in equo ſedens, eandem intraſſet domum, & vidiſſet marmoream columnam, ab his, qui ibidem erant, interrogat, dicens: Cuius eſt hac imago in marmorea columna formata? Quibus reſpondentibus, & dicentibus, Georgy martyris hac figura eſt, qui ad hanc vinculatus & caſtigatus eſt columnam. Quo audito, ille ſtolidiſſimus homunculus, valdè iratus contra inſenſibilem rem, ſancti Martyris ſtatuam lanceâ percuſſit. Quæ videlicet eiuſdem aduerſarij lancea, quaſi per globum niuis mollem, mirum in modum facilè penetrans, lapideam illam perforauit columnam, exteriore parte eius, cuius ferrum interius inhærens retentum eſt, nec vmquam vllo modo retrahi potuit. Haſtile autem eius ad ſancti Martyris colliſum, marmoream formulam vel columnam, exteriùs confractum eſt. Illius quoque miſelli hominis equus, in quo ſedebat, eodem momento, ſub eo in pauimento domus cecidit mortuus. Ipſe autem ſimul miſellus in terram cadens, manus in illam marmoream miſit columnam, eiuſq; digiti* * *quaſi in mollitie vel luto intrantes, in eadem impreſſi inhæſerunt columna. Quod videns miſer, qui retrahere denos duarum digitos manuum ad ſe non poterat, & in marmorea ſancti Martyris inhærentes formula colligatos & inſertos, nomen Dei æterni eiuſdem Martyris, agens pœnitentiam inuocat, & vt abſolueretur ab eodem vinculo, in lacrymis precatur. Quam eius lacrymoſam pœnitentiam miſericors Deus ſuſcipiens, qui non vult mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat, non ſolùm ab ipſo præſenti marmoreo viſibili abſoluit vinculo, ſed etiam à peccatorum inuiſibilibus alligamentis, fide ſaluatum, ſubueniens miſericorditer liberauit. Hinc itaque manifeſtè oſtenditur, quanta & qualis fuerit honorificentia apud Deum Georgium, inter tormenta, cuius* * *thoracidam in re naturâ impenetrabili, penetrabilem potentia fecit, lanceaq; aduerſarij æquè impenetrabilem mirabiliter fecit penetrabilem, digitoſq; eiuſdem homunculi infirmos, in eadem natura impenetrabiles potenter penetrabiles fecit, quos in marmore vinculatos, primulè & ipſe durus retrahere non potuit, ſed eodem* * *momento valdè perterritus, & exinde mitigatus pœnitens, Deo miſerante, retraxit. Mirum dictu, vſque in hodiernam diem eadem bis quinorum eius veſtigia digitorum apparent vſque ad radices in marmorea inſertorum columna. In quorum loco S. Arculfus ſuos denos proprios inſeruit digitos, ſimiliter ad radices intrantes. Eiuſdem quoque homunculi ſanguis equi, cuius coxa in pauimento mortui cadentis in duas confracta eſt partes, nullo modo ablui aut deleri potuit, ſed indelebilis in pauimento domus vſque ad noſtra permanet tempora idem equinus cruor.*

Aliam quoque de eodem ſancto Georgio Martyre certam relationem nobis S. Arculfus reliquit, quam idoneis ſatis narrationibus in eadem ciuitate Conſtantinopolitana didicit, vbi hoc modo de illo S. Martyre referre ſoliti erant, dicentes: *Quidam homulus ſæcularis Dioſpolim ciuitatem, in equo ſedens ingreſſus, eo in tempore, quo ad expeditionem faciendam multa populorum millia vndique conueniebant collecta, illam accedens intrauit domum, in qua ſuprà memorata marmorea extat columna, in ſe martyris Georgij habens depictam imaginem, ad quam quaſi ad præſentem Georgium loqui cœpit dicens: Me tibi, Georgi martyr, & meum commendo equum, vt orationum virtute tuarum ab vniuerſis bellorum atque morborum, aquarumq; periculis liberati, ambo vſque ad hanc vrbem poſt expeditionis tempus incolumes reuerſi perueniamus, & ſi tibi ita Deus miſericors noſtram reuerſionem donauerit proſperam, ſecundùm optionem noſtræ paruitatis, ego hunc meum quem valdè diligo equum, ipſum tibi pro munere donandum offeram, in conſpectu tuæ aſſignaturus* * *formulæ. Quibus ſermunculis otiùs terminatis, domum egreſſus, inter exercitus multitudinem cum ceteris contubernalibus commeans, idem homuncio in expeditionis comitatu emigrat. Qui poſt multa & diuerſa bellica pericula, interq; miſella plurimorum*

* imago

* M. S. duricordi

* M. S quaſi in politica

* imagini.

rum millia homunculorum, quæ conſtrata perierant, ipſe in eodem ſuo ſedens dilecto equo, ab omnibus infeſtis caſibus, iuxta memoratam talem exemptus eſt commendationem: Chriſticole Georgio Deo condonante, ad Dioſpolim properè reuertitur; illamq; domum, in qua eiuſdem S. Martyris habebatur imago, ſecum deferens aurum in equi pretium ſui, gaudenter intrat, ſanctumq; Georgium, ac ſi præſentem, alloquitur, dicens: Sancte Martyr, Deo æterno grates refero, qui me per tuæ celſitudinem firmitudinis & orationis ſoſpitem reduxit, propterea hos tibi viginti ſolidos auri offero, equi pretium mei, quem tibi primùm commendatum, mihi vſque in hodiernum conſeruaſti diem. Hæc dicens, ſuprà de-
• imaginis *ſcriptum auri pondus, ante pedes ſanctæ* •*formulæ Martyris deponit, plus equum amans quàm aurum. Et egreſſus foras ingeniculatione expleta, tale iumentum ſupra ſedens ad emigrandum inſtigat quidem, ſed nullo modo mouere potuit. Quod ille homunculus videns, deſcendit de equo, reuerſusq; domum intrat, aliosq; decem affert ſolides, inquiens: Sancte Martyr, manſuetus quidem mihi equiti in expeditione inter pericula fuiſti, ſed, vt video, durus & auarus es in commercio equi. Hæc dicens, & decem ſuper viginti ſolidos adiiciens, ad ſanctum dicit Martyrem: Et hos tibi addo ſolidos, vt mihi placabilis fias, & meum ad ambulandum reſoluas equum. Hoc dicto egreſſus, iterùm aſcendens equum ad meandum incitat: qui quaſi infixus in eodem ſtabat loco, nec etiam vnum poterat mouere pedem. Quid plura? Poſt equi aſcenſum deſcenſumq; per ſingulas quatuor vices, intrans domum, decem ſecum ſolides afferens, & ad immobilem reuerſus equum, huc atque illuc currebat; & tamdiu illum nulla inſtigatione remouere poterat, vſquequò numerus ſolidorum ſexaginta adimpleretur congregatorum. Tum deinde commemoratum ſuprà repetit ſermonem, de S. Martyris manſueta humanitate, & tuta in expeditione cuſtodia, & de eius duritia, vel etiam in commercijs auaritia commemorans. Qui talia verba, vt fertur, per quaternales ſingulas vices in domum reuerſus, repetebat. Ad vltimum hoc modo ſanctum alloquitur Georgium, dicens: Sancte Martyr, nunc tuam pro certo cognoſco voluntatem: hoc itaque, iuxta id quod deſideras, totum auri pondus, videlicet ſexaginta ſolides tibi munus offero, ipſum quoque meum equum, quem tibi promiſeram priùs propter expeditionem condonandum, nunc tibi, licet inuiſibilibus alligamentis vinculatum, condono, ſed mox, vt credo, reſoluendum per tuam honorificentiam. Hoc terminato ſermone, egreſſus domum, eodem momento hora abſolutum reperit ipſum; quem ſecum deducens in domum, ſancto donatum aſſignauit Martyri in conſpectu imaginis ipſius, indeq; lætabundus Chriſtum magnificans diſceſſit. Hinc manifeſtè colligitur, quodcumque Domino conſecratur, ſiue homo erit, ſiue animal, iuxta id quod in Leuitico ſcriptum eſt, nullo modo poſſit redimi, aut mutari. Nam ſi quis mutauerit, & quod mutatum eſt, & pro quo mutatum eſt, ſanctificabitur Domino, & non redimetur.* Hucuſque Adamnani relatio.

P. Iacobus Gretſerus inquit, codicem Belgicum manuſcriptum habere, *De ſancto Georgio Confeſſore*, & ita vbique per totum caput, ſed Martyris nomen ſubſtitui debere, vt in alio quodam eiuſdem Opuſculi habetur apographo, quòd ſermo eſſet de ſancto Georgio illo, cuius feſtum S. Romana Eccleſia 23. Aprilis colit. Id vel ex Dioſpoleos ciuitatis vocabulo liquere, quæ & Lydda, de qua Actor. cap. 9. vbi S. Georgius paſſus dicitur, & celebrem eſſe mentionem Dioſpoleos in Ieroſolymitanis Itinerariis. Forte codicem Belgicum Confeſſorem appellare, quòd poſt illam flagellationem, & alia tormenta propter Chriſtum tolerata, diu adhuc ſuperuixerit.

Poſſet etiam fortaſſe dici, in codice illo Belgico Confeſſoris nomen non accipi prout diſtinguitur à nomine Martyris, & de Sanctis illis enuntiatur, qui ſanguinem pro Chriſto haud fuderunt, ſed prout idem ſignificat quod martyr. Martyr enim Græce idem eſt quod Confeſſor Latinè: quia dum Martyr ſanguinem fudit pro Chriſto, egregiam illius confeſſionem facit, ac conſequenter Confeſſor propriè dici poteſt. Quare cùm minimè lateat illuſtriſſimum martyrium memorati S. Georgij, abſque dubio credere debemus, Belgicum ſcriptorem, relicto magis vſitato Græco nomine Martyris, maluiſſe illius loco Latinum Confeſſoris interſerere.

Prope Bethlehem eſt Eccleſia S. Georgij, vbi eius ſeruatur catena.

Præter alia monumenta S. Georgij, quæ in Terra ſancta extant, celebris eſt memoria vnius Eccleſiæ non longè à Bethlehem huic Martyri dicatæ, vbi aſſeruatur catena qua ſanctus hic fuit pro Chriſto vinctus, & *Catena S. Georgij* nuncupatur; & in magna veneratione habetur non ſolùm à Chriſtianis, ſed etiam à Mauris: ideò tam ex illis quàm ex iſtis eò ſe conferunt, qui infirmitatibus laborant, vt catenę illius applicatione, & ad corporis circuitionem, ipſius Martyris meritis ſanitatis beneficium conſequantur, vt pluries conſequuntur, illi præſertim qui cerebri debilitate laborant, lunatici, & qui mente capti ſunt. Ita ſæpiùs audiui: Eccleſiam etiam ipſam, quæ ſub Græcorum cura eſt, cum catena inuiſi.

CA-

CAPVT V.

De castello boni Latronis, quarto loco primæ Peregrinationis.

PEregrini à Rama, vbi hospitantur, profecturi Ierusalem, Orientem versus ad sanctam Ciuitatem dirigunt gressus. Via à Rama vsque ad Ierusalem est triginta circiter milliarium; excepta planitie Ramæ, quæ pulchra est, spatiosa & fecunda, octo vel decem milliarium, tota residua difficilis satis, & ferè semper per montes & colles.

Rama campestria fecunda sunt & amœna.

Castellum boni Latronis à Rama quantum distet.

Peracto itinere decem circiter milliarium, ad dexteram partem extra viam medio propemodum milliari cernitur quoddam castrum in colle ædificatum, sed satis dirutum; in quo magna erat olim constructa Ecclesia, quæ hodie ferè est euersa & destructa. Appellatur plerumque in istis partibus *Castrum boni Latronis*, nomine ei indito à bono illo Latrone, qui cum Christo in cruce pendens, illi dixit: *Domine, memento mei, cùm veneris in Regnum tuum*, Luc. 23,42. & vicissim ab eo audire meruit: *Amen dico tibi: Hodie mecum eris in paradiso*, vers. 43. sed non æquè certum, ideò sic esse appellatum, quòd ibi natus fuerit sanctus ille Latro, vel simili causa. Bonifacius ex traditione asserit, & illius honori propterea erectam fuisse Ecclesiam, cuius nunc tantùm ruinæ cernuntur.

Ratio nominis illius.

De patria, nomine, & alijs boni Latronis.

Sed non ibi, verùm in Ægypto fuisse natum aliorum est sententia: quare, non vt quod certum est aperiam, sed vt huius loci occasione modica saltem boni Latronis habeatur cognitio, aliqua ex aliis accepta de illius nomine & patria in medium proferam. Quantum ad eius nomen, quod est in memoria æterna apud Dominum, Disma in antiquis Martyrologiis appellatur. Id ipsum quoque testantur Guilielmus Pipinus Statione 7. Christi patientis, Rauisius Tom. 1. Officinæ tit. De Cruce; qui etiam docent, eum natione fuisse Ægyptium; Iacobus à Voragine Serm. De Innocentibus, & Antonius Gilsandus Quæstione. 677. in Dominicam Passionis, addunt, quòd cùm Dominus cum sua sanctissima Matre in Ægyptum fugeret, illaq; à latronibus capta esset, latro ille puerum Iesum conspiciens, diuinum nescio quid in eius vultu conspexerit, sociosque induxerit, vt B. Virginem cum Iosepho & puero dimitterent. Verùm hoc apocryphum esse tenent aliqui: sed de hoc inferiùs Lib. VIII. Cap. 11. Peregrin. 1.

Dima appellatur à Cardinali Baronio in Notis ad Romanum Martyrologium die 25. Martij, & ferè communiter ab alijs. Nihilominùs quidam credunt impressionis vitio factum fuisse, vt pro Disma Dima legatur. Sed & hoc ex apocryphis prodit Baronius; ideoque hoc nomen proprium in Romano Martyrologio prætermissum fuit.

Ex his Auctoribus habemus, bonum Latronem fuisse natione Ægyptium, ac consequenter non eo Iudææ loco, sed in Ægypto natum; ac ideò non dici hoc *Castrum boni Latronis*, quòd ille ibi fuerit in lucem editus. Posset tamen etiam defendi adducta à Bonifacio traditio, eum fuisse Iudæum; quoniam sufficiens ratio vel auctoritas ei non refragatur.

Vel quod dubium est prætermisso, dici potest, quod certum est, fuisse ibi à piis fidelibus ob deuotionem erga hunc Sanctum constructam Ecclesiam, sicut & alibi aliæ eadem ratione fuerunt à fidelibus extructæ, quemadmodum citatus docet Baronius. Sed an bonus Latro Martyr dici possit, Lib. v. Cap. xxx. Peregrin. 1. vbi de cruce illius agemus, explicabitur.

CAPVT VI.

De loco & Ecclesia sanctorum Machabæorum, quinto loco primæ Peregrinationis.

NOn longè à Castro boni Latronis ad læuam extra viam passibus circiter ducentis occurrit locus & Ecclesia Machabæi, siue Ecclesia Machabæorum appellata: cuius nominis ratio hîc nobis inuestiganda est.

Bonifacius in Peregrinatione ex Ioppe Ierusalem versus, de his sequentia scriptis consignauit: *Ad læuam ad iactum sagittæ est locus & Ecclesia, qui & quæ Machabæi vocantur, quia ibi nati sunt, & post triumphum tumulati. In eodem loco sæpiùs ac sæpiùs peregrini, quia arbores olinarum & ficulneæ multæ sunt, eundo Ierosolymam ad mare quiescunt, iuxta puteum aquæ viuæ*, &c. Et hæc dixisse Bonifacium ex traditione in locis illis, vbi ille versatissimus erat, visitata, credendum est: loquitur etiam de septem fratribus Martyribus Machabæis, cùm aliis præter hos Machabæis Ecclesia honorem Martyribus debitum non exhibeat.

Bonifacij ratio de nomine Ecclesiæ sanctorum Machabæorum refellitur.

Sedenim in huius Auctoris dictis duo aduerto, quæ veritati consentanea mihi haud videntur. Alterum est, eosdem fratres Machabæos eo in loco esse natos; alterum, eorum corpora fuisse ibidem post martyrium tumulata. Et quantum ad primum,

septem

Digitized by Google

Machabei in Susandro castello nati.

septem sanctos fratres Machabæos non fuisse ibi in lucem editos, sed in Susandro castello, indicat Iosephus Hebræus in Libello, quem de imperio rationis, seu de Machabæis inscripsit, vbi legitur: *Septem fratres Machabai è Susandro castello Iudæa, quod ipsorum fuerat, omnes dicti Machabei, in Antiochiam cum matre, quæ Salomona vocabatur, fuerunt adducti* (tempore videlicet Antiochi Epiphanis) *quorum nomina hæc fuisse perhibentur: primus Machabæus, secundus Aber, tertius Machir, quartus Iudas, quintus Aias, sextus Areth, & septimus dictus est Iacob, omnes autem genere illustres, & corpore admodum formoso extiterunt.* Hæc in illo Libello leguntur, non in recentiori eius quæ nunc circumfertur translatione; sed in alia Basileæ anno salutis 1540. excusa, atque ex diuerso (vt apparet) Græco textu recognita & edita, vt notauit P. Augustinus Torniellus Tomo 2. Annal. anno mundi 3887. num. 9. Quæ si vera sunt, ex prædicto castello oriundos fuisse, probabile non est credere.

Machabæorum nomina.

Dicet fortasse quispiam pro Bonifacio, in isto loco fuisse Susandrum castellum, quod quidem in Iudæa est, vt & hoc esse perhibetur. Verùm hoc incompertum est, & Machabæorum castrum alibi fuisse, traditio habet, & nos suo loco dicemus. Sed num aliorum Machabæorum locus? Ex dictis etiam colligitur, ex nomine fratris maioris natu, reliquos omnes dictos fuisse Machabæos, neque sine rationabili causa, quandoquidem Machabæus *pugnator* dicitur: atqui hos fortiter admodum pro patriis legibus in stadio pugnasse, satis constat ex Machabæorum historia, & D. Ambrosio lib. 1. Officiorum cap. 14.

Machabæi nomini interpretatio.

Quantum ad secundum dictum Bonifacij, in memorato loco Machabæos martyrium subiisse, id esse manifestè falsum, facilius & clarius ostendemus. Et vt rem altius paullò repetamus, obseruandum est, Antiochum Epiphanem, post captam à se Ierosolymam, & exspoliatum templum, cùm esset valdè malè affectus aduersus Iudæos, decreuisse eos & Religionem eorum funditus euertere: quod vt perficeret, postquam Antiochiam rediit, detestabiles quosdam ministros, Iudæis maximè infensos, versus Ierusalem, & alias in Iudæa sibi subiectas ciuitates misit, qui variis modis non solùm vi aperta per iniquissimas leges, sed & subdole per insidias & calumnias illos opprimerent, adeoque illorum vires immiuerent, ne vllo modo possent esse resistendo: quod illi diligentissimè, quantum quidem à Deo illis fuit permissum, præstiterunt, vt latè legitur in Machabæorum libris. Quæ causa fuit, vt multi, præsertim iusti & timentes Deum, ex Ierusalem aliisque ciuitatibus fugerent, in siluas abirent, & in antris ibi latitarent, ne idola venerari, & leges patrias violare compellerentur. Quorum etiam plures inuenti à sæuissimis Antiochi ministris, immania sustinere cogebantur supplicia. Inter ceteros verò, qui pro sanctis legibus grauissima passi sunt, memorantur Eleazarus, & septem fratres Machabæi cum matre sua.

Antiochi Epiphanis persecutio in Iudæos.

Fuit Eleazarus ille vir nobilis, & venerandus admodum nonaginta annorum senex, Sacerdos in scientia legis valdè peritus, vt ait Iosephus; vt propterea vnus de primoribus scribarum appelletur in Scriptura. A sancto Gregorio Nazianzeno Oratione 22. dicitur fuisse pater septem illorum fratrum; quod sano modo intelligendum est; scilicet non natura, sed magisterio & eruditione, quemadmodum idem Auctor ibidem se explicat, vbi inducit illos dicentes: *Eleazari discipuli sumus: pater priùs decertauit, filij postea certabunt.* Et idem anteà Oratione 20. de Eleazaro dixerat: *Obtulit autem & filios septem, suæ fructus disciplinæ*, &c. Venerandus ergo ille senex, qui ob ætatem valdè proiectam, & propter excellentiam virtutum notus erat multis, atque etiam satellitibus tyranni Philippi Phrygis, qui Ierosolymis pro Antiocho Rege præsidebat, innotuerat; cùm, tyranni iussu captus, suillas carnes edere compelleretur, & nec manducare nec manducasse simulare vellet, ne ceteris, maximè iunioribus, pernicioſum præberet exemplum, ad supplicium raptus, plagisque sæuissimè tortus, in tormentis animam Deo reddidit.

Eleazari Machabæi virtus.

Sed quid posteà de inuictis illis septem fratribus Machabæis, & eorum matre, forti generosaque muliere, actum est? Comprehensi & ipsi, & ad Regem perducti, ob eamdem causam, vnus post alterum, matre inspectante, eosque ad tolerantiam adhortante, crudelissimè cruciati atque necati sunt; & post ipsos ipsa quoque mater similiter perempta fuit.

Antiochia martyrio affecti sunt Machabæi.

At verò, vbinam loci hæc quæ de Eleazaro, septem fratribus & matre eorum commemorata sunt, contigerunt? Non sanè in eo loco quem assignauit Bonifacius, nec Ierosolymis aut alia Iudææ parte; sed Antiochiæ, quò ad Regem, qui ibi aulam suam habebat, ex Iudæa adducti fuerant, acta esse creduntur, vt colligi potest ex his quæ scribit Iosephus in eo de Machabæis libello. Idem sentiunt B. Antoninus Part. 1. Histor. tit. 4. cap. 4. §. 13. Nicolaus de Lyra in 2. Machab. 5. & alij. Cui sententiæ fidem facit templum, quod An-

tized by Google

tiochiæ, vbi ſancti Machabæi martyrium ſubiere, fuit ædificatum, de quo S. Auguſtinus Serm. 109. De diuerſis hæc habet: *Sanctorum Machabæorum Baſilica eſſe in Antiochia prædicatur, in illa ſcilicet ciuitate, quæ Regis ipſius perſecutoris nomine vocitatur: Antiochum quippe Regem perſecutorem impium pertulerunt, & memoria martyrij eorum Antiochia celebratur, vt ſimul ſonet & nomen perſecutoris, & memoria coronatoris. Hæc Baſilica à Chriſtianis tenetur, & à Chriſtianis ædificata eſt*, &c.

Idem porrò ratione comprobatur, quandoquidem nuſquam legamus, Antiochum poſt Ieroſolymitani templi expoliationem, & reditum ſuum in Antiochiam, redijſſe in Ieruſalem aut in Iudæam, & tamen ex ſacro Textu & præcitato Ioſephi libello conſtat, præfatos coram ipſo Rege fuiſſe cruciatos.

Denique huic ſententiæ ſuffragatur Martyrologium Romanum, quod publicè in Eccleſia legitur, in quo apertè ipſis Kalendis Auguſti traditur Machabæos Antiochiæ martyrium ſuſtinuiſſe. Ex quibus omnibus manifeſtum euadit, ſanctos Machabæos non in eo loco, quem Bonifacius ait, martyrium ſubijſſe, aut ibi poſt martyrium tumulatos fuiſſe, ſed Antiochiæ.

Tranſlatio Reliquiarũ Machabæorum.

Nec dicendum, illorum ſacras Reliquias fuiſſe in eum locum Antiochiâ tranſlatas: nuſquam enim id legitur, cùm tamen aliò eas fuiſſe tranſlatas ſæpiùs legamus. Martyrologium Romanum tradit, ſacras eorumdem Machabæorum Reliquias Romam tranſlatas, & in Eccleſia S. Petri ad Vincula conditas fuiſſe. Alij ſcriptis prodiderunt, primùm Antiochiâ Conſtantinopolim, deinde à S. Euſtorgio Mediolanenſi Epiſcopo Mediolanum, & demum Coloniam ab Reginaldo Coloniæ Agrippinæ Archiepiſcopo tranſlatas fuiſſe, ibique vſque hodie in Eccleſia eiſdem ſanctis Machabæis dedicata, ſuper altari maiori in capſa deaurata honorificè aſſeruari, idque diuino planè conſilio, vt eorum ſanctitas magis ac magis in ſancta Eccleſia cognita eſſet, ipſimet verò debito honore afficerentur, & à fidelibus eorum apud Deum patrocinium implorarentur.

Quàm verò rationabiliter horum Machabæorum martyrium die feſto celebret Eccleſia, quod non facit de alijs ſanctis veteris Teſtamenti Martyribus, lege quæ aduertit Baronius in Notis ſuis ad Romanum Martyrologium loco citato. Si dicatur, in monte & ciuitate Modin fuiſſe natos & ſepultos Machabæos illos fortiſſimos; opponendum eſt, hæc vera eſſe non de Machabæis martyribus, ſed de Machabęis alijs, qui iſtis in virtute & animi fortitudine ſucceſſerunt, qui, inquã, bellarunt bella Domini, ideoq; Machabæi appellati ſunt, quia, vt antè dictum fuit, Machabæus idem eſt quod pugnator. Et hos poſt ſeptem iſtos fratres Martyres vixiſſe, notauit Torniellus. Agit de Machabæis Adrichomius tum alibi, tum in tribu Dan.

Igitur, vt huic Capiti finem imponam, dicendum arbitror, locum hunc nomen ſuum adeptum eſſe à templo honori ſanctorum Machabæorum Martyrum à pijs fidelibus in ea regione ædificato, quod nunc in meſquitam Turcarum vetſum eſt. Vel ſi aliqua facti cauſa aſſignanda eſt, dicatur, ibi plures ex Machabæorum exercitu ab hoſtibus fuiſſe occiſos, quorum fit mentio 1. Mach. 5, 12. Placuit pluſcula hæc de Machabæis admotare, tum quia ſunt in S. Eccleſia celebres, tum quia fuerunt maximè zelantes legem Domini, & de Terra ſancta optimè meriti.

CAPVT VII.

De templo S. Ieremiæ Prophetæ, ſexto loco primæ Peregrinationis.

P. Bonifacius, poſtquã egiſſet de loco & templo ſanctorũ Machabæorum, ſingulariter verba faciens de templo S. Ieremiæ Prophetæ, ſequentia ſubdidit: *Hinc progrediendo ad Orientem verſus, occurrit nobis in via puteus quidam magnus, quem, vt communiter affirmant incolæ regionis illius, effodit Iob. Oſtendunt etiam ad læuam domum ipſius. Hoc ego eadem facilitate infirmo, qua ipſi affirmant, quia non conſtat mihi, Iob in Terra ſancta habitaſſe. Sic progrediendo per eamdem viam occurrit quædã Eccleſia magna, quæ celebratur ſub titulo S. Ieremiæ: materiæ ruinoſæ enim oſtendunt, & Monaſterium Religioſorum magnum ibi fuiſſe, & ab octoginta annis, vel circà, à Fratribus montis Sion Ordinis S. Franciſci derelictum fuiſſe. Quia vna nocte latrones Arabes illud ingreſſi, Fratres, qui erant ibi locum ſanctum incolentes, inguularunt, & Monaſterium bonis, quæ in illo erant, expoliarunt. Hîc eſt fonticulus quidam dulces emanans aquas, potum præbens peregrinis & iumentis. Cultor pietatis, cùm aliquantulum ſub arboribus quieueris, ſurgens ingredere Dei domum*, &c. Noſtris etiam temporibus pulchrum hîc & amœnum oliuetum, cum ruderibus magnis exſtructorum ibi olim ædificiorum, cernitur. Templum, excepta ſuperiori parte, ferè integrum exſtat, quamuis priſtinis ornamentis ſit ſpoliatum. In planitie ex dolatis lapidibus conſtructum eſt.

Minorita occiſi in monaſterio S. Ieremiæ ab Arabibus.

Quod

Quod negat Bonifacius de puteo vel domo Iob, iure optimo negatum est. Vt enim ex initio libri sancti huius viri constat, habitabat ille in terra Hus, vnde & traxit originem: atqui hæc regio sita est extra Iudæam, inter montes scilicet Galaad & Iordanem, vt Terræ sanctæ expositores indicant. Nec probari potest, aliquando Sanctum Iob exisse de terra patrum suorum, & aliò habitationem suam transtulisse: nam Scriptura id non tacuisset, cùm distinctè alia etiam minoris ponderis in eius historia adnotauerit: quare nec in eo loco puteum fodisse, nec domum ædificasse dicendum est. Fortè ab aliquo alio insigni & pænè eiusdem nominis viro puteus & domus illa constructa fuerunt, & propter linguarum varietatem, & multiplicem in Terra sancta factam mutationem, etiam nomen illud mutari contigit, adeò vt propter vicinitatem pronuntiationis in nomen Iob abierit, sicque huic traditioni occasio aliqua præbita fuerit.

Ecclesia S. Ieremiæ quare sic dicta.

Sed quare templum illud S. Ieremiæ appellatur? Respondent aliqui Terræ sanctæ descriptores, prout à nonnullis in partibus istis acceperùt, ideò tale nomen obtinuisse, quòd ibi in lucem editus fuerit S. Ieremias Propheta, & quòd ibidem fuerit eius patria Anathoth ciuitas tribus Beniamin, Sacerdotibus separata, vt dicitur Ios. 21. Fuisse verò hunc sanctum vatem patriâ Anathothitem, colligunt aliqui ex initio illius prophetiæ, vbi hæc habentur: *Verba Ieremiæ filij Helciæ, de Sacerdotibus, qui fuerunt in Anathoth, in terra Beniamin*, Ierem. 1, 1.

Sed enim ex hoc loco id non necessariò colligitur; nam & hunc admittunt sensum prædicta verba, *qui fuerunt*, &c. id est, qui prædia & partes suas ibi habebant, etsi alibi nati fuerint & habitarẽt. Hoc indicat Chaldæus cùm ait, *Qui suscepit hereditatem suam in Anathoth*, vbi & prædium emit. Quare illa sententia non iuuat eos qui dicunt in loco eo, vbi constructũ est illud templum, natum esse Ieremiam, nisi priùs adstruant ibi fuisse Anathoth, & ibi natũ esse Ieremiam.

Ieremias in Anathoth natus.

Nihilominùs S. Hieronymus in Præfatione ad hunc Prophetã eum in Anathoth natum esse dicit, & Anathothitem appellat: & vtrumque verum esse potest, & quòd in Anathoth hereditatem acceperit, & quòd ibi etiam natus sit. Hoc quamuis verum est, non tamen inde sequitur, isto in templi loco natum fuisse sanctum Prophetam. En rationem. Locus templi de quo agimus, ab Ierusalem distat milliaribus circiter decem, & est citra Ierusalem; sed Anathoth, auctore D. Hieronymo loco citato, & in Commentario in Ieremiam, distat tribus dumtaxat milliaribus ab Ierusalem, & supra siue vltra ipsam est, vt videre licet in Geographica descriptione Adrichomij in Beniamin numer. 16. & locus iste videtur collocandus potiùs in Ephraim, vt apud eumdem Adrichomium in eiusdem tribus descriptione potest animaduerti.

Et quamuis non me lateat, eum, qui velit asserere, S. Prophetam illum natum fuisse in eo loco templi, non in Anathoth, posse interpretari D. Hieronymum eo modo quo nos Prophetam interpretati sumus, nimirum ea ratione dixisse natum fuisse in Anathoth, quòd ibi ab adolescentia educatus, & natus creditus sit, vel quòd ibi habuerit hereditatem, vel denique quòd eius parentes inde oriundi fuerint: non tamen necessarium est ita interpretari S. Doctorem, & sententiam aliorum Doctorum ferè communem, cui suffragari videtur Scriptura sacra, destruere, propter quorumdam modicæ auctoritatis opinionem, præsertim quòd istarum partium traditio communis non sit.

CAPVT VIII.

De Anathoth patria Ieremiæ Prophetæ, septimo loco primæ Peregrinationis.

QVandoquidem de Anathoth Ieremiæ patria mentionem fecimus, quid ipsa fuerit, explicare clariùs visum est; cùm præsertim aliqui timeant vocare viculum cum D. Hieronymo, propter Scripturam in qua appellatur ciuitas quæ suburbia habeat. enumerans enim sacer Scriptor ciuitates quas dedit tribus Beniamin Leuitis, hæc habet: *De tribu autem filiorum Beniamin* (scilicet separatæ fuerunt a Leuitis) *Gabaon, & Gabaë, & Anathoth & Almon, cum suburbanis suis: ciuitates quatuor*, Ios. 21, 17. S. Hieronymum verò locutum fuisse de Anathoth prout erat tempore suo, nimirum viculus; & non vt erat tempore Prophetæ; nempe ciuitas.

Anathoth an vicus.

Verùm viculus fuerit an ciuitas, parui refert, nec Scripturæ auctoritas nobis officit, quam etiam Doctores præstantissimi considerauerunt; non tamen dubitauerunt eam modò ciuitatem, modò viculum appellare. Vt enim Scriptura sacra (vt alias notauimus) præcipuas ciuitates nonnunquam villas & castella appellat, ita ciuitatis nomen alicui villæ potuit tribuere; & de facto tribuit in loco notato Iosuę, dicendo enim *ciuitates quatuor*, voluit dicere, loca ad habitandum quatuor, inter quæ erant ciuitates & vici; adeoque ciuitatum nomine sacer ille Scriptor, breuitatis causa, ciuitates & vicos intelligere voluit. Quare non mirum, si S. Hieronymus, loquẽs singulariter de Anathoth, viculum appellauit & credidit.

Viculus sub ciuitatis nomine aliquando intelligitur.

Nec vim habet quod dicitur, ſanctum Doctorem locutum fuiſſe de Anathoth vt erat tempore ſuo, & ideò viculum appellaſſe. Non, inquam, vim habet. Etſi enim potuerit de eo loqui, vt ſuo tempore erat, nihilominùs non tantùm conſiderauit ſtatum in quo erat tunc temporis, ſed etiam in quo erat tempore Ieremiæ. Sanè vir in ſanctorum locorum hiſtoria verſatiſſimus, potuit tum ex Scriptura, tum ex loci ſitu & conditione, quam ibi ſuo tempore coràm contemplabatur, deprehendiſſe, Anathoth non vrbem ſed viculum fuiſſe. Et rem ita ſe habere, ſingulariter colligo ex Præfatione eiuſdem ſancti Doctoris in Ieremiam, vbi dicit, hunc Prophetam quoad phraſim aliis Prophetis nonnihil rudiorem eſſe, eò quòd non ex ciuitate, ſed ex viculo oriundus eſſet. ſic enim habent eius verba: *Ieremias Propheta, cui hic Prologus ſcribitur, ſermone quidem apud Hebræos Iſaia, & Oſee, & quibuſdam aliis Prophetis videtur eſſe ruſticior, ſed ſenſibus par eſt, quippe qui eodem ſpiritu prophetauerit. Porrò ſimplicitas eloquij à loco ei in quo natus eſt accidit. Fuit enim Anathothites, qui eſt vſque hodie viculus tribus ab Ieroſolymis diſtans millibus*, &c. quam ego ſententiam libenter veneror & amplector, propter ſancti eximijque Doctoris rationem & auctoritatem. Lege Adrichomium in Beniamin n. 16.

Ieremias ſermo ſimplex, quia ex viculo oriundus.

Quare templum illud, de quo Capite præcedenti, non eo intuitu fuit ibi ædificatum, quòd ibi in lucem editus ſit ſanctus Propheta, multò minùs quòd ibidem vltimum diem clauſerit, ſepulturamque habeat, quia in Ægypto occiſus & humatus fuit, vt notatur in Romano Martyrologio Kalendis Maij; ſed ob deuotionem fidelium erga hunc ſanctum & inſignem Prophetam, cuius meritis & interceſſione ſpiritualia & temporalia bona ſperabant ſe à Deo conſecuturos. Alia de eodem Vate dicemus infrà Lib. VIII. Cap. VII. Peregrin. 1.

CAPVT IX.

De Valle terebinthi, & torrente medio, octauo loco primæ Peregrinationis.

PEractis milliaribus ſeptem circiter à templo S. Ieremiæ verſus Ieruſalem procedendo, occurrit octauo loco in itinere iſto celebris illa Vallis terebinthi, victoria generoſi adoleſcentis Dauidis contra immanem gigantem Goliath illuſtrata & nobilitata, ex cuius vtraque parte montes ſunt, ſupra quos ſtabant exercitus filiorum Iſraël & Philiſthijm, illi in eo qui eſt in dextera, iſti in eo qui eſt in ſiniſtra parte poſitus.

Deſcriptio Vallis terebinthi, & aliorum ibidem exiſtentium.

Torrens verò ex quo Dauid accepit quinque limpidiſſimos illos lapides, quibus deiecit & proſtrauit gigantem, proximus eſt, & pertranſitur proſequendo iter verſus ſanctam ciuitatem. Eſt etiam ibi fons aquæ frigidæ. Ingentia etiam ibidem cernuntur ædificiorum rudera & ruinoſæ habitationes, ex quibus, magna ibi fuiſſe ædificia, dignoſcimus. Bonifacius magnum Monaſterium & elegantem Eccleſiam in iſto loco fuiſſe ſcribit.

Adrichomius in Iuda num. 235. appoſitè delineaſſe mihi videtur Vallem hanc cum memoratis montibus; ſed optimè Scriptura ſacra quod diximus deſcripſit, & qui eam leget, & vallem monteſque conſiderabit, abſque alio doctore facilè ac dilucidè deprehendet, vera eſſe quæ diximus. ſic verò illa dicit: ***Porrò Saul & filij Iſraël congregati venerunt in Vallem terebinthi, & direxerunt aciem ad pugnandum contra Philiſthijm. Et Philiſthym ſtabant ſupra montem ex parte hac, & Iſraël ſtabat ſupra montem ex altera parte: valliſq; erat inter eos***, &c. 1. Reg. 17, 2. Et poſt alia: *Et elegit ſibi* Dauid ***quinque limpidiſſimos lapides de torrente***, qui ſcilicet ibi erat, v. 40. Locus communis huius Vallis explicatur initio citati capitis, dum dicitur: ***Congregantes autem Philiſthijm agmina ſua in prælium, conuenerunt in Socho Iudæ: & caſtrametati ſunt inter Socho & Azeca, in finibus Dommim***, verſ. 1. Socho eſt oppidum in tribu Iuda, & interpretatur *ramus*, vel *humilitas*, ſiue *tentatio*, inquit Gloſſa interlinearis. Dicitur *Iudæ*, ad differentiam illius Socho quæ eſt vltra Iordanem, vbi Iacob manſit declinans iram Eſau, vt habetur in Geneſi, ait Lyranus. Azeca verò ciuitas eſt Chananæorum in tribu Iuda, ad quam vſque perſecutus eſt Ioſue quinque Reges, & hodie villa vocatur Azeca inter Eleutheropolim & Eliam, quæ interpretatur *fortitudo* & *decipula*, inquit Gloſſa ordinaria. Et ex his probabiliter poſſumus opinari, locum, vbi erant filij Iſraël, pertinuiſſe ad Socho; vbi verò caſtrametati ſunt Philiſthijm, ad Azeca.

Caſtrum Socho, eiuſq; nominis interpretatio.

Azeca ciuitas, & eius nominis ratio.

Singulare illud & glorioſum certamen quod inter Dauidem & Philiſthæum interceſſit, tamquam loco citato Regum pluribus explicatum, & vt ſat celebre omnibus notum, hìc deſcribere omitto.

Inde per rupes & montes iter continuantes pij peregrini, poſt tria circiter milliaria perueniunt ad ſanctam ciuitatem Ieruſalem: quam videntes, incredibili cordis lætitia circumfuſi, magno cordis affectu proni ſalutant, & dulciſſimis hiſce alloquuntur

Peregrinorum lætitia ſanctæ ciuitati appropinquantium.

Ex D. Bernardo Tomo 1. Ser. ad Milites Templi, c. 5.

tur verbis: *Salue ciuitas ſancta, quam ipſe ſanctificauit ſibi tabernaculum ſuum Altiſſimus, quò tanta in te & per te generatio ſaluaretur. Salue ciuitas Regis magni, ex qua noua & iucunda mundo miracula nullis temporibus defuêre ab initio. Salue Domina Gentium, Princeps Prouinciarum, Patriarcharum poſſeſſio, Prophetarum mater & Apoſtolorum, & initiatrix fidei, gloria populi Chriſtiani, quam Deus ſemper à principio paſſus eſt oppugnari: vt virtus fortibus ſicut virtutis, ita fores occaſio & ſalutis. Salue terra promiſſionis Regia, qua olim fluens lac & mel tuis dumtaxat habitatoribus, nunc vniuerſo orbi remedia ſalutis, vitæ porrigis alimenta. Terra inquam bona & opima, qua in fecundiſſimo illo ſinu tuo ex arca paterni cordis cæleſte granum ſuſcipiens, tantas ex ſuperno ſemine Martyrum ſegetes protuliſti, & nihilominùs ex omni reliquo fideli genere fructum fertilis gleba trigeſimum & ſexageſimum, & centeſimum ſuper omnem terram multipliciter procreaſti. Vnde & de magna multitudine dulcedinis tuæ iucundiſſimè ſatiati & opulentiſſimè ſaginati, memoriam abundantiæ ſuauitatis tuæ vbique eructant, qui te viderunt, & vſque ad extremum terræ magnificentiam gloriæ tuæ loquuntur eis qui te non viderunt, & enarrant mirabilia quæ in te fiunt. Glorioſa dicta ſunt de te Ciuitas Dei.* Te veneramur, ad te venimus, vt tuis ſpiritualibus deliciis & bonis perfruamur.

CAPVT X.

De mirabili radice lilij, Chriſti Ieſu Crucifixi expreſſam effigiem referente, in ſuburbiis ſanctæ Ciuitatis inuenta.

COmitante quidem Chriſto Domino, qui nobis adeſt in omnibus bonis operibus, egreſſi fuerunt pij peregrini de terra & cognatione ſua, de huius ſæculi Ægypto, & peruenerunt ad Terram ſanctam, ſibi ab eodem Domino demonſtratam. Sed enim, cùm ad illam peruenerunt, vt poſſent deinceps cum maiori ſpiritus voluptate ingredi ſanctam Ciuitatem, & peregrinari ad alia ſanctuaria, requiri videbatur viſibiliter Chriſti imago, eiuſque ſancta Crux. Quemadmodum enim Iſraëlitæ ex Ægypto egreſſi, per deſertum & mare Rubrum profecti ad Terram ſanctam, dum iter facerent, columnam nubis interdiu, & columnam ignis noctu ſe antecedentem, iter ſibi oſtendentem, ducatumq; ac tutelam præſtantem habuerunt, vt in Exodo habetur; quæ columna erat ſanctæ Crucis figura, vt plures ſancti Patres [a], & Eccleſia docet, ſicut etiam eiuſdem Crucis typus fuit prodigioſa Moyſis virga, cuius virtute Mare rubrum diuiſum fuit, & alia patrata prodigia in gratiam illius ad Terram ſanctam proficiſcentis populi, vt tradunt Doctores ſancti, Cyrillus Alexandrinus in Ioan. lib. 8. c. 17. Auguſtinus Serm. 90. de Tempore in Fer. v. poſt 3. Dominicam Quadrag. & de Caraclyſmo, tract. 4. cap. 3. in fine, Beda in Exod. c. 4. & alij: ita in peregrinationibus Proceſſionibuſque ad ſacras Stationes non niſi præeunte Cruce, & comitante Chriſto procedunt pij fideles. Hoc præſidium non deſideratur noſtris Ieroſolymitanis peregrinis, ſed illis mirabili modo illuxit, & quidem in ipſo ſanctæ ciuitatis ingreſſu, & in ipſius ſuburbiis, vt ex ſequenti relatione manifeſtũ euadit, quam, vt valdè memorabilem, & inſtituto noſtro accommodatam, hîc inſerere placuit.

de Extern. hominis vnitate, S. Chryſoſtom. in Ioſeph. de Continentia ſeru. circa finẽ, To. 1. Durantus li. 6. de Benedictione Cerei, & Eccleſia in eadem benedict.

Duce Chriſto peregrini Ieroſolymam ingrediuntur, & alia ſancta veneranturloca.

Sciendum itaque, quòd Fratres aliqui Minoritæ in Terra ſancta habitantes, cùm quadam vice compellerentur diſcedere ex quodam loco Ieroſolymis proximo (probabiliter è Monaſterio S. Ieremiæ) Ieroſolymam verſus proficiſcentes, in itinere in campo viderint miræ pulchritudinis lilium è terra exortum: accedentes ergo illud decerpſerunt. Dum verò admirarentur illius decorem ac venuſtatem, ſuggeſſit Dominus, vt curiosè terram, vnde exortum fuerat, effoderent, vt vnde originem traxiſſet, contemplarentur. Foderunt terram, & inuenerunt radicem illius lilij, formam Chriſti cruci affixi ad viuum mirabiliter præ ſe ferentem. Mirati rei nouitatem ſingularem, cum gaudio ſecum prodigioſam illam radicem Ieroſolymam detulerunt, & tamquam rem mirabilem conſeruauerunt. Accidit aliquando, ex Belgio Ieroſolymam pietatis ergò nobiles peregrinos appellere; qui poſtquam magna cum deuotione loca ſancta venerati fuiſſent, ad propria reuerſuri, obnixè petierunt à Minoritis rem ſibi quampiam memorabilem dari, quam ad perpetuam memoriam, & in ſuæ Ieroſolymitanæ peregrinationis teſtimonium conſeruarent. Vt pietati illorum ſatisfacerent Minoritæ, prædictam lilij & crucifixi prodigioſam radicem eis dono dederunt. Belgæ ob pretioſum munus læti, cum illo ad propria reuertebantur, cum propoſito Crucifixum illum collocandi in patria ſua Cortraco, Comitatus Flandriæ ciuitate, vt ibidem in veneratione haberetur, eſſetque velut ciuitatis theſaurus & propugnaculum. Verùm aliter Dominus rem diſpoſuit, ſuamque voluntatem aliam eſſe, prodigioſo euentu comprobauit. Cùm enim prædicti peregrini Donſam, eiuſdem Comitatus Flandriæ ciuitatem, ſitam ad fluuium

Imaginem Crucifixi ex radice lilij inuenit Minorita in ſuburbiis S. Ciuitatis.

[a] Clemens Alex. Strõ. lib. 1. c. 3. S Gregor. Nyzianz.

uium Liſam, inter Gandauum & Cortracum, peruenisſent, atque inde progredi ad patriam contenderent, diuinitus mirabiliter retenti fuerunt. Prodigium mirati, non malè ſuſpicati fuerunt, illud ex Crucifixo illo Ieroſolymitano prouenire, quo Deus non Cortracum, ſed Donſam ditari diſpoſuiſſet. Crucifixum ergo illum reliquerunt Donſæ, donatum Sanctimonialibus Ordinis Canonicorum Regularium S. Auguſtini, quæ illum cum gaudio ſuſceptum, tamquam diuinum naturæ prodigium, in alia argentea Cruce affabrè elaborata honorificè repoſuerunt & cuſtodierunt. Hoc ſic peracto, peregrini illi reſiduum itineris abſque impedimento feliciter perfecerunt, & ad amicos & cognatos ſuos læti peruenerunt.

Imago prædicta tradita Monialibus S. Auguſtini Donſæ.

Poſteà cùm in Belgio patrum noſtrorum memoriâ furere & debacchari inciperet hæreticorum perſecutio, & Donſa ciuitas ab iiſdem inuaderetur & occuparetur, coactæ fuerunt illæ Moniales cum aliis inde diſcedere. Gandauum ergo profugerunt, & ſecum Crucifixum illum detulerunt, vbi in ſuo Conuentu eum diligenter cuſtodiunt, & piis & curioſis fidelibus conſpiciendum exhibent. Mirabilis eſt virtutis & efficaciæ: illo etenim aqua benedicitur, quæ etiam poſt annum, etſi in paruo vaſe recondita, incorrupta ac velut recèns è fonte hauſta inuenitur: febricitantibus feliciter propinatur, qui & ſanitatis inde beneficium conſequuntur. Ad eum habentur Stationes & Proceſſiones, & in quibuſuis afflictionum & tribulationum neceſſitatibus, poſt Deum, ad illum confluunt fideles, vt ab omni animi & corporis aduerſitate liberari, & neceſſariis bonis ditari mereantur.

Gandaui aſſeruatur, vbi concurſu populorum inſignitur.

De illius peculiari forma, hæc à me ſtudiosè obſeruata accipe. Huius radicis & Crucifixi longitudo eſt ſeptem vnciarum cum dimidia, latitudo ſeptem, adeſtque craſſitiei debita proportio. Sculptorio opere, nec id ineleganter, elaboratus videtur, & velut tribus ſingularibus clauis cruci affixus, quorum etiam capita diſtinctè cernuntur cum vulnere laterali. Notatur inſuper in dextera faciei parte ſignum alapæ à ſacrilego miniſtro Saluatori impactæ, & in vertice ſignum præciſi lilij. Crines capitis & barbæ prolixiores ad vſq; genua protenduntur, qui & olim viſi ſunt creſcere: caſtanei ſunt coloris, & omnino ſimiles aliorum virorum naturalibus capillis. Hic tamen aduerto, modò in læua capitis parte aliquos capillos deeſſe; quoniam nonnulli, quibus paucis abhinc annis manibus eum contrectare conceſſum fuit, illos ex indiſcreta deuotione auulſerunt. Circa coxas faſciam eiuſdem radicis habet. Totus eſt coloris aridæ radicis, ad croceum vergentis.

Illius deſcriptio.

De tempore inuentionis, vel etiam tranſlationis mihil omnino mihi conſtat. Probabiliter creditur, à centum circiter annis fuiſſe in ſuburbiis Ieroſolymitanis inuentus & Ieroſolymam delatus, & paucioribus ex Ieroſolymis in Belgium Donſam tranſlatus: nam quædam memorati Conuentus Monialis, in Ordine octogenaria, adhuc ſuperſtes, aſſeruit, decem annis ante ſuum in Religionem ingreſſum fuiſſe Crucifixum illum Ieroſolymâ à dictis peregrinis Donſam allatum, eique Monaſterio mirabiliter pro magno dono oblatum. Potuit verò aliquibus annis antè à Fratribus S. Franciſci circa Ieroſolymam inueniri, & poſteà piis illis peregrinis tradi. Ipſemet ego hæc, dum eſſem Gandaui, vidi, & ex impreſſa relatione dictarum Monialium & aliorum fide dignorum traditione didici. Crucifixi illius ectypum ex ipſa naturali radice accuratè exceptum, nec hactenus ab aliquo in lucem editum, vt rem valdè memorabilem, in ære incidi, hicque imprimi curaui, modico addito exteriùs ornamento, prout etiam ipſimet Crucifixo argenteum à fidelibus additum fuit decus.

Digitized by Google

CRVCIFIXI EX LILII RADICE PRODIGIOSA ET NOVA IMAGO.

CAPVT

CAPVT XI.

Cuius radix illa Crucifixi ſit dignitatis; & nonnulla, quæ in illa latent, myſteria ex Iſaia aperiuntur.

EXcellentia prodigioſæ radicis lilij, quam Terra noſtra protulit, & quæ nobis non quidem in obſcuro & ſub vmbra, vt olim vel Terræ eiuſdem botrus quem duo in vecte portauerunt viri, vel columna nubis & ignis, quæ Iſraëlitas ad Terram patribus repromiſſam proficiſcentes præcedebat, vel aliæ in veteri lege Crucis vmbræ & ſymbola, ſed manifeſte ac clarè repræſentat ipſiuſmet Crucifixi Chriſti Ieſu effigiem & figuram naturæ artificio prodigioſè ſculptam: illius, inquam, excellentia me mouit, vt aliquid de ea, deque nonnullis illius myſteriis ex ſacra Scriptura ad Dei gloriam & ſalutem noſtram dicere conſtituerim; vnde, puto, apparebit, quomodo Deus, creatura, & ſacra Scriptura nos velut manu ducant non ſolùm ad terreſtrem, ſed etiam ad cæleſtem Ieruſalem, & ad eiuſdem poſſeſſionem & fruitionem.

Creatura & Scriptura ducunt nos ad Deum.

Deus, qui hominem condidit vt ſeipſum ſummum bonum cognoſceret, cognoſcendo amaret, amando poſſideret, poſſidendo frueretur, dedit etiam media opportuna per quæ ad illum peruenire poſſet: & hæc duo ſunt, creatura & Scriptura, vt dixit S. Auguſtinus in Explanatione Pſalmi 34. De creatura ita dixit S. Apoſtolus: *Inuiſibilia Dei à creatura mundi per ea quæ facta ſunt, intellecta, conſpiciuntur: ſempiterna quoque eius virtus & diuinitas*, Rom. 1,20. & de Scriptura ſic: *Ab infantia ſacras Litteras noſti, quæ te poſſunt inſtruere ad ſalutem, per fidem quæ eſt in Chriſto Ieſu. Omnis Scriptura diuinitus inſpirata, vtilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iuſtitia: vt perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus*, 2. Timot. 3,15. & quamuis quælibet creatura & Scriptura hoc præſtet, nihilominùs vna altera id præſtat clariori ac compendioſiori modo, quemadmodum accidit in ipſis luminibus, quæ licet omnia illuminent & viam itinerantibus demonſtrent, magis tamen cæleſtia quàm terreſtria, & inter illa Luna magis quàm ſtellæ, & Sol manifeſtiùs quàm Luna. Ita dicendum de creatura & Scriptura, vtramque quidem excellentiſſimo modo ducis ac lucis munus exequi, eam tamen magis quæ magis Chriſto Ieſu aſſimilatur, & illius exprimit conditionem, qui eſt per eſſentiam lux, & lux quæ ducit & illuminat omnem hominem venientẽ in hunc mundum, ſedentemque in tenebris & vmbra mortis. Et quamuis ex his multæ inueniantur, vnicam tamen dumtaxat creaturam & Scripturam hìc conſiderare placet, quæ etiam ſe mutuò, vt appareant, adiuuant, & vt magis nos illuminemur in via ſalutis, conſpirare videntur. Creatura, eſt admirabilis lilij radix, expreſſam Chriſti Ieſu Crucifixi effigiem naturaliter referens, de qua Capite præcedenti, cui duplex alia perſimilis addi poteſt, vna exorta in arbore nucis, alia in vite, de qua Capite ſequenti.

Radix Chriſtus, & quare.

Scriptura eſt Euangelici Vatis, quæ ſic habet: *In die illa radix Ieſſe, qui ſtat in ſignum populorum, ipſum gentes deprecabuntur*, Iſaiæ 11,10. cui Scripturæ teſtimonium perhibet quidam è cælo ſenex apud alium Vatem, dicens: *Ecce vicit leo de tribu Iuda, radix Dauid*, Apoc. 5,5. Secundùm omnium Doctorum ſententiam tam Archipropheta Ioannes, quàm Euangelicus Vates, loquitur de Meſſia & Saluatore, quem volunt nobis innoteſcere ſub radicis metaphora, qua indicatur, Chriſtum ex Ieſſe & Dauide originem duxiſſe, & viciſſim, per illorum naturam humana participando, eiſdem originem & cauſam ſalutis extitiſſe.

Sed quare Meſſias appellatur radix Ieſſe & eius filij Dauid, cùm Ieſſe & Dauid potiùs radix Meſſiæ dicendi videbantur, quia ex vtroque traxit originem ſecundùm carnem, quemadmodum naturaliter ex radice truncus, virga, flores & fructus prodeunt, atque hac ratione appellatus priùs fuerat ab eodem Propheta dicente, *Et egredietur virga de radice Ieſſe*, Iſaiæ 11,1. id eſt, orietur ex Ieſſe per Dauidem & alios Reges præſtantiſſimosque heroës Virgo Maria, *& flos de radice eius aſcendet*, &c. id eſt, Chriſtus Ieſus nobis donabitur per virginem ex Ieſſe aliisque progenitam, vt interpretantur SS. Hieronymus & Ambroſius.

Dauid quomodo radix Chriſti, & Chriſtus Dauid.

Ad hanc difficultatem poteſt reſponderi tripliciter. Primò, dicendo, Chriſtum ratione humanitatis non eſſe radicem Ieſſe vel Dauidis, ſed potiùs Ieſſe & Dauidem eius radicem, vt appellatur in poſteriùs adducto Prophetæ loco; ceterùm appellari radicem Ieſſe & Dauidis propter Diuinitatem, cuius ratione non ſolùm horum virorum, ſed omnium omnino rerum radix & origo fuit. Ita S. Beda, *Radix quippe Ieſſe*, ait, *Dominus eſt natus quidem ex ſtirpe Ieſſe ſecundùm humanitatem; ſed conditor ipſius Ieſſe ſecundùm Diuinitatem.* Suffragantur Rupertus & Pannonius. *Magnificum*, inquit Rupertus in Apoc. 5. *& mirabile eſt, eius eſſe radicem, de cuius ſtirpe deſcendit. Itaque ſecundùm Diuinitatem dictus eſt radix Dauid: quia ſicut radix vitem aut palmitem, ita patrem ſuæ*

Digitized by Google

ſuæ carnis Dauidem portat Chriſtus ſecundùm diuinitatem: vnde etenim Dauid & tota gens illa in ſacris Litteris vinea Domini dici conſueuit, niſi quia per fidem venturo inhærebat Chriſto, qui dicit Ioan. 15. Ego ſum vitis, & vos palmites?

Secundò, ad humanitatem Meſſiæ referunt Aretas & Anſbertus, dicuntque appellari Meſſiam radicem Ieſſe & Dauid, non quòd hi ex ipſo, ſed quòd ipſe ex illis ortum habuerit, vt nimirum indicetur, Dauidem eſſe quaſi ſemen, ex quo Meſſias prodiit tamquam radix, ex qua deinde futura Eccleſiæ virgulta germinarent; atque ideò dicatur radix Dauid, id eſt, ortus ex Dauide tamquam ex ſemine.

Tertiò, abſolutè Chriſtum Dominum tam ratione Diuinitatis quàm humanitatis eſſe Ieſſe, vt in Iſaia, & Dauidis radicem, vt in Apocalypſi dicitur. Et quòd ſit radix Ieſſe, & omnium creaturarum, non multa indiget explicatione, Ioanne clariſſimè dicente: *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil*, Ioan. 1, 3. Sed non hic ſiſtendum, tunc enim non nouum vel incognitum quid dictum fuiſſet de Filio Dei; ſed addendum, etiam radicem dici Ieſſe & Dauidis ratione humanitatis. Ita manifeſtè indicant ſequentia Iſaiæ verba: *Qui ſtat in ſignum populorum, ipſum gentes deprecabuntur, & erit Sepulchrum eius glorioſum*, Iſaiæ 11, 10. Hæc namque verba de Chriſto ſecundùm humanitatem ſunt intelligenda, ſecundùm quam poſitus fuit in ſignum cui contradiceretur, in cruce exaltatus, & in ſepulchro tumulatus; propter quam etiam vbique in cælo, in terra, & ſubtus terram adoratur & colitur. Ita communiter Doctores: ſed vnum vel alterum audi. Rupertus Abbas in Iſaiæ cap. 9. lib. 2: *Quid enim fuit, in ſignum populorum ſtare radicem Ieſſe, niſi Filium hominis exaltari à terra, & omnia trahere ad ſe? Ipſum, inquit, Gentes deprecabuntur, & erit Sepulchrum eius glorioſum. Ecce hodie Gentes ipſum deprecantur, & in ſepulchro, id eſt, in morte eius gloriantur*, &c. Et Nicolaus de Lyra: *Qui ſtat in ſignum populorum, id eſt, in ſignum ſalutis Gentium. Et hoc fuit in ſua paſſione impletum, quando fuit elenatus in Cruce.* Poſſet idem comprobari ex altero Apocalypſis loco, ſed hoc ſatis.

Omnium cauſa eſt Chriſtus.

Neque diſtinguo cum ſecunda ſententia inter radicem & ſemen: nam ſemper Chriſtum dico primariam & abſolutam originem, etiam ratione humanitatis, ſine cuius beneficio numquam Ieſſe & Dauid eſſentiam ſuam accepiſſent. Sed ſi ſic dicatur, videtur adhuc manere difficultas quæ antè poſita fuit: non enim capit humana mens, quomodo poſterius ſit prioris ratio, filius cauſa patris, virga, flores & fructus origo radicis à qua producantur. Verum nihilominùs eſt quod dixi, & ita declaro: Meſſias abſolutè dicitur radix Ieſſe & Dauidis etiam ratione ſuæ humanitatis, quia vt Chriſti corpus & humanitas formaretur, Deus Iſai & Dauidem condidit. Vt enim radix dicitur cauſa trunci, virgæ, floris & fructus, quia hæc ſine illa eſſe haud recepiſſent; ita Chriſtus etiam ratione humanitatis dicitur cauſa & radix Ieſſe & Dauidis, quia propter Chriſtum iſti conditi fuerunt. Et ne gratis hoc à me dictum quis credat, memoria hic repetendum quod ſcribit Galatinus lib. 7. Arcanorum, cap. 2. hæc duo nomina, Ieſus & Maria, ratione arithmetica aſcendere ad numerum *berith*, quod nomen ſignificat *pactum*: vnde Cabaliſtæ locum illum Ierem. 33, 20. *Si irritum poteſt fieri pactum meum cum die, & pactum meum cum nocte, vt non ſit dies & nox in tempore ſuo*, vt Vulgata habet, hunc in modum ex Hebræo transtulerunt, *Niſi pactum meum*, ſupple *eſſet, diem ac noctem, leges cælo & terræ non poſuiſſem*, atque ſic interpretantur: *Niſi pactum meum eſſet*, id eſt, niſi amore mei Ieſu & Mariæ, *diem ac noctem, leges cælo & terræ non poſuiſſem*, id eſt, mundum non creaſſem: itaq; volunt mundum à Deo conditum propter Ieſum & Mariam. Hanc ſententiam, tamquam veram, probati referunt & amplectuntur Doctores Catholici, & meritò: nam (omiſſa doctrina quæ hîc poſſet accommodari de ordine diuinæ prædeſtinationis, quam conſiderant Scholaſtici reſpectu intellectualium creaturarum) ſi Deus propter hominem condidit terreſtrem paradiſum, imò cetera quæ in mundo cernuntur, omniaque pedibus eius ſubiecit, vt dixit Prophera, & pro erigenda materiali domo, in qua volebat Dominus Ieroſolymis honorari, ordinauit maximas impenſas præparari; quantò magis credendum eſt, Deum omnia condidiſſe propter Chriſtum, non purum hominem & criminibus commaculatum, ſed hominem ſanctum, in quo habitauit plenitudo Diuinitatis corporaliter? Si igitur hæc doctrina eſt vera, benè poteſt Meſſias etiam ratione humanitatis dici radix Ieſſe & Dauid. Hinc ipſe Chriſtus in Apocalypſi ait: *Ego ſum radix & genus Dauid*, Apoc. 22, 17. Ergo Chriſtus radix eſt Ieſſe & Dauidis, vt ſimpliciter eſſentiam acciperent; & hoc indicant Prophetę verba priori loco adducta: ſed Ieſſe radix Chriſti appellatur in poſteriùs adductis verbis eiuſdem Prophetæ, quia Ieſſe per Dauidem & Mariam fuit cauſa temporalis generationis Chriſti.

Mundus conditus propter Ieſum & Mariam.

Et

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Christus quare singulariter radix Iesse & Dauid appellatur, cum sit omnium causa.

Et quamuis ex adducta doctrina Christus posset dici radix omnium, nihilominùs dicitur singulariter Iesse & Dauidis, quia ex horum semine, etsi non secundùm seminalem rationem, tamen secundùm corpoream substantiâ, vt loquuntur Theologi, carnem sumere decreuerat per illorum filiam Mariam, *Factus nobis ex semine Dauid secundùm carnem*, vt Apostolus loquitur Rom. 1, 3. & *flos campi, & lilium conuallium*, vt Salomon dixit Cant. 2, 1. Et hoc totum arbitror Deum significare in admirabili Ierosolymitana radice & lilio: in radice Christum ab æterno rerum omnium originem, propter quem omnia facta sunt; in virga lilij Mariam Deiparam propter Filium electam, ex Iesse & Dauid regia stirpe claram; in decoro candidoque flore Christum Messiam, quem in temporis plenitudine germinauit & in lucem edidit, secundùm illud: *Israël germinabit sicut lilium*, Osee 14, 6. Maria videlicet, quæ fuit totius Israëlis decor & ornamentum. Et ex his Primò ratio apparet, quare Christus radix appelletur.

Gratia omnes ex Christo.

Secundò est Christus radix, quia omnia cælestia dona nobis meruit. Sicut enim ex radice tota arbor alitur, efflorescit & fructificat; ita ex Christo omnes gratiam & alia dona recipiunt, quemadmodum dicitur apud Ioannem 1, 16. *De plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia*, id est, omnes sigillatim gratias. Quam etiam ob causam apud Isaiam citatum virgæ & flori comparatur; vtrumque enim Hebræi interpretantur, teste Hieronymo in eum locum, quia nimirum ex virga frondes, flores & fructus enascuntur; per florem autem, & ex flore, vt expositi Tertullianus lib. De carne Christi cap. 21. omnes fructus oriuntur: ita quidquid boni, pulchri & odoriferi in Ecclesia reperitur, Christi beneficio habetur. Per Christum septem donis Spiritus sancti ditata est, de quibus eo loco S. Vates: *Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ, & intellectus, spiritus consilij, & fortitudinis, spiritus scientiæ, & pietatis, & replebit eum spiritus timoris Domini*, Isaiæ 11, 2. & per eum nos omnes replemur. Ad hæc rubet hic flos in martyribus, candet in virginibus, rutilat in Doctoribus, pallescit in pœnitentibus, viridis est in Confessoribus: ac denique suauitas odoris, qua per bona exempla Christianus mundus, imò totum vniuersum gaudet, habet ex ipso Christo, vt verè dixerit Paulus: *Odorem notitiæ suæ manifestat Deus* in Christo Iesu *per nos in omni loco: quia Christi bonus odor sumus Deo, in ijs qui salui fiunt, & in ijs qui pereunt*, &c. 2. Cor. 2, 14.

Christus absconditus, vt magis prodesset.

Tertiò radix appellatur Christus, quoniam quemadmodum radix latet & absconditur in terra, vt fructificet, ita etiam Christus, vt posset fructus honoris & gratiæ Deo, Angelis & hominibus parere, latuit multipliciter, in figuris & prophetiis veteris Testamenti, in terra vteri Virginis Mariæ, in habitu assumptæ humanitatis, & in opprobriis, dedecore, passione, sepulchro & inferno; ita vt potuerit Isaias dicere: *Verè tu es Deus absconditus*, Isa. 45, 15. & iterùm: *Non est species ei, neque decor: & vidimus eum: & non erat aspectus, & desiderauimus eum: Despectum, & nouissimum virorum, virum dolorum, & scientem infirmitatem: & quasi absconditus vultus eius & despectus, vnde nec reputauimus eum*, cap. 53, 2. Sed ex ista abscontione tot emanarunt fructus, vt illorum multitudinem & excellentiam explicari non posse, dixerit idem Isaias.

Quartò radix dicitur Christus, quia vt radix hiemali tempore in terræ visceribus abscondita vt incognita contemnitur & conculcatur ab omnibus, sed in vere, cùm ex ea emissiones & virgulta, flores & frondes erumpunt, cognoscitur illius virtus, cuius ratione pluris fit & æstimatur: sic & Christus in hac mortali vita, & multò magis in morte velut in hieme, ac si incognita fuisset illius virtus & potentia, despectus, contemptus & conculcatus fuit; sed in vere resurrectionis, quando refloruit caro eius, in honore & gloria fuit habitus. Ad quos gloriæ, gratiæ & honoris fructus contemplandos ac colligendos Sponsa fuit à Dilecto suo illis verbis inuitata: *Surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni: iam enim hiems transiit, imber abiit, & recessit. Flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis aduenit*, Cant. 2, 10. In quæ verba appolite ad intentum S. Bernardus Serm. 58. loquitur in hunc modum: *Quæris quando hoc fuit. Quando, putas, nisi cùm refloruit caro Christi in resurrectione? Hic primus & maximus flos, qui apparuit in terra nostra: nam primitiæ dormientium Christus: ipse, inquam, flos campi, & lilium conuallium, vt putabatur filius Ioseph à Nazareth, quod interpretatur flos. Is ergo flos apparuit primus, sed non solus: nam & multa corpora Sanctorum, qui dormierant, pariter surrexerunt, qui veluti quidam lucidissimi flores simul apparuerunt in terra nostra.*

Christus in resurrectione cognitus.

Illum porrò Isaiæ locum, quem modò consideramus, intelligendum esse de passione & resurrectione Domini, sensit S. Ioannes Chrysostomus Tom. 5. in Demonstrat. Quòd Christus sit homo, & Homil. 57. in cap. 11. Matthæi, & Eusebius Cæsariensis similiter enim de Christi resurrectione inter-

interpretatus fuit lib. 7. De demonſtrat Euangel. cap. 9. Et hoc magis apparebit conſideranti cuiuſnam floris extiterit radix iſta. Qualis ergo flos eſt radix noſtra? Lilium, vt oſtendit creatura. Lilium, inquam, circa Ieroſolymã inuentum. In Canticis hæc habentur: *Ego flos campi, & lilium conuallium*, Cant. 2,1. quæ verba eſſe ſponſi, communior habet Doctorum ſententia. Cùm igitur radix, rami & flores ſint eius naturæ, & ſolùm in ratione originantis & originati differant, ideò Apoſtolus dixit: *Si radix ſancta, & rami*, Rom. 11,16. Quare ſi Chriſtus ſe lilium in Canticis canticorum appellat, ipſe idem erit & radix lilij, vt Iſaias illum nominauit.

Radicem crucifixus Chriſtum eſſe audit.

Chriſtus quare lilium.

Lilium forte eum quis dicet, & benè, propter puritatis candorem, vel, vt alibi attigimus, propter duplicem eius naturam, diuinam & humanam, quarum illa in aureis filis vel granis, iſta in candidis foliis lilij repræſentatur; vel propter ſermonis ſuauitatem (*Labia eius lilia*, Cant. 5,3.) & ſignorum multitudinem, qua velut ſuauiſſimo odore allecti omnes illum ſequuntur, ſicut quædam dixit: *In odorem unguentorum tuorum curremus*, Cant. 1,3. Sed nos ob aliam rationem eum lilium dici dicemus ex Iſaia, quia nimirum ſpes fuit ſibi & nobis. Lilium hieroglyphicum & ſymbolum ſpei fuit apud antiquos, vt Pierius tradit lib. 55. cap. De liliis; qui etiam refert in multis antiquorum Imperatorum numis deam quamdam ſculptam fuiſſe, quæ lilium dextera protendat, cum hac inſcriptione, *Spes publica*. Ratio eſt, quia quamuis eius haſta fuerit à radice præciſa, adeò vt omnis viterioris floritionis ſpes adempta eſſe videatur, adhuc tamen ad odorem aquæ efflореſcit, folia complicata expandit, ac ſuauem odorem emittit. Quare ſingulariter ei aptari poſſunt verba illa Prophetæ: *Lignum habet ſpem: ſi præciſum fuerit, rurſum vireſcit, & rami eius pullulant*, &c. Iob 14,7.

Chriſtus in reſurrectione refloruit.

Lilium ſpei hieroglyphicum.

Chriſtum ſpes ſibi & nobis.

Dicas igitur, Chriſtum fuiſſe ſibi ſpem reſurgendi poſt mortem. Vnde poſtquam ſecundùm Iudæorum conſilium fuiſſet per mortem eraſus & præciſus de terra viuentium, radix in ſepulchro remanſit, & ad odorem aquæ gratiæ cæleſtis iterùm tertia die reuixit, & refloruit caro eius. (vnde D. Hieronymus: *Caro Chriſti in reſurrectione refloruit*) tuncque hoc ſuauiſſimum lilium folia expandit, quando extenſis manibus illas diſcipulis oſtendit, aut quando in Aſcenſione ſua, illis eleuatis, diſcipulis benedixit: effauit odorem, quo attraxit dilectos modò ad hortum, in quo tumulatus fuerat, modò in Galilæá vbi apparuit à mortuis excitatus, & modò ad Oliueti montem, ex quo ad cælos glorioſus aſcendit.

Spes etiam eſt noſtra, non tantùm quoad reſurrectionem noſtram ſpiritualem vel corporalem, ſed etiam quoad omnia deſideria noſtra. *Tu es Domine ſpes mea*, dicebat Pſalmo 90, 9. Propheta Regius omnium nomine, etſi verò ſemper talis extiterit, præcipuè tamen poſt reſurrectionem. Prædixerat hoc Iſaias, dum loquens de tempore aduentus Meſſiæ, dixit: *Lætabitur deſerta & inuia, & exultabit ſolitudo, & florebit quaſi lilium. Germinans germinabit, & exultabit lætabunda, & laudans: gloria Libani data eſt ei; decor Carmeli, & Saron, ipſi videbunt gloriam Domini, & decorem Dei noſtri*, Iſaiæ 35,1. In his verbis ad litterã prædicitur Gentilitatis ad Chriſti fidem conuerſio, quæ deſerto & ſolitudini comparatur, quoniam ante aduentum Chriſti, idololatriæ & reliquorum criminum ſentibus horrida, nullum ſalutis fructum afferebat; inſuper erat velut lignum aridum & à radice præciſum, propter infecunditatem nulli vſui aptum niſi igni: ſed poſt Chriſti aduentum aquâ Euangelicæ prædicationis irrigata, verbo Domini fecunda facta, multis fructiferis plantis arboribuſque conſita ſecus decurſus aquarum, & pulcherrimarum virtutum liliis floribuſque veſtita, in amœniſſima topiaria ac deliciarum hortos euaſit. Quare *non dicat* ampliùs *filius aduena*, non dicat gentilis, *qui adhæret Domino, dicens: Separatione diuidet me Dominus à populo ſuo: & non dicat Eunuchus: Ecce ego lignum aridum*, Iſai. 56,3.

Ante Filij Dei in terras aduentum verè poterat dicere Gentilis, *Separatione diuiſit me Dominus à populo ſuo*, quoniam populo Dei conuerſari & cohabitare cum Gentilibus interdictum erat. *In viam Gentium ne abieritis*, dictum fuit Apoſtolis, Matth. 10,5. & Petrus quibuſdam Gentilibus, à Gentili Centurione miſſis, vt ad eum venire dignaretur, reſpondit: *Vos ſcitis quomodo abominatum ſit viro Iudæo, coniungi aut accedere ad alienigenam*, Act. 10,28.

Eunuchus dicere poterat, *Lignum ſum aridum*, quoniam expers erat ſeminis verbi Dei, carebatque diuina cognitione & aqua gratiæ, quæ Iudaico populo videbantur reſeruata, ideoque ſterilis omnino & infecundus: poſteaquam verò à Chriſto poſt reſurrectionem præceptum fuit Apoſtolis, vt irent in mundum vniuerſum, & prædicarent Euangelium omni creaturæ, cognouerunt illi, quòd *Gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam*, Actor. 11,18. Viruit lignum aridum; qui erat longè factus eſt propè, & ſterilis peperit plurimos, omniumq; bonorũ fructu ex Chriſto fecundata eſt Gentilitas, vt ad illius multiplicitatem reſpiciens Prophetа,

pheta, meritò dixerit: *Lætabitur deserta & inuia, & exultabit solitudo, & florebit quasi lilium. Germinans, &c. ipsi videbunt gloriam Domini, & decorem Dei nostri*, Isa.35,1. id est, Christum Dominum, qui est æterni Patris, imò cæli terræque decor & pulchritudo, *Et vidimus gloriam eius, gloriã quasi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis*, Ioan.1,14. Vnde sanctissimus maximusque Pontifex Leo, ad hoc felicissimum tempus respiciens, in quo omnibus salutis omniumque percipiendorum bonorum spes datur, dixit Serm.1. de Natiuitate Domini: *Saluator noster, dilectissimi, hodie natus est, gaudeamus. Neque enim fas est locum esse tristitiæ, vbi natalis est vitæ: quæ consumpto mortalitatis timore, ingerit nobis de promissa æternitate lætitiam. Nemo ab huius alacritatis participatione secernitur. Vna cunctis lætitiæ communis est ratio: quia Dominus noster peccati mortisq; destructor, sicut nullum à reatu liberum reperit, ita pro liberandis omnibus venit. Exultet sanctus, quia appropinquat ad palmam: gaudeat peccator, quia inuitatur ad veniam: animetur Gentilis, quia vocatur ad vitam. Dei namque Filius secundùm plenitudinem temporis, quam diuini consilij inscrutabilis altitudo disposuit, reconciliandam auctori suo naturam generis assumpsit humani, vt inuentor mortis diabolus, per ipsam quam vicerat, vinceretur.*

Accommodantur dicta radici Crucifixo.

Sed ad nostram Iesse liliique radicem reuertamur, nam idem ipsum illa demonstrat. Et sanè in Prophetæ verbis, vbi S. Hieronymus ex Hebræo vertit, *Ipsum Gentes deprecabuntur*, siue etiam *sequentur*, quia vtrumque verti potest ex Hebræo, Septuaginta interpretati fuerunt, *In ipso Gentes sperabunt.* quam interpretationem retinuit S. Paulus, dum scribens ad Romanos præmissam Isaiæ adducit auctoritatem, dicens: *Et rursus Isaias ait: Erit radix Iesse, & qui exurget regere Gentes, in eum Gentes sperabunt*, Rom.15,12. Et quia diuinum hoc lilium verè factum est spes nostra, statim manifestè de eodem subiunxit Apostolus: *Deus autem spei repleat vos omni pace in credendo: vt abundetis in spe & virtute Spiritus sancti*, vers.13.

Confirmet hæc exemplum nostri Ierosolymitani crucifixi. Hic priùs incognitus ac sepultus iacebat in terra, sed postquam illius flos à radice præcisus fuit, notus factus, summo honore cultus est, adeò vt fuerit deinceps in magno reuerentia habitus, thecis argenteis inclusus, in virginum conuentu è virginea terra natus, & in illustrissima ciuitate honorificè custoditus, quò ad illum honorandum confluunt cuiusq; conditionis viri & mulieres.

Difficultas duplex, & solutio.

Pro huius Capitis coronide placet circa eadem Prophetæ verba proponere atque diluere difficultatem, ex ea enim magis apparebunt quæ hactenus diximus. SS. Ambrosius & Origenes quærunt, cur Propheta dixerit, *Erit radix Iesse*, & non Dauid, aut Booz. Respondent, vt sciremus, Christũ esse scientiã nostram. Aduertendũ est, inquiunt, Iesse Hebraicè dici Isai, id est, *sapientia mea*, & Christum dici ortum ex radice Isai, quòd radix & scopus aduentus Redemptoris, sapiẽtia nostra fuerit. Christus enim, vt S. Paulus ait, *factus est nobis sapientia*, 1.Cor.1,30.

Christus sapientia nostra.

Sed quæret alius, quare senior ille apud S. Ioannem silentio præterierit Isai, & Dauidis mentionem fecerit, radicem Dauidis Christum appellans. Dicerem, vtrumque expressisse siue indicasse partialiter totalem causam aduentus Christi in mundum, omnium scilicet hominum salutem, pauperum & simplicium, diuitum & sapientum, iustorum & peccatorum. Simplices, iusti & pauperes in Iesse præfigurantur, qui bonus quidem, sed abiectus, ignobilis & pauper erat; diuites verò, sapientes ac peccatores in Dauide repræsentantur, qui sapientissimus fuit (ipso dicente, *Super senes intellexi*, Psalm.118,100.) ditissimus ac potentissimus Ierusalem & totius Terræ promissionis Rex, sed & magnus peccator, quia adulter, homicida, & superbus. Igitur cùm Isaias Iesse meminerit, & senior ille Dauidis, ex quibus Christus descendit & venit in mundum, intelligimus ipsum venisse, vt omnium operaretur salutem, & velle omnes homines saluos fieri, vt Apostolus dixit. Hinc ad domos virorum & mulierum non solùm pauperum, vt Petri, sed & diuitum, vt Zachæi, Marthæ, Lazari, &c. accedebat, vt omni in loco & apud omnes quæ ad salutem facerent suppeditaret. Didici hanc responsionem ex D. Hieronymo, in ea quam reddit ratione, quare Matthæus in genealogia Saluatoris nullam sanctarum mulierum assumat, sed eas quas Scriptura reprehendit. *Vt*, inquit, *qui propter peccatores venerat, de peccatoribus nascens, omnium peccata deleret*, &c. Ita dico, duos illos sanctos, Isaiam & seniorem apud Ioannem, prædixisse & recensuisse Christi originem ex pauperibus & simplicibus, atque item ex diuitibus & peccatoribus, in Iesse & Dauide designatis, vt Filij Dei in mundum aduentum per Iesse & Dauidem ad omnium salutem ordinatum esse intelligeremus, vt daret iustis gloriam, peccatoribus scelera remitteret, & omnes denique ad cælestem Ierusalem & ad æternum Patrem, qui cum eo & Spiritu sancto per omnia sæcula regnat, perduceret.

Christus omnium salus.

CAPVT

CAPVT XII.

De duobus aliis Crucifixis à natura productis, vno in Hispania ex vite, altero in Belgio ex nuce.

Christus omnibus expositus.

FIlius Dei vt suâ essentiâ nullo loco concluditur, nec vllo tempore finitur, ita in benefaciendo, loco vel tempore haud terminatur: nam in cælo, & in terra, & in omnibus abyssis, omnibus item tam præteritis & antiquis, quàm præsentibus temporibus sua impertitur beneficia, quemadmodum ipsemet tum obscuris symbolis, tum & manifestis verbis & factis comprobauit. Symbolis quidem, dum se sub lilij forma exhibens, non in sola Ierosolyma vel alia Terræ sanctæ ciuitate, sed extra eam quoque in campo nasci & colligi voluit, vt superiùs vidimus; & dum se non horti, sed campi florem dixit: *Ego flos campi, & lilium conuallium:* non horti, qui non semper neque omnibus patet, sed *campi*, qui semper & ab omnibus quandocumque lubet & libet aditi potest, ita vt omnes liberè possint decerpere, & beneficiorũ eius odore perfrui & oblectari. *Flos sum campi*, interpretatur venerabilis Beda, *quia per totius orbis latitudinem odoris mei gratiam innotescere cupio.* quod manifeste dixit Simeon, cùm ita cecinit: *Viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum*, Luc. 2, 30.

Verbis & factis manifestissimis indicauit inter cetera, dum se dixit esse lucem non Iudææ, vel alterius prouinciæ tantùm, sed absolutè lucem mundi. Quare licet Deus olim notus fuerit in Iudæa, & in Israël magnum nomen eius, hodie tamen beneficio Saluatoris diuinæ cognitionis lux vbique terrarum effulsit, quandoquidem Apostolis præcepit vt irent in mundum vniuersum, & prædicarent Euangelium omni creaturæ. *In omnem* ergo *terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*, Psal. 18, 5. Et idipsum ostendit, quando à nonnullis rogatus vt apud eos maneret, dixit: *Quia & aliis ciuitatibus oportet me euangelizare regnum Dei, quia ideò missus sum*, Luc. 4, 43. Nec verbis solùm hoc profitebatur, sed & ipso facto & opere ita faciebat. Obibat namque ciuitates & castella, prædicans & euangelizans regnum Dei, oppressos à dæmonio sanabat, innumera hominibus beneficia elargiebatur, quoscumque laborantes & languentes ad se vocabat, & omnia illa denique præstabat quæ apud Euangelistas de eo leguntur. Nec sat ipsi fuit, se in prodigiosa lilij radice manifestasse in Iudæa & agro Ierosolymitano, voluit in superioribus prodigiis in aliis etiam regionibus, in floribus & plantis virtutem suam prodere, de quibus Gretserus, Bosius & alij egerunt. Mira prorsus sunt & propemodum stupenda, quæ de duobus Crucifixis referuntur, quorum alter in Hispania, alter in Belgio natus est, & quodammodò ex Ierosolymis oriundi videntur, quorum historia testimonium perhibebit nostro Ierosolymitano Crucifixo.

De Crucifixo Hispaniæ agit Iacobus Bosius in libro De triumphanti Cruce, cuius relationem ipsiusmet verbis, vt magis eruditis, hìc subiicio. sic verò habet: *Ad quod sanè institutum, pro Saluatoris nostri gloria & honore, nullo pacto pratermitti potest nec debet, quin hoc loco commemorationem faciamus, & ad piorum Lectorum notitiam, vel certè memoriam reuocemus, admirabilem Crucifixum illum, qui in Hispaniis* el Crucifixo de la cepa *vulgò appellatur; quique magna pietate & veneratione asseruatur, sapeq; ingenti populorum concursu in Ecclesia illius Monasterij ostenditur, quod Hispanico idiomate*, sancto Bendito el Real, *Vallisoletanæ ciuitatis, dicitur. Qui Crucifixus peruetusta & communiter recepta traditione constanter creditur ex vitis cuiusdam radicis stipite admirabiliter natus esse: atque hinc sanè factum autumant, vt* Crucifixus de la cepa *appellatus sit. Est autem hæc admirabilis Christi Crucifixi imago eius prorsus materiæ & formæ (sicut complures auctoritate graues viri, qui eam non tantùm sapiùs viderunt, sed propriis etiam manibus contrectauerunt, plenissimam mihi fidem astruunt) vt quicumque eam commodè intuetur ac contemplatur, statim sentiat, & pro comperto habeat, eam ex ligno vitis existere; nulla prorsus humana industria aut artificio constructam, sed eo modo per miraculum enatam, atque ab ipsa natura productam. Eiusdem verò admirabilis Crucifixi altitudo vnà cum cruce, vt ex multorum relatione accepimus, vnius palmi cum dimidio, vel circà esse potest. Et licet hæc imago ex radicibus vitis sit, ita, vt diximus, nulla prorsus humana arte aut industria lænigata ac perpolita, ab ipsa natura simpliciter producta: habet tamen in capite promissam cæsariem, vt veteres passim deferre consueuerant; sub axillis pilos, ac mento prominentem barbam, capillis ex eodem ligno tanta subtilitate mirabiliter constructis, vt planè naturales esse dixeris. Asserúntque, qui propiùs eam viderunt, ac diligenti consideratione contemplati sunt, nescio quid diuini in vultu, & maiestatem quamdam adeò venerabilem ac tremendam præ se ferre, vt timore & deuotione corda illicò repleat eorum, qui intuitus aciem in eos*

los eius intendere auſi fuerint. Naturæ partus planè admirabilis, in quo enixa videtur fuiſſe, vt in plantis quoque ipſis ſui noſtriq; domini paſſionis memoriam inſculperet & conſeruaret: niſi tamen id precipuo miraculo adſcribere velimus.

Primus omnium, qui admirandi ac ſancti crucifixi huius notitiam mihi prodidit, fuit Reuerendus Ioannes à Carthagena, Ordinis Obſeruantium ſancti Franciſci, publicus ſacræ Theologiæ profeſſor, ac Romæ generalis Lector in Monaſterio D. Petri in Monte aureo. Qui, dum his conſcribendis intentus eſſem, librum illum edidit, cui titulus eſt, Homiliæ Catholicæ in vniuerſa Chriſtianæ religionis arcana, *anno Domini videlicet* M.DC.IX. *quem Paulo V. Summo Pontifici dicauit. Atque poſt ipſum eiuſdem crucifixi certiorem ac longè plenioremque informationem accepi à duobus venerabilibus monachis ipſius regalis Monaſterij ſancti Benedicti, Vallisoletanæ ciuitatis profeſſis filiis, qui pro eiuſdē Monaſterij negotijs in Romana curia hodie verſantur; quiq; ſæpè ſapiùs eumdem percommodè non ſolùm viderunt & contemplati ſunt, ſed etiam ſe varijs temporibus propriis manibus contrectaſſe teſtantur. Quorum alter Magiſter Laurentius de Ayala, alter verò Magiſter Gregorius de Criales, appellantur. A quibus tamen de eiuſdem crucifixi Hiſtoria & inuentione nullam aliam rationem habere potui, præterquam præfatum magiſtrum Laurentium de Ayala teſtari, quandoque legiſſe in libro benefactorum eiuſdem monaſterij, prædictum admirabilem crucifixum eidem Monaſterio donatum à Don Sancio de Rojas Toletano Archiepiſcopo, viro ſanè in rebus agendis inſigni, atque ab Hiſtoricis valdè celebrato: qui ab Antipapa Benedicto* XIII. *ab Epiſcopatu Palentia ad Toletanum Archiepiſcopatum tranſlatus eſt, per mortem Don Petri de Luna, eiuſdem Antipapæ nepotis, anno Domini* M. CCCC. XV.

Hieronym. Zurita Annal. l. 12 c. 49. par. 2. Tom. 3. Io. Mariana de Rebus Hiſpanic. lib. 10. c. 7.

De Belgico verò nuceo admirabili Crucifixo accipe relationem impreſſam Leodij apud Leonardum Streel anno Domini 1622 quæ ita habet: *In pago dicto Reymſt, inter Traiectum & Tungros ſito, erat quondam quidam Miles præclariſſimus, qui poſtquam ex ſua Militiſſa coniuge præclara ac legitima proles ſuſcitauerat præclariſſimas, cauſa deuotionis & peregrinationis ac voti ſpecialiſſimi per ipſum ſolemniter emiſſorum, Sepulchrum Domini in Ieroſolymis humiliter viſitare decreuit. Quo peracto, & poſtquam diuina ſibi aſpirante gratia ſanus & incolumis ad domum proſperè eſt regreſſus, dedit prædictis ſuæ coniugi ac prolibus (dempta vna filia, quæ diuinis perſeueranter vacans contemplationibus, ipſo patre redeunte præſens non erat) ſpecialia, veluti moris eſt, clenodia, quæ in via, quà veniebat, comparauerat. Quibus omnibus, vt præfertur, datis, venit prædicta ſua filia, quæ tunc non adfuit, patrem ſuum humiliter ſalutans, deuotè amplectens, ac requirens ab ipſo Patre vbi ſuum clenodium ſiue encaenium, quod ſibi de longinquis partibus reportaret, exiſteret. Cui pater ait: Filia dilectiſſima, vbi eras, quādo alijs de clenodijs, quæ mecum portaueram, prouidebam? At illa dixit: Pater mi, pro tunc diuinæ inſiſtebam contemplationi. Cui Pater: Filia præclariſſima, ecce hanc nucem, quam iuxta Sepulchrum Domini Ieroſolymis reperi, tibi pro clenodio ſiue dono ſpecialiſſimo dando reſeruaui, & pro nunc in donum gratiſſimum offerre curaui. Quæ nuce ab ipſa deuotè pro clenodio ſpecialiſſimo ſibi à patre reportato acceptâ, eamdem in horto patris ſui plantauerat, ex quæ imago Crucifixi excreuit. Quæ imago Crucifixi ad oppidum Traiectenſe ſupra ripam Moſæ, Leodienſis diœceſis, in ſolemni Monaſterio Albarum Dominarum, Ordinis ſanctæ Mariæ Magdalenæ de Pœnitentia, per prædictam puellam hoc idem Monaſterium ingreſſam apportata & collocata eſt, & ibidem vſque in hodiernam diem à Chriſti fidelibus deuotè veneratur, viſitatur & colitur; ſpecialiter ab illis qui infirmitate & anxietate cordis premūtur; qui ibidem ab ſuis infirmitatibus conſolantur, & etiam illi qui febribus, & etiam infirmitatibus cordis & capitis, & alijs multis malis laborant, & imaginem prædictam cum deuotione viſitant, illicò ſanitatem recipiunt, etiam pueri rupti, & alijs infirmitatibus tenti & grauati; etiam mulieres prægnatæ & ligamine naturali ligatæ, ac alijs infirmitatibus oppreſſæ imaginem prædictam deuotè viſitando etiam ibidem conſolantur. Et quòd prædicta vera ſint, ſcimus per experientiam: quia ea pro parte oculis noſtris vidimus, & relatu multorum peregrinorum audiuimus eſſe vera.*

Crucifixus miraculoſus ex cruce ortus Traiecti, aſſeruatus.

Quod huius admirabilis Crucifixi conditionem & formam attinet, ex pluribus fide dignis oculatis teſtibus habeo, eſſe altitudinis & ſtaturæ communis hominis, habere defluentes crines & barbam, manus clauatas, & pedes duobus clauis fixos: lato velo illius tegi femora: coloris eſſe nucei, prout ipſe totus nuceus eſt. Fertur tentatum non ſemel fuiſſe illum ad viuum pingere, ſed ſemper omnes reſpuiſſe colores. Denique cùm ſit in quodam altari in Aquilonari Eccleſiæ parte, & voluerint illum in magis honeſto collocare loco, poſtridie ſemper in eodem loco inuentum eſſe. Et hæc omnia, vtpote ſatis vulgata, ego ſæpiùs in Belgio audiui.

Forma nuceæ Crucifixi.

CA-

CAPVT XIII.

De ſancta ciuitate Ieruſalem, nono loco primæ Peregrinationis.

MVlta atque inſignia tractanda occurrunt de celebri, ſancta regiaque ciuitate Ieruſalem termino vltimoque loco huiuſce primæ Peregrinationis; verùm quoniam ea à pluribus grauiſſimiſque Scriptoribus pro dignitate pertractata fuere (quæ ſi hîc tranſcribere vellemus, eſſet actum agere, & Liber pluſquam par eſt, & præter inſtitutum excreſceret) pro maiori parte ſuperſedemus. Ne tamen præcipui loci, cuius cauſa primariè ad Terram ſanctam veniunt peregrini, deſideretur cognitio, quæ multum conducet ad intelligentiam peculiarium nonnullorum locorum, quæ intra vel extra ſanctam ciuitatem viſuntur, quorum explicandi prouinciam ſuſcepimus, præcipua ſaltem de ſancta ciuitate in ſe cõſidera-
Crucifixi miracula ex cruce ortum Trahit, aſſerunt.
Tractanda de ſancta Ieruſalem ciuitate.
ta proponemus. Et maioris claritatis gratia, quæ explicanda erunt pluribus & diſtinctis Capitibus adferemus, in quibus ſanè plura ſcitu digniſſima, prout Deus dederit, ex ſacris & profanis obſeruata Scriptoribus Lector referentur. Agemus autem de conditoribus ſanctæ ciuitatis, de poſitu & ſitu illius, de muris, amplitudine & portis veteris Ieruſalem, de ſitu, conditione & portis nouæ, in qua tribu ſita fuerit; quos denique habitatores, Reges ac Principes habuerit, indicabimus.

CAPVT XIV.

De conditoribus ſanctæ ciuitatis Ieruſalem.

Forma ueri Crucifixi.

QViſnam prima iecerit fundamẽta ſanctæ & inclytæ ciuitatis Ieruſalem, eiuſque auctor ac fundator ſimpliciter dicendus ſit, non facilè aut ſine ambiguitate ſciri poſſe credo, quoniam ſacri Scriptores manifeſtè non edixerunt, profani verò non omnes eiuſdem ſunt ſententiæ. Quare de illius primo conditore plures emerſerunt opiniones, quas in medium afferre non grauabor, vt quæ probabilior iudicata fuerit, eligatur. At non item ex altera parte difficile eſt ſcire, quis illam amplificauerit, vel deſtruxerit, & deſtructam reædificauerit, quoniam tam ex ſacris quàm ex profanis Scriptoribus manifeſta habemus teſtimonia. Sed opiniones varias quoad primum conditorem videamus priùs.

Opiniones tres circa conditores Ieruſalem.

Prima opinio.
Strabo lib. 16. ſignificare videtur, Ieruſalem fuiſſe conditam à Moyſe, aut certè primùm omnium Moyſem eum locum, in quo vrbs iſta extructa eſt, cum imperio obtinuiſſe. Sed prima hæc opinio ex ſacris Litteris, quarũ ſanè Strabo expers fuit, falſitatis arguitur: ex ipſis enim habemus, numquam Moyſem vel pedem in terra Chanaan poſuiſſe, ſed priùs quàm populus Iſrael, cuius ipſe diuina diſpoſitione Dux erat, tranſiret Iordanem, & Iudæam attingeret, vita fuiſſe defunctum. Lege trigeſimum ſecundum & vltimum caput Deuteronomij. Accedit, quòd multò ante ortum Moyſis conſtructa, & ab alijs habitata fuerit Ieruſalem, vt ex inferiùs dicendis ipſa meridiana luce clariùs apparebit. *Refelluntur.*

Secunda opinio.
Secundam ſententiam refert Cornelius Tacitus quorumdam, qui arbitrati fuerint, Ieroſolymam ab antiquiſſima gente Solymorum fuiſſe conditam, ſic enim ſcribit initio libri 5. Hiſtoriarum: *Clara alij Iudæorum initia tradunt, Solymos, carminibus Homeri celebratam gentem, condita vrbi Ieroſolyma nomen è ſuo feciſſe.* Horum meminit *Refellitur.*
etiam Ioſephus lib. 7. Antiquitatum, cap. 3. Sed non minùs falſa eſt & horum ſententia quàm præcedens opinio, tũ quia antequam celebres eſſent illi populi, iam conſtructa erat Ieruſalem; tempore videlicet Abrahæ, ex inferiùs dicendis, tum quia Ieroſolyma vſque ad Regnum Dauidis in poteſtate Iebuſæorum fuit, tum quia eiſdem obuenit ex hereditate & partitione facta ab illorum parente Noë, vel certè eis tradita fuit à poſteris Noë, ſecundùm varias opiniones, de quibus diffusè egimus alibi. At Solymi, quos Homerus celebrat, fuerunt populi Aſiani, vt patet ex ipſius Homeri deſcriptione: idque probat Strabo lib. 1. & 14. productis in medium Homeri verſibus: & quo tempore iſti florebant, id eſt, tempore belli Troiani, quod contigit tempore Samſonis & Heli, vt videre eſt in Annalibus Eccleſ. Tornielli Tom. 1. anno mundi 2849. adeoque tempore Iudicum Iſraëlitici populi, nemine omnino diſcrepante, Iudæi dura ſeruitute à Philiſthæis premebantur, & nullum cum Græcis vel Aſianis commercium habebant, quare illi nec potuerunt Ieroſolymæ iecciſſe fundamenta, & conſequenter nec Iudæi primi fuere conditores ſanctæ ciuitatis.

Tertia ſententia & communis.
Tertia ſententia eſt Ioſephi lib. 1. Antiquitatum, c. 14. & lib. 7. cap. 3. & lib. 7. De bello Iudaico, c. 18. qui arbitratur, primum Ieroſolymæ conditorem fuiſſe Melchiſedech Regem Salem, de quo ſic dicitur Gen. 14, 18. *At verò Melchiſedech Rex Salem*, &c. in qua ſententia fuerunt Hippolytus, Irenæus, Euſebius Cæſarienſis & Emiſſenus, Apollinarius & Euſtachius, vt

Digitized by Google

Epiſtola 126. ad Euagrium ſcribit S. Hieronymus, vbi non ſolùm Eccleſiaſticorum virorum, ſed communem ſententiam eſſe docet, quòd Salem, cuius mentio loco citato Geneſis facta eſt, ſecundùm communem ſententiam eſſet Ieruſalem, cuius non priùs meminiſſet Scriptura, ſed tunc tantum, quando & Principis ipſius ſermonem inſtituit. Et hinc iam volunt indicatum, Melchiſedech fuiſſe primum conditorem Salem, id eſt, Ieruſalem, atque adeò eam vrbem primò appellatam fuiſſe Salem, idque probari illis Regij Prophetæ verbis, *Et factus eſt in pace locus eius, & habitatio eius in Sion*, Pſal. 75,3. vbi pro illo *in pace*, Hebraice eſt *in Salem*: quam vocem ibi ſine dubio ſignificare dicunt vrbem Ieruſalem, idque conſtare ex ſequentibus verbis, *Et habitatio eius in Sion*, eò quòd Scriptura duo hæc vocabula *Ieruſalem* & *Sion* ſæpenumerò in eadem ſententia iungere ſoleat. Poſteà eam eſſe Iebus dictam, ac deinde, ex illis duobus vocabulis in vnam demigrantibus, appellatam eſſe Iebuſalem, ſed melioris ſoni gratia, b in r mutato, Ieruſalem nominatã, quæ denominatio frequentiſſima ſit in ſacris & profanis litteris, & eamdem etiam in præſentia, poſt multam mutationem retinere.

Ieruſalem nomen de ſancta ciuitate frequentius dicitur.

S. Hieronymus in Epiſtola ad Dardanum, hanc vrbem priùs Iebus, poſteriùs Salem appellatam fuiſſe arbitratur. Nam Salem, de qua in Geneſi, non fuiſſe Ieruſalem dicit, ſed aliam vrbem in terra Chanaan, & in regione Sichimorum iuxta vrbem Bethſan, alio nomine dictam Scythopolim, proximam Iordani, cuius alibi fieret etiam mentio. Quæ ſententia & doctrina ſi vera eſt, præcedentis ruit fundamentũ; etſi alia ratione ad idem etiá reſponderi poſſet, non priùs mentionem factam Iebus, quia non fuit occaſio. Hanc ſententiam S. Doctor in illa Epiſtola, quam ſcripſit ad Euagrium, confirmat, dicens: *Vrbs Salem, non vt Ioſephus & noſtri omnes arbitrantur, eſt Ieruſalem, nomen ex Græco Hebraicoq; compoſitum, quod abſurdum eſſe peregrinæ linguæ mixtura demonſtrat: ſed eſt oppidum iuxta Scythopolim, quod vſque hodie appellatur Salem, & oſtenditur ibi palatium Melchiſedech ex multitudine ruinarum, veterũ oſtendens magnificentiam. De hac Salem in poſteriore huius libri parte ſcriptum eſt: Venit Iacob in Socoth, id eſt, in tabernacula, & ibi fecit ſibi domos atque tentoria, & tranſiuit in Salem ciuitatem regionis Sichem, quæ eſt in terra Chanaan. Conſiderandum quoque eſt, quòd Abra à cæde hoſtium reuertenti, quos perſecutus eſt vſque Dan, qua hodie Paneas appellatur, non in via Ieruſalem occurrit, ſed Salem oppidum Metropoleos Sichem, in eo itinere fuerit. Legimus quoque in Euangelio, Ioannem baptizaſſe in Enon iuxta Salim, quia multa ibi erant aquæ. Nec refert vtrùm Salem, an Salim nominetur, cùm vocalibus in medio litteris perrarò vtantur Hebræi: & pro voluntate lectorum atque varietate regionum eadem verba diuerſis ſonis atque accentibus proferantur.* Hactenus ex Hieronymo.

S. Hieronymi ſententia.

Benedictus Pererius diſputat. 4. in c. 14. Geneſis hanc tractat difficultatem, & allatam duplicem adducit ſententiam: qui etſi probabilem dicat poſteriorem D. Hieronymi, alteram tamen priorem tamquam probabiliorem ei præfert, quam roborat & confirmat, poſtquam reſpondit D. Hieronymi argumentis ex illius verbis deductis; & reſponſiones ipſiuſmet verbis hic ſubſcribam, elegans enim & eruditus Scriptor eſt, & maiorem efficaciam habebunt proprijs quàm alienis. ſic verò ait: *Duo igitur in his verbis Hieronymi pro hac opinione tanguntur argumenta: vnum eſt, in vrbe Salim, vſque ad ætatem Hieronymi, extitiſſe non obſcura veſtigia palatij Melchiſedech, cuius antiquam magnificentiam vel ipſa, quæ cernebantur eius ruina, oſtentabant. Alterum eſt argumentum, Abræ reuertenti ex hoſtium cæde diſtantem admodum & deuiam fuiſſe Ieruſalem, at verò Salem in eo ipſo itinere fuiſſe illi obuiàm. Verùm neutra ratio admodum firma eſt. Vnde enim liquere potuit, palatium illud fuiſſe Melchiſedech? Dices, Sic erat fama apud illas gentes. At enim fama, præſertim popularis & vulgaris, ſæpè inanis, futilis & fallax eſt. Etiam Brocardus tradit, Melchiſedech in eo loco, qui eſt ad radicem montis Thabor, accepiſſe reuertentem ex cæde hoſtium Abram; idq; conſtare ait vniuerſali fama eius regionis atque gentis. Nec valdè vrget altera ratio. Etenim dupliciter ei poteſt occurri. Poſſumus enim dicere, Melchiſedech, cùm audiſſet tam inſignem Abræ victoriam, tamq; vtilem vniuerſæ illi regioni, profectum ex vrbe ſua Ieruſalem, lõgo ſpatio exiſſe obuiàm Abræ, àſuoq; cùm reuerteretur itinere, perhumaniter atque honorificè accepiſſe. Aut illud potiùs dici poſſet, Abram de recto itinere deflectentem, petiſſe vrbem Ieruſalem, aut ſoluendi voti cauſa quod pro adipiſcenda victoria fecerat, aut agendi Deo gratias pro adepta. Eum verò locum præcipuè adire voluit, quòd eius Rex eſſet publicus in ea regione Sacerdos, & Sacerdos quidem non inanium deorum, ſed veri ac ſummi Dei, ſingularis inſtitiæ ac ſanctitatis fama celeberrimus. Hoc vbi Melchiſedech intellexit, non expectauit dum ille ad vrbem perueniſſet: ſed aliquanto ſpatio procedens obuiàm, præuenit eius aduentum: eumq; multa cum gratulatione, humanitate atque honore accepit, &c.*

Benedictus Pererius.

Sententia D. Hieronymi examinatur.

Non

D. Hieronymi sententia defenditur.

Non eadem inficior, vera esse posse quæ asserta sunt à Pererio, quia Scriptura sacra vel euidens demonstratio in contrariũ non est: verumtamen non multum obstare sententiæ & rationibus D. Hieronymi, mihi omnino persuadeo. Cùm dicit neutram rationem Hieronymi admodũ firmam esse, si intelligat, non conuincere, nec esse demonstrationem, concedimus libenter; sed nec demonstrationes in huiusce modi materia inquirendæ sunt; & valdè probabiles esse, sic ostendo. Et quare prima illa, quæ communi famæ nititur, commodè admitti non possit? Fama enim communis, cui Scriptura vel efficax ratio non aduersatur, magnæ est auctoritatis. *Absit vt ea scire negemus* (inquit S. Augustinus) *quæ celeberrima fama commemorat.* & hoc à nobis alibi pluribus est explicatum. Et quamuis Brocardus Monachus aliter dicat, non officit, quia non est in his præferendus sanctissimo pariterque doctissimo Hieronymo, qui non tantùm solo decennio Palæstinam perlustrauit vt Brocardus, sed totos quadraginta annos, ad cuius & sacræ Scripturæ intelligentiam, non suæ tantùm innixus fuit prudentiæ & diligentiæ, sed secum adhibuit doctissimos Hebræorum Rabbinos: vnde meritò dicere potuit, se Terram sanctam intus & in cute cognouisse. Et magis vtique credere debemus Hieronymo antiquiori, vtpote cuius tempore Terræ sanctæ traditiones veriores & stabiliores esse debebant, vt antiquis temporibus propinquiores. Non disputo tamen in præsentia de veritate illius traditionis: scio enim, præter Brocardum etiam alios dissentire, dicereque in neutro dictorum locorum, sed in monte Caluariæ Melchisedech Abræ occurrisse, &c. vt infrà Lib. v. Cap. 11. Peregrinationis III. dicemus: sed volo tantùm inferre, sententiam D. Hieronymi nõ labefactari traditione Brocardi.

Responsio ad Pererium.

Et licet verum sit, quasdam traditiones inanes & contemnendas esse: quænam tamen illæ sint, facile est deprehendere ex incommodis, quæ ex illis sequentur, si admittantur: at commemoratam à D. Hieronymo eiusmodi non esse, conuincitur Primò, quia illa admissa, nullum sequitur inconueniens; Secundò, quia versatissimus Hieronymus eam non contemplit vt vanam, & alij primæ auctoritatis viri, eam, tamquam à vero non alienam, amplectuntur; denique quia Pererius rationem vel auctoritatem, quæ ei efficaciter refragetur, haud adducit.

Nec aliæ duæ responsiones ad secundam rationem D. Hieronymi multum eidem officiunt. Obessent quidem, si, quod supponunt (venisse videlicet Melchisedech ex Ierusalem, quando occurrit Abræ) esset inu-

bitatum; at illud dubio vertitur: & cùm commodior videatur ratio D. Hieronymi, quòd Ierusalem extra viam sita sit, ideò facilè defendi potest, venisse ex Salem ciuitate, quæ in via eius sita fuit. Et quomodo multò ante aduentũ Abrę scire potuit Melchisedech, Abram victoriam de hostibus reportasse, cùm Abram in loco victoriæ suæ non diu hæserit, sed statim inde discesserit? Et dato quòd fortè quis præcurrerit ad victoriam illam nuntiandam, vtique ille potiùs in Hebron vel Sodomam profectus fuisset, vbi erant illi quibus magis iucundum fuisset de parta victoria nuntium. Ad hæc, si Salem, de qua agitur apud Ioãnem, eadem est cum Salem cuius meminit Moyses, sententia D. Hieronymi magis comprobatur, quòd videlicet ibi multæ essent aquæ ad baptizandum idoneæ, quas haud facilè apud Ierusalem inuenies, vt docet Tyrius lib. 8. Belli sacri c. 2. & 4. & nos alibi notauimus. Quòd si voluit S. Patriarcha pro gratiarum actione de obtenta victoria Deo sacrificia offerre, quare non ea obtulit in Sichem in Samaria, vbi priùs ea Deo accepta obtulit, etsi viueret Sacerdos Melchisedech, vt dicimus Lib. VII. Cap. VII. Peregrin. 1. præsertim cùm tunc temporis nondum diuinitus monstratum fuerit, Ierusalem esse à Deo electam ad offerendum ei sacrificia. Cùm dicit, Erat ibi Melchisedech communis illius regionis Sacerdos; dico, illud fuisse probandũ; & insuper, quòd non licuerit aliis præter Melchisedech sacrificia offerre; quod non facit Pererius: nam eo tempore Abram & alij Deo accepta sacrificia obtulerunt. Et Abram erat in sua familia Sacerdos, vt ipsemet notauit Pererius loco citato disput. 3. num. margin. 60. quare cùm ipse posset inculpatè citiùs & fructuosiùs sacrificia offerre, non videbatur expediens alios ad hoc inquirere, hilarem enim promptumque datorem diligit Deus.

Hæc dixi, non quòd falsam existimem illam sententiam, sed vt ostenderem (quod initio indicaui) difficile esse, firmiter asseuerare, quisnam prima Ierosolymæ iecerit fundamenta: quia si sententia illa Iosephi, imò communis est probabilis, altera D. Hieronymi non est improbabilis. Sed quid dicendum in hac Doctorum varietate?

Ierusalem Melchisedech ædificasse, probabilius.

Respondeo probabiliter, sentiendũ cum tertia sententia, quæ asserit Melchisedech fuisse istius vrbis conditorem; quoniam antiquissima est, omni tempore recepta, tantoque Doctorum fermè omnium consensu firmata, à qua (vt videbimus) non recessit S. Hieronymus, & in ea citatur à quibusdam recentioribus. Et quia sic intelligimus, mirificè figuram figurato conuenire, id est

Melchiſedechum Chriſto, qui Rex & Sacerdos fuit ſecundùm ordinem Melchiſedech, quemadmodum prædictum fuerat. Et de Regia quidem eius dignitate ita vaticinatus eſt Dauid: *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum eius*, Pſal. 2,6. de Sacerdotali verò ſic: *Tu es Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech*, Pſalm. 109, 4. quæ eſt ratio D. Hieronymi loco inferiùs citando, & vtraque Benedicti Pererij.

Melchiſedech Chananæus.

Quam ſententiam libenter amplector, ſequendo aliam de eodem Melchiſedech, quæ dicit ipſum fuiſſe non Iudæum genere, ſed Gentilem & Chananæum: quæ eſt non tantùm D. Hieronymi & Catholicorum, ſed etiam quorumdam præcipuorum Hebræorum, Philonis & Ioſephi, & aliorum quamplurium, quos adducit & ſequitur Pererius loco citato diſp. 3. & 1. de Melchiſedech. de quo ſequentia Suidas litteris mandauit: *Melchiſedech, ſacerdos Dei, Rex Chananæorum. Hic ciuitatem condidit in monte dicto Sion, eamq; vocauit Salem, id eſt ciuitatem pacis, in qua regnauit* 113. *annis. Obiit iuſtus & virgo.* & infrà: *Genus ducens ex Side filio Regis Aegypti vel Libyæ.*

Dixi, Melchiſedechum valdè probabiliter condidiſſe Ieruſalem, ſi erat genere Chananæus; quoniam terra in qua eſt Ieruſalem, hereditate obuenit in orbis diſtributione Cham filio Noë, & deſcendentibus ex ipſo Chananæis, vt Lib. 1. Cap. x. oſtendimus. Et quamuis hæc ſententia de aſſignatione Chananitidis regionis deſcendentibus ex Cham non eſſet vera, adhuc habemus, Melchiſedechum fuiſſe Chananæum, & Ieruſalem ædificaſſe: eo enim tempore quo dicitur ædificaſſe Salem ſiue Ieruſalem, ea ipſa terra, in qua ædificata fuit, poſſidebatur à Chananæis, vt patet Gen. 12, 6. qui ſane illius ædificationi obſtitiſſent, ſi ex ipſis non traxiſſet originem; potentes enim erant Iebuſæi ex progenie Chanaan, habitatores Iebus, vt colligitur ex libris Ioſue & Iudicum, vbi habetur, quod non potuerint expelli Iebuſæi à filijs Iſraël, quamuis plures alias iam Gentes expugnaſſent, nili poſt multa tandem tempora, nimirum temporibus Dauidis, vt videre eſt 2. Reg. 5. & 1. Paralip. 11. & alibi. Multò verò magis id verum erit ſecundùm ſententiam eorum qui aſſerunt terram Chanaan primò obtigiſſe filiis Sem, ſed ex illa fuiſſe expulſos à filiis Chanaan, vtpote callidioribus ac potentioribus, qui & eam ſibi vſurpauerint. Atque ſic intelligimus quare hæc ciuitas dicta ſit *Iebus*, & *Salem*, & Melchiſedech Rex eius. Appellata eſt *Iebus*, quia inter Iebuſæos ex Chanaan progenitos, communi vocabulo Chananæos appellatos, & in eorum terra ædificata fuit, vt alibi de Damaſci ciuitate dicemus, à regione vel agro Damaſceno denominatam fuiſſe Damaſcum ciuitatem in eo fundatam; ita hac ipſa ratione Ieruſalem *Iebus* à Iebuſæorum terra appellata eſt. *Salem* verò, quia vrbs antiqua Ieruſalem in monte Acra, alio nomine dicto Salem, ædificata fuit, vt in ſequentibus dicemus.

Ieruſalem quare Iebus & Salem dicta.

An verò priùs *Iebus*, deinde *Salem* fuerit appellata, mihi incompertum eſt: potuit ſiquidem ſecundùm dictam conſiderationem eodem tempore vtroque nomine ſimul appellari, & hoc ſcire parum refert. Fortè Iebuſæi vnam partem Ieruſalem, id eſt, arcem Sion ædificarunt, quam vſque ad Dauidis tempora tenuerunt, quæ & ideò ab ipſis fundatoribus *Iebus* dicta fuerit, quia Iebuſæorum caput erat; alteram verò partem vrbis in Acra ſiue Salem ædificauit Melchiſedech. An verò priùs, quoniam *antiqua ciuitas* appellatur? Si ita eſſet, poſſemus probabiliter dicere, priùs Salem fuiſſe appellatam, etſi fortè priùs non inueniatur ſcriptum. Melchiſedech verò Rex Salem dictus eſt, & quia eius prima iecit fundamenta, vel quia in ea regnauit. Et hac poſteriori ratione Adoniſedech Rex huius vrbis dicitur. Et quòd de hac ciuitate ſit locus citatus Geneſis 14, 18. intelligendus, indicat Paraphraſis Chaldaica, quæ ſic habet: *Et Melchiſedech Rex Ieruſalem.*

Nec mihi multùm probatur illa ſententia, quæ aſſerit, dici Melchiſedech Regem Salem, quia *Salem* Hebraicè pacem ſignificat, & *Melchiſedech* exponitur *Rex iuſtitiæ* ex D. Paulo, *pacis & iuſtitiæ* ab aliis: tunc enim redundaret illa additio, *Rex Salem*, quoniam idipſum ſignificat *Melchiſedech*: *Melchi* enim Regem, *ſedech* iuſtitiam, vel etiam pacem ſignificat. Quare verſimilis mihi alia ſententia videtur, quæ ait eſſe nomen non proprium viri, ſed commune Regum Ieruſalem, ita vt quemadmodum quilibet Ægypti Rex Pharao; & Babyloniæ Nabuchodonoſor appellatur, ita quilibet Ieruſalem Rex Melchiſedech, id eſt Rex iuſtitiæ, ſiue Adoniſedech, id eſt Dominus iuſtitiæ nominetur.

S. Hieronymus à communi ſententia non recedit.

In illa verò ſententia tertia fuiſſe S. Hieronymum, vel ſaltem eam illi non diſplicuiſſe, conceptis verbis ipſemet indicat in illa Epiſtola quam nomine Paulæ & Euſtochij ſcripſit ad Marcellam. ſic enim de Ieruſalem ad intentum ſcribit: *De hac vrbe Allophylo quondam hoſte ſuperato, & diabolica percuſſa frontis audacia; poſtquam ille in faciem corruit, exultantium animarum turba proceſſit: & concinens chorus decem millium*

itized by Google

millium Dauid noſtri victoriam prædicauit. In hac Angelus gladium tenens, & totam impietatis deuaſtans vrbem, in Orne Iebuſæorum, Regis area templum Domini deſignauit. Iam tunc ſignificans, Eccleſiam Chriſti non in Iſraël, ſed in Gentibus conſurgentem. Recurre ad Geneſim, & Melchiſedech Regem Salem huius Principem inuenies ciuitatis: qui iam tunc in typo Chriſti panem & vinum obtulit, & myſterium Chriſtianorum in Saluatoris Sanguine & corpore dedicauit. Quid his clarius pro illa ſententia dicere poterat ſanctus Doctor? Quòd aliter alibi dixerit, fuit, quia clarum & euidens Scripturæ teſtimonium, quod aliter exponi non poſſet, non inuenit. Et præterea, quòd dicat, Salem, de qua Geneſis 14. non eſſe Ieruſalem, non cogimur fateri ipſum ſenſiſſe, Melchiſedech non fuiſſe Principem Ieruſalem; cùm enim magnus Rex eſſet, vt magni Regis Chriſti eſſet typus, non tantùm ciuitatis Salem ſiue Salim, de qua loco antè citato Ioan. 3. & Gen. 33. ſed & Ieruſalem Rex fuit & conditor, vel eſſe potuiſſe, non eſt inconueniens affirmare.

Sed quiſnam ampliauit aut refecit Ieruſalem? Dicendum, Dauidem, Salomonem, Nehemiam, Ælium Adrianum, vt ex ſacris & profanis litteris clarè edocemur, & in ſequentibus explicabimus, dum agemus de ipſa ſancta ciuitate, & de nominibus eius. Condita verò fuit ſecundùm quoſdam anno à creatione mundi 2027. ſecundùm alios 2023. & ſanè ſecundùm omnes temporibus Abrahæ & Melchiſedech. Et hæc de fundatoribus ſanctæ ciuitatis ſatis.

CAPVT XV.

De ſitu & conditione Ieruſalem, & de montibus in quibus eſt fundata, & à quibus eſt circumdata.

VT omnes mundi huius res corruptioni & mutabilitati obnoxiæ ſunt, quæ numquam in eodem ſtatu permanent, ſecundùm illud Sapientis, *Nihil ſtabile ſub Sole*, Eccle. 2, 11. ita terrena noſtra Ieruſalem, quoniam mundi huius ciuitas eſt, non ſemper in eodem ſtatu, quem in ſua prima conditione accepit, perduranit, ſed pluries mutata eſt: quod in cauſa fuit, vt plura etiam ſortita ſit nomina, & inter cetera *Ieruſalem vetus* & *noua* appellata fuerit.

Ieruſalem vetus & noua dicta.

Vetus dicitur, ſi conſideretur ſecundùm eum ſtatum quem accepit à primo conditore, & in quo permanſit (etſi non ſemper inuariatè eodemque modo) vſque ad tempora Imperatoris Adriani, poſt Chriſtum natum & paſſum: noua dicitur, ſi conſideretur ſecundùm eum ſtatum, quem, deſtructa penitus veteri, nouiter accepit ab iſto Imperatore, quo nimirum in ſtatu perduranit ad noſtra vſque tempora, etſi non ſemper integrè, & prout ab eodem Adriano conſtructa fuit. Nos de conditione ſitus Ieruſalem quam habuit antiquitus, primò, & ſecundò de eadem agemus, vt habuit poſterioribus temporibus.

Situs Ieruſalem deſcribitur.

Sancta ciuitas Ieruſalem in medio terræ, loco eminentiſſimo, in montibus ſanctis fundata eſt, montes includens, montibus collibuſque vallata. Singula explico.

Dixi primò, Ieruſalem fundatam eſſe in medio terræ. Hoc docuit Regius Pſaltes in verſiculo illo: *Deus autem Rex noſter ante ſæcula, operatus eſt ſalutem in medio terræ*, Pſal. 73, 12. Loquitur de humana redemptione, quam Chriſtus Dominus totius humani generis Reparator in loco Heroſolymitano, Iudææ medio, operatus eſt, & non Iudææ tantùm, ſed etiam totius mundi, ſiue terræ habitabilis. Ideò ſcitè quidam apud Ioſephum lib. 3. de Bello Iud. cap. 2. Ieruſalem totius Iudææ vmbilicum appellarunt. Et D. Hieronymus initio libri 2. Commentariorum in Ezechielem, expendens ea verba Ezechielis, *Iſta eſt Ieruſalem, in medio gentium poſui eam*, facit Ieruſalem vmbilicum totius terræ, vt quemadmodum vmbilicus eſt in medio corporis, ita Iudæa &: Ieruſalem in medio terræ ſita ſit (ſic apud Ciceronem in Verrina 6. Enna Siciliæ vmbilicus vocatur, quòd in media inſula ſita ſit) & ab aliis regionibus velut domina ab ancillis, & magiſtra à diſcipulis circumdetur, quibus omnibus ſalutis monita & ſpiritalem vitam impertiretur.

Et ſanè Iudæa & Ieruſalem à parte Orientis cingitur Aſiâ, ab Occidente Europâ & mari Mediterraneo, à Meridie Africâ, à Septemtrione Scythiâ, Armeniâ, & cunctis Ponti nationibus, ſicq; in medio mundi collocata manet. Et doctus Genebrardus in eum locum Pſalmi ait: *Iudæam & Ieruſalem ad opus noſtræ ſalutis ideò Deus delegiſſe videtur, quòd ex ea veluti orbis corde, ſalutem in omnes tranſmitteret. Orientales Occidentalibus iungit per mare Mediterraneum, Septemtrionales Meridionalibus per idem mare excurrens vſque ad Mæotidem paludem valdè Septemtrionalem, & per mare Rubrum in Auſtrum profundiſſimè deſcendens, vt omittam eam eſſe initio quarti climatis.* Hæc ille. Sita eſt in regione Ephrata, & agro Bethleemitico, vt ex illo Scripturæ loco, *Ecce audiuimus eum in Ephrata*, Pſ. 131, 6. obſeruauit idem Genebrardus. Audiuit

Digitized by Google

ſanctus Propheta Arcam Domini collocandam, vel templum Domini ædificandum in Ieruſalem. *In Ephrata* (inquit Genebrardus) *in regione Ephratæa, & quaſi feraci, fructuoſa, quæ complectebatur aliquem Terræ ſanctæ tractum, Bethleem, Ieruſalem & viciniam.* & poſt pauca addit, Ieruſalem eſſe de agro Bethleemitico.

Dixi ſecundò, in eminentiſſimo loco & in montibus ſanctis fundatam eſſe Ieruſalem, eosque includere. Ad cuius dicti explicationem notandum eſt ex Adrichomio in Manaſſe 2. num. 93. Iudæam, vt & alias Palæſtinæ Prouincias, etſi propriis nominibus nominentur, tamen verè eſſe partes magnæ Syriæ, quæ Hebraicè *Aram* appellatur, in qua eſt Ieruſalem, ipſius & totius orbis terrarum præcipua ciuitas. Hoc præmiſſo, intelligo cum recentiori Expoſitore eius ſitus altitudinem ſupra ceteras regiones; nomen enim *Aram*, id eſt Syriæ, quod celſitudinem & ſublimitatem ſignificat, declarat, Ieruſalem in Syriæ ſupremo loco eſſe ſitam; quò ſcilicet aër purior ingenia præſtantiora proferret, eſſetque veluti aliarum nationum magiſtra, vt verè de ea Iſaias dicere potuerit, *De Sion exibit lex, & verbum Domini de Ieruſalem*, cap. 2, 3. Sed & vmbilici ſimilitudine datur eiuſdem eminentia intelligi: vt enim vmbilicus non ſolùm ſtat in medio humani corporis, ſed etiam in patentiori & eminentiori ſitu; ita Ieruſalem non ſolùm in medio terræ, ſed in editiore eius parte ſita eſt. Ideò in Scriptura profectio ad Ieruſalem frequenter *aſcenſus* appellatur, quòd vndequaque arduo aſcenſu adiretur. Hinc Saluator noſter dicebat: *Ecce aſcendimus Ieroſolymam*, Matth. 20, 17.

Mariana in cap 5. Exech.

Sed id ipſum magis comprobatur, cùm montem, & in montibus fundatam, frequenter in ſacris & profanis ſcripturis inueniamus dici ſanctam ciuitatem. Pulchrè Iſaias ſic de ea vaticinatus fuit: *Et erit in nouiſſimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & elevabitur ſuper colles, & fluent ad eum omnes gentes*, &c. Iſaiæ 2, 2. De eadem quoque ſecundùm quoſdam Pſalmiſta: *Mons Dei, mons pinguis*, &c. Pſal. 67, 16. &: *Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi*, Pſalmo 120, 1. alludens ad ſitum Ieruſalem, ad montana Iudææ, præſertim Sion & Moria, præcipuè verò Pſalmo 86, 2. vbi ſecundùm receptam Doctorum ſententiam loquitur Propheta de terreſtri Ieruſalem, inquit: *Fundamenta eius in montibus ſanctis.*

Pro cuius veritatis intellectu notandum tum ex aliis, tum præſertim ex Ioſepho lib. 6. de Bello Iudaico, cap. 6. quòd antiquitus tota iſta ciuitas quatuor montes ſeu colles intra ſuum ambitum complexa fuerit: quorum primus Sion, alter Moria in ſacris Litteris, tertius Acra, & quartus Bezeta apud Ioſephum vocari ſolent, in quibus tota ciuitas fundata erat.

Diſpoſitio montium ſanctæ ciuitatis.

Sed quemnam ſitum inter ſe habebant? Reſpondeo, Auctores haud omnes inter ſe conuenire. Nam Arias Montanus in ſuæ antiquæ Ieruſalem Ichnographia, libello *Neemiæ* inſcripto adiecta, ponit montem Sion in latere vrbis occiduo ſeſe extendentem ab Aquilone ad Meridiem, montem verò Moria in parte Auſtrali, habentem ab Oriente Bezetam, & Acram partim quidem ab Ortu, ſed multò magis ad Aquilonem.

Alij autem, vt Iacobus de Vitriaco Patriarcha Ieroſolymitanus lib. de Conqueſto Terræ ſanctæ apud Brocardum Part. 1. c. 7. verſ. 44. relatus, & Brocardus ipſe cum aliis oculatis teſtibus, ponunt montem Sion in latere ciuitatis Auſtrali, Moria in Orientali, Bezeta in Occidentali, & Acra magis ad Aquilonarem; à quorum ſententia non multùm videtur abeſſe Adrichomius in ſua Ieruſalem deſcriptione. Quæ ſanè ſententia amplexanda eſt, tum propter oculatorum teſtium & in locis ſanctis verſatiſſimorum teſtimonium, quibus in hac parte magis quàm aliis credendum eſt; tum quia, ſi aliter dicatur, ruere neceſſe eſt pro maiori parte traditiones de montibus illis, ab omnibus receptas, quæ abſque temeritatis nota negari non poſſunt. Lege Ioannem Baptiſtam Villalpandum Tom. 3. Apparatus Part. 1. lib. 1. cap. 5.

Ieruſalem ciuitas in ſuperiorem & inferiorem diuiditur.

Igitur tota ciuitas Ieruſalem, antiquitus in his montibus fundata, diuidebatur in partem ſuperiorem & inferiorem. Superior vrbis pars montem Sion occupabat, & in ea erat caſtrum munitiſſimum, quod vſque ad Dauidem tenuerunt Iebuſæi, qui illis inde pulſis, vt dicitur 1. Paralip. 11. ibi habitauit, arcem muniuit, locum ædificiis auxit, & præcipuè palatio, in quo tum ipſe tum alij Reges Iuda habitauerunt, & in ciuitatem conuertit, quæ magis propriè Sion, & ciuitas Dauid, quia ipſe eam cepit & ampliauit, dicebatur, vt citato loco Paralipomenon videre eſt. *Porrò*, dicitur ibi, *Dauid cepit arcem Sion, quæ eſt ciuitas Dauid*, 1. Paralip. 11, 5. Dicebatur etiam ciuitas ſuperior, quia in monte ceteris eminentiori fundata: anteà verò dictam fuiſſe Iebus ab habitantibus Iebuſæis crediderim, vt Capite præcedenti dictum eſt. Porrigit, dicunt aliqui, ſuam longitudinem ab Occaſu in Orientem per quatuor millia cubitorum; latitudinem à Meridie ad Aquilonem per duo millia.

Altera

Digitized by Google

Altera autem pars, quæ aliquantò maior erat, totum montem Acra nuncupatum continebat, de quo sic Iosephus loco memorato: *Alter autem mons, qui appellatur Acra, inferiorem sustinet ciuitatem, & vndique declinis est*, &c. & dicebatur ciuitas inferior; quoniam in inferioti & demissiori loco sita, & *Salem* à monte, qui non tantùm Acra sed & Salem appellabatur, & *Ierusalem*, quoniam totius ciuitatis maior pars in eo sita erat. Quare vt Iosephus initio citati capitis asserit, ferè tota vrbs super hos duos colles condita erat, contrariis frontibus semet inspicientes, interueniente valle discretos. Et non vallibus tantùm, sed etiam duobus aliis montibus seu collibus pænè tum inhabitatis, nempe Moria & Bezeta, quodammodò dirimi videbatur. Ad quos duos montes, in quibus initio sita erat sancta ciuitas, respexit Dauid, inquiens, *Et factus est in pace locus eius* (Hebraicè pro *in pace*, est *in Salem*, *Salem* verò idem est quod Acra) & *habitatio eius in Sion.*

Verùm succedentibus temporibus, iugis montium nonnihil humiliatis, vallibusque repletis, auctis habitationibus, à Salomone præsertim post Dauidem, & posteà ab aliis Regibus & Principibus Israël ædificiis in Bezeta & Moria auctis, quasi tertia ciuitas consurgere visa est: sed enim quia omnes vnico exteriùs cingebantur muro, tres ciuitates vnius ciuitatis nomine appellatæ sunt, & tres partes vnius: quæ tamen interiùs aliquanto tempore propriis muris & fossis distinguebantur, quæ causa fuit, vt Ierusalem triplici muro muniri ab aliquibus diceretur.

Salomon ampliauit Ierusalem.

Pro clariore verò horum intellectu recolendum est, quemadmodum Dauid arcem Sion & ciuitatem superiorem ædificiis auxit, ita sapientissimum potentissimumque eius filium Salomonem inferiorem ampliasse & dilatasse, superiorique adiecisse. Id verò hunc in modum factum fuit. Cùm Salomon ex Dauidis patris sui Dominique præcepto in monte Moria ædificare vellet templum, & propter defectum latitudinis illud cum suis porticibus, atriis, & plateis eo quo conceperat & disposuerat splendore ædificare nequiret; vt area planitiesque eius fieret structuris idonea, iuga montium illorum, scilicet Moriæ & Bezetæ deiici, vallem intermediam impleri, adeoque totum illum locum complanari iussit. Quo facto, in Moria eximium & augustissimum illud templum ædificatum est, ex cuius occasione mons Bezeta eodem tempore habitari cœptus est, occasione videlicet artificum operariorumque pænè innumerabilium, quos ipse Salomon ad templi fabricam conduxerat: quorum habitationi plurima primò tabernacula, humiles casæ, & rustica ædificia necessariò construi debuerunt: posterioribus autem temporibus muris item cinctum fuisse, colligi potest ex his quæ citato capite Iosephi habentur.

Paulò etiam humiliatis montibus, & vallibus repletis, aliquatenus complanata ipsa ciuitas fuit, eiusque partes continuatæ fuerunt eodem Salomonis tempore. de hoc siquidem dicitur: *Coaquauit voraginem ciuitatis Dauid patris sui*, siue, vt legit Chaldæus, *Et occlusit rupturam*, &c. 3. Reg. 11, 27. quæ erat vallis secundùm Hieronymum, ideò complanari fecit, vt structuram Mello dictam loco imponeret. Hanc Iosephus vbi suprà Tyropœon appellat, separabatque ciuitatem superiorem ab inferiori, de qua Adrichomius in descriptione Ierusalem num. 16. Et mons Moria, qui priùs erat pænè acutus, arduus & præruptus, ab eodem Salomone primò, mox ab aliis, paulatim aliquantò humilior & latior redditus est, valleque eius impletæ. Post Salomonem sub Iosaphat primò, posteà, Iuda Machabæo in Iudæa principatum tenente, mons, in quo Macedonum arx aliquamdiu steterat (quam nimirum Antiochus Epiphanes in inferiori vrbe in Acra ædificauerat & muniuerat, vt Macedonibus militibus præsidium esset, vt auctor est Iosephus lib. 12. Antiq. cap. 6. & habetur 1. Machab. 1, 35.) complanatus fuit, ita vt nihil obstaret quò minùs templum omnibus in vrbe locis celsius esset, vt ex eodem Iosepho constat, qui lib. 13. Antiquit. cap. 11. & 6. de Bello cap. 6. dicit, quòd Asamonæi (sic enim appellat Machabæos) vallem aggeribus repleuerint, vt templo coniungerent ciuitatem; & quòd Acræ altitudinem cæsam humiliorem fecerint, vt ex ea quoque fanum supereminens cerneretur. Quo fit, vt posteà vrbs sita videretur è regione templi theatrali specie, quemadmodum idem Auctor tradit lib. 5. Antiquit. cap. 13. Quod amplius etiam præstitum fuit, quando collapsum templum ab Herode Ascalonita Iudæorum Rege sumptuosis ædificiis reparatum & exornatum fuit, vt patet ex eodem Iosepho loco proximè citato, & lib. 8. Antiquit. cap. 2. & lib. 1. de Bello Iudaico cap. 6.

Verè ergo dixit Dauid, *Fundamenta eius in montibus sanctis*, Psal. 86, 10. Et alio in loco, præuidens amplitudinem futuram Ierusalem, & augmentum illius, præsertim ob templi ædificationẽ, gaudium vniuersæ terræ, dixit de ea: *Magnus Dominus, & laudabilis nimis, in ciuitate Dei nostri, in monte sancto eius. Fũdatur exultatione vniuersa terra mõs Sion;*

Sion, latera Aquilonis, ciuitas Regis magni, Pſal.47,2. vbi vides diſtinctas ciuitatis ſanctæ partes indicari. *Mons Sion*, pulcher climate ſeu regione, vbi in Auſtrali parte ædificata erat arx & ciuitas ſuperior. *Latera Aquilonis* intellige alias partes, vel partem ciuitatis quæ *inferior* dicebatur & *filia Sion*, quoniam è monte Sion veluti naſci videbatur: ex iſta tota etiam cum Bezeta in Septemtrionem extenditur, & verè, quòd à latere Auſtri eſt, in Aquilone eſt. Igitur eius reſpectu reſiduum ciuitatis, cùm ſit in latere & ſiniſtra parte Sion, erit in Aquilone. Sicque Propheta explicuit ſingulas partes ſanctæ ciuitatis.

Appellatur verò hæc pars *ciuitas Regis magni*, tum quia maior & præcipua, tum quia in ea apparuit, id eſt in Moria, Angelus Domini percutiens populum; tum quia in ea fuit templum ædificatum, tum denique, quoniam præſentiâ Chriſti Domini conſecranda erat. Chriſtus enim Dominus tam in puerili quàm virili ætate mirabilia operatus fuit in ea, & ſingulariter in parte vbi erat templum Domini; & per ipſum adimpletum fuit quod Malachias vaticinans dixit: *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam. Et ſtatim veniet ad templum ſuum Dominator, quem vos quæritis, & Angelus teſtamenti, quem vos vultis*, Malachiæ 3, 1. & inprimis, quando illum ſanctiſſima Virgo Deipara præſentauit in templo, ac deinde quando in eodem inuentus fuit in medio Doctorum audiens & interrogans, & quando denique in eo prædicauit, multaque miracula & prodigia fecit. Et propter hæc & alia, quæ alibi dicentur de monte Sion & Caluariæ, dicitur non ſolùm eſſe ciuitas Regis magni, & fundari exultatione vniuerſæ terræ, nec ſimpliciter in montibus, ſed in montibus ſanctis. Legatur Genebrardus in Expoſitione Pſalmi 48. v. 3. & Iacobus de Valentia in expoſitione Pſalm. 42. v. 1. & 2.

Ieruſalem vallatur montibus & collibus.

Dixi tertiò, non tantùm Ieruſalem montes includere, & in ipſis ſitam eſſe, ſed etiam à montibus & vallibus conſequenter vallatam eſſe. Hoc antè dixerat Dauid. volens enim oſtendere, tutam, munitam fortemque eſſe ſanctam ciuitatem, non ſolùm quòd in montibus eminentibus fundata ſit, ſed quòd ab altis montibus velut vallo complecteretur, dixit: *Montes in circuitu eius*, Pſal.124, 2. ideoque & vallibus; quarum propterea mentio frequentior eſt in ſacris Litteris. Ab Auſtro igitur cingebatur profundiſſimis vallibus Siloë, Gehennon & Tophet, vbi erat Ager fullonis, & aliis deinde montibus & collibus Haceldama, &c. ab Oriente præſtantiſſimo Oliuarum monte tribus collibus diſtincto, & celeberrima valle Ioſaphat; ab Occidente monte Sion & Caluariæ, & colle Horeb, cum vallibus Raphaim, & magna voragine, & ex iſta erat ingreſſus in aliam vallem ad partem Aquilonarem vrbis, quæ tamen ex illa parte non totam circuibat ciuitatem, dicebaturque Vallis cadauerum, quòd in ea proiicerentur cadauera morte punitorum in Caluariæ monte, vel alia ratione, vt alibi dicetur, & ſupra eam ex eadem Aquilonari parte humiliores colles.

Addo, ad maiorem commendationem felicitatis inclytæ huius ac regiæ vrbis, non fuiſſe ad littus maris ædificatam, ſed non longè ab illius portu. Ciuitates namque & gentes maritimæ pluribus atque maioribus quàm mediterraneæ vitiis ſunt obnoxiæ, tum propter ſuperbiam, quæ naſcitur ex fiducia virium, ſunt quippe maris præſidio munitæ; tum ob auaritiam, quòd ad lucra mercaturæ incumbant; denique ob rapinas & prædas, ad quas opportunitate maris & nauigationis commoditate inuitantur, amplius, cùm ſint emporia, & aduenarum receptacula, facilè peregrinis moribus, vitiis atque erroribus inficiuntur. Quapropter noluit Plato, ciuitatem, quam ſuæ Reipublicæ deſignabat futuram metropolim, eſſe maritimam, ſed minimùm decem millibus paſſuum à mari remotam: habere tamen vicinum portum, vt ea ratione nec externis moribus prauis aut vilibus facilè corrumperetur, nec omnino tamen vtilitate maris iucunditateque priuaretur. Talem fuiſſe Ieroſolymitanæ vrbis ſitum, qualem deſiderabat Plato, docet Euſebius lib. 12. de Præparatione Euangelica, cap. 27. & re ipſa cernimus: nam, vt diximus, mediterranea eſt, & intra montes ſita, & à Ioppe & portu maris Mediterranei ad quadraginta dumtaxat milliaria ſeparatur. *Ieruſalem opulentia ex maris vicinitate.*

Ex his omnibus manifeſtè patet, inclytam ciuitatem Ieruſalem in medio orbis & eminentiori terræ loco, imò in montibus ſanctis fundatam eſſe, eoſdem intra ſuum ambitum continere, & à montibus, collibus vallibuſque cinctam eſſe, opportunoque ſitu, quo à malis præſeruetur, & bonis perfruatur, ædificatam.

CAPVT XVI.

De muris & amplitudine antiquæ Ieruſalem.

DIlectiſſima Deo ciuitas Ieruſalem ab æterno ei & electis eius præparata, non ſolùm naturalibus, ſed etiam ſupernaturalibus

Digitized by Google

Naturalia & supernaturalia ſ. ciuitatu præſidia.

bus & artificialibus præſidiis munita fuit, vt inde quilibet intelligeret, quàm bonum, tum & iucundum eſſet, in ea habitare. Quid enim melius, tutius iucundiúſve excogitari poteſt, quàm cum Deo eſſe, & omnia quæ deſiderari poſſunt ad benè tuteque viuendum, ab ipſo dirigi ad habitantes in Ieruſalem? Quare Dauid loquens de præſidiis quibus proteguntur illi qui in Domino confidunt, ea comparauit præſidiis & munitionibus ſanctæ ciuitatis Ieruſalem, dicens: *Qui confidunt in Domino, ſicut mons Sion: non commouebitur in æternum, qui habitat in Ieruſalem. Montes in circuitu eius, & Dominus in circuitu populi ſui, ex hoc nunc & vſq; in ſæculum*, Pſal. 124, 1. In quibus etiam verbis ex parte quod attigimus indicatur. Vis naturalia præſidia ſanctæ ciuitatis? *Montes in circuitu eius.* Sed quoniam hæc inutilia ſunt, ſi abſint ſpiritualia & diuina, eodem Dauide dicente, *Niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtrà vigilat qui cuſtodit eam*, Pſal. 126, 2. illa deſiderabis cum illo qui dicebat: *Cuſtodi me Domine*, Pſal. 139, 5. &, *Sub vmbra alarum tuarum protege me*, Pſal. 16, 8. & tunc *non timebo quid faciat mihi caro*, Pſal. 55, 5. & *millia populi circumdantis me*, Pſalm. 3, 7. ecce adſunt: *& Dominus in circuitu populi ſui*, &c. Si iam naturalibus & ſupernaturalibus addantur etiam artificialia, quæ induſtria humana inuenire conſueuit, illa non ſolùm fruſtranea, ſed valdè neceſſaria deprehenduntur, vt ſunt muri, turres & portæ ciuitatum: quæ vt ſanctæ ciuitati adeſſent, ex intimo cordis affectu à Deo poſtulabat Regius Vates, cùm ſupplex ad Deum conuerſus diceret: *Benignè fac Domine in bona voluntate tua Sion, vt ædificentur muri Ieruſalem*, Pſalm. 50, 20. Collapſos poſteà & per Chaldæos deſtructos, magna ſollicitudine Princeps ille Iudaici populi Nehemias reſtaurari curauit à filiis Iſraël poſt eorum à Babylonica captiuitate reditum. Igitur Ieroſolymæ noſtræ non defuerunt hæc humana artificialiaque præſidia, quoniam habuit muros, turres, portas & ſufficientem amplitudinem, vt ſtatim videbimus. *Vrbs fortitudinis noſtræ Sion*, dicebat Iſaias, *Saluator ponetur in ea, murus & antemurale*, ſeu, vt habet Hebræus, *Salutem ponet, murus & antemurale*, Iſaiæ 26, 1. Ex qua duplici lectione eius fortitudinem & protectionem diuino & humano auxilio perficiendam intelligimus; Saluatore videlicet in ea exiſtente, & multiplici muro eam ambiente.

Murorum Ieruſalem conditio.

Fortiſſimis cingebatur muris olim ſancta ciuitas ante Nehemiæ & Ioſephi tempora, vt non exiguæ illorum reliquiæ etiamnum oſtendunt, & apparet ex his quæ 2. Eſdræ 3. habentur, vbi legimus, Nehemiæ iuſſu fuiſſe reſtauratos & reædificatos muros Ieruſalem à filiis Iſraël, quando, conceſſa ſibi facultate ab Artaxerxe Longimano, è Chaldæa in Iudæam redierunt, qui vtique minimè fuiſſent reædificati, niſi anteà fuiſſent ædificati. Ioſephi etiam tempore ciuitas hæc (vt ex illius deſcriptione, quæ habetur lib. 6. de Bello, cap. 6. apparet) tri- *Triplici muro quomodo cingebatur.*
plici muro circumdata erat, niſi quà vallibus inuiis cingebatur, vbi vnius dumtaxat muri habebat ambitum. Sed explicatio attendenda eſt.

Ciuitas ſuperior à Meridie, Oriente & Occidente vnico tantùm muro ambiebatur, quoniam profundiſſimis vallibus ibi cingebatur, vt præcedenti Capite diximus: ab Aquilone verò, præter proprium, duobus quoque aliis quodammodò claudebatur, videlicet vno paruo, qui Bezetam dumtaxat à Septemtrione ambiebat, & altero maiori, qui tria inferioris vrbis latera, nimirum ab Aquilone, Oriente & Occidente circuibat. Et iſte quidem tertius murus nonaginta turres habebat, medius verò in quatuordecim, & antiquus in ſexaginta diuiſi erant. Hæc ex Ioſepho, qui proculdubiò murum antiquum vocat illum, qui ſuperiorem; medium, qui Bezetam ab Aquilone muniebat; tertium verò, qui inferiorem ciuitatem, & antiquo iunctus medium quoque murum continebat: & hunc tertium dicit habuiſſe nonaginta turres ab inuicem diſtantes per cubitos ducentenos. Et tandem concludit, quòd omne totius ciuitatis in gyro ſpatium triginta tribus ſtadiis finiebatur. Cuius dictum, vt optimè mihi videtur adnotaſſe Torniellus Tom. 2. Annalium anno mundi 3610. num. 4. ſimpliciter & abſolutè, prout verba ipſa, quæ clara ſunt, ſignificant, accipiendum eſt. Et propterea ab eodem vrbis gyro non eſſe excipiendum vel montem Sion, ſeu ciuitatem ſuperiorem, vt putat Brocardus p. 1. cap. 7. §. 44. vel ciuitatem inferiorem, tamquam aliquando ſuburbij nomine indicatam, vt credit Villalpandus in ſuo Apparatu vrbis lib. 2. cap. 10. quia expreſsè Ioſephus loco citato, de vtraque vrbis parte copulatiuè ſumpta loquitur. Neque ex partialibus illis murorum menſuris, ibidem memoratis, aliter arguere debemus: quia illæ cubitorum & ſtadiorum menſuræ, cùm non ſemper fuerint vnius modi apud omnes nationes & Scriptores, ac etiam per omnes ætates; ita accipi debere videntur, vt propè accedere valeant ad efficiendum ſummam in concluſione poſitam: quod vtiq; fieret, ſi quingentos & quadraginta quinque cubitos vnius ſtadij menſura ibidem vlurpari diceremus.

remus. Etenim ducenti cubiti, qui in ſingulis turrium interuallis fuiſſe dicuntur, nonagies replicati, faciunt cubitos 18000. & quingenti quadraginta quinque cubiti, ſingulis ſtadiis contenti, tricies & ter ducti, eamdem ferè efficiunt cubitorum ſummam, nempe 17985. Hæc ex Torniello.

Et profectò quantum nunc coniectari poſſumus, ſi verba Ioſephi, vt ſonant, & explicata ſunt, haud eſſent accipienda, non video quidnam ciuitatis potuerit eſſe tanti ſpatij & amplitudinis. Et tantò magis, ſi, quod oculati teſtes, qui viderunt & dimenſi fuerunt, referant, verum eſt, duobus ex noſtris Italicis milliaribus totum eius ambitum eſſe; quoniam licet ſecundùm Ioſephi ſupputationem, eius circuitus ſit milliarium quatuor circiter, quia tantùm circumdant triginta tria ſtadia, ſi octo ſtadia cum dimidio circiter vnum milliare efficiãt. Verùm quoniam milliaria Italica ſunt duplo harum partium maiora, ſicut aliqui aſſerunt, non mirum, ſi dictum ſit, ambitum totius ciuitatis Ieruſalem eſſe duorum Italicorum milliarium, cùm aliàs quatuor circumdet iſtarum partium. Et qui hæc dixit, ſanè à veritate non aberrauit. Poſtquam ego cum nonnullis aliis ſitum Ieruſalem pluries exactè conſideraſſem, viſum nobis fuit illius circuitum parum excedere ſpatium duorum Italicorum milliarium, vel ad ſummum erit trium, & circuitus, qui deforis commodè ſpatio vnius horæ abſolui poteſt, prout aliqui eundo abſoluerunt. eſt enim hoc facile.

In hiſtor. Ieroſol. cap. 60. Vnde Iacobus de Vitriaco, S. R. E. Cardinalis ampliſſimus, fide dignus inſpector, appoſitè dixit: *Eſt autem ciuitas Ieruſalem ſecundùm omnes eius partes in monte ſublimi ſita, muro valido vndique circumdata, nec nimia parnitate anguſta, nec magnitudine cuiquam faſtidioſa, à muro vſque ad murum habens diſtantiã quantum arcus quater proiicit ſagittam*, &c. & alius ſine nomine Auctor in Geſtis Francorum expugnantium Ieruſalem, inquit: *Conſtatq; ciuitas ambitu murorum condecenti magnitudine, ita vt nec paruitate nec amplitudine vmquã faſtidioſa videatur.* Idem alij. Longitudo Ieruſalem ſecundùm Ptolomæum lib. 1. Geograph. eſt graduum 66. m. 0. latitudo graduum 31. m. 40.

In Opere *Geſta Dei per Francos*, p. 574. cap. 27.

Villalpandus Tom. 3. lib. 2. cap. 21. oſtendit, ſanctam ciuitatem habere in circuitu decem Italica milliaria. Sed apud me hoc ſenſus reſpuit: neſcio enim vnde accipi poſſit tantum ſpatium, niſi intrà includantur valles, montes, imò ſepulchra ipſa quæ extrà eſſe debebant, vt infrà oſtendam Capite v 1. Peregrinationis 1 v. & aliud exteriùs ſolum; quæ tamen extrà eſſe non ſolùm ſacri & profani Scriptores, ſed ipſe ſenſus apertè teſtantur. Quare aliorum potiùs dictis & ſenſu ipſo ſtandum eſt.

Et notandum, tres memoratos muros & turres non ſemper extitiſſe, in primis qui ad cuſtodiendam ciuitatem non admodum neceſſarij iudicati ſunt, vt medius ille, præſertim quòd pluribus mutationibus obnoxia fuerit ſancta ciuitas.

Ecce amplitudo & ſitus inclytæ ciuitatis Ieruſalem, quæ caput fuit non modò Palæſtinæ & Syriæ, ſed totius mundi: quæ licet inter minores numeranda non ſit, non tamen inter magnas recenſenda eſt, & nihilominùs in ea tot Dei mirabilia patrata fuere.

Nec dicendum, veterem Ieruſalem fuiſſe nouâ maiorem; nam nec apparet, vnde illa magnitudo accipienda ſit, siue extendi poſſit: ſed eam non fuiſſe maioris ambitus quàm nouam, oſtendemus infrà ſuo loco.

CAPVT XVII.

Difficultas, qua eleuari poſſent ea quæ Capite præcedenti dicta ſunt & aſſerta, proponitur & diſſoluitur.

RElicta Brocardi, & multò magis Villalpandi ſententia de amplitudine ſanctæ ciuitatis, grauis ſeſe offert difficultas, quæ non leui argumento multò maiorem facit Ieruſalem. Si enim ambitus totius vrbis fuit dumtaxat trium vel etiam quatuor Italicorum milliarium, quomodo in ea includi potuerunt tot montes, colles, valles, piſcinæ, ciuitates & portæ, de quibus poſteà tot turres, palatia Regia, theatra, amplæ & magnificæ ædes, Templum Domini, cum atriis, porticibus & plateis? Conſidera Geographicam delineationem ciuitatis Ieruſalem Chriſtiani Adrichomij, & tot ibi deſcripta in modico aſſignato ſpatio contineri non poſſe affirmabis. Accedit Ioſephi auctoritas, qui eius deſtructioni per Titum factæ interfuit, & aſſerit lib. 6. Belli Iud. cap. 22. ob eius magnitudinem non potuiſſe à Romano exercitu circumdari. Sed quid plura? tot millia hominum capiebat illa ciuitas, quæ nonniſi maxima ciuitas in ſe continere potuiſſet. Sub Nerone enim in quadam Paſchali ſolemnitate numerati fuere duo milliones & ſepties centena hominum millia, qui omnes mundi erant & purificati, nec participantes ex ſacrificiis leproſorum; exceptis iis qui participabant cum menſtruatis & forenſibus, qui religionis gratia venerant, qui omnes ad tres & ampliùs milliones aſcenderunt: numerus, qui nec in maxima mundi ciuitate inuenietur.

Argumenta pro maiori ambitu Ieroſolymæ.

by Google

tur. Lege Ioſephum lib.7. cap.25. Egeſippum in Replica, & plures alios qui bellum illud Iudaicum litteris conſignarunt. Et quot quæſo milliones in ea fuerunt, quando à Tito capta fuit? Admirandus potiùs videtur quàm credendus numerus virorum & mulierum occiſorum, inedia conſumptorum, præter eos qui fugerunt, & in triumphum & captiuitatem abducti fuerunt, vt apud eumdem Ioſephum legimus. Accedit denique, quòd oues, boues, aliaque animalia pro ſacrificiis & victu, & alia ad vitæ ſuſtentationem neceſſaria magnum locum occupare debuerint. Et hæc omnia maiorem arguunt capacitatem & ſitum quàm quem aſſignauimus, imò quem ipſe Ioſephus Hebræus.

Reſponſio multiplex ad argumenta.

Difficilis ſanè obiectio, & forte argumentum, ſepoſitâ Villalpandi ſententiâ: cui nihilominùs reſpondebo, & multipliciter. Primò, dicendo, ambitum trium vel quatuor milliarium non eſſe ita anguſtum, quin in ſe continere haud poſſit plures ædes, Templum Salomonicum, & plures ſed paruas ciuitatis vnius partes, præſertim eleganti & optimo ordine, quem inter ſe habebant, conſiderato: ac conſequenter multa in ea contineri potuerunt, quæ aliàs, ſecluſo ordine, non fuiſſent in ea contenta.

Secundò dicendum cum eruditiſſimo Salmerone Tom.1. Prolegom. 42. (& ferè in idem recidit) quòd licet ambitus ciuitatis non excederet quinque millia paſſuum, tamen propter montium & vallium varium ſitum, plurimorum ædificiorum capaciſſima fuerit. Et hoc notauerat Ioſephus lib.6. de Bello cap.6. hiſce verbis: *Et ipſa quidem ciuitas ſuper duos colles erat condita, contrariis frontibus ſemet inſpicientibus, interueniente valle diſcretos: in quam domus creberrimæ deſinebant.* Ad id quod dicitur ex Ioſepho, tantam fuiſſe huius vrbis magnitudinem, vt circumdari non poſſet, dicò Primò, ideò ſic locutum fuiſſe Ioſephum, quia non niſi cum difficultate circumdari potuit. Et ſanè non parui momenti eſt, ciuitatem ambitus trium & ampliùs milliarium ab extero exercitu circumdari. Iuxta Dominicum tamen vaticinium, fuiſſe circumdatam, certum eſt, & tradit Ioſephus ipſe. ſed quod non niſi cum difficultate perficitur, impoſſibile dici, compertum eſt ex ſacris & profanis Scriptoribus.

Secundò ipſe Ioſephus difficultatem circumdandi Ieruſalem attribuit non tam amplitudini ciuitatis, quàm difficultati quam afferebant Romano exercitui montes præruptæque valles, quibus cingebatur, quoniam in ipſis commodè & ad pugnandum expediti exercitus manere non poterant. Et profectò ſi & valles circumdandæ fuerunt, maxima adfuiſſet difficultas, cùm duplo & ampliùs ipſa ciuitate maiorem circuitum faciant.

Ad hæc dici poſſet, tantam multitudinem virorum & mulierum, aliarumque rerum non fuiſſe in ſola ciuitate, ſed & in vicis extra ipſam, præſertim in Herebintonico in Auſtrali parte ciuitatis, qui locus maior fuit, vt creditur, & ex ruinis coniectari licet, tota ciuitate.

Sed huic obſtat, quòd tanta illa multitudo intra ipſam ciuitatem incluſa fuerit tum, cùm obſeſſa & vallo concluſa fuit à Romanis ſub Tito. Propter hoc reſpondent aliqui cũ Egeſippo ſcriptore Chriſtiano, fuiſſe id diuinam diſpoſitionem; & cum Ioſepho, fato & diuina permiſſione tantam illam multitudinem fuiſſe in Ieruſalem velut in carcere incluſam, vt ex obſeſſorum hominum anguſtia facta ſit Regia & delicata ciuitas ſpelunca latronum, & mortuorum ſepulchrum: & quod humanitus eſt impoſſibile, apud Deum haud fuit difficile, demeritis Hebræorum illud expoſtulantibus propter iniuſtam Saluatori noſtro illatam mortem.

Denique dicerem, ex illa hominum multitudine & rerum comeſtibilium animaliumque ſacrificandorum copia, non confici efficax argumentum enormis magnitudinis Ieroſolymitanæ vrbis: tãta ſiquidem multitudo erat ibi quaſi per accidens & occaſione Paſchalis ſolemnitatis, quo in euentu omnes melioti modo, quo poſſunt, ſe accommodant. Nec tanta erat victualium abundantia & animalium ſacrificandorum copia, quin illi mediocris aliquis locus ſufficere poſſet: quotidie enim propter obſidionem magnus pecudum numerus conſumebatur, paulatim breuiſſimo tempore omnino defecerint, nec herbæ ſuperfuerint, quibus homines ſuſtentarentur: qui, ne fame deficerent, ſimo, ſtercore, & ipſis humanis carnibus veſcebantur, vt Ioſephus Hebræus illius temporis ſcriptor litteris conſignauit, & nos infrà notamus.

CAPVT XVIII.

De portis veteris Ieroſolymæ, & earum nominibus.

ALiqua nunc expedit dicere de portis veteris Ieroſolymæ, quæ plurimùm ad illius decorem & munitionem faciunt: per ipſas enim admittebantur amici & conciues, & excludebantur hoſtes & aduenæ; per ipſas victui commoda recipiebantur, & noxia expellebantur: ad ornatum denique

& ſplendorem ſanctæ ciuitatis multum attulerunt, vt nemini non manifeſtum eſt.

Sed quot illæ erant, quo ordine diſpoſitæ, & quæ illarum nomina? Reſpondeo, Scriptores non ſatis inter ſe conuenire: & ratio diſconuenientiæ eſt, quia licet ipſarum nomina in Scriptura ſacra & apud alios Scriptores inueniantur, non tamen ſatis conſtat, an ſingula nomina ſint ſingularum portarum, an vna & eadem pluribus nominibus non fuerit appellata; an ea nomina ſint nomina portarum ciuitatis, an etiam portarum templi (vt verè eamdem pluribus appellari nominibus, & quæ inter portas ciuitatis recenſentur, eſſe templi, vel interioris alicuius partis ciuitatis, tamquam probabiliſſimum creditur) num denique propter varietatem & mutabilitatem ciuitatis, etiam mutatæ fuerint portæ quantum ad numerum & ſitum, præſertim cùm ſub Nehemia muri ſanctæ ciuitatis refecti fuerint.

Adrichomius ſtatuit portas tredecim, Villalpandus facit eas duodecim, Brocardus octo fuiſſe affirmat, quæ non vno, ſed pluribus appellabantur nominibus.

Enumerantur porta Ieruſalem.

Sunt verò quæ ſequuntur illarum nomina, prout libro 2. Eſdræ cap. 3. enumerantur, *Porta gregis*, verſ. 1. *Porta piſcium*, verſ. 3. *Porta vetus*, verſ. 6. *Porta vallis*, verſ. 13. *Porta ſterquilinij*, verſ. 14. *Porta fontis*, verſ. 15. *Porta Eliaſib ſacerdotis magni*, verſ. 20. Ex quo loco, quidam eliciunt, inter portas vrbis fuiſſe vnam quam vocant Palatij Pontificis, ſic dictam, quòd eidem Palatio proxima eſſet; *Porta aquarum*, verſ. 26. *Porta equorum*, verſ. 28. & *Porta iudicialis*, verſ. 30. Capite 12. eiuſdem libri verſ. 38. aliarum duarum nomina memorantur, *Porta* ſcilicet *Ephraim*, & *Porta cuſtodiæ*, alterius item 4. Reg. 14, 13. *Porta anguli*, quæ Zach. 14, 10. *Porta angulorum* nominatur. Alia ſex vel quinque nomina inueniuntur apud Ieremiam: cap. 19, 2. *Porta figuli*; cap. 20, 2. *Porta Beniamin ſuperioris*, vnde inferri poteſt, extitiſſe aliam eiuſdem nominis inferiorem: ſed enim hoc non videtur neceſſarium dicere, cùm adiectiuum *ſuperius* referri poſſit non ad Portam, ſed ad Beniamin, ad ſitum ſcilicet aliquem, cuius intuitu ex vna parte ſuperior, ex altera inferior dicebatur; & ſicut in illa erat porta, in iſta potuit non eſſe. Cap. 36, 10. *Porta noua*, verùm hæc non erat porta vrbis, ſed templi, vt ibidem & ſuprà cap. 26, 10. idem Propheta exprimit. Et hanc Carthuſianus ibidem putat eſſe portam illam templi ſublimiſſimam, quæ à Ioathan Rege Iuda ædificata dicitur 4. Regum 15, 35. Porrò Ieremiæ cap. 39, 3. memoratur *Porta media*, & verſ. 4. *Porta exiſtens inter duos muros*. Aliud nomen in Sophonia legimus cap. 1, 10. *Porta ſecunda*: ſed hanc puto eamdem eſſe, quæ à Ieremia *Porta media* eſt appellata. Et hæ portæ extitiſſe creduntur Nehemiæ tempore, quoniam ſacri Scriptores, qui ipſarum mentionem fecerunt, fuerunt Nehemia antiquiores. Præter memoratas Ieroſolymæ portas, alias tres obiter numerauit Ioſephus lib. 6. Belli, *Porta turrium muliebrium*, cap. 2. & 5. *Porta Gonach* & *Porta Eſſenorum*, cap. 6. Quibus alij quinque alias addunt, *Portam auream*, *Portam Dauid*, *Portam negotiatorum*, *Portam horti*, & *Portam fontis draconis*.

Ceterùm, vt iam diximus, & notault Brocardus, plures ipſarum non vno ſed pluribus appellabantur nominibus, & inter memoratas, quædam erant Templi, & quædam ciuitatis inferioris, ex quibus erat ad ſuperiorem acceſſus, de quarum numero credo fuiſſe portam illam *ferream*, cuius fit mentio Actor. 12, 10. Plura alia de hiſce portis & earum ſitu habes apud Tornielum loco citato num. 5. & 6. & ſingulariter apud Villalpandum Tom. 3. Apparatus. Aliqua de portis Ieruſalem dicit Auctor Epitomes bellorum ſacrorum, & Brocardus de Monte Sion in ſua deſcriptione Terræ ſanctæ apud Henricum Caniſium Tom. 6. Antiquæ lectionis.

Digitized by Google

IEROSOLYMÆ, CVRA NEHEMIÆ DVCIS INSTAVRATÆ, DESCRIPTIO,

AD MENTEM BROCARDI,



VILLALPANDI.



CAPVT XIX.

De ſitu & conditione nouæ Ieruſalem.

POſtquam de ſancta ciuitate Ieruſalem antiqua, de eius ſitu & diſpoſitione actum eſt in præcedentibus, operæ pretium eſſe iudicaui agere de diſpoſitione & conditione nouæ; vt cognoſcamus, quodnam diſcrimen, & quænam conuenientia inter vtramque ſit, ſiue inter eum ſitum quem antiquitus habuit, & illum quem habuit poſterioribus temporibus, & nunc vſque retinet. Vtilis ſanè cognitio pro his quæ de particularibus locis ſanctæ ciuitatis in ſequentibus dicentur.

Ieruſalem vetus qua.

Aduerte igitur, Ieruſalem veterem nos appellare ſanctam ciuitatem, quatenus eam conſideramus ſecundùm eſſe quod antiquitus à ſuo conditore accepit, illudque retinuit (etſi non ſemper eodem modo) vſque ad annum Domini 72. quando à Tito exercituque Romano (quòd à Romanis defeciſſet) vaſtata ac euerſa fuit, tantùm muri vnius parte relicta, ad caſtrorum munitionem, & tribus ſolummodò turribus, quæ eſſent quaſi indices, vt qualis Ieroſolyma olim fuiſſet, neſcientibus demonſtraretur, vt ſequentibus verbis notauit Ioſephus libro 7. de Bello Iud. cap. 18. *Poſtquam verò quos occideret, quidve raperet, non habebat exercitus, quòd iratis animis omnia deerant (neque enim parcendo, ſi eſſet quod agerent, abſtinuiſſent) iubet eos Cæſar totam funditus eam euere ciuitatem, ac Templum, relictis quidem turribus, quæ prater alias eminebant, Phaſelo & Hippico, & Mariamne: murique tanto, quantum ciuitatem ab Occidente cingebat, vt eſſet caſtrum illic cuſtodiæ cauſa relinquendi: turres autem vt poſteri indicarent qualem ciuitatem, quámve munitiſſimam Romanorum virtus obtinuiſſet: alium verò totum ambitum ciuitatis ita complanauere diruentes, vt qui ad eam acceſſiſſent, habitatam aliquando eſſe vix crederent.* Ita Ioſephus.

De iſtis turribus lege Adrichomium in deſcriptione Ieruſalem n. 141. 142. & 143.

Subactis in hunc modum per Titum Iudæis, & ciuitate vaſtata, eis qui poſt excidium illud ſuperſtites fuerunt, & quibus ibi habitare permiſſum fuit, præcepit Imperator, vt illud idem didrachma & tributum, quod in templum Domini quotannis inferre ſoliti erant, penderent Ioui Capitolino, cuius templum bello ciuili Romæ concrematum, huius excidij tempore à Veſpaſiano ſumptuoſiſſimè fuit reſtitutum, vt loco citato cap. 28. auctor eſt idem Ioſephus.

Cùm verò poſt annos ſexagintaquinque Iudæi iterùm à Romanis deficerent, anno decimo octauo circiter Imperij Ælij Adriani, circa annum Domini centeſimum trigeſimum quartum, Romanus Imperator multa eorum millia deleuit, ac turres illas cum relicta parte muri penitus deſtruxit, iuſſitque locum excifæ ciuitatis aſpergi ſale: quo facto, Domini vaticinium, quo eius exterminium prædixerat, quòd in ea lapis ſuper lapidem non eſſet relinquendus, completum fuit.

Ieruſalem nouæ.

His peractis, vt nomen ſuum illuſtrius redderet Imperator, excilam reædificauit, eamque ab eo reædificatam, nouam Ieruſalem appellamus. Pomœriis igitur ciuitatis plurimum contractis, de ſuo extruxit vniuerſum montem Sion, vnà cum Palatio Salomonis, Reginæ, & domo ſaltus Libani; item portam Anguli & caſtrum Aſſyriorum, totumque eum Borealem angulum ad portam Sterquilinij, & portam Ephraim vſque, & partem montis Sion vrbis ambitu excluſit: montem verò Caluariæ, & Sepulchrum Domini, & collem Goreb, quæ priùs extra mœnia fuerant, muris circumdedit, & intra ciuitatem incluſit, quemadmodum de Caluariæ monte tradit Iacobus de Vitriaco Patriarcha Ieroſolymitanus libro de Conqueſto Terræ ſanctæ, apud Brocardum Part. 1. cap. 7. verſ. 44. relatus. Et de colle Goreb apparet in Ieroſolymæ veteris imagine apud Villalpandum Tom. 3. inſerta. Et in fronte eius portæ, quà Bethleem ibatur, ſuem in marmore ſculpſit, Iudæis eidem ſubiectis, hoc modo ſignificans, eos Romanæ poteſtati ſubiacere: quibus & edicto interdixit, ne ampliùs vrbem illam introirent, aut ex loco quopiam excelſiore eminus aſpicerent; eamque deinceps à ſuo nomine Æliam Capitoliam nuncupari voluit, vt tradit Euſebius lib. 4. Hiſtor. Eccleſ. cap. 6.

Ieroſolymam ingredi Iudæis interdictum.

Hoc modo factum eſt, vt ſancta ciuitas poſteà quinque montes vel colles includeret, non tamen ex omni parte, quia non totum Sion, nec, vt credo, totum Goreb. Sed non ideò minor facta fuit: nam quod in longitudine amiſit, in latitudine acquiſiuit, mutauit enim formam, quia non ampliùs, vt anteà, forma theatrali, vel, vt dixit Ioſephus, nauis, vel mediæ Lunæ, vt alij dixerunt, apparet, ſed quadrata. Quin noua hæc ab oculatis teſtibus veteri maior iudicata eſt.

Forma Ieruſalem.

Dixi, eſſe formæ quadratæ; quoniam impleta Valle cadauerum, ducto muro quaſi triangulari ab Aquilone & Occidente, vtramque prioris ciuitatis extremitatem, ſcilicet Auſtralem & Aquilonarem, clauſo ferè in medio ciuitatis Caluariæ monte, cum proximo Dominico Sepulchro, quadrata

Digitized by Google

drata euasit, & loca habitationum, quæ erant in parte montis Sion ex parte extra muros relicto, & aliarum quæ erant in angusta Aquilonari parte, aliæ in alio incluso solo extructæ fuerunt: & ita nec situ nec habitationibus minor reddita est, excepto, quòd extra ipsam vici ad habitandum non remanserint. Ac ideò verè præter alios notauit Auctor Epitomes Bellorum sacrorum, relatus ab Hectore Canisio Tom. 6. Antiquæ lectionis, quòd anno Domini centesimo decimo nono, imperante Ælio Adriano, duodecimo ab Augusto, Sepulchro & monte Caluariæ extra ciuitatem existente, hic Imperator ciuitatem à Tito & Vespasiano destructam reparauerit, vicos & plateas decenter ornauerit, ductus aquarum constituens, quibus pluuiali tempore ciuitas à sordibus mundaretur; non tantùm ciuitatem amplificauerit, sed & rogatu Christianorum locum Dominici Sepulchri, & alia loca sancta illi vicina infra murorum ambitum incluserit, in quo loco postea populus Christianus fabricam mirandi operis dedicauerit. Idem Cardinalis Vitriacus in Histor. Ierosol. cap. 60. Scio Eusebium in Vita Constantini lib. 3. cap. 24. & alios, opus memoratum tribuere Magno Constantino Imperatori, & eius sanctissimæ matri Helenæ, & posteà Heraclio, de quo aliàs: sed non officit, quia vterque potuit illi prouinciæ operam dedisse, vel cingendo à fundamentis partem illam Occidentalem & Aquilonarem, vel reparando & firmiùs muniendo. Consule Adrichomium in descriptione Ierusalem num. 1. & quos citat Auctores, si de hoc plura scire desideras.

Ælius Adrianus intra vrbis pomeria clausit sanctuaria. Ex hoc habeo, antiquitus Christianos Ierosolymis habitasse, & apud Imperatorem gratiam inuenisse.

Post hæc verò à Christianis habitata, & Patriarchali dignitate insignita (vt videre est apud Tyrium lib. 14. Belli sacri, cap. 12.) successu temporis, recepto nomine *Ierusalem*, annis quingentis in Christiana religione floruit. Ex eo verò tempore, vsque ad præsens, pluribus mutationibus subiecta fuit, vt alibi etiam notauimus.

Reficiuntur à Selimo Solimano muri Ierusalem.

Dicam nunc vnum, quod proposito nostro deseruit, quod illi accidit anno Domini 1517. Cùm à Soldano Ægypti & Saracenis occupata esset, posteà inuasa & capta fuit à Selimo Solimano Turcarum Imperatore: qui inter alia muros sanctæ ciuitatis refecit quadratis lapidibus, quos partim ex montibus, & pro maiori parte ex oppidis proximioribus destructis, & ex sanctuariis Christianorum accepit, hocque pacto opus

Castellum munitum.

absolutũ euasit. Pulchrum continet castellum, in eo loco (vt dicitur) erectum, vbi quondam erat turris Dauid in eminenti loco situm, & *Pisanum* dicitur, de quo infrà erit sermo. Non est admodum firmum, non quidem structuræ, sed munitionis defectu, sicut & ciuitas ipsa ex omni parte commodè capi posset, præterquam ex Orientali, vbi mons Oliueti, & profunda vallis Iosaphat, ex qua parte obsessa fuit à Tito & exercitu eius: etsi enim muri alti sint, aggerum tamen defectu facilè destrui possent.

Exceptis sanctuariis, quid in ea spectabile sit, non video: vt non immeritò, qui eam contemplantur, stupentes dicere possint: Hæcne est inclyta illa Ierusalem ciuitas regia, & totius orbis caput? Ecce quomodo desolata & mœrore confecta manet, quoniam recessit ab ea Saluator eius, factaque est exemplum diuinæ contra Iudæos vltionis.

Dicitur in partibus istis, quòd cùm Solimanus ille Selimus intellexisset ab architecto, cuius ordinatione muris cincta fuerat sancta ciuitas, foris montem Sion pro maiori parte exclusum fuisse, eumdem capitali sententia multauerit. Et ita intellexisse à senibus, qui reædificationis sanctæ vrbis recordantur.

CAPVT XX.

De portis nouæ Ierosolymæ, & earum nominibus.

INcertus, sed antiquus Auctor, in Opere cui titulus, *Gesta Dei per Francos*, de proposito argumento ita loquitur: *Situs ipse ciuitatis sanctæ, qui nunc est, murorúmque ambitus, licet à prisca & illustri veteris compositione, statúq; illo quo erat Christi Iesu temporibus, valdè discrepet, temporis illius adhuc monumenta obtinet, quibus & famosa & illustris, & præ cunctis clarior ciuitatibus in toto orbe terrarum esse debet. De qua, quia à quibusdam quædam superflua, quædam variùs concinentia finguntur, panca sub breuitate perstringere conabor. Quatuor igitur illi aditus patent, sicut pleriſque ciuitatibus, quibus ad eam fit ingressus ab Oriente & Occidente, ab Aquilone & Meridie: & quidem Orientalis aditus, ab incolis vocatur Porta vallis Iosaphat, eò quòd per eam ad vallem illam proximam fit descensus. Occidentalis porta Dauid idcircò vocatur, quòd iuxta turrim Dauid sita sit. Septentrionalis porta S. Stephani, pro eo quòd idem Martyr extra portam illam lapidatus fuisse asseritur, ob cuius memoriam Ecclesia ibidem sit fundata. Australis porta Sion, quia ab ea parte mons ille præruptus eminet: vnde difficilis & valdè grauis ad vrbem est aditus. Adhuc etiam quinta habetur porta, quæ Aurea dicitur, intra Orientalem & Australem portam sub Templo Domini sita, per*

Cap. 14. pag. 574.

quam calorum Rex ſuper aſinam ſedens ante paſſionem ſuam, ciuitatem ingreſſus eſt, & ab Hebræorum pueris cum gaudio exceptus eſt: quæ non aperitur niſi in Dominica Ramis palmarum, &c. Non meminit hic Scriptor *portæ Sterquilinia*, & *Herodis*, de qua nos poſteà, quia vtraque minùs principalis, & fortaſſe, quia, quo tempore ille ſcripſit, clauſa fuit, ſicut aperta tunc erat Aurea, quæ in præſentia muro obſerata perpetuò manet. Et ab illius tempore vſque ad præſens propter reſtaurationem ciuitatis, aliqua etiam mutatio potuit circa eamdem fieri, & ſingulariter in portis. Nos quæ in ea modò cernuntur explicabimus.

Rex porta noua Ieroſolyma.

In noua ergo Ieroſolyma noſtro tempore ſunt ſex portæ, è quibus quatuor ſunt principales, duæ minùs principales. Prima & principalis eſt in plaga Orientali ciuitatis, & *S. Stephani* appellatur, quoniã extra ipſam ejectus fuit ſanctus Chriſti Martyr, cùm fuit à Iudæis lapidatus. Secunda principalis in Occidentali plaga ſituata eſt, quæ *Ioppe* ſiue *Rama*, & *Caſtelli* dicitur, quoniam Ioppen & Ramam ducit, & caſtello proxima eſt. Tertia principalis in parte Aquilonari dicitur *Damaſci*, quia proficiſcentes ad Damaſci ciuitatem per eam egrediũtur. Quarta principalis ad Auſtrũ ſita porta montis Sion nuncupatur, quia in iſto monte ſita, & ad hunc per hanc accedimus. Portæ alia minùs principales & minùs frequentatę duæ ſunt, altera ad Auſtrum vrbis, dicta *Sterquilinia*, quòd ex ea ſordes ciuitatis aſportentur; altera in Aquilonari parte ſita, dicta *Herodis*, fortè quia Herodis palatio proxima erat. Et hæ omnes apertæ ſunt, & propriæ ciuitatis.

Præter has ſit etiam mentio *Portæ ferreæ*, quæ intra ciuitatem eſt & monſtratur, & eſt tranſitus à vico in vicũ, id eſt, à via in viam. Adhuc ſit mentio *Portæ iudicialis*, quæ, vt altera, intra ciuitatem eſt, & clauſa manet in Occidentali plaga. Eſt etiam *Porta aurea* ad Orientem reſpiciens, veteribus ornamentis exornata, è regione Orientalis Portę templi quod Salomonis dicitur, ſed muro clauſa, vt dictum eſt.

Sed quibus nominibus vocabantur antiquitus portæ iſtæ? De aliquibus aliqua dicã, quæ ex alijs accepta, probabiliora viſa ſunt. Porta ſancti Stephani, Porta regis dicebatur, quoniam templo proxima, prope probaticam piſcinam, & per eam greges immolandi introducebantur. Beda, Brocardus, Adrichomius in explicatione Ieruſalem n. 157. ex alij. Etiam portam Ephraim alij dictam fuiſſe volunt, quòd in tribum Ephraim duceret, ſed quomodo hoc conſiſtere poteſt, cùm porta Ephraim verſus Septemtrionem ſita ſit? quare portam Damaſci alij Ephraim dici volunt. Reſpondeo, licet Porta S. Stephani in præſentia Orientem reſpiciat, & Porta aurea propriè Orientalis, cùm clauſa ſit illa Orientalis, nominetur; tamen olim, antequam muri ciuitatis erigerentur ſub Selimo Imperatore Turcarum, poterat Aquilonem & Ephraim reſpicere, præſertim cùm & modò ſita ſit inter Orientem & Aquilonem ciuitatis. Alijs etiam nominibus inueni fuiſſe appellatã. Porta Damaſci, Ephraim, vt dixi, an etiam Porta anguli appellari poteſt? Porta Ioppes, Porta Piſcium dicebatur, quòd ex mari piſces Ieruſalem per eam portarentur. Porta Herodis, an turrium multebrium? Sterquilinij porta non videtur collocari in eodẽ ſitu à Brocardo, in quo nunc ea ſic appellata poſita eſt, multò minùs à Villalpando, qui eam in Occidentali vrbis plaga deſcribit Tom. 3. lib. 3. cap. 14. aſſignata tamen ratio nominis ab ipſo, & huic conuenit. Conſideranda eſt deſcriptio veteris Ieroſolymæ, & aptanda nomina portarum portis nouæ, iuxta ſitum in quo iſtæ poſitæ ſunt, antiquis reſpondentes.

Portarum inſcriptiones.

In memoratis Portis quædam inſcriptiones Arabicis characteribus in marmore inciſæ leguntur, quæ reædificatorem, & tempus, ſecundùm computum Turcarum indicant, quas Latinè verſas hìc ſubijcimus.

Supra portam S. Stephani:

920. *Porta æmulationis.*

Supra portam Ramæ, ex duplici parte:

Iuſſit vt ædificarentur hæc mœnia benedicta Rex maximus, & Princeps honorabilis, Gentium dominator, Græcorum, Arabum, & Perſarum, Rex Solimannus, Selimi Regis filius (protegat & defendat Deus Regnum & principatum eius) menſe primo Ianuarij ex menſibus anni nongenteſimi & quadrageſimi quarti Agirata, & pax ſit illius auctoribus.

Supra portam Damaſcenam:

944. *Porta profundi.*

Supra portam ſacri montis Sion:

Primo vere anno 947.

Porta Sion.

In porta Sterquilinia:

Porta conflictus decimo menſe prohibitionis (id eſt, menſe Septembri) *anno 947.*

Vincentius Beluacenſis in ſuo Speculo Hiſtoriali, vbi aliqua dicit de locis ſanctis Palæſtinæ, lib. 31. cap. 64. loquens de Ieruſalem ſic ait: *Ante Portam Ieruſalem quæ eſt ad Auſtrum, iuxta lacum eſt cauea, quæ dicitur Leonis Carnerij; quia temporè Coſdroë, ibi Leo repoſuit duodecim corpora Martyrum.*

Hìc inſerenda noua Ieroſolyma imago.

CA-

Digitized by Google

NOVÆ IEROSOLYMÆ ET LOCORVM CIR

Notæ nominũ locorum quæ ob iniquæ antiquitatis iniuriam non potuerunt.

Notantur primò Sanctæ Civitatis, deinde Montis Sion, ac deinceps quæ circa

1 Templum Salomonis.
2 Platea Templi.
3 Templi Præsentationis B.M.
4 Palatium Patriarchale.
5 Hospitale Turcarum.
6 Forum rerum venalium.
7 Probatica Piscina.
8 Ecclesia S. Annæ.
9 Turris Antonia.
10 Ecclesia flagellationis.
11 Palatium Herodis.
12 Palatiũ Pilati, et initium via Crucis.
13 Arcus Pilati.
14 Templum Spasmi B.M.V.
15 Vbi Mulieres flebant, Christus sub Cruce cecidit, et Simon fuit angariatus.
16 Domus Annæ epulatus.
17 Domus S. Veronicæ.
18 Porta Iudiciaria.
19 Mons Calvariæ.
20 Sepulchrum Christi.
21 Platea Eccle Rotũ. Dñi.
22 Campanile Ecclesiæ.
23 Turris et carcer Turcarũ.
24 Ecclesia S. Michaelis Græcorum.
25 Eccl. S. Salvatoris Minori.
26 Castellum Piscinæ et Turris Dauid.
27 Piscina inferior.
28 Carcer S. Petri.
29 Ecclesia Sanctæ Thomæ.
30 Porta ferrea.
31 Domus trium Mariarum
32 Domus Mariæ Matris Ioannis Marci.
33 Eccla S. Io. Euangelis.
34 Eccla S. Iacobi.
35 Domus Annæ Pontif.
36 Porta Iopen.
37 P. Damascen.
38 P. Herodis
39 P. S. Stephani.
40 P. Aurea.
41 P. Sterquilinij.
42 P. Montis Sion.
43 Mons Sion.
44 Vbi Cherubi cessarus fuit, et S. Spiritus descendit.
45 Vbi S. Io. Euangelista celebrabat eorum B.V.M.
46 Vbi cecidit sors sup. Matth.
47 Vbi domus fuit Apostolõ.
48 Vbi Deipara obiit.
49 Palatium Caiphæ Pont.
50 Sepulchra Christianorũ.
51 Vbi Hebræi exercere voluerũt Deipare corpus dum

CVMIACENTIVM ACCVRATA IMAGO.

51 Vbi S. Petrus amare flevit.
53 Torrens Cedron.
54 Gethsemani villa.
55 Vestigia pedum Christi.
56 Pons Cedron.
57 Vallis Iosaphat.
58 Vbi Christus octo Apostolos reliquit.
59 Vbi X.ti 3. Apostolos reliquit.
60 Antrum orationis Christi.
61 Vbi Christus fuit captus.
62 Vbi S. Stephi fuit lapidatus.
63 Pons alius Cedron.
64 Ecclia Sepulchri S.V.M.
65 Vbi Degener orabat pro S. Stephano dū lapidaretur.
66 Vbi S. Tho. accep. M.V cinc.
67 Ecclia Beatæ Mariæ V.
68 Natatoria Siloe.
69 Vbi Isaias sectus fuit.
70 Isaiæ Sepulchrum.
71 Latibula Apostolorum.
72 Ager Sanguinis.
73 Sepulchrum Iosaphat.
74 Sepulchrum Absalon.
75 Antrum S. Iacobi.
76 Sepulchrum Zachariæ.
77 Silve Valles et Villa.
78 Sepulchra Hebræorum.
79 Vbi Iudas se suspendit.
80 Mons offensionis.
81 Puteus Ignis.
82 Ficus maledicta.
83 Bethania.
84 Castellum Arme
85 Bethphage Villa.
86 Vbi Christus ascendit in Celū.
87 Monasterium Turcarum.
88 Antrum S. Pelagiæ.
89 Vbi Christus predixit ruinam.
90 Antra Prophetarum.
91 Vbi Christus orare docuit.
92 Vbi Apostoli composuerunt Credo, etc.
93 Vbi Christus flevit super Civitatem.
94 Vbi Degener fuit ab Angelo deiectus et tronitus admonitus.
95 Locus Viri Galilei.
96 Antrum Ieremiæ.
97 Sepulchra Regia.
98 Monumentum Helenæ Adiabenorum Reginæ.
99 Piscinæ Gihon.
100 Piscina Bersabee.
101 Mons malè consilij.
102 Turres S. Simeonis.
103 Terebinthus S. M. V.
104 Cisterna Regum.
105 Imago Eliæ regi impressa.
106 Monaster. S. Elie.
107 Sacellum Habacuc.
108 Turris Iacob.
109 Sepulchrum Rachel.
110 Cisterna Danid.
111 Bethlehem.
112 Montana Iudeæ.
113 Vbi Xpus se discipl. Emmaus.
114 Emmaus Castellum.
115 Sacellum Samuel.

Google

Digitized by Google

CAPVT XXI.

Ad quam tribum pertinuerit Ieruſalem, & à quibus gentibus antiquitus habitata fuerit.

SEd ad quos antiquitus pertinuit Ieruſalem, à quibus item gentibus fuit habitata & cui ex duodecim tribubus aſſignata fuit? Si quæratur de tempore antequam filij Iſraël terram hanc Patribus ſuis promiſſam ingrederentur, dicimus, iure pertinuiſſe ad Iebuſæos & Chananæos, ſicut & totam terram promiſſionis, eoſque in ea habitaſſe, quoad à filijs Iſrael expulſi fuerunt, vt ex pluribus ſacræ Scripturæ locis manifeſtè colligitur, & nos Lib. 1. Cap. x. oſtendimus. Si verò loquamur de tempore illo ex quo è Terra ſancta expulſi Chananæi, eam occupauerunt Iſraëlitæ, & inter eos per tribus totius Terræ diſtributio facta eſt per Ioſue, etſi non ſtatim poſſeſſa, dico, non ad vnicam tribum pertinuiſſe, ſed ad plures; nec ab vnica tribu, ſed à pluribus fuiſſe habitatam.

Ad tribum Iuda & Beniamin Ieruſalem pertinuit, & Leuitas eadē habitauit.

Ex Scriptura diuina habemus, ſingulariter ad tribum Iuda & Beniamin pertinuiſſe, à cuius tamen habitatione tribus Leuitica & Sacerdotalis non fuit excluſa. Cùm enim in ea eſſet templum & altare Domini, non erant ab illa arcendi qui templo & altari ſeruirent; quare non tantùm Regia ſed etiam Sacerdotalis & Leuitica ciuitas appellata fuit; in cuius ſignum eius fundator Melchiſedech non ſolùm Rex fuit Ieruſalem, ſed etiam Sacerdos Dei altiſſimi, vt ſuprà dictum fuit, dum de ſanctæ ciuitatis conditore loqueremur.

Quòd pertinuerit ad Iuda, patet ex libro Ioſue, vbi hæc habentur: *Iebuſæum autem habitatorem Ieruſalem non potuerunt filij Iuda delere, habitauitq; Iebuſæus cum filiis Iudæ in Ieruſalem vſque in præſentem diem*, Ioſ. 15, 63. Hebraicè pro *non potuerunt filij Iuda delere*, eſt, *non potuerunt filij Iuda hereditare*, quaſi ad eos pertineret: Iebuſæi enim ob ſua peccata inde erant per diuinam vindictam expellendi, & in poſſeſſionem eius filij Iuda mittendi. Et in dictis verbis aduerte, per *filios Iuda* non eſſe intelligendos omnes vniuerſim Iſraëlitas, & quotquot ex Iſraël traxerunt originem, vt aliàs frequenter fit; ſed ſingulariter eos qui oriundi erant ex Iuda quarto genito Iacob, & vnius tribus capite & Patriarcha; de his enim, vt ab aliis tribubus diſtinguuntur, agitur in illo capite.

Quòd etiã partim pertinuerit ad tribum Beniamin, liquet ex eodem Ioſue, vbi ſequentia leguntur: *Hæc eſt poſſeſſio filiorum Beniamin, &c. Fuerunt q. ciuitates eius, Iericho, &c. & Iebus, quæ eſt Ieruſalem*, Ioſ. 18, 20. Dicunt autem aliqui, montem Sion, ſiue ciuitatem ſuperiorem ad Iudã, ſed inferiorem ad Beniamin pertinuiſſe. Addunt alij, non tantùm in Sion, ſed etiam in filia Sion partem habuiſſe, eò quòd Templum in hac ædificatũ partim ad Iuda & partim ad Beniamin pertineret: ad Beniamin pertinuiſſe partem illam in qua erat altare, ſuper quod immolabantur hoſtiæ, quod vaticinatus fuerat Iacob, dicens: *Beniamin lupus rapax, manè comedet prædam, & veſpere diuidet ſpolia*, Gen. 49, 27. quæ verba, teſte D. Hieronymo lib. de Quæſt. Hebra. Hebræi ſic interpretantur, vt altare in quo immolabantur hoſtiæ, pertineret ad partem Beniamin. Hoc ergo, inquiunt, ſignificat, quòd Sacerdotes manè immolarent hoſtias, & ad veſperam diuiderent ea quæ ſibi à populo ex lege collata erant. Quorum interpretationi fauet Chaldæus Paraphraſtes, apud quem ſic eſt in eo loco: *Beniamin, in terra eius quieſcet præſentia Diuinitatis, & in poſſeſſione eius ædificabitur ſanctuarium. Manè & veſperi offerent Sacerdotes oblationes, & in tempore veſpertino dividēt reſiduum portionum ſuarum, de reliquis quæ ſanctificata ſunt.* Sic ille.

Præſentiam autem *diuinitatis* appellat Chaldæus Aream fœderis, eique impoſitum propitiatorium, vbi quaſi reſidens Deus, edendis oraculis reddendiſque reſponſis præſentiam ſuam declarabat: & illa poſita fuit in templo Heroſolymitano, quod in illius ſorte ædificauit Salomon. Verùm ita ædificauit ſapientiſſimus Rex, vt ex parte etiam in ſorte tribus Iudæ eſſet. Dicitur enim, quòd ea pars Templi, quæ Sanctum ſanctorum nominabatur, ſic conſtructa fuerit, vt dimidium illius eſſet in terra Beniamin, dimidium in terra Iuda, ac proinde dimidium Arcæ, & vnus ex Cherubinis qui erant ſuper eam, & alter eorum qui ex oliuarum materia fabrefactus erat à Salomone in Sancto ſanctorum, erant in ſorte Beniamin, alij autem duo, ſcilicet qui erant in Arca & in Sancto ſanctorum, in ſorte Iudæ. Hinc factum vt Reges Ieruſalem ex his duabus tribubus aſſumpti fuerint, & primò ex Beniamin Saul, qui quoniam propter peccata ſua Regno priuari meruit, illud ad tribum Iuda tranſlatum fuit, ex qua primò Dauid electus, qui cepit arcem Sion, & tota denique ciuitate Ieruſalem potitus fuit. Cui deinde ſucceſſit filius eius Salomon, & alij ordine Reges, qui regimẽ Ieruſalem tenuerunt. Et ex dictis, & ex his quæ in ſecundis Regum, Paralipomenon Eſdræque libris leguntur, conſtat, quòd Leuitica tribus partem habuerit in Ieruſalem, quoniam ex ea

Arca fœderis præſentia diuinitatis appellata.

miniſtri Templi aſſumebantur. Et præcipuè id contigit poſt reditum ex Babylonica captiuitate, & ciuitatis reſtaurationem, vt ex Nehemiæ capite 11. videri poteſt; ex quo nimirum colligit Beda, quòd iuxta fidem ſacræ Hiſtoriæ non alij eſſent, qui in Ieruſalem habitaſſe dicuntur, quàm de tribu Iuda, & Beniamin, & Leui: tribus namque Beniamin antiquitus in Ieruſalem manebat, quoniam huic ciuitas iſta ſorte prouenit; tribus autem Iuda illuc intrauit à temporibus Dauid, cùm eam totius Iſraëlitici populi & Regni metropolim fecit; quibus & tribus Leui addita eſt, ex quo illuc Arca teſtamenti introducta eſt, & altare ac Templum Dei ibidem conſtructum. Qui verò de decem tribubus redierunt, in vrbibus quique ſuis habitauerunt, in quibus etiam Sacerdotes & Leuitæ, qui cum illis manere maluerant, decretam ſibi nihilominus ex lege portionem tenebant. Hæc ex Beda.

Temporis ſucceſſu ex omnibus tribubus aliqui in Ieruſalem habitarunt.

Verum poſteà plures alios in Ieruſalem ex alijs tribubus habitaſſe, admodum credibile eſt. Et probari poteſt ex initio Epiſtolæ Catholicæ B Iacobi Apoſtoli, vbi dicitur, eam fuiſſe directam ad duodecim tribus quæ erant in diſperſione. ſic enim ibi habetur: *Iacobus Dei & Domini noſtri Ieſu Chriſti ſeruus, duodecim tribubus quæ ſunt in diſperſione ſalutem*, Iacob. 1, 1. Non intellexit de illis tribubus, quæ vſque hodie dicuntur eſſe vltra Euphratem, vt perperàm aliqui arbitrati fuere; illæ enim tantùm decem eſſe perhibentur: ſed intellexit de illis, qui de ſingulis duodecim tribubus poſt Babylonicam captiuitatem reuerſi fuerunt in Iudæá, & Chriſti temporibus habitabant in Ieruſalem, qui propter ſuſceptam Chriſti fidem (quemadmodum exponit Venerabilis Beda) à contribulibus ſuis eiecti fuerant de Ieruſalem, & diſperſi per regiones Iudææ & Samariæ, in prima infidelium perſecutione, cuius fit mentio Actor. 8. ſicque patet, aliquos ex omnibus tribubus tunc habitaſſe in Ieruſalem. Lege de his Villalpandum Tomo 3. Apparatus lib. 1. cap. 15. & 16. & lib. 2. cap. 22.

CAPVT XXII.

De Regibus & Principibus qui regnauerunt in Ieruſalem ab eius exordio vſque ad Babylonicam populi Iudaici captiuitatem.

Ieruſalem à Regibus extructa, & habitata.

INclyta & illuſtris noſtra Ieruſalem, quàm tum ex ſacris & profanis litteris coniectari licet, Regia ciuitas fuit à ſui exordio, à temporalibus ſcilicet & ſpiritualibus Principibus fundata, ampliata & reſtaurata, vt ſuprà Cap. XIII. dum de illius conditoribus agebamus, notauimus. Ita à ſimilis conditionis & dignitatis viris fuit poſteà inhabitata & gubernata vſque ad ſupremi Regis Chriſti Domini in terris aduentum, etſi non ſemel nonnulli à propria fuerint ſede eiecti, in captiuitatem pulſi & interfecti, & ipſa ciuitas vaſtata & deſolata.

Fuerunt verò, qui eius gubernacula ſuſceperunt, Reges & Principes, Gentiles & Iudæi, Eccleſiaſtici & ſæculares, boni ac mali, tam ante ingreſſum filiorum Iſraël in terram Chanaan, quàm poſt ingreſſum, ex quibus multùm eius excellentia & dignitas commendatur.

Duo Reges Ieruſalē nominati ante ingreſſū Iudæorum in Terram ſanctam, Melchiſedech & Adonſedec, Chananæi.

Ante ingreſſum, duos inuenio Reges in ſacra Scriptura proprijs nominibus appellatos, etſi dubitandum non ſit, plures alios extitiſſe, & multo elapſo tempore à fundatione Ieruſalem, vſque ad ingreſſum filiorum Iſrael in terram Patribus repromiſſam, & priùs quàm ex Iudæis aliquis in ea Regni gubernacula tenuerit, etſi illorum diſtinctam & peculiarem mentionem Scriptura non faciat.

Primus Rex Ieruſalem fuit Melchiſedech Gentilis, genere Chananæus, vt in ſuperioribus vidimus, qui non ſolùm fuit Rex, ſed etiam Sacerdos, ex Geneſi & D. Paulo.

Secundus proprio nomine appellatus fuit Adoniſedec, qui apud Ioſue Rex Ieruſalem appellatur, qui poſt ingreſſum filiorum Iſraël in terram Chanaan fuit à Ioſue interfectus, etſi ciuitatem non ceperit, Ioſue 10, 23. 12, 10. 15, 63. Præter hos, qui regnauerint, ſiue poſt Melchiſedech vſque ad Adoniſedec, ſiue ab Adoniſedec vſque ad Dauidem primum illius Regem ex gente Hebræa, neminem proprio appellatū nomine inuenio.

Aduerto tamen hic S. Hieronymum, ſiue Euſebium de locis Hebraicis, v. *Ieruſalem* dicere, in Ieruſalem regnaſſe Adonibezech ante Iebuſæos. Sed à viris doctis creditur eſſe mendum vel lapſum memoriæ. Nam Adonibezech regnauit in Bezech, vt citatus Hieronymus adnotauit in v. *Bezech*, ſed adductus fuit in Ieruſalem, ibique mortuus. Quare pro Adonibezech, videtur legendum Adoniſedech.

Omitto Iudices, qui ante Dauidem rexerunt Iſraëlitas, quia non regnarunt in Ieruſalem, vt ex Ioſue patet; & Saulem, qui licet regnauerit apud Iudæos annis viginti, & fuerit primus qui Regis nomen apud eos tenuerit, numquam tamen expugnare potuit Iebuſæum, & Heroſolymæ poſſeſſionem ſibi comparare. Quare his omiſſis, agemus de illis, qui non ſolùm imperarunt Iſraëlitis, ſed etiam in Ieruſalem, & ante Regni

gni diuiſionem, vſque ad Babylonicam captiuitatem; & de his qui poſt reditum ab ea in patrium, ſolum tenuerunt in eadem principatum vſque ad Chriſtum.

Primus Rex Ieruſalem ex Iudæis fuit Dauid, regnauit annis 40.

Primus itaque Rex Ieruſalem ex Iudæis aſſumptus poſt illorum aduentum in terram Chanaan, fuit pijſſimus ac ſanctiſſimus Dauid, vir ſecundùm cor Dei, ab eodem ex opilione mutatus in Regem populi ſui. Hic enim poſtquam tertiò iam vnctus fuiſſet in Regem ſuper vniuerſum populum Iſraël, abiit cum omni exercitu ſuo verſus Ieruſalem, quæ dicebatur Iebus, & cœpit oppugnare arcem Sion, de qua ipſi Iebuſæi nec tempore Ioſue nec poſt obitum eius expelli vmquam potuerant, quippe quæ natura & arte munitiſſima erat. Quamobrem iidem Iebuſæi exiſtimantes eam eſſe omnino inexpugnabilem, vt irriderent conatus Dauidis, ſtatuerunt ſupra muros arcis aliquot cæcos & claudos, quaſi aliis defenſoribus arx non egeret, & quaſi vel hi ſoli reſiſtere poſſent Dauidi: ideoque ſubſannando dicebant Dauidi: *Non ingredieris huc, niſi abſtuleris cæcos & claudos*, 2. Regum 5,6. Tantum verò aberat, vt Dauid propterea à cœpto opere deſtiterit, vt potiùs heroica obſtinatione animum obfirmauerit, & in caſtris ſuis edictum propoſuerit, dicens: *Qui primus aſcenderit, & primus percuſſerit Iebuſæum, erit Princeps & Dux*, 1. Paralip. 11,6. Cùm itaque primus aſcendiſſet, ceteriſque aditum aperuiſſet Ioab, qui hactenus fuerat Princeps militum è tribu Iuda, factus fuit deinde totius exercitus Iſraëlitici Archiſtrategus. Capta igitur arce, atque expulſis inde & è tota regione Iebuſæis, cœpit Dauid habitare in ea, eamque ampliare, ædificatis muris & turribus ab vno angulo magnæ cuiuſdam voraginis Mello nuncupatæ, per gyrum vſque ad alium angulum ipſius, intra quem ambitum Ioab de mandato Regis reliqua poſtmodum vrbis ædificia conſtrui curauit: & idcircò illa deinceps ciuitas dicta eſt *ciuitas Dauid*. Atque exinde vſque ad initia Regni Roboam filij Salomonis, ſedes Regni totius populi Iſraëlitici permanſit in Ieruſalem, & Dauid primus Rex Ieroſolymitanus regnauit ibi annis triginta tribus. Hæc tum alibi, tum præcipuè 2. Reg. capite 5. leguntur. In vniuerſum tamen regnauit Dauid annis circiter quadraginta; ſeptem in Hebron, & triginta tribus in Ieruſalem.

Sion capitur à Dauid, & Regni ſedes conſtituitur.

Secundus Rex Salomon, annis 40.

Secundus Rex Ieruſalem, qui Dauidi in Regno ſucceſſit, fuit filius eius Salomon, vir ſapientiſſimus, & initio Regni ſui Deo acceptiſſimus, cuius opera vti voluit Deus in ſui templi ædificatione, qui & per multos annos ſumma cum laude apud Deum & homines regnauit: at factus ſenex (ô hominum fragilitas & inconſtantia!) ſiuit deprauari cor ſuum per mulieres, & ſecutus eſt deos Gentium, & receſſit à Deo ſalutari ſuo, vt ſacra Scriptura docet. An verò pœnitentiam egerit, & ad Deum redierit in fine vitæ ſuæ, in ea non inuento. Regnauit annis quadraginta, & mortuus, ſepultus eſt in ciuitate Dauid. Regnarunt hi duo Reges ſuper totum Iſraëlem, non item qui poſt eos ſecuti fuere.

Tertius Roboam, annis 17.

Tertius Rex Ieruſalem, qui Salomoni ſucceſſit, fuit eius filius Roboam, & decem & ſeptem annis regnauit in eadem vrbe. Sub iſto Rege, ob eius inſipientiam, auguſtiſſimum Iudæorum Regnum duodecim tribuum, diuiſum eſt in duas partes, in eam quæ Roboam & domui Dauid adhæſit, ſub qua fuerunt duæ tribus Iuda & Beniamin, & hoc regnũ aliquando *Regnum Iuda*, aliquando *Beniamin* dicebatur: & in eam quæ ſecuta eſt Ieroboam, cui ſubfuerunt reliquæ decem tribus, quarum regnũ, *decem tribuum* & *Iſraël* nuncupabatur. Facta Regni Iudæorum diuiſione, numerari cœperunt cum Regibus Iuda etiam Reges Iſraël, adeoque vt Roboam fuit tertius Rex Ieruſalem, & primus duarum tantùm tribuum; ita Ieroboam Ephraimita, olim ſeruus Salomonis, impius idololatra, fuit primus Rex Iſraël & decem tribuum, à quo incipiunt numerari Reges Iſraël. Rem pluribus deſcriptam habes 3. Reg. 12, 28. & 2. Paral. 10. & 11,15. Nos nec de Ieroboam nec de Regibus Iſraël ſermonem faciemus, ſed dumtaxat eos qui in Iuda & Ieruſalem regnauerunt, recenſebimus.

Sub Roboã diuiditur Regnum in duas partes, in Iuda & Iſraël.

Vt ad Roboam igitur Ieruſalem Regẽ reuertamur, hic tribus annis piè rectèque vixit, quarto verò anno Regni ſui, contra præceptum Domini, plures cœpit habere vxores, à fide vera defecit, & cum populo ſacrilego & idololatra in excelſis & collibus ſtatuit aras, & ſtatuas, & lucos, in quibus committebantur ſcortationes, aliæque turpiſſimæ abominationes Gentium fiebant. Quare venit contra eum Seſac Rex Ægypti, & captis ciuitatibus Iuda, obſidet Ieruſalem. Verùm quia ipſe cum Principibus obſeſſis culpam ſuam agnouit, & humiliter veniam petijt, audiuit à Deo per Semeiam Prophetam, Ie & Principes ſuos propter ſuam humilitatem non diſperdendos eſſe penitus, verumtamen ſeruituros Ægyptiis, vt intelligant quid interſit inter ſeruitutem Dei & ſeruitutem ſub iugo tyrannico, 3. Reg. 14, 29. & 2. Paral. 12, 2. Et ecce tum domina Gentium, princeps prouinciarum, facta eſt ſub tributo, propter malitiam habitantium in ea.

Roboam Deum deſerit.

Poſt

Digitized by Google

Quartus Abia, annis 3.

Post mortem impij Roboam regnauit super Iudam Abia filius eius tribus annis, qui & ipse, patris vestigia secutus, nullo non peccati genere irritauit Dominum, fuitque quartus Rex Ierusalem, 3. Reg. 15, 1. & 2. Paral. 13, 1.

Quintus Asa, annis 41.

Scelesto Abiæ in Ierosolymitano quidem Principatu, non tamen in impietate, successit Asa filius eius. Hic sub regni exordium legem Domini fideliter excoluit, velut & Dauid proauus ipsius, vniuersas item idolorum statuas, aras, fana, & excelsa destruxit, confregit, combussit, atque ideò annis aliquot pacificè & in quiete regnauit, 3. Reg. 15, 11. & 2. Paralip. 14, 1. & 15, 2. Sed postea à Domino defecit, confisus in virtute humana, nec vllis reprehensionibus permoueri potuit vt ad Deum se conuerteret: ideoque impœnitens, cùm anno vno supra quadraginta regnasset in Ierusalem, mortuus est, vt habetur proximè citatis locis, & 2. Paralip. 16, 7. & fuit quintus Rex Ierusalem.

Nota, in Scriptura frequenter eos dici facere rectum, qui fidem non amiserunt, & idola non coluerunt, etsi aliàs mali.

Sextus Iosaphat, annis 25.

Sextus Rex Ierusalem fuit Iosaphat Asæ filius, qui pietatem cordi habuit, velut Dauid & Asa pater suus, abstulitque idololatriam; quare à Deo diuitijs & longæuitate donatus, postquam annis viginti quinque regnasset, obdormiuit in Domino, 3. Regum 22, 42. & 2. Paral. 17, 1.

Septimus Ioram, annis 8.

Defuncto Iosaphat successit Ioram filius eius. Hic fuit homo crudelissimus, & persuasione vxoris suæ Athaliæ, filiæ Achab Regis Israël, pietatem deseruit, Achabi socer sui impietatem imitatus, idola fabricauit & veneratus est, & populũ eadem adorare compulit; denique omnes fratres suos cum Principibus quibusdam interfecit. Hic cùm octo annis regnasset, miserè interiit, & sine regio cultu sepultus fuit, 4. Reg. 8, 16. & 2. Paralip. 21, 1.

Octauus Ochozias, anno 1.

Octauus Rex Ierusalem fuit Ochozias, & regnauit anno vno super Iudam post Ioram patrem suum. Hic Athaliæ matris suæ impulsu eamdem impietatis insistit viam, idcoque debitas sceleris sui pœnas luens, in bello vulneratus vitam finiuit, 4. Reg. 8, 24. 9, 27. & 2. Paralip. 22, 1.

Athalia, femine regio interfecto, suo loco Regnũ occupauit, annis 6.

Post mortem Ochoziæ, Athalia mater eius, occupato Regno Iudæ, interfecit omnem stirpem regiam quæ remanserat, intelligè masculinam, excepto Ioas Ochoziæ filio infantulo, quem Iosabeth (quæ & Iosaba) soror Ochoziæ, & vxor Ioiadæ Pontificis, clàm sublatum abscondit cum nutrice sua, occultumque tenuit in domo Dei sex annis, quot nimirum regnauit Athalia in Ierusalem, vt patet 4. Reg. 11, 3. & 2. Paralip. 22, 12. Meritò mulier hæc impia & crudelis fuerat omittenda; quoniam Tyranni potiùs quàm Regis meretur nomen, quia dolo & vi sibi dominium vsurpauit: numerauimus tamen inter Reges, quoniam vt Rex principatum tenuit, & inter Reges in Scriptura & apud alios numeratur. Et regnauit post Ochoziæ mortem sex annis, & tandem miserè interiit, vt statim dicemus.

Decimus Ioas, annis 40.

Decimus qui de tribu Iuda & familia Dauid regnauit in Ierusalem, fuit Ioas Ochoziæ filius, qui cùm eo, quo dictum est, modo mortem euasisset, sic ad regnum peruenit. Cùm octauum annum ageret, Ioiada Pontifex clàm fœdus iniit cum Centurionibus & militibus in domo Domini, iisque in partem suam pertractis, & in paruuli iusiurandum adactis, ipsum Ioam septennem in Regem vnxit, quæ res populo gratissima fuit, vt propterea manuum plausu nouello Regi acclamauerit: *Viuat Rex.* Athalia hoc audito illicò ad templum se contulit, vt rẽ hanc sua auctoritate impediret: sed milites, iubente Ioiada, extruserunt eam extra templum, & infami cæde occiderunt; sicq; cultus idolorum amotus, & verus Dei cultus restitutus, & templum ipsum instauratum fuit. Postea verò idem Rex Deo ingratus, veram religionem & cultum Dei abdicauit, à Principibus suis se instar Dei adorari permisit, & sculptilibus diuinos honores detulit: & quamuis à Prophetis propterea reprehenderetur, nihilo factus melior, in impietate perstitit, imò ægrè ferens se ab illis corripi, seruos Dei, qui ad hoc missi à Zacharia filio Ioiadæ fuerant, nullo non ludibrij genere diuexauit, & Zachariam ipsum à populo lapidari iussit. Cuius sanguis cùm clamaret contra eum ad Dominum, exaudiuit vocem eius Dominus: quare contra Iudæos venit Azaël Rex Syriæ, qui debellauit Iudæos, Regemq; ignominia multa affecit: quem denique in lectulo suo serui eius occiderunt, postquam quadraginta annis regnasset, 4. Reg. 12, 21. & 2. Paralip. 24, 25.

Athalia Regno & vita priuatur.

Iussu Regis Zacharias lapidatur.

Vndecimus Amasias, annis 29.

Vndecimus Rex Ierusalem fuit Amasias, qui regnauit annis viginti nouem. Hic non ambulauit perfecto corde coram Deo, sed idola Idumæorum, quos in bello vicerat, coluit: & de obtenta victoria in superbiam elatus, bellum mouit Ioæ Regi Israël, sed iusto Dei iudicio superatur, capitur, & ducitur in Ierusalem. Tandem facta coniuratione Ierosolymis contra eum, fugit in Lachis, ibique à suis occiditur, 4. Reg. 14, 19. & 2. Paralip. 25, 27.

Duodecimus Ozias, annis 52.

Post Amasiam regnauit illius filius Ozias, qui & Azarias & Mathat dictus est, fecit bonum vt Amasias pater suus (intellige in principio Regni sui; manserat enim Amasias in cultu veri Dei quousque prælio deuicisset

ciſſet Idumæos, idolaq; eorum coluiſſet: & pro illo tempore prior Ozias fuit ſimilis Amaſię, faciens rectum coram Domino ſicut ille, vt dicunt Lyranus & Abulenſis in 4. Regum cap. 15.) ſed excelſa non abſtulit. Quinimò delinquens contra legis cæremonias, volenſque incenſum offerre, cùm non eſſet Sacerdos, lepra à Domino percuſſus, leproſus tandem, poſtquam quinquaginta duobus annis regnaſſet, mortuus eſt. Ita loco proximè citato Regum, & 2. Paral. 26.

XIII. *Rex Ioathan, annis 16.* Tertius decimus Rex Ieruſalem fuit Ioathan, qui & Iorim, Oziæ filius, qui ſedem Regni tenuit poſt mortem patris ſui annis ſedecim. Fecit rectum quidem vt pater, at excelſa non deſtruxit, 4. Reg. 15, & 2. Paralip. 2.

XIV. *Rex Achaz, annis 16.* Poſt mortem Ioathan, regnauit quartus decimus Rex Ieruſalem illius filius Achaz, qui & Eliezer, & annis ſedecim Regno præfuit. impiiſſimus fuit & ſceleſtiſſimus; ambulauit enim in vijs Regum Iſraël, ſtatuas Baal erexit, idolis ſacrificauit, & proprium filium ſuum in holocauſtum idolo Moloch in valle Behennon obtulit; multis tandem impietatibus inuolutus, mortuus ad inferna deſcendit, 4. Reg. 16. & 2. Paral. 28.

XV. *Rex Ezechias, annis 29.* Quintus decimus Rex Ieruſalem fuit Ezechias, qui & Ieſus, filius Achaz, at non vt ipſe impius, ſed vt Dauid pius & ſanctus. Templum Domini ipſe aperuit & purgauit, idolaque deſtruxit. Ideò pluribus à Deo cumulatus beneficiis, cùm annis viginti nouem regnaſſet, obiit in pace, 4. Reg. 18. & 2. Paral. 28. & 29.

XVI. *Rex Manaſſes, annis 55.* Poſt Ezechiæ obitum, qui decimoſexto loco tenuit Regni gubernacula in Ieruſalem, fuit eius filius Manaſſes, ſed in moribus multùm patri diſſimilis: idololatra enim fuit, Solem, Lunam & ſtellas adorauit, & idolis varia delubra extruxit, Prophetas ſe increpantes occidit, & inter eos Iſaiam ſerra per medium ſecauit. Ob quæ & alia execranda ſcelera miſit Dominus Principes Regis Aſſyriorum, qui Manaſſem ceperunt, vinctumque catenis & compedibus duxerunt in Babylonem, vbi in carcere ad Deum conuerſus, egit pœnitentiam, orauit Dominum, exauditus fuit, ac poſt decem annos à Domino Ieroſolymam reductus, Regnoque reſtitutus, idola & aras abſtulit, altare ad cultum Dei reſtaurauit, Deo ſeruiuit, & vt idem faceret populus præcepit. Qui poſtquam quinquaginta quinque annis regnaſſet, mortuus eſt, 4. Reg. 21. & 2. Paralip. 33.

XVII. *Rex Amon, annis 2.* Mortuo Manaſſe in Regno ſucceſſit Amon, qui & Helmadan, filius Manaſſe. Hic quidem coluit idola vt pater, ſed non vt pater fecit pœnitentiam: quare in ſuis ſceleribus perſeuerans vſque ad finem vitæ ſuæ, poſtquam ſedem Regni duobus annis Ieroſolymis tenuiſſet, à ſeruis ſuis occiſus occubuit. Et hic fuit decimus ſeptimus Rex Ieruſalem, 4. Reg. 21. & 2. Paral. 33.

XVIII. *Rex Ioſiæ, annis 31.* Amon interfecto, Ioſias, qui & Coſan, filius eius octennis, Rex Ieruſalem à Domino conſtituitur. Hic adhuc puer cœpit quærere Dominum, deſtruxit idola, verum Dei cultum reduxit, & multa laude digna operatus fuit. Anno trigeſimoprimo & vltimo Regni eius, cùm Nechao Rex Ægypti contra Regem Aſſyriorum in bellum proficiſceretur, volebat Ioſias illius tranſitum per Iudæam impedire, quod facere non debuit, propter ſermonem Domini; ideoque contra ipſum aciem educens, in campo Mageddo à ſagittarijs vulneratur, & in Ieruſalem delatus moritur, luxitque eum omnis populus, & in primis Ieremias. Hæc pluribus habentur, 4. Reg. 22. & 23. & 2. Paralipom. 34. & 35.

XIX. *Rex Ioachaz, menſibus 3.* Decimus nonus Rex Ieruſalem fuit Ioachaz, quem Ieremias cap. 22, 11. Sallum appellauit, quo etiam nomine appellari videtur 2. Paral. 3, 15. Ioſiæ piiſſimi impiiſſimus filius: qui cùm tribus menſibus regnaſſet crudeliter, ſecutus prædeceſſorum impietatem, venit Nechao, potitus victoria de Rege Aſſyriorum, in Ieruſalem, & Ioachaz vinctum mittit in Ægyptum, vbi & è vita deceſſit; & tributo Iudæis impoſito, fratrem eius Eliachim natu maiorem, qui

XX. *Rex Eliachim, qui & Ioakim, annis 11.* & Iechonias, Regem conſtituit, & mutato nomine Ioakim vocari præcepit, qui & fuit vigeſimus Rex Ieruſalem, & cùm in ea annis vndecim regnaſſet, vitam cum morte commutauit, 4. Reg. 23. & 2. Paralip. 36. Anno tamen tertio Regni Ioakim, in Iudæam venit Nabuchodonoſor Rex Babylonis, & obſedit Ieruſalem, captumque Regem cum multis nobilibus duxit in Babyloniam. Hoc tempore incepiſſe captiuitatem Babylonicam, aliqui arbitrantur. Alij tamen malunt paulò pòſt incepiſſe, quando multò plures captiui abducti fuerunt quàm modò. Hæc cùm Nechao Ægypti Rex reſciuiſſet, & quòd Nabuchodonoſor vectigales ſibi Iudæos abduxiſſet in Babyloniam, magna Ægyptiorum aliorumque militum multitudine venit contra Nabuchodonoſor: ſed in prælio interficitur, exercituſque illius profligatur, & Ioakim Regno ſuo reſtitutus, fit tributarius Nabuchodonoſor, eique ſub tributo ſeruit. A quo poſt aliquot annos deficiens, fiſus auxilio Ægyptiorum, venit Nabuchodonoſor Ieroſolymam, & vndecimo Regni ſui interfectus fuit Ioakim, 4. Reg. 24. & 2. Paralip. 36.

Poſt

Digitized by Google

XXI. Rex Ioachim, mensibus 3.

Post mortem Ioakim eius filius Ioachim, qui & Iechonias, constitutus fuit Rex Ierusalem, vt dicitur 4. Reg. 24, 26. & 2. Paralip. 36, 8. & tribus mensibus & decem diebus regnauit in Ierusalem, & fuit vigesimus primus Rex. Fecit malum in conspectu Domini; quare eius exigentibus demeritis, venit contra eum Nabuchodonosor, & captiuum cum matre & aliis duxit in Babylonem.

XXII. Rex Sedecias, annis 11.

Pro Ioachim suffecit Nabuchodonosor Regem Ierusalem Sedeciam patruum Ioachim, qui vndecim annis regnauit, vt proximè citatis locis dicitur, & fuit vigesimus secundus Rex Ierusalem. Qui cùm & ipse posteà defeciſſet, venit contra eum Nabuchodonosor, & de ipso, de ciuitate & alijs pœnas sumpsit. Et tunc facta est vidua domina Gentium, & septuaginta annis vidua, imò captiua in Babylone mansit. Et hæc est summa illorum, qui à Dauid Rege regnarunt in Ierusalem, vsque ad Babylonicam captiuitatem, & liberationem ex ea. Cuius seriem breuiter hîc subijcimus.

Series Regum Ierusalem post ingressum filiorum Israël in Terram sanctam.

I.	Rex Dauid regnat annis	40.
II.	Salomon regnat annis	40.
	Post diuisionem Regni Iudæorum in Regnum Iuda & Israël, qui sequuntur regnarunt in Iuda & Ierusalem.	
III.	Rex Roboam regnat annis	17.
IV.	Abias	3.
V.	Asa	41.
VI.	Iosaphat	25.
VII.	Ioram	8.
VIII.	Ochozias	1.
IX.	Athalia	6.
X.	Ioas	40.
XI.	Amasias	29.
XII.	Ozias	51.
XIII.	Ioathan	16.
XIV.	Achaz	16.
XV.	Ezechias	29.
XVI.	Manasses	55.
XVII.	Amon	2.
XVIII.	Iosias	31.
XIX.	Ioachaz	
XX.	Ioakim	
XXI.	Iechonias	22.
XXII.	Sedecias	

Vniuersim ergo quadringenti quinquaginta tres anni computantur eorum qui in Iuda & Ierusalem regnarunt, computatis etiam annis circiter septem quibus Dauid in Hebron regnauit. Et nota, me hîc nolle disputare de præciso numero annorum vel mentium, quibus memorati Reges sanctæ ciuitatis gubernacula tenuerunt; quoniam mens mea fuit tantùm recensere Reges Ierusalem, prout eorum seriem è sacris Litteris indagare potuimus. Quia verò in eodem contextu Scripturæ, & apud alios probatos Auctores simul fit mentio annorum temporis Regni illorum (& parua est inter eos varietas) ideò & nos eiusdem temporis meminimus, secuti quos probabiliùs fuisse locutos existimauimus. Quod & obseruabimus Capite sequenti, in enumeratione Principum qui post captiuitatem Babylonicam in Ierusalem populo Iudaico præfuerunt.

CAPVT XXIII.

De his, qui in sancta ciuitate Regni gubernacula tenuerunt post reditum filiorum Israël à Babylone in Iudæam, vsque ad Christi aduentum.

COmpletis septuaginta annis Babylonicæ captiuitatis Iudaici populi, & desolationis Ierusalem, respexit Deus pietatis suæ oculis ad sanctam ciuitatem, & ad populum suum quem elegit. Verè enim per Regium Vatem dixit: *Si dereliquerint filij legem meam, & in iudicijs meis non ambulauerint: si iustitias meas profanauerint, & mandata mea non custodierint: visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum. Misericordiam autem meam non dispergam ab eo*, Psal. 88, 31. Quare quemadmodum contra delinquentes & rebelles filios, Iudæos dico, extendit vltricem virgam iustitiæ suæ, quando variis eos affecit flagellis & tribulationibus, & in Babylonicam eiecit captiuitatem; ita in illorum liberatione viscera misericordiæ suæ ostendit. *Misericordia Dei erga Iudæos.*

Mortuo itaque Dario Medo, Cyrus Persarum Rex Monarchiam illam adeptus fuit: qui & anno primo suæ Monarchiæ, diuinitus inspiratus, publicato vbique in toto Regno suo edicto, dedit Iudæis licentiam in patriam reuertendi, & reædificandi Ierusalem & templum Domini, etiam ipsiusmet Regis impensis: fuit namque hic Rex de Iudæis & templo Domini admodum benè meritus.

Obtenta ergo facultate, Iudæorum ferè quinquaginta millia reuersa sunt in Iudæam, à qua iam septuaginta annis exularant, ducente eos Zorobabel filio Salathiel. In patriam cùm peruenissent, strenuus Dux Zorobabel pio operi se accinxit, ciuitatemque & Templum magna cum difficultate, multisque superatis laboribus, reædificauit, vt pluribus in libris Esdræ videre est. *Reuertuntur Hebræi ex Babylonica captiuitate in terram suam.* *Reædificant ciuitatem.*

Iste ergo cœpit in Ierusalem regere Israëlem, non sub titulo Regis, sed Ducis & Prin-

Digitized by Google

Principis ; cui plures eodem appellati nomine ſucceſſerunt vſque ad Machabæorum tempora ; de quibus agunt S. Lucas cap. 3. Philo in Breuiario temporum, & alij, ex quibus ſeriem texuit Adrichomius in Chronico, & nos ex ipſo eamdem hîc ſubiicimus.

Series Principum, qui in ſancta ciuitate rexerunt filios Iſraël poſt reditum à Babylonica captiuitate vſque ad Machabæos.

Principes qui poſt captiuitatem Ieroſolymis Iudæos rexerunt.

I. Dux Iudæorum in Ieruſalem fuit Zorobabel, qui Ducatum tenuit annis 58.
II. Reſa Moſolla, ſiue Miſciola, Zorobabelis filius, qui præfuit populo Dei annis 66.
III. Ioanno Ben Reſa 53.
IV. Iudas Hircanus I. 14.
V. Ioſeph Priſcus 7.
VI. Semei Abner 11.
VII. Mathathias Heli 12.
VIII. Naat Aſar 9.
IX. Nagge Araxad 10.
X. Heſli Agai 8.
XI. Nahum Maſlot 7.
XII. Amos Sirach 14.
XIII. Mathathias Siloa 10.
XIV. Ioſeph iunior Arſes 60.
XV. Iannes Hircanus II. 16.

Itaque à reditu Babylonicæ captiuitatis in Iudæam, ſecundùm præmiſſum computum, ſpatio annorum trecentorum quinquaginta trium vſque ad Machabæos, quindecim Duces rexerunt Iſraëlem in Ieruſalem.

Poſt eorumdem Principum Ducatum, propter Antiochi Epiphanis perſecutionem, Ieruſalem vacat Ducatu anno vno. Inde ſucceſſerunt ad regimen Iudaici populi & Ieruſalem Machabæi, qui pro patriis legibus ſtrenuè decertarunt contra illarum violatores & contemptores. Igitur vacante Ieroſolymæ Ducatu, Mathathias Machabæus Sacerdos, correptis armis Dei legem vindicauit.

Machabæi.

I. itaque ex Machabæis fuit Iudas Machabæus, Dux ſimul & Pontifex, præfuit annis 5. Genebr. 4.
II. Ionathas Machabæus 19. Genebr. 18.
III. Simon Machabæus 19. Genebr. 18.
IV. Ioannes Hircanus Priſcus 26. Genebr. 31.
V. Ariſtobulus Rex 1.
VI. Alexander Iannæus 27.
VII. Alexandra Alexandri vidua 9.
VIII. Hircanus vltimus. 34.

Itaque hi octo Principes præfuerunt Iudaico populo in ſancta ciuitate annis centum tredecim. Et in vniuerſum à Dauide vſque ad id temporis (prætermiſſis annis in quibus non regnauerunt Iudæi) de populo Iudaico præfuerunt ſanctæ ciuitati Reges & Duces numero XLV. annis nongentis octo, nimirum à Dauide vſque ad Babylonicam captiuitatem interceſſerunt anni 355. à reditu vſque ad Machabæos anni 520. ab iſtis vſque ad Chriſtum anni 113.

Sed Hircano poſteà cum fratre Ariſtobulo de Regno dimicante, Iudæa ſubiugata eſt à Romanis, quorum Imperatores illis præfecerunt Reges & Præſides : primuſque Rex fuit Herodes Maior Aſcalonita, natione Idumæus, qui regnauit annis triginta, & anno Regni eius trigeſimo ſecundo ex Virgine Maria Chriſtus Ieſus æterni Patris Filius naſci dignatus eſt.

Et hæc breuiter de Regibus & Ducibus, qui in ſancta ciuitate regimen tenuerunt ab eius exordio vſq; ad Chriſtum Dominum.

PEREGRINATIO II. *in qua recenſentur & explicantur ſex præcipua loca quæ occurrunt piis fidelibus proficiſcentibus ab Eccleſia & Conuentu S. Saluatoris vſque ad ſacrum montem Sion excluſiuè, ex parte vrbis Meridionali.* I. *Locus eſt Eccleſia & Conuentus S. Saluatoris.* II. *Caſtrum Piſanum, & Turris Dauid.* III. *Locus Mariarum appellatus.* IV. *Eccleſia S. Thomæ Apoſtoli.* V. *Eccleſia & Monaſterium S. Iacobi Maioris.* VI. *Templum Præſentationis B. Mariæ Virginis.*

CAPVT PRIMVM.

Modus, quo peregrini excipiuntur in ſancta ciuitate, & iterùm ex ea dimittuntur ad propria.

POſtquam pij fideles (abſoluto itinere quadraginta millium circiter à Ioppe vſque ad Ieruſalem) ad ſanctam ciuitatem peruenerunt, ſiſtunt in porta Ramæ, ſiue Caſtelli, & inde certiores redduntur Fratres Minores in Conuentu S. Saluatoris habitantes : qui vnà cum Interprete & miniſtris Gubernatoris ciuitatis pergunt ad peregrinos, exceptoque per eoſdem miniſtros cuiuſlibet illorum nomine, parentibus, & patria, in ſanctam vrbem admiſſi, à

Digitized by Google

Conuentus S. Saluatoris commune Latinorum hoſpitium.

Fratribus ad Eccleſiam & Conuentum ipſorum ducuntur ; eſt enim ille omnium Latinorum hoſpitium. Quò cùm peruenerunt, oſtendunt & exhibent obedientiales litteras Guardiano ſacri montis Sion , totius Terræ ſanctæ Cuſtodi & Commiſſario Apoſtolico: qui cognita peregrinorum facultate veniendi ad loca ſancta,vnà cum Fratribus illos qua poteſt benignitate & humanitate complectitur , atque ad Eccleſiam primò ad breuiter Deo perſoluendas gratias pro acceptis beneficiis, deinde ad hoſpitium & prandium ducit.

Veſperè autem poſt Completorium,ante Eccleſiam in eius veſtibulo paratis omnibus ad pedes peregrinis abluendos , aquà cum roſis & aliis odoriferis herbis, pannis mundiſſimis , & igne pro illis calefaciendis vel exſiccandis, vt opus fuerit, Hebdomadarius cum Cantoribus ſuperpelliceis induti , ceteriſque Fratres cum accenſis luminibus in ſignum lætitiæ aduentus peregrinorum accedunt ad paratum locum , &

Præſidus S. montis Sion abluit pedes peregrinis.

Præſul ſacri montis Sion linteo præcinctus , lauat peregrinis pedes , & alij abſtergunt , omneſque oſculantur. Interim illi diuinas Deo decantant laudes, Pſalmos & Hymnos huic operi accommodatos, plures vel pauciores , pro peregrinorum numero. Ablutione completa , Hebdomadarius ad altare conuerſus , aliquas propoſito deſeruientes recitat Orationes deſcriptas in Rituali ad id deputato. Quibus completis, Cantores alta & clara voce intonant, *Te Deum laudamus* , & ceteri omnes proſequuntur , & præcedenti Cruce cum ceroferariis,omnes proceſſionaliter & ordinatè diſpoſiti cum accenſis cereis periſtylia ſiue clauſtrum circumdant , & ad eumdem locum vnde receſſerunt reuerſi , Eccleſiam

Proceſſionaliter in Eccleſiã introducuntur, & ad illos ſermo habetur.

ingrediuntur. Hebdomadarius accedit ad altare maius,vbi aliquibus recitatis Orationibus, terminatur Proceſſio peregrinorum. Statim ipſe vel Guardianus ad altare accedens,ad peregrinos conuerſus, graui pioque ſermone eos cohortatur ad Deo preces fundendas , eidemque gratias reddendas in ſanctiſſimis locis , cùm maioribus fuerint cumulati beneficiis, quàm plures Reges,ſæculi potentes, & viri ſancti , quorum multi voluerunt videre quæ ipſi vident , & non viderunt ; ac ideò multò illis ſint feliciores, qui poſt tot itineris labores,& terræ mariſque ſuperata pericula , ad optatum terminum incolumes peruenerint, ad Terram ſanctam, ad domum Dei , & locum habitationis eius , vbi ſalutis noſtræ myſteria conſummata fuere. Ac ideò in illorum contemplatione , prout & ipſa ſancta loca & lapides ſuggerunt & prædicant , aſſiduè verſentur. Explicat Indulgentias quas in ea Eccleſia conceſſerunt Summi Pontifices, & modum eas comparandi; & ad fructum ex ipſis colligendum hortatur.

Sermone completo , Cantores intonant Hymnum, *Pange lingua*,&c. & fit Proceſſio , quæ fieri ſolet ſingulis diebus poſt Completorium ad tria altaria, ad quæ dicto vno *Pater noſter* & *Aue Maria*, ter acquiritur Indulgentia plenaria;& terminatur Proceſſio. Et ita peregrini dimittuntur & recipiuntur in nomine Domini.

Quomodo dimittantur peregrini.

Peregrini reuerſuri ad propria conueniunt in eadem Eccleſia S. Saluatoris, & ibi Guardianus & Fratres recitant Itinerarium Clericorum , vt habetur in fine Breuiarij Romani. Guardianus breuiſſimè illos cohortatur , vt conceptum ſalutis & deuotionis ſpiritum conſeruent & augeant, Deum illis precatur propitium , vt incolumes reducat ad propria, & poſt huius vitæ peregrinationem ad cæleſtem Ieruſalem,ad terram viuentium , ad Beatorum gloriam, & ad ipſum met Deum poſſidendum perducat. Atque ex his patet, quomodo in ſancta ciuitate recipiantur & dimittantur à Minoritis Terræ ſanctæ peregrini.

CAPVT II.

De Eccleſia & Conuentu S. Saluatoris, primo loco ſecundæ Peregrinationis.

DE Eccleſia & Conuentu ſancti Saluatoris tria tribus diſtinctis Capitibus notabimus : primo ſitum & conditionem ipſius ; altero , quomodo ad illius habitationem fuerint admiſſi Fratres S. Franciſci ; tertium erit relatio quorumdam quæ noſtris temporibus ibidem acciderunt.

Forma Conuentus ſancti Saluatoris.

Quantum ad primum, Eccleſia & Conuentus S. Saluatoris eſt intra mœnia ciuitatis, & in eius plaga Occidentali , non longè ab illis , &, vt arbitror, fundatus in decliui montis Goreb. Eſt formæ quadratæ. Extenſio illius ex omni parte,quantum coniecturà aſſequi licet, eſt greſſuum 150. circiter. In duas eſt diuiſus partes , in altera & Aquilonari parte eſt viridarium , in altera Auſtrali eſt Eccleſia, cum reliqua Conuentus fabrica. Vnicum habet oſtium in parte Auſtrali , olim quidem magnum , ſed paucis ab hinc annis , propter quamdam exortam perſecutionem , anguſtius. Per hoc Conuentum ingredimur. Habet inferiùs nonnullas habitationes & officinas. Superiùs per ſcalam aſcendimus, & paruum clauſtrum primò ingredimur, vbi circumcircà ſunt cellæ ſatis pauperes pro Fratrum & aliquando peregrinorum habi-

tatio-

igitized by Google

tatione, excepta Orientali,& superiori parte vbi est Ecclesia. Habet suum refectorium, cellam vinariam, cisternas,& alia pro sustentandis Fratribus & peregrinis excipiendis necessaria, etsi non ita commoda vt in Christianitate, cùm prohibita sit Fratribus ædificatio, sed & nec in præsentia ita commodum est, vt erat antiquitus, propter ea quæ Capite sequenti dicemus.

Forma Ecclesiæ. Ecclesia parua est, in quadro ædificata. In eius parte Orientali est capella & altare maius, vbi sacratissimum Eucharistiæ Sacramentum asseruatur. In tabula altaris depicta est missio Spiritus sancti in linguis igneis super sanctam Dei Genitricem & sanctos Apostolos: Spiritui enim sancto hoc Sacellum dicatum est. Infrà & in medio Ecclesiæ est Chorus Fratrum cum suis sedilibus, sub magno hemisphærio, vulgò cupula, ex cuius fenestris illuminatur Ecclesia. Hinc inde extra Chorum sunt duo altaria: quod à dextro & Aquilonari latere, dicatum est sanctissimo Corporis Christi Sacramento & Cœna Domini in eius tabula depicta; est quod verò in læua & Australi parte, est erectum D. Thomæ Apostolo, Christum à mortuis excitatum Dominum & Deum suum confitenti, & hoc mysterium in tabula depictum est. Atque hoc pacto in ista Ecclesia conseruatur memoria præcipuorum mysteriorum Ecclesiæ sacri montis Sion, vnde fuerunt Fratres electi, vt dicemus. Sunt in ea nouem lampades, ex quibus tres continuè ardent ante sanctissimum Sacramentum, duæ ante alia altaria, & aliæ quatuor in ingressu & priori parte Ecclesiæ.

Transfigurationis Domini festi antiquitas. Ista Ecclesia appellatur sancti Saluatoris, eiusque festum fit in solemnitate Transfigurationis Domini; & adsunt huius mysterij in Ecclesia aliquæ picturæ, etsi non præcipuæ, vt indicatum est. Sed quare in præcipuo loco mysterium Spiritus sancti aduentus repræsentatur, cùm Ecclesia sancti Saluatoris appelletur? Arbitror causam esse, ad conseruandam memoriam veteris Ecclesiæ Fratrum sacri montis Sion Spiritui sancto dicatæ. Retinuit autem vetus nomen, quod habuisse credo antequam ad ibi habitandum accederent Fratres. Transfigurationis quippe festum antiquum est, quandoquidem de eo extant sermones S. Leonis, nec non Cyrilli Alexandrini, & Andreæ Cretensis apud Surium. Vide plura de hoc in Notis Cardinalis Baronij ad Romanum Martyrologium, die 6. Augusti, quando Ecclesia hoc festum celebrat. Et in his præsertim Orientis partibus valdè solemne est, & omnes Christianæ nationes illud cum magna exultatione obeunt. Vnde licet eo tempore obseruent Quadragesimam siue ieiunium ad honorem Assumptionis B. Mariæ Virginis, tamen in die Transfigurationis Domini, soluto ieiunio, oua & carnes comedunt in nomine Domini. Quare cùm ista Ecclesia antiquitus pertineret ad nationem Georgianam, fieri potest, vt ab ea Transfiguratioi Domini fuerit dicata, & appelletur S. Saluatoris, quod nomen etiam posterioribus temporibus retinuit, postquam Fratribus Minoribus tradita est,

CAPVT III.

Quomodo Ecclesia & Conuentus S. Saluatoris deuenerit ad Fratres Minores.

FRatres S. Francisci familiæ Ierosolymitanæ, priusquam admissi fuissent ad habitandum intra mœnia ciuitatis in eo Conuentu S. Saluatoris, extrà habitabant in sacro monte Sion, in Ecclesia S. Cœnaculi, siue SS. Apostolorum, in eo scilicet Conuentu quem piissimi Siciliæ & Ierusalem Reges Rupertus & eius sanctissima coniux Sancia, de Seraphico Ordine optimè meriti, magnis sumptibus ab Ægypti Sultano compararunt, cum aliis sanctis locis pro Fratribus S. Francisci. Et hanc donationem posteà plures confirmarunt Summi Pontifices, & Turcarum etiam Reges & Imperatores, tam Ægypti quàm Constantinopolis, vt Lib. 1. cùm de his ageremus, pluribus ostendimus. Atque hoc in loco montis Sion iidem Fratres piè ac laudabiliter inter ignem & aquam tribulationum vixerunt annis 248. tot enim fluxerunt ab anno Domini 1513. quando Fratres ad habitandum ibi Pontificio & Regio diplomate fuerunt introducti, vsque ad annum Domini 1561. quando inde fuerunt per Turcicam tyrannidem electi, & ad habitandum in Conuentu S. Saluatoris introducti; quæ mutatio hac occasione contigit.

Minores habitarunt in monte Sion annis 248.

Quomodo inde fuerint electi. Cùm diabolus, Dei & humani generis exitialis & cruentus hostis, excogitasset modum deturbandi Dei seruos de loco, ex quo ipsi ruina & nobis salùs prouenerat, illum sub spe lucri suggessit Turcis Christiani nominis hostibus, & suis ministris. Igitur circa annum Domini 1559. vt videre est in quibusdam memoriis in archiuo sancti montis Sion asseruatis, Turcæ, & ipsorum in primis Religiosi (meliùs profani) calumnias contra Fratres nostros sparserunt, ob quas de suis sedibus expellendos omnino esse dixerunt, inter quas duas præcipuè inuenio. Altera fuit, non conuenire Christia-

nos Latinos, quos *Francos* vocant, habitare in eo loco montis Sion: quoniam si aliquando Christiani ad oppugnandum & capiendum Ierusalem accederent, ibi in tuto se possent recipere (est enim locus commodus & munitus prope muros vrbis) quod in magnam ciuitatis cederet iacturam. Altera & fortè potior fuit, quæ legitur in Decreto expulsionis Imperatoris Turcarum, in archiuo sacri montis Sion asseruato, quia ibi est Dauidis Regis & Prophetæ sepulchrum, quod ipsi pluris faciunt. Velut enim suum parentem venerantur Dauidem, & illius Psalmos in suum idioma versos, legunt in suis Mesquitis. Dicebant igitur, valdè indecens esse, tantum thesaurum apud canes, id est Christianos (tali enim encomio honorant Christianos) manere; quare ab ipsis auferendum, & tradendum esse Sanctonibus Turcis, statuerunt. Credebant illi, se magnam pecuniæ summam accepturos à Fratribus, vt ab hoc periculo se expedirent, & vt relinquerentur in sancto loco; sed frustrati sunt à desiderio suo.

Vnus itaque Turcarum illorum ex Ierusalem profectus Constantinopolim, magno Imperatori petitionem exposuit, & facilè quod optabat obtinuit: & iniquo mandato Imperatoris accepto, quo facultas ei dabatur accipiendi pro Turcis sanctum locum, reuersus Ierosolymam, illud Guardiano eiusdem sancti loci ostendit, sperans ab eo se accepturum ingentem nummorum summam, ne illud Gubernatori & maioribus ciuitatis ostenderet, & ne executioni mandaretur. Verùm Guardianus haud ignarus perfidiæ Turcicæ, & quòd nec persoluto pretio destitisset à cœpto opere, neglexit. Tum impius ille accessit ad Gubernatorem & Cadium ciuitatis, & ostenso Imperatoris decreto & priuilegio, absque mora illud executioni mandari curauit. Cum militibus ergo & satellitibus ad sanctum locum properantes, magno cum dedecore & iniuria Saluatoris pauperes & dolentes Fratres inde eiecerunt, & Conuentus cum Ecclesia traditus est Turcicis Religiosis siue Sanctonibus, qui ibi etiam nunc cum suis vxoribus & liberis habitant, Ecclesia sancta in Mesquitam versa, & conuentu Religiosorum mutato in lupanar & speluncam effeminatorum.

Sanctum Domini cœnaculum Turcis traditur.

Conuentus S. Saluatoris datur Minoritis.

Fratribus verò, etsi ex sacro monte Sion, non tamen ex sancta ciuitate expulsis, diuina miseratione traditus est Conuentus cum Ecclesia S. Saluatoris, quem, cùm anteà Græcorum Georgianorum esset, à Turcis persoluto pretio obtinuerunt Fratres. Et ad hanc Ecclesiam Indulgentias Ecclesiæ S. montis Sion transtulit Pius IV. Pontifex maximus ad petitionem P. Bonifacij de Ragusio, tunc Terræ sanctæ Præsulis, & traditio illa fuit per Turcarum Imperatorem & per summum Pontificem confirmata. Et hæc videri possunt in huius Pontificis Bulla, quæ incipit, *Diuina disponente clementia*, &c. cuius exemplar suprà posuimus Lib. III. in Pontificum Bullis, & est Bulla vnica Pij IV.

Conuentus hic S. Saluatoris est præcipuus locus quem habent Fratres in partibus illis, non quidem quantum ad dignitatem & sanctitatem (hac enim ratione longo interuallo superatur à sanctissimo Domini nostri Iesu Christi Sepulchro, eiusdem venerando Præsepio, & aliis similibus locis, in quibus aliquod nostræ salutis mysterium, vel aliud diuinum prodigium patratum fuit, quorum nullum in loco S. Saluatoris contigisse arbitramur, vel certè aliquo peculiari mysterio consecratum fuisse, ignoramus) sed quoniam commodior, in eo habitat Præsul Terræ sanctæ cum triginta & amplius Fratribus, ex ipso subsidium recipiunt alia loca, & in ipso Fratres & peregrini ad Terram sanctam venientes hospitantur.

Præcipuus est alius.

Nolo hîc præterire, quod non semel à senibus harum partium audiui, & signa testimonium perhibent veritati. Ante annos quadraginta Turcæ Ierosolymitani quidam odio perciti in Fratres, persuaserunt suo Imperatori hunc conuentum esse castello ciuitatis eminentiorem. quare Decreto Imperiali multa loca eminentiora fuerunt ad terram proiecta, & signa habitationum adhuc extant. Verè quidem locus eminens est, & ex solario ipsius, & præsertim ex tecto Ecclesiæ, ferè omnia loca sancta Ierusalem, & alia extrà circa ipsam conspiciuntur.

Dolentium ex parte.

Graue quidem fuit (non dubitandum) Fratribus deseruisse sanctissimum illum totius mundi locum: verùm quia Deus permittit iustos affligi ad suam ipsorum vtilitatem, vt ex malis bonum aliquod eliciat, cùm verè dixerit S. Augustinus, licet possint bona esse sine malis, non tamen mala sine bonis; credendum est, ex iniusta illa expulsione hoc bonum eduxisse Deum pro Fratribus, vt in tutiore collocarentur loco, & liberarentur à similibus calumniis, quibus continuè potuissent à Turcis vexari. Sed casus viscera Christianorũ Principum mouere debuisset ad vindictam sumendam de Christiani nominis hostibus, sanctissimi loci profanatoribus.

CAPVT

CAPVT IV.

Aliqua notatu digna quæ noſtris temporibus acciderunt Ieroſolymis & in Conuentu S. Saluatoris.

INterea temporis, quo Minores Fratres in ſancta ciuitate, vel in ſancto cœnaculo ſacri montis Sion, vel in Conuentu ſancti Saluatoris habitauerunt, multa eos paſſos fuiſſe ab infidelibus, & in eorum locis non pauca memoria digna accidiſſe, neminem credo meritò dubitare poſſe, etſi vel incuria, vel frequenti mutatione Fratrum, litteris conſignata non fuerint, atque ideò, quia non ſat certò de eorum circumſtantiis nobis conſtat, noſtro huic Operi non inſeruerimus: ea tamen quorum certam notitiam habemus, & quæ noſtro tempore, & dum in iſtis partibus exiſterem ibidem acciderunt, non prætermittemus.

Chriſtianos grauiſſimè vexant Turcæ.

Sed priùs placet aduertere non vno dumtaxat, ſed multiplici modo Turcas Ieroſolymitanos vexare ſolere Chriſtianos in ſancta ciuitate aliiſve ſanctis locis habitantes: primò falſis adinuentionibus, imponendo illis neſcio quæ ſcelera, vt proditionis & tranſgreſſionis ſuarum legum: quem in finem noctu in illorum domos immittunt capita vel cadauera mortuorum, vt hoc eos modò de homicidiis arguere, & velut mortis reos traducere poſſint. Aliquando aliis agunt modis; nec enim deſunt illis inuentiones. Et qui hac via procedunt, cùm hypocritæ ſint, perſuaſum aliis volunt, iuſtè ſe punire Chriſtianos. Secundò, poſtulatione & exactione pecuniarum, prætexendo magnas neceſſitates: & quamuis quod petunt negetur, viciſſim oppoſitis neceſſitatibus, non ideò deſiſtunt, ſed ad alia recurrunt, nimirum Tertiò minis & vi aperta iam agunt, dicuntq; (in primis Gubernator) ſe aliter non poſſe rebus ſuis conſulere, ſtipendia militibus & ſeruis eſſe ſoluenda, nec vectigalia mercium ad iſta ſufficere. Si petita adhuc negentur, in carceres nos tradunt, vel loca ſe ſancta deſtructuros, vel aliud quidpiam in ipſorum præiudicium commiſſuros comminantur: & non ſemel ipſo facto minas effectui datas vidimus. Et quamuis multum alibi profit humana prudentia, non tamen perinde agere poſſumus cum huiuſcemodi hominibus, qui nec Deum timent, nec homines reuerentur, præſertim quòd à Conſtantinopolitana curia longè abſimus, vt antequam querelas noſtras illuc deferre poſſimus, vim & tyrannidem eorum experiamur. In anguſtiis ergo conſtituti Chriſtiani, & quid eligant ignorantes, ad Deum vnicum refugium recurrent, qui eſt adiutor in tribulationibus eorum. Sed quod propoſuimus proſequamur.

Carceri mancipantur Minores.

Scribit Princeps Radziuilius in ſua Ieroſolymitana Peregrinatione Epiſt. 2. pag. 65. quòd cùm eſſet Ieroſolymis, & opportuna occaſione facta fuiſſet à nonnullis theſauri Baſilicæ ſancti Sepulchri mentio, audiuerit, quòd poſtquam Ieroſolyma in poteſtatem infidelium fuiſſet redacta, nihil ex eo reliquum videatur. Et Selimus I. cùm Ægyptum depopularetur, theſauro quoque manus iniicere volebat, quem Religioſi Fratres in terram defoderant: cumque reperiri nullibi poſſet, omnes quotquot erant, in tetrum carcerem in arce Ieroſolymitana coniecti, per ſeptem & viginti menſes, pane dumtaxat & aqua ſuſtentati, miſerè detinebantur. Tanta tamen fuit eorum fortitudo & conſtantia, vt nulla flagrorum & tormentorum vi, vt eum proderent, adigi potuerint. Multi ex illis obierunt, reliquos Tyrannus, Ægypto occupata, & bello finito, dimitti iuſſit. Ad[illegible]entiores euentus accedimus. In primis initio anni 1619. multa paſſi ſunt Fratres tum propter mortem veteris Guardiani, tum propter moram aduentus noui, qui non niſi poſt quatuordecim menſes à ſui inſtitutione cum noua familia venit Ieroſolymam, & ſubſidia ex Chriſtianitate non ſubmittebantur, & tamen continuæ erant faciendæ expenſæ, & Turcis erat ſatisfaciendum, qui beſtiarum inſtar omnem iuſtam excuſationem reſpuebant. Quin & aliquando Gubernator Turcicus Præſulem cum Procuratore Conuentus in carcere detinuit, quoniam differebatur nouæ familiæ aduentus, vt neceſſe fuerit illi ſoluere quantum dare ſolet nouus Guardianus in ſuo aduentu: atque idem nihilominùs tributum exigebat, cùm paucos poſt dies ille nouus Guardianus Ieroſolymam appuliſſet. Bruta cupiditas illis pro lege eſt, cui contradicere, frequentiùs pœnæ eſt, vt experientia non ſemel docuit.

Magna peſtis graſſatur Ieroſolymis.

His deinde acceſſit epidemiæ morbus in his partibus familiaris, qui tunc Ieroſolymis & circà nimiùm graſſabatur, adeò vt in ſola ciuitate Ieroſolyma ſingulis diebus triginta, quadraginta vel quinquaginta decederent. Omnes, ni fallor, domeſtici Gubernatoris, ipſo filio, & paucis famulis exceptis, abrepti fuerunt, adeò vt edici curauerit, ne qui mortuos ſepeliunt, in via, vt ſolent, clamarent, vt ſic minueret populi timorem. Primi quos inuaſit peſtis, fuerunt ipſi Mauri, qui & contra Chriſtianos haud parum indignabantur, quòd neminem ex ipſis contiperet. Scientes igitur eos accede-

re ad plateam ſanctiſſimi Sepulchri ad adorandum, & frequenter terram deoſculari, illic effundebant aquam qua abluerant infectorum cadauera, rati hac via Chriſtianos infici poſſe. Et toto illo quatuor menſium ſpatio, quo durante peſte fui Ieroſolymis, Fratres omnes euaſerunt incolumes non quidem ſuis meritis vel diligentia (quia pluries oportuit eos cum aliis & infectis conuerſari, & ad infectam Gubernatoris domum accedere: quin & ipſe Gubernator peſte infectus non ſemel ad Conuentum venit, & in cubiculo Præſulis infirmarius curam illius habuit:) ſed Dei ſingulari prouidentia; Dominus enim erat in circuitu populi ſui, puſillum gregem humano auxilio deſtitutum ſuæ miſericordiæ oculis reſpiciens.

Minores peſtilentia ſublati.

Sed noua familia, quæ adueniebat tempore importuno, initio nimirum Auguſti, non ſimiliter ſalua euaſit; nam breuî peſtis Guardianum cum Vicario domus, & viginti ſex Fratres è viuis ſuſtulit. Quanta eo tempore paſſus fuerit Conuentus, & adhuc patiatur, nouit Dominus.

Anno Domini 1619. menſe Februarij magno cum faſtu Ieroſolymam venit Hollandorum Aleppi Conſul, cum litteris commendatitiis magni Turcæ, vel illius Vicesgerentis, quem Viſirum appellant, quibus præcipiebatur omnibus locorum Gubernatoribus, quorum iuriſdictiones tranſire contingebat, vt erga illum humaniſſimè ſe gererent, atque inſuper prouiderent, ſi opus fuiſſet, ſtatui eius neceſſaria. Ieroſolymorum Gubernator magnum ab illo munus ſperabat: ſed ſua illum fefellit opinio, quoniam modicum quid, veſtem inquam ſericam, cùm illum inuiſeret Conſul, ab eo accepit. Aliunde ergo, quod Hollandi vel auaritia vel inciuilitate negatum ſibi videbat, obtinuit. Voluit Hollandus ire ad Mare mortuum, necquidquam diſſuadente Præſule locorum ſanctorum, qui de omnibus illum, quamuis hæreticum, amicè certiorem reddebat: ſed ſpreuit monita Hollandus, confiſus in litteris ſuis commendatitiis; atque, ab Arabibus pretio conductis deductus, iuit ad Mare mortuum. Quod cùm Gubernatori innotuiſſet, Conuentus Præſulem accerſiuit, conqueſtus, quòd ipſe facultatem eundi Hollando conceſſiſſet, & ne eò ſe conferret, non admonuiſſet (quamuis, ſecluſo ab Arabibus periculo, nihil omnino obſtet, nec edictum, nec quid aliud, quò minùs eò proficiſci quis poſſet, niſi ſola Gubernatoris auaritia.) Conſul tandem ille cum Præſule detenti fuerunt in duobus ſeparatis cubiculis, velut in carcere, in domo Gubernatoris, in domo in-

Præſidium S. Montium Conſule Hollandorum includitur in carcerem.

quam Pilati, in qua Dominus noſter Ieſus Chriſtus funibus ligatus, morti iniuſtè adiudicatus fuit. Contigit hoc anno indicato die 3. Martij, quæ fuit prima dies Veneris huius menſis, & Feria 6. ſecundæ hebdomadæ Quadrageſimæ. Præſul detentus fuit die illa cum dimidia nocte ſequentis diei, & abſque pretio ſolis precibus fuit liberatus. Conſul verò ibidem manſit vſque in ſequentem diem, & non niſi numeratis quingentis nummis aureis, & aliquibus ſericis veſtibus, fuit dimiſſus. Quin etiam fideiuſſione ſolemni in Gubernatoris curia Præſul & Conuentus Minorum cauere debuerunt, eumdem Conſulem haud hoſtem aut exploratorem eſſe (iſto enim vano prætextu in primis fuit detentus) ſed Turcarũ Imperatori confœderatum. Idem anteà acciderat Conſuli Gallorum Sidonis, & huiuſcemodi in dies accidunt, his in primis qui cum faſtu & pompa quidem veniunt Ieroſolymam, ſed in miniſtros Turcarum haud liberales exiſtunt. Quare expedit quibuſcumque Ieroſolymitanis peregrinis, ſine pompa & ſuperbia ad ſancta loca accedere, quippe quæ non meliorem ſed periculoſiorem reddant peregrinationem; quin potiùs laudabili humilitate, honeſtoque ac demiſſo habitu. Prætereo pleraque alia, quæ poſteà me abſente ſucceſſerunt, quæ recenſere longum eſſet, & vel integro volumine conſcribi deberent.

CAPVT V.

De aliquibus Fratribus Minoritis, qui in ſancta Ieruſalem ciuitate ſanguinem pro Chriſto fuderunt.

OMnipotens & miſericors Deus, qui Eccleſiam ſuam per vniuerſum orbem diffuſam meritis ſerui ſui Franciſci voluit ſemper multiplicari nouo fœtu, Martyrum, Doctorum, Confeſſorum, Virginum ac alterius honeſtæ & laudabilis conditionis virorum & mulierum, vt in Oratione de hoc ſancto Patre indicat ſancta Eccleſia, & totus mundus teſtatur; noluit ſanctam ſuam habitationem, regionem illam quam præſentia ſua luſtrauit & illuſtrauit, ſimilibus fructibus priuari, ſed eiuſdem ſancti Patris meritis multùm voluit fecundari; vt ex alibi dictis prima Parte huius Operis, & dicendis in hac ſecunda manifeſtiſſimè apparebit. Agam præſenti Capite de Fratribus Minoribus, qui in ſancta ciuitate Ieruſalem pro Chriſti fide dilatanda martyrium obierunt; de aliis, qui in aliis locis ſimiliter paſſi fuerunt, agam, cùm ad eorumdem locorum hiſtoricam dilucidationem

nem veniam; & hoc prout apud probatos Auctores inuenire potui, sciens me non omnes recensere posse à Scriptoribus oblitioni traditos, qui tamen sunt in memoria æterna apud Deum.

Quatuor Minorita à Mauris occiduntur.

Anno Domini 1391. die 11. Nouembris quatuor Fratres Minores martyrij corona decorati fuerunt Ierosolymis. Primus appellabatur Fr. Nicolaus de Taulicis à Sebenico; secundus Fr. Donatus à Raticinico Prouinciæ Aquitaniæ; tertius Fr. Petrus à Narbona Prouinciæ S. Ludouici, socius & discipulus Fr. Pauli, qui Minoritanæ obseruantiæ principium dedit; & quartus Fr. Stephanus de Turelo Vicariæ Corsicæ. Isti cùm essent in sancta ciuitate zelo animarum succensi, quas perire videbant defectu Catholicæ fidei, vt eas ad viam salutis dirigerent, & ad creatorem & Saluatorem Iesum Christum adducerent, allaborabant. Itaque quodam die, Mahometistis admodum solemni, ingressi sunt illorum maiorem Mesquitam, quæ templum Salomonis appellatur, quoniam ædificata est vbi quondam extructum erat Salomonicum templum, vbi aderant Gubernator, Cadius ciuitatis, id est, is ad quem spectat iudicare de causis spiritualibus, cum aliis ferè triginta millibus Mahometanis, & fortiter viriliterque Spiritu sancto succensi, impuram Mahometis sectam damnarunt, & Christianam fidem ad salutem necessariam esse prædicarunt. Indignè hoc ferentes Mahometani, in seruos Dei impetum fecerunt, grauiterque vulneratos eos & semimortuos in obscurum carcerem coniecerunt, vbi absque cibo & potu tribus diebus manserunt. Quos cùm post triduum à Deo conseruatos, & in sua fide constantes reperissent Mahometistæ, in forum ad supplicij locum, id est, ante templum Resurrectionis Domini perductos, vt ego arbitror, gladiis occiderunt & in frusta dissecuerunt; qui hunc in modum corona martyrij donati, ex terrestri ad cælestem Ierusalem euolarunt.

Corpora sanctorum in igne seruantur.

Corpora illorum cùm semel & iterùm in accensum rogum iniecta fuissent à Mauris, diuina virtute à combustione præseruata esse inuenta sunt. Tertiò tandem magna strues lignorum iisdem imposita, & accensa fuit, quando iterùm post tres dies (tot nimirum durauit ignis ille) illæsa inuenta fuere. Quo prodigio obstupefacti quidem, vt solent, sed non conuersi Saraceni, clàm corpora illa sepelierunt, ne Christiani ea furarentur, & vt sanctorum Martyrum Reliquias venerarentur. Ita in 3. Parte Chronici Ordinis Minorum lib. 1. cap. 9. Bozius de Signis Ecclesiæ Dei signo 27. refert ex Annalibus Franciscanis horum atque aliorum martyrium.

Plures alij occisi.

Anno Domini 1547. trucidati Ierosolymis fuerunt à Turcis Iuniperus Siculus, & Ioannes Mantuanus: & anno 1482. ibidem occisus fuit à Saracenis Ioannes Calaber, & anno 1368. in monte Sion occisi fuerunt alij duodecim Fratres. Parte 1. Chronici sancti Francisci lib. 5. cap. 14. fit mentio cuiusdam Notarij, qui Ierosolymis passus fuit, & cuius martyrium prædixerat S. Antonius Patauinus.

Carcerati alij, & inedia & pestilentia sublati.

Anno Domini 1537. die 16. Septembris fuit à Turcis tota familia Ierosolymitana Minorum Fratrum carceribus mancipata, partim Ierosolymis in castro Pisano, partim Damasci in eiusdem vrbis castello, vbi detenta fuit vsque ad anni 1540. diem 16. Nouembris, quo tempore Deo super illam respiciente, opera Christianissimi Gallorum Regis liberata fuit. Illo interim triennio octo Fratres è viuis decesserunt. P. Thomas à Nurcia, eiusdem familiæ Guardianus, cum aliis quinque Fratribus obiit epidemiæ morbo, quos secuti fuere tres alij Fratres aliis morbis interempti. Illo tempore regimen locorum sanctorum suscepit Ioannes Baptista Fratrum interpres, natione Gophtus, tamen Catholicus, vsque ad noui Guardiani aduentũ. Ita legi in Sacristia S. Saluatoris Ierosolymis, & ab ipso interprete, qui paucis ab hinc annis obiit, & ab aliis hoc idem audiui, & Damasci cùm essem accepi, memoriam adhuc superesse Fratrum, qui ibi in castello detenti fuerint.

Abnegat vnus fidem Christi, sed conuersus martyrio culpam delenit.

Gonzaga Parte 1. Historiæ Franciscanæ Religionis, loquens de Custodia Terræ sanctæ, & de illius Martyribus, scribit, fuisse Ierosolymis quemdam nostri Ordinis laicum, qui postquam per humanam fragilitatem & Turcarum timorem, Christi fidem abnegasset, tandem in se reuersus, & à P. Guardiano Ierosolymitano benedictione accepta, in templo Salomonis coram innumera Turcarum & Maurorum caterua Christum liberè prædicauit, vnde ab illis occisus ad martyrij palmam peruenit.

Alius trucidatur, & comburitur.

Eidem seruo Dei potest alius eiusdem Ordinis laicus socius addi, qui illum non quidem in crimine, sed in virtute & in spiritus feruore imitatus fuit. Sciendum itaque, anno Domini 1599. cùm regimen locorum sanctorum teneret Euangelista à Gabiano Prouinciæ Mediolani, qui postea fuit etiam Seraphici Ordinis Romæ in Comitiis generalibus Cõmissarius generalis electus, fuisse Ierosolymis Fratrem quemdam professione laicum, natione Hispanum Granatensem, nomine Casmam, virum boni nominis, & suę professionis studiosissimum, qui nullum

peculiare habebat cubiculum, ſed vel in Eccleſia vel vbi illum ſomnus vrgebat, illum capiebat. Hic de Superiorum licentia venerat Ieroſolymam, non tam deſiderio venerandi loca ſancta, quàm proprium fundendi ſanguinem pro illius amore, qui pro eo ſuum cum ſpiritu fuderat in Cruce: quamuis deſiderio eius martyrium omnino defuerit. Et quamuis ea vice, ſpe ſua fruſtratus, domum redierit, diuini tamen amoris igniculus in eo extinctus minimè fuit, ſed indies maiora accepit incrementa, adeò vt ſecunda vice Ieroſolymam redierit, vt ſuo deſiderio, quod anteà negatum fuerat, vel iam fieret ſatis. Quamuis verò ſæpè illum ſpiritus ad martyrium excitaret, mortis tamen timor ſubinde retrahebat: quo factum, vt non ſtatim, ſed poſt aliquod tempus, voti ſui factus fuerit compos. Intereà temporis, vt de cordato hoc ac pio viro pium eſt credere, ſe bonis ſanctiſque occupabat exercitijs, ad tam heroicum ſe opus diſponebat, ſuumque agonem Domino continuis commendabat orationibus, ne optata martyrij corona fraudaretur. Elapſis itaque annis quatuordecim (tot enim in Terra ſancta hæſerat cum illo pro Chriſto patiendi deſiderio) quadam ſexta Feria contigit vt panis deeſſet Fratribus in ſanctiſſimo Domini noſtri Ieſu Chriſti Sepulchro degentibus. Illorum ergo Præſes cùm pro pane miſiſſet ad Conuentum S. Saluatoris, eiuſq; loci Guardianus, quem cum pane mitteret, cogitaret, idque bonus Coſmas, qui tunc præſtò aderat, aduertiſſet, ſe ad deferendum panem promptum exhibuit. Annuit Pater. Tunc ille, accepta benedictione, & pera cum pane, abijt ad Dominici Sepulchri templum, ibique de more breues Deo preces obtulit. Poſt ad Conuentum ſe conferens, Fratribus illis panem tradidit, paucaque cum illis locutus, inter alia dixit, ſtatim ſe ibi adfuturum, & ab ipſis videndum eſſe; ſed quid his verbis indicaret Fr. Coſmas, Fratres illi tunc non intellexerunt. Vale igitur illis dicto, ſeque pro graui opere Deo & Fratrum orationibus commendans, diſceſſit, & abijt ad templum Salomonis: vbi, quia erat meridianum tempus, & dies Veneris Turcis feſtiuus, ex tota ciuitate pro more ad orandum congregati erant Turcæ. Qui cùm illum vidiſſent, mirati ſunt, quòd ſcirent, ſub pœna mortis interdictum eſſe omnibus Chriſtianis ingredi templũ Salomonis, nſi fortè velint abnegare fidem Chriſti, & Mahometicam ſuſcipere; quod de eo ſuſpicabantur: alij inſanire eum arbitrati, vt fatuum contempſerunt. Ille verò cruce, ad quam pendebat crucifixus ex aurichalco, & quã ſemper ad pectus ſuum deferebat, ſublata, manu extenſa, voce excelſa, magnoque ſpiritus feruore cœpit impiam Mahometis ſectam damnare, & Chriſti fidem ad ſalutem eſſe neceſſariam deprædicare: longa enim aſſuetudine & ſtudio non pauca Arabicè loqui didicerat, quod erat neceſſariũ in illo opere. Hoc videns quidam Saracenus, velut fatuum & delirum irriſit, & vt ocyùs diſcederet iuſſit. Non obtemperat ſeruus Dei, ſed maiore ſpiritus feruore concepto, iterùm Mahometem damnat, Chriſtum verò eſſe Dei Filium, & vnicum mundi ſeruatorem, conſtantiſſimè proclamat. Quare Saraceni in furorem acti, ſtrictis gladijs in eum irruerunt, multiſque vulneribus confoſſum occiderunt: tum caput eius à corpore reſectum perticæ prælongæ affixũ, veſtes ex alta dependentes, ſublimè detulerunt, corpus verò magno cum ludibrio ad templum ſanctiſſimi Sepulchri pertractum, allatis vndique multis lignorum faſciculis combuſſerunt. Hoc videntes Fratres Dominici Sepulchri, recordati ſunt, quòd paulò anteà dixiſſet, in breuî ibi videndum eſſe.

Ex hoc facto omnis commota & turbata fuit ciuitas, delatuſque eſt etiam rumor ad Franciſcanos in Conuentu S. Saluatoris habitantes: qui ſibi proinde & locis ſanctis timentes, confugerunt ad vnicum aſylum & conſolatorem in tribulationibus Deum, ingreſſique Eccleſiam, & ſanctiſſimo Sacramento expoſito, non ſine ſpiritu & lacrymis precabantur vt ab imminẽti eos ſtrage, & ſancta loca à ruina liberaret. Exaudiuit Deus illorum orationes: quamuis enim multi Turcæ Conuentum & ſacram ędem velut furentes & famelici lupi ingreſſi eſſent, vt omnes eos diſperderent, nullum tamen ex ijs ſenſerunt incommodum, nec vel vnus capillus, vt ita loquar, de capite illorũ perijt. Adueniebant interim Turcę quidam primæ auctoritatis, qui, vt Fratres neci & furori populi eriperent, & tumultuantem plebem compeſcerent, Conuentum circumequitabant, atque dicebant, incluſos illos Fratres innoxios eſſe, nec illius facinoris conſcios, iſtum verò fuiſſe fatuum. Hoc pacto ſedatus eſt populus, & furor ita reſedit, vt quilibet in domum ſuam abierit. Guardianus nihilominùs & nonnulli alij Fratres, funibus conſtricti, ducti fuerunt ad Iudicem ciuitatis, à quo tamen dimiſſi fuerunt, Deo adiuuante, & vno ex memoratis Turcis fauente. Alij etiam Turcæ collectos cineres combuſti corporis clàm vendiderunt fidelibus, cum habitu & chorda ipſius, qui ea velut pretioſas reliquias in Hiſpaniam tranſmiſerunt. Quæ hîc ſcripſi, accepi ab eodem P. Guardiano, viro, cui ob illius doctrinam, vitæ integritatem & auctoritatem meritò

fides

fides adhibenda eſt; & ab alijs, qui tunc temporis Ieroſolymis fuerunt, & quæ in Meſquita Turcarum acta fuerint, ab ipſis Turcis intellexerunt, longa item conſuetudine eiuſdem Fratris Coſmæ integritatem perſpectam habuerunt.

CAPVT VI.

De Maria Luſitana muliere, tertij Ordinis S. Franciſci, quæ Ieroſolymis propter fidem Chriſti prædicatam à Mauris interempta fuit.

ADhuc viget Ieroſolymis illuſtris memoria honeſtæ ac piæ mulieris Luſitanæ nomine Maria, de qua agit Gonzaga Parte 1. Hiſt. Franciſcanæ Religionis, loquens de Martyribus Terræ ſanctæ, & alij. Nos de ea dicemus quæ ſingulariter accepimus in his partibus ab his apud quos recens erat huius mulieris memoria.

Maria Luſitana Ieroſolymã peregrinatur, & ibi martyrium.

Mulier iſta, relicto Luſitaniæ regno ex quo oriunda erat, pietatis ardore ſuccenſa inuiſendi ſanctiſſimum Domini noſtri Ieſu Chriſti Sepulchrum & alia ſancta Palæſtinę loca, omnibus ſpretis longi itineris incommodis & laboribus, cum alijs peregrinis venit Ieroſolymam, vbi quæ deliderabat inuiſit & veneſata eſt loca. Et quemadmodum altera Maria non recedebat à monumento Saluatoris, quamuis diſcipuli recederent; ita hæc voluit manere Ieroſolymis, ſocijs ad propria reuertentibus. Nec fuit illi difficile ibi manere, quoniam Turcæ non ſuſpicantur malum, hoc eſt, proditionem de mulieribus, imò eas pro nihilo omnino habent. Et ſanè de noſtra Maria non habebant quid ſuſpicarẽtur mali, quia paupere honeſtoque habitu incedebat, inopem degebat vitam, pietatiſque & charitatis operibus occupabatur, quas etiam admirantur & venerantur Turcæ ipſi. Religione erat tertij Ordinis S. Franciſci. Ita hîc communiter dicitur, quamuis hoc neget Auctor Partis 4. Chronici Ordinis S. Franciſci, lib. 7. c. 16. quod non fecit Gonzaga, ex quo illius exſcripſit martyrium. Imò arbitrari debebat quoquo modo illã pertinere ad Ordinem D. Franciſci, quia Gonzaga prouinciam aſſumpſit explicandi hiſtoriam Franciſcanæ Religionis, licet de iſta Maria agens non explicuerit quòd fuerit de illius Tertio ordine. An autem tale aſſumpſerit inſtitutum in patria ſua Luſitania, an Ieroſolymis, me latet. Potuit certè faciliùs commorari Ieroſolymis propter ſimilitudinem habitus cum Minoritano: & fortaſſe, quando venit Ieroſolymam, adhuc ibi habitabant Sorores Tertiariæ. Etenim ipſa occiſa eſt vt minimum anno Chriſti 1575. quoniam quando Gonzaga Opus ſuum euulgabat, vertebatur annus 1587. in eo verò ait eam duodecim inde annis paſſam fuiſſe: quo tempore fuiſſe Tertiarias Ieroſolymis, mihi probabile eſt; & ſi ita, cum illis commorari potuit. Sed quidquid ſit de hoc, ſi aliæ ibi non erant Tertiariæ, ſaltem ipſa erat. De iſta Dei famula iſta recenſentur.

Pietas & zelus Mariæ Luſitanæ.

In primis admodum pia ac deuota erat; & ideò frequenter magna cum veneratione ac pietate inuiſebat & honorabat ſanctiſſima loca, in quibus noſtræ ſalutis myſteria patrata fuere, quorum contemplationi tota erat addicta. Ad hæc magno amore afficiebatur erga proximos; quibuſque poterat obſequia ſedula exhibebat, propter Deum. Admodum familiaris erat Turcis mulieribus, quibus etiam libenter charitatis officia impendebat. Et quãuis viri Turcæ nimiùm zelotæ ſint ſuarum mulierum, nec videri eas à quoquam permittant, cum alijs tamen mulierbus, etiam Chriſtianis, eas conuerſari non ſolùm non prohibent, ſed vltrò concedunt. Conuerſabatur ergo cum illis noſtra Maria, dabat eis ſalutis monita, & ſingulariter illas adiuuabat in partu. Et ſi quando videbat illarum filios periclitari, zelo ſalutis illorum ſuccenſa, credens ſe rem Deo charam facere, illos clàm ſacro Baptiſmatis lauacro tingebat, quod & aliàs ſimili occurrenti occaſione faciebat, ex quo animabus illis ſalus & Chriſto gloria proueniebat.

Publicè Chriſtum laudat & prædicat.

Tandem plena bonis operibus, amoris & fidei igne exæſtuans, in ipſa Dominica Palmarum, quando ex conſuetudine fit Proceſſio à Bethphage vſque Ieroſolymam (de qua alibi erit ſermo) ipſa extollens vocem de medio turbarum, Oſanna filio Dauid Domino decantabat, & ſpiritu ebria, obibat ciuitatem, Mauris impietatem exprobrans, Mahometem condemnans, & dilectum ſuum Ieſum vnicum mundi Redemptorem deprædicans. Quod videntes Iudæi, inimici Crucis Chriſti, concitauerunt Mahometanos, vt de tam nefario ſcelere vindictam ſumerent, quo muliercula Chriſtiana præſumpſerit conuitia iactare in illorum Prophetã Mahometem; aliàs enim poſſe Chriſtianos iactare ſe de illis triumphaſſe. Facilè acquieuerunt impij impijs, quare magna ira & indignatione in fortẽ & virilem concionatricem irruerunt, & grauiter percuſſam & vulneratam, ſemimortuam traxerunt ad plateam Templi ſanctiſſimi Sepulchri Domini noſtri Ieſu Chriſti, vbi in ardentem rogum iectam concremauerunt; quod martyrij genus ipſa forti & inuicto animo ſuſtinuit, non ſine magna omnium fidelium & infidelium admiratione, quòd Chriſtiana muliercula tam feruidè Chriſtum vſque ad

Occiditur à Turcis.

mor-

mortem amaret. Eius ossa & cineres posteà Mauri & Turcæ Christianis magno pretio vendiderunt.

Fuerunt plerique alij Martyres, ait Gonzaga, quorum nomina tum ob raram cum Turcis consuetudinem, tum etiam ob frequentem familiæ Conuentus Ierosolymitani mutationem, nos latent, eorum tamen nomina in libro vitæ scripta sunt.

Circa Baptismum, quem Maria conferebat infantibus Turcarum, in articulo mortis constitutis (in quo quis posset suspicari illam grauiter deliquisse, quòd inuitis parentibus illos baptizauerit, quod non licet) aduerto, non crimen, sed opus magnæ charitatis fuisse operatam. Non possunt quidem filij infidelium, nullo modo subiectorum Ecclesiæ vel Principibus Christianis, quales sunt in præsentia Turcæ, inuitis parentibus ab Ecclesia baptizari, vt communis tenet Doctorum sententia, & talis baptismus ad minus iure Ecclesiastico est interdictus, & secundùm aliquos etiam diuino. Ratio, quia Ecclesia posset duobus modis tales infantes baptizare, Primò, eripiendo eos parentibus; secundò relinquendo eos sub illorum cura & potestate. Neutrum licet. Non primum, quia Ecclesia non habet iurisdictionem in eiusmodi parentes, nec spiritualem, nec temporalem; ergo non potest eos priuare suis rebus & possessionibus, ergo multò minùs filijs; hoc enim esset contra Iustitiam. Non secundum, quia duplex committeretur peccatum, sacrilegium & iniustitia. De sacrilegio patet: quia si filij infidelium baptizarentur inuitis parentibus, & simul relinquerentur sub cura & potestate parentum; iam ab ipsis instruerentur in idololatrica vel alia falsa, qualis est Mahometica, superstitione; & sic baptismus eorum profanaretur & contemneretur, quod est apertè sacrilegium. Ecclesia autem non debet dare causam huius sacrilegij.

Filij infidelium liberi inuitis parentibus baptizari possint.

De iniustitia patet dupliciter. Primò, quia infideles parentes, qui nullo modo subiecti sunt Ecclesiæ, habent plenam & absolutam potestatem in suos filios; ergo faceret illis iniuriam, qui contra eorum voluntatem baptizaret illorum filios. Secundò, quia Ecclesia ratione characteris acquirit ius in omnes baptizatos; ergo & acquireret tale ius in filios infidelium inuitis parentibus, & per consequens eriperentur è potestate parentum ipsis reclamantibus, quæ est manifesta iniuria.

In extremo mortis periculo possunt liberi inscijs parentibus baptizari.

Quamuis hæc ita se habeant, nihilominùs possunt prædicti infidelium filij licitè baptizari, duobus concurrentibus, primò, si sint in extremo mortis articulo; secundò, si baptizentur occultè & inscijs parentibus. his namque obseruatis vitatur sacrilegium & iniustitia. Sacrilegium, quia, si certò constet filium esse morturum, non est vllum periculum futuri sacrilegij. Vitatur iniustitia, quia non est opus eripere illum de patria potestate, quia paulò pòst per mortem est auferendus sine iniuria. Et licet ipti parentes in tali casu habeant ius in filium; tamen in necessitate fit hoc commune alijs. Itaque cùm pia hęc mulier secretò & inscijs parentibus moribundos eorũ baptizarit filios, non solùm non reprehendenda, sed laudanda erit. Quòd si potuit in illo facto crimen esse, Dei charitas, quæ ad pium opus impellebat, illud aufert, quoniam charitas operit multitudinem peccatorum, vel etiam ignorantia, in illa excusanda in eo casu.

Ex occasione nunc memoratorum Martyrum placet hîc vnum aduertere, posterionibus & nostris temporibus pauciores inueniri qui in terris Maurorum ab eisdem pro Christi fide martyrium sustineant. At vnde hoc? Respondeo, quòd, secluſa peculiari Dei voluntate, quæ tale munus non ita frequenter elargitur præsentibus, vt præteritis elargiebatur temporibus (est enim martyrium singulare Dei donum) duplici ex causa id possit accidere, quarum altera respicit ipsos fideles, & altera infideles.

Quæ fideles respicit, hæc est, quòd nostrates non sint perinde atque olim in fide feruẽtes, & amore Christi flagrantes, vt singulariter impleri videatur quod quondam dixit Dominus per Michæam, *Periit sanctus de terra, & sanctus in hominibus non est*, Mich. 7, 2. ideoq; non tot hodie, vt olim, videantur pro Christo pati. Vel, licet nostri temporis fideles, inter infideles habitantes, parati sint, Deo adiuuante, sese offerente occasione, libentẽr passionem quamlibet & mortem sustinere pro Christo; tamen illicitum & temerarium arbitrantur se illi exponere, præsertim spe non existente fructus, honoris inquam & gloriæ Dei, & salutis animarum, & quia similiter nunc, vt olim, ad martyrium non excitantur.

Quæ verò infideles respicit causa, est, quòd isti modò nõ perinde, vt olim, sint solliciti pro dilatãda sua secta & superstitione, sed potiùs toti sint pecunijs & diuitijs corradendis dediti, quæ si adsint, alia non curant, & si Christiani ipsi non præbeant occasionẽ, Martyres eos nõ faciunt. Insuper quia Principes infideles sciunt, se rem gratam facere fidelibus, si illos pro Christi fide interficiant, & quòd gaudeant cum Apostolis digni haberi qui pro nomine Iesu contumeliam patiantur, & quòd, si vita eis vi auferatur, sperent se martyrij corona donandos; ideò à morte inferenda abstinent, eosdem alijs

aliis modis affligentes. Et ita ſe eſſe expertos, viri omni fide digni teſtati fuere.

Hoc accidit aliquando Conſtantinopoli, & ſingulariter in Perſide. Verſabatur in iſta regione venerabilis quidam ſenex & ſanctus Monachus Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, totus inuigilans ſaluti animarum, qui etiam multos ſollicitabat vel ad ſchiſma & hæreſim relinquendam, & amplectendam Catholicæ Eccleſiæ vnionem, vel ad deteſtandum Mahometem atque impuram & deteſtabilem eius ſectam, & ad ſequendum Chriſtum, & eius puram & immaculatam legem, ad ſalutem neceſſariam, amplexandam. Hoc cùm ad aures Regis Perſarum peruenisſet, ſene accerſito, illum de ſancto opere grauiter redarguit. Cui reſpondit, ſe opus ſuum implere ad quod miſſus eſſet, pro quo & ipſam mortem libenter paratus eſſet obire. Rex reſpondit: Scio vos Chriſtianos multum deſiderare à Mahometanis occidi, vt martyres appellemini, & de hoc vos nomine valdè gloriari: ſed id à me non obtinebitis. Aliò ergo illum amandauit, ſtrictiſſimè præcipiens ne deinceps quemquam, vt anteà, ad ſui Chriſti fidem ſollicitaret. Hoc ipſum obſeruant etiam plures ex Occidentalibus hæreticis, quando in eorum manus veniunt Catholici.

Opinio & dictum Mauronum de mutantibus religionem.

Denique parum etiam vel nihili æſtimant Mauri, Chriſtianos, fide ſua abnegata, ipſorum ſuſcipere ſuperſtitionem. Vnde & quoſdam, qui, vt mortem ab illis inferendam euaderent, volebant relinquere fidem Chriſti & ſectam Mahometis amplecti, nec à morte exemerunt, nec eos Mauros fecerunt. Non ſemel etiam, quando videbant aliquos (diabolico ſpiritu agitatos) in mente habere Chriſtianam Religionem deſerendi, & Mahometanam ſuſcipiendi, multis rationibus diſſuaſerunt, & nullatenus ad ſuam ſectam admittere voluerunt, dicentes, non rectè eos facere, quòd Chriſtum pro Mahomete relinquant, nec eſſe hoc Dei voluntatem: quia ſi Deus id voluiſſet, non Chriſtianos, ſed Mauros eos natos fuiſſe. Præcipuè verò peſſimè ſentiunt de his qui religionem, in qua nati ſunt, deſerunt, dicuntque communiter: Qui bonus fuit Chriſtianus, numquam erit bonus Turca; & qui bonus fuit Turca, numquam futurus eſt bonus Chriſtianus. Non ſemel ab ipſis Turcis hæc dici audiui, & pluries ab aliis, quòd ſic dicant, intellexi. Cùm parum curent Turcæ Chriſtianos ſuæ ſectæ accedere, ideò etiam rarò reſiſtentes interficiunt: & hæc eſt ratio, quòd noſtris temporibus pauci Chriſtiani ab illis pro Chriſti fide interimantur, martyriúmq; corona donentur.

CAPVT VII.

Recténe fecerint F. Coſmas & Maria Hiſpani, morti ſe vltrò pro Chriſto exponendo.

OCcaſione eius quod fecerunt Fr. Coſmas & Maria, ex quo vtrique mors ſecuta eſt, explicanda eſt difficultas quædam, ex qua dijudicari quoquo modo poterit, an meritoriè, an potiùs demeritoriè morti ſe expoſuerint: non enim defuerunt, qui de illis, & præcipuè de Fr. Coſma ſiniſtrè iudicauerint. Difficultas hæc eſt, An licitum ſit ſe actu morti exponere pro fide Chriſti, eaque præſtare, ex quibus mors ſit ſecutura per infidelium manus.

Laudabiliter ſe quiſpiam morti exponere poſſe pro Chriſto, probatur.

Quòd liceat, & quòd laudabiliter fecerint Coſmas & Maria, Chriſtum & eius fidem confitendo, & quòd palmam obtinuerint martyrij, videmur indicaſſe, dum illorum factum, etiam à ſapientibus viris laudatum vt heroicum, retulimus. Deinde ita eſſe probatur, quia exterior fidei confeſſio, à fide interiori proueniens, eſt actus virtutis, ex diuo Thoma 2.2. q. 3. art. 1. ac conſequenter laudabilis & meritorius. Tertiò, Actus ille laudabilis ac meritorius eſt, ex quo ſalus noſtra prouenit; ſed hæc prouenit ex fidei confeſſione. *Si confitearis in ore tuo Dominum Ieſum*, inquit S. Paulus Rom. 10, 9. *& in corde tuo credideris, ſaluus eris. Corde enim creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem.* Quæ verba explicans diuus Auguſtinus in lib. de Fide & Symbolo cap. 1. ait: *Fides officium à nobis exigit cordis & linguæ.* Ac ideò optimè fecerunt Coſmas & Maria, dum quod fides requirit, præſtiterunt, Chriſtum palàm confitendo contra illum negantes.

Pro ſolutione huius difficultatis, vt certa à dubiis ſecernantur, octo ſtatuo Concluſiones.

PRIMA CONCLVSIO. Morti ſe exponere pro Chriſto eiuſque fide, non ſolùm licitum eſt, ſed etiam excellentiſſimum opus religionis. Eſt de fide. Et probatur Primò ex duobus anteadductis argumentis. Secundò, quia Eccleſia ſemper excellentiſſimum opus habuit martyrium. Tertiò, quia illud laudatum & varie compenſatum inuenimus in Scripturis. Chriſtus dixit: *Qui perdiderit animam ſuam propter me, inueniet eam*, Matth. 10, 39. *Si cupis vitam tenere cum Chriſto, noli mortem timere pro Chriſto*, inquit D. Auguſtinus Tract. 51. in Ioannem. Vnde S. Stephanus primus martyr in ipſo confeſſionis fidei & martyrij actu *vidit cælos apertos, & Ieſum ſtantem à dextris virtu-*

tis

tiũ Dei, Act. 7, 56. Denique licitum & laudabile eſt morti ſe exponere ſponteneè propter amicum, vt ex pluribus Doctoribus probat Petrus Nauarra lib. 2. De reſtit. cap. 3. num. 38. ergo multò magis propter Deum.

SECVNDA CONCLVSIO. Se voluntariè morti exponere, non ſemper eſt laudabile ac meritorium, ſed nonnumquam vitioſum & damnabile. Probatur; quia oblatio ad mortem eſt actus maximę dilectionis, Chriſto dicente, *Maiorem charitatem nemo habet, vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis*, Ioan. 15, 13. & reſpicit præceptum de diligendo Deum. Hoc cum ſit affirmatiuum, licet obliget ſemper & pro ſemper ad non eliciendum actum contrarium, id eſt, odij Dei & abnegationis fidei (quia præceptum affirmatiuum includit negatiuum: vt, *Dominum Deum tuum adorabis*, includit hoc, *non habebis deos alienos coram me*, quod cùm negatiuum ſit, obligat ſemper & pro ſemper) non pro ſemper obligat ad exteriùs actum producendum, non quia actus exterior bono interiori reſpondens, in ſe bonus non ſit, ſed quia ex illo malum prouenire poteſt. vnde ſcriptum eſt: *Iuſtè quod iuſtum eſt exequere*, Deut. 16, 20. Sed quando erit neceſſarium & laudabile ſe morti exponere pro Chriſto & illius fidei confeſſione, & quando vitioſum?

TERTIA CONCLVSIO ſit pro reſponſione. Confeſſio Chriſtianæ fidei tunc laudabilis, neceſſaria & meritoria eſt, quando cedit in honorem Dei, & proximi vtilitatem. Talis verò tunc erit, vel Primò quando perſona publica quempiam de ſua fide interrogat. Colligitur ex illo: *Qui me erubuerit, & meos ſermones, hunc Filius hominis erubeſcet, cùm venerit in maieſtate ſua*, Lucæ 9, 26. Et publicæ perſonæ, vt iudici, tenemur reſpondere, alioquin qui non confitetur, erubeſcet. Ita Sancius lib. 2. Moral. c. 4. n. 6. Lege D. Thomam 2. 2. q. 3. art. 2. vel Secundò, quando ex ſilentio tuo puſilli ſcandalum pati poſſent, illi enim, videntes Præſules non audere ſuam confiteri religionem, ſcandalizari poſſunt, credereque veram non eſſe, cùm illam erubeſcant confiteri. Nam, vt rectè argumentatur Nicolaus Papa c. Sciſcitatis, 7. quæſt. 1. ſi gubernator nauis in tranquillitate non debet deſerere nauim, multò minùs in tempeſtate: ex quo infert, neque Paſtorem in periculis perſecutionum debere ſuos ſubditos deſerere. Ita D. Thomas loco citato. vel Tertiò vtilis & meritoria erit in his, qui ab habente auctoritatem mittuntur ad prædicandum Euangelium infidelibus, ex quorum prædicatione fructus ſperatur. Ideò laudandi Apoſtoli, qui miſſi fuerunt à Chriſto in mundum vniuerſum, vt prædicarent Euangelium omni creaturæ: & non erat dubitandum de illorum nece, cùm mitterentur vt agni inter lupos, quemadmodum & factum fuit, vt omnes pro Chriſtianæ fidei prædicatione martyrio coronati fuerint. Similiter laudantur alij Apoſtolici viri, miſſi ad infideles pro fidei Chriſtianæ dilatatione, etſi ex illius prædicatione, & errorum reprobatione facilè mors timeri potuerit. Et ſi oppoſitum verum eſſet, numquam prædicaretur Euangelium per mundum vniuerſum; & Summi Pontifices prædictis vt operi heroico inſiſtentibus, varias gratias & eximia priuilegia non conceſſiſſent.

QVARTA CONCLVSIO. Propria voluntate ſe periculo mortis exponere pro fidei Chriſti confeſſione, non licet, & damnabile eſt atque mortale, temerè eam prædicare, cùm ex prædicatione nullus fructus ſperatur, ſed timetur damnum, Dei & fidei contemptus, atque infidelium perturbatio. Eſt communis omnium ſententia. Probatur quoad ſingulas partes. Et quoad primam exemplo Apoſtolorum, & aliorum virorum qui eorum veſtigia ſunt ſecuti: illi non niſi à Chriſto miſſi, nec niſi poſt viſibilem Spiritus ſancti miſſionem ſuper eos prædicauerunt publicè Chriſtum Ieroſolymis, & diuiſi fuerunt ad prædicandum Euangelium per vniuerſum orbem. Et Apoſtolus inquit de huiuſcemodi, *Quomodo prædicabunt, niſi mittantur?* Rom. c. 10. verſ. 15.

S. P. Franciſcus in ſua diuina Regula loquens de Fratribus euntibus ad Saracenos & alios infideles, vult eos eſſe motos à Spiritu ſancto, & habere à ſuis Superioribus eundi facultatem. ſic enim dicitur in illius cap. 12. *Si qui Fratrum diuina inſpiratione voluerint ire inter Saracenos & alios infideles, petant inde licentiam à ſuis miniſtris Prouincialibus*, &c.

Praxis omnium Religionum & totius Eccleſiæ ita docet. Nulli enim eunt laudabiliter ad prædicandum Euangelium infidelibus, niſi Apoſtolica auctoritate, & Superiorum licentia. Et mirabile eſſet, non licere cuiquam in terris fidelium prædicare abſque approbatione & licentia Superiorum, & licere abſque eadem prædicare in partibus infidelium, in quibus magnum imminere poteſt periculum contemptus honoris Dei, Chriſtianæ religionis, & ſalutis animarum.

Ad hæc, non licet ſe interimere, igitur nec exponere periculo mortis; quia *qui amat periculum, peribit in illo*, vt dixit Sapiens Eccli.

Eccli. 3,27. Antecedens est omnium Doctorum consensus, de quo fortè aliàs.

Denique, cùm martyrium non minùs quàm fides sit donum Dei, vt docet S. Paulus, liberè à Deo expectandum est: quare licet necesse sit, semper animo paratum esse necessitate occurrente mori pro Christo, & precibus à Deo contendere, vt tale donum largiatur, item modo congruo martyrij occasionibus se exponere, vt fecerunt plerique Sancti; numquam tamen licet modo incongruo, & temerè, illud (vt ita dicam) extorquere.

Quibus & quando in persecutionibus fugere liceat.

Altera pars Conclusionis, quòd non liceat aut expediat confiteri Christum, sed se occultare, quando malum timetur, probatur ex sententia Saluatoris, dicentis: *Cùm autem persequentur vos in ciuitate ista, fugite in aliam*, Matth. 10,23. Ista verba possunt dupliciter intelligi, vel absolutè de omnibus fidelibus, vel singulariter de Prælatis. Si primo modo intelligantur, tunc licebit cuique in tyranni persecutione fugere, vel se occultare, ne cogatur respondere de rebus fidei. Ratio est, quia qui fugit in tali casu, non significat per suam fugam se non esse Christianum, vel negare velle fidem Christi, sed potiùs contrarium, se nolle fidem Christi negare, & ideò fugere periculum negandi. Et hac fortassè ratione Christi discipuli in Magistri sui passione eo relicto fugerunt, & in quibusdam latibulis se absconderunt, & non audebant in publicum prodire propter metum Iudæorum, ne de Christo interrogati, ex timore mortis illum negarent, sicut negauit Petrus, qui in palatio Principis sacerdotum esse voluit illo tempore: vel desiderio diutiùs viuendi, vt possint fidem Christi propagare, quod præcipuè in Prælatis & prædicatoribus contingere potest.

Hoc licet considerare in Apostolo Paulo, qui scribens ad Philippenses, sic ait: *Mihi enim viuere Christus est, & mori lucrum. Quòd si viuere in carne, hic mihi fructus operis est, & quid eligam ignoro. Coarctor autem è duobus: desiderium habens dissolui, & esse cum Christo, multò magis melius: permanere autem in carne, necessarium propter vos. Et hoc confidens scio quia manebo, & permanebo omnibus vobis, ad profectum vestrum, & gaudium fidei*, Philippens. 1, 21. Quare cùm esset Damasci, & ab hostibus Christi quæreretur ad mortem, ac ne euaderet custodirentur portæ ciuitatis, per murum in sporta dimissus fuit. Idem porrò Paulus ad Philippenses, de Epaphrodito (quem fratrem, cooperatorem, commilitonem suum, & illorum Apostolum appellat) & de seipso ait: *Nam & infirmatus est vsque ad mortem: sed Deus misertus est eius; non solùm autem eius, verùm etiam & mei, ne tristitiam super tristitiam haberem*, Philippens. 2, 27.

Igitur secundo modo intelligendo verba illa Saluatoris de Prælatis, licet illis se fructuosè occultare, & fugere tempore persecutionis, non suæ vitæ amore, sed suorum subditorum necessitate, ne filij absque patre, & oues sine pastore relinquerentur, quas lupi rapaces inuaderent ac dilacerarent, & paruula fortè adhuc Ecclesia defectu operariorum non se posset multum extendere & fructificare. Ideò & Christus laudabiliter opportuno tempore fugit & se occultauit ab hostibus, Paulus similiter, Siluester, Athanasius, & alij, qui sua vita Ecclesiæ multò plus profuerunt, quàm morte profuissent.

Noxia fuga quæ.

Verùm fuga Pastorum esset illicita, si persecutioni relinquerentur oues solæ; & fides ipsa paruifieret, si illam in necessitate non defenderent, cùm id eis tamen incumbat, ex supradictis in Tertia Conclusione. Denique damnabile esset se morti exponere, cùm exinde sequeretur contemptus fidei, & infidelium perturbatio. Hoc colligitur ex D. Thoma 2.2.q.3. art.2. qui ad hoc adducit illud Saluatoris, *Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos, ne fortè conculcent eas pedibus suis, & conuersi dirumpant vos*, Matth. 7,6. & *Sine offensione estote Iudæis, & Gentibus, & Ecclesiæ Dei*, 1. Cor. 10, 32. Vnde Nauarrus cap. 15. num. 12. putat vitiosum ac mortale peccatum contra propriam dilectionem, martyrio se indiscretè offerre, quia tunc cedit in fidei & Christi dedecus.

QVINTA CONCLVSIO. Cùm se morti exponere, & singulariter pro Christo, non sit intrinsecè malum, potest licitè fieri, Deo videlicet inspirante. Probatur, quoniam Deus est vitæ cuiusque Dominus, potest ergo præcipere vt illa pro suo honore martyrio exponatur. Non videtur habere dubitationem ista Conclusio. Vnde Doctores, illos qui se morti pro Christo exposuerunt, & tamquam sanctos Martyres veneratur Ecclesia, à peccato & homicidio excusant, & laudant pro opere heroico, quòd se morti exposuerint Spiritu sancto mouente & impellente.

SEXTA CONCLVSIO. Secluſa speciali Spiritus sancti illustratione, vel Ecclesiæ determinatione, sciri nequit, an qui se sponte morti obtulerunt pro Christo, id fecerint moti Spiritu sancto, an potiùs humano vel diabolico. Probatur, quoniam si posset sciri, id fieret vel à Deo, vel ab homine, vel à dæmone, à priori vel à posteriori, vt dicitur,

Digitized by Google

hoc eſt, ex cauſis vel effectibus. Sed ex his ſciri nequit. Non ex Deo, *Quis enim cognouit ſenſum Domini? aut quis conſiliarius eius fuit?* inquit ex Iſaia S.Paulus Rom.11,34. Non ex homine, quoniam, vt inquit Ieremias, *prauum eſt cor omnium, & inſcrutabile: quis cognoſcet illud?* Ierem.17,9. Non ex dæmone, tum quia eſt pater mendacij, tum quia illum latent non ſolùm Dei, ſed etiam hominum cogitationes & conſilia: tum quia non ſemel angelus ſatanæ transfigurat ſe in Angelum lucis, vt inquit Apoſtolus. quapropter monet nos dilectus Chriſti diſcipulus, ne omni ſpiritui credamus. Neque poteſt ſciri ex effectibus, quia ipſi ex ſe non reddunt infallibilem aſſenſum, quia quemadmodum plerique ſupernaturaliter contingere poſſunt, ita & naturaliter: quare vt veram fidem faciant, eos videlicet prouenire à ſupernaturali virtute in teſtimonium ſanctitatis alicuius, neceſſaria eſt peculiaris Spiritus ſancti illuſtratio, & Catholicæ Eccleſiæ in Spiritu ſancto legitimè congregatæ approbatio.

SEPTIMA CONCLVSIO. Etſi neceſſariò & infallibiliter ex effectibus cognoſci nequeat, eum qui contra communem legem morti ſe exponit pro Chriſto, moueri à Spiritu ſancto, & conſequenter non delinquere in legem. *qui* enim *Spiritu Dei ducuntur, non ſunt ſub lege*, vt inquit ſanctus Paulus ad Galat.5,18. & ex morte conſequi coronam martyrij; tamen probabiliter ex operibus diiudicari poteſt. *A fructibus eorum cognoſcetis eos*, inquit Chriſtus Dominus Matthæi 7,16.

Signa diuina motionis.

Et quinam ſunt fructus & ſigna, quibus cognoſci poteſt, motionem eſſe à Spiritu ſancto? Difficile eſt huic ſatisfacere difficultati, vt docent Doctores qui de hac materia agunt. Dicam tamen breuiter quod ad intentum facit, Chriſtianæ fidei & propriæ profeſſionis obſeruantiam, nec non operis arduitatẽ cum hilaritate aſſumptam, non ineuidentia eſſe argumenta, hominem in ſuis operibus moueri à Spiritu ſancto. Ratio eſſe poteſt, quia huiuſmodi Deum inhabitantem habet ducem & paſtorem, ac ideò non permittet illum in abrupta prolabi, & à contrario ſpiritu nequam moueri: & Deus non, vt dæmon, ducit per latam & ſpatioſam perditionis viam, ſed per arctam & anguſtam crucis & ſalutis. Conſidera quæ diximus Lib.III. Cap.XXV. & hæc mihi ab omni dubio aliena eſſe videntur, non item quæ ſequuntur. Pro quibus ſit

OCTAVA CONCLVSIO. Non omnino certum eſt, aut extra dubitationem, Coſmam & Mariam Luſitanam, confitendo Chriſtum, prudenter & laudabiliter feciſſe, ductos fuiſſe à Spiritu ſancto, poſt mortem toleratam dicendos propriè Sanctos: laudabiliter tamen eos feciſſe, idq; ductu Spiritus ſancti, & propter toleratam mortem Martyres eſſe dicendos, valdè probabile eſt. Et quantum ad primam partẽ patet Concluſio ita ex dictis ſuprà in ſecunda, tertia, quarta & quinta Concluſionibus, quæ ſi accommodentur ad propoſitum, amplius explicatur. Perperàm feciſſe tam F. Coſmam quàm Mariam, videntur hæc perſuadere, primò, quòd neutri conueniebat Chriſti Euangelium prædicare, vtriuſque ſtatu conſiderato, ſed potiùs id vtrique fuit interdictum. Deinde, quia nulla data occaſione, non vocati ad reddendam rationem de ſua fide, cùm inſuper probabiliter timere poterant, prædicationem ſuam futuram infructuoſam, & infideles potiùs exacerbandos, & ad iram ac indignationem, quàm ad pœnitentiam & fidem ſuſcipiendam eſſe permouendos, certæ morti ſe fruſtrà obiecerunt. Probabiliter timere poterant futuram infructuoſam ſuam prædicationem, non ad Chriſti fidem pœnitentiamque ſuſcipiendam, ſed ad indignationem & iram infidelium turbationem excitandam, vt excitata & ſecuta fuit. Tertiò, quia de diuina vocatione ad illam confeſſionem faciendam non conſtat.

Ex altera parte arbitrari poſſumus eos fuiſſe à Domino motos, Primò, quia qui illos cognouerũt, teſtati ſunt fuiſſe ſuæ profeſſionis obſeruantiſſimos: vnde non eſt credendum, tam arduam fuiſſe aggreſſos prouinciam contra ſuam profeſſionem, abſque ſpeciali Spiritus ſancti illuſtratione: nemo enim carnem ſuam odio habet, nec ordinariè ad huiuſmodi excitat dæmon; alioquin enim ſui regni moliretur deſtructionem. Deinde, quia licet habitu vel hominum iuſſu non tenerentur ad publicam illam celebrationem Chriſti gloriæ, fortè tenebantur diuino; nam ſtatui & ſexui illorum ille non repugnabat, cùm ſcriptum ſit, *Pauper & inops laudabunt nomen tuum*, Pſalm.73,21. & nouimus ex Scripturis, non tantùm doctos viros, ſed etiam pauperes & ex plebe vtriuſque ſexus homines, Chriſtum Dominum Regem & mundi redemptorem prædicaſſe, idque laudabiliter & meritorie. Vnde cùm in die Palmarũ Chriſtus honorifico triumpho ingreſſus fuiſſet Ieroſolymam, & non ſolùm diſcipuli, ſed pueri quoque & omnes turbæ, quæ cum gaudio præcedebant & ſequebantur eum, clamarent: *Hoſanna filio Dauid, benedictus qui venit in nomine Domini; hoſanna in altiſſimis*, Matth.21,9. Principibus Sacerdotum & Scribis id ægrè atque indignè ferentibus,

tibus, Chriſtoque dicentibus vt ſilentium illis imponeret, reſpondit: *Vtique. Numquam legiſtis: Quia ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem?* verſ. 16. &: *Si hi tacuerint, lapides clamabunt*, Luc. 19,40. Et quare? quia moti erant à Spiritu ſancto ad laudes illas Deo ſuo promendas, etſi illud latuerit Principes Sacerdotum & Scribas. Ita dicere poſſumus in propoſito, quamuis non conſtet nobis de peculiari Spiritus ſancti impulſu, quo Coſmas & Maria moti fuerunt ad confitendum publicè Chriſtum, cùm liberum ſit nobis iudicare, fuerint an non à Spiritu ſancto inſpirati, in magis piam & probabilem partem interpretari debemus, motos verè fuiſſe à Spiritu ſancto ad laudabile & heroicum opus, & à communi lege illos exemptos fuiſſe. Et cauſa & fructus ſufficiens, fuit diuina inſpiratio, & Chriſti honor, qui ex illa confeſſione proceſſit.

Nec obeſt ille infidelium tumultus in illo peculiari caſu, ſicut nec propter turbationem Principum, Sacerdotum & Scribarum Iudaici populi, deſtiterunt turbæ à diuinis laudibus, nec ab illis fuerunt prohibitæ à Chriſto Domino.

Fauere adhuc videtur facto Coſmæ & Mariæ illuſtre exemplum Mennæ martyris ab Eccleſia approbatum, cuius etiam natalitium diem celebrat die 11. Nouembris, de quo & ſic ait: *Mennas Aegyptius, Chriſtianus miles, in perſecutione Diocletiani & Maximiani Imperatorum, cùm pœnitentiæ cauſa in ſolitudinem ſeceſſiſſet, natali die Imperatorum, quo populus celebri ſpectaculo tenebatur, in theatrum proſiliens, libera voce Gentilium ſuperſtitionem inſectabatur. Quamobrem comprehenſus, & Pyrrho Præſide in metropoli Cottienſium Phrygiæ vinctus, loris crudeliter, deinde equuleo tortus, lampadibus ardentibus ad corpus admotis, plagiſq; cilicio confricatis, tum per tribulos & virgas ferreas manibus ac pedibus colligatis tractus, plumbatis etiam contuſus, demum gladio interficitur, in ignemq; coniicitur. Corpus inde à Chriſtianis ereptum ſepultum eſt, ac poſteà Conſtantinopolim tranſlatum.* Si igitur Eccleſia Mennam pro ſancto & martyre habet, quoniam etſi non vocatus iuſſúſve eſſet deteſtari Gentilium ſuperſtitionem, nec officio eſſet concionator, illam tamen deteſtatus fuit, & in illius deteſtatione ſæuiſſimam mortem obiuit; quòd piè credat, talem virum ad tale opus motum fuiſſe à Spiritu ſancto: cur & nos ſimiliter piè credere non poſſumus, Coſmam & Mariam adductos fuiſſe ad comdemnationem Mahometicæ ſectæ, & exaltationem Chriſtianæ religionis? in qua cùm viriliter perſeueraſſent, & crudelem mortem à Chriſti hoſtibus ſuſtinuiſſent, ſancti ac martyres dici non improbabiliter & piè poſſunt.

Laudabilis Mennæ martyris fœtus.

Propter dicta itaque piè ac probabiliter dicere poſſumus, illos ex tolerata morte ob Chriſti laudem, Mahometicæ ſectæ deteſtationem, ac Chriſtianæ religionis confeſſionem, martyrij corona fuiſſe donatos. Quòd ſi aliquis interceſſit næuulus ex hamanæ prudentiæ defectu, dicamus charitate & morte fuiſſe ſublatum.

CAPVT VIII.

De venerabili ſeruo Dei F. Angelo à Meſſana, ſacri montis Sion Guardiano.

IN iſtis partibus meritis S. P. Franciſci floruiſſe ſemper ex eius Sodalitio Fratres tanti Patris æmulos, & ſui inſtituti obſeruantiſſimos, quique ſanctis & honeſtis operibus velut cæleſtibus radiis militantis & triumphantis Eccleſiæ cælum illuſtrarunt, & velut lucernæ ardentes ac lucentes poſitæ in caliginoſo loco infidelitatis illuminarunt ſedentes in tenebris & vmbra mortis, etſi apud homines modica vel nulla extet memoria, mihi à dubitatione alienum videtur. Naturali enim, diuino & Eccleſiaſtico Iure non niſi probatiſſimi viri, & meliores totius Ordinis Seraphici Religioſi à Superioribus mitti debent ad Terram ſanctam, vt Libro III. oſtendimus. Et quamuis non abnuam, aliquando tales non venire; nihilominùs pro maiori parte quales deſcripſimus mitti, vt opportunè prouiſum ſit cuſtodiæ locorum ſanctorum, quique pleni bonis operibus in ſanctis locis ad extremum vſque diem perſeuerauerunt, & ex terreſtri ad cæleſtem Ieruſalem euolarunt, aſſeueranter dico; ac proinde omni memoria digni, etſi aliud peculiare ſupra ſui inſtituti obſeruantiam non fecerint. Sanctus ſiquidem Vincentius Ferrerius, Apoſtolicus concionator, & illuſtriſſimi Ordinis Prædicatorum decus & ſplendor, in quodam Sermone de S. Franciſco de illius Regula ſic ait: *Qui illam Regulam ſeruat, ſanctus eſt, & quando moritur, poſſet canonizari.* Et Nauarrus, pius ac inſignis Doctor, eamdem Regulam obſeruantes in Martyrum tabulis deſcribi poſſe docet. *Veneror*, inquit, *Regulam illam altiſſimam S. Franciſci, vt obſeruantes eam ad vnguem & mentem Auctoris, reputem eos quoſdam increentos Martyres.* Et Præſul illam vouenti dicit: *Si tu hac ſeruaueris, ego promitto tibi vitam æternam, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, amen.* Et idem etiam promittit S. Franciſcus in fine ſui Teſtamenti.

S. Vincentij Ferrerij encomium Regulæ Minorum.

Aliud Nauarri.

Cùm igitur multi in hiſce partibus Minoritanæ Regulæ obſeruantes obierint, dicendum eſt, eoſdem eſſe in memoria æterna apud Deum: ſed apud homines non item, vel propter incuriam, vel propter humilitatem, vel quia tantùm memoriæ commitendos arbitrantur eos qui heroicis operibus aſſumptum vitę inſtitutum conſummarunt. Ego nihilominùs paucos hîc referam mihi notos, ſuæ Regulæ obſeruantia conſpicuos, & ſingulari in Deum & proximum dilectione celebres.

In primis verò celebris ac recens memoria eſt P. Angeli à Meſſana, Prouinciæ Siciliæ, re ac nomine Angeli, prout tam Fratres quàm & ſæculares, qui longo tempore illius honeſta, pia laudabiliq́ue conuerſatione perfruiti ſunt, teſtati fuere. Ego ſiquidem illum non vidi, nam è viuis deceſſerat anno vno ante quam ego prima vice veni Ieroſolymam; quare ex aliis, fide tamen dignis, deſcribam laudabilem eius vitam, & laudabiliorem exitum. Pater iſte venerabilis ex Chriſtianitate de licentia Superiorum venit in Terram ſanctam, in qua cum laude vixit vigintiquinque annorum curriculo. Officio concionator erat, in Arabico idiomate non mediocriter verſatus, & in traditionibus locorum ſanctorum inſigniter eruditus. Multùm inſeruiuit locis ſanctis, pro quibus & multa paſſus fuit. Et mirabile eſt, quòd adeò amabilis fuerit illius conuerſatio, vt omnibus charus eſſet, fidelibus & infidelibus, ſchiſmaticis & Turcis, & vt omnes illum pluris fecerint & venerati fuerint. Vinculis nihilominùs non ſemel conſtrictus, & in carcerem coniectus fuit Ieroſolymis à Turcis ob conſeruationem locorum ſanctorum: Turcæ enim, qui virtuti præferunt diuitias, pro illis iniuſtè extorquendis multa moliti fuere in virum omni honore dignum. Anno Domini 1609. cùm ipſe eſſet Ieroſolymis, fuit Romæ in noſtri ſacri Ordinis generalibus Comitiis creatus Guardianus ſacri montis Sion, quod munus magno cum ſtudio & diligentia per duos annos dumtaxat adminiſtrauit, poſt quos anguſtiis magis & tribulationibus, quàm ſenectute preſſus, è vita deceſſit. Pietas & deuotio illius erga loca ſancta erat admiranda: frequenter enim illa viſitabat, & alios ad eadem viſitanda excitabat, & tanta pietate & cordis teneritudine erga illa afficiebatur, tam crebras ibi preces fundebat, tam attentè noſtræ ſalutis myſteria meditabatur, vt non niſi lacrymis perfuſus ab illorum viſitatione receſſerit.

F. Angelus à Meſſana viginti-quinque annis laudabiliter in Terra ſancta vixit.

Pietas & deuotio erga loca ſancta.

Cùm in grauem morbum incidiſſet, quem, etſi ſat prolixum, libentiſſimè & patientiſſimè propter Deum ſuſtinuit, vbi præſenſit corporis ſui diſſolutionem immineré, conuocatis Fratribus, pium ad illos habuit ſermonem, in quo de culpis commiſſis toto vitæ ſuæ tempore, & in primis in regimine locorum ſanctorum à Deo & Fratribus veniam petiit, futurum ſucceſſorem ad meliùs & ſtudioſiùs gubernandum, Fratres ad obedientiam auxiliumq́ue ferendum, omnes denique ad ſuæ Regulæ obſeruantiam, ad pie ſancteq́ue viuendum, vt par erat, in ſanctiſſimis locis, & ad eorumdem piam ac frequentem venerationem fuit cohortatus: vt grati Deo eſſent, quòd digni habiti ſint habitare in domo Dei, & electa hereditate eius. Et quamuis debilis, & ex graui infirmitate ferè exanimis, ſpiritu tamen fortior & vegetior, ex cubili ad Eccleſiam, & ex lecto ad altare deferri voluit, vbi genibus flexis, fune, qua cingebatur, ad collum admota, magna cum humilitate, deuotione ac lacrymis ſacratiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum & ſalutare Viaticum ſuſcepit. Delatus ad lectum, oleo ſancto ex Eccleſiaſtico more inunctus, & omnibus ſacroſanctæ Eccleſiæ Sacramentis munitus, ab orantibus & lugentibus Fratribus circumdatus, animam reddidit Redemptori. Delatum deinde fuit illius corpus ad ſacrum montem Sion magna cum ſolemnitate, comitantibus non ſolùm Fratribus, ſed etiam Chriſtianis aliis, Catholicis & ſchiſmaticis, flentibus ac dolentibus ob tam amabilis & communis Patris amiſſionem. Poſtquam corpus tumulatum fuit, & ſuper ipſum diuina de more completa ſunt officia, ſupra tumulum titulus, marmor videlicet, erectus fuit, vt ſit Ieroſolymis his qui in Guardianatus officio occumbunt, vbi Orientales nationes ob pietatem & reuerentiam in venerabilem virum, non modò tunc, ſed etiam poſteà preces fuderunt, & fundunt vſque in hodiernum diem, deſuper herbas & flores ſpargentes, vt oculatus teſtis ego teſtari poſſum.

Eccleſiaſtica ſacramentis munitus in Domino obdormiuit.

Prædicto Patri ſucceſſerunt in officio alij, quorum tres apud ipſum ſepulti fuerunt. Primus fuit P. Rufinus, Prouinciæ Siciliæ, ex Vicario Præſes electus à Fratribus poſt Guardiani mortem, vir pius ac bonus. Secundus fuit P. Baſilius Baſilij à Capraro-la, Prouinciæ Romanæ actualis Diffinitor. Tertius P. Franciſcus Dulcedo, Prouinciæ Ianuæ Diffinitor, & vterque Theologus ac concionator generalis, ſcientia & vitæ integritate conſpicuus.

CAPVT

CAPVT IX.

De laudabili vita & felici tranſitu F. Ludouici Maßilienſis.

ANno Domini ſexcenteſimo decimo ſeptimo ſupra milleſimum miſſus fuit ab Ordinis Prælatis Ieroſolymam ex Gallia & ciuitate Maſſiliæ Frater quidam Maſſilienſis, profeſſione laicus, Prouinciæ S. Ludouici, nomine Ludouicus, vir humilis, deuotus, ac pius, & in ſeruiendo Deo & Fratribus ſedulus, talis ſemper habitus in ſua Prouincia, & Ieroſolymis, vbi duobus annis magna cum laude vitam egit. *Et non eſt parum*, vt dixit Thomas à Kempis de Imitatione Chriſti lib. 1. c. 12. *in Monaſterijs vel in congregatione habitare, & inibi ſine querela conuerſari, & vſque ad mortem fidelis perſeuerare. Beatus, qui ibidem benè vixerit, & feliciter conſummauerit.* Hic Dei ſeruus inter alia obedientiæ officia libenter & hilariter hortulani officio fungebatur in Conuentu S. Saluatoris; omnibus tamen aliis charitatis officiis Fratres, quoad poterat, læto vultu & indefeſſus proſequebatur. Et quamuis ſolitudinis amantiſſimus eſſet, nihilominùs loca ſancta, quibus totus intentus erat, frequenter ac deuotè viſitabat, numquam ex illorum viſitatione ſatiatus: quare etiam in infirma valetudine, quoties ſeſe offerret occaſio illa viſitandi, toties (alia obedientia non impeditus) viſitabat.

Affectus F. Ludouici erga loca ſancta.

Ex multo autem labore & continuis vigiliis (vt ab omnibus creditum fuit) grauiter laterali morbo fuit correptus, in quo patientem & hilarem ſe oſtendit, Deo ſemper gratias agens, quòd in loco, vbi ipſe pro nobis peccatoribus acerbiſſimam paſſionem & mortem pati dignatus fuit, ipſum modica illa infirmitate voluerit viſitare. Et magna cum animi demiſſione & lacrymis ſanctæ Eccleſiæ Sacramentis, Pœnitentia, Euchariſtia & Extrema Vnctione ſuſceptis, ingraueſcente morbo, paulò antè quàm ſpiritum redderet Saluatori, his ferè verbis ſuum ſpiritualem Patrem alloquebatur: *Pater Martine* (tali enim nomine appellabatur eius Confeſſarius eiuſdem patriæ ac Prouinciæ) *nemo ſcit quantus ſit conflictus animæ & corporis in hoc ex mundo diſceſſu: ego enim, qui natura corporis viribus valebam, & ab incunte ætate ad hoc vſque tempus in laboribus & exercitijs corporalibus ſine moleſtia vitam tranſegi; nunc tamen, niſi me Deus ſua peculiari gratia adiuuaret, talem conflictum ſuſtinere non valerem, & ſingulari Dei gratia tribuo, quòd non deſperem.* Et ſæpiſſime ſpiritualem Patrem de pertinentibus ad ſalutem conſulebat. Et ipſo manè ſui obitus dixit ad illum: *Pater, ego ſemper ſimplex & idiota fui, de viſionibus & ſpirituum diſcretionibus penitus ignarus; attamen ex libris ſpiritualibus qui à Fratribus in Refectorio leguntur, aliquando audiui, tale diſcrimen eſſe inter bonam & malam viſionem ſiue reuelationem, quòd quæ à ſpiritu nequam procedit, in principio magnam conſolationem, ſed in fine maiorem afferat triſtitiam; econtrà quæ à Deo & Angelis eius, initio metum & pauorem inducit, cui poſteà ſuccedat gaudium & pax in Spiritu ſancto. Hoc ideò dico, Pater, quoniam parum antequam huc accederes, vidi iuxta me lucidiſſimum adoleſcentem in veſtibus albis coruſcantem, qui dixit mihi ſe eſſe Angelum meum Cuſtodem, ad cuius aſpectum exterritus, ab eo hiſce verbis repletus fui conſolatione & gaudio ſuperfuſus: Frater Ludouice, bono animo eſto, hodie enim abſque pœnalibus Purgatorij pœnis cæleſtem Ieruſalem adibis, vbi Deum optimum maximum, ſicuti eſt, videbis. Quid, Pater*, dicebat, *de iſta viſione credere debeo?* Cui reſpondit Pater, benè eſſe de gratia Dei & diuina ſperandum miſericordia, cùm priorem illam triſtitiam poſteriori gaudio compenſarit & extulerit. Addiditque, num aliquo peccati ſcrupulo laboraret. Reſpondit: *Gratias ago Deo meo, quia ex quo Seraphicam hanc Religionem ſum ingreſſus, non memini legem Dei & Regulam ſancti P. Franciſci violaſſe, & in aliquo tranſgreſſum fuiſſe.* Admonebatur tum à Confeſſario vt maximè in Chriſti Domini paſſione, meritis B. Virginis Mariæ, S. P. Franciſci, & omnium Sanctorum ſpem ſuam collocaret, quibus & viſionem illam adſcriberet, & nõ ſuis meritis, in quibus fidendum non eſſet; ſed totum animæ ſuæ negotium diuinæ gratiæ eſſe committendum. In iis colloquiis adſtantes Fratres inſtanter rogauit, vt vbi primùm agonizare cœpiſſet, ſanctiſſimum Domini noſtri Ieſu Chriſti nomen, cui deuotiſſimus erat, alta voce ei inclamarent; & in ſignum quòd ſentiret, ſe manum ſuam tangentes reſtricturum. Haud diu in agone egit loquelæ expers, ſigno tamen memorato indicabat, ſe dulciſſimum Ieſu nomen, in quo oportet nos ſaluos fieri, audire. Quibus omnibus expletis, magna cum pace, & vultus ſerenitate, dilectus Deo & hominibus Ludouicus obdormiuit in Domino, factuſque eſt in pace locus eius, & habitatio eius in Sion, vbi mos eſt ſepeliri Fratres.

Laterali morbo corripitur.

Angelica viſione ac reuelatione dignatur.

Deo ſpiritum reddit.

CAPVT X.

De venerabili ſeruo Dei F. Claudio à Lauda.

ANno Dominicæ Incarnationis ſexcentesimo vigeſimo quinto ſupra milleſimum, quando ſecundò, præcipientibus Ordinis noſtri Prælatis, veni in Terram ſanctam, eiſdem concedentibus plures mihi aſſumpſi ſanctæ peregrinationis ſocios, quorum zelus, pietas ac ſapientia non obſcurè mihi cognita & experientiâ comprobata erat: & omnes ad optatum terminum, Deo duce, multis exantlatis periculis, peruenimus. Plures ex illis adhuc in vita ſunt ſuperſtites, aliqui etiam ad aliud tranſierunt ſæculum. De viuis nihil dicam, cùm ſcriptum ſit: *Ante mortem ne laudes hominem*, Eccli. 11, 30. vereque ac ſapienter quidam dixerit: *Ne laudaueris hominem in vita ſua, lauda poſt mortem, magnifica poſt conſummationem.* De duobus ex illis, qui Deo in locis illis ſanctis piè ac laudabiliter inſeruierunt, ibique vltimum diem clauſerunt, paucula ſubnecto. Alter eorũ fuit F. Claudius à Lauda, ſtrictioris Obſeruantiæ Cuſtodiæ ſancti Didaci, mihi vtraque, carnali ac ſpirituali fraternitate coniunctus: alter Fr. Gabriel Cornelius Gallus Cenomanẽſis, Prouinciæ Mediolanenſis, meus ſpiritualis pater, ac dilectiſſimus ſocius. Ratio enim expoſtulat, ne his denegemus quod aliis præſtitimus, vtpote quorum beneuolentia & virtus magis explorata id exigit. Sed de primo, qui primò obiit, primò ſermonem faciamus. Fr. Claudius, in ſæculo Marcus Antonius appellatus, optimæ fuit indolis, & propter bonos mores omnibus charus: puerilia neſciens, totus diuinis rebus addictus erat, ita vt eius mater dicere ſoleret, Marcum Antonium numquam fuiſſe puerum. In ſtudiis mediocriter inſtructus fuit, at in timore Domini ad mortem vſque & vſque profecit, vt impletum in eo ſit illud Sapientis, *Adoleſcens iuxta viam ſuam, etiam cùm ſenuerit, non recedet ab ea*, Prouerb. 22, 6. Inerat cordi adoleſcentis perfectioris vitæ ſtudium, & ob deuotionem erga S. P. Franciſcum illius Sodalitati adſcribi ſtuduit, quòd in ea magis Chriſto conformari poſſe crederet. Vt innotuit quibuſdam propinquis pueri conſilium, illum accerſitum cohortati fuerunt (rogati à Patribus eiuſdem Religionis) vt ingrederetur Religionem S. Hieronymi, vtpote mitiorem. Quibus prudenter & paucis reſpondit: *Si vellem commodè & lautè viuere, & non me Chriſto per carnis mortificationem coniungere, non Religionem ingredi, ſed in ſæculo permanere propoſuiſſem.* & indignatus quòd voluerint eum à propoſito dimouere, ſtatim receſſit.

Fr. Claudius ſit Minorita.

Tempore opportuno in ſacro Ordine Minorum de Obſeruantia habitum ſuſcepit, in quo laudabiliter aliquibus annis vixit; ſed deſiderio ſeuerioris obſeruantiæ, qui iam domum & patriam reliquerat, adhuc relicta propria Prouincia, in qua habitum induerat, & vbi educatus fuerat, ad reſtrictos Prouinciæ S. Didaci ſe contulit, à quibus fuit humaniſſimè exceptus. Arbitrabatur cùm D. Gregorio, neminem in patria ſua perfectum eſſe poſſe. Ab illius memoria non recedebat notabile illud Gerſonis ſiue Thomæ à Kempis dictum: *Si vis debitè ſtare, & proficere, teneas te tamquam exulem peregrinum ſuper terram.* Quare ſtatim atque ſacrum habitum induit, in patria numquam manſit, quoad licuit & potuit, imò hoſpes ſemper inter Fratres eſſe maluiſſet, quòd hoc pacto magis obſeruari Minoritanam Regulam crederet, quæ præcipit Minoritis, vt *non habeant domum, locum, vel aliam rem, ſed ſint tamquam peregrini & aduenæ, in paupertate & ſimplicitate Domino famulantes.* Et præter maiorem obſeruantiam paupertatis, quam plurimi faciebat, dicebat etiam, hac via præcidi & auelli ambitionem & libidinem aliis dominandi.

Philoſophiæ ac Theologiæ ſub doctis Magiſtris operam dedit. Sacerdotio initiatus, fuit ſimul Concionator inſtitutus, & quotidie, non impeditus, Miſſam deuotè celebrabat; ita ſemper ad conciones habendas paratus inueniebatur. Tanto cum ſpiritus feruore ad populum Sermonem habebat, vt à pietate, loquendi ſuauitate, religioſa libertate, & aliis probi Concionatoris muniis admodum laudaretur, ſed & haud rarò ob nimium ſpiritus feruorem aliorum reprehenſiones incurrebat. Non fuit qui de eo loqueretur verbum malum, omnes illum pauperem ac deuotum ſuæque profeſſionis ſtudioſum prædicabant; & à Fratribus cuſtodiæ S. Didaci melior omnium habebatur.

Ex quo habitum D. Franciſci ſuſceperat, magnam conceperat ſpem impetrandæ facultatis inuiſendi ſancta Palæſtinæ loca noſtri Saluatoris præſentia conſecrata, quo deſiderio à pueritia vſque cor illius flagrauerat. Poſt aliquot tandem annos voti compos factus fuit: ſiquidem anno ſuperiùs indicato Venetiis proſpera nauigatione ſoluens, & primò Corcyræ appellens, Aduentus & Quadrageſimæ tempore, à loci Archiepiſcopo & Gubernatore rogatus, conciones

ciones non ſine maximo fructu ad populum habuit. Finitis verò Paſchalibus diebus, inde diſcedens cum ſocio, breuî & feliciter Ieroſolymam peruenit. Inde poſt aliquot menſes Cairum miſſus, & poſteà reuerſus Ieroſolymam, ibi in locorum ſanctorum veneratione & aliis ſpiritualibus exercitiis ſummopere fuit occupatus. Interim cùm eſſet Bethleem ad Præſepe Domini, cum aliis nonnullis peſte corripitur, & Ieroſolymam, vt aliquod morbo afferretur remedium, reducitur: vbi cùm ei diceretur, ſe pararet ad mortem, reſpondit, ſe iam eſſe paratum, & ex illa infirmitate certò deceſſurum non dubitare. Tandem omnibus Eccleſiæ ſuſceptis Sacramentis, magna cum patientia & ſpiritus tranquillitate ſpiritum Chriſto reddidit, corpuſque eius in ſancta Sion ſepultum eſt.

CAPVT XI.

De venerabili ſeruo Dei Fr. Gabriele Cornelio Gallo.

FR. Gabriel Cornelius, honeſtis ac Catholicis parentibus in Cenomanenſi ciuitate in Gallia natus, à prima ætate à parentibus Dei obſequio mancipatus, ſub diſciplina venerabilis piiſque Sacerdotis auunculi ſui educatus fuit. Cumq; eſſet optimæ indolis iuuenis, & in via Dei non mediocriter eruditus, annumque iam ageret decimumtertium, Deo inſpirante Collegio FF. Minorum in ſua ciuitate fuit aggregatus, vbi in humanioribus litteris multum profecit. Inde Lutetiam Pariſiorum miſſus, ſub diſciplina grauium ac doctorum Patrum Philoſophiæ ac Theologiæ operam dedit. Prædicator factus, magno cum ſpiritus feruore in variis oppidis & ciuitatibus, non modico cum fructu ac laude, verbo & exemplo euangelizauit verbum Dei. In ſacra Scriptura & in Ritibus Eccleſiaſticis Miſſalis ac Romani Breuiarij, ſi quis alius, optimè verſatus fuit, &, cùm tenacis memoriæ eſſet, pleraque ad litteram memoriæ tradiderat, & omnia, abſque indice vel alio ſubſidio, ſtatim ad manus habebat.

Deſiderio inuiſendi limina Apoſtolorum, & ſeuerioris Regulæ obſeruantiæ ſtudio, de licentia Superiorum, relicta non ſolùm patria, ſed Gallia ipſa, omnino pauper pedes Romam venit, vbi poſt debitam ſacroſanctis Reliquiis ac locis exhibitam reuerentiam, fuit ab Ordinis Generali Miniſtro ad Prouinciam Mediolanenſem miſſus, in qua magna cum laude, boni nominis exemplo, in conuerſatione humilis ac modeſtus vixit circa decem annos, vnica contentus tunica, pauperrimus, infirmis data opportunitate in corporalibus & ſpiritualibus, Religioſis ac ſæcularibus inſeruiebat libentiſſimè, & tamquam verum ſincerumque Dei ſeruum, & S. P. Franciſci filium, omnes apud ſe habere eum exoptabant.

Deſiderio inuiſendi loca ſancta Palæſtinæ maximè exæſtuabat, & anno Iubilei, nimirum Domini 1625. voti ſui compos factus fuit. Qui cum Tripolim aduerſo vento nobiſcum vnà peruenisſet, inde pedes Ieroſolymam vſque iuit, etſi ob longi itineris & varia alia incommoda admodum defeſſus. Quò cùm peruenisſet, locorum Sanctorum dignitate conſiderata, ſeueriorem viuendi modum aſſumpſit: in ieiunijs multus, in oratione continuus, & in Eccleſia aſſiduus: poſt Matutinum, ad quod ſumper de more ſurgebat, numquam accubitum repetebat, ſed reſiduum temporis in oratione conſumebat.

A Guardiano ſacri montis Sion miſſus fuit Scandaronam ſiue Alexandretam, vt eſſet Parochus nationis Gallicæ, ad quem locum ægrè ſe conferunt Fratres, quia ibi ob aëris inclementiam vel cita morte tolluntur, vel ſaltem longa & diutina infirmitate torquentur. Ille nihilominùs, vt obedientiſſimus erat, mirabile eſt quàm promptè & hilariter illuc iuerit. Vbi quantum inſeruierit verbo, exemplo, Sacramentorum adminiſtratione, & in alijs ad Dei cultum & ſalutem animarum ſpectantibus, omnibus ſuis commodis poſthabitis, quantumque ibi profecerit, nouit Dominus, & fatentur loci illius incolæ & aduenæ, quibus in ſpiritualibus inſeruijt, & pro quibus animam ſuam poſuit: dicebantque omnes, ſe ibi meliorem illo non cognouiſſe. Anno denique Domini milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo ſeptimo, cùm propter nimium & omnino inſolitum aëris calorem, adeò inualeſceret epidemiæ morbus, vt pro maiori parte tam incolæ quàm aduenæ e viuis abriperentur, ipſiſq; noſter ſedulus inſeruiret, & omnia Sacramenta illis neceſſaria & ſalutaria adminiſtraret, cum reliquis & ipſe, etſi robuſtus & valens corpore, & in ipſo ætatis vigore conſtitutus (necdum enim quadrageſimum ætatis ſuæ annum exceſſerat) in grauem incidit morbum, & infirmus infirmis, etſi procul inde abeſſent, Sacramenta Pœnitentiæ, Euchariſtiæ & extremæ Vnctionis adminiſtrabat, aliaque illorum ſaluti vtilia ſuppeditabat. Et quamuis non ſemel Alepum, optimam & ſalubrem ciuitatem, concedere potuiſſet, recuſauit tamen, ne modico tempore abſque proprio paſtore relinquerentur oues illę. Sed

ingraueſcente tandem morbo, & accedente mandato Superioris, Alepum ductus fuit, quò peruenit die 11. Octobris, vbi ſacroſanctis Eccleſiæ Sacramentis munitus, ſentiens ſe moriturum, magna cum deuotione ſe Domino commendabat, idemtidem hæc verba repetens: *Domine, memento mei hodie in hora mortis meæ.* Et ita illo ipſo die, duodecimo videlicet eiuſdem menſis, vitæ & miniſteri; ſui curſu laudabiliter conſummato, animam Deo reddidit, omnibus maximè dolentibus ob tam boni & amabilis viri amiſſionem.

Vix expirauit, & ſtatim omnibus ferè Latinis Catholicis innotuit illius tranſitus: ideoque D. Ioannes de Bona, Illuſtris Venetorum Conſulis interpres, etſi illum numquam vidiſſet, ſola, ſed omnium fideli relatione de ſanctitate ſerui Dei certior redditus, poſtulauit corpus illius, vt non in communi loco, ſed in ſuo honeſtiſſimo amploque ſepulchro, quod ſibi & familiæ ſuæ parauerat, tumularetur. Honeſtæ pij viri petitioni indultum fuit, adeoque corpus delatum fuit ad tumulum illum, fidelibus omnibus, Religioſis & ſæcularibus funus comitantibus, & mirantibus venerabilem illius aſpectum, qui non defuncti, ſed dormientis egregiam ſpeciem præ ſe ferebat: celebrabant etiam laudabiles illius virtutes; & qui aliquid ipſius habere poterant, vt ſacras Reliquias aſſeruabant. Et quamuis Deus terribilis ſit in conſilijs ſuis, piè tamen de illius miſericordia ſperandum, qua cùm benè vſus fuerit in vita F. Gabriel, in morte illius fructus collegiſſe pijſſimum eſt credere. Quia de Alepo vel Scandarona nullibi ago, placuit hîc tractare de ipſo, quia erat familiæ Ieroſolymitanæ. Sed his relictis, ad ſanctorum locorum peregrinationem reuertamur.

CAPVT XII.

De Caſtro Piſano, Turri & Arce Dauid, ſecundo loco ſecundæ Peregrinationis.

Ordo peregrinorum in ſanctis locis viſitandis.

PIj fideles, ac Terræ promiſſionis incolæ, Ieroſolymitanique peregrini, in ſanctorum locorum viſitatione ac veneratione non ſemper eumdem ordinem ſeruant, ſed illum quem locorum & temporis opportunitas magis requirit. Nos in Peregrinationibus ſanctæ ciuitatis enarrandis hunc ſeruabimus ordinem. Primò referemus & deſcribemus loca illa quæ occurrunt recta via procedentibus ab Eccleſia S. Saluatoris vſque ad montem Sion excluſiuè, & alia quæ ſparſim in ſancta ciuitate viſuntur (exceptis Templi Dominicæ Reſurrectionis locis, de quibus Libro ſequenti agemus) idque hac & ſequenti Peregrinatione. Deinde in alijs percurremus & explicabimus loca alia quæ extra muros ciuitatis memorabilia ſunt, montis Sion videlicet, & alia circà, cum paucis alijs locis viæ captiuitatis, & Crucis, quæ intra eamdem ciuitatem ſunt.

Quantum igitur ad primum, egreſſi pij fideles & peregrini in nomine Domini ex ſuo hoſpitio, Conuentu videlicet S. Saluatoris, præſentis Peregrinationis primo loco, viſitaturi loca quæ ſunt in Auſtrali plaga Ieroſolymæ, dirigunt greſſus verſus montem Sion, in quo etiam cenſentur loca de quibus erit in præſenti Peregrinatione ſermo: aliqua enim illius pars eſt intra vrbis mœnia incluſa, & alia extra, vt aliàs monuimus, etſi hæc dumtaxat pars exterior mons Sion hodie communiter vocetur. Quod primò in hac via offendimus memorabile, eſt caſtrum ſanctæ ciuitatis, quod *Piſanum* vocitatur, & hoc facimus ſecundum locum præſentis Peregrinationis. De iſto, ad maiorem illius dilucidationem, tria explicabimus, Primò, quidnam ſit caſtrum Piſanum; Secundò, an poſſit Turris Dauid appellari, & an ſit in illius fundo vel in eadem ædificatum; Tertiò denique, quid ſit Turris Dauid, quid arx Sion, & quid ciuitas Dauid, & an hæc, vt nominibus, ita etiam re ipſa ab inuicem ſint diſtincta.

Caſtri Ieroſolymitani deſcriptio.

Ad primum ita reſpondet Adrichomius: *Piſanum caſtrum validis foſſis & turribus cinctum. Quod in occidua ciuitatis parte à Chriſtianis Piſarum Italiæ oppidi incolis, tempore quo Terræ ſanctæ tenebant dominium, conſtructum eſt. Vbi primò Piſani, deinde Saraceni, nunc verò Turcæ à Terræ ſanctæ peregrinis ſacrilegum accipiunt tributum.*

Notandum in his Adrichomij verbis, non dici hoc caſtrum Piſanum, ad alterius caſtri ciuitatis differentiam (aliud enim non eſt,) ſed quia, inquit ille, fuit à Piſanis ædificatum. Credo meliùs ita dici, quia vel illorum ſingulari opera occupatum vel reſtauratum, vel denique ad inhabitandum & cuſtodiendum eiſdem traditum fuit. Nam antequam occuparetur à Chriſtianis ſancta ciuitas, erat in ea caſtrum, vt poſteà ex Guilielmo Tyrio & alijs dicemus (& profectò aliter de Regia Metropolitanaque Palæſtinæ ciuitate excogitandum non eſt) & non aliud à memorato, quia alterius nomen vel memoria non extat. Turribus alijs non munitur vel cingitur. Captis tandem Ieroſolymis per Selimum Turcarum Imperatorem, vnà cum ciuitate fuit illius mandato & caſtrum reſtauratum. Non pauca continet commoda habitacula: non puteis fontibuſque perennibus, ſed ciſternis ali-

Digitized by Google

alitur. Supra portam eius quæ Septemtrionem respicit,& in summitate occidui muri, sunt quædam scripta Arabica, quæ continere tempus illius vltimæ restaurationis arbitror, sicut & alia quæ in fastigio portarum ciuitatis leguntur. Habet tormenta bellica non pauca, non tamen benè custodita: sed non mirum, quia optimè norunt Turcæ, Christianos, quos solos timere possent, ob mutuas dissentiones & contentiones illius redemptionem negligere. Fossis quidem circumdatur, sed quæ non habent aquas. Turcarum Imperator præficit illi peculiarem Castellanum, sine cuius venia nemini, ne ipsi ciuitatis Gubernatori, illud ingredi licet.

Aduerte, non Ministros Castellani exigere vectigal à peregrinis, vel eosdem & farcinas eorum visitare, sed ministros Gubernatoris ciuitatis, cui vectigal soluitur duorum zechinorum, & nouem Templi Salomonis Ministris pro ingressu templi sanctissimi Sepulchri. Et quidem peregrini ex Ioppe Ierosolymam venientes visitantur ad portam ciuitatis castello proximam, & ideò ea *porta Castelli* appellatur, ibique illorum & parentum nomina excipiuntur.

Peregrini quomodo à Turris visitentur.

Quantum ad secundum, num Pisanum castrum possit appellari Turris Dauid, & an super eamdem ædificatum sit, respondet Adrichomius negatiuè; nam in longè dissito situ à castro Pisano describit Turrim Dauid, vt in solutione tertij quæsiti videbimus.

Pisanum castrum & Turris Dauid idem sunt.

Sed affirmatiuè respondendum arbitramur, & rationabiliter. Primò id docet harum partium vetus traditio, quæ habet, castri anteriorem partem, quæ respicit ad Aquilonem ciuitatis, esse super residuum Turris Dauid ædificatam: & structurâ quidem differunt; nam inferior pars ex maximis quadratis sed impolitis lapidibus erecta, magnam præ se fert antiquitatẽ, superior verò exsectis ac magis politis lapidibus castrum perficiens, noua structura alterius respectu videtur. Item ibi Dauidem pro adulterij & homicidij peccato pœnitentiam egisse, Psalmumque *Miserere mei Deus*, &c. composuisse asseritur.

Secundò, quia situs & dispositio huius castri, est eadem cum ea quæ Turri Dauidis assignatur, in occidua inquam parte ciuitatis in monte Sion & extrema Occidentali. Ex ipsaque tota conspicitur ciuitas, vbi fuisse Turrim Dauid, dicetur inferiùs.

Tertiò, quia vt Macedones, post Ierusalem à se vastatam, in eam se receperunt, vt se à Iudæis defenderent, & Iudæi post captam eamdem ciuitatem per Titum, se muniuerunt contra Romanos, tamquam in magis tuto & opportuno totius vrbis loco, vt suo loco dicetur; ita probabile est credere, Christianos, quando primùm possederunt ciuitatem, & omnes deinceps qui eiusdem dominium tenuerunt, eamdem Turrim pro castro & munitione tenuisse, refeciisse, ac ampliasse, vt se à quibusuis hostibus defenderent.

Quartò, quia antequam sub Godofredo Bullonio caperetur à Christianis sancta ciuitas, huius castri & munitionis sub Turris Dauid appellatione à bonis Auctoribus mentio facta est. Guilielmus Tyrius illius temporis historicus, tum alibi tum lib. 9. Belli sacri, c. 3. de ea ita loquitur: *Comes S. Aegidij ciuitatis præsidium, arcem videlicet Dauid, quam sibi ab initio (vt præmisimus) hostes tradiderant, possidebat. Erat autem in eminentiori ciuitatis parte versus Occidentem sita, & ingentibus grãdibusq; constructa lapidibus, vnde totam vrbem inferiùs positam erat intueri. Hanc quasi totius ciuitatis nouissimum refugium, videns Dux sibi deesse*, &c. Ita Tyrius, & verè.

Cardinalis Vitriacus in Historia Ierosolymitana cap. 60. ad idem inquit: *Habet autem ciuitas sancta Ierusalem à parte Occidentali munitionem ex lapidibus quadris, cemento & plumbo fusili quasi indissolubiliter compaginatis constructam, qua ex vno eius latere pro muro est ciuitati, & Turris Dauid appellatur.* Ita ille. Idem habet Sanutus lib. 3. Par. 7. cap. 2. Dicendum ergo, castrum Pisanum esse constructum in eodem loco, etsi fortè non adæquato, vbi quondam erat Turris Dauid, & ideò à veteri structura & nomine posse non immeritò *Turris Dauid* nũcupari.

Turris Dauid, arx Sion, & ciuitas Dauid an eadem.

De tertia difficultate, num Turris Dauid, Arx Sion, & ciuitas Dauid vt nominibus sunt verè distincta, sint eiusmodi etiam à parte rei, non est adeò manifestum, etsi de his cùm in sacris Litteris, tum apud alios Scriptores non infrequens sit mentio.

Adrichomij opinio.

Christianus Adrichomius in sua Ierusalem geographica descriptione ista omnia, vt sunt nominibus distincta, ita re & situ ab inuicem distinguit. Castrum Pisanum ponit omnino in ciuitate inferiori, & eiusdem occidua parte in medio Aquilonis & Austri, & notat num. 60. Turrim Dauid non malè delineauit in ângulo montis Sion in eius Occidentali plaga & Australi ciuitatis inferioris, num. 170. Montem Sion siue ciuitatem superiorem benè posuit ad Austrum inferioris vrbis num. 2. & in medio Sion ad Austrum totius vrbis Arcem Sion descripsit num. 3.

Aliorum opinio.

Alij Sion locum communem ciuitatemque superiorem verè constituunt, & cum Adrichomio in eodem monte Turrim Dauid,

lized by Google

uid, & arcem Sion, tamquam duo diſtincta ponunt. Michaël Ghiſlerius in ea verba Cantici, *Sicut turris Dauid collum tuum*, &c. inquit, implicite Turris Dauid fieri mentionem in libro 2. Regum, vbi dicitur: *Habitauit autem Dauid in arce Sion, & vocauit eam, ciuitatem Dauid, & ædificauit per gyrum à Mello & intrinſecus*, 2. Reg. 5, 9. Sed quomodo implicitè fit mentio? An quia non expreſsè in iſtis verbis fit mentio Turris Dauid, ſed ponitur *arx* nomen æquiualens? An potiùs, quia arcem Sion munificentiſſimè ædificauit, pro illius pulchritudine & fortitudine, intelligatur etiam Dauidem magnificentiſſimum & opulentiſſimum Regem eximiam turrim ædificaſſe, quæ ob eius excellentiam ab illius nomine nomen acciperet, *turris Dauid*? Hoc ſecundũ cum Adrichomio mihi videtur ſentire Ghiſlerius, quia ait, Dauidem eo robore turrim ædificaſſe, vt ab expulſis Iebuſæis, aliiſve inſurgentibus aduerſarijs, tutam ſeruaret arcem Sion & ciuitatem Dauid. Si igitur ope turris volebat tueri arcem Sion & ciuitatem Dauid, ſignum eſt, turrim tum ab arce Sion tum à ciuitate Dauid diſtingui.

Abulenſis opinio. Abulenſis in 2. Reg. & 1. Paralip. videtur ſentire, arcem Sion aliud non fuiſſe, quàm ipſammet Sion totius vrbis Ieruſalem fortalitium. Expendens enim illa verba c. 11. Paral. *Porrò Dauid cepit arcem Sion*, inquit: *Iſta eſt caſtrum vrbis. Non eſt intelligendum quòd ſit vnica turris, ſed multæ erant: vocatur tamen turris ſingulariter, quia totum caſtrum erat tam forte ex omni parte, quòd videbatur vna turris, vel totum eſſe turris: erat tamen ſatis magna latitudinis, nam ibi habitabant multi Iebuſæi, & habitauerant quaſi per quadringentos annos poſt vrbem captam. Vocatur autem turris Sion, quia mons ille, in quo erat iſtud caſtrum, vocatur Sion.* Et poſt alia expendens illa verba eiuſdem capitis, *Habitauit autem Dauid in arce*, ait: *Id eſt, in caſtro montis Sion, quæ vocatur arx ſiue turris propter cauſam ſuperiùs dictam. Iſta habitatio fuit illicò, vt cepit caſtrum, & tunc non habebat ibi Dauid conſtructa palatia, ſed habitauit vt potuit. Pauco autem tempore poſt miſit Hiram rex Tyri ad Dauid artifices, & ligna Cedrina, & ædificauerunt ei domum magnam in monte Sion, vt patet infrà 14. & 2. Reg. 5. Et idcircò appellata eſt ciuitas Dauid. Id eſt, quia habitauit ibi Dauid appellata eſt ciuitas Dauid. Dua enim fuerunt cauſa, quare ſic vocaretur: prima fuit, quia Dauid cepit eam; ſecunda, quia habitauit ibi.*

Reſpondet deinde tacitæ obiectioni, quòd aliud ſit arx, aliud ciuitas, quoniam Dauid cepit arcem, & circa arcem *ædificauit vrbem in circuitu*, ait ſacer Textus. Reſpondet dupliciter, Primò, intelligẽdo de vrbe montis Sion, quia caſtrum illud erat paruum, & Dauid ampliauit illud: & dicitur quòd ædificauit vrbem in circuitu, id eſt, fecit muros in circuitu caſtri montis Sion ad occupandum maius ſpatium. Secundò poteſt intelligi de muris ipſius vrbis exterioris, ſcilicet Ieruſalem, quia forte illa erat malè murata, & Dauid refecit partem illam quæ deſtructa erat, vel ruinæ proxima. Sed huic reſponſioni priorem præfert; quoniam dicitur 2. Reg. 5. quòd *Dauid ædificauit à Mello & intrinſecus*, id eſt, à voragine magna quæ erat apud caſtrum montis Sion, Mello appellata; & ab illo loco incœpit facere muros vſque ad gyrum, id eſt, vſque ad muros antiquos, claudendo magnum ſpatium muro, quod priùs clauſum non erat, & hoc vt maioris capacitatis eſſet ciuitas Sion. Et hæc ex Abulenſi. Ex quibus non ineuidenter elicitur, ipſum ſenſiſſe, vrbem Sion, & turrim ſiue arcem Dauid, à parte rei eadem omnino eſſe, & dici vrbem, quia multæ erant in ea habitationes & habitatores, quos turris proprie non continuiſſet, ſed arcem turrémve appellari propter fortitudinem.

Authoris opinio. Ego ad propoſitam difficultatem duabus propoſitionibus reſponderem. PRIMA ſit: Piſanum caſtrum nullo modo ponendum eſt in Ieruſalem & ciuitate inferiori, ſituque diſtinctum à turri Dauid, vt ponebat Adrichomius, ſed in ciuitate ſuperiori, & extrema Occidentali parte Sion. Hæc ad ſenſum patet, & in priori ſolutione oſtendimus.

SECVNDA PROPOSITIO. Arx Sion & turris Dauid, vt ſunt ſignificatione idem, etſi nominibus diuerſis nuncupentur, ita eamdem rem à parte rei omnino ſignificant, & non duas, vt volebant Adrichomius & Ghiſlerius. Et hęc arx erat fortiſſima & munitiſſima turris, à Chananæis primùm ædificata in ſupercilio Sion vbi nunc eſt Piſanum caſtrum, vt eſſet totius vrbis ſuperioris & inferioris fortalitium; & conſequenter diſtincta à Sion, vt contentum à continente, & fortalitiũ à ciuitate cuius eſt fortalitium. Et ita mihi videtur ſentire Ioſephus Hebræus lib. 7. Antiquit. c. 2. dum loquens de expugnatione arcis Sion per Dauidem, docet ipſum cepiſſe priùs Ieruſalem. Et quid Ieruſalem nomine intellexit? num ciuitatem inferiorem? Non vtique, multò enim antè illam obtinuerunt Iſraëlitæ. Nam Ioſue Regem illius occidit, & poſt illius mortem pugnauerunt tribus Iuda & Beniamin contra habitatores Ieruſalem, & occiderunt illos: & tempore Saulis, quando Dauid pugnauit contra Philiſthæum, attulit caput illius in Ieruſalem; igitur tunc pertinebat ad Iſraëlitas. Quare intellexit Ioſephus Ieruſalem

lem nomine Sion, quod propter turrim fortiſſimam erat velut ciuitatis fortalitiũ, quod vſque ad Dauidem non poſſederunt filij Iſraël, ſed ſimul cum Iebuſæis habitauerunt, vt dicitur Ioſue 15. vbi Ieruſalem nomine intelligitur Sion & ciuitas ſuperior. ita enim dicitur: *Iebuſæum autem, habitatorem Ieruſalem, non potuerunt filij Iuda delere, ſed habitauit Iebuſæus cum filijs Iuda in Ieruſalem*; Iebus in Sion & parte ciuitatis ſuperiori, Iuda in inferiori. Idem habetur Iudicum 1. In his autem Ioſepho huius regionis ſcriptori non modica fides præſtanda eſt, vbi præſertim efficax ratio non refragatur, qualis haud ſuppetit in propoſito. Idem affirmant alij.

Confirmatur: quia probabiliſſimum eſt credere, in præcipua Palæſtinæ ciuitate fuiſſe peculiare aliquod fortalitium, cùm nec deſit inferioribus vrbibus. Fauet Brocardus Part. 1. deſcript. Terræ ſanctæ, c. 7. §. 43. dum aſſerit, turrim Dauid erectam in quodam præruptæ collis ſatis eminenti ſitu, in monte Sion prope Mello inter duas voragines, nimirum in quodam angulo voraginis, quæ ſecabatur inter duas profundas valles; vt quodammodò inter duas voragines dici poſſet.

Denique cùm certum ſit, in Canticis canticorum Salomonis, vbi aſſimilatur collum ſponſæ turri Dauidis, fieri alluſionem ad aliquam turrim Dauidis nomine celebrem; & cùm celebrior vel æque celebris non ſit quàm arx Sion, cuius ſit mentio citatis locis Regum & Paralipomenon, hanc eamdem eſſe cum illa par eſt credere. Ita ſentit Mariana in Cantica, & alij. Et quod eſſet diſtincta à ciuitate ipſa, colli ſimilitudo indicat: congruentiùs enim collum ſponſæ aſſimilatur turri vrbis, quàm vrbi, præſertim quòd ſponſa ipſi vrbi potiùs comparari mereatur vt totum toti, prout verè comparata fuit ab eodem Salomone, dum dixit illam eſſe formoſam tamquam Ieruſalem.

Duo nihilominùs dictis obſtare videntur: alterum eſt, quòd Iſraëlitæ, etſi vſque ad tempora Dauidis habitauerint in Ieruſalem, id eſt in ciuitate inferiori, non tamen habitauerint in ſuperiori & Sion, de qua per Dauidem occupata ait Scriptura, *Cepit autem Dauid arcem Sion*: igitur Sion ciuitas & arx Sion idem omnino ſunt. Alterum eſt, quòd Dauid dicatur ædificaſſe arcem in circuitu, igitur non erat ante Dauidem.

Ad primũ dicitur, Iſraëlitas non potuiſſe capere Sion, tum propter ipſius naturalem fortitudinem, quia profundis vallata foſſis, & etiam turribus, ſecundùm aliquos, vt dictum, & præſertim propter illius celeberrimam arcem, ex qua benè poterant à Iebuſæis aggreſſores deturbari & arceri. Sicut etiam hodie ciuitates propter arces adiacentes non poſſunt capi: capta verò Sion cum arce, ab iſta vt fortiore, vel etiam à Sion & arce comparatis, potuit verè ac propriè Scriptura dicere: *Cepit autem Dauid arcem Sion*.

Ad ſecundum reſpondetur, quòd Dauid non ædificauerit abſolutè, ſed in circuitu, vallando arcem & ciuitatem nouis muris, & munitionibus, ac bellicis inſtrumentis, ita vt illam magis exornauerit propugnaculis, clypeis & omni fortium armatura, vt indicatur in Canticis. Et hoc ſufficit, vt ei imponeretur Dauidis nomen, vt auctoris, etſi à fundamentis illã haud excitauerit: quemadmodum Nabuchodonoſor occupatam à ſe Babyloniam ſic ornauit amplificauitque, vt illius auctor apertè prædicaretur: & Ælius Adrianus deſtructam à ſe Ieroſolymam, & poſteà reparatam & reſtauratam voluit à ſuo nomine Æliam nuncupari, vt ſatis conſtat. Et hæc quidem quantum ad rem.

Quantum ad nomen, benè admitterem, arcis appellatione poſſe intelligi Sion ciuitatem ſuperiorem, tum ratione arcis in ea exiſtentis, tum ratione ſuæ fortitudinis, quemadmodum turris nomine eadem ratione Ieruſalem ipſa intelligitur apud Michæam, ſecundùm aliquos, & nos alibi aduertimus, & fortè in eo ſenſu intellexit illa verba ſacer Scriptor, *Cepit autem Dauid arcem Sion*, quia cepit Sion cum arce. Et hæc de his ſatis.

CAPVT XIII.

De loco Mariarum *appellato, vbi Chriſtus poſt Reſurrectionem ſanctis mulieribus apparuit, eiſque dixit,* Auete; *qui tertio loco occurrit in ſecunda Peregrinatione.*

RElicto ad dextram partem Caſtro Piſano, & proſequendo iter ex eadem vrbis Auſtrali plaga, poſt paucos greſſus paſſum ad lævam declinando, ſeſe offert venerabilis domus & locus, qui ab omnibus in iſtis partibus appellatur *Locus Mariarum*. Ratio huius nominis illa perhibetur, quia peruetus ac recepta eſt in locis illis traditio, ibi Chriſtum Dominum ipſo die ſuæ glorioſæ Reſurrectionis ſanctis mulieribus, quæ Mariæ appellabantur, apparuiſſe, easque benignè ſalutaſſe dulci illa ſalutatione, *Auete*: quæ tenentes pedes eius, & adorantes eum, abierunt ad diſcipulos, narrantes quæ contigerant, vt ipſis à Domino fuerat imperatum, vt dicitur Matth. 28, 9.

Ratio nominis loci Mariarum.

Quare non ſic dictus eſt locus iſte, quòd ibi habitauerint ſanctæ illæ mulieres, vt quidam

dam ſuſpicati fuerunt; quoniam ſingulæ in diſtinctis domibus habitabant, vt Doctores indicant; & de illarum quibuſdam nos etiam agemus.

Loci Mariarum deſcriptio.

Eſt locus iſte ferè in medio viæ inter S. Saluatorem & S. Iacobum, loquendo de via hac qua ex S. Saluatore imus ad montem Sion. Eſt ibi parum eleuata domus, cuius vnus angulus parum foris eminet, quem oſculantur fideles in memoriam illius Dominicæ apparitionis: & proſequentes iter, Deum deprecantur, vt ſibi etiam poſt præſentem huius vitæ peregrinationem, in cæleſti Ieruſalem glorioſus appareat, & ſalutis aue impertiat.

Huius loci meminerunt F. Bonifacius lib. 2. de Perenni cultu Terræ ſanctæ, Adrichomius in deſcriptione Ieruſalem n. 356. verùm hic, relicta communi traditione, cuius fortaſſe cognitionem non habuit, extra ciuitatem & in alio ſitu, Occidentali videlicet, notauit hunc locum. Alij locorum Terræ ſanctæ tractatores dicunt, ibi fuiſſe à piis fidelibus erectam Eccleſiam cum tribus capellis, in memoriam illius apparitionis & trium ſanctarum mulierum, quibus factam fuiſſe credunt. Domus hæc clauſa manet, poſſidetur à Turcis, & interiùs pro maiori parte eſt deſtructa, quare Eccleſiam vel capellas in ea obſeruare haud potui; tamen verè fuiſſe, probabiliſſimum eſt.

CAPVT XIV.

Ordo apparitionis factæ mulieribus, de quibus Capite præcedenti, ad alias Domini apparitiones.

PRo clariori intelligentia hiſtoriæ & traditionis Dominicæ apparitionis, factæ ſanctis mulieribus, de qua Capite præcedenti, duæ ſunt proponendæ & explicandæ difficultates: altera, quem ordinem teneat iſta apparitio inter alias Domini apparitiones; altera, an in loco trium Mariarum tribus tantùm ſanctis mulieribus apparuerit Chriſtus, ſcilicet Mariæ Iacobi, Salome & Cleophe, an cum his etiam Mariæ Magdalene, & conſequenter quatuor. Priori præſenti, poſteriori ſequenti Capite reſpondebimus.

Duæ difficultates proponuntur.

Priori difficultati, præmiſſa Diſtinctione, reſpondetur tribus Propoſitionibus.

Reſponſio ad primam difficultatem.

DISTINCTIO eſt. Dum loquimur de Domini apparitionibus poſt eius reſurrectionem, vel loquimur vniuerſim de omnibus quarum mentio fit tam in Scriptura ſacra quàm apud alios Scriptores. Si de omnibus loquamur, ſit

PRIMA PROPOSITIO. Hæc apparitio non fuit prima. Vt enim docent SS. Patres, & tenet Eccleſia, Chriſtus poſt ſuam Reſurrectionem glorioſus primò dilectiſſimæ Matri ſuæ apparuit, etſi, tamquam euidens, & aliqua probatione non indigens, prætermiſerint Euangeliſtæ; deinde ceteris.

Chriſtus quibus primò apparuerit poſt reſurrectionem.

Si loquamur de apparitionibus tantùm in Scriptura contentis, non concors eſt Doctorum ſententia, & ſit

SECVNDA PROPOSITIO. Probabile eſt, hanc apparitionem fuiſſe primam. Ita inter alios videtur ſentire S. Hieronymus Epiſt. 150. ad Hedib. q. 5. & communem Mariæ Magdalenæ & aliis mulieribus, quibus dixit Dominus, *Auete*, &c. Matth. 28, 9. Magdalena poſteà perrexit ad monumentum plorans, vbi iterùm vidit Dominum, quod ſcribit Ioannes. *Magdalena*, inquit S. Hieronymus eo loco, *quæ priùs viderat Dominum reſurgentem cum altera Maria, & eius pedibus fuerat aduoluta; poſteà reuerſa per noctem (domi enim ob deſiderium eius manere non poterat) venit ad Sepulchrum. Cumq; lapidem quo monumentum fuerat clauſum, vidiſſet ablatum, cucurrit ad Simonem Petrum*, &c.

TERTIA PROPOSITIO. Probabilior ſententia eſt, quæ aſſerit, hanc de qua loquimur apparitionem non eſſe primam, ſed ſecundam ex his quæ in ſacro Eloquio referuntur. Probatur in primis, quia aduerſus alteram ſententiam efficax pugnat argumentum, inquit Toletus Annot. 3. in c. 20. Ioannis. Si enim primò factum eſt quod narrat Matthæus, viderat Magdalena Dominum in via, & tetigerat, hoc enim Matthæus refert: quomodo igitur poſteà reuertitur ad monumentum plorans, & dicens, *Tulerunt Dominum meum*, hoc ipſum etiam referens Apoſtolis? imò quomodo reuerſa eſt ad Sepulchrum ad quærendum Dominum, cùm iam ad vitam excitatum viderit?

Reſpondet Hieronymus, Magdalenam præ ſtupore hæc non animaduertiſſe. *Intantum*, inquit, *obſtupefacta torpuerat, & fidem, miraculis territa, quaſi in caligine poßidebat, vt ne Angelorum quidem præſentium ſentiret aſpectum*, &c. Item, *Cùm videret Angelos, & quos cernebat, ignoraret, ſtupore perterrita, huc atque illuc faciem circumferebat, nihil aliud niſi Dominum videre deſiderans*, &c.

Ac ſolutio non ſatisfacit. *Cùm*, inquit Toletus, *non ita obſtupuerit, vt rationis particeps non fuerit. Si autem rationis capax erat, non poterat, quem viderat, & crediderat ſurrexiſſe, mortuum quærere, niſi conceptam fidem deſerens, quod credendum non eſt.*

Reſpon-

Digitized by Google

Reſpondebit fortaſſe quiſpiam cum Euthymio in Matth. 28. Magdalenam putaſſe, fuiſſe illa, quæ viderat, vana ſpectra: nam quæ Magdalena aliæque mulieres nuntiarunt, vt Lucas ait, Apoſtolis viſa ſunt deliramenta. Ideò poſt primam apparitionem ad ſepulchrum rediit, & plorans, Dominum quæſiuit.

Sedenim hac reſponſione ſatisfactum non arbitror difficultati: licet enim narrata à mulieribus viſa fuerint deliramenta Apoſtolis, non item ſpectra credi debuerunt à mulieribus; nam tactu & amplexu deprehenderunt Chriſtum phantaſma non eſſe; quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, vt dixit Chriſtus diſcipulis, quæ mulieres in eo viderunt, & tetigerunt, certoque cognouerunt, eum quem viderant & tenuerant eſſe Chriſtum à mortuis excitatum, & non ſpectrum & ſpiritum. Et ſi tactus, & amplexus & oſcula non fuerunt efficacia argumenta Dominicæ Reſurrectionis, quodnam maius expectandum erat? certè maius non habuerunt ſanctæ mulieres, & Chriſtus maius poſteà ipſis vel diſcipulis non exhibuit. Et ſi non credidit Magdalena Chriſtum reſurrexiſſe, quando ipſum audiuit & tetigit, ſed ſpectrum exiſtimauit, multò minùs credidiſſet, quando eumdem vidit in horto, & cognita illius voce, eum tamen tangere prohibita fuit, tunc magis ſpectrum credidiſſet, & via amputaretur ad credendum Chriſti Reſurrectionem.

Præterea, etſi diſcipulis aliquibus relata à mulieribus viſa ſint deliramenta, vt Thomæ, & illis qui in Emmaus abierunt, non tamen omnibus; nam illorum præcipui, Petrus & Ioannes, ea crediderunt, vt eorum velox curſus ad monumentum, poſt auditum mulierum nuntium, teſtatur.

Denique, ſi hæc apparitio ad memoratas mulieres prima eſt earum quæ recenſentur in ſacris Litteris, & adducit S. Matthæus cap. 28. neceſſe eſt illam eamdem eſſe, cuius meminit D. Marcus cap. vltimo, quam dicit primam. ſic enim ſcribit: ***Surgens autem Ieſus manè prima Sabbati, apparuit primò Mariæ Magdalenæ, de qua eiecerat ſeptem dæmonia***, Marc. 16,9. At hoc non videtur probabile: ad quid enim apparitionem pluribus factam, vt Matthæus notauit, ſingulariter & primò Magdalenæ adſcripſit Marcus, cùm potiùs alias mulieres recenſere debuiſſet, de quibus maior potuit eſſe difficultas num illis apparuerit, quàm Magdalenæ, cùm Chriſtum ita feruidè vt Magdalena non amauerint? Quare poſterior ſententia probabilior videtur, nimirum apparitionem, quam refert Marcus, primam eſſe, & eamdem cum illa cuius meminit Ioannes cap. 20. quando Chriſtus in hortulani ſpecie Magdalenæ apparuit; ſed quæ à Matthæo recenſetur, illam eſſe de qua nos modò ſermonem fecimus, factam pluribus, & ſecundam inter illas quarum mentio fit in ſacris Litteris; quæ contigit, vel dum ex Sepulchro ibant ad nuntiandum Chriſti Reſurrectionem diſcipulis in monte Sion propter metum Iudæorum congregaris, vel dum iterùm ad Sepulchrum reuertebantur, poſtquam illam nuntiauerunt, vt illis ab Angelo fuerat imperatum. Et hæc pro priori difficultate.

CAPVT XV.

An apparitio, de qua Capite XII. *actum eſt, facta ſit tribus an quatuor mulieribus.*

QVoad poſteriorem difficultatem Capite præcedenti propoſitam, quæ valdè difficilis eſt, non omnium eadem Doctorum eſt ſententia, ſed diuerſa. Quidam partem affirmantem ſequuntur, Chriſtum non tantùm tribus, ſed quatuor apparuiſſe mulieribus: quidam verò negantem amplectuntur, tribus dumtaxat Marijs Chriſtum ſe oſtendiſſe.

Reſponſio ad ſecundam autè propoſitam difficultatē.

Et prioris ſententiæ ſectatores mihi illam dupliciter explicare poſſe videntur. Primò, cùm ſanctæ illæ mulieres Maria Iacobi, Salome, Cleophe, necnon etiam Maria Magdalena, ex ſuis domibus ad Sepulchrum Chriſti veniſſent, vt vngerent corpus eius ſanctiſſimum cum aromatibus, & intelexiſſent ab Angelo Ieſum Nazarenum crucifixum reſurrexiſſe, & corpus eius non eſſe in monumento, & quòd id diſcipulis nuntiare deberent: ſola Magdalena, vel cũ ipſa altera ex illis, aliis pauore & timore conſternatis, circa Sepulchrum relictis, abiit ad diſcipulos, quod acciderat referens. Petrus & Ioannes felici accepto nuntio, ſubitò currunt ad monumentum, & poſt ipſos Maria. Quò cùm peruenissent, illi non inuento Magiſtri corpore, abierunt; at non abiit Maria, ſed ſtabat ad monumentum foris plorans, & circumcircà reſpiciens, ſi alicubi fortè videret Dominum ſuum, tandem eum vidit in hortulani habitu. Quem cùm vellet præ gaudio tãgere, prohibita eſt, & iuſſa vt ad diſcipulos properaret, & à mortuis excitatum Chriſtum nuntiaret, vt pluribus proſequitur Ioannes cap. 20. Poſtquam verò ex eius oculis diſparuiſſet, ſine mora rediit ad diſcipulos. Diſceſſerant paulò antè aliæ ſodales mulieres, vt ſe non vidiſſe, ſaltem audiſſe Chriſtum à mortuis excitatum, Apoſtolis nuntiarent. Has Magdalena, moræ impatiens, dilectione feruens, nimia feſtina-

festinatione insequitur, vt felicissimi nuntij participes iterùm efficeret, & quæ sociæ laboris & timoris extiterant, etiam lætitiæ & consolationis essent. Et cùm ad locum, de quo locuti sumus Cap. XIII. peruenissent, inuenris sociis narrauit, quomodo vidisset Dominum, &c. quæ narrat S. Matthæus.

Potuit verò Magdalena alias citiùs assequi socias, quòd ipsa illis, vt creditur, iunior, promptior & in amore feruentior, maioriq́ue Spiritus sancti flamma succensa esset, quæ nescit tarda molimina: vel quòd illæ consternatæ & perplexæ essent, vt dicit sanctus Lucas capite vltimo, quæ causa fuit, vt in itinere hæserint, & Magdalena eas assecuta fuerit. Et ita cùm tres illæ & Magdalena in eum locum conuenissent, apparuit illis Iesus, & dixit: *Anete.*

Secundò potest eadem sententia ita explicari, quòd non euntibus mulieribus à monumento ad discipulos, sed reuertentibus à discipulis ad Sepulchrum, in via apparuerit Dominus. Quod in hunc modum contigisse, excogitare possumus. Postquam Maria Magdalena prima discipulis Christi Resurrectionem nuntiasset, vt audierat & viderat, & idipsum ceteræ mulieres intellexissent, istæ posteà vnà cum Magdalena properarunt iterùm ad monumentum, Deo ita disponente, vt quod separatim feruidæ Magdalenæ ad monumentum concessum fuerat, iterùm eidem simul & aliis simili amore saucijs in via non negaretur. Relictis itaque discipulis, & ad monumentum abeuntes, in iam assignato loco Dominum obuium habuerunt, qui dixit illis: *Anete. Illæ autem accesserunt, & tenuerunt pedes eius, & adorauerunt eum. Tunc ait illis Iesus: Nolite timere: ite, nuntiate fratribus meis, vt eant in Galilæam, ibi me videbunt*, Matth. 28, 9. Quæ ad discipulos reuersæ, quæ audierant & viderant retulerunt; atque hoc pacto discipuli firmiorem assensum Dominicæ Resurrectioni adhibere potuerunt, dum quod priùs audierunt à sola Magdalena, secundò ab ipsa & ceteris simul mulieribus intellexerunt: in ore enim duorum vel trium testium stat omne verbum. Et hæc explicatio confirmari posse videtur ex D. Marco: inquit enim, quòd mulieres illæ, Magdalena excepta, post Angelicam visionem *exeuntes, fugerunt de monumento: inuaserat enim eas timor & pauor: & nemini quidquam dixerunt: timebant enim. Surgens autem manè, prima Sabbati, apparuit primò Mariæ Magdalenæ, de qua ejecerat septem dæmonia*, Marc. 16, 8. quoniam cum illis non recessit, nec iterum reuersa cum discipulis, Domino non inuento abiit. Illa vadens nuntiauit his qui cum eo fuerant, lugentibus & flentibus. Sicq́; vt Christus primò Magdalenæ apparuit, ita Magdalena primò eius Resurrectionem nuntiauit, de qua Ioannes. Et eadem Magdalena post secundam apparitionem, ceteris mulieribus communem, iterùm eamdem Resurrectionem Apostolus nuntiauit, quod scribit Lucas. Ita S. Hieronymus ad Hedibiam Capite præcedenti citatus, & in quadam Epistola ad Marcellam, quem multi alij sequuntur.

Contra hanc sententiam difficultas insurgit: quia non videtur verisimile, Magdalenam secundæ apparitioni interfuisse: in ista enim dicitur, mulieres tenuisse pedes Domini, at Dominum tangere Magdalena prohibita fuit. Difficultati huic respondet S. Hieronymus loco posteriùs citato, & responsionem hîc ipsiusmet verbis subiicio. *Quartum est*, inquit, *quod quæsisti, quomodo in Ioannis Euangelio post Resurrectionem dicatur ad Mariam Magdalenam, Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum. Et rursum in Matthæo scriptum est, quòd ad vestigia Saluatoris mulieres corruerint; cùm vtique non sit idipsum, tangere post Resurrectionem pedes eius, & non tangere. Maria Magdalena ipsa est à qua septem dæmonia expulerat: vt vbi abundauerat peccatum, superabundaret gratia: quæ quia Dominum hortulanum putabat, & quasi cum homine loquebatur, & quærebat viuentem cum mortuis; rectè audiuit, Noli me tangere. Et est sensus. Non mereris meis hærere vestigijs, nec adorare quasi Dominum, nec eius tenere pedes, quem non existimas surrexisse. Tibi enim necdum ascendi ad Patrem meum. Cetera verò mulieres, quæ pedes tangunt, Dominum confitentur, & merentur eius hærere vestigijs, quem ad Patrem ascendisse confidunt. Quamquam etiam, si eadem mulier, diuersis in Euangelijs, & tenuisse pedes, & non tenuisse referatur, facilis solutio sit, cùm potuerit corrigi primùm, quasi incredula, & posteà non repelli, quasi eam, quæ errorem confessione mutauerat. Quod & de latronibus intelligi potest, cùm alius Euangelista vtrumque blasphemasse, alius narret alterum esse confessum.*

His addere possumus, nullam esse inter Matthæum & Ioannem contradictionem, tum quia loquuntur de diuersis apparitionibus, & quæ in vna prohibita fuit tangere, in alia ob aliarum societatem, vel propter firmiorem fidem, aliáve de causa tangere permissa est; tum etiam, quia Matthæus non loquitur vniuersaliter, omnes tenuisse pedes Domini, sed indefinitè: & verus est sermo, si aliquæ ex ipsis, & non omnes tenuerunt, tres illæ, & non Magdalena.

lena. Et hæc de ista sententia affirmatiua.

Posterior sententia, negans in memorato loco Mariæ Magdalenæ Dominum apparuisse, sed aliis tribus tantùm, à pluribus acceptatur, & videtur esse communis in partibus istis, vbi incolæ omnes locum illum *trium Mariarum* appellant, quòd ibi tribus Mariis, Iacobi, Salome, & Cleophe à sepulchro reuertentibus Christus apparuerit, inquit Bonifacius. Quæ sententia sic explicatur: Reuersa Magdalena ad monumentum, ab eo non discedebat, quoad vidit Dominum in hortulani habitu; recessérunt verò aliæ mulieres, vt Christi Resurrectionem, vt illis fuerat ab Angelo imperatum, nuntiarent, vt ex harum discessu & relatione excusatur Magdalena, si ex amore permansit ad monumentum; quoniam à tribus aliis sufficienter Angelico mandato satisfieri potuit. Magdalena deinde post visum Dominum non facilè tres alias mulieres assequi potuit: nam inter harum discessum à monumento, & alterum Magdalenæ, multa euenerunt quæ tempus aliquod requirunt. Magdalena enim iterùm à discipulis venit ad monumentum, fleuit, quæsiuit huc atque illuc Dominum, & Angelo, imò ipsi Domino, quem tandem perseuerans inuenit, locuta est. Quomodo ergo esse potuit cum aliis mulieribus, quando illis Dominus occurrit?

Ceterùm qui alteram voluerit sequi sententiam, facilè ex dictis respondere poterit huic positioni. Traditio non officit; ex ea enim accepimus, quòd eo loco Christus à mortuis suscitatus sanctis illis mulieribus apparuerit, & easdem salutauerit; quòd verò fuerint tres vel quatuor, & dicatur trium vel quatuor Mariarum, pendet ex variis opinionibus.

Ex his apparet, hanc apparitionem diuersam esse ab alia Magdalenæ: illam nimirum Magdalenæ priorem, & in horto contigisse ad sepulchrum; istam posteriorem, & in ordine secundam earum quæ in sacro referuntur Eloquio, extra hortum in via factam, vel tribus tantùm vel quatuor etiam mulieribus.

CAPVT XVI.

De Ecclesia S. Thomæ Apostoli, quarto loco secundæ Peregrinationis.

A Loco Mariarum vlteriùs directè procedendo, & post parum itineris gressus vertendo per angustam quamdam viam, sese offert quid veneratione dignum, nimirum Ecclesia quædam parua potiùs quàm magna, cuius concameratio pænè destructa, & ipsa satis ad rudera redacta est, quæ S. Thomæ Apostoli appellatur. Ratio nominis est, quia creditur communiter, id veteri traditione docente, sanctũ hunc Apostolum suam ibi habuisse domum, & isto intuitu eam inuisunt & venerantur harum partium incolæ & peregrini. Quam postèà pij fideles in Ecclesiam conuerterunt, & sancto Apostolo dicarunt. Agunt de ea locorum sanctorum Tractatores. *D. Thomæ domus Ierosolymis.*

Vnum memorabile, quod Ierosolymis in omnium ore versatur, hic adnotare placet. Fertur in illam nullum non baptizatum Iudæum vel Maurum ingredi posse, quin statim è vita discedat; vnde semper clausa manet, ne quis Turca casu in eam ingressus, vitam in discrimine ponat. Et si aliquid Turcarum in ipsam ceciderit, vel proiectum fuerit, illud non per Turcas, sed per Christianos exquiritur. Fateor me huius relationis nullum particulare experimentum vidisse vel audiuisse. Sed hæc de memorata Ecclesia & quarto huius Peregrinationis loco.

CAPVT XVII.

De Ecclesia & Monasterio S. Iacobi Maioris, quinto loco secundæ Peregrinationis.

EX Ecclesia S. Thomæ reuertendo ad viam à qua declinatum fuit, & rectà progrediendo occurrit statim Monasterium & Ecclesia D. Iacobo Apostolo, fratri S. Ioannis, alio nomine Maiori, dicata, à quo & nomen accepit. Causa exædificationis & dedicationis huius Ecclesiæ esse perhibetur, quòd in illius loco idem Christi discipulus glorioso martyrio feliciter cursum Apostolatus sui consummauerit, & præsentem mortalem vitam cum immortali commutauerit. Vt verò rem altiùs expendamus, animaduertendum est, quòd primus, qui inter Apostolos proprio sanguine Christi fidem illustrauit, & ad cælestia Regna ad Magistrum suum Iesum in cælis regnantem abiit, fuerit S. Iacobus Maior Zebedæi filius, Euangelistæ Ioannis dilectissimus frater, quem ipse Dominus, vt constat ex Euangelio, singulari prosequebatur dilectione: quorũ etiam martyrium, vt illustre & glorioſum, fuit ab ipso Magistro & Domino prænuntiatum illis verbis, *Calicem quidem meum bibetis*, Matth. 20, 23. hoc est, Multa, ô dilectissimi discipuli, pro Euangelij prædicatione & mei nominis confessione patiemini ab iis qui fidem meam persequentur. Tradent enim vos in conciliis, & in Synagogis suis flagellabunt vos, & ante Reges & Præsides ducemini in testi- *S. Iacobi Maioris martyrij locus.* *Martyrium Iacobi & Ioannis à Christo prænuntiatum.*

teſtimonium illis, & Gentibus, ſicque tandem calicem paſſionis, quem ego bibiturus ſum, & vos bibetis.

Ioannis martyriũ.

Quod quidem vaticinium in Ioanne impletum fuiſſe, docent Doctores, quando à Domitiano in feruentis olei dolium miſſus fuit, vt Tertullianus & communiter Patres docent cum S. Eccleſia, quæ in eius martyrij memoriam diem feſtum celebrat. Diuinitus verò liberatus, in exilium miſſus fuit, vt diuturniori martyrio ampliùs cruciaretur, illuſtriorique corona in cælo donaretur.

Iacobi martyriũ.

In Iacobo verò fuit Dominicum vaticinium impletum, quando in ſanctos Apoſtolos, inſtigantibus ſuadentibuſque Iudæis, fuit per Herodem Agrippam mota perſecutio, vt paucis hiſce verbis explicuit S. Lucas: *Miſit Herodes Rex manus, vt affligeret quoſdam de Eccleſia* (id eſt, ſanctos Apoſtolos, vt anteà, quando fuit lapidatus Stephanus, relictis Apoſtolis, reliquos perſecutus fuerat fideles) *occidit autem Iacobum fratrẽ Ioannis gladio*, Act. 8, 1. Sed pluribus & diſtinctiùs Iacobi martyrium, & alterius qui cum eo interfectus fuit, explicuit Euſebius l. 2. Hiſt. cap. 8. ex Clemente Alexandrino lib. 7. Hypotypoſeon, dicens: *De iſto Iacobo Clemens dicto libro hiſtoriam planè memorabilem inſerit, eamq; narrat, quaſi ex traditione maiorum acceptam: nimirum cùm ipſum, qui Iacobum in iudicium adduxiſſet, cum teſtimonium Chriſto illum tam liberè perhibentem cerneret, ea re commotum, ſe eſſe Chriſtianum, ingenuè confeſſum eſſe. Igitur ambobus vnà ad ſupplicium ductis, hunc inter eundum à Iacobo poſtulaſſe veniam ſibi concedi. Iacobum autem paululum rem animo complexum dixiſſe: Pax tibi, illumq; oſculatum eſſe: & ſic tandem vtrumque ſecuri percuſſum vitam deſeruiſſe.* Hæc ex Clemente Euſebius. Eadem Suidas in Hetode, & alij, quibus Eccleſia ipſa teſtimonium perhibet in Officio ſancti huius Apoſtoli. Hæc autem Ieroſolymis contigiſſe, apud omnes eſt in confeſſo, & deducitur ex Actis Apoſtolorum.

Sed quomodo? Reſpondent aliqui, quando occiſus fuit Iacobus, nondum Apoſtolos Ieroſolymam reliquiſſe, nec diuiſos fuiſſe ab inuicem ad Euangelium prædicandum, ſed diuiſionem Apoſtolorum factam eſſe poſt martyrium Iacobi, ideoque oportuiſſe eum pati Ieroſolymis.

Huic reſponſioni, quoniam ex ea colligitur, D. Iacobum non iuiſſe in Hiſpaniam, vt verè iuiſſe contendunt Hiſpani, refragantur ipſi Hiſpani, dicentes, ante obitum Iacobi aliquos Apoſtolos abiiſſe ex Ieruſalem & Iudæa. Paulum enim & Barnabam profectos fuiſſe Antiochiam ad prædicandum Euangelium Gentibus: & Iacobum, vt & ipſe Apoſtolatus ſui officio fungeretur, antè profectum fuiſſe in Hiſpaniam, ibique Euangelium diſſeminaſſe, Eccleſiamque fundaſſe; poſteà Ieroſolymam rediiſſe, vt calicem paſſionis biberet. Fauet traditio omnium Eccleſiarum Hiſpaniæ, quæ ſanè magni facienda eſt, confirmata deinde beneficio corporis eius, vt dicemus, non ſine miraculo. Quod verò de ſegregatione & diuiſione Apoſtolorum dicitur in Actis, intelligi volunt non de particulari, ſed de vniuerſali & totali diuiſione. Ita docent qui de rebus Hiſpaniæ ſcripſerunt. Lege Iacobum Valdeſium De dignitate Regum Regnorumq; Hiſpaniæ cap. 6. num. 8. & ſeq. & quos citat Auctores. Sed quidquid ſi de hoc,

Dicamus, illud ex eo deduci, quòd coniectus fuerit in carcerem Iacobus, & decollatus ab Agrippa Rege Iudæorum circa tempus azymorum, quod Ieroſolymis obſeruabatur, & quòd idem Herodes Ieroſolymis in vincula coniecerit & Petrum, videns rem gratam ſe feciſſe Iudeis, decollando Iacobum.

Locum autem particularem decollationis illum eſſe vbi memorata fuit conſtructa Eccleſia, de quo in præſentia loquimur, neminem vidi refragari. Adrichomius in deſcriptione Ieruſalem num. 47. de eo in hunc modum ſcribit: *Forum rerum venalium, quod in ſuperiori inferioris ciuitatis parte ſitum erat, vbi piſces & varia merces vendebantur. Hoc in foro S. Iacobus Maior frater Ioannis, cum ſuo ſpiculatore, qui eum ad martyrium ducebat, primus Apoſtolorum ab Herode Agrippa capite truncatus, cum ſanguine vitam profudit. In eius memoriam ſibi poſteà inſigne erectum eſt templum, quod nunc Iacobitæ Armeni inhabitant, atque in eo Chriſtum ſuo more colunt. Idem hoc forum iubente Floro Præſide milites Romani diripuerunt, ac paſſim obuios trucidauerunt, atque in vniuerſas inſilientes domes, cunctos in iis habitatores interfecerunt.* Quòd forum rerum venalium fuerit in ſuperiori inferioris ciuitatis parte, vt dicit Adrichomius, non diſputo; ſed quòd in eadem fuerit decollatus Iacobus, non credo: omnes enim in his partibus credunt, locum hunc pertinere ad ciuitatem ſuperiorem, & ad montem Sion. Fortè dixit ille eſſe in ciuitate inferiori, quia in eius ſuperiori confinio.

Cœnobium S. Iacobi.

Præter eam Eccleſiam, magnum etiam & pulchrum ibidem exſtructum eſt Monaſterium, quod Armenorum Epiſcopus cum ſuis Religioſis Monachis inhabitat (ad hos enim modò, non ad Iacobitas pertinet) & in eodem hoſpitantur Armeni pere-

peregrini. Huius Monasterij & Ecclesiæ mentionem faciens Bonifacius l. 2. De perenni cultu Terræ sanctæ, ita scripsit: *Occurret vobis in via* (nobis reuertentibus per eamdem viam ab Ecclesia S. Thomæ, sequendo iter cœptum) *in qua S. Iacobus Apostolus fuit martyrio coronatus, & Zozias ante ipsum. Ista enim Ecclesia magna est, & valdè pulchra, hospitium iuxta se habens, quod Hispani simul cum Ecclesia fabricarunt, in quo peregrini Hispani, qui veniebant Terram sanctam visitare, hospitabantur.*

Qualis sit Ecclesia S. Iacobi.

His iam ego addo, Ecclesiam istam, exceptis Ecclesiis sanctissimi Sepulchri Domini nostri & S. Mariæ in Bethleem, ceteris omnibus in his partibus à Christianis inhabitatis illustriorem & pulchriorem esse. Desuper ex arcu concamerato, qui adinstar illius in templo sanctissimi Sepulchri apertus est, lumen recipit. Ab eius latere dextro, & ferè in medio est parvum sacellum cum altari, & subtus ipsum est locus marmore rubro opertus, in quo sanctus ille Apostolus, Doctor, & virgo etiam, vt in Panario Hæresi 58. docet S. Epiphanius, abscisso capite Magistrum suum secutus est, quem in terra positum toto corde & pura mente dilexit. Suprà est tabula, vbi Deo incruentum altaris sacrificium offertur. Ante templum illud est hypæthrium quoddam siue atrium, vbi hodie, velut & olim, frequenter merces quædam vænum exponuntur, quemadmodum extrà in via publica. Monasterium maximum plurimis habitationibus abundat, eminens est, & ex solario templi, quod ceteris locis altius est, tota ciuitas cernitur; imò castello ipsi dominatur. Spatiosum ei inhæret viridarium: Et breuiter, situs iste & locus fecundior & melior ceteris Ierosolymitanis censetur.

Corpus S. Iacobi ex Ierosolymis in Hispaniam translatum.

Corpus S. Apostoli inde Compostellam in Hispaniam translatum fuit, vbi magna hominum vndequaque concurrentium frequentia imisitur. Cuius translationis festum Ierosolymis celebrari 3. Kal. Ianuarij, quando illius corpus in Hispaniam translatum fuit, docet Cardinalis Baronius in Notis ad Martyrologium Romanum ad 25. Iulij.

Historia translationis corporis S. Iacobi.

Qualiter autem id acciderit, habetur in historia Compostellana, seruata in archiuo eius Ecclesiæ, quam adducit Valdesius loco citato num. 25. quæ sic habet: *Occidit Herodes Iacobum fratrem Ioannis gladio, cuius beatissimi Apostoli corpus venerandum Iudæi, malenolentia & inuidia ducti, nec sepeliri voluerunt, nec à Christianis, qui tunc temporis Ierosolymis erãt, sepeliri permiserunt, sed sicut Leo Papa in Epistola, quam de eius passione & corporis ipsius in Hispaniam translatione ad Hispanos destinauit, affirmat, integrum corpus cum capite extra ciuitatem proiicientes, canibus, auibus atque feris deuorandum consummandumq; exposuerunt: sed eius discipuli ab eo adhuc viuente prænoniti, vt corpus suum in Hispaniam transferrent tumulandum, totum corpus cum capite, teste Leone Papa, nocturno tempore arripientes, ad littus vsque maris citato calle peruenerunt? Vbi dum solliciti de nauigio, quo transfretarent in Hispaniam, essent, nauem diuinitus paratam in littore maris inuenerunt, quam Deo gratias vnanimiter agentes, impositò sacratissimo corpore, læti conscenderunt: & scylla cum charybdi, ac periculosis syrtibus manu Domini gubernante deuitatis, primùm ad Irienſem portum felici cursu peruenerunt: deinde venerabile corpus ad locum, qui tunc Liberum-donum, nunc Compostella dicitur, deferentes, sub marmoreis arcubus sepelierunt.*

CAPVT XVIII.

De templo Præsentationis B. Mariæ Virginis, quinto loco secundæ Peregrinationis.

EX parte ista Australi ciuitatis, qua pergimus versus montem Sion, non longè ab isto, sed magis intra vrbem, & fortè in extrema parte ciuitatis superioris, est illustrissima, celeberrima pulcherrimaque Ecclesia sub titulo Præsentationis B. Mariæ Virginis consecrata, vltimus huius Peregrinationis venerandus locus, de qua plura dicenda sunt ordinatim pluribus Capitibus, de ratione nominis, de auctore & structura ipsius, & de aliis quæ plurimùm conducent ad huius sancti templi historicam elucidationem. De ratione nominis præsenti Capite.

Ratio nominis huius templi.

Duplicem rationem nominis huius sacri templi afferri posse arbitror: altera est illorum, qui dicunt, appellatum fuisse templum siue Ecclesiam Præsentationis B. Mariæ Virginis, in memoriam Præsentationis eiusdem Virginis in templo, quando videlicet immaculata puerpera, expletis quadraginta suæ Purificationis diebus à Filij sui purissimo partu, secundùm legem eumdem Filium in templo præsentauit, vt pluribus enarrat S. Lucas cap. 2. quæ solemnitas nunc communi vocabulo festum Purificationis dicitur: nam & Præsentationis appellari, habent antiqua Rituala, & alia vetusta Ecclesiarum monumenta significant, & ipsa insuper Oratio Missæ eius diei planè indicat, vt aduertit Cardinalis Baronius in suis Notis ad Martyrologium Romanum ad 2. Februarij, & 21. Nouembris.

Altera ratio illorum eſt, qui ſic appellari dicunt in memoriam & honorem Præſentationis B. Mariæ Virginis in templo, quando videlicet illius pij parentes paruulam virginem, futuram Dei matrem, diuino conſilio in templo præſentarunt, quæ in loco, vbi poſteà Eccleſia iſta conſtructa fuit, vſque ad tempus ſuæ deſponſationis habitauit.

Propter vtramque rationem, ſiue ad ambo iſta myſteria celebranda, arbitratur Bonifacius ædificatam, & eo nomine fuiſſe appellatam hanc Eccleſiam, vt eius verba, quæ in eius lib. 2. De perenni cultu Terræ ſanctæ leguntur, indicant. *Ad iactum ſagittæ*, inquit, id eſt, à loco vbi Petrus egreſſus è domo Caiphæ, fleuit amarè, qui, vt alibi dicetur, eſt extra muros ciuitatis in monte Sion, *ad ſiniſtrum aſpice mira magnitudinis Eccleſiam, quæ in domo Salomonis, quam iuxta templum Domini ædificauerat, ab Helena ſancta fabricata fuit, in qua cum aliis innumeris Sion & B. Virgo Maria educata iuxta templum Domini fuit. In hac Eccleſia quæ veneratur & decoratur titulo Præſentationis & Purificationis B. [illegible]inis Mariæ, quia in locum illum inductus fuit Ieſus à parentibus, vt facerent ſecundùm legis conſuetudinem pro eo, & Simeon ſenex accepit eum in vlnas ſuas.*

Liceat & mihi, quod in hac difficultate ſentio, eloqui. Non inficior, iſtam Eccleſiam ad vtrumque myſterium, Purificationis & Præſentationis S. Mariæ, ædificatam, & duobus hiſce nominibus intitulatam fuiſſe; verùm propter ſolam priorem rationem Præſentationis, Eccleſiam Præſentationis probabiliùs appellatam ſentio; & hoc præcipuè propter duo. Alterum eſt, quia ratio Bonifacij pro altera ratione falſo nititur fundamento, quòd in eum locum introductus fuerit Ieſus à parentibus, &c. vbi & partula manſit beata Virgo. Hoc, inquam, falſum eſt: nam pueri huiuſcemodi offerebantur in ipſo templo, & in eo obtulerunt Ieſum parentes eius, & Simeon in vlnas ſuas excepit, vt indicat Lucas cap. 2. & non ſiſtebantur in loco vbi mulieres Deo dicatæ habitabant, qui (vt inferiùs dicetur) creditur fuiſſe in loco vbi poſteà fuit hæc Eccleſia ædificata.

Et tantò magis falſitas illius fundamenti deprehenderetur, ſi verum eſſet quod ſcribit S. Bonauentura in Vita Chriſti cap. 11. oblatum infantem ſediſſe ſuper altare; altare verò erat in diſtincto ſitu ab habitaculis mulierum.

Sed dicet ad hoc aliquis, illud ſtare non poſſe; quòd in neutro duorum altarium templi, thymiamatis intus in ipſo templo, & holocauſtorum in atrio Sacerdotum, in quo victimæ incendebantur, poſitus fuerit Chriſtus; quia nec victima nec thymiama erat. Reſponderi poteſt, quamuis illorum altarium præcipuus vſus eſſet pro victimis & thymiamate, ac ideò ab his denominata fuerint; non tamen obſtare, quin minùs principaliter poſſent etiam ad alia deſeruire, & alterum pro oblationibus paruulorum, ſicut & in noſtris Eccleſiis altaria erecta ſunt pro Euchariſtiæ ſacrificio offerendo, & nihilominùs in eo reponuntur cineres, candelæ, palmæ, & alia benedicenda. Sed quidquid ſit de hoc, ſi Chriſtus oblatus eſt in atrio templi quod mundum appellatur, certè non in loco mulierum quæ in templo verſabantur, quia hic ab illo diſſitus eſt; & conſequenter Eccleſia iſta non poteſt dici Purificationis, quòd in eius loco B. Virgo Maria obtulerit filium ſuum expletis diebus purgationis ſuæ.

Alterum quod retrahit à ſententia Bonifacij, eſt communis omnium conſenſus in partibus iſtis. Omnes enim dicunt, iſtam Eccleſiam appellari non Purificationis, ſed Præſentationis, ob poſteriorem rationem adductam, in eoque loco ſitam eſſe, vbi oblata in templo B. Virgo habitauit cum aliis virginibus Deo dicatis. Ad hæc in Romano Martyrologio vndecimo Kalendas Decembris huius Præſentationis memoria celebratur, his verbis: *Ieroſolymis Præſentatio beatæ Dei Genitricis Virginis Mariæ in templo.* Igitur ſi ſolemnis hæc feſtiuitas Præſentationis Ieroſolymæ ſingulariter celebratur, credendum eſt, & illius intuitu illuſtrem Eccleſiam fuiſſe ædificatam, & hanc nos dicimus cum communi traditione, cui nec efficax ratio vel auctoritas, quod ſciam, refragatur.

Ac denique, quoniam in vetuſto manuſcripto peregrinationum Terræ ſanctæ fit mentio huius Eccleſiæ, etſi ſub alio nomine, retenta tamen eadem ratione nominis Præſentationis. ſic enim ibi dicitur: *Item ſchola B. Mariæ Virginis, in qua litteras didicit.* Schola appellatur, quoniam B. Virgo in templo præſentata, ibi more aliarum paruularum addiſcere non reſpuit, vt ſe aliis aſſimilaret; & quæ fuit cælitus edocta, ab humano præceptore non renuit edoceri, parem ſe faciens illis quarum futura mater erat. Et Filius ipſius etſi ab inſtanti conceptionis ſuæ fuerit plenus gratiæ & veritatis, vt tamen per omnia fratribus aſſimilaretur, ætate, gratia & ſapientia proficiebat coram Deo & hominibus, & in templo tamquam diſcipulus in medio Doctorum, illos audiens & interrogans, inueniri voluit, vt dicitur in Euangelio. Idem namque ſpiritus matrem & Filium dirigebat. Manſit verò

B. Virgo

B.Virgo in loco vbi nunc memorata Eccleſia conſtructa eſt, quoad fuit viro Ioſeph deſponſata.

Ad hanc eamdẽm Eccleſiam, quòd locus eſſet anteà pertinens ad Salomonicum templum, & ad proximè memorata credo alluſiſſe Cardinalem Vitriacum in Hiſtoria Ieroſol.cap.62. dum de templo Domini loquens ait: *In hoc beata Virgo, donec à Ioſeph deſponſata fuiſſet, cum aliis virginibus dicitur miniſtraſſe, templi cortinas, & veſtimenta Sacerdotalia præparando, litteras ſacras addiſcens, ieiuniis, vigiliis & orationibus, & diuinarum Scripturarum ſtudio prudenter & humiliter vacans: annis etiam puerilibus à parentibus vt ſiſterent eam coram Domino, ad templum adducta, omnes gradus, quibus aſcendebatur ad templum, per ſe abſque vlla difficultate dicitur aſcendiſſe, quod in oculis omnium mirabile viſum eſt, & à ſæculo de parno infantulo inauditum.* Ita ille.

CAPVT XIX.

De auctore & ſtructura templi Præſentationis B.Virginis Mariæ, & difficultatis ſolutio.

Auctor, & forma templi Præſentationis B.Mariæ Virginis.

SEd quisnam fuit templi huius auctor, & quæ illius ſtructura? Auctorem fuiſſe Helenam Chriſtianiſſimi Magni Conſtantini piiſſimam matrem, tradit Bonifacius ante relatus. Sed mihi hæc non probatur ſententia: nam ſi ita eſſet, Euſebius Cæſarienſis, harum rerum accuratus ſcriptor, illud enarrare non prætermiſiſſet, dum recenſuit alia templa à ſancta Imperatrice in Ieruſalem & in aliis Palæſtinæ partibus [illegible] citata, longè iſto, quod magnificentiſſimum eſt, inferiora.

Dicerem probabiliter, ab Iuſtiniano Imperatore huius nominis I. fuiſſe ædificatum, opera & perſuaſione S.Sabæ Abbatis, effeq; illud cuius meminit Cyrillus hiſce verbis: *Ieroſolymis templum Dei Genitricis Iuſtinianus Imperator locauit, cui nullum planè aliud æquiparari poteſt. Nouam Eccleſiam incolæ vocant; quod quale ſit ipſe declarabo*, &c. Eius deſcriptionem ex Cyrillo adducit Baronius Tom.7. Annalium ſub anno Chriſti 530.

De illius ſtructura & forma dico, quòd cùm immundiſſimi Turcæ, & illi præſertim qui apud eos ſanctitatem profitentur, cum magno Chriſtianorum Principum dedecore illud inhabitent, & ſibi in Meſquitam conuerterint, & ingreſſus Chriſtianis ad ipſum ſit perpetuò interdictus, quale illud ſit interiùs videre non potuerim: dicam tamen quod ab oculatis inſpectoribus accepi, & ex his quæ extrinſecus videntur diiudicare potui.

Auguſtiſſimum & magnificentiſſimum eſt, vt Imperatorem & Virginem Dei matrem, cui dicatum fuit, decebat, perſimile alteri S. Mariæ Bethleem, & fortè excellentius. An ad eius imitationem & æmulationem conſtructum? Et ſanè Ieroſolymis aliud templum non eſt cui melius aptari poſſint quæ à Cyrillo dicuntur. Ei annexum eſt amplum & illuſtre monaſterium, in quo, vt omnes in partibus iſtis fatentur, ſanctimoniales, id eſt, Deo ſacratæ virgines habitabant, & in hoc ſacro templo ad Dilectum preces fundebãt. Et profectò ſanctimonialiũ videtur habitatio. An in eo habitabant virgines illæ, quibus (vt plures ſcribunt Hiſtorici) Helena, cùm venit Ieroſolymam, tamquam dominis miniſtrauit?

Aduerte tamen, me nolle inferre ex hoc, magnificum iſtud templum & monaſterium fuiſſe conſtructum, quando Helena venit Ieroſolymam; tunc enim non fuiſſet illius auctor Iuſtinianus Imperator, qui annis circiter ducentis poſt Helenam vixit: ſed ita excogitaui, quoniam ibi in paruo fortaſſe hoſpitio habitabant, in paruoque templo puræ puriſſimo Deo preces offerebant, quorum vtrumque pius Imperator opere Regio refecit. Quòd ſi id dicere non placet, certè vel in monaſterio S.Annæ matris ſanctæ Dei Genitricis, vbi, vt dicemus Cap. VII. ſequentis Peregrinationis, erat ſanctimonialium conuentus, vel in alio honeſto ſanctæ ciuitatis loco habitabant ſanctimoniales illæ. Vitriacus in Hiſtoria Ieroſol. cap.58. indicat ibi habitaſſe ſanctimoniales nigras Ordinis S. Benedicti. ſic enim dicit: *Abbatia ſancta Maria monialium in Ieruſalem, cum Abbatiſſa & monialibus nigris ſub ſancti Benedicti Regula Deo ſeruientibus, tamquam cella aromatica ſanctis, & caſtis & Deo deuotis perſonis erat referta, quæ religionis diſtrictionem, vitæ honeſtatem & charitatis feruorem nulla compellente aduerſitate vel paupertate reliquerunt.*

Sed numquid in eius fundationis initio fuit templum dicatum ſub inuocatione Præſentationis S. Dei Genitricis Mariæ? Reſpondeo negatiuè, ſi ea, quæ ex Cyrillo retulimus, vera ſunt, ſed abſolutè templum *Dei Genitricis*, & *Eccleſia noua*: ſi quidem feſtum hoc Præſentationis nonniſi poſt nongentos triginta ſeptem circiter annos ab Imperatore Iuſtiniano in Eccleſiam introductum fuit, ſub Pontificatu Pauli II. qui Pontifex creatus fuit anno Domini 1464. Iuſtinianus verò creatus fuit Imperator anno ab incarnato Verbo 527. ſecundùm Genebrardum.

Præſentationis beatæ Mariæ feſtum quando inſtitutum.

Diuina ſiquidem prouidentia ordinatum eſt, vt ſingulæ Eccleſiæ ætatibus ſingulis gaudeant reuelationibus, ſingularibuſque obſequiis Deum & eius Matrem venerentur; ideò opportunè factum eſt, vt feſtum hoc Præſentationis B. Mariæ, quod initio non celebrabatur, celebraretur poſteà. Nam, vt notat Baronius ad Martyrologium Romanum die 21. Nouembris, in Gallias tranſiit dies feſtus Præſentationis temporibus Caroli V. Francorum Regis, anno Domini 1375. ac deinde Guilielmus Rex Saxoniæ pro religione ſua & pietate in hoc Virginis feſtum, quod in Saxonia magna pietate celebrabatur, litteras miſit ad Pium II. Pontificem maximum, quibus vt hoc feſtum auctoritate Apoſtolica confirmaret, poſtulabat; ſed illi immaturè mortuo ſucceſſit Paulus II. qui poſtulatis Guilielmi Ducis de benignitate aſſenſus eſt Apoſtolica, concedens, vt, non ſecùs atque Aſſumptio Virginis, ciuſmodi ſolemnitas in Eccleſia celebraretur: vt ipſæmet litteræ Apoſtolicæ in Regiſtro geſtorum Pauli II. & duo Martyrologia, Vſuardi & Molani Theologi, teſtantur. Gregorius XIII. Hiſpaniarum Eccleſiis conceſſit, vt Officio Duplici celebraretur, Sixtus V. extendit ad omnes Eccleſias. Quare fieri potuit, vt introducta in Eccleſiam ea ſolemnitate, Eccleſia iſta S. Mariæ, quoniam ædificata eſt in loco vbi ipſa B. Virgo fuit præſentata, Præſentationis fuerit appellata.

Conſuetudo antiquarum feſtorum inſtitutio nè vel Sanctorum canonizationem nunc abolita.

Dici tamen adhuc poſſe arbitror, multò ante tempora Pauli II. vocabulum Præſentationis obtinuiſſe; etſi non fuerit ſolemnitas illius in tota Eccleſia celebrata. Olim enim, etſi non licuerit Epiſcopis canonizare Sanctum, vt feſtum celebraretur in tota Eccleſia, licebat tamen id ſtatuere in ſuis Prouincijs (licet poſteà hoc fuerit iuſtis de cauſis interdictum ab Alexandro III. & Innocentio III. referente Bellarmino Tom. 1. lib. 1. de Sanctor. Beatit. cap. 8.) vt docet Thomas VValdenſis libro de Sacramentalibus tit. 14. cap. 122. ideoque in varijs Prouincijs diuerſi coluntur Sancti, & variæ celebrantur feſtiuitates, quæ in tota Eccleſia haud celebrantur, vt conſtat. Ita dico potuiſſe hoc feſtum Epiſcopali auctoritate Ieroſolymis celebrari vbi myſterium contigit, & in eius honorem Eccleſiam dedicari. Quemadmodum alia templa vel ſacella ad alia myſteria ibidem erecta fuerunt, quæ vniuerſaliter in Eccleſia non celebrantur. Et eius antiquitas in particularibus Eccleſijs ex eo confirmatur, quòd huius feſti inſtitutio ſit in Græcorũ Menologio die 2. Nouembris, ex conſtitutione aliorum Epiſcoporum Græcorum 21. eiuſdem, quæ poſteà in Latinorum Eccleſiam introducta fuit. Templum hoc Turcæ ipſi plurimum faciunt, & magis fortaſſe quàm alterum ei proximum, quod Salomonis vocant, atque in eo plures accendunt lampades, & feſtum diem agunt publicè ad honorem B. Virginis Mariæ, ad quod tam viri quàm mulieres conueniunt, quod eos extra Ieruſalem nonniſi ſecretò facere accepi.

Templum Præſentationi Deipare honorarium à Turcis.

CAPVT XX.

De habitaculis templi Domini, in quibus Deo oblati viri & mulieres habitabant, & hiſtoria Præſentationis B. Mariæ Virginis.

VT ſuperiùs indicata de templo Præſentationis B. Virginis Mariæ pleniùs intelligamus, & ipſis maiorem adhibeamus fidem, duo ſunt maximè obſeruanda: alterum eſt, in veteri Teſtamento liberũ fuiſſe tam viris quàm mulieribus Deo oblatis in templo manere, ſi non redimebantur, ſiquidem diuina lege ſancitum fuit, vt tam viri, quàm mulieres Deo dicati, votoque conſecrati, redimi poſſent, ſolutis tamen quotannis tot ſiclis ſecundum cuiuſque conditionem Sacerdotibus pro redemptione. Verùm redemptio hæc libera erat, & in arbitrio vouentis conſtituta, ſi vellet potiùs in templo ſeruire Deo, quàm annuam penſionem ſoluere. Sufficiat vnicum in huius legis obſeruari ſolitæ exemplum. Dilectus ille Deo Samuel, à parentibus ſuis Deo per votum conſecratus, in templo oblatus, à tenerrima ætate miniſtrabat Domino, nullo à parentibus pro redemptione perſoluto pretio. & ita notaũit Baronius Tom. 1. in Apparatu n. 49. Verum eſt itaque, Deo per votũ conſecratis liberum fuiſſe manere in templo in eius miniſterio, redimi & non redimi.

Conſecratis Deo liberũ erat in templo ſeruire in templo & redimi.

Et ex hoc Notabili alterum iam deducitur, Neceſſe fuiſſe locum eſſe in templo non tantùm pro viris, ſed etiam pro mulieribus quæ ſe Deo deuouerant, vbi abſque aliqua nota vel labe ſuſpicionis ſimul agerent; fuiſſeque in exteriori parte templi aliqua habitacula, in quibus viri à mulieribus & mulieres ſeorſim à viris habitarent, ſacræ Litteræ & alij Scriptores teſtantur, & in templi deſcriptione clarè id cernere licet. Erant habitacula pro viris, vt pro Nathinæis, qui ligna & aquas in templo miniſtrabant, Nehem. 3. erant pro Sacerdotibus, qui in templo ſacrificia offerebant, quæ ab exteriori parte muro claudebantur, à parte autem anteriori habebant aſpectum verſus templum. Lyran. Nehem. 3. Item habitaculum ſcutariorum ante occiduam templi porticũ extructum, vbi

In Salomonico templo erant loca pro viris, & mulieribus Deo votis.

vbi primò Iudæi, posteà Romani milites in festiuitatibus stationes habebant ad templi custodiam, 4. Reg. 11,6. Iosephus lib. 20. Antiquit. cap. 25. Fuisse etiam domos pro mulieribus quæ Domino in templo deseruiebant, relatis exemplis illarum mulierum, quas ibi habitasse Scriptura docet, fiet manifestum ex 4. Reg. 11,2. Iosaba filia Regis Ioram clàm subtraxit gladio Athaliæ, in necem filiorum Ochoziæ debacchantis, Ioas filium eiusdem Ochoziæ, quem vnà cum nutrice in templum adductum, ibidem per sex annorum spatium enutriuit, quousque productum perduxit ad Regnum. In Exodo etiam cap. 38,8. habetur, à Moyse factum labrum æneum cum. basi sua de speculis mulierum quæ excubabant in ostio tabernaculi: quem locum R. Abraham, & alij illius loci interpretes, intelligunt de mulieribus illis, quæ sæculi pompis & delicijs renuntiatis, sese vnà cum suis rebus, his præsertim quæ essent peccatorum illecebræ, ministerijs Domini mancipantes, assiduis intentæ precibus, excubabant ad ostium tabernaculi: quod quidem pietatis officium, extructo postmodum templo, non tantum non cessasse, sed magnificè auctum, par est credere. Ex horum numero creditur fuisse Anna illa Prophetissa filia Phanuel, de qua scribit S. Lucas, quòd annos octoginta quatuor nata, iam vidua ab adolescentia sua, cùm vixisset cum marito suo septem tantùm annis, vacans precibus die ac nocte, non discedebat de templo. Fauet quod 1. Reg. 2,22. legitur, impios Heli Sacerdotis filios castitatem illarum feminarum, quæ excubabant ad ostiũ tabernaculi, commaculasse: & quod 2. Machab. 3,19. accinctas mulieres cilicijs pectus per plateas discurrisse, sed & virgines, quæ conclusæ erãt, procurrisse ad Oniam summum Sacerdotem, &c. De virginibus quæ iuxta templum habitabant, à nonnullis locus intelligitur, vt ait Lyranus: de quibus S. Ambrosius lib. 1. de Virgin. *Etiam* (inquit) *templo Ierosolymis fuisse legimus virgines deputatas. Sed quid Apostolus dicit? Hæc in figura contingebant illis, vt essent indicia futurorum: figura enim in parte est, vita in pluribus.* Lege de his Canisium lib. 1. De Maria Deipara cap. 12. & alios qui de eiusdem Deiparæ Præsentatione tractant.

De hisce habitationibus tam virorum quàm mulierum, credimus locutum fuisse Iosephum lib. 8. Antiquit. cap. 2, dum dicit: *Salomon in circuitu templi construxit in primis in inferi loco triginta cellas, quæ inter se constipata, externa parietes templi fulciebant, erantq; inter se pernix, & patebant singulæ in longum viginti quinque cubitos, ac totidem in latum, & viginti cubitis attollebantur. Super has alia series cellarum erat extructa, super quas rursus alia, omnes inter se numero nonaginta.* Et quamuis loquatur Iosephus de templo constructo à Salomone, eadem tamen non defuerunt eidem sub Zorobabele reædificato, etsi priori altitudine, diuitijs ac pulchritudine non par fuerit, vt ex verbis initij 1. Esdræ deducit Lyranus, vbi dicitur, quòd suscitauerit Deus spiritum Cyri Regis Persarum, vt ædificaret domum Domini in Ierusalem. Si enim Cyrus Deo inspirante templum ædificari iussit, vtique consequens est, quòd illud non ad proprium sensum, sed ad normam alias à Deo præscriptam construi voluerit, id est, ad exemplar Dauidi à Deo demonstratum; etsi omnino simile quantum ad fortitudinem, munitionem & splendorem fieri prohibuerit, ne occasionem arriperent Iudæi aliquid moliendi contra Reges Persarum, 1. Esd. 3. Templum verò posteà à Magno Herode excitatum, priori in altitudine fuisse simile, comprobatur ex Iosepho lib. 11. Antiquit. cap. 14. & lib. 6. de Bel. Iud. cap. 6. In illis igitur habitationibus diuersi ordinis viri & mulieres, Dei templique obsequio mancipati, habitabant, vt ex dictis cuilibet patere potest.

Habitationum mulierum situs.

Sed in quanam parte templi erant loca virginum aliarumque mulierum Religiosarum, quæ ad tempus vel perpetuò ibi manere debebant, habitationi deputata? P. Augustinus Torniellus Tom. 1. suorum Annalium, anno mundi 4032. num. 14. reiecta opinione Baronij, ex Iosepho lib. 6. De Bello cap. 6. colligit probabiliter, prædictas virginum mulierumque domunculas secus locum orationis ipsarum, tum in Septemtrionali, tum etiam in Meridiano latere fuisse fabricatas, ita vt dictæ virgines mulieresve ad locum orationis per portas laterales ingredi commodè ac secretò possent. Verba Iosephi, etsi obscura, sunt quæ sequuntur? *Contra primam verò secreta erat ex alijs regionibus vna porta Meridiana, & vna Septemtrionalis, quibus ad mulieres introibatur: per alias enim transire ad mulieres non licebat; sed nec suam portam interiecto muro transgredi licebat.* Hæc Iosephus. Si ex meridiana & Septemtrionali porta templi ibatur ad mulieres, consequens est, vt dicamus, ex Meridionali & Septemtrionali plaga fuisse feminarum habitationes.

Ad Austrũ Templi virginum habitatio.

His adderem, Virgines in Meridionali, ac alias in Septemtrionali habitasse; tum quia in partibus istis vetus recepta traditio habet, in Australi parte templi Deo dicatas virgines vitam duxisse; tum quia, vt virgines meliorem & perfectiorem statum elegerunt præ

præ alijs, itaiñ domo Dei meliorem locum ſortiri debuerũt. Et appoſitè hîc aptari poſſunt verba illa Domini apud Iſaiam: *Non dicat eunuchus: Ecce ego lignum aridum. Quia hæc dicit Dominus eunuchis: Qui cuſtodierint ſabbata mea, & elegerint quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum, dabo eis in domo mea & in muris meis locum & nomen melius à filijs & filiabus; nomen ſempiternum dabo eis, quod non peribit*, Iſa. 56,3. Et hic agi de continentibus voluntarijs, non de neceſſariò ſe continentibus, abſciſſis, vel ſic natis, docent Hieronymus & Cyrillus in hunc locum, Auguſtinus lib. De S. Virginitate, cap. 24. & Baſilius in lib. De vera virginitate, & Gregorius 3. Parte Paſtoralis cap. 29. & patet ex præmio quod eunuchis promittitur; nec enim vlla ratio eſt, cur abſciſſis vel natis eunuchis, promittatur maior gloria, quàm ſit filiorum & filiarum Dei.

Quòd ſi quis contenderet, locum intelligendum de veris eunuchis, qui neceſſariò ſe continent, à fortiori de continentibus voluntariè, vt argumentatur Auguſtinus. Igitur ſi vel in Regno cælorum Eccleſiæ militantis vel triumphantis dat Deus continentibus locum & nomen melius à filijs, quare & non dandus erit melior locus illis conueniens in Salomonico templo, figura Eccleſiæ militantis & triumphantis? Sed Auſtralis Septemtrionali longè melior, igitur ibi ſuas habuiſſe habitationes Deo dicatas virgines, credendum eſt.

B. Maria Deo à parentibus dicata.

His in hunc modum ſtabilitis, dicerem, quemadmodum olim Samuel à parentibus, antequam naſceretur, fuit Deo deuotus, ſimiliter B. Virginem Mariam à ſuis parentibus Deo dicatam fuiſſe (qui propterea, vt fideles, non quidem ab ortu eius die octogeſimo, ſed poſt eius ablactationem, coram Deo Sacerdotibus eam præſentarunt, operà, vt creditur Zachariæ Sacerdotis & cognati eius) ibiq́ue relictam in Dei ſeruitio, vt cum alijs puellis educaretur, donec veniret tempus, quo nuptui, vt dè alijs fieri conſueuerat, traderetur, ſicut factum eſt. Ita docent communiter ſancti Patres, veteres ac recentiores Doctores, dum de Virginis Mariæ Præſentatione ſermonem inſtituunt. Sed vnum & alterum cum communi traditione adducamus, vt ex ore duorum vel plurium teſtium ſtet omne verbum.

Euodius Antiochenus Epiſcopus, Apoſtolorum ſucceſſor, cuius fragmentum refert Nicephorus Calliſtus lib. 2. Hiſt. cap. 3. in quo de Virgine ſic loquitur: *Trimula cùm eſſet, in templum eſt præſentata, & ibi in Sanctis ſanctorum traduxit annos vndecim; deinde verò Sacerdotum manibus Ioſepho ad cuſtodiam eſt tradita: apud quem cùm menſes peregiſſet quatuor, ab Angelo Gabriele lætum illud accepit nuntium. Peperit autem mundi ipſum lucem, annum agens quindecimum, vigeſima quinta die menſis Decembris.*

S. Ioannes Damaſcenus, quem vt egregiè rem explicantem adducit Eccleſia in Officio Præſentationis B. Virginis, lib. 4. De fide Orthodoxa, cap. 15. in hunc modum ſcribit: *Ioachim venerandam & dignam laude Annam in matrimonium duxit. Sed quemadmodum vetus Anna, cùm ſterilis eſſet, per votum & repromiſſionem genuit Samuelem, ita & hæc per ſupplicationem & repromiſſionem Dei Genitricem diuino munere accepit: vt & in hoc nulla illuſtrium mulierum poſterior eſſet. Itaque gratia (nam hoc ſonat Anna vocabulum) Dominam parit. id enim Mariæ nomine ſignificatur. Nam reuerà Domina facta eſt omnium creaturarum, cùm conditoris omnium effecta eſt mater. Naſcitur autem in domo ouilis Ioachim, & adducitur in templum. Deinde in domo Domini plantata, & impinguata ſpiritu, veluti oliua fructifera, omnis virtutis habitaculum facta eſt; cùm ab omni ſæculari vita & carnali concupiſcentia procul mentem abduxiſſet: & ſic virgineum animum ſimul conſeruaſſet, vt decebat eam, quæ in ſinu Deum ſuſceptura erat.*

Eadem docet communis traditio, quibus addit, vt innuimus, locum, vbi educata fuit S. Deipara, eſſe in Meridionali parte templi, ab eius latere dextro, vbi nunc ædificatum eſt memoratum templum Præſentationis B. Mariæ Virginis, & accipit probabilitatem ex ante adducto Ioſepho. Paſcebatur ibi Angelico miniſterio, vt olim Elias & alij eremi cultores paſti fuerunt, vt grauiſſimi Patres teſtantur, Gregorius Nicomedienſis, Cedrenus, D. Ambroſius & S. Bonauentura. Addit Pantaleon apud Metaphraſtem de Præſentatione Virginis, Zachariã Ioannis Baptiſtæ patrem Angelum cibum Virgini deferentem conſpexiſſe.

CAPVT XXI.

Reſpondetur argumento, quo probatur, ſanctam Dei Genitricem non fuiſſe in templo præſentatam, nec in loco Deo dicatarum virginum habitaſſe.

DVo ſunt proponenda & explicanda argumenta, quibus labefactari poſſe videntur dicta in præcedentibus de Virginis Præſentatione & eius templo, vt veritas magis eluceſcat. Alterum præſenti, alterum ſequenti Capite adducemus.

Et quantum ad primum, probatur, Virginem non fuiſſe in templo præſentatam, nec in eodem habitaſſe. Nam ſi ſancta Deipara,

para fuit præsentata in templo, vel fuit in illo quod à fundamentis erexit Zorobabel, vel in alio quod Magnus Herodes extruxit; nam de primo, extructo à Salomone, multò ante natiuitatem Virginis destructo, non est quæstio mouenda. Non verò fuit in illo Zorobabelis, quia tertio anno post ortũ Virginis, quando dicitur in eo præsentata, iam per Magnum Herodem à fundamentis sublatum erat. Nec in alio posteà per Herodem extructo, quoniam hoc non nisi spatio quadraginta sex annorum ædificatum fuit, vt Iudæi Christo dixerunt Ioan. 2,6. nec ab eo redarguti, quando iam Virgo Christum pepererat tunc agentem ætatis suæ annum trigesimum primum; igitur in isto præsentari & educari non potuit; & consequenter à fortiori, in templo nec præsentata nec educata fuit.

Templum Herodianũ quando cœptum.

Pro huius argumenti Antecedentis explicatione notandum est, Herodem à captis Ierosolymis anni Regni sui quinto decimo, qui erat decimus octauus ex quo Romæ Rex fuerat declaratus, templum Ierosolymitanum, vetere à fundamentis sublato, nouum ampliore ambitu ac maiori altitudine augustiùs ædificare cœpisse, vt Tornuellus Tom. 2. sacrorum Annalium, anno mundi 4032. num. 1. ex Iosepho 1. de Bello cap. 16. & 15. Antiquit. in principio c. 14. docet, qui annis triginta septem à declaratione eius in Regem, & triginta quatuor circiter ab eius possessione regnauit, vt idem Torniellus anno mundi 4035. num. 31. probat ex eodem Iosepho; & vltimus annus Regni Herodis fuit primus Christi; in quo ille mortuus est.

Vltenùs notandum ex eodem Torniello anno mundi 4040. num. 1. anno Regni Herodis vigesimo tertio, à Ierosolyma capta vigesimo sexto, elapsis vndecim annis à templi incensione (tot enim decurrunt à decimoquinto vsque ad vigesimum sextum) non fuisse magnificum & augustissimum templum ædificatum, quia, vt iam dictum est ex Ioanne, quadraginta sex annis fuit ædificatum. Loquebantur verò tunc Iudæi non de templo Zorobabelis iam à fundamentis destructo, sed de Herodiano, quod ante oculos habebant. Nec oscitanter & falsò loquebantur de numero annorum, nam de oscitantia & falsitate facilè redarguti fuissent, vt præter alios notauit Cardinalis Baronius Tom. 1. sub an. Christi 31. sed & Iosephus Herodiani fabricam vsque ad Neronis Imperium protractam fuisse, docet 20. Antiq. cap. 8. Si itaque ab ortu B. Mariæ Virginis non erat ædificatum templũ, quomodo in eo præsentari & educari potuit?

Verùm propter hoc argumentum non cogimur antè propositam veritatem deserere, grauissima Doctorum veterum ac recentiorum, necnon Ecclesiæ auctoritate & traditione comprobatam, sed eam firmiter constanterque confiteri, præsentatã fuisse in templo trimulam Virginem, tuncque fuisse, quantum necessarium erat, ædificatum templum cum mulierum habitationibus. Probatur, quia fuit tunc temporis constructum pro Anna Prophetissa, quæ ab adolescentia sua orbata viro, Domino se consecrauit, & non discedebat de templo die ac nocte, in quo cùm octogesimum ætatis suæ annum excederet, in templo versabatur, quando in eo puerum Iesum obtulerunt parentes eius, vt docet S. Lucas c. 2. quare non erat idem templum pro Regina Prophetarum, pro magni Prophetæ, imò & Dei matre sanctissima Virgine Maria? Habitauit verò in domibus virginibus Deo votis deputatis, vt Baronius in Apparatu suorum Annalium, Torniellus & alij docent, quæ ad orationem accedebat ad partem templi virginibus similiter designatam.

Ad argumentum fundatum in eo, quòd tempore Præsentationis Virginis non fuerit templum Domini ædificatum, dicendum, non tunc tantũ sed tempore ortus B. Mariæ fuisse, vt exemplo Annæ Prophetissæ, quæ illis temporibus die ac nocte à templo non discedebat comprobauimus.

Templum quomodo fuerit & non fuerit ædificatum tempore Præsentationis Deiparæ.

Cùm dicitur, cœptum fuisse anno decimoquinto Regni Herodis à captis Ierosolymis, & quadraginta sex ædificatum, quando iam sancta Deipara pepererat Filium suum trigesimum primum annum agentem, & ipsa quadragesimum sextum; Respondeo breuiter, templum ædificatum fuisse annis quadraginta sex, posse dupliciter intelligi: vno modo, quantum ad partes eius essentiales tantùm, quando videlicet tale erat, vt in eo possent sacrificia offerri, & alia ad diuinum cultum spectantia fieri: alio modo non tantùm quantum ad partes essentiales, sed & accidentales, quæ sunt ornamenta illi superinducta, quibus tota structura magis perficitur. Si loquamur de templo priori modo, dicimus cum Iosepho 15. Antiq. cap. 14. nouem annis cum dimidio Herodem cum magna celeritate ipsum ædificasse, & quantum ad eius essentiales partes absolutum fuisse, quando trimula Virgo in eo dicitur fuisse præsentata, siquidem tunc currebat annus Regni Herodis à captis Ierosolymis vigesimus sextus, quando iam annis viginti quatuor cum dimidio fuerat eo modo extructum. Ex quibus inferimus, duobus annis cum dimidio antequam in templum adduceretur B. Virgo, fuisse illud Herodianum templum absolutum, quantum

tum ad eius partes essentiales, quare potuit in eo B. Virgo absque difficultate commorari. Si verò idem consideremus tam quantum ad partes essentiales quàm accidentales, dicimus quadraginta sex annis (etsi non continuatim, & tanta, vt ab initio, celeritate) fuisse constructum, vt erat in statu quo Iudæi verba illa dixerunt ad Christum: sed nec illius structura fuit omnino absoluta, quoniam continuata & protracta fuit vsque ad tempora Neronis, vt docet Iosephus lib. 20. Antiquit. cap. 8. Solidam arbitror hanc responsionem, quam qui fusiùs explicatam desiderat, consulat Torniellum Tom. 2. sacror. Annal. anno mundi 4032. num. 5. & 6. Baradius Tom. 2. Concord. Euang. lib. 3. cap. 29. inquit, Virginem natam circiter illum annum, quo Herodes templum reædificare cœpit, triennio pòst præsentata ascendere potuit illius gradus, si iam erant extructi; si minùs, alios similes. Et ex his ad argumentum.

CAPVT XXII.

An sancta Deipara habitauerit in communibus templi habitationibus quæ promiscuè virginibus assignatæ erant, vel in Sanctis sanctorum.

SVpposito, sanctissimam Virginem fuisse in templo præsentatam, in eodemque habitasse, vt anteà ostensum fuit, probatur, quòd non in eius exteriori parte & domunculis illis mulierum, sed interiùs & in Sanctis sanctorum, & hoc auctoritate & ratione sanctorum Patrum. Et præter Euodium & Damascenum superiùs Cap. xx. adductos, idem docet expresè Nicephorus Hist. lib. 1. cap. 7. *Virgo*, inquit, *vt res diuina, intacta & sacrosancta in templi sanctiori loco & in abditis ipsis viuebat.* Constat verò, sanctiorem locum fuisse Sancta sanctorum. Et Gregorius Nicomediæ Archiepiscopus in Orat. de Præsentatione Virginis, moralem huius assertionis adducit rationem, dicens: *Oportebat Virginem non in Sanctis sanctorum tabernaculo, sed in ipso cælo cæli in prima ætate educari eam, quæ his collata sit latior, & puritate antecellat.* Et idem alij plures.

Sed, alijs omissis, vnum audiamus sanctum Germanum Episcopum Constantinopolitanum, clarissimè explicantem, in Sanctis sanctorum habitasse Mariam Virginem. Sic autem scribit in Sermone de Præsentatione Virginis: *Vbi non sæpè, semel solùm in anno Sacerdos ingrediens peragebat cultus mysticos, illuc Virgo, vt ibi perpetuò maneret, à suis adducitur parentibus, vt esset in sacris gratia adytis. Quis vidit, aut audiuit feminam, quæ adduceretur in intima Sancta sanctorum, ad quæ vix patet aditus hominibus, vt in eis habitet, & versetur? An non est hoc euidens demonstratio noui & alieni operis, quod in ea futurum erat posteà? Ostendant nobis, qui in eam linguas mouent, & vident tamquam non videntes, vbinam talia vmquam viderunt? puellam ex professo adduci intra tertium velum, tamquam domum in quod nulla cadit reprehensio, vt illic habitaret assiduè.* hæc ille.

Sedenim, sanctissimam Virginem numquam in Sanctis sanctorum habitasse, probatur manifestè ex D. Paulo & Iosepho, qui asserunt, in Sancta sanctorum semel in anno soli Pontifici licuisse ingredi. Ille, *In secundo*, inquit, *tabernaculo* (id est in Sancto sanctorum) *semel in anno solus Pontifex non sine sanguine introibat*, Hebr. 9, 7. Iste verò docet idem lib. 2. contra Apionem, & lib. 8. Antiquit. cap. 2. igitur non potuit in eo B. Virgo Maria habitare.

In Sancta sanctorum ex lege solus Sacerdos intrare poterat, alij ex priuilegio.

Qui oppositam tuentur sententiam, posita distinctione respondent. Fuisse licitum ingredi in Sancta sanctorum, contingit dupliciter, vel ex lege, vel ex priuilegio. Ex lege soli Pontifici semel in anno ingredi licebat, & de hoc modo ingrediendi sunt intelligendi S. Paulus & Iosephus: at ex gratia & priuilegio alijs etiam licebat. Vnde Iacobo Apostolo, qui frater Domini appellatur, qui non erat Pontifex legalis, concessum fuit ingredi, vt sanctus testatur Hieronymus, & recipit Ecclesia, quæ in Lectionibus Breuiarij eius diei festi sic habet: *Iacobo vni licebat ingredi Sancta sanctorum.* Et sanctam Annam Deiparæ Virginis genitricem Sancta sanctorum ad orandum esse ingressam, ex arcana quadam historia tradit Gregorius Nyssenus in Oratione de Natiuitate. Quantò magis licuisset Virgini ex gratia ingredi, quæ excellentia & dignitate longè Iacobum & Annam excellebat, quæ non in Sanctis sanctorum modò, sed in ipso cælo cæli educari debuit, vt diximus ex Gregorio Nicomediæ Episcopo.

Respondemus, verum esse, B. Virginem Mariam debuisse non solùm in templo, & in Sancto sanctorum, sed in ipso cælo cæli educari, si eius spectata fuisset dignitas & excellentia; sed hæc non vsquequaque explorata esse potuit, cùm quando fuit in templum adducta, trimula esset; & posteà Filio suo se assimilari debuerit, cùm ab eodem duceretur spiritu. At Filius eius fuit per omnia fratribus assimilatus in exterioribus, proficiens sapiétia & ætate apud Deum & homines; similiter & sanctissima Virgo, etsi cælesti consolatione & gratia supra ceteras

B. Maria Filio suo assimilata in vita.

teras ſuperinfuſa, nihilominùs in exterioribus ceteris virginibus Deo dicatis aſſimilari debuit. Quid? Chriſtus Filius eius ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, excelſior cælis factus (vt verbis vtar D. Pauli) quiſque innumeris à ſæculo non auditis miraculis coruſcauit, Propheta magnus habitus; & tamen, quia non poterat eſſe Moyſaicæ legis ſacerdos, cùm eſſet de tribu Iuda, non modò ad Sancta ſanctorum, ſed nec ad alia interiora templi loca ingredi permiſſus eſt, vt grauiſſimi Doctores docent, dicentes, quando in Euangelio quædam aſſeruntur facta à Chriſto in templo, templi nomine eam partem, quæ ſecundum atrium dicebatur, eſſe intelligendum; in iſto ſiquidem fuit præſentatus, in iſto docuit, ex iſto vendentes & ementes eiecit, & ſi quæ ſunt huiuſmodi alia. Quomodo ergo adduci quis poteſt ad credendum, matrem eius, non tot celebrem & illuſtrem gratiis & miraculis, ipſo ferè ortus ſiue pueritiæ initio fuiſſe ad Sancta ſanctorum admiſſam?

In qua templi parte ſcerit Chriſtum ea quæ de eo aſſeruntur.

Inſuper, quomodo fieri potuit, vt illa, necdum mater Dei, in tanta haberetur veneratione, vt ad interiora templi admitteretur, & ad habitandum in Sanctis ſanctorum, quæ poſteà tam deſpecta fuit, vt iam mater Dei facta, cùm ex Nazareth cum ſponſo ſuo Ioſeph profecta fuiſſet in ciuitatem Bethleem, vt profiteretur ſub Auguſto Cæſare, ipſo partus tempore à nemine in ædes recepta fuerit, ſed coacta filium ſuum primogenitum parere in ſpecu, eumque ponere in præſepio?

Ampliùs, ſi verum eſt quod docent Origenes in Matth. Tract. 26. Gregorius Nyſſenus de Chriſti Natiu. Baſilius Homil. de Humana Chriſti generatione, Hieronymus in cap. 23. Matth. & alij, & quod Cyrillus aduerſus Anthropomorphitas ſcribit his verbis: *Quòd Ioannis Baptiſtæ pater Zacharias prophetico ſpiritu ad occulterum cognitionem deductus, cùm myſterium Virginis de eximio partu probè intelligeret, incontaminatam puriſſimamq; matrem ab eo templi loco, qui virginibus ex lege deſignatus erat: docens nimirum Iudeos, quòd creator totius vniuerſi, & omnis creatura Rex humanam naturam, vt reliqua etiam omnia ſubiectam habet, pro ſuo arbitratu eam ad quodcunque velit, ducens; non autem ipſe creaturæ adſcriptus: adeò vt in ipſius poteſtate ſit ſitum, nouam creaturam creare, quæ matrem effectam virginitate non priuet, idcircò non arcuit eam à loco templi virginibus dicato. Erat enim locus hic inter altare & templum intermedius. Quando igitur audierunt Regem totius creationis ad humanam natiuitatem diuino conſilio procedere, veriti ne in eius Regis poteſtatem & imperium venirent; eum qui hæc de partu teſtificatus erat, interficiunt, Sacerdotem ſacrificantes.* Si, inquam, illa vera ſunt, & ſi, ſecundùm horum Doctorum placitum, Zacharias, quia benè de ſancta Virgine locutus fuerat, & à communi loco reliquarum virginum Virginem Mariam non arcuerat, inter templum & altare interfectus fuit; quomodo fieri potuit, vt eadem Virgo tenella, nondum adhuc ſacro grauidata fœtu, nec voce Prophetæ (quod ſciatur) celebrata, ad habitandum in Sancto ſanctorum loco, vix ſemel in anno Pontifici peruio, admiſſa fuerit?

Ac denique, quis adduci poteſt ad credendum S. Virginem Mariam tanti apud Iudæos fuiſſe, vt digna haberetur, quæ in Sancto ſanctorum habitaret, quando iidem Ieſum Filium eius, Mariæ & Ioſeph ſponſi eius filium per contemptum appellabant?

Cùm dicitur licuiſſe Iacobo Apoſtolo ingredi Sancta ſanctorum ex priuilegio, qui tamen non erat tantæ excellentiæ vt Virgo; Reſpondetur, verum eſſe, ceterùm propter longo tempore expertam eius ſanctitatem pluris fiebat apud Iudæos quàm trimula Virgo, & Iuſtus ab omnibus dicebatur, & ob egregiam eius ſpectatam virtutem, permiſſum ei fuit ſemel in anno ingredi in Sancta ſanctorum, inquit Epiphanius Hæreſ. 29. Ioſephus lib. 20. Antiquit. cap. 8. tanti eum facit, vt arbitretur, Ieruſalem deſtructam, Iudæos diſperſos & occiſos, propter mortem iniuſtè ei inflictam. Plura de eius ſanctitate Ioſephus, Egeſippus, Euſebius, Epiphanius, Hieronymus, & alij ſcripſerunt.

Ad aliud de Anna dicendum, apocryphum vel etiam falſum eſſe, niſi ſanctum Pontificem piè explicare velimus, Sancta ſanctorum latè pro templo ſumpſiſſe.

Ad argumentum, in quantum nititur auctoritate Patrum, dico, illos piè explicandos eſſe. Et ad eos, qui non tam clarè loquuntur, dicimus, nomine templi intelligere voluiſſe non partes eius interiores, ſed exteriores, quæ quodammodò ad ipſum pertinent, etenim tam hæ quàm illæ in Scriptura nomine templi explicantur. quod patet tum alibi, tum apud Ioannem, vbi dicitur: *Hæc locutus eſt Ieſus in gazophylacio, & erat quotidie docens in templo*, Ioan. 8, 20. & apud Lucam de Anna filia Phanuel, *quæ non diſcedebat de templo*, Luc. 2, 37. Quoniam in domibus ad templum ſpectantibus habitabat. Ita Doctores iſti ideò dixerunt, ſanctam Dei Genitricem in templo vitam degiſſe, & in ſanctiori parte, quia in templi domibus virginibus ad commorandum deſtinatis,

ſtinatis, & in aliqua ex ipſis digniore & ſanctiore habitauit. Vel in templo & Sanctis ſanctorum, quia prope & apud ipſa habitauit, ita enim particula *in* frequenter explicatur, vt infrà dicetur Lib.VI. Capite XII. Peregrin. I.

Ad alios verò qui clariſſimè de templo ipſo, quantum ad partes interiores, & de Sanctis ſanctorum loquuntur, dicimus, ita eos dixiſſe propter ſummam Virginis excellentiam, & quantum erat ex parte ſacerdotum illius temporis, ſi notam habuiſſent Virginis dignitatem, qui eam, vt omnibus creaturis ſanctiorem, in ſanctiori loco ex iuſtitia collocare debuerunt, vt illorum piæ rationes indicant, quod nos pleno ore confitemur.

Ceterùm addimus, non ad eam interiorem templi partem fuiſſe introductam, quia illius admiranda ſanctitas, & virtutum cumulus, perfectè illis non innotuit. Atque ex his manifeſtum eſſe apparet, quid de iam memorata Eccleſia Præſentationis B. Mariæ Virginis dicendum ſit, ſitam videlicet eſſe vbi in templo fuit illa præſentata, & vbi habitauit, & ab eiuſdem Præſentatione fuiſſe denominatam. Fortaſſe plus æquo iudicabit aliquis noſtram orationem longiorem fuiſſe in hac materia, at myſterij dignitate templiq́ue excellentia, de quibus locuti ſumus, conſideratis, breuiſſimam fuiſſe dicendum eſſet.

CAPVT XXIII.

In primitiua Eccleſia propriè, ſacræ ædes fuerunt, in quibus fideles ad ſacra munia obeunda conueniebant.

PRo maiori intelligentia & fundamento eorum quæ hactenus diximus, & deinceps ſparſim pro data occaſione dicemus in Opere iſto de ſacris ædibus & Eccleſiis Terræ ſanctæ, placet oſtendere in præſentia, quomodo antiquitus in primitiua Eccleſia, tempore Apoſtolorum & poſteà, fuerint loca ſacris vſibus deputata, in quibus conueniebant fideles ad orandum, ad ſacram lectionem audiendam, & ad Sacramenta, & ſingulariter Euchariſtiæ, adminiſtranda & percipienda; quòd audiam, fuiſſe nonnullos proteruulos, qui id immeritò negare auſi fuerint: ideò propoſita veritas explicanda eſt, vt quæ veteri traditione de iſtarum partium Eccleſiis enuntiantur, facilius credantur.

Ciuitatis & Eccleſia duplex ſignificatio.

Antequam autem intentum explicem & probem, duo aduerto: alterum, quòd quemadmodũ *ciuitas* modò ſignificat cœtum hominum, modò locum in quo cœtus ille habitat, ita etiam *Eccleſia* in Scripturis modò ſignificet cœtum fidelium, vt, *Saluſtant vos omnes Eccleſiæ*, Rom. 16, 16. & *Saluſtat vos Eccleſia, quæ eſt in Babylone collecta*, 1. Petr. 5, 13. modò locum ipſum in quo fideles congregantur, vt, *Et per totam noctem intra Eccleſiam erauerunt*, Iudith 6, 21. Alterum quod aduerto eſt, templi vel Eccleſiæ nomine poſſe nos intelligere ampliſſimam domum, & quaſi Regia magnificentia exædificatam, & ſolemni ritu conſecratam, cuiuſmodi hodie Dei ſingulari beneficio vbique ferè gentium plurimæ viſuntur; vel ædem publicam non priuati iuris, ſed ſacris cœtibus peculiariter deputatam, etſi ſtructura & ſolemni conſecratione haud celebrem.

Eccleſia materialis dupliciter accipitur.

Nos non loquemur de Eccleſia prout cœtum fidelium ſignificat; huiuſcemodi enim ſemper fuiſſe, tamquam manifeſtum & ab omnibus conceſſum ſupponimus, à ſua enim fundatione ſemper durauit & durabit ſine interruptione vſque ad ſæculi conſummationem. Nec de Eccleſia magnis ſumptibus & magnificentia conſtructa, & ſolemniter ab Epiſcopo conſecrata; quia huiuſmodi ſanè non erant, necdum enim tantæ erant Chriſtianorum facultates, tantaq́ue potentia, quæ tam ſumptuoſis ſufficerent operibus. Ita enim docet Eccleſia in Dedicatione Baſilicæ Saluatoris hiſce verbis: *Ritus, quos in conſecrandis Eccleſiis & altaribus Romana ſeruat Eccleſia, B. Sylueſter Papa primus inſtituit. Nam & ſi iam ab Apoſtolorum tempore loca fuerunt Deo dicata, quæ à quibuſdam Oratoria, ab aliis Eccleſiæ dicebantur, vbi collecta fiebant per vnam Sabbati, & Chriſtianus populus orare, Dei verbum audire, & Euchariſtiam ſumere ſolitus erat: non tamen illa adeò ſolemni ritu conſecrabantur, nec in eis adhuc in titulum erectum erat altare, quod chriſmate delibutum, Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui altare, hoſtia & Sacerdos noſter eſt, figurã exprimeret. Sed vbi Conſtantinus Imperator per Baptiſmi Sacramentum ſanitatem ſalutemq́; conſecutus eſt, tum primùm lege ab eo lata conceſſum eſt toto orbe terrarum, Chriſtiani vt Eccleſias ædificarent: quas ille non ſolùm edicto, ſed etiam exemplo ad ſacram ædificationem eſt cohortatus*, &c. Sed loquimur de Eccleſia ſiue æde quomodolibet ædificata, in qua conuenirent fideles ad ſacra munera obeunda. Et huiuſmodi loca, Eccleſias, ædes, vel quomodocumque vocare placet, fuiſſe, triplici medio oſtendemus, auctoritate, ratione & exemplo.

Et quantum ad primum, manifeſta eſt in primis auctoritas Apoſtoli, qui loquens de loco ſuſcipiendi Euchariſtiam, inquit: *Primùm*

In primitiua Eccleſia erant ſacra ædes.

Primùm quidem conuenientibus vobis in Ecclesiam, 1. Cor. 11, 18. vbi *Ecclesiæ* nomine significare voluit domum toti cœtui Christianorum communem, ad sacros conuentus ibidem celebrandos comparatam, de qua mox subdit, *Conuenientibus ergo vobis in vnum*, vers. 20. id est, in vnum peculiarem locum sacris vsibus assignatum. Quod ex antithesi continuò sequenti adhuc manifestiùs indicat, dicens: *Numquid domos non habetis ad manducandum & bibendum? aut Ecclesiam Dei contemnitis*, vers. 22. Hìc quippe apertissimè opponit domos priuatas, quæ vniuscuiusque sunt propriæ, Ecclesiæ Dei quæ omnibus communis est. Et duo quidem reprehendit Apostolus, vnum, quòd Corinthij ignorarint vsum peruulgatum priuatarum ædium, quas cùm haberent in sua potestate, & liceret illis pro libito vti, atque inibi repositis & apparatis escis (quantum satis erat) quandocumque vesci ac frui: nam vt ad alia vitæ huius necessaria commoda eas comparatas esse sciunt omnes, sic in primis ad comedendum & bibendum. Alterum, quòd turpissimè ac iniquissimè ad suas cupiditates, & quidem vitiosas, Ecclesia sint abusi, quæ cùm sit domus Dei, nec humani aut priuati iuris, sed diuini, ad cultum Dei duntaxat adhiberi debet, ad sanctam videlicet orationem, ad Scripturarum lectionem, expositionem, auditionem, ad Sacramentorum denique, & Eucharistiæ nominatim, religiosam perceptionem; atque adeò non vt ibi cibo infarciantur corpora, sed verbo Dei saginentur animæ. Hæc quoniam Corinthij palàm negligebant, & nullo discrimine, prout libitum erat, peruertebant, apertè ostendebant se non reuereri Ecclesiam vel domum Dei, sed eam planè contemnere. Vnde institutam reprehensionem eodem modo concludit, *Si quis esurit, domi manducet, vt non in iudicium conueniatis*, vers. 34. Et hìc clarum est, vocabulum *domi* priuatas ac suas cuiusque ædes indicare. Ergo contrariorum ratio necessariò postulat, vt alterum antithesis membrum, scilicet *Ecclesia Dei*, vers. 22. repetitum, ædem sacram significet, omnibus videlicet fidelibus communem, ne claudicet, sed erecta consistat antithesis. Et hæc est sententia S. Augustini Tom. 4. Quæstion. super Leuit. lib. 3. quæst. 75. sic enim scribit: *Ecclesia dicitur locus, quò Ecclesia congregatur. Nam Ecclesia homines sunt, de quibus dicitur, Vt exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam. Hanc tamen vocari etiam ipsam domum orationum, idem Apostolus testis est, vbi ait: Numquid domos non habetis ad manducandum & bibendum, an Ecclesiam Dei contemnitis?* Igitur ex Apostolo constat, in primitiua Ecclesia & tempore Apostolorum fuisse sacras ædes sacris muniis obeundis destinatas, quæ Ecclesiæ nuncupabantur.

Auctoritati Apostoli altera accedat Philonis, qui fuit Apostolorum æqualis. is scribit de viris Apostolicis, quòd habuerint sacra domicilia, quæ Semneia, σεμνεῖα, siue monasteria vocabant: in quibus habitantes honestæ ac sanctæ vitæ homines, mysteria celebrabant, nihil illò inferentes, nec potum nec cibum, nec aliquid quidquam eorum quæ ad corporis sustentationem necessaria sunt; sed leges & oracula Prophetarum, & hymnos, ac reliqua eiusmodi, quibus scientia & pietas augentur & perficiuntur.

Quantum ad secundum, eadem veritas probatur duplici ratione. Prima desumitur ex eodem Apostolo, qui ordinat, vt omnia honestè & secundùm ordinem fiant. Honestas autem & ordo maximè in loci delectu attendendus est, vt sacra publicaque officia non in communibus, sed in peculiaribus statutisque locis, quoad fieri potest, obeantur. Et quamuis, quantum ad Deum attinet, nihil referat quo in loco colatur, qui cùm sit corporis expers, nullis finibus circumscribitur, nec loco clauditur vllo; vt benè intellexit qui ei templum fabricauit, dum ad Deum conuersus dixit: *Si cælum & cæli cælorum non te capiunt, quantò magis domus ista quam ædificaui?* 2. Paralip. 6, 18. in commodum tamen nostrum cedit, quòd in templis potiùs orationes & in primis sacrificia peragantur; est enim hominum ingenium, & præsertim qui de vulgo sunt, vt eorum quæ peruulgata sunt minorem rationem habeant, imò etiam despectui habeant, quæ verò solemni ritu diuinæ rei faciendæ dicata sunt & consecrata, maiori habeant in veneratione. Sic videmus, ad Regum & Principum venerationem permultum facere, si domos habitent, quàm reliqua multitudo, magnificentiores, si vestes etiam induti sint splendidiores. Visum est igitur, etsi ad omnes quidem, singulariter tamen ad multitudinis maiorem erga Deum reuerentiam excitandam, non parum interesse, vt ædes certæ constituerentur, in quibus res alia nulla fieret, præterquam quæ ad colendum Deum pertineret. Confert hoc etiam ad pacem Ecclesiæ conseruandam, ad declinandas hæreticorum insidias (quæ in conuentibus clandestinis maximè solent delitescere) ad contumacium & peruersorum turbas atque tumultus deuitandos. Vt ergo primis illis nascentis Ecclesiæ fidelibus consultum esset, credendum est, sanctos Apostolos, & alios Præsules delegisse ad diuina munera peculia-

1. Cor. 14, 40. *Sacris ministeriis honesta eligenda loca, ob nostrum commodum.*

liares ædes, quæ omnibus ad sacra communes essent, ab aliis vsibus semotæ.

Secunda ratio, in veteri lege, & singulariter in illius exordio, Moyses tabernaculum eximij artificij & plurimi sumptus ædificauit, vt sibi à Domino fuerat imperatum, & posteà Salomon, eodem Domino præcipiente, percelebre illud construxit templum, vt ibi populus Israëliticus funderet preces, offerret sacrificia, & a Deo exaudiretur. Si ergo in statu illo, in quo omnia in figura contingebant, vbi lex Moysaica, legis Euangelicæ, vbi tabernaculum & templum Ecclesiarum Christianorum, & ipso Israëliticus populus Christiani fidelis populi figura extiterunt, erant loca ad diuinum cultum specialiter separata, num in ipsius Euangelicæ legis exordio huiusmodi loca credemus fidelibus non fuisse?

Dicet fortasse quispiam, dicta quidem ita conuenire & expedire, sed propter persecutionem infidelium, cui in sui exordio obnoxius fuit fidelium cœtus, non potuisse Ecclesias erigi, & dictas sacras designari ædes. Respondendum Primò, si hoc aliquid concludit, tantùm, vt non ita celebres & magnificæ possent construi, quales modò habemus, & non, quòd vel exiguæ vel priuatæ domus, communibus vsibus designatæ, & pro sacris destinatæ non fuerint. Secundò dicendum, singulari Dei beneficio factum fuisse, vt nascentis Ecclesiæ exordio rarior esset persecutio, & vt plurimum priuata, omnino ex Iudæorum seditiosorum maleuolentia & inuidia orta. Magistratus interea Romani (qui Reipublicæ gubernacula vbique tenebant) parum aut nihil molestiæ ferè, nisi coactè & quasi aliud agentes exhibebant. *Soli ex omnibus* (inquit Melito Sardensis Episcopus in suo quem obtulit Imperatori libello Apologetico) *Nero & Domitianus, ab inuidia quibusdam hominibus persuasi, doctrinam nostram calumniis obsicere voluerunt.* Quòd si quapublica Ecclesiæ ingruebat calamitas, ea nobis semper ferè fuit cum Iudæis communis. Quæ si Synagogas illorum vbique prorsus abolere non poterat; certè nec Ecclesias vel oratoria nostra funditus delere ex orbe Romano valebat. Ad hoc facit quod scribit Eusebius Eccles. Histor. lib. 7. cap. 29. & lib. 8. cap. 1.

Ad tertium. Euentus & exempla à fide dignis Scriptoribus relata, magis adhuc indicatam veritatem confirmant. Nicephorus lib. 2. cap. 39. 40. 41. Eccles. Histor. scribit, Apostolos in locis in quibus prædicabant Euangeliũ, nominatim autem in Asiæ, Syriæ, Æthiopiæ & Indiæ ciuitatibus, quin & apud ipsos Anthropophagos, Philippum, Bartholomæum, Thomam, Matthæum, & Andream templa, & quidem maxima, construxisse. Et omissis templis, quæ Magnus Constantinus Imperator ædificauit, quædam alia antiquiora recensea mus.

Ecclesia ab antiquo ædificata.

Lyranus in Psalmum 18. scribit, quòd viuente adhuc D. Petro, Senonis in Gallia fundata fuerit Ecclesia in nomine eiusdem. Eidem relationi adstipulantur Hadrianus Finus lib. 5. Flagell. cap. 10. Petrus Canisius de Maria Deipara cap. 23. & alij. In Matthæi 24. scribit idem Lyranus, S. Sauinianum, vnum ex septuaginta discipulis, missum à diuo Petro cum pluribus aliis in Galliam, ciuitatem Senonensem (quæ tunc erat Metropolis Galliæ, & vocabatur ciuitas Aurea) conuertisse ad Christum, ibique quatuor Ecclesias ædificasse, vnam in honorem B. Virginis Mariæ, aliam in honorem B. Stephani protomartyris, aliam in honorem S. Ioannis Baptistæ, quartam in honorem Apostolorum, quæ, quia viuente adhuc D. Petro constructa fuit, Ecclesia B. Petri viui nominata est vsque in hodiernum diem. In 1. cap. Abdiæ de eodem sancto Sauiniano hæc refert: *Procedens vsque in Franciam S. Sauinianus, qui fuit de septuaginta duobus discipulis vnus, conuertit ad fidem ciuitatem Senonensem, quæ tunc erat Metropolis in tota Francia, & ciuitas Aurea vocabatur, & post. ciuitatis conuersionem eam Domino dedicauit, faciens cruces in muro ciuitatis cum pollice, cui cedebat lapis sicut cera mollis, & adhuc apparent in pluribus locis, sicut ego vidi qui hæc scripsi.*

Ecclesia D. Petro viuenti dicata.

Quatuor Ecclesia in ciuitate Senonensi ædificata. prima sancta Maria, secunda sancti Stephani, tertia sancti Ioannis Baptistæ, quarta Apostolorum. Senonensis ciuitas ad fidem adducta à S. Sauiniano.

Ad hæc Martham, & sororem eius Mariam, intemeratæ Deiparæ adhuc viuenti Ecclesiam apud Massiliam extruxisse, Annales Francorum referunt, & refert Canisius loco citato, & attestatur Vincentius Bellouacensis lib. 8. Speculi cap. 29.

Massilia B. Mariæ Ecclesia ædificata.

Apud Antardum insulam in mari Phœniceo S. Petrum Apostolum ædificasse sacellum D. Virgini adhuc in humanis agenti, in quo primum idem Apostolus Missæ sacrificium peregit, ex incolarum fideli traditione acceperunt, qui cum Godofredo Bullonio in memorabilem illam Terræ sanctæ expeditionem profecti sunt.

In insula Antardo viuenti Deiparæ erectum templum.

Narrat Raphael Volaterranus lib. 11. Geographiæ fol. 110. Marcum Euangelistam, primum Alexandriæ Episcopum, in eadem vrbe Ecclesiam nomine S. Petri magistri sui nondũ defuncti fundasse & consecrasse, & testatur S. Gelasius in Concilio Romano, & Petrus Damianus Sermone de S. Marco. Præterea apud Clementem Romanum Pontificem legitur lib. 10. Recognitionum cap. vlt. Theophilum nobilem quemdam ciuem Antiochenum, à Petro Apostolo ad fidem

Alexandria viuenti Petro erecta Ecclesia.

Antiochia domus in Eccleſiam D. Petri adhuc viuentis conuerſa.

fidem conuerſum, domum ſuam Eccleſiam in honorem eiuſdem Apoſtoli viuentis conſecrari feciſſe, in eaque Petri Cathedram collocaſſe.

Alia in Germania apud Melſheim.

Ad hæc celebrem apud Germanos vigere traditionem, vetereſque Colonienſis & Trenirenſis Eccleſiæ docere Annales, S. Maternum ex primis D. Petri Apoſtoli diſcipulis, non procul à Melsheim prope Argentinam templum in eiuſdem S. Petri nondum defuncti honorem extruxiſſe, domum Petri, ſiue Germanicè *Thampeter* appellatum, tradit Caniſius loco citato.

Alia Epheſi D. Io. Euangeliſtæ.

Denique Epheſi Baſilicam Ioanni Apoſtolo & Euangeliſtæ in terris adhuc viuenti erectam fuiſſe, auctor apud Abdiam Babylonicum in Vitis Apoſtolorum narrat.

Ex dictis igitur manifeſtiſſimè apparet, in primitiua Eccleſia tempore Apoſtolorum eiuſmodi fuiſſe illorum fidelium zelum, vt ſibi ædes ab humanis vſibus ſemotas, ſacris dedicarint, Eccleſiaſque erexerint ad honorem Dei eiuſque ſanctiſſimæ Matris, Apoſtolorum, & aliorum Sanctorum. Quòd ſi alibi in varijs mundi partibus, multò magis idem in Terra ſancta præſtitiſſe, vnde lex, lux & ſalus noſtra proceſſit, & quam ipſe Dominus elegit & ſanctificauit, non eſt dubio vertendum. Ac conſequenter non ſunt à veritate aliena, ſed eidem & pietati maximè conſentanea, quæ diximus, & ampliùs dicemus in ſequentibus de templis egregijſque monimentis quæ pij veteres fideles erexerunt in aliquibus Terræ ſanctæ locis, tum vt in illis Deo omnipotenti creatori ac Reparatori noſtro preces ac ſacrificia offerrent, tum etiam vt peculiarium myſteriorum in eiſdem factorum perpetuò in mentibus hominum memoriam conſeruarent.

PEREGRINATIO III. *in qua recenſentur & enucleantur loca decem, quæ ſparſim viſitantur in ea parte ciuitatis, quæ antiquitus Ciuitas inferior dicebatur.* I. *Locus eſt carcer S. Petri Apoſtoli.* II. *Eccleſia S. Ioannis Euangeliſtæ, quæ & Zebedæi domus.* III. *Domus Mariæ matris Ioannis Marci.* IV. *Porta ferrea.* V. *Communis locus conuerſionis B. Mariæ Magdalenæ.* VI. *Peculiaris eiuſdem Magdalenæ conuerſionis locus.* VII. *Probatica piſcina.* VIII. *Eccleſia S. Annæ, & locus Conceptionis & Natiuitatis S. Mariæ Virginis.* IX. *Domus diuitis Epulonis.* X. *Templum Domini, ſiue Salomonis.*

CAPVT PRIMVM.

De carcere S. Petri Apoſtolorum Principis, primo loco tertiæ Peregrinationis.

IN ſancta ciuitate Ieruſalem, & in ea parte quę antiquitus *Ciuitas inferior* dicebatur, & modò in plaga Aquilonari Sion, non longè à templo Dominicæ Reſurrectionis & Caluariæ montis, & ad eius meridiem, carcer quidam monſtratur, qui ab incolis Ieroſolymitanis carcer D. Petri Apoſtoli appellatur, quòd illemet credatur, in quem Herodes Agrippa poſt interfectũ Iacobum fratrem Ioannis, apprehenſum Petrum Apoſtolorum Principem, vt rem gratam faceret Iudæis, coniecit, & vnde per Angelum miraculosè liberatus fuit. Ac ideò non tantùm vinculis D. Petri, ſed etiam Angelica præſentia conſecratus eſt. Et ad hunc reſpexiſſe arbitramur D. Lucam in Actis Apoſtolicis, dum de Petro coniecto in carcerem ab Herode texit hiſtoriam; & ipſum Chriſtum Dominum, dum in quadam parabola carceris & exteriorum tenebrarum mentionem fecit, vt placet Villalpando.

Carceris S. Petri deſcriptio.

Adhuc carcer eſt magnus & patens, altus ſed obſcurus, ex fornice per modicum foramen ſiue feneſtellam parum illuminatur. Eſt ad ipſum ingreſſus per oſtiolum quod reſpicit mœnia Ieruſalem ad Aquilonem. Intus eſt prominens rupes, vbi adhuc eſt annulus cui inſertę erant catenæ quibus ſontes vinciebantur. Ante ipſum magnum eſt atrium. Diſtat à ſacratiſſimo Dominicæ Reſurrectionis templo quantum bis iacit arcus.

Olim pij fideles illius intuitu, & ob deuotionem verſus Apoſtolorum Principem, ab eius dextro latere & Oriente verſus egregiam extruxerant Eccleſiam, cuius adhuc, præter magna fundamenta, ſuperior pars extat, etſi multùm ruderata. Tres continet Capellas. Quæ in medio, ceteris maior eſt, cui aliæ perſimiles ſunt. Supra portam eius ſunt in lapide exciſe figuræ Angelorũ aliorumque, ſed quia multum deſtructæ, non facilè myſterium deprehendi poteſt: probabile tamen, repræſentari hiſtoriam cuius gratia fuit Eccleſia ædificata, Angelum Petrum de carcere educentem. Domus ſunt circa ipſam. Creditur Helenam eam ædificaſſe,

Digitized by Google

casse, quam & vsque ad ipsum carcerem pertinuisse arbitror. Dignum planè tanti Apostoli monumentum.

CAPVT II.

Duæ explicantur difficultates contra dicta de carcere D. Petri.

PRo historica elucidatione & clariori intellectu eorum quæ diximus Capite præcedenti de carcere D. Petri, duæ sunt proponendæ & diluendę difficultates. Prior est. Quando S. Petrus in carcerem istum coniectus fuit, erátne carcer intra an extra ciuitatem, an potiùs intra eiusdem muros? nam pluribus muris fuisse cinctã Ierusalem, notauimus Peregrinatione 1. dum de eâ ageremus. Posterior difficultas est, an S. Apostolus fuerit missus in communem carcerem, an potiùs in peculiarem & regium. Et ex huius solutione intelligemus, an hîc fuerit Regius carcer, an potiùs publica custodia.

Prima sententia, carcerem fuisse extra ciuitatem.

Priori difficultati tripliciter respondeti potest, Primò cum illis qui dicunt, eumdem carcerem fuisse extra ciuitatem, permoti verbis D. Lucæ, qui loquens de Angelo & Petro per eum liberato, dicit, *Venerunt ad portam ferream, quæ ducit ad ciuitatem, quæ vltrò aperta est eis*, Act. 12, 10. Si ex carcere venerunt ad portã quæ ducit ad ciuitatem, igitur carcer extra ipsam erat. Et confirmatur: quia ibidem dicitur, *Et exeuntes processerunt vicum vnum*. Etenim vici sunt intra ciuitatẽ, & eius plateæ, vt de vico Damasci, Recto nuncupato, ostendit Lorinus in c. 9. Act. vers. 11. Igitur carcer vnde processerunt, longè & extra ciuitatem aberat, qui enim intrà & propè sunt, exire non dicuntur.

Ex hac responsione deducitur, secundùm horum placitum, responsio ad posteriorem difficultatem, Petrum non in carcerem Regium, qui erat intra ciuitatem (vt dicemus) sed in communem custodiam fuisse coniectum.

Villalpandi opinio.

Villalpandus Tom. 2. Apparatus par. 1. lib. 2. cap. 9. huic suffragari videtur sententiæ, quantum scilicet ad priorem difficultatem, sed alia permotus ratione, qua etiam magis quod intẽdit explicat, extra ciuitatem & eius pomœria in illius Occidentali plaga prope portam Essenorum, siue stercoris, & Vallem cadauerum, fuisse carcerem D. Petri, quoniam in ea plaga erat Betiso carcer teterrimus, horridus, grauissima capitis pœna multandis destinatus; ne sceleratorum afflatu, quod fortè cauendum populo maximè ducebant Hebræi, fœdaretur ciuitas, &c.

Ampliùs eamdem sententiam probat ex eo quod legitur apud S. Matthæum in parabola illa Regis, qui fecit nuptias filio suo, in qua habemus, ingressum Regem vt videret discumbentes, cùm vidisset ibi hominem non vestitũ veste nuptiali, crimineque conuictum, jussisse ministris: *Ligatis manibus & pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus, & stridor dentium*, Matth. 22, 13. In ista siquidem parabola per *tenebras* intelligit teterrimum carcerem in quem ad mortẽ destinati coniiciebantur, *exteriores* verò appellari docet, quoniam extra pomœria ciuitatis erant. Et ad has alluisse Christum in indicata parabola, & talem fuisse Betiso, in quem Apostolorum Princeps iam morti adiudicatus vinctus fuit coniectus, arbitratur. Et probat ex eo quod dicitur in historiæ contextu liberationis Petri: *Transeuntes primam & secundam custodiam, venerunt ad portam ferream, quæ ducit ad ciuitatem*, Act. 12, 10. *Ex quibus planè constat*, inquit, *extra ciuitatem fuisse carcerem, eiuq; primam secundamq; custodiam, quibus transactis, ad portam ferream, quæ ducebat ad ciuitatem, ventum est*. Quæ nos breuibus, pluribus explicuit Villalpandus. Et in descriptione Ierusalem ipsum delineauit prope Caluarium inter Orientem & Meridiem. Villalpandum sequitur Lorinus in cap. 12. Act. Apost. vers. 5.

Secunda sententia, quæ est Baronij, fuisse intra ciuitatem.

Secundò respondent alij, inter quos est Cardinalis Baronius Tom. 1. Annalium sub an. Christi 44. non extra ciuitatem & in suburbijs eius fuisse hunc carcerem, sed intra, quoniã intra ciuitatem erant eius carceres. Et argumẽto prioris sententiæ respondẽtes, propriã confirmant, dicentes, Ierusalem vsque ad tempus Agrippæ Regis fuisse duplici circumdatã muro, ipsumque Agrippam & tertium addere aggressum esse, sed non absoluisse, vt ex Iosepho 6. de Bello cap. 6. habetur. Et tam in primo quàm in secundo muro testatur erectas fuisse munitissimas turres, in quarum vnam, ad delinquentes coërcendos mancipatam, Petrus vinctus coniectus fuit, & à militibus custoditus.

Ad aliorum verò argumentum respondent: Cùm Petrus, ab Angelo è carcere liberatus, per portam ferream ingressus est ciuitatem, vt scribit Lucas, dicunt, eum loqui vel de porta quæ erat in altero murorum ciuitatis, vel (quod magis placet Baronio) portæ ferreæ nomine intellexisse Lucam non portam ciuitatis, sed ostium carceris, ex quo pateret aditus ad ciuitatem: non quòd extra ciuitatẽ carcer positus esset, sed quòd, sicut & Iosephus frequenter solet appellare ciuitatem, eam Ierosolymorum partem quæ media

gitized by Google

media eſt inter montem Sion & templum, Lucas eodem ſenſu dicat, portam ferream ducere ad ciuitatem, hoc eſt in eam ciuitatis ampliorem regionem, quæ communi loquendi vſu propriè ciuitas diceretur; carcerque ſitus eſſet vel iuxta templum, in ea fortaſſe munitiſſima turri quæ dicebatur Antonia, vel in aliquo alio loco extra ciuitatem, vt dictum eſt, non tamen extra mœnia totius vrbis poſito. Lege Baronium vltimæ impreſſionis. Ad confirmationem dicitur, & eos, qui diſcedunt ab extrema parte, & procedunt vlteriùs ad eius interiorem partem, dici & exire, & progredi ab exteriori ad interiorem, &c.

Opinio Adrichomij. Huic ſententiæ proximus videtur eſſe Adrichomius; diſſidet tamen: quia etſi hunc carcerem deſcribat intra duos muros ciuitatis, vbi & turres collocat, non tamen in turrim Antoniã, ſed in alterum carcerem & Regium detruſum fuiſſe D. Petrum ab Agrippa, docet. Sic enim ille ſcribit in deſcriptione Ieruſalem num. 139. de Strapedon verba faciens: *Strapedon area erat Regiam Herodis vndequaque ambiens, vbi Regij milites excubias agebant. In qua & carcer Regis extabat, cui nocentes includebantur. In quo D. Petrus ab Herode Agrippa Rege, qui Iacobum Maiorem occiderat, catenis duabus vinctus, & à quatuor quaternionibus militum diligentiſſimè per dies Azymorum fuit aſſeruatus*, &c. Et ex huius Auctoris verbis reſponſionem habemus ad poſteriorem difficultatem, ſecundùm eum, non in communem, ſed in Regium carcerem fuiſſe S. Apoſtolum coniectum. Et hæc eſt tertia ſententia, & reſponſio ad illas difficultates.

Tertia ſententia.

Liceat & mihi quæ de propoſitis difficultatibus ſentio aperire, ex dictis horum illuſtrium virorum, & his quæ ego circa hunc carcerem obſeruaui. Suppoſito itaque, carcerem, de quo loquimur, eſſe illum in quem ab Agrippa fuit miſſus ſummus Antiſtes Petrus, vt cum cõmuni traditione docent Bonifacius & alij oculati inſpectores, & locorum Terræ ſanctæ tractatores, & videtur fateri Villalpandus loco citato, dico duo: alterum cum Baronio, carcerem iſtum fuiſſe in ſecundo muro ciuitatis, & non in eius interiori parte, etſi nunc intra ſit, ex quo Ælius Adrianus Imperator Caluariæ montem, & alia loca partim Aquilonaria, & partim Occidentalia ciuitatis, inter quæ eſt etiam hic carcer, muris cinxit, vt etiam in præſentia videtur. Et hoc redditur probabile, tum quia prope eſt turris, in qua adhuc, vt in iſto carcere, fontes recluduntur; tum quia vterque ſunt proximi Caluariæ loco damnatorum ad mortem; tum denique, quia in illo eſt adhuc eleuata rupes, quam probabilius eſt extra quàm intra ciuitatem cognoſcere. Ex his probabiliter colligimus, antiquitus non fuiſſe in parte interiori ciuitatis, etſi in præſentia ſit. Nec eſt turris Antonia, quæ ab iſto carcere procul abeſt, & templo Salomonis proxima.

Carcer D. Petri non eſt turris Antoniæ, quæ erat intra muros ciuitatis.

Non tamen mihi multùm probatur quod Baronius addidit, portam ferream, cuius meminit S. Lucas, eſſe non ciuitatis, ſed carceris portam: non quòd dubitem carceri non fuiſſe portam ferream, ſed non de illa fuiſſe S. Hiſtoricum locutum: quandoquidem per Angelum educto à carcere Petro, quando ambo pertranſierunt *primam & ſecundam cuſtodiam, venerunt ad portam ferream, qua ducit ad ciuitatem*, inquit ſacer Textus. Quomodo igitur fieri potuit, vt qui liber exierat de carcere, & de duplici militum cuſtodia (ſanè extra carcerem conſtituta) iuerit ad ferream portam carceris quæ ducit ad ciuitatem?

Porta ferrea quid.

Arbitror ego, fuiſſe aliquam portam in aliquo interiori muro vel vico ciuitatis ſitam, & illam quæ modò nõ multùm à carcere Petri intra ciuitatem viſitur, & *Porta ferrea* appellatur. Et hoc tantò magis verum eſſet, ſi antiquitus illa viguit conſuetudo, quæ modò obſeruatur in præcipuis harum partium vrbibus, vt in capitibus vicorum viarumque præcipuarum ſint portæ, aliæ ferreæ, aliæ ligneæ, quæ noctu clauduntur ad tutelam incluſorum habitatorum: & fieri poteſt, vt præſentes indigenæ, vt alias antiquas retinent conſuetudines, & hanc acceperint. Et dicta porta ad caput vici eſt, quæ quoniam præ ceteris ferro munita erat, per antonomoſiam *Porta ferrea* dicebatur.

Conſuetudo Orientalis circa vicorum cuſtodiam.

Alterum eſt, me ſentire cum Adrichomio, hunc carcerem non fuiſſe communem, ſed particularem & Regium: & quod probare prætermiſit ille, breuitati ſtudens, nos claritatem ſectantes, probabili auctoritate & ratione comprobabimus.

Carcer D. Petri Regius.

Auctoritatem habemus ex D. Luca. Cùm enim Herodes videret, placuiſſe Iudæis quòd Chriſtianos perſequeretur, & Iacobum è medio ſuſtuliſſet, *apposuit vt apprehenderet & Petrum. Quem cùm apprehendiſſet, miſit in carcerem*, &c. Act. 12, 3. At in quem carcerem? vtique in ſuũ peculiarem Regium, qui *Carcer* antonomaſticè dicebatur. Et profectò ſi hunc non intellexiſſet ſacer Hiſtoricus, dixiſſet eum miſſum fuiſſe in cuſtodiam publicam, vt dixerat antè de carcere Apoſtolorum, indicare volens, eos non in carcerem Regium, ſed in communem fuiſſe detruſos: at nunc, mutato modo loquendi, dicens fuiſſe Petrum miſſum *in carcerem*, indicare voluit, hunc

non communem, ſed Regium fuiſſe.

Ratio hæc eſt. Si Herodes, vt rem gratam præſtaret Iudæis, Petrum comprehendit, igitur & eumdem in ſuum peculiarem Regium carcerem coniecisſe credendum eſt, vt illorum animos magis ſibi deuinciret, hocque pacto non iocosè, ſed ſeriò ſe rem agere oſtenderet. Et confirmatur ex diligenti cuſtodia quam adhiberi voluit: quia non ſatis illi fuit Apoſtolum carceri incluſum funè vel catena vna vincire, & cuſtodire vno vel altero milite; ſed vinctum catenis duabus, tradidit quatuor quaternionibus militum cuſtodiendum. quare igitur non etiam in Regium coniecit carcerem, vt ſecuriùs cuſtodiretur?

Denique, ſi in publicam cuſtodiam coniecisſet, periculum erat ne inde liberaretur, vt decennio antè fuerat cum aliis Apoſtolis liberatus, quemadmodum docet S. Lucas Act. 5, 18. Etſi enim D. Petrus vilis appareret homuncio, eſſetq; iam ſenex, inermis & pauper piſcator, nec alicuius potentiorum aut ditiorum fauore fulciretur, adeò vt hoc ex capite Herodi timendum nihil fuerit, ex alio tamen non deerat quod timeret: nouerat nimirum Herodes, illum eſſe magnum ſignis & virtutibus, plurimumque fieri à Chriſtianorum Eccleſia, cuius erat caput, quæ totis vtique viribus contendiſſet eum liberare, ſi vllo modo poſſet. Itaque vt ſecuriùs illum ſeruaret Herodes, & à ſuſpicione liberaretur, non in publicam cuſtodiam, ſed in Regium ſuum carcerem coniecit ſanctum Apoſtolum.

Quòd ſi Betiſo eſt tetrior & fœdior carcer damnatorum ad mortem, cui alter ſimilis non eſſet Ieroſolymis, vt arbitratur Villalpandus, probabiliter quantum ad hoc poſſemus cum illo conuenire, etſi non neceſſariò, quia fortè Betiſo tetrior fuit, ſed Regius tutior; non tamen quantum ad aliud, quòd eſſet omnino extra pomœria ciuitatis, tum propter ſuperiùs dicta ex Ioſepho, tum quia carceres intra ciuitatem tutiores ſunt, tum quia, conſiderato ſitu huius carceris, præter dicta, magis intra ciuitatem quàm extra eum agnoſcere cogimur.

Nec officiunt quæ dicuntur à Villalpando. Non eius ratio: cùm, ſi diceremus, carcerem illum eſſe in extremitate ciuitatis, & ad muros illius, perinde ſit ac ſi diceremus eſſe extra ciuitatem, id eſt extra corpus ciuitatis, vt dicitur, & de ſceleratorum afflatu ciuibus non erat tunc timendum.

Ad auctoritatem deſumptam ex parabola Saluatoris reſpondeo, Villalpandum ſupponere, quod probare debebat, Saluatorem nomine tenebrarum exteriorum intelligere voluiſſe aliquem Ieroſolymitanum carcerem, qui ommino eſſet extra pomœria ciuitatis. Etſi enim Chriſtus appellatione carcerum exteriorum alludere voluerit ad carceres extra Ieroſolymam exiſtentes, non officit explicatæ à nobis ſententiæ; nam poſſunt dici exteriores, id eſt, extra ciuitatem poſiti, ſi illos dicamus fuiſſe extra corpus ciuitatis, in eius extremitate & inter vtrumque murum eiuſdem.

Ad probationem ex hiſtoria Apoſtolica iam reſponſum eſt. Et admiſſo, fuiſſe carcerem, de quo Saluator locutus fuit, tetrum & luci imperuium, & in eumdem fuiſſe coniectum Petrum (obſcuritatem, denſiſſimas & perpetuas tenebras ſignificaſſe videtur Lucas illis verbis, *Ecce Angelus Domini adſtitit, & lumen refulſit in habitaculo*, Act. 12, 7. quaſi nouum & inauditum quidpiam.) Et quamuis Capite præcedenti dixerimus modico ſpiraculo illuminari, non obſtat. Reſpondemus enim dupliciter, primò, ſpiraculum illud tempore Saluatoris & Petri non fuiſſe, ſed factum fuiſſe poſteà, præſertim loco ſacro Chriſtianis conceſſo. Deinde, ſi tunc fuit foramen illud, quoniam eo parum illuminabatur carcer (nam & in præſentia, illo non obſtante, carcer obſcurus eſt, vnde eximio inſolitoq; ſplendore in aduentu Angeli fuit adeò illuſtratus, vt viſæ ſint tenebræ in clariſſimam lucem conuerti) ideò meritò illius ſplendorem non ſine admiratione expreſſit ſacer Hiſtoricus.

Igitur (vt huic Capiti & hiſtoricæ elucidationi carceris S. Petri finem imponamus) hic carcer, in quem Apoſtolorum Princeps fuit ab impio Herode coniectus, erat olim intra mœnia ciuitatis, etſi extra corpus ipſius, & Herodis Regius, vel Betiſo, ſi ab inuicem differunt. Eum verò in finem Herodes Apoſtolum in carcerem compegerat, vt ſtatim eum, finito feſto Paſchatis, vltimo capitis ſupplicio afficeret. Sed infelix fruſtrà iniit conſilium contra Dominum & Chriſtum eius: ipſe enim diſſipat cogitationes populorum, & reprobat conſilia Principum, quoniam vana ſunt, & vt pupillam oculi cuſtodit ſeruos ſuos; & ſperantes in eo non confunduntur, vt in D. Petro apparuit. Miſit ergo Dominus Angelum ſuum, & eripuit eum de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Iudæorum. *Sollicitudo Dei ſeruorum ſuorum.*

Et hæc de carcere D. Petri ſatis: qui aliqua de catenis eius, quas ſanctificauit, ſcire deſiderat, conſulat Breuiarium Romanum in feſto S. Petri ad Vincula Kalendis Auguſti, & Cardinalem Baronium loco indicato.

CA-

CAPVT III.

De Eccleſia S. Ioannis Euangeliſtæ, quæ & domus eius & Zebedæi patris appellatur, ſecundo loco tertiæ Peregrinationis.

INtra muros ſanctæ ciuitatis, ex carcere S. Petri, verſus Orientem dirigendo greſſus ad læuam partem viæ domum Græcorum ingredimur, in qua eſt pulchra ſatis & elegans Eccleſia in modum crucis conſtructa, ita vt medium eius, quod quadrum eſt, quatuor aliis ſimilibus partibus crucem Eccleſiæ & totam ipſam Eccleſiam conficiant, appellaturque à Chriſticolis domus Zebedæi patris Apoſtolorum Iacobi & Ioannis, & domus & Eccleſia S. Ioannis Euangeliſtæ. Ratio talis nominis eſt, quoniam vetus habet harum partium traditio, ibi fuiſſe domum Zebedæi, & in ea conceptum & natum filium eius Ioannem. Quæ poſteà à pijs fidelibus, & vt probabiliter creditur, ab Helena ſanctiſſima in Eccleſiam conuerſa fuit, quam ad honorem ſancti huius dedicari voluit, & ab illius nomine appellari domum & Eccleſiam S. Ioannis Euangeliſtæ, talique intitu ab incolis & peregrinis inuiſitur.

Prima Eccleſia ſancti Ioannis Euangeliſtæ, & ratio nominis.

CAPVT IV.

Duæ explicantur difficultates contra hanc domum S. Ioannis Euangeliſtæ.

COntra traditionem Capite præcedenti poſitã duplex ſeſe offert difficultas quæ illam labefactare videtur, quæ proponenda & diluenda eſt, vt quomodo illa ſuſtineri poſſit videatur. Altera difficultas eſt: Ioannes Euangeliſta, frater Iacobi Maioris, & Zebedæi filius, Galilæus erat, ſicut & ceteri Apoſtoli, vt dicitur Act. 1. & 2. c. & Zebedæus non longè à Nazareth ciuitate Galilææ, vbi domum habebat, habitabat, vt dicemus Lib. VII. Cap. 1. Peregrin. IV. habitabat etiam Ioannes in Galilæa; vnde iuxta mare Galilææ, quando ipſe cum Iacobo ad Apoſtolatum vocatus fuit à Chriſto, reficiebat retia cum fratre Iacobo, & Zebedæo patre, Matth. 4, 21. quomodo ergo veraciter dicere poſſumus, Ioannem in Iudæa & Ieroſolymis natum, & ibidem habitaſſe? Altera difficultas eſt: Ioannes pauper erat, quoniam piſcator, qui opere & labore manuum victum ſibi comparabat; quomodo ergo in Ieroſolymis domum habuit, & tantò magis ſi etiam in Galilæa habebat?

Habitatio Ioannis Euangeliſtæ.

Ad priorem difficultatem facilè reſpondere poſſemus, dicendo, ſecundùm Scripturæ ſacræ conſuetudinem, quæ à ciuitate vel regione aliqua denominat, non eos tantum qui in ea nati fuere, ſed etiam illos qui in illa aliquo tempore habitarunt, vt alibi à nobis opportuniori loco notabitur. Vnicum huius veritati ſufficiat teſtimonium. Chriſtus Dominus, qui in Galilææ ciuitate Bethleem natus fuit, Galilæus ſimul & Nazaræus appellatus eſt, quòd in Nazareth educatus eſſet. Eodem ergo modo dicere poſſumus, D. Ioannem in Ieroſolymis & Iudææ Prouincia ortum eſſe, verùm quoniam diu in Galilæa commoratus eſt, Galilæum fuiſſe nominatum. Sicque meritò poteſt Ieroſolyma aſſignari locus eius conceptioni & natiuitati, ſicut ad mare Galilææ alter vocationis illius ad Apoſtolatum monſtratur.

Ex quo loco quis dicatur eſſe.

Secundò dici poſſet, omnes Apoſtolos dictos fuiſſe Galilæos, vel quia omnes Galilæi credebantur, vel quia pro maiori parte Galilæi erant, quia ſaltem ſcimus D. Paulum Tarſi in Cilicia natum eſſe, & S. Barnabam in inſula Cypro: qui loquendi modus non eſt alienus à phraſi Scripturæ & communi vſu loquendi. Vnicum ſufficiat exemplum. Pſalm. 13, 3. & 52, 2. dicitur: *Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt*, &c. Et tamen multos iuſtos & ſanctos fuiſſe à Domino ſeruatos, qui non curuauerint genua ante Baal, nec Dominum dereliquerunt, ipſius Domini teſtimonio nouimus. Ita poſſemus in propoſito dicere, Ioannem in Ieruſalem fuiſſe natum, Galilæum tamen appellari, quando cum aliis Apoſtolis numeratur, quia reliqui pro maiori parte erant Galilæi, & quia, vt commodiùs victum ſibi compararet, abiit cum patre in Galilæam, vbi & aliquamdiu habitauit.

Apoſtoli quare Galilæi dicti.

Ad poſteriorem difficultatem dupliciter etiam reſpondeo, Primò, dicendo cum D. Hieronymo Epiſt. 16. D. Ioannem nobilem fuiſſe, ac propter generis nobilitatem fuiſſe notum Pontifici, adeoque in eius atrium introduxiſſe Petrum, vt communis habet Doctorum ſententia. Nec, antequam vocaretur à Chriſto, adeò pauper erat, quin domum Ieroſolymis habere non potuerit. Et profectò fuiſſe ceteris vel pluribus ſaltem Apoſtolis ditiorem, colligitur, ex Euangelio, vbi dicitur ipſum habuiſſe mercede conductos homines ad piſcandum, quod de aliis non legitur. S. Marcus enim c. 1. docet, Ioannem cum Iacobo reliquiſſe patrem in naui cum mercenarijs, & Dominum fuiſſe ſecutos. Si mercenarios habebat, igitur & facultates circa quas operaretur, & quibus eos ſuſtentaret, habere debuit. Non ita-

II. *Ioannis nobilitas & opulentia.*

itaq; tam pauper erat, quin pauca quędam, vel ſaltem domum ad habitandum habuerit. Quod ſi negetur, non negabitur ſaltem conductam habuiſſe; quis enim adeò pauper inter homines, cui natiuitati vel habitationi domus non ſit? & hoc nobis ſufficeret pro defenſione illius traditionis. Nec enim ideò æſtimatur domus iſta, quòd iſtius Ioannes fuerit dominus, ſed quia ille eam natiuitate & habitatione illuſtrem reddidit: ſicut & Sepulchrum Domini glorioſum prædicamus, & cetera loca ſancta veneranda, non quia ea Chriſtus temporaliter poſſedit, qui non habebat vbi ſuum reclinaret caput, ſed quia ipſius præſentia ſanctificata & prodigiis illuſtrata fuerunt.

Quomodo Ioannes domum Ieroſolymis habuerit.

Secundò dici poteſt, Ioannem, venditis Caiphæ illius temporis Pontifici illis quæ habebat in Galilæa, ea occaſione cum eo amicitiam feciſſe, & emiſſe domum in Ieruſalem, atque hanc dici Ioannis, non quòd in ea natus ſit, ſed quòd eam poſſederit & inhabitauerit. Ita Nicephorus Hiſt. lib. 1. cap. 28. & lib. 2. cap. 3. Cedrenus in Annalibus, & alij. ſic verò ille loquitur, dum ſermonem facit de loco vbi Chriſtus vltimam cœnam ſumpſit: *Hæc cœna paratur in domo (vt aiunt) Ioannis Euangeliſtæ, quam ille, poſſeſſione ſuâ (non exigua autem ea fuit) in Galilæa Caiphæ eius temporis Pontifici vendita, cuius gratia etiam illi notus exſtitit, ſicut ipſe alicubi ſacro ſuo teſtimonio adſtruit, in locis circa montem Sion ſitis comparauerat. Ibi diſcipuli apud hominem certum Paſcha inſtruunt*, &c. Hæc Nicephorus.

In domo Ioannis Chriſtus non fecit vltimam cœnam.

Verùm nullatenus Nicephoro aſſentimur in eo quod poſteriùs dixit, in domo illa factam fuiſſe vltimam Dominicam, & conſequenter ſitam eſſe in monte Sion; quia, omnium conſenſu, vltima cœna in monte Sion celebrata eſt, at extrà eſt domus iſta. Et illam vltimæ cœnæ non fuiſſe Ioannis Euangeliſtæ, probatur ex Euangelio. Mittens enim Chriſtus Dominus Petrum cum Ioanne ad parandum Paſcha, dixit eis: *Ecce introëuntibus vobis in ciuitatem, occurret vobis homo quidam amphoram aquæ portans: ſequimini eum in domum, in quam intrat, & dicetis patrifamilias domus: Dicit tibi magiſter. Vbi eſt diuerſorium, vbi Paſcha cum diſcipulis meis manducem? & ipſe oſtendet vobis cœnaculum magnum ſtratum, & ibi parate*, &c. Luc. 22, 9. Sed ſi in domo Ioannis paratum fuiſſet Paſcha, non ita locutus fuiſſet Dominus, ſed, Ite in domum Ioannis, &c. Si dicatur, Ab alio tunc fortè habitabatur; non officit: quia ſi Ioannis Euangeliſtæ erat, Ioanni nota erat, nec tot circumlocutionibus eam indicaſſet Dominus, vt fecit. Et confirmatur ex Alexandro Monacho, qui laudationem D. Barnabæ ſcripſit, & extat apud Surium Tom. 3. cœnaculum ait domum fuiſſe Mariæ matris Ioannis Marci, de qua Act. cap. 12, 12. igitur non Ioannis Euangeliſtæ. Etſi vix creditur, Ioannem, propter ſuam paupertatem, aliquam domum Ieroſolymis habuiſſe, quomodo credemus habuiſſe magnificam in monte Sion? talem enim fuiſſe illam in qua paratum fuit Paſcha, eius magnum ſtratum cœnaculum indicat. *Vltima cœna vbi facta.*

Accedit etiam quod Chryſoſtomus Homil. 82. & Theophylactus dicunt, Chriſtum ad ignotum hominem Apoſtolos miſiſſe, qui non cognoſcebatur, ideoque & dixiſſe eis: *Ite ad quendam.* At ſi domus illa fuiſſet Ioannis Apoſtoli, etſi ab alio habitata, certè illius paterfamilias eis notus fuiſſet.

Lapſus verò fuit fortaſſe Nicephorus, quoniam vterque, Ioannes ſcilicet Euangeliſta, & Ioannes Marcus ille Domini diſcipulus, domum habebant Ieroſolymis, vt conſtat ex Tragœdia de Chriſto patiente, quæ D. Gregorio Nazianzeno adſcribitur, & propter nominis conuenientiam, quod in domo Ioannis Marci factum dicitur, ille in domo Ioannis Euangeliſtę factũ enuntiauit.

Poſſemus etiam communi reſponſione ſatisfacere illis difficultatibus, dicendo, Eccleſiam illam dici Ioannis Euangeliſtæ, quia ad eius honorem erecta & conſtructa fuit. ſed poſſe nos ſequi communem traditionem, nec dicta illi obſtare, ex dictis manifeſtum apparet.

CAPVT V.

De domo Mariæ matris Ioannis Marci, tertio loco tertiæ Peregrinationis.

IN ſancta ciuitate, non longè à domo Ioannis Euangeliſtæ, de qua ſuperiùs, ſacra inuiſitur Eccleſia ſatis pulchra, olim multò pulchrior & amplior, quæ communiter dicitur *Domus Mariæ matris Ioannis Marci*, quòd ibi fuerit domus illius, poſteà à piis fidelibus in hanc Eccleſiam conuerſa. Aliquid de ea attigimus Capite præcedenti, ſed plura de eadem dicemus infrà, vbi agemus de locis ſacri montis Sion.

Domus Mariæ matris Ioannis Marci vbi ſita.

Nunc vnicam tantùm explico difficultatem circa illius ſitum: quidam enim eam ponunt in monte Sion, ij præſertim qui loca ſancta non viderunt; ſed qui viderunt, eam extra Sion viſitant & deſcribunt, vt in variis libris locorum Terræ ſanctæ videre eſt. Et Adrichomius in deſcriptione Ieruſalem num. 127. ſatis conſideratè eam deſcripſit extra montem Sion in locis ſecundæ

dæ ciuitatis, & de ea sic loquitur: *Domus Mariæ matris Ioannis Marci vnius ex septuaginta duobus discipulis Christi, in qua primitiua Ecclesia fideles conuenire & orare solebant. Vbi etiam post Iacobi Apostoli cædem, Petro ab Herode Agrippa incarcerato, sine intermissione pro illius liberatione orabant. Qui tandem noctu ab Angelo è carcere eductus, huiusq; domus fores pulsans, ab ancillula in eã introductus est. Quo in loco insignis postea constructa est Ecclesia, quæ Græcorum Christianorum fuit prima. Estq; sedes Episcopalis, quam vsque hodie Syri tenent.* Hæc Adrichomius.

CAPVT VI.

De Porta ferrea, quarto loco tertiæ Peregrinationis.

Porta ferrea vbi sita.

NOn procul à domo Mariæ matris Ioannis Marci quarto loco occurrit porta illa ferrea, per quam S. Petrus, è carcere ab Angelo liberatus, transiit, quando venit ad hanc domum, vt legitur Act. 12. & habet communis traditio: quæ si vera est, non erit omnino probanda illa sententia, quæ asserit fuisse portam exteriorem ciuitatis; benè verò sententia Caietani, qui ait fuisse portam ciuitatis, hoc est in ciuitate, ex qua in vicum intratur, eò quòd Actorum citato loco dicatur de Angelo & Petro per Angelum liberato: *Et exeuntes* (id est, è Porta ferrea) *processerunt vicum vnum.* Vicus namque in ciuitate est, ad quem, qui extrà est, non exit, sed introit. Fuit namque exitus ex porta immediata vici ciuitatis, & illa ad eam ducere dicitur, eo pacto, quo dum domo egredimur in vrbem, vbi tamen domus est, egredi vulgò dicere solemus. Ita refert in eum locum Lorinus, & nos suprà Cap. 11. huius Peregrinationis de hoc aliquid attigimus. Hanc portam operâ Magni Alexandri constructam fuisse, quidam affirmant. Parua est, in humili & obscuro loco sita: in eius medio basis vel pars columnæ marmoreæ pro signo monstratur.

CAPVT VII.

De communi loco siue ciuitate, vbi Mariæ Magdalenæ, quæ fuerat in ciuitate peccatrix, fuerunt à Christo Domino dimissa peccata, quinto loco tertiæ Peregrinationis.

MAriam illam Magdalenam, quæ fuerat in ciuitate peccatrix, fuisse ad Christum conuersam Ierosolymis in domo Simonis Pharisæi, tamquam vera & communis traditio in partibus istis Orientalibus in omnium ore versatur, & in illius confirmationem in sancta ciuitate domus Pharisæi & conuersionis ostenditur; quæ an eadem sit, antequam ad illius explicationem accedamus, explicandum est.

Notandum itaque, in hac materia duo recensenda & adnotanda esse. Alterum omnino certum & de fide, ad Christum Dominum discumbentem in domo Simonis Pharisæi accessisse Mariam Magdalenam, quæ erat in ciuitate peccatrix, quæ amoris flammis succensa, insignissimis pietatis & charitatis actibus sua detestata peccata, & eximium in Christum Dominum contestata amorem, meruit peccatorum dimissionem, & audire à Christo: *Remittuntur tibi peccata*, vt S. Euangelista Lucas cap. 7, 48. pluribus explicat.

Alterum verò de loco, vbi videlicet præcisè conuersa fuerit ad Christum, an in Iudæa, an potiùs in Galilæa, in Ierusalem, vel Naim alióve loco.

Quinque opiniones de communi loco conuersionis Mariæ Magdalenæ.

Et quantum ad hoc, quintuplicem inuenio Doctorum sententiam, quarum tres priori loco adducendæ in hoc conueniunt, conuersam fuisse Magdalenam in Galilæa; duæ posteriùs adducendæ dicunt, illius conuersionem accidisse in Iudæa. Dissentiunt verò quantum ad locum particularem omnes. De communi loco Capite præsenti, de proprio sequenti agemus.

Prima opinio.

Prima igitur sententia dicit, in Galilæa & ciuitate Naim fuisse Magdalenæ à Christo Domino dimissa peccata. Probatur, quia tempore conuersionis Magdalenæ Christus agebat in partibus illis, vt constat ex D. Luca cap. 7, 11. Ipse enim post enarratam resurrectionem vnici filij cuiusdam viduæ, quæ contigit prope portam ciuitatis Naim, statim describit Magdalenæ conuersionem, quasi ibi factam. Et redditur probabilis hæc sententia, considerando Magdalenam habitasse in Magdalo oppido Galilææ, non multùm à Naim dissito. Quare audita admirabilis illius miraculi fama, intrinsecus à Spiritu sancto mota, vt cognouit quòd Iesus prandéret in domo Pharisæi quæ erat in Naim, attulit alabastrum vnguenti, &c. Confirmatur, quia ipsa erat vna ex mulieribus illis quæ Christum in Galilæa ambulantem sequebantur, & ministrabant ei de facultatibus suis, vt patet Matth. 23, 55. Marc. 15, 40. & Luc. 8, 2. & 23, 49.

Secunda.

Secunda sententia asserit, illius conuersionem contigisse in Capharnaum ciuitate Galilææ proxima Magdalo. Hæc eâdem ferè congruentiâ ac præcedens sententia, persuaderi posset.

Tertia,

Tertia. Tertia, quam refert Auctor Hiſtoriæ, dicit factam fuiſſe conuerſionem illam in Nazareth ciuitate Galilææ.

Quarta. Quarta affirmat, in Bethania oppido Iudææ contigiſſe Magdalenæ conuerſionem. Quæ ſententia non modicam habet probabilitatem, ſi vera eſt altera D. Bonauenturæ de Vita Chriſti cap. 38. Maldonati, Toleti in Luc. 7. Annot. 72. Simonem Phariſæum, in cuius domo Chriſtus prandebat, quando Magdalenæ peccata dimiſit, illum eumdem eſſe, apud quem paulò ante paſſionem iterùm Chriſtus fuit ab eadem Magdalena vnctus. Cùm enim eadem ſit Magdalena quæ vnxit Chriſtum quando fuerunt ei dimiſſa peccata, & quæ eumdem vnxit paulò ante paſſionem, vt communis Doctorum ſententia cum S. Eccleſia docet, etiam idem fuit Simon, cum quo conſanguinitatem vel familiaritatem habuit Magdalena. Imò fortè filia eius fuit, ſi verum eſt quod apocryphi libri aperte tradunt (Nicephoro referente lib. 1. c. 27.) Simonem leproſum fuiſſe patrem Lazari fratris Mariæ Magdalenæ. Igitur & eadem fuit domus. Sed hæc erat Bethaniæ, vt habetur Matth. 26. vt nos inferiùs Cap. 11. Peregrinationis x. indicabimus: igitur & Bethaniæ conuerſio Magdalenæ facta eſt.

Deinde huic ſententiæ ſuffragari videtur S. Eccleſia in Officio S. Mariæ Magdalenæ, dum in quadam Antiphona ſic dicit: *Mulier quæ erat in ciuitate peccatrix, vt cognouit quòd Ieſus accubuit in domo Simonis leproſi, attulit alabaſtrum vnguenti*, &c. Sacra denique Biblia fauere videntur: in Euangelio enim D. Lucæ cap. 7. vbi de vnctione peccatricis agitur, citantur in margine alij Euangeliſtæ loquentes de altera vnctione eiuſdem mulieris facta Bethaniæ in domo Simonis leproſi, Matth. 26. Marc. 14. Ioan. 12. ac ſi eadem ſit vnctio, vel ſaltem Magdalena quæ vnxit, & domus in qua vnctus eſt Chriſtus, quæ à Luca & aliis Euangeliſtis memoratur.

Quinta ſententia communis. conuerſam Magdalenam Ieroſolymis.

Quinta & poſtrema ſententia quam inueni, aſſerit, Mariam Magdalenam peccatricem in Regia Ieroſolymorum ciuitate acceſſiſſe ad Chriſtum in domo Simonis Phariſæi, & ibi contigiſſe quæ omnibus perſpicua ſunt, & ſcribit S. Euangeliſta Lucas cap. 7. Et videtur Primò probari poſſe ex ipſo Euangeliſta, dum locum conuerſionis abſolutè & antonomaſticè appellat ciuitatem, dicens, *Et ecce mulier quæ erat in ciuitate peccatrix*, &c. Et quænam, quæſo, ciuitas poteſt meliùs per excellentiam & ſimpliciter ciuitas appellari, quàm Ieruſalem Iudææ metropolis, & totius Regni Iſraëlitici Regia; & non Sytiæ modò, ſed etiam totius mundi præcipua? Deinde hanc ſententiam communem dixerunt, qui Vitam Magdalenæ conſcripſerunt: quam ſequuntur qui loca ſancta viderunt, ac de ipſis ſcripſerunt, vt magis Capite ſequenti apparebit. Denique eſt antiqua & ab omnibus Ieroſolymitis recepta traditio, quæ retinenda eſt; quoniam efficax ratio vel auctoritas ei non multùm refragatur, & adducta in contrarium facilè diſſolui poſſunt.

Et primò ad ea quæ allata ſunt pro prima ſententia, quæ in Naim; pro ſecunda, quæ in Capharnaum; & pro tertia, quæ in Nazareth tradit conuerſam fuiſſe Magdalenam, dicendum, veritatem eas habere poſſe, ſi certum eſſet, D. Lucam in Euangelio ordinem geſtorum & temporis fuiſſe ſecutum, & ſtatim poſt reſurrectionem filij viduæ fuiſſe ſecutam Magdalenæ conuerſionem: ſed hoc omnino incertum. Nouimus enim, D. Lucam nonnumquam ordinem rerum commutare; quare & loco indicato potuit, relatis ijs quæ facta fuere in Galilæa, ſtatim recenſere quæ poſteà in Iudæa contigerunt, huius Prouinciæ & loci proprij nomine ſuppreſſo. Præterea, non eſt vſquequaque certum, Magdalenam fuiſſe Galilæam, & continuè in Galilæa commoratam fuiſſe: potuit enim eſſe Iudæa, & ex Bethania oriunda, vt verè fuiſſe, probabiliter colligi poſſe videtur ex Ioanne cap. 11, 1. dicente: *Erat autem quidam languens Lazarus à Bethania, de caſtello Mariæ, & Marthæ ſororum eius. Maria autem erat, quæ vnxit Dominum vnguento*, &c. *De caſtello Bethaniæ*, inquit, & Bethania in Iudæa eſt, & propè Ieruſalē. Ioannes verò dixit, Mariam & Martham, fuiſſe de caſtello Bethaniæ, vel quia aliquo modo ad eas pertinebat, vel quia ibi natæ, vel quia ibi habitarunt, non quia illius eſſent dominæ: quoniam (vt poſteà Cap. 111. Peregrinationis x. huius Libri dicemus) redacta Palæſtina ſub Romanorum Imperio, nullus ciuitatis alicuius vel caſtelli dominus dictus eſt. Quod ſi ita eſt, non eſt neceſſarium & commodum, dicere, Magdalenam profectam fuiſſe ad Chriſtum in ciuitatem Naim, Capharnaum, vel Nazareth, audita fama miraculorum eius; æquè benè enim potuit ad illum trahi aliis prodigiis quæ in Iudæa & Ieruſalem operatus fuerat. Et ſi habitauit in Galilæa, potuit multiplici de cauſa ad patrium ſolum & Iudææ oppidum Bethaniam rediiſſe.

Quòd poſt conuerſionem dicatur ſecuta fuiſſe Dominum in Galilæam, quid mirum? nimio enim illius amore flagrabat, vt ſequeretur dilectum quocumque iret. Si namque adhuc imperfecta, amore du-

&a

cta non erubuit, nec detractiones timuit, quin ad Christum accederet in Pharisæi domo discumbentem; quid non pro Christo fecisse credendum est, postquam in schola Christi melius educata, & pluribus cumulata beneficiis fuit? Et si Eliseus nolebat Eliam magistrum suum deserere, quomodo Magdalena non sequeretur magistrum, Dominum ac Saluatorem suum?

Potest etiam dici ad illud de sequela Domini, non esse omnino certum, Magdalenam secutam fuisse Christum in Galilæa; sed illud dici, quia fuit vna ex illis mulieribus quæ in Galilæa habitabant, qua relicta, & ad propria reuersa, ibi, in Iudæa scilicet, secuta est Dominum. vel denique dici posset, Magdalenam à septem dæmonibus obsessam, Galilæa relicta, Christum Ierosolymis conuenisse, ibique à dæmonibus & peccatis liberatam fuisse.

Et si statuatur, ipsam natam & educatam esse Bethaniæ, non obstat quòd Magdalena dicatur, quia id fuit ideò, quia postea in Magdalo Galilææ oppido habitauit, vt Libro VII. Capite VI. Peregrinationis v. diximus.

Magdalena cognitio.

Si curiosiùs quis inquirat, quomodo potuerit nobilis mulier ex Bethania oriunda, ibique educata, iusse in Galilæam, & Magdali habitasse; Respondetur multipliciter, Primò: meretrix erat, siue peccatrix, vt inquit S. Lucas, & famosam meretricem appellant Patres, Chrysostomus Homil. 61. in Ioan. Hieronymus in Matth. 26. Augustinus Tract. 49. in Ioan. Peluliota lib. 1. Epist. 142. At meretricis etiam ille mos est inter alios, quòd sit vaga, & quietis impatiens, nec valens domi consistere, vt dicitur in Prouerbiis; & experientia docet, huiusce modi feminas propriam patriam auersari, alienas quærere ciuitates, quò liberiùs libidini laxent habenas, nec à cognatis & amicis arguantur.

Sed non placet dicere de muliere nobili ac diuite, quòd publica esset meretrix, & promiscue omnino prostituerit corpus suum. Ad hoc enim vt famosa meretrix diceretur, sufficit quòd vana & impudica esset, vel quòd, omnibus scientibus, alicuius viri potentis ac nobilis concubina fuerit. Quare dico secundò, cùm, mortuis Magdalenæ parentibus, factaque bonorum temporalium diuisione, Lazaro obtigissent bona quæ circa Ierusalem, Marthæ ea quæ in Bethania, & Mariæ alia quæ in Galilæa sita erant, vt commodiùs iis perfrueretur, ad habitandum illuc iuisse, id est, in Magdalum Galilææ oppidum. Vel tertiò denique dicatur, quod magis placet, quòd nobili viro Galilææ in oppido Magdalo vitam agenti nuptui tradita fuerit Magdalena, ideoque ad habitandum ibi se contulerit; marito defuncto, diuitiis, libertate ac pulchritudine illicibus impudiciùs vitam instituerit, vt proinde meretrix diceretur: vt verò licentius & commodiùs voluptatibus indulgeret, Ierosolymam venerit, vel (vt melius & veriùs dicam) diuina eam prouidentia clàm impellente, vt ad Christum conuerteretur, & in ciuitate sancta euaderet sancta, & quæ famosa fuerat peccatrix, famosa fieret pœnitens; & quos pellexerat ad culpam, attraheret ad pœnitentiam; & multa charitate multitudinem peccatorum, & quam sibi malis actibus infamiam comparauerat, operiret, vt vere operta fuere, Domino dicente: *Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum*, Luc. 7, 47.

Ad illam sententiam, quæ Bethaniæ factam dicit Mariæ conuersionem, dicendum, S. Euangelistam illi refragari, qui dicit Magdalenam accessisse ad Christum in ciuitate. *Mulier*, inquit, *quæ erat in ciuitate peccatrix, vt cognouit*, &c. Luc. 7, 37. Græcè, *Ecce mulier in ciuitate, quæ erat peccatrix*. Sed Bethania nec ciuitas est, nec ciuitas in Scriptura appellatur, sed *castellum*, Ioan. 11, 1. & ibi Græcè *vicus* vel *pagus*. Et quamuis idem fuerit Simon ad cuius domum accessit peccatrix, & postea pœnitens (quod tamen negatur ab Augustino lib. 2. de Consensu Euang. cap. 79 Euthymio in Matth. 26. Theophylacto in Luc. 7. qui alium & alium esse dicunt) adhuc tamen non præualeret opinio illa: potuit enim, quando Magdalena conuersa est, Ierosolymis commorari. Ierosolyma enim & Bethania distant ab inuicem solùm quindecim stadiis, id est, duobus milliaribus Italicis, stadio vno minus; vel consultò Ierosolymam se contulisse, vt Christi præsentia & beneficio frueretur, quod forte intellexit Ecclesia in illa Antiphona de sancta Magdalena.

Ad posterius denique obiectum, in sacris Bibliis in Matthæi, Marci & Ioannis Euangelio citari Lucæ c. 7. in margine, dicendum, non officere; eo enim significatum fuit, eamdem Magdalenam esse quæ Ierosolymis & Bethaniæ Dominum vnxit, & de eadem omnes Euangelistas loqui: verum vt non eamdem vnctionem, ita nec eumdem locum designatum fuisse dicimus.

Ex his omnibus liquidò constat, ea quæ adducebantur pro quadruplici priori sententia, non obstare quintæ & posteriori, quam cum communi traditione sequimur, Mariá nimirum Magdalenam peccatricem in sancta ciuitate Ierusalem ad Christum Dominum accessisse, & ab eodem suorum crimi-

criminum veniam & remiſſionem plenariam conſecutam fuiſſe. Et hæc de communi loco conuerſionis Mariæ Magdalenæ.

CAPVT VIII.

De loco particulari conuerſionis Mariæ Magdalenæ, ſexto loco tertiæ Peregrinationis.

CApite præcedenti vidimus, communem locum conuerſionis Mariæ Magdalenæ fuiſſe ſanctam ciuitatem Ieruſalem; in præſenti agendum eſt de particulari & determinato loco eiuſdem conuerſionis, & circa hoc duas inuenio ſententias. Prima illorum eſt, qui dicunt, accidiſſe in parte Aquilonari ciuitatis, prope paruam portam, quæ *Herodis* appellatur, vbi conſtructa fuit magna & pulchra Eccleſia cum monaſterio, quæ etſi maiori ex parte diruta ſit, nihilominùs ſuperiorẽ partem adhuc integram habet, & à Turcis inhabitatur: & noſtris temporibus dicitur communiter in partibus iſtis, ibi fuiſſe Simonis Phariſæi domum, in qua Chriſto conuiuium paratum, & Magdalena à Chriſto mundata, & cæleſtis gratiæ pabulo ſatiata fuit, &c. Ante locum illum & ſacellum atrium eſt vel hortus. Difficilem ſemper inueni ad locum illũ acceſſum, & non niſi deforis, aperta porta, vel per eiuſdem rimas intus aſpici poteſt. Et locus & Eccleſia dicitur domus Phariſæi, & Eccleſia S. Mariæ Magdalenæ, propter myſterium conuerſionis huius mulieris, quod ibi accidiſſe creditur.

Duæ ſententiæ de loco particulari conuerſionis Mariæ Magdalenæ.

Secunda ſententia illorum eſt, qui in alio ciuitatis ſitu locum prædictæ conuerſionis deſignant. Adrichomius in deſcriptione Ieruſalem num. 43. in locis filiæ Sion, in medio ferè ciuitatis, & à latere Aquilonari templi Salomonis deſcribit Phariſæi illius domum, & in eodem fermè ſitu, prope viam Crucis quam doloroſam vocant, eamdem demonſtrat Bonifacius lib. 2. De perenni cultu Terræ ſanctæ. ſic verò ſcribit: *Per eamdem viam* (ſcilicet doloroſam) *prope domum Veronicæ, ad dexteram paſſus circiter quindecim, reperies è regione cuiuſdam fontis domum in qua B. Maria Magdalena ingreſſa domum cuiuſdam Phariſæi, qui Chriſtum inuitauerat panem ſecum manducare, inuenit omnium peccatorum ſuorum remiſſionem. Hîc mente & corde ora, & nulla exteriora ſigna orationis oſtende, quia Eccleſia publica non eſt, ſed domus cuiuſdam Phariſæi, id eſt, Xogia, vt olim fuit.* Hæc ille, & alij eadem qui ſcripſerunt de locis ſanctis.

Ego, etſi æquè hanc vt illam ſententiam ſuſtineri poſſe non dubitem, & neutram reſpuam, propenſior tamen ſum in poſteriorem, quam ſapientiores & vetuſtiores tradiderunt: quæ quòd ab omnibus, præſertim recentioribus, non amplexetur, ſed ferè obliterata ſit, ideò fit, quia fideles qui Ieroſolymis habitant, Eccleſiam poſteriùs memoratam viſitare non poſſunt, poſſunt verò alteram; & propter frequentem incolarum mutationem potuit eius memoria excidiſſe. Priùs verò memoratam Eccleſiam ideò domum Phariſæi & Eccleſiam S. Mariæ Magdalenæ appellatam arbitror, quoniam ibi, captis ſub Godofredo Bullione primo Ieroſolymorum Rege Ieroſolymis, fuit pro Monialibus ædificata Eccleſia cum Monaſterio ſub titulo S. Mariæ Magdalenæ, ibiſque mulieres, pietatis gratiâ Ieroſolymam venientes, hoſpitabantur, illiſque Moniales illæ ſeruiebant, vt docet Tyrius l. 18. De bello ſacro cap. 5. quod plures non aduertentes, quod alibi factum fuit, ibi contigiſſe poſteà tradiderunt, quoniam locus iſte fuit B. Mariæ Magdalenæ dicatus.

De B. Maria Magdalena plura ſacri interpretes in Euangelia, vbi illius fit mentio, Surius ad diem 22. Iulij, & alij Scriptores.

CAPVT IX.

De Probatica piſcina, eiuſque conditione & ſitu, ſeptimo loco tertiæ Peregrinationis.

IN Orientali parte ciuitatis Ieroſolymæ in ſiniſtro latere & parte Aquilonari tẽpli Salomonici, prope muros vrbis, inter templum & Portamvallis, alio nomine pecuariam, & in præſentia S. Stephani appellatã, eſt piſcina quædam quadrata, magna tum lõgitudine, tum latitudine ac profunditate, & eſt præcipua ciuitatis, & intra eam ſimilis non inuenitur (niſi fortè altera extra muros, quæ Bethſabee appellatur, ſed quæ illi in profunditate conferenda non ſit) quæ Probatica piſcina nuncupatur, quòd credatur illa ipſa eſſe cuius meminit S. Ioannes, dicens: *Eſt autem Ieroſolymis Probatica piſcina*, &c. Ioan. 5, 2. & vbi contigerint quæ eo capite ſcribit idem Euangeliſta. Ita docet vetus & ab omnibus in partibus iſtis recepta traditio. *Probatica piſcina deſcriptio.*

Hodie aquis omnino caret, virgulta vero, herbæ & arbuſta in ea naſcuntur. In illius Occidentali extremitate duo monſtrantur arcus, qui ſuperſtites eſſe creduntur è porticibus illis quinque quarum meminit Euangeliſta, in quibus iacebant infirmi aquę motum, expectantes, vt eam ingreſſi à ſuis ſanarentur infirmitatibus. Reliqui tres arcus non comparent. In Orientali eius parte eſt

est via qua itur ad templum, ad ciuitatem, vel extra per proximam portam S. Stephani. In dextra est templum, in sinistra sunt domus ad habitandum.

Tempore D. Hieronymi ostendebantur gemini lacus, quorum vnus hibernis pluuijs solebat impleri: alter mirum in modum rubens, quasi cruentis aquis, antiqui in se operis signa testabatur; nam hostias in eo lauare solebant Sacerdotes, & ex hoc nomen acceperat. S. Hieronymus de Locis Hebr. litt. B. Tom. 3.

CAPVT X.

De aquis Probaticæ piscinæ, & nominis illius significatione.

AD clariorem intellectum traditionis & historiæ de Probatica piscina, tria proponenda & explicanda sunt. Primum, quibus aquis repleretur Probatica piscina; secundum, quænam sit illius nominis significatio; tertiũ erit quorumdã argumentorum solutio & manifestatio vtilitatis huius piscinæ. quibus enucleatis, manifestè apparebit, quàm vera sint quæ de illa referuntur. Duo priora præsenti, tertium sequenti Capite explicabimus.

Piscina probatica quibus aquis implebatur.

Quantum ad primum, respondent aliqui, Probaticam piscinam impleri consueuisse aquis fontis Gihon, qui est in plaga Occidentali ciuitatis, quæ per aquæductum piscinæ superioris (cuius mentio fit tum alibi, tum 4. Reg. 18. & Isa. 36.) cùm rectà in eam duci non possent, propter montis, cui templum inædificatum erat, immensam altitudinem, ad radicem montis inducebantur per profundam voraginem, quæ erat in parte Occidentali vrbis, quam etiam ab alijs montibus diuidebat, & inde in Probaticam piscinam recipiebantur: nec enim videtur ex qua alia parte potuerit tam vasta piscina impleri, quæ, additis etiam aquis pluuialibus, amplius augebatur. Ita sentit Villalpandus Tom. 3. Apparatus Parte 1. lib. 3. cap. 15.

Si vera sunt, quæ dicemus infrà Lib. VI. Cap. VIII. Peregrinat. v. de fonte & piscina Gihon, non video quomodo aquis fontis Gihon posset Probatica repleri. Et sanè hodie nec ex aquæductu piscinæ Gihon, nec ex fonte eodem nomine appellato aquas recipit, vt sensus docet. Non ex fonte, qui non erat: nec ex piscina, vt quæ alibi aquas demittit, vt loco citato ostendemus. Et erántne aquæ Gihon tam affluentes, vt illis posset non solùm piscina inferior & hortus Regius, quemadmodum de illis asseritur, sed etiam piscina Probatica impleri?

Quidquid fuerit antiquitus; modò sanè id, vt diximus, non accidit. An aquæductus, per quem aliunde ad hanc piscinam adducebantur aquę, sit obstructus vel excisus, me latet. Ego pluries considerauí, & senes Ierosolymitanos, & qui rerum sanctæ ciuitatis exactã habebant cognitionem, percunctatus sum, an sit vestigium huiusmodi aquęductus, vel an sit aliquis canalis apud Probaticam piscinam in eam demittens aquas: at nec ego quidpiam inueni, & illi se nescire responderunt. Certum illud, in se recepisse & pluuiales aquas, & quæ de proximo templo confluebant, & alias quæ quomodolibet circa ipsam fundebantur.

Probaticæ nominis ratio.

Quantum ad secundum, omissa huius nominis multiplici scriptione, quam sacri adducunt S. Ioannis interpretes, vulgatam Romæ correctam amplectimur, quæ habet: *Est autem Ierosolymis Probatica piscina, quæ cognominatur Hebraicè Bethsaida*, Ioan. 5, 2. Caietanus in hunc locum arbitratur prædictis verbis duo significari loca, alterum in nomine Probatica, & alterum in nomine piscinæ. *Probatica* (inquit) *verbum Græcum, Latinè pecualis, significans locum ouium pro sacrificio manentium: singulis enim diebus duo agni immolabantur, & propterea oportebat habere in ciuitate locum idoneum ad continendum oues, saltem pro hoc ingti sacrificio. Alterius fit mentio in verbo piscina, pro natatorium, eò quòd in eo natando ablucbantur animalia, vt munda viuerent.* Dicitque Bethsaida esse *cognomen non Probatica, sed natatorij, quod significat domum defluxionis, domus propter porticus, defluxionis, quia in natatorio colligebantur defluentes aquæ pluuiales.* Hæc ex Caietano. Eadem ferè alij recentiores copulantes Probaticam non cum piscina, vt lectio nostra habet, sed per se legentes sic: *Est Ierosolymis apud probaticam*, hoc est, apud probaticum, id est, forum pecuarium, in quo offerendæ oues & pecudes conseruabantur.

Verùm antiquiores non in obliquo, sed in recto legunt, vt *Probatica piscina* dicatur. Sic Cyrillus lib. 2. cap. 122. Chrysostomus Hom. 35. Theophylactus exponunt, & Hieronymus De locis Hebraicis etiam legit in recto. Toletus in cap. 5. Ioan. Annot. 2. hæc considerans inquit, sensum in vtraque lectione eumdem esse, vel parum variari.

Antiquiorum sententia mihi magis probatur, quam differre ab altera recentiorum credo: in illa enim cùm *probatica* copuletur cum *piscina*, exprimitur piscinæ conditio, non item in ista, vbi absolutè vtrumque ponitur. Et quòd veterum & communior sententia magis probabilis sit, ex eo patet, quoniam mens Ioannis non fuit re-

cenſere loca Ieroſolymitana, & illorum conditionem aperire, ſed facta Chriſti memorabilia: quòd ſi de illis aliquid dixit, fuit, quia illorum notitia conducebat ad ſuæ narrationis intelligentiã. Vnde arbitramur ideò in propoſito meminiſſe piſcinæ & Probaticę, adaliarum piſcinarum quæ Ieroſolymis ſunt differentiam, quoniam in ea, & non in alis, vetus miraculum fieri conſueuit, & apud eamdem recenti prodigio Chriſtus languidum ſanauit. Vnde cùm impertinens fuerit ad intellectum vtriuſq; miraculi notitia paſcuæ vel fori pecudum, ſicut alterius loci ciuitatis, non video cur Ioannes illius mentionem facere debuerit. Quare nomen *Probatica* non abſolutè poſitum arbitror, ſed coniunctim accipiendum cum *piſcina*, ita vt ſit illius explicatio. Sed quidquid ſit de hoc, ſi ſenſus idem eſt in vtroque ſententia, vt ſentit Cardinalis Toletus, aliud quærendum eſt.

Quòd piſcina iſta diceretur probatica, vel eſſet apud probaticam, euenit ratione loci. Quinque autem loca inuenio Ieroſolymis, ex quibus appellari potuit: primus locus eſt extra ciuitatem in ſuburbiis, vbi paſcebãtur animalia immolanda, Num. 35. Ioſ. 14. & alibi: ſecundus locus eſt intra ciuitatem eidem fini deputatus, vt dicebat Caietanus: tertius eſt porta probatica, & ouilis dicta: quartus erat forum pecuarium; ac denique tota noua ciuitas templo vicina, quam habitabilem fecit Salomon, pecorum potiſſimùm vſibus, quæ offerebantur in templo, deſeruiens, Egeſippo perantiquo hiſtorico teſte, Betheſda olim denominata fuit, vt & ſentit Villalpandus Tomo 3. p. 1. lib. 2. cap. 14. & lib. 2. cap. 7. Quæri nunc poteſt, à quonam loco ex recenſitis denominata fuerit iſta piſcina.

Quid Caietanus & recentiores reſpondeant, iam vidimus, nimirum à paſcua & foro intra ciuitatem. Mihi magis placet huiuſmodi loca ſtatuere extra ciuitatem in Valle Ioſaphat, templo proxima, quæ amœniſſimis paſcuis abundans, animalia ſacrificijs deſtinata alebat. ſic enim dicendo, decori templi magis conſulitur: quare magis ab iſto loco arbitror denominari. Vel ſecundùm D. Hieronymum in libro De locis Hebraicis, & Brocardum Part. 1. cap. 7. §. 43. à porta ciuitatis huic piſcinæ vicina, quæ dicebatur pecudum, temploque erat proxima, per quam ex Valle Ioſaphat animalia primùm in vrbem inducebantur: & meritò, quia hæc porta omnium portarum vrbis celeberrima erat, vt dicit Villalpandus loco poſteriùs citato, & illius fit mentio 2. Eſdræ cap. 3. Vel denique, quòd eſſet in Betheſda ſiue Bezeta.

Erat piſcina iſta ſtagnum quoddam aquarum, Græcè *Natatoria*, ſic appellata, non quòd in ea piſces eſſent, ſed quia eſſe poterant, & quia ad modum ſtagni, in quo piſces aluntur, fabricata erat. Natatoria etiam, quòd in ea natarent animalia in ſacrificio offerenda, vt munda eſſent, vel, quod probabilius, vt ſimpliciter abluerentur.

Syriacè *Betheſda* idem valet quod *domus miſericordiæ*, quia Deus infirmis in illa miſerebatur, largiendo ſanitatem dum per Angelum mouebatur aqua: & Chriſtus Dominus eamdem ſine illa exhibuit, dum languidum, triginta octo annos in infirmitate habentem, & apud illam iacentem, omniq́ue humano auxilio deſtitutum, ſolo verbo perfectè ſanauit. Alij *domum effuſionis*, quòd in eam aquæ templi effunderentur. Capite ſequenti dicentur alia pro maiori huius materiæ intelligentia.

CAPVT XI.

Argumenta contra adductam veritatem de Probatica piſcina diſſoluuntur, & quanta illius vtilitas fuerit.

QVantum ad tertium Capite præcedenti propoſitum, non leuis inſurgit difficultas circa ea quæ aſſeruntur de Probatica piſcina, & circa miraculum in ea fieri ſolitum, & quod Chriſtus Dominus in ea fecit.

Argumenta contra hiſtoriam Probaticæ piſcinæ.

Anabaptiſtæ hæretici illa tamquam figmenta contemnunt; & de iiſdem, propter illorum rationes, nonnullos Catholicos ceſpitare vidi, qui & mihi eaſdẽ obiecerunt. Quare vt confundantur illi, & iſti inſtruantur, & omnis hæſitatio & ſcrupulus de horũ mentibus abigatur, vt ſacra item hiſtoria & vetus traditio de probatica piſcina clariùs innoteſcat, quæ contra eam adduci poſſe videntur in medium proponam, & diluam. Plura mutuaui ex Cardinali Toleto in Ioannis cap. 5. Annot. 3. quibus & alia addam. Tres verò ſunt rationes.

Prima eſt: ſi fuiſſet Ieroſolymis Probatica illa piſcina tam miraculoſa, facta fuiſſet de ea aliqua mentio in veteri Teſtamento, vbi alia non tanti ponderis recenſentur, ſed nulla facta eſt, vt conſtat, igitur ponenda non eſt.

Secunda: Ioſephus Hebraicarum Antiquitatum diligens annotator nihil de ea ſcripſit, igitur non eſt admittenda. Probatur, quia cùm fuerit diligens ſcriptor & gentis ſuæ amans, illam vtique non prætermiſiſſet, eò quòd in illius honorem cederet. Quare cùm in veteri Teſtamento,

&

& à Ioſepho ſit prætermiſſa, etiam à nobis tamquam fabuloſa prætermittenda eſt.

Tertium. Tertia denique, eam ponere, videtur ſuperuacaneum. Si enim ponitur, hoc fuit vt in ea lauarentur pecudes & carnes immolandæ, vt dixerunt Theophylactus, Euthymius, Beda, Rupertus, D. Thomas, Lyranus, Carthuſianus, Gloſſa ordinaria, Abulenſis, & alij, & facit quod ſuprà dictum eſt Cap. IX. ex D. Hieronymo: at non propter hoc ponenda eſt; victimæ enim in conchis ad hoc à Salomone conſtructis lauabantur in templo, nec opus erat lauari in iſta piſcina, igitur vanum eſt illam ponere.

Verùm nec propter has nullius momenti ratiunculas, nec propter quaſcumque alias, Catholica veritas, & celebris hiſtoria perpetuò ab Eccleſia recepta, à ſacris Doctoribus illorum commentariis & ſcriptis illuſtrata, veteri traditione ſemper recepta, eſt dimittenda, præſertim cùm in Concilio Tridentino ſeſſ. 4. præceptum ſit, libros ſacros integros recipi debere cum omnibus ſuis partibus, prout in Eccleſia Catholica legi conſueuerunt; legitur autem caput quintum Ioannis, vbi memoratæ hiſtoriæ fit mentio Feria ſexta poſt Dominicam 1. Quadrageſimæ; propter hæc, inquam, nullo modo eſt traditio illa & Eccleſiaſtica hiſtoria deſerenda, vel de ea vt ſuſpecta dubitandum, ſed firmiter credenda, vt alia quæuis Scripturæ ſacræ pars, & ad obiecta eſt reſpondendum.

Reſponſio ad primum argumentum. Quare primæ rationi fit ſatis, negando illam conſequentiam, Probaticæ piſcinæ non fit mentio in veteri Teſtamento, ergo non datur. Quæ hæc conſecutio? An ex putis negatiuis aliquid concluditur? Sed nec concludit alia ratio, quia non omnia quæ facta fuerunt in Ieruſalem, & ibi erant, enarrauit vetus Teſtamentum; cùm indubitatum ſit, plura inueniri ſcitu digniſſima apud Philonem, Ioſephum, & alios Scriptores, quæ ibi non leguntur. Dici etiam poteſt probabiliter, illius factam fuiſſe mentionem in veteri Teſtamento, quoniam in eo de pluribus piſcinis ſermonem fieri nouimus; & quare non ſimul fieret de iſta templo proxima, vtiliſſima & inſigniſſima? Si expreſsè ſub eo nomine non inuenitur, fortaſſe Scriptura quæ de ea loquebatur interiit. Quòd ſi extat, quoniam non clarè loquitur, nec probe intelligitur, creditur illius non eſſe factam mentionem. Creditur verò eius mentionem factam fuiſſe 2. Eſdræ cap. 1. vbi enim noſtra lectio Vulgata habet, *Et ſurrexit Eliaſib Sacerdos magnus, & fratres eius Sacerdotes, & ædificauerunt portam gregis*, Gloſſa ait Bedam veteris tranſlationis meminiſſe quæ habebat: *Et ædificauerunt portam & piſcinam Probaticam*; & ſubdit, Ioannem huius piſcinæ meminiſſe, dum inquit, *Eſt autem Ieroſolymis Probatica piſcina*, &c. ſed quidquid ſit de iſta tranſlatione, etſi in veteri Inſtrumento illius expreſſa mentio haud inueniatur, non officit, ſufficit fieri in nouo.

Itaque S. Ioannes ad amuſſim & diligenter eam explicuit, ne quod tempore Chriſti operabatur miraculum, & quod ad eam Chriſtus operatus eſt, è mentibus hominum excideret. Cùm dicitur, Rem adeò admirabilem non prætermiſiſſet; dicendum, piſcinam iſtam à principio, quando facta fuit, non fuiſſe æquè vt poſteà memorabilem, quia necdum miraculum illud fieri incœperat, nec quinque illæ porticus exſtructæ erant; ſed poſteà, quando miracula in ea fieri viſa ſunt, circa eam ædificatæ ſunt, ad quas ſe reciperent infirmi ſanitatem expectantes. Credibile verò eſt, aliquantò poſt eius ædificationem contigiſſe miraculum, etſi tempus ignoretur determinatè, quare illam hiſtoriam, vt & plura alia, prætermiſit vetus Teſtamentum.

Ad ſecundum. Ad ſecundam rationem dubitandi ex Ioſepho, ſimiliter reſpondetur, & præterea dicimus, non eſſe vſquequaque certum illius non meminiſſe, etſi non ea claritate qua Ioannes: Ianſenius enim cap. 36. Concord. Euang. putat eius feciſſe mentionem. ſic namque dicit: *Piſcina Bethesda, de qua hoc loco* (id eſt Ioan. 5.) *quæ à Salomone conſtructa dicitur pro miniſterio templi, ita vt fortè ea ſit, quam Ioſephus in deſcriptione Ieruſalem vocat ſtagnum Salomonis.* Idem dicit Adrichomius in deſcriptione Ieruſalem num. 62. & Pineda De rebus Salomonis lib. 5. cap. 5. cum Villalpádo ex Ioſepho, additque fuiſſe in vrbe Bezeta; ſic enim ait: *Ioſephus lib. 6. de Bello cap. 24. in media Bezeta fuiſſe materiarum vel trabium. Fuiſſe autem in hac noua vrbe forum pecuariũ pro templi victibus & ſacrificiis, & Probaticam piſcinam, quæ à Ioſepho appellatur ſtagnum Salomonis, & Hebraicè vocatur Bethſaida, colludentibus etiam nominibus Bethſaida & Bezeta.* Ioſephus lib. 6. De Bello c. 6.

Sed quidquid ſit de Ioſepho alióve ſimili Scriptore, fecerit vel non fecerit mentionem Probaticæ piſcinæ & illius hiſtoriæ, non ideò minùs veram credimus, quia habemus firmiorem propheticum ſermonem, eam firmiter adſtruentem, Diſcipulum & Euangeliſtam Domini Ioannem mille Ioſephis anteponendum. Vt enim ſapienter dixit Cardinalis Toletus, ridiculum eſt, Ioſephum præponere Ioanni Euangeliſtæ: quaſi ſi Ioſephus ſcripſiſſet, & non Ioannes, verum eſſet; quia verò Ioannes ſcripſit, & non Ioſephus, propterea eſſet falſum.

Quamuis autem Iosephus amator suorum fuerit, inimicus tamen nominis Christiani erat, & ea quæ in honorem Christianorum cedebant, libens dissimulabat. Atqui eiusmodi est hoc de piscina. Si enim illud miraculum narrasset, veritas miraculi Christi videri poterat ab eo confirmari: maluit autem Iudæus infidelis & perfidus aliquid populi sui honorificum cum detrimento Christiani nominis occultare, quàm, dum aliqua ex parte suum magnificat populum, Christi veritatem probare. Nec hoc solum: multa etiam alia memoratu digna tacuit eadem de causa. Nec enim infanticidij ab Herode perpetrati meminit, nec aduentus Magorum, nec complurium aliorum quæ apud gentem illam diuinè Christus gessit. Quare vanum & futile est hoc argumentum hæreticorum, & sine stabili fundamento aliorum hæsitatio. Et sanè mirabile est, credere, Salomonem Dei iussu templum omnibus numeris absolutum ædificasse, & non extruxisse piscinam, in qua reciperentur aquæ tum ad lauandas carnes, tum ad purificandos ministros, & ad alios pænè infinitos vsus necessariæ.

Ad tertium.

Vsus aquarum piscinæ.

Ad tertiam rationem respondeo, & simul ex Catholicorum scriptorum doctrina explico vsum & vtilitatem Probaticæ piscinæ. Dico itaque, duplici singulariter de causa fuisse piscinam hanc à Salomone iuxta templum & portam pecudum ciuitatis fabricatam. Prior est, vt in ea victimæ in templo sacrificandæ lauarentur. Cum obiicitur, fuisse lauari solitas in templi luteribus; respondendum, bis lauari solitas hostias, antequam sacrificarentur, inquit Petrus Comestor in historia Euangelica cap. 81. Primò enim Nathinæi lauabant in piscina hac, postea Sacerdotes in templi luteribus: & in 3. Regum cap. 19. Nathinæi, inquit, priùs lauabant membra hostiarum in piscina Probatica, & lota tradebant Sacerdotibus; si quid interim eis sordis adhæsisset, in luteribus abluebatur. Idem Brocardus Parte 1. cap. 7. §. 45. & Adrichomius loco citato. Lege Sixtum Senensem lib. 7. Bibliothecæ sanctæ, de Euangelio Ioannis.

At obiiciet quis cum Abulensi in 3. Regum cap. 7. quæst. 15. Nathinæis nec licuisse tangere animalia immolata, quia sacra erant, nec ea abluere, sed id fuisse munus tantummodò Sacerdotum, & S. Hieronymum dicere, hostias in ea lauari solitas à Sacerdotibus. Respondeo, probabiliorem videri priorem sententiam in responsione positam; quare etsi non licuerit Nathinæis tangere immolata, quia sacra erant, poterant tamen immolanda, quia non erant sacra. Sicut & modò in Catholica Ecclesia nostra alij præter Sacerdotes tangunt quidem hostiam consecrandam & offerendam, quia necdum sacra, non verò post consecrationem & oblationem, quia iam sacra. Et quare, si pastores, & alij præter ministros templi, tangebant sacrificanda animalia dum illa pascebant & capiebant, non potuerunt eadem tangere Nathinæi ministri templi, & in piscina lauare? Quòd si id non placeat, dicas, semel & iterùm lauari, & semper à Sacerdotibus, in piscina primùm, quando multùm immundæ erant victimæ, secundò in conchis templi. Ita docent grauissimi Doctores veteres ac recentiores, Hieronymus, Beda, Theophylactus, Toletus, & alij. Vel quòd intestina post fimum effusum lauarentur in piscina, carnes verò in luteribus templi, quomodocumque id fieret, vel per solos Sacerdotes, vel per Nathinæos priùs & posteà per Sacerdotes, hoc non officit Catholicæ historiæ & veteri traditioni, quare non frustrà ædificata fuit Probatica piscina.

Posterior ratio illius ædificationis fuit, vt in ea reciperentur aquæ quæ fundebantur in templo, quibus animalia lauabantur, ex mari æneo, & conchis per aquæductus templi occultos in eam fluentes; vnde videtur fuisse veluti templi illius sacrarium. Recipiebantur etiam in ea aquæ ex solariis ædium descendentes: ideò meritò *Bethsaida* dicitur, id est, *domus* vel *locus effusionis*, quoniam in se recipiebat aquas, vt diximus, è templo, vel e tectis, vel etiam aliunde effusas. Ita Toletus cum aliis veteribus & recentioribus respondet: sicque patet quid ad argumentum & difficultatem respondendum sit, atque vera esse quæ scribit Ioannes, & antiqua docet traditio.

Aquarum piscinæ virtus vnde.

Sed vnde tanta virtus inerat piscinæ illi, vt ad eius aquæ motum ab Angelo factum, qui prior ingrederetur, ab omni infirmitate sanaretur? Quidam processisse dicunt à quodam ligno ex fundo illius extracto, ex quo posteà Crux Domini efformata fuerit, cuius reuerentia Angelus descendens aquam moueret. Alij non à ligno, sed ab hostiis sacrificandis, quæ ibi lauabantur. Sed neutra sententia probatur, quoniam haud solido nituntur fundamento: imò si veræ essent, non determinatis temporibus, sed semper adfuisset illa virtus sanandi, quia semper lignum illud existebat in ea, & singulis diebus in ea hostiæ sacrificandæ lauabantur. Præterea nulla hostiis inerat virtus, nec ligno crucis, antequam Christus pateretur in ea.

Quare sit alia sententia Chrysostomi Homil. 35. in Ioan. & communis, Angelum descendentem aquæ à se motæ sanandi virtutem

tutem tribuiſſe, non quòd motus ille ſanitatem efficeret, ſed quòd ſignum eſſet deſcenſus Angeli, & quòd aqua illa iam facta eſſet apta ad ſanandum vnum à quacumque detineretur infirmitate, ſi in eam tunc ingrederetur. Sicque in illa piſcina & miraculo, ſecundùm quamplurium Patrum & Doctorum Eccleſiaſticorum ſententiam, Baptiſmi Sacramentum atque eius mirabilis virtus, noſtræ Religionis fundamentum, præfigurata fuerunt. Hæc de Probatica piſcina ſatis, plura alia habent Interpretes diui Ioannis.

CAPVT XII.

De Eccleſia S. Annæ, matris S. Mariæ Virginis, & domo in qua concepta & nata dicitur eadem B. Virgo Maria, octauo loco tertiæ Peregrinationis.

Deipara naturali modo concepta.

SAnctiſſima Maria, vera Dei mater, & intacta virgo, humano ac naturali modo concepta fuit ex virili ſemine in vtero mulieris, vt omnes filij Adæ concipi conſueuerunt, cuius parentes fuerunt Ioachim & Anna, pij ac timentes Deum: qui poſt multas ad Deum fuſas preces, non ſecùs ac olim Elcana & vxor eius Anna Sacerdotem & Prophetam Samuelem, ſanctiſſimam Dei Genitricem Virginem Mariam, deſiderium hominum, lætitiam Angelorum, & totius mundi gaudium vniuerſo genuerunt & pepererunt, vt omnes rectè & Catholicè ſentientes fatentur. Inter tot autem qui hanc veritatem confeſſi ſunt, vnum audiamus Epiphanium, Iudaicarum rerum antiquarum antiquiſſimum inueſtigatorem, probatúmque aſſertorem. Hic agens aduerſus Collyridianos hæreticos Hæreſi 79. qui Dei Genitricem Mariam humanæ naturæ prorſus expertem, ac diuinæ tantùm participem fuiſſe dicebant, ad illos conuincendos ſequentia de S. Virgine ſcripſit: *Genita eſt ab Anna, & ex Ioachim donata eſt Anna: quæ per preces & omnem diligentiam ſecundùm promiſſionem patri ac matri data eſt: non tamen aliter genita præter humanam naturam, ſed ſicut omnes, ex ſemine viri, & vtero mulieris. Tametſi enim hiſtoria Mariæ traditiones habent, quod dictum eſt patri ipſius Ioachim in deſerto: Vxor tua concepit: tamen non quod ſine coniugio hoc factum, neque ſine ſemine viri; ſed futurum Angelus miſſus præuaticinatus eſt, vt ne qua hæſitatio fieret, propter id quod in veritate factum eſt, etiam ex Deo ordinatum, & iuſto promiſſum.* His ſimilia habet Hæreſi 78. aduerſus Antidicomar. Ioannes Damaſcenus De fide Orthod. lib. 4. cap. 15. Gregor. Nyſſenus in Natali Dom. Hippolytus Martyr apud Nicephorum lib. 1. cap. 3. & alij.

Vbi concepta fuerit Virgo Maria, ſententiæ variæ.

Verùm vt hoc apud omnes Catholicos certum eſt, ita viciſſim dubium vbinam fuerit concepta & in lucem edita ſanctiſſima Deipara, & varias referam ſententias, & communem quam ſequimur traditionem illis non labefactari oſtendam. Prima ſententia tradit, ſanctam Deiparam in Nazareth ciuitate Galilææ fuiſſe natam. Ita Auctor libri De ortu Virginis, qui inter Opera D. Hieronymi circumfertur.

Secunda ſententia eſt Abulenſis in cap. 2. Matth. quæſt. 91. qui opinatur probabiliter, natam eſſe in Sepphoro, quod eſt oppidum diſtans à Nazareth tres leucas verſus Aquilonem. *De hoc enim loco*, inquit, *erat Ioachim pater Virginis, & in eodem loco nata eſt eius coniux Anna.*

Hippolytus Martyr apud Nicephorum loco citato non explicat quidem particularem locum, ſed tantùm communem, & in hoc conuenit cum præcedentibus. Dicit igitur, Annam in Galilæa genuiſſe ſanctam Dei Genitricem. ſic verò ſcribit: *Tres fuerunt ſorores Bethleemitidæ, filiæ Nathan Sacerdotis & Mariæ coniugis eius, ſub Cleopatra & Caſoparis Perſæ Regno, ante Herodis Antipatris filij Regnum: primæ Mariæ, ſecundæ Sobe, tertiæ Annæ nomen erat. Nupſit prima in Bethleem Mariæ, & peperit Salomon obſtetricem: nupſit quoque ſecunda itidem in Bethleem Sobe, & genuit Eliſabeth: nupſit poſtremò & tertia Anna in terra Galilææ, & protulit Mariam Dei Genitricem, ex qua nobis natus eſt Chriſtus.* Hæc Hippolytus.

S. Deipara Hieroſolymis concepta & nata.

Poſtrema denique ſententia eſt, ſanctam Dei Genitricem Virginem Mariam in ſancta ciuitate Ieruſalem conceptam ac natam eſſe. Hanc ſequuntur Orientales, & eſt communis in Terra ſancta traditio, quæ conſtructione eximij & magnifici templi ac monaſterij in loco conceptionis & natiuitatis eiuſdem Virginis, ad honorem concipientis & parientis Annæ ſtabilita eſt: quam tantò probabiliorem arbitror, quantum video ipſam veterum ac recentiorum Doctorum auctoritate firmari.

De domo conceptionis & partus B. Virginis, de qua nunc loquimur, clarè Ioannes Damaſcenus Oratione de Natiuit. Virginis, & lib. 4. Fidei Orthod. cap. 15. ſcribit: *In lucem editur Virgo in domo Probaticæ Ioachimi*, id eſt, in domo Ioachim quæ iuxta Probaticam piſcinam ſita eſt, & Orat. 1. De natali Virginis ait: *Fauſta tibi ſint omnia, ô Probatica Regina domicilium! fauſta tibi ſint omnia, ô Probatica, ſeminum Ioachim vetus fanum, nunc autem omilia ratione præditi, Eccleſia calum imitans, atque olim ſemel quot-*

annis Angelum Dei accipiens aquam turbantem, & vnum valetudini reſtituentem, &c. Guilielmus Tyrius lib. 11. cap. 1. Belli ſacri, in hac Eccleſia agnoſcit conceptam & natam eſſe Virginem Mariam, & Bonifacius lib. 2. De perenni cultu Terræ ſanctæ, & qui de locis ſanctis ſcripſerunt, abſque hæſitatione id ipſum docent. Chriſtianus etiam Adrichomius in deſcriptione Ieruſalem numero 37. dicit, conceptam eſſe Ieroſolymis; & addit, in ea domo conſueuiſſe hoſpitari parentes Virginis, cùm ad feſta Ieruſalem venirent, & ibidem B. Virginem concepiſſe, in ipſa vtrumque parentem vltimum diem clauſiſſe, & B. Virginem tempore mortis Filij ſui ibidem permanſiſſe. Ecce quot myſteriis celebrem fuiſſe credit ſacram hanc ædem Adrichomius. Verùm in Chronico anno mundi 3945. neſcio an ſui oblitus, an potiùs ſecundùm ſententiam aliorum locutus, in Nazareth Galilææ in lucem fuiſſe editam dicit S. Virginem. Nata iſto in loco S. Deipara dicitur in Reuelationibus S. Birgittæ, vt ſtatim apparebit.

Hæc domus poſteà à piis fidelibus in Eccleſiam conuerſa fuit, eidemq; Sanctimonialium monaſterium adiunctum, in quo Deo ſacratæ virgines habitabant, vt notauit Bonifacius, & non obſcurè indicauit Damaſcenus, dum *fanum emilia ratione præditi* appellauit: & dicitur communiter, quòd adhuc, etſi ſatis ruderatum, cum Eccleſia extet. Sunt in ea periſtylia ſiue clauſtra, vt vocant, dormitorium & alia neceſſaria habitacula. Eccleſia ſub titulo S. Annæ matris ſanctiſſimæ Deiparæ dicata, pulchra & ſpatioſa eſt. Subtus eam ſacellum eſt, vbi cubiculum fuiſſe dicitur, in quo concepta & in lucem edita creditur B. Virgo Maria, & hoc intuitu magna cum pietate & deuotione à fidelibus inuiſitur, & ſacris altaris ſanctificatur ſacrificiis; & in feſto S. Annæ, quodam perſoluto pretio habitantibus Turcis, Fratres Miſſam ibi ſolemniter decantant, non tamen in ſuperiori Eccleſia, quia in Turcarum meſquitam conuerſa eſt. Deſcenditur ad ſanctum locum per anguſtum oſtiolum & breuem ſcalam, ibiq; picturæ & nonnulla alia Eccleſiæ ſigna cernuntur.

Forma particularis loci conceptionis & partus Deiparæ.

Audi etiam Auctorem Epitomes bellorum ſacrorum, qui de his agens magis eadem explicat & confirmat, dicens: *Abbatia ſanctæ Annæ matris B. Virginis iuxta Probaticam piſcinam prope portam B. Stephani ſita, in quo loco B. Virgo nata fuiſſe perhibetur, in quo eſt Abbatia cum Monialibus nigris ſub beati Benedicti Regula Deo ſeruientibus, tamquam cella aromatica caſtis & Deo deuotis perſonis erat referta, quæ religionis diſtrictionem, vitæ honeſtatem & caſtitatis feruorem nulla compellente aduerſitate vel proſperitate mundi reliquerunt.* Idem Vitriacus & Sanutus. Guilielmus de Baldenſel in ſuo Hodœporico inquit: *Prope Probaticam piſcinam eſt Eccleſia B. Annæ, auiæ Chriſti, ſatis pulchra, vbi beata Virgo concepta & nata fuiſſe dicitur; ſepulturaq; Ioachim & B. Annæ parentum eius in quadam crypta ſubterranea oſtenditur.* Hoc ex opinione etiam aliorum dicit Fr. Anſelmus. Quod de ſepultura dicit, nullam memoriam ibi vidi, nec mentionem fieri audiui. ſed horum Sanctorum monumenta eſſe extra ciuitatem, vbi defunctorum corpora ſepeliri ſolent, & in Eccleſia vbi eſt ſepulchrum B. Mariæ Virginis, ſuo loco dicemus.

Credunt etiam fideles, in eo loco meritis ſanctiſſimæ Virginis Mariæ, & venerabilis matris eius Annæ in eius Viſitatione ſe ſuorum criminum veniam conſecuturos, vt de loco iſto ad finem Libri v. Reuelationum S. Birgittæ dixit Deus Pater ad Birgittam: *Ergo qui ad locum iſtum ſanctum, vbi Maria nata & educata fuit, venerit, non ſolùm mundabitur, ſed & erit vas in honorem meum.*

Ex his omnibus liquidò conſtat, quàm rationi conſonum ſit, tenere cum communi traditione, Ieroſolymis & eo loco conceptam & natam eſſe ſanctam Dei Genitricem. Eſt iſta Eccleſia in ſiniſtro ſiue Aquilonari latere templi Salomonis, &, vt dicit Damaſcenus, *iuxta Probaticam piſcinam.*

Nec ab hac ſententia deterrent aliorum opiniones. Non illa Auctoris libelli De ortu virginis, quoniam Hieronymi non eſt, cùm pluribus ſcateat erroribus, quos Hieronymum doctiſſimum non fuiſſe dicturum, compertum eſt; quare alterius eſſe Auctoris, ſapientiores docuerunt. Nec alij Auctores nobis officiunt; non enim affirmando ſed opinando potiùs, alibi natam dixerunt B. Virginem; cùm nec firmam auctoritatem vel rationem pro ſua ſententia adducant. Et coniectura illa Abulenſis, quòd ex Sepphoro eſſent Ioachim & Anna; & altera Hippolyti, quòd in Galilæa nupſerit B. Anna (eſto hæc vel illa vera ſit) non officit ſententiæ noſtræ, ſiue meliùs veteri receptæ traditioni. Potuit enim S. Anna, qua occaſione veniebat in Ieruſalem cum marito ſuo Ioachim, ibi ſanctiſſimam Deiparam concepiſſe & peperiſſe: ſicut & ipſa B. Virgo, quæ in Nazareth habitabat, tamen cùm veniſſet Bethleem, vt cum ſponſo ſuo Ioſeph profiteretur ibi, peperit Chriſtum Ieſum Filium ſuum primogenitum, vt dicitur apud S. Lucam.

Nolo

Mulieres impudicæ sacro loco Dei singulari cultu compro-bant.

Nolo hîc vnum præterire, quod Ieroſolymitani circa hanc domum obſeruarunt, nimirum in ea non poſſe habitare Turcarũ mulieres. Cũ enim à viris vel dominis in hac ſacra æde habitantibus quæſitum fuiſſet, quare ſecum vxores aut ancillas ſuas non retinerent, reſpondiſſe illos, experimento ſe didiciſſe, quòd ibi viuere nequeant, ſed continuò è viuis decedant: illarũ ergo ſaluti conſulentes, eaſdem ahbi habitare facere. Si hoc verum, vt creditur, ideò id Deum permittere crederem, ne domus, puriſſima olim habitatione S. Annæ, mundiſſimæ filiæ Mariæ Deiparæ, ac aliarum Deo dicatarũ Virginum condecorata, nunc communium & impurarum feminarũ conuerſatione fœdaretur. Vnde vt aliàs non fuit paſſus Dominus idolum Dagon conſiſtere in loco vbi poſita fuerat Arca Domini, ſed illud cecidit in terram, & confractum fuit, ita non patitur modò viuere in ſacra iſta æde communes & impuras mulieres, vbi non myſtica illa Arca, ſed verum Spiritus ſancti ſacrarium, & Filij Dei habitaculum ſanctiſſima Virgo Maria, & alię puriſſimæ Virgines ac Deo ſacratæ mulieres habitauerunt.

CAPVT XIII.

De domo diuitis Epulonis, nono loco tertiæ Peregrinationis.

Ratio nomi-nis domus diuitis Epulonis.

IN Via dolorosa ſiue crucis eſt domus quædam, ſingulari nomine appellata *Domus diuitis Epulonis* (de qua nunc placuit aliqua dicere, vt cùm de Via crucis agemus, de ſolis ſanctis locis ad Chriſti paſſionem ſpectantibus verba faciamus) ſic appellata, quòd veteri traditione aſſeratur, fuiſſe domum illius crudelis Diuitis, cuius deus venter erat, & voluptas, qui induebatur purpura & byſſo, & epulabatur quotidie ſplendidè, & mendico Lazaro, vlceribus pleno, iacenti ad ianuam eius, cupienti de illius ſuperfluis, de micis quæ cadebant de menſa eius, ſaturari, non ſolùm denegabat, ſed etiam omnia ſibi ſuperflua, ſed pauperibus neceſſaria, in luxum & ſuperbiam conuertebat; vnde factum fuit, vt poſt mortem ſuam in inferno ſepeliretur, perpetuis ignibus cruciandus; Lazarus verò, qui priùs obierat, ab Angelis delatus fuerit in ſinum Abrahæ, perpetuis gaudijs fruiturus. Meminit huius Diuitis, eiuſq; hiſtoriam retulit Saluator noſter apud S. Lucam cap. 16.

Situs domus Epulonis.

Adrichomius in deſcriptione Ieruſalem num. 38. hanc domum delineauit in dextera parte Viæ crucis, qua venitur à domo Pilati verſus Portam iudiciariam & Caluariæ montem: ſed meliùs deſcripſiſſet in ſiniſtra, vbi verè eſt, & in qua etiam parte eam deſcribit Bonifacius lib. 2. De perenni cultu Terræ ſanctæ, & ab omnibus in partibus iſtis ibidem agnoſcitur.

Hanc domum ſatis pulchram fuiſſe, vt voluptuarium & huius mundi diuitem decebat, credibile eſt, præſertim cùm poſt tot ſæcula ab illius in infernum deſcenſu perſeueret, & aliquem vſque decorem conſeruet, vtpotè ex dolatis quadratiſq; lapidibus elaborata, multis domibus celebrioribus, quæ in Ieruſalem ſunt, haud inferior.

Anno Domini 1616. quando primùm perueni Ieroſolymam, non habitabatur, nec habitari poſſe dicebatur, ſemperq; patebat, aditu eius ſordibus multis repleto: haud tamen multò pòſt Gubernator ciuitatis eam expurgari curauit, & in ea officinas ædificauit. Attamen nomen domus diuitis Epulonis, quod ad nos antiqua traditione deuenit, adhuc ſeruat, & ſeruabit ſemper.

Crediderim autem, diuina diſpoſitione huius domus conſeruari nomen & monimentum, ad ſuggerendũ memoriæ luxum, crudelitatem & acerbiſſimos inferni cruciatus, quibus inhumanus ille Diues torquetur, & in æternum torquebitur, vt eius exemplo prudentes effecti diuites moderni, diſcant eſſe erga pauperes miſericordes, ne cum illo Diuite ſine miſericordia paria in inferno cogantur ſuſtinere ſupplicia. Ad hæc, cùm fuerit ſancti illius mendici, vlceribuſq; pleni Lazari præſentia & patientia condecorata, meritò inuiſitur, & firmum reddit teſtimonium, non niſi per multas tribulationes oportere nos intrare in Regnum Dei, & in patientia noſtra poſſidere animas noſtras.

Quodnam fuerit illius Diuitis nomen, quidam curioſiùs inquirunt. Euthymius in cap. 16. Lucæ ex traditione Hebræorum dicit appellatum fuiſſe Nynenſem, ſiue Nynenſis: alij Nabal. Quidquid ſit, cùm illius nomen deletum ſit de libro vitæ, & illud Chriſtus ſilentio obſcurauerit, non eſt quòd nos illud curioſiùs inueſtigemus.

Ex veritate huius traditionis, domũ hanc eſſe Diuitis illius Euangelici, argumentum habemus ad probandum, quæ Chriſtus de illo dixit, eſſe veram hiſtoriam, & non parabolam, vt fuit ab aliquibus aliquando creditum.

CA-

Digitized by Google

CAPVT XIV.

De decimo loco tertiæ Peregrinationis, templo nimirum Ieroſolymis extructo eo in loco, vbi quondam ſteterat Salomonicum, ab incolis Ieroſolymitanis Templum Salomonis *appellato, & de illius deſtructione.*

INter omnia, quæ antiquis illis temporibus illuſtrem & per totum orbem celebrem reddebant Regiam Sacerdotalemque ciuitatem Ieruſalem, vnum erat Templum Domini, quod in meditullio eius magno labore & ſumptibus iuſſu Domini ædificauit ſapientiſſimus ac potentiſſimus Rex Salomon: cuius maieſtas & excellentia omni tempore & loco, & apud omnes gentes innotuit, & ampliſſimum argumentum præbuit egregijs Scriptoribus plura de eius maieſtate, excellentia, materia, forma, conditione & ſumptibus ſcribendi; quos, qui illius plenam cognitionem habere deſiderat, conſulat. nec enim de eo eſt agendi animus, ſed ſolùm de his quæ vſque hodie extant & viſuntur: at hoc templũ non intuitur, quia eſt præcipua Meſquita Turcarum, & Chriſtianis ad ipſum acceſſus perpetuò eſt interdictus, quare nec de ipſo exactè, vtut voluiſſem, agere poſſum, agam tamen obiter ſecundùm ea quæ deforis vidi, ab oculatis teſtibus accepi, & apud probatos Auctores inueni. Tria verò tribus diſtinctis Capitibus præſtabo: primo agam de veteris templi deſolatione, quæ fuit cauſa conſtructionis noui; ſecundo de illius ædificatore, tertio denique de illius forma & ſtructura.

Vaticinium de Templi Salomonis deſtructione.

Saluator noſter pluries Salomonici templi miſerandam deſtructionem prædixit modò implicitè & obſcurè, modò explicitè ac manifeſtè. Implicitè, quando defleuit ſanctam ciuitatem, & illius totalem deſtructionem prænuntiauit, adeò vt nec lapis ſuper lapidem relinquendus eſſet: quæ clades vtique ipſum templũ inuoluit, vtpote quod in deſtruenda ciuitate ſitum erat, quæ, templo ſaluo manente, non poterat omnino & totaliter deſtructa dici. Explicitè, cùm Phariſæis dixit: *Ecce relinquetur domus veſtra deſerta*, templũ videlicet, Matth. 23, 31. *Deſertam*, inquit D. Hieronymus, *Iudæorum domum, id eſt, templum illud, quod fulgebat auguſtiùs, oculis comprobamus, quia habitatorem Chriſtum perdidit*, &c. Similiter interpretantur Auctor Operis imperfecti, Theophylactus, Euthymius, & alij. Sed clariùs adhuc, quando à diſcipulo ſibi demonſtrata illuſtri templi fabrica, illi dixit: *Vides has omnes magnas ædificationes? Non relinquetur lapis ſuper lapidem, qui non deſtruatur*, Marc. 13, 2. hoc eſt, corruet templum hoc, partes omnes concident, totum ſolo æquabitur, & ingentes illi lapides, quibus vel fundatur vel erigitur, diſpergentur penitus.

Diuinum vaticinium quomodo impletum.

At quando hoc Domini vaticinium impleri viſum eſt? Non vna ſed triplici clade, triplici vaticinio reſpondente. Et primò quidem ſub Tito Romanorum Imperatore, quando à Romano exercitu obſeſſa & vallata fuit Ieruſalem, & tandem vnà cum templo deſtructa, vt pluribus de Bello Iudaico explicat Ioſephus, è quo pauca, quæ templi deſolationem ſpectant, hîc ſubijciemus.

Circa annum Domini 72. cùm intra ſanctam ciuitatem inedia, fame, innumeris incommodis & ciuilibus diſcordijs, exteriùs verò à Tito exercituque Romano premerẽtur Iudæi, tum à Tito ipſo, tum à ſuis ipſiſmet Gentilibus, qui ad caſtra Romanorum confugerant, ad deditionem honeſtam ſæpiùs inuitabantur, quin etiam rogabantur, vt ſi non ſui, templi ſaltem rationem haberent, ne irruentes milites illud incenderent. Tantum verò abfuit, vt Romanos vel Iudæos benè ſibi conſulentes audirent, vt potiùs, his omnibus ſpretis, obſtinato animo omnia libentiùs experturos mala iactarent, quàm ſe Romanis dedere. Titus igitur conteſtatus Deum & homines, ſe ad vrbis & templi excidium inuitum compelli, validiùs turrim Antoniam nomine, quæ erat iuxta templum, oppugnat, quam tandem expugnat vigeſima quarta die menſis Iulij, cùm milites iunctam turrim ab Aquilone partem porticus templi incendio concremarunt: Occidentalem verò porticum ipſi Iudæi, qui intus obſeſſi erant, quò Romanos, qui occupauerant illam, perderent, incenderunt vigeſima ſeptima die eiuſdem menſis Iulij. Octaua autem die menſis Auguſti Titus ad templum expugnandum machinis comportatis, igni ferroque oppugnationem aggreditur: commiſeratus tamen nobiliſſimi omnium templi, incendium quod interiora porticus depaſcebat, reſtingui iuſſit. Inde ad conſulendum vocatis Proceribus, quid de templo eſſet agendum, ſingulorum ſententias rogat: cumque complures in eam ſententiam irent, templum eſſe incendio conſumendum; ipſe ſui prærogatiua ſuffragij, illi parcendum eſſe decreuit: ſicque iuſſi ſunt milites quieſcere, à templi excidio temperare. Sed licet hæc Titus decreuiſſet, eiuſque dicto refragari nullus auderet; vi tamen

Ioſeph. de Bell. Iud. l. 2. cap. 2.

Ioſeph. eodem lib. cap. 5. 6. & 9.

Numi-

Numinis compellente factum est, vt cùm Iudæi, qui intus detinebantur obsessi, in Romanos, qui foris erant, irruerent, eorumque furori Romani resisterent, ac tandem illos intrò regredi, facta compressione com-
Ioseph.l.7. cap.10. pellerent; militum quidam (inquit Iosephus) non expectato cuiusquam edicto, neque tantum facinus veritus, sed diuino quodam motus impetu, à contubernali suo sustollitur, & ex ardenti materia raptum ignem in fenestram inserit auream, vnde ad membra circum templum ædificata de Septemtrionali regione aditus erat. Flamma verò excitata, Iudæorum quidem calamitate dignus clamor exoritur, & ad subueniendum properabant: neque iam vitæ parcendum rati, neque viribus temperandum. Hæc Iosephus.

Dum hæc agerentur, aberat Titus: qui his intellectis ad locum properat, vtque restingueretur incendium iubet, clamat, vrget instatque, nec tamen ob clamantium strepitum valuit exaudiri: sicque magis magisque flamma inualescens, nulla amplius valuit humana ope restingui. Facta est huiusmodi templi conflagratio (vt idem
Ioseph.l.7. c.9.& 10. testatur Iosephus) decima die mensis Augusti, qua etiam aliàs à Rege Babylonis fuerat concrematum: à prima structione templi, quam Salomon Rex inchoauerat, annus mille centum triginta, mensibus septem, & diebus quindecim; à posteriori verò per Cyrum facta annis sexcentis triginta nouem & quadraginta quinque diebus, secundùm computationem à Iosepho collectam.

Ioseph.l.7. Bell.c.7. Collapsum itaque, contritum, conuulsum, soloque æquatum remansit templum, cum ceteris immensæ molis ædificiis, vt nec ipsius saltem vestigia, quòd illic aliquando fuissent, reliqua viderentur, vt Dominus prædixerat; sicut nec reliquæ ciuitatis, cuius tantùm pars muri ad castrorum munitionem relicta esset, tribusque solummodò permanentibus turribus, quæ essent quasi indices, vt qualis Ierosolyma tunc fuisset, nescientibus demonstraretur, quemadmodum Iosephus tradit, & nos suprà retulimus Cap. XVIII. Peregrinationis 1.

Iudæi tunc pro maiori parte occisi fuere, & venit Christi sanguis super eos & super eorum filios, vt quondam in suam perniciem, repudiato vero Rege Christo, Cæsarem postulauerunt, vt dicitur apud D. Matthæum: alij in captiuitatem ducti; pauciſſimi vel relicti, vel profugi, posteà reuersi in mœrore & tristitia. Agit pluribus de isto excidio Cardinalis Baronius in suis Ecclesiasticis Annalib. Tom. 1. sub anno Christi 72.

Post annos sexagintaquinque ab hoc miserando excidio superstites Iudæi Ierosolymam reuersi, cùm denuò defecissent à Romanis, eodem loco templum reædificare aggressi sunt, vt alij prodiderunt Historici.

Contra eos venit Ælius Adrianus Imperator, & vno die quinquaginta & octo eorum myriades, hoc est, quinquies centena & octoginta millia interfecit, & residua Ierosolymorum ædificia prorsus destruxit, atque montem Moria, in quo templum ædificatum fuerat, multùm complanauit, in planiciem redegit, sale seminauit, & illius rudera & terras in vallem Iosaphat ac torrentem Cedron proiecit; ne vrbs montis & templi præsidio confisa à Romanis amplius deficeret, &c. Agunt de his Eusebius in Chronico, & lib. 4. Hist. c. 6. Nicephorus lib. 3. cap. 24. & alij; ex quibus plura apposite Baronius, vt solet, collegit & disposuit Tom. 2. sub anno Christi 121. & sequenti.

Impietas Iuliani Apostatæ.

Elapsis annis ducentis vigintiseptem à secunda hac desolatione, scelestissimus Imperator Iulianus Apostata, vt Christi oraculum, quod de templo prædixerat, non mansurum lapidem super lapidem, falsum esse ostenderet, data Iudæis ex publico ærario pecunia, mandauit eis templum de integro restaurare, ibiq; iuxta Moysi legem sacrificare, quandoquidem idolis, vt ipse desiderabat, sacrificare renuerent, quòd sibi diuina lege id interdictum esse affirmarent. Quare, vt adnotatum inuenimus, non illud concessit Apostata ob studium erga Hebræos, quorum doctrinam patriamque religionem æquè ac Christianum cultum editis commentariis exagitauit: sed illa fuit potissima causa, vt sic aduersus Christianam religionem veluti munitionem ædificans, ac Iudæos super eam exaltans, illam penitus prosterneret.

Repellun-tur Iudæi à templi ædificatio-ne.

Itaque ob hoc, læti Iudæi, ex omnibus mundi prouinciis Ierosolymam confluxerunt, ac in Christianos atrocia comminati, peritos architectos, lapides, ligna, calcem, gypsum, cæmentum, omnemque materiam & instrumenta ad ædificandum necessaria compararunt, argenteos quoque fieri ligones curarunt, palas & sportas, locumque ipsum splendidè purgarunt tanta alacritate, vt eorum mulieres etiam monilia sua omnia in structuram eam impenderint, ac rudera è loco gremiis suis exportarint. Cumque apertis & purgatis iam fundamentis, postero die ædificationem inchoaturi essent, nocte ea vehemens procellosæ tempestatis ventus calcem, gypsum ac materiam totam longè lateque disperſit: insuper terræmotus ingens vniuersa veterum tem-

pli

pli fundamentorum saxa excussit ac dissipauit, ædes omnes templi vicinas disturbauit, permultosq; Iudæorum oppressit. Cùm autem qui supererant mane iterùm ædificare aggrederentur, ignis cælo demissus, itemq; flamma è templi fundamẽtis erumpens, plures quàm anteà Iudæos vel operi instantes, vel qui spectatum eò venerant, consumpsit: atque malleos, secures, serras, ligones, denique omnia opificum instrumenta, per totum illum diem incendium in cineres redegit. Iudæis adhuc pertinacibus, proxima nocte fulgens Crucis signum in cælo apparuit, omniumque Iudæorum vestes cælitus crucis figuris signatæ, & (tamquam cœlum stellis) impletæ sunt: quas cùm illucescente die eluere delereque conarentur, id nullo modo poterant. Sicque deterriti & confusi, inaniter cœpta simul & locum reliquerunt, eorumque impio conatu diuinum Oraculum non modò non factum irritum, sed vel maximè impletum atque confirmatum fuit, ablata spe iterùm illud reædificandi, vt iuxta Danielis vaticinium, vsque ad consummationem & finem perseueret desolatio, & iuxta alterum Domini, non maneret in templo lapis super lapidem.

His visis prodigiis, multi Iudæorum, quorum mens obstinationis prauitate non omnino erat infecta, Christi gloriam confessi, eius fidem susceperunt, vt sequentibus testatum reliquit Sozomenus. *Quo factum est,* inquit, *vt alij coràm cõtinuò Christum Deum esse existimarent, imoquoq; animo ferrent, quòd templum de integro ædificare constituerant: alij paulò pòst ad Ecclesiam se transferrent, initiarentur mysteriis, hymnis & precibus Christum pro suis improbè factis placarent. Istis rebus si quis fidem minimè adhibendam putaret, sit persuasus saltem ab iis, qui eas ab eorum spectatoribus acceperunt, quique adhuc in hac vita manent: sit etiam persuasus cùm à Iudæis ipsis, tum à Gentilibus, qui opus inchoatum reliquerunt, imò verò ne inchoare quidem potuerunt.* Eadem Nicephorus lib. 10. cap. 33.

Sozomen. lib. 5. c. vlt.

Arbitror ego, totalem illius templi euersionem, & Iudæorum illam conuersionem, omen fuisse dilatationis Christiani cultus, & noui templi ad honorem Christi ædificandi, quod verè fuit ædificatum, vt Capite sequenti dicemus. Agunt de his pluribus tam exteri quàm Ecclesiastici Scriptores tamquam de rebus omnino veris, & omnibus conspicuis. Ammianus lib. 23. Ambrosius Epist. 28. Chrysostomus in Acta Homil. 4. & 41. & Orat. 2. aduers. Iudæos, & in Matthæum Hom. 4. Sozom. lib. 5. cap. 21. Gregorius Nazianzenus Orat. 2. in Iulianum, Russin. lib. 1. cap. 38. & 39. Theodoretus lib. 3. c. 17. Socrates lib. 3. c. 17. Nicephorus lib. 10. cap. 32. 33. & ex his optime Cardinalis Baronius Tom. 4. Annalium sub anno Christi 363. & Adrichomius in descriptione Ierusalem num. 75.

CAPVT XV.

De tempore & auctore templi ædificati eo loco vbi priùs fuerat Salomonicum.

QVemadmodum Deus optimus maximus voluit vt ea, per quæ nostram salutem operatus est, & quibus sibi gloriam comparauit, vt Crux, claui, sanctum eius Sepulchrum, &c. conseruarentur, & scriptis perpetuisque monumentis celebrarentur, tamquam insignia suorum facinorum, & vera testimonia victoriæ quam de hostibus suis reportauit, & vt perpetua vexilla essent populi Christiani, & omnes ad ea tamquam ad tuta asyla confugerent, quibus se ab hostium furore & iusta Dei ira defenderent: ita disposuit, vt illa, in quibus gloriabatur Iudaicus populus, destruerentur & consumerentur, vt hoc pacto durus ille populus sceleris grauitatem cognosceret, quòd reiecerit & occiderit Messiam, & facti pœnitens, vel ad Deum conuerteretur, vel impœnitens se reprobandum & penitus proiiciendum certò sciret, atque Moysaicam legem finem accepisse, deficientibus illis quæ ad illius obseruantiam necessaria erant, Templo Salomonico, sacrificiis, &c.

Quòd si quæ extant eorum signa & vestigia, ideò relicta sunt, vt Iudaici sceleris & diuini iudicij essent argumenta, perfidique Iudæi, hoc est, reliquiæ illius ingrati & infidelis populi, ex illorũ aspectu magis ac magis cruciarentur: siquidem fieri non potest, quin memoria recolentes priscum & floridũ statum, regionem vberem & opimam, munitas ciuitates, arces fortissimas, illustria palatia, Regias, diuinissimum templum, aliaque superba ædificia, & cuiusuis generis bona, quibus se meritò, Dei tamen gratia, extollere poterant super omnes mundi nationes, secundùm Dauidis vaticinium, *Non fecit taliter omni nationi*, Psalm. 147, 20. Et nunc mentis vel etiam corporis oculis contemplantes, plura in peius commutata, & pleraque penitus destructa & consumpta, aliorum reliquias dumtaxat extare; fieri, inquam, non potest, quin magno excrucientur dolore, ingenti afficiantur tristitia, & ex oculis lacrymarum fontes profundant.

Lacrymabile profectò spectaculum, terram vberem & fecundam versam esse in salsu-

Digitized by Google

salsuginem, populatam regionem desertam esse relictam, Regias vrbes, aliaque egregia ædificia vel penitus diruta, vel in pauperes villas & exiguas casulas conuersa,& denique Salomonicum templum, totius orbis miraculum,singularem Iudaici populi gloriam, non solùm diuitiis & ornamentis spoliatum, sed dirutum, solo æquatum, & à fundamentis ipsis euulsum, & in illius locum alterum ad honorem Christi, quem ipsi abiecerunt, & plurimùm execrantur, vel etiam Mahometi ædificatum conspicere.

De tempore ac auctore huius templi.

Sed quando & à quo fuit ædificatum templum Domini nostri in loco destructi Salomonici? Adrichomius opinatur, quòd statim, vel non multò pòst quàm Hebræi diuinitus à reædificatione Salomonici prohibiti fuerunt, à Christianis ædificatum fuerit opere rotundo, labore Græco,ex magnis sectis lapidibus, vt indicare videtur in descriptione Ierusalem num.75. Postquam enim explicuisset quæ acciderant Iudæis, quando ab impio Iuliano Apostata adiuti, voluerunt templum Salomonicum reædificare (vt præcedenti Capite notauimus) statim pro responsione ad propositam difficultatem sequentia subiecit: *Et Iudais quidem hac ratione ab incæpto opere repulsis, Christiani nihilominùs eodem in loco adificare non timuerunt. Opere enim rotundo, & Græco labore, ex magnis sectis & politis lapidibus, præcellenti forma, amplum & præaltum, plumboq; tectum ibi templum erexerunt, quod per aliquot sæcula Patriarchali Cathedra decoratum, ac vero puroq; Dei cultu celebre, tandem à Saracenis inuasum, ac spurio Mahumeti cultu annis quadringentis sexaginta tribus contaminatum fuit*, &c. vsque ad annũ 1099.quando à Christianis Duce Godofredo Bullionio Ierosolyma capta fuit.

Sed non multùm mihi placet sententia Adrichomij,quæ explicanda est,antequam, quid probabilius sentiendum arbitremur, videamus. Igitur cùm Adrichomius dicit, Christianos non timuisse templum Domini reædificare, quem non timuerunt? An ea quæ Iudæis acciderant ex diuino vaticinio? an potiùs Iulianum aliósve Principes qui ei successerunt? Non euentus Iudæorum, quia nolebant resistere diuinæ voluntati, nec reædificare Salomonicum templum, sed Christi Domini: nec diuinum timebant vaticinium, quod iam impletum erat, & illo non interdicitur ædificatio templi Domini nostri, sed Salomonis & Iudæorum. Dicendum ergo,velle intelligere Adrichomium, Christianos non timuisse Iulianum vel qui ei successerunt Imperatores. Sed primum non videtur verum, tum quia adhuc grassabatur illius persecutio in Christianos. Scribit enim Orosius lib.7. cap.30. Iulianum ex congesta ad construendum augustissimũ templum materia (postquam aduersus Deum niti impossibile visum est) præcepisse ædificari theatrum, in quo, reuersus è Persside, Episcopos, Monachos ceterosque eius loci accolas Christianos traderet bestiis laniandos; quare non est credendum, Christianos tunc ausos fuisse opus illud tentare voluisse: tum quia non fuit tempus ædificandi; Apostata enim ille vix biennio regnauit, vt ostendit Cardinalis Baronius Tom.4. Annal. sub anno Christi 363.num.66. At modico illo tempore,tot præsertim tribulationibus perculsi Christiani, non est credendum illud templum consummasse, sed ne inchoasse quidem. Secundum igitur dicendum erit, non timuisse Christianos successores Imperatores, vel quodlibet aliud impedimentum, & ita non multò post totalem subuersionem Salomonici templi,& Iuliani interitum, secundùm istum Auctorem, incepisse & consummasse templum Domini, quod ad præsens cernitur. Inquit enim, quòd antequam inuaderetur à Saracenis, quod accidit circa annum nostræ salutis 636. fuerit per aliquot sæcula Patriarchali cathedra decoratum. Igitur ad minus per duo sæcula, & consequenter circa annum Domini 436. oportuit fuisse absolutum, & illius fabricæ incubuisse Christianos post mortem Iuliani, quæ accidit anno Domini 363. spatio annorum 73. tot enim decurrunt à 363. vsque ad 436. At quî fieri potest, vt eo tempore pauperes Christiani, vndequaque angustiis vallati, seruitute oppressi, opportunoque auxilio destituti, tanto operi incumbere potuerint?

Ex his etiam apparet, quàm improbabilis sit opinio eorum qui asserunt,templum hoc fuisse ab Helena Magni Constantini matre ædificatum,cùm constet, Helenam ampliùs quinquaginta annis præcessisse Iulianum, & templi Salomonici totalem euersionem.

Aliter itaque dicendum videtur cum Guilielmo Tyri Archiepiscopo,de Bello sacro,templum,de quo loquimur,non à fidelibus,sed ab infidelibus constructum fuisse. Sed aduerte antequam illius mentem explicem, apud hunc Auctorem in Opere de Bello sacro non semel fieri mentionem duplicis templi præcipui Ierosolymis ædificati, quorum alterum Resurrectionis, alterum Domini appellant. Illud est, quod Sepulchrum Dominicum continet, de quo libro sequenti: istud est, de quo in præsentia, ædificatum vbi quondam erat Salomonicum. Ait igitur Tyrius lib.1.cap.2.quòd vasta-

vastata à Cosrhoë Persarum Imperatore Syria, habitatoribus partim interfectis, partim in captiuitatem in Persidem ductis. Arabes opportunam hanc occasionem se dilatandi rati, sub Homar Catab, tertio illorum Principe post Mahometem, in Syriam ingressi eam occupauerunt, & superstites fideles tributarios & subiectos reddiderunt. Et quamuis illi valdè oppressi essent, eisdem nihilominùs Princeps ille permisit, vt Christiano cultu Deum colerent, Episcopum haberent, & vt templum Resurrectionis anteà destructum restaurarent.

Cumque multis diebus moram traheret Ierosolymis, vt Princeps & Dominus cœpit à ciuibus inquirere, & singulariter à Sophronio, tunc sanctæ ciuitatis Episcopo, vbi esset locus in quo templum Domini, id est, Salomonis, fuerat ædificatum, destructum vnà cum ciuitate à Tito Romanorum Imperatore: & locus præmonstratus fuit, cum nonnullis ruinis & signis veteris ædificij. Qui magna nummorum copia ad alterum reædificandum assignata, lignis, marmoribus, & aliis necessariis conquisitis, cum peritis artificibus, breui templum iuxta datum exemplar construxit, & est illud quod in præsentia cernitur, inquit Tyrius. Ergo non prius fuit ibi ædificatum templum, vt Adrichomius sentire videtur.

Homar etiam ditauit illud multis possessionibus & prædiis pro illius reparatione, custodia & ministrorum sustentatione. Et fuit Maurorum mesquita, vt patet tum loco citato, tum cap. 5. eiusdem libri de Bello sacro, & cap. 3. lib. 8. & ex eo quod Adrichomius affirmat, à captis Ierosolymis sub Godofredo 463. annis Mahometico cultu fuisse contaminatum. Etenim Christianorum templum erat aliud Resurrectionis à Magno Constantino anteà excitatum. Et apparet etiam ex illius forma, quæ persimilis ferè est omnibus mesquitis à Mauris ædificatis, illis saltem quas ego in partibus illis vidi, vt sequenti Capite apparebit.

Quæ si ita se habent, oportet templum hoc fuisse ædificatum circa annum salutis 1064. quo tempore Sophronius Modesto in regimine Ecclesiæ Ierosolymitanæ successerat, quando confluentes ad S. Domini Sepulchrum peregrinos magna hilaritate & gaudio suscipiebat, vt tradit Baronius Tom. 11. sub citato anno num. 34.

Placet hîc animaduertere, in loco vbi nunc est hoc erectum templum, anteà Saracenos habuisse domum aliam orationis. Hoc deduco ex Adamnano de locis sanctis, dum ait: *Ceterùm in illo famoso loco, vbi quondam templum magnificè constructum fuerat, in * vicina ab Oriente locatum, nunc Saraceni quadrangulam orationis domum, quam sub rectis tabulis & magnis trabibus super quasdam ruinarum reliquias construentes, vili fabricati sunt opere, frequentant. Quæ vtique domus tria hominum millia simul, vt fertur, capere potest.* Ita Adamnanus ex oculato inspectore sancto Episcopo Arculfo. Floruerunt verò isti duo viri circa annum Domini 690. multò antè quàm præsens templum ædificatum esset. Et cum id ædificauerint & frequentauerint Saraceni, non potest esse illud quod ante illorum aduentum per aliquot sæcula fuit Patriarchali Cathedra decoratum, de quo Adrichomius.

* f. vicinia mari

CAPVT XVI.

De forma & structura templi Domini, siue Salomonis.

GVilielmus Tyrius formam & elegantiam templi Domini iam memorati considerans, toti mundo conspicuam esse dicit, & addit lib. 1. cap. 2. *Erant porrò in eodem templi ædificio intus & extra ex opere musaico Arabici idiomatis litterarum vetustissima monumenta, quæ illius temporis esse creduntur, quibus & auctor, & impensarum quantitas, & quo tempore opus inceptum, quoq; consummatum fuerit, declaratur.* Et hoc repetit lib. 8. cap. 3. vbi & illius structuram describit, & nos eamdem ex ipso hîc subijciemus, addendo etiam explicationem aliquam, & alia ab ipso prætermissa, & ab aliis, vt in præsentia videntur, obseruata: ab eius enim tempore vsque ad præsens multis mutationibus fuit sancta ciuitas cum templis suis obnoxia.

Tyrius itaque loco posteriùs citato, loquens de situ in quo extructum est sanctum Domini templum, ita habet: *Platea quædam, quantum arcus bis iactare potest, habens longitudinem & latitudinem tantumdem, quadrangula, & aquis distantibus contenta lateribus, muro circumdata est valido altitudinis moderatæ.* Credo in præsentia ex parte dumtaxat Orientali & partim Aquilonari cinctam esse, ex aliis verò ipsismet ædificiis ciuitatis esse munitam. *In quam ab Occidente duabus portis introitur, quarum altera dicitur Speciosa, vbi, secundùm quod in Actibus Apostolorum continetur, claudum ex vtero matris suæ eleëmosynam à transeuntibus petentem consolidatis basibus erexit Petrus. Alterius verò certum nomen non tenemus.* Fateor nec alterius portæ nec nominis memoriam Ierosolymis in præsentia conseruari, nec alteram esse in hac parte intellexi. Fortè erit altera Australis, sed Occidentalis dicta,

ta, quòd vergat ad Occidentem. Et qui de hiſce portis mentionem fecerunt, vnius dumtaxat Occidentalis meminerunt. Inferiùs Capite extremo vltimæ Peregrinationis oſtendemus, non fuiſſe portam Specioſam ex parte Occidentali, & conſequenter nec ad eam claudum ſanatum fuiſſe.

A Septemtrione verò vna, ab Oriente quoque alia, quæ vſque hodie porta Aurea dicitur. Aduerte hic, Auream portam clauſam eſſe, nec ex ea parte eſſe aliam portam circa plateam, verùm duæ ſunt ex parte Aquilonari, altera poſt tranſitum palatij Pilati, non longè ab Eccleſia ſanctæ Annæ, quam habet ex altera parte viæ; altera verò in extremitate eiuſdem viæ, iuxta probaticam piſcinam, à qua & nomen habet.

Ab Auſtro verò domum habet Regiam, quæ vulgari appellatione templum Salomonis dicitur. An meliùs diceretur Regia Salomonis ex quo ex hac parte olim erat ædificata? Vel an templum Salomonis, quia ex hac parte erant porticus & habitacula miniſtrorum templi? Et ex hac parte ſunt porticus ſuffultæ columnis, & nobilia ædificia & ipſum templum, illa namque templum Salomonis in Scriptura appellantur.

Super ſingulas autem portas, quæ vrbi ſunt contermina, & per angulos ſuperficiei, turres erant ſublimes admodum, in quibus certi ſuperſtitionis Saracenorum Sacerdotes, vt populum ad orationem inuitarent, aſcendere conſueuerant: quarum quædam adhuc ſunt, quædam verò caſibus variis ſunt depoſitæ. In præſentia non obſeruaui aliquam ex dictis turribus. Fieri poteſt, quòd Saladinus, qui poſt multa tempora Guilielmo Tyrio ſucceſſit, & ſanctam ciuitatem cepit, eamque nouis muris cinxit, etiam veteres illas turres omnino demolitus fuerit: quæ verò ſunt, non excedunt muros ciuitatis, & nullus Turca ibi excitat populum, ſed alibi.

Infra hæc ſepta nemini habitare, nemini etiam introire, niſi nudis & lotis pedibus, permittebatur, ianitoribus per ſingulas portas conſtitutis, qui huius rei curam habent diligentem. In præſentia tantam non adhiberi diligentiam credo.

Porrò in medio huius ſic circumſeptæ areæ planicies iterùm quædam & eminentior eodem modo quadrilatera à lateribus ſubiectæ, ex omnibus partibus æquè diſtans; ad quam à parte Occidentali duobus locis per gradus & ab Auſtro totidem, ab Oriente verò vno tantùm aſcenditur: in cuius ſingulis angulis ſingula erant oracula: quorum quædam adhuc extant, quædam verò, vt alia ibi conſtituerentur, depoſita ſunt. Non obſeruaui huiuſcemodi oracula, id eſt orationis loca: quædam tamen vidi parua ædificia prope templum velut rotunda ſacella, neſcio an ſint duo, & an ſint ſepulchra Turcarum inſignium, vel alicuius alterius memoria.

In huius ſuperioris areæ medio templum ædificatum eſt, forma quidem octogonum, & laterum totidem, intus & deforis marmoreis tabulis & opere muſaico decoratum. In præſentia meliùs diceretur deforis quidem in ſuperiori parte ornamentis & floribus Damaſceno artificio exornatum eſſe, & intus totum album, vt qui diligenter interiùs viderunt teſtati ſunt, & credo, quia communiter ſunt albæ Turcarum meſquitæ.

Tectum habens ſphæricum, plumbo artificiosè coopertum. Adde, in eius ſummitate Turcas dimidiæ Lunę formam pro ſuo more poſuiſſe. Circa dictum hemiſphærium eſt planum pauimentum ad modum deambulacri, & circùm columnellæ marmoreæ decenter elaboratæ & diſpoſitæ, ad caſum prohibendum, quando illuc aſcendere contingit. Circumcircà habet feneſtras quibus illuminatur, & non per laternam deſuper, vt aliqui ſcripſerunt. Interiùs eſt ordo vnus columnarum quæ hemiſphærium ſuſtentant. Intra columnas & murum templi cancellos ferreos eſſe audiui, qui diſtinguant locum mulierum à loco virorum: in interiori enim parte & vltra cancellos manent viri, ſed citra mulieres, quæ ad interiorem tranſire prohibentur, ne aditus contaminetur, inquiunt Turcæ.

Harum vtraque platearum tam continens & inferior, quàm ſuperior & contenta, albo ſtrata eſt lapide, ita vt hibernis temporibus aqua pluuiales, quæ plurimæ de templi deſcendunt ædificio, quaſq; aliunde non pauciores excipiunt, limpidiſſimæ & abſq; cœno in ciſternas deſluant, quæ plurimæ infra ſepta prædicta continentur. Montanus in ſuo Miſnaioth, Pineda referente libro 5. De rebus Salomonis cap. 5. num. 136. inquit, in atrio Sacerdotum veteris Salomonici templi fuiſſe tres puteos, quorum duo aquas aliunde hauſtas conſeruarent ad vſum ſacrificiorum, tertius verò pertuſo canali per montem vſq; ad torrentem pertinuerit, per quem ſanguis cum aqua elutus dèflueret. Si verum eſt quod ſuperiùs notauimus, dum ageremus de probatica piſcina, ipſam fuiſſe velut ſacrarium templi, vel fruſtrà ponitur tertius ille puteus, vel aquæ in illum colle-ctæ non ad torrentem ſed ad piſcinam deriuabantur. An in præſentia ſint dicti puteî, & ſint illi qui à Tyrio ciſternæ appellantur, an potiùs veræ ciſternæ, me latet: crediderim eſſe potiùs ciſternas, quia Palæſtina ob fontium raritatem ciſternis vtitur, vt ait D. Hieronymus, & Tyrius ipſe, & ſingulariter de Ieroſolyma, noſque Libro 1. Ca-

pite XXVIII. ex ipso & aliis ostendimus.

Prosequitur denique Tyrius: *Intus verò in medio templi, infra interiorem columnarum ordinem rupes est aliquantulùm eminentior, cum subiecta ex eodem saxo spelunca, supra quam sedisse Angelus dicitur, qui propter dinumerationem populi à Dauid incautè factam, percussit populum, quousque praceptum est à Domino, vt parcens populo gladium suum conuerteret in vaginam: vbi postmodum, empta sexcentis siclis auri iustissimi pauperis area, altare, vt premisimus, instruxit. Hac autem ante nostrorum introitum, & postmodum annis quindecim, nuda patuit & aperta; posteà verò, qui eidem prafuerunt loco, albo eum cooperientes marmore, altare desuper decorum, in quo Clerus diuina celebrat, construxerunt.* Godofredus etiam ibi mox Canonicorum egregium Collegium instituit, eisque ampla sacerdotia, quæ præbendas vocant, simulque & honesta circa templum domicilia assignauit, qui diurnis & nocturnis officiis ac sacrificiis, Ecclesiastico more, annis octoginta octo ibi Deo ministrauerunt.

Ad maiorem confirmationem & declarationem eorum quæ proximè recitauimus ex Tyrio, placet subiicere quæ in idem argumentum scripsit Iacobus de Vitriaco S.R.E. Cardinalis, qui aliquibus annis post Tyrium historiam Ierosolymitanam conscripsit. *His omnibus insignis locus ille præminens, inter alia loca sancta, maximam obtinet priuilegij dignitatem. Templum autem Domini sanctum, quod in monte Moria, in area Ornam Iebusæi à Salomone constructum est, inter loca sancta & venerabilia nullatenus est prætermittendum, quod licet à Babylonijs primò sit destructum, & posteà à Romanis, à fidelibus tamen & religiosis viris opere rotundo & decenter & magnificè in eodem loco mira & subtili artificio, iterùm est reparatum. In hoc loco supra rupem, quæ adhuc in eodem templo consistit, dicitur stetisse & apparuisse Dauid exterminator Angelus, qui propter peccatum dinumerationis Israëlitici populi, quæ Dauid præcipiente facta est, multa millia de populo interemit. Vnde Saraceni templum Dominicum vsque hodie rupem appellant: quod in tanta veneratione habent, vt nullus eorum ipsum audeat aliquibus sordibus, sicut in aliis locis sanctis faciunt, maculare, sed à remotis & longinquis regionibus à temporibus Salomonis vsq; ad tempora præsentia veniunt adorare*, &c. Hæc Vitriacus: similia habet Sanutus Secret. fidel. Cruc. lib. 3. par. 14. cap. 9.

In hist. Ierosol. cap. 62.

Post prædicta & narrationem eorum quę acciderunt in Salomonico templo memorant sacræ Litteræ, addit Vitriacus: *Est præterea Ierosolymis templum aliud immensæ quantitatis & amplitudinis, à quo Fratres militiæ Templi, Templarij nominantur, quod Templum Salomonis nuncupatur, forsitan ad distinctionem alterius, quod specialiter Templum Domini appellatur.* Et Sanutus citatus inquit: *Iuxta Templum Domini aiunt esse Templum Salomonis, in quo sunt duo templa: illuc nullus Christianorum intrare permittitur, ne iuxta imprecationem Salomonis exaudiatur in oratione sua.* Arbitror duo dicta templa esse, alterum quod in præsentia *Salomonis*, alterum quod *Præsentationis B. Mariæ Virginis* appellatur, ampla & insignia, & contigua, in eodemque situ, vbi quondam fuit constructum Salomonicum Templum, ædificata. Et illud quod antiquitus *Templum Domini*, in præsentia *Templum Salomonis* vocitatur, & alterum Salomonis, *Præsentationis B. Virginis Mariæ.*

Consecratio templi Domini.

Fuit posteà hoc templum consecratum an. salutis nostræ 1136. Feria 3. post Pascha ab Apostolicæ Sedis Legato Alberico Episcopo Ostiensi, natione Franco, misso à Summo Pontifice Innocentio II. vnà cum Ierosolymitano Patriarcha & alijs Episcopis, regnante Fulcone Ierosolymorum Rege. *Legatus Albericus ex Antiochia Ierosolymam reuersus est*, inquit Tyrius, *vbi vsque ad solemnitatem Paschalem moram faciens, habito priùs consilio cum Prælatis Ecclesiarum, tertia post sanctum Pascha die, vnà cum Domino Patriarcha & Episcoporum nonnullis templum Domini solemniter dedicauit. Adfuerunt ibi dedicationis die multi tam de partibus vltramontanis, quàm de cismarinis regionibus magni & nobiles viri. Inter quos adfuit & D. Ioscelinus iunior, Comes Edissanus, qui tunc in solemnibus sancti Paschæ diebus magnificè nimis in ciuitate moram faciebat.* Verùm illis annis octoginta octo, quibus fuit à fidelibus sacrum templum custoditum, transactis, ob pernicioſam Christianorum Principum discordiam, à Saracenis id vnà cum ciuitate rursum occupatum est, & vsque in hodiernum diem possidetur, & non ampliùs Ecclesiastico, sed impuro cultu ab impuris Turcis frequentatur, plurimumque ab illis æstimatur, & Christianis ingressus ad illud est penitus interdictus sub pœna mortis, vel abnegandi fidem Christi: quare mesquita Turcarum, & non templum Domini mererentur appellari. In veneratione nihilominùs est habendum, quoniam Christi prædicatione & miraculis olim fuit illustratum, & B. Mariæ Virginis, sanctorum Apostolorum, nec non aliorum Sanctorum ac Sanctarum habitatione, visitatione, & piis actibus sanctificatum.

De Bello sacro l. 1. c. 18. Baron. Tom. 11. anno Christi 1136. num. 36.

PERE-

Digitized by Google

PEREGRINATIO IV. *in qua recenſentur & deſcribuntur decem peculiaria loca ſacri montis Sion & ciuitatis ſuperioris, quæ modò eſt extra ſanctæ ciuitatis pomœria.* I. *Locus eſt ipſe ſacer mons Sion in ſe conſideratus.* II. *Eccleſia ſanctorum Apoſtolorum, ſiue ſanctum Chriſti cœnaculum.* III. *Sepulchrum Dauidis.* IV. *Vbi cecidit ſors ſuper Matthiam.* V. *Locus diuiſionis Apoſtolorum.* VI. *Sepulchrum S. Stephani protomartyris.* VII. *Domus in qua B. Virgo Maria poſt mortem filij ſui vixit & obiit.* VIII. *Sacellum in quo S. Ioannes Euangeliſta Miſſam coram ſanctiſſima Deipara celebrabat.* IX. *Vbi Iudæi voluerunt perdere corpus Matris Filij Dei, dum ad ſepeliendum deportaretur.* X. *Vbi Petrus è domo Caiphæ egreſſus fleuit amarè.*

CAPVT PRIMVM.

De ſacro monte Sion, primo loco quartæ Peregrinationis, & huius nominis multiplici ſignificatione.

INter alia loca quæ in ſancta ciuitate Ieruſalem, circa & extra ipſam viſuntur, digniſſimus, illuſtriſſimus, Deoque & hominibus plurimùm dilectus eſt ſacratiſſimus mons Sion, de quo præſenti loco verba faciemus, eum conſiderantes & commendantes priùs quoad ſeipſum; deinde quoad ſuas appendices, & particularia loca, & memorabilia in iiſdem patrata. In ſeipſo igitur conſideratum duplici ex capite commendamus, ex iis ſcilicet quæ naturæ beneficio, & ex iis quæ ſingulari & ſupernaturali gratia ſortitus eſt. Vt verò diſtinctè procedamus, cùm nomen *Sion* ſit ex iis quæ polyſema dicuntur, aliqua priùs de eius ſignificationibus dicamus, vt, eis perſpectis, in quibus præcipuè ſit hoc loco accipiendum manifeſtum euadat, & vt quæ de eo dicturi ſumus meliùs intelligantur.

Sion nomis multiplex ſignificatio.

Nomẽ Sion, quod à D. Hieronymo explicatur *ſpecula*, quaſi locum eminẽtem ſignificet, ex quo alia longè lateq; circumſpici & videri poſſint, quintuplicem habet ſignificationem. Primò ſignificat montem Hermon, qui eſt in extremis finibus regionis transIordaninæ ad Aquilonem, de quo dicitur: *Vſque ad montem Sion, qui eſt Hermon*, Deuter. 4, 48. Scio, in Bibliis vulgatis ante correctionem Sixti V. haberi, *Sion, qui eſt & Hermon*; & in Regiis, LXX. Interpretibus, Chaldaica Paraphraſi legi *Seon*, vt diſtinguatur à *Sion* monte Iudææ: cùm tamen non modò Hebraica veritas, ſed & editio Vulgata correcta legat *Sion*, eiuſmodi lectio retinenda eſt. nil enim prohibet, nec inſolens eſt in ſacris Litteris, diuerſa inter ſe, vno cõmuni nomine appellari, propter aliquam communem inter ipſa proprietatem,

Nomen Sion ſignificat primò montem Hermon.

ſicut in propoſito euenire arbitror. Cùm enim tam ex Sion Iudææ, quàm ex alio, id eſt, Hermon extra Iudæam, propter eorum altitudinem loca circumiacentia cerni poſſint, meritò vtrique *Sion* nomen, id eſt *ſpecula*, aptatur. Et tantò meliùs intelligemus, *Sion* nomen conuenire monti Hermon, ſi conſideremus, ipſum eſſe monte Sion & aliis Iudææ montibus altiorem, vt ſacri Doctores cum experientia docent. Quod nec ſilentio præteriit Pſalmographus, ſed conceptis verbis expreſſit, dum ſic ait: *Sicut ros Hermon, qui deſcendit in montem Sion*, Pſalm. 132, 3. Sion inquam Iudææ, vt Interpretes vnanimi conſenſu interpretantur. Igitur ſi ros dicitur deſcendere ex Hermon in Sion, euidens eſt, Hermon eſſe Sion eminentiorem.

Sed num Scriptura ſacra, vel alij Scriptores, quando hos montes nominant, aliquo diſcrimine oſtendunt, vtrum horum montium intelligant? Sanè, & quidem multipliciter. Primò, quia, vt notant linguæ ſanctæ periti & ſacræ Scripturæ Interpretes, *Sion*, vt ſignificat Hermõ, Hebraicè ſcribitur per *ſin*; quando verò ſignificat alterum Iudææ montem, ſcribitur per *ſade*. Secundò, quia Scriptura, cùm de Sion Galilææ loquitur, ſtatim ſe explicat, vt in citato Deuteronomij loco apparet, *Sion, qui eſt Hermon*; at cùm de Sion Iudææ facit mentionem, abſolutè *Sion* appellat, tamquam ei antonomaſticè illud nomen conueniat; vel etiam ſe explicat, & aliqua circumlocutione indicat de quo Sion loquatur. Poſtremò denique ex antecedentibus & conſequentibus colligitur, de quo Sion ſermo fiat tum in Scriptura ſacra, tum apud alios Scriptores. Exempla ſunt in promptu, & adducam ſtatim, dum de Sion Iudææ monte egero.

Secundò Sion mons ſignificat aliquando vniuerſa montana Iudææ, vel etiam totam Terram promiſſionis, & in hunc ſenſum

Sion ſignificat vniuerſa montana Iudææ.

intelligunt nonnulli versiculum illum tertium Psalmi 132 *Sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion*, id est, sicut ros qui descendit in montem Hermon & in montem Sion, non quidem illum peculiarem qui est in Ierusalem, nec etiam totam Ierusalem in eo fundatam, sed vniuersam promissionis terram. Cui sententiæ fauet lectio Felicis ex Hebræo, qui plurali numero legit *Montes Sion*; & D. Hieronymi, quæ habet, *Super montana Sion*. Sed huiusmodi nominis Sion vsurpatio infrequens est, vt & præcedens pro Hermon.

Tertiò totã ciuitatem Ierusalem.

Tertiò frequentissimè, & vbi non est aliqua disiunctio qua seiungatur Ierusalem à Sion, mons Sion totã ciuitatem Ierusalem significat, superiorem scilicet & inferiorem.

Montis Sion forma.

Pro cuius intelligentia notandum, montem Sion (vt docet Genebrardus in Psalmũ 132.) esse vnum & simul triangum: est vnus radice, verùm tria iuga, siue tres vertices, aut tria acumina habet. Illud indicatur loco proximè ex Dauide adducto, vbi secundùm vulgatam habetur, *Sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion*; hoc verò ex eodem loco, dum nimirum transtulit Hebræus in numero multitudinis, *in montes Sion*. Ex quo habemus, quòd ratione fundamenti & situs vbi constructa est sancta ciuitas, etiam ipsa *Sion* appelletur, vt videre est tum alibi frequentissimè, tum præcipuè in his locis: *Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob*, Ps. 86, 2. & *In conuertẽdo Dominus captiuitatem Sion*, Psal. 125, 1.

Quartò super-ueniente ciuitatem.

Quartò, quando aliqua explicatio apponitur, vel distinctio contra Ierusalem subindicatur, tunc *Sion* significat eam partem Ierusalem, quæ dicitur pars siue ciuitas superior, vbi erat arx munitissima, & domus Regum Iuda, sicut nomine *Ierusalem* residuum ciuitatis intelligitur, vt in illo Michææ 3, 10. *Qui ædificatis Sion in sanguinibus, & Ierusalem in iniquitate.* & post pauca: *Propter hoc, causa vestri Sion quasi ager arabitur, & Ierusalem quasi acerus lapidum erit, & mons templi in excelsa siluarum*, v. 12. item in illo Zach. 1, 14 *Zelatus sum Ierusalem & Sion zelo magno.* In his locis *Ierusalẽ* pro ciuitate inferiori, *Sion* pro superiori accipiunt sacri Interpretes. Et de hac parte accipitur, quod dicitur, *Cepit autem Dauid arcem Sion, hæc est ciuitas Dauid*, 2. Reg. 5, 7. Lege Iosephum lib. 6. Belli cap. 6.

Habet etiam plures mysticas significationes, quas libens, ne longior sim, omitto, hanc tantùm adijciens, quam non tam spiritualem & allegoricam, quàm litteralem affero, vt *Sion* Catholicam in terris militantem Ecclesiam significet; quæ est quinta & postrema significatio *Sion*, hîc nullatenus omittenda. Meritò sanè *Sion* Catholicam Ecclesiam significat, quoniam in eo monte constructum erat templum Domini, quod eiusdem Ecclesiæ figura fuit manifesta. Vnde quæ de Sion frequenter dicuntur in Prophetis, cõmodiùs de Sancta Ecclesia, quàm de qualibet alia Sion; imò quædam nostræ tantummodò Ecclesiæ aptari possunt. Cùm enim verbum Domini maneat in æternum, de Sion verò perpetuò duratura multa in eo prædicta sciamus, quæ ad materialem Sion referri commodè nullatenus possunt (manifestum enim est, Iudæos reiecisse & crucifixisse suum Regem & Messiam, ipsosque iam dispersos & dissipatos esse, absque lege item aut vero legis intellectu, sine Sacerdotio & sacrificijs; & hanc desolationem perpetuò duraturam esse, vt dicitur apud Danielem, *Et erit in templo abominatio desolationis, & vsque ad consummationem & finem perseuerabit desolatio*, Dan. 9, 27. vice verò versa in Scriptura legimus, Deum diligere Sion & Ierusalem, & ibi perpetuò esse regnaturum. *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum eius*, Psalmo 2, 6. & *Elegit Dominus Sion: elegit eam in habitationem sibi*, Psal. 131, 13. & *Et reppulit tabernaculum Ioseph, & tribum Ephraim non elegit*, in cuius sorte templum Domini ædificatum fuit, *sed elegit tribum Iuda, montem Sion quem dilexit*, Psal. 77, 67. & de Messia dicitur: *Regnabit super eos in monte Sion, ex hoc nunc & vsque in æternum*, Mich. 4, 7. item: *Respice Sion ciuitatem solemnitatis nostræ: oculi tui videbunt Ierusalem, habitationem opulentam*, Isa. 33, 20.) commodè verò & absque contortione Ecclesiæ Catholicæ, quæ semper durabit, & contra quam portæ inferi non præualebunt; iure meritò cum sacris Doctoribus illa Scripturæ testimonia, & similia, quæ adduci possent, de nostra Catholica Ecclesia intelligimus.

Quinto significat Sion Catholicam Ecclesiam.

Quamobrem S. Augustinus in Expositione Psalmi 108. vers. 2. in ea verba Psalmi 86. *Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob*, Sionis nomine sanctam intelligit Ecclesiam, per tabernacula verò Moysis Synagogam, cui illam in dilectione prætulit. Tribuit portas Sioni, propter firmitatem Ecclesiæ; tabernacula Iacob, propter Synagogæ mutationem. Quin & Genebrardus verba illa eiusdem Psalmi 86. *Quoniam Deus saluum faciet Sion, & ædificabuntur ciuitates Iuda*, intelligit de sancta Ecclesia Catholica, & eius templis ex Synagogæ desolatione constructis, aduertens, Sion & Iudæ ciuitates perpetuæ desolationi damnatas esse.

Ex

d by Google

Ex omnibus hiſce ſignificationibus pro noſtro inſtituto ſeligimus quartam, quatenus nimirum ſignificat ciuitatem Dauid, ſiue montem in quo ciuitas Dauid, aliàs ciuitas ſuperior, ædificata eſt.

CAPVT II.

Mons Sion commendatur ſpecialiter à naturali ſua conditione.

MOntem Sion primò commendabilem prædicamus ex naturali ſua conditione. Sacer iſte mons eſt inter alios montes ſanctæ ciuitatis præcipuus, tum quia dignior eſt totius vrbis pars, tum quia eminentiorem ſitum habet. Politus erat in Auſtrali ciuitatis plaga, & altitudine reliquos eiuſdem ciuitatis montes ſuperat, præſertim qua parte ad Occidẽtem & Meridiem ſpectabat, vt ad Septemtrionem & Occidentem perpetuus ferè eſſet deſcenſus; atque ideò ea ciuitatis pars quæ in eo ædificata erat, ciuitas ſuperior nuncupatur. Vnde ex ipſo ciuitas, & quæ in Auſtrali eius parte ſunt, velut ex ſpecula conſpiciebantur: & vſque nunc etiam melior eſt proſpectus è monte Sion, & iucundior quàm ex quacumque alia ciuitatis parte; quare meritò Sion, quod *ſpeculam* ſignificare anteà diximus, appellatus eſt. Planitiem habebat oppidi inſtar, amœnitate & aëris ſalubritate cæli delicias repræſentabat. Ad hæc amœnior & fortior reddebatur ex profunda valle Gehennon, quæ ad radices eius eſt, & olim vitibus, oliuetis, ficubus, aliiſque arboribus abundabat. Hinc factum eſt, vt Chananæi, qui Terram hanc incolebant, vt habetur Geneſis cap. 10. & nos Lib. 1. oſtendimus, expenſa naturali huius terræ montiſq; bonitate ac munitione, primò in eius Occidentali parte inſigniſſimam ac propemodum inexpugnabilem arcem conſtruxerint, ambitumque eius firmis altiſque muris, portis ac turribus munierint, adeò vt Iſraëlitæ, quamuis multas Chananæorũ vrbes munitiſſimas, & oppida fortiſſima, ſub Ioſue & Iudicibus bello cœperint, numquam tamen montem Sion arcemque eius occupare potuerint, ſed mixtim cum Iebuſæis habitauerint, donec tandem Rex Dauid eam diuino auxilio ceperit, vt pluribus docet ſacra Scriptura, & nos ſuprà Peregrinatione 1. Cap. XIV. huius Libri narrauimus, qui etiã eam partem *ciuitatem ſuam* vocauit, quòd prima eſſet omnium ciuitatum quas bello ſibi ſubiecerat, ideoque præ ceteris ditionis ſuæ ciuitatibus eam dilexit (quẽadmodum & Rex Aſſuerus maiori proſequebatur dilectione vrbem Suſan, quàm reliquas imperio ſuo ſubiectas, quòd ea fuiſſet initium Regni ſui) eamque propugnaculis & omni armatura fortium muniuit & exornauit, montiſque planitiem in vicos & plateas, ac alia loca, in quibus Regum aliorumque Nobilium fuerunt ædificata palatia, diſtinxit, vt ſic facta fuerit Regia ciuitas, quam Reges & præcipui Heroës incolebant.

Deſcriptio montis Sion.

Poſt multa tempora, Deo ob diſcordias aliaque Iudæorum ſcelera permittente, Antiochus Epiphanes, infenſiſſimus hoſtis Iudæorum, cum ſæuiſſimo exercitu Iudæam inuaſit, captaque Ieroſolyma, multis Iudæorum millibus interfectis, alijs in vincula coniectis, alijs verò ſub haſta venditis, introiuit, ductore Menelao, patriæ ſuæ proditore, in locum ſanctum cum ſuperbia, ibique profanatis omnibus, rapuit omne aurum & argentum, & vaſa quælibet pretioſa, & theſauros reconditos; ſublatiſque omnibus reuerſus eſt Antiochiam, relictis in Iudæa miniſtris ſeipſo haud mitioribus, vt gentem illam affligerent, nimirum Ieroſolymis Philippo Phryge, & in Garizim Andronico & Menelao. Sed nec hiſce acquieuit Antiochus, verùm vt Iudæorum religionem funditus euerteret, atque illorum vires ita imminueret, ne deinde iuſſis ſuis vllatenus reſiſtere valerent, miſit Principem tributorum ſuorum, nomine Apollonium, Iudæis valdè infenſum, cũ valido viginti duorum millium virorum exercitu, præcipiens ei, vt ante omnia viros perfectæ ætatis interficeret, imbellem verò iuuentutem ac mulieres diuenderet. Qui cùm veniſſet Ieroſolymam, & callidè pacem aliquantiſper ſimulaſſet, repentè impetum fecit in ciuitatem die Sabbati, cùm Iudæi feriarentur, magnamque ei cladem & vaſtationem intulit, occiſis quamplurimis, ædibus & domibus igne conſumptis, & muro etiam vrbis deiecto. Quibus crudeliter admodum perpetratis, ipſe tandem in Sion ciuitatem Dauid, tamquã in tutiorem locũ, ſeſe cum ſuis recepit, illuc ſpolia ciuitatis, feminas captiuas, ac pecora intulit, & extructo in circuitu eius muro ac turribus valdè firmis, conſtituit eam in arcem, in qua, illatis annona atque inſtrumentis bellicis, collocauit præſidium validum iniquorum hominum, qui furioſorum inſtar per circuitum ſanctificationis ſeu templi diſcurrentes, variis modis ipſum profanabant ac contaminabant, & quoſcumque ad illud piè accedentes offendebant, impiè trucidabant. Cùm ergo qui reliqui erant Iudæi, paulatim de Ieruſalem aufugiſſent, breui eadem vrbs facta eſt habitatio exterorum, & ſanctificatio eius deſerta, & ſublimitas eius verſa eſt in luctum,

Antiochus contra Ieruſalem ſæuitiam exercet.

Sion facta hoſtium munitio.

& sabbata in opprobrium. Hæc sparsim ex libris Machabæorum.

Villalpand. Tom. 3. in Appar. vrbis & templi cap. 1.

Notandum, aliquos existimasse, non in Sion, sed in Acra arcem sibi constituisse Antiochi milites; quos ad hoc mouit auctoritas Iosephi, qui lib. 12. c. 7. Antiq. loquens de Antiocho hoc, sequentibus id verbis videtur indicare. *Et demolitus mœnia, in inferiori vrbe arcem condidit: erat enim editiore loco sita, ipsi templo imminens. Quapropter benè priùs firmata mœnibus & turribus, Macedonicum præsidium imposuit.*

Ceterùm opposita sententia textui sacræ Scripturæ & rationi congruentior videtur, quòd Macedones arcem Dauid in Sió munierint, Scriptura sic ait: *Et ædificauerunt ciuitatem Dauid muro magno & firmo, & turribus firmis, & facta est illis in arcem*, 1. Machab. 1, 35. Nam dato quòd potuerit fortè sacra Scriptura pro ciuitate Dauid indicare etiam aliam Ierosolymæ partem minùs celsam, quòd tota illa vrbs olim fuerit Metropolis ipsius Dauid; nulla tamen hîc videtur necessitas sic accipiendi nomen ciuitatis Dauid, cùm præsertim rationi conformius sit, Macedones faciliùs atque opportuniùs potuisse ac voluisse sibi reficere munitionem olim à Dauide in Sion constructam, & reliqua vrbis parte altiorem ac tutiorem, quàm de nouo in inferiori vrbe arcem à fundamentis erigere, quæ templo immineret. Non enim adductæ à nobis Scripturæ obstant alij duo eiusdem libri loci, qui ab aduersæ sententiæ sectatoribus pro se adducuntur: quorum alter est 1. Machab. 24, 37. vbi legimus: *Et congregatus est omnis exercitus* (id est Iudæorum) *& ascenderunt in mõtem Sion.* alter verò vers. 60. vbi dicitur: *Et ædificauerunt in tempore illo montem Sion, & per circuitum muros altos & turres firmas*, &c. è quibus colligunt, illam arcem Macedonum, in qua certum est eos mansisse vsque ad tempora Simonis Machabæi, non fuisse in monte Sion. Non, inquam, hæc obstant; quia clarum est, in hisce duobus locis Scripturam sacram vsurpasse montem Sion pro monte Moria ei proximo, in quo erat templum; id namque apertissimè indicant verba, quæ ibidem subsequuntur. nam post illa verba, *Et ascenderunt in montem Sion*, protinus subiungitur, *& viderunt sanctificationem desertam, & altare profanatum, & portas exustas, & in atrijs virgulta nata sicut in saltu, vel in montibus, & pastophoria diruta*, &c. Manifestum autem est, hæc non extitisse neque inueniri potuisse in monte Sion, sed in monte Moria, vbi erat templum, vt dictum est. Similiter vbi dicitur, *Et ædificauerunt monte in Sion*, &c. statim subditur, *Ne quando veniant Gentes, & conculcarent eum, sicut antè fecerunt.* quibus verbis perspicuè indicatur, Scripturâ sacram ibidem loqui de monte, in quo erat templum, quod paulò antè à Gentibus fuerat conculcatum & profanatum.

Neque verò curandum est de Iosepho, quoticscumque videmus ipsum à sacra historia recedere: nisi forte loco citato ipse Iosephus dicere voluerit, Antiochum diruisse mœnia in inferiore vrbe, arcé verò in superiore condidisse: id enim, interpunctione dumtaxat mutata, videtur eo loco tradere potuisse: nam & hunc sensum videntur confirmare vel saltem insinuare verba illa, quæ ibidem ipse subiunxit, dicens: *Erat enim* (nempe arx) *editiore loco sita, ipsi templo imminens.* hæc namque monti Sion potiùs quàm Acræ conuenire videntur. Quare probabilius, & sacræ Scripturæ 1. Machab. 1, 35. conformius videtur, Macedones arcem extruxisse vel refecisse in monte Sion, ibique se muniuisse, quàm in Acra. Et profectò si se munire voluerunt, tutiorem vtique ciuitatis locum deligere debuerunt, & qui alijs imperaret; qualis erat mons Sion & ciuitas Dauid, non similiter Acra, vt præter ceteros opinatur Villalpandus Tom. 3. in Appar. vrbis & Templi c. 7. contra quem scitè mihi videtur argumentari P. Augustinus Torniellus Tom. 2. Annal. anno mundi 3887. num. 1. vt iam ex ipso vidimus.

Macedonibus à Sion per Machabæos expulsis, amplius munitur.

Postmodum verò diuino auxilio ex Ierusalem & Sion expulsis Macedonibus per Machabæos, idem mons ab iisdem per circuitum reædificatus, & solidis muris ac turribus altissimis munitissimus factus fuit, vt dicitur 1. Machab. 4, 60. ita vt nulla vi nisi solafame ad deditionem cogi potuerit: quare & arcis nomine, quod fortitudinem significat, insigniri meritò potuit.

Elapsis denique à morte Saluatoris annis quadraginta, à militibus Romanis sub Imperatore Tito, capta ciuitate & incenso templo Sion, quæ ceteris ciuitatis partibus munitior erat, integra supererat. In eam ergo seditiosi ingressi (vt testatur Iosephus lib. 7. de Bello Iudaico cap. 14. 15. & 16.) octies mille & quadringentos Iudæos ibi inuentos occiderunt, ipsamque Regiam deprædati sunt, & posteà etiam reliquos Iudæos, qui hinc inde inuenti sunt in cuniculis latitasse, crudeliter necauerunt. Titus igitur, vt hos & arcem expugnaret, vigesimo die mensis Augusti machinas bellicas admouet, septima die Septembris oppugnat, & diuino adiutorio potiùs quàm humanis viribus (quod ipse Titus testatus est) ea potitus est: sicque octaua die mensis eiusdem, vrbem integram cum munitionibus cepit.

cepit. Cetera proſequitur fuſiùs citatus Ioſephus. Lege Adrichomium in deſcriptione Ieruſalem num. 2. Huc etiam refer quæ diximus ſuprà de Sion, dum ageremus de Ieruſalem, quomodo fuerit priùs per Ælium Adrianum, & poſteriùs per Selimum Turcarum Imperatorem reædificatus.

Creditur totus mons Sion ſe extendere vſque ad templum Præſentationis B. Mariæ Virginis ex vna parte, & ex altera vſque ad caſtrum Piſanum intra vrbem; quare multò latior erat olim quàm nunc ſit. nam in præſentia montis Sion nomine intelligitur ſuburbium vrbis meridionale, vbi ſunt Oliuetum, ſepulchra Chriſtianorum, & aliæ ſactæ ædes, de quibus poſteà ſermonem faciemus.

Ex dictis conſtat, & ex dicendis magis etiam apparebit, ſacratiſſimum iſtum montem omni ex parte commendabilem eſſe, ex natura, ex arte, & ex ibidem patratis, ac proinde meritò cùm in ſacris Litteris, tum in Ioſepho pluribus iiſque digniſſimis nominibus illuſtratum inueniri; illic quippe, in Scripturis nimirum, appellatur *mons Sion*, deinde *ciuitas & arx Dauid*, *mons excelſus, nimis ſanctus*, *coagulatus & pinguis*; apud Ioſephum *ciuitas ſuperior*, & *pars ſacra*.

Montis Sion nomina.

Non omnes omnium horum nominum rationes hîc ſubiicimus, tum ne plus æquo longiores ſimus, tum quia plures ſunt paſſim obuiæ, & ex dictis & dicendis ſat apparent, ſolùm vnius & alterius nominis ratione hîc deſcribemus, quibus mirificè ſacri huius montis excellentia ſublimatur, quarum altera apud Ezechielem, altera apud Dauidem reperitur. Ezechiel appellauit montem Sionem *excelſum nimis*. Cùm enim eſſet in Babylone, in viſione adduxit illũ Dominus in terram Iſraël. *Et dimiſit me*, inquit ſacer Vates, *ſuper montem excelſum nimis, ſuper quem erat quaſi ædificium ciuitatis vergentis ad Auſtrum*, &c. Ezech. 40, 2. vbi montis excelſi nomine, vt docent ſacri Interpretes, intelligitur mons Sion, excelſus nimis, non quidem ob illius naturalem ſublimitatem, ſiquidem Oliueti, aliique Iſraël & Iudææ montes ſunt monte Sion excelſiores, ſed ob illius dignitatem, ſublimemque myſteriorum ibi patratorum celſitudinem, vel etiam reſpectu aliorum montium qui erant in Ieruſalem.

Mons Sion qui excelſus nimis.

Dauid eumdem montem appellat *montem Dei*. *Mons Dei*, inquit, *mons pinguis, mons coagulatus, in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo*, Pſalm. 67, 16. frequentiſſimum eſt in diuinis Litteris, quæ excelſa & inſignia ſunt, ſiue in bono ſiue in malo, Dei appellari. In bono, vt, *Flumen Dei repletum eſt aquis*, Pſal. 64, 10. *Montes Dei*, Pſal. 35, 7. & *Cedros Dei*, Pſal. 79, 11. hoc eſt, proceras, frondoſas, amœnas, &c. & Ionæ 3, 2. vbi Vulgata legit, *Niniuen ciuitatem magnam*, Hebraica veritas habet, *ciuitatem Dei magnam*, hoc eſt, diuitiis, amplitudine ſoli, magnificentia ædificiorum præſtantiſſimâ, ac rebus denique omnibus, quæ ciuitatem illuſtrem ac magnam reddere poſſunt, circumfluentem. In malo etiam, vt 1. Reg. 18, 9. *Inuaſit ſpiritus Dei malus Saul*, hoc eſt, peſſimus, quique affligendo Sauli maximè eſſet idoneus.

Rationem huius conſuetudinis Linguæ ſanctæ periti eam eſſe dicunt, quòd Hebræi cùm ſuperlatiuis careant, eorum loco ſubiungant vocem *Dei*, qua intelligi volunt excellens quodlibet, quale Deum decet. Igitur cùm Sion *mons Dei* appellatur, excellentiſſimum & illuſtriſſimum prædicare voluit. Et quamuis Sina, Horeb aliique montes ſimili nomine decorentur, quidquid tamen in illis excellentiæ & diuinitatis reperitur, totum cumulatiſſimè Sioni defertur, & omnia eminentiora in eo cognoſcimus. Si enim in aliquo illorum legem dedit Dominus, vel ſanctuarium inſtitui paſſus eſt, vel aliqua ratione alicui apparuit, vel mirandũ aliquod opus patrauit; de Sion monte, quod maius eſt, lex Euangelica exiuit, in eo Chriſtus pluries viſus eſt, & in Sacramento altaris, quod ibi inſtituit, ſeipſum tradidit nobis, & ſuper Apoſtolos Spiritum ſanctum miſit, qui ſedit ſuper eos, affluens naturalibus, ſupereffluens ſpiritualibus bonis: vt meritò ſubiungat Propheta, Deo beneplacitum eſſe in eo habitare, eumque pinguem & coagulatum eſſe. Lege Adrichomium & Villalpandum.

CAPVT III.

Quomodo Rex Dauid duxerit Arcam Domini in ſanctum montem Sion, & de loco vbi Rex Manaſſe ſepultus ſuit.

VNum & alterum, alioqui prætermittendum, cùm de ſingularibus locis ſacri montis Sion agemus inferiùs, præſenti Capite adnotare placet, ad magis explicandam diuini huius montis dignitatem & excellentiam. Alterum eſt, quod legitur 2. Reg. 6. Cùm piiſſimus Rex Dauid, poſt captam arcem Sion, ibi ſe cum ſuis optimè muniuiſſet, cogitauit de adducenda Arca Domini è domo Abinadab in Sion. Quod vt pro dignitate exequeretur, conuocauit omnes electos ex Iſraël ad triginta vſque millia, & Arcam Dei plauſtro nouo impoſitam, è domo Abinadab in ciuitatem Ieroſoly-

ſolymam perduxit. At cùm in via, bobus laſciuiùs incedentibus, timeretur ne Arca laberetur, aut è plauſtro excuteretur, Sacerdos Oza ſuſtentandi causâ manũ ei admouet, qui eueſtigiò ibi à Deo occidebatur. Veritus ergo Dauid introducere Arcam ad ſe, depoſuit eam in domo Obededom, vbi tribus hæſit menſibus, Domino interim propter Arcam plurimùm ei benedicente. *Dauid Arcam Dei in ciuitatem Sion introducit.* Quod cùm intellexiſſet Dauid, iterùm conuocat vniuerſum Iſraël, & Arcam per Sacerdotes in humeris portari, ac ingenti lætitia perferri fecit Ieroſolymam ad domum ſuam in montem Sion, comitante omni populo Iſraël, Sacerdotibus verò & Leuitis cantantibus, ac variis inſtrumentis muſicis ac tubis reſonantibus. Porrò Dauid ipſe, depoſito habitu Regio, & accinctus ephod lineo, totis viribus ante Arcam cithara ludebat & ſaltabat: deinde Arcam Domini in tabernaculo, quod ei parauerat, collocabat, & ſacrificia offerebat. *Sepulchrũ Manaſſe in Sion.* Alterum eſt, quòd in monte hoc oſtendatur locus, paruo lapidum aceruo notatus, vbi Manaſſe Rex Iuda humatus fuiſſe dicitur. Quod ſi verum eſt, coniicio, non ſolum Manaſſem, ſed etiam alios Reges Iuda ibi fuiſſe tumulatos, locumque illum fuiſſe hortum Regium, Oza dictum, vt habetur 4. Reg. 21, 18. & 2. Eſdr. 3. de quo ſic Adrichomius in deſcriptione Ieruſalem, in locis montis Sion: *Hortus Regis, qui & hortus Oza dicebatur, in quo Manaſſes & Amon Reges Iuda ſepulti ſunt.*

Hoc placuit aduertere, tum propter illos qui arbitrantur, ſepulchrum Manaſſe illud eſſe, quod Ioſaphat appellatur, in rupe Vallis Ioſaphat exciſum, de quo inferiùs ſuo loco agemus; tum propter eos qui Regem hunc omnino contemnunt & condemnant, quòd fuerit impiiſſimus, quòd Iſaiam & alios ſanctos occiderit, multumque idolorum cultui incrementum addiderit. Ceterùm aduertere debuerant iſti, Dominum dixiſſe, *Impietas impij non nocebit ei, in quacumque die conuerſus fuerit ab impietate ſua*, Ezech. 33, 12. Cùm Rex igitur iſte egerit pœnitentiam, vtique erit in memoria æterna, & habitatio eius in monte Sion, & ab auditione mala non timebit, quia cuſtodit Dominus animas & oſſa Sanctorum ſuorũ, & vnum ex his non conteretur.

Ad maiorem horum euidentiam notandum, quòd cùm indies Rex Manaſſes maiora perpetraret facinora, & nec quidquam Prophetarum monitiones & increpationes curaret; quippe qui non ſolùm eos audire contemneret, ſed inſuper tamquam multa febre phreneticus in illos, tamquam in Medicos ipſum curare volentes, quotidie ampliùs inſaniret ſæuiretque, ad grauiora procedens; omiſſis verbis venit Deus ad verbera, cum ipſo quaſi cum dilecto filio agens, quem recipiens caſtigat, vt erudiatur. Quare permouit Principes Regis Aſſyriorum, qui Manaſſen dolo, vt ait Ioſephus Antiquit. lib. 10. cap. 4. interceptum, mox catenis & compedibus vinctum duxerunt in Babylonem: vbi tam graui infortunio eruditus, in ſe reuerſus, & ad Dominum conuerſus, tantorum ſcelerum ſuorum valdè pœnituit, oranſque meruit à Deo miſericorditer exaudiri; & item à Rege, qui eum tenebat captiuum, liberè dimitti, ac rurſus in Regnum ſuum reſtitui. *Manaſſes pœnitentia.* *Manaſſes libertate donatur, & Regno reſtituitur.* Verè ergo ſanctus Ioannes Chryſoſtomus Hom. 68. in Matthæum: *Quis Manaſſe deterior fuit? ſed facilè conuerſus, propitium ſibi Deum largis reddidit lacrymis.* Vt primùm ergo rediit Ieruſalem, experimentoque proprio didicit, quòd vbi abundauerat delictum, ibi diuina ſuperabundaſſet gratia; in recognitionem tanti beneficij, protinus cœpit auferre deos alienos & ſimulacra de domo Domini, & aras idolorum quas fecerat in monte domus Domini & in Ieruſalem, proiecit cum illis extra vrbem, & altare Domini inſtaurauit. Cumque immolari feciſſet pro ſe ſuper illud victimas & hoſtias pacificas ad laudem Dei, & pro gratiarum actione Domino, poſt exemplum pietatis exhibitum, addidit præcepta ſubditis ſuis, vt & ipſi deinceps ſeruirent Domino Deo Iſraël: etſi prohibere non potuerit, quò minùs immolarent Domino in excelſis. Omnem denique, vt ait Ioſephus ibidem, adhibuit operam Manaſſes, vt abolere poſſet priorum peccatorum memoriam, mutatiſque moribus, totus conuerſus fuit ad ſtudia religionis.

Fuit præterea quoque Reipublicæ terræ admodum vtilis: nam & murum ædificauit in conualle Gion, quæ erat ad Occidentem, incipiens ab exitu ciuitatis Dauid, ſeu ab introitu portæ quæ dicebatur Piſcium, ſeu (vt alij) fontis, per Ieroſolymæ circuitum, vſque ad turrim ſilueſtrem, quæ vocabatur Ophel. Et quoniam murus iſte erat in valle, exaltauit eum valdè, vt meliùs protegere poſſet ciuitatem. Conſtituit inſuper Principes exercitus in cunctis vrbibus Iuda, ne ſubitò eas ab hoſtibus occupari contingeret. *Manaſſes Regno vtilis.* Illud verò illuſtrius fuit, quòd poſtquam Deum verum colere cœpit, ita in bonis operibus iugiter toto reliquo vitæ ſuæ tempore perſeuerauerit, vt propterea deinceps, Ioſepho teſte, prædicatus fuerit beatiſſimus. *In bono perſeuerantia.* Anno tandem regni ſui circiter quinquageſimoquinto, ætatis verò ſexageſimoſeptimo, mortuus eſt, & ſepul-

sepultus est in dicto loco, vt creditur, hortus domus suæ, qui dicebatur *Oza*.

Oratio Manassis.

Extat quædam eius ad Deum habita Oratio, quæ veræ eius conuersionis signa continet: quæ etsi in Biblijs correctis in calce ponatur extra libros Canonicos, nec inter scripta canonica & authentica suscepta fuerit à sacra Tridentina Synodo; certum tamen est, vt & ibidem in titulo refertur, eamdem Orationem à nonnullis sanctis Patribus interdum citari, & in aliquibus Biblijs Latinis, tam manuscriptis quàm impressis, loco proprio notatam reperiri.

De diuina misericordia non desperandum.

Hæc de Manasse dixisse volui, vt intelligamus, nullum de diuina misericordia (etsi innumeris fuerit criminibus irretitus) desperare debere, quoniam misericordia Domini magna est, & copiosa apud eum redemptio, si impius cõuertatur à via sua mala, vt exemplo huius Manasse ipsa luce clarius apparet. Ideò non immeritò ab antiquis sepulchri eius memoria conseruata fuit.

Nicolaus de Lyra in caput 25. Isaiæ tradit, Antichristum in monte Sion, vbi sedem suam collocabit, à Deo interimendum esse. Sed communior magisque recepta sententia est, in monte Oliueti esse interimendum, quemadmodum alibi à nobis indicatum est.

CAPVT IV.

De Ecclesia SS Apostolorum, siue de sancto Christi cœnaculo, secundo loco quartæ Peregrinationis in communi.

EGimus iam, vt proposueramus, de sacro mõte Sion in cõmuni, & in se considerato, reliquũ est vt agamus de eodẽ in particulari, id est, de particularibus eius locis, & de illustrissimis nostræ salutis mysterijs in eisdem peractis, quibus mirum in modũ commendatur & extollitur mons iste dignissimus, & numquam satis laudatus. Et inter illa primò sese offert sanctum Domini nostri Iesu Christi cœnaculum.

Sciendum itaque, quòd in extremitate ferè sacri montis Sion, è regione portæ sanctæ ciuitatis, quæ porta Sion nuncupatur, sit Ecclesia, in eo loco ædificata vbi erat cœnaculum illud magnum stratum, in quo Saluator noster vltimam cœnam cum discipulis suis fecit, eis pedes lauit, & alia in eorumdem gratiam & totius humani generis salutem operatus fuit; quare *sanctum cœnaculum & Ecclesia sanctorum Apostolorum* appellatur, vt videbimus.

Et hæc communi traditione asseruntur, cui suffragantur plures Doctores, & inter alios inferiùs adducendos clare Ioannes Damascenus lib. 4. De fide, c. 14. Et ratio est etiam, quoniam Pascha Ierosolymis celebratum est, nec alibi agnus Paschalis immolari poterat, ait Caietanus in c. 26. Matthæi, & in monte Sion, & consequenter ibidem contigisse oportet illa omnia quæ eo tempore accidisse tradunt Euangelistæ; præsertim quòd alius locus, in quo acciderint, ab isto non agnoscatur, & efficax ratio vel auctoritas, quæ refragetur, non suppetit. De isto sacratissimo loco & sacrosancta Ecclesia duo videbimus, quid olim fuerit, vel quomodo se habuerit, & quid posterioribus & nostris hisce calamitosis temporibus de ea factum sit. Prius præsenti Capite, posterius sequenti explicabimus.

Varia sententia de loco vltimæ cœnæ.

Quantum ad primum, quænam fuerit præmissa domus, variant auctores. Primò quidam senserunt, fuisse domum matris Ioannis, qui Marcus est cognominatus, cuius meminerunt S. Lucas & S. Paulus: quoniam ex istius testimonio habemus, eius domum Ierosolymis fuisse, atque Apostolis patuisse. Et confirmatur ex Alexandro Monacho, qui res gestas S. Barnabæ prosecutus est, quem citat Metaphrastes. Hic inter alia, quæ proposito nostro deseruiunt, de prædicta domo sequentia scripsit: *In illo cœnaculo Dominus Pascha fecit, in illo apparuit Thomæ Apostolo cùm à mortuis surrexisset, illuc postquam in cælum assumptus est discipuli cum reliquis fratribus centum viginti, in quibus erat Barnabas & Marcus, ex monte Oliuarum conuenerunt, illuc Spiritus sanctus in linguis igneis ad discipulos descendit in die Pentecostes. Illic collocata est nunc magna & sanctissima Sion omnium Ecclesiarũ maxima.* qui & porrò eam esse, ad quam Petrus è carcere liberatus exiuit, affirmat.

Probabilis redditur hæc sententia ex eo, quòd iste, apud quem Pascha paratum fuit, credatur fuisse Christi discipulus. Si enim non fuisset, quomodo apud se excepisset in cœnaculo magno strato Christum & discipulos eius? Et quomodo Petrus & Ioannes ei dixissent, *Magister dicit*, si non fuisset illius discipulus? Ioannes verò Marcus, vt plures probabilissimè sentiunt cũ Eusebio l. 3. c. 33. fuit vnus ex septuaginta duobus discipulis, igitur probabile est, alijs additis, credere, fuisse dominum domus illius in qua vltima cœna & alia diuina mysteria celebrata fuere.

Secundò alij dicunt fuisse domum Ioannis Euangelistæ, vt Nicephorus suprà Capite IV. Peregrin. III. relatus.

Tertiò Petrus de Natalibus dicit, fuisse domũ Prisci Christi discipuli. Idem Damantes in Tractatu cui titulus, *Gemma animæ*, à Nicephoro subscriptus, docetq; ibi Helenam pulchram ædificasse Ecclesiam. Illius verba hæc sunt: *Ceterùm in vrbem sanctam reuersa, in Sion amplissimum longè latéq; construxit tem-*

Petrus de Natal. in Catal. Sanctor. l. 8.

templum, in cuius postico domum conclusit, in qua, foribus clausis, propter metum Iudæorum discipuli fuerant congregati, in qua etiam cœna peracta est, sacraq; pedum lotio, nec non Spiritus sancti in cœnaculo aduentus, in qua primus quoque Hierarcha & Episcopus Iacobus renuntiatus est.

Quartò alij asserunt, fuisse domum Simonis leprosi.

Ab Alexandrō Monacho in duobus dissentio, primò in eo quod posteriùs dicit, ad istam domum venisse D. Petrum quando fuit ab Angelo è carcere liberatus; nam eam alibi esse, in altera parte ciuitatis, diximus præcedenti Peregrinatione. Secundò in eo quòd asserit, illam domum, in qua superiùs ab eo commemorata contigerunt, fuisse Mariæ matris Ioannis Marci. Nam præterquam quòd eam diximus esse in loco proximè notato, secundùm veterem traditionem, alia etiam illius sententiæ refragantur. Primò, quòd hæc domus erat patrisfamilias, vt patet ex Luca, sed domus matris Ioannis Marci erat matrisfamilias. Secundò, quia ex modo loquendi Christi videtur patremfamilias domus fuisse virum incognitum, tum quia Christus Petro & Ioanni ait, *Ite in ciuitatem ad quemdam*, tum quia eum tamquam incognitum aliquibus circumstantijs describit. At si fuisset Ioannes ille Marcus cognominatus, Christus non fuisset tamquam de incognito locutus: nam Ioannes ille Marcus fuisset optimè notus Petro & Ioanni, quoniam, vt dictum est, Christi discipulus erat.

Hac etiam ratione falsitatis secunda & tertia sententia redarguuntur, quoniam Ioannes erat vnus ex discipulis missis, & dilectus præ ceteris. Quarta etiam sententia similiter refellitur. Simon enim ille Pharisæus discipulis familiaris esse debuit, quoniam apud ipsum aliquando cum Christo discubuerunt. Præterea cœnaculum huius domus esse non poterat, quoniam domus Simonis erat extra ciuitatem, scilicet Bethaniæ, vt dicitur apud S. Matthęum; sed cœnaculum magnum stratum erat tunc intra ciuitatem, *Ite*, inquit, *in ciuitatem*, &c. Et si aliam domum habebat Simon Ierosolymis, non hîc, sed extra montem Sion habebat, vt probabiliter diximus suprà.

His igitur omissis, quinta sit sententia, sanctum cœnaculum, domum fuisse alicuius Christi discipuli, occulti tamen, etiam ipsis Apostolis; vel, quod certius est ex dictis, fuisse virum discipulis incognitum, diuitem tamen, & non pauperem. Chrysostomus Homil. 82. in Matthæum, *Cur*, inquit, *ad ignotum hominem discipulos ire iussit? Ostendere voluit, potuisse passionis tormenta euitare. Nam qui mentem illius verbis solùm induxit, vt ipsum cum discipulis vellet suscipere; quid fecisset crucifigendus, si pati noluisset? Pariter etiam de asina fecit*, &c. In eadem sententia cum alijs est etiam Victor Antiochenus, Theophylactus & Euthymius. Non pauper & ignobilis erat, etsi nomen eius reticeatur, vt videtur sensisse D. Ambrosius; sed diues, vt indicat cœnaculum magnum stratum, & catinus ille in quo Agnus Paschalis mensæ illatus dicitur: est enim ex smaragdo confectus, & propter margaritæ magnitudinem admirabilis, ostenditurque Genuæ. Quare etsi nominatus non fuerit proprio nomine, quod non fuit necessarium, ex historiæ tamen narratione, verè diuitem fuisse, manifestum euadit. *Dominus cœnaculi diues erat.*

Ad illa verò quæ pro priori sententia adducebātur, respondetur, non inferri necessariò, fuisse tunc temporis dominum domus Christi discipulum, ex eo quòd ei dixerunt Petrus & Ioannes, *Magister dicit*, nec ex eo quòd ei cœnaculum accommodauerit; etenim non illius Magistrum, sed suorum met intelligebant. Et dato quòd fuerit, non exinde sequitur fuisse Ioannem Marcum: vel si tunc nondum discipulus Christi fuit, potuit postea fieri, & Christi Apostolis tunc propriam obtulisse domum, in qua primò hospitati fuere, & quæ deinde in Dei Ecclesiam conuersa fuit. Excepit verò Christum cum Apostolis, sic à Deo motus, qui in eum ostendit potentiam suam, eiusque cor inclinauit, vt aiunt Chrysostomus & alij, vt non tantùm pretio, sed, quod mihi probabilius est, gratis primò Christo, deinde discipulis eius cœnaculum illud traderet.

In sacratissimo illo cœnaculo non solùm quæ diximus, sed & alia peracta fuere. Ibi nimirum Christus Dominus Sacramentum confirmationis instituit, vt docet S. Cyprianus in Sermone De vnctione Chrismatis, & graues Theologi, quibus accedit Papa Fabianus, qui Epist. 2. c. 1. sic ait: *Iesus postquam cœnauit cum discipulis suis, & lauit eorum pedes, Chrisma conficere docuit*: conueniens quippe fuit eo tempore à Christo institui hoc Sacramentum, cuius finis est, in fide roborare, cùm Eucharistia, quæ, vt docet S. Thomas, dicitur mysterium fidei, instituenda & ab Apostolis credenda erat. *Facta in sancto cœnaculo.*

In eodem loco Christus Dominus primò ipsa die Resurrectionis apparuit discipulis suis, Thoma absente, vt tradūt SS. Lucas & Ioannes; & secundò post dies octo à sua resurrectione eisdem discipulis cum Thoma se videndum & palpandum præbuit, vt sanctus Ioannes docet.

In sacro monte Sion D. Iacobum Apostolum, qui Iustus, Alphæi, & frater Domini, &

Digitized by Google

& Iacobus Minor dicebatur, Ieroſolymorum Epiſcopum ordinatum eſſe, Nicephorus & alij aſſeuerant, & inueni in vetuſto manuſcripto de locis Terræ ſanctæ.

Non me latet, alios fuiſſe opinatos, non in monte Sion, ſed prope montem Caluariæ in Eccleſia S. Nicolai vel Andreæ nunc appellata, quæ eſt in latere dextro ſiue Occidentali ingreſſus templi ſanctiſſimi ſepulchri Domini noſtri, fuiſſe ſanctum Apoſtolum ſanctæ ciuitatis Epiſcopum ordinatum; ſed hoc minùs probabile videtur: etenim, vt ex Euſebio in Chronico, & Hiſt. lib. 2. cap. 1. tradit Baron. To. 1. ſub an. Chriſti 34. eodẽ anno quo Chriſtus aſſumptus eſt in cælum, Ieroſolymæ Epiſcopus conſecratus eſt S. Iacobus, quando necdum inde diſceſſerant Apoſtoli, vtpote qui primùm an. Chriſti 44. quando Agrippa, vt rem gratam faceret Iudæis, occidit Iacobum fratrem Ioannis gladio, & Apoſtolos perſecutus eſt, Ieroſolymá reliquerunt, vt videre eſt in Actis. Si igitur D. Iacobus fuit à D. Petro factus Epiſcopus Ieroſolymorum, vt docet Chryſoſtomus Hom. 87. in Ioannem, conſtitutus eſt antequam ex Ieroſolymis in alias regiones abirent, liquidò conſtat, illius conſecrationem in ſancta ciuitate contigiſſe, & potiùs in monte Sion, quàm ad radices Caluariæ, & prope Domini ſepulchrum; quoniam hîc non erat ciuitas ſiue domus in qua ſua munia obire poſſent Chriſti Apoſtoli (tunc enim temporis, vt aliàs dictum fuit, & dicetur inferiùs Lib. v. hæc pars erat extra ciuitatem, & erat reorum ad mortem condemnatorum locus) ſed in monte Sion, vt diximus, vt docet vetus traditio, habebant Apoſtoli domum in qua hoſpitarentur & ſacra faciebant, & eam quæ priùs Chriſto commodata fuit; quare in hac potiùs domo, quàm in alia, fuiſſe ſanctum Apoſtolum ordinatum Epiſcopum, ſentiendum eſt.

S. Iacobus Epiſcopus Ieroſolymorum eligitur.

Cùm itaque redemptionis humanæ myſterio conſummato, in dies fidelium augeſceret congregatio, inter cetera quæ ad magis coaleſcendam naſcentem Chriſti Eccleſiam à ſanctis Apoſtolis ſalubriter inſtituta fuere, Iacobus Ieroſolymorum Epiſcopus conſecratus fuit: quod quomodo contigerit, Euſebius vbi ſuprà ex Clemente lib. 6. Hypotypoſeon explicat, dicens, Petrum, & Iacobum & Ioannem poſt Saluatoris ad cælos aſcenſum, cùm eſſent à Domino ſummum dignitatis gradum adepti, non de gloria & honore contendiſſe inter ſe, ſed vno conſenſu Iacobum Iuſtum Ieroſolymorum Epiſcopum deſignaſſe.

In ſacro item monte Sion S. Stephanus cum ſex aliis in Diaconum electus fuit, & poſt aliquot annos à Chriſti Domini Aſcenſione Apoſtoli, qui in varias orbis partes profecti fuerant, ad diſſeminandum Euangelium conuenerunt, etſi fortè, vt creditur, non omnes, in vnum, vbi primum Concilium celebratum fuit, & plura ſanctè & ſalubriter ſancita, inprimis, conuerſis ad Chriſtum non eſſe neceſſariam circumciſionem, vt perperàm quidam docebant; eam enim lex Chriſti excludit, vt videre eſt in Actis. Celebratum verò fuiſſe illud Concilium in veteri hoſpitio montis Sion, ex quo iuxta Propheticum vaticinium lex exiuit, probabile eſt, veroque ſimile creditur.

Vltimò etiam poſt captam Ieroſolymam ſub Godofredo, & celebratam Dedicationem templi Domini per Apoſtolicæ Sedis Legatum Albericum Epiſcopum Oſtienſem, & alios Præſules, fuit per eumdem celebratum Concilium in hac primitiua & Eccleſiarum matre ſancta Sion, vt tradit Tyrius lib. 15. cap. 18.

Ibi etiam ſepulchrum eſt Dauidis, vbi ſanctum eius corpus honorificè tumulatum fuit, ſed de hoc poſteà Cap. XII. huius Peregrinationis.

In cœnaculo nobile conſtructa Eccleſia.

Hunc locum tot diuinis myſteriis à Domino conſecratum, pro illorum memoria Helena ſancta piiſſimi Imperatoris Magni Conſtantini pia mater, aut Conſtantinus ipſe, pulchra exſtructa Eccleſia, illuſtriorem reddidit, in cuius poſtico cœnaculum circumcluſit, vt ſcribit Nicephorus lib. 8. Hiſt. cap. 30. & nos ſuprà notauimus.

Huius Eccleſiæ meminit S. Hieronymus Epiſt. 27. & in ea fuiſſe collocatam columnam illam, ad quam vinctus & flagellatus fuit Chriſtus Dominus, teſtatur. Quod & Beda de locis ſanctis cum aliis narrat. *Eccleſia ſanctorum Apoſtolorum* appellatur. Hanc illam eſſe arbitror, cuius meminit Tyrius lib. 8. de Bello ſacro c. 11. De ea porrò egerunt Bonifacius lib. 2. De perenni cultu Terræ ſanctæ, Adrichomius in deſcriptione Ieruſalem, num. 6. & plures alij.

Sion Eccleſia mater Eccleſiarũ.

Non ſic verò accipias velim, iſtam Eccleſiam fuiſſe ab Helena ædificatam, quaſi anteà Eccleſia ibi non fuerit, vel domus illa in Eccleſiæ vſum conuerſa non fuerit; nam & Apoſtolorũ temporibus, & poſteà, *Eccleſia* appellabatur, vt indicat D. Iacobus frater Domini in ſua diuina Miſſa, in Oratione & oblatione pro locis ſanctis, & Eccleſia Sion, quam matrem omnium Eccleſiarum appellat. ſic enim habet: *Offerimus tibi Domine & pro ſanctis tuis locis, quos glorificaſti diuina apparitione Chriſti tui, & aduentu ſanctiſſimi tui Spiritus, & præcipuè pro gloriosa Sion matre omnium Eccleſiarum*, &c. hæc ibi, & refertur Tom. 1. Bi-

bliothecæ ſanctorum Patrum. S. Epiphanius etiam lib. de Menſuris, agens de aduentu Adriani ex Ægypto in Palæſtinam poſt Iudæos debellatos, ſequentia ad noſtrum inſtitutum ſcribit: *Reperit Adrianus ciuitatem totam ſolo æquatam, & templum Dei conculcatum, exceptis paucis domibus, & Eccleſia Dei, quæ parua erat, eo loco vbi reuerſi diſcipuli, quando Saluator aſſumptus eſt ab Oliueto, aſcenderunt in cœnaculum, illic enim ædificatum fuerat, hoc eſt in parte Sion, quæ à deuaſtatione relicta erat, & partes domicilierum circa ipſam Sion, & ſeptem Synagogæ, quæ ſola in Sion ſtabant velut tuguria, ex quibus vna relicta fuit vſque ad tempus Maximoni Epiſcopi, & Conſtantini Regis, veluti tentorium, vt ſcriptum eſt*, &c. Quæ mihi benè obſeruanda eſſe videntur: & ſi vera ſunt, multò ante Helenæ ortum fuit ibi Eccleſia. Quare cùm citati Auctores dicunt, eam Eccleſiam fuiſſe ab Helena ædificatam, non ſunt intelligendi, quòd ſimpliciter ædificauerit, ſed vel quòd eam reſtauerauerit ampliauerit ve, vel quòd domũ, quæ officio Eccleſia erat, forma etiam & ſtructura Eccleſiam reddiderit.

Hoc nota pro Eccleſiarum antiquitate.

CAPVT V.

De qualitate Eccleſiæ Sion, & locis in ea ad varia myſteria repræſentanda conſignatis.

Eccleſia Sion à principio parua.

SEd cuiuſnam conditionis erat antiquitus, aut modò eſt noſtra Eccleſia Sion? Reſpondendum cum diſtinctione. Si ſermo ſit de illa quæ erat in primitiua Eccleſia tempore Apoſtolorum, & deinceps vſque ad aduentum Adriani & etiam Helenæ in Palæſtinam, dicimus cum Epiphanio in calce præcedentis Capitis adducto, eam fuiſſe paruam. Talem verò fuiſſe, ratio perſuadet: quoniam tunc magnas egregiaſque ædificare Eccleſias non erat Chriſtianis conceſſum, propter continuas ac varias tribulationes ab infidelibus eis illatas, vt ſuprà notauimus. Si verò loquamur de illa quam poſteà ædificauit vel refecit Helena, reſpondet Alexander Monachus initio præcedentis Capitis relatus, eam fuiſſe omnium Eccleſiarum maximam.

Peregr. 11. c. xxiii.

Verùm ſi iſte Auctor loquitur de materiali huius Eccleſiæ ſtructura, vt verè loquitur, minimè illi aſſentimur. Vel enim comparat hanc Eccleſiam abſolutè cum quibuſcumque aliis mundi Eccleſiis, vel cum ijs quæ ædificatæ erant in his partibus. Si primum, falſum omnino dicit, nam innumeræ aliæ iſta ſunt maiores. Si ſecundum, itidem errat, cùm Eccleſia Sion minor ſit templo ſanctiſſimi Sepulchri Domini noſtri Ieſu Chriſti in ſancta ciuitate, vel ſanctæ Mariæ in Bethleem apud Præſepe Domini, vt alias præteream: alioquin enim Euſebius Cæſarienſis, qui recenſuit & deſcripſit Eccleſias à Conſtantino Maximo & ſanctiſſima eius matre ædificatas, illius delineaſſet magnificentiam, quod tamen non fecit. Quòd ſi talis fuiſſet qualem prædicat Alexander Monachus, illius vtique modò illuſtrior eſſet memoria. Tantò verò minùs huic aſſentimur Auctori, ſi ea, quam modò videmus, ſimilis eſt ei quæ ædificata fuit ab Helena, & in eadem area & ſitũ, vt mihi perſuadeo: nam hæc, vt illa, eadem continet ſanctuaria, vt ex collatione dicendorum cum anteà relatis clarè apparebit. Nec ratio ſuppetit ad aliter credendum; poſteriores namque veterum veſtigiis inhæſerunt, & quoad potuerunt illorum monumenta conſeruarunt.

Arbitror illum vel per hyperbolen fuiſſe locutum, vel ita quatenus Sion omnia continet ſanctuaria, quantumuis in diuerſis & diſſitis locis poſita, etſi non intra eamdem Eccleſiam incluſa, in quem modum videtur accepiſſe Bonifacius: etſi nec ita dicendo illius dictum veritatem habere credam.

Eccleſia Sion poſtèà mediocris.

Dicerem ego probabiliter, loci ipſius qualitate collata cum aliis quæ in præſentia cernuntur, Eccleſiam Sion ab Helena ædificatam non fuiſſe admodum magnam, nec cum valdè magnis eſſe comparandam, ſed ſimilem illi, quæ modò ibi ad iſtius memoriam conſeruandam poſt illius demolitionem extructa cernitur.

Eccleſia Sion inferiorem & ſuperiorem partem habebat.

Duas partes habebat antiquitus, ſuperiorem videlicet & inferiorem. Id me docuit S. Cyrillus Ieroſolymitanus Epiſcopus, qui de ea loquens Catechеſi 16. ſic dicit: *Spiritus ſanctus, qui locutus eſt per Prophetas, in die Pentecoſtes deſcendit ſuper Apoſtolos in ſpecie linguarum ignearum hic Ieroſolymis in ſuperiori Apoſtolorum Eccleſia.* Si in ſuperiori Eccleſia Sion deſcendit Spiritus ſanctus in Apoſtolos, igitur & inferior erat, in qua alia contigerunt, vt dicemus. Idem indicauit Landulphus poſteà adducendus. Et cùm plura apud veteres non legerim, arbitror maiorem illius cognitionem petendam eſſe ex deſcriptione illius quæ nunc extat.

Ea quæ hodie cernitur, extructa eſt à piiſſima fœmina Regina Siciliæ Sancia, in eodem ſitu in quo altera vetus ab Helena ædificata fuerat. Id colligo ex quadam Bulla Clementis V. ad Generalem Ordinis Minorum & Miniſtrum Terræ laboris, in qua inter alia hęc ad intentũ habẽtur: *Et quia Regina ipſa*, id eſt Sancia, *locum ædificauit, infra quem cœnacu-*

Digitized by Google

naculum, & dicta capella sita fore noscuntur, id est, cœnaculum Domini, & altera in qua Apostolis Spiritus sanctus apparuit, & altera in qua apparuit Thomæ post resurrectionem, &c. Cum hæc itaque quæ modò exstat in Sion Ecclesia eadem contineat sanctuaria quæ continebat illa altera ab Helena ædificata, consequens est, vt priori persimilis ambitu & forma sit. Accedit, quòd sicut illa diuidebatur in inferiorem & superiorem, vt ex Cyrillo dictum est, ista simili modo diuidatur, vt statim dicetur.

Igitur tota hæc Ecclesia, continens prædicta sanctuaria, primò in duas partes diuiditur, in superiorem & inferiorem. Pars inferior iterùm diuiditur in duas alias, in anteriorem & posteriorem, quæ solo pariete distinguuntur, & per paruum ostiolum ex anteriori ad posteriorem intratur. Anterior longitudinis est viginti quatuor, latitudinis sedecim passuum, si benè recolo; eius concameratio siue fornix lapidea est, duabus pilis quadratis siue columnis proportione dissitis fulcitur. In hac Ecclesiæ huius parte lauit Christus pedes suorum discipulorum. Ex ista per dictum ostiolum intramus ad alteram huic proximam, paulò præcedenti minorem, gressuum viginti longitudinis, latitudinis verò quatuordecim circiter, velut præcedens similiter camerata, & *sepulchrum Dauidis* appellatur. *Sepulchri Dauidis præsens forma.* In eius capite est velut magna arca lapidea supra terram prominens, parietique inhærens, quæ sepulchrum Dauidis dicitur, & illius ratione pluris fit à Turcis: sericis peristromatibus & aliis ornamentis vestitum est, & cancellis ex anteriori parte munitur, residuum verò Ecclesiæ aliis non ignobilibus tapetiis stratum est.

Superior Ecclesiæ pars, ad quam ex illa priori per nonnullos gradus ascendimus, in duas similiter partes distinguitur vt præcedens, ac eidem est persimilis. Vna pars ab alia solo muro seiungitur, & per fenestram in eam inspicitur. Hæc capella eminenti hemisphærio plumbo cooperto tegitur. Hîc fuisse sanctam Dei Genitricem, cum sanctis Apostolis, mulieribus & aliis sanctis fratribus in oratione perseuerantibus, quando super eos venit Spiritus sanctus in die Pentecostes, habet communis traditio; in altera verò parte & residuo Ecclesiæ, erat alia credentium multitudo; & est illud cœnaculum magnum stratum, in quo Christus vltimam cœnam fecit, & vbi alia quæ recensuimus contigerunt, vt præter traditionem, & memoratos Doctores, tradunt etiam alij qui de locis sanctis scripserunt.

Ratio etiam probabilissima pro dictis de superiori parte Ecclesiæ suffragatur: antiquus enim mos Hebræorum erat, vt Deum precaturi loca superiora conscenderent. *Iudæi oraturi superiora conscendebant.* Hinc legimus, antequam templum ædificaretur, populum consueuisse in excelsis montibus immolare, secundùm illud, *Populus immolabat in excelsis, nondum enim ædificatum erat templum*, 3. Reg. 3, 2. & de vidua illa Iudith legitur, fecisse sibi secretum cubiculum in superioribus domus suæ: & de Christo habemus, quòd ascenderit solus in montem orare. De Petro dicitur quòd *ascendit in superiora, vt oraret circa horam sextam*, Act. 10, 9. De Paulo quoque constat, synaxim fecisse Troade in superiori domus parte, quandoquidem de tertio cœnaculo prolapsus fuit auditor Eutychus adolescens. Igitur perinde fecisse sacram illam congregationem, dum mysteriis illis diuinis attendere deberet, opinandum est, imò firmiter asseuerandum, cùm Lucas de Sanctis illis dicat: *Cùm introissent in cœnaculum, ascenderunt vbi manebant Petrus, & Ioannes*, &c. Act. 1, 13. *Ascenderunt*, inquit, igitur ex inferiori ad superiorem partem domus.

Tam superior quàm inferior Ecclesia tota alba est, & lumen recipit ex vitreis fenestris à parte Australi.

Sacratissimi huius loci, & aliorum circa ipsum, varij Scriptores veteres & recentiores mentionem fecerunt, & inter alios Brocardus hisce verbis: *Procedentes vltrà in montem Sion, inuenimus Caipha domum. Inde quantum iactus est lapidis contra Austrum est locus, vbi beatissima Virgo vsque ad finem vitæ permansit. Huic loco propinquum est Cœnaculum grande, in quo Dominus Pascha cum discipulis celebrauit, pedes abluit, Eucharistiam sanctissimam instituit, post Resurrectionem discipulis illic congregatis apparuit, Matthias sorte electus est, Spiritus sanctus datus est*, &c. Ven. Beda de Locis sanctis meminit etiam monasterij circa sanctum Cœnaculum ædificati, quod fortè illud est quod nunc cernitur, etsi fortè postea reparatum cum templo. *In superiore montis Sion planitie*, inquit, *Monachorum cellulæ frequentes Ecclesiam magnam circumdant, illic, vt perhibent, ab Apostolis fundatam, eò quòd ibi Spiritum sanctum acceperint, ibiq; sancta Maria obierit. In qua etiam loco Cœna Domini venerabilis ostenditur.* Adamnanus ex S. Arculpho formam Basilicæ Sion, cum aliquo eius vestigio, prout erat circa annum Domini 690. quando Arculphus Ierosolymitanam obibat peregrinationem, ita describit lib. 1. De locis sanctis, cap. 13. *Et quia priùs montis Sion intercessit mentio, de quadam Basilica in eo constru-*

ta, quadam breuiter ſuccinctéq; intimanda ſunt, cuius ſic deſcribitur formula.



A. *Locus cœnæ Domini.*
B. *Hîc Spiritus ſanctus ſuper Apoſtolos deſcendit.*
C. *Hîc columna marmorea ſtat, cui Dominus adhærens flagellatus eſt.*
D. *Hîc S. Maria obiit.*
E. *Porta.*

Hîc petra monſtratur, ſupra quam Stephanus lapidatus extra ciuitatem obdormiuit. Extra hanc ſuperiùs deſcriptam grandem Eccleſiam, quæ interiùs talia ſancta complectitur loca, alia memorabilis extat, ad Occidentalem partem * *petra, ſupra quam Creator noſter à creatura ſua, heu, flagellatus eſt. Hæc itaq; Apoſtolica Eccleſia, vt ſuprà dictum eſt, montis Sion ſuperiore campeſtri planitie lapidea eſt fabricata ſtructura.*

* Ms. ſatus.

In poſterioribus Adamnani verbis difficultas exoritur circa illam petram ad Occidentalem plagam eiuſdem Eccleſiæ ſitam, ſupra quam dicit Dominum fuiſſe flagellatum, an ſit ea columna ad quam iuſſu Pilati fuit flagellatus. Et reſpondetur quòd non, quia illa eſt intra ſepta Eccleſiæ Sion, & notatur littera C. An fortè locum intellexit, in quo poſteà ædificata fuit Eccleſia non longè à Pilati palatio, vbi Chriſtum fuiſſe iuſſu Pilati flagellatum, vetus habet traditio? Sed iſte locus eſt potiùs ad Aquilonem Sion, & longè ab eo abeſt. An potiùs indicare voluit, Chriſtum bis fuiſſe flagellatum, ſecundùm aliquorum ſententiam, de quo inferiùs, ſemel inicio Pilato in monte Sion & Caiphæ domo, & fortaſſe ad illam columnã quæ Romæ in Eccleſia S. Praxedis aſſeruatur; & iterùm ſciente & præcipiente Pilato, in loco nunc memorato, qui erat locus iuſtitiæ, & ad illam columnam quæ poſteà tranſlata fuit ad Eccleſiam Sion, & cuius pars vna in præſentia Ieroſolymis in templo ſanctiſſimi Sepulchri aſſeruatur, & aliæ partes ad alia Chriſtianorum loca delatæ ſunt? De his inferiùs opportuniori loco agetur.

Landulphus de Vita Chriſti, loquens de ablutione pedum diſcipulorum in vltima Chriſti cœna, conditionem loci veteris, & noui eidem reſpondentis, ſequentibus verbis expreſſit: *Chriſtus deſcendit cum eis in alium locum inferiùs in eadem domo ſubtus cœnaculum. Nam in ſuperiori parte domus Palaſtini faciebant cœnacula. Sunt autem in monte Sion duæ capellæ vbi erant Canonici Regulares, cum Abbate ſecundùm regulam B. Auguſtini Domino miniſtrantes, vna ſuperior vbi cœna facta fuit, & Spiritus ſanctus ſuper diſcipulos deſcendit; alia inferior, vbi Chriſtus pedes diſcipulis lauit, & eis ianuis clauſis apparuit, cui eſt contiguum cœmeterium, quod dicitur bonorum virorum poſſeſſio, vbi ſepultus fuit B. Stephanus, Nicodemus, Gamaliel, & Abiba, cum alijs ſanctis viris: vbi etiam eſt ſepulchrum Dauid, & Salomonis, & aliorum bonorum Regum Iuda & Ieruſalem.*

Dictis ſequentia addo ex oculato teſte Bonifacio: *In ſacrum cœnaculum ingreditur per oſtium, quod plateam Eccleſiæ reſpicit, & per aliquot gradus ad ipſum aſcendimus. Et in locum vbi lauit pedes diſcipulorum Chriſtus Dominus, per portam quæ eſt in Conuentu & clauſtro.* Conuentus huic Eccleſiæ annexus non valdè magnus & ſumptuoſus eſt, talis tamen qualis Fratres Minores decet, & olim ipſorum habitationi commodus, clauſtrum inferiùs, & ſuperiùs dormitorium habens. Et ſanè multas habet habitationes, & inter has prope clauſtrum duæ oſtenduntur, in quarum priori, quæ primò occurrit clauſtrum ingrediendo, fertur agnum vltimæ cœnæ Chriſti Domini fuiſſe aſſum, in altera, quæ ad hanc ſequitur, Chriſtum poſt Reſurrectionem D. Thomæ apparuiſſe, quas poſtibus clauſas vidi. Bonifacius tamen arbitratur, agnum fuiſſe aſſum in loco vbi Chriſtus lauit Apoſtolorum pedes, & mihi valdè probabile eſt, & forte in ea parte vbi eſt Dauidis ſepulchrum. Et ibi etiam Thomæ & aliis diſcipulis Chriſtum apparuiſſe, libenter credo: & ideò Eccleſiam in tot partes diſtinctam fuiſſe, cui ratione dictorum myſteriorum plures easque amplas indulgentias conceſſerunt Summi Pontifices.

Bonifacius loci meminit in quo agnus occiſus fuit hiſce verbis: *Hinc ad Septemtrionalem portam cœnaculi egrediendo, ad ſiniſtram inuenies locum in quo agnus occiſus fuit.* Si Bonifacius non diuerſum locum intelligit occiſionis ab eo in quo aſſus fuit, ſed eumdẽ intelligit, hîc de loco communi, ſuperiùs de loco particulari fuiſſe locutum, credendum eſt. Sed diſtincta myſteria in diſtinctis locis operata fuiſſe, ſequentibus verbis idem Bonifacius ſignificauit: *Lotio pedum*

pedum non fuit facta in eodem loco in quo agnus comeſtus fuit, & Sacramentum Euchariſtiæ inſtitutum, ſed in inferiori parte domus, in loco in quo agnus Paſchalis aſſatus & præparatus fuit, &c.

Frater Anſelmus ex Ordine Minorum Regularis Obſeruantiæ, qui in ſacro monte Sion habitauit, quando illius curam habebant Minores ante annos centum, in ſua deſcriptione Terræ ſanctæ apud Henricum Caniſium Tom.6. Antiquæ lect. plura de hoc ſacro monte habet.

Ab hoc ſacro monte Præſul Terræ ſanctæ accipit denominationem, vt appelletur Guardianus ſacri montis Sion, &c. quia licet ibi nec Guardianus nec Fratres habitent, ratione aliàs aſſignata, olim tamen habitabant, eratque locus illorum præcipuus, illisque ſingulariter datus, & adhuc iure ad illos pertinet, quia iniuſtè à Turcis eis eſt ablatus. Et, proh dolor! modò ſanctiſſima illa Cœnaculi Eccleſia in ſacrilegam meſquitam, & ſacrum illud Monaſterium in immundam Turcarum habitationem verſa ſunt.

Contra dicta veteri recepta traditione, Prophetarum & ſanctorum Doctorum auctoritate ſtabilita, efficacem rationem, quæ illis refragetur, non inueni; quare vera eſſe, vt fuerunt relata, valdè piè ac probabiliter credendum eſt.

CAPVT VI.

De ſollicitudine veterum in electione ſepulturæ, de ſepulchrorum ſitu, deque cura ſepeliendi mortuos.

DIximus, intra Eccleſiam ſacri montis Sion eſſe Dauidis ſepulchrum, & breuiter eius modernam qualitatem explicuimus: non iniucundum, neque ab inſtituto noſtro alienum fore abitramur, ſi eiuſdem etiam priſtinam conditionem & formam, dũ agimus de locis ſacri montis Sion, prout inuenimus apud probatos Auctores, deſcribamus. Sed quoniam cognitio cõmunium præcedere debet ſcientiam aut exegeſim rerum peculiarium, & quia frequenter in Opere iſto recurret ſermo de particularibus ſepulchris, vt Domini noſtri Ieſu Chriſti, eius ſanctiſſimæ Matris, Regum Iſraël, &c. & nunc Dauidis, ne eadem ſæpiùs repetere cogamur, & longior noſtra protrahatur infructuosè oratio, placet in præſentia ex hac ſepulchri Dauidis occaſione quædam in communi dicere de ſepulchris veterum, præſertim Hebræorum, vt cùm de particularibus poſteà ſepulchris loqui continget, particularia tantùm proſequi neceſſe habeamus. Quatuor verò explicabimus: primum, quanta fuerit ſollicitudo veterum, Hebræorum præſertim, in ſepulchrorum electione, eorumdemque ſitu; ſecundum, de cura ſepeliendi mortuos; tertium, de forma & ornamentis ſepulchrorum; quartum denique, de variis ſepulchrorum nominibus. Duo priora Capite præſenti, & alia duo poſteriora ſequenti Capite declarabimus, ac deinde nonnulla de Dauidico ſepulchro adijciemus.

Veterum ſollicitudo pro honeſta ſepultura.

Veteres omnes, præ ceteris Iudæi, ſolliciti fuerunt de honeſta ſepultura, in qua charorum ſuorum corpora, quos in vitâ dilexerant, ſepelirent, vt teſtantur tam ſacræ quàm profanæ litteræ, quæ & tamquam magnum pietatis & miſericordiæ opus commendant ſepulturam mortuorum. *Fili*, inquit Eccleſiaſticus, *in mortuum produc lacrymas, & quaſi dira paſſus incipe plorare, & ſecundùm iudicium* (*eius*, addunt Græca; quare *iuxta ritum funerum*, vertunt nonnulli) *contege corpus illius, & non deſpicias ſepulturam illius*, Eccleſiaſtici 38,16. Hinc priſci illi Patriarchæ ſolliciti admodum fuerunt vt tum ſua tum ſibi dilectorum corpora honeſto loco ſepelirentur; & horum poſteri, vt patrum ſuorum corpora maiori quo fieri poſſet ſepelirentur honore, curarunt, vt ſacra Geneſis & Exodi narrat hiſtoria. Dauid laudauit & benedixit viros Iabes Galaad propter ſimile pietatis opus exhibitum Sauli, vt illius verba demonſtrant. *Benedicti vos*, inquit, *à Domino, qui feciſtis miſericordiam hanc cum domino veſtro Saul, & ſepeliſtis eum. Et nunc retribuet vobis quidem Dominus miſericordiam & veritatem: ſed & ego reddam gratiam, eò quòd feciſtis verbum iſtud*, 2.Reg.2,5. Et ſenior Tobias propter ſimilem mortuis pietatem impenſam ab Angelo Raphaële fuit laudatus. Et crudelitati viuorum, & iniuriæ & pœnæ mortuorum imputatur, ſi horum corpora vel inſepulta relinquantur, vel ſine honore tumulentur. In quem ſenſum aliqui intelligunt verba illa Pſalmi: *Poſuerunt mortalia ſeruorum tuorum, eſcas volatilibus cæli: carnes ſanctorum tuorum, beſtijs terræ. Effuderunt ſanguinem eorum tamquam aquam in circuitu Ieruſalem: & non erat qui ſepeliret*, Pſal. 78, 2. & Ieremias Propheta comminatur Ioakimo filio Joſiæ, eum in ſcelerum ſuorum pœnam eſſe [illegible]ſepultum proijciendum, & cum dedecore & ſine planctu computruiturum. *Va frater & va ſoror*, inquit, *non concrepabunt ei: va domine, & va inclyte. Sepultura aſini ſepelietur, putrefactus & proiectus extra portas Ieruſalẽ*, Ierem.22,18. Et de his alia ſuppetunt plura exempla & teſtimonia in ſacris Litteris.

Ex profanis verò litteris mauſolea, pyra-

mides & alia illuſtria ſepulchra id ipſum teſtantur. Aduertit (&, ni fallor, benè) Villalpandus Tom. 3. Apparat. lib. 3. cap. 17. Gentiles quidem antiquitus conſueuiſſe comburere corpora defunctorum, non verò Iudæos; & reſpondet rationibus Abulenſis, quibus probat, etiam Iudæos conſueuiſſe ſuorum defunctorum corpora concremare, & ego quoque id credo falſum, & in pœnam potiùs non in honorem factum.

Sepulchra extra ciuitatem & in locis ſterilibus ſita. Cicer. 2. de Legibus.

Quoad locum & ſitum ſepulchrorum dicendum eſt, ea eligi ſolita extra ciuitates in ſuburbiis & hortis. Et ſanè lege duodecim Tabularum apud Marcum Tullium cautum fuit, vt extra ciuitatem ſepelirentur defunctorum corpora, & in agris ſterilibus lege Platonis, ne mortui obeſſent viuis, & malè olentia, vel ne à colligendis terræ fructibus impedirentur. *Hominem mortuum*, inquit Plato lib. 12. De legibus, *in vrbe ne ſepelito, néve vrito, in locóve publico ſepulchrum fieri, ne quid iuris eſto. Modico ſumptu regum facito*, &c. Ideò, vt adnotauit Cardinalis Baronius Tom. 3. ſub anno Chriſti 309. num. 4. fuit Maxentij priuilegium, quòd Chriſtiani ſepelierint intra vrbem Martyrum corpora. Imò olim Cæſari tantùm à Senatu conceſſum erat intra mœnia ſepeliri, vt tradit Dio Hiſt. Rom. lib. 44. Hebræis verò ſolemne fuiſſe extra vrbem in ſpeluncis vel à natura vel arte defoſſis ſepelire defunctorum cadauera, ſuppetunt ex vtroque Inſtrumento teſtimonia. Geneſis cap. 23. agitur de ſpelunca duplici, in qua primò Sara Abrahæ vxor, & deinde primi illi Patriarchæ & inſignes viri & mulieres ſepulti fuerunt. In libro Ioſue cap. 10. legimus, interfectos Chananæorum Reges iuſſu Ioſue proiectos fuiſſe in ſpeluncam. Sepulchra illa in quibus dæmoniaci illi morabantur, quorum meminerunt Matthæus, Marcus & Lucas; item quòd defunctus filius viduæ, cuius ſolus Lucas mentionem fecit, efferretur; ſepulchra item Lazari, & Chriſti Domini, quorum Ioannes meminit, oſtendunt, Iudæorum ſepulchra fuiſſe extra vrbes in ſpeluncis & hortis. Et hoc docet Abulenſis in cap. 8. Matthæi q. 88. & communiter Doctores, dum de his loquuntur, obſeruant; idque teſtantur ſepulchra quæ ſunt circa Ieruſalem & Bethleem, & no[illegible]tra, item pyramides & ſepulchra Regu[illegible] & aliorum apud Cairum extra ciuitatem, in loco arenoſo & ſterili; & notauit Petrus Bellonius lib. 2. Obſeruationum cap. 42. & 45. Quare non aſſentior citato Villalpando, qui intra mœnia Ieruſalem dicit fuiſſe ſepulchra. ſic enim ſcribit: *Et quoniam de Regum Ieroſolymitanorum ſepulchris agendum nobis nunc eſt, ea plurima fuiſſe in vrbe & circa eam conſtructa, ipſamet hiſtoria ſacra clarè tradit.* & ſingulariter id de Dauidis ſepulchro affirmat Ioſephi teſtimonio, & eorum qui hac tempeſtate Ieroſolymis commorari fuerunt, & ampliùs firmiore & ſanctiore ſacræ Scripturæ auctoritate. Nam recenſitis gradibus ciuitatis Dauid, mox meminit facer Textus ſepulchri Dauidis; cùm tamen alibi ſic habeat: *Aſcenderunt* cantores *in gradibus ciuitatis Dauid, in aſcenſu muri ſuper domum Dauid*, 2. Eſdr. 12, 36. *Ex quorum locorum collatione*, inquit, *liquidò conſtat, eodem prorſus loco domum & ſepulchrum Dauidis ſitum fuiſſe, quippe quod intra ipſius Regia ſepta includeretur: id quod ſignificare voluiſſe videntur ſeptuaginta Interpretes, vſque ad hortum ſepulchri Dauid ſcribentes.* Verùm facile eſt reſpondere Villalpando, ex his quæ ipſemet inferiùs docet eodem capite. Poſtquam enim dixiſſet, Oziam non fuiſſe ſepultum in ſepulchris Regum Iſraël, quoniam leproſus erat, obiectioni, quæ contrà fieri poſſet, reſpondit in hunc modum: *Illud verò, quod de eodem ſub Azaria nomine habetur in libris Regum, nempe ſepultum eum fuiſſe cum maioribus ſuis in ciuitate Dauid, intelligendum eſt, intra pomœria, vel prope ciuitatem. Conſimilem enim verborum phraſim intellexiſſe videtur Vulgatus, qui, Cùm autem eſſet, inquit, Ioſue in agro vrbis Iericho. In Hebræo autem habetur: Cùm eſſet in vrbe Iericho. Neque alia ratione intelligi poſſet locus, cùm mox ſubdat: Iericho autem clauſa erat, atque munita timore filiorum Iſraël, & nullus egredi audebat aut ingredi. Quocirca Ioſue in agro, ſeu (quod aiunt) territorio Iericho fuiſſe intelligendus eſt. Pari ratione Ozias in agro Ieruſalem, ſine ciuitatis Dauid ſepultus fuiſſe intelligetur.* Ita dicendum, ſepulchrum Dauidis ideò dici fuiſſe in ciuitate Dauid, quia prope ipſam, & in illius pomœrio ædificatum fuit. Et tranſlatio illa Septuaginta ex eodem adducta, videtur noſtræ fauere ſententiæ, *vſque ad hortum ſepulchri Dauidis*, quaſi in horto poſito in monte Sion eſſet, non tamen intra mœnia. Et mirum eſt, quòd tot monumentis circumdetur vndequaque Ieroſolyma, vt teſtatur Ioſephus, Fullonis, Herodis, Helenæ, Ioannis, Anani, & aliorum monumenta commemorans, & nos oculati teſtamur, & nec vnum intra ciuitatem videtur, excepto Chriſti Domini noſtri Sepulchro, quod olim erat extra ciuitatem, vt ex Euangelio conſtat, & nos, dum de eo agemus, oſtendemus.

Teſtimonium eorum qui his temporibus fuerunt Ieroſolymæ, ſiquidem ædificata eſſet eo planè modo quo erat tempore Dauidis,

uidis, militaret pro nobis; ſepulchrum enim Dauidis eſt quidem in monte Sion, ſed extra muros ciuitatis; & extrà etiam fuiſſe Dauidis tempore, ex eo mihi perſuadeo, quòd in extremitate montis nunc ſitum ſit. Et neſcio qua ratione ſanctiſſimus Dauid, legum & optimarum conſuetudinum obſeruantiſſimus, illam veterem ſi non legem Hebræorum, conſuetudinem ſaltem, vim legis habentem, tranſgredi voluerit, non excidendo ſepulchrum extra vrbem, cùm ſat eſſet, propè excidere, ad ſatisfaciendum intentioni Hebræorum de ſepeliendis corporibus vel in propriis fundis, vel non longè ab eis: niſi forte Reges ab ea lege & conſuetudine eximerentur, & mos fuerit ipſos intra mœnia ſepeliri, quod probandum eſſet. Et illud mihi videtur indicaſſe Abulenſis, qui ſic ait: *In ciuitate Dauid, id eſt, Sion, Dauid fecit quemdam locum ſegregatum ab humana conuerſatione, in quodam horto, pro ſepulchris Regum, & fecit ſepulchrum valdè magnum, in quo ſepelirentur omnes Reges de ſtirpe ſua*, &c. Et hoc modo videntur explicandæ auctoritates, quæ indicare videntur, ſepulchra fuiſſe in ciuitatibus, id eſt, non longè ab ipſis, vt indicatum fuit. Atque ex his apparet, non benè aliquos colligere ingentem magnitudinem ſanctæ ciuitatis quaſi ad ea vſque ſepulchra, & præſertim Regia non parum diſſita ſe extenderet, ſuoque ambitu includeret; quin potiùs contrarium verè deducitur, non fuiſſe tantæ magnitudinis, quia in ſe non continuit ea ſepulchra, & ſecundùm leges continere non potuit.

CAPVT VII.

De forma & qualitate veterum ſepulchrorũ, & eorundem variis nominibus.

AD id quod Capite præcedenti tertio loco propoſitum fuit, dicimus, Regum & Principum, aliorumque illuſtrium virorum veterum ſepulchra, mirabili arte magniſque ſumptibus conſtructa fuiſſe, ad repræſentanda poſteris illorum egregia facinora, & in mentibus amicorum parentumque memoriam conſeruandam. Hocque adeò manifeſtum eſt, vt nonnulla illorum inter mundi miracula recenſita ſint, quemadmodũ legimus de ſepulchro quod Artemiſia Cariæ Regina dilectiſſimo coniugi Regi Mauſolo ædificauit; & de Ægypti pyramidibus, quas ſibi conſtruxerunt Pharaones, vt in ipſis, poſt exhibitum morti tributum, illorum cadauera ſepelirentur, de quibus plura litteris conſignarunt tum Plinius, tum alij Scriptores. Et filij Heth electa ſepulchra habuerunt, vt dicitur Gen. 23, 6. Illuſtre ac nobile ſepulchrum ſtrenuo Iſraëlitici populi Duci Ioſue extruxerunt Iudæi, quod ætate Hieronymi adhuc videbatur, vt ipſe docet De locis Hebr. Non minùs illuſtre extitit illud, quod Daniel, Princeps à Dario conſtitutus, benefactori extruxit, in quo Perſarum, Medorum & Parthorum Reges ſepelirentur, vt auctor eſt Ioſephus lib. 10. Antiq. cap. 14. & alterum quod Simon Machabæus parentibus fratribuſque ſuis ædificauit, de quo 1. Machab. 13, 27. & Ioſephus lib. 13. Antiquit. c. 4. ſed inter cetera Dauidicum mauſoleum, quod optimo parenti dilectiſſimus pariterque ſapientiſſimus filius Salomon ædificauit, primas tenet, vt ex inferiùs dicendis Cap. VIII. ipſa luce clarius apparebit. Sed in genere nunc loquamur de veteribus ſepulchris Hebræorum.

In ſepulchris Hebræorum duo aduerto: alterum quod à natura, & alterum quod ab arte receperunt. Illud, quòd ſpeluncæ eſſent natiuæ in rupibus, ad quarum imitationem aliæ fodiebantur; hoc verò, quòd poſteà arte & labore perficerentur. Euidens enim eſt, montanam iſtam regionem natiuis & artificioſis ſpeluncis abundare, in quibus Hebræi ſuorum corpora ſepeliebant; vnde illorum ſepulchra ſpeluncæ dicebantur, vt patet in libris Geneſis & Ioſue, item ex Euangelio Ioannis, & aliunde, quaſi defoſſa mortuorum habitacula. Ad quorum conſuetudinem alludens Epiphanius Hæreſi 30. contra Ebionitas dixit: *Ducunt miſerum adoleſcentem poſt occaſum Solis in propinquas tumbas, ſepulchra enim ſic appellantur, ſpelunca videlicet in petris effoſſa atque conſtructa*, &c. Et ad eorumdem ſepulchrorum oſtia magni lapides ponebantur, tum ne cadauera à beſtijs & volucribus dilaniarentur, & ab alijs malè tractarentur, tum ne auferrentur theſauri, qui in illuſtrium ſepulchris recondebantur, qui toties amouebantur, quoties eò inferenda eſſent recentia cadauera, eiſque illatis iterùm apponebantur. Hæc clara ſunt Ieroſolymis habitantibus, & docet Ioſephus: ſed ſingulariter idem tradit Scriptura de Lazari & Chriſti ſepulchro, vt, dum de his ſuo loco agemus, videbimus, & conſentiunt Doctores. Lege Abulenſem in 4. Reg. 13. quæſt. 19. & in Matthæi c. 8. quæſt. 99. varijs etiam epitaphiis veterum ſepulchra exornata fuiſſe, ea quæ ad oculum vſque cernuntur, clarè demonſtrat, & mihi nulla probatione egere videtur.

Multis nominibus ſepulchra appellantur.

Sepulchrum, vt ex Ioanne Beleth in libro de Officijs Eccleſiaſticis notauit Abulenſis in cap. 23. Geneſis, multis appellatur nominibus, ſcilicet cœmeterium, polyandrium,

andropolis,ſepulchrum, manſoleum, dormitorium,tumulus, monumentum , ſarcophagus,pyramis,&c. Nos veriorem horum nominum etymologiam dabimus. Cœmeterium dicitur à Græco verbo κοιμάομαι quatenus *mori* ſignificat,vt ſit locus vbi humata iacent mortuorum corpora. Et hanc appellationem in hac ſignificatione retinuit lingua Gallica, quæ eiuſmodi locum vocat *cemetiere*, quamuis vulgus perperàm pronuntiet *cimitiere* . Polyandrum dicitur à πολὺς,quod eſt *pluralitas* , *&* ἀνὴρ, quod eſt *vir*, quaſi *virorum pluralitas* , quia multitudo virorum ibi iacet. Andropolis dicitur ab ἀνὴρ, id eſt *vir*,& πόλις, id eſt *ciuitas* ſiue *habitatio*, quaſi dicas,*virorum habitatio*. Sepulchrum dicitur à ſepeliendo : vel dicitur ſepulchrum , quaſi *ſine pulſu* , quia qui ibi ſunt , ſine pulſu vitali quieſcunt. Mauſoleum dicitur à Mauſolo Cariæ Rege, ſiue,vt quidam Græcarum hiſtoriarum Scriptores aiunt, prouinciæ Græcæ Præfecto, cui defuncto vxor Artemiſia,vt & ſuprà diximus, memoratiſſimum illud ſepulchrum erexit, vt memoria mariti ſui perpetuò conſeruaretur : à quo conſuetudo inoleuit , vt ditiorum & potentiorum magnifica ſepulchra mauſolea dicerentur. Dormitorium dicitur à dormiendo , quia ibi dormientia corpora requieſcunt, vſque dum euigilent in generali reſurrectione. Monumentum dicitur, quaſi *monens mentem*,quia tranſeunti & inſpicienti mortis memoriam ſuggerit ; quaſi dicat, Memento,quia cinis es, & in cinerem reuerteris. Tumulus dicitur quaſi *tumens tellus* , quia ſuper ſepulchris mortuorum terra paullùm eſt eleuata & quaſi tumens, dum aliquis nouiter ſepultus fuit. Sarcophagus dicitur à σὰρξ,quod eſt *caro* , & φάγω, quod eſt *comedo*, quia carnes cadauerum ibi conſumuntur. Pyramis dicitur à πῦρ,quod eſt *ignis*, cuius figuram imitatur, quæ nimirum incipit in bali à latitudine,& terminatur in cono ſtricto;& talis eſt pyramis in qua ſunt cineres Iulij Cæſaris.de qua dubium eſt vtrùm ſit vnus lapis, an plures. vnde quidam:

Si lapis eſt vnus,dic qua fuit arte leuatus.
Si bini,aut plures, dic vbi contigui.

Tumba etiã & *catacumba* appellantur,quòd in loculis excauatis in ſubterraneis cryptis, quas *areas* vocabant,reperiantur. Item *conditoria,quietoria,repoſitoria*, atque non rarò *oſſuaria*, quòd in ijs reliquiæ corporum reſurgendorum tamquam ſemina ſeruentur, oſſa ſiempe duriora, & ipſi dentes inuicti ignibus & flammis indomiti. Tertullianus: *Conſtat non tantùm oſſa durare , verùm & dentes incorruptos perennare, qua vt ſemina retinentur fructificaturi cor poris reſurrectione.* Sanctorũ item ſepulchra *memoria* apud veteres dicuntur, vt in quibus illorum conſeruetur memoria. *Domus* denique ſepulchrum appellatur in Scriptura , & patet ex verbis illis Nehemię ad Artaxerxem:*Ciuitas domus ſepulchrorũ patrũ mei deſerta eſt*,&c. 2. Eſd.2,3. Dicunt enim Hebraicæ linguæ periti , quamcumque rem,quæ aliam continet, apud Hebræos *domus* nomine appellari: vox enim beth , quæ domum ſignificat , ampliſſimam habet ſignificationem, & eleganti phraſi aſſumitur ad ſignificandum ſepulchrum.Hinc Iob:*Scio quia morti trades me , vbi conſtituta eſt domus omni viuenti*, Iob 30,23. Chaldæus *domus ſepulchri* vertit. Et Eccleſiaſtes: *Quoniam ibit homo in domum æternitatis ſuæ*, Eccle. 12,5. Phraſim hanc interpretatus eſt Vatablus:*Homo enim vadit ad domum ſuam perpetuam*, Hebraicè *ſæculi ſui:* hoc eſt, pergit homo ad ſepulchrum , in quo diutiùs habitabit , hoc eſt, vſque ad iudicium vniuerſale.qua ratione ſepulchrum *domus* ſiue *habitatio morientium* dicitur , domus verò in quibus viuentes degunt,potiùs tabernacula,in quibus modico tempore manent viatores.

De Reſurrectione carnis.

Nec abſque ratione olim veteres,& poſteà Chriſtiani,tantam diligentiam adhibuerunt circa ſepulchra in quibus ſuorum corpora tumulanda erant, vt videlicet indicarent,ea in illis,tamquã indepoſito reponi , iterumque inde velut à ſomno eſſe excitanda, & in generali reſurrectione animabus ſociando. vnde piè appoſiteque Prudentius dixit:

Homines veteres defunctorum corpora ſepelebant, ob reſurrectionem ſpem.

Quidnam ſibi ſaxa cauata?
Quid pulchra volunt monumenta?
Niſi quòd res creditur illis
Non mortua , ſed data ſomno.
Hoc pronida Chriſticolarum
Pietas ſtudet , vtpote credens
Fore protinus omnia viua,
Quæ nunc gelidus ſopor vrget.

CAPVT VIII.

De ſepulchro Dauidis, tertio loco quartæ Peregrinationis,prout à Salomone antiquitus parenti optimo ædificatum fuit.

IN ſacro monte Sion,ciuitate Dauid, vbi eius Regia erat , fuit etiam regium illuſtriſſimumque ſepulchrum ab eius dilectiſſimo ac ſapientiſſimo filio Salomone ædificatum , etſi non intra ciuitatem , vt ſuprà Cap.vi. dixi,& ita ex Scriptura ſacra, Ioſepho,& celebri fama Orientaliũ habemus.Et Dauidis & Salomonis appellatur,quòd in eo iſti Reges ſepulti ſint , & quòd Salomon illud magnificentiſſimum fecerit:de cuius ſepulchri ſtructura,opibus & magnificentia ex alijs aliqua hìc ſubijciemus. Ioſephus lib.7. cap.

Excellentia & diuitiæ ſepulchri Dauidici.

cap. 12. de his sequentia scribit: *Sepelinit autem eum filius Salomon Ierosolymis magnificè, præter solemnia illa in Regum funeribus, illatis etiam in monumentum eius maximis divitiis, quarum magnitudinem facile sit coniectare ex hoc quod dicemus. Nam post annos mille trecentos, Hircanus Pontifex oppugnatus ab Antiocho, cognomine Pio, Demetry filio, volens pecuniam ei dare, vt abducto exercitu obsidionem solueret, nec valens aliunde sumere, aperta cella monumenti Dauidis, & prolatis inde tribus talentorum millibus, eorumq; parte Antiocho numerata, oppugnationis periculo se exemit, sicut alibi indicauimus. Ac rursum post multos annos elapsos, Herodes Rex alia cella aperta, magnam pecuniam sustulit; ad loculos tamen, qui Regum cineres continebant, neuter eorum pervenit: singulari enim arte ita erant sub terram conditi, vt ab ingredientibus monumentum inueniri nequirent.* Et alibi, nimirum lib. 16. Antiquit. cap. 11. tradit, quomodo iterùm Hircanus ex eodem sepulchro abstulerit plus quàm tria millia talentorum pecuniæ, numeraritque Antiocho trecenta talenta ex eis. Quomodo verò Herodis audacia & temeritas miraculo fuerit inhibita, narrat sequentibus: *Herodes multum pecuniarum domi foriq; profundens; audito quòd Hircanus, qui ante eum regnauerat, reclusso Dauidis sepulchro, tria millia talentorum argenti extulisset, superesseq; multò plura, quæ possent quantumuis magnis sumptibus sufficere, multo tempore animum habuit idem aggredi. Tunc verò noctu apertum sepulchrum ingreditur, cùm priùs accuratè cauisset, ne hoc resciret populus, assumptis tantùm amicorum fidissimis; depositas tamen pecunias non inuenit sicut Hircanus, sed mundi pretiosi & aureorum ornamentorum vim magnam inde sustulit. His inuitatus ad diligentiùs scrutandum, interiùs processit vsque ad conditoria corporum Salomonis & Dauidis, vbi duos satellites amisit, erumpente (vt fertur) ex adytis flamma contra progressos temerè. Quo casu territus exiuit, & tactus religione ad expiandum se in aditu sepulchri monumentum è candido marmore condidit sumptuosis impendiis. Eius operis & Nicolaus illius temporis Scriptor meminit; sed non item de descensu Regis, præter decorem id factum existimans, idq; more suo fecit. Viui enim Regis hæc auribus dedit, captans gratiam, & ea tantùm attingens, quæ ad gloriam illius pertinere visa sunt.*

Sepulchri Dauidici forma secundum Serlium.

Sed quid de eius forma & structura dicendum est? Sebastianus Serlius commemorat lib. 3. Architect. inter alia antiqua monumenta se à Marco Grimano, quondam Aquileiensi Patriarcha, tunc verò S.R. Ecclesiæ Cardinali, accepisse formam cuiusdam antiqui monumenti, quod manu excisum durissimo saxo, in quodam Ierosolymitano monte adhuc extare cernebatur, in quo, vt ipse arbitrabatur, Regum Ierusalem corpora condebantur. Quoniam verò prædicto Cardinali partium commensuratio memoria exciderat, idcò quadam vius probabili coniectura, totius fabricæ ichnographiam efformauit, iuxta quam singula delubra lata fecit; ita, vt minimùm longitudinem corporis humani capere facile possint. In qua quidem figura tria primùm licet visere receptacula, suis quæque testudinibus obtecta: mediana verò propter eius nimiam amplitudinem, suis aptis pilis in medio dispositis fulciebantur. Erant autem in priore ædificij parte delubra quatuor, in media decem & octo, in interiore duo tantùm. Cuius medio ex aduerso ingredientium porta quædam clausa apparet, quæ aditú olim in interiore crypta aperuisse creditur, in quibus Dauidis & Salomonis corpora condebantur, prout omnia ex allatis Iosephi testimoniis constare facilè potetunt. Hæc retulit Villalpandus Tom. 3. Apparatus lib. 3. cap. 16. & Tom. 2. lib. 5. disp. 4. c. 61. & credit de Dauidico sepulchro intelligenda esse; sed an verè, posteà videbimu: & Tomo 2. loco citato dicit fuisse quatuor delubra, quæ erant vestibulum sepulchri in quo Regum corpora condebantur, summamq; thesauri in ipsum illatam fuisse nostræ monetæ plus quàm centum milliones, & longè præfert mausoleo sepulchro. Priori verò loco, vbi ex Iosepho tradit tantam pecuniam à Salomone in illud illatam, fidem apud eumdem Iosephum exquirendam dicit. *Nobis enim*, inquit, & optimè mea sententia, *nulla adhuc occurrere potuit sufficiens ratio, quæ sapientissimum Salomonem inducere posset ad sepeliendum tot talentorum millia, cum mundo pretioso, & aureis ornamentis.*

Celebre omnino Dauidicum sepulchrum ratione situs, quia is est in sancto & regio monte Sion; ratione constructoris, quia is fuit Rex sapientissimus; ratione contentorũ, quoniam Dauidis & aliorum Regum corpora, & thesauri maximi ibi fuerunt recondditi; & denique ratione durationis, quia ex eiusmodi materia & tali artificio fuit elaboratum, vt post tot clades quibus sancta ciuitas obnoxia fuit, adhúc tempore D. Petri extiterit, prout huius verba ad populum Ierosolymitanum demonstrant, *Viri fratres*, inquit, *liceat audenter dicere ad vos de Patriarcha Dauid, quoniam defunctus est, & sepultus: & sepulchrum eius est apud nos vsque in hodiernum diem*, Act. 2, 29. & integrum man-

manſerit vſque ad poſtremam illam & fatalem prorſus cladem Iudæis ab Ælio Adriano illatam: tunc enim temporis, antequam illa ſequeretur, quaſi prognoſticum futuri vltimi Iudæorum gentis exterminij, ſponte corruit, vt Dio Caſſius auctor eſt in Vita Adriani. ſic enim habet, referente Xiphilino: *Is in excurſionibus ab Aelio Adriano in Iudæa factis infinitam hominum multitudinem interiiſſe teſtatur, ita vt omnis panè Iudæa deſerta fuerit. Id eis, antequam bellum gereretur, fuerat denuntiatum, ex eo quòd monumentum Salomonis, quod illi ſumma reuerentia colunt, ſua ſponte diuiſum corruerat.* Addet fortaſſe quiſpiam, etiam potrò duraſſe vſque ad D. Hieronymi & noſtram ætatem. Quòd ad Hieronymi, colligitur ex verbis Epiſtolæ, quam ipſe ad Marcellam ſcripſit nomine Paulæ & Euſtochij, quæ ſic habent: *Ergòne erit illa dies, quando nobis liceat ſpeluncam Saluatoris intrare?* &c. *in Dauid orare manſeolo.* Quòd ad noſtram etiam ætatem perdurant, liquet, alioquin enim illud non deſcripſiſſet Aquileienſis Patriarcha, nec deſcriptioni Serlius eius figuram adieciſſet, nec viſitatum fuiſſet, nec hiſce temporibus viſitaretur, vt viſitatum fuit, & continuè inuiſitur.

Cardinalis Baronius, quomodo dicta intelligi debeant, ita explicat Tom. 1. Annalium ad annum Chriſti 34. n. 246. ideò nimirum dici ſepulchrum Dauidis corruiſſe, non quòd ſolo prorſus æquatum, ſed quòd aliqua tantùm ex parte collapſum fuerit. Eamdem affert reſponſionem loco priùs citato Villalpandus, & aliam præmittit, dicens: *Quæ quidem Dionis verba, niſi apertum mendum contineant, ita accipienda ſunt, vt aliqua ex parte corruiſſe putetur, ita vt ex quamplurimis, in qua diuiſum erat, delubris, aliqua ſua ſponte ea tempeſtate corruiſſe credantur*, &c.

Probabiles vtique reſponſiones: potuit enim & mendum irrepſiſſe in Dionis verbis; vel ſi nullum irrepſit, tuiſſe ſepulchrum ex parte tantùm. Verùm ſi mihi concedatur alteram addere rationem, non minùs ac ille veritatem attinget.

Sepulchrum Dauidis quare dirutum, & Chriſti conſeruatum.

Dicerem itaque probabiliter, nec falſitatem contineri in verbis Dionis, & verè tunc Dauidicum ſepulchrum corruiſſe penitus, & non tantùm ex parte, vt ſic magis præindicaretur Iudæorum clades, & legis ipſorum interitus. Quòd ſi apud priſcos, ſepulchrum diruptum fuiſſe, res fuit habita mali ominis, vt teſtatur Liuius, & Alexander conciſo ſermone retulit; (*Hannibali*, inquit, *cùm ex Italia Africam peteret, ſepulchrum diruptum auſpicium ferale*) vtique ex oppoſito bonum omen credere debemus, ſi ſepulchrum cuiuſpiam diu perſeueret; ideoque vt bonus Chriſtianorum ſucceſſus & Euangelicæ legis perpetuitas indicaretur, factum fuit, vt Chriſti Sepulchrum poſt tot Ieroſolymæ clades inter ipſos infideles, etiam illius demolitionem tentantes, integrum & illæſum permanſerit, & adhuc apud eoſdem ſuperſtes ſit, adeoque Dauidicum ſepulchrum, Dominici figura, penitus dirutum ſit, vt præſente corpore euanuiſſe vmbram, & plantata Chriſti Eccleſia, ceſſaſſe Synagogam, Chriſtianiſque introductis, Iudæos omnino eiiciendos & diſpergendos intelligeremus.

Nec quæ in contrarium adducta fuere, huic noſtræ refragantur ſententiæ. Non verba D. Hieronymi; illa enim tantùm ſignificant, in loco vbi quondam erat Dauidis ſepulchrum, & ſuo tempore aliquæ fortaſſe illius reliquiæ extabant, fuiſſe ſacellum vel templum ad orandum, ſicut eſt in præſentia; etenim quæ nunc extat Eccleſia, ad exemplar veteris ab Helena extructæ fuiſſe ædificatam ante S. Hieronymi tempora, non ſine probabili coniectura diximus ſuprà Cap. v. huius Peregrinationis; & illud Hieronymiana verba videntur indicare: *In Dauid orare manſoleo*, hoc eſt, fundere preces in templo extructo ibi, vbi quondam erat Dauidis mauſoleum: quemadmodum etiam in præſentia eodem modo orare poſſumus, & non aliter; & eo modo ego in eo, id eſt, ad ipſum oraui, & in poſterum in veneratione habebitur, ibique preces fundentur.

Quod ex Aquileienſi Patriarcha refert Serlius, non eſt intelligendum de Dauidico ſepulchro, quemadmodum arbitratus fuit Villalpandus, nec illius verba vel deſcriptio, quantum diiudicare potui, hoc ſignificant, ſed longè diuerſum, id eſt, ſepulchrum in quodam Ieroſolymitano monte, id eſt circa Ieruſalem extructum. Si enim de exciſo in monte Sion & Dauidico voluiſſet intelligere, non dixiſſet indeterminatè, ſe in quodam Ieroſolymitano monte tale ſepulchrum vidiſſe, ſed in monte Sion determinatè; hic enim mons ſemper iſto nomine determinatè appellatur, & pars potiùs ciuitatis, & ſuperior, quàm mons Ieroſolymitanus dicitur. Et ſi hoc verum, non poteſt eſſe illud exẽplar Dauidici ſepulchri, præſertim in ſententia Villalpandi, qui illud ponit intra ciuitatẽ, vt ſuprà vidimus Cap. vi. Ego & alij, qui diu in partibus iſtis habitauimus, diligenter & accuratè pluries inſpeximus Ieroſolymitana ſepulchra, numquam tamen inuenire potuimus ſepulchra, quibus aptari poſſit figura ſepulchri à Serlio exhibita;

Digitized by Google

ta; quòd si aliqua mihi incognita sint, quibus ex parte aliqua accommodari possit, nusquam tamen Dauidico.

Et mirum sanè est, quòd seniores in partibus istis aliud non vel monstrēt vel agnoscant Dauidis sepulchrum, præterquàm superiùs à nobis descriptum Cap. v. & nihilominùs aliud sit soli Aquileiensi Patriarchæ cognitum, & à Serlio descriptum. Ego non semel ex gratia introductus fui ad templum montis Sion, vbi est Dauidis sepulchrum, vnà cum sene Fratrum interprete, qui illud vidit quando ibi Fratres habitabant, & se nec aliud nec alterius formæ vidisse pro Dauidis sepulchro confessus est, præter id quod in præsentia monstratur & videtur. De isto sepulchro plura habes apud Pinedam de Rebus Salomonis lib. 8. cap. 3. sed si posteriùs à nobis dicta vera sunt, improbantur illa, quæ ipse posteriori loco dixit, secutus Villalpandum. Et hæc probabiliter proposita sint.

CAPVT IX.

De loco vbi cecidit sors super Matthiam, qui est quartus Peregrinationis quartæ.

SAncti Christi Apostoli post glorioſam Magistri sui ex hoc mundo ad cælos ascensionem, reuersi Ierosolymam ex monte Oliueti quò eos duxerat Dominus ascensurus ad Patrem, *Ascenderunt*, vt inquit D. Lucas Act. 1, 13. *in cenaculum* sacri montis Sion, *vbi simul manebant Petrus & Ioannes*, ac ceteri Apostoli, quos ibi Lucas commemorat, aliique credentes ferè centum viginti, qui omnes *erant perseuerantes* (vt ille loquitur) *vnanimiter in oratione cum mulieribus, & Maria matre Iesu, & fratribus eius*. His omnibus igitur simul congregatis, Petrus Apostolorum Princeps, & totius Ecclesiæ summus Præsul, cuius curæ ceteri commissi erant (dixerat enim Dominus ad ipsum, *Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos*, Lucæ 22, 32.) vt Ecclesiæ afflictæ, ac Iudæ proditoris perditione concussæ consuleret, de substituendo aliquo ex discipulis in locum perditi hominis, concionem ad discipulos congregatos in hunc modum habuit: *Viri fratres, oportet impleri Scripturam, quam prædixit Spiritus sanctus*, &c. quæ citato loco Actuum Apostolorum v. 16. scribit Lucas. Cùm Petrus iam peroraſſet, & propositis ab ipso annuissent ceteri, *statuerunt duos, Ioseph, qui vocabatur Barsabas, qui cognominatus est Iustus: & Matthiam*, v. 23. & cùm orassent, *dederunt sortes eis, & cecidit sors super Matthiam, & annumeratus est cum vndecim Apostolis*, v. 26.

Collegij Apostolici Petrus curam gerit.

Ioseph, Iustus & Matthias Christi discipuli.

Tam Iosephum quàm Matthiam fuisse Christi discipulos, affirmat Clemens Alexandrinus, quem citat Beda in Retract. 1. Act. Apost. quorum ille, scilicet Ioseph, dictus est & Barsabas, estque planè diuersus ab alio Ioseph, qui cognominatus est Barnabas, in eisdem Apostolorum Actis; vt & ab illo, qui cognominatus est Iudas, quem vnà cum Sila Apostoli miserunt Antiochiam. In ijsdem enim Apostolicis Actis hi tres non solùm nomine vel cognomine, sed & rebus gestis inter se distinguuntur.

Locus verò vbi sors cecidit super Matthiam, & vbi ille annumeratus est cum vndecim Apostolis, si loquamur de communi, Ierosolymis fuisse, manifestum est ex cap. 1. Act. si de particulari, in cœnaculo ibidem. In qua verò cœnaculi parte id accidit? Respondetur cum veteri traditione, quòd in ea quæ est præ foribus Ecclesiæ cœnaculi, quæ olim intra Ecclesiam ab Helena ædificatam continebatur, vt notat Bonifacius l. 2. de Perenni culeu Terræ sanctæ, inquiens: *Iste locus* (id est electionis Matthiæ) *nunc est præ foribus ante gradus scalares sanctissimi cœnaculi. Olim concluſus erat intra maiorem Ecclesiam montis Sion, quæ edificata fuit ab Helena Constantini matre ad honorem Virginis Mariæ: nunc autem, vt cernis, negligentia Principum nostrorum solo prostrata iacet.*

Particularis locus electionis Matthiæ.

Quoniam verò locus ille electionis Matthiæ à piis fidelibus semper notatus singulariter fuit, probabile videtur, & rationi ac pietati consonum apparet, aliquod prodigium ibi in electione Matthiæ contigisse; alioquin enim non fuisset peculiariter notatus. Quæro ergo quod fuerit illud. S. Lucas respondet, quòd *cecidit sors super Matthiam*, &c. Act. 1, 25. Sed quodnam prodigium in illa sortium missione accidit? Respondeo, multi quidem multa de hac sortium missione dixerunt, quæ tamen omnia missa facientes, vnico D. Dionysij Areopagitæ testimonio acquiescimus, qui lib. De Ecclesiastica hierarchia Part. 3. cap. 5. sortis nomine intelligit nutus aliquos & signum quoddam diuinum, quo intellexerunt Apostoli vter assumendus esset. *De illa sorte diuina* (inquit Dionysius) *qua Matthia diuinitus obtigit, alij quidem alia senserè, meo iudicio non rectè: aperiam autem & ipse quid sentiam. Videtur mihi Scriptura sortem appellasse diuini quiddam & præcipui muneris, per quod illi choro sacratissimo insinuaretur, qui esset diuina electione declaratus.* Hunc alter quidam Dionysius professione Carthusia-

Sors qua cecidit super Matthiã quid.

Digitized by Google

thuſianus iſtum in modum explicat: *Sciendum, quòd ſecundùm doctrinam B. Dionyſii libro de Eccleſiaſtica Hierarchia, ſors iſta non erat talis qualis in veteri Teſtamento, ſed quidam ſplendor diuinus, ſeu radius diuinitus miſſus ſuper Matthiam, ad oſtendendum quòd ipſe eſſet Apoſtolus aſſumendus.* Probabile eſt, ante aduentum viſibilem Spiritus ſancti ſuper Apoſtolos, facta priùs ab eiſdem oratione, & habita conſultatione quis ex illic congregatis in locum Iudæ proditoris eſſet ſufficiendus, duobus idoneis propoſitis, Spiritum ſanctum, diuino ſplendore & radio è cælo dimiſſo, quem mallet ex duobus declaraſſe, vt ſic omnibus perſpicuum eſſet, ſanctos Chriſti Apoſtolos, ſanctæ Eccleſiæ Principes, non interiùs modò (quo modo vocantur quotquot ad Chriſtum conuertuntur) ſed exteriùs quoque, voce vel ſigno, ad Apoſtolicum munus & Euangelicum miniſterium fuiſſe vocatos. Vnde ſi de ceteris Apoſtolis legimus in Euangelio, Chriſtum ſingulari vocatione illos ſibi aggregaſſe, & Paulum ab eodem Chriſto in cælis iam regnante, ſigno & voce ad Apoſtolatum vocatum fuiſſe; cur ſuſpicari non poſſimus, tale quid etiam in electione Matthiæ ad Apoſtolatum accidiſſe, præſertim cùm vel firma auctoritas, vel ratio, quæ ei refragetur, non inueniatur, ſed potiùs quæ ei ſuffragetur, magni inquam Dionyſij, qui Pauli diſcipulus, & aliorum Apoſtolorum contemporaneus fuit, auctoritas & probabilis congruentia adducta ſit? Et ad illud fortè reſpexerunt antiqui fideles, dum locum electionis Matthiæ ad Apoſtolatum perpetuo monumento conſignarunt, ſicut & alterum prodigioſæ conuerſionis S. Pauli, & alia loca conuerſionis aliorum Apoſtolorum, vt Scriptores locorum Terræ ſanctæ adnotarunt. Et profectò, ſi aliquo exteriori ſigno & opere nobilitatus non fuiſſet locus, non tam facilè fideles illius memoriam tot ſæculis conſeruaſſent.

Quamuis non refragarer ſentienti, in Matthiæ electione accidiſſe, quod & in aliorum communi electione, quæ per vota eligentium fieri conſueuit, accidere ſolet. Vt exempli gratia, alicui Eccleſiæ Epiſcopus præficiendus eſt: multi concurrunt, & ex illis duo nominantur, vt pro eis dentur ſortes & vota; & præmiſſa oratione venitur ad electionem, & qui maiorem habet votorum partem, is Epiſcopus illius Eccleſiæ conſecratur, quo facto nos diceremus, ſortem ſuper illum cecidiſſe. Ita contingere potuit in ſubſtitutione Apoſtoli & Epiſcopi in locum Iudæ proditoris, vt ex multis duo ſingulariter nominati fuerint, Barſabas & Matthias, & inuocato Spiritu ſancto, collectiſq; votis Apoſtolorum, vel omnia, vel pleraque habuerit Matthias, & ita in locum Iudæ ſuffectus fuerit, adeoque ex vſu loquendi benè dixerit S. Lucas: *Et dederunt ſortes eis, & cecidit ſors ſuper Matthiam, & annumeratus eſt*, &c. Act. 1,26. & locus ille meritò in memoria fidelium perpetuò conſeruandus fuit, ob ſolam tanti Apoſtoli electionem, etſi nullum aliud ſignum vel miraculum ibi apparuerit.

Vel tertiò, inhærendo iam duplici modo aſſignato poſſet dici, propoſitis duobus illis diſcipulis, & oratione præmiſſa, dediſſe Apoſtolos ſortes, quæ ceciderint ſuper Matthiam, vt dictum fuit in ſecundo explicationis modo, quæ ſors & electio, ſigno cælitus dimiſſo ſuper Matthiam, ratam indicauerit illius in Apoſtolatum electionem. Et hoc eſt quod dicitur in primo modo explicationis præmiſſæ ſortis.

CAPVT X.

De loco diuiſionis Apoſtolorum, quando ab inuicem ſeparati, profecti ſunt in vniuerſum mundum ad fidem Chriſti propagandam, qui eſt quintus in quarta Peregrinatione.

QVandoquidem vniuerſus mundus per Apoſtolorum prędicationem conuertendus erat, neceſſarium erat vt non ſimul cohabitarent, ſed vt ab inuicem diuiſi, totius orbis Prouincias peragrarent, ibiſque verbum Dei ſeminarent, fidem, Chriſtianamque religionem propagarent, ſicut illis à Chriſto Domino fuerat imperatum. Vt enim ager nō poteſt multam ſegetem meſſemque producere, niſi priùs agricolarum labore & induſtria fuerit totus ſeminatus; ita nec huius mundi ager poterat ſalutis fructus proferre, niſi priùs per ſanctos Apoſtolos Euangelica prædicatione, velut cæleſti ſemine, ſeminatus fuiſſet. Igitur cùm Dei voluntas eſſet omnes homines ſaluos fieri, & ad viam veritatis adduci, & vberes ſalutis fructus proferre, miſit ad eos Spiritus ſanctus in omnes mundi Prouincias, velut ſatores ſuos, Apoſtolos charitate feruidos, ac cæleſti ſapientia & facundia redundantes. *Illi autem profecti*, inquit S. Marcus c. 16, 20. *prædicauerunt vbiq;, Domino cooperante, & ſermonem confirmante, ſequentibus ſignis*, &c.

Diuiſionem ac prædicationem Apoſtolorum mundus conuertendus fuit.

Quo verò loco & tempore, & quo modo illa Apoſtolorum diuiſio peracta ſit, inquirendum eſt, vt quam pertractamus materiam, pleniùs ſciamus.

Quoad locum diuiſionis Apoſtolorum, dico cum communi Orientalium traditione, eam factam fuiſſe in Ieruſalem in monte

Digitized by Google

te Sion, in ipſo ſancto cœnaculo, qui locus nunc ſingulariter monſtratur extra Eccleſiam ſanctiſſimi cœnaculi, diſſitus ab ea ad decem vel quindecim paſſus in plaga eius Septemtrionali, vbi eſt ciſterna. Proximus eſt locus ille domui Caiphæ, ſeptus tamen intra plateam ſiue ambitum Eccleſiæ. Ita Bonifacius lib. 2. De perenni cultu Terræ ſanctæ, & Adrichomius in delineatione locorum montis Sion locum illum agnoſcit, etſi particulariter illum non deſcribat.

De tempore quo ab inuicem diuiſi ſancti Apoſtoli ad Euangelium prædicandum varia ſententia.

Prima ſententia.

Quoad tempus huius Apoſtolorum ſeparationis, ſuſpicabitur fortaſſe aliquis, non multò poſt Chriſti ad cælos aſcenſionem, & aduentum Spiritus ſancti ſuper eos in die Pentecoſtes, abiiſſe in mundum vniuerſum, corpore quidem ab inuicem diuiſos, ſed animo & charitate coniunctiſſimos, vt eamdem charitatem & religionem aliis ſuppeditarent: quoniam in animarum ad Deum conuerſione moræ trahendæ non ſunt. hac enim ratione anteà præceperat illis Dominus, ne, dum per ciuitates & caſtella ad prædicandum Euangelium proficiſcuntur, in via quempiam ſalutarent, ne (vt docent ſacri Doctores) prædicatio illorum impediretur, aut vel ad modicum retardaretur. Et quis dubitabit de illorum prompta obedientia? Si enim ante Chriſti Domini cum ipſis conuerſationem, & Spiritus ſancti ſuper eos aduentum, quando adhuc tepidi & charitate frigentes erant, ad vnius Domini vocem continuò, relictis omnibus, ſecuti ſunt, vt D. Petrus omnium nomine aliquando dixit ad Chriſtum, *Domine ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te*, Matth. cap. 19, 27. quantò magis illos ipſius præcepto de prędicando Euangelio per vniuerſum mundum obtemperaſſe credere debemus, quando iam ex longa Chriſti familiaritate perfecti, & aduentu Spiritus ſancti perfectiores redditi, & in gratia confirmati, idonei miniſtri noui Teſtamenti effecti fuere? Et ita feciſſe, videntur indicare verba illa D. Marci cap. 16, 19. *Et Dominus quidem Ieſus poſtquam locutus eſt eis, aſſumptus eſt in cælum, & ſedet à dextris Dei.* vbi ſtatim ſubditur, *Illi autem profecti prædicauerunt vbique*, &c. hoc eſt, nulla interpoſita mora, omnibus poſthabitis, facta inter ipſos conſultatione de impoſito munere perficiendo, abierunt ad diſſeminandum Euangelium per vniuerſum terrarũ orbem.

Admitti poſſet hæc ſententia, niſi probabilis ratio, experientia ſiue euentus, & efficax auctoritas ei obſtaret. Ratio quidem obſtat, quoniam, ſecundùm ordinatam charitatem, priùs domeſticorum, deinde aliorum ratio habenda eſt: qui enim *ſuorum, & maximè domeſticorum curam non habet, fidem negauit, & eſt infideli deterior*, inquit D. Paulus 1. Timot. 5, 8. & iterùm, *Operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domeſticos fidei*, Galat. 6, 10. Item audierant à Chriſto, *In viam Gentium ne abieritis*, Matth. 10, 5. &, *Non ſum miſſus niſi ad oues quæ perierunt domus Iſraël*, Matth. 15, 24. his indicans, licet propter omnes homines in hunc mundum venerit, præcipuè tamen veniſſe propter Iudæos, & ideò primò illorum ſaluti intendendum eſſe. Quare Chriſtus receſſurus à diſcipulis ſuis, & migraturus ad Patrem, dato præcepto de prædicando Euangelio omni creaturæ, ne eos ſuſpenſos teneret vnde primùm incipere deberent, ab Hebræis, à Græcis, an qua alia gente, mentem ſuam explicuit dicens: *Accipietis virtutem ſuperuenientis Spiritus ſancti in vos, & eritis mihi teſtes in Ieruſalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & vſque ad vltimum terræ*, Act. 1, 8. & ſtatim ſubiungit Lucas: *Et videntibus illis elenatus eſt*, &c. Ecce quomodo priùs in Ieruſalem, deinde in Iudæa, & vniuerſa Samaria, Terræ ſanctæ præcipuis Prouinciis, ac deinde in aliis orbis terrarum regionibus Chriſto teſtimonium dicere debebant, teſtificantes omnibus quòd hic ſit Chriſtus Saluator mundi, & non ſit in alio ſalus. Igitur naturali ac diuino mandato ſancti Apoſtoli, cùm Iudæi ſiue Iſraëlitæ eſſent, debuerunt per aliquod tempus, poſt diſceſſum Chriſti ab eis corporalem, perſeuerare in ſancta Ieruſalem ciuitate, & in aliis vrbibus & oppidis Terræ ſanctæ, pro ſuæ gentis conuerſione. Vereq; ibi perſeueraſſe, manifeſtè colligitur ex Actis Apoſtolorum.

Et ratiocinatio iſta tantò eſſet probabilior, ſi quod Apollonius apud Euſebium lib. 5. Hiſtor. Eccleſ. cap. 17. ſe traditione accepiſſe ait, verum eſſet, nimirum, Chriſtum Apoſtolis dediſſe mandatum, ne ante annum duodecimum diſcederent ex Ieruſalem. At non dubitamus de eo quod ſanctus Chryſoſtomus Homil. 78. in Matth. ſequentibus verbis dixit: *Apoſtoli prædicauerunt Iudæis, longoq; temporis ſpatio caſi & flagellati in Iudæa manentes, ac demum ab ipſis propulſi in Gentes profecti ſunt.*

Sed quàm longum fuit hoc temporis ſpatium? Apollonius, iam iam ex Euſebio relatus, dicit, fuiſſe duodecim annorum, quæ eſt in hac difficultate ſecunda ſententia. Exploditur tamen à Cardinale Baronio ſententia iſta. Si enim tanto tempore in Iudæa manſiſſent Apoſtoli, vtique ante annum quartum Claudij Imperatoris, & quadrageſimumſextum Chriſti inde non diſceſſiſſent: at verò omnium teſtimonio certum exploratumque habetur, iam anno ſecun-

do eiuſdem Imperatoris, & quadrageſimoquarto Chriſti, Petrum Apoſtolorũ Principem veniſſe Romam. Rurſum reijcitur iſta ſententia ex tempore quo Marcus ſcripſit ſuum Euangelium: ſcripſit autem illud, vt docet Euſebius in Chronico, anno tertio Claudij, & conſequenter Chriſti quadrageſimoquinto, antequam Româ amandaretur Alexandriam à D. Petro, vt præter alios idem defendit Baronius. Dicit verò ille in fine ſui Euangelij de Apoſtolis loquens: *Illi autem profecti prædicauerunt vbique, Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis*, Marc. 16, 20. quare ſi, quando ſcripſit, iam profecti erant ad prædicandum per vniuerſum orbem Euangelium, conſequens eſt, vt non poſt duodecim annos, anno videlicet Claudij quarto & Chriſti quadrageſimoſexto ex Ieroſolymis receſſerint, ſed ante.

At quando præcisè inde abierunt? Baronius aſſerit, profectionem illam Apoſtolorum factam fuiſſe anno ſecundo Claudij Imperatoris & anno Chriſti quadrageſimoquarto, quæ eſt tertia & poſtrema ſententia, quam cum pluribus aliis libenter amplectimur. Et hic annus fuit vndecimus ab Aſcenſione Chriſti in cælum, quo nimirum Herodes Agrippa Iacobum fratrem Ioannis occidit, Petrumque in carcerem miſit, cuius rei memoria in nonnullis Martyrologiis ad diem decimamquintam Iulij recolitur: antè enim non fuiſſe ſanctos Apoſtolos ab inuicem diuiſos, conſtat ex Actibus Apoſtolorum. Sicut enim poſt necem S. Stephani, *vniuerſi qui erãt Ieroſolymis diſcipuli diſperſi ſunt*, vt ait S. Lucas, *præter Apoſtolos*, Act. 8, 1. ita etiam eo anno ſecunda in Eccleſia contra ſanctos Apoſtolos per Agrippam excitata perſecutione, occiſo Iacobo Apoſtolo, & Petro ad idem ſupplicium condemnato, ſed diuina virtute elapſo, factam eſſe Apoſtolorum diſperſionem, par eſt credere. Cùm enim, quo loco in Iudæa conſiſterent, perſequente illos Agrippa, non haberent, à Iudæis pulſi, ad exteras Gentes conuerſi ſunt, vt illis fuerat à Domino præmonſtratum, vt ſtatim videbimus. Hæc ſparſim ex Baronio.

Ad ea verò quæ pro prima & ſecunda ſententia adducebantur, quid reſpondendum ſit, patere poteſt ex dictis, quibus addo, præceptum illud de prædicando Euangelio per vniuerſum mundum, non fuiſſe neceſſariò ſtatim implendum, ſed tempore ſuo, à Deo determinando: eſt enim præceptum affirmatiuum, quod opportuno tempore implendum erat; interim priùs teſtimonium Chriſto perhibere debebant in Ieruſalem, Iudæa & Samaria, vt dictum fuit; quod non præſtitiſſent, ſi ſtatim poſt aduentum Spiritus ſancti ad exteras Prouincias profecti fuiſſent: & vtique ille qui opportuno tempore obedit, haud redarguendus, ſed potiùs laudandus eſt.

Nec verba illa Euangeliſtæ Marci nobis officiunt: nam illis noluit indicare, ſtatim poſt Chriſti præceptum de Euangelio vbique prædicando Apoſtolos profectos fuiſſe (alioquin enim non reuerſi fuiſſent in Ieruſalem & in montem Sion) ſed ſolùm abiiſſe tempore opportuno, cetera prætermittens quæ in Actis Apoſtolorum enarrantur; ſatis enim compendiosè ſuum ſcripſit Euangelium S. Marcus.

Ad illud Melitonis Sardenſis Epiſcopi, præter dicta quibus aduerſa abundè diſſlauimus, reſpondet Baronius apocryphum eſſe illius ſcriptum. Quomodo verò Apollonij ſententia non ſubſiſtat, viſum eſt.

CAPVT XI.

De modo quo ſancti Apoſtoli, profecturi in mundum vniuerſum ad ſanctum Dei Euangelium prædicandum, ab inuicem diuiſi fuere.

COgnita à ſanctis Apoſtolis Dei voluntate, & iam tempore aduentante, quo, Iudæa relicta, ad prædicandum Gentibus Euangelium commigrare debebant, vt ex linteo illo cælitus oſtenſo intellexerat Apoſtolorum Princeps, vrgente etiam graui Agrippæ Regis Iudæorum perſecutione, in vnum conuenientes in monte Oliueti, vt dicemus infrà Cap. 1. Peregrinationis IX. huius Libri, ſiue, vt aliis placet, in monte Sion, quid in poſterum agendum eſſet deliberauerunt. Multis verò ſancitis legibus, & variis traditionibus ad Eccleſiæ ſanctæ regimen neceſſariis impartitis, compoſito item ſymbolò quod inde Apoſtolorum appellatur, ſinguli ad ſingulas Orbis Prouincias profecti fuere.

Diuiſio Apoſtolorum quomodo facta.

Quomodo verò hæc diuiſio facta fuerit, quáve ratione huic iſta, & iſti hæc obtigerit Prouincia, non vna omnium eſt ſententia. Abulenſis Tom. 1. in Matth. in Prolog. ſorte Prouincias eſſe diuiſas, ait, & D. Hieronymus quæſt. 4. *Diuiſerunt*, inquit, *inter ſe totum orbem per duodecim partes ſiue Prouincias, & illas inter ſe ſorte diuiſerunt*, &c. quod idem etiá docet in Præfat. quæſt. 20. & in Iſaiæ cap. 34. *Apoſtoli*, inquit, *ad diuerſas Prouincias perrexerunt, quia Dominus mandauerat eis, Ite & docete omnes gentes.* &, *Spiritus illius congreganit eos, dediſq; eis ſortes, atque diuiſit, vt alius ad Indos, alius ad Hiſpanias, alius ad Graciam pergeret*, &c. Ait, Spi-

Digitized by Google

Spiritum ſanctum dediſſe ſortes Apoſtolis, quia ſorte Prouinciæ à Spiritu ſancto diuiſæ ſunt. Vide etiam Socratem lib. 1. c. 15. & Ruffinum lib. 1. Eccleſ. Hiſt. c. 9.

Alij verò dicunt, pro diuerſitate linguarum ſuam cuique aſſignatam fuiſſe Prouinciam: quamuis enim vniuerſi omnium linguarum donum acceperint, peculiari tamen huius vel illius Prouinciæ quemlibet ſeorſim donatum fuiſſe idiomate, atque ſecundùm illud quemlibet miſſum fuiſſe ad illam Prouinciã cuius idiomate loquebatur.

Sed priori ſententiæ obſtant Patres, Chryſoſtomus, Oecumenius, Beda, Gloſſa, & alij, qui docent, Apoſtolos poſt acceptum Spiritum ſanctum in rebus agendis ſortium incertitudine non fuiſſe vſos, multò minùs rem tanti momenti eiſdem commiſiſſe. Idem etiam Patres poſteriori ſententiæ aduerſantur, dum docent, Apoſtolos quoſlibet omnibus linguis locutos fuiſſe. Et ſanè non apparet ratio, quare vnus magis hoc idiomate, alius verò illo veteretur, cùm omnes Galilæi eſſent, & à communi Spiritu docerentur: nec etiam videtur ratio reſtringendi donum linguarum Apoſtolis à Spiritu ſancto conceſſum, cùm abſolutè illos variis linguis fuiſſe locutos teſtetur S. Lucas.

Sancti ſpeciali inſtinctu abierũt ad diuerſas Prouincias Apoſtoli.

Sit ergo alia ſententia, peculiari Spiritus ſancti ductu diuiſos eſſe ſanctos Apoſtolos, & quemlibet illam ſibi elegiſſe Prouinciam, ad quam impetus Spiritus, quo repleti erãt, eum excitabat, vt poſt ſuprà adductas opiniones confutatas ex ſimilibus probat Baronius Tom. 1. ad annũ Chriſti 44. Quemadmodum enim Paulus Apoſtolus vas electionis ſpeciali ſupernaturaliſque modo electus fuit, vt portaret nomen Chriſti coram Gentibus, & Regibus, & filiis Iſraël; eique Chriſtus reuelaturus erat, quanta illũ oporteret pati pro nomine ſuo; quantò magis idem opinari debemus de omnibus aliis Apoſtolis per vniuerſum orbem mittendis? *Si enim de Paulo & Barnaba*, inquit Baronius, *antequam ſimul mitterentur ad prædicandum Gentibus Euangelium, dixit (quod habet Lucas) Spiritus ſanctus: Segregate mihi Saulum & Barnabam in opus ad quod aſſumpſi eos; quomodo non magis, cùm omnes mittendi eſſent Apoſtoli, quò ſinguli profecturi eſſent, declarauit idem Spiritus ſanctus? Quin etiam cùm ſingulorum ordinationes non niſi præcedentibus prophetijs & ſpecialibus admonitionibus Spiritus ſancti ab Apoſtolis fieri conſueuerunt; numquid in tanto tantaq; molis negotio eum conſulere neglexerunt? Si inſuper ad hominem vnum baptizandum miſſus eſt Angelus ad Philippum, & quò iturus eſſet admonuit: numquid, cùm ad totius humani generis ſalutem mittendi eſſent Apoſtoli, quò ſinguli profecturi eſſent, Dominus per Angelum, vel aliter diuinitus deſiit demonſtrare? Omnia diuinus ille Spiritus moderabatur, neque ſine illius inſtinctu aliquis illorum quidquam agere præſumebat, quamuis animo concepiſſet. Hæc cùm pluribus ſint exemplis monſtrata, adhuc accipe quæ de Paulo ac ſocijs ſcribit Lucas: Tranſeuntes autem Phrygiam, & Galatiæ regionem, vetiti ſunt à Spiritu ſancto loqui verbum in Aſia: cùm veniſſent autem in Myſiam, tentabant ire in Bithyniam, & non permiſit eos Spiritus Ieſu. Cùm autem pertranſiſſẽt Myſiam, deſcenderũt Troadem, & viſio per noctem Paulo oſtenſa eſt: vir Macedo quidam erat ſtans & deprecans eum, & dicens: Tranſiens in Macedoniam, adiuua nos. Vt autem viſum vidit, ſtatim quæſiuimus proficiſci in Macedoniam; certi facti, quòd vocaret nos Deus euangelizare eis. His ergo & alijs exemplis admoniti, dicimus, ſingulos Apoſtolorum in eas orbis regiones eſſe amandatos, ad quas Spiritus ſanctus priuato inſtinctu voluit eos proficiſci.* Hæc & alia de hac miſſione Apoſtolorũ, profectione in varias Prouincias ad quas perrexerunt, fusè ex ſanctis Patribus docet Cardinalis Baronius: quæ ſi quis ſcire deſiderat, eum conſulat; nam nec plura dicere noſtri inſtituti ratio poſtulat, præſertim cùm ea inueniri apud plures probatos Auctores non ſit difficile.

Fortaſſe ab iſta ſententia plures Auctores prioris non diſſentiunt, ſortium nomine Prouincias ſiue mundi partes illas intelligentes, quæ illis obtigerunt inſtinctu Spiritus ſancti. Quod fortè aliquo extrinſeco ſigno illis innotuit, quemadmodum ſuperiùs de electione Matthiæ diximus. Auctores verò ſecundæ ſententiæ non arbitror excludere ſingularem motionem Spiritus ſancti in illa miſſione; ſed aduertere Deum omnia ſuauiter diſponere, & agere ſecundùm modum recipientis. Et cùm clarum ſit, non omnes Apoſtolos fuiſſe eodem modo affectos, ſed hunc magis ad Hebraicam linguam affectum, illum ad Græcam propenſiorem, alium ad manendum in India, alium ad proficiſcendum in Italiam, &c. ſecundùm eorum inclinationem eos mouiſſe. Scimus etenim, Deum per Prophetas fuiſſe locutum ſecundùm illorum diſpoſitionẽ. Si enim nobiles erant & Regio genere orti, eleganti ſtylo ſua ſcripſerunt vaticinia, vt patet de Iſaia; ſi ignobiles, vel in ruſticano ſolo progeniti, eadem ruſticano ſermone litteris conſignarunt, vt patet de Ieremia, Amos, &c. Notabilis hæc eſt D. Hieronymi obſeruatio. Quæ ſi non placent, placeat poſtrema ſententia.

CAPVT XII.

De ſepulchro S. Stephani Protomartyris, ſexto loco quartæ Peregrinationis, & eiuſdem ſancti corporis inuentione ac tranſlatione.

IVxta locum, in quo fertur agnus Paſchalis pro vltima Chriſti cœna fuiſſe occiſus & præparatus, qui eſt in ſiniſtra parte Cœnaculi Sion, eſt alius, ad quem fuit corpus B. Stephani Protomartyris delatum, ibique ſecundò tumulatum à Caphargamala, Honorij Principis tempore, inquit Bonifacius loco iam ſæpiùs citato.

Vt meliùs quæ de iſto ſepulchro S. Stephani in monte Sion dicuntur, percipiantur, duo referemus de ſacroſancti Protomartyris Stephani corpore: alterum communiter vulgatum, & ab antiquo in Dei Eccleſia receptum; alterum, quod nouiter & noſtro tempore innotuit. Primum præſenti, ſecundum ſequenti Capite pertractabimus.

Triplex corporis S. Stephani tranſlatio.

Obſeruandum ergo eſt, tribus vicibus B. Protomartyris corpus tranſlatum fuiſſe, primò ex villa Gamalielis, quæ viginti milliaribus diſtabat ab Ieruſalem, vt patet ex recepta Epiſtola Luciani, cui facta fuit reuelatio corporum S. Stephani, Gamalielis D. Pauli Magiſtri, Nicodemi, & Abibonis Gamalielis filij, vt alibi dicemus, dum agemus de loco vbi fuit lapidatus S. Stephanus; ex ea inquam Gamalielis villa in montem Sion: quæ inuentio & tranſlatio fuit magnis illuſtrata miraculis.

Prima in montem Sion.

Secunda Conſtantinopolim.

Secunda tranſlatio fuit ex ſacro monte Sion Conſtantinopolim, ſub Theodoſio iuniore.

Tertia Romam.

Tertia Conſtantinopoli Romam, Pelagio I. Summo Pontifice, vbi in agro Verano in ſepulchro S. Laurentij Martyris collocatum eſt, vt habetur in Breuiario Romano & Martyrologio die 7. Maij de tranſlatione Conſtantinopoli Romam, & referunt ibi notati à Baronio Auctores.

Virtus Reliquiarum S. Stephani.

In Gallias etiam fuerunt quædam eiuſdem Protomartyris Reliquiæ delatæ, de quibus Gregorius Turonenſis lib. 1. Hiſt. c. 31. & De glor. Mart. c. 33. Aliæ item in Minoricam inſulam, quarum virtute vniuerſa gens Iudæorum, quæ inſulam incolebat, ad fidem Chriſti mirandis prodigijs conuerſa eſt, vt retulit Baronius in Notis ad Romanum Martyrologium, die 3. Auguſti, vbi plura.

Quæ ſi vera ſunt, vel non eſt verũ quod dicit Bonifacius, corpus Protomartyris fuiſſe ſecunda vice in monte Sion tumulatum, vel explicandus eſt, & dicendum, locum ſordidum Vallis Ioſaphat (de quo aliàs) in quem corpus Martyris proiectum fuit à Iudæis, pro prima ſepultura numerandum eſſe. Ceterùm hoc alienum eſt à modo loquendi Sanctorum & Eccleſiæ, quæ facit primam illius corporis tranſlationem ad montem Sion. Vel dicatur, non loqui Bonifacium de tranſlatione, ſed de tumulatione, & ita erit verum; quia primò in villa Gamalielis tumulatum, ſecundò inde ad montem Sion tranſlatum, ibique honorificentiùs tumulatum fuit.

Nec etiam mihi multum probatur quod ſcribit Adrichomius de iſto ſepulchro in deſcriptione Ieruſalem numer. 23. ſequentibus verbis: *Sepulchrum S. Stephani Protomartyris, Nicodemi, Gamalielis præceptoris Pauli Apoſtoli, & Abibonis filij eius, quorum corpora, cùm plus minus trecentis ſexaginta annis prope Ieroſolymam in Valle (vt videtur) Ioſaphat, in obſcuro ac ſordido loco iacuiſſent, ſub Honorio Imperatore cæleſti reuelatione monſtrata, inuenta, effoſſa, & ſuaui odore fragrantia, non ſine miraculis ſumma celebritate hîc prope cœnaculum & vrbis mœnia honeſtiùs tumulata ſunt.* Non, inquam, mihi placet, quantum ad illud quod dicit, corpora illa in ſordido loco prope Ieroſolymam in Valle Ioſaphat fuiſſe inuenta: hæc enim, vt ex citata receptaque Luciani Epiſtola apparet, honorificè tumulata fuere in villa Gamalielis, diſtanti ab Ieruſalem viginti milliaribus.

Quòd ſi pro illo aliquis dicat, quæ ab eo aſſeruntur, Eccleſiæ teſtimonio comprobari, quæ in Officio feſti Inuentionis S. Stephani hæc habet: *Sanctorum corpora Stephani Protomartyris, Gamalielis, Nicodemi, & Abibonis, quæ diu in obſcuro ac ſordido loco iacuerant, Honorio Imperatore, Luciano Presbytero diuinitus admonito, inuenta ſunt prope Ieroſolymam.* & poſt pauca: *Sacra autem corpora ſumma celebritate in ſanctam Eccleſiam Sion illata ſunt.*

Reſpondeo, in prædictis Eccleſiæ verbis nullam fieri mentionem Vallis Ioſaphat, ſed inuenta fuiſſe ſancta illa pignora prope Ieroſolymam, & per locum inuentionis non Vallem Ioſaphat, ſed Gamalielis villam intellexiſſe, poſſumus ex eo diiudicare, quod refert ex Epiſtola Luciani, vbi è villa Gamalielis, & non ex Valle Ioſaphat tranſlata fuiſſe aſſeritur. Et loci ſordidi nomine, non ſordidũ Vallis Ioſaphat locũ intellexit, ſed alium Gamalielis: qui quoniam minùs honeſtus fuerit illo ad quem tranſlata fuerunt illa corpora, ſordidus & obſcurus locus appellatus eſt. Igitur in ſacrũ montem Sion ex villa Gamalielis fuit S. Protomartyris Stephani corpus primò tranſlatum, & in memorato ſepulchro honorificè tumulatum,

&

& postea ad alias partes delatum. Quare sepulchrum S.Stephani in monte Sion meritò in veneratione habetur, non quòd in eo sancti Protomartyris corpus sit, sed quia fuit aliquando in eo tumulatum: quemadmodum simili ratione pietatis ergò inuisuntur sepulchra Christi Domini, B. Mariæ Virginis; & aliorum Sanctorum, etsi sacrorum pignorum expertia, quoniam eisdem aliquando fuerunt consecrata. Et hæc quidem sunt communi, veteri ac vulgata traditione recepta.

CAPVT XIII.

Noua relatio inuentionis Reliquiarum S. Stephani Protomartyris apud Secusiam in Pedemonte.

VT priori Capite relatæ traditioni & historiæ Inuentionis ac translationis corporis glorioſi Leuitæ & Protomartyris sancti Stephani maius pondus addatur, alia particularis ac recens historia inuentionis Reliquiarum eiusdem Martyris in medium adducenda est, atque explicandum, quomodo præcedenti haud aduersetur. Secusia nobile est oppidum Taurinensis diœcesis in Pedemonte, vbi celebris habetur Ecclesia sub titulo S. Iusti Abbatiâ decorata, & pluribus iisque insignibus Sanctorum Reliquiis ditata, quas inter esse etiam Reliquias S. Protomartyris Stephani, constanter creditur. Quo autem tempore, & quibus argumentis illæ innotuerint, hîc subscribam, prout intellexi ab Illustrissimo & Reuerendissimo D. Alexandro Scalia, eiusdem loci Abbate ac perpetuo Commendatario, prout ipse accepit à suo Vicario, qui actis circa dictas Reliquias eius vice interfuit, dum ille Orator esset Romæ apud felicis recordat. Paulum V. Pontificem Maximum pro Serenissimo Duce Sabaudiæ; & vt ipsemet legi in gemino authentico Processu quoad illam Inuentionẽ confecto, & ab eodem D. Abbate mihi exhibito, qui sic habet:

Anno Domini milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo, Indictione tertia, & die Martis vigeſima ſecunda menſis Decembris, Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris & D. D. Pauli diuina prouidentia Papa V. anno decimo ſexto, ad oppidum Secuſiæ Taurinenſis Diœceſis, & Monaſterium ſiue Conuentum M. RR. Canonicorum Regularium S. Auguſtini, Congregationis S. Ioannis Lateranenſis, acceſſit Illuſtriſſimus & Reuerendiſſimus in Chriſto Pater & D. D. Philibertus Millietus Archiepiſcopus Taurinenſis, accepto in eadem ciuitate Taurinenſi nuntio, inuentas fuiſſe in dicti Monaſterij Eccleſia ſub titulo S. Iuſti, & ſacello ſub inuocatione S. Stephani, & in eo ſito altari, à cornu Epiſtolæ, Reliquias inſignes eiuſdem ſancti Stephani Protomartyris; ne quidquam circa huiuſmodi Inuentionem contra diſpoſitionem ſacri Concilij Tridentini ſeſſ. 25. cap. 1. ſequeretur: & tam ratione muneris ſui exequendi, quàm etiam ſatisfaciendi deſiderio ac deuotioni ſuæ Celſit. Sereniſſ. à dicta ciuitate Taurinenſi ad Secuſiæ oppidum, aſſociantibus cum Illuſtri & M.R.D. Ioanne Baptiſta Vercellino Vicario generali Archiepiſcopali M. R. PP. P. Mundo à Societate Ieſu, & Sereniſſima Ducisſæ Sabaudiæ Confeſſario, & P. Iuſto Guerino Clerico Regulari Congregationis S. Pauli decollati Taurini degentibus, Perillustribus D. Simeone Fauzono eiuſdem Secuſiæ pro dicta ſua Celſitud. Gubernatore, & D.Orlando Freſia præfata Celſit. Protonotario, ac D. Ioanne Antonio Canagneto in Vniuerſitate ſtudij Taurinenſis Anatomiſta, ſe contulit & recepit, ibiq; in Camera prope cubiculum Præpoſiti dicti Monaſterij exiſtens, ad præſentiam prænominatorum ipſum aſſociantium, nec non M. RR. PP. Don Antonij à Rauẽna Præpoſiti, Don Celſi à Bononia Vicarij, Don I. Angeli à Nouaria, D.Cherubini à Cremona, & D.Caroli Antonij à Cherio Canonicorum Regularium dicti Monaſterij, M. R. D. Octauij Surdi Præpoſiti Eccleſiæ parochialis loci Buzzoleni, R.D. Ioannis Baptiſtæ Crocerij Rectoris Eccleſiæ Parochialis S. Pauli dictæ Secuſiæ, D. Ioannis Franciſci Medalia ex DD.Villaris Fochiardi & Sargentis maioris pro dicta S. Celſit. Domini Capitanei Io. Antonij Falconerij, Nob. Benedicti de Ioanninis Conſindici, Io. Georgij Poncerij ex-Conſiliarij huius oppidi Secuſiæ, & aliorum quàm plurium virorum, viſitauit capſam ligneam ex cypreſſo ſuper tabula ibi exiſtenti, ſibi à præfatis M. RR. DD. Præpoſito & Canonicis præſentatam & exhibitam, accenſisq; facibus, & recognitis priùs ſigillis quibus munita comperta fuit in numero decem, per præfatum D. Gubernatorem nomine dictæ S. Celſit. vt dixit, appoſitis, illisq; amotis, & aperta capſa ipſa, inuenta fuere in ea plura oſſa velo ſerico diuerſi coloris inuoluta.

Indicia quibus indicatur dictum corpus eſſe S.Stephani.

Primò, caput perfectum, mandibulis exceptis, ab eodem ſeparatis, cum tribus dentibus maxillaribus, duobus integris, & tertij radice. In illis ſex contuſiones deprehenſæ fuerunt: prima in fronte & regione futura coronalis, & eſt latitudinis vnius Iulij, in qua ob vetuſtatem vel aliter; os conſumptum eſt: non tamen adeò magna eſt, quòd poſsit totum cranium penetrare, ſed vſq; ad ſecundam pertingit tabulam, & circà parua videntur foramina, vt ſigna amiſſæ ſubſtantiæ, rubenteſq; macula. Longè à memorata contuſione vnius

Primum indicium, capitis cum dicto.

Digitized by Google

digiti latitudine, ſecunda verſus lauam partem conſpecta fuit, ex qua tria rubentia ſigna velut ſanguinis conſpiciuntur. Tertia contuſio ex eadem laua parte inter ſuturam coronalem & ſagittalem, cum manifeſta oſſis depreßione, vt dictus Illuſtrißimus Archiepiſcopus tactu deprehendit. Quarta contuſio in poſteriori parte oſſis petroſi ex eadem parte inter os petroſum, & cranium dimidiati Iulij longitudinis, &, prima excepta, ceteris manifeſtior. Quinta contuſio eſt in ſuperiori parte capitis, proxima ſuturæ lambdoidis cum aliqua ſubſtantiæ amißione, & paruis foraminibus ad cranium penetrantibus. Sexta denique contuſio ceteris maior & rubens eſt inter ſuturam coronalem ac ſagittalem, adeò vt vtramque tangere videatur. Eſt hoc caput ſufficientis magnitudinis.

Secundò inuenta eſt predicta mandibula cum quinque dentibus, vno maxillari, & anterioribus aliis, quæ aptata capiti, eiuſdem eſſe deprehenſum fuit. Duæ item clauiculæ inuentæ fuerunt, duæ homoplatæ, quarum dextera contuſionem vnius Iulij latitudinis habet, duo brachiorum oſſa ſuperiora, quatuor item oſſa cubiti inferioris. Item quatuordecim coſtæ omnes integræ, decem item coſtæ mendoſæ, etſi ex parte fractæ. Item ſexdecim vertebræ dorſi & lumborum integræ, & partes aliarum quatuor. Item os ſacrum cum ſex vertebris eidem copulatis, & omnes integræ ac fractæ integram conſtituunt ſpinam dorſi. Item os coccygis, id eſt cauda, repertum eſt integrum, abſque propriæ ſubſtantiæ deperditione. Item os ſternum, id eſt pectoris ex inferiori parte fractum, cui deeſt cartilago xiphoides appellata. Item duo oſſa integra ilion appellata, & duo oſſa femoris. Item os cruris partis anterioris, ac denique alia pleraque oſſa integra & fracta reperta fuere, ad humani corporis conſtitutionem neceſſaria, quæ in Proceſſu recenſentur. Quæ omnia in eadem capſa repoſita fuerunt, ſuprà memoratis præſentibus, & clauſa munita fuit ſigillo Archiepiſcopi & Gubernatoris, ac tradita predicto Præpoſito cuſtodienda, donec aliud per ſanctam Apoſtolicam Sedem fuerit ordinatum: qui, præſtito iuramento, ſe cuſtoditurum promiſit.

Secundum indicium ex picturis ſacelli.

His peractis, Illuſtrißimus D. Archiepiſcopus cum comitiua predicta acceſſit ad dictum ſacellum S. Stephani, cuius fornicatum altare, & retro ipſum muros demoliti fuerunt ob paratam nouam readificationem, & eo viſitato conceßit teſtimoniales. Quòd inquam in arcu ipſius ſacelli viſitur iuxta fornicem pictura, quæ deſignat ordinationem S. Stephani Protomartyris, & paulò infrà conſpiciuntur alia pictura quæ demonſtrant ipſum ſanctum Stephanum predicantem ad populum, & inferiùs eſt pictum martyrium ipſius ſancti, in qua parte eſt depictus genibus flexis & iunctis manibus, & à tergo eius lapidantes: & præſertim quod in capite ipſius Sancti ſunt impreſſi lapides in eiſdem partibus in quibus fuit ſuprà deſcriptum habere contuſiones principales, nec non & à parte illius homoplatæ, quæ, vt ſuperiùs dictum eſt, apparuit contuſa & rubicunda. Item quòd picturæ predictæ ſunt antiquißimæ, & ſine milleſimo. Item conceſſit teſtimoniales ſacellum predictum fuiſſe ac eſſe dedicatum ſancto Stephano Protomartyri et S. Antonio, prout etiam ex picturis ex altera parte arcus apparet, ac etiam ex brachio S. Antonij in eadem capella cum ceteris Reliquijs iam olim aſſeruato.

Tertium ex dedicatione & nomine ſacelli, & picturarum concurſu.

Et pro maiori ſupraſcriptorum omnium verificatione prafatus Illuſtriß. & Reuerend. D. Archiepiſcopus, accerſitis Don Celſo à Bononia Regulari ſuprà nominato, & Fratre Amadeo Vercellenſi dicta Congregationis Conuerſo, Domino Leone Borello I.V.D. Secuſienſe, Magiſtro Ioanne Baptiſta Somatio Luganenſe fabro murario, & Antonio Maria eius fratre & ſeruo, & coràm conſtitutis, medio illorum iuramento, tactis corporaliter ſcripturis in manibus pralibati D. Archiepiſcopi de veritate dicenda præſtito, & vnus poſt alium depoſuerunt, atteſtati ſunt reſpectiuè vt ſequitur. D. Borellus annorum octuaginta ſupra vnum, quod quantum recordabatur ab annis ſexaginta circiter ſemper vidit dictum ſacellum S. Stephani & Antonij appellari, & in horum Sanctorum ſolemnitatibus magnam populorum frequentiam, non terrigenarum modò, ſed etiam exterorum eleëmoſynas offerentium, & pro Miſſis votiuis celebrandis. Ad hæc vidiſſe in eodem ſacello duo ligna affixa hinc inde ex quodam oſtio, per quod è ſacello aliàs ad Chorum ibatur, ex quibus duo pendebant lapides catenulis appenſi, quos eſſe ex illis quibus fuit S. Stephanus lapidatus, fama erat, quos amplius non vidit ex quo Illuſtriſſimus D. Cardinalis Ferrerius Chorum mutari curauit, quod fuit anno ſalutis 1582. Magiſter verò Io. Baptiſta Somatius ita depoſuit. Ego vt faber murarius, cùm ab aliquo tempore inſeruiam Patribus S. Iuſti huius loci, volensq; die vna Martis & prima huius menſis Decembris, demoliri partem ſacelli S. Stephani, vt ad quadratam formam redigerem, cùm murus eſſet altari connectus, etiam altare demoliri neceſſe fuit, ac petra vna ex illo deſuper ablata, alteram quadratam offendi, qua ſimiliter reuoluta ampullam inueni, in qua erat dens humidus & oßis particula, quam cum petra obtuli D. Præpoſito Eccleſiæ, quam ipſe Præpoſitus obtulit, & ex odore plenam fuiſſe oleo indicatum fuit. Proſequens deinde cæptam altaris demolitionem addidit: Inueni parum lapidem,

Anno ſalutis 1610. die 1. Decembris Reliquiæ inuentæ.

dem, & ſub eo modicam vacuitatem, ac deinde marmoream tabulam, & non niſi magno cum labore denique inueni arcam ex rudi marmore, tunc tremens, omnibus relictis & fratre ad cuſtodiam, redij ad Prapoſitum de actis certiorem reddens. Adfuit ille ſtatim cum ſuis Patribus, & detecta arca inuenit hominis caluariam cum aliis oſſibus. Illa in manibus accepta & intuita dixit: Deo gratias agamus, quia magnum theſaurum inuenimus, quia hæc eſt caput S. Protomartyris Stephani, admotaque oculos reſpicere picturas ſui Martyrij.

Tunc D. Prapoſitus vocauit R.D. Baptiſtam Crocerium Vicarium foraneum memorati Illuſtriſſimi Abbatis Scalia, & alij plures cuiuſque conditionis concurrerunt, & ſepoſitis Reliquiis illis in capſa cypreſſina ad altare aliud honeſtiuſq; ſacellum Reliquiarum proceſſionaliter detulerunt.

Quartum indicium ex chirographo nomine S. Protomartyris inſcripto.

Adhuc maiori facta indagine, in paruo foramine parui illius ablati lapidis, inuentum fuit chirographum ex pergameno in modica communi charta inuolutum, & hæc ſtatim accepta & aperta in pulueres abiit, in chirographo talis forma ſcriptura abbreuiata, mimio ſcripta legebatur, C. Sčti Steφhi Ptom. quod D. Archiepiſcopo oſtendit prafatus Prapoſitus. Et de his etiam teſtimoniales dedit Illuſtriß. & Reuerendiß. Archiepiſcopus.

Hæc ſunt quæ ex memorato Proceſſu excerpſi.

Cùm certum ſit, S. Protomartyrem vnicum dumtaxat habuiſſe corpus, & Romam fuiſſe vltimò tranſlatum, ibiq́ue aſſeruari, cum communi fidelium ſenſu & Eccleſiæ ſententia aſſeuerauerimus, quomodo erit Secuſiæ in Eccleſia S. Iuſti, vt ex nunc adducta Relatione diximus?

Dicta oſſa ſacra Reliquiæ ſunt.

Reſpondeo, & dico duo. Alterum eſt, prædicta oſſa in arcula lapidea memorata inuenta, ſunt veræ ſacræ Reliquiæ. Hoc ex duplici capite deduco. Primò, quia in altari inuenta fuerunt, vbi communi praxi & conſuetudine Eccleſiæ Sanctorum Reliquiæ recondi ſolent. Et Concilium Carthaginenſe V. in Africa celebratum Can. 14. iubet, vt nulla altaria vel memoriæ Martyrum dedicentur, niſi ibi ſint aliquæ Martyrum Reliquiæ; & aliter dedicata euertantur, vel populus admoneatur, ne ea loca frequentet, ne ſuperſtitione aliqua teneatur, ſi colat videlicet quaſi Martyris ſepulchrum, vbi reuerà non eſt corpus Martyris. Meminit huius conſuetudinis S. Ambroſius in Exhortatione ad virgines de Reliquiis SS. Vitalis & Agricolæ, & in Epiſt. ad ſororem, de inuentione corporum Gerualij & Protaſij. S. Hieronymus lib. contra Vigilantium, Prudentius in Hymno 11. de Coronis Sanctorum, qui eſt de S. Hippolyto, S. Auguſtinus Serm. 11. de Sanctis, & Sozomenus lib. 5. cap. 8. & videtur iſta conſuetudo Apoſtolorum tempore cœpiſſe; nam ideò S. Ioanni oſtenſæ ſunt in cælo animæ Martyrum ſub altari, quia corpora eorum in terris ſub altaribus requieſcunt, vt S. Auguſtinus inſinuat loco notato. Cùm igitur dicta oſſa in altari & ſacello Sanctis dicato poſita fuerint, veras & ritè colendas Reliquias eſſe credendum eſt.

Reliquiæ Sanctorum in altaribus recondi ſolitæ.

Et in Eccleſia vbi Clerici diuina celebrant Officia.

Secundò idem probatur ex Eccleſiæ conditione. In Concilio Epaunenſi in Gallia celebrato can. 25. præcipitur, ne Reliquiæ Sanctorum ponantur in Eccleſiis vbi non ſunt Clerici, qui ſacris cineribus pſallendi frequentia famulentur. Eccleſia verò ſancti Iuſti, in qua memorata oſſa reperta ſunt, Abbatialis eſt, & Collegio Canonicorum, qui diurnis nocturniſq́ue laudibus Deo & Sanctis eius inſeruiunt, exornatur, erunt ergo verè ſacræ Reliquiæ.

Præmiſſa Reliquias non ſunt totum Protomartyris corpus, ſed aliqua.

Alterum ſit. Prædictæ Reliquiæ non ſunt totum corpus Protomartyris S. Stephani, ſed aliquam eius continent partem. Prima pars huius dicti probatur tripliciter. Primò, quia corpus Romæ aſſeruatur, vt in Romano habetur Breuiario, & aliquæ illius Reliquiæ in Galliam & Minoricam inſulam tranſlatæ fuerunt, vt Capite præcedenti diximus: & cùm in eo omnes conueniant, negari haud poteſt abſque temeritatis nota. Neque iſtis obſtat noua relatio, vt poſteà videbimus.

Secundò, quia ita aſſeruit Archiepiſcopus Taurinenſis, illarum Reliquiarum inquiſitor & approbator, dum dixit, ſe accepiſſe, in memorato ſacello & altari S. Stephani eſſe Reliquias inſignes eiuſdem S. Stephani Protomartyris. Si ſunt Reliquiæ inſignes, ergo tantùm partes, & non totum corpus.

Tertiò, quia ita inuenitur in veteri inuentario Reliquiarum eiuſdem Eccleſiæ S. Iuſti, recognito & approbato ab eodem Archiepiſcopo, vbi inter alia hæc: *Inuentarium diuerſarum Reliquiarum in hac Sancta ſanctorum Cœnobij diui Iuſti exiſtentium. Corpus D. Iuſti Abbatis & Martyris & huius Cœnobij Patris.* Item & poſt verba, *Reliquiæ ſancti Matthæi Apoſtoli*, legitur: *Reliquia corporis ſancti Stephani Protomartyris. Reliquia corporis*, quia non totum corpus: ſi enim totum eſſet, dictum fuiſſet, ſicut de corpore S. Iuſti, *Corpus S. Stephani Protomartyris.* Non ergo dictæ Reliquiæ ſunt corpus ſancti Stephani.

Secunda pars probabilis redditur ex teſtimoniis nunc relatis, & deſignata Relatione, quæ ſine dubio abſque fundamento haud proceſſit: & cùm ex illa etiam dixerimus, non eſſe in dictis Reliquiis totum ſan-

di Stephani corpus, erit ad minùs aliqua eiusdem pars. Sed quæ adduximus in memorata illa speciali Relatione, alteri communi Capite præcedenti adductæ haud officiunt. Non primum de conditione Reliquiarum, & præsertim capitis cum tot contusionibus; posset enim primò dici esse defectus ex vetustate prouenientes, tempus enim omnia vorat & consumit, etsi non simul successiuè, incipiens vbi primò maiorem inuenit consumptionis dispositionem: quemadmodum in pomo, quod putrescere incipit, licet animaduertere. ita in illo capite accidere potuit ab intrinseco & ab extrinseco. Ab intrinseco quidem, quia vt Anatomistæ docent, omnes caluariæ partes non sunt eiusdem fortitudinis & æqualis durationis & soliditatis, quare à debiliori incipiet corruptio aliis pro tunc illæsis permanentibus. Ab extrinseco verò defectus prouenire potuit, vt si vna pars magis quàm altera fuit humiditati alicui expolita; sunt enim huiusce modi accidentibus res corruptibiles obnoxiæ, vt experientia docet. Secundò, cùm, vt ex Ecclesiasticis tabulis edocemur, alij fuerint Martyres similiter ac Stephanus lapidati, & fortè ex ipsis aliqui eiusdem nominis, potuit illud caput esse alicuius istorum. Nec officit, creditum ac dictum esse caput & corpus S. Stephani Protomartyris; hoc enim fuit, quia memoria huius sancti Martyris in Scriptura sacra & in tota Ecclesia celebris est. Et quæ huic responsioni opponi possent, statim diluemus.

Ad secundum & tertium.

Nec obstat secundum de nomine sacelli, & concursu populorum & picturis. Nam primò dici potest, illud D. Stephano dicari ex sola fundatorum deuotione, sicut hac eadem possunt ad illud confluere populi: & cùm sancto Martyri fuerit dicatum, appositè illius Vita & martyrium appictum fuit, sicut alibi factum est, hoc ipso solo deuotionis respectu, etsi haud fuerit corpus, vel aliud ad Sanctum pertinens.

Secùs est, si quis contenderet illius erectionem & frequentationem manasse ex aliquo ad ipsum Sanctum pertinente. Concedatur, verùm non ex toto corpore, sed ex aliqua eius parte: quemadmodum & propter vnicum brachium S. Antonij sacellum idem, *Sacellum* etiam *S. Antonij* nuncupatur, & à populis inuisitur & colitur, præsertim cùm tanta reuerentia vni parti corporis sicut toti debeatur, & tot beneficia vnius respectu partis, sicut totius Deus nobis largiatur, vt inox dicemus.

Vel dicatur tertiò, esse erectum sacellum, & in veneratione habitum propter lapides in illo anteà asseruatos, quibus S. Stephanus obrutus & martyrio donatus fuit: qui vtique fortitudinis ac virtutis eius monimenta sunt illustria, ac ideò in veneratione habendi, quemadmodum propter similem lapidem in Italia in Anconitana vrbe Ecclesia honori S. Protomartyris constructa fuit, vt notauit Baronius ad annum Christi 34. num. 305.

Ad quartum.

Ad quartum, de vetusto illo chirographo, in quo habetur, *Corpus sancti Stephani Protomartyris*, Respondeo dupliciter; Primò, quòd licet verum sit illud quod habetur in Iure, scripturis antiquis fidem esse præstandam, nihilominùs sint gradus in credulitate & argumentis. Et esto aliqua sit illi chirographo danda fides, etsi nesciatur quomodo illuc insertum fuerit, & Reliquiæ illæ eò delatæ, multò tamen maior danda erit veteri consentioni Ecclesiæ, quæ solidè tradit historiam inuentionis & translationis corporis S. Stephani non Secusiam, sed Ierosolymam primò, deinde Constantinopolim, postremò Romam. vnde eo intuitu illius festum sub ritu Officij semiduplicis celebrat Ecclesia, & sacrum illud corpus Apostolica auctoritate adorandum exponit. Præterea credibilius est, corpus primi Ecclesiæ Martyris delatum fuisse Romam, vbi Ecclesiæ Catholicæ Sedes & caput mundi est, quàm ad Secusiæ oppidum; præsertim cùm huic satisfieri aliqua sancti Martyris parte & aliis Reliquiis potuerit.

c. Cùm causam. De probat. &c. Ad audientiam. De præscript.

Corpora Sanctorum alicubi esse dicuntur, quia partes.

Secundò dicendum, ideò dici esse in chirographo illo corpus S. Stephani, quoniam sunt aliquæ ipsius Reliquiæ, vt sit constructio intransitiua transitiuè sumenda, *Corpus S. Stephani Protomartyris*, id est *de corpore S. Stephani Protomartyris*, ita vt pars a toto denominetur, quemadmodum fit de aliis Sanctorum corporibus, quæ licet sint singularia, in diuersis nihilominùs esse perhibentur locis ratione partium. Vnde Basilio (Orat. in Quadraginta Martyres) toti Martyres quadraginta dicebantur esse in variis patriis, quia quælibet ciuitas habebat partem eorum. Et Theodoretus lib. 8. de Martyribus dixit, Martyrum corpora rarò inueniri integra in vno aliquo monumento, sed esse diuisa & distributa in varia loca, vt variis conferant beneficia.

S. Ioannes Chrysostomus in libro Quòd Christus sit Deus, Apostolum Petrum & Romæ & Constantinopoli iacere dicit, cùm tamen Constantinopoli nihil esset, nisi aliqua particula: nam corpus ipsum Romæ esse sepultum, idem Chrysostomus testatur Hom. 32. in Epist. ad Romanos. sed verba eius audiamus ex libro iam citato. *Roma*, inquit, *quæ vrbium est regalissima, relictis omnibus, ad sepulchra piscatoris & pellionis currunt Reges, & Præsides, & milites,*

Roma diuinum ex Petri Reliquiis.

lites, & Conſtantinopoli Reges noſtri magnam gratiam putant, non ſi prope Apoſtolos, ſed ſi vel extra eorum veſtibula, corpora ſua ſepeliantur, fiantq; piſcatorum oſtiarij Reges. Et optima quidem, vt reor, ratione: nam quemadmodum anima dicitur eſſe tota in toto, & tota in qualibet parte corporis, non tantùm quia indiuiſibilis eſt, ſed quia totum & ſingulas eius partes æquè viuificat & conſeruat; ita quia Deus æquè ſuas impertitur gratias virtute Reliquiarum Sanctorum locis illis in quibus aliquæ partes reconditæ ſunt, ac ſi in illis integra eſſent corpora, ideò non mirum, ſi dicatur eſſe in locis diuerſis eorumdem Sanctorum corpora, & ſi aliquæ dumtaxat illorum particulæ ſint. Hinc Gregorius Nazianzenus Orat. 1. in Iulianum conuenienter dixit, ſanctorum Martyrum corpora idem poſſe quod animas ſanctas, ſiue manibus contrectentur, ſiue honorentur, quorum vel ſolæ ſanguinis guttæ, atque exigua paſſionis ſigna, idem poſſunt quod corpora; & appoſitè Baſilius Orat. in Quadraginta Martyres, loquens de Reliquiis ipſorum per totam illam regionem diſperſis, ait: *Hi ſunt, qui noſtram regionem adminiſtrant, & veluti turres quædam cohærentes ſecuritatem ab hoſtium incurſu exhibent, non vni loco ſeipſos includentes, ſed multis iam locis hoſpites facti, & multas patrias exornant.* Ecce quomodo aſſerat, Quadraginta Martyres ſuis cineribus varias exornare patrias, & auxilio omnes ſimul quamlibet adminiſtrare, & contra hoſtes cohærentes turres eſſe. Ita ergo dicendum in propoſito, & ſi corpus ſancti Protomartyris Stephani Romæ ſit, dici etiam in chirographo illo eſſe Secuſiæ propter aliquas illius Reliquias, quarum virtute Deus ita eam, ſicut Romam virtute corporis cuſtodit & fouet. Etſi error putetur, *tolerabilis error, cui non hominum impoſtura, ſed exuperans diuina largitas præbuit occaſionem*, vt prudenter dixit Cardinalis Baronius Tom. 1. ad annum Chriſti 55. n. 15.

Ratione partis totũ eſſe dicitur: quia ita ob partem ſicut propter totũ beneficia elargitur Deus.

Diuinitus autem factum arbitror, vt Sanctorũ Reliquiæ non in vno, ſed in pluribus inuenirentur locis, vt in ſanctis & electis ſuis diuina iuſtitia & miſericordia magis ſplendeſceret: hoc namque pacto magis honorantur Sancti, & nos maiora à Deo illorum meritis obtinemus beneficia, quod diuinæ iuſtitiæ & miſericordiæ non vulgare argumentum eſt. Iuſtum eſt, vt Sanctorum corpora in præſenti hoc ſæculo honorentur, cùm eorum differatur gloria, quam in generali reſurrectione aſſequẽtur, interim tamen ſuis cineribus veritatis diuinæ, & contra hominem propter peccatum promulgatæ ſententiæ, *Pulvis es, & in pulverem reuertêris*, Gen. 3, 19. teſtes exiſtentes. Honorari, inquam, debent Sanctorum corpora, Primùm, quia fuerunt organa animarum ad omne opus bonum. Vide Tertullianum De reſurrectione carnis. Secundò, quia fuerunt Spiritus ſancti templa, & electa ſanctiſſimæ Trinitatis habitacula. Tertiò, fuerunt & ſunt inſtrumenta Dei ad miracula. Quartò, ſunt pignora patronorum. Quintò, ſunt exuuiæ chariſſimorum. Sextò, ſunt trophæa triumphantium. Septimò, deſignata ſunt ad gloriam incredibilem, nimirum vt ſint poſt reſurrectionem corpora ſole clariora. His igitur alijſque de cauſis iuſte Sanctorum Reliquiæ magni fiunt & honorari debent.

Quare Sanctorum corpora honorentur.

Iuſtitia & miſericordia Dei elucet in honore ſanctorum corporum.

Sed miſericordia Dei in hoc etiam mirabiliter elucet, dum ſupra condignum honorari vult Sanctorum corpora: in primis quia ipſa per ſe non meruerunt, ſed quatenus vnita fuerunt animæ, cuius inſtrumenta non plumbea ſed aurea extiterunt; vt latis viſum fuerit, ſi animæ iterùm iuncta in reſurrectione, in veneratione haberentur. Ergo magnæ miſericordiæ eſt, quòd adhuc ſeparata tanti fiant. Ad hæc, quòd non ſolùm ipſa integra corpora, ſed & minimas particulas, & exiguiſſimos puluiſculos velut ipſa integra honorari diſpoſuerit; & non in vno dumtaxat loco, ſed in pluribus: & quòd diuidi in minutiſſimas partes, & ad varias regiones ac perſonas transferantur, diuinæ miſericordiæ euidens eſt argumentum, quia hoc pacto magis honorantur. *Vt venerandas Sanctorum Reliquias haberemus, Deus noſter tribuit, deinde vt hanc honori eorum Baſilicã fundare valeremus, ipſe largitus eſt*, &c. inquit Gaudentius Epiſcopus Brixiæ, Tractatu De dedicatione Baſilicæ. Et Maximus Serm. 8. De ſanctis, *Cuncti*, inquit, *Martyres deuotiſſimè percolendi ſunt, ſed ij præcipuè venerandi ſunt à nobis, quorum Reliquias poſſidemus.* Quare optimè S. Auguſtinus Epiſt. 103. ad Quintianum de S. Protomartyris Reliquijs dixit: *Portant ſanè* (latores epiſtolæ) *Reliquias beatiſſimi & glorioſiſſimi Martyris Stephani, quas non ignorat Sanctitas veſtra, ſicut & nos fecimus, quàm conuenienter honorare debeatis.* Ad quæ Regius Vates reſpiciens dixit: *Nimis honorificati ſunt amici tui Deus*, &c. Pſal. 138, 17.

Hoc etiam pacto elucet erga viuentes eadem Dei iuſtitia & miſericordia, dum vult apud eos eſſe Sanctorum Reliquias, vt per ipſas gratias & ſalutaria beneficia conſequantur. Sunt enim Sanctorum Reliquiæ ſalutares fontes, quibus Deus multa beneficia hominibus præſtat, vt dixerunt Patres in Conciſio Nicæno II. act. 3. & nihil ferè ad ſalutem vtilius Deum reliquiſſe nobis, dixit S. Chryſoſtomus in libro de S. Babyla Mar-

Sanctorum Reliquiæ gratiarum fontes.

Martyre. Et ſanè ſi ex aſini mandibula, qua Samſon mille Philiſthæos occidit, eidem Deus aquas dedit quibus refocillatus eſt ſpiritus eius, & vires recepit, deficiebat enim præ ſiti, vt in libro Iudicum legitur; quantò magis mediantibus Sanctorum Reliquijs, quibus Dei hominumque hoſtes deuicti & profligati fuerunt, elargietur Deus nobis ſalutares gratiarum fontes, quibus in noſtris neceſſitatibus ſubleuemur?

Et inter alia prodigia ſequentibus placet id comprobare. S. Baſilius Oratione in Iulittam ſcribit, cùm Reliquiæ S. Iulittæ ad quemdam locum adductæ fuiſſent vbi erat penuria aquæ, mox è terra erupiſſe fontem aquæ dulciſſimæ, vt videretur illa quaſi mater vel nutrix communis totam illam regionem lacte ſuo alere.

Lauda Italiæ ciuitas multa obtinuit à Deo ſingulatia beneficia propter S. Baſſiani Antiſtitis & Patroni corpus quod poſſidet; ſed ſingulare illud, quòd à lepra præſeruetur. Ad quod reſpiciens Berchorius in ſuo Morali Reduct. lib. 14. c. 30. de Italia, dixit: *Laudæ tale eſt miraculum, quòd numquam homo de illa ciuitate leproſus efficitur, imò ſi leproſus illuc venerit, aut moritur, aut citò ſanatur.*

S. Auguſtinus Serm. 91. ex nouis dixit de ſancto Stephano: *Latuit tanto tempore corpus eius, proceſſit quando Deus voluit, illuminauit terras, tanta miracula fecit, mortuus viuos facit mortuos, quia nec mortuus.*

Et fortaſſe ad hoc ſignificandum diſpoſuit Deus, vt ex aliquorum Sanctorum corporibus mirificus manaret liquor, vt de S. Andrea, Nicolao & alijs legimus; quia ipſis mediantibus, mortalibus multa conceduntur beneficia. nec ſolũ per Reliquias, ſed per res quæ ipſos attigerunt, vel illorum paſſionis inſtrumenta fuerunt. Hinc hæmorrhoiſſa illa mulier, quæ fideliter & deuote tetigit Chriſti fimbriam, ſanata fuit; & alij Pauli ſudaria & ſemicinctia deferebant ad ægrotos, vt etiam nos modò facimus, vt Deus illos ſanitati reſtituat: vt omittam, vmbram ipſam Petri ſanaſſe infirmos.

S. Ambroſius Orat. in Theodoſium ſcribit, Iudæos dixiſſe de clauo Domini, quem Helena ad Conſtantinum miſit: *Ecce & clauus in honore eſt, & quem ad mortem impreſſimus, remedium ſalutis eſt, atque inuiſibili poteſtate dæmones torquet.* Et quemadmodum ex petra & ſaxo duriſſimo oleum & aquæ largiſſimæ fluxerunt, ita per lapides, quibus S. Stephanus obrutus & interemptus fuit, Deus multa operatus fuit miracula; iidemque in multo honore habentur à fideli populo, vt S. Auguſtinus notauit. Sed pluribus aliis prætermiſſis, quæ videri poterunt apud illos qui de ſactis Reliquijs ſcripſerunt, aſſumptum argumentũ ita explico.

Iuſtitia videtur requirere, vt qui eiuſdem naturæ ſunt, mutuò ſe adiuuent; quia omne ſimile diligit ſibi ſimile: & qui recepit, rependat beneficia. *Quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? Quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat?* inquit Apoſtolus 1. Cor. 9, 7. Cùm itaque Sancti natura & religione nobis viuentibus ſimiles extiterint, à nobis eſſe aliaque bona receperint; iuſtum eſt, vt & ipſi vt receperunt retribuant, quod ſingulariter, vbi illorum ſunt Reliquiæ præſtant. Sed ſuperabundat miſericordia, dum etiam indigni digni reddũtur diuinis muneribus, eiſque ſupra merita dona conferuntur, & corpora ipſa in minutiſſimas diuiduntur particulas, vt propinquis & longinquis proſint, exeat in omnem terram ſonus eorũ, vt omnis terra ditetur & ſanctificetur. Etenim *exiguus pulvis aut Reliquiæ veterum oſſium totius*, inquit Gregorius Nazianzenus, *ad honorem ſufficiant, & nonnullarum ſaltem appellationem Reliquiarum omnino expertẽ ſcio locis certis inditam fuiſſe pro toto Martyre, quæ tamen eamdem vim ſanitatum obtinuerint.* Ad quæ iure exclamãs, ☐ *rem*, inquit, *prodigioſam! ſalutem affert ſola recordatio.* Ita Gregorius.

Igitur breuiter dicta colligendo dicamus, quemadmodum Romæ ſanctum Protomartyris corpus honoratur, ita Seculiæ aliquæ eiuſdem Reliquiæ in veneratione habentur, quibus ditatur & beneficijs cumulatur: quæ vt magis honorentur, opportuno tempore, maioris fortaſſe indigentiæ, Deus eas reuelari permiſit.

CAPVT XIV.

De domo in qua vixit & obijt B. Virgo Maria poſt Chriſti ad cælos Aſcenſionem, ſeptimo loco quartæ Peregrinationis.

P. Bonifacius lib. 2. De perenni cultu Terræ ſanctæ, agens de locis ſacri montis Sion, duarum ædium facit mentionem, in quibus manſerit B. Virgo Maria: vnius, in qua obdormiuerit in Domino; alterius, in qua manſerit à die Aſcenſionis Domini vſque ad tempus mortis ſuæ. De priori ſic ſcribit: *Hinc* (id eſt à loco vbi ſors cecidit ſuper Matthiam, qui eſt ante fores Eccleſiæ ſanctiſſimi Cœnaculi, vt ſuperiùs dictum fuit) *ad vlnas decem, locus eſt in quo Virgo Maria obdormiuit: & in dormitione ipſius, ob ſingulare priuilegium, omnes Apoſtoli, qui in diuerſis mundi partibus Chriſti Filij eius fidem nuntiabant, congregati fuerunt; & Dionyſius Arcopagita Pauli Apoſtoli diſcipulus, vt ipſe teſta-*

teſtatur, eius interfuit dormitioni, &c. De poſteriori verò domo inferiùs hæc habet: *Hinc* (id eſt à Capella S. Ioannis Euangeliſtæ, proxima priori domui B. Mariæ) *ad Orientem verſus reuertentes, parum ad Auſtrum declinantes, iterùm domum Sion ſanctam ingredimur ad viſitandum cellam ſiue Oratorium Virginis, in quo ab Aſcenſione Chriſti Filij ſui ad cœlum vſque ad ſanctam eius dormitionem, pia pietatis cultrix & miſericordiæ mater permanſit,* &c.

In huius Auctoris dictis duo examinanda veniunt, alterum, quod reſpicit multitudinem domorum; alterum verò, quod reſpicit quæ in ea ſecundùm veterem traditionem contigiſſe dicit. ſed alterum præſenti, alterum ſequenti Capite examinabimus.

Quantum ad primum, ſuperfluum mihi videtur tot multiplicare domos, cùm quæ in duobus illis contigiſſe aſſeruntur, æquè benè, & fortè commodiùs, in vna & eadem contingere potuerint. Ideò Adrichomius in deſcriptione locorum montis Sion n. 10. vnius domus dumtaxat B. Mariæ meminit, in qua omnia commemorata contigiſſe ex alijs docet, quâ diſtructâ à Romanis, alia eodem in loco à Chriſtianis extructa fuit. Præterea hoc tempore in partibus iſtis nulla prioris domus ſit mentio, nec vllæ illius cernuntur ruinæ; poſterioris verò aliqua fundamenta & ruinæ cernuntur, quæ ſigna ſunt domus olim ibi ſitæ, & in Eccleſiam verſæ; & murus ſiue maceries qua cingitur ex parte Meridionali atrium ſiue platea ſanctiſſimi cœnaculi, oſtendit, quòd pars fuerit domus in qua vixit B. Virgo, & vltimum diem clauſit, quæ etiam indulgentiarum cauſa à fidelibus inuiſitur.

Poſſet tamen dici, Bonifacium alterius domus nomine intellexiſſe locum, in quo B. Virginis Mariæ corpus, poſt illius ad cælos felicem tranſitum, extra locum vbi deceſſit collocatum fuit. Hoc ideò dico, quia in vetuſto libello de locis Terræ ſanctæ, vbi agitur de locis montis Sion, hæc habentur: *Item vbi depoſitum fuit corpus B. Mariæ Virginis poſt mortem. Item Eccleſia ſanctæ Mariæ Virginis, quæ fuit prima Eccleſia mundi, vbi ipſa B. Virgo ſtetit quatuordecim annos poſt Aſcenſionem Chriſti filij ſui, & ibidem migrauit ex hoc ſæculo.*

Nicephorus lib. 2. Hiſt. c. 3. dicit, domum, in qua poſt Chriſti mortem & ad cælos Aſcenſionem vixit & obijt B. Virgo Maria, fuiſſe Ioannis Euangeliſtæ. Sed hoc indiget explicatione; conſtat enim Ioannem omnia reliquiſſe, quando Chriſtum ſecutus eſt, vt fecerunt & ceteri Apoſtoli; & quæ ſemel reliquit, ampliùs non repetijt, ne in idoneus eſſet Regno Dei. Et S. Auguſtinus Tract. 116. in Ioannem pertractans illa Euangeliſtæ verba, *Et ex illa hora accepit eam diſcipulus in ſua*, inquit: *Suſcepit eam in ſua, non prædia, quæ nulla propria poſſidebat; ſed officia, quæ propria diſpenſatione compenſanda curauit.* Dic ergo cum Caniſio lib. 5. De Maria Deipara, cap. 1. non fuiſſe tunc verè Ioannis, quia eam dimiſit, ſed ideò ſic dici, quia eius olim fuit, poſteà verò vſui B. Mariæ obuenit, vt à priori poſſeſſore nomen ei adhæſerit.

Sed quærere quis poſſet: Si omnibus temporalibus renuntiauit Ioannes, quomodo potuit Mariæ curam gerere, eiúque comparare neceſſaria pro alimentis? Reſpondetur, quòd, vt commemorat D. Lucas, primi Chriſtiani, prædijs vel domibus ſuis diuenditis, pretia obtulerint & poſuerint ad pedes Apoſtolorum, indeque datum fuerit vnicuique prout ſingulis opus erat. Arbitrandum ergo eſt, inde diſtributum fuiſſe Ioanni id quod opus erat, vt B. Mariam aleret & ſuſtentaret.

Ioannes Deiparæ ex oblatis prouidebat.

CAPVT XV.

Quæ in ſacra æde B. Mariæ Virginis contigerint.

QVantum ad ſecundum, circa ea nimirum quæ in domo ſanctiſſimæ Deiparæ contigiſſe aſſeruntur à Bonifacio, tria explicanda ſunt ad maiorem illorum intelligentiam. Primum eſt illud, S. Deiparam manſiſſe in domo illa à die Aſcenſionis Filij ſui vſque ad diem mortis ſuæ; ſecundum eſt de tempore manſionis in domo illa à morte & Aſcenſione Filij ſui, vſque ad eius tranſitum, quòd fuerit quatuordecim annorum. Tertium denique eſt in eo, quod aſſeritur, ſanctos Apoſtolos cum alijs ſanctis viris morti & funeri Virginis Mariæ interfuiſſe.

Primum valdè dubium, imò falſum videtur; quoniam B. Virgo Maria, ex quo à pendente in cruce Chriſto Domino eius dilecto diſcipulo commendata fuit, núquam, dum vixit, ab eo relicta fuit. Quare dum ille Euangelicæ prædicationis gratia minorem Aſiam, (quæ, vt ab eo Chriſtianis inſtitutis imbueretur, ſorte illi obtigit) profectus eſſet, ſecum duxit ſanctam Virginem Deiparam, quæ & Epheſi apud eum habitauit, vt in Epiſtola Synodica ſacroſancti Concilij Epheſini ad Clerum Conſtantinopolitanum data, non obſcurè ab illo Epiſcoporum cœtu ſignificatur, dum de damnatione Neſtorij agunt, his verbis: *Quare & Neſtorius, impia hæreſeos inſtaurator, in Epheſiorũ ciuitate, quam Ioannes Theologus, & ſacra Virgo Deipara Maria, quandoque*

Ioannes numquam Deiparam deſeruit.

Maria & Ioannes Epheſi habitarunt.

Digitized by Google

que incoluerunt, constitutus à Sanctorum Patrum & Episcoporum cœtu, vltrò seipsum abalienans, malaq; conscientia reatu impeditus, ad illum sese adiungere non audens; post trinam citationem sacræ Synodi sententia, diuinoq; sanctorum Patrum iudicio condemnatus, omniq; Sacerdotali dignitate exutus est. Si igitur Ephesi habitauit B. Virgo cum Ioanne Euangelista, non continuè ab Ascensione Filij sui vsque ad suum glorioſum transitum mansit in illa domo montis Sion.

Aliorum sententia.

Oppositum tamen præter dictam traditionem, quam aliqui sequuntur, indicare videtur Epiphanius Hæresi 78. dicens: *Equidem cùm Ioannes in Asiam instituerit profectionem, nusquam dicit Scriptura quòd abduxerit secum sanctam Virginem.* Et Andreas Cretensis Archiepiscopus Ierosolymitanus in Oratione De dormitione Deiparę inquit: *Toto tempore incolatus in Sion versata est Virgo, & illic natura seruiens legibus, vitæ finem accepit*, &c. Eadem docent alij Patres.

Fateor litem versari sub iudice, & pro vtraque parte nullum inuenio conuincens argumentum: nam qui posteriorem amplectuntur sententiam, epistolam illam Concilij non officere dicũt, nec illud intendisse definire Patres in eo congregatos; ideoque notandum esse id quod Melchior Canus

Regula Theologica. Contenta in Concilijs, & Pontificum diffinitionibus, alia de fide, alia non, & quomodo cognoscantur.

De locis Theol. lib. 5. c. 5. & alij docent, ea quæ in Concilijs vel diffinitionibus Pontificum habentur, esse duplicia, quædam contineri tamquam de fide tenenda, alia verò dici vt communiter asseruntur, vel, non secundùm Spiritus sancti intentionem, sed secundùm propriam. Vtriusque, lucis ergò, dabimus exemplum. In Concilio Lateranensi, cui præsidebat Summus Pontifex, non tractabatur nec agitabatur, an Angeli essent incorporei, sed Origenis discutiebatur sententia, quæ affirmabat, Angelos ante hunc mundum visibilem fuisse conditos, & cùm peccassent, fuisse conditam visibilem creaturam, vt in ea tamquam in carcere pœna damni punirentur. Contra quem errorem definiit Concilium & Pontifex, Deum in principio temporis vtramq; condidisse creaturam, corporalẽ & spiritualem, Angelicã videlicet & mundanam, &c. Quo loco vocat Concilium Angelos creaturas corporis expertes, non id definiendo, (nam in ea Synodo hoc minimè in quæstione versabatur) sed sequendo opinionem communiorem & probabiliorem sui temporis, id positum fuit in decreto Concilij. Item Sixtus IV. docuit, D. Catharinam Senensem stigmata non habuisse; & non defuit qui contrarium affirmauit, vt inquit Canus: non tamen Pontifex id, tamquam fide credendum, definiendo propo-

suit, sed velut rem indifferentem retulit; quare absque periculo quælibet sententia negari vel defendi potest. Ita in proposito dicendum est, illa quæ in Epistola illa Synodica contra Nestorium determinantur, de fide esse, alia non item, sed saltem adducta esse secundùm Scriptorum vel communiorem, quæ tunc circumferebatur, opinionem, inter quæ vnum tunc temporis erat, Virginem Mariam Ephesi cum D. Ioanne Euangelista habitasse. Similiter respondendum videtur ad Patres qui in illa sunt sententia.

Illi verò quibus prior sententia Patrum Concilij Ephesini placet, responderent, etsi quæ dicuntur de profectione B. Virginis Mariæ in Asiam cum Ioanne, non inueniantur descripta, non tamen id officere, cùm multa facta fuerint, quæ non scriptis consignata, sed memoriæ hominum per traditionem mandata; vel saltem, etsi non à multis, ab aliquibus scripta fuerunt: & hoc sufficere, maximè si Scriptores magnæ sint auctoritatis, quales essent Patres illius Concilij, qui dixerunt, B. Virginem in Asiam profectam fuisse cum Ioanne, & Ephesi habitasse. Quare libenter hanc sententiam præferrem alteri, tum propter tantorum Patrum auctoritatem, qui licet illud rem fidei non fecerint, tamen non sine ratione vel relatione probabili dixerunt; à qua sententia non videtur recedendum, nisi æquiualens auctoritas, vel potior ratio aduersetur: tum quia hisce temporibus Ephesi ostenditur domus, in qua B. Virgo Maria cum Ioanne manserit.

B. Virginem cum Ioanne habitasse probabilius.

Et fortè in eamdem sententiam trahi possunt qui aliter sentire videntur, dicendo, eo ipso quòd B. Virgo in monte Sion mansisse dicatur residuo temporis ab Ascensione Domini vsque ad suam ad cælos Assumptionem, non excludi modicum tempus quo fuit in Asia; sed ideò dici semper mansisse in monte Sion, quoniam pro maiore parte in monte Sion habitauit, quem pro sua peculiari habitatione elegit. Nec enim à communi modo loquendi alienum est, dicere, aliquem in tali ciuitate decem vel quindecim annis mansisse, etsi interim modico aliquo temporis spatio alibi habitauerit.

Dissentiens amicitur.

Quantum verò ad secundum, quòd quatuordecim annis vixerit B. Virgo Maria post Filij sui in cælos Ascensionem, atq; interim in ea mobris Sion domo habitauerit, quasi in tempore, nec defecerit nec excesserit, maiorem habet dubitationem. Hæc verò prouenit ex diuersis opinionibus, quæ emersetunt circa tempus B. Mariæ Virginis quo in hoc mundo vixerit: quidam enim sexagin-

De tempore vitæ Deiparæ sententiæ.

ta

ta duobus, alij ſexaginta tribus, quinquaginta ſeptem alij, item quinquaginta octo, vel quinquaginta nouem, alij verò ſeptuaginta duobus annis vixiſſe arbitrati fuere: & horum poſterior ſententia rationi conformior videtur, & pluribus magis probatur, vt ſtatim in reſponſione ad tertium dubium oſtendam, etſi alia, quæ ſexaginta tribus annis vixiſſe affirmat, valdè communis ſit, non item aliæ.

Dicimus igitur, ſi ſtatuamus, B. Virginem vixiſſe annis ſeptuaginta duobus, habitaſſe in monte Sion (etſi non continuatè) annis viginti quatuor circiter. Cùm enim annum decimum quintum egerit quando Chriſtum peperit, & quadrageſimum octauum circiter quando ille aſcendit ad cælos, reliquum eſt, vt ſi eius vita vſque ad annum ſeptuageſimum ſecundum protracta eſt, vixerit in monte Sion annis vigintiquatuor; tot enim decurrunt à quadrageſimo octauo vſque ad ſeptuageſimum ſecundum. Si verò altera ſententia teneatur, eam nimirum vixiſſe annis ſexaginta tribus, tunc ſequetur, traduxiſſe vitam annis quatuordecim vel quindecim in monte Sion. Et quoniam Bonifacius & alij poſteriorem hanc ſententiam, vt tunc valde communem, ſecuti ſunt, dixerunt eam quatuordecim annis habitaſſe in monte Sion poſt Domini Aſcenſionem, eo temporis ſpatio intelligentes totum illud quod effluxit à Filij eius Aſcenſione vſque ad felicem ipſius tranſitum.

B. Virgo habitauit in monte Sion annis 24. vel 14.

Apoſtoli omnes mortι Deiparæ interfuerunt.

Quantum ad tertium, ſanctos Apoſtolos cum alijs ſanctis viris morti & funeri miraculosè interfuiſſe, communiter tenetur. Et inter alios qui id aſſeuerarunt, imò etiam interfuerunt, fuit Dionyſius Areopagita diui Pauli Apoſtoli diſcipulus, qui lib. 1. De diuinis nominibus cap. 3. hiſce id verbis teſtatum reliquit: *Apud ipſos*, id eſt ſanctos Apoſtolos, *cùm & nos (vt noſti) & plerique alij ex ſanctis Fratribus noſtris ad contuendum corpus illud, quod Auctorem vitæ Deumq; receperat, conueniſſemus (aderat autem frater Domini Iacobus, & Petrus ſupremum decus, & antiquiſſimum Theologorum culmen) vbi poſt contuitum placuit, vt infinitè potentem diuinæ virtutis bonitatem Pontifices laudarent omnes, quiſque pro captu ſuo: ille denique*, Hierotheus videlicet, *vt noſti, poſt Apoſtolos, omnibus alijs Doctoribus ſuperior erat*, &c. Hæc S. Dionyſius de conuentu Apoſtolorum Ieroſolymis ad obitum & ſepulchrum ſanctæ Dei Genitricis Mariæ. Nec ſanè loquitur de ſepulchro Domini noſtri, vt quidam autumati ſunt, quos meritò & verè refellit Cardinalis Baronius Tom. 1. Annal. ad annum Chriſti 48. & cuilibet verba & rem geſtam conſideranti compertum erit.

Ex illis verò S. Dionyſij verbis efficax pro ſua ſententia deſumunt argumentum illi, qui tenent B. Virginem vixiſſe annis circiter ſeptuaginta duobus, & non minùs, & conſequenter viginti quatuor circiter habitaſſe in monte Sion poſt Filij ſui ad cælos Aſcenſionem. Sic verò argumentantur: Dionyſius fuit ad Chriſtum conuerſus anno à Chriſti paſſione decimonono, & ab eius ortu quinquageſimo ſecundo, vt ſub hoc anno indicat Baronius: non potuit verò Ieroſolymam venire cum Paulo ante annum à partu Virginis quinquageſimum ſeptimum, quo tempore obiit B. Virgo, vt ex D. Luca in Actis Apoſtolorum colligi poteſt; igitur ſi annis quinquaginta ſeptem addantur quindecim, quos habebat virgo Deipara quando ſuum Filium peperit, colligitur manifeſtè ipſam in hoc mundo annis ſeptuaginta duobus vixiſſe.

Deiparam ſeptuaginta duobus annis vixiſſe, probatur.

Sebaſtianus Baradius Tomo 1. Concord. Euangel. lib. 6. cap. 14. multis recenſitis opinionibus de tempore, quo in hoc mundo vixerit B. Virgo Maria, valdè probabilem putat illam, quæ ſexaginta tribus annis vixiſſe dicit; & eam vt communiorem ſequitur, vtpote quæ firmetur laudabili conſuetudine fidelium, qui in memoriam annorum vitæ illius, recitant coronam ſexaginta trium ſalutationum Angelicarum, quaſi totidem annis vixerit: reſpondet rationi deſumptæ ex Dionyſij auctoritate, oſtenditque alias eius admittere expoſitiones præter illam quam pro ſua ſententia tradidit Illuſtriſſimus Cardinalis Baronius, quòd nimirum ſeptuaginta duobus annis vixerit.

Ceterùm mihi valdè Baronij opinio probatur, quoniam ceteris probabilior videtur, & multi, præſertim in Ordine Minorum, recitant coronam ſeptuaginta duarum ſalutationum Angelicarum, interpoſita aliquoties Oratione Dominica, credentes ſanctam Virginem tot annis vixiſſe, & Fratribus illam ſic recitantibus Paulus V. Pont. Max. felicis recordationis conceſſit Indulgentiam plenariam; cuius rei gratia noſtri in fine addunt vnam ſalutationem Angelicam pro anima Pontificis, qui talem eis gratiam conceſſit. Hanc eamdem ſententiam cum aliis vt probabiliorem ſequitur doctiſſimus Suarez Tomo 2. in 3. Part. S. Thomæ, diſput. 23. ſect. 1.

Sed, ſuppoſito veram eſſe hanc ſententiam, S. Dei Genitricem vixiſſe annis ſeptuagintaduobus, illud quod iam diximus obſtat, Apoſtolos ex Ieruſalem diſceſſiſſe, ad prædicandum Euangelium per vniuerſum orbem, circa annum ab Aſcenſione Domini duodecimũ. Quomodo enim B. Virgo, ſi tunc ſuperſtes erat, potuit ſola abſque ali-

quo Apoſtolo & Sacerdote Ieroſolymis habitaſſe, cùm tamen ſciamus ex plurium teſtimonio, in memorato ſacri montis Sion loco, eſſe domum vel locum domus in qua Deipara poſt Filij ſui Aſcenſionem habitauit, & tandem in Domino obdormiuit.

Reſponderem dupliciter: Primò, non omnes Apoſtolos diſceſſiſſe, quia non Iacobus frater Domini creatus Ieroſolymorum Epiſcopus, vbi & glorioſo martyrio vitam finiuit; nec forte Ioannes Euangeliſta, relictus Ieroſolymis in gratiam Virginis, vel quòd ceteris notior magisque dilectus, vel quòd ei à Domino in cruce ſanctiſſima Virgo commendata fuerit, vel diuina diſpoſitione manſerit per aliquod tempus cum ea Ieroſolymis, quoadusq; cum ipſa in Aſiam proficiſceretur. Vel ſecundò dici poſſet, B. Virginem eo ipſo tempore, quo Apoſtoli diuiſi ſunt per vniuerſum mundum ad Dei verbum diſſeminandum, cum Ioanne profectam fuiſſe in Aſiam, & habitaſſe Epheſi, quoad deſiderio videndi loca ſancta, in quibus Filius ſuus Saluator noſter mundi ſalutem operatus fuerat, Ieroſolymam redierit.

Quomodo diſcipuli ad Deipara obitum conuenerint, duplex modus dicendi.

Quomodo verò Apoſtoli alijque ſancti viri conuenerint Ieroſolymam ad obitum B. Virginis, non omnium vna eſt ſententia. Aliqui dicunt, per vniuerſum mundum diſperſos Apoſtolos ad prædicandum Euangelium, eodem momento fuiſſe collectos, & Ieroſolymam delatos ſublimè per aëra in nube ad Deiparæ tranſitum, ad eum fortè modum quo Habacuc Propheta ex Iudæa delatus fuit in Babyloniam ad Danielem in lacu leonum, vel quo Philippus raptus fuit à fonte vbi Eunuchum Reginæ Candacis baptizauit, & in Azotum tranſlatus fuit. In hunc modum ſcribit Nicephorus lib. 2. cap. 21. & lib. 15. c. 14. dicitque anteà idipſum tradidiſſe Iuuenalem Ieroſolymorum Epiſcopum. Idem Damaſcenus Oratione 2. De aſſumpt. Virginis, & alij.

Alij dicunt, illum dicendi modum eſſe apocryphum, & conueniſſe quidem ſanctos Apoſtolos ad obitum & funus Dei Genitricis Mariæ, ſed alio modo, via ſcilicet hominibus conuenienti & ſolita, etſi non niſi Spiritu ſancto incitatos & directos, ad eum fortè modum quo aliquando Franciſcani Fratres per varias mundi partes diſperſi, Aſſiſium ad ſuum Patrem apud S. Mariam Angelorum conuenerunt, vt S. Bonauentura ſcribit in Legenda maiori S. Franciſci, cap. 4.

Vtrumque potuit contigiſſe, prius tamen antiquiſſima veriſſimaque omnino traditione receptum eſſe, ſcribit ad Imperatorem Martianum citatus Iuuenalis. Et non tantùm Apoſtoli, ſed & ſeptuaginta diſcipulorum cœtus, ad venerandum dignum illud ſpectaculum congregati fuere, addit Glycas: & Nicephorus loco priùs notato ait, magnam hominum frequentiam, qui vel amoris neceſſitudine, vel generis propinquitate Mariæ coniuncti erant, ad eam moribundam conueniſſe, & ingentem lacrymarum vim ex oculis omnium fluxiſſe, propterea quod orbitatem ſuam in illius migratione complorarent, admonente interim ſacra Virgine, vt ſuum ex hoc mundo diſceſſum & ad veram vitam tranſitum non luctu, ſed gaudio magis proſequerentur. Ad hæc, vt Damaſcenus & alij tradunt, occurrit hilaris glorioſus Dei & Virginis Filius, cum innumerabili cæleſtium ſpirituum multitudine, ad Matrem & Dominam cum gaudio ſuſcipiendam; quando paruula illa ædicula in empyreum cælum conuerſa, & in exigua domuncula vniuerſalis Eccleſia, militans & triumphans, viſa fuit.

Chriſtus & Angeli.

In hac domo poſteà facta ſunt illuſtriſſima miracula, vt hiſce indicauit Nicephorus: *Ad quam deinde quàm plurima fiunt miracula, cæci namque præter ſpem expectationemq; omnem oculis cælum cernunt, ſurdis auditus ſuus datur, claudi greſſus recipiunt; & vt ſemel dicam, omne morbi genus attactu ſolo prorſus cedit & profugit.* Ex quibus, & aliis, quæ piis meditationibus reſeruantur, apparet ſacratiſſimæ huius ædis excellentia, & quàm rationabiliter eam venerentur fideles eius collapſæ reliquias & rudera ſacra viſitatione honorando, & eiuſdem memoriam perpetuò conſeruando.

Cùm velut dormiens emiſiſſet animam ſuam ſanctiſſima Deipara, illamque in ſuis manibus ſuſcepiſſet Filius eius, *Apoſtoli, & qui præterea ibi aderant viri egregij*, inquit Nicephorus lib. 2. cap. 22. *lectum corona circumdantes, reuerenter illam exoſculantur. Deinde cereis ardentibus prælatis, & vnguentis, floribuſq; ſparſis, atque Angelis cælitus feretrum vel præeuntibus vel ſtipantibus, vel etiam conſequentibus diuinis Patribus & Apoſtolis, mirifica quædam carmina concinentibus, intellectualis illa atque ſpiritualis arca ex Sion in Gethſemani Apoſtolis etiam geſtantibus manibus fertur. Vbi autem ad locum Gethſemani peruentum eſt, ſepultura quidem, illa Filium imitata, traditur, per illum autem ad diuina tabernacula, ad ipſum ſcilicet paradiſum, vbi & vita arbor conſita eſt, ratione ea, quam, qui hæc fecit, Deus nouit, transfertur.*

Chriſtus Virginis animam in cælum. Apoſtoli corpus ad Pallem Ieroſolymæ deferunt.

Fratres Apoſtolos etiam diſcipuli & alij conuenerunt.

CA-

CAPVT XVI.

De ſacello in quo S. Ioannes Apoſtolus Miſſam coram ſanctiſſima Dei Genitrice celebrabat, octauo loco quartæ Peregrinationis.

Cõditio ſacelli S. Ioannis Apoſtoli, & nominis ratio.

PRope domum S. Mariæ Virginis, de qua ſuperiùs, è regione illius extat paruum ſacellum, nunc ferè dirutum & collapſum; anterior enim eius pars, & tota ſuperior, id eſt fornix, penitus corruit. Intus habet ciſternam. Appellatur ſacellum S. Ioannis Euangeliſtæ, quòd veteri traditione receptum ſit, ſanctum hunc Euangeliſtam, ſanctiſſimæ Virginis adoptiuum filium, coram B. Virgine in eo incruentum Altaris ſacrificium obtuliſſe. Nec ſola id veterum traditione, ſed & quorumdam probatorum Scriptorum teſtimonio, piaque & probabili ratione confirmatur.

Omiſſis recentioribus, qui dum de locis ſanctis agunt, huius ſacelli meminere, eius memoriam inueni in vetuſto manuſcripto locorum Terræ ſanctæ, vbi agitur de locis ſacri montis Sion. & Bonifacius loco iam ſæpiùs citato de eodem hæc ſcribit: *Iuxta locum hunc* (id eſt, domum Mariæ Virginis) *eſt capella parunla & altare, in quo Ioannes Euangeliſta coram Virgine Matre ſæpè ſacrarum Miſſarũ ſolemnia celebrabat. Iſta capella, quam nũc ſub dio cernitis, olim intra ſepta Eccleſia erat.* Et Marinus Sanutus lib. 3. Par. 14. c. 8. poſtquã egit de nonnullis alijs locis ſacri montis Sion, de iſto ita ſcripſit: *Eſt etiam ibi Eccleſia B. Ioannis Euangeliſtæ, quæ fuit, vt dicitur, prima omnium Eccleſiarum, in qua idem Apoſtolus beatiſſimæ illi Reginæ celebrare ſolitus erat donec in hoc ſæculo vixit.* Et Seraphicus Bonauentura, & Albertus Magnus in Mariali, præter alios affirmant, ſanctum Ioannem Apoſtolum beatiſſimæ Virgini ſanctiſſimum Sacramentum miniſtrare ſolitum fuiſſe, & illi diuinum Miſſæ myſterium celebraſſe, & omnia quæ illi neceſſaria erant ſuppeditaſſe, Sacerdotis munere fungens & filij, vt verè Sacerdos & filius Virginis à Chriſto deputatus. Et vbi meliùs eiuſmodi munia obire poterat Ioannes, quàm in monte Sion, vbi vnà cum Deipara Virgine morabatur?

Ioannes Deiparæ Parochus.

Primi fideles ſacras ades frequentabant orationibus & Euchariſtiæ ſumptione.

Primi naſcentis Eccleſiæ Chriſtiani *erant perſeuerantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis & orationibus*, vt dicitur Act. 2, 42. in quibus verbis, ſecundùm ſaniorem Orthodoxorũ Patrum interpretationem, loquitur D. Lucas de ſacra communione Euchariſtiæ, quòd communiter fieret in Miſſa. Si hoc faciebant communes illius temporis fideles, multò magis vtique ſanctiſſima & electiſſima Virgo, illis in exemplar & ſpeculum ſanctimoniæ data, id faciebat: quare & locus ab humanis vſibus eximi, & ad munia ſpiritualia deſtinari debuit, prout tempus permittebat. Si enim id è vulgari plebe Chriſtiani obſeruare modò conſueuerunt: quantò magis ſanctiſſimos illos idem obſeruaſſe credendum eſt? Ita quidem; nam paulò poſt relata verba ſubdit Lucas: *Quotidie quoque perdurantes vnanimiter in templo, & frangentes circa domos panes, ſumebant cibum cum exultatione, & ſimplicitate cordis, collaudantes Deum*, v. 46. Notandum enim eſt, ſanctos Apoſtolos, & alios illius temporis fideles, conſueuiſſe quidem in Salomonico templo ad orandum conuenire: quia enim id, præſertim tunc temporis, malum non erat, ab Apoſtolis obſeruabatur. Hinc S. Hieronymus ad Hedibiam Epiſt. 8. dicit: *Vſque ad deſtructionem Ieruſalem, ſemper Apoſtoli templum ingreſſi ſunt, & ob ſcandalum eorum qui de Iudæis crediderant, legis exercuerunt cærimonias.* At Euchariſtiam in proprijs domibus diſtribuebant; hoc enim vt in templo illo fieri potuerit, non eſt credendum fuiſſe admiſſuros Pontifices & maiores Iudæorũ, vt notauit Baronius Tom. 1. Annal. ad annum Chriſti 34. vbi loquitur de operibus & prodigijs à D. Luca in Actis Apoſtolorum relatis: additque poſt alia, ſic ab Apoſtolis mira quadam cælitus ſuppeditata ſpiritus diſcretione fuiſſe diſtributa munia per loca ſingula, vt quotidie in templo eſſent qui ibi orarent, vel Dei verbum annuntiarent; in domibus verò, qui panem frangerent, ſacram videlicet Euchariſtiam adminiſtrarent. vnde ſubdit Lucas: *Petrus autem & Ioannes aſcendebant in templum ad horam orationis nonam*, Act. 3, 1. De Euchariſtia, in primitiua Eccleſia propter infidelium perſecutionem in priuatis domibus, loco tamen decenti, adminiſtrari & cõſeruari ſolita, plura inuenies apud eumdem Baronium, apud Bellarminũ, & alios. Quæ ſi vera ſunt, quare affirmare non poſſimus, in domo illa, vbi B. Virgo cum Ioanne habitabat, deputatum fuiſſe aliquod cubiculum ad peragendum ibi incruentum altaris ſacrificium, & ad ſacram Euchariſtiam vel aſſeruandam, vel fidelibus diſtribuendam? Et quid prohibet affirmare, ſacellum hoc fuiſſe vnam ex domibus illis de quibus inquit Lucas, quòd erant Apoſtoli frangentes circa domos panem? Addam, quod ſæpiùs à ſenibus Heroſolymitanis audiui, Turcas aliquoties voluiſſe habitationem ſuper ipſum ædificare, ſed fruſtrà, eò quòd ſemper diuina diſpoſitione conſtructa corruerit.

Apoſtoli in templo orabant, & in priuatis domibus Euchariſtiam diſtribuebant.

CAPVT XVII.

De loco vbi Iudæi voluerunt perdere corpus B. Mariæ Virginis, dum ad sepeliendum deportaretur, qui nonus est in quarta Peregrinatione.

INspectis iam locis, de quibus hactenus præsenti Peregrinatione egimus, in planitie & latitudine montis Sion sitis, dirigendo gressus ad Aquilonem versus Vallem Iosaphat, confecto itinere quantum iactus est lapidis, in quodam triuio locus occurrit qui ad montem Sion spectat, in quo perfidi Iudæi perdere voluerunt corpus sanctissimæ Dei Genitricis, & loculum eius euertere dum ab Apostolis portaretur ad sepeliendum in Gethsemani siue Valle Iosaphat; sed miraculo impediti ipsi fuerunt, & sacrum B. Virginis corpus nemine prorsus obstante sepulturæ traditum fuit. Sanutus loci huius mentionem facit lib. 3. Part. 14. c. 9. Secret. fidel. crucis, dicens: *Descendentibus de monte Sion occurrit locus, vbi, dum Apostoli portarent gloriosam Virginem ad sepulchrum in Valle Iosaphat, Iudæorum Pontifex eius corpus rapere voluit, sed manus eius continuò arefactæ sunt.*

Temeritas Iudæorum miraculo facto punitur.

De miraculo isto aliqua dicenda sunt: si enim verum non est, sed apocryphum, vt arbitratur Baronius Tom. 1. Annal. ad annum Christi 48. non est cur locus ille, vt diuino miraculo illustratus, notetur & honoretur. Quamuis ille non sic impugnet, quasi omnino verum non sit, cùm non ignoret, non esse impossibile apud Deum omne verbum, quod etiam de similibus in hac materia affirmat. Nos illud hîc data occasione explicabimus, & quàm rationi ac pietati conforme sit aperiemus, vti traditioni sua constet auctoritas.

Historia funeris Deiparæ.

Sciendum itaque ex Nicephoro lib. 2. cap. 22. & alijs, quòd cùm Apostoli deferrent exanime corpus B. Mariæ Virginis versus Vallem Iosaphat, vt illud ibi sepelirent, idque Iudæis innotuisset ex cantibus & modulationibus illorum, ira & indignatione fremétes, & odiũ, quo Christum crucifixerant, in eius matre defuncta cõplere volentes, sese mutuò hortabantur dicentes: Venite, occidamus omnes illos Galilæos, ac corpus illud, quod seductorem portauit igne comburamus. Princeps autem Sacerdotum furibundo similis aduolans, &, Ecce tabernaculum illius qui nos & genus nostrum conturbauit, inquiens, sacrilegas manus iniecit feretro, volens illud in terrã deijcere. Quia verò indignè sacrum corpus tangere nitebatur, ad quod Angeli etiam trepidant accedere, ideò meritò manibus suis priuatur: nam ambæ illæ subitò aruerunt, & à cubitis auulsæ feretro inhæserunt, vt miser ipse nimio cruciatu vexatus lamentabiliter vlularet. Reliquus populus ãb Angelis, qui erant in nubibus, cæcitate percussus est. Tunc Princeps Sacerdotum Petrum Apostolum inclamans, veniam temeritatis petit, & emendationem promittit. Cui Petrus post alia verba dixit: Nullatenus misericordiam consequi poteris, nisi accedens osculatus fueris feretrum, & confitearis, dicens: Credo in Dominum Iesum Christũ, quem ista Virgo in vtero portauit, & post partum Virgo permãsit. Quod cùm fecisset, manus ipsius restitutæ fuerunt, & pristinæ ipse redditus est sanitati. Accipiés verò Petrus vnum dactylum & palmam, dedit illi, dixitque: Accipe hanc palmam, & pone eam super populum excæcatum, & quicumque credere voluerit, recipiet visum; qui autem credere noluerit, non videbit in æternum. Quo facto, suum Apostoli prosecuti sunt iter ad Vallem Iosaphat. Lege Stellarium Pelbarti lib. 10. Part. 5. cap. 3. art. 2. Huius miraculi & loci meminerunt Bonifacius, & qui de locis sanctis scripserunt. eoque intuitu fideles locum illum venerantur.

Sed audiamus vetustum ac venerabilem Patrem, qui locum hunc sanctum inuisit, veneratus est, & illius retulit historiam, S. VVillibaldum Episcopum (qui claruit anno Domini 740. vt tradit Trithemius de Viris illustribus Ordinis S. Benedicti c. 147.) in cuius Hodœporico, scripto à consanguinea sanctimoniali Heidenheimensi illo referente, sequentia leguntur: *Similiter & ipse dixit* (id est S. VVillibaldus) *quòd ante portam ciuitatis staret magna columna, & in summitate columnæ stat crux, ad signum & ad memoriam vbi Iudei volebant tollere corpus S. Mariæ. Cùm illi vndecim Apostoli tollentes corpus S. Mariæ portarent illud de Ierusalem, statim cùm ad portam venerunt ciuitatis, Iudæi voluerunt comprehendere illud. Statimq; illi homines, qui porrigebant brachia ad feretrum, & eam tollere conabantur, retentis brachijs, quasi glutinati, inhærebant in feretro, & non poterant se mouere, antequam Dei gratia & Apostolorum petitione iterùm resoluti fuerant; & tunc eos reliquerunt abire. Sancta Maria in illo loco in medio Ierusalem eximit de hoc sæculo, qui nominatur sancta Sion. Et tunc Apostoli vndecim portauerunt illam, sicut priùs dixi. Et tunc Angeli venientes tulerunt eam de manibus Apostolorum, & portauerunt in paradisum.* Hactenus ibi. Memoratum Hodœporicon refert Henricus Canisius Tom. 4. Antiquæ lectionis.

Nota,

Digitized by Google

Nota, quòd quando S. VVillibadus inuiſit loca ſancta, mons Sion non vt modò extra vrbem, ſed intra eius fuerit pomœria, & ideò in ſancta ciuitate dicat S. Virginem obiiſſe.

Inſuper huic Relationi fidem faciunt antiquæ picturæ, quæ repræſentantes nobis funus B. Virginis, obijciunt oculis commemoratum miraculum. Quare etſi hoc non veluti rem fidei credamus, nec tanta firmitate ei aſſentiamus vt multis alijs, non tamen reijcimus vt omnino apocryphum & fictitium, tum propter dicta, tum quia quæ in ea Relatione adſtruuntur, non vſque adeò à veritate aliena videntur, vt abſque leuitatis nota piè credi non poſſint.

Vt verò quod indicauimus ampliùs explicemus, conſidero tria eſſe poſſe, quæ præfatam Relationem apocryphum & minùs probabilem reddere valeant: primum, quòd Iudæi acceſſerint ad loculũ B. Virginis Mariæ vt ei vim inferrent; ſecundũ, quòd vnius manus arefactæ, aliorum verò oculi cæcitate percuſſi fuerint; tertium, quòd iſte priſtinæ ſanitati reſtitutus ſit, & aliis exhibitum fuerit remedium ad recuperandum viſum.

At verò primũ valdè probabile eſt. Cùm enim Iudæi maximo odio Chriſtum proſecuti fuerint, nullum erit inconueniens, dicere, propter ipſum odiſſe & Matrem eius, & hanc ei iniuriam inferre voluiſſe; cùm alioqui certum ſit, propter Chriſtum etiam Apoſtolos & alios fideles fuiſſe carceribus, ignibus & morti traditos.

Dices, Non tentarunt illi moleſtiam afferre dum viueret, igitur nec poſt obitum ipſius. Reſpondeo negandam eſſe conſequentiam, propter diſſimilem rationem. Dum enim viueret, in humili conditione agebat, ab hominibus & mundana conuerſatione ſeparata, vt nullam Iudæi occaſionem contra eam inuenire potuerint, quamuis fortè captauerint; at dum viderunt, in eius obitu propter honorem ipſius commotum eſſe cælum, & terram tremuiſſe, eamque non ſine offenſione populi tanto cum plauſu ad ſepulchrum deferri, tum continere ampliùs ſe non potuerunt quin furore abriperentur; ſicut & in Chriſtum debacchari cœperunt, quamprimùm diuinitatis & Regiæ ſuæ dignitatis ſigna oſtendit.

Secundum adhuc probabilius eſt: decebat enim omnipotentem Deum matris ſuæ honorem tueri, & in illius inſectatores graviter animaduertere: ſi enim Bethſamitæ, quòd curioſiùs intueri voluiſſent Arcam Domini; & Oza, quòd eam cadentem temerè attrectauerit, fuerunt à Domino plagis & morte percuſſi; quantò magis debitas pœnas luere debuerunt illi, qui Arcam illam, quæ Deum humana carne veſtitum in ſe clauſit, vel perdere vel euertere voluerunt? Et ſi Chriſtus acriter reprehendit mercatores illos, qui ſacrum Salomonis templum non venerantes, in eo mercaturam exercebant, & inde ſemel & iterùm illos eiecit; quantò magis inuehi debuit in perdere volentes ſacrum diuinitatis ſuæ habitaculum?

Quoad tertium, non eſt à veritate ac pietate alienum, vt pœnitens miſericordiam conſequatur à miſericordiarum parente, qui non lætatur in hominũ morte. Vnde quemadmodum in morte Chriſti plures, qui in eum iniquiores erant, miſericordiam adepti fuere, vt bonus latro, Longinus, Centurio, & alij; & multa miracula viſa fuere; quid mirum, ſi in obitu Matris Dei & miſericordiæ peccatores alij Chriſto reconciliati, & illius meritis miſericordiam adepti, & alia inſuper patrata fuerint miracula? Hoc cum præcedenti inde confirmatur, quòd graues Auctores aſſerant, mortem B. Virginis Mariæ fuiſſe pluribus eximiiſque miraculis illuſtratam. Damaſcenus ad hoc ſingulariter videtur alludere, dum ait: *Hîc ſurdis auditus, claudis pedum firmitas reſtituebatur, cæcis viſus inſtaurabatur, peccatoribus cum fide accedentibus ſyngraphæ lacerabantur.* & Nicephorus lib. 2. c. 22. quem ſuprà retulimus. Idem quoque ſcribit Metaphraſtes. Si tot igitur fuere in morte B. Virginis Mariæ patrata miracula, cur tam delicati erimus, vt piè probabiliterque admittere iſta timeamus, cùm præſertim à pluribus cum communi traditione aſſerantur? De illuſtri ac celebri funere B. Mariæ Virginis lege, quæſo, Damaſcenum Orat. 2. De dormitione Deiparæ.

Mors Virginis illuſtrata miraculis.

CAPVT XVIII.

De loco vbi Petrus è domo Caiphæ egreſſus amarè fleuit, qui decimus eſt in quarta Peregrinatione.

A Præcedenti loco vbi Iudæi perdere voluerunt corpus B. Mariæ Virginis, proſequendo vlteriùs iter ad quinquaginta vlnas ad dexteram ad radices cuiuſdam monticuli, quem aſcendimus dum ingredi volumus ſanctam ciuitatem per portam quæ nunc appellatur Sterquilinia, eſt locus quidam exiguus, ſiue modica ſpelunca, in qua (vt habet vetus receptaque in partibus iſtis traditio) S. Petrus poſt trinam Domini ſui abnegationem, facti pœnitens, è domo Caiphæ Pontificis, vbi deliquerat, egreſſus (vt tradunt Euangeliſtæ) amarè fleuit, lacrymarum imbribus peccatorum ſordes abluens. Cuius tam facti quàm loci memoria vt conſeruaretur, fuit ibi nobile extructum

Locus vbi fleuit Petrus in Eccleſiam mutatur.

sacellum, quod tamen modò est destructum penitus; sola spelunca cum quibusdam ruinis visitatur. Distat circa quartum milliaris à domo Caiphæ, à qua exiuit Petrus. Sanutus lib. 3. part. 14. cap. 9. de isto loco ita scribit: *Est etiam ibi*, id est, prope locum vbi voluerunt Iudæi rapere corpus Deiparæ de quo supra, *Ecclesia, dicta vulgariter Gallicantus, in qua cauea profunda est, vbi Petrus fleuit amarè.* De eodem alij Terræ sanctæ tractatores. Non longè à cœnaculo Domini, est domus Caiphæ Pontificis, de qua opportuniori loco agemus. Vnum addo, in monte Sion sepeliri solitos Christianos tam Catholicos quàm schismaticos, in distinctis tamen partibus; nam in vna parte Latini Catholici, in altera Græci, &c. sicut in aliis partibus extra vrbem sepeliuntur Iudæi, alibi Turcæ.

PEREGRINATIO V. *est Via captiuitatis, in qua eiusdem Viæ decem singularia recensentur & explicantur loca.* I. *Locus est Vallis Iosaphat.* II. *Torrens Cedron.* III. *Villa Gethsemani.* IV. *Locus vbi Christus oraturus octo Apostolos reliquit.* V. *Locus vbi tres alios reliquit.* VI. *Locus vbi Christus orauit, & sudauit sanguinem.* VII. *Locus vbi Christus traditus & comprehensus fuit.* VIII. *Vestigia pedum Christi in Torrente Cedron.* IX. *Domus Annæ.* X. *Domus Caiphæ Pontificis.*

CAPVT PRIMVM.

De Via captiuitatis.

EXtra muros sanctæ ciuitatis in plaga Orientali est semita siue via, qua è sacro cœnaculo montis Sion itur ad Gethsemani villam, ad montem Oliueti, & locum orationis Christi Domini, & ex isto ad idem cœnaculum & domum Caiphæ illi proximam reditur, & semper iuxta Vallem Iosaphat. Appellatur hæc via *Via captiuitatis*; quoniam in eâ Christus Dominus pro peccatis nostris captus fuit, & ligatus ab impiis hominibus, & vt aliquis sceleratus, ductus fuit ad iniquorum hominum tribunalia, Annæ, Caiphæ, & ab Caipha deinde ad Pilatum.

Via captiuitatis nomen ratio.

Longitudo eius vnius milliarij.

Via ista est longitudinis vnius milliarij circiter, & in ista sunt decem memorabilia & omni veneratione digna loca quæ designauimus. Etsi enim tota sancta sit, vtpote pedibus Domini calcata, multò tamen sanctior & honorabilior est propter ea quæ in illis passus & operatus fuit idem Dominus.

Et quamuis omnia ea loca alicui fortasse videri possint non pertinere ad Viam captiuitatis, quòd ista sic dicatur à loco vbi Christus fuit comprehensus; tamen verè omnia ad eam pertinent, Primò, quia singula continentur in ea, & Christi passionibus consecrata sunt ea nocte qua tradebatur. Secundò, quia aliqua pertransiuit, in eisdemque non mansit, quò capi posset, vt Vallis Iosaphat, Torrens Cedron, &c. & in aliquibus fuit captus, vt vbi reliquit pedum suorum vestigia in Torrente Cedron, domus Annæ & Caiphæ. Tertiò, quia licet ab actuali Christi captiuitate nomen acceperit Via ista, tamen primò illud imposuit Christi patiendi voluntas, quam euidentiùs Cœnâ vltimâ factâ, & hymno dicto, manifestauit, quando omnia ea loca perambulauit priùs amoris vinculis quàm peccatorum funibus vinctus: ideò enim transiuit Torrentem Cedron, quia voluit; cœpit tristari & mœstus esse, quia voluit; factus fuit in agonia, & sudauit sanguinem, quia voluit; ac denique fuit captus, quia voluit: & ideò non solùm facto, sed intentione primò præmissa loca ad hanc captiuitatis Viam pertinent. Illa ita disposuimus, & de eisdem sicut disposita fuerunt tractabimus, vt ordinatam gestorum Christi seriem sequamur. De Via captiuitatis etiam agit Adrichomius in locis ad Orientalem Ierosolymæ partem sitis, n. 207.

CAPVT II.

De Valle Iosaphat, primo loco Viæ captiuitatis.

PRimus locus, qui sese offert oculis considerandus in sacra captiuitatis Domini Via, est celebris Vallis Iosaphat, de qua tria videbimus: Primò, quid de eius naturali conditione dicendum sit; Secundò, quibus appelletur nominibus; Tertiò, quid in ea actum vel agendum sit secundùm Scripturas.

Vallis Iosaphat est longa, lata & spatiosa vallis, quæ totam ciuitatem Ierusalem ab eius Orientali plaga cingit, & partim etiam ab Austro; licet, prout ex hac parte ciuitatem respicit (vt posteà dicetur) alio nomine dicetur Vallis Gehennon, etsi eadem

Vallis Iosaphat describitur.

Digitized by Google

eadem Vallis eò vſque continuetur. Interiacet Vallis illa inter vrbem & Oliueti montem, hunc ab illa ſeiungens, per quam Torrens Cedron fluit, & aquis ex Oliueti monte & aliunde in ſe collectis eamdem alluit, humectat, & fecundat cum locis vicinis. Sed hoc fit hiemis tempore, quando pluit & ningit. Vnde pluuiis & niuibus creſcentibus adeò ipſe creſcit, vt magno impetu fluens, nonnumquam campos & planities, quæ in Valle ſunt, deſtruat. At hoc rarò contingere arbitror ex his quę videre & obſeruare potui. Aliis temporibus aquis caret, vt aliunde ſubueniri debeat.

Hæc Vallis propter ruinas ciuitatis & templi, aliarúmve ædium ſub Tito, Veſpaſiano & Ælio Adriano Romanis Impp. multùm oppleta fuit, taliſque etiam cernitur in præſenti, verùm eius profunditas & latitudo non obſcurè in aliquibus locis deprehenditur. Longitudo eius incipit à Septemtrione ac ſepulchro B. Mariæ Virginis, & progreditur vſque ad puteum Nehemiæ, vbi terminari creditur; eſtque duorum circiter milliarium. Hæc Vallis admodum celebris eſt in ſacris Litteris, propter ea quæ ibi facta ſunt, & adhuc fient, ideoque etiam illuſtriſſima nomina ſortita eſt: & quotquot de locis ſanctis ſcripſerunt, eius mentionem fecerunt.

Vallis Ioſaphat plura habet nomina.

Variis verò hæc Vallis nominibus appellatur, vt *Vallis Cedron*, *Vallis montium*, *Vallis Siloë*, *Vallis benedictionis*, *Vallis Gehennon*, & denique *Vallis Ioſaphat* frequentius, & *Conciſionis* aliquando, vt notauit Adrichomius, quorum omnium rationem inquiremus.

Vallis Cedron à torrente vel à cedris dicta.

Appellatur inprimis *Vallis Cedron*, ſiue *Cedrorum* à pleriſque, vel à Torrente Cedron qui per eam dilabitur, vel meliùs à multitudine cedrorum quibus olim abundabat & fecundabatur, hiſce tamen temporibus omnino caret; vel, quod probabilius cenſeo, ab opacitate ſic eſt nuncupata, quemadmodum Cap. IV. huius Peregrinationis explicabimus.

Montium à montibus & collibus.

Vallis montium dicitur apud Zachariam Prophetam, propter montes & colles quibus vndequaque circumdatur: ex parte enim vrbis ſunt montes & colles in quibus ipſa fundatur, ex altera verò eſt mons Oliueti, offenſionis, cum aliis.

Siloë à villa & fonte.

Vallis Siloë nominatur, quia in parte eius verſus montem offenſionis eſt villa Siloë, & è regione eius fons ſimili nomine appellatus.

Benedictionis, quia ibi Deus benedictus.

Vallis verò *benedictionis*, quia ibi Rex Ioſaphat cum populo Deum benedixit. *Vallis Ioſaphat* (inquit Abraham Ezrę filius) *eſt Vallis benedictionis; ſic enim appellauit Ioſaphat.* Alludit autem ad hiſtoriam Ammonitarum, Moabitarum & Idumæorum, qui contra Ioſaphat & Iudam coniurati, mutuis mirabiliter concidêre vulneribus, vt habetur in libris Paralipomenon, vbi additur: *Die autem quarto congregati ſunt in Valle benedictionis*, 2. Par. 20, 26. quia enim ibi benedixerant Domino, vocauerunt locum illum Vallem benedictionis. Eadem eſt ſententia Ruperti. Ita Ribera in Ioëlis cap. 3. Aduertendum verò, nomine *Vallis benedictionis* citatis Paralipomenon & Ioëlis locis, vbi eiuſdem fit mentio, non eſſe Vallem illam intelligendam, quæ remotior eſt ab Ieruſalem, proxima Mari mortuo, quæ alio nomine *Vallis Saue*, ſiue *Illuſtris* appellatur, vbi olim erant quinque illæ ciuitates, quæ ob nefanda ſcelera igne & ſulphure è cælo demiſſo conſumptæ ſunt, vbi nunc eſt Mare mortuum; ſic fortè dicta, quia tunc erat ſicut paradiſus Domini, & poſteà à contrario ſenſu *Vallis benedictionis* pro *maledictionis*, quod non ſemel facit Scriptura; quoniam nomen maledictionis valdè horret, ideò eius loco contrarium ponit. Credendum verò non eſt, eò ſe contuliſſe Regem Ioſaphat cum populo Iuda ad gratias Domino Deo perſoluendas. Vel talis denique dicitur, quia, reprobis in extremo Iudicio à Chriſto vniuerſali Iudice ad æternum ſupplicium relictis, iuſti cæleſtibus æterniſque benedictionibus replebuntur, vt dicetur.

Vallis Saue non eſt Ioſaphat.

Gehennon ab ſitu parte & idolo.

Gehennon Vallis non rarò nuncupatur à parte huius Vallis, cui id erat nominis ab idolo quod ibi colebatur, de quo aliàs.

Ioſaphat, à ſepulchro Regis Ioſaphat ibi extructo.

Vallis verò *Ioſaphat* frequenter & communiter dicitur; in aſſignanda tamen huius nominis interpretatione non omnes conueniunt. Quidam dicunt ſic eſſe appellatam, quoniam in ea Valle Rex Ioſaphat ſibi conſtrui fecit turrim & ſepulchrum, vt ita ab eo nomen mutuauerit, quemadmodum in lib. de Locis ſanctis cap. 6. teſtatur. *Iuxta murum templi*, inquit, *vel Ieruſalem Gehennon occurrit, quæ eſt Vallis Ioſaphat, à Septemtrionali plaga in Auſtrum porrecta, per quam Torrens Cedron, ſi quando pluuiarum aquas recipit, decurrit. Hæc Vallis, & parua campi planities irrigua & nemoroſa, plenaq; deliciis, locum in ſe quondam Baali ſacrum habuit. In hac turris Regis Ioſaphat ſepulchrum eius continens*, &c. Ex his Bedæ verbis conſtat, hanc Vallem dictam eſſe *Gehennon* ab idolo, & *Ioſaphat* ab huius Regis ſepulchro in ea exciſo. Solutionem dubitationis, quæ contra hanc nomenclaturæ rationem fieri poſſet, vide infrà Cap. IV. Peregrinationis VII. huius Libri. Alij tamen dicunt, cùm Vallis Ioſaphat, ſecundum nominis inter-

pretationem, significet *Vallem iudicij*, ideò sic dictam fuisse ab euentu, quòd in ea iudicium factum fuerit ab aliis piissimis & religiosissimis Iudæ Regibus Asa, Ezechia, & Iosia, de idolis Salomonis & aliorum infidelium Regum Iuda, quando nimirum ea combusserunt, cineribus in hanc Vallem & Torrentem Cedron proiectis, illorumque delubris dirutis, & solo æquatis. An potiùs ab eo, quod in ea continget in consummatione sæculi, quando videlicet omnipotens Deus, vt locutus est per Ioëlē Prophetam, *Congregabo omnes gentes, & deducam eas in Vallem Iosaphat, & disceptabo cum eis*, &c. Ioël. 3, 2. reddens vnicuique secundùm opera quæ gessit, siue bonum siue malum.

Persimili ratione denique & *Vallis concisionis* appellatur ab eodem Propheta inferiùs eodem capite, quia ibi boni à malis separabuntur, iudicabuntur, & concidentur hostes. Quare Chaldæus pro *Valle Iosaphat*, vertit *Vallem diuisionis iudicij*. Sed hoc inferiùs examinabimus. Illud interim pro comperto habeatur, in Orientali plaga Ierosolymæ, & extra muros eius, &c. esse Vallem, quæ à Terræ sanctæ incolis & omnibus sanæ mentis Scriptoribus *Vallis Iosaphat* appellatur.

Quantum ad tertium, quænam in ea facta fuerint, & adhuc ibi futura sint, ex parte iam attigimus, & aliàs fusiùs, dum opportuniori occasione de illius quibusdam particularibus locis verba faciemus, dicturi sumus: sufficiat modò scire, Vallem Iosaphat olim fuisse commune cœmeterium vrbis, cùm inferiùs vulgus sepeliri debuerit, & vsque in præsentem diem multa in ea & circa eam cernantur sepulchra in rupibus excisa, quamuis plura humo repleta, alia euersa, alia adhuc superstitia, & à Mauris aliquibus inhabitata. In eadem Valle etiam nunc Iudæi, secundùm eorum consuetudinem sepeliendi defunctorum corpora extra vrbem, suos defunctos defodiunt. Vnde non mirum, si supra hanc Vallem ager ille ex pretio Sanguinis Christi in sepulturam peregrinorum emptus sit, vt dicitur apud Matthæum, de quo inferiùs Capite XXII. Peregrinationis VII. huius Libri. In hac Valle Asa, Ezechias & Iosias, pij Reges Iuda, templi combusserunt idola, & eorum cineres in Torrentem Cedron proiecerunt, vt testatur sacra Historia; & Iosaphat cùm Iuda pro victoria de inimicis obtenta Deo gratias egit, vt superiùs dictum est.

Vallis Iosaphat pluriū sepultura.

Idola combusta in Valle Iosaphat.

Hanc sæpiùs pertransiuit, & circa eam versatus est Christus Dominus cum discipulis suis, in fine præsertim vitæ suæ, quando vltima cœna cum discipulis facta eam transiuit, eundo ad orandum Patrem in horto: denique in hac Valle idem Christus Dominus in excelso Maiestatis suæ solio, in mundi consummatione iudicabit omnes gentes, vt ex Scriptura sacra tradunt Doctores sacri, sed de hoc Capite sequenti.

Transitu Christi consecrata.

Iuxta finale iudicium faciendum.

CAPVT III.

Saluator noster totum aliquando mundum iudicaturus est in Valle Iosaphat, secundùm Ioëlis prophetam.

IVdicium vniuersale à Christo Domino in consummatione sæculi esse faciendum, in quo iudicabuntur omnes Angeli & homines, boni & mali, & vniuersa eorum opera, bona vel mala, quæ in vita gesserunt, strictè discutientur, & vel vita æterna vel suppliciis sempiternis, secundùm eorum dignitatem, præmiabuntur, adeò certum & verum est, vt oppositum sit falsum & hæreticum: omnes enim sancti Patres, sacri Theologi, & ipsa Scriptura sacra frequenter illud docent. Quid, quòd vnus sit ex duodecim fidei Catholicæ articulis? In Symbolo enim Apostolorum de Christo dicitur: *Inde venturus est iudicare viuos & mortuos.* Qua etiam certitudine asseuerandum est ex Scriptura & Patribus, alicubi in hoc visibili mundo vniuersale illud iudicium esse faciendum: sed non eadem certitudine & consensu asseritur, faciendum esse in hoc vel illo loco. Etsi enim dixerimus, vt dicere debebamus ex Ioële, faciendum esse in Valle Iosaphat, non defuerunt tamen Catholici scriptores, qui huic sententiæ se opponerent, vbi tamen sit faciendum, non explicantes; quorum placita hîc primò subiicimus, addentes deinde quid secundùm probabiliorem communem sententiam tenendum sit.

Iudicium vniuersale faciendum, fidei est articulus.

De loco iudicij dubio.

Non esse faciendum finale iudicium in Valle Iosaphat, duplici argumento adstruitur. Primò, Non datur Vallis Iosaphat, igitur in ea non est faciendum vniuersale iudicium. Consequentia est manifesta, & Antecedens probatur: Si daretur ista Vallis, esset propter vulgatam illam Ioëlis auctoritatem, *Et deducam eas in Vallem Iosaphat*, &c. Ioël. 3. sed non suffragatur; ibi enim *Iosaphat* non est nomen proprium Vallis, sed designat locum, quicumque ille sit, ab euentu, id est à iudicio in eo faciendo tali nomine appellatum. Iosaphat etenim significat *iudicium Domini*. qua ratione Chaldæus non vertit *in Vallem Iosaphat*, sed *in Vallem diuisionis iudicij*.

Argumenta, iudicium non esse in Valle Iosaphat faciendum.

Secundò, Puerile atque friuolum est, in Valle illa (dato quòd sit) futurum esse vniuersa-

uerſale iudicium, quoniam infinitæ propè multitudinis iudicandorum non eſt capax. Ita Gloſſa, quam ſequitur Petrus Lombardus in 4. diſtinct. 48. & Alenſis Part. 3. q. 25. membro 2.

Contraria ſententia communis & emenda.

Sed faciendum eſſe finale iudicium in Valle Ioſaphat, de qua hactenus locuti ſumus, veterum ac recentiorum Patrum & Theologorum, ſacrorumque interpretum in memoratum locum Ioëlis communis ſententia eſt, quam non tantùm Prophetæ teſtimonio, ſed & probabilibus pulcherrimiſque rationibus confirmant D. Thomas in c. 25. Matth. & in 4. Sentent. diſt. 48. q. 1. art. 4. quæſtiunc. 4. Albertus eadem diſt. art. 8. & in eumdem locum Matthæi, Paludanus diſt. 47. art. 1. Dominicus Soto eadem diſt. quæſt. 1. art. 4. & antè Aretas Epiſcopus Cæſarienſis in cap. 11. Apocalyps. confirmat teſtimonio Ioëlis. Idem Lyrano, Dionyſio, Vatablo, & aliis viſum eſt.

Sed quæ Ioël de hoc dicat, videamus; in illius enim dictis fundatur ſententia. Semel & iterùm loquitur Propheta ille de iudicio faciendo in Valle Ioſaphat, primò dum dicit: *Quia ecce in diebus illis, & in tempore illo, cùm conuertero captiuitatem Iuda & Ieruſalem; congregabo omnes Gentes, & deducam eas in Vallem Ioſaphat, & diſceptabo cum eis ibi ſuper populo meo, & hereditate mea Iſraël, quos diſperſerunt in nationibus, & terram meam diuiſerunt*, Ioël. 3, 1. Secundò inferiùs: *Conſurgant, & aſcendant Gentes in Vallem Ioſaphat: quia ibi ſedebo vt iudicem omnes Gentes in circuitu*, verſ. 12. In quibus Prophetæ verbis quatuor ſunt ad intentum notanda: Primum, quòd in commemoratis locis ſermo ſit de vniuerſali & extremo iudicio; ſecundum, quòd etiam agatur de loco quodam in quo omnes Gentes cõgregandæ ſunt vt iudicentur; tertium, quòd hic locus ſit Vallis Ioſaphat, & circumiacens regio; quartum, quòd ibi Chriſtus Dominus iudicij ſedem collocaturus ſit.

Ioël citatus de finali iudicio loquitur.

Quantum ad primum, quòd illo loco loquatur Propheta de finali vniuerſalique iudicio, probatur dupliciter, Primò ex illis prioris ſententiæ verbis, *In diebus illis, & in tempore illo*, id eſt, in extremo magni iudicij die, vt interpretantur B. Hieronymus, Rupertus, Gloſſa, & plerique alij. Quæ ſententia firmatur ſequentibus verbis: *Cùm conuertero captiuitatem Iuda & Ieruſalem.* At Iudæorum conuerſio fiet in conſummatione ſæculi, antequam veniat dies Domini magnus. Poſtquam enim Eliæ prædicatione techinæ, doli verſutiæque Antichriſti detectæ fuerint, Iudæi, agnita veritate, magno affectu Chriſti fidem ſuſcipient. Tunc enim Iudæi, vt ait Pſalmographus, *conuertentur ad veſperam, & famem patientur vt canes, & circuibunt ciuitatem*, Pſalm. 58, 7. hoc eſt, vt aliqui interpretantur, Ad finem mundi conuertentur Iudæi, & magno mentis ardore fidem Chriſti amplectentur, & famem patientur vt canes, quoniam auiditate maxima panem illum vitæ & intellectus, qui de cælo deſcendit, quærent, felici fame ſtimulati, ciuitatem, id eſt ſanctam Eccleſiam circuibunt, ſuam ipſius ſalutem procurantes. In quem ſenſum B. Gregorius verba illa, *Quid videbis in Sulamite, niſi choros caſtrorum?* Cant. 7, 1. meritò interpretatur de ſynagoga, in fine mundi pro fide Chriſti, quam oppugnauerat, fortiter præliatura, *Caſtra*, inquit, *in Sulamite, id eſt ſynagoga, videbuntur, quia pro fide, quam modò impugnat, tunc robuſtè contra infideles præliabitur*, &c. De hac admirabili & optatiſſima ſynagogæ conuerſione ad Chriſtum in fine mundi, pluribus agit B. Paulus in Epiſtola ſua ad Romanos. Idipſum docet S. Hilarius dicens in cap. 6. Matth. *Sicut pars Iudæorum per Apoſtolos credidit, ita eſt & alia creditura per Eliam.* Quod iterùm à Theodoreto, & S. Anſelmo in c. 11. Epiſtolæ ad Rom. confirmatur. Quam in rem S. Hieronymus verba Pſalmi 20. *In reliquiis tuis præparabis vultum eorum*, ſic interpretatur. Idq; ex Matthæo colligi poteſt, vbi Chriſtus hæc verba profert, *Elias veniet, & reſtituet omnia*, Matth. 17, 11. tunc enim Iudæi magno affectu Chriſtum ſequentur. Et in hoc planè ſenſu illa Apoſtoli verba, *ſic omnis Iſraël ſaluus fieret*, Rom. 11, 26. ſunt accipienda, vt dicit Oecumenius; quoniam tunc incredulitati ſuæ Iudæi renuntiantes, Chriſti Euangelium amplectentur, & fiet cum Gentibus reliquis vnum Chriſti ouile. Et hoc eſt quod Ioël dicere voluit. Sed de his plura Lib. 1. Si igitur Ioël loquitur de iudicio faciendo, quando Iuda & Ieruſalem conuertetur, quod nondum factũ eſt, ipſis id Iudæis affirmantibus, illud fore finale, neceſſe eſt affirmare.

Iudæi Eliæ prædicatione conuerſi aliorum ſalutis ſtudebunt.

Secundò clariùs, quia non Iudæorum dumtaxat iudicandorum mentionem facit Propheta, ſed & Gentium. ſubiunxit enim: *Congregabo omnes Gentes*, &c. & in poſteriori ſententia, *Conſurgant & aſcendant Gentes in Vallem Ioſaphat, quia ibi ſedebo, vt iudicem omnes Gentes. Gentes* inquit, & *omnes*; igitur ibi loqui de vniuerſali iudicio, manifeſtum eſt.

Ioël loquitur de loco proprio iudicij.

Quantum ad ſecundum, quòd ibi ſermo ſit de aliquo proprio & particulari loco, probatur ex circumſtantiis quæ in vtraque ſententia ponuntur, & proprio alicui loco conueniunt, Verba nimirum & Aduerbia motum & locum ſignificantia, vt illa, *congregare,*

Google

gregare, deducere, consurgere, & ascendere, & illud aduerbium *ibi*, quod in vtraque sententia collocatur; in priori dum dicitur, *& disceptabo ibi*, in secunda verò, *quia sedebo ibi*. Quare cùm verba locum manifestè indicent, ne illis violentiam afferamus, proprium ac determinatum locum significare dicendum est, non verò indeterminatum, vt alterius sententiæ Auctores dicebant.

Locus iste, est Vallis Iosaphat.

De tertio verò, quòd iste indeterminatus locus sit Vallis Iosaphat, vt in vtraque dicitur sententia, & quòd Vallis Iosaphat nomine intelligatur illa quæ est extra muros Ierusalem tali nomine appellata, & quòd non ita appelletur ab euentu, vel ponatur indeterminatè pro aliquo loco iudicij, vt alterius sententiæ sectatores docent; præter testimonium iam adductorum Patrum & Theologorum, sic amplius probatur. D. Basilius Homil. 3. in Genesim, Beda in Hexaëmeron, exponens illa verba, *In principio creauit Deus cælum & terram*, Dominicus Soto, & alij docēt, in locutionibus historicis verba esse in simplici, proprio, naturali ac litterali significatione & sensu capienda, nisi absurdum aliquod inde sequi videatur, vt sequeretur in parabola illa lignorum, consultantium de electione Regis, Iudicum 9, 10. absurdum enim euidens sequeretur, si lignorum nomine ipsa ligna proprie intelligeremus. Si enim absque vrgenti ratione ad metaphoras & mysticos sensus recurratur, tunc non facilè alicuius historiæ vel sententiæ veram intelligentiam habere poterimus. Cùm namque metaphoræ & sensus mystici plures sint, varij & incerti, nec ad aliquid docendum vel probandum ex se satis sint idonei, numquam possemus ad sanam intelligentiam, & veritatem rei quæ tractatur, peruenire; tot enim fere sunt, quot hominum iudicia. Ne ergo in adductis Ioëlis sententiis erremus, quæ etsi propheticæ sint, sunt etiam historicæ; quare historicè etiam eas interpretari debemus, vt verba in ipsis contenta sonant, vt Vallis Iosaphat nomine vallem tali appellatam nomine cum communi Doctorum sententia intelligamus, præsertim cùm in secundo dicto monstratum sit, Prophetam alicuius proprij loci mentionem facere.

Præterea, iudicium faciendum est in hoc mundo coram omnibus, igitur in aliquo loco: qui si non est Vallis Iosaphat, vt ex Ioële docent citati Doctores, alterum alij assignent, si possunt.

Iudicandi non tantùm erunt in Valle Iosaphat, sed etiā in locu proximis.

Quòd verò non ad solam Vallem Iosaphat, sed & ad circumiacentem regionem congregandæ, ibique iudicandæ sint omnes gentes, indicat Propheta in secunda sententia, dum dicit: *Consurgant*, &c. *vt iudicem omnes Gentes in circuitu*, id est in circumiacentibus locis. Et persuadet ratio: nam hæc Vallis non adeò magna est, vt infinitam pænè iudicandorum hominum multitudinem capere possit; præsertim cùm soli damnati in terra mansuri sint, quorum corpora dote subtilitatis expertia, mutuò se penetrare non poterunt, vt plura simul in eodem loco habitent. etsi alias id per diuinam potentiam fieri posse credamus cum aliquibus Theologis in 4. Sentent. electi namque per dotem agilitatis rapientur in nubibus coram Christo in aëra, vt docet Apostolus. Sed & idipsum confirmatur alterius Prophetæ testimonio, qui loquens de lamentabili luctu qui in die iudicij erit in Ierusalem, dicit: *In die illa magnus erit planctus in Ierusalem, sicut planctus Adadremmon in campo Mageddon*, &c. Zachar. 12, 11. Et quare in tempore illo dicitur futurus esse planctus in Ierusalem, nisi quia ibi in Valle Iosaphat vniuersale iudicium futurum est? *Dicitur autem planctus futurus in Ierusalem*, inquit Ribera in hunc Prophetam, *quoniam Ierosolymitani flebunt; & praterea iudicium futurum est in eadem vrbe, in Valle Iosaphat, vt ostendimus Ioël. 3.*

Iudex in Valle Iosaphat thronum suum collocabit.

Quantum ad quartum, quòd ibi sedem Maiestatis suæ collocaturus sit Christus, docet hisce verbis Propheta in secūda sentētia, *Quia ibi sedebo*, id est, supra ipsam, in nubibus cæli, vt ipse apud Euangelistas dixit, & Glossa ibi. Sed & Angeli discipulis Christum magno apparatu & gloria in cælum euntem cum admiratione respectantibus idem dixerunt: *Viri Galilæi*, &c. *sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cælum*, Actor. 1, 11. quod non tam de apparatu & maiestate, quàm de loco iudicij intelligi voluisse, id est de monte Oliueti, & Ierusalem, docent Interpretes. Et ratio persuadet: nam vbi erunt iudicandi, ibi erit & Iudex; atqui illi erunt in Valle Iosaphat, igitur & Iudex, in eminenti videlicet loco, vt ab omnibus videri possit, *& aspicient in eum quem confixerunt*, vt dicitur apud Zachariam cap. 12, 10. qui & splendore suo distantiæ defectum, quæ aliàs visionem impediret, supplebit. Et ex his patet, quid respondendum sit ad argumenta alterius sententiæ contra istam.

Ad primum, quidquid sit de nominis *Iosaphat* interpretatione, abundè satis ostēsum est, verè iuxta Ierusalem vallem esse, quæ proprio nomine Iosaphat appellatur: quæ si cum proprio nomine eidem conueniat, communis interpretatio multò conueniet meliùs. Sed verè à Propheta accipi in propria significatione, mihi persuadeo, quoniam

niam iudicij faciendi in aliis verbis eiusdem contextus meminit. Nec officit, Chaldæum non transtulisse *Iosaphat*, nam eius loco æquivalentem posuit interpretationem, & sufficit nobis Vulgatam ita transtulisse.

Ad secundum similiter, quòd Vallis illa non possit esse tantæ multitudinis capax, quid sit respondendum, apparet; nam non in ea dumtaxat, sed in locis eius vicinis per circuitum stabunt iudicandi: & sic dicere non est friuolum & puerile, etsi alioqui puerile & friuolum esset, dicere, omnes iudicandos in sola Valle Iosaphat collocandos. Nec amplius dixit Glossa, vt illius indicant verba, & ipsa apertè pro nostra sententia est. *Quod friuolum est*, inquit, *quia non in terra, sed in spatio huius aëris sedebit contra locum montis Olineti, ex quo ascendit.* at contra montem Olineti est Vallis Iosaphat.

Rationes & congruentias, quibus probari posset, finale iudicium faciendum esse in Valle Iosaphat, Deo aspirante, in Considerationibus adducemus. Ex his omnibus liquet, pietati & Catholicæ veritati consentaneum esse, affirmare, finale iudicium, vt dicitur, in Ierusalem in Valle Iosaphat futurum esse.

CAPVT IV.

De torrente Cedron, secundo loco Viæ captiuitatis.

SEcundus locus qui sese offert considerandus in Via captiuitatis est torrens Cedron, de quo tria obseruamus; primum, quid sit; secundum, quare tali nomine sit appellatus; tertium denique, quæ in eo notabilia contigerunt.

Torrentis Cedron descriptio.

De primo sic scribit Adrichomius in descriptione Ierusalem num. 202. *Torrens Cedron vnus est ad Orientem Ierusalem, inter ipsam & montem Olineti, qui pluuialibus aquis vndique de montibus, necnon ex fontibus ac piscinis auctus, dulci quodam strepitu per mediam Vallem Iosaphat atque Gehennon, perq; plana deserti in Mare mortuum fluens absorbetur. In cuius vtraque ripa multæ, densæ, ac fructiferæ crescebant arbores: quarum amœna facies, vnà cum vicinis hortis, qui limpidissimis aquis Cedron irrigabantur, obambulantium oculos animúmque amœnabat,* &c.

Ante Adrichomium de eodem in hunc modum scripsit Brocardus: *Infra agrum Akeldemah contra Orientem fluit torrens Cedron, colliguntúrq; in ipsum omnes aquæ, quæ tempore pluuiarum in altiora quæq; loca circumadiacentia ab aëre descendunt. Non longè à sepulchro Virginis auditur strepitus eius sub terram ad locum istum properantis; augescit quoque ex aquis quæ fluunt ex memoratis piscinis.* Quæ omnia ferè ipsi etiam modò respondent, excepto quòd tanta amœnitate & iucunditate non fulgeat. Æstiuo tempore omnino siccus est, at hieme frequenter ex pluuiis & niuibus aquis abundat. Prope sepulchrum B. Virginis Mariæ incipit torrens, qui per propinquum canale fluit, & ad Mare mortuum, vt dictum est, terminatur.

Principium & terminus Cedron.

Torrentis Cedron nominis duplex ratio.

De secundo, id est de illius nominis notione, duplicem inuenio interpretandi rationem. Altera illorum est, qui dicunt Cedron esse nomen Græcum, deriuatum à nomine κέδρος arborem significante. Cùm itaque circa ipsum in Iosaphat Valle multæ essent cedri præ aliis arboribus, ab illis nomen accepit torrens κέδρων siue cedrorum. Altera aliorum est, qui dicunt, ab obscuritate, quam significat Hebraicum nomen à quo Cedron deriuant, vt ex secundo & tertio Regum libris, vbi huius torrentis fit mentio, videre est, vbi appellatur *Chidron* à verbo *Chadhar*, quod significat *obscurari*. inde tractum est, inquit Toletus in cap. 18. Ioannis annot. 2. nomen illud proprium, quasi obscurum locum significans; est enim nomen Vallis illius montis Olineti, inter ipsum montem & Ierusalem, quæ & propter arborum multitudinem, & propter profunditatem, vmbrosa & velut obscura erat.

Distabat autem ab vrbe Vallis hæc sex stadiis, vt constat ex Iosepho lib. 6. De bello Iudaico cap. 3.

Hanc Vallem prætercurrebat modicus fluuius, ferè semper arescens, & ex pluuialibus aquis auctus, qui dictus est torrens Cedron, vt ex Scripturæ testimoniis citatis deducitur, & notat etiam Hieronymus lib. de Locis Hebraicis. Quòd autem in Græco textu legitur cum articulo pluralis numeri, vitium videtur scriptorum: nam nomen est proprium Vallis & fluuij, & LXX. libro 2. Regum 15. cum articulo singulari scripserunt, & tertio Regum 15. sine vllo articulo: articulum autem masculinum singularem, in articulum pluralem commutare, facilè est. Cùm verò habeamus aperta testimonia Scripturæ, vbi de hoc torrente fit mentio sub hoc nomine, non est dubitandum, non Græcum, sed Hebraicum esse vocabulum. Hæc sparsim collegimus ex Toleto, quæ & ante ipsum notauit Iansenius in Concordia Euangelica c. 137.

Quamuis probabilis sit prior sententia, cùm

Digitized by Google

cùm multos magni nominis patronos habeat; mihi tamen probabilior videtur posterior. Nam præter Scripturæ auctoritatem, ei videtur suffragari ratio: nam & modò vmbrosa & obscura est, non quidem propter cedros, quia nec vna adest, sed vel propter vallis profunditatem, vel propter aliarum arborum multitudinem, olearum scilicet & ficuum. Quòd si dicatur, olim extitisse cedros, & ideò ab ipsis denominatam; id non negamus: at mirabile est, aliquam ex ipsis, si non numero, in specie tamen non extare, cùm alibi, vt in monte Libano, plures antiquissimæ & nunc cernantur, & in ista Valle vel Gethsemani oleæ antiquissimæ sint, quas dicunt incolæ supersesse ex illis quæ tempore Christi & obsidionis Ierusalem per Titum factæ extiterunt: sed quidquid sit, sunt sanè antiquissimæ. Quòd si istæ, aliæ insuper plantæ & arbusta supersunt, videtur rationi consentaneum, supersesse debere & cedros, si anteà ibi abundauerint.

Posset tamen dici, nullum esse discrimen inter vtramque sententiam; quia propter vtriusque sententiæ rationem potest hic torrens Cedron appellari, & Auctores prioris sententiæ à causa, posterioris ab effectu nomen torrenti indiderunt.

Iansenius ex posteriori significatione mysterium notauit, locum conuenire mysterio passionis Christi, quæ ibi sumpsit exordium orationis, & aliorum quæ referunt Euangelistæ, dum de isto torrente loquuntur. Notandum, hunc torrentem appellari etiam *Pila* apud Sophoniam c. 1, 11. nam vbi Vulgata habet, *Vlulate habitatores Pila*, legit Chaldæus, *Qui habitatis in torrente Cedron.*

Torrens Cedron Pila appellatus.

Asa in torrente Cedron.

In torrente Cedron, vt ad tertium quod proposueramus veniamus, Asa Rex Iuda contractum simulacrum turpissimum, Priapi scilicet, combussit. Hunc torrentem Rex Dauid totus lacrymis madidus, cum amicorum intimis, à facie filij sui Absalom fugiens, operto capite & nudis pedibus pertransiit. Eumdem post multa sæcula Christus Dominus verus Rex Ierusalem ab æterno Patre constitutus, in Dauide præfiguratus, post vltimam cœnam cum discipulorum suorum comitatu transiit, non quidem suorum inimicorum persecutionem fugiens, sed ad locum orationis, vt pro se & suis persecutoribus Patrem exoraret; & vt etiam alterum in se, quod in eodem Dauide fuerat præfiguratum, impleretur, vt nimirum quemadmodum ille à dilecto filio suo Absalom persecutionem passus est, ita ipse ab vno ex discipulis suis, quẽ vnicè vt amicum & filium diligebat, Iudam dico Iscariotem, traderetur in manus peccatorum ad flagellandum, conspuendum, & crucifigendum; posséque dicere: *Qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationem*, Psal. 40, 10. Per eumdem porrò torrentem, captus & ligatus, tractus fuit. Nunc non facile determinatus aliquis locus torrentis huius dignosci potest, quà Christus transierit, quoniam propter ruinas ciuitatis via vetus ferè operta est, & multorum deleta memoria; tamen esse in medio viæ à Cœnaculo ad locum orationis prope villam Gethsemani, vbi & via est per quam ambulauit, piè & probabiliter creditur.

CAPVT V.

De villa Gethsemani, tertio loco Viæ captiuitatis.

POstquam cœnam vltimam cum discipulis suis celebrasset Saluator, hymnum siue gratiarum actionẽ cum iisdem dixisset, & omnia tandem complesset quæ de eo narrant Euangelistæ, egressus est idem Saluator cum eisdem discipulis suis e cœnaculo, & transito torrente Cedron, intrauit in villam & hortum qui dicitur Gethsemani, cuius omnes Euangelistæ mentionem fecerunt, etsi non iisdem verbis, quorum in dicendo varietatem, ad maiorem huius loci intelligentiam, obseruare prodest. De Gethsemani igitur duo adnotabimus; alterum, quidnam sit; alterum, quæ eius nominis explicatio.

Conditionem villæ & horti Gethsemani explicarunt Euangelistæ.

Quantũ ad prius, respondent sacri Euangelistæ. Matthæus ait quòd esset villa. *Venit Iesus*, inquit, *in villam quæ dicitur Gethsemani*, Matth. 26, 36. Prædium nominat Marcus, dum dicit: *Et veniunt in prædium cui nomen Gethsemani*, Marc. 14, 32. Lucas locum ad montem Oliuarum nominat. *Et egressus ibat secundùm consuetudinem in montem Oliuarum*, Luc. 22, 36. Ioannes denique hortum appellauit, dicens: *Egressus est Iesus cum discipulis suis trans torrentem Cedron, vbi erat hortus, in quem introiuit ipse & discipuli eius*, Ioan. 18, 1. Horum nominum varietas non confusionem, sed magnam parit distinctionem & claritatem, etsi fuerit in causa vt variè de loco isto scripserint sacri interpretes. Nos, considerata loci dispositione, eam explicabimus Euangelistarum verbis, & hoc pacto ista ex illa, & è conuerso, manifesta euadent.

Gethsemani, villa erat inter Ierusalem & montem Oliueti, in via qua ex Sion iuit Christus ad solitum orationis locũ, in qua,

&,

& , vt credo , in eius ferè extremitate erat hortus , locus inquam arboribus consitus, voluptatis gratia comparatus. Huius villæ cernuntur aliqua fundamenta, difficulter tamen potest illius proprius situs deprehendi: cùm enim Vallis Iosaphat seiungat Ierusalem à monte Oliueti, dubium est, an villa Gethsemani fuerit in vtraque parte, an potiùs in dextera parte viæ ad montem , an in læua ex parte Ierusalem. Hoc posterius ego cum Bonifacio probabilius arbitror; hic enim situs opportunior & iucundior est, vbi olex, ficus, & alia cernuntur arbusta, & pulchra planities ad pascendum animalia multùm idonea; & circumquaque poterant esse ad habitandum domus, & etiam ex parte montis, vt fundamenta quædam præ se ferunt. Et hîc est via , qua vlteriùs proceditur in hortum, & locum orationis Christi, in extremitate vallis.

Gethsemani pascuum pro animalibus sacrificandis.

Creditur Gethsemani fuisse vnum ex suburbanis Ierusalem, datum Sacerdotibus & Leuitis, in quo pascerentur animalia in templo offerenda : inde enim per portam ouium, siue Probaticam, nunc S. Stephani, in ciuitatem inducebantur , quæ abluta in piscina Probatica in templo immolabantur. ad hoc quippe assignata fuerunt suburbana Leuitis ex præcepto Domini, vt videre est in libris Numerorum & Iosue , & alibi frequenter. Hoc redditur probabile ex his quæ scripsit Canisius de Vocibus Hebraicis de Gethsemani. *Sunt duo vocabula Syriaca Gethsemani*, inquit, id est *pecuaria butyri, is enim locus à copia butyri id nomen nactus est.*

His præmissis dicere possumus , quòd sicut omnes Euangelistæ in facti enarratione conueniunt , ita eorum quilibet explicet aliquam conditionem loci, in quem Iesus intrauit. Matthæus communem locum declarauit, dum *villam Gethsemani* dixit. Hanc Marcus Matthæi compilator *prædium* nuncupauit, quod in idem recidit. Lucas communiore etiam vocabulo locum indicauit, dum dixit, in *monte Oliuarum*; nam in monte Oliuarum, vel circà, sunt alia loca ab isto, de quibus aliàs erit sermo. At D. Ioannes peculiarem loci conditionem, ad quem tunc oraturus accessit, id est, *hortum*, qui trans torrentem Cedron, & in capite Gethsemani erat, expressit, tamquam ab aliis prætermissam: ideò Iansenius in Concordia Euang. c. 137. inquit: *Ioannes locum quidem, in quem Dominus exierat, quòd ab aliis satis esset explicatus, non expressit, locum tamen quendam medium, cuius ceteri non meminerunt, designat, dicens , eum cum suis egressum trans torrentem Cedron*, &c. Quare sic ego explicarem iter Christi ex cœnaculo ad locum orationis. Primò egressus est Iesus ex Sion cum omnibus discipulis suis trans torrentem Cedron ad montem Oliuarum ; secundò cum eisdem ingressus est villam siue prædium Gethsemani, vbi octo Apostolos reliquit ; tertiò cum tribus aliis vlteriùs processit, hortum ingressus ; ad pedem denique montis Oliuarum in separato loco tribus Apostolis relictis, ab eis auulsus quantum iactus est lapidis, vlteriùs progressus, ad locum orationis se contulit.

Itineris Christi ordo à Sion ad Gethsemani hortum.

Quantum ad posterius , interpretationem scilicet huius nominis *Gethsemani*, notandum primò ex Cardinali Toleto in cap. 18. Ioannis Annot. 3. nomen Græcum, quod Ioannis interpres vertit *hortum*, significare agrum, locum, prædium, villam, vel fundum : ex qua obseruatione colligitur concordia Euangelistarum , quomodocumque legatur, *ager* vel *hortus*. Secundò de nominis interpretatione ita scribit Iansenius citatus : *Est autem Gethsemani, si interpreteris, idem quod Vallis pinguis, siue Vallis olei ; quamuis pro hac significatione dici potiùs deberet Gesemani. Ge enim vallem, seman pinguedinem & oleum significat.* Benedictus Arias Montanus in Matthæi c. 26. octauum hortum significare contendit ; ex eo enim nomine colligit , quod decet Regiam Salomonis vrbem, & aliàs ex Scriptura constat manifestè, in suburbiis sanctæ ciuitatis plures fuisse hortos , qui sola numerorum serie distinguebantur ; quare & præfixis numeris denominabantur , primus, quartus, & octauus, quem vox *Gethsemani* significat: *Tempore*, inquit, *Christi Ierosolymorum suburbana elegantißimis hortis ornata erant, vt paradisus voluptatis à Iosepho auctore Hebraico appellata illa fuerint. Hortorum autem nomina ex notarum numero erant imposita, aliàs ipsa murorum & portarum facies prima similis erat, quæ elegantis operis esse solet ratio. Tridenti huiusmodi hortorum vias vidimus. Gethsemani idem Latinè, quod hortus octauus vel pinguis significat.*

Ratio nominis Gethsemani.

Nec obstat, Matthæum villam appellasse, villamque nunc ab horto differre; fieri enim potest, vt villa ab illo horto nomen sit mutuata, quod aliàs non ratò in similibus euenire solet, vt à peculiari loco locus communis, vt à Samaria ciuitate Samaria prouincia, &, ni fallor, alibi à nobis est obseruatum.

CAPVT VI.

De loco vbi Christus, proficiscens ad locum orationis, octo Apostolos reliquit, qui quartus occurrit in Via captiuitatis.

Descriptio loci quietis octo Apostolorum.

INgressus Christus Iesus cum discipulis suis villam Gethsemani, iussit octo ex illis in certo quodam locó consistere. Hic locus est iuxta viam Gethsemani in læua parte, signatus humili & demissa macerie, & est quartus memorabilis Viæ captiuitatis. In isto loco non solùm quietis ergò reliquit discipulos suos Christus, sed etiam monita salutis ibi eis dedit hisce verbis: *Sedete hic, donec vadam illuc, & orem*, Matth. 26, 36. Hoc est, O dilectissimi filij, hîc parum quiescite, ego enim vlteriùs procedere debeo ad solitum orationis locum, exoraturus Patrem pro omnium communi salute: sed & vos hîc expectantes vigilate & orate, ne intretis in tentationem.

Ex isto loco, assumptis secum Petro, Iacobo & Ioanne, vt qui in monte Thabor testes fuerant glorioſæ Transfigurationis, essent similiter in horto testes tristitiæ & passionis. Et procedens vlteriùs, *cæpit contristari, & mæstus esse. Tunc ait illis: Tristis est anima mea vsque ad mortem; sustinete hic, & vigilate mecum*, vt dicitur Matthæi 26, 38.

CAPVT VII.

De loco vbi Christus tres discipulos reliquit, pergens ad orandum Patrem, qui ordine quintus occurrit in Via captiuitatis.

OCto discipulis à Christo Domino in villa Gethsemani relictis, cum tribus aliis, Petro, Iacobo & Ioannè ingressus eiusdem villæ hortum, & ostenso dolore & tristitia qua angebatur, cùm ad certum locum peruenisset, qui est quintus veneratione dignus in Via ista captiuitatis, dixit illis: *Sustinete hîc, & vigilate mecum*, Matthæi 26, 38.

Descriptio loci quietis trium Apostolorum.

Locus iste, vt docet vetus harum partium recepta traditio, est ad radices montis Oliueti à dextro latere horti, vbi est magna, dura & eleuata rupes, quæ pro signo mansionis & quietis dictorum trium Apostolorum monstratur, eoque intuitu à fidelibus inuisitur & honoratur.

Fr. Brocardus, qui, quantum diiudicare possum ex eius Terræ sanctæ descriptione, quam adducit Henricus Canisius Tom. 6. Antiquæ lectionis, Ieroſolymitanam peregrinationem obiit ante annos trecentos, de isto loco loquens, quædam etiam mirabilia recenset in hunc modum: *In superficie Vallis Iosaphat est ædificium modicum quasi vnius Capellæ, quod postquam quis intrauerit, oportet per gradus in Ecclesiam sepulchri B. Mariæ Virginis descendere ad sepulchrum B. Virginis. Iuxta hanc Capellam ferè ad viginti pedes est alia Capella, quæ vocatur Gethsemani, in latere montis Oliueti adhærens rupi, sub qua Apostoli erant somno grauati: & ostenduntur adhuc ibidem eorum sessiones in lapide, & locus captiuitatis Iesu Christi, & impressio calvaria eius superiùs in rupe, & lineamenta verticis & capillorum, & in lapide alio impressio digitorum eius: quam impressionem dicitur fecisse lapidem apprehendendo cùm caperetur à ministris. Et mirum valdè, quòd de ipso lapide nec paluis, vt ita dicam, vllo malleo, nec alio instrumento deponi potest, tamen in eo ita planè appareat impressio dulcis Iesu digitorum, ac si butyreus fuisset lapis ille.* Eadem Sanutus in Secretis lib. 3. Part. 14. cap. 9. in descriptione montis Oliueti. In præsentia nulla Capellula, neque memorata miracula cernuntur.

Signa mansionis Apostolorum in rupe relicta.

E regione memoratæ rupis est hortus Gethsemani, multis vetustissimisque oliuis refertus, quas plurimi faciunt tam fideles quàm infideles, quoniam arbitrantur huius regionis incolæ eas esse ex illis quæ erant tempore Christi, & quæ remanserunt etiam post obsidionem, & captam ciuitatem per Titum Romanorum Imperatorem.

Si quis obiiciat, obstare Iosephum Hebræum, dicentem, in illa desolatione omnes arbores fuisse euulsas; Respondetur, *omnes* dixisse, quia pro maiori parte præcisæ vel euulsæ fuerunt, quamuis aliquæ potuerint relinqui. Et hic loquendi modus est omnibus vsitatus. vel dicatur, abscissas iterùm germinasse, surrexisse ac creuisse, quemadmodum in præsentia videntur.

Ex memorato loco euulsus à discipulis suis Iesus quantum iactus est lapidis, inquit S. Lucas, intrauit in locum vbi Patrem orauit, ex quo tribus vicibus redit ad excitandum dormientes discipulos ad vigilandum in oratione, illos commonefaciens & arguens, singulariter Petrum, futurum Ecclesiæ Pastorem, dulci reprehentione, dicens: *Sic non potuistis vna hora vigilare mecum?* Matth. 26, 40.

Locus iste, inquit Adrichomius in descriptione Ierusalem num. 210. & 211. *distat à loco orationis sito ad radices Oliueti ad iactum lapidis à sepulchro B. Mariæ Virginis in Valle Iosaphat gressus quinquagin-*

ginta, à loco verò vbi octo reliquit, vltra triginta quatuor. Ni fallor, magis ab illo quàm ab illis distat.

CAPVT VIII.

Difficultas circa quartum & quintum locum Viæ captiuitatis.

DVbium exoritur circa ea quæ diximus duobus præcedentibus Capitibus, de quarto & quinto loco Viæ captiuitatis, Num distantia iactus lapidis, de qua S. Lucas, accipienda sit à quarto, id est à loco vbi Christus octo reliquit Apostolos, an potiùs à quinto, id est ab eo vbi tres dimisit.

Et quòd à priori accipienda sit, tenet & probat Barradius Tom. 4. Concord. Euangel. lib. 6. cap. 10. quòd, inquam, tum auulsus dicatur Christus ab octo discipulis, quos iussit certo in loco manere & orare; non autem à tribus illis, videlicet Petro, Iacobo & Ioanne. Sic enim scribit Lucas 22, 39. *Secuti sunt illum discipuli. Et cùm peruenisset ad locum, dixit illis: Orate, ne intretis in tentationem. Et ipse auulsus est ab eis quantum iactus est lapidis*, &c. Ab eis auulsus est, ait, id est, à discipulis qui eum secuti fuerant; Lucas enim Petri, Iacobi & Ioannis assumptionem prætermisit, Matthæus & Marcus huius assumptionis meminerunt. Cùm verò prior ait, *Et progressus pusillum*, & posterior, *Cùm processisset paulum*, &c. de spatio intelligendi sunt, quo Christus à tribus discipulis discessit ad orandum. Non ergo rectè aiunt nonnulli, hoc spatium, quo à tribus discipulis discessit, fuisse iactum lapidis, vt Lucas ait; siquidem Lucas de alio spatio agit, vt diximus, quo Christus ab aliis discipulis auulsus est.

Alia sententia, distantiam accipiendā esse à loco trium Apostolorum.

Sed enim alteram sententiam, vtpote communiorem & planiorem, antiqua item & recepta traditione firmatam, reiiciendam haud arbitramur propter auctoritatem Barradij. Hanc verò sequitur oculatus horum locorum inspector Ioannes Soarius Episcopus Conimbricensis, suo tempore egregius Concionator, qui in reditu à Concilio Tridentino inuisit loca sancta Palæstinæ. de his enim agens ait: *Non longè à pradio Gethsemani, vbi reliqui octo Apostoli manserunt, Dominus tribus, Petro, Iacobo & Ioanni præcepit sustinere, & orare. Est ibi in loco saxum magnum habens tres in superficie concauitates longas, sed non profundas, in vnaquaque sedit vnus ex tribus Apostolis, & ibi recubuerunt*, &c. Ita ille relatus à Barradio, & non confutatus. Et huius sententiam, imò quam ille secutus est traditionem sequendo, oportet dicere, Christum fuisse auulsum à tribus, cùm priùs illos octo in villa Gethsemani dimisisset. Aliter dicendo, aliquam traditionem trium horum locorum oporteret fuere.

Responsio ad Barradium.

Nec officiunt opposita à Barradio: pro quorum solutione supponendum, Euangelistas mutuò se adiuuare, supplente aliquando vno quod alter prætermisit, & prætermittente quod alius dixit, ac ideò lectionem vnius prodesse ad alterius intellectum. Cùm igitur S. Lucas ait, *Et ipse auulsus est ab eis quantum iactus est lapidis*, id est, ab eis qui eum secuti fuerant, & nos concedimus. Et nónne secuti fuerant Petrus, Iacobus & Ioannes, indiuidui Christi comites? Ait ille, non meminisse illorum Lucam. Hoc non facilè admitterem, quia indefinitè loquitur: *Secuti sunt illum discipuli*, id est, omnes, & consequenter tres illi præcipui, quia in Scriptura diuina propositio indefinita æquiualet vniuersali. Cùm autem dicit, *Auulsus est ab eis quantum iactus est lapidis*, intelligendus est non de octo, sed de tribus: ad quod facit in primis, quod ait ipse Barradius, verbum illud *auulsus* significare, discipulos voluisse sequi Magistrum, atque ideò ægrè ab illis auulsum fuisse Dominum. Et quos, quæso, meliùs opinari possumus, voluisse Magistrum sequi quàm Petrum, Iacobum & Ioannem, ceteris ei familiariores? hos enim singulariter sibi adesse voluit in præcipuis mysteriis, vt quando filiam Archisynagogi à morte ad vitam excitauit, & quando transfiguratus est. Ita dicunt Doctores, secum eosdem habere voluisse in sua oratione & tristitia præsentes, tuncque ab eis parum recessisse, quando auulsus fuit ab eis quantum iactus est lapidis. & est illud quod dixit Matthæus, *Et progressus pusillum*, & Marcus, *Et cùm processisset paulum*; & indicat citatio marginalis ad D. Lucam, magno certè cum consilio, Summique Pontificis ac Ecclesiæ auctoritate facta: ad marginem inquam illorum verborum Lucæ, *Et ipse auulsus*, &c. citatur Matthæi cap. 26, 39. & Marci 14, 35. vbi habentur proximè ex ipsis adducta verba. sed in istis manifestè est sermo de tribus Apostolis, igitur & in illis Lucæ. Atque ex his apparet, D. Lucam non tacuisse assumptionem Petri, Iacobi & Ioannis, & discessum Christi ab eis, licet illos propriis nominibus minimè nominauerit, ac consequenter optima cum ratione Ierosolymis loca, quæ intuitu mansionum Apostolicarum in veneratione habentur, octo priùs, & trium posteriùs, modo iam explicato, appositè fuere destinata & determinata.

CAPVT IX.

De ſacro antro vbi Chriſtus orauit, & ſudauit ſanguinem, ſexto loco Viæ captiuitatis.

SExtus locus, iſque celeberrimus, & omni veneratione digniſſimus in Via captiuitatis, ille eſt, in quo Chriſtus Dominus tempore ſuæ ſanctiſſimæ paſſionis orauit, & ſanguinem ſudauit. In cuius elucidatione plura ſe offerunt diſtinctis Capitibus explicanda: primò, conditio loci ſacratiſſimi; ſecundò, diluendæ difficultates quæ labefactare videntur quæ de illo enuntiantur; tertiò, poſitus quo Chriſtus in illo orauit, eiuſdemque rationes.

Et quantum ad primum in præſentia enucleandum, ſciendum eſt, quòd Chriſtus Dominus humani generis reparator, & pro eodem apud Patrem ſuum perpetuus interceſſor, cùm pro illius ſalute in fine vitæ ſuæ interpellare vellet, ſeparauerit ſe ab omnibus diſcipulis ſuis, qui eum comitati fuerant à cœnaculo vſque ad prædium & hortum Gethſemani, ſeque contulerit ad ſolitum orationis locum, vt ibi preces funderet. Diſtat locus iſte ab alio, vbi tres vltimos reliquit Apoſtolos, quantum iactus eſt lapidis, vt inquit S. Lucas. Quò cùm peruenisſet, poſitis genibus, ſemel & iterùm tertioque Patrem orauit, vt, ſi fieri poſſet, ſalua nihilominùs ſemper ſancta eius voluntate, trantiret ab eo calix paſſionis. Et factus in agonia prolixiùs orans, factus eſt ſudor eius velut guttæ ſanguinis decurrentis ſuper terram. In qua agonia & prolixa oratione apparuit ei Angelus Domini confortans eum, vt idem docet Euangeliſta. Et ab oratione ſemel & iterùm, charitatis ſtimulis incitatus, abiit ad diſcipulos ſuos ſomno deditos, dans eis ſalutis monita, vt inuigilarent, & orationi inſiſterent, ne tentationi ſuccumberent.

A&a in ſacro oratorio Chriſti antro.

Locus iſte eſt magnum & illuſtre antrum, quod potuit eſſe vel ſepulchrum, vel vetus ciſterna ſine aqua ad radices montis Oliueti, tota in rupe exciſa, prope Vallem Ioſaphat, in eius Aquilonari extremitate. Fornix illius tribus fulcitur rudibus pilis, vt videtur, in eadem rupe exciſis. Eſt in eius ſuperiori parte cauum circularis figuræ, quod fortè fuit os ciſternæ, vel ſanè factum pro feneſtra, vt ex hac parte iam in Eccleſiam conuerſa illuminaretur. Longitudo eſt palmarum triginta octo, eiuſdem verò latitudo eſt viginti octo: ex parte Vallis Ioſaphat & ſepulchri B. Virginis Mariæ eſt oſtium, per quod nouem gradibus deſcendendo ſanctum locum ingredimur, è cuius regione eſt porta in templo ſepulchri ſanctiſſimæ Deiparæ, ex qua fortè aliàs huc veniebatur. Hoc tẽpore clauſa eſt. Erant olim picturæ, & adhuc pictæ ſtellæ apparent in fornice. In eius Orientali parte eſt altare; è cuius regione Chriſtum Ieſum ſummum Sacerdotem oraſſe, & ab Angelo confortatum fuiſſe, pia iſtarum partium habet traditio. Ad eius latus dextrum, id eſt, Aquilonare, erant ſcripturæ, quæ modò ex maiori parte, ſicut & aliæ picturæ, præ nimia vetuſtate & humiditate ſublatæ ſunt & abolitæ: quæ tamen remanſerunt, quoniam non exiguam fidem afferre videntur his quæ de ſancto loco aſſeruntur, hîc adnotare placuit.

Forma antri.

HIC REX CTVS SVDAVIT SANGVINEM
SEPE MORABATVR DV C
MI PATER SI VIS TRANSFER
CALICEM ISTV A ME.

Sunt quidem ex hac parte aliæ quædam litteræ & verba, ſed nullum faciunt ſenſum.

Arbor prodigioſa in loco orationis exorta.

Scribit Hegeſippus Apoſtolorum diſcipulus, rigatione ſanguinis ex corpore Chriſti in horto decidentis arborem erupiſſe, cuius ſingula folia hanc habebant inſcriptionem: *O mors, quàm amara eſt memoria tua!* Et hic locus omnino ſanctiſſimus eſt, quoniam frequentiore Chriſti præſentia, oratione, ſpontaneaque ſanguinis effuſione, ante flagella, ſpinas, clauos & lanceam, quibus ſanctiſſimum eius corpus punctum & tranſuerberatum fuit, conſecratus eſt. Et hæc abſque hæſitatione creduntur in his partibus; nec credo quemquam poſſe rationabiliter refragari.

CAPVT X.

Difficultates quædam explicantur pro clariori intelligentia eorum quæ de loco orationis Chriſti dicta ſunt.

VT quæ Capite ſuperiore de ſacro antro orationis Saluatoris noſtri diximus magis eluceſcant, aliqua adducemus quæ illis refragari videntur, ſtatim tamen diluemus. Et in primis, deſcriptus locus

non

non videtur esse locus orationis Christi, quia ille, vtpote tot signis & mysteriis illustratus quasi trophæis victoriæ Christi, fuit postea, nobili supra ipsum constructa Ecclesia, à piis fidelibus exornatus, vt probati tradunt Auctores, D. Hieronymus lib. De locis Hebraicis, & Brocardus, quos adducit & sequitur Iansenius, dicens cap. 137. suæ Concordiæ: *Gethsemani locus, vbi Saluator ante passionem orauit: est autem ad radices montis Olineti nunc Ecclesia desuper ædificata.* Quam Ecclesiam Brocardus Monachus non longè scribit ab alia, quæ etiam in pede montis eiusdem extructa fuit circum sepulchrum Deiparæ Virginis: *Non longè*, inquit, *ab hoc loco ostenditur alia Ecclesia, vbi fuit hortus Gethsemani, quem Dominus oraturus ante passionem suam intrauit, iuxta montem Olineti, cuidam rupi concauæ adhærens, sub qua discipuli sedisse memorantur, cùm ipse oraret ad Patrem.*

Beda similiter De locis sanctis cap. 6. in fine eiusdem Ecclesiæ meminit, & addit, petram illam, cui Dominus orans flexis genibus innixus est, quasi mollem ceram cessisse, in seque genuum eius vestigia recepisse; ipsumque lapidem, vt insigne tanti miraculi monumentum, intra Ecclesiam translatum, & parieti affixum, cunctisque factum perspicuum. De quo etiam lapide in Lucam hæc scripsit: *Ex vehementia interna afflictionis sudans, ita genua fixerit, vt vestigia eorum in lapide remanserint.*

His consona scripsit alter Brocardus de monte Sion, cuius antè mentionem feci-

aliquam inueni, etsi omnem adhibuerim pro illo inueniendo diligentiam. Non erit ergo hic locus ille in quo Christus orauit, &c.

Deinde, locus Christi oratione frequentatus, erat in summitate montis Olineti: iste est ad radices eius, igitur, &c. Propositio probatur ex Iansenio citato hisce verbis: *Ceterùm solus Lucas Dominum dicit in hunc locum egressum secundùm consuetudinem: dixerat enim superiùs, ipsum diebus præcedentibus, quibus in Bethania & Ierusalem versabatur, interdiu docuisse in templo, noctibus verò exiisse, & moratum in monte Olineti. Itaque sicut è Bethania post sumptam cœnam orationis causa ad hunc locum solitus fuerat exire; ita & nunc è Ierusalem à Cœna ad eumdem secessit, consuetudinem orandi pristinam per tristitiam & mortis metum non iam prætermittens.*

Sed enim propter hæc deserenda non est traditio quoad sacratissimum locum hunc, tum quia traditio ea est ex Scriptura sacra, & communi Christianorum harum partium consensu habet firmamentum, & quotquot ex visu scripserunt de locis sanctis, illam foueam locum orationis & sudoris Christi appellant; quæ si negetur, multas traditiones quæ vel de Gethsemani, de Valle Iosaphat, & de aliis proximis locis circumferuntur, corruere necesse est, nec tamen alius ab isto in his partibus orationis Christi in horto locus assignatur. Conditio loci veritatem persuadet, quia obscurus, extra ciuitatem, à sæcularibus tumultibus semotus; hoc enim multùm ad perfectè orandum conducit. Ad hæc, aliqui Summi Pontifices huic loco, quem specialiter *Grottam* appellarunt, vt & in partibus istis communiter appellatur, quòd in eo Christus orauerit, & sanguinem sudauerit, Indulgentiam plenariam concesserunt, nominatim Innocentius VI. quam alij confirmarunt Summi Pontifices: & eodem intuitu concesserunt Fratribus S. Francisci, vt ibi Ecclesiam & Monasterium ædificarent, quemadmodum Lib. II. adnotauimus. Denique anteà citati Doctores in contrarium idem docent, vt attentè considerati illorum verba patere potest, & facilè diluentur quæ obstare videntur, vt statim apparebit. Distat hæc fouea à sancto Cœnaculo Sion, vnde Christus facta vltima Cœna discessit, circiter milliare.

Responsio ad argumenta.

Ad obiecta nunc respondeo, & ad primum tripliciter. Primò, tempore D. Hieronymi, Bedæ & Brocardi potuisse supra illum locum Ecclesiam ædificatam fuisse, quæ postea temporis iniuria, vel odio infidelium fuerit penitus destructa, præsertim

Digitized by Google

ne esset illis impedimento ad excolendum terram; nam ibi est ager: ac consequenter lapis ille, de quo Beda, obliuioni traditus fuit, vel aliò translatus. & verba D. Hieronymi id indicare videntur, dum dicit, desuper eum locum fuisse Ecclesiam ædificatam. *desuper* dixit, quoniam subter erat locus sacratissimus. Vel dicamus secundò, Ecclesiæ nomine illud antrum esse intelligendum; quia pro Ecclesia & domo orationis deseruiunt. Dicitur à fidelibus ædificata, quia illud ampliarunt & exornarunt, &, velut in Ecclesia, ibi orationes & sacrificia faciebant, vt etiamnum faciunt. Vel denique supra sacellum erat, quod totum simul cum inferiori antro communi nomine Ecclesia dicebatur.

Ad id quod dicitur de Ecclesia inhærente rupi in eo loco vbi tres quieuerunt Apostoli, quæ nunc non extat, dico esse potuisse: nam inter hanc rupem & sepulchrum B. Virginis Mariæ, & locum vbi B. Virgo orabat dum sanctus lapidaretur Stephanus, & commemoratam speluncam, sunt quædam fundamenta, signa fortasse alicuius sacelli (de quo Brocardus) ad aliquod mysterium repræsentandum ibi ædificati, quod solo in præsenti æquatum est.

Ad secundum principale ex Iansenio respondeo, non mihi illius sententiam placere in eo quod dicit, locum ad quem Christus oraturus Patrem iuit post cœnam, fuisse locum illum solitum & communem, quò se receperit Christus ad orandum, dum Bethaniæ vel Ierosolymis moraretur. Non, inquam, placet, quantum ad illud, quod asserit ex Bethania iuisse quando orare volebat; hic enim locus à Bethania nimiùm distat, tribus videlicet milliaribus circiter, & opportuna ad orandum loca non deerant Bethaniæ, & in monte Oliueti. Imò in monte Oliueti solitum fuisse Christum orare dum Bethaniæ esset, de quo loco Lucas agit cap. 11. vbi nimirum discipulos orare docuit, eoque hodie intuitu honoratur, vt Cap. 11. Peregrinationis IX. huius Libri indicabimus.

De ista distantia infrà Cap. v. Peregrination. VIII.

Id placuit adnotare, tum quia, admisso quòd dicit Iansenius, ruereret illa traditio de commemorato loco orationis in summitate montis Oliueti, altera item de eodem, & aliæ quæ de proximis locis circumferentur non subsisterent; tum quia rationi conformius videtur, dicere, hoc antrum esse locum Christi in Ierusalem habitantis oratione frequentatum: at dum esset Bethaniæ vel alibi, Bethaniæ vel alibi orasse, vt ex historia Euangelica satis constat. Et, si mea non me fallit opinio, locus, cuius meminit S. Lucas cap. 21. in fine, cuius mentionem fecit Iansenius, non est ille de quo loquitur idem Euangelista c. 22. ad quem ibat secundùm consuetudinem, sed vel ille de quo egit cap. 11. vel aliquis alius. Et sanè, considerata dispositione situs Ierusalem, Bethaniæ & locorum orationis, alterius ad radices, alterius in vertice Oliueti; videtur dicendum, ex Ierusalem iuisse ad hunc de quo loquimur, qui est ad radices montis; ex Bethania verò ad illum locum, qui est in summitate Oliueti, supposito Christum consueuisse orare in monte Oliueti, dum Ierosolymis vel Bethaniæ agebat.

Insuper dum ait S. Lucas, *Ibat Iesus secundùm consuetudinem in montem Oliuarum*, &c. cap. 22. communem dumtaxat indicauit orationis locum, proprium verò cæteri Euangelistæ, vt quod in horto & Gethsemàni, vt Cap. v. huius Peregrinationis dictum fuit, explicarunt.

Denique si quis contendat, Christum secundùm consuetudinem orandi gratia ex Ierosolymis & Bethania ad hunc locum veniisse (& si non placeat) non officit alteri traditioni, quòd in summitate Oliueti, & alibi orauerit in Galilæa & Samaria: nam consuetudo exceptionem admittit, vt in proposito. quare Ioannes 18, 2. dixit, quòd *Iudas sciebat locum, quia frequenter Iesus conuenerat illuc cum discipulis suis. Frequenter* dixit, quia non semper, nam & alibi orabat, etsi frequentiùs ibi, vt etiam ex S. Luca colligimus: hic enim postquam egisset de Christi discessu è domo Marthæ & Mariæ, quæ erat Bethaniæ, vt refert capite 10. statim hæc subintulit verba: *Et factum est: cùm esset in quodam loco orans, vt cessauit, dixit vnus ex discipulis eius ad eum: Domine, doce nos orare*, &c. Luc. 11, 1. *In quodam loco* dixit, quia non in solito, *ad quem ibat secundùm consuetudinem*, vt dicitur capite 22, 39.

Porrò auctoritas ex eodem Luca desumpta, qui alicubi ait, *Erat autem diebus docens in templo; noctibus verò exiens, morabatur in monte, qui vocatur Oliueti*, capite 21, 37. non officit, vt dixi, quoniam ad eius veritatem sufficit vt in aliqua eius parte orauerit, vt si Bethaniæ, supra montem; si Ierosolymis, inferiùs. Et profectò, si quæ vigesimosecundo eiusdem Euangelistæ capite dicuntur, & forma orandi à Christo tradita attentè expendantur, potiùs supra quàm infra montem orasse comperiemus, ex eo enim loco superiori poterat templum videri, & non ex inferiori; & Marcus dicit, Christum sedisse supra montem Oliuarum contra templum. Quare de loco communi locutum fuisse Lucam capite 22. probabile est. Sed & idem Euange-

lista

liſta videtur indicare locum, ad quem ibat dum erat Ieroſolymis, dum dicit: *Erat autem diebus docens in templo; noctibus verò exiens, morabatur in monte, qui vocatur Oliueti.* Hic enim loquitur de Chriſto agente Ieroſolymis, quia ibi non alibi erat templum: quare cùm Bethaniæ erat, alibi orabat, vel ſaltem ad hanc foueam vt oraret non veniebat.

CAPVT XI.

De peculiari loco antri ſacratiſſimi, & parte verſus quam Dominus noſter Ieſus Chriſtus orauit; & quare conuerſi ad Orientem oremus.

Dei immenſa conditione ſpectata, non refert illum magis in vno quàm in altero loco adorare.

ILlud extra controuerſiam eſt apud omnes rectè ſentientes, quantum ad Deum, nihil referre, ſi in orationibus noſtris ad hanc vel illam mundi plagam, Orientem vel Occidentem, &c. faciem conuertamus, in hoc vel illo loco, in Eccleſia vel extra oremus, non ſolùm in priuatis ſed etiam publicis orationibus & ſolemnibus ſacrificiis, dummodò pura mente & incorrupto ſpiritu adoretur Deus, & orationes coram illo fundantur. Cùm enim Deus ſit ſpiritus replens orbem terrarum, vbique audit, vbique exaudit puro corde & vera mente ad ſe clamantes, nec aliquis eſt locus, ex quo benignos non communicet influxus, Propheta Regio dicente: *Si aſcendero in cælum, tu illic es: ſi deſcendero in infernum, ades. Si ſumpſero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris, etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua*, Pſal. 138, 8. Hinc Samaritanæ illi mulieri à Chriſto ſciſcitanti, an Ieroſolymis an in monte Garizim orandum eſſet, (hoc enim illa ſignificant verba, *Patres noſtri in monte hoc adorauerunt, & vos dicitis, quia Ieroſolymis eſt locus, in quo adorare oportet*, Ioan. 4, 20.) dixit Ieſus: *Mulier crede mihi, quia venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Ieroſolymis adorabitis Patrem. Sed venit hora, & nunc eſt, quando veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu & veritate. Nam & Pater tales quærit, qui adorent eum. Spiritus eſt Deus: & eos qui adorant eum, in ſpiritu & veritate oportet adorare*, v. 21. Ac proinde legimus in diuinis Litteris, Dominum non minùs exaudiſſe Magdalenam in conuiuio, Chananæam & Centurionem in via, Eliam ſacrificantem extra ſanctam ciuitatem, Danielem preces fundentem in Babylone, Zachæum in ſycomoro, & de ventre ceti Ionam Prophetam, quàm exaudierit Salomonem, Sacerdotes & Leuitas in Ieruſalem & templo Domini orantes & ſacrificantes. Et quare? quia non minùs illi quàm iſti, ſpiritualem Deum ſpiritualiter adorarunt. Ideò optimè S. Paulus ad hæc reſpiciens ait: *Volo viros orare in omni loco*; 1. Tim. 2, 8. Et ſi aliter eſſet, miſeranda profectò extitiſſet conditio eorum qui abfuerunt à templo, vel qui legitimo præpediti impedimento, ad ipſum vel ad alium determinatum locum accedere minimè potuiſſent.

Noſtri gratia vtiliter locus ac ſitus ad orandum determinatus eligitur.

Verùm ratione noſtri vtiliter aliquando locus, aliquando ſitus adorationis determinatus fuit, & aliquando liber fuit relictus, dignis concurrentibus cauſis, ad tollendum ſcilicet ſcandalum & vanas ſuperſtitiones, ne fideles orantes, orare viderentur cum Gentilibus, & ad eorum ſuperſtitiones declinare, & debitum vni Deo honorem exhibere idolis: vel vt ex conditione loci, ſitus & temporis magis ad orandum inueniremur idonei, & maiorem erga Deum oſtenderemus affectum, & promptiorem obedientiam; & ſic conſequenter aptiores redderemur ad conſequendum gratias, quas elargitur optimus Deus illis qui ad eas ſe diſponunt. Et quia templum videtur quodammodò reddere fideles ad orandum diſpoſitos, ideò domus orationis vocatur, & in eo orantibus promiſit Deus ſe dimiſſurum peccata, & poſtulata conceſſurum. Quapropter arbitrari debemus, Filium Dei (qui in hunc mundum venit non vt legem ſolueret, ſed vt eam adimpleret, & faceret voluntatem Patris ſui, etſi non propter ſuam, ſed propter noſtram vtilitatem, & ad ſuam Eccleſiam informandam) debuiſſe laudabilem legem & conſuetudinem Iudæorum in ſuis orationibus obſeruare: & verè obſeruaſſe, inuenimus in ſacris Litteris.

Chriſtus præſcriptã orandi legẽ obſeruauit.

Debebant Iudæi ad Orientem conuerſi orare.

Si Lex præcipiebat viris Iudæis, vt aſcenderent ad Templum Domini in Ieruſalem ad adorandum; Chriſtus iuit non ſolùm iam vir factus, ſed & cùm adhuc eſſet infantulus, & vix natus annos duodecim. Si genuflexi, vel etiam, dum maximis vrgerentur neceſſitatibus, proſtrati fundebant preces Iudæi, Scriptura ſacra dicente de Salomone, *Virumq; genu in terram fixerat, & manus expanderat in cælum*, 3. Reg. 8, 54. (quem morem S. Paulus inter ſuos, etiam ſecluſa neceſſitate, voluit in orando obſeruare, quãdo in Tyrio littore *poſitis genibus adorauit*, Act. 21, 5. & S. Daniel Propheta, qui in maxima poſitus anguſtia, conſternatus iacebat ſuper faciem ſuam, & vultus eius hærebat terræ) etiam Chriſtus Dominus morti proximus talem orandi modum in ſacratiſſimo illo antro non

neglexit, dum factus in agonia, *positis genibus orabat*, vt inquit Lucæ 22, 41. & pronus in faciem suam, vt innuunt Matthæus & Marcus, acturus quippe erat de morte sua, & de mundi salute, cum dilectissimo Patre suo.

Si qui alij igitur apud Iudæos extiterunt ritus in orationibus obseruandi, illos obseruasse Saluatorem nostrum, par est credere. At hic apud illos erat ritus, quòd Ierosolymis existentes, solerent orare versus Orientem, vt patet ex libro 2. Paralipom. cap. 5. versus finem: inde verò absentes, in quocumque loco reperirentur, versus Ierosolymam & templum orare tenebantur, vt 3. Reg. 8, 47. videre est: quod & sæpè fecerunt viri sancti. Iacob in Ægypto morti proximus, conuersus ad lecti caput, Deum adorauit, vt dicitur Genes. 47, 31. quoniam caput lecti Terram sanctã respiciebat, inquit Lyranus. Et Regius Vates de seipso dicit Psal. 62, 3. *In terra deserta, inuia, & inaquosa, sic in sancto*, sicut in sanctuario & templo, *apparui tibi*; id est, te hinc ex deserto contemplor in templo commorantem, ad templum ipsum conuersus. Et Ezechias Isa. 38, 2. cùm *conuertit faciem suam ad parietem*, qui respiciebat templum, *& orauit ad Dominum*. Et Daniel cùm esset in Babylone, & orare vellet, *ingressus est domum suam: & fenestris apertis in cœnaculo suo contra Ierusalem tribus temporibus in die flectebat genua sua, & adorabat, confitebaturq; coram Deo suo*, Dan. 6, 10. In quæ verba sic Lyrensis: *Hoc habetur ex 3. Reg. 8. vbi dicitur, quòd filij Israël ducti in captiuitatem debent orare versa facie contra Ierusalem, vt ex memoria templi, vbi Deus colebatur, oratio eorum esset magis deuota & exaudibilis*, &c. Idem ibi Glossa ordinaria, & Aristæas de LXXII. Interpretibus. Igitur & Christus versa ad Orientem facie orare debuit. Et ita optimè videtur dictum, ipsum in antro illo sacratissimo se vertisse ad locum vbi nunc est altare positum in plaga Orientali. Et confirmatur; quia & Christiani, Christi exempla sectantes, ex veteri traditione conuersi ad Orientem orant.

Christus in sacro antro Orientem versus orauit.

Atque hæc quidem mihi videntur quæ dici possent pro illa traditione, vt potui diiudicare.

Sed enim, Tantum abest, dicet quispiam contra allata pro defensione adductæ traditionis, quòd quæ dicta sunt eam confirment, vt magis infirment & reiiciant. Falsum illud, Iudæos orare solitos ad Orientem; imò ad Occidentem fundebant preces. Ita S. Hieronymus in cap. 8. Ezechielis, & probat ex sacra Scriptura. Ad hæc ipse templi situs id demonstrat: quandoquidem Salomonis templum ad Orientalem plagam spectasse, Aristæas loco citato illud describens affirmat. Porta item Orientalis templi septem habebat nomina, vt ex Hebræorum traditione, & præsertim Dauidis Kimhi, docet Pagninus, inter quæ vnum erat, *porta Orationis*, quoniam oraturi per eam rectà ingrediebantur; & nullam fuisse Occidentalem, probabiliùs tradit Villalpandus, vt in fine huius Libri dicemus.

Iudæi ad Occidentem conuersi orabant.

Hinc Scriptura sacra maximè damnat insignem temeritatem & impudentiam feminarum Salomonis, locum sibi efflagitantium pro suis idolis in monte *Oliueti*, postea *Offensionis*; & stupiditatem Salomonis, dum ad illorum vota ibi fana ædificauit, quia erat ad Orientem Ierusalem & templi, vt dicitur Zachariæ 14, 4. *Stabunt pedes eius super montem Oliuarum, qui est contra Ierusalem ad Orientem*; quia ad Occidentem terga vertisset adoraturus, contra præceptum Domini. Et Dominus conqueritur apud Ezechielem, quòd Ierosolymitani quidam dorsa haberent contra templum Domini, & facies ad Orientem. & iterùm Ieremiæ 2, 27. *Dicentes ligno, Pater meus es tu; & lapidi, Tu me genuisti, verterunt ad me tergum, & non faciem.* Sed eam consuetudinem orandi ad Occidentem obseruare solùm debebant Iudæi, dum erant Ierosolymis; nam alibi, vt antè dictum fuit, debebant se vertere ad templum.

Iudæi Ierosolymis ad Occidentem, in aliis partibus ad Terram sanctam & templum conuersi orabant.

Sed quænam extitit causa adorandi versa ad Occidentem facie apud Hebræos? Aliqui dicunt, ne Gentiles imitarentur, qui ad Orientem orabant, vt constat ex illorum templorum situ, de quibus hæc Clemens Alexandrinus lib. 7. Stromat. *Quæ*, inquit, *erant ex templis antiquissima, respiciebant ad Occidentem; vt qui stant vultu conuerso ad imagines, docerentur verti ad Orientem.* Pythagorici etiam id facere consueuisse traduntur. *Verùm*, ait Cardinalis Baronius Tom. 1. ad annum 58. num. 105. *de templis Gentilium, & adorandi situ, aliter scribit Porphyrius, nimirum templorum statuas & ingressus Orientem spectasse, vti adeuntes templum, ad Occasum conuersi, diù effunderent preces. Itidem Lucianus de veteribus & ipse tradit, consueuisse ad Solis ortum spectantia templa ædificare. Quamobrem diuersum, secundùm diuersorum populorum ritum, fuisse apud antiquos Ethnicos vsum, dici posse videtur; cùm alioqui Vitruuius templorum faciem ad Occidentem ædificandam proponat, quo orantes in eis faciem conuersam habeant ad Orientem.*

Templum conuersi orabant.

De variis adorationis ad Occidentem.

Hæc quidem optimè; sed non ideò arbitror

bitror rationem illam reiiciendam, ſed dicendum, datâm fuiſſe illam legem Iudæis in Terra ſancta habitantibus, qui cum Gentilibus illis frequentiùs conuerſabantur, qui vel ſolem orientem, vel verſa ad Orientẽ facie, adorabant, vt feciſſe mulieres illas alienigenas quibus copulatus fuerat Salomon, & alios ad illarum & Salomonis exemplum, iam vidimus, & adhuc 4. Regum 23,5. & Ierem.43,13. legitur. Abſentibus verò à Terra promiſſionis, quorum erat conuerſatio cum aliis Gentibus aliorum rituum, appoſitè prouiſum fuit præcepto conuertendi faciem ad templum in Ieruſalem in ſuis precationibus, vt iam præmiſimus.

Vnde oppoſitum ſentientibus & eorum argumento ſic reſpondet Baronius: *Qui igitur dixerunt, Iudæos adorare ſolitos ad Orientem conuerſos, diuinæ Scripturæ auctoritate arguuntur erroris: nec ſuffragatur locus, qui citatus habetur apud Clementem, Paralipomenon capitis quinti in fine: nam ibi non dicitur, Leuitas ad Orientem conuerſos precatos eſſe, ſed tantùm, quòd ſtarent ad Orientalem plagam altaris.* Et Chriſtianis ſat eſt, Chriſtum imitari in paſſionibus & in iis quæ in Euangelica lege continentur: multa enim obſeruauit Chriſtus, ne tranſgreſſor legis haberetur, & vt ea quæ in lege Moyſaica continebantur pro illo quidẽ tempore approbaret, non tamen vt poſteà à Chriſtianis obſeruarentur, quippe quæ euacuanda erant. Vnde non circumciduntur Chriſtiani, nec alia faciunt quæ ex legis præſcripto Chriſtus fecit.

Clemens Conſtitut. lib.7.c.44.

Si itaque hæc ita ſe habent, videtur dicendum, Chriſtum non verſus illud altare poſitum ad Orientem vertiſſe faciem, ſed terga, vt ad Occidentem, & ad templum conuerſus precaretur, vt alij ſancti viri fecerunt.

Quid ergo dicendum ad illam traditionem? An quod Chriſtus, cùm in abſcondito oraret, nec malum de eo quis ſuſpicari poſſet, optimeque noſſet, hunc vel illum ſitum nec Deo Patri nec ſibi aliquid referre, ſuſque deque habuerit vertere faciem ad Occidentem, & ſine reprehenſione, eò quòd ſanctiſſimus eſſet: quemadmodum nec Eliæ vitio tributum fuit, quòd non in templo, vt lex præcipiebat, ſed extra obtulerit ſacrificium, vt alibi dicemus, ſatis habens adorare Patrem in ſpiritu & veritate, vt Samaritanæ dixerat?

An quod intelligeret, Ieroſolymam ob ingentia ſua facinora, cæcitatem & obdurationem, poſt non multum temporis delendam fore, nec illi profuturam ſuam orationem, vt anteà non ei profuerunt lacrymæ quas ſuper eam fudit, ideoque illi terga obuerterit, & non faciem; nec pro illa efficaciter orauerit, ſed pro electis & fidelibus, iuxta illud quod ipſe Dominus in vltima cœna, quando ad ſanctiſſimum de quo loquimur locum venit, vt Patrem ſuum deprecaretur, eidem cęleſti Patri dixit: *Ego pro eis rogo*, id eſt, electis diſcipulis meis, *non pro mundo rogo, ſed pro his quos dediſti mihi, quia tui ſunt*, Ioan. 17, 9. & poſt pauca: *Et pro eis ego ſanctifico meipſum, vt ſint & ipſi ſanctificati in veritate. Non pro eis autem rogo tantùm, ſed & pro eis, qui credituri ſunt per verbum eorum in me*, &c. v. 19. & quòd, vt exaudiretur eius oratio, ſepoſuerit ab oculis ſuis Ieruſalem, eamque humeris ſuis, ſi fieri poſſet, abſcondere voluerit ab oculis Patris ſui, ne ſua illos offenderet turpitudine? Nouerat increata & incarnata Patris Sapientia, peccatum apud ſuum cæleſtem Patrem eſſe velut denſiſſimam nubem ante materialem & creatum ſolem. Vt enim illa iſti oppoſita, impedit ne ſuos ille in nos influat influxus, ſplendorem, & calorem, vt quondam manifeſtiſſimè accidit apud Ægyptios; ita peccatum efficit, ne liberaliſſimus Deus ſua dona impertiatur peccatoribus. Et quia aduertit, in Ieroſolyma non vnum eſſe peccatum ſed innumera, eaque grauiſſima ſcelera, ita vt ſingulariſſimè tum impletum in ea videretur quod ad e[illegible] quondam dixit dolens Ieremias, *Oppoſuiſti nubem tibi, ne tranſeat oratio*, Threu. 3,44. ideò ne ſua oratio impediretur, nec liberè aſcenderet ad Patrem, vel repelleretur ob impietatem Ieroſolymæ, eam à tergo & ad Occidentem relinquit, & ad Orientẽ orando vertit faciem. Quemadmodum & hac ratione in cruce, quando cum lacrymis orauit Patrem, & exauditus fuit pro ſua reuerentia, vt dixit S. Paulus, habuit faciem ad Occidentem, & Ieroſolymam à tergo, vt quibuſdam placuit, vel certè à latere, vt Libro v. dicemus; ne illius orationi quidpiam obſtaret, quin aſcẽderet, ſicut acceptabile incenſum, in conſpectum Domini.

Chriſtus non pro ſe, ſed pro electis orauit.

Peccata fructum orationis impediunt.

Quando inſuper ea corporis poſitione orauit in horto, relinquebat à dextera montem Offenſionis, partem ſanctiſſimi montis Oliueti, quæ ſic fuit appellata, quia ibi plurimùm fuit offenſus Deus propter Salomonis & mulierc[illegible]larum eius ſupremam impietatem, idololatriam, effrænem & perditam luxuriam; quam Deus, ſedens in Arca verſa ad Orientem facie, intuens, habenſque ob oculos, orantes minùs exaudiebat. Hunc ergo montem reliquit à latere, ne illius aſpectu æterno Patri memoria veterum delictorum refricaretur, vt humano

Digitized by Google

mano modo loquamur, & illum minimè exaudiret; sed his ablatis impedimentis, noster summus Sacerdos, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, Patrem pro peccatoribus exoraret, & ob merita & reuerentiam suam exaudiretur.

Christi erga Ierusalem misericordia.

Vel etiam, aliam ingredientes viam, qua magis elucet Christi misericordia & compassio erga sibi dilectam, etsi diuino amore indignam ciuitatem Ierusalem, quòd oraturus se mediatorem statuerit inter Patrem suum & ipsam omnium mediator, habens versam faciem ad Patrem Orientem versus, & Ierosolymam à tergo versus Occidentem, vt sic esset velut murus, antemurale ac propugnaculum pro ea, & pœnas & flagella ei debita in se reciperet.

Vsque adeò olim increuerant Iudæorum peccata, vt Deus, iustitia vrgente, illos delere cum sancta ciuitate & dilectissima regione decreuerit; eius tamen sacra misericordiæ viscera, vt parata supplicia auerterentur, mediatorem exoptabant, virum inquam sanctissimum, qui aduocati officio fungeretur apud ipsum; iraque eius repressa eum placatum redderet: cumque qui tale munus exequeretur, minimè repertus fuisset, terram & habitantes in ea sic allocutus est: *Et quæsiui de eis virum, qui interponeret sepem, & staret oppositus contra me pro terra, ne dissiparem eam; & non inueni. Et effudi super eos indignationem meam, in igne iræ meæ consumpsi eos: viam eorum in caput eorum reddidi, ait Dominus Deus*, Ezech 22,30. Non dissimiliter accidit tempore Christi: tunc enim, quandoquidem omnes à vera iustitia declinauerant, Principes facti fuerant tyranni, Sacerdotes simoniaci, Religiosi hypocritæ, omnes denique omnibus scelcribus inuoluebantur: (*Omne caput languidum, & omne cor mœrens. A planta pedis vsque ad verticem non est in eo sanitas*, ait Isaias 1,5.) quemadmodum frequentissimè illis Christus exprobrabat, destrui illa ciuitas & funditus euerti debuit cum omni populo: verùm enimuerò Christus Dominus, vir sanctissimus, & in quo æternus Pater benè sibi complacuit, seipsum non vt sepem modò, sed vt murum & antemurale fortissimum posuit inter Patrem suum & ciuitatē, illam à tergo sibi statuens, hunc verò prona & aduersa facie deprecans, ne propter Iudæorum commissa, & in posterum committenda in Filium Dei atrocia facinora, delere eam vellet.

Hæc dum calamus scribit, menti occurrit meæ mitissimus Dauid, qui videns Angelum Domini dispердentem Ierusalem, & interficientem populum propter ipsius peccatum, tantæ cladis miseratione commotus, humiliter ad Deum conuersus, sic pro illius salute deprecatus fuit: *Ego sum qui peccaui, ego iniquè egi: isti qui oues sunt, quid fecerunt? Vertatur, obsecro, manus tua contra me, & contra domum patris mei*, 2. Regum 24, 17. Et noster pissimus Iesus, ille qui peccatum non fecit, compatiens miserrimo statui dilectæ ciuitatis & inhabitantis populi, destruendi & exterminandi propter immania scelera, pro nobis se peccatum fecit; & vt ab illo debitam pœnam auferret, & in seipsum deriuaret, Patrem suum deprecabatur, & excusabat ciuitatem, prout posteà excusauit crucifixores suos in cruce, dicens: *Pater, dimitte illis: non enim sciunt quid faciunt*, Lucæ 23,34. Et non dubitandum quin, quemadmodum ista exaudita fuerit, vt dixit S. Paulus, vel pro omnibus Iudæis pro quibus preces fudit, & qui fuerant prædestinati, vt Angelico Doctori placet: vel, vt aliis, ne cædis ipsius machinatores, vtpote infernum promeriti, statim in ipsum proiicerentur, sed vt haberent spatium ad pœnitendum; quod ipsum eis concessum fuit, quandoquidem ad quadraginta duos annos eorum punitio dilata fuit, cùm demum à Romanis impœnitens ciuitas deleta, templum combustum, Iudæi ipsi partim occisi, partim in captiuitatem ducti, omnes denique exterminati sunt. Lege D. Thomam 3. Part. quæst. 21. artic. vlt. ad 2. D. Hieronymum ad Hedibiam quæst. 8. D. Leonem Serm. 11. de Passione, & S. Augustinum Orat. 11. in Ioannem. His igitur, & aliis etiam, saluti nimirum Apostolorum, & plurium Hebræorum, & eorum in primis qui in fine mundi conuertendi sunt, illa Christi in horto oratio prodesse debuit, vt si non omnes salutem consequerentur, saltem reliquiæ saluæ fierent.

Fructus orationis Christi in horto.

Adde, voluisse eum ideò versus Orientem orare, vt nouæ sponsæ, de suo latere in ara crucis efformandæ, nouum & nobilissimum præscriberet orandi modum, videlicet ad Orientem, idque propter rationes nonnullas ex iis quas statim subiiciemus: hinc enim vsus obtinuit, vt Christiani in suis deprecationibus vertant faciem ad Orientem.

Christus quomodo Ecclesiam suo exemplo orare docuerit.

Posset etiam dici, altare illud erectum fuisse ad Orientem secundùm consuetudinem perpetuò ab Orentalibus obseruatam, erigendi videlicet ad eam partem altaria: sed quòd Christus, quando in illo antro vel alibi orauit Patrem, ad eam mundi plagam se conuerterit, id quidem vt pium, sed incertum, esse propositum.

Orare ad Orientem Apostolica est traditio.

Quòd autem antiqui Christiani, dum ad Deum preces funderent, morem illum ver-

vertendi ſe ad Orientem, tamquam ab Apoſtolis acceptum perpetuò obſeruarint, in primis ex eo probatur, quòd capita Eccleſiarum veterum, & etiam recentiorum Orientalium, & altaria omnia, reſpiciunt Orientem, vt facies earumdem Occidentem: & ipſi Orientales veterem conſuetudinem, obſeruantes eum precandi modum quoad fieri poteſt, præſertim in Miſſæ ſacrificio, non peruertunt. Ad hæc, Gentiles eam ob cauſam dixiſſe Chriſtianos adorare ſolem (quod Tertullianus teſtatur) affirmari poſſe videtur. Apud Iuſtinum lib. Quæſt. q. 118. ſequentia ad intentum habentur: *Quandoquidem apud vos præſtantiſſima quæque ad honorem & venerationem Dei deſtinamus, opinione autem hominum probabilior eſt Oriens aliis creatura partibus, eam ob cauſam orationis tempore vultu ad Orientem omnes conuertimur: perinde atque dextra manu in nomine Chriſti eos ſignamus, qui ſigillo tali indigent, eò quòd præſtare ſiniſtra putetur, quamuis poſitura & non natura illa differat. Non aliter & Oriens, vt præſtantior creaturæ pars, ad Deum adorandum eſt deſignata. Et quia ad Orientem ſpectantes precationes agimus, non id Prophetici & Apoſtolici aduerſatur vocibus: in omni enim loco Oriens exiſtit precantibus. Et quia in quam partem videndi ſenſum conuertimus, in eadem parte adorant: impoßibile eſt autem precum tempore in quatuor creaturæ partes reſpicere; propterea in vnam partem intendentes, orationem peragimus, non proinde vt ea ſola opus ſit Dei, nec tamquam in ea habitatio ſit Dei deſtinata; ſed quaſi in locum ei, quæ à nobis Deo exhibetur, venerandæ obſeruationi ordinatum. Porrò à quibus orationem Eccleſia accepit, ab iiſdem quoque vbi orare ſolerent conſuetudinem accepit, à ſanctis nimirum Apoſtolis.* Hactenus ille.

Rationes cur oretur ad Orientem.

Baſilius item huiuſmodi inſtitutionem ab Apoſtolis manaſſe confirmat cap. 27. lib. de Spiritu ſancto, & ante ipſum Origenes in lib. Num. Hom. 5. in hæc verba: *In Eccleſiaſticis obſeruationibus ſunt nonnulla huiuſmodi, quæ quidem facere neceſſe eſt, nec tamen ratio eorum omnibus patet: nam quòd verbi gratia genua flectimus orantes, & quòd ex omnibus cæli plagis ad ſolam Orientis partem conuerſi orationem fundimus, non facilè cuique puto ratione compertũ.* Et paulò pòſt: *Et tamen hæc operta & velata portamus ſuper humeros noſtros, cùm ita implemus ea & exequimur, vt à magno Pontifice, & eius filiis tradita & commendata ſuſcepimus.* vbi addit Baronius Tom. 1. ad annum 58. numer. 106. ex quo hæc exſcripſimus, *per Pontificem & filios eius, Chriſtum & Apoſtolos intelligens.* qui & addit numero ſequenti: *Rurſus verò, quod ad myſterium pertinet, præter illa, quæ ex incerto Auctore apud Iuſtinum ſunt recitata, Athanaſius tres etiam affert cauſas: quarum prima ex diuina Scriptura ſibi vendicat auctoritatem, quòd ſcriptum ſit in Pſalmo: Adorabimus in loco vbi ſteterunt pedes eius. iunctis hiis quæ à Zacharia ſunt de Chriſto dicta: Stabunt pedes eius in die illa ſuper montem Oliuarum, qui eſt contra Ieruſalem ad Orientem. qui item ipſum Chriſtum, Orientem appellat iterùm. Secundam verò hanc addit cauſam, quòd in diuinis Scripturis Deus dictus lux ſit, idémque lucis Creator: quamobrem ad eam cæli partem ſpectare debere precantem, qua potißimum lucis iubar oritur; non quòd Chriſtiani lucem creatam colerent, ſed vt ex ſidere omnium ſplendidißimo ad eius Creatorem mens humana tolleretur. Tertiam verò affert cauſam, quod cùm Paradiſus, vnde pulſus eſt homo, in Oriente poſitus eſſet, eò reuertendi mens cupida, oculos etiam illo dirigeret. Sed hæc ipſe pluribus. Quòd igitur Oriens fons velut quidam luminis haberetur, atque Occidens eſſet hieroglyphicum tenebrarum, inde etiam ea vetus fuit in Eccleſia obſeruatio, vt baptiſmate initiandus, diabolo priùs renuntiaturus, Occidentem verſus ſtatueretur, ſicq; poſitus, tertiò illa renuntiantis verba proferret: idemq; poſtea Chriſtum Dominum confeſſurus, ad Orientem conuerſus id totidem vicibus faceret. Idq; non tantùm Dionyſius, ſed & Cyrillus teſtatur, qui ait: Cùm ſolis occaſus apparentium tenebrarum ſit locus; diabolus autem cùm ſit tenebræ, robur in illis ſuum habet: idcircò ſymbolicè Occaſum ſpectantes, caliginoſo illi tenebrarum principi renuntiatis. Et poſt multa: Cùm itaque ſatanæ renuntiaueris, & omne cum illo pactum reſcideris, veteres inquam pactiones cum inferno, aperitur tibi Paradiſus Dei, quem ipſe ad Orientem plantauit: & huius rei ſymbolum eſt, cùm ab Occaſu conuerteris ad Ortum, quæ lucis eſt regio. Tum admonebaris vt diceres: Credo in Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum. Hæc Cyrillus. Ioannes Damaſcenus dictas cauſas retexens, hæc etiam addit: Dominus cùm in cruce penderet, ad Occaſum proſpiciebat; eoq; nomine ita adoramus, vt eum obtueamur. Ac rurſum cùm in calum reciperetur, ad Ortum efferebatur, ſicq; à diſcipulis adoratus eſt: atque ita venturus eſt, vt eum in calum intuentem conſpexerunt; quemadmodum ipſe quoque Dominus dicit: Sicut fulgur exit ab Oriente, & paret vſque in Occidentem, ita erit aduentus Filij hominis. Quocirca aduentum eius opperientes, ad Orientem oramus. Eſt autem Apoſtolorum hoc inſtitutum, Litteris ſacris haudquaquam proditum: complura enim illi, nulla Scriptura auctoritate nixa, nobis tradide-*

Christiani ad Orientem orantes sanctum Domini Sepulchrum respiciunt.

diderunt. Hucusque Damascenus. Cuius sancti Doctoris inhærens vestigiis, adderem, quòd quemadmodum Iudæi ad Occidentem orabant, quòd templi facies & Arca in ea posita respiceret Orientem, vt anteà diximus; ita, quoniam templum Caluariæ, & Resurrectionis, & Arca sanctificationis & diuinitatis, Corpus inquam Christi sacratissimum, & in cruce, vt anteà diximus, & in sepulchro, vt est in partibus istis probabilis sententia, capite ad Orientem posito faciem habebat ad Occidentem; & vt quando oritur naturalis sol, surgit ab Oriente, ita ex hac eadem parte Christus sol supercælestis, qui ad Occasum in morte deflexerat, in resurrectione se excitauit ad vitam; ad sanctum Resurrectionis Domini templum, quod totius mundi primum est, & ad Sanctuarium eius ad Orientem conuersi oramus.

Ratio nonnihil immutata consuetudinis.

Prosequitur Baronius num. 108. *Porrò cùm eiusmodi occasione in nonnullos clanculùm superstitio irrepsisset, Leo Romanus Pontifex quàm citissimè, ne latiùs serperet malum, occurrit, hisq; verbis pro concione populum admonuit: De talibus institutis* (Priscillianistarum videlicet) *illa etiam generatur impietas, vt sol inchoatione diuinæ lucis exsurgens, à quibusdam insipientioribus de locis eminentioribus adoretur. Quod nonnulli etiam Christiani adeò religiosè se facere putant, vt priusquam ad beati Petri Apostoli Basilicam, quæ vni Deo viuo & vero est dedicata, perueniant, superatis gradibus, quibus ad suggestum aræ superioris ascenditur, conuerso corpore ad nascentem se solem deflectant, & curuatis cernicibus in honorem se splendidi orbis inclinent. Quod fieri partim ignorantiæ vitio, partim Paganitatis spiritu, multum tabescimus & dolemus: quia etsi quidam fortè Creatorem potiùs pulchri luminis, quàm ipsum lumen, quod est creatura, venerantur; abstinendum tamen est ab huiusmodi specie officij. Hæc ille idcircò, ne quid commune cum Priscillianistis atque Gentilibus fideles haberent.* Et hæc ad propositam difficultatem de traditione illa; in qua si parum diutiùs immorati sumus, arbitror non inutiliter id factum. Atque hîc sit de his finis.

CAPVT XII.

De loco vbi Christus Iesus à Iuda osculo traditus est, à militibus ligatus, & à discipulis derelictus, vbi item Petrus Malcho abscidit auriculam, qui septimo loco inuisitur in Via captiuitatis.

SEptimus locus Viæ captiuitatis, & à quo ipsa singulariter nomen sortita est, est ille, vbi Christus Dominus à Iuda Iscariote osculo proditus, & ab impiis satellitibus captus, & vt malefactor quispiam ligatus fuit. Pro cuius historica elucidatione sequentia accipe.

Postquam Christus Dominus tertiò Patrem orasset in specu illa sacratissima montis Oliueti, cælestique nuntio in agonia & tristitia positus confortatus fuisset, mentis suæ oculis proditorem suum cum satellitibus & cohorte venientem, vt caperetur & morti traderetur perspiciens, nimio patiendi desiderio exardescens, haud longas ibi moras trahit, sed vt sitientes proprio sanguine potaret, surgit ab oratione; & non modò tinctus, sed & suo sanguine madefactus, venit ad dormientes discipulos suos, tertiò eos à somno excitans, & vt surgerent admonens; eò quòd Iudas cum militibus & satellitibus, quorum caput & ductor factus fuerat, vt osculi signo illorum eum manibus traderet, iam proximus adesset. Qui cùm à somno expergefacti surrexissent, Christus Iudæ, qui cohortem & ministros à Pontificibus & Pharisæis acceptos præcedebat, obuiàm iuit, & quid quæreret interrogauit, sic narrante Ioanne cap. 18, 4. *Processit, & dixit eis: Quem quæritis?* ex illo verbo *processit* datur intelligi, locum proditionis captiuitatis Christi, & aliorum quæ nunc dicemus, haud longè distitum esse à loco vbi dormiebant tres Apostoli; quoniam ex illo processit Saluator obuiàm suis aduersariis: quare meritò pij fideles loca distincta agnoscunt, & distinctè ea venerantur.

Christus ex patiendi desiderio proditori & hostibus se offert.

Itaque retrocedenti, & venienti ex loco orationis quantum est iactus lapidis, supra viam ad læuam occurrit rupes, vbi tres Apostoli dormiebant; inde declinanti, & vlteriùs ad octo vel decẽ gressus progredienti obuius fit locus ille sanctissimus, vbi ab impio & sacrilego discipulo, proditorio & fraudulento osculo traditus est mitissimus Dominus Iesus in manus peccatorum: de quo vide quæ dixi suprà Cap. VII. huius Peregrinationis ex Brocardo de monte Sion.

Descriptio loci captiuitatis Christi.

Hic locus est in horto Gethsemani, duplici macerie clausus, adeò angustus, vt vnus tantùm homo commodè ad eum ire possit. Cùm verò ad nil aliud deseruierint duæ illæ maceries locum sanctissimum recludentes, quàm vt frustrà occuparint horti partem, diuino consilio factum esse arbitror, quòd à Turcis & infidelibus ablatæ vel destructæ nõ fuerint, vt sic essent perpetuum monumentum eorum quæ ibi tum circa Dominum contigerunt, tum ab eo ibi facta sunt, quæ breuiter hîc recito.

Chri-

Alia in eo loco.

Christus igitur Dominus desiderio patiendi hic obuium se dedit Iudæ & ministris Prætidis, qui ad eum comprehendendum cum facibus, laternis & armis venerant: hîc ab illis petiit quid quærerent; eosque se Iesum Nazarenum quærere dicentes, & ex accepto responso, *Ego sum*, diuina vi prostratos & corruentes erexit. Hîc Iudas osculo tradidit Christum in manus peccatorum. Hîc impius & scelestus ille discipulus à clementi & benignissimo Magistro suauiter reprehensus, & vt ad meliorem se frugem reciperet, & peccati pœniteret, mitissimè admonitus fuit hisce verbis: *Amice, ad quid venisti?* Matth. 26, 50. & *Iuda, osculo Filium hominis tradis?* Lucæ 22, 48. Hîc horrissimus altissimusque Deus depressit & humiliauit se, & velut latronem vinciri, & instar vermis conculcari se permisit, factus opprobrium hominum, & abiectio plebis. Circa hunc locum à latere dextro, è regione alterius trium Apostolorum, vt piè creditur, Petrus, Domini ac Magistri sui zelatus honorem, Malcho, qui fuit vnus ex ministris, & fortè audacior & insolentior, abscidit auriculam dexteram; quæ eidem à Christo Domino miraculosè restituta fuit. Hîc discipuli omnes vinctum Magistrum deseruerunt, atque inde velut oues errantes, percusso pastore, variè dispersi sunt, vt anteà illis prædixerat Dominus. Hîc etiam adolescens quidam amictus sindone super nudum, cùm teneretur, ea relicta aufugit. Ex hoc denique loco Iesus, catenis ac funibus vt vilissimum mancipium ab impiis ligatus, pugnis, alapis & protrusionibus diuexatus, morte tandem plectendus, ad tribunalia hominum peccatorum ducitur.

Hunc locum, quoniam sanctissimus est, tu pietatis cultor contemplare, & pio affectu vincula Christi recole, illique compatere, vt & tibi compatiatur, & tua tibi criminum vincula soluat.

CAPVT XIII.

De vestigiis Saluatoris in rupe torrentis Cedron impressis, quæ octauo loco veneratioui habentur in Via captiuitatis.

CVm Christus, non vt anteà quando ex Cœnaculo orationis causa abiit ad montem Oliuarum, solutus & liber, dilectissimisq; discipulis suis sociatus, sed ab iisdem derelictus, vinctus, & à pessimis ministris iustitiæ circumdatus, reuerteretur per eamdem, vt creditur, viam, vt ad tribunalia tamquã morte dignus sisteretur, postquam pertransiisset hortũ & villam Gethsemani, transiturus iterùm torrentem Cedron, cum male à pessimis illis tractaretur, dura quædam & acuta rupes, patienti Creatori suo compatiens, cui non compatiebantur hominum corda pro quibus in mundum venerat, velut mollis cera effecta, in se plura recepit vestigia, non solùm pedum, sed & genuum, & manuum, vt dixit Bonifacius; & funis, qua ligatus fuit, inquit Aranda, cùm à crudelibus istis satellitibus non semel ad terram vi deiiceretur. Quæ quidem vestigia adhuc magna cum admiratione videntur, quæ pij fideles venerantur & osculantur, vtpote insignia miranda passionum Christi Domini.

Rupes patiscenti Creatori compatiens, illius genuum, manuumq; vestigia in se quasi mollis cera recepit.

Fateor, eorum quædam esse rupta & ablata, partim quidem odio infidelium, magis tamen indiscreta fidelium deuotione, qui illorum particulas abradunt, non curantes memoriam operum mirabilium Dei, modò ineptæ suæ voluntati satisfaciant: quædam verò à zelantibus Fratribus fuerunt humo operta, ne ab infidelibus, Iudæis præsertim, conspurcarentur & dedecore afficerentur, cùm sint perpetuum memoriale passionis Christi. Rupes, in qua vestigia illa impressa sunt, coloris est cinericij, dura, sed fragilis, adeò vt artificio in ea non facilè potuerint insculpi & effigiari, præcipuè cùm nec locus ad id præstandum sit idoneus.

Nolo hîc præterire quod ad hoc propositum legi in Sermonibus P. Bernardini de Spoleto Ser. 73. de Passione: *Cùm*, inquit, *nequissimi illi ligatum traherent Iesum vt furem ad ciuitatem Ierusalem; cumq; venissent extra hortum ad torrentem, ministri transierunt per ponticulum, & bonum Dominum sic ligatum traxerunt per aquam ibi fluentem, adeò violenter, quòd ad magnum lapidem, qui erat in aqua, cecidit, qui etiam ostenditur peregrinis in sancto sepulchro, vbi stant Fratres Minores. Et in illo casu ita sanctam faciem & os diuinum contudit, quòd sanguis abundè manauit; &, secundùm aliquos, dentes aliqui ceciderunt*, &c.

Pons propè Christi vestigia.

Iuxta eadem vestigia est pons lapideus, ex quo aliqui dicunt Christum fuisse præcipitatum. Alij dicunt vel tum non fuisse; vel posteà, vetustate collapsum, restauratum, vel etiam simpliciter à fidelibus constructum, ob reuerentiam vestigiorum Saluatoris, ne obiter & irreuerenter super illa esset transitus, pedibusque hominum & iumentorũ tam sacra cimelia conculcarentur.

Scio, derisui & contemptui habuisse nonnullos ea quæ hactenus memoraui, traduxisseque velut vana & apocrypha: sed irridendi sunt potiùs ipsi, cùm non tantùm nullum inconueniens, nullaque repugnan-

Digitized by Google

tia, ex vestigiorum illorum positione & assertione exurgat, nec ratio & auctoritas refragetur, imò magis congruentia, auctoritas & euentus similes eis suffragentur.

Argumenta pro veritate vestigiorum Christi.

Suffragatur in primis congruentia: quoniam congruum fuit, vt Christus Dominus in miserabili illa serui, mancipij ac malefactoris forma, quam homines despexerunt, à rationis experte & insensibili prodigiosè Creator & Dominus agnosceretur: atque sicut olim, quando fluenta maris Rubri velut solidi muri steterunt, quoad filij Israël illud siccis pedibus pertransierunt, omnipotens, terribilis & magnus Dominus proclamatus fuit; ita immobilis & dura rupes, mobilis & velut tenera cera effecta in transitu Domini, transeuntem Dominum manifestauit.

Deinde auctoritas probatorum virorum veteri traditioni testimonium perhibet. Et vt plerosque rerum Terræ sanctæ enarratores præteream, illustrissimus Annalium Ecclesiasticorum scriptor Cardinalis Baronius dictam traditionem tamquam suis scriptis dignam adducit Tom. 1. Annal. ad annum Christi 34. n. 66. vbi sic ait: *Accepimus ab his qui haec viderunt, etiam in imo vallis, quam torrens Cedron praterfluit, in lapidibus ipsis eiusdem Christi Domini nostri vestigia pedum impressa remansisse, hactenusq; seruata esse.* Et alius illustrissimus Princeps, pius & oculatus inspector, testis omni exceptione maior, Nicolaus Christophorus Radziuilius, Dux Olicæ, &c. in sua Ierosolymitana peregrinatione Epistola 2. pag. 62. adducit & comprobat memoratam traditionem, eamque ab impugnantibus defendit in hunc modum: *Ad dextram parui pontis super torrentem Cedron impositi, locus est in petræ superficie plana satis latus, in quo vestigia manuum, vtriusque genu, & extremitates digitorum pedum Saluatoris nostri sunt expressa, cùm à Iudais ponticulo deiectus, ibidem concidisset. Locum hunc peregrini deosculantur, & habet septem annos & totidem quadragenas de Indulgentia. Vestigia haec cùm in aperto sint aëre, pluuias & tempestates excipiant, & quotidiano vsu & deosculatione attrectentur; tamen integra semper permanent: quod proculdubiò non fieret, si, prout haretici volunt, arte facta & incisa lapidi fuissent: quod vel ex Mediolanensi petra, quae retro maius altare in Ecclesia Cathedrali muro est inserta, facilè comprobatur: in qua cùm vestigij pedis Christi mensura humana arte insculpta, nec pluuio caelo aut aëris iniuriis exposita, attrectatione tamen & osculationibus ita consumitur, vt vix iam, quidnam sit, appareat, licet non adeò sit à multo tempore ibidem posita. In Ierosolymitana autem hac rupe, sacra haec vestigia à mille quingentis & amplius annis planè integra & velut recenter expressa apparent. Si quis ea scalpello renouari dicat, id fieri nulla ratione potest. Nam cùm petra haec in via publica sit, si quis Christianorum id attentaret, prohiberetur illicò; quandoquidem ne minimum quid Christianus restaurare istic licet, nisi Sangiacus expressum ea de re Cæsaris sui mandatum acceperit. Praterea cùm Turca Ierusalem ciuitatem sanctam appellare consueuerint, diligentissimè cauent, vt ne quid antiquitatum depereat. Ad haec, sculptura renouata, vel ex ipsa petra profunditate & concauitate facilè innotesceret: & cùm signa haec in rupe lata & plana sint impressa, vt aptè renouata vestigia apparerent, deberet & ipsa dedolari: vnde superficiei planities frequentiori renouatione, tanto temporum internallo ad notabilem profunditatem deduceretur; qua nunc ita eminet, ac si quis in argillam vdam pedibus & manibus prolapsus conspiciatur. Haec qui diligentiùs considerauerit, facilè videbit, rem miraculo, non manu, quod non difficulter appareret, factam.*

Denique ex similibus euentis, à fide dignis Auctoribus relatis, memorata traditio confirmatur. Referuntur enim diuersa vestigia mirabiliter relicta à Christo Domino suæ Ecclesiæ ante mortem, in morte, & post mortem, in sui perpetuum monumentum. Ante mortem primò: Fugiens in Ægyptum ad Nili fluuium Christus infantulus à beata Virgine Deipara marmori superpositus, donec madidæ eius vestes exsiccarentur, marmori corpusculi sui figuram impressit, quæ ad hæc vsque tempora, vt fertur, Ægyptum peragrantibus cernitur. Brocardus in descriptione Terræ sanctæ Part. 1. cap. 6. §. 8. refert, in vrbe Nazareth, in deflexu supercilij collis, vnde impij Nazaretani Christum præcipitem agere decreuerant, locum etiamnum videri, vbi Christus, dum transiens per medium illorum ibat, se abscondit, contrahente se rupe, & intra se suo opifici parante latibulum, in quo rugę vestimentorum & pedum Christi vestigia impressa cernuntur. Lege Adrichomium in Zabulon num. 84. & Magistrum in Historia Euangelica cap. 72. Etiam in monte Oliueti, vt præter alios refert idem Brocardus cap. 7. §. 67. in loco vbi Christus Patrem pro translatione calicis orauit, & vbi sanguinem sudauit, relicta fuerunt lapidi impressa manuum, genuum, pedum, etiam digitorum vestigia. Et eidem loco vicinus ostenditur alius lapis, in quo extremi digiti manuum ac pedum Christi, genua quoque marmori impressa cernuntur, quo nimirum in loco à militibus captus & in terram prostratus

fuisse

fuiſſe traditur ; ferturque ex eo lapide nihil, ne ferreis quidem inſtrumentis, abſtrahi poſſe. In vrbe Tyro, teſte eodem Brocardo Part. 1. cap. 2. §. 5. ſaxum magnum magna veneratione aſſeruatur, è quo Chriſtus ſermones ad populum habuerit : ibi verò, vbi pedes Chriſti ſteterunt, numquam puluerem adhæreſcere narratur. In littore maris Galilææ, in loco vbi Chriſtus poſt reſurrectionem diſcipulis apparuit, dixitque eis, *Pueri, numquid pulmentarium habetis*, Ioannis 21, 5. veſtigia pedum Chriſti in marmore excepta adhuc videri aſſeritur. Cùm verò Chriſtus aſcenſurus eſſet in cælum, in loco vnde aſcendit, veſtigia pedum ſuorum lapidi impreſſit. Sed de his ſuo loco fuſiùs. Omitto Veronicæ ſudarium, & tabellam Agabaro miſſam, ſed & linteum ſiue ſudarium, quod faciem & corpus Chriſti operuit, condecoratum ſui ipſius imagine; & addo, quod graues ſcribunt Auctores, Romæ extra portam, quæ antiquitus dicebatur *porta Capena*, nunc autem dicitur porta S. Sebaſtiani, in loco, qui communiter appellatur *Domine quò vadis*, Dominum fugienti ex vrbe Petro obuium factum, marmoreo lapidi, vbi ei apparuit, pedum ſuorum veſtigia inſculpſiſſe, eumque lapidem in Reliquiis Eccleſiæ S. Sebaſtiani aſſeruari. Quæ ſi vera ſunt, etiamſi hodie non omnia videantur, ob continuam rerum omnium mutabilitatem ; quare durum videbitur idem dicere & credere de Chriſti veſtigiis rupi torrentis Cedron impreſſis, præſertim cùm ea vſque modò omnibus pateant, & omnes ea videre poſſint, ſicut & ego, etſi miſerrimus peccator, pluries magna cum animi voluptate ea intuitus & exoſculatus ſui, & adoraui in loco vbi ſteterunt pedes Domini mei Ieſu Chriſti: quæ vtinam perpetuò in marmorea illa rupe cõſeruentur, vt in carneis cordibus fidelium ſemper paſſionum Chriſti memoria viuat!

Veſtigia pedum Chriſti Romæ.

CAPVT XIV.

De domo Annæ Iudæorum Pontificis, nono loco Viæ captiuitatis, & quæ ibi circa Chriſtum acta fuerint ; deque oliua, ad quam in eadem domo fertur Chriſtum fuiſſe ligatum.

ACturo de domo Annæ Iudæorum Pontificis, & de oliua in eadem plantata, ad quam Chriſtum fuiſſe ligatum habet traditio, ad vitandam moleſtam prolixitatem, priùs viſum eſt ea referre, quæ circa Chriſtum Dominum in domo illa tempore ſanctiſſimæ eius paſſionis geſta fuerunt, prout ex Scriptura & traditione didicimus, ac deinde accedere ad illius conditionis explicationem.

Chriſtus ligatus introductus fuit in ciuitatem non per portam Aueam, ſed Sterquilinam.

Egreſſus Chriſtus Dominus ex torrente Cedron, vbi ſuorum pedum, genuum manuumque facta veſtigia rupi impreſſa reliquerat, funibus ligatus, & ſæuiſſima lictorum turma circumdatus collem aſcendit, & per portam, quæ nunc *Sterquilinia* dicitur, in ciuitatem introductus fuit, vt habet vetus traditio.

Nolo hîc ignorare Lectorem, quoſdam cũ eruditiſſimo Salmerone Tom. 10. Tract. 19. dicere, intraſſe Chriſtum per *portam Aueam* templo proximam, quæ aliàs dicitur *Probatica* vel *Ouium porta*, per quam paucis antè diebus fuerat ingreſſus cũ tanto triumpho, & honore palmarum, & regia illa acclamatione, *Hoſanna filio Dauid: benedictus, qui venit in nomine Domini : hoſanna in altiſſimis*, Matth. 21, 9. quod augere tormenta ac mœrorem Domini poterat. Verùm nullo modo hanc probamus ſententiam. Si enim verum eſt quod diximus Capite præcedenti, & docent probati Auctores, Chriſtum Dominum, quando ex horto ductus fuit ad Annam, vel proiectum fuiſſe in torrentem Cedron, vel ſaltem in illius tranſitu reliquiſſe in rupe ſuorum pedum veſtigia, cùm iſta occurrant longe poſt portam Aueam, tantò magis diſtabit locus veſtigiorum à porta Aurea, ſi per hanc intelligunt Probaticam vel Ouium ; nam hæc circa dimidium milliaris à dicto loco diſtat. Communiter tamen duæ cenſentur diſtinctæ portæ, & verè ita eſt. Quare ne dicatur, Chriſtum Dominum, torrente Cedron tranſgreſſo, retroceſſiſſe ad Aquilonem vt ingrederetur portam Aueam vel Probaticam, & poſteà inde iterùm retroceſſiſſe ad Auſtrum, vt duceretur ad Annam & Caipham, in cuius plaga illorum domus ſitæ erant, quia in monte Sion; dicatur, primò tranſiſſe torrentem, & inde egreſſum, ingreſſum fuiſſe ciuitatem per portam Sterquiliniam, & ex porta Sterquilinia ductum fuiſſe ad Annam.

Nec ſatisfaciet quis, dicendo, tempore Chriſti portam Aueam fuiſſe vbi nunc eſt Sterquilinia: ſi ita eſſet, lis eſſet in verbis. Sed hoc falſum eſt: porta enim Aurea erat Orientalis & templi, vt eſt hodierno vſque die, non item Stercoraria, diſſita à templo, & magis in Auſtrali plaga ciuitatis: præter quòd id fine fundamento dicatur, & omnium non ſolùm fidelium, ſed etiam infidelium ſententiæ aduerſetur.

Nec multùm valet illa congruentia, quòd videlicet ad maiorem ignominiam, ligatus vt malefactor, introductus fuerit per portam, per quam paucis antè diebus vt

Digitized by Google

Rex glorioſus intrauerat (noctu enim introductus fuit, quando videlicet à paucis videri potuit) & ſimilem pro altera communi ſententia rationem adducere poſſumus. Si enim hanc ſequi velimus conſiderationem, dicendum nobis erat, in maius dedecus Chriſti ceſſiſſe, quòd introductus fuerit in ciuitatem per portam Sterquiliniam, quoniam hæc omnium viliſſima erat tum re tum nomine; nam ex ipſa effluebant & aſportabantur ſordes ciuitatis, & inde eiuſmodi nomen ſortita fuit.

Chriſtus vinctus primò ad Annam ducitur.

Igitur cum communi traditione dicamus, Saluatorem è torrente Cedron aſcendiſſe, & per portam Stercoris in ciuitatem introductum, ductumque fuiſſe primò ad domum Annæ non multùm ab ea diſtantem. Dixi, ductum fuiſſe ad Annam primùm, quia ita dixit S. Ioannes: quare apocryphum eſt quod apud Clementem lib. 5. Conſtit. Apoſt. cap. 16. legitur, primùm ad Caipham, deinde ad Annam ductum fuiſſe. Poſſet nihilominùs excuſari Clemens, ſi dicatur, Reparatorem noſtrum primò ad Caipham, tamquam ad illius anni Pontificem ac legitimum iudicem ductum fuiſſe, vt iuridice mortis ſententiam ſubiret, vt verè ſubiit, cùm ille reum mortis pronuntiauerit. Cùm itaque primò ad Annæ domum peruenisſet, ſiſtitur coram Anna ſocero Caiphæ, Pontificis anni illius, & coram ipſo & in domo eius ſequentia contigiſſe memorantur. Cùm ab Anna fuiſſet interrogatus Chriſtus de diſcipulis, & de doctrina ſua, & reſpondiſſet, ſe nihil vnquam in occulto fuiſſe locutum, ſed palàm docuiſſe populum, ac proinde ipſum eſſe interrogandum; hac reſpondendi libertate in deteriorem partem accepta, vnus ex miniſtris (&, vt placet Chryſoſtomo & Euthymio, fuit Malchus ille, cui amputatam à Petro auriculam Chriſtus reſtituerat) inflixit illi alapam, dicens: *Sic reſpondes Pontifici?* cui dixit Ieſus: *Si malè locutus ſum, teſtimonium perhibe de malo: ſi autem benè, quid me cædis?* Ioan. 18, 22.

Geſta in domo Annæ circa Chriſtum.

Alapa Chriſtum percuſſus.

Ab Anna ad Caipham mittitur.

Verùm quoniam non erat liberum Annæ abſque magno Sanedrim Concilio in re capitali iudicare, ac ferre ſententiam, miſit Ieſum ligatum ad Caipham Summum Sacerdotẽ, apud quem comitia haberentur: cuius palatium modicùm diſtabat ab illius domo: vnde crediderim, Chriſtum Dominum fuiſſe ab ipſomet Anna ad Caipham deductum, tum vt videret quid futurum eſſet de Ieſu, cuius ſanguinem auidiſſimè ſitiebat; tum quia vnus erat ex primis illius Concilij. Et hæc in domo Annæ accidiſſe, non tantùm habet vetus traditio, ſed docet etiam S. Auguſtinus lib. 3. de Conſenſu Euangeliſtarum cap. 6. videturque eſſe ſatis communis ſententia, & deduci ex Ioannis Euangeliſtæ cap. 18, 13. vbi dicitur Ieſum ductum fuiſſe ad Annam primùm: & poſt illius interrogationem, & Chriſti reſponſionem, & alapæ inflictionem ſtatim ſubditur: *Et miſit eum Annas ligatum ad Caipham Pontificem.* Igitur dicta priùs in Annæ domo contigerunt.

Chriſtus ad oliuam ligatur in Annæ domo.

Nec præmiſſa tantùm acciderunt in domo Annæ; ſed fuit inſuper Saluator in eadem ad quamdam oliuam ligatus. Ita docet vetus iſtarum partium traditio, cui probati graueſque Auctores ſuffragantur, præter illos qui ſcripſerunt de locis ſanctis; & pietas & deuotio fidelium in Terra ſancta habitantium, & ad eamdem peregrinantium, id conteſtatur: omnes enim eam eo nomine inuiſunt & venerantur, Deumque ad ipſam ligatum pio affectu contemplantur, deprecanturque, vt per ſuam magnam miſericordiam in oliua repræſentatam, ſuorum criminum vincula diſrumpat. Et qui illius fructus, ramuſculum, vel trunci particulas habere poſſunt, vt ſacras Reliquias, contactu Dominici corporis ſanctificatas, venerantur & aſſeruant. Oliua hæc, quæ, vt indicatum eſt, adhuc extat, & fructum producit, magnam præ ſe fert antiquitatem. Cauernoſa eſt, nec alta; quoniam ob pietatem rami eius præciſi fuerunt. Craſſa item ſatis, in tres ferè truncos diuiſa. Circa eam, id eſt ad radicem eius, murus eſt, & magna cum diligentia cuſtoditur (quod fit etiam de illius nouellis ſurgentibus) ſtatque in latere dextro Eccleſiæ prope ipſam ædificatæ. de qua ſtatim. Et quoniam in domo Annæ eſt, ab omnibus *oliua Annæ* appellatur.

Conditio oliuæ Annæ.

Domus Annæ in Eccleſiam conuerſa.

Domus Annæ in memoriam eorum quæ circa Dominum noſtrum acciderunt, fuit à fidelibus in Eccleſiam conuerſa. Ea eſt exigua, vnicum habens altare: ad dexteram partem, quæ oleam reſpicit, eſt in muro locellus, in quo lampas accenſa conſeruatur ad honorem Chriſti, in ſua paſſione ad oliuam illam ligati. Ante Eccleſiam eſt quoddam atrium domibus cinctum, vbi habitant Armeni, & præſertim eorum Sanctimoniales, curamque eius habent. Non multùm diſtat ab Eccleſia S. Iacobi, & à porta montis Sion. Denominata fuit titulo ſanctorum Angelorum, vt in veteri manuſcripto de locis Terræ ſanctæ reperi; & notauit etiam Adrichomius in deſcriptione montis Sion num. 8. *Domus Annæ Pontificis ſoceri Caiphæ*, ait, *in qua Chriſtus ab Anna de diſcipulis & doctrina ſua interrogatus, cùm ſe publicè coram omnibus docuiſſe reſponderet, ob id à miniſtro alapa in maxillam*

Sanctis Angelis dicata.

lam percuſſus eſt: vbi poſteà fabricatum eſt templum ſanctorum Angelorum, in quo etiamnum Graci Monachi Chriſtiani habitant, & ſacris officiis Deo ſeruiunt. Habitant ibi, vt dixi, Armeni, & quòd ibi fuiſſet domus Annæ, ab omnibus *domus Annæ* appellatur.

CAPVT XV.

Duæ difficultates circa ea quæ dicta ſunt Capite præcedenti de domo & oliua Annæ diſcutiuntur.

De loco vbi Chriſtus fuit alapa percuſſus duæ ſententiæ.

DVas iam examinatum imus difficultates, quarum altera eſt, An Chriſtus in Annæ, an potiùs in Caiphæ domo fuerit à miniſtro alapa cæſus; altera, An fuerit ad oliuam ligatus.

Prima, in Caipha domo.

Circa primam difficultatem duæ ſunt opiniones, prima quæ in Caiphæ, ſecunda quæ in Annæ domo dicit fuiſſe percuſſum Saluatorem noſtrum.

Prima ratio.

Primæ ſententiæ ſectatores illam probant duplici medio. Primò, Ad Annam non pertinebat Chriſtum interrogare, quoniam tum Pontifex non erat: quare quæ dicuntur de Pontifice, intelligenda ſunt de Caipha, qui Pontifex erat. Si igitur Chriſtus percuſſus fuit quando reſpondit Pontifici, vt percutientis verba demonſtrant, cùm non Annas ſed Caiphas Pontifex fuerit, in huius vtique domo fuit alapa cæſus.

Secunda ratio.

Secundò, Petrus in domo Caiphæ Chriſtum negauit, igitur in eadem etiam Chriſtus fuit alapa percuſſus. Antecedens patet ex Matthæi cap. 26, 69. Marci cap. 14, 66. & Lucæ c. 22, 54. & ex Ioanne inſinuante Petri negationem, in domo Pontificis nimirum Petrum Chriſtum negaſſe. Conſecutio verò videtur manifeſta, quoniam quæ de percuſſione & negatione Chriſti dicuntur coram Pontifice, & conſequenter in eius domo contigiſſe memorantur: at hic erat Caiphas, & non Annas; igitur, &c. Et hoc argumentum pluris faciunt huius ſententiæ patroni. Reſpondent etiam ad alterius ſententiæ fundamentum, vt mox videbimus.

Secunda ſententia cum ſuo fundamento.

Secunda ſententia docet, non in Caiphæ, ſed in Annæ domo coram ipſo Anna Seruatorem noſtrum ab impio miniſtro fuiſſe alapa percuſſum. Et hanc tenet communis traditio. Hæc nititur his quæ Capite præcedenti ex Euangeliſta Ioanne diximus, qui conceptis verbis tradit, Chriſtum Dominum, vinculis conſtrictum, ductum fuiſſe ad Annam primùm, ab eoque fuiſſe interrogatum de diſcipulis & de doctrina ſua; cui cùm reſpondiſſet Saluator, aſſiſtentem quemdam miniſtrum dediſſe ei alapam. vbi ſtatim ſubiungit Euangeliſta: *Et miſit eum Annas ligatum ad Caipham Pontificem.* Igitur ſi Chriſtum percuſſum miſit ad Caipham Annas, in eiuſdem vtique domo collaphizatus fuit.

Reſpondent alterius ſententiæ ſectatores, ea quæ à Ioanne referuntur, eſſe coram Pontifice facta, de Caipha verò Pontifice eſſe intelligenda, licet priùs recenſita fuerint per anticipationem ad illa vſque verba, *Miſit eum ligatum ad Caipham Pontificem*, id eſt *miſerat*, atque reſponſionem datam fuiſſe Pontifici, vt ſeruus indicauit dicendo: *Sic reſpondes Pontifici?* Verùm enimuerò hæc ſolutio haud mihi videtur diſſoluere argumentum: quandoquidem, licet veriſſimum ſit, ſæpè multa in Scriptura ſacra per anticipationem dici, ponique præteritum pro præterito pluſquam perfecto, more Hebræorum; ſi adſit aliqua neceſſitas, aut inconueniens aliquod ſequatur, verba tum demum extra ſuam naturalem ſiue Grammaticalem ſignificationem ſunt intelligenda; & hoc tantùm probant exempla in huius doctrinæ confirmationem relata à Toleto in caput 18. Ioannis Annot. 17. ſed ſi abſit neceſſitas, & inconueniens non ſequatur, ſunt verba in ſua propria ſignificatione accipienda. Si enim pro libito liceret ſenſum verborum Scripturæ ſactæ immutare, quæ veritas poſſet ex ea deduci? & in propoſito, quænam, quæſo, neceſſitas immutandi ſenſum verborum Euangeliſtæ, accipiendi præteritum pro præterito pluſquam perfecto? Nec hîc habet locum recapitulatio: quia iſta præſupponit priorem narrationem, quæ hîc aſſignari non poteſt. Et quodnam hinc ſequitur inconueniens, ſi aſſeratur, Chriſtum in domo Annæ fuiſſe alapa percuſſum, cùm haud minùs impius, ac æquè ſæuus Chriſti hoſtis fuerit, quàm Caiphas? Reſpondebis, quod in primæ ſententiæ argumentis adductum fuit; ergo ad illa argumenta iam reſpondeamus.

Reſponſio ad primæ ſententiæ argumentum.

Ad primum argumentum reſpondetur dupliciter: primò, negando conſequentiam; ſecundò, negando vel diſtinguendo antecedens. Negatur ergo illa conſequentia, Non poterat Annas iuridicè interrogare, ergo nec interrogauit, & conſequenter in illius domo percuſſus non fuit Chriſtus. An impij illi ſolùm quæ iuſtitia præcipiebat faciebant? Iuſtúmne erat, innocentem, & qui multa bona operabatur, morti adiudicare? & tamen adiudicarunt: & quænam iniuſtitiarum genera non ſunt viſa in paſſione Domini? Tandem quæ iuſtitia ab iniuſtiſſimis hominibus Chriſtique iuratis hoſtibus expectanda eſt?

Digitized by Google

Secundò, negatur antecedens. Si enim Christus nihil spectabat ad Annam; quare duxerunt eum illuc primùm? Vel distinguatur antecedens: pertinuit ad Annam Christum interrogare; vel vt Pontifex & iuridicè, vel alio titulo, quia nimirum Consiliarius, & quidem primarius & præcipuus, erat Concilij, in quo causæ Religionis examinabantur. Asserimus, non ad ipsum pertinuisse Christum interrogare vt Pontifex, sed vt Consiliarius. Quare dicimus, ductum fuisse Christum ad Annam primùm, non tantùm propter amicitiam quam cum Caipha habebat (vt plures dicunt) quia erat eius socer; sed quia erat Præfectus magno Concilio, quod *Sanedrim* appellabatur, de quo Numer. 11, 16. & quod ex septuaginta & vno senioribus, cum summo verò Sacerdote ex septuaginta duobus constabat, in quo qui primus habebatur, Princeps dicebatur. Fuisse autem Principem illius Concilij tunc temporis Annam, colligitur ex D. Lucæ cap. 3, 2. vbi Princeps appellatur Sacerdotum. *Sub Principibus*, inquit, *Sacerdotum Anna & Caipha.* Cumque vnus ex illis esset Summus Sacerdos, nimirum Caiphas, reliquum est vt dicatur, Annam, qui Princeps dicitur Sacerdotum, fuisse præcipuum in Concilio Sanedrim. Huic verò Concilio, vt dixi, summa erat auctoritas; vt quod de Lege, Prophetis, legibus, ordinationibusq; seniorum iudicaret. Christus ergo, quòd Propheta esse, & nouam legem prædicare dicebatur, ad Annam primò deducitur, qui aliquo modo iuridicè, licet non æquè vt Caiphas, interrogauit eum de discipulis & de doctrina sua. Ad cuius interrogationem cùm respondisset, alapa (vt diximus) percussus fuit: sic respondet, & meo quidem iudicio optimè, Baronius Tom. 1. anno Christi 34.

Annas Cæcilij Sanedrim Præfectus, & Pontifex dictus.

Obiectio. Sanedrim Concilium ab Herode sublatum.

Sed dicet fortasse aliquis, eo tempore non extitisse Concilium illud Sanedrim, vt docet Philo lib. 2. de Temporibus, eò quòd iam ab Herode esset sublatum. Et quamuis dici posset, illum librum non esse Philonis, sed Annij cuiusdam, idem tamen quoque dixit Eusebius in Chronico, asserens, Herodem non solùm pueros innocentes, sed Scribas quoque & Interpretes diuinæ Legis necasse. Idem porrò habet Iosephus lib. 17. Antiqq. c. 3.

Solutio.

Respondetur, Herodem, priore illo Concilio deleto, aliud persimile in eius locum suffecisse. sic enim dicit idem Philo: *Herodes aliud simile Concilium substituit.* *Anno verò trigesimo principatus sui tyranni-ci Sanedrim de domo Dauid deleuit, & Annalenum quemdam atque Sanedrim ex Proselytis suffecit, qui nimirum videbantur in lege eruditi.* Quod tamen etiam ipsum paulò pòst penitus sublatum fuit. Quare cùm tempore Christi extiterit, potuit ipse ad vnum ex illius Concilij sapientibus, & maximè præcipuum, duci, & iuridicè etiam de spectantibus ad Religionem interrogari.

Hoc ita esse probatur ex Rabbi Moyse Maim, qui in libro Iudicum dicit, quòd Iesus Nazarenus visus sit esse Messias, & interfectus sit per domum iudicij, hoc est in iudicio vnius & septuaginta iudicum Iudæorum, & ipse causa fuerit, vt destrueretur Israël in gladio. Et illud Concilium, in quo fuit Christus morti adiudicatus, fuisse Sanedrim, docet Abulensis in cap. 15. Matth.

A præsidente ipso titulo quia dicatur.

Si dicatur, Christum fuisse percussum coram Pontifice, qualis non erat Annas: Respondeo, secundùm consuetudinem Scripturæ (de qua aliàs) & communem modum loquendi, quo aliquem ex officio, quod aliquando gessit, etsi illo postea exutus sit, appellare solemus: quemadmodum illum militiæ ducem, vel Episcopum nominamus, qui militiæ vel Episcopatui renunciauit. Et Iosephus lib. 2. De bello Iudaico consueuit appellare Pontifices eos, qui aliquando Pontificatu functi fuerant. Ita seruus ille Annam, quem Ioannes socerum Caiphæ appellat, quoniam aliquando Pontifex fuit, Pontificem appellauit. Vel sic appellauit, vt illi assentaretur, more seruorum & adulatorum.

Responsio ad secundum argumentum.

Ad secundum argumentum. Admisso antecedente, quod verissimum credimus, nimirum Petrum in Caiphæ domo Christum abnegasse, consequentia negatur, in eadē propterea fuisse à seruo alapa percussum. Quæ namque consequentia, Christus in domo Caiphæ negatus fuit à Petro, ergo in eadem fuit à seruo alapa percussus? Christi enim negatio, & eius colaphizatio, sunt actiones distinctæ, & omnino disparatæ, ab inuicē independentes; quare non cogimur dicere, si Christus fuit negatus in domo Caiphæ, in eadem fuisse colaphizatum, maiori præsertim Ioannis clara auctoritate refragante. Et quamuis Ioannes priùs mentionem fecerit vnius negationis Petri, & posteà alapæ serui, statimque explicuerit, quomodo Christus ab Anna ad Caipham missus, & in huius domo adhuc bis fuerit negatus; dicimus tamen (suppositio, ter tantùm Petrum Christum negasse, ac Annæ domum distinctam esse à Caiphæ domo, vt communis habet sententia & traditio, & posteà nos ampliùs explicabimus) Christum à militibus ductum fuisse ad Annam primùm, vt dixit Ioannes, & coram ipso interrogatum & colaphizatum, deinde ab Anna missum ad Caipham, à quo fuit iterùm interrogatus, & in eius domo

mo à Petro negatus. Nec verò Ioannes ita notauit, quòd eo ordine contigerit, ſed dixit per anticipationem, vt frequenter fit in ſacris Litteris. Et ita contigiſſe, præter ceteros docet citato loco Baronius.

Et mirum ſanè videtur, quòd ſacri Euangeliſtæ Matthæus, Marcus & Lucas, qui prouinciam ſuſceperunt ſcribendi ea quæ in Caiphæ domo contigerunt, nullam alapæ Chriſto inflictæ mentionem fecerint, cùm tamen facere debuerint, quia de aliis in ea domo geſtis, quæ multò ſunt minoris momenti, egerunt. Tractant de ſciſſione veſtis Caiphæ, & non de alapa Chriſto inflicta. An non fuit intentum Euangeliſtarum enarrare vitam & paſſionem Chriſti? & ſi quæ alia retulerunt, omnia in ordine ad Chriſtum. Crediderim ideò alapæ non meminiſſe, quoniam intenderunt enarrare ea quæ in Caiphæ domo contigerunt, & non quæ apud Annam. Ioannes verò paucis agens de his quæ facta fuerunt apud Caipham, vt abundè ab aliis Euangeliſtis pertractata, qui ante ipſum ſcripſerunt, ſe conuertit ad ſcribendum ea quæ contigerunt in domo Annæ ab aliis prætermiſſa; vt quòd Chriſtus primùm ad Annam ductus, ab eodem interrogatus, & à miniſtro alapa percuſſus fuerit. Vt enim docet S. Hieronymus de Scriptoribus Eccleſiaſticis cap. 9. Ioannis Euangeliſtæ mens fuit ſupplere ea quæ alios prætermiſiſſe cognouerat: atque ob id ductioni ad Annam coniunxit interrogationem, & interrogationi alapam, & poſteà de illius ad Caipham ductione narrationem ſubtexuit.

Ioannes cur alapæ Chriſti meminit, & non alij Euangeliſtæ.

Vtramque ſententiam probabilem arbitror, ſed poſteriorem probabiliorem, & propter veterem receptam traditionem, cui efficax ratio non aduerſatur, ſequendam.

Ratio dubitationis traditionis de Annæ oliua.

Quantum ad alteram difficultatem, de oliua ſcilicet ad quam fertur Chriſtum Dominum fuiſſe ligatum in domo Annæ, poſſet quiſpiam hæſitare. Si enim in domo Annæ fuit ea affectus pœna Saluator, quare aliquam illius mentionem non fecerunt Euangeliſtæ, & præſertim Ioannes, qui geſta in domo Annæ litteris conſignauit? Et præterea, ad quid Chriſtum in domo Annæ ligare, cùm miniſtrorum intentio eſſet ipſum ſtatim ducere ad Caipham Pontificem? Et ſanè, ſi ſequamur opinionem, quæ aſſerit, Chriſtum in domo Caiphæ colaphizatum fuiſſe, corruit illa oliuæ traditio; quia ſtatim ac illum vidit Annas, miſit ad Caipham. Si verò ſequamur alteram, percuſſum fuiſſe Chriſtum in Annæ domo, ſtatim ac fuit interrogatus & percuſſus, fuit miſſus ad Caipham. Quomodo ergo potuit ligari ad illam oliuam, & quando?

Reſpondeo, traditionem illam de Chriſto ad oliuam ligato non eſſe de fide, & in ſacris Bibliis contentam, nam nec hoc neceſſarium eſt; non enim omnia quæ egit Chriſtus, vel paſſus eſt, ſacris Litteris conſignata habemus, ſed plura pia & probabili traditione per generationes ſingulas tradita ſunt & credita. Et id vnum eſſe ex iſtis, piè & probabiliter exiſtimamus. Sed quomodo id potuit contingere? ſi, quod in re dubia probabiliter fieri potuit, liceat eloqui, dicerem: quando Chriſtus fuit ductus ad Annam, nox erat, & hora quinta vel ſexta, vt ex Euangelio manifeſtè deducitur. Chriſti namque conuiuium vltimum cœna fuit ſerò facta, & fortaſſe ad noctis initium. In illa Chriſtus lauit omnibus diſcipulis pedes, comedit cum eiſdem Paſcha, illos proprio Corpore ac Sanguine, nec non prolixo diuino ſermone pauit, ac æterno Patri ſuo, & patrifamilias domus, apud quem diſcubuit, gratias egit: quæ omnia non niſi ſpatio duarum horarum & ampliùs abſolui potuerunt. Deinde, cœnaculum illud à loco orationis in monte Oliuarum, ad quem poſt cœnam cum diſcipulis iuit, diſtat vno milliari, quod non niſi media hora abſoluere potuit, præſertim quòd lento gradu proceſſerit, conſolando, ac ſalutaria monita diſcipulis dando. In horto tribus vicibus orauit, & probabiliter tribus horis; nam poſt primam orationem dixit Petro: *Sic non potuiſtis vna hora vigilare mecum?* Matth. 26, 40. ac poſteà ex eo quòd Lucas cap. 22, 43. dicit, Ieſum ibi prolixiùs oraſſe, facilè colligitur alias duas horas in oratione conſumpſiſſe; diſcipulorũ interim ſomnus (quandoquidem oculi eorum eſſent grauati) donec Iudas cum miniſtris, cum facibus & laternis accederet ad Ieſum comprehendendum, magnam noctis partem tranſiſſe indicat. Denique in reditu, & in eundo ad Annæ domum, dimidia ad minus hora inſumi debuit: atque ita, quando peruenit ad Annam, eſſe debebat hora ſexta circiter noctis, præſertim cùm, vt Doctores admonent, eſſet tunc tempus Æquinoctij vernalis. Quare cùm tam ſerò eſſet, Annas ſenex iam dormitum abierat, nec cum aliis expectauit Chriſtum in Caiphæ domo. Cùm ergo ad illius domum peruenisſet Chriſtus, & admonitus eſſet Annas, Ieſum Nazarenum iam captum & vinctum in domo ſua eſſe, ſurrexit, ac veſtiuit ſe: quod dum fieret, aliqua temporis mora interuenit, atque interim Chriſtus ligatus fuit ad oliuam in Annæ domo plantatam; ex qua deinde ſolutus,

Reſponſio.

Alia à Chriſto in vltima cœna.

Circa mediam noctem coram Anna Chriſtus ſiſtitur.

coram Anna præsentatus fuit, &c. Et hæc satis pro historica elucidatione domus Annæ & nono memorabili loco Viæ captiuitatis.

CAPVT XVI.

De domo Caiphæ Pontificis Iudæorum, decimo Viæ captiuitatis loco.

DEcimus & vltimus locus qui sese considerandus offert in Via captiuitatis, est domus Caiphæ Iudæorum Pontificis: in cuius elucidatione tria videbimus. Primò, quomodo verè alia domus sit, distincta structura & situ à domibus Annæ & Pilati, & quòd fuerit propria & peculiaris Pontificum Iudæorum. Secundò nonnulla explicabimus quæ in ea contigerunt tempore Passionis Christi: & Tertiò, quomodo in Ecclesiam versa fuerit.

Domus Caiphæ à domo Annæ verè distincta.

Quantum ad primum, docet S. Ioannes cap. 18, 24. Christum fuisse missum ab Anna ad Caipham, in alia distincta domo, secundùm veterem receptam traditionem, habitantem, quæ olim quidem sita fuit intra muros ciuitatis, sed nunc extrà in monte Sion visitur, & propter contumelias & opprobria quæ ibidé sustinuit Christus, in veneratione habetur. Et quamuis res ita verè se habeat, nihilominùs de illius veritate fuit dubitatum.

Eandem fuisse, sensit Euthymius.

Euthymius arbitratus fuit, domum Annæ & Caiphę vnam & eamdem fuisse: quod ideò dixit, vt conciliaret Ioannem Euangelistam cum tribus aliis, qui, loquentes de Petri negationibus, videntur inter se dissidere: Ioannes enim in Annæ domo, ceteri verò in Caiphæ contigisse affirmant; conciliantur verò, si dicatur vnam fuisse domũ, quæ modò Annæ modò Caiphæ dicebatur. *Tres Euangelistæ*, inquit, *tres Petri negationes in domo Caiphæ factas esse dicunt; Ioannes autem in domo Annæ; nec tamen ob hoc inter eos est dissonantia: siquidem amborum, idest Annæ & Caiphæ, vna domus erat, idémque atrium, habens in se duo habitacula à se inuicem separata.* Quare non mirum, si Ioannes in domo Annæ, alij verò in domo Caiphæ, Petrum Christum negasse dixerunt.

Fuisse Pilati, sensit S. Augustinus.

D. Augustinus Tract. 114. in Ioann. & lib. 3. de Consensu Euangelist. videtur sentire, domum Caiphæ fuisse prætorium Pilati, & in ea accidisse, quæ in palatio Pilati contigisse asseruntur. Ad id verò affirmandum mouetur, quòd vbi nos in Bibliis correctis apud Ioannem c. 18, 28. legimus, *Adducunt ergo Iesum à Caipha in prætorium*, legit, *ad Caipham in prætorium*; & conatur exponere verbum hoc, quomodo ad Caipham & in prætorium simul adduci potuerit: & coactus est fateri, aut Pilatum & Caipham in eadem domo habitasse, aut aliqua de causa tunc Pilatum ad Caipham venisse.

Euthymij & Augustini sententia improbatur.

Ceterùm vtraque sententia ab omnibus improbatur, cõmunis etiam traditio refragatur, Ierosolymis enim in diuersis sitibus visitantur domus diuersæ, Annæ, Caiphæ, & Pilati, quæ & singularibus monumentis ab antiquis fidelibus ad diuersorum mysteriorum memoriam repræsentandam illustratæ fuerunt, vt videre est apud omnes qui scripserunt de locis sanctis.

Responsio ad Euthymium.

Quare meritò alia via quàm Euthymius incesserunt alij Doctores, ad conciliandos Matthæum, Marcum & Lucam cum Ioanne, in eo quòd dissentire videntur, dum loquuntur de Petri negationibus: & nos modum vnum Capite præcedenti assignauimus, nimirum eas omnes accidisse in domo Caiphæ, etsi Ioannes anticipatione vsus, alteram retulerit, dum agit de toleratis à Christo in Annæ domo.

Ad Augustinum.

Ad Augustinum verò dicendum, illius lectionem haud admittendam esse, sed legendum: *Adducunt ergo Iesum à Caipha in prætorium.* Ita enim Cyrillus & alij communiter legunt; & correctiores codices, & Biblia Sixti V. correcta ita habent. Et sic omnis tollitur difficultas: manè namque facto, ab ista Caiphæ ad alteram Pilati ductus fuit Iesus. Et quæ excogitauit S. Augustinus, non videntur posse accommodari his quæ sequuntur, nec verbis ipsis, inquit Toletus in Ioannis c. 18. Annot. 22.

Et certè, si considerentur quæ Matthæus & alij narrant Euangelistæ, sic omnino dicendum est. Cùm enim loquuntur de palatio Pilati, dicunt, quòd Iudæi noluerint introire prætorium, ne contaminari eos contingeret, sed vt manducare possent Pascha. Contaminati scilicet fuissent, si ingressi illuc fuissent, quoniam domus ea domus erat hominis gentilis; contaminatis verò Pascha comedere non licebat. Non fuissent verò contaminati, si domus illa fuisset domus Caiphæ, quia ille Iudæorum Pontifex erat. Nec ea quæ de Pilati domo enuntiantur, pariter de Caiphæ prolata sunt; quod est euidens argumentum (vt alia prætermittamus) Caiphæ domum esse aliam à domo Annæ & Pilati, vt semper docuit vetus & recepta traditio.

Caiphæ domus palatium fuit ordinarium Iudæorum Pontificum.

Hæc domus, vt notauit Adrichomius in descriptione Ierosolymæ, in locis montis Sion, num. 17. erat palatium amplum & angulare non tantùm priuatum Caiphæ, sed

ſed ordinarium & publicum quorumlibet ſummorum Pontificum Iudæorum. In ea olim habitauit Eliaſib Sacerdos magnus, vt ex 2. Eſdræ cap. 3. colligitur.

Alle in domo Caipha.

Et (vt ad ſecundum accedamus) in iſta domo congregati Iudęorum Principes inter ſe conſultabant, quomodo Ieſum dolo tenerent, & occiderent: de quo Concilio ſacri Euangeliſtæ.

Aduerto tamen, in partibus iſtis famam traditionemque eſſe, Concilium illud habitum fuiſſe extra ciuitatem, etſi non longè, in monte quodam montem Sion reſpiciente: & monſtratur euntibus Bethleem ad læuam partem viæ, qui ea ratione appellatur *Mons mali Concilij*. Et hæc traditio non caret probabilitate. Cùm enim conſiliarij illi timerent tumultum populi, ab eo magis ſecuros ſe præſtabant, colligendo Concilium extra ciuitatem in loco tradito, & hominum memoriæ illam ob rationem conſignato.

Mons mali Concilij.

Sed ad domum Caiphæ reuertimur. In ea conuenit Iudas Principes Iudæorum, acceptaque pecunia, in eorum poteſtatem Dominum Ieſum traditurum ſe promiſit. Ad eamdem Chriſtus Dominus, alapa priùs in Annæ domo percuſſus (ſi in iſta non fuit colaphizatus) fuſtibus ligatus, à tota cohorte ſtupatus, & fortaſſe ab ipſo Anna, vt ſuprà dictum fuit, ductus fuit. In hanc Petrus, qui Chriſtum à longè ſecutus fuerat vt videret finem, introductus fuit ab alio diſcipulo qui notus erat Pontifici; & à pluribus Ioannes Euangeliſta fuiſſe creditur. Qui cùm in atrio huius domus ſe ad ignem calefaceret, tertiò requiſitus, an Chriſti diſcipulus eſſet, tertiò negauit, ac ſe non eſſe peierauit, & anathematizauit: vbi etiá galli cantu admonitus, & recordatus eius quod Ieſus ei dixerat, *Antequam gallus cantet bis, ter me negabis*; Chriſtus item intuitu quaſi ſtimulo quodam punctus, facti pœnitens exiuit foras, & fleuit amarè. In iſta domo, & in ſuperiori parte, vt quidam probabiliter opinantur, coram Caipha & ſeniorum Concilio mitiſſimus Ieſus fuit à falſis teſtibus accuſatus: quibus cùm ipſe nil reſponderet, à Pontifice adiutatus, vt diceret an eſſet Chriſtus Filius Dei, idque confeſſus fuiſſet; Pontifex ira percitus, veſtem ſcidit, & tamquam blaſphemum, reum mortis iudicauit, & vt talem in manibus ſceleſtiſſimorum miniſtrorum reliquit: qui eum accipientes, faciemque eius velantes, irriſui & ludibrio habebant, genibuſque ante eum flexi, ſputa fœdiſſima in ſacram faciem eius exſcreabant, maxillas alapis defricabant, & vt quis eum percuteret diuinaret, ſacrilegè expoſcebant. Quot verò blaſphemias, quot probra, quot percuſſiones & ludibria ea nocte in domo illa ſuſtinuerit, ſolus nouit qui paſſus eſt Chriſtus. Sic tandem percuſſum & humiliatum Dominum Ieſum in obſcuriſſimo loco velut in carcere recluſerunt. Et hæc quidem poſt Concilium & latam contra Dominum mortis ſententiam contigiſſe, probabilius ſentio.

D. Hieron. D. Chryſoſtomus, Euthym. Theophyl. D. Cyrill. Lyranus, Iuſtinianus de Agone c. 8. & alij.

Manè facto illuc iterùm conuenientes Iudæorum Principes, Ieſum vinctum, vt morte dignum, ad Præſidem Pilatum mittunt, vt aduerſus eum crucis ſententiam pronuntiaret; non tamen omnes ibi conueniſſe credendum eſt: quoniam alios in templo eſſe oportuit ad parandum neceſſaria pro inſtante Paſchatis ſolemnitate; ad quos Iudas proditor facti ſui pœnitens acceſſit, acceptam ab ipſis pecuniam proiecit, & coram ipſis commiſſum facinus, & Chriſti innocentiam confeſſus eſt; indeque recedens, in malo firmatus, & de miſericordia Dei deſperans, laqueo ſe ſuſpendit. Et hæc pluribus explicata habes apud ſacros Euangeliſtas, & alios Eccleſiaſticos Scriptores.

Chriſtus à Caipha domo ad Pilatum ducitur.

Domum hanc Caiphæ ob tot mirabilium operum quę inibi patrata fuerunt memoriam, Helena Conſtantini Imperatoris piiſſima mater in templum Chriſtianorum conuertit, D. Petro Apoſtolorum Principi dicatum, vt auctor eſt Nicephorus lib. 8. Hiſtor. Eccleſ. c. 30. quod poſteà S. Saluatoris appellatum eſt. Non ſolùm ibi templum, ſed & monaſterium extructum eſt, quod Armeni inhabitant, & illius curam habent.

Eadem domus conuerſa in Eccleſiam D. Petro dicatam.

An hoc templum fuerit illud ipſum quod ædificauit Helena, an verò eo vel ob antiquitatem vel ex odio infidelium deſtructo, alterum ibi poſteà à pus fidelibus ædificatum, mihi incompertum eſt; hoc tamen ſecundum puto probabilius. Hoc templum paruum eſſe, & recenter reſtauratum, ad oculum cernimus: ex quo colligimus, quòd ſi maius templum S. Cœnaculi fuit deſtructum, quemadmodum, dum de eo ageremus, diximus; quantò magis hoc paruum? In capite vnum habet altare, ſupra quod eſt lapis ille magnus, qui aduolutus fuit ad oſtium monumenti Chriſti Domini; de quo erit ſermo Libro V. dum agemus de ſacratiſſimo Domini noſtri Ieſu Chriſti ſepulchro.

Domus Caiphæ diſtat ab Annæ domo quantum ter iacit arcus: ſitaque eſt hæc intra, illa extra ciuitatis pomœria.

CA-

Digitized by Google

CAPVT XVII.

De loco qui Carcer Christi *appellatur, & aliis obseruandis in Caiphæ domo.*

Carceris Christi nominis ratio.

IN capite Ecclesiæ S. Petri, de qua Capite præcedenti, & in eius sinistro latere & cornu Epistolæ, est sacellum valdè paruum & angustum, & in eodem altare, appellaturque *Carcer Christi Domini*, quoniam ibi velut in carcere detentus fuit Christus ea nocte qua captus fuit, vt docet vetus traditio; & eo intuitu inuisitur & in veneratione habetur à Christicolis.

Huic traditioni videtur fauere Regius Vates, dum Psalmo 87, 9. postquam in Christi persona dixisset, *Longè fecisti notos meos à me, posuerunt me abominationem sibi* (quando nimirum Christus se vidit à notis & amicis suis derelictum, quod contigit in horto, quando omnes discipuli eo relicto fugerunt; cùm item opprobrium & abiectio factus esset Iudæis & Gentibus, tum in horto, quando fuit comprehensus, tum in via, quando ad tribunalia impiorum ducebatur, tum in domibus Annæ & Caiphæ, vbi alapa percussus, à Petro negatus, aliisque opprobriis saturatus fuit) subdit: *Traditus sum, & non egrediebar*, hoc est, carceri mancipatus fui. Quòd si displicet assignare carcerem extra Romani Iudicis palatium, dicas, in locum carceri simillimum fuisse coniectum, ibique detentum Dominum Iesum. Et hoc idem graues tradunt Doctores, moti eisdem Dauidicis verbis, *Traditus sum*, &c. quod clariùs deducitur ex alia translatione, quæ sic habet: *Posuisti me carceratum, & non exibo*; vel, *Conclusus sum, & non egrediar*; vel, *Ita teneor, vt exire nequeam*, seu, *Vt non videam quomodo explicem me*; vel, *In carcere inclusus sum, & non egrediar*, id est; liber. Meminit huius carceris, præter alios, Sanutus Secret. fidel. Cruc. lib. 3. Part. 14. cap. 8.

Columna in qua gallus cantauit.

Extra Ecclesiam prope fores eius ad dexteram, ingredienti apparet columnæ pars, supra quam gallus cantauit tempore quo in Caiphæ domo comprehensus detinebatur Christus, Petrumque negationis Christi admonuit. Ita vetus habet harum partium traditio.

Quòd si quis dicat, illam columnam ostendi Romæ in Ecclesia S. Ioannis Lateranensis; dici potest, eam, quæ cernitur in domo Caiphæ, positam fuisse pro signo illius supra quam gallus cantans Petrum ad pœnitentiam & ad sperandam veniam incitauit.

Loci peculiaris negationis Petri.

In medio atrij sub dio est arbor mali aurei, in loco vbi Petrus charitate & rigore frigidus, ad ignem se calefaciens suum negauit Magistrum; ob quod etiam valdè æstimatur ab incolis & peregrinis.

Pro huius traditionis clariori intellectu dico duo, alterum suppono, & alterum quæro. Quod suppono, est, Petrum non septies nec sexies Christum negasse, vt aliqui non benè dixerunt, sed ter tantùm, vt Christus prædixerat, & conceptis verbis narrauerunt Euangelistæ; cui triplici negationi trina successit confessio. Et hæc est communis ac Catholica sententia, quam docuerunt Cyrillus, Ambrosius, Euthymius, & alij. Et hæc triplex negatio accidit in Caiphæ domo, vt ex Origene Tract. 35. in Matthæum tradit & pluribus explicat Toletus in caput 18. Ioannis Annot. 11.

Quod quæro, est, num tres illæ negationes in eadem domus parte vel superiùs vel inferiùs, an in diuersis factæ fuerint: multas enim habebat partes, vt de palatio Pontificis Iudæorum iudicare licet, & ex Euangelio deducitur. Respondeo, & iterùm dico duo; Primum, omnes negationes non in superiori, sed in inferiori domus parte contigisse. Ratio & auctoritas ita persuadet. Ratio, quia cùm Petrus pauper, despectus ac incognitus fuerit, non ad superiora & magis interiora loca admittendus fuit, sed satis illi fuit ad primum atrium introduci, & in communi inferiori loco cum famulis se calefacere. Auctoritas est expressa Marci cap. 14, 66. *Erat Petrus in atrio deorsum*; & alij indicant Euangelistæ, dum de loco negationis loquuntur. Secundum, tres negationes non in eodem omnino particulari loco accidisse. Vbi ergo? Prima in atrio: ita, Matth. 26, 69. & ad ignem, ex Marci citato capite v. 67. Luc. 22, 55. & Ioan. 18, 25. Secunda extra atrium in illius vestibulo: ita Matthæus ibid. v. 71. *Exeunte illo*, non ex Caiphæ domo & malorum consortio, sed *ianuam*, atrij scilicet, in vestibulum, quod solet ante atrium esse in magnis ædibus. Exiuit ex parte tecta ad non tectam & ætheri expositam, quæ *cortis* & *area domus* nuncupatur, & ibi *iterùm negauit cum iuramento*. Tertiò, cùm hic ibi se tutum à tot interrogantibus videret, perturbatus iterùm in atrium ad ignem reuersus, cùm grauiùs vrgeretur à cognato Malchi cui Petrus auriculam abscideat, *iterùm negauit Petrus*, inquit Ioannes ibidem v. 27. Cùm itaque Petrus in domus Caiphæ inferiori parte Christum negauerit prima & tertia vice in atrio ad ignem, & secunda foris in area & vestibulo, & memoratus locus, vbi malus aurei stat arbor, inferiùs sit, & facilè

potue-

Digitized by Google

potuerit esse atrium, vel sanè vestibulum; benè ibi potuit Petrus Christum negasse, ac peccatum suum iterùm detestatus fuisse, vt habet vetus traditio.

Quæ hactenus dicta sunt de domo Caiphæ, & carcere Christi, hisce verbis breuiter explicuit Bonifacius: *Iuxta domum diuisionis Apostolorum est domus Caiphæ Pontificis, in qua fabricata cernitur Ecclesia in honorem Saluatoris mundi. In hac domo adhuc columna ostenditur, super quam gallus stabat, quando, vt Christus prædixit, cantauit, & Petrus negauit ipsum. Hîc carcer Christi iuxta maius altare ostenditur, in quem fuit coniectus. Hæc domus est à qua Petrus, postquam Christus ipsum respexit, discessit, & suum peccatum deflenit amarè.*

PEREGRINATIO VI. *quæ est Via crucis, siue dolorosa, in qua recoluntur & enucleantur octo præcipua loca ab eamdem viam deambulantibus piè culta. Locus* I. *est Palatium Pilati Præsidis.* II. *Flagellationis Christi.* III. *Palatium Herodis.* IV. *Arcus Pilati, vbi Christus fuit populo ostensus, Pilato dicente,* ECCE HOMO. V. *Ecclesia Spasmi Deiparæ dicta.* VI. *Triuium, vbi angariatus fuit Simon Cyrenæus vt Christi crucem ferret, & vbi flentes mulieres Christo occurrerunt.* VII. *Domus Veronicæ, vbi hæc sancta mulier linteo faciem Christi tersit.* VIII. *Porta Iudiciaria.*

CAPVT PRIMVM.

De Via crucis siue dolorosa.

PRiusquam tractare aggrediar de sanctis Viæ dolorosæ locis, operæ pretium esse duxi aliqua de ipsamet dolorosa via præmittere atque explicare, primò, quare id nominis sit sortita; secundò, quàm longa sit; & tertiò, quomodo à peregrinis obeatur.

Ratio nominis Via crucis.

Via hæc *Via crucis*, & frequentiùs vulgari vocabulo *Via dolorosa* nuncupatur, non quòd sontes communiter crucibus onusti, ac doloribus afflicti, per eam ad mortem in Caluariæ monte subeundam ducerentur; (nam ex hoc nihil memoria dignum de ea refertur, vt propterea nobili dignetur nomine, piaque consideratione ac deuoto affectu colatur, & à fidelibus in cultu & obseruantia habeatur; quin hanc ob rationem potiùs execranda & abominationi habenda esset, quia ab execrandis & abominandis hominibus, iustè ob sua facinora supplicio affectis, calcata fuit;) sed quòd Dominus noster Iesus Christus, innocens, impollutus, ex charitate nimia, vt nos ab æternæ mortis sententia, & sempitemis inferni doloribus, nostris sceleribus debitis, liberaret, semetipsum Patri ac iniusto iudici Pilato humiliauerit, factus obediens vsque ad mortem crucis, quam sibi baiulans, ex palatio spinis coronatus, opprobriis ac doloribus circumdatus, per eam viam exiuit in Caluariæ montem ac damnatorum locum, vbi & crucifixus fuit, vt omnes prodiderunt Euangelistæ. Et profectò non aliud quàm cruces ac dolores mentis & corporis in hac Via inuenimus, quibus humani generis Reparator propter nos affectus fuit, & alij ex illius compassione transfixi fuerunt, vt sanctissima eius Mater, discipuli, deuotæ mulieres, ac alij pij viri; vt satis manifestum est, & nos in peculiari locorum consideratione ex parte explicabimus.

Dolores & cruces in Via crucis.

Christianus Adrichomius in descriptione Ierusalem num. 118. de ea agens, ex aliis sanctissimæ huius Viæ longitudinem & mysteria quæ in illa occurrerunt, cum suis distantiis minutè satis & exactè describit: *Via crucis*, inquit, *qua Christus in tribunali cruci adiudicatus, acerrimis ac cruentis gressibus ad montem Caluariæ iuit. Incipiens enim à palatio Pilati per viginti sex gressus, qui faciunt sexaginta quinque pedes, ad locum processit, vbi crux ei imposita est; vnde tota spectante vrbe super saucios humeros suam baiulans crucem, versus Caurum seu Corum per 80. gressus, hoc est, ducentos pedes, ad locum vbi primò cum cruce cecidisse traditur, progressus est. Inde statim per sexaginta gressus & tres pedes, id est, centum quinquaginta tres pedes, ad locum vbi beata Maria cum Ioanne Filio suo occurrit. Hinc autem per septuaginta vnum gressus & sesquipedem, siue centum septuaginta nouem pedes, ad quoddam triuium, vbi Simon Cyrenæus crucem post Iesum portare coactus est. Istinc porrò per centum nonaginta vnum gressus & semipedem, vel quadringentos septuaginta pedes, ad locum vbi ipsi Veronica occurrit. Atque illinc per trecentos triginta sex gressus & duos pedes, alias octingentos qua-*

Adrichomij relatio de mysteriis & longitudine viæ crucis.

Hanc Viam D. Petrus Potens, & M. Matth. Steenbere. Lucentinus Theologiæ & Pastor in Londersele, olim Ierosolymis dimensi sunt, & iuxta eamdem formã ac mensuram dispositarum Caluariæ viam Louanij, Mechliniæ, Vilvordiæ, & in aliis Brabantiæ locis; quæ etiam diligentissimè describitur in libro cui titulus est Via crucis per Petrum Calepinum

editum, & præterea à D. Io. Paſch. ſacræ Theologiæ Doctore in Peregrinatione ſancta, die 207. 208. 209. 210. 211. 212. 213. & 214. item à D. Bethlicem Presbytero in deſcript. locorum Paſſionis Chriſti.

quadragintaduos pedes, ad portam Iudiciariam, vbi rurſum cum cruce lapſus eſt. Deinde verò ardua, ſaxoſa atque paulatim aſcendente via verſus Septemtrionem proceſſit per trecentos quadragintaocto greſſus & duos pedes, ſeu octingentos ſeptuagintaduos pedes, ad biuium quoddam, vbi mulieres plorantes allocutus eſt. Ac iſtinc continuò per centum ſexagintaunum greſſus & ſeſquipedem, hoc eſt, quadringentos & quatuor pedes, ad pedem ſeu radicẽ montis Caluariæ, vbi vltimò cecidit. Deinde vlteriùs per octodecim greſſus, aut quadragintaquing, pedes, ad locum vbi carnifices ipſi veſtes extraxerunt: vbi & vino myrrhato felle mixto potatus eſt. Debinc per duodecim greſſus, ſiue triginta pedes, ad locũ vbi clauis cruci affixus eſt. Inde poſtremò per quatuordecim greſſus, id eſt, trigintaquinque pedes, ad locum vbi de cruce pendens in foramine rupis Caluariæ fixus eſt. A palatio itaque Pilati vſque ad locum vbi crux rupi infixa fuit, ſunt greſſus mille trecenti viginti & vnus, ſiue alia ſupputatione, pedes ter mille trecenti & tres.

Hac linea quarta pedis pars eſt, cuius mentionem fecimus, &c.

Perquàm diligenter ſanè Adrichomius enarrauit memorabilia loca Viæ crucis cum ſuis diſtantiis, & illius longitudinem, cui refragari non audeo, cùm ſcripſerit ex relatione virorum pietate ac doctrina celebrium, quique oculati viderunt, & ſpiritus ac corporis greſſibus illam Viam deambularunt. Nihilominùs ab inſtituto noſtro haud alienum erit, neque ingratum futurum arbitror Lectori, ſi aliqua à me & aliis, etſi non tam accuratè, adnotata hîc adſcripſero; etſi diuerſa, non tamen propterea minùs vera, præſertim cùm pluries, ni fallor, dum Ieroſolymis habitaui, eamdem deambulauerim Viam quàm peregrini illi: vnde ex ſenſu ipſo, & experientia, non ineptum de illius longitudine poſſumus proferre iudicium.

Alia Via crucis deſcriptio.

Via crucis tota quidem ſe extendit à palatio Pilati vſque ad Caluariæ montem: & antiquitus tota continuè deambulari debuit à fidelibus, non item hoc tempore, ſed vna tantùm illius pars. Quare Via dolorosa in duas partes diuidi poteſt: in eam quæ eſt intra ſanctam ciuitatem, incipiendo à palatio Pilati, & continuè proſequendo vſque ad portam Iudiciariam; & in eam quæ eſt à porta Iudiciaria vſque ad montem Caluariæ. Ita illam diſtinxi, quoniam, cùm porta Iudiciaria muroclauſa ſit, non conceditur per illam exire, & ab ea Chriſtum vſque ad Caluarium comitari: quare priorem dumtaxat partem conficiunt noſtris temporibus cum Reparatore noſtro pij fideles. Huius partis longitudo eſt greſſuum circiter 570. alterius verò, quantum diiudicare licet, ad 250. ſe extendet. Quare tota via, quam Saluator noſter confecit à Pilati domo vſque ad ſanctum Caluariæ montem, erit longitudinis greſſuum 820. circiter. Loca quæ ſingulariter in priori illius parte viſuntur peculiaribus myſteriis conſignata, ſunt notata in argumento huius Peregrinationis.

Frequentatio Viæ crucis.

Quantum ad tertium, de Viæ ſcilicet crucis veneranda frequentatione, dico, fuiſſe ſemper à piis fidelibus deuotè obambulatam, Chriſti ſequendo ac meditando veſtigia, qui illam priùs in doloribus pro noſtra ſalute calcauit, vt ſequeremur veſtigia eius. Ita pietas & ratio perſuadet. Obambulatur nudis pedibus à fidelibus qui Ieroſolymis habitãt, præcipuè diebus Veneris & paſſionis Domini: & ad eamdem obambulandam exhortantur FF. Minoritæ venientes peregrinos, & vt, dum per eam incedunt, exteriùs prodant omnem Chriſto & ſanctis eius locis debitam venerationem, & corpore compatiantur patienti in anima & corpore Redemptori, ab iiſdem edocentur.

Maria Virgo primo fecit Viam crucis poſt Chriſti mortem.

Non hîc eſt prætereundum, quod beatiſſima Virgine notauit Adrichomius num. 123. *Pia habet traditio maiorum*, inquit, *B. Virginem, quæ cum ſuis cruenta Filij ſui veſtigia ad crucem vſque ſecuta fuit, poſt eius ſepulturam, hac rediens, primam Viam crucis ex deuotione calcaſſe. Vnde & Chriſtianorum Proceſſiones, ac crucis greſſiones originem habere videntur.*

Hæc ideò tam diſtinctè adnotantur, vt fideles, quibus Ieroſolymam proficiſci, & illam ipſam crucis Viam quam ipſe Chriſtus cum cruce tranſiuit, obambulare non eſt integrum, ne piæ peregrinationis fructu priuentur, ad illius imitationem ſimilem ſibi ſtatuant vel fingant Viam in Eccleſiis, hortis, Conuentibus, ac ipſis cubiculis itinera repetendo, vt fecit ſancta illa monialis Ludouica Luſitana, cuius Libro III. mentionem fecimus, vnde etiam vberes ſuæ piæ peregrinationis fructus obtinere meruit. Ergo & nos *exeamus ad* Ieſum *extra caſtra*, vt S. Apoſtoli verbis vtar, *improperium eius portantes. Non enim habemus hîc manentem ciuitatem, ſed futuram inquirimus*, Hebr. 13, 13. Egrediamur de medio Babylonis, fugiamus de tabernaculis impiorum, Chriſti paſſionibus communicemus, cum eo crucifixi ſimus, vt cum eodem in die reſurrectionis gloriemur exſultantes.

Hæc quidem Via tota ſancta & honoranda eſt, Chriſti Domini veſtigiis ac ſanguine

Digitized by Google

guine consecrata; nihilominùs octo singulariter antè notata loca occurrunt, quæ ob oculos nobis ponunt peculiaria nostræ salutis mysteria, de quibus erit in sequentibus sermo. De Caluariæ monte, termino Viæ crucis, & in eo peractis mysteriis, seorsim Libro V. tractabimus.

CAPVT II.

De Palatio Pontij Pilati Præsidis Romanorum in Ierusalem, primo memorabili loco Viæ crucis.

Situs palatij Pilati, & eius nominis ratio.

PRimus locus qui sese offert considerandus in Via Crucis, est Pilati palatium, de quo & nos primò agemus. In medio ferè sanctæ ciuitatis Ierusalem à sinistro Salomonici templi latere, hoc est, in eius plaga Aquilonari, est domus proxima turri Antoniæ, siue residuo illius turris quæ palatium Pilati appellatur; quoniam cùm ordinaria esset habitatio Præsidum Romanorum qui eorum nomine Iudæam custodiebant, & Pontius Pilatus tempore passionis Christi fuerit ibi Præses, & in eo consequenter habitauerit, ab eo nomen accepit, quod vsque in præsentem diem retinet: dicitur enim *Palatium Pilati*. Erat olim (si credimus Adrichomio & aliis) hoc palatium omnibus ciuitatis ædibus multò amplius, pulchrius & eminentius, ad quod per scalam 28. graduum ascendebatur: nunc verò non omnibus ædibus pulchrius & amplius est, vt, qui hoc & illas diligenter, inspexerunt, fidem faciunt. Creditur tamen eamdem altitudinem retinere: ex hoc etenim totum templum Salomonis cum circumiacentibus locis & plateis prospicitur, nec alibi licet illud meliùs intueri. Ascendimus ad ipsum vigintiquinque gressibus in plano, vbi olim erat scala, cuius gradibus Romam translatis, alij non fuerunt amplius in eorum locum restituti.

Palatij forma vetus & noua.

Desernit, vt Christi tempore, Ierusalem Præsidis.

Vt olim, cùm Iudæa Romanorum imperio subiecta erat, Præsides siue eorum Gubernatores in ea habitabant, ita nunc, redacta sub Turcarum tyrannidem, illorum Præsides & Gubernatores, quos *Sanzachos* appellant, ibidem commorantur.

Intus in eodem loco, vbi tempore Christi erat Prætorium & aula, in qua causæ audiebantur, quæ etiam hodie ad idipsum deseruit, in eoque iudex iudicat.

Atrium, Prætorium, & alia loca.

Foris ante ipsum est atrium, locus sub dio, stratus quadratis dolatisque marmoribus cinericei coloris, in quo steterunt Iudæi quando duxerunt Christum ad Pilatum, nolentes Prætorium ingredi, ne contaminarentur. Sunt hinc inde nonnullæ habitationes. Hoc palatium fuit in Ecclesiam à piis fidelibus conuersum, & cubicula in capellas, vt non obscurè licet intueri: nam, excepto pristino splendore, fabrica ferè in primo statu perdurat, sola forma vsuque mutato: non enim Ecclesia est aut locus orationis, sed iniusti & iniqui iudicis habitatio, pro cuius commoditate aptata fuit. Vbi olim erat Prætorium, postea Chorus vel maior Ecclesiæ capella, ibi & nunc est Prætorium. Cubicula quæ ex vtroque latere steterunt, & in capellas conuersa fuerunt, pristino iterùm vsui restituta sunt, etsi formam capellæ adhuc retineant: suntque alta satis, & picturæ nonnullæ ibi conspiciuntur, quamuis maiori ex parte ex deletæ sint. In superiore parte sunt alia habitacula. Vbi nunc est & olim erat atrium, credo fuisse corpus Ecclesiæ.

Conuersum in Ecclesiam fuit.

In dextera parte ingressus ferè in medio stat cubiculum, quod olim fuit sacellum, vbi sepulchrum est, quod cuius sit, inuenire non potui.

Ioannes Stringa in sua Venetia lib. 2. vbi agit de Ecclesia S. Francisci Vinearum, inquit, olim in vestibulo Ecclesiæ & eiusdem introitu fuisse sepulchrum Ludouici Regis Siciliæ: cuius corpus cùm ex Ierusalem Venetias loco corporis alicuius Sancti translatum fuisset, veritate comperta, intra Ecclesiam in eminenti loco honorificè positum fuit, & panno purpureo opertum. An hoc corpus fuit in isto sepulchro? an in alio ex illis qui sunt in templo Dominicæ resurrectionis?

Locus coronationis Christi.

Ex hac eadem parte, sed extra Prætorium & atrium, est coquina, locus, vt creditur, vbi Christus Dominus fuit spinea corona redimitus, & aliis affectus opprobriis: qui & ipse ad Ecclesiam spectabat, & fortè illius sacrarium erat. Columnellæ & alia ad structuram & ornatum sacræ ædis cernuntur, etsi pænè consumpta, fumoque & caligine denigrata. Suffragantur huic traditioni Matthæus & Marcus, dum indicant, milites in Pilati palatio Christum spinis coronasse; & singulariter Marcus, dum ait: *Milites autem duxerunt eum in atrium Prætorij, & conuocant totam cohortem, & induunt eum purpura, & imponunt ei plectentes spineam coronam* &c. Marc. 15, 16. Igitur si in atrio Prætorij fuit Christus coronatus; & alterius loci quàm huius memoria conseruata non sit, eum illum esse credere cum ratione possumus. Nec obstat, Euangelistam dicere, in atrio Prætorij fuisse coronatum Christum; dici enim potest, Christi tempore vsque ad illum locum se extendisse atrium, illumque clausisse; vel fuisse locum atrio annexum, vel proximum.

Suffragantur Euangelium.

Digitized by Google

Et hoc sufficit ad veritatem dicti Euangelistæ.

In memoratis verò locis plura memoria digna contigerunt, vt statim dicemus. Non desunt etiam in eodem palatio alia habitacula pro familia Gubernatoris siue Sanzachi. Agit de isto palatio Adrichomius in descriptione Ierosolymæ n. 57.

Acta in palatio Pilati tempore passionis Christi.

In hoc Pilati palatio tempore passionis Christi sequentia, quorum causa in veneratione habetur, contigerunt. Primò, summo manè illius diei quo passus est Saluator noster, mortique à Iudæorum Principibus in domo Caiphæ adiudicatus fuit; vinculis validissimis constrictus, militibus & satellitibus stipatus ad hoc palatium ductus fuit, quod circiter vnum milliare distat à palatio Caiphæ. Quò cùm peruenisset, magno cum dedecore, vt seductor & malefactor, in prætorium ad Pilatum introductus, accusatus fuit à Iudæis quòd populum peruerteret, tributa dare Cæsari prohiberet, se Regem Iudæorum & Christum iactaret, seditionemque in populo concitaret, ideoque ad mortis supplicium postulatus fuit. Secundò, Pilatus eum de his interrogans, & innocentem inueniens, voluit ipsum permittere Iudæis, vt secundùm suam legem iudicarent. Tertiò, id renuentibus Iudæis, & multò magis instantibus vt Pilatus eum condemnaret, intelligens ille quòd Galilæus esset, & de Herodis iurisdictione, vt se ab iniusta sententia contra innocentem proferenda liberaret, ad Herodem Galilææ Tetrarcham, qui opportunè Ierosolymis aderat, eum amandauit: à quo delusus, & veste alba indutus velut insipiens & stultus ad Pilatum reductus fuit. Quartò, Pilatus, vt Christum à morte liberaret, eumdem cum Barabba proponit Iudæis, & dat illis optionem, vt vnum ex illis quem maluerint à morte liberarent, vel Christum Iudæorum Regem, vel Barabbam hominem perditum. At illi amentes, & velut multa febre phrenetici, magnis vocibus acclamarunt, vt dimisso Barabba, Christum crucifigeret. Quintò, Pilato pro tribunali sedenti iussit vxor nuntiari: *Nihil tibi & iusto illi, multa enim passa sum hodie per visum propter eum*, Matth. 27, 19. Sextò, vt satisfaceret Pilatus Iudæis, & simul Christum à morte liberaret, iussit eumdem flagellari; sed nihil profuit. Septimò, Rex gloriæ, & vniuersorum Dominus, vt Rex malefactorum spinis coronatur, & pro sceptro fragilis arundo porrigitur, conspuitur, velatur, & colaphizatur, innumerisque afficitur iniuriis; sicque delusus populo à Iudice ostenditur; Iudæi verò ipsis tigridibus crudeliores effecti, magnis vocibus contra Pilatum inualescebant, vt illum crucifigeret, sanguinem eius sibi & suis filiis imprecantes. Octauò, Pilatus tradidit Iesum voluntati Iudæorum, & morte dignum iudicauit. De forma tamen sententiæ nihil certi habetur, quamuis varias proponat Salmeron Tomo 10. Tract. 32. Nonò, Pilatus lauat manus, vt in Christi morte partem se non habere ostenderet. Decimò, positus innocens Iesus in medio militum & carnificum, paratam crucem magno affectu amplexus & osculatus, propriis humeris suscipiens, suis indutus vestibus, cum duobus latronibus, altero ad dexteram & altero ad sinistram eius, trahitur; imò potiùs hilaris perrexit ad Caluariæ montem, vbi crucifixus fuit.

Secundò, innocens à iudice declaratur.

Tertiò, mittitur ad Herodem.

Octauò, morti adiudicatur.

Quartò, comparatur Barabba, cui postponitur.

Nonò. Pilatus, vt se innocentem ostendat, manus lauat.

Decimò. Christus bainias filii crucem.

Quintò, vxor Pilati intercedit pro Iesu.

Sextò, vt flagellaretur mandat Pilatus.

Septimò, spinis coronatur.

Hæc summatim, vt omnibus nota, ex sanctis Euangelistis huc adscripsimus.

Placet pro maiori dictorum firmitate & claritate hîc subnectere quæ de hac domo scripsit Bonifacius lib. 2. de Perenni cultu Terræ sanctæ hisce verbis: *Hîc ante destructionem templi, & euersionem Ierusalem fuit Prætorium Pilati, nunc, vt cernis, Prætorium in duas partes scissum est, & in publicam plateam versum. Ad dexteram est lectus scala, per quam Christus flagellatus ascendit, & morti adiudicatus cum cruce descendit. Gradus huius scalæ ab Helena sancta Romam delati sunt ad sanctum Ioannem Lateranum, & in eodem loco in scalam coaptati, quæ guttulis sanguinis Christi vt pretiosissimo lapide decoratur, & nunc vsque scala Pilati vocatur. Intrò est locus in quo Pilatus sedit pro tribunali, quando Christum morti adiudicauit, lapidibus quadris & politis stratus, & vocatur Lithostrotos. Sunt in eadem domo Pilati cellulæ antiquissimæ, in quibus die passionis secretè cum Christo loquebatur; vt puta, Tu es Rex Iudæorum? & illud, Numquid ego Iudæus sum? gens tua, & Pontifices tui tradiderunt te mihi. & illud, Ergo Rex tu es? & illud, Quid est veritas? Quando interrogauit eum, Vnde es? &, Mihi non loqueris? &, Nescis quia potestatem habeo crucifigere te, & potestatem habeo dimittere te? ab eo etiam responsum accepit dicens: Non haberes potestatem aduersum me vllam, nisi tibi datum esset desuper. Et multa alia, vt patet in Euangelio Ioannis, Christus respondit: quapropter volebat dimittere illum. Illas cellas multoties visitaui, & quidem coactus ab ipsis Sanzachis, qui iniustè à nobis multa exigunt, minantes ruinam Ecclesiarum. In cellulis imagines parietibus depictas, in imagine antiquissima Pilatum cum Christo loquentem, Dei nutu custoditas vidi, & videndo gaudebam, flebámque, audiens iniuriam quæ fit ab hæreticis imaginibus Christi. Ad*

hanc

hanc domum Pilati eſt difficillimus ingreſſus, &c.

Aliquando difficilis aliquando facilis ad Pilati palatium ingreſſus.

Noſtro tempore non item; & quæ illius tempore nonniſi magna difficultate videbantur, nunc nullo ferè negotio viſuntur, & ego ſæpiùs vel ex deuotione, vel ex ſancta curioſitate, vel etiam quæſitus & coactus vidi, & veneratus ſum, quod & plerique alij fecerunt.

De gradibus Scalæ ſanctæ.

Quod pertinet ad gradus Scalæ, qui viginti octo eſſe perhibentur, ij Romæ præ foribus templi S. Ioannis Lateranenſis in Cœlio monte à Conſtantino Magno ædificati viſuntur, & *Scala ſancta* nomen obtinuerunt; locuſque in ipſis Chriſti ſanguine conſperſus, cancellis ferreis opertus eſt.

Per ſcalam palatij tribus vicibus aſcendit ac deſcendit Chriſtus. Ritus aſcendendi Scalam ſanctam Romæ.

Et quia Chriſtus tempore paſſionis tribus vicibus eam aſcendit, & totidem ex ea deſcendit, nunc pij fideles itetatis vicibus, flexis genibus magna cum pietate illam aſcendunt, & ob frequentatas vices marmorei illi gradus excauati ſunt: quæ Ieroſolymis tali externo cultu non honoratur, quia id fieri in ſuis domibus non permitterent infideles, & magnæ ſe irriſioni exponerent fideles. Primò aſcendit hanc Scalam Chriſtus, quando à Caipha ductus eſt ad Pilatum; & primò ex ea deſcendit, quando à Pilato ad Herodem fuit amandatus: ſecundò eamdem aſcendit, dum remitteretur ab Herode ad Pilatum; & ſecundò ex eadem deſcendit, cùm ductus fuit ad flagellationis locum: tertiò iterùm eamdem ſcandit, quando flagellatus coram Iudice denuò ſiſtitur, & ſpinis fuit coronatus; & tertiò denique ex eadem deſcendit, cùm baiulans ſibi crucem, exiuit in eum qui dicitur Caluariæ locum, vbi crucifixerunt eum. Quare meritò ſemper locus iſte à fidelibus in magna veneratione habitus ac viſitatus fuit.

CAPVT III.

Relatio eorum quæ à quibuſdam in palatio Pilati Præſidis euenire dicuntur illis, qui alapa & flagellis Chriſtum percuſſerunt.

PRo clariori elucidatione hiſtoriæ palatij Pilati Præſidis, & eorum quæ ibi acciditſſe & adhuc accidere memorantur, placet iis quæ diximus alia duo velut corollaria addere. In primo duplicem proponam relationem ſiue traditionem: alteram de illo, qui in domo Pontificis dedit alapam Chriſto; alteram de illis, qui Chriſtum Dominum ad columnam ligatum flagellis ceciderunt: in ſecundo quantum licebit aperiam, quodnam iudicium de hiſce traditionibus faciendum ſit.

Prima relatio, illius qui Chriſto alapam dedit.

Prima relatio eſt, militem illum, qui Chriſto in Pontificis domo alapam impegit, perpetuas vſque hodie ſui ſceleris pœnas dare in domo Pilati, ſiue Gubernatoris ſanctæ ciuitatis: quomodo verò id fiat, & quomodo innotuerit, in hunc modum refertur. Cùm Nobilis quidam Vicentinus, Petrus Branzius Pennalius nuncupatus, Terræ ſanctæ peregrinationem ſuſcepiſſet, & ad ſanctam Ieroſolymorũ ciuitatem peruenisſet, exiſtens in quadam platea, fuit à quodam Turca ſibi primùm incognito ſalutatus. Iſte autem Turca dictum Nobilem nouerat, eò quòd patrui illius quondam fuiſſet captiuus & mancipium in ciuitate Vicentina, multis ab eodem beneficiis cumulatus, ſacri Baptiſmatis vnda ablutus, ac libertate tandem donatus: poſteà verò cùm Venetiis eſſet, diuinæ gratiæ immemor, & acceptis beneficiis ingratus, inuentis quibuſdam anteà ſibi notis Turcis, cum eiſdem nauem conſcendens, Conſtantinopolim reuerſus eſt, ibiſque primum ſuum herum adiens, cui anno Domini 1571. deſeruierat, benignè & humaniter ſuſcipitur, eius in gratiam Chriſto renuntiat, & ad vomitum vt canis, id eſt ad Saraceniſmum rediens, ad priſtinum famulatum recipitur. Accidit poſteà, vt mancipij huius herus factus fuerit Gubernator ciuitatis ſanctæ, huicque famulo ſuo ſuas vices commiſerit. Quo munere dum fungitur, fortè fortuna in publico obuium habet Nobilem illum Vicentinum; viſoque illo, accepta à patruo eius beneficia in memoriam reuocans, virum adit, ſalutat, & quiſnam eſſet aperit, ad cœnam inuitat, cum pollicitatione, ſe illi oſtenſurum, quod nullus vmquam mortalium vidiſſet. Cumque Nobilis illius annuiſſet petitioni, & nocte quadam ſolus cum eo cœnaſſet, poſt cœnam ei dixit Turca, velle ſe ei oſtendere rem mirandam, quam nullus vmquam hominum vidiſſet præter Guardianum eius ciuitatis & Prouinciæ; ſimul affirmans, quòd ſi quis huiuſcemodi rem publicam fecerit, ei pœnam eſſe conſtitutam. His dictis, facibus clauibuſque acceptis perrexerunt ad prodigij locum: quò cùm peruenisſent, poſt quinque apertas ianuas totidem habitationum, vltimam ſunt ingreſſi, quæ erat magna & ſpatioſa aula, ſtrata puriſſimo elaborato marmore, eius verò camera opere muſaico mirificè exornata; in qua ad lævam partem erat homo à capite vſque ad pedes armis albis indutus, quique ſecundùm veterem conſuetudinem ſiniſtro humero ſparum, bellicum inſtrumentum, ſta-

licè *ronca* appellatũ) portabat, ad latus enſe accinctus, qui cõtinuè ſine intermiſſione ab vna ad alteram aulæ extremitatẽ deambulabat; manuq; manum percutiens, dicebat: *Sic reſpondes Pontifici?* tum Turca viro Nobili dixit, hominem illum apprehenderet, & ſi poſſet, ſtare faceret: apprehenſum ille ſiſtere non potuit, ſed ab eo protrahebatur; quare eum reliquit. Iterùm iuſſu Turcæ illum apprehendit: quem cùm nec ea ſecunda vice ſiſtere potuiſſet, aſſumpta face, iuxta eum deambulauit, attenteque in eum fixis oculis, cuiuſnam conditionis & formæ eſſet, obſeruauit, hominemq; mediocris ſtaturæ, macrum, cutis ac barbæ nigræ, oculis in capite defixis, deprehendit. His obſeruatis, dixit illi Turca, ſi per Chriſtum iureiurando promitteret, ſe per decennium ſecretum iſtud celaturum, ſe ei aperturum quiſnam ille eſſet. Cui data iureiurando fide vt ille petierat (quam vt pollicitus fuerat, etiam ſe obſeruaſſe, affirmauit Nobilis, quando decennio tranſacto nunc enarrata retulit) dixit ei Turca, hominem illum eſſe militem, qui Chriſto coram Anna Pontifice alapam dediſſet, dicens: *Sic reſpondes Pontifici?* & in tanti ſceleris pœnam tuiſſe ibi a Chriſto condemnatum, vt vetus apud illos habet traditio; & hunc hominem abſque cibo, potu & ſomno in illa agitatione & motu continuò perdurare. His intellectis ad hoſpitium redit. Ita in vulgi ore habetur, in chartulis pluribus de licentia Superiorum impreſſis legitur, & ſingulariter retulit Adm. Reu. Dominus Franciſcus Alcharotus Canonicus Eccleſiæ Nouarienſis in ſuo Itinerario Terræ ſanctæ Italicè conſcripto, & Nouariæ impreſſo anno Domini 1595.

Hanc eandem relationem alij aliter retulerunt; & ego qui aliquando eos fui allocutus, qui nobis hæc ſe vidiſſe teſtati ſunt, varie etiam tradiderunt, & fabellam concinnarunt, ſed poſteà de falſitate redarguti obmutuerunt.

Secunda, illorum qui Chriſtum flagellauerunt.

Idem etiam qui ſuprà Alcharotus ſimilem euentum refert ex Bonifacio de his qui Chriſtum Dominum flagellarunt, & ſpinis coronarunt. Nos ipſiuſmet Bonifacij verba hîc tranſcribemus. ſic ergo ille loquitur lib. 2. de Perenni cultu Terræ ſanctę: *Iuxta hunc locum (qui eſt in Prætorio, vbi Chriſtus fuit ad columnam ligatus, & flagellatus) in parte Prætorij Pilati ad lęuam eſt locus, & capella in eo ab Helena ædificata valdè pulchra, in quo Chriſtus ad illam quam vidiſti in ſepulchro columnam ligatus & flagellatus fuit. Ad hanc capellam difficilis eſt aditus propter malam mentem viri & mulierum qui habitant in illo. Ego vix ſeptimo anno intrare potui ad videndum; & ad erandum in loco, in quo tantus ſanguis effuſus fuit, à quadam vetula introductus fui, dum ille malus vir in peregrinatione Hebron eſſet. Audiui in loco ictus, quaſi ictus flagellantium Chriſtum, & interrogaui vetulam, & Fratres qui mecum erant, an ita audirent ſicut & ego audio: omnes enim confeſſi ſunt ſe audire. Vetula dicebat, quòd à ſexaginta annis, quibus domum hanc habito cum familia mea, die noctuq; iſta audio. Interrogaui illam, Quidnam eſt hoc? Ipſa reſpondit, quòd ſunt ibi Iudæi vſque ad diem iudicij detruſi in teterrimo carcere, & poſt iudicium deſcendent ad infernum, quia hîc flagellauerunt Meſſiam. Dixi ego illi, quòd milites Pilati flagellauerunt Chriſtum. Ipſa reſpondit, quòd iſti milites erant Iudæi maledicti. Amplius ſuadere nolui quidquam, ſed data pecunia illi promiſſa, diſceſſi.* Hæc Bonifacius.

CAPVT IV.

Proponitur quæſtio quoad Capite præcedenti adductas relationes, An videlicet, qui Chriſto alapam dedit, & qui eumdem ad columnam ceciderunt, in locis illis detineantur, pœnas ſuorum ſcelerum dantes.

Ordo diſputationis.

PRo faciliori intellectu propoſitæ difficultatis, & vt quid probabiliùs de ea ſentiendum ſit appareat, quinque per ordinem explicabo. Primò, occaſionem difficultatis pertractandæ. Secundò, fundamenta ſententiæ affirmantis. Tertiò, quàm ſuſpectæ ſint illæ relationes, & ſingulariter prima. Quartò, reſpondebo ad argumenta quæ pro illius defenſione adducuntur. & Quintò denique rationes ſententiæ negantis proponam, tutiuſque eſſe docebo, illas relationes tamquam falſas & confictas fabellas refellere, quàm vt veras hiſtorias admittere.

§. I.

Occaſio propoſitæ quæſtionis pertractandæ, & qua in re conueniant & differant aſſertores & impugnatores dictarum relationum.

PRopoſitam quæſtionem ægrè tractandam ſuſcipio, quoniam quid ad eam dicendum ſit, quilibet rectè ſentiens, & in ſacra Theologia atque diuinis rebus vel mediocriter inſtructus reſpondere poterit; quoniam difficultatem & obſcuritatem magnam non videtur habere. Ceterùm, quia non me præterit quod à ſapientibus dictum

Digitized by Google

dictum eſt, nullum eſſe errorem tam abſurdum, quin ſuum patronum ac defenſorem habeat, qui ipſum fucata vel apparenti ratione non tueatur (ſicut in propoſita difficultate euenire comperimus: nam cõmemoratas relationes, quas falſas & reiiciendas doctores cenſuerunt, alij vt veriſſimas & velut de fide tuentur;) ego, inquirendæ ac manifeſtandæ veritatis ſtudio, ad eam qua potero breuitate & claritate reſpondebo.

Duplex oppoſita ſententia circa propoſitam difficultatem; affirmatiua, & negatiua.

Non idem iudicium, duplicem tamen ſententiam inuenio in propoſita quæſtione. Prior illorum eſt, qui non ſolùm poſſibilitatem, ſed etiam factum, id eſt relationes illas ita contigiſſe vt enarratæ ſunt, & non tantùm fuiſſe poſſibiles, conſtantiſſimè confitentur & defendunt: poſterior verò ſententia illorum eſt, qui poſſibilitatem dictorum concedunt, ſed factum negant, adeoque hactenus relata non hiſtorias, ſed nugas & fabellas arbitrantur; quorum ſententiam & iudicium libentiſſimè ſequor, aſſentientibus illis qui diu Ieroſolymis commorati fuere, & de rebus ſacris optimè ſunt inſtructi.

Sectatores prioris ſententiæ duplici præcipuè nituntur fundamento. Prius, eſt clanculana ſuſpectaque traditio infideliſſimi hominis, quam doctiſſimorum virorum iudicio, & efficaciſſimis rationibus anteponunt: poſterius verò fundamentum, ſunt calumniæ quibus alterius ſententiæ ſectatores proſcindunt. Poſtquam ego, neceſſitate ductus, priorem illam reieciſſem ſententiam, offendi apud neotericum quemdam Auctorem in libro quem Italicè de Ieroſolymorum peregrinatione conſcripſit: quod longè aliter quàm pertractaueram, eam explicare coëgit, fuſiùs videlicet, & ſolidioribus fundamentis. Et quia poſt è locis ſanctis in Italiam reditum, ab omnibus ferè, quibuſcum locutus ſum de locis ſanctis, percontatus ſui, an quæ de homine illo qui Chriſto alapam dedit, & de illis qui Chriſtum flagellarunt, narrantur, ita ſe habeant vt communiter aſſeruntur, & in chartulis & libellis impreſſis leguntur; an ego talia vnquam viderim vel audierim, & quodnam meum ſit in hac parte iudicium. Quibus vt ſatisfacerem, meamque aperirem ſententiam, hanc ſum aggreſſus quæſtionem, quam pro vtraque parte explico, argumentis hinc inde propoſitis; illiſque diſſolutis quibus adſtruitur affirmatiua pars quæſtionis, negatiuam eſſe ſequendam liquidò apparebit.

Neceſſe difficultatis explicandæ.

Vtraque ſententia in poſſibilitate conuenit.

Conueniunt in hac quæſtione omnes in poſſibilitate facti; quis enim fidelis vel infidelis etiam Philoſophus, negare auderet illa fieri non poſſe abſoluta omnipotenti Dei virtute, apud quem non eſt impoſſibile omne verbum, vt dixit Archangelus Gabriel? Quis tam cæcus eſt, aut quis tam malè de diuina omnipotentia ſentit, vt præſumat illam vſque adeò arctare, vt eam quæ infinitos ſpiritus æternis cruciatibus in terræ viſceribus cruciandos tradidit, neget vnũ vel alterum addicere nõ poſſe eiſdem, vel etiam maioribus, in ſuperficie terræ, vel vbi ſibi magis placuerit? cùm, ſicut in centro, ita & in terræ ſuperficie plures ſuorum ſcelerum pœnas dare, affirmẽt ſancti Patres & Theologi, & plures ſint pro hac explicanda veritate reuelationes. Auctores verò prioris ſententiæ diſſentiunt, vt diximus, à ſectatoribus poſterioris, quia factum affirmant, quod iſti negant. Sed prioris ſententiæ rationes priùs videamus.

§. II.

Fundamenta quibus affirmatiua pars quæſtionis nititur, dictas relationes veras eſſe.

Rationes prioris ſententiæ. Prima, Turcæ auctoritas.

PAtroni prædictarum relationum illas multipliciter probare nituntur. Primò, quia Turca ille id dixit, & Nobilis Vicentinus retulit, & alij plures retulerunt; &, vt ſacri Doctores docent, hominum dictis in his quæ nobis non conſtant, credere debemus ſine vlla etiam dubitatione, aliter neceſſitudo & pietas, duo generis humani ſanctiſſima vincula, violari atq; omnino diſſolui neceſſe eſſet, nihilque prorſus in hominum conſociatione incolume remaneret; amputata etiam eſſet via quamlibet ſcientiam addiſcendi, quæ eſt per fidem; *Oportet enim addiſcentem credere*, vt Philoſophus 1. Elenchorum dixit, & Iſaias 7, 9. iuxta LXX. *Niſi crediderit is, non intelligetis*; hæc, inquam, & alia ſequerentur incommoda, ſi nihil credere ſtatuerimus, quod non idem poſſemus quaſi manu tangere, ac tenere perceptum. Neceſſarium itaque eſt hominum dictis adhibere fidem. Fusè hanc doctrinam (quæ veriſſima eſt) tradiderunt Theodoretus in Opere de Curand. Græc. affect. lib. 1. Auguſtinus lib. de Vtilitate credendi, cap. 12. & de Fide rerum inuiſibilium capp. 1. & 2. & alij. Quare in caſu noſtro, cùm quæ dicuntur de illis qui Chriſtum percuſſerunt, à pluribus relata fuerint, credenda profectò erunt, alioquin temeritatis notam incurſuri.

Secunda ratio, quia illa in multis approbatis libris inuenitur.

Secundò. Illa in multis libellis & apud plures Auctores impreſſa leguntur cum facultate Superiorum: at ſi falſa eſſent, ea cudendi facultas non fuiſſet conceſſa; non enim credibile eſt, tantum facinus Reipublicæ miniſtros commiſſuros, vt non ſolùm

lùm euulgari mendacia permitterent, ſed ſuo etiam communirent priuilegio, quò illa tutiùs mentes mortalium peruagarentur.

Tertia, inſcitia contrariam ſententiam.

Tertiò denique, quia, vt antè citatus Auctor neotericus, Stephanus Manzegaza in Opere ſuo lingua Italica conſcripto de Itinere ſanctæ ciuitatis Ieruſalem, lib. 2. c. 14. ait, qui illa negant, inſipientes ſunt, & rerum ſpiritualium minùs capaces, conſortes effecti aliorum operum quæ non nouerunt; quoniam, contra omnem rationem, & veram Theologiam, promptiores inueniuntur ad veritatem condemnandam quàm defendendam, vel rerum ſcriptarum atque enarratarum probabilitatem: *Arbitrati*, inquit ipſe, *ſuis compoſitionibus apud homines perpetuum nomen adepturos fore, non aduertentes ſe ob id in detractorum & oblatrantium numero collocare.* Quos vt reiciat, & quæſito authenticè ſatisfaciat, tres Auctores omni humana fide dignissimos in medium profert.

Prior, ceteriſque antiquior eſt Philoſophorum Princeps Ariſtoteles, qui hoc pretioſum ac nobiliſſimum documentum ſcriptis ſuis reliquit lib. 1. Phyſicorum: *Negare ſenſum vel experientiam*, propter rationem ſcilicet ignoratam ſeu ignotam, *debilitas eſt intellectus.* Quod tali explicat exemplo Auctor. Sicut ſi quis non lippis vel excæcatis oculis videat magnetem ad ſe ferrum trahentem, vel ſuccinum ſiue electrum paleam, & hoc neget, neſciens tractus illius rationem reddere, is debilem præ ſe fert intellectum; quoniam multos effectus naturales oculis intuemur, quorum cauſas ignoramus, nec eos tamen ignorantia noſtra minùs facit eſſe veros.

Alter Auctor eſt S. Auguſtinus, qui libro 21. de Ciuitate Dei cap. 7. dicit: *In rebus miris ſumma credendi ratio eſt omnipotentia Creatoris, qui certè non ob aliud vocatur omnipotens, niſi quoniam quidquid vult poteſt.* Sed his, qui ſeipſos nugis velut frondibus tegunt, dicentes, ſi ſeruus ille adhuc ſuperuiueret, multi hoc nouiſſent & retuliſſent, ſcriptiſque ad perpetuam memoriam commendaſſent: igitur verum non eſt quod ſcribit Carolus de Rancis, Nobilis Vercellenſis, ſicut accepit à Domino Penalio Branzo. (Arbitratur iſte Auctor, ſolùm propter hoc illi traditioni fidem non adhibere aliter ſentientes: ſed decipitur; quia propter multò alia plura ab ea recedunt, vt inferiùs videbimus.)

Omnium reſponſionum loco vult illis ſufficere debere, quod alius vir inſignis (eſtque tertius & poſterior pro ſententiæ iſtius defenſione Auctor) Chriſtophorus Columbus, qui Tabula artis nauigatoriæ, longa item, ancipiti, periculisque plena nauigatione ſimul & experientia oſtendit (quæ octaua ſcientia ſeptem artibus liberalibus eſt certior) ſimul contra Ariſtotelem, D. Auguſtinum, & omnes Coſmographos, quòd in Vniuerſo non repetiatur mare Oceanum quod aquam & cælum ſignificat, ſed omnia mundi maria eſſe mediterranea, terra, ripis, habitatoribus & habitationibus cincta. Quæ veritas vſque ad tempora Columbi operta fuit; imò à D. Auguſtino & aliis Auctoribus impugnata, nunc verò clarè ab omnibus ſcitur. Ita in propoſito; quid mirum eſſet, ſi quæ de ſupradicto ſeruo relata ſunt, vera eſſe quis affirmaret? quæ vtique quoniam myſteriis ſunt plena, ac omnino ſupernaturalia, non ſemper reuelata fuere, ſed aliquando, & pauciſſimis quibuſdam. Et ex huiuſmodi Columbi facto ſiue exemplo ſatis intentum comprobari arbitratur, & iam dicta in hac materia veras demonſtrationes eſſe. Ex quibus liquidò conſtat, quantum inhæreat huic opinioni neotericus iſte, eam firmiter ac mordicus tenens, ac ſi de fide credenda proponeretur, eique falſum ſubeſſe haud poſſit; acriuſque ac minùs modeſtè, quàm virum religioſum decebat, inuehitur in contrariæ ſententiæ ſectatores; qui tamen modeſtiùs loquuntur de eo ac aliis cum ipſo in hac materia à ſe diſſentientibus: nam factum illud eſſe, non ita pertinaciter negare, quin fieri potuiſſe concedant.

Hæc pro illa ſententia ex Auctore illo Italico Latinè hìc tranſcripſi, vt quibus nitatur fundamentis opinio illa, quilibet intelligat. Sed an ſolida ſint, & an illa, ſimulque eius conuitia, magnum nomen ei pepererint, & an ſcopum attigerit, quiuis, etſi propemodum mentis non ſat ſit integræ, iudicare poterit ex dicendis.

§. III.

Quàm ſuſpectæ ſint indicatæ relationes, & ſingulariter prima.

VT quod probabilius eſt, magiſque rationi conſentaneum in aſſumpto argumento, appareat; antequam ad vlteriora procedamus, placet oſtendere, quam mereantur fidem illæ relationes. Et hoc, ſicut & cetera, exequemur, ſi non demonſtrationibus neceſſariis, non tamen iniuriis, ſed probabilibus argumentis, quæ in propoſito magni ponderis erunt; non vt nomen popularemque auram aucupemur, ſed ſtudio, quantum fas eſt, propalandæ

dæ veritatis, falſitatis verò longiùs eliminandæ.

Iniuria cauſam meliorem non faciunt. Iniuriis lacessere, vituperabile.

Omiſſis ergo conuitiis, quibus fautores affirmantis ſententiæ contra negantes inſurgunt, quoniam cauſam meliorem efficere non poſſunt, (iis enim ſi vti voluero, meritò inſipientiæ & indiſciplinati animi nota eſſem inurendus: vt enim dixit Salomon, *Qui profert contumeliam, inſipiens eſt*, Prouerb. 10, 18. nec *recipit ſtultus verba prudentiæ*, Prou. 18, 2. Ex quo meritò deduxerunt ſapientes: Etſi exercere animum in diſceptationibus laudabile ſit, & Philoſophorum dogma; contumeliis tamen & detractionibus quempiam lacessere, vituperabile eſſe, & ſtultorum crimen) ex multis ſuſpecta redditur illa narratio, ex Auctore, ex traditione ipſa, & ex ſuis circumſtantiis. Ex Auctore primò redditur traditio ſuſpecta, quia is eſt Turca, infidelis Deo, Angelis, dæmonibus, & hominibus, Chriſto & Mahomæ; nec in illius fide & religione, nec in iſtius errore & ſuperſtitione conſtans, vt ſuprà Capite III. huius Peregrinationis vidimus. Et quæ fidelitas, quæſo, vel certitudo à tam infideli & inconſtante homine expectari poteſt?

Prima relatio multiplicitèr ſuſpecta. Primò, ex Auctore infideli.

Ex malis etiam bona ſuſpecta.

Et profectò non ſolùm falſa, ſed & vera, ab huiuſcemodi farinæ hominibus relata, vt valdè ſuſpecta reiicienda ſunt, quoniam veris pleraque falſa & noxia miſcere ſolent, & vera ſuo malo teſtimonio ſuſpecta reddere. Hoc ſuo nos exemplo Saluator docuit, dum dæmones Chriſtum & Dei Filium acclamantes, obmutescere fecit. Et cur ita? An non verum dicebant? vtique; ſed ne, quod ſacræ Scripturæ teſtimonio euidentiſſimum erat, & illuſtriſſimis miraculis comprobatum, à mendacibus prolatum, in dubium verteretur. Et Paulus prohibuit diabolum dicentem: *Iſti homines ſerui Dei excelſi ſunt, qui annuntiant vobis viam ſalutis*, Act. 16, 17.

Ad hoc facit D. Hieronymi admonitio, Domini ſententiam fuiſſe: *Eſtote probati nummularij, vt ſi quis nummum adulter eſt, & figuram Cæſaris non habet, nec ſignatus eſt moneta publica, reprobetur.* Extat idem apud Clementem Romanum Conſtit. libro 2. c. 37. vel 40. aut 41. ac Damaſcenum lib. 4. cap. 18. & Athanaſius Orat. 1. contra Arianos monet ac munit nos aduerſus hæreſes variis teſtimoniis ac exemplo Chriſti, qui nec vera ſuſtinuit à falſo ſpiritu pronuntiari; *quia ſolent* (ait Ambroſius in caput 5. Epiſt. ad Theſſal. expendens illum locum 1. Ioan. 4, 1. *Nolite omni ſpiritui credere*, &c.) *ſpiritus mundi fallaciter, quaſi per imitationem dicere bona, & inter hæc ſubinducere prava, vt per hæc quæ bona ſunt, accepta ferantur & mala, vt quia vnius ſpiritus dicta putantur, non diſcernantur ab inuicem, ſed per id quod licitum eſt, commendetur illicitum auctoritate nominis, non ratione virtutis.* Ac proindè verè eleganterque quidam dixit:

Non ſi crede al bugiardo, ancorche giuri:
Ben ſi crede al verace, ancorche menta.

Hinc Lacedæmones, Gellio lib. 18. c. 3. referente, cùm de ſumma Reipublicæ ageretur, vir quidam diſertus & doctus, ſed improbus & impurus, optimam ſententiam dixiſſet, eaque placeret omnibus, vt iuxta eam decretum faciendum videretur; cùm tamen ferre non poſſent, vt optimum conſilium turpitudine auctoris fœdaretur, elegerunt virum quemdam grauiſſimum, qui omnium conſenſu eamdem ſententiam diceret; &, nulla prioris habita mentione, huius ſententia in decretum relata fuit. Et in caſu noſtro, relatio haud rationabilis, nec apud cordatos plauſibilis; non à docto quopiam, ſed indocto, impuriſſimo infidelique homine propoſita, & à nemine, quod ſciam, alicuius auctoritatis prolata vel probata, acceptabitur?

Præterea, qui Turca ille ſcire potuit, illum, quem eo loco detineri dicunt, eum eſſe qui in Annæ domo Chriſto alapam dedit? Num ex reuelatione? an indicio & arguitiuè? an ex Turcarum relatione? ſed quòd non ex reuelatione, probatur, quia reuelationes iuſtis potiùs & fidelibus, quàm iniuſtis & infidelibus fieri conſueuerunt, vt ex ſacra Scriptura conſtat. Non enim conuenit ſanctum dari canibus, & margaritas mitti ante porcos. vnde optimè Martinus Delrius Tom. 2. Diſquiſit. lib. 4. cap. 1. q. 4. Sect. 2. monet, reuelationibus dæmonicolarum & infidelium credendum non eſſe. Quòd ſi aliquando peccatoribus & infidelibus factas fuiſſe legamus, vel eas non intellexerunt niſi per fideles & pios, vel vt infideles ad fidem vocarentur, & propter electorum commodum, vt mali viſionibus exterriti, iuſtos vexare, & à peccatis ceſſarent. Pharaoni Ægypti & Nabuchodonoſori Babyloniæ Regibus factæ fuerunt reuelationes variæ, quas non niſi per ſanctos viros Ioſephum & Danielem explicatas valuerunt intelligere. Item per Balaam locutus eſt Dominus: *Orietur ſtella ex Iacob, & conſurget virga de Iſraël*, &c. Num. 24, 17. ſed ob ſalutem Regum illorum Orientalium, qui vaticinio illo moti, ad Chriſtum natum adorandum veperunt, & fidem eius ſuſceperunt. In noſtro verò caſu talia obſeruare non poſſumus, nec diuinam reuelationem, nec fidelem interpretem, nec fructum illius conſequentem. Si enim hæc

Reuelationes fidelibus ac bonis communiter fiunt.

contigiſſent, omnibus innotuiſſent, ſicut aliæ veræ reuelationes. Et quare res omnino ſupernaturalis, myſteriis plena (vt ille Auctor loquitur) non fideli potiùs, cui maior præſtatur fides, quàm infideli, cui nulla datur, reuelata fuit, vt ad vtilitatem crederetur?

Dubia Nobilium illa relatio.

Dices, retulerunt Nobiles illi fide digni: ſed, quoad hæc, eorum fides & nobilitas maneat apud ipſos, quia non maiorem, quàm Turca ille à quo talia receperunt, faciunt fidem, quin fortè minorem; quoniam citiùs quàm par erat crediderunt. Neſcio ſanè an ea viderint vel audierint exſomnes, an ſomno obruti: an decepti à magiſtro erroris, & loquentis placentia, & nouitates, quarum Nobiles cupidi ſunt, qui vt plurimum quærunt magiſtros prurientes auribus, & à veritate auditum auertentes. Vel etiam (ſi tamen, quæ retulit, Nobilis Vicentinus vidit) fuit deceptus & illuſus à Turca, vt decipi & illudi ſolent ſtrigæ & necromantæ à dæmonibus, & ab illis alij homines & mulieres. Vt enim antiquitus apud Ethnicos diuinorum ingens erat multitudo, & apud Philiſthinos multò maxima; (vnde Iſaias arguens Iſraëlitas quòd multos augures ac diuinos inter ſe verſari paterentur, *Augures*, inquit, *habuerunt vt Philiſthiim*, Iſa. 2, 6. ac ſi in nulla Ethnicorum regione frequentiores diuinorum greges, quàm in Palæſtina, nutrirentur) ita in præſentia in eadem regione vſque non deſunt huiuſcemodi augures & diuini, & præcipuè apud Mahumetanos. Et quid mirum, aut quod inconueniens erit, aſſeuerare, vel ſaltem opinari perditum illum infidelem, vnum ex talibus fuiſſe, & conſequenter opera dæmonis fuiſſe illum Nobilem illuſum? illudit enim libenter dæmon in ſimilibus, vt errantes in erroribus pertinaciores faciat, & fideles & electos, ſi fieri poſſet, in errorem inducat.

Diuinorum frequens numerus in Palæſtina olim, & nunc.

Dæmones animas defunctorum ſimulant, vt decipiant:

Simulant dæmones (vt docent Chryſoſtomus Homil. 29. in Matthæum, & Auguſtinus lib. 10. de Ciuit. Dei cap. 11.) animas defunctorum, quò faciliùs erroribus Gentilium animos hominum imbuant, ad eos perniciosè decipiendos. Primùm enim dæmon ea ratione faciliùs perſuadet homini quidquid vult: homines ſiquidem animabus defunctorum parentum, vel cognatorum, vel amicorum quos dilexerunt, & à quibus ſe dilectos eſſe perſuaſum habuerunt, lubentiùs & promptiùs credunt, quidquid demum dixerint, quàm dæmoni, quem naturaliter abhorrent. Deinde ita dæmon perſuadet hominibus, infernum non eſſe carcerem perpetuum, ex quo non liceat aliquando egredi; nec inferni pœnas adeò eſſe graues atque intolerabiles, vt putant homines. Ad hæc id facit, vt homines credant, animas etiam poſt mortem habere corpora, vel quibuſlibet corporibus poſſe animas ſe induere, vel in alia hominum aut beſtiarum corpora emigrare; vt ita de nouo concipiatur animo error Pythagoricus de tranſmigratione animarum; eoque concepto & perſuaſo, labaſcat fides, & ſpes Chriſtianæ reſurrectionis. Poſtremò hac ratione ſit id artificium dæmonum, vt viui mortuos, vel quaſi terrificos ſibique noxios metuant, & variis ſuperſtitionibus placare, ac ſibi conciliare ſtudeant; vel tamquam beneficos, ſibique vel amicitia vel neceſſitudine deuinctos, nimis ſuperſtitiosè diligant & colant; quin etiam non humanis tantùm, ſed diuinis quoque honoribus obſeruent.

Animas poſt mortem habere corpora, illarumque tranſmigrationem perſuadent.

Infernum non eſſe perpetuum carcerem mentiuntur:

Placet vlteriùs hîc etiam adſcribere, quæ de hac ipſa re diſertiſſimis verbis diſputat antiquiſſimus Tertullianus in libro de Anima, vbi agit de inferis, & animarum euocatione. ad hunc fermè modum ſcribit: *Necromantia ſecunda eſt idololatria, in qua ſe dæmones perinde mortuos fingunt, quemadmodum illa deos. Quidni? cùm & dij mortui ſint. Itaque inuocantur quidem defuncti, ſed dæmones operantur ſub eorum obtentu. Hanc autem fallaciam diaboli ſub perſonis defunctorum deliteſcentis etiam rebus probamus, cùm in exorciſmis noſtris interdum dæmon aliquem ſe ex hominibus affirmat, vel gladiatorum, vel beſtiarum, ſicut & alibi Deum; nihil magis curans, quàm hoc ipſum excludere quod prædicamus, ne credamus animas omnes malorum ad inferos redigi; & vt inditæ ac reſurrectionis fidem turbent. Et tamen iſte dæmon poſtquam circumſtantes circumuenire tentauit, inſtantia diuinæ gratiæ victus, id quod erat in vero inuitus confitetur. Sic etiam in Necromantia, quæ tam quieſcentes animas euellere ab inferis creditur, & conſpectui exhibere, non alia fallacia vis eſt, operoſior ſanè, quia & phantaſma præſtatur, & corpus effingitur: nec magnum illi exteriores oculos circumuenire, quia interiorem mentis aciem excæcare perfacile eſt. Nulli autem animæ omnino inferos patere, ſatis Dominus in argumento illo pauperis requieſcentis, & diuitis ingemiſcentis, ex perſona Abrahæ ſanxit, nec poſſe relegare renuntiatorem diſpoſitionis, quod vel tunc licere potuiſſet, vt Moyſi & Prophetis crederetur. Sed etſi quoſdam reuocauit Dei virtus in documentum iuris ſui, non idcircò communicabitur fidei & audacia magorum, & fallacia ſomniorum, & licentia Poëtarum: nam in hac mortuorum reſurrectione, qua Dei virtus in corpore animas repræſentat, ſolida & contrectabili, & ſatiata*

Necromantia eſt idololatria.

Ab inferis reuocati non diaboli, ſed Dei virtus.

Digitized oogle

siata veritate præiudicatum est, hanc esse formam veritatis, vt omnem mortuorum exhibitionem incorporalem, præstigias indices. Hucusque Tertullianus.

Ita in proposito dicendum esse arbitror, si aliquid fuit Nobili illi ostensum illusione dæmonum, opera illius Turcæ crediderim fuisse deceptum, & non vera illius hominis ostensione instructum, qui in inferni visceribus manet perpetuò cruciandus. Quare vt ad id vnde parum deflexi-mus reuertamur, ex parte Auctoris suspecta, quin & falsa censenda est illa traditio siue reuelatio.

Secundò, suspecta relatio ex ipsius conditione.

Secundò suspecta redditur traditio ex parte ipsiusmet reuelationis; quia omnino occulta, non ab aliquo vel aliquibus fide dignis originem ducens, sed ab infidelibus, vt dictum fuit: sed & ipsis infidelibus fuit incognita; ea enim de re sæpiùs percontati, se talia nescire dicunt, & huiusmodi vt vana quærentes irrident.

Obiectio.

Respondebit fortasse quispiam pro illa sententia, non audere Turcas talia propalare propter pœnam pali positam contra

Solutio.

ea reuelantes. Contrà, si lex pali posita est contra huiuscemodi reuelantes, igitur communiter ea sciuntur vere esse, & non tantùm ea nouit Gubernator ciuitatis, sed prohibitum ea reuelari: sed illi negant omnino talia esse.

Præterea non est pœna pali, vel alia posita furibus, homicidis, Mahomæ renuntiantibus, &c. & tamen fures, homicidæ, Mahomæ renuntiantes, vt renuntiauit relator, & alij facinorosi non desunt inter illos, sicut & inter nos fideles sunt, legibus & pœnis non obstantibus. Et ipse Turca relator, siue deceptor, paruipendit pœnam pali, Mahomæ renuntiando, & secretum illud reuelando Nobili illi: quare non item aliis de se benè meritis reuelauit? vel quare alij non reuelarunt? & quomodo rei incognitæ pœna est?

Si vera esset, fortè communis esset.

Fateor, me non posse persuaderi, quin, illud verum si esset, sciretur à multis, & pluribus reuelaretur, vel ob amicitiam quam cum Christianis illi habebant, vt propter hanc dicatur fuisse illi Nobili reuelatum; vel certè, & multò magis propter præmium. Turcæ enim auarissimi & cupidissimi sunt; & propter nummos vitam suam venalem facerent. Et profectò si res ita esset, vt refertur, non esset Christianis, præsertim Ierosolymis continuè commorantibus, incognita, tum propter longam moram, tum propter coniunctionem quam cum Turcis habent: & melius etiam scirent quàm Gubernatores Ierosolymorum, quia isti frequentissimè mutantur, & ibi non longas protrahunt moras, & istis illi curiosiores.

Tertiò, ex circumstantiis suspecta.

Tertiò, ex circumstantiis valdè suspecta redditur illa traditio: multis enim inuolucris & nugis palliatur, vt cùm dicitur, primò Turcam publicè in platea Nobilem benefactorem amplexatum fuisse, signa beneuolentiæ ostendisse; & posteà ei præcepisse, si eum alicubi videret, nec aue ei diceret. Vnde tam breui tempore tanta mutatio? an aliqua est apud Turcas lex, prohibens salutare Christianos, vel à Christianis salutari? nulla sanè. Et si non erat lex, nec timere debebat de transgressione, præsertim in dignitate constitutus. Et si fuit lex, & eam timebat, quare illam priùs publicè paruipendit tanta benignitate salutans, & excipiens benefactorem?

Dicitur insuper in illa relatione, Nobilem illum, animi gratia, post prandium rem tam supernaturalem & miraculosam enarrasse, sicut & post cœnam vidit; quod suspicionem auget: nam in conuiuiis, vbi multa proloquuntur, & inutilia falsaque misceri necesse est, quia *in multiloquio non deerit peccatum*, vt Sapiens dixit Prou. 10, 19. & hanc relationem ex falsis esse, dicendum videtur. Ampliùs, quomodo potuit scire Turca virum illum eo loco ad sui sceleris pœnam luendam detentum esse illum, qui in domo Annę vel Caiphę Christo alapam dedit, quàm alium, qui non minoribus conuitiis & tormentis affecit Christum Dominum? dices, Ex manus percussione. Dico, si ob id, plures alij quàm ille ceciderunt Iesum, vt ex Euangelistis videre est. Postquam Christus se Filium Dei coram Caipha & aliis confessus est, *Tunc*, inquit Matthæus c. 26, 67. *exspuerunt in faciem eius, & colaphis eum ceciderunt, alij autem palmas in faciem eius dederunt*, &c. idem docent Marcus 14, 65. & Lucas 22, 64. Igitur inde benè potuit diiudicare hominem illum esse vnum ex illis, sicut illum quem nominauit.

Præterea, si ille creditur eum esse qui Christum alapa cecidit in domo Annæ vel Caiphæ, secundùm varias opiniones, pœnam potiùs in domo vnius ex istis secundùm iustitiam luere debebat, vt vbi patratum fuit crimen, ibi eiusdem sustineretur pœna, vt in similibus nouimus factum à Deo & hominibus. At illum dicunt esse in domo Pilati: domus enim Gubernatoris Ierosolymitani nunc eadem est, quæ tempore Christi erat Præsidis Pilati. Quòd si quis dicat, nullùm tamen audiui hoc dicentem, in domibus Annæ vel Caiphæ cruciari hominem illum; id scirent potiùs Armeni, qui eas incolunt, quàm Turcæ, qui in eis partem non habent; & nos similiter

liter Catholici, propter amicitiam quam cum illis habemus: sed Armeni & Catholici omnino ignorant. Ex his etiam patet, non esse veterem traditionem. Quæ enim vetus traditio, quam vnus vel alter nouit?

§. IV.

Responsio ad argumenta prioris sententiæ.

Responsio ad primam rationem.

EX dictis §. præcedenti patet, quid respondendum sit ad primum fundamentum illius sententiæ. Dicimus enim vanum & nullius ponderis esse; quia est testimonium hominis infidelissimi omni fide indigni. Testis quippe & historiæ relator debet esse vir omni acceptione maior, vt ei fides adhibeatur; & quæ necessaria sint in historia humana, vt ei fides præstetur, docet Melchior Canus de Locis Theol. lib. 11. cap. 6. post med. qui ponit tres leges. Prima sumitur ex integritate & probitate hominum. Secunda, vt in dicendis seueritati iudicij prudentia adiungatur, &c. Tertia, vt Historico Ecclesia auctoritatem tribuat, &c. Quas sanè leges, vt fusè eas explicat Canus, non poterimus in illa relatione inuenire; quare non vt vera historia amplexanda est, sed vt ficta fabella reiicienda.

Tria ad fidelem historiam requisita.

Responsio ad secundam relationem de iis qui Christum flagellarunt.

Iisdem ferè rationibus respondere possumus ad illam relationem de illis qui Christum flagellarunt; quam etsi non tam improbabilem & à vero alienam censeam, non tamen illam credo. Ego enim pluries cum aliis in domo illa fui, & non mediocri adhibita attentione, fragores vel strepitus flagellorum non audiuimus: nec alicui locutus sum ex senioribus istarum partium qui tempore Bonifacij fuerunt, qui ductores sunt peregrinorum, apud quos conseruatur continuè memoria locorum sanctorum, & eorum quæ in illis digna scitu occurrunt, qui vnquam se illos flagellorum fragores audisse testatus sit. Quid amplius? P. Frater Pantaleon Lusitanus, P. Bonifacij indiuiduus socius, qui cum eo in partibus istis longam moram traxit, & maxima pietate & curiositate loca sancta visitauit, numquam huiuscemodi flagellorum ictus audire potuit; etsi ob hanc causam piis quibusdam bonis operibus se occupasset, vt docet in suo Itineratio lingua Lusitana conscripto; & idipsum oretenus dixit Patri Fratri Francisco à Portiuncula Lusitano, quando super hac re eum percontatus fuit, & ita ego ab illo intellexi. Qui tamen non ausus est negare, fortè ob honorem P. Bonifacij, sed se accusabat ob sua peccata indignum redditum, ne huiusce modi, vt optabat, audiret. Sed quare non audiuit, vt ab illa suspicione liberaretur? & si maiores peccatores & infideles audierunt, quare & non ipse audiuit? Arbitror illos somniis & imaginationibus fuisse deceptos, quibus abundant istarum partium incolæ. Alia enim similia circumferuntur ab illis: vt quod in Ecclesia vbi Christus fuit flagellatus, videantur aliqui superpelliceo induti Ecclesiam illam circumcircà incensantes: & idipsum alij affirmant contingere in Ecclesia S. Iacobi Armenorum; sed non à quibusuis in ea habitantibus videri, &c.

Dicitur vlteriùs in illa flagellationis narratione, ictus flagellorum audiri in domo Pilati, in loco vbi fuit spinis coronatus; at non in Pilati domo, sed extra, etsi prope fuit flagellatus Christus Dominus, vt communis habet traditio: in cuius flagellationis memoriam eo loco pij fideles Basilicam construxerunt, vt dicemus Cap. v. & vi. præsentis Peregrinationis, nec in commemorato loco fuit Christus spinis coronatus, sed in atrio, vt docet S. Marcus 15, 16. quare inter somnia potiùs, quàm veras relationes similia numeranda videntur.

Responsio ad secundam rationem.

Ad alterum fundamentũ, quod præmissæ relationes impressæ leguntur, auctoritate Superiorum roboratę: qui imprimi non permisissent, præsertim sua auctoritate firmatas, nisi veræ essent. Respondeo, Superiores ea & similia imprimi permittere, quia nihil contra Fidem Catholicam continent; non tamen veritatem illorum rimati fuere, nec approbauere: & hoc clarum est, aliàs fictiones poëticæ vt veræ amplexandæ forent, quoniam sunt de licentia Superiorum impressæ. Lege Canum vbi suprà §. *Lex verò secunda.* qui etiam non benè sentit, libros contra bonos mores, & huiusmodi fabellas continentes imprimi, & vulgari.

Sed quidnam roboris habeant concludántve dicta illius neoterici videamus.

Ad Auctorem.

Primus Auctor Aristoteles, quem pro se & contra nos adducit, nobis non officit, inquit ille; quòd, negare sensum propter causam ignoratam, debilitas est intellectus, &c. & nos idipsum omnino asseueramus; sed quid tunc pro eò, vel contra nos? vbi est sensus & experientia in proposito? hoc est quod quæritur, & ipse supponit. Ostendat ille sensum contra rationem, quam nos adducemus. Vidítne ipse, vel ei facta est reuelatio? si ita esset, ipse credere deberet, ne hebeti ingenio iudicaretur: at non tali culpa notarentur qui non viderunt, nec talia negantes essent vapulandi. Vidit Turca & Nobilis Vicentinus, & retulerunt; igitur suspectissimum testimonium sensui æquabitur,

bitur, cui ratio & grauis auctoritas refragatur? quin si eis aliis contradicentibus crederemus, de leuitate tunc meritò argueremur. *Qui* enim *credit citò, leuis est corde*, Eccli. 19,4. faciliùs, si ipse vidisset, & retulisset, credidissemus, quia Sacerdos est; nec nos decepisset: cui tamen si non credidissemus, non ideò tamquam sensum negantes arguendi essemus.

Et ad quid exemplum magnetis, ferrum & electri paleas trahentis? nam oppositum potiùs quàm propositum ex eo concluditur: etenim in isto exemplo effectum cognosco, & sensu experior, causam verò ignoro; at in relatione illa, effectu incognito & à sensibus remotissimo, si is esset, causa notissima est, Deum videlicet omnipotentem hæc & similia posse operari, quem tamen operatum fuisse latet: & quibusdam moueor ad credendum non operatum fuisse, magis quàm operatum fuisse, vt ex dicendis ampliùs apparebit.

Ad D. Augustinum. Nec magis concludit Augustini testimonium ex 21. lib. de Ciuit. Dei cap. 7. vt citat ipse, & Epist. 3. ad Volusianum: illo enim dicto ostendit S. Doctor, miracula omnia, si ad diuinam potentiam comparentur, esse æqualia: quoniam omnia potest Deus operari æqualiter sua omnipotenti virtute; quia eorum operandorum ratio est omnipotentia Creatoris, vt docet S. Augustinus apud D. Thomam 1. p. q. 105. art. 8. At quis hoc negat? Quis non concedit, Deum ea, & multò maiora facere posse? De fide enim est, diuinam virtutem ad omnia possibilia se extendere. Omnia igitur quæ potuit facere fecit: mille igitur & multò plures mundos condidit. Potest omnes damnatos extra infernum detinere suppliciis addictos, contra præfixum à diuina Iustitia decretum; ergo omnes extra infernum detinet. Pari modo potest illum percussorem Christi in eo ficto loco in superficie terræ cruciare; ergo cruciat. Quæ consecutio?

Miracula æqualia Deo comparata.

Ad Christophori Columbi exemplum. Ad quid exemplum Christophori Columbi? etenim quæ ipse inuenit credimus; quoniam vt vera, sunt etiam à suspicione aliena, non occulta, sed omnibus conspicua, celeberrima fama vulgata, prudentis & Catholici viri ingenio inuenta, & auctoritate roborata. *Absit*, vt verbis D. Augustini vtar, *vt ea scire negemus quæ celeberrima fama commemorat.* At quæ in relatione illius infidelis recensentur non sunt celeberrima fama vulgata, sed pauci ei firmiter adhærent, & plurimi rectè sentientes ei refragantur; sicque constat, quantum valeant illius Auctoris fundamenta.

§. V.

Probabilius est, adductas relationes esse fabellas quàm veras historias.

VT quàm considerate à nam adducta & confutata sententia adductarum relationum recesserimus, & ad contrariam sequendam moueamur, appareat, rationes in medium sunt adducendæ.

Prima ratio pro secunda sententia negante. In primis falsa videtur censeri ab omnibus. Cùm enim, vt iam diximus, fere omnes qui memorabilia Terræ sanctæ cognoscere intendunt, inquirant, an quæ de illo milite in chartulis & itinerariis Terræ sanctæ euulgantur vera sint, signum est dubitare: igitur quemadmodum dubitans in rebus fidei infidelis est; ita dubitantes de illa relatione, eam non credunt, &c.

Nulli videtur prima sententia credere.

Secunda ratio, Regula D. Augustini notanda. Secundò, regula est D. Augustini, vt credo, perpetuò obseruanda, credere nos debere ea Deum magis fecisse quam non fecisse, quæ vera ratio persuadet fecisse. *Quidquid tibi vera ratione melius occurrit*, inquit S. Augustinus lib. 3. De lib. arbit. *scias hoc Deum magis fecisse quàm non fecisse.* At simpliciter melius videtur, & verior ratio persuadet, Deum malefactorem illum in inferno sine miraculo cum aliis damnatis detinere ac punire, quàm extra in pulcherrimo illo loco miraculosè: igitur verisimilius erit, ipsum puniri in inferno quàm extra.

Tota huius ratiocinationis difficultas consistit in probatione assumpti, siue minoris, quam probatam explicatamque potitis quatuor Notabilibus relinquam, quibus intentum principale probabitur.

Secluso diuina reuelatione, nihil statuendum contra Scripturam & Dei communem sensum. PRIMVM est, Nihil esse asseuerandum quod sit contra Scripturam, Dei ordinationem, siue legem à diuina Prouidentia taxatam, contra sanctorum Doctorum dicta, ac denique rationem ipsam, nisi diuina reuelatione constiterit reuelatum fuisse. Hoc est de se manifestũ; & docent sacri Doctores. Aliter nihil stabile & firmum proponeretur credendum: quoniam illud ob leuia quæque infirmaretur, dubio verteretur, & falsum etiam crederetur. Quin talia docẽtibus non esse credendum, sed esse ab Ecclesia præscindendos, monet Galat. 1, 8. S. Paulus dicens: *Sed licet nos, aut Angelus de cælo euangelizet vobis præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema sit. Sicut prædiximus, & nunc iterùm dicò: Si quis vobis euangelizauerit præter id quod accepistis, anathema sit.*

Deus posse hunc vitam dat unicuique determinare loco gloriam vel pœnam secundùm opera quæ gessit. SECVNDVM NOTANDVM est, Diuinam legem, consuetamque Dei ordinationem esse, Deum post hominis mortem dare vni-

vnicuique ſecundùm opera quæ fecit, gloriam vel pœnam, in locis determinatis; gloriam in cælo, ſi bona fecerunt, & in inferno pœnam, ſi mala operati fuere: niſi in gratia cum debito pœnæ temporalis ſoluendæ deceſſerint, quia tunc priùs in Purgatorio ſoluenda eſt; at, ea ſoluta, ad cæli gaudia euocantur. *Habent omnes animæ*, inquit D. Auguſtinus Tract. 49. in Ioan. *cùm de ſæculo exierunt diuerſas receptiones ſuas.*

Iuſti in cælum.

Probatur primò de animabus iuſtis. Ioannis 14,2. Chriſtus illis dixit: *Vado parare vobis locum, vt vbi ſum ego, & vos ſitis.* Eſt autẽ Chriſtus in cælo, *aſſumptus eſt in cælum, & ſedet à dextris Dei*, Marci 16,19. & 2. Cor. c. 5, 1. *Scimus enim*, inquit S. Apoſtolus, *quoniam ſi terreſtris domus noſtra huius habitationis diſſoluatur, quòd ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cælis.* & non tantùm poſt finale iudicium, vt perperàm aliqui dixerunt, ſed ſtatim poſt mortem, niſi temporales pœnæ ſoluendæ ſint, vt dictum eſt; aliter non eſſet verum quod Chriſtus latroni dixit: *Hodie mecum eris in paradiſo*, Luc. 23,43. & quod S. Paulus ait: Chriſtus *aſcendens in altum captiuam duxit captiuitatem*, Epheſ. 4, 8. &: *Deſiderium habens diſſolui, & eſſe cum Chriſto*, Philip. 1,23. quod quidem deſiderium, cùm ſit contra naturalem inclinationem, non habuiſſet Paulus, niſi ſciuiſſet ſe ſtatim poſt mortem coronam iuſtitiæ recepturum, maius bonum quàm vita ſit temporalis; tunc enim noluiſſet *exſpoliari, ſed ſuperueſtiri*, 2. Cor. 5, 4. Lege D. Bernardum in Tractatu De præcep. & diſpenſat. verſus finem.

Statim poſt mortem pœna omnis liberi.

Quare S. Gregorius lib. 4. Dialog. c. 25. verba Pauli proximè citata expendens, dicit: *Qui ergo Chriſtum in cælo eſſe non dubitat, nec Pauli animam in cælo eſſe negat.* Sed vt alia ſacræ Scripturæ loca miſſa faciamus, ſancta Eccleſia id ipſum teſtatur primò, cùm in oratione S. Gregorij dicit: *Deus qui animæ famuli tui Gregorij æternæ beatitudinis præmia contuliſti*, &c. deinde in Concilio Florentino in Decreto vnionis, cùm definit, Animas à peccatis ſufficienter purgatas, mox in cælum recipi, & intueri clarè ipſum Deum, & in Concilio Tridentino Seſſ. 25. in Decreto de inuocatione Sanctorum. Idem Innocentius III. affirmat in cap. Maiores. Extra. de Bapt. & eius effect. & in cap. ad Apoſtolicam. Extra. de Preſbyt. non baptizato. Denique idem indubitanter fatentur ſancti Patres, Scholaſtici Theologi, & fideles omnes tamquam veritatem Catholicam tenent.

Secundò eadem veritas probatur de damnatis, quòd ſcilicet ad inferna, locum ſuppliciorum, ſtatim trahantur. Primò, quia oppoſitorum eadem eſt diſciplina. Igitur ſi bonis propter eorum merita ſtatim poſt mortem in cælo datur præmium; ita poſt mortem ſtatim malis dabitur propter eorum demerita ſupplicium. Secundò, aperta ſunt etiam ad hoc ſacræ Scripturæ teſtimonia. De improbis Nũmeror. 16, 33. dicitur: *Deſcenderunt viui in infernum.* & Iob 21, 13. *Et in puncto ad inferna deſcendunt.* item Luc. 16, 22. de reprobo illo & inhumano diuite: *Mortuus eſt diues, & ſepultus eſt in inferno.* Hoc denique cum ſancta Eccleſia ſancti Patres & Theologi docent. *Damnati ſtatim poſt mortem Dei.*

Dices, hæc quidem lege ordinaria vera eſſe, at aliquando ſecundùm legem Dei abſolutam, & eius diſpoſitionem, animas egredi ex eorum receptaculis, & quaſdam extra ordinarium locum inferni vel Purgatorij puniri in mundo hoc viſibili, & ſuperficie terræ, ad viuentium vtilitatem & inſtructionem, vt videre eſt apud D. Gregorium lib. 4. Dialog. cap. 37. Bedam lib. 5. Hiſt. cap. 15. & alios: ita in propoſito dicere poſſumus, in ſacrilego illo diſpenſatum fuiſſe ad noſtram vtilitatem, vt non in centro, ſed in ſuperficie terræ ſui ſceleris pœnas luat. *Obiectio.*

Reſpondeo, nos illud facilè quidem concedere, præcipuè de animabus Purgatorij, at difficiliùs de animabus æternis inferni cruciatibus addictis, quoniam rariùs de illis id legitur; ſi tamen de illis viſiones veræ ſunt, & non magis dæmones in ſpectris & corporibus aſſumptis illudentes. Ceterùm de aliquo illud aſſeuerare, niſi euidenti argumento, & certa reuelatione, nefas eſt: Scriptura enim manifeſtè dicit, animabus illis non eſſe ex tenebricoſis illis locis egredi conceſſam facultatem, vt ad nos veniant, prout Luc. 16, 26. legimus. Cùm enim diues ille, qui poſt mortem ſepultus fuit in inferno, eſſet in tormentis, & petiiſſet ad Abraham vt ſui miſereretur, ſanctus Patriarcha reſpondit: *Et in hiis omnibus*, (quod propoſito noſtro deſeruit) *inter nos & vos chaos magnum firmatum eſt: vt hi, qui volunt hinc tranſire ad vos, non poſſint, neque inde huc tranſmeare.* Ex quibus verbis liquidò conſtat, diuina lege ſtabilitum eſſe, ne ex loco illo ſubterraneo inferni poſſint animæ damnatorum egredi. Nos ergo audebimus affirmare, in tali lege diſpenſatum fuiſſe cum perdito illo milite Chriſti Domini percuſſore, quia Turca inimicus crucis Chriſti id dixit, & Nobilis etiam Vicentinus deceptus, vel deceptor id retulit? Dicant tales, & Iudam, & quotquot miniſtri fuerunt mortis Chriſti *Solutio.*

Iero-

Ierosolymis cruciari, & leues habebunt auditores.

Miracula ne necessitate non quærant faciens aut multiplicanda.

TERTIVM NOTANDVM est. Miracula non fieri, nec multiplicari à Deo, nisi vrgente aliqua necessitate, docent Doctores sacri; illa namque à Deo petere, vt verbi gratia veritas, & quid in rebus arduis agendum sit, cognoscatur, quòd ordinario modo & à Deo ordinata via, Scriptura videlicet sacra, sanctis Patribus, & Doctoribus, cognosci potest, est Deum tentare; & huiusmodi inquam per signa à mortuis petere, diuina lege Deut. 6, 16. hisce verbis interdictum: *Non tentabis Dominum Deum tuum, sicut tentasti in loco tentationis*, scilicet miracula postulando. & iterùm: *Quando ingressus fueris Terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, cave ne imitari velis abominationes illarum Gentium. Nec inueniatur in te qui lustret filium suum, aut filiam, ducens per ignem: aut qui ariolos scisciteur, & observet somnia atque auguria, nec sit maleficus, nec incantator, nec qui pythones consulat, nec diuinos, aut quaras à mortuis veritatem, omnia enim hac abominatur Dominus*, Deuter. 18, 9. & seq. Ecce quomodo Dominus quærere miracula, & à mortuis veritatem inuestigare prohibet.

Quærere miracula sine necessitate, tentare Deum est.

Addo, miracula quærere sine necessitate, esse argumentum obstinati & damnati hominis; cuius typum habemus in Pharaone Ægyptiorum Rege, & diuite illo Euangelico crudeli & voluptuoso. In Pharaone quidem: qui tot signis visis, non tamen Dei voluntati acquieuit, cui nec mali propter signa obtemperarent: vt Iudæi; qui non se conuerterunt ad Christum, cuius tanta signa & miracula videbant. In Epulone verò: qui, relicta lege & Prophetis, fratres suos miraculo, & per sanctum è loco quietis emissum admonitos esse volebat; vt vitam deprauatam in meliorem mutarent, & à pristinis vitiis resipiscerent, ne ad locum tormentorum, vbi erat ipse, descenderent.

Causa miraculorum.

QVARTVM NOTANDVM est, Miracula fieri à Deo propter sequentes causas, vt alias missas faciamus, vel ratione fidei conciliandæ, vel veritatis alicuius comprobandæ, vel ad ostensionem sanctitatis alicuius, vel denique ad beneficium & punitionem hominum. Dæmon ita mira facit, hominum mẽtibus tenebras effundit, eos omni modo decipere conatur, vt sic, Deo spreto, ipsum venerentur. Hæc omnia, quoniam apud omnes sunt in confesso, & ad ea probanda ex vtroque Testamento obuia sunt exempla, ne longior sim, libens omitto.

Causa mirabilium diaboli.

Mortuos viuis apparere, miraculum magnum.

Modò mortuorum inter viuos apparitio magnum miraculum est, & non minùs quam cæci illuminatio, secundùm mentem S. Augustini lib. De cura pro mortuis agenda, & D. Thomæ 1. Part. quæst. 89. art. 8. Ratio est in promptu: quoniam miraculum propriè illud appellant Theologi, quòd rarò accidit, & præter id quod alioqui natura & ordo consuetus rerum exigit. Sic enim miraculum describit Augustinus lib. 26. contra Faustum cap. 3. *Naturam*, inquit, *appellamus, cognitum nobis cursum solitumq; naturæ, contra quem Deus cùm aliquid facit, magnalia vel mirabilia nominantur.* & lib. de Vtilitate credendi: *Miraculum voco, quidquid arduum, aut insolitum, supra spem vel facultatem apparet.* idem Alensis 2. Part. q. 42. memb. 1. D. Thom. 1. p. q. 105. ar. 7. Gabriel in 2. d. 8. q. 2. ar. 4. dub. 1. & alij docent. Igitur cùm mortuorum apparitiones, & damnatorum extra determinatum locum punitiones, id est extra infernum, sint insolitæ, contra spem, & facultatem naturalem solitamque Dei legem, magnum profectò miraculũ erunt. Sed hoc in benè fundata & dilatata iam Ecclesia fieri non est necessarium neque expediens, sed potiùs noxium, quia auferret meritum fidei. quod benè notauit S. Gregorius Homil. 29. in Euang. Et in casu nostro, quod hoc miraculum fieri debuerit, non apparet, propter indicatas miraculorum causas, vt satis constat, & statim magis apparebit.

Miraculum quid.

Ecclesia fundata, miracula non sunt necessaria.

Sed vt vndequaque minor propositio secundi illius principalis argumenti probata maneat; melius secundùm rationem esse, perditum illum militem in inferno quàm extra puniri, in hunc modum discurramus:

Qui alapam Christo dedit, rationabilius in inferno detineri.

Si homo ille in aula illa palatij Pilati detineretur, vt grauissimi sacrilegij pœnas in Christum commissi contra Dei legem ordinariam sustineat; vel ideò illud factum est, ad Iustitiæ diuinæ ostensionem, vel vt magis aut minùs cruciaretur, vel denique ratione fidei conciliandæ, & ad hominum fidelium vel infidelium vtilitatem.

Non propter diuinæ Iustitiæ ostensionem; cùm illa sat manifestetur, si in occultissimo & hominibus incognito maledictus ille loco cruciatur. Quando Deus olim Iustitiam suam ostendere voluit, manifestè fecit: vt videre est in Adæ, Heuæ & Cain punitione, in diluuio vniuersali, & Pentapolis conflagratione; & id ipsum facere debuit cum percussore illo, cuius delictum valdè publicum & scandalosum fuit.

Quin multò melius Iustitia diuina ostensa fuisset, si in inferno quàm extra in abscondito illo loco dicatur sui delicti pœnas luere: tum ob multitudinem pœnarum, tum quia vltionem multò plures in inferno vidissent, omnes videlicet damnati

homines & dæmones, quàm in illo loco ab omnium frequẽtia & consortio remoto.

Nec eo loco detinetur, vt magis crucietur. Ad quid enim in aula illa pulchra & spatiosa, opere tessellato elaborata perditum illum Deus collocasset? an non maiorem cruciatum sustinuisset, si in tenebricoso sordidoque inferni loco incluſus cum societate horribilium dæmoniorum fuisset?

Inferni pœna quocumque damnatos insequitur.

Sclo, quòd quemadmodum febris semper comitatur infirmum quocumq; se vertat, quocumque in loco fuerit, siue in duro & paupere, siue in molli & optimè instructo lecto; ita inferni pœnas damni vel sensus comitari damnatos quocumque vadant, & se inueniant.

In inferno maior quã extra infernum pœna.

Verùm nullus inficiabitur, quòd sicut febricitans magis in horrido loco & duro lectulo angitur, quàm si in splendida habitatione & florido lecto iaceat, tunc enim afflicto additur afflictio; ita non negabit vllus, maiores sustinere pœnas damnatos in teterrimo inferni carcere, vbi præter pœnam ignis & damni, singularibus aliis afficiuntur tormentis, vt horribilitate ac obscuritate loci, societate dæmonum & aliorum damnatorum; & horum tetro aspectu visus cruciatur, auditus execrandis eorumdem blasphemiis & conuitiis offenditur, & olfactus nimio fœtore inficitur.

Obiectionis solutio.

Et quamuis non me lateat, Deum sua absoluta potentia posse damnatos in omni loco torquere extra infernum sicut in inferno; tamen de lege, peculiaribus indicatis pœnis, non torquet nisi in inferno, nec facit infernum extra infernum; quare nec aliter sentiendum est, auctoritate & ratione contrà non existente. Nec hoc latet dæmones ipsos.

Cùm Iesus esset in regione *Gerasenorum, occurrerunt ei duo habentes dæmonia, de monumentis exeuntes, sæui nimis, ita vt nemo posset transire per viam illam. Et ecce clamauerunt, dicentes: Quid nobis, & tibi, Iesu Fili Dei? Venisti huc ante tempus torquere nos? Erat autem non longè ab illis grex multorum porcorum pascens. Dæmones autem rogabant eum, dicentes: Si eicis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum,* Matth. 8, 28. & seq. Sed quare conqueruntur dæmones se torqueri à Christo ante tempus; nónne ante eius aduentum cruciabantur? vtique. Quare ergo petunt mitti in gregem porcorum? vt alias omittam responsiones, dicerem; quia timebant, ne in orcũ proicerentur, vbi maioribus quàm extra exagitati fuissent cruciatibus, quibus vel in hominum vel porcorum corporibus existentes non afflictabantur. Ita si malefactor ille eo loco extra infernum puniretur, minùs torqueretur, & in cruciatibus solatium quodammodò sentiret.

Dæmones libentius extra infernum quàm intra habitant.

Nec eo loco detineri dicendum est, vt minores quàm ceteri damnati pœnas sustineat, nam maximum commisit facinus; non tantum quia temerè alapam Christo dedit, sed quia primus fuit, quod in Scriptura diuina legatur, ad cuius exemplum alij idem & peiora fecerunt, vt ex Euangelistis liquet. Et in inferni pœnis plures detinentur minoribus culpis impliciti, & non detinebitur iste?

In rebus Fidei, ad Scripturam & Doctores recurrere debent fideles.

Nec conciliandæ fidei gratia ad hominum instructionem & vtilitatem eo loco detinebitur, quia vel fidelium vel infidelium. Non fidelium, quoniam *credere oportet accedentem ad Deum,* Heb. 11, 6. est enim fides bafis & fundamentum in omni disciplina; igitur experimentum quærendum non est. Deinde legem, Prophetas & Doctores habent fideles, quos in dubiis consulere, & eorum dictis, aliis, præsertim vanis, relictis credere debent. *Termini nobis positi sunt,* inquit Epiphanius contra Hæres. Melchisedechianorũ 55. vel 67. *& fundamenta, & ædificatio fidei, & Apostolorum traditiones, & Scriptura sancta, & successiones doctrinæ, & vndequaque veritas Dei munita est. Nemo igitur nouis fabulis decipiatur.* Quod si illis non credunt, nec ex altera ad hanc vitam reuocatis assensum præbebunt. Qui enim Deo, qui errare non potest, non credit, quomodo fidem adhibebit fallacibus creaturis, & ipsis etiam diuinis miraculis, cùm & hæc calumniari possint, & aliquando fuerint à Iudæis & aliis calumniata?

Qui Scripturæ non credit, nec miraculis credet.

Id ex historia illa diuitis iam indicata ex S. Luc. 16, 27. cõprobatur. Cùm enim dives hisce verbis fuisset Abraham interpellatus, *Rogo te Pater, vt mittas* Lazarum *in domum patris mei. habeo enim quinq; fratres, vt testetur illis, ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum,* responsum accepit à sancto Patriarcha: *Habent Moysen & Prophetas: audiant illos. At ille dixit: Non Pater Abraham, sed si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent. Ait autem illi: Si Moysen & Prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credẽt.* Quod ampliùs in resurrectione Christi apparuit, quando abundè satisfactum fuit epulonis desiderio, vt Abraham aliquem ex mortuis in sæculum hoc mitteret, qui viuos de alterius sæculi rebus admoneret. *Ecce non vnus*, inquit Salmeron Tom. 10. Tract. 48. *sed multi, vt dicitur Matth. 27. ad sanctam ciuitatem venerunt; neque tamen, ciuitatis vitio, magnum fructum ediderunt.*

Confirmatur adhuc exemplo Lazari illius, quem quatriduanum Christus à mortuis ad vitam reuocauit: cui non solùm

non

Digitized by Google

non crediderunt Iudæi, sed voluerunt etiam ipsum interficere. Neque Christo resuscitato crediderunt, sed pecunias dederunt militibus illius prædicantes resurrectionem vt tacerent: quare ob fidelium vtilitatem,& eorum confirmationem in fide vtilis non est mortuorum reditus ad vitam,quin potiùs noxius, quia auferret meritum fidei,vt anteà innuimus: & quia fides non habet meritum,vbi humana ratio præbet experimentum, id est, signis euidentibus comprobatur,vt ait S.Gregorius. Quare nec homo ille propter cuiuslibet veritatis instructionem, quam edoceri possent fideles, debuit eo loco conseruari; habent enim firmiorem & vtiliorem propheticum sermonem. Nec etiam propter infidelium vtilitatem, & vt ad fidem adducerentur; tum propter nunc dicta, tum quia eisdem non multùm proficiunt, & non ratò obstinatiores redduntur. Infidelis ille Pharao & Ægyptij quæ prodigia & diuina mirabilia non viderunt? & obstinati effecti,Deo non adhæserunt, nec Israël, vt præceperat Dominus, dimittere sinebant. Christus maiora fuit operatus miracula quàm increduli petiissent Iudæi, vt in tot cæcorum illuminatione, mortuorum resurrectione,&c. apparet; & cùm non descendit de cruce, vt petebant Iudæi, dicentes, *Si Rex Israël est, descendat nunc de cruce, & credimus ei*, Matthæi 27, 42. sed cùm mortuus ex sepulchro glorioſus diuina virtute exiuit, quod maius est, & tamen non crediderunt ei: ita in proposito miraculum illud si verum esset, quamuis vt occultum & incognitum ponatur, commodum ex eo consequi non posset: & si cognitum fuit Gubernatoribus Ierusalem, & perdito illi Turcæ, num aliquis ex his fructum percepit, & fidem Christi susceptt?

Christus quare in nuptiis fecit aquam vinum, & non lapides panes in deserto.

Ad hæc, Christus quæsitus à dæmone, vt ex lapidibus panes faceret, non tamen fecit, qui aquam in optimũ vinum in nuptiis Canæ Galilææ conuertit. Vnde hæc diuersitas? quia diabolus non erat crediturus, sed benè discipuli. *Et crediderunt in eum discipuli eius*, ait S. Ioannes 2,11. *Nolnit Christus miraculum facere*, inquit Augustinus Serm.41.de verbis Domini, *quoniam necessarium non erat.* & Euthym. Matth.4. *Christus signum non edidit requisitum à diabolo. Nam signa ad commodum intuentium fieri consueuerunt; diabolus autem nullam inde relaturus erat vtilitatem*, &c. Similia alij. Ita in proposito, cùm ex incognito illo & commentitio miraculo nullum fructum prouenturum infidelibus aduerteret Dominus, non feciſſe magis quàm feciſſe credendum est.

Dicet aliquis, ex illo miraculo non reprobari Mahometicam legem, sed comprobari,quòd de homine illo dicitur in Euangelio, cui ex parte testimonium perhibet Turcarum Alchoranus, sed & illam roborari,quia apud illos Deus talia operatur miracula: quare non mirum, si nec ille deceptor,vel aliquis ex Gubernatoribus vel Turcis ex prodigio illo ad Christi legem est conuersus;& sic Deus miracula in suæ legis præiudicium & superstitionis Mahometicæ stabilimentum faceret, quod excogitare impium est.

Si dicatur,quædam fieri miraculà à Deo, quorum causas ignoramus,quod non negamus: *quis enim cognouit sensum Domini?* 1.Cor.2,16. & hoc esse vnum ex illis: *Obiectio.*

Respondeo,verum esse de illis quæ facta esse constat; at hoc non constare esse factum, à pauciſſimis creditur, & à pleriſque negatur. Præterea,non hîc quæritur propter quid sit factum;sed,an factum sit. Quòd si causas propter quas fieri potuit adduxi, ideò feci,vt ostenderem non esse factum;quia Deus extra se nihil frustrà operatur,& quod non reuelauerit seruis suis Prophetis, vt dixit Amos 3,7. *Solutio.*

Tertiò, & principaliter,est argumentum adductum à neoterico illo: quod quamuis ipse nihili faciat,sed nec contemnendo dissoluit; ego in hac materia pluris facio, & confirmo. Si res,vt fuit enarrata vera esset, & quidam Turcarum nouissent,non fuisset incognita Christianis, propter amicitiam, longam cum illis conuersationem, & multò magis propter lucrum quod ex ea proueniret. Sunt enim viri diuitiarum cupidissimi. Propter lucrum enim peregrinos ingredi sanctissimum Domini nostri Iesu Christi Sepulchrum, & ire ad Iordanem tempore Paschatis volunt: quod si nolint, vel non possint,tantum illis soluendum est, ac si S.Sepulchrũ ingrederentur, & ad Iordanem irent:itaque non minori,sed maiori ratione, propter stipendium eosdem ad illum hominem videndum cogerent; quòd tamen non faciunt. Viri etiam curiosissimi,pietate,sapientia prudentiaque præstantes,qui 20.30.40.& ampliùs annis Ierosolymis commorati fuere, & si magna fuerint cum Turcis necessitudine coniuncti, numquam tamen precibus vel pollicitationibus hominem illum videre potuerunt; cùm tamen secretò in templum Salomonis, quod maius apud illos est, introducti fuerint. *Tertia ratio.*

Turcarum auaritia magna.

Cùm essem Ierosolymis,noui virum Sanzacho siue Gubernatori sanctę ciuitatis valdè dilectũ,qui quingentos nummos aureos ei se daturum promisit, si facultatem ta-

lem hominem videndi concederet; quem tamen vt fabulas narrantem deriſit.

Quomodo etiam non fuit ille cognitus Chriſtianis, quando Terram ſanctam poſſidebant, præſertim cùm maiora in eorum gratiam fecerit Deus? Ego etiam, ne meæ viderer prudentiæ & propoſitis à me excogitatis inniti, ſuper hac relatione conſului viros doctos ac pios, qui vnanimiter fabellam ſine fundamento iudicarunt.

Prima ſententia propugnator illi haud adhæret.

Ampliùs, cùm data opportunitate conueniſſem acerrimum illum traditionis illius defenſorem, vt ab eo alia in ſuæ ſententiæ confirmationem ab his quæ litteris conſignauit intelligerem, & cum eo pro magis elucidanda veritate diſputarem, amputauit ille occaſionem; etenim nec ſe illi credere, eamque hortatu aliorum retuliſſe indicauit, quòd tunc temporis in chartulis impreſſis, & impoſſibilem non eſſe vulgaretur: quare nec vlteriùs proceſſi, ſed bono ſene dimiſſo abij.

Videat modò quilibet, & æqua lance conſiderare libret, quænam illarum opinionum vero magis appropinquet, an prior illa quæ infideli Turcæ & illuſorio teſtimonio iniuriiſque nititur; an poſterior altera, quæ diuinæ legi conformis eſt, grauibus Auctoribus & fatis probabilibus rationibus fulcitur, quibus retragari abſque euidentiori argumento, vel diuina reuelatione nefas eſt. Hæc longiori ratiocinatione proſecuti ſumus: quoniam dicta relatio in ore omnium verſatur, & ei facile ſimplices fidem præſtant; & quoſdam in illius relationis confirmationem quædam edidiſſe, ſicut & alios, ne alia in illud argumentum ederent, prohibitos fuiſſe intellexi.

CAPVT V.

De loco vbi Chriſtus Dominus iuſſu Pilati Præſidis fuit ad columnam ligatus, & flagellatus; qui ſecundo loco venerationi habetur in Via crucis.

SEcundus locus omni conſideratione ac veneratione digniſſimus, qui in Via crucis occurrit, ille eſt, in quo Saluator noſter

Chriſtus in loco, vbi ſontes flagellabantur, flagellatus fuit.

iuſſu Pilati Præſidis fuit flagellatus. Retrocedendo itaque ad decem greſſus à palatio Pilati, & non procedendo ad ſacrum Caluariæ montem, in læua parte viæ eſt locus ille, in quo, vt communis & vetus recepta iſtarum partium traditio habet, Chriſtus Ieſus, vt humanum genus à peccatorum funibus & pœnarum flagellis liberaret, nimiùm ipſe vinculis eximiæ charitatis conſtrictus, ex ſententia Pilati Præſidis duriſſimis funibus ligatus, & ſæuiſſimis flagellis cæſus fuit; vt hoc pacto Iudæorum furori, auctori vitæ innocentiſſimoque Ieſu ad crucis mortem acclamantium, ſatisfactum eſſet, ſicque correptum dimitteret iniuſtus iudex, vt ſacri docent Euangeliſtæ. Creditur enim ibi, ante deſtructionem ſanctæ ciuitatis per Titum, locum publicum fuiſſe, forum, vel viam, vt nunc temporis via ſatis publica eſt, vbi fontes flagellandi plectebantur.

Hæc traditio ex eo comprobatur, quòd vt erat in ſancta ciuitate publicus crucifixionis locus, vt Capite ſequenti dicemus, ita debuit eſſe alius publicus flagellationis: & cùm alius ab iſto non monſtretur, nec ſit ratio, vel auctoritas, quæ ei efficaciter refragetur, hunc illum eſſe credere debemus, ac conſequenter Dominum in eo flagellatum. Ad hæc, iudicis palatio proximus eſt. Ac denique, quoniam pij vetereſque fideles, ad loci venerationem, & magis conſeruandam memoriam Dominicæ flagellationis, pulchram, etſi non magnam, ædificarunt Eccleſiam; quæ licet nunc & vetuſtate & odio infidelium priſtinum decorem amiſerit, adhuc tamen integra eſt, & à conuenis & peregrinis fidelibus magna pietate ac religione Dominicæ flagellationis intuitu inuiſitur. Et in loco iſto Chriſtum Dominum flagellatum fuiſſe, tenent nedum Catholici, & Schiſmatici, ſed etiam ipſi Mauri, ab illis veteri traditione edocti. Alia quæ pro maiori ſancti huius loci intelligentia, & allatæ traditionis maiori firmitate deſiderari poſſent, habes duobus proximè ſequentibus Capitibus.

Forma Eccleſiæ flagellationis.

Interim tamen nolo hîc ſilentio, etſi in dedecus vergat Chriſtianorum præſertim Principum, præterire, quod huic ſanctiſſimo loco accidit dum Ieroſolymis agerem. Sub finem anni 1618. à partu Virgineo, filius Gubernatoris ciuitatis locum & Eccleſiam hanc reſtaurare, &, quod pudet dicere, in equorum ſtabulum vertere curauit: cumque deſuper cubiculum erigi mandaſſet, nondum conſummatum demolitum fuit; nocte namque feſti ſanctiſſimi nominis Ieſu die 14. Ianuarij 1619. corruit: non tamen à cœpto opere deſtitit, donec diuinũ expertus fuit iudicium. Cùm enim in ſanctam illam Eccleſiam velut in ſtabulũ illius equi ducti fuiſſent, manè ſequentis diei omnes mortui reperti fuere, etſi eos dormire arbitrarentur ſtabularij. De hoc certior factus Gubernatoris filius, à Chriſtianiſque admonitus, locum illum ſummoperè ab ipſis in veneratione haberi, quòd Meſſiæ præſentia & Sanguine credant fuiſſe conſecratum, ab opere deſtitit, equorumq; eſſe ſtabulum noluit, ſed vt antiquitus erat reliquit. Interiùs

Euentus notabilis.

&

& exteriùs olim Eccleſiæ formam retinebat, ſed modò interiùs tantùm; quare non niſi ab expertis ibi eſſe Eccleſiam cognoſci poteſt.

Quædam Turca anus, quæ longo tempore in hac domo hoſpitata fuit, Fratribus noſtris dixit, ſe annis ſingulis tali luna, & die Iouis Hebdomadæ ſanctæ audire ſolitam in loco illo multos crebroſque flagellorum ictus. Perrexerunt illi notato tempore, vt flagellorum ſtrepitus audirent, ſed nihil audierunt: quare meritò ſomnium & anilem fabellam alij ſimilem eſſe dixerunt.

CAPVT VI.

Chriſtus flagellatúſne fuerit intra an extra palatium Pilati Præſidis.

SI quæ diximus Capite præcedenti vera & indubitata eſſent, ſoluta eſſet propoſita difficultas, Chriſtum Dominum non in palatio Pilati, ſed extra eius iuſſu fuiſſe flagellatum; verùm quoniam refragantur alij, ideò pertractanda eſt, & ſtatuendum, extra fuiſſe Chriſtum flagellis cæſum, ne corruat aſſignata traditio, vel palatium, quod Pilati dicitur, eiuſdem non eſſe credatur.

Duplex ſententia de loco flagellationis Chriſti. Prima, in palatio Pilati.

Itaque cùm de Chriſti flagellatione iuſſu Pilati Præſidis inflicta loquamur, duplicem quorumdam Auctorum oppoſitam reperio ſententiam: alteram, in Pilati palatio & atrio eius affirmantem; alteram extra in publico alio loco, & vbi ad memoriam Chriſti flagellationis Baſilica conſtructa eſt. Vtriuſque rationes priùs proponemus, & poſteriùs, quæ veteri traditioni obſtabunt, diluemus.

Prima ratio.

Et à prioris opinionis rationibus priùs ordiamur, Chriſti flagellationem iuſſu Pilati accidiſſe in illius palatij atrio probatur multipliciter. Primò, quia Iudæorum flagellatio, ex legis præſcripto, coram iudice fieri ſolebat, vt hac ratione iudicis præſentia feritatem miniſtrorum molliret, inquiunt Doctores. Si ergo coram iudice fieri flagellatio debuit, conſequenter in eius domo, & non alibi opportuniùs quàm in atrio, ſi de Chriſti loquamur flagellatione. Quæ ratio magis firmaretur, ſi vera eſſet opinio illa, quæ aſſerit, Pilatum apprehendiſſe Ieſum, & propriis manibus non fortiter, ſed leuiter flagellaſſe: cui fauere videntur verba Ioannis 19, 1. *Tunc ergo apprehendit Pilatus Ieſum, & flagellauit.*

Deut. 25, 2.

Beda ſententia.

Secunda ratio.

Secundò, columna ipſa flagellationis Chriſti, quæ creditur tranſlata ex palatio Pilati ad Eccleſiam Sanctæ Praxedis, de qua Hieronymus in Epitaphio Paulæ, hoc præ ſe ferre videtur: ſi enim illa fuit in æde Pilati, conſequens eſt, vt in eadem & Chriſtus fuerit flagellatus. & hoc argumentum pro hac ſententia vidi afferri.

Tertia ratio.

Tertiò, ne à tumultuante Iudaico populo occideretur, ſicut Act. 23, 10. *cùm magna diſſenſio facta eſſet, timens tribunus ne diſcerperetur Paulus à Iudeis, iuſſit milites deſcendere, & rapere eum de medio eorum, ac deducere eum in caſtra.* Hanc rationem adnotauit amicus noſter D. Ioannes Baptiſta Couus I. V. Doctor in quodam Epigrammate lib. 6. de morte Domini noſtri Ieſu Chriſti:

Fornicis ad fulcrũ nudũ religare timet dux,
Ad palum in medio ne trucidere foro.
Crura manuſq; tument loris: lorarius infert
Damna nihil meritõ Brutius iſta tibi.
Vinciri durè durum eſt; ſed durius illud,
Vrit te ſæuo verbere tota cohors.

Quarta ratio.

Sententia iſta videtur approbari ex inſcriptione poſita ſupra ſacellum columnæ, quæ flagellationis dicitur, in S. Praxedis Eccleſia Romæ; quam deſcriptam habes infrà Lib. v. Cap. x. Peregrin. 1. & ex his qui ſcripſerunt de locis ſanctis, quos viderim. Eam docuerunt Bonifacius ſuprà relatus Cap. 111. præſentis Peregrinationis, Chriſtianus Adrichomius in Ieruſalem nu. 57. Lipſius lib. 2. de Cruce cap. 4. Toletus in Commentario illorum verborum Ioan. 19. *Exiuit iterùm Pilatus, &c.*

Frater Bernardinus Amicus in ſua locorum Terræ ſanctæ delineatione c. 18. in deſcriptione palatij Pilati indicat, intra Pilati palatium fuiſſe Chriſtum flagellatum ad illam columnam quæ Romæ in Eccleſia S. Praxedis aſſeruatur, vt illius delineatio demonſtrat; ad quam ligabantur equi, inquit, dum à ſeruis ſternebantur. Boſius de Triumph. Cruce lib. 1. cap. 13. columnam ad flagellandum fontes in Ieroſolymorum palatio Prætorio erectam fuiſſe ſentire videtur, ad quam alligatus Chriſtus flagellatus fuit: qui idem clariùs poſt pauca dicit. Gretſerus Tomo 1. de S. Cruce lib. 1. cap. 10. in Prætorio fuiſſe Chriſtum flagellatum, ſupponere videtur.

Secunda ſententia extra palatium flagellatum decat.

Altera ſententia oppoſita, quæ extra prætorium Pilati iuſſu docet Chriſtum fuiſſe flagellatum, & in loco Capite præcedenti memorato, non obſtantibus rationibus alterius opinionis, multò probabilior videtur, ſolidioribuſque nixa rationibus; & ideò cum illius traditione retinenda, quam duobus Notandis præmiſſis facilè probabo.

PRIMVM NOTANDVM eſt. In omni benè ordinata Republica, vbi ſunt Principes & Iudices, eorumque miniſtri, eſſe quoque loca iudicij & iuſtitiæ exercendæ ad hoc ſpecialiter deputata: igitur & Ieroſolymis,

Ierosolymis erant loca, vbi mortis fontes vel flagellationi addicebantur.

Regia præcipuaque Palæstinæ vrbe, huiusmodi esse debebant; quare cùm ex Euangelio constet, ibi Principes & Iudices, iudiciorumque locum prætorium Prælidis Pilati, eiusdem ministros, carceres pro delinquentibus, & Caluariæ montem extitisse, in quo fontes capitali sententia damnati plectebantur; ita publicus alius flagellandi locus esse debuit, in quo, ad aliorum terroré, flagellarentur vel ad sola verbera damnati, vel post flagra & flagella morte multandi. Non enim videtur decens, vel vsitatum, Iudices in propriis ædibus, vbi contra reos ferunt sententiam, eosdem punire.

Confirmatur dupliciter, exemplis & ratione; primò exemplis ex sacris & profanis litteris depromptis. Act. 16, 12. cùm Paulus & Silas venissent *Philippos, quæ est prima partis Macedoniæ ciuitas, colonia*; & Paulus *puellam habentem spiritum pythonem* liberasset, *quæ quæstum magnum præstabat dominis suis diuinando: videntes domini eius, quia exiit spes quæstus eorum, apprehendentes Paulum & Silam*, tamquam mali operis reos, *perduxerunt in forum ad Principes, & offerentes eos magistratibus*, eorum iussu flagellati publicè fuerunt, sacro dicente Historico: *Et cucurrit plebs aduersus eos: & magistratus, scissis tunicis eorum, iusserunt eos virgis cædi*, &c. De qua & aliis publicis flagellationibus 2. Cor. 11, 25. Philipp. 1, 13. & 1. Thess. 2, 2.

Philo contra Flaccum, vt de profanis loquamur, narrans Iudæos Alexandriæ in crucem actos à Flacco, hoc addit: *Postquam flagellati fuissent in theatro.* Cicero Act. 7. in Verrem, vbi de eiusdem sæuitia agit, quod tractamus sequentibus expressit: *Ipse inflammatus scelere & facinore in forum venit: ardebant oculi, toto ex ore crudelitas emanabat. Expectabant omnes, quò tandem progressurus, aut quidnam acturus esset: cùm repentè hominem proripi, atque in foro medio nudari, ac deligari, & virgas expediri iubet.* Lege ad idem A. Gellium Noct. Attic. lib. 10. c. 3. Liuium Dec. 1. lib. 8. & Suetonium in C. Caligula c. 26. & Plutarchus in M. Coriolano, *Quidam*, ait, *eius seruum cæteris seruis trucidandum in foro verberibus tradiderat, postquam necauerat.* In quibus exemplis manifestè apparet, flagellationis locum non priuatum, sed publicum fuisse, forum videlicet vel theatrum.

Flagellatio ad infamiam ordinata.

Secundò, ratione idem ex fine flagellationis desumpta confirmatur: quæ flagellatio ad hoc infligebatur, vt flagellatus infamis ab omnibus haberetur. *Fiebat flagellatio*, inquit Toletus in cap. 19. Ioan. Annot. 1. *vt per eam homo velut à corpore ciuium tamquam seruus separaretur, tanto dedecore affectus.* Ideò *Imperatores*, Lipsio referente lib. 2 de Cruce cap. 3. *rescripserunt, mulierem habere iustas diuortij causas, si se verberibus, quæ ingenuo aliena sunt, afficientem maritum probauerit.* Ob infamiam, nullum ciuem Romanum flagellis vmquam cædi, testatur Cicero Orat. pro Rabir. *Portia lex*, inquit, *virgas ab omnium ciuium Romanorum corpore amouit.* imò Act. 7. in Verrem ait, scelus esse verberare ciuem Romanum, quòd infame esset hoc supplicij genus, vtpote mancipiis & latronibus conueniens; & tũ maximè apud Hebræos, si quadragenarium numerum flagellorum ictus attingerent. Huius rationem reddidit Procopius, quia numerus ille verberum, pœna Ægyptiorum erat. Hinc Deus volens punire filios Israël propter peccata, quæ prauo Ægyptiorum exemplo didicerant, quadragenario annorum spatio illos puniuit. Vnde liquidò constat, quare ex numero verberum quadragenario vnum adimeretur: *Propterea*, inquit Procopius, *Israëlitam quadragenas prater vnam plagas accipere; infert porrò lex: Neque addas ictus plures, ne frater tuus dedecore contabescat.* Dedecus siquidem erat Israëlitæ, Terræ sanctæ ciui, numero Ægyptiorum puniri, aut certè eorum qui execrabili veneratione vitulum aureum coluerunt. Et Theodoretus q. 30. ait: *Iudæi vna minus inferebant, quia maior numerus vapulantem infamat.* Ideò D. Paulus, cùm flagellatus fuit, *quadragenas, vna minus*, 2. Corinth. 11, 24. se accepisse fatetur; quia, vt ait Theophylactus, statutum erat apud Hebræos, vt qui illo flagellorum numero verberaretur, infamis, & ex consequenti ad obeunda Reipublicæ officia prorsus inhabilis haberetur. Hebræi autem, existimantes forsan Paulum ad paternas traditiones reuersurũ, nolebant infamię nota eum afficere: vel, vt alij dicunt, ne nimis iusti, siue rigidi, sed mites & misericordes haberentur. Itaque si flagellatio ad infamiam infligebatur, publica esse debebat. Si enim fama, est clara cum laude notitia; infamia esse nõ poterit, nisi clara sit; & consequenter proueniens ex flagellatione non erit, nisi flagellatio publica sit. Ampliùs, ad aliorum exemplum & terrorem cædebantur fontes, vt per se patet. verba quædam Liuij Dec. 3. lib. 2. id præ se ferunt, quæ sic habent: *Virginio, caso duce, & ad reliquorum terrorem in crucem fublato.* Igitur tam crucis quàm flagellationis pœna, publica esse debebat.

Lege interdictum, ciuem Romanum flagellis cædere.

Iudæi numerũ quadragesimũ flagellorum non attingebant, ne flagellatum infamem redderent.

Paulus quare quadragenas, vna minus, acceperit.

SECVNDVM NOTANDVM sit. Iustus Lipsius lib. 2. de Cruce cap. 2. duplicem ait olim apud veteres fuisse figendi modum, vulgarem, & rarum; illumque, qui receptissimus erat, duo præcessisse, flagellationem,

Figendi modus duplex, vulgaris, & rarus.

Google

nem, & deductionem. *Flagellatio quidem solemnis*, inquit, *anteceſſor; & rarò in crucē dati, niſi ſic purpurati. Apud Liuium, de ſeruis coniuratis: Multi occiſi, multi capti, alij verberati crucibus affixi. Verberatos ecce prædixit.* Hæc ex Lipſio, qui & alia adducit teſtimonia: & quædam adducta præcedenti Notabili idipſum perſuadent. quibus adductis concludit: *Solemnis ergo mos, imò lex; & horrendum carmen diſertè canebat: verbera intra aut extra pomerium: & tum denique ſuccinebat: Arbori infelici ſuſpendito.* Addo, Chriſtum, & latrones cum ipſo, fuiſſe vulgari modo crucifixos, non altero raro, & poſito, & minùs vſitato; quod ſilentio non præteriiſſent Euangeliſtæ; & illud, quantum vidi, abſque controuerſia tenetur. His præmiſſis, ſint ſequentes pro poſteriori ſententia rationes.

Reſponſio ad difficultatem.

Secunda ſententia rationes. Prima.

Prima, Chriſtus ex iudicis ſententia fuit flagellatus, vt Iudæis fieret ſatis; igitur in publico iudicij loco, vbi ab omnibus videri poſſet, & conſequenter non in atrio prætorij Pilati, vbi pauci eſſe poterant, præſertim, ſi Chriſti tempore maius non fuit quàm ſit noſtro.

Secunda. Chriſtus vulgari modo crucifixus.

Secunda, Chriſtus crucifixus fuit vulgari modo; igitur ex lege præceſſit ſolemnis flagellatio. Conſequentia patet ex ſecundo Notabili.

Obiectionis ſolutio.

Dicet quiſpiam, fuiſſe poſteà ſolemniter flagellatum, vt crucifigeretur; ſed flagellationem, qua ſatisfaceret Iudæis, & Chriſtum liberaret, de qua loquimur modò, accidiſſe in prætorio, & priuatè. Contrà: illa enim magis pubica eſſe debuit, ſi Iudæis voluit ſatisfacere Pilatus; vt illa infamis redditus Chriſtus, nedum Rex eligeretur, ſed ab omnibus magis contemneretur: & prætereà non vlteriùs flagellatus fuit, vt Capite ſequenti dicemus. Quare ſi flagellatio ad crucifixionem ordinata publica conceditur, & iſta, quæ eadem eſt, publica fuit. Vel dicatur, non ordinarium fuiſſe illum morem, ſed in poteſtate Principis, cui flagellare, & non flagellare, vbi & quando volebat, licitum erat. Docet enim Lipſius lib. 2. de Cruce c. 4. fontes flagellari ſolitos, *aut ante deductionem domi, aut in prætorio, quod in Seruatore factum; aut in ipſa deductione per viam*, &c. Sed quidquid nunc ſit de poteſtate iudicis abſoluta, cùm lex & conſuetudo habeat, crucifigendos priùs flagellandos, abſque ratione non debemus aſſerere, in conſuetudine ac lege, quæ alias inuiolabiliter à Romanis obſeruari ſolita, eſſe diſpenſatum. In propoſito erat oppoſitum faciendi ratio, vt eſſet Iudæis ſatisfactum: & verè factum fuit. Vnde S. Hieronymus in caput 27. Matth. illa expendens verba, *Iesum autem flagellatum tradidit vt crucifigeretur*, inquit: *Sed ſciendum eſt, Romanis cum legibus miniſtraſſe, quibus ſancitum eſt, vt qui crucifigitur, priùs flagellis verberetur.* Si denique dicatur, non idem eſſe de aliorum & Chriſti flagellatione iudicium; quoniam illorum ſolemnis, & ad mortem, at iſta particularis, & vt liberaretur. *Emendatum ergo illum dimittam*, dixit Pilatus Luc. 23, 16.

Chriſtus verò ex legis præſcripto flagellatus.

Sed nec iſta ſolutio ſatisfacit: etenim fuerit vel non fuerit ad mortem ordinata flagellatio, non obſtat quin fuerit ſolemnis, iuſſu nempe iudicis peracta. Nec vt priuate vapularet, ſufficiens fuit illa ratio adducta, ne à tumultuante populo Chriſtus occideretur; quia vel timor eſſe poterat de Gentilibus vel de Iudæis. Non de Gentilibus: quia ſi in atrio flagellandus, facilè occidi poterat: Pilati verò mentem fuiſſe nouerant, Iesum illa flagellatione à morte liberare. Nec de Iudæis; quia in poteſtate eorum erat antequam ad Pilatum duceretur: & maior timendi cauſa eſſe poterat, cùm Chriſtus à Pilato ad Herodem, & ab Herode ad Pilatum mitteretur, & tamen nihil actum eſt illi ab ipſis.

Haud timendum de Chriſti morte ex publica flagellatione.

Prætereà, ſi à Iudæis fuiſſet flagellatus, mitiùs vtique quàm à Gentilibus, vt pietatem ſimularent, ac tranſgreſſores legis haud cenſerentur; quæ verberum quadrageſimum numerum non excedere ſtatuebat. Denique mens Iudæorum non erat, Chriſtum quouis mortis genere de medio tollere, ſed crucis ſæuiſſimo ac infamiſſimo, vt illorum verba Ieremiæ 11, 19. indicant: *Mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra viuentium, & nomen eius non memoretur amplius.* & Sap. 2, 19. & 20. *Contumelia & tormento interrogemus eum: morte turpiſſima condemnemus eum*, &c. hoc eſt, infami ac crudeli morte crucis illum ab hominum conſpectu & memoria auferamus: qui dicente illis Pilato, *Accipite eum vos, & ſecundùm legem veſtram iudicate eum*, reſponderunt: *Nobis non licet interficere quemquam*, Ioan. 18, 31. Quomodo quemquam interficere non licuit, cùm tot iuſtos ac Prophetas lapidauerint & occiderint? ſed eſto, quod non licuerit, & anteà facto ac furore, non lege vel iudice annuente, vel etiam mandante occiderint, iudice facultatem præbente occidere. licuiſſet?

Iudæi voluerunt Chriſtum crucifigi, vt magis cruciaretur, & eius memoria ſepeliretur.

Reſpondetur, pluribus aliis omiſſis quæ videri poſſunt apud expoſitores, occidere non licuiſſe, ſiue recuſaſſe Chriſtum occidere, vt conceſſerat Pilatus, ſecundum legem ipſorum: nam in delinquentes in aliorum legibus non ita ſeueri erant Ro-

Lege Tolet. in Ioan. 18. Annot. 23. & alios.

mani; diuina etiam Iudæorum lex mitis erat: ac præterea nullam occidendi causam habebant; quoniam Christus exactissimè illorum legem obseruauit. Noluerunt ergo Christum occidere Iudæi tamquam Moysaicæ legis transgressorem, sed tamquam rebellem, & læsæ maiestatis reum, crucis morte è medio tolli voluerunt: quia hoc supplicium apud Romanos erat proprium seditionis & affectati regni, vt docet Lipsius de Cruce lib. 1. c. 14. quod crimen obiecerunt Iudæi Christo; & ideò à Cæsaris Præside taxata pœna multandum: vnde ipse Pilatus cruci etiam hác causam inscripsit, *Rex Iudæorũ*. Appositè proinde Theophylactus: *Hoc dixerunt*, inquit, *scientes quod Romani ad crucem condemnabant rebelles*. & clarissimè ipse Euangelista Ioannes 18, 31. dum, post præmissam Iudæorum responsionem, subiunxit: *Vt sermo Iesu impleretur, quem dixit, significans qua morte esset moriturus*, crucis nempe: hoc enim mortis genus sæpiùs ore proprio & Prophetarũ prædixerat: & manifestè ipsi, quando magnis clamoribus dixerunt: *Tolle, tolle, crucifige eum*, Ioan. 19, 15.

Cohors præterea aliis numerosior.

Quinta ratio.

Responsio ad rationes priorum sententiæ. Ad primam.

Gentiles non eorum iudice flagellabant. Plauto lux.

Tertia ratio.

Tertiò, quod fuerit satis publica, & consequenter extra atrium Pilati Christi flagellatio, indicant illa pia D. Bonauenturæ De medit. vitæ Christi cap. 76. verba: *Ligatur, & diuersimodè flagellatur; stat nudus coram omnibus iuuenis elegans, & verecundus*, &c. *Coram omnibus*, inquit, vt publicam omnino fuisse indicaret. Et nisi publicè & extra Pilati palatium accidisset, non interfuissent Iudæi; quoniam domum iudicis gentilis ingredi nolebant, vt Pascha comederent, & consequenter nec beata Virgo Maria, quæ Iudæa erat, & Iudaicarum legum obseruantissima, præsertim ne esset aliis scandalo; & tamen verè interfuisse ipsa S. Birgittæ reuelauit, dicens: *Ego quæ astabam, vidi corpus eius verberatum & flagellatum vsque ad costas.*

Birgitta lib. 1. c. 10. & lib. 4. c. 70. Christi flagellationi B. Virgo interfuit.

Dicet quispiam, concedi satis publicam, dum in atrio accidisse dicitur. Respõdetur, non esse admittendum; tum quia non capax tantæ multitudinis Gentilium, & Iudæorum, quæ ibi interfuit; tum quia atrium non erat locus iustitiæ exequendæ, vt abunde satis iam demonstrauimus.

Quarta ratio.

Quartò, Matthæus & Marcus omnem videntur dirimere difficultatem, non intra, sed extra atrium fuisse flagellatum Iesum. Matthæus 27, 27. dum, post mentionem factam Christi flagellationis, militum statim meminit, dicens: *Tunc milites Præsidis suscipientes Iesum in prætorium, congregauerunt ad eum vniuersam cohortem*, &c. *In prætorium*, id est, ante prætorium in atrio: non enim vniuersam cohortem id capere potuisset: etsi cohors omnis non eiusdem esset numeri, prætoria tamen numerosior, quia mille militum, vt ait Veget. lib. 2. c. 2. & plures alij Præsidis ministri & de turba esse debebant: ac præterea quæ subinfert Matthæus id præse ferunt. Sed manifestè Marcus 15, 16. & ad intentum, dum ait: *Milites autem duxerunt eum in atrium prætorij*, &c. Igitur si, postquam Christus Dominus fuit flagellis cæsus, milites eum susceperunt, & *duxerunt in atrium prætorij*, non fuit in eo flagellatus, sed extra.

Quintò, posterior sententia & traditio retinenda est; quia rationes prioris non concludunt oppositum, sed quædam propositum.

Quantum ad primam, quæ dicit, flagellationem esse faciendam coram iudice, &c. dico, potuisse Pilatum ire ad locum flagellationis suæ domui proximum, vt vidimus Capite superiori. Videtur etiam concludere oppositum; quia Christus non fuit more Iudæorum flagellatus, sed Gentilium, vt attigimus, & apertè dicemus Lib. v. Cap. x. 1. Peregrinat. Gentiles enim non coram iudice flagellabant, vt ex variis posset probari historiis, sed illud Plauti sufficiat:

——*Abducite hùc*
Intrò, atque adstringite ad columnam fortiter.

Ex hoc illa reiicitur sententia, ipsum iudicem Christum flagellasse propriis manibus; quia illius dignitati derogatum esset: flagellandi enim munus infame habebatur; & nec milites ipsi, sed Brutiani, infimæ notæ homines, illud exercebant. A. enim Gellius Noct. Attic. lib. 10. cap. 3. scribit de Lorariis & Brutianis: *Romanos, Brutianos ignominiæ causa non milites scripsisse, nec pro socijs habuisse, sed magistratibus in prouincias euntibus parere, & præministrare seruorum vicem iussisse*, &c. His fauet formula sententiæ flagellationis Pilati, quam Adrichomius citatus ex vetustis Annalibus acceptam notauit in hunc modum: *Iesum Nazarenum, virum seditiosum, & Mosaicæ legis contemptorem, per Pontifices & Principes suæ gentis accusatum, expoliate, ligate, & virgis cædite. Fiat, fiat, expedi virgas.* Quare non coram ipso; nec consequenter leuiter, sed fortiter ictibus multiplicatis cæsus fuit nostræ salutis Reparator, ita vt verè dicere potuerit, Psal. 34, 15. *Congregata sunt super me flagella*; & *ignorani*, id est, absque culpa mea. & *fui flagellatus tota die*, Psal. 72, 14. & illud Isaiæ 50, 6. *Corpus meum dedi percutientibus*, non percutiendum. Docent id cõmuniter Patres, & multæ habent reuelationes; & nos, si Deus dederit, alibi expendemus.

Officium flagellandi infame.

Forma sententiæ flagellationis Christi.

Non leuiter sed grauiter Christus flagellatus.

Esto admitteremus, Pilatum leuiter cepisse,

piſſe, adde, miniſtros crudeliter in loco publico flagellationis profecutos fuiſſe, propter illud Cœlij Rhodigini lib. 10. c. 5. *Accepto fuſte tribunus vix astingebat damnatos; deinde omnes qui in castris erant, cadentes fustibus lapidibusq; pleroſque conficiebant, vt animam agerent, & protinus morerentur.* quod ſane in Chriſti flagellatione accidiſſet, niſi diuinitus ad mortem Crucis ſeruatus fuiſſet.

Ad ſecundam. Secunda ratio falſum ſupponit, D. Hieronymum aſſeuerare, columnam flagellationis allatam ad Eccleſiam Sion ex palatio Pilati; ſed hoc non dicit, vt patet eius verba conſideranti, quæ ſic habent: *Oſtendebatur illi*, id eſt Paulæ, *columna Eccleſiæ porticum ſuſtinens infectacruore Domini, ad quam vinctus dicitur, & flagellatus.* Vides, nullam palatij Pilati mentionem ab eo fieri.

Hieronym. Epiſt. ad Euſtoch. in Epitaph. Paulæ matris.

Ad tertium. Tertiæ rationi patet reſponſio ex dictis, non fuiſſe timendum Pilato, diſcerpendum Ieſum à Iudæis, ſi publicè & ſolemniter flagellaretur. Ex quibus omnibus liquidò apparet, Chriſtum Dominum extra Pilati prætorium & ſolemniter fuiſſe iuſſu eiuſdem dirè flagellatum; & retinendam veterem traditionem de loco Dominicæ flagellationis adductam Capite præcedenti. Neſcio qua traditione, aliòve fundamento Frater Bernardinus Amicus oculatus inſpector, aliaſque de locis ſanctis benè inſtructus, illud à ſe prolatum aſſeuerit. Et non conſtare, & dicta & dicenda Lib. v. de columna flagellationis Chriſti, ampliùs comprobabunt.

CAPVT VII.

An ſemel, vel pluries, & quoties Chriſtus Dominus fuerit flagellatus.

CHriſtum Dominum humani generis Conditorem & Reparatorem tempore ſuæ acerbiſſimæ paſſionis pro hominum ſalute grauiſſimè cæſum, & innumeris ferè flagellis & plagis fuiſſe flagellatum, non hic quæritur, ſed ponitur. Benè illud cum aliis inueſtigamus: An vna, vel pluribus vicibus; & ſi pluribus, quot, & quando, cuiúſve iuſſu vel impulſu tot verbera humani generis Reparator ſuſtinuerit.

Tres ſententiæ. Prima, quòd Chriſtus vnica vice fuit flagellatus. In propoſita difficultate tres ſententias eſſe poſſe reperio. Prima eſt dicentium, quòd vna dumtaxat vice fuit flagellatus; huius à Ioanne Carthag. Tom. 1. lib. 10. Hom. 12. recenſentur eſſe Lyranus in cap. 19. Ioan. Cornelius Ianſenius 2. p. Concord. Cardinalis Toletus in c. 19. Ioan. & Suarez 3. p. Tom. 2. diſp. 55. ſec. 2. Hæc flagellatio iuſſu Præſidis intra vel extra palatij atrium facta fuit, de qua Euangeliſtæ, & nos ſuprà duobus proximè præcedentibus Capitibus.

Secunda, duabus. Secunda, eorum qui duabus vicibus, vt Eckij de Paſſione Chriſti artic. 4. conſid. 5. Mallonij de Sindone Chriſti c. 6. Maldonati in c. 27. Matth. & aliorum: qui in duplici eſſe poſſunt differentia, cùm quidam dicant, ſemel inſcio Pilato, & iterùm eodē præcipiente, vt flagellatus dimitteretur; quidam bis, & ſemper Præſidis iuſſu; primò, vt dimitteretur, ſecundò, vt poſtea crucifigeretur; lege apud Romanos præcipiente, vt crucifigendi priùs vapularent. Hac ratione fuiſſe Chriſtum flagellatum docet D. Hieronymus in Matth. 27. & verba eiuſdem Euangeliſtæ indicare videntur, quæ ſunt: *Ieſum autem flagellatum tradidit eis vt crucifigeretur.* Quaſi ea de cauſa flagellatus fuiſſet, vt poſteà crucifigeretur.

Botius De triumphanti cruce lib. 1. c. 13. dicit hanc ſecundam ſententiam poſteriori modo intellectā inniti veritati; tum quia ex clara notitia habemus, duas exſtitiſſe colūnas, ad quas Chriſtum Dominum ligatum & flagellatum fuiſſe iuſſu Pilati aſſeritur; alterā Ieroſolymis, alteram Romæ in veneratione habitam: tum quia nō complures tantùm noſtrorum temporum Doctores affirmant, verùm & ipſe quoque S. Ioannes Chryſoſtomus in Matth. cap. 27. apertè aſſeruit: nam textum ſancti Matthæi exponens, ac verba præſertim illa, quibus Euangeliſta ſanctus refert, Pilatum perfidorum Iudæorum importunitate fatigatum, Barabbam homicidam ac latronem dimiſiſſe, Chriſtumque Dominum flagellis cæſum, crucifigendum illis tradidiſſe: *Tunc dimiſit illis Barabbam, Ieſum autem flagellatum tradidit, vt crucifigeretur.* Hæc verba allegans S. Chryſoſtomus: *Cur autem*, inquit, *flagellauit, & poſtmodum dimiſit?* quibus planè patet, Chryſoſtomum cenſuiſſe, Pilatum iam ſemel Chriſtum flagellis cecidiſſe, antequam militibus crucifigendum traderet. Et poſt cetera S. Matthæi verba, quibus paſſionis Domini ſacram hiſtoriam proſecutus, addit; quòd Chriſto Domino tradito à Pilato, vt iuxta Iudæorum deſiderium crucifigeretur, milites eum rapientes, atque in prætorium introducentes, congregauerunt ad illum vniuerſam cohortem; ibique eum veſtimentis expoliantes, chlamyde purpurea induerunt, ac ſpinea corona ipſius caput redimitum, arundine percutiebant, quò ſpinarum aculeis aſperiùs pungeretur; & genuflectentes, vt regem per ludibrium adorabant, aliiſque iniuriis pænè infinitis ac probris afficiebant. Idem S. Chryſoſtomus hæc inſuper adnectit: *Conuitiabantur mili-*

milites, inquit, *ac insultabant, vel Iudæis gratificantes, vel suis depravatis vtentes moribus. Multigenis autem contumeliis ipsum afficiebant: nam in diuinum caput illud modò quidem colaphos impingebant, modò autem spinea corona dehonestabant, modò verò arundine percutiebant viri execrabiles atque scelesti. Et non caput duntaxat, sed & vniversum corpus illud sanctissimum contumeliis est affectum. Nam facies quidem sputis oppletur, maxilla palmis tunduntur, & reliquum corpus flagellis atteritur.* Quibus profectò verbis manifeste patet, sanctum Ioannem Chrysostomum eius quoque opinionis fuisse, atque apertè innuisse, Christum Dominum bis flagellatum fuisse; semel nempe antequam morti adiudicatus esset, atque iterùm, postquam Iudæorum furore ac immanitate impellente, Pilatus, crucis in eum lata sententia, militibus illum tradidit crucifigendum.

Tertia, tribus. In tertia sententia possunt numerari dicentes, fuisse ter Christum flagellatum, in domo Caiphæ primò, inscio Pilato; secundò, eiusdem Pilati iussu, vt dimitteretur; tertiò, vt crucifigeretur.

Tribus Propositionibus difficultas explicatur. Si meam licet proferre sententiam, quam cum aliqua ex præcedentibus coincidere non abnuo, eam tribus explicabo Propositionibus, ex quibus duo concludam, alterum, quod pium est credere, alterum, quod de fide tenendum est.

Prima. Christum priùs in Caipha domo inscio Pilato flagellatum. PRIMA PROPOSITIO sit. Christus Dominus fuit semel flagellatus in Caiphæ domo Pilato inscio, & antequam ad eum duceretur. Hæc pietati consentanea est. Ita tertiæ sententiæ sectatores, & priores secundæ; nec illam negant patroni primæ, vel posteriores secundæ: isti enim dum semel vel iterùm fuisse flagellatum dicunt, & iussu Prælidis, semper de flagellatione, cuius memineruntEuangelistæ, loquuntur, & non de ista, de qua nos cum aliis.

Obiectionis solutio. Nec obstat, sanctos Euangelistas illius nullam fecisse mentionem; multa namque silentio præterierunt, vel ob illorum multitudinem & magnitudinem. Quare sicut alia nostræ salutis præclarissima mysteria paucis explicarunt, vt incarnationis, illis voculis, *Verbum caro factum est*; mortis, *Expiravit*; & resurrectionis, vt præteream cetera, *Surrexit, non est hîc:* ita hoc flagellationis paucis illis verbis fuit explicatum: *Apprehendit Pilatus Iesum, & flagellavit*, Ioannis 19, 1. Vel ob ipsorummet Euangelistarum dolorem, qui se non potuerunt in plura diffundere; vel denique; aliis rationibus à piis Auctoribus excogitatis prætermissis, vt materiam meditandi, & ampliùs meditatione merendi, relinquerent piis fidelibus.

Magna mysteria paucis ab Euangelistis explicata.

De ista flagellatione Daniel Mallonius in hunc modum scribit: *Postquam Caiphas in cathedra pestilentiæ sedens cum concilio malignantium, impiam illam in Christi caput sententiam protulisset, dicens, Reus est mortis, Christũ impijs ministris tradidit, cantè vsquedum illucesceret custodiendum, grauissimisq; ignominijs afficiendum; præcipiens eis, vt eum intè custodirent: protinus turba satellitum in teterrimum carcerem, in eiusdem Caiphæ palatio existentem, cuius adhuc dicuntur exstare vestigia, coniiciunt: ibi ad lapideam columnam vinctis post terga manibus ligant, pugnis, calcibus, colaphis, alapis, loris, flagellis contundunt, suamq; in eum rabiem effundunt; adeoq; crudeliter tractant, vt proximum morti vix non vita prisent.*

Secunda. Christus post dictam flagellationem iussu Pilati flagellatus. SECVNDA PROPOSITIO. Christus Dominus fuit flagellatus iussu Pilati Præsidis; & sanè post illam flagellationem priorem, vt posteà liberaretur à morte. Ita indicat Augustinus Tract. 106. in Ioan. *Hoc*, inquit, *Pilatus non ob aliud fecisse credendus est, nisi vt eius iniuriis Iudæi satiati, sufficere sibi existimarent, & vsque ad eius mortem sæuire desisterent.* In eadem sententia sunt Cyrillus lib. 12. cap. 15. Chrysostomus Homil. 83. & alij: quæ videtur mihi de fide tenenda, cùm manifestè Lucas 23, 22. eam tradat his verbis: *Corripiam ergo illum, & dimittam.* Et Pilatũ voluisse Christum dimittere post flagellationem, spineam coronationem, & ostensionem populo, docet sanctus Ioannes 19. cap. & benè explicat Gretserus Tomo 1. de S. Cruce lib. 1. cap. 9. & nos inferiùs cum Cardinali Toleto magis explicabimus.

Non fuit tertiò flagellatus. TERTIA PROPOSITIO. Christus Dominus non fuit tertiò flagellatus, hoc est, postquam fuit flagellis cæsus, vt dimitteretur; nec secundò iussu Pilati, vt posteà crucifigeretur. Probatur ex eo, quòd antiqui & recentiores Doctores ita docent; & opposita, nisi Euangelio aduersetur, saltem ex eo non deducitur, & nouitatem habet, de qua Cardinalis Toletus in Ioan. cap. 19. Annot. 1. in hunc modum scribit: *Sed hæc opinio, præter eius nouitatem (nemo enim antiquorum Patrum, qui rem diligentissimè & denotissimè considerarunt, tale quid asseuerauit, nec proposuit) etiam contextui accommodari non potest. Et est argumentum efficax:* *Efficax ratio.* *quam enim flagellationem Matthæus narrat, vt ipsi Auctores eius opinionis affirmant, ea est quæ vltimò est facta ad crucifigendum; at hæc est eadem cum ea, quam narrat Ioannes: quod eo probatur, quòd Matthæus tunc coronatum spinis & veste purpurea circumdatum dicit, & idipsum Ioannes refert. Constat autem hanc Ioannis non esse factam ad crucifi-*

gendum:

gendum: nam, vt ex Ioanne habetur, coronatum ſpinis, & veſtitum chlamyde, Pilatus populo Chriſtum oſtendit poſt flagellationem, & voluit eum liberare, multumq; recuſauit crucifigere: igitur non eſt facta crucifixionis cauſa flagellatio, cuius meminit Matthæus, vt breuibus verbis hoc ſit argumentum. Matthæus & Ioannes eamdem deſcribunt flagellationem, vt ex circumſtantiis conſtat: at quam Ioannes narrat, non fuit ad mortem, ſed vt liberaret eum. Igitur illa Matthæi eodē fine & cauſa facta eſt. Matthæus autem per anticipationem quamdam crucifixionis fecit mentionem, quod certiſſimo argumento conſtat: nam refert tunc coronatum, & chlamyde veſtitum, cùm tamen habeamus ex Ioanne, hoc factum eſſe ante latam mortis ſententiam: imò cùm eum corona & chlamyde indutum populo oſtenderet, dixiſſe Pilatum, ECCE HOMO, *& eum liberare voluiſſe. Ad legem autem illam Romanorum reſpondendum eſt, iam eſſe flagellatum Chriſtum, nec opus erat, vt ea intentione & cauſa iterùm flagellaretur: quia flagellatio fiebat ante crucem, vt per eam homo velut à corpore ciuium tamquam ſeruus ſepararetur, tanto dedecore affectus. Id autem iam flagellatio iſta effecerat; & forſan Pilatus ea pœna eum affecit, vt liberare poſſet, ſi populus placaretur: ſin minùs, ad crucifigendum diſponeret. Adde, non eſſe certum, an iſta flagellatio, qua à Romanis inferebatur ante crucem, fieret cum externis, præter Romanos: nam & latrones, qui crucifixi ſunt cum Domino, flagellatos non legimus. Multò igitur probabilius eſt, Chriſtum ſemel flagellatum eſſe, nec contraria opinio ſolido nititur fundamento.* Hucuſque Toletus.

Vnus flagellatus.

Ad Baſium. Ex his apparet, quid reſpondendum ſit ad ea quæ pro ſecunda adducebãtur flagellatione iuſſu Pilati poſt primam inflicta, vt poſteà crucifigeretur. Nec oppoſitum, quantum animo complector, dixit Chryſoſtomus: tantùm enim opprobria Chriſto illata retulit, non ad temporis ordinem, ſed ad corporis Chriſti partes reſpiciens, ipſum non in vna ſolùm vel altera corporis parte, capite nempe, facie vel genis percuſſum, & dehoneſtatum, ſed toto corpore flagellatum aſſerens. Et profectò, ſi hoc non dicatur, ſed quòd eo ordine quo fuerunt illata Chriſto probra retulerit, dicere cóntra Euangelicam veritatem oporteret, quod Saluator ante ſpineam coronationem flagellatus minime fuerit, quia antè flagellationis non meminit alia recolens opprobria; &, contra Boſium, quod ſemel tantùm fuerit flagellatus poſt coronationem, vt crucifigeretur. Ad traditionem de duplici columna poſteà reſpondebitur.

Quantum ad tradita à Toleto vt prius adducta placent; ita quæ poſteriùs addit non probantur: non eſſet inquam certum, exteros crucifigendos priùs ſolitos flagellari, &c. tùm quia non videtur probabile, Romanos mitiùs cum exteris, & eiſdem inuitis Hebræis, quàm cum propriis Romanis vel ſibi contœderatis ſe geſſiſſe: tum quia, Hebræos crucifigendos à Romanis, priùs flagellari ſolitos, perſuadent veterum Scriptorum exempla. *Iudæi*, ait Ioſephus lib. 5. Excid. cap. 32. *flagellati, & præcruciati ante mortem, omnis generis verberibus crucifigebantur.* Philo contra Flaccum, narrans Iudæos actos in crucem à Flacco, hoc addit: *Poſtquam flagellati fuiſſent in theatro.* quaſi mos eſſet illos flagellis cædi, antequam in crucem agerentur. Quare, vt legi ſatisfieret, Pilatum, Chriſtum & latrones verberatos morti tradidiſſe, credendum eſt.

Poſteriùs dicta à Toleto non probantur.

Romanos etiã exteros flagellaſſe probatur.

Et quod non latrones illos fuiſſe flagellatos legatur, minimè officit: ſilentio namque illorum flagellationem Euangeliſtæ præterierunt; tum quia non fuit illorum mens enarrare paſſionem latronum, niſi quatenus in dedecus Chriſti exurgebat, vt quòd medius, quaſi ipſorum caput, fuerit cum eiſdem crucifixus, & Prophetæ vaticinium tunc fuiſſe impletum indicarent, *Et cum ſceleratis reputatus eſt*, Iſaiæ 53, 12. ſed quòd fuerint illi flagellati, non Chriſto dedecus vel dolorem augebat, ſed potiùs, ſi non flagellati fuiſſent, quaſi mitiùs & humaniùs cum impiis quàm cum ipſo iuſtiſſimo actum eſſet: tum quia flagellationem ex communi lege inuiolabiliter obſeruandam ſupponebant. Chriſti verò flagellationis mentionem fecerunt, licet eâ legi ſatisfactum fuerit, ob alium præcipuum finem, vt pòſt dimitteretur Chriſtus, & vt diſtinctiùs nobis eius paſſionem referrent. Supponit etiam Toletus, latrones illos fuiſſe Iudæos: quod dubio vertitur.

Difficultatis ſolutio.

Nec D. Auguſtino, Cyrillo, Chryſoſtomo, & ipſis Euangeliſtis aduerſatur D. Hieronymus in aſſignanda ratione flagellationis Chriſti: etenim iſte attigit ſecundariò intentam à Pilato, & ab Euangeliſtis prætermiſſam; illi enarratam ab eiſdem, & primariò à Pilato intentam, quam doctiſſimum ſingulariter in ſacris Litteris Hieronymum negaturum ſuſpicandum non eſt.

Igitur vt breuiter hoc Caput & difficultatem de flagellatione Chriſti abſoluamus, dicimus, duabus vicibus dumtaxat fuiſſe Redemptorem noſtrum flagellatum; prima vice in Caiphæ domo, inicio Præſide Pilato, & hanc piè credimus: ſecunda vice iuſſu Pilati extra ſuum palatium; primò, vt poſteà dimitteretur; ſecundò, ſi non dimitteretur, eſſet illa diſpoſitio ad mortem.

Dictorum collectio.

tem. Quare alteram flagellationem poſt iſtam tamquam ſuperuacaneam reiecimus; hanc nedum Doctorum, ſed ipſius Euangeliſtæ auctoritate firmatam tenemus; illam verò duplicis Dominicæ flagellationis ſententiam modo explicato, omnium ferè illorum eſſe credimus, qui bis Chriſtum fuiſſe flagellatum docent, vt D. Bernardi lib. de Conuiuio Ieſu Chriſti Crucifixi, B. Laurentij Iuſtiniani lib. De triumphali agone cap. 10. S. Anſelmi Tract. De paſſ. Domini, Bernardini Buſti in Paraſceue, Landulphi De vita Chriſti, Lanſpergij in Theor. De paſſione Chriſti, Guilielmi Pipini in Statione 3. Chriſti patientis, & aliorum plurium. Quod poſſet probabiliter perſuaderi ex duplici columna, cui alligatus & flagellatus dicitur Chriſtus, cuius vnius pars præcipua in templo ſanctiſſimi Sepulchri Ieroſolymis aſſeruatur, & altera integra Romę in Baſilica S. Praxedis. De qua duplici columna incidet ſermo Lib. v. Cap. XII. 1. Peregrinat.

Reſponſio ad Auctores primæ ſententiæ.

Huic ſententiæ, vt diximus, non refragantur, qui docent, ſemel fuiſſe Chriſtum ruſſu Præſidis flagellatum; quoniam non de omni iſti in vniuerſum flagellatione loquuntur, ſed dumtaxat de illa ab Euangeliſtis enárrata, quæ verè vnica fuit.

CAPVT VIII.

De palatio Herodis Tetrarchæ Galilææ, tertio memorabili loco Viæ Crucis.

EX Palatio Pilati rectà procedendo per Viam Crucis quantum iactus eſt lapidis, & ad dexteram vertendo, ſimili pertranſito ſpatio, in capite Viæ eſt palatium quod Herodis appellatur: ſitum eſt in Aquilonari plaga palatij Pilati, Salomonici templi, & ipſius ciuitatis, vergendo parum ad Occidentem: de cuius forma & ſtructura priuſquam agam, rationem nomenclaturæ inquirendam duxi.

Ieroſolymis duo palatia Herodis dicta.

Notandum itaque, duo extitiſſe Regia palatia Ieroſolymis, quæ Herodis dicebantur: alterum ædificatum à ſeniore Herode Aſcalonita, Innocentium interfectore; alterum à iuniore Agrippa, qui Iacobum decollauit, & Petrum miſit in carcerem, Regibus Ieruſalem. Ille ſuum ædificauit priùs in ciuitate ſuperiori, ſiue Dauid, & eius Aquilonari plaga; iſte poſteriùs, poſt Chriſti nempe mortem, ſuum extruxit in ciuitate inferiori in Occidua parte templi, & non longè ab ipſo, vt ſtatim ex Ioſepho apparebit.

Regia Herodis Aſcalonitæ.

De priori Regia hæc ſcribit Ioſephus 1. Bell. c. 16. *Domo ſibi Regia in ſuperiori parte ciuitatis extructa*, &c. & 15. Antiq. c. 12. *Rebus igitur in priſtinam felicitatem reſtitutis, Regiam in ſuperiori vrbis parte ædificauit, extructis ædibus ampliſſimis, exornatiq; auro, & marmoribus, & ſubſellijs, vt magnum virorum numerum poſſent capere; domibus etiam pro cuiuſque dignitate appellatione inditis, vt vna diceretur Cæſaris, Agrippæ altera.* & 6. Belli cap. 6. oſtendit fuiſſe ædificatam in huius ciuitatis Septemtrionali plaga, dum dicit: *His autem*, id eſt, tribus turribus, Hippico, Phaſælo, & Mariamne, *in Septemtrionali parte poſitis, intus aula Regia coniungebatur*, &c. & poſt multa adiungit: *Et ſuperioris ciuitatis aliud caſtellum Regia Herodis erat.* Ex his omnibus liquidò conſtat, ſenioris Herodis Regiam in quodam colle montis Sion poſitam fuiſſe, non vbi Dauidis Regia, quæ erat in medio montis: qui collis ad Aquilonem & Occidentem vergebat, prope antiqui Dauidici muri Aquilonarem partem; in qua tres illæ celebres memoratæ turres ab eodem Herode conſtructæ erant.

Regia Herodis Agrippæ.

De poſteriori Regia Agrippæ hæc idem Ioſephus lib. 20. Antiq. c. 7. aliàs 15. *Eodem tempore Agrippa Rex extruxit inſigni amplitudine domum prope porticum in Regia Ieroſolymitana, quæ Aſſamonæorum fuerat*, &c. at hæc erat in inferiori ciuitate. Hæc, pluribus aliis collectis Ioſephi teſtimoniis, fusè probat Villalpandus To. 3. Appar. p. 1. lib. 2. c. 5.

Palatij Herodis nominis ratio.

Palatium Herodis, de quo loqui propoſuimus, vnde accepit denominationem, & à quo Herode? Omiſſo tamquam manifeſto, quod non ab Herode Agrippa, quoniam tempore Chriſti non erat ædificatum, quia Rex Ieruſalem pòſt creatus fuit, vt liquidò patet: ſed hoc erat tempore Chriſti, vt dicemus.

Adrichomius in deſcriptione Ieruſalem n. 137. *Ab Herode Aſcalonita, qui illud ædificauit iuxta Occidua vrbis*, id eſt inferioris, *mœnia*, &c. in quo Chriſtus coram Herode Antipa tempore ſuæ paſſionis præſentatus fuit.

Sed non videtur poſſe defendi Adrichomij ſententia: tum quia, vt probatum fuit, Herodis Aſcalonitæ Regia erat in ciuitate ſuperiori; ſed ipſe in inferiori eam deſcripſit, & delineauit: tum quia, etſi fuiſſet ædificata in inferiori, non in ſitu ab eo aſſignato Occidentali, ſed potiùs Aquilonari collocanda erat; in iſto enim à Bonifacio & ab omnibus Ieroſolymitanis palatium Herodis agnoſcitur, in quo Chriſtus tempore ſuæ paſſionis fuit. A quo ergo Herode denominabitur, cùm alter à memoratis non legatur inſignem aulam ædificaſſe Ieroſolymis?

Probabiliter dicerem, ſuppoſito vera eſſe quæ

Digitized by Google

quæ ex Iosepho retulimus, Herodis palatium nomenclaturam haud accepisse à senioris Herodis Regia, neque ab altero eius nepotis Agrippæ Archelai filio, sed ab altero Antipæ maioris Herodis filio; in quo, dum Ierosolymis erat, hospitabatur. Probatur, quia si non ab illis, igitur ab alio. Si dicatur, quare non habitabat in Regia patris? Respondeo, quia mortuo patre, Regnum quod ipse à Cæsare obtinuerat, fuit ab eodem Augusto non vni ex tribus, Archelao, Herodi Antipæ, & Philippo, Herodis Ascalonitæ filiis, concessum, sed inter ipsos distributum, vt scribit Iosephus lib. 14. Antiq. cap. 26. & lib. 17. cap. 23. & Ethnearchas siue Tetrarchas, id est, Principes nominauit. Itaque partem Regni Herodis dedit Archelao, quæ Iudæam, Idumæam & Samariam continebat; Herodi Antipæ Galilæa cessit, regioque trans flumen; Philippo denique Batanæa, Traconitis regio, & Auranitis tradita fuit. Ideò non mirum, si, cùm esset hic Herodes Antipas Ierosolymis, non habitabat in patris Ascalonitæ Regia, quia ipsius, sicut nec Ierusalem, non erat. Debuit verò sibi comparasse ibidem nobile palatium, quale Principem Tetrarchamque decebat, vt veniens Ierosolymam haberet vbi commodè hospitaretur, quod ab eo Herodis palatium diceretur; & hoc esse opinamur, de quo nunc loqui intendimus.

Hoc probabiliter ex D. Lucæ 23, 7. persuaderi potest: vbi legimus, quòd cùm Pilatus intellexisset Christum esse Galilæum, & consequenter de Herodis potestate, qui Galilææ præerat, *remisit eum ad Herodem, qui & ipse Ierosolymis erat illis diebus. Ierosolymis*, inquit, *erat illis diebus*, quia non continuè ibi, sed in Galilæa morabatur; qui occasione Paschalis solemnitatis, relicta Galilæa, Ierosolymam se contulerat, & in dicto palatio hospitabatur.

Palatium hoc, post tot clades & ruinas ciuitatis, adhuc pulchrum & commodum est, non inferius multis domibus sanctæ ciuitatis, quin eas pro maiori parte excellentia & pulchritudine superat; siue sit illud idem, siue aliud ad pristinam formam reædificatum. Deforis constructum apparet ex politis quadratis lapidibus albis & nigris, qui pulchrum exhibent aspectum; quod satis latum, & secundùm proportionem altum.

Palatij Herodis forma.

Palatium hoc est perpetua memoria & veneratione dignum, propter ea quæ in eo circa Christum acciderunt: quorum intuitu à piis antiquis fidelibus extructa ibi fuit Ecclesia, vt mox dicemus.

Gesta in Herodis palatio.

Quæ autem in eo acciderint, sequentia sunt, summatim ex sacris Euangelistis collecta. Christus Dominus tempore suæ sanctissimæ passionis, quòd Galilæus esset, amandatus fuit à Pilato Præside sanctæ ciuitatis ad Herodem Antipam, qui tunc temporis erat Ierosolymis, vt de iis iudicium faceret, de quibus eum accusabant Iudæi. Coram Herode præsentatus Christus, multùm ille gauisus, quòd multa de eo audisset, & iam diu eum videre optasset, vt aliquod miraculum videret. Qui de multis ab Herode interrogatus, & à Iudæis de pluribus accusatus, iactantiam declinans, & quia non merebatur, vt inquit Ambrosius, videre diuina, nec aliquod signum fecit, nec responsum vllum dedit. Quæ causa fuit, vt illum, qui Verbum & Sapientia Dei Patris est, spreuerit Herodes, & vt fatuum ac morionem veste alba indutum ad Pilatum remiserit. Quibus peractis, cùm anteà inimici essent Herodes & Pilatus, amici in ipsa die facti sunt. Qua amicitia typicè indicatum fuit, in fine mundi amicitiam inter populum Ethnicum & Iudaicum ineundam, hunc in Herode, illum in Pilato præfiguratum, vt dixit idem Ambrosius, & Christum omnis amicitiæ inter homines originem esse: atque tempore passionis omne odium à Christianis auferendum, ex quo ea die illud à cordibus suis præciderunt perditi illi homines.

Tempore passionis Christi odium deponendum.

De veste alba, qua Christus fuit ab Herode illusus, plura vide apud Cardinalem Baronium Tom. 1. Annal. sub annum Christi 34. In hoc Herodis palatio creditur fuisse absconditum caput Ioannis Baptistæ ab impia Herodiade. sed de hoc Lib. VII. Cap. I. 11. Peregrinationis.

In palatium Herodis ingressu difficultas.

Difficilis est in hoc palatium ingressus: & ego in fine quarti anni, quo Ierosolymis fui, & si pluries anteà ingredi tentauerim; ad ipsum interiùs videndum vix admissus fui. Quare de domo ista dixit Bonifacius: *Non accedatis ad eam, quia qui in illa manent, illudunt Christianis, & perdunt eos, imitantes spiritum erroris, & feritatem Herodis: sufficit enim tibi è regione mysterium agnoscere, & adorare in eo Christum.* Nunc temporis eò quidem accedere non prohibentur, neque illuduntur fideles, quantum vidi; etsi tantùm, persoluto pretio, & cum difficultate ingredi concedatur. In parte ipsius superiori pulchra monstratur aula, in qua coram Herode fuit Christus præsentatus, prout Fr. Anselmus Minorita testatur; quæ posteà à piis fidelibus, in memoriam ludibriorum Christi, in Ecclesiam conuersa, etiamnunc Ecclesiæ similitudinem retinet. Quare non mihi probatur, quod à quibusdam asseritur, qui fortè ad proprium locum visendum admissi non fuere, in vestibulo, vel ingressu huius domus, vbi quædam

dam eſt feneſtella, quam columnella partitur, fuiſſe Chriſtum ab Herode viſum, & ſpretum: in tribunali enim & Regia aula iudicantur fontes. Egimus de palatio Herodis, non quòd ad illud accedamus, quando Viam Crucis conficimus; eſt enim extra eam, ſed quia à longe ipſum ſalutamus, & ad eorum quæ in Chriſti paſſione contigerunt hiſtoriam continuandam. Sanutus lib.3. Part.14.c.10. inquit: *Non longè à palatio Herodis monſtratur domus Iuda proditoris, in qua cum vxore & filiis morabatur.*

Domus Iuda proditoris.

CAPVT IX.

De arcu Pilati, in quo Chriſtus Dominus ſpinis coronatus populo oſtenſus fuit, & à Pilato dictum, ECCE HOMO, *qui quarto loco in veneratione habetur in Via Crucis.*

QVartus memorabilis & omni veneratione dignus locus, qui in Via Crucis occurrit, eſt arcus Pilati, de quo modò agentes duo præſtabimus. Primò, nominis rationem, & illius vſum & præſentem conditionem aperiemus. Secundò, quo nomine antiquitus appellaretur, cuique vſui deſeruiret, inueſtigabimus.

Arcus Pilati forma.

Quantum ad primum, locus iſte eſt pons ſiue arcus eleuatus ſupra Viam Crucis, qui duobus fulcitur muris, altero, qui ſiniſtram partem viæ claudit, vel facit; altero, qui ad dexteram, ſed vltra murum viæ; nouo namque muro videtur partitus. Supra arcum eſt locus velut porticus, ſed nunc ſub dio; vbi ſunt duo minores arcus, ſiue vnus magnus, ferè inferiori ſuſtentanti reſpondens, parua columna diuiſus; qua velut duæ feneſtræ efformantur. Hinc eſt proſpectus ad Orientem & Occidentem vrbis, ad domum Pilati, & portam Iudiciariam. Adſcendimus ad eum ex domo proxima palatio Pilati, & ſola via ab illo ſeiuncta arcui proxima, imò ad eum ſpectante: diſtat ab æde Pilati quantum iacit arcus.

Dicitur arcus Pilati, quia in modum arcus exſtructus eſt; & quia ipſe iudex Chriſtum Dominum noſtrum flagellis cæſum, ſpinea corona redimitum, veſte purpurea indutum, & omnibus affectum paſſionibus & contumeliis in eum adduxit locum, populo inferiùs ſpectante ex oppoſito palatij Pilati; ad quem conuerſus, patientem Chriſtum oſtendit, & dixit: ECCE HOMO, Ioan.19,5. ſed cùm tali ſpectaculo nõ emollirentur ferina Iudæorum corda, ſed maiori furore accenderentur, ac dicerent: *Crucifige, crucifige eum*, Ioan. 19,6. iterùm Pilatus Chriſtum ad iudicium reuocauit, non tamen liberauit, ſed in maius Chriſti dedecus, ſedens pro tribunali in loco qui dicitur Lithoſtrotos, oſtendit illis Chriſtum, dicens: *Ecce Rex veſter. Illi autem clamabant: Tolle, tolle, crucifige eum*, Ioan.19,14. Aſſeritur in dextera parte fuiſſe Pilatum, in læua Chriſtum.

Lapides dolati, quadrati & albi, ſupra quos ſteterunt Pilatus & Chriſtus, è veteri loco ſublati fuere, & ſumptibus & opera cuiuſdam Guardiani ſacri montis Sion, ne perderentur conculcarentúrve, quod indecens erat, quoniam ſupra ſteterunt pedes Domini, in altera parte & facie Occidentali eiuſdem arcus collocati fuere, in quibus illæ ſolæ litteræ ſculptæ, TOL TO. quæ ſigna acclamationis Iudæorum creduntur, qua, vt Pilatus morti crucis illum adiudicaret, petierunt. Et eſt communis eorum qui de locis ſanctis ſcripſerunt obſeruatio.

Lapides dolati in arcu Pilati quibus litteræ inſcripti.

Quidam rerum ſtudioſus & curioſus peregrinus mihi dixit, ſe accuratè lapides memoratos, cùm ſolis radiis illuſtrarentur, contemplatum fuiſſe, & haſce litteras obſeruaſſe, TO. C. X. qui iſtis aliquem inſignem virum ſignificari, & vetuſtum aliquod monumentum eſſe ſuſpicabatur; magis tamen aliis conſentiendum arbitror. Poſſet etiam dici has litteras, ſenſum non mutare, ſed eumdem retinere, ſcilicet, Tolle, crucifige eum qui ſe dicit Chriſtum.

Ad maiorem eorum quæ diximus intelligentiam & confirmationem, audi quid de eiſdem P. Bonifacius lib.2. de Perenni cultu Terræ ſanctæ referat: *In Via hac* (dolorosa) *ſtatim elevatis oculis videbis arcum lapideum antiquiſſimum, & ſuper arcum feneſtram, ad quam Pilatus Chriſtum flagellis caſum, & ſpinea corona coronatum adduxit Iudæis, vt cognoſcerent, quia in eo non inueniebat mortis cauſam, ſicut ait Ioannes: Exiuit Pilatus iterùm foras, & dixit Iudæis: Ecce adduco eum vobis foras, vt cognoſcatis, quia nullã cauſam mortis inuenio*, &c. & addit: *Iſta verba, Tolle, tolle, crucifige eũ, in medio eiuſdẽ arcus in lapide magno ſculpta videbis. Turba cum Pontificibus & Scribis in platea ſtabat, quando ſic turbata contra ſuum Saluatorem clamabat, eum è medio tollendum.* Hæc ille.

Venetiis ſupra chorum illuſtriſſimæ ac celeberrimæ Eccleſiæ S. Marci hinc inde oſtenduntur quatuor columnellæ, duæ ex vna, & totidem ex altera parte, duas conficientes feneſtras, clauſas tamẽ; & in vtriuſq; medio eſt Angelus crucem deferens opere muſaico elaboratus: harum Ioannes Stringa in ſua Venetia lib.1. cap.40. mentionem faciens, ait, dictas columnellas Ieroſolymis fuiſſe in domo & ſuggeſto Pilati, vbi ſtãs vt Iudex Chriſtũ populo oſtẽdit, dicens, ECCE HOMO.

HOMO. Et quoniam posteà Christus, baiulans sibi crucem, ad Caluariæ montem exiuit, vbi crucifixus fuit, ideò intra illas columnellas Angelus cum cruce delineatus fuit.

Fieri potuit, vt nobiles piiq́ue Veneti inter alias sacras Reliquias, & pietatis monumenta, quæ ex Oriente Venetias detulerunt ad decorem & tutelam ciuitatis, prædictas columnellas, tamquam perpetuum opprobrij Saluatoris monumentum Venetias deportasse. Ceterùm his obstare videtur iam à nobis adducta Ierosolymitana traditio. Fortè hæc conciliarentur, si diceretur, tempore Christi ad hunc vsque arcum se extendisse Prætorium Pilati, vt sentit Bonifacius, & dictas columnellas iudicialem Præsidis sedem & thronum exornasse; sed probabiliùs, in Pilati solio in Prætorio fuisse, vbi secundò Christum ostendit, dicens: *Ecce Rex vester*; qui inde baiulans sibi crucem, ad Caluariæ montem iuit.

Arcus Pilati vetustissimum Ierosolymæ monumentum.

Hic arcus, qui præ vetustate pænè demolitus, creditur absque vlla hæsitatione vetustissimum esse sanctę ciuitatis monumentum. Quare meritò quæri potest, quî antiquitus appellabatur, & ad quem finem erectus. Bonifacius respondet, fuisse Prætorium iudicis. *Hîc*, inquit, *ante destructionem templi & euersionem Ierusalem fuit Prætorium Pilati; nunc, vt cernis, Prætorium in duas partes scissum est, & in publicam plateam versum*, &c. id est, viam.

Quomodo antiquitus appellabatur, & cui vsui deputatus erat.

Prima sententia. Reiicitur.

Huic opinioni duo obstare mihi videntur. Alterum, quòd ante destructionem Ierusalem hîc esset Prætorium; nam suprà de Pilati palatio agentes, in eo esse Prætorium diximus, quod posteà in Ecclesiã à fidelibus conuersum: neq; capio, quomodo ad hunc vsque locum potuerit se Prætorium extendere, nisi Prætorij nomine intelligat Bonifacius quemlibet locum in quo actus iudiciales exercebantur; sed tunc quæ ponitur locorum distinctio, vt atrij, Prætorij, &c. auferretur.

Extra Prætorium Christus populo ostensus.

Alterum quod obstat, est, quòd non in Prætorio, sed extra Pilatus Christum Iudæis ostendit, vt Ioannes 19, 4. hisce verbis aperte docet: *Exiuit ergo iterùm Pilatus foras, & dicit eis: Ecce adduco vobis eum foras, vt cognoscatis, quia nullam inuenio in eo causam. Exiuit ergo Iesus*, &c. hoc est, extra Prætorium, vt dicunt interpretes. Cardinalis autem Toletus in præmissorum verborum Commentario dicit: *Est autem verborum sensus talis, Ecce ego adduco foras extra Prætorium, vt significem me non inuenire causam damnandi eum; si causam inuenissem, non erat cur vobis ego eum foras adducerem, sed in Prætorio sententiam mortis tulissem; ille enim locus est ferendæ sententiæ: at eum foras adduco, quia sententiam ferre in eum non possum, nulla inuenta damnationis causa.* Ita ille. Igitur si in prædicto arcu fuit Christus à Pilato ostensus, vt etiam fatetur Bonifacius, ille Prætorium non erit, nec ad Prætorium spectabit.

Secunda sententia.

Adrichomius in Descriptione Ierusalem n. 120. vetus nomen & vsum huius arcus ex Iosepho Hebræo sequentibus se explicare credit: *Xystus porticus in modum pontis lapidei frequentibus arcubus supra plateam publicam ampla latitudine extructa, ac subdialibus inambulationibus ornata; per quam à palatio Pilati in Antoniam arcẽ, & inde in templum transitus erat. Ex hoc loco tutò nimirum Præsides Romani populum alloqui solebant. In quo stans Pilatus Iesum dirè flagellatum, consputum, spineamq́; in capite gestantem coronam, ac purpureo indutum pallio Principibus populoq́; Iudaico videndum exhibuit, dicens*, ECCE HOMO; *vt ita afflicto commiserarentur. At illi inconditis vocibus clamabant: Crucifige, crucifige eum. Vbi adhuc visitur, ac peregrinis ostenditur arcus quidam lapideus cum hac inscriptione, Tolle, tolle, crucifig. propter antiquitatem cetera legi nequeunt. Ex eodem xysto Agrippa Rex perelegantem habuit orationem ad populum seditiosum, hortans eos ad obedientiam Romanis. Frequenter huius xysti Iosephus mentionem facit.* Ioseph. 2. Bel. c. 16. & 5. Bel. c. 9. & 7. & lib. 6. c. 3.

Ioannes Baptista Villalpandus Tom. 3. Appar. p. 1. lib. 2. c. 6. plurimis agit de xysto: & quamuis in sua veteris Ierosolymæ imagine conueniat cum Adrichomio & veteri recepta traditione, in assignatione loci in quo Pilatus Christum spinis coronatum populo ostendit, prope nimirum Pilati domum ad Aquilonarem & Occidentalem templi plagam; tamen illi refragatur quod Adrichomius ex Iosepho docet, dictum pontem & arcum fuisse xystum Ierosolymitanum; quoniam hic non in memorata templi plaga, sed in ei opposita Meridionali & Occidentali erat. Et vt intentum percipiamus, tria breuiter ex eo sunt hîc adnotanda. *Refellitur.*

Xystus, & xystum quid.

PRIMVM est ex Vitruuio lib. 5. cap. 11. xystorum vsum apud Græcos communem fuisse, xystosq́; & xysta apud eosdem idem prorsus significare, locum inquam palæstræ tectamque porticum, in quibus athletæ per hiberna tempora exercebantur. Sed apud Latinos ex Vitruuij interprete docet Villalpandus discrimen esse inter vocem xystus & xystum, siue inter xystos & xysta: nam Latini xystos vocant porticus tectas, in quibus athletæ hiberno tempore exercebantur; xysta verò subdiales ambulationes, vbi

ſudo cælo ſuas exercebant palæſtras : niſi malis, addit Villalpandus, communi voce tam tectas porticus quàm ſubdiales ambulationes propterea xyſtos vel xyſta dici, quòd in eis exercerentur athletæ. quod probat teſtimonio Tertulliani Apolog. cap. 38.

SECVNDVM NOTANDVM ſit. Ioſephus, qui Græcè ſcripſit, quid xyſti nomine ſignificare voluerit, non integrum eſſe ſtatuere. Quandoque enim turrim ea voce indicare videtur, cùm 6. Belli c. 6. ait: *Hæc autem parte incipiens à turri cui nomen Hippicos, ad eam, quæ dicitur xyſtus, pertinens*, &c. quandoque porticum, & pontem, vt mox dicemus: & hoc à communi quodam & præcipuo loco eo nomine appellato, vt philoſophatur Villalpandus. Amplа & tecta porticus Ieroſolymis extructa erat, quæ xyſtus vocabatur; neque enim alienum fuit ab Hebræis, Græcorum motibus, ſacrificiis, ludis, ſpectaculis ritibuſque fœdari. Huius ſceleris commemoratione tam ſacræ quàm profanæ plenæ ſunt hiſtoriæ. Quoniam verò huic ponti coniuncta fuerat porticus, turris, porta & pons, ideò ex xyſti vicinia ex omnes vrbis partes eiuſdem xyſti nomine appellabantur: quaſi diceres, xyſti pons; xyſti turris, &c. Hæc clarè apparebunt ex mox adducendis Ioſephi auctoribus.

Xyſta erant ad meridiē & Occidentem templi.

TERTIVM NOTANDVM ſit. Loca quæ xyſta vocantur ſita eſſe in angulo Meridiano & Occidentali templi. Probatur, non quidem ex Scriptura, quæ nullam xyſti facit mentionem, ſed ex Ioſepho, qui eiuſdem pluries meminit. Sed duo ad intentū dumtaxat euidentia adducemus teſtimonia. In primis lib. 7. Belli cap. 13. narrat Ioſephus, quòd poſtquam Titus inferiorem vrbem ac templum obtinuiſſet, à Tyrannis ſuperiorem vrbem adhuc tenentibus, vt in colloquium veniret inductus; ille autē pro humanitate naturali, in templi inferioris Occidua parte cōſtitit. *Hîc enim*, inquit Ioſephus, *ſuper xyſtum erant porta ac pons, qui ciuitatem ſuperiorem templo iungebat, iſq; tunc inter Tyrannos ac Titum interueniebat.* Hæc ille. Quibus manifeſtè oſtendit, xyſtum in angulo Meridiano & Occidentali templi ſitum fuiſſe: quoniam tantùm à Meridie è regione templi erat ſuperior vrbs, & non ab Aquilone, vt ſatis conſtat, & alibi explicatum fuit. Deinde 1. Belli cap. 16. agens Ioſephus, quomodo Agrippa Rex commotam Ieroſolymitanam plebem ſedare contenderet, inquit: *Aduocata igitur concione in xyſtum, & in ſuggeſto conſtituens germanam ſuam Berenicem in Aſſamonæorum domo (ea ſiquidem xyſto imminebat contra ſuperiorem partem vrbis; nam xyſto templum erat ponte coniunctum) huiuſmodi orationem habuit.* Hæc ille. Ex his teſtimoniis manifeſtè colligitur, xyſtum illum pontem & per excellentiam eo nomine appellatum, ſicut & alia loca ex iſto appellata in Meridionali & Occidentali templi plaga erant, hoc cum ciuitate ſuperiori coniungens; ac conſequenter, non in parte Aquilonari & Occidentali eiuſdem templi plaga & ciuitate inferiori collocandum, vt potuit Adrichomius; ac proinde pontem & arcum, in quo Saluator noſter populo oſtenſus fuit, non eſſe xyſtum à Ioſepho memoratum.

Arcus Pilati xyſtus, quia formā xyſti habet.

Poſſet nihilominùs hic arcus xyſtus appellari, quoniam verè porticus formam adhuc retinet, ſicut & quilibet ſimilis locus eo nomine appellari poteſt; ſed quod ad illum alluſerit Ioſephus, non eſt dicendum.

Non video etiam, quomodo ex iſto arcu quis in arcem Antoniam ire potuerit, & ex illa ad templum, vt dicebat Adrichomius: arx enim Antonia longè ab eo diſtat, quæ è regione quidem eius, ſed vltra Pilati domum ad Orientem. Fateor plura Ieroſolymis ob frequentia bella & illius deſolationem mutata fuiſſe, tamen ſi coniectare licet, non placet in his ſententia Adrichomij.

Tertia ſententia.

Quid ergo hunc arcum fuiſſe, & ad quid deſeruiſſe dicemus? Si in re dubia & incomperta aliquid fari licet, dicerem probabiliter ſpeculam aliquam vel podium domus Pilati: cùm enim hæc non vulgaris & vilis eſſet, ſed ſingularis, magnifica & illuſtris, vtpote Romani Præſidis, & nobiliſſimæ ciuitatis & prouinciæ, multa loca eam habuiſſe non eſt ambigendum, alia commodæ habitationi opportuna, alia ad luxum & voluptatem capeſſendam accommodata, ad viatores aſpiciendum, ad ciuitatem, ſuburbana aliaque circumiacentia loca contemplandum; quemadmodum in ſimilibus domibus ac palatiis talia eſſe loca experientia ſcimus. Et hunc, explicata illius ſitus conditione, huiuſmodi fuiſſe mihi perſuadeo.

Igitur cùm optimè ſciret Pilatus, ſuperſtitioſos Iudæos non ad eum in Prætorium propter ipſorum Paſchæ ſolemnitatem ingreſſuros, & quia atrium non tot capere potuiſſet Iudæos, qui Chriſtum viderent non formam ſpeciemque Regis & Filij Dei habentem, ſed opprobrium hominum, abiectionem plebis, & velut leproſum factum, vt furori & indignationi cederent, afflictoque afflictionem non adderent, ſed compaterentur; vel etiam quia æquum non arbitrabatur iudex, impietatem & iniuſtitiam in loco iudicij exercere, foras Ieſum eduxit, & in illum eminentem patentemque adduxit locum, vbi ipſe omnes videre, & ab omni-

Digitized by Google

omnibus videri posset: ibique coram vniuersa Iudæorum & Gentilium multitudine inferiùs existente, ferum illud expositi spectaculum, Christum passionibus & opprobriis circumdatum ostendit, vt ex illius aspectu petrea illorum corda mollescerent, dixitque illis, ECCE HOMO; sed duriora effecta, magnis vocibus clamabant: *Tolle, tolle, crucifige eum*, Ioan. 19,15. Mea ergo hæc est de memorato arcu sententia, fuisse speculam vel podium domus Pilati, ad animi voluptatem capessendam otioque indulgendum ordinatum; quod Christo tristitiæ, opprobrij & dedecoris extitit instrumentum.

CAPVT X.

De Ecclesia sanctæ Mariæ de Spasmo, quinto loco Viæ Crucis.

CHristus Iesus ex Pilati palatio baiulans sibi crucem versus Caluariæ montem, primò transiit subtus arcum, de quo Capite præcedenti, deinde in quodam alio loco sub cruce primò cecidit, quem ex accepta traditione notat Adrichomius in Descriptione Ierusalem n. 122.

Posteà verò alius occurrit locus, in quo vir dolorũ Christus Dominus obuiàm habuit sanctissimã Matrem suam cum aliis sanctis mulieribus: quæ cùm inter latrones onustũ cruce, plenum doloribus & opprobriis intuita fuisset, nimio dolore correpta, deliquium siue spasmum passam fuisse, cõmuni in partibus illis traditione asseritur; & insigni ibi extructo templo, tamquam nobili per generationes monumento, fuit illius deliquij memoria conseruata, & templum sanctæ Mariæ de Spasmo ea de causa appellatum; siue *sanctæ Mariæ de Pamasson*, vt Sanutus lib. 3. Part. 14. cap. 10. vocat.

Ecclesia Spasmi Deipara nomine ratio.

De loco isto sequentia Bonifacius scribit: *Inde surgentes comperitur locus, qui dicitur Spasmus, in quo B. Virgo Maria occurrit Christo Regi & Filio eius baiulanti sibi crucem; quem cùm videret spinea corona coronatum, flagellis cæsum, sputis faciem eius deturpatam, caput arundine percussum, commota sunt castissima viscera eius, & cadens in terra spasmum passa est: & quantum lacrymata sit, lapis quidam, qui tunc ibi fuit, & super quem ceciderat, & quem Helena sancta in Ecclesia ibi fabricata ad honorem B. Mariæ Virginis de Spasmo honorificè ante maius altare collocauerat, ostendit: quem lapidem postquam illa Ecclesia ab infidelibus profanata fuit, Reuerendus Pater Frater Bonauentura Cursetus, Prouinciæ Dalmatiæ & sacri Montis Sion Præsul, Religionis S. Francisci celeberrimus Pater, prece & pretio à Carthbei Sanzacho Ierosolymitano, & à Cadino emit, & supra portam maiorem sacræ domus Montis Sion honorificè collocauit*, &c.

Cùm essem prima vice Ierosolymis ferè demolita erat hæc Ecclesia, eius superiori dumtaxat parte existente: at posteà illius memoriam ferè abstulit Sanzachus Ierusalem nouæ domus extructione, vt secunda vice vidi. Sub hac Ecclesia, quæ in alto posita erat, in læua parte viæ est Sanzachi stabulum equinum, in quo frequenter moriuntur equi; quod an naturaliter an speciali Dei iudicio contingat, vt quibusdam placet, aliorum iudicio relinquo.

Ceterùm quoniam huius traditionis fides ex illa assertione & opinione pendeat, quòd beata Virgo Maria spasmum in Filij sui passione passa fuerit, quæ omnibus non probatur; ideò illa Capite sequenti examinanda: in quo explicabimus, sanctam Dei Genitricem in Filij sui passione deliquium passam fuisse, vbi, & quando; ac consequenter non à veritate ac pietate aliena quæ nunc de spasmo sanctæ Mariæ Virginis, & Ecclesia ad illius memoriam erecta, secuti veterem communem traditionem, proposuimus.

CAPVT XI.

De spasmo B. Virginis Mariæ in passione dilecti Filij sui.

QVoniam ex rebus gestis pendet historiæ veritas, vel falsitas; veritas, si res ita vt se habent narrentur: (vt enim res se habet ad esse, ita & ad veritatem, vt Philosophi docent) falsitas econtrà, si res aliter ac se habuerint referantur; hinc fit, quod si beata Virgo Maria spasmum siue deliquium passa non sit in passione Filij sui, templum ad eius honorem sub titulo S. Mariæ de Spasmo constructum, de quo superiori Capite, falsò sit tali titulo insignitum, secùs verò si verè passa sit. Et quoniam res vertitur in dubium, negantibus aliis, aliis affirmantibus, sanctam Virginem Dei Genitricem deliquium passam fuisse in passione Filij sui, nos difficultatem examinabimus, & non temerè & sine ratione, sed piè & magna cum consideratione dictum templum erectum fuisse ac honorari intuitu deliquij, siue spasmi B. Mariæ Virginis ostendemus. Vt verò difficultatem & historiæ veritatem clariùs intelligamus, tria præcipuè examinabimus. Primum, an B. Virgo Maria in passione Filij sui deliquium siue spasmum sit passa. Secundum, si passa fuerit, quo præsertim tempore. Tertium, quo loco.

Pro primi explicatione quatuor præstabo. Primò, auctoritates & rationes spasmum in sanctissima Deipara negantium proponam. Secundò, auctoritates & rationes illorum qui eumdem in Virgine ponunt adducam. Tertiò, duobus Notabilibus & quatuor Propositionibus adductis, quid in hoc argumento sentiam explicabo. Quartò, fundamentis pro priori sententia adductis respondebo.

§. I.

Auctores & rationes spasmum in sanctissima Virgine Maria negantes.

Duæ oppositæ sententiæ.

IGitur quantum ad primum, duas inuenio Doctorum Patrumque sententias, vt videtur, inter se oppositas: altera negantium omnino spasmum in B. Virgine; altera eumdem asserentium. Priorem sententiam sectantur Iansenius in Concord. Euangel. cap. 143. Cardinalis Toletus in c. 19. Ioan. Caietanus Tom. 2. Opusc. qu. vlt. P. Franciscus Suarez in 3. Part. S. Thom. Tom. 2. disp. 40. sect. 2. & disp. 4. sect. 3. Bartholomæus Medina 3. Part. q. 27. art. 4. Ioannes Carthagena To. 2. Hom. Deiparæ lib. 12. Homil. 7. vbi pluribus hanc quæstionem tractat, & alij: & sequentibus ferè argumentis probant.

Negantis spasmũ argumenta.

Primum.

Primò, Spasmus siue spasma dicit contractionem & conuulsionem neruorum, quæ à voluntario motu membra in naturalem motum vi torquet. Ita Auicenna Tractatu De spasmo, D. Thom. lect. 2. in 2. lib. Metheorolog. sed in B. Virgine non fuit hæc neruorum vel membrorum contractio, cùm Ioannes 19, 25. apertè dicat: ***Stabat autem iuxta crucem Iesu Mater eius***, &c.

Secundum.

Secundò, Derogat perfectioni & excellentiæ B. Virginis, quòd animæ deliquium & deliramenta rationis passa dicatur; cùm B. Virgo talis complexionis fuerit, vt ne ægrotasse quidem vmquam putanda sit.

Tertium.

Tertiò, Licet spasmum in B. Virgine fingant, vt eius dolorem exaggerent, non animaduertunt, se in eo quod B. Virginem commendare studeant, plurimùm de beatæ Virginis dignitate detrahere: nam tollunt ab ea heroicum illum constantiæ gradum, quem maximè in ea Patres commendant; quia affirmant, B. Virginem semper perfectum super omnes actus affectusque suos dominium habuisse, atque ita omnes portionis inferioris motus rexisse, vt nihil indecorum nihil dissonum in ea esse permitteret. Fuisset autem valdè indecens, propter inferioris partis tristitiam ac perturbationem, corporis viribus & rationis vsu priuari. Non igitur B. Virgo in se talem admisit affectum: sed quamuis acerbissimè doleret, ita tamen affectum moderabatur suum, diuinum beneplacitum ac gloriam, fructumq; passionis & hominum salutem, & Filij breuî futuram glorioſam Resurrectionem firma fide considerando, vt corpore & animo constans inter dolores permanere posset. Quòd si necessarium fuit, diuina virtus & gratia intercessit, quæ ad robur & vires corpori adderet, & corporis humores quasi contineret, ne præ doloris acerbitate nimiùm commouerentur.

Nihil indecorum in B. Virgine.

Ex quo quidem argumento colligi videtur, B. Virginem non solùm non passam fuisse spasmum, verùm etiam nihil egisse indecorum, neque aliquid quod non summam modestiam præ se ferret. Hinc Antoninus 4. p. Summæ Theol. tit. 5. cap. 14. §. 1. ait, quòd ***B. Virgo stabat ante crucem verecunda, modesta, lacrymis plena, doloribus immersa; ita tamen diuinæ voluntati conformis, quòd, vt Anselmus ait, si oportuisset, ad implendam secundùm rationem voluntatem Dei, ipsa Filium in cruce posuisset, atque obtulisset: neque enim minoris obedientiæ fuit quàm Abraham.*** Imò Patres ita commendant B. Virginis constantiam, vt dicant, quòd Christo patiente, ipsa Filij sui passionem Patri offerebat; ideò Ambrosius Epist. 82. & de obitu Valentiniani, To. 3. dicit: ***Stantem illam lego, flentem non lego.*** Isti nostri fingunt eam eiulantem, inquiunt quidam huius sententiæ, crines euellentem, genas laniantem, & grauitate sua indigna facientem.

Aliquarũ mulierum insignis animi fortitudo.

Confirmatur exemplo aliarum matrum, quæ animi fortitudine longè beata Virgine inferiores fuerunt, quæ nihilominùs eximiam constantiam ostenderunt in suorum filiorum tormentis. In primis præstantissima illa heroina septem Martyrum Machabæorum mater, non solùm luctuosissimam filiorum excarnificationem atrocissimaq; tormenta non deplorabat, verùm etiam filios ad constantiam & fortitudinem magis magisque animabat, & cohortationibus suis accendebat, vt ait sacer Textus: ***Supra modum autem mater mirabilis, & bonorum memoria digna, quæ pereuntes septem filios sub vnius diei tempore conspiciens, bono animo ferebat, propter spem quam in Deum habebat: singulos illorum hortabatur voce patria fortiter, repleta sapientia: &, femineæ cogitationi masculinum animũ inferens***, &c. 2. Machab. 7, 20.

Melithonis etiam mater, cùm Quadraginta Martyrum tormentis interfuisset, & vnum ex ipsis, Melithonem inquam filium suum natu minimum fractis cruribus

tribus adhuc viuentem inter mortuos vidisset, sic cohortata est: *Fili, paulisper sustine, ecce Christus ad ianuam stat adiuuans te.* *Cùm verò reliquorum corpora plaustris imponi cerneret, vt in regum inferrentur, ac filium suum relinqui, quòd speraret impia turba puerum, si vixisset, ad idolorum cultum reuocari posse: ipso in humeros sublato, sancta mater vehicula Martyrum corporibus onusta strenuè prosequebatur: in cuius amplexu Melithon spiritum Deo reddidit, eiusq; corpus in eumdem illum ceterorum Martyrum regum pia mater iniecit,* &c.

Breuiar. die 18. Maij.

Celebratur etiam S. Feliciras, quæ virili constantia septẽ filios suos ad fortiter mortem pro Christo subeundam hortabatur; &, contra aliorum parentum desiderium, mortem illorum videre ante propriam exoptabat. *Omnes enim homines,* inquit Augustinus Ser. 10. De diuersis, *filios suos ex hac vita migrando præcedere volunt, non sequi; illa autem optauit posterior mori.*

Breuiar. die 10. Iulij. Gregor. Hom. 3. in Euang.

De S. Melania, Marcelli Consulis filia, S. Hieronymus in Epist. ad Paulam cõmemorat, quòd adeò constanti animo ac vultu virum suum defunctum intuita sit, vt voluntati diuinæ se integrè conformans, siccis oculis funus eius intueretur, & virili prorsus animo se totam diuinæ prouidentiæ dicaret, vnde omnis dolor atque tristitia ab eius animo excludebatur.

Igitur si matres istæ propter spem resurrectionis futuræ filiorum, & bonũ ex illorum passionibus proueniens, eos tanta animi fortitudine in tormentis positos intuebantur, & ad strenuè patiendum hortabantur, absque vnius lacrymulæ effusione; quantò magis Virgo Deipara diuina sapientia copiosissimè perfusa, omnium virtutum præsidiis, si quis alius, circumuallata, Filij sui mortem sine graui mœstitia, ne dicam déliquio, æquanimiter tolerabat?

Quartum. Quartò argumentãtur: Quia charius erat Deo, quod B. Virgo Christo compateretur secundùm partem rationalem, quam quod, à rationis sede abducta sentibusque, in terram collaberetur.

Quintum. Quintò, Quia B. Virgo tantæ gratiæ perfectione prædita fuit, vt nullos pateretur motus primos, sed omnes motus ad rationis imperium præstò essent.

Sextum. Sextò, Tempus passionis Filij sui fuit tempus sibi merendi, illam libenter, etsi sensus renueret, acceptando, doloresque suos cum Filij sui doloribus Patri pro hominum salute offerendo, erga Deum pietatem & homines amorem ostendendo. Dicunt enim Patres, B. Virginem tempore passionis Filij sui actum summæ obedientiæ erga Deum & charitatis erga homines exercuisse, voluntatiè Patri Filium pro illorum salute offerendo; eoque actu, & Deum & homines sibi maximè deuinxisse, asserit S. Bonauentura in 1. dist. 48. quæst. vlt. de quo etiam Abulensis quæst. 14. Prologi Matth. & Gerson Tract. 2. de Cantico decachordo. At non meruisset, nec talia obedientiæ dilectionisque signa ostendisset, si spasmum, qui rationis & libertatis vsum aufert, passa fuisset. Vsus etenim rationis & voluntatis in merito obedientiæ & amoris ostensione necessarius est.

Septimum. Septimò, Nullum vitium in sancta Deipara ponendum est, igitur nec spasmus. Antecedens est manifestum: nam beatissima Virgo gratia plena erat, & omni perfectione decorata, vnde antonomasticè *perfectam* illam in Canticis canticorum appellauit Spiritus sanctus. Consequentia probatur, quia spasmus excessum doloris significat, & consequenter vitium, iuxta vulgatum illud: *Omnis excessus est vitiosus.* &: *Ne quid nimis.*

Et hæc sunt ferè argumenta quæ colligere & excogitare potui pro huius sententiæ confirmatione.

§. II.

Assertores spasmi B. Mariæ Virginis cum suis rationibus.

POsterior, & præcedenti opposita sententia asserit, B. Virginem Deiparam spasmum siue deliquium passam fuisse in dolorosa Filij sui passione: quæ, vt prior, suos patronos & argumenta habet, quibus fulciatur & roboretur, nec non media, quibus contrariæ sententiæ argumentis satisfaciat, à quibus labefactari videtur.

Sententia ponens spasmum in Virgine fundamenta.

Huius sententiæ sectatores plures sunt & graues, S. Bernardus Opusc. De lamentat. B. Mariæ Virginis, D. Bonauentura lib. Medit. Vitæ Christi cap. 77. 79. & 80. S. Anselmus Dial. de Passione Domini, B. Laurentius Iustinianus lib. De triumphali agone c. 21. Dionysius Carthusianus in cap. 19. Ioannis, Ioannes Lanspergius lib. Elucidat. in Passionem Christi, Landulphus in Vita Christi Part. 2. cap. 64. & 70. & alij passim qui meditationes in Vitam & Passionem Saluatoris conscripserunt. Consule Sixtum Senensem, & P. F. Danielem Mallonium.

Primum, graues Auctores.

Secundum, communis Christiani populi sensus.

Fauet huic sententiæ pia Christiani populi fides ac deuotio, quæ pluris facienda est. Pij enim fideles erexerunt & erigunt altaria, ædificant Ecclesias sub inuocatione spasmi B. Mariæ Virginis.

Nec improbabilis est & noua sententia hæc spasmum fingens in B. Virgine, vt quidam

dam alterius ſententiæ Auctores dixerunt, ſed antiqua: nam Eccleſia Ieroſolymis conſtructa ſub inuocatione Spaſmi B. Matiæ Virginis (vt alias alibi eodem titulo & intuitu ędificatas miſſas faciam) antiquiſſima eſt, vt eius ruinæ præ ſe ferunt. Ab Helena, M. Conſtantini matre, ædificata creditur, vt illius regionis incolæ arbitrantur, qui paſſim vt à veteribus acceperunt docent. Et ex dicendis non nouum inuentum, ſed vetus traditio, quæ magni facienda eſt, veterumque Patrum pia ſententia comprobabitur.

Tertium, pictura veterū & recentes. Deinde recentes ac vetuſtæ pictæ tabellæ, quæ nobis B. Virginem ex doloris acerbitate in terram collabentem repræſentant, in Eccleſiis publicè expoſitæ, non mediocrem propoſito argumento fidem faciunt: nam pictura in Eccleſia ſolet habere auctoritatem, quoniam indicium eſt antiquæ traditionis, & Eccleſiæ conſenſionis.

Quartum, feſtum Spaſmi B. Mariæ. Quartò, quia, ipſo Caietano referente in Opuſculo de Spaſmo Virginis in initio, in Eccleſia à multis celebrabatur feſtũ Spaſmi B. Mariæ cum ſua Octaua, à Dominica in Paſſione vſque ad Dominicam Palmarum.

Quintum. Ad extremum faciunt pro iſta ſententia quæ in ſequentibus dicemus: ex quibus clarè apparebit, aſſeuerare, ſpaſmum ſiue deliquium in B. Virgine Deipara in Paſſione dilecti Filij ſui non eſſe ſcandaloſum ac temerarium, vt quidam prioris ſententiæ ſectatores dixerunt.

§. III.

Sententiæ ſpaſmum in B. Virgine admittentis explicatio.

ET quid in tanta Doctorum diſſentientium varietate dicendum? & quidnam in propoſito argumento ſi non ponere, ſaltem proponere debemus? Quantum ego opinor, Auctores prædicti magis in modo loquendi quàm in ſententia inter ſe diſſentiunt, cùm priores poſteriores in eo reprehendant, quòd ad exaggerandum Virginis dolorem dicant eam ſpaſmum paſſam fuiſſe, quia hunc enuntiare de Maria Deipara indecorum putant: verùm illorum explicata ſententia, ab hac etiam nota liberabuntur. Vtque dilucidè hoc exequamur, duo præſtabimus: primò, Notabilia duo præmittemus; ſecundò, Propoſitiones quatuor ſubiiciemus.

Quantum ad PRIMVM, aliqua eſſe nomina quibus peculiares aliquæ hominis paſſiones & dolores explicari conſueuerunt aduerto, inter quæ iſta ſunt noſtro propoſito inſeruientia, ac ideò pro inſtituti noſtri ratione ex Medicorum doctrina explicanda, *palmos, ſpaſma, ſpaſmus, lipothymia*, ſiue *animi deliquium*, & *ſyncope*.

Palmus idem eſt quod cordis palpitatio & formido. *Spaſma* propriè apud Chirurgos eſt ruptio vel attritio nerui citra vulnus. *Spaſmus* propriè Celſo diſtenſio neruorum, vulgò conuulſio, eſt motus neruorum ita deprauatus, vt præter voluntatis imperium, & contra id membra verſus muſculorum ſuorum principia retrahantur. Cauſa illius intrinſeca communiter ex Hippocrate 6. Aphor. 39. aſſignatur exinanitio, vel repletio; & vtrumque cum Galeno ſimilitudine explicant petita è chordis & inteſtinis animalium exſiccatis & paratis, vt & coriis & pellibus. Vt enim hæc vbi ſoli vel igni exponuntur, humore abſumpto corrugantur, & breuiora fiunt; pariter etiam vbi humorem aliquem imbiberunt, latitudine & craſſitudine aucta, longitudo imminuitur, & breuiora redduntur: ita etiam putant in neruis ac neruoſis maſculorum tendonibus ac fibris idem accidere, eoſque à cauſis nimiùm ſiccantibus & humectantibus breuiores reddi. Ita Daniel Sennertus Practicæ Medicinæ lib. 1. Part. 2. c. 28.

Quid palmus. Spaſma. Spaſmus. Spaſmi cauſa.

Sed numquid in illa conuulſione dolor cauſatur, & rationis vſus aufertur? Caietanus Tom. 2. Opuſc. q. vlt. affirmatiuè reſpondet, inferre inquam non ſolùm cruciatum acerbiſſimum, ſed etiam à rationis & ſenſuum vſu hominem abducere, exanimémque reddere: qui etſi poſt longam moram rationis ſenſuumque vſum recipiat; longo tamen poſteà morbo detinetur.

Dubium. Reſponſio Caietani.

Sennertus, vnà cum omnibus Medicis, inquit, illam conuulſionem plerumque non ſine dolore fieri, & in ſpaſmo per ſe nullam in principibus facultatibus læſionem fieri. Ampliùs, in vero ſpaſmo, ſiue contractione, ſenſus omnes cùm internos tum externos integros manere. Addit, ſpaſmum breui temporis ſpatio vel ad ſalutem vel ad mortem terminari: & hoc intelligendum non ſemper, ſed aliquando.

Reſponſio alia. Vt doctiſſimi Medicinæ Profeſſoris Sennerti, cui magis in his quam Caietano credendum eſt, veſtigiis inhæream, duo dubio propoſito ſeruientia adduco. Primum, in ſpaſmo ſemper dolorem in corpore cauſari, in anima verò triſtitiam: illius enim corpus, & iſtius anima ſubiectum eſt; quia, ſecundùm D. Auguſtinum l. 14. de Ciuit. c. 15. *dolor carnis tantummodò offenſio eſt animæ ex carne, & quædam ab eius paſſione diſſenſio; ſicuti anima dolor, quæ triſtitia nuncupatur, diſſenſio eſt ab his rebus quæ nobis nolentibus acciderunt.* Spaſmus definitus, eſt motus præter vel contra voluntatis imperium;

rium; qui tamquam à cauſa extrinſeca producitur à noxio & iniucundo obiecto: & conſequenter, vt in voluntate triſtitia, ita in corpore & ſenſu dolor inducitur in ſpaſmo.

Secundum eſt, in vero ſpaſmo non neceſſariò auferri vſum ſenſuum internorum, imò accidit aliquando illum auferri; & hoc fortè dicere voluit Sennertus illis voculis, *per ſe*: quoniam poteſt induci ſpaſmus abſque internorum ſenſuum læſione; per accidens tamen poteſt aliquando accidere, vt tantùm augeatur cõuulſio & dolor, vt ſimul cum omnium ſenſuum vſu & vita auferatur: niſi talem effectum eſſe alterius morbi ſuccedentis dicat, vt ſyncopes.

Animi deliquium quid. Sennertus li. 2. Par. 4. cap. 6.

Syncope.

Lipothymia Græcè, Latinè animi deliquium, eſt præceps lapſus, id eſt ſubita actionum vitalium & conſequenter animalium imminutio. Syncope verò eſt pænè earum abolitio, ob ſpirituum vitalium vitium, & denegatũ in alias partes influxum. Ideò benè dixit Galenus ad Glauc. lib. c. 14. lipothymiam eſſe ſyncopen imperfectã. In lipothymia enim, ſiue animi deliquio, ſenſus nondum planè abolentur; & in ipſo paroxiſmo ægri vident, audiunt, & intelligunt quæ audiunt, licet non poſſint nutu aut ſigno cogitationes demonſtrare: ſecùs in ſyncope accidit; quia cùm in ea huiuſcemodi paſſiones ſint vehementiores, pulſus quoad ſenſum ceſſat, mentis actiones, motus ſenſuſque corporis ac vox quoque perit. Hanc ſyncopen accipit Caietanus pro ſpaſmo communiter accepto.

Ex diuerſarum rerum aliqua conuenientia nomina confunduntur.

SECVNDVM NOTANDVM ſit, Aliquando nomina ipſa confundi, propter aliquam in rebus quibus impoſita ſunt conuenientiam, ita vt non ſolùm nominibus generis quæ ſpeciei ſunt nominentur, ſed etiam nominibus ſpecificis ipſa magis communia, præſertim in communi vſu loquendi; etſi aliter ſiue diſtinctiùs in mente teneatur. Ex ideò Philoſophus 2. Topic. cap. 2. dicit, Nominibus vtendum eſſe vt plures vtuntur. & iterùm, Loquendum eſſe vt plures, ſapiendum eſſe vt pauciores. Hic mos à Theologis & Philoſophis in ſacris & profanis litteris obſeruatur. Sed vnicum ex ſacris proferamus teſtimonium. S. Ioſeph, ſponſus ſanctiſſimæ Dei Genitricis, quia naturalis Chriſti pater crédebatur, à Virgine ipſa, ab Euangeliſtis pater Chriſti dicebatur; ſed non ad illius generationem concurriſſe; & non eius naturalem patrem eſſe, pauci ſciebant, Chriſtus ipſe, beata Virgo, Ioſeph, & alij quibus Incarnationis myſterium cæleſtis Pater reuelauit. Ita in propoſito, cùm à pleriſque immenſus dolor diminuens corporis vires, ſiue ſit ſpaſmus propriè, ſiue communiter, id eſt, ſyncope, ſiue quæuis alia vehemens corporis cordiſque affectio & afflictio, ſpaſmus appelletur, tali nomenclatura poterit etiam inculpatè à doctis viris ad idem ſignificandum vſurpari. Et ſanè Caietanus, qui ſpaſmum in Virgine negat, dixit ſpaſmum accipi poſſe dupliciter, propriè & communiter. Propriè, vt nos anteà explicuimus, & verè. Communiter verò, prout idem eſt quod ſyncope: certiſſimum tamen eſt, apud Medicos, à quibus horum cognitio petenda eſt, ſpaſmum & ſyncopen multum inter ſe differre, vt vidimus: nec tamen culpandus Caietanus, quia vſus eſt illo nomine vt plures. Plures enim ſunt, qui ſyncopen vulgariter ſpaſmum nominant. Igitur & aliis licebit lipothymiam, ſiue animi deliquium, ſpaſmum appellare; tum quia cum illo conuenit in ſenſuum & animalium actionum diminutione; tum quia communiter animi deliquium ſpaſmus apud vulgum appellatur.

Loquibet vt plures.

Quare cum aſſertoribus ſpaſmi in beata Virgine Deipara dicamus, ſpaſmum tripliciter accipi poſſe: primò propriè, pro vero ſpaſmo anteà explicato; ſecundò communiter, pro ſyncope; tertiò magis communiter, pro animi deliquio; quo indicatur dolor maximè acutus & intenſus: qui etſi neruos non contorqueat neque conuellat; neque etiam ſenſuum, multò minùs rationis vſum intercipiat, adeò tamen dirè ac crudeliter vexat, vt corporis vires imminuat, roburque quodammodò marceſcat, & ſudor ſæpè diaphoricus appareat, præcipuè circa frontem; quoniam partes calore deſtitutæ humiditatem continere nequeunt, viriumque debilitas ſubſequatur, adeò vt homo vix ſe ſuſtentare poſſit, in terramque interdum labatur. Et hæc de primo.

Spaſmi triplex acceptio.

Quantum ad ſecundum, ſint ſequentes Propoſitiones. PRIMA PROPOSITIO. B. Virgo Maria in paſſione vnigeniti Filij ſui non eſt propriè ſpaſmum paſſa ſecundùm primam nominis huius adductam ſignificationem, neque communiter, id eſt, ſyncopen, ſecundùm ſecundã eiuſdem acceptionem. Primam huius Propoſitionis partem in hunc modum probat Caietanus: Nam diſſonat rationi, inquit, B. Virginem ægritudinem aliquam paſſam fuiſſe; tum quia, quantum fas eſt, debuit per omnia ſimilis Filio credi. De Filio autem teſtatur Chryſoſtomus, quod non ipſum aliquo morbo langueſcere conueniens fuerit: tum quia hoc Ioanni Euangeliſtæ præſtitum videatur, Hieronymo in Prologo Euangelij Ioannis dicente, quod ad Patres noſtros

Deipara nil eſt paſſa ſpaſmum ſecundùm primam & ſecundam illius ſignificationem.

Ratio Caietani, pro prima illius parte.

tam

tam extraneus à mortis dolore positus sit, quàm à corruptione carnis inuenitur alienus. Spasmum autem propriè secundùm primam acceptionem constat esse morbum contrahentem neruos; non igitur ipsum esse in beata Virgine conuenit: tum quia Ioannis 19. dicitur, quod B. Virgo *stabat iuxta crucem Iesu*; & verbum *stabat*, in propria significatione sumendum esse dicit, & probat: quod communiter docent Patres & Expositores in eum locum.

Medina dictum. Medina §. 1. citatus ampliùs addit, spasmum hoc modo & motus inordinatos in B. Virgine ponere temerarium, scandalosum & periculosum esse, & in huiusmodi hæreticę prauitatis Inquisitores manus injcere. sic enim ait: *Sunt qui dicant, quod tempore passionis Domini Christus ipse sub cruce pondere lassatus ceciderit, & quod B. Virgo Mater eius compatiens etiam ceciderit spasmata, & passa fuerit animæ deliquium: hæc omnia dicuntur temerariè & scandalosè.* Hæc ille.

Obiectio. Si dicatur, Ioannis auctoritatem esse quidem in propria significatione intelligendam, dum de tempore quo Virgo adstabat cruci loquimur, sicut de illo loquitur Euangelista, non verò de alio præcedente, de illo videlicet in quo Filium crucem baiulantem vidit, quando spasmum passam fuisse dicitur. *Solutio.* Respondetur, spasmum pro quolibet tempore à Virgine reijciendum esse; quia nihil dissonum vmquam in ea admittendum vel excogitandum: imò ex Ioannis auctoritate posset à maiori ad minus in hunc modum argumentari: B. Virgo non est spasmum propriè passa quando Filium suum cruci affixum vidit, quia viriliter & immobiliter iuxta crucem stabat; igitur nec quando vidit eam baiulantem, quia tunc minor ratio erat spasmum patiendi. Quid de aliquibus à Caietano & Medina assertis sentiam, inferiùs in secunda Propositione aperiam.

Alia responsio. Interim dico me indicatam propositionem posuisse ea ratione; quia cùm assertores spasmi ideò illum ponant, vt Virginis dolores exaggerent, salua tamen semper exteriori eiusdem Virginis modestia & corporis congrua dispositione: & cùm intensi dolores in ea saluari possint remouendo spasmum propriè, ideò illum in Virgine negauimus. Nec videtur ratio auctoritásve quæ ad illum asseuerandum persuadeat. Et hæc prima Propositionis pars magis infrà in secunda parte solutionis quæstionis apparebit.

Secunda pars Propositionis probatur. Non est B. Virgo spasmum secundùm eius secundam acceptionem passa, id est, syncopen, vt in secunda Propositionis parte dicitur. Probatur primò, quia absque illius positione, saluo Virginis decore, possunt in eadem saluari intensi dolores, vt in quarta Propositione apparebit. Secundò, quia spasmus secundùm illam rationem, non solùm à sensibus, sed etiam à ratione abducit: sed hoc de B. Virgine asseuerare, est in excellentiæ Virginis præiudicium, vt sequẽtibus verbis adnotauit Caietanus: Cùm enim *gratia plena* Luc. 1. dicatur, oportet corporales defectus de ea negare, qui plenitudinem perfectionemq; gratiæ impediunt; constat autem, quòd dolor extra se personam faciens, exercitium rationis impedit pro tunc: & tunc erat tempus maximè actualiter secundùm rationem considerandi passionem Christi. Igitur huiusmodi dolor gratiæ perfectionem secundùm actualem considerationem rationis turbasset, quod est valdè inconueniens: non fuit igitur huiusmodi casus in B. Virgine. Et confirmatur, quia gratus erat Deo, quod beata Virgo compateretur ei secundùm rationem, quàm secundùm partem sensitiuam; quia illa pars est nobilior, & propriè meritoria, & per se grata: oportuit ergo vt dolor B. Virginis ita esset summus; quod tamen tota pars sensitiua regularetur & subderetur rationi eius vigilanti, stante autem rationis exercitio ac dominio actuali super partem interiorem, non accidit dolor extra se faciens personam & casum. Quare spasmus vulgariter dictus longè à B. Virgine videtur esse. Ita ex Caietano.

Verùm hæc ratio non mihi videtur plenè satisfacere, vt inferiùs apparebit. Spasmum secundùm hanc duplicem acceptionem negant in B. Virgine Iansenius, Toletus, Suarez, & alij prioris sententiæ sectatores, vt patet ex illorum verbis, quæ, ne longior sim, omitto: argumenta enim illorum tantùm de spasmo sic sumpto concludunt, & non aliter; quem tamen etiam posterioris sententiæ auctores negant.

SECVNDA PROPOSITIO. Etsi nullo modo spasmus in Virgine Deipara secundùm illius duplicem priorem acceptionem sit ponendus, vt probatum est; verùm illum ponere secundùm primam nec temerarium, nec scandalosum aut periculosum est. Probatur; quia si temerarium & scandalosum esset illum asseuerare, esset propter superiùs notata ex Caietano, & quia non esset ratio; vel ex illius positione inconueniens & magnum in Virgine dedecus sequeretur, vel quia contra Scripturam & Ecclesiæ determinationem, Doctorumque communem sententiam. Sed nullum horum obstat. Non dicta à Caietano. Nam esto, quod sicut illius Filius aliquo morbo

Dico duplici modo spasmum in Virgine ponere, nec hæreticum nec temerarium est.

Contra Medinæ dictum.

non

non laborauit proueniente ex praua illius complexione, quæ optima fuit; ita nec mater eadem ratione aliqua elanguit infirmitate. Sed quodnam incommodum sequeretur, si asseueraretur, quòd quemadmodum Christus ab extrinseco multas sustinuit infirmitates; percussiones in facie vnde liuor, flagella, clauos & lanceam, ex quibus sanguis & vulnera; & quòd in crucifixione illius corporis nerui fuerint retracti, vt contemplatiui meditantur, idque absque indecentia Saluatoris: quod inquam esset tam graue inconueniens, si diceretur, sanctam Dei Genitricem præ nimio dolore quo afficiebatur ex mœstissimo patientis Filij obiecto, aliquam corporis sui contractionem passam fuisse, vt hoc asseuerans, temeritatis & scandali & ferè hæresis graui nota inuri debeat? Post luctam Iacobi Patriarchæ cum Angelo, tacto à cælesti luctatore neruo femoris eius statim emarcuit, vt Genesis 32, 25. dicitur; & tantum abest quod dicatur indecorum ei aliquid accidisse, vel rationis vsum imminutum, vt magni beneficij loco habuerit, indeque magis illuminatus exstiterit, prout quæ posteà dixit Patriarcha indicant. Similiter Martyrum nerui & aliæ partes corporis igni expositæ conuulsæ & corrugatæ fuerunt, nec id illis opprobrio vertitur; & quare vertetur B. Virgini, si dicatur dolore Filij sui velut validissima manu tacta, & igne vsta, modico tempore conuulsionem aliquam passam fuisse pro illo qui supra se ipsam diligebat, & tam dira maioraque pati mentis & corporis oculis cernebat? Mirum sanè, quod non ignobiles & graues auctores admittunt in Virgine semper benedicta maiores naturales imperfectiones gratiæ ac plenitudini eius omnino repugnantes, peccatum inquam originale & fomitem, quonam fuit natura filia Adæ, & tamen temerarij & scandalosi haud appellantur; & tali ac peiori inurentur nota, ponentes in eadem Virgine minores naturales defectus diuinæ gratiæ minimè aduersantes, deliquium nempe & spasmum, cùm ex anima & corpore constiterit, & verè Adæ filia fuerit?

Complexio bona absque dedecore passiones ab extrinseco admittit.

Nec obstat Ioannis auctoritas: nam posset primò dici, non passam fuisse spasmum secundùm omnes corporis partes, sed tantùm secundùm aliquas, ac ideò non fuisse impeditam ne adstaret cruci.

Responsio ad Ioannis auctoritatem.

Secundò dici posset, quòd cùm ex Medicorum recepta doctrina dictum fuerit, spasmum breui temporis spatio vel ad salutem vel ad mortem terminari, cùm in beata Virgine ad mortem minimè fuerit terminatus, agitur ad salutem: vnde Simeonis oraculum, *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius*, expendens Timotheus Presbyter Ierosolymitanus Oratione de Propheta Simeone, obseruauit, non dixisse Prophetam, *Tenebit gladius, aut dominabitur gladius, sed, Pertransibit gladius, hoc est, parum tempore dolore afficieris, & affligeris, & statim à dolore liberaberis & afflictione*. Itaque posset dici, spasmo transacto, viribus resumptis B. Virginem cruci adstitisse, & ad veritatem dicti Euangelistæ non est necesse dicere, Virginem toto tempore quo Christus in cruce pependit, erectam iuxta eam steriſſe, sed sufficit, quòd aliquando. & hoc indicauit S. Bernardus, vt dicetur infrà §. v.

Si quis contendat, quòd semper steterit, recto inquam corporis habitu, nam hoc significat verbum *stare*; & nisi nomina propriè interpretemur, omnia confusa erunt, vt docet Aristoteles 4. Metaph. Respondeo, nos debere quidem nomina in propria significatione accipere; sed probandum fuerat, verbum *stare* vnicam dumtaxat habere significationem, rectum inquam habitum corporis; vel si multiplicem, in Ioanne accipiendum esse in adducta, quod haud factum est, nec credo fiet. Et dico, verbum *stare*, præter rectum corporis habitum, significare etiam aliquando quietem ac simplicem præsentiam, vt Marc. 11, 25. *Cùm*, inquit Saluator, *stabitis ad orandum, dimittite*, &c. & Luc. 7, 38. dicitur de Maria Magdalena, quòd *stans retrò secus pedes eius, lacrymis cœpit rigare pedes eius*, &c. quæ certè si erecta steteſſet, non potuisset pedes Saluatoris abluere lacrymis, & alia præstare, quæ præstitisse docet Euangelista. Ita, præter alios, docuit Maldonatus in Euangelia, tùm alibi, tum Matth. 16, 28. in ea verba, *Sunt quidam de hic stantibus qui non gustabunt mortem*, &c. & cap. 28, 3. variisque sacræ Scripturæ in huius doctrinæ confirmationem testimoniis adductis confirmat. Quòd verò *stare* apud Ioannem non significet præcisè stationem corporis erecti, &, vt communiter dicitur, supra pedes, sed etiam quietem & simplicem præsentiam; quòd inquam B. Virgo Maria steterit semper in Caluario iuxta crucem, modò erecto corporis habitu Filium dilectum contemplans, modò quiescens, & modò etiam se circa crucem mouens, & ratio atque auctoritas persuadet. Ratio: quia non est credibile, S. Deiparam itinere, labore, esurie, & multò magis dolore patientis Filij defatigatam & afflictam, ab hora tertia, vel sexta, quando fuit crucifixus, vsque ad horam nonam, quando emisit spiritum, vel vespertinam, quando depositus de cruce sepulturæ traditus fuit dilectus eius Filius, erecto semper corpore & supra pedes steteſſe, quod

Obiectio.

Solutio.

Verbi stare multiplex significatio.

quod vix vegetus & vir robuſtus præſtaret. Auctoritas ſit S. Auguſtini Serm. 8. de Paſſione Domini apud Carthaginem lib. 12. Homil. 8. *Iuxta crucem*, ait, *ſtabat Maria conſiderans vultu benigno Chriſtum pendentem in crucis patibulo: pedibus innitens, manus leuabat amplexans crucem, ruens in oſcula eius, qua parte ſanguinis Chriſti vnda rigabat, vt Chriſtum valeret amplecti: cùm non poterat, ſurſum volebat aſcendere. Speraſt amor nonnunquam quæ rarò fieri poſſunt: ſibi cedere cuncta amor impatiens credit. Volebat amplecti Chriſtum in altum pendentem, ſed manus in ſe redibant: ſe leuans ſurſum è terra erigebat ad Chriſtum, & cùm tangere eum nequibat, manus collidebat ad terram, & iacebat immenſitate doloris depreſſa: ſed eam erigere magna vis amoris immenſi compellebat, impetus amoris vrgebat, intenſaq; manibus cupiebat attrectare Chriſtum. Cùm verò vis non eſſet, denicto dolore terram iterùm petere cogebatur.* Hæc S. Auguſtinus. Ex quibus, ni fallor, liquidò conſtat, cùm Ioannes 19, 25. dixit, *Stabat autem iuxta crucem Ieſu mater eius*, non intellexiſſe de continua erectaque ſtatione Virginis iuxta crucem, ſed de continua manſione: quomodocumque illa fuerit, graui tamen & inſigni perſonæ conueniens.

Scriptura, vel Eccleſia & Doctores communiter oppoſitum non determinarunt. Quare etſi ſpaſmum ſecundùm dictam primam acceptionem omnes rectè ſentientes à Deipara remoueant, non exinde debuit Medina illum admittentes, ſi qui ſunt, temeritatis & ſcandali graui labe notare, cùm ea illos Eccleſia minimè notauerit. Iſta Propoſitio magis etiam confirmatur, ex inferiùs dicendis in quarta Propoſitione.

B. Maria paſſa fuit ſpaſmum iuxta tertiam aſſignationem, id eſt animi deliquium.

TERTIA PROPOSITIO. Accipiendo ſpaſmum magis communiter ſecundùm tertiam aſſignatam illius acceptionem, pro lipothymia videlicet animique deliquio, dicimus ipſum fuiſſe in Virgine in Filij ſui paſſione. Hic eſt ſpaſmus qui ponitur à poſterioris ſententiæ ſectatoribus, & non aliter; & hic cùm relinquat vſum rationis, non ponit in habente imperfectionem: quod à defenſoribus prioris ſententiæ non negatur, ſed admittitur; quia non poſſunt iuſtè negare, intenſiſſimum dolorem in Virgine tempore paſſionis Filij ſui: igitur nec effectus ex illo naturaliter ſequentes, niſi ponant haud neceſſarium miraculum.

Caietanus ſanè in Opuſculo de Spaſmo Virginis, etſi nolit hanc ſequi ſententiam, verùm ex illius verbis confirmari videtur, ita enim ſcribit §. *Quo ad tertium: Quia nominibus eſt vtendum vt plures, ſecundum Philoſophum 2. Topic. non inconuenit etiam de ſpaſmo, vt vulgus loquitur, tractare. Dicitur enim vulgò ſpaſmatus aliquis cecidiſſe, cùm præ doloris magnitudine ſyncopen ſeu ecſtaſim patiens cadit: occurritur enim tunc ad ſuſtinendum, & aqua in vultum aſpergitur.* Continuò ſubiungit hæc verba: *Et iuxta hunc ſenſum crediderim ego dici beatæ Mariæ ſpaſmum. Huiuſmodi autem doloris modum in B. Virgine fuiſſe ex magnitudine ſuæ triſtitiæ credi poteſt.* Verùm addit: *Sed reuerà neque iſto modo ſpaſmus in beata Virgine fuit*; ratione illa indicata, quòd Deipara eſſet gratia plena. Sed enim hunc ſpaſmum non repugnare plenitudini gratiæ Virginis indicauimus, & poſteà ampliùs confirmabimus.

P. Franciſcus Suarez in 3. Part. Tom. 2. d. 4. ſect. 3. ad idem ita dicit: *Quando ergo aliqui graues auctores videntur ita exaggerare Virginis dolorẽ, vt ſpaſmum, vel aliquid ſimile illi tribuere videantur, non intendunt imperfectionẽ aliquam illi tribuere, vt priuationem ſenſuum, contractionem membrorum, vel quid ſimile, ſed ſolum vehementem dolorem, cum ingẽti admiratione, & quaſi ſtupore.* Hæc ille.

Dicta B. Mariæ Virginis ad Birgittam inferiùs adducenda benè conſiderata idipſum indicant, & Anſelmus dicens, *Quaſi exanimis*, & etiam abſolutè, *exanimis facta fuit*; vt tamen oſtenderet non amiſiſſe ſenſum, multò minùs rationis vſum, ſtatim addidit, Virginem accepiſſe illicò velamen capitis, vt Chriſtum tegeret: atque ita examinis dicitur, vt illius animi vehemens dolor magis exprimeretur.

Miror aliquos ſpaſmi oppugnatores ridere illius aſſertores, qui vt magnum Deiparæ dolorem indicent, ſpaſmum in ea fuiſſe dicunt; quia, inquiunt iſti, quando eſt ſpaſmus, dolor non ſentitur: quod falſum eſt, quia, vt iſti falsò ſupponunt, ſpaſmus primo vel tertio modo ſumptus non aufert ſenſum vel rationem, vt indicatum fuit: ſed eſto quod auferret, non ideò malè poneretur ad intentum, ſed appoſitè; quia illo indicatur præcedens dolor, qui tantus fuit, vt hominem ſenſus & rationis vſu priuare potuerit. Etiam Mallonius antè adductus illa ſpaſmi diſtinctione conciliat duas illas, vt videtur, contrarias ſententias, vt negans intelligat de ſpaſmo ſecundùm primam & ſecundam acceptionem, affirmans de tertia, id eſt deliquio animi.

Deliquium ponere in B. Virgine decet.

QVARTA PROPOSITIO. Spaſmum, id eſt animi deliquium, vt nunc explicatum, ponere in B. Virgine ob Filij ſui paſſionem, non ſolùm indecens, indecorum & contra rationem, ſed valdè decens & rationi conſentaneum eſt. Poteſt hoc duplici medio perſuaderi; primo, ex parte amoris maximi, & matris; ſecundo, ex parte obiecti triſtiſſimi.

mi. Ratio amoris & matris id exigebat: ex magnitudine enim doloris amor metiri consueuit. *Amor meus quantus est in possidendo, tantus dolor est in amittendo*, inquit S. Augustinus de Ciuitate Dei. Cùm ergo B. Virgo supra omnes creaturas suum quem genuerat Filium diligeret, vt illum palàm faceret amorem, debuit in illius doloribus plurimùm dolere, & deliquio internum dolorem ostentare. Hinc S. Hieronymus Epist. ad Paulam & Eustochium, de Virginis assumptione, Tom. 9. *Vnde constat quia plus omnibus dilexit, propterea & plus doluit; in tantum, vt animam eius totam pertransiret & possideret vis doloris, ad testimonium eximiæ dilectionis illius.*

Maria Virgo dolore se Christi matrem declarauit.

Tali medio se dilectam naturalemque Dei matrem ostensuram, illi Simeon illis verbis prædixit: *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes*, Lucæ 2, 35. Quæ posteriora verba acutè ad intentum expendens Euthymius dixit: *Ad reuelandas multorum cogitationes, qui suspicabantur te non esse illius matrem.* Vnde sicut Dei Filius suis passionibus ostendit se verum hominem; ita B. Virgo suis doloribus se veram matrem ostendit. Simile accidit aliis matribus aliàs fortissimis absque fortitudinis præiudicio; & quare timebimus asseuerare idem de fortissima mulierum, matre tamen non hominis tantùm, sed hominis Dei, in illius morte?

Deinde verba illa Ieremiæ, *Magna est velut mare contritio tua; quis medebitur tui?* Thren. 2, 13. &: *O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, & videte si est dolor sicut dolor meus*, ibid. 1, 12. & similia, accommodantur à sacris Doctoribus Virgini; & quomodo verè, nisi exteriùs etiam se prodidisset internus dolor? *Numquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, vt vestimenta illius non ardeant?* Prouerb. 6, 27.

Responsio ad primum.

Huic Propositioni suffragantur tertium & quartum argumentum §. 2. adductum, de imaginibus ac spasmo B. Mariæ Virginis. Deiparæ spasmi oppugnatores respondent; & ad illud de picturis primò dicunt, non officere, quoniam illud prouenit ex quorumdam pictorum imperitia, qui non aliter Virginis dolorem exprimere nouerunt, quàm iacentem & exanimem in terra depingentes. Addit Ioannes de Carthagena citatus, Romæ huiusmodi picturas, se præsente, mandato Magistri sacri Palatij Apostolici fuisse expunctas.

Confutatio.

Verùm hæc responsio non euacuare videtur vim argumenti: licet enim Magister ille Sacri Palatij corrigi vel auferri mandauerit dictas imagines, ideò fuit, quòd aliquam indecentiam Virginis, vt se laniantem, vel ad desperantis modum exprimebant, & non quòd humi iacentem vel languentem in Magdalenæ brachiis expressérint: quandoquidem, si huiusmodi corrigendæ vel auferendæ forent, summi Pontificis generale decretum tales imagines prohibens emanare debuisset, cùm innumeræ in omnibus ferè sint ciuitatibus, castris & domibus antiquæ & recentiores pictæ, & de licentia & priuilegio Superiorum approbatæ, impressę & expolitę; sed meritò non prodijt, quoniam huiusmodi picturę virtuti Virginis nó officiunt, sed naturalem conuenientemq; matri Dei dolorem ex vnigeniti Filij sui passione ob oculos ponunt.

Obiectionis solutio.

Nec dicendum, oscitasse ac dissimulasse Prælatos, ad quos spectat picturas in Ecclesiis exponendas approbare: etenim nimiùm crassa oscitantia & communis dissimulatio esset, quam excogitare de innumeris sanctæ Ecclesiæ vigilantissimis ac prudentissimis Pastoribus nefas est; qui haud conuenientes imagines auferri curassent; cùm in Concilio Tridentino Sessione 25. de sacris imaginibus habeatur, quòd *si qui abusus irrepserint, eos prorsus aboleri sancta Synodus vehementer cupit; ita vt nulla falsi dogmatis imagines, & rudibus periculosi erroris occasionem præbentes, statuantur.* Hæc sancta Synodus. Igitur cùm dictæ imagines deliquium Virginis exprimentes approbatæ in Ecclesiis inspiciantur, illas non scandalosas, sed valdè pias rationiq;ue conformes esse dicendum est.

Picturæ in Ecclesiis exponendæ à Prælatis approbari debent.

Responsio ad secundum.

Ad aliud de festo respondet Caietanus in fine illius quæstionis, festum illud non habere auctoritatem, quia Quadragesimæ tempore huiusmodi festa non consueuerunt celebrari, præsertim cùm Octauæ, quæ si occurrunt, transferantur, vt liquet de festo Annuntiationis & Corporis Christi, Dominicæ namq; Quadragesimæ semper proprio Officio celebrantur. concludensque ait: *Vnde si festum doloris B. Virginis celebrandum est, in aliud, iudicio meo, tempus & nomen mutandum.* Tantum ille.

Confutatio

Non officit Caietani discursus, si verum est quod dictum fuit in argumento de festo Spasmi B. Mariæ cum sua Octaua: ex quo duo deduco: alterum, festum commune non fuisse & in tota Ecclesia receptum, sed fortè in aliqua dumtaxat particulari diœcesi; & verè. Alterum est eiusdem festi antiquitas, quia ante Ecclesiastici Officij reformationem, quam modò habemus, & fortasse ante festum Corporis Christi, quod valdè antiquum haud esse liquet, quia sub Vrbano IV. institutum post annum Domini 1200. ac ideò translatum Officium cum festo

Festum Corporis Christi post annum Dom 1200. institutum.

Digitized by Google

Multò ante Annuntiationis.

festo extra Quadragesimale, imò Paschale tempus. De festo Annuntiationis, quod multo antiquius esse constat, vt indicat Bellarminus de Cultu Sanctorum lib. 3. c. 16. & Baronius in Notis ad Rom. Martyrol. ad diem 25. Martij, duo noto: alterum ex Baronio, quòd cùm hoc festum sit primum ex Domini festis, ideoque cum magna lætitia celebrandum, aliquando fuit in Ecclesia extra passionis tempus celebratum. Alterum, quòd idem festum cum Octaua celebrabatur. Ad ita opinandum moueor, quòd apud Mantuam in Ecclesia S. Mariæ gratiarum Fratrum Minorum in quodam antiquo Sanctorum Catalogo ac directorio pro Officio Ecclesiastico celebrando in pergameno conscripto, legi festum Annuntiationis die quidem 25. Martij notatum, sed cum sua Octaua; & meritò, quoniam primum & præcipuum est ex Domini festis, vt dictum est: in præsentia quidem absque Octaua celebratur, quoniam ordinariè Quadragesimali priuilegiato tempore. Ex hoc deduco, non mirum si festum Spasmi S. Mariæ Virginis in Quadragesima & cum Octaua celebrabatur alicubi, quia hoc ex antiquitate, & ante Ecclesiastici Officij reformationem prouenit.

Quantum ad tempus hoc festum celebrandi, haud à Caietano dissentio; quia certum, Ecclesiam à Dominica passionis vsq; ad Pascha occupari in Officio Dominicæ passionis, ideò alio impediri non debet. Non similiter eidem acquiesco quantum ad nominis mutationem; quia si propter scandalum, quod aliquibus non benè sapientibus prouenire posset, hac ratione auferri deberet etiam passionis & crucis Christi solemnitas; quia, vt ait S. Apostolus 1. Corinth. 1, 18. *verbum crucis pereuntibus stultitia est.* sed hoc nullatenus faciendum; quia, vt eodem loco idem subdit Apostolus, *iis autem qui salui fiunt, id est nobis, Dei virtus est.* sed vt populus de mysterij crucis, ita & spasmi Deiparæ ratione instruendus; quod spasmi appellatione non intelligitur spasmus propriè ac primo modo accepto, neque secundo, id est communiter, sed tertio; id est magis communiter, modo explicato, quatenus summum B. Virginis dolorem significat; quodque eo nomine vti non dedeceat, ex mox subijciendis clariùs apparebit.

Secundò principaliter probatur eadem Propositio ex passionis Christi conditione: adeò enim acerba fuit, vt illam non doluisse, & doloris signa deforis haud ostendisse, non fortitudinis, sed crudelitatis feriniquè cordis argumentum extitisset. Seraphicus vir S. Franciscus assiduè dolorosam Christi passionem deflebat, quam suæ altiùs menti impresserat: & si quandoque in solitaria secedebat loca, cuncta gemitibus & singultibus replebat, magno Christum propter se passum deplorans ciulatu. Apud Ecclesiam Portiunculę dum semel in huiusmodi planctus erumperet, quidam pertransiens spiritualis amicus, ad eiulatus accessit; & dum Franciscum esse comperit, totumque in lacrymas abiisse conspexit, virilis animi & verecundiæ eum admonuit, indignum iudicans, vt homo prouectus ita eiulabundus fleret. cui Franciscus: *Passionem Christi mei defleo, pro qua non deberem verecundari alta voce per totum orbem lacrymari.* Ita referunt Pisanus in Conformit. confor. 12. Bernardinus Senensis Tom. 2. Ser. 60. art. 2. cap. 2. & alij. Et si id licitè ac laudabiliter faciebat & dicebat Christi famulus, quid Christi mater facere debuit? Ad hoc faciunt quæ inferiùs dicemus in septimi argumenti solutione.

S. Francisci iudicium de Christi passione deplorada.

Et quamuis B. Virgo persona grauis, constans & fortis esset, non ob id arbitramur, grauitati & fortitudini illius officere externum illum dolorem; nec contra rationem est, illum animi deliquium & spasmum appellare: etenim absque dedecore & virtutis iactura illum in rebus portentosis viri grauissimi ostenderunt, & sapientes similibus verbis explicuerunt.

Fortes in magnis ex minimis inculpari tristantur.

Daniel Propheta ex imaginaria quadam visione sibi ostensa ferè defecit, ipso dicente: *Ego autem relictus solus vidi visionem grandem hanc: & non remansit in me fortitudo, sed & species mea immutata est in me, & emarcui, nec habui quidquam virium,* Daniel. 10, 8. Idem & ampliùs accidit Isaiæ, cùm sibi Babylonis miseranda clades ac destructio indicata fuisset, vt ipsemet sequentibus verbis testatus est: *Visio dura nuntiata est mihi: propterea repleti sunt lumbi mei dolore, angustia possedit me sicut angustia parturientis: corrui cùm audirem, conturbatus sum cùm viderem. Emarcuit cor meum, tenebræ stupefecerunt me: Babylon dilecta mea posita est mihi in miraculum,* Isaiæ 21, 2. Dauid ex morte amici sui Ionathæ & huius patris suique hostis Saulis, & ob letalem morbum pueri sui ex Bethsabea nati, ieiunauit, fleuit, & vestimenta sua scidit. Et quæ doloris signa non ostendit Iob ob filiorum amissionem?

Sed quid puros homines etsi virtute præstantes refero? Christus Iesus Dei & hominis Filius, æterni Patris fortitudo, aliquando spiritu infremuit, & ob Lazari amici sui mortem lacrymatus est; in ista, & sua appropinquanti, ex illius sola consideratione, cœpit contristari & mœstus esse, factusq; in

Digitized by Google

in agonia, factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram: & tamen quis cordatus & pius prædictos viros & ipsum Dei Filium reprehendere audebit, quos tantum diuina Scriptura celebrat? vel quis tam vecors, qui modum corrigere præsumat quo Scriptura eadem nobis ob oculos illorum deliquium & dolores ponit? Igitur nec corripienda B. Virgo erit, quòd haud virtuose se in Filij sui passione gesserit, quòd exterùs doloris signa ostenderit, & quòd illius dolor spasmi vel deliquij animi appellatione nuncupetur ab aliis.

Affectionum corporalium nomina de Deo enuntiantur.

Quid plura? Similes effectus similibus nominibus de Deo purissimo spiritu enuntiantur, à quo omnis passio est remotissima, ne dicam dolor, vel animi deliquium; & sanè sine imperfectionis summæ illius Maiestatis nota; quia sano modo & metaphoricè huiusmodi de immutabili Deo dicuntur. Apud Zachariam, dum queritur Deus, quòd ob hominum peccata illos tamquam gratia sua indignos relinquere cogatur, ita loquitur: *Contracta est anima mea in eis: siquidem & anima eorum varianit in me*, Zachar. 11,8. Græca lectio pro *contracta est*, legit, *minuebatur*, Symmachus verò *exanimatus sum*, id est, deliquiũ passus sum.

Et Isaias deficientẽ ferè Dominum ob hominum in benefaciendo torporem hisce verbis introducit: *Et vidit quia non est vir: & aporiatus est*, id est, afflictus est, *quia non est qui occurrat*, Isaiæ 59, 16. alia littera habet, *obstupuit*, & alia, *infirmatus est*; hoc est, ex tristitia deliquium passus est, & defecit. Quid his clarius ad intentum dici poterat? Igitur si hæc absque iniuria Deitatis de Deo à dolore remotissimo pronuntiantur, multò magis absque iniuria dignitatis & excellentiæ Virginis Deiparæ eadem vel similia de ipsa passionibus obnoxia, & in qua fuit dolor intentissimus, poterunt enuntiari; ac consequenter dicere, Virginem spasmum & deliquium passam fuisse in dilecti Filij sui passione, non erit dissonum, impium & temeratium, ac proinde nomen minimè tollendum.

Ad hoc faciunt quæ suprà notauimus in secundo Notabili, nos rationabiliter & inculpatè loqui, cùm secundùm communem loquendi vsum loquimur: igitur cùm secundùm communẽ loquendi vsum dolor intensus diminuens corporis vires, quo existente vix aliquis se sustinere possit, imò & non possit, ita vt in terram cadere sæpe necesse sit, spasmus & animi deliquium appelletur, etsi propriè spasmus haud sit; cùm talem dolorem passa fuerit B. Virgo, nemine eum vera ratione refragante, ideò ipsam spasmum animique deliquium absque illius iniuria, & taliter loquentium reprehensione passam fuisse, dici potest, & templum meritò sub illius titulo erectum, & picturæ Deiparæ deliquium pro Filij sui passione exprimentes, ad pietatem & compassionem in cordibus fidelium excitandam, in Ecclesiis rationabiliter expositæ.

B. Virgo quomodò dici possit passa fuisse spasmum, etsi passa non fuerit.

Dici etiam potest, ideò B. Virginem spasmum passam fuisse, quia tales ac tanti illius dolores fuerunt, vt verè causassent proprium spasmum ac syncopen, nisi diuina gratia adiuta fuisset; vt aliqui Martyres dicuntur ab Ecclesia, etsi sanguine fuso non perierint, sed quia talia passi tuère, ex quibus mors sequi potuit, nili Dei gratia ab ea liberati fuissent; & si hoc dicatur, non credo quòd quis se opponet.

B. Maria Filio simulans.

Quòd si ex his aliquis parum prudens & sapiens, & erga S. Virginem non benè affectus, ansam temerè dicendi sumat, ipsam rationis vsum amisisse, noli mirari, imò admirare potiùs diuinam prouidentiam, quæ voluit & in hoc S. Virginẽ Filio suo assimilari: vt quemadmodum ipse aliquando in insaniam & furorẽ versus fit à conciuibus suis haud bene de illo sentientibus creditus, & tamquam stultus ab Herode in sua passione illusus; ita à malè opinantibus de S. Virginis excellentia, propter externa illius doloris signa, credita sit, etsi falsò, rationis vsum amisisse. Quibus meritò obijci potest illud Cantic. 1,4. *Nigra sum, sed formosa. Nigra*, quia propter doloris vehementiam ex Filij mei passione videor vobis vsu rationis destituta; at verè *formosa*, quia Dei beneficio semper illius compos fui.

Et huic posset eadem Virgo respondere quod in simili, etsi multùm dissimile, respondit Demosthenes. Narrant Historici, hunc Philosophum maximis eiulatibus ob defunctum filium lacrymatum; quem cùm familiaris quidam argueret, quòd ex sua philosophia nihil in hoc proficeret, respondit Demosthenes: *Paterni affectus & amoris es ignarus*. ac si dixisset: Nescis quid paternus amor in filios possit; quod si nouisses, nequaquam me argueres. Fortiori ratione idem potuisset dicere Deipara, quæ Christum vnicè vt Filium & vt Deum diligebat, & nihilominus dira & infami morte crucis sibi auferri videbat.

Demosthenis responsum.

Sed dubitabit aliquis, quomodo fieri potuerit, vt B. Virgo Maria in tantis doloribus ita vsum rationis conseruaret, vt nihil dissonum eius grauitati ageret? Respondetur: qui ab ea spasmum auferunt, dicunt ob singularem in ea existentem gratiam, & heroicam fortitudinem, quæ subdebat rationi omnes motus & affectus partis sensitiuæ.

Dubium.

Solutio.

Sed nescio an tanta facultas & vis habi-

tuali gratiæ & fortitudini tribuenda sit: illa enim videtur esse propria iustitiæ originalis, vt in 2 Sententiarij docent Theologi, quæ in B. Virgine non erat, secundùm communiorem Doctorum sententiam. Sed quid? Christus Dominus in quo maior fuit gratia, & aliarum virtutum plenitudo, de qua nos omnes accepimus, & tamen eius passione imminente, in horto *cæpit pauere, & tædere*, & mœstus esse; *& factus in agonia, factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.* Quare ergo non potuit in B. Virgine, absque præiudicio excellentis gratiæ & heroicæ fortitudinis in ea existentis, deliquium esse?

Marc.14, 33. Luc.22,43.

B. Virgo ex Dei peculiari auxilio non obijt præ dolore in Filij sui passione.

Accedit, quòd si illud dixerimus, non poterimus B. Virginis præseruationem à morte in tantis doloribus adscribere peculiari diuino auxilio, quo tunc temporis piissimus Deus eam præuenit, & subuenit, sicut illi adscribunt sancti Patres. S. Ioannes Damascenus lib.4.Fid. orth.inquit: *Dolores quos Virgo effugit pariens, hos in passione Christi sustinuit, haud dubiè moritura, nisi à Deo seruaretur.* & S. Anselmus de Excellentia Virginis cap. 5. dicit, gladium passionis Christi adeò animum Virginis penetrasse, tantoque dolore illam affecisse, quæ nisi speciali Dei gratia & fauore confortata fuisset, viribus prorsus defecisset. & id ipsum alij Patres passim affirmant. Igitur ab ordinaria habituali gratia & fortitudine præcisè non procedebat, quod in tantis doloribus vsus rationis in Virgine conseruaretur; quia cum illa, quocumque alio secluso, è vita discessisset.

Quare aliter arbitror melius posse dici, & tripliciter. Primò, stando dictis in primo Notabili, dici potest, absque miraculo beatam Virginem in illo deliquio vsum rationis conseruasse, quia ille non aufertur animi deliquio: verùm licet non auferatur, illo nihilominùs posito, quoquo modo potest impediri, si non simpliciter, quòd videlicet non possit ratio suam exercere operationem, tamè aliquo modo retardaretur, & in operando frigesceret; quoniam pro præsenti statu rationis operatio pendet à sensibus: quare si isti debilitantur, sicut verè debilitantur in deliquio, & rationis actum debilem sequi necesse est. Igitur cùm deliquium in Virgine ponamus, consequenter defectum aliquem in vsu rationis: vt ergo tollatur, dicamus, aliquo peculiari auxilio fuisse adiutam, non vt simpliciter, sed vt perfectè operaretur.

Ideò sit secunda responsio: Beata Virgo diuino peculiari auxilio, quo, ne in tantis doloribus deficeret, præseruabatur, eodem etiam præseruata fuit, ne in illo deliquio vsum rationis amitteret; vel cum gratia & diuino auxilio superueniente, vt dixit Suarez, si id fuit necessarium. Et adhuc hoc mihi certissimè persuadeo, in illo deliquio ex bono præcedenti habitu rationis & sensuum indecorum nihil, & quod non summam grauitatem & modestiam præ se ferret, egisse. Crediderimque factum cum sanctissima Virgine quod cum aliquibus sanctis & Martyribus, qui propter afflictiones graues, & atrocia tormenta, vsum rationis amittere debuerant, non tamen, Dei peculiari auxilio subueniente, amiserunt. Si enim, vt dixit Doctor subtilis, dolor excellens in parte sensitiua, natus est impedire vsum rationis (quod probatur, quia plus impedit vsum rationis dolor vehemens quàm delectatio) *nemo est*, secundùm Augustinum 83.qq. q.36. *qui non magis dolorem fugiat quàm appetat voluptatem; quandoquidem videmus etiam immanissimas bestias à maximis voluptatibus abstterreri dolorum metu.* Ex quibus verbis colligit subtilis Doctor, quòd si in Martyribus expositis maximis tormentis intellectus habuerit vsum rationis, quòd hoc fuerit ex speciali gratia Creatoris; quemadmodum contigisse D.Stephano arbitramur, dum saxorum imbribus à persecutoribus quatiebatur, quoniam Christũ Dei Filium vidit in auxilium eius stantem, qui, seruato vsu rationis, memor Dominici præcepti, *Orate pro persequentibus & calumniantibus vos*, Mat.5,44. *positis genibus, clamauit voce magna, dicens: Domine ne statuas illis hoc peccatũ*, Act.7,59.

Martyres ex gratia Dei vsum rationis in magno doloribus conseruarunt.

Scot. in 4. dist.15. q. vnica, in. fi.

Stephanus erat proinde mirus à Christo adiutus.

Sed aliis prætermissis, vnicum Iosephi, Iacobi Patriarchæ dilectissimi filij, sufficiat exemplum, quod bellè propositio nostro deseruit. Ille in carcerem cùm coniectus fuisset, multa in animo & corpore sustinuit, Dauide de ipso dicente: *Humiliauerunt in compedibus pedes eius, ferrum pertransiit animam eius*, Psalm. 104, 18. *humiliauerunt*, dixit, respiciens ad corporales; *ferrum pertransiit animam eius*, de internis & spiritualibus loquens. At in illis, Deo adiuuante, *qui descendit cum illo in foueam, & in vinculis non dereliquit illum*, Sap.10,13. non amisit rationis vsum; nam somnia explicare & futura prædicere nouit. Id ipsum arbitror sanctissimæ Virgini contigisse; quare simili loquendi modo vsus fuit ad eam Simeon: *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius*, Luc. 2, 35. gladius nempe spiritualis tristitiæ, qui ex passione Filij sui cor eius pertransire, & extenus se adeò diffundere debebat, vt deliquium causaret, saluo semper ex Dei singulari gratia, rationis vsu.

Dicerem tertiò, sanctissimam Virginem ex consideratione intensa patientis Filij, quem

quem Deum nouerat, & tamen grauiſſima peccatorum ſupplicia ſuſtinere videbat, extra ſe factam, & ecſtatin paſſam, quid in ſenſu & corpore pateretur non aduertiſſe. Et ſanè in Sanctorum geſtis legimus, Sanctos in ecſtaſi vel contemplatione eleuatos, quæ circa ſe exteriùs agerentur non aduertiſſe: ſed illis omiſſis, vnum profero ex Scriptura ſacra teſtimonium. Cùm Deus vellet ex Adæ coſta Heuam ædificare, dicit Moyſes Deum immiſiſſe ſoporem in Adam; cumque obdormiſſet, tuliſſe vnam de coſtis eius, & ea mulierem ædificaſſe. Per ſoporem & ſomnum illum Adæ intelligunt Doctores ſacri mentis exceſſum, & ecſtaſin Adæ, qua factum eſt, vt non ſentiret Adam dolorem ex coſtæ ablatione, nec aduerteret quid exteriùs pati poſſet, ſaluo tamen vſu rationis; nam poſteà cognouit quid Deus egerit, vt illius indicant verba quæ poſt formatam mulierem dixit: *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea: hæc vocabitur Virago, quoniam de viro ſumpta eſt*, Gen. 2, 23. Simile quid ſuſpicor accidere potuiſſe B. Virgini: ideò Simeon ſolius animæ doloris meminit, dicens, *Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius*; quia ſtupore & ecſtaſi exteriùs impaſſibilis videbatur, & ſpaſmum paſſa.

Ecſtaſi, ſaluo rationis vſu, quid circa ſe agatur ecſtaticus non ſentit.

Ex his apparet, quàm rationabiliter aſſertores ſpaſmi B. Virginis Mariæ locuti fuerint; quorum ſententiam ſic explicatam non credo poſſe negari ab illis qui ab eadem Virgine ſpaſmum auferunt, quoniam ſinguli modo indicato intelligendi & explicandi ſunt. Sed ad argumenta pro prima ſententia contra ſecundam adducta reſpondeamus.

§. IV.

Reſponſio ad argumenta pro prima ſententia adducta.

QVamuis ex dictis §. præcedenti ſatis pateat, quid reſpondendum ſit ad argumenta §. 1. adducta pro prima ſententia, ſpaſmum à B. Virgine remouente; nihilominùs ad maiorem dilucidationem materiæ quam tractamus, & eorum quæ dicta fuerunt in ſex poſterioribus argumentis, placet adhuc alia addere quæ facient etiam pro primi argumenti confutatione.

Reſponſio ad ſecundum argumentum.

Cùm itaque dicitur in ſecundo argumento, ponere ſpaſmum in Virgine, derogare illius eximiæ perfectioni & excellentiæ; quia hoc pacto ponuntur etiam deliramenta rationis, quæ repugnant illius optimæ complexioni: Reſpondetur, negando conſequentiam, quia, vt viſum antea fuit, deliquium per ſe non ſequuntur deliramenta, vel defectus vſus rationis, nec repugnat optimo temperamento Virginis deliquium ex magno dolore proueniens ex obiecto extrinſeco, acerba inquam paſſione dilecti Filij ſui metaphoricè, imò phyſicè, in ipſam operante.

Probatur: Quia ſi Adæ & Heuæ optimi temperamenti & complexionis cùm eſſent, non tamen repugnarunt dolores & mors ipſa. Quid? Chriſtus Dominus, etſi inter omnes filios hominum optimæ complexionis fuerit, quia Spiritus ſancti operatione ex puriſſima Virgine conceptus, & nihilominùs dolores vſque ad mortem ſenſit, exaltatus, humiliatus & conturbatus, ex itinere defatigatus, triſtisque ex mortis conſideratione, ac denique cruci clauis affixus vitam finiuit. Quare B. Virgo, etſi optimæ complexionis, ponito agente maximæ actiuitatis, gladio doloris paſſionis Filij ſui, deliquium pati non potuit abſque ſuæ excellentiæ præiudicio? Etenim bona complexio non mutat naturam, vt ex paſſibili impaſſibilem reddat: & dolores, deliquium & huiuſcemodi ſunt paſſiones inſequentes naturam, & non perſonalem conditionem. Vnde etſi concedatur, B. Virginem aliàs non ægrotaſſe, quia ægrotare prouenit ex mala naturæ complexione vel diſſolutionibus, quas nullo modo in Virgine admittimus; non exinde tamen ſequitur, non potuiſſe pati deliquium poſita illius cauſa, quia hoc eſt humanæ naturæ paſſio.

Sola iuſtitia originalis non arceret naturales paſſiones.

Quin ab huiuſcemodi paſſionibus nec ipſa iuſtitia originalis, ſecluſo innocentiæ ſtatu & Dei peculiari auxilio, præſeruare potuiſſet; his enim adminiculis ablatis, originalis iuſtitia non obſtitiſſet, quin homo calefactus vel etiam combuſtus fuiſſet eidem igne admoto, & à quocumque actiuitatis obiecto paſſionem ſuſtinuiſſet abſque ſuæ complexionis & iuſtitiæ originalis præiudicio, vt grauiſſimi docent Theologi. Ita in propoſito, nulla perfectioni ac dignitati B. Mariæ Virginis irrogatur iniuria, dicendo paſſam fuiſſe deliquium in Filij ſui dolorosa paſſione; quia iſta ex ſe ſufficiens extitiſſet mortem cauſare; & cauſaſſet in Virgine, niſi diuinitùs fuiſſet protecta, quemadmodum ſuperiùs notauimus.

Caietani argumenta pro prima Concluſione improbantur.

Et ſi hæc vera, non ſatis firma comprobantur aliqua ex Caietano præcedenti §. adducta pro probatione primæ partis primæ aſſertionis. Nam Virgo quæ admiſiſſet mortem, & quam tandem ſuſtinuit, gratiæ plenitudine non obſtante, abſque illius præiudicio, deliquium aliosque dolores morte minores, ipſamque præcedentes, admittere non minùs potuit, vt admiſit.

Aduertit.

Ex dictis etiam apparet, aſſertores ſpaſmi non auferre à Virgine actus heroicarum mora-

moralium virtutum, vt in tertio argumento opponebatur: nam etsi virtutibus heroicis elici possint actus virtuosi, quos Virginem elicuisse tempore passionis Christi constanter credimus; sed tantùm illis non videtur tribuendum, vt naturales passiones à corpore propulsent, quia fieri non potest quin visis tangamur, vt Augustinus ait, & tantò magis, si ponantur in voluntate, vt esse ponendas boni docent Theologi: benè efficient, vt illis animus benè instructus, omnia aduersa æquanimiter & propter Deum sufferat, & id effecerunt in Virgine, quæ voluit & acceptauit prompto animo quæcumque circa Filium suum & se ipsam diuina ordinatione acciderunt.

Scot. in 3. d. 23.

Ad confirmationem, dico non officere: si enim aliquid concluderet, facilè ex ea probari posset, Christum Dominum, virum dolorum & scientem infirmitatem, omnium tormentorum præscium, nec fructuum, qui è passione sua in humanum genus redundaturi essent ignarum, sine doloris sensu cruciatus omnes & mortem etiam acerbissimam sustinuisse, quod est plusquam falsum & hæreticum. Nec abstulit dolores à Virgine spes resurrectionis Filij; nam *potentia propinqua melius percipit obiectum quàm remota*, vt Aristoteles ait 2. de Anima, quia obiectum præsens etiam fortius mouet: beata autem Virgo actualiter intuebatur dilectum Filium patientem; resurrectionem verò illius expectabat; & spes dilata affligit animam. vnde appositè Gregorius Nazianzenus sub persona Virginis ait: *Nec me latent quæ breui futura sunt, sed mœror excedit grauis fiduciam.* & Beda verba illa Simeonis ad Virginem, *Tuam ipsius animam pertransibit gladius*, expendens ait: *Id est, dolor passionis Dominicæ; quia non potuit eum crucifigi cernere sine affectu materni doloris, etsi speraret eumdem resurrecturum, & mortem deuicturum.* Vnde dolorum præcognitio, spes resurrectionis & huiusmodi non abstulerunt à Virgine dolores, vel ex his proueniens animi deliquium, sed efficiebant, vt omnia æquanimiter sufferret; aliàs tamen fieri nequibat, quin in parte animæ sensuali, tum quoad corpus tum quoad animam quàm maximè doleret, & dolor foris per animi deliquium non se proderet.

Spes resurrectionis Christi non auferet dolores à Virgine.

Nazian. de Christo patiente. Beda in c. 2. Luc.

Gladius quomodo animam Virginis pertransiit.

Nec exempla illarum mulierum militant contra Virginem; dispar namque ratio est de illis & ista. Ex illis aliquæ constantiam & fortitudinem præ se ferebant, exemplo & verbis hortando filios ad constanter subeundam mortem pro Christo, quia hoc pacto magis illi persuadebantur; & si ope indigebant, matres suppeditabant: ex quibus discebant, præsentem corruptibilem vitam nihili faciendam pro Christo, vt æternùm illam custodirent: quòd si illis non indigebant, diuinitus roborati, non erant illarum lacrymis deterrendi. Non erat etiam necesse vt dolore externo se matres ostenderent, sed magis vt latentem in animo muliebri virilem fortitudinem intrepido vultu, siccis oculis & exhortatoriis verbis ad mortem manifestarent. Non similiter id exposcebatur in Virgine; nam Filius eius mortis cupidissimus ad eam non fuerat cohortandus, & expediebat vt præcipuam suam excellentiam Matris Dei externo dolore proderet: verumtamen non prætermisit ostendere heroicam suam constantiam, fortitudinem & fidem, dum semper lugubri spectaculo interesse voluit, illud mentis & carnis oculis intueri: & quòd certò crederet Christum resurrecturum, quamuis plus ceteris illum diligeret, non iuit tamen cum aliis diligentibus mulieribus ad illius post mortem corpus vngendum, vt S. Bernardus de Passione Domini cap. 2. obseruauit. vnde meritò subiunxit: *Verè fortis hæc mulier, & præ cunctis potè Filium honoranda: verè & virago dici potest, quæ à viro Christo per animi fortitudinem separata non est, sed eum quem morientem & mortuum vidit, credidit immortalitatis gloria sublimatum.* Vide Carthagenam Tomo 2. de beata Virgine lib. 12. Homil. 8.

Ad exempla fortium mulierum.

Heroica Virginis fortitudo.

Ad hæc, vt laudabile est, gaudere cum gaudentibus, ita flere cum flentibus: igitur si aliàs exultauit spiritus Virginis cum lætabundo salutari suo, debuit & cum eodem flente ac dolente flere ac dolere; & vt quæ futura erat conscia & particeps cõsolationis & coronæ martyrij, priùs esset dolorum particeps ac singulari animi martyrio afflicta.

Prædixerat illud Ioël 2, 31. cùm dixit: *Sol conuertetur in tenebras, & luna in sanguinem.* Sol enim iustitiæ Christus Iesus versus est in tenebras in passione & morte, & iterùm illuxit in resurrectione: & luna mater eius versa est in sanguinem, compassione erga Filium quodammodò cruentata, & eius sanguine irrorata: sicut in illius posteà resurrectione lucida & lætabunda apparuit.

Prædictio dolorum Christi & Virginis.

Optima ratione nobilissima genere ac virtute Melania virilem animum ostendit in viri sui obitu; quia illo defuncto expeditior reddebatur ad seruiendum Deo, à quo sollicitudo placendi marito non semel auocare consueuit, Paulo dicente: *Quæ nupta est cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro*, 1. Cor. 7, 34. Et ita verbis & factis ipsamet Melania indicauit. Rem totam relatu dignissimam accipe ex D. Hieronymi Epist. 25. Tom. 1. ad Paulam super

Magna mulieris fortitudo & pietas.

per obitu Bleſillæ filiæ: *Sancta Melania, noſtri temporis inter Chriſtianos vera nobilitas, cum qua tibi Dominus mihiq; concedat in die ſua habere partem, calente adhuc mariti corpuſculo, & necdum humato, duos ſimul perdidit filios. Rem ſum dicturus incredibilem, ſed teſte Chriſto non falſam. Quis illam tunc non putaret more lymphatico, ſparſis crinibus, veſte conſciſſa, lacerum pectus inuadere? Lacryma quia non fluxit, ſtetit immobilis, & ad pedes aduoluta Chriſti, quaſi ipſum teneret, arriſit. Expeditiùs, inquit, tibi ſeruitura ſum Domine, quia tanto me onere liberaſti.* Hæc S. Doctor. Sed iſta non habebant in Virgine locum: illa enim amando Filium, Deum ipſum amabat: & quantò maiori cura ſtudebat placere Filio, tantò magis Deo placebat, quia erat Filius ipſe Deus; quare ex illius conſortio non diſtractio, ſed ſtrictior coniunctio cum Deo ſequebatur. Vnde meritò fortiſſima ſemper Virgo ex ſeparatione Filij ſui per mortem doloris deliquijq́ue ſigna oſtendit. Accedit, quod diuerſis actibus circa idem obiectum poſſumus laudabiliter operari, vt gaudere de morte Chriſti propter finem & fructum, Dei gloriam & ſalutem animarum; & dolere de cauſa, hoc eſt, peccatis verè ſemper deteſtandis.

Ad D. Ambroſium. Ad Ambroſium, quòd dicat, ſe legere, Virginem *ſtantem*, non *flentem*, Reſpondeo: Si illud non legit, nec oppoſitum; & ſanè argumentum à negatione non tenet: nec ille illis verbis negat Virginem fleuiſſe, ſed dumtaxat non legiſſe: ſed fleuiſſe dixerunt S. Bernardus, Bonauentura, & alij. Nec derogat perfectioni illius, ſicut nec Chriſti, quem tamen non ſemel fleuiſſe ex Scriptura nouimus.

Ad quartum. Non concedimus etiam quod in quarto concluditur argumento, ſiue opinando aſſeritur; quia præterquam Virgo fuit à Deo in ſui Filij paſſione adiuta, ne quid indecorum ageret, vel pateretur, ſpaſmus & deliquium ex ſe rationis vſum non aufert, vt anteà non ſemel dictum.

Etiam admiſſis in Virgine aduerſarium concentibus, non ideò illius meritum minuitur. Dicerem præterea, quòd etſi Deipara in ſui Filij paſſione vſum rationis amiſiſſet, ac conſequenter tunc actu haud compaſſa fuiſſet Filio, æquanimiterq́ue illius dolores minimè ſuſtinuiſſet, neque paſſionem Patri obtuliſſet; non tamen minùs meruiſſet, & Deo grata fuiſſet: quia iſta non ex defectu, ſed ex affectu proceſſiſſent, dolorem ac deliquium ex compaſſione rei dilectę cauſantia. Quemadmodum Martyres & eorum martyrium non minùs Deo placent, ſi in doloribus ratione vtantur, vel non vtantur; quia ſemper martyrium procedit ex charitate operiente defectus, ſi tunc defectus eſſe poſſunt. Nam ſi Martyres in magnis tormentis ratione vtuntur, non ex illorum virtute & meritis, ſed diuina gratia procedit, vt anteà fuit indicatum; & ſi non vtuntur, ſimiliter ſine eorumdem culpa euenit. Quare non eſt, vt ex vſu vel non vſu rationis in caſu noſtro, in Virgine excogitemus maiorem vel minorem Dei acceptationem. Et ſi hæc non plenè ſatisfaciunt, ſatisfaciant quæ in ſolutione ad ſextum argumentum dicemus.

Ad quintum. Quintum argumentum nobis non officit. Etſi enim motus primi non ponerentur in Virgine, ſed omnes illius rationi ſubderentur; verùm, appoſito vehementi agenti paſſio bene diſpoſito, paſſio ſequi debuit abſq; illius dedecore, ſicut accidit etiam in Chriſto: cui licet omnia ſuæ voluntatis imperio ſubijcerentur, ac proinde non fuerit in eo paſſio actum rationis & voluntatis præueniens, fuit tamen propaſſio, vt ſacri Doctores loquuntur, & vera paſſio ſequens, abſque ſuæ dignitatis detrimento. Ita & in Virgine debuerunt admitti, ſicut admiſſæ fuerunt illæ paſſiones propter iam dicta, & adhuc dicenda.

Ad ſextum. Ad ſextum argumentum dico, B. Virginem in paſſione Filij ſui exercuiſſe actus pietatis & obedientiæ erga Deum, ſe conformando eius voluntati, & dilectionis erga proximum, offerendo pro illo paſſionem Filij ſui æterno Patri; quoniam eo tempore ex ſpeciali Dei priuilegio maximè in ea viguit vſus ratio[illegible].

Secundò, etſi (quod tamen non concedimus) vſu rationis aliquando non fuiſſet vſa ob doloris vehementiam, non propterea eſt illius meritum minuendum: quoniam priùs vigente ratione, ſponte ac hilariter obtulit Patri paſſionem Filij, proprios dolores, & ſeipſam; quæ etiam libentiſſimè mortem ſubijſſet, ſi diuinæ placitum fuiſſet voluntati. Hoc poſſet explicari & probari Martyrum & aliorum iuſtorum exemplo, qui licet vel abſque vſu rationis vel etiam in delirio ex hac vita decedant, ratione bonæ præcedentis electionis ita ſunt Deo accepti, ſicut ſi cum vſu rationis & actuali propriæ vitæ oblatione emitterent ſpiritum; quia, vt inquit Sapiens, *iuſtus* quacumque *morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit*, Sap. 4,7.

Sed his omiſſis, dicamus quod de capite omnium Martyrum & iuſtorum Chriſto Domino dixit S. Auguſtinus, quem tota Theologorum ſchola ſequitur: inquit ipſe, Sacramenta manaſſe ac virtutem accepiſſe ex aperto Chriſti latere; eo enim credentes initiantur, peccatores purgantur, & quotquot ſaluantur, per latus illud ſacratiſſimum

tamquam per salutis ostium ingrediuntur.

Difficultas solutionis.

Sed quomodo ex illo vulnere tot merita & bona procedere potuerunt? nónne mortuus erat Christus, quando miles lancea latus eius aperuit? Ita docet Ioannes. Sed corpus exanime, cùm sit rationis expers, meren bonúmve operari nequit.

Meritum Christi ex eius aperto latere, quia præuidit & acceptauit.

Respondeo, Hic est ænigma Samsonis (aliis omissis, à Theologis pertractatis in 4. Sentent. quæ ad rem nostram non faciunt) Christum Dominum vulnus illud dum viueret præuidisse, acceptasse, ac obtulisse Patri, & ex illa acceptatione & oblatione meritum, efficaciam Sacramentorum & alia bona processisse, vt iidem asserunt Theologi. Sicut ex forti mortuo leone exiuit dulcissimum mel, quod viuentes apiculæ efformarant, vt in libro Iudic. dicitur; ita in proposito, quoniam sanctissima Deipara à principio passionis Filij sui, imò ab ipso Incarnationis instanti præuidit, optimeque intellexit passionem Filij sui dilecti, quæ velut acutus gladius pertransire debebat animam eius, vt posteà conceptis verbis illi dixit Propheta Simeon, illamque tunc acceptauit, & in eadem propter Deum complacuit, eique obtulit, in ea acceptatione, oblatione & omnimoda conformitate suæ voluntatis cum Deo totum illius meritum consistere asseueramus.

Ad septimum.

Ad septimum denique argumentum respondeo negando consequentiam; ad probationem de excessu, nego fuisse excessum doloris in Deipara [redacted] passione Christi Filij sui: nam dolor qui propter illius vehementiam aliorum respectu dici potuit nimius ac vitiosus, non similiter respectu passionis Filij sui, sed cõueniens & laudabilis; quia vt summe diligendus erat, ita summus dolor de illius graui pœna concipiendus & deforis etiam propalandus erat; quia amor & dolor æquiparantur in intensione vel remissione respectu personæ & obiecti quorum sunt.

Excessus quid.

Et vt responsio & principale intentum adhuc amplius explicetur, aduerto, excessum in actionibus vel passionibus esse, cùm illæ secundùm veras leges ac rationem non moderantur, sed secundùm inordinatam affectionem vel passionem dimittuntur. Et iste excessus potest dupliciter accidere, vel subiectiuè, vel obiectiuè, hoc est, vel respectu personæ à quo actiones vel passiones exeunt, vel personæ alterúsve rei ad quam terminantur, & ratione huiusce modi discriminis, id quod in vno erit laudabile, in alio erit vitiosum, & è conuerso.

Sint in actionibus & passionibus exempla: & in actionibus primum, diuitem ac Regem multa elargiri laudabile est, & à liberalitatis virtute procedens, quia conueniens personæ donanti. Vnde laudatur Agesilaus Rex; qui cùm ingens donum cuidam plebeio daret, illeque ex verecundia recusaret, dicens hoc esse nimis magnum pro se; *At*, respondit Rex, *non est magnum nimis pro Agesilao.* *Agesilai Regis apophthegma*

Et Magi illi Orientales multùm celebrantur, qui Christo Regi recenter nato magna regiaque obtulerunt munera, vt ex illis Euangelistæ verbis, *Et apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham*, Matth. 2, 11. deducunt sacri Doctores, & meritò, tum propter ipsos offerentes, quia Reges ditissimi erant; tum propter personam cui illa obtulerunt, Regem regum & Dominũ dominantium, in cuius obsequium omnia laudabiliter insumuntur.

Econtrà pauperes, vel non ita diuites, qui etiam quæ non habent dissipant, vt status sui conditionem excedentes ac prodigi reprehenduntur, vt ille filius prodigus, qui partem paternæ substantiæ quæ ei data fuit totam in vanis ac ludicris dissipauit, ac alij ei similes, qui gradũ suum excedunt. vnde optimè senex Tobias instituens bonis moribus filium suum dixit ei: *Quomodo potueris, ita esto misericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude*, Tobiæ 4, 8.

Dilectio Dei respectu hominis quomodo nimia, & quomodo non.

Quòd Deus adeò hominem dilexerit, vt pro ipsius salute miserit vnigenitum Filium suum in similitudinem carnis peccati, vt illum à peccato liberaret, videtur excessus; quia homo haud diuino amore sed odio propter sua demerita dignus est. Hinc tamquam de prodigio Regius Vates stupens Deo dicebat: *Quid est homo, quòd memor es eius? aut filius hominis, quoniam visitas eum?* Psal. 8, 5. Et ipse Christus hanc contemplatus dilectionem per emphasim dixit: *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret*, Ioan. 3, 16. Verùm si personam diligentem consideremus, quæ est ipsa bonitas, & charitas, dives in misericordia, & Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, non excessum, sed diuinam dicemus omni laude dignam liberalitatem. Hinc vbi vulgata lectio Ephes. 2, 4. legit, *Propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, & cùm essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Christo*, &c. Græca lectio, Hieronymus, & Ambrosius habent, *multam*, id est magnam. Vulgata *nimiam Dei charitatem* appellauit, ad homines respiciens tam miseros illaque indignos, sed alia lectio *multam* dixit, liberalem Dei conditionem considerans; & fauent Apostoli præcedentia verba: *Deus autem, qui dives est in misericordia, propter*, &c.

Dili-

Deus super omnia diligendus & quare.

Diligere Deum ſuper omnia non eſt exceſſus, ſed neceſſarium ac laudabile; quia ei omnis honor & gloria debetur tum ratione ſuæ infinitæ excellentiæ, tum ratione creationis, redemptionis & glorificationis, tum ratione diuini præcepti, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua*, Mat. 22, 37. Sed non ſimiliter debemus noſmetipſos & proximum noſtrum diligere, ſed limitatè, quia imperfecti, & modicam illam quam habemus bonitatem, participatam & à Deo emendicatam habemus, ſumma dilectione indignam; & propter diuinum præceptum, in quo limitata proximi dilectio mandatur, quia ab alia Dei diſtincta: *Diliges proximum tuum ſicut teipſum*, Matthæi 22, 39. & qui aliter diligeret, exceſſum vitiumque magnum cum Lucifero committeret.

Dolor amiſſionis temporalium modum & terminum habere debet.

Similiter & de aliis magis afflictiuis paſſionibus loquentes dicendum, dolere de facultatum charorumque amiſſione, ineuitabile ac licitum, quia homines ſumus, & fieri non poteſt quin viſis tangamur: ſed ratione perſonæ & obiecti poteſt eſſe exceſſus ac moderatio, vitium & virtus: vitium & exceſſus, ſi non ſit proportionatus ſubiecto & obiecto; ſi proportionatus, vt licitum ac laudabile admittitur. Si ſit de rebus temporalibus, terminum habeat & moderamen, vt pro facultatum neceſſariarum, amicorum cognatorumque amiſſione, quia iſta finitè amantur. Sed ſi dolor proueniat ex bonorum ſpiritualium, vt gratiæ Deique amiſſione, vel quòd eidem Deo & Chriſto eius mali aliquid obuenerit, tunc ſummè dolendum; & ſi infinitus eſſe poſſet dolor, pro infiniti boni amiſſione vel offenſione, infinitè dolere ac lacrymari deberemus. Hinc legimus Chriſtum Dominum zelo honoris Dei ſuccenſum, quia videbat domum Patris ſui profanari contractibus, qui in illam ingreſſus ſemel & iterùm, eiecit omnes vendentes & ementes. In morte Lazari, peccatoris figura, fleuit, & ſuper ciuitatem Ieruſalem, quia non cognouit tempus viſitationis ſuæ. In horto triſtis factus eſt, & ſudauit ſanguinem, & in cruce lacrymatus eſt. Propter Dei offenſas, & propter dolorem ſuum nimium, etſi libentiſſimè ac cum gaudio ſuſtinuerit, vt dixit Apoſtolus Hebr. 12, 2. nihilominùs ſigna doloris oſtendere voluit, vt ipſum eſſe hominem omnes intelligerent, & pro homine ſummis affici doloribus; vt & ipſi ingenti dolore, triſtitia & lacrymis eidem compaterentur, aſpicientesque in eum quem confixerunt, plangerent planctu quaſi ſuper vnigenitum, vt Zacharias 12, 10. prædixerat, & dolerent ſuper eum, vt doleri ſolet in morte primogeniti.

Hinc præſcriptum inuenietur tempus ac modus luctus pro dilectiſſimorum morte ac conditione: Græci, Romani, ceteriſque veteres Gentiles mortuos ſuos nouem dierum luctu deflere ſolebant; ac pro his qui conditione ac merito ceteros antecellerent, ſacra Nouemdialia ritu ſolemni celebrare conſueuerant. Quapropter Homerus fingit Priamum Troianum Regem propterea ab Achille nouem dierum inducias efflagitaſſe, quibus interfecto Hectori filio iuſta perſolui poſſent. ſic enim Latinitati nunc redditus Iliad. 24. canit:

Conſuetudo deflendi mortuos apud Romanos.

Si placet vt dignos nato impendamus honores,
Flere nouem luces permitte domi Hectora noſtræ,
Aetheraq; & miſeris implere vlulatibus vrbem.

Apud Hebræos.

Veteres verò Hebræi ſeptem diebus mortuos ſuos flere conſueuerunt, vnde Eccleſiaſt. 22, 13. dicitur, *Luctus mortui ſeptem dies*. In Scriptura etiam legimus frequenter determinatum planctum propter defunctos, vt de Iacob, Moyſe, & aliis: & Chriſtus flenti mulieri viduæ ob vnici filij ſui obitum dixit: *Noli flere*, Luc. 7, 13. Verùm non interdicitur dolor & planctus, eique terminus haud præfigitur, cùm ex Dei offenſa & gratiæ eius amiſſione procedit, ſed multis multùm commendatur, etiam poſt offenſum Deum reconciliatum.

Pro Dei offenſa numquam à fletu ceſſandum.

Exemplo Dauidis.

Sciebat Regius Propheta peccatum homicidij & adulterij ſibi à Deo remiſſum: nam mox vt de eo increpatus à Nathan Propheta dixit, *Peccaui Domino*; ab eo audiuit, *Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum*, 2. Reg. 12, 13. & tamen iugiter compungitur, gemit, plorat, pro venia obſecrat. *Laboraui in gemitu meo*, dicebat, *lauabo per ſingulas noctes lectum meum, lacrymis meis ſtratum meum rigabo*, Pſalm. 6, 7. & Pſal. 79, 6. *Cibabis nos pane lacrymarum, & potum dabis nobis in lacrymis in menſura*, hoc eſt magna menſura, vt imbres & torrentes imò flumina lacrymarum emittam, quæ bibam & potem.

Magdalenæ.

Audierat Maria Magdalena à Chriſto; *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*, Luc. 7, 47. & tamen per triginta annos vſque ad mortem in Gallia apud Marſiliam in loco *ſanctæ Baumæ* nuncupato pœnitens, continuis lacrymis, gemitibus, pœnitentiis, orationibus ſeſe addixit, omnibusque ſæculis pœnitentiæ exemplar ſe conſtituit.

Petri.

Sciebat Petrus, qui Chriſtum negauerat, ei culpam condonatam fuiſſe, quando illum

Digitized by Google

illum respexit Iesus; & non eo tempore solùm fleuit amare, sed toto vitæ suæ decursu: singulis enim noctibus ad galli cantum, ait S. Clemens, procidens in genua lacrymis vberrimis illam defleuit, adeò vt oculi eius ex assiduo ploratu apparerent quasi sanguine respersi, inquit Nicephorus lib. 2. cap. 37.

Paul. Et, similibus aliis exemplis prætermissis, S. Paulus post Christi persecutionem ab eodem Christo vocatus audierat, *Vas electionis est mihi iste*, Act. 9, 15. & tamen passim inter pœnitentes se collocat, & lamentatur pro antea offenso diuino Numine, *Ego*, inquit, *sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei*, 1. Cor. 15, 9. & *Fidelis sermo, & omni acceptione dignus, quòd Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere, quorum primus ego sum: sed ideò misericordiam consecutus sum, vt in me primò ostenderet Christus Iesus omnem patientiam, ad informationem eorum, qui crediturí sunt illi, in vitam æternam*, 1. Timoth. 1, 15.

Igitur ad particulare intentum reuertentes, dolor B. Mariæ Virginis quantumcumque magnus fuerit, etsi potuisset esse infinitus, numquam excessiuus dici potuisset, & consequenter haud vitiosus: tum ratione subiecti, quia vera & diligens mater; tum ratione obiecti, quia pro acerbissima passione, & offensa Filij sui veri Dei, præter plurima peccata quæ tunc temporis contra diuinam infiniteque honorandam Trinitatem commissa fuere, continuis lacrymis ac perpetuo dolore laudabiliter detestanda. Et hæc de primo ac principali articulo quæstionis satis.

§. V.

De tempore quo B. Virgo spasmum passa est.

QVantum ad secundum principale in difficultate propositum, quo videlicet tempore passionis Christi Domini eius sanctissima Mater sit deliquium passa, non omnium videtur esse vna & eadem sententia, nisi dicere velimus, eamdem omnium esse, etsi non omnes eam similiter explicuerint: nam quidam de vno tempore, alij de altero mentionem fecerunt; & quod singuli seorsim non dixerunt, singuli simul omnia vel plura expressérunt quæ in hac materia desiderari poterant. Igitur ex illis quæsito respondeamus.

Suppositio itaque B. Mariam Virginem passam fuisse deliquium & spasmum in passione dilecti Filij sui modo explicato in prima quæstionis parte, dicendum est non semel, sed pluries, diuersis se offerentibus doloris ac deliquij causis, quæ plures extiterunt toto passionis Christi decursu. Vt enim Seraphicus Bonauentura dixit lib. Meditat. vitæ Christi cap. 80. toties verè mortua est, quoties contra Filium suum videbat fieri nouitatem. Sed quoties, & quando præcipuè?

Nouies Deipara spasmum passa in Christi passione. Reuelat. S. Birgit. lib. 1. c. 10.

Dicimus nouies. Primò, B. Virgo deliquium passa fuit, quando Filium suum flagellari vidit, vt eadem B. Virgo sanctæ Birgittæ de Christi flagellatione loquens dixit: *Ad primum igitur ictum ego quæ adstabam propinquiùs cecidi quasi mortua, & resumpto spiritu vidi corpus eius verberatum*, &c.

Primò, in flagellatione.

Secundò, cùm vidit illum proprio sanguine madidum, laborantem sub cruce, quam propriis humeris ad Caluariæ locum baiulabat. Ita plures qui de locis sanctis tractarunt, & dolorosam Christi passionem à domo Pilati vsque ad Caluariæ montem descripserunt; inter quos S. Bonauentura ibidem cap. 77. ita de hac re testatum reliquit: *Cernens eum oneratum ligno tam grandi, quod primò non viderat, semimortua facta est pra angustia, nec verbum dicere potuit.* & hoc inferiùs magis explicabimus, cùm de loco spasmi loquemur.

Secundò, in cruce baiulatione.

Tertiò, spasmum passa est beata Virgo, quando conspexit Christum nudum super crucem extendi, vt crucifigeretur. Vnde Anselmus in Dialogo de Passione Domini in persona Virginis sic loquitur: *Cùm venissem ad locum Caluariæ, ignominiosissimè nudauerunt Filium meum totaliter vestibus suis, & ego exanimis facta fui.* & Bonauentura ibid. c. 79. & 80. *Credo quòd per angustiarum multitudinem absorpta erat, & quasi insensibilis vel semimortua facta est, nunc quidem multò magis, quàm cùm obuiam iuit crucem portanti.*

Tertiò, in Christi denudatione & super crucem extensione.

Quartò, quando primus clauus ei infigebatur. Ita B. Virgo ad Birgittam loco proximè citato de Christi crucifixione dixit: *Cùm primus clauus infigeretur ei, ego ad primum ictum contusa, cecidi quasi mortua, oculis obscuratis, manibus trementibus, pedibus nutantibus, & non respexi pra amaritudine antequam ex toto affixus erat; surgens verò vidi Filium meum miserabiliter pendentem.*

Quartò, ad primum crucifixionis ictum.

Quintò, cùm contra illum ex omni conuicia & blasphemias audiuit, & cruci affixum intuita est. hoc præ se ferunt dulcia illa verba eiusdem Virginis ad eamdem Birgittam: *Quoties audiui opprobria Filij mei, & mendacia, & insidias ei positas, toties animus meus motus est dolore, ita quòd vix tem-*

Quintò, quando blasphematum & crucifixum vidit. Reuelat. S. Birgittæ lib. 6. c. 67.

Digitized by Google

re se poterat: sed virtute Dei dolor meus modum & honestatem habuit, ne impatientia & lenitas in me notaretur: & quando vidi Filium meum ligari, & flagellari, & in ligno suspendi, corrui quasi exanimis; sed reassumpto spiritu, steti dolens, & sic patienter sufferens, vt nec inimici nec aly in me alind reperirent nisi grauitatem. Quid enim videbis in Sunamite nisi choros castrorum?

Sextò, quando emisit spiritum.

Sextò, S. Bonauentura ibidem cap. 79. dicit; spasmum accidisse B. Virgini, cùm eum cum clamore magno spiritum emittere vidit.

Septimò, quando fuit latus illius lancea apertum.

Septimò, cùm vidit eum lancea vulnerari. *Tunc*, inquit S. Bonauentura ibidem cap. 80. *Mater semimortua cecidit inter brachia Magdalene.*

Octauò, quando fuit de cruce depositus.

Octauò, cùm de Cruce depositus in vlnas suas suscepit sepulturæ tradendũ. *Eram*, inquit B. Virgo ad Birgittam lib. 2. cap. 21. *cùm Filius meus de cruce deponeretur, sicut mulier pariens, cuius omnia membra tremula sunt.* Similia habentur lib. 4. cap. 7. & libro 7. cap. 15. & B. Bernardus de Lament. Virginis Mariæ ait: *Sed cùm de cruce corpus eius fuisset totaliter depositum, præ doloris vehementia, & amoris immensitate, quasi exanimis facta fuit.*

Nonò, quando sepultus fuit.

Nonò, cùm fuit traditus sepulturæ, vt ibidem post alia de his subdit S. Bernardus: *Nam cruciata gemitibus, fatigata doloribus, afflicta ploratibus, pedibus se sustinere nequibat; tamen sicut potuit, à mulieribus honestis ac sanctis adiuta, cunctis simul plorantibus Ierusalem ingreditur.* & post pauca: *Denique resurgente Filio, præ nimia debilitate membrorum deficiens, pia Mater ad sepulchrum ire nequibat.*

Deipara cur dicta semper in deliquio fuisse in Christi passione.

Et quoniam toties in Filij sui passione deliquium passa fuit, fortè quidam dixerunt toto tempore passionis Christi passam fuisse deliquium; quia frequenter, vt dictum est, in ea deliquij signa visa fuere. Quare idem D. Bernardus, vel quiuis alius auctor, qui inter Opera eius circumfertur, de Lamentatione beatæ Virginis inquit: *Iuxta crucem Christi stabat emortua Mater, quæ ipsum ex Spiritu sancto concepit: vox illi non erat, quia dolore attrita iacens pallebat: quasi mortua viuens, vincbat moriens, moriebatur viuens, nec mori poterat, quæ viuens mortua erat.* Quæ verba non sic sunt intelligenda, vt aliquo resumpto spiritu, fortis & constans non adstiterit cruci, hoc enim est contra Euangelicam historiam, in qua dicitur: *Stabat autem iuxta crucem Iesu mater eius*, Ioan. 19, 25. id est erecta, & animo forti Christum Filium suum considerabat, vt docent sacri Doctores, & superiùs notauimus: quod certè non contigisset, si continuò & semper deliquium illud perdurasset. Sed *semper* moraliter intelligitur, pro maiori tempore passionis Christi quo in deliquio & doloribus mansit.

Quando magis fuerit spasmũ passa beata Virgo Maria.

Sed curiosiùs scisscitabit fortasse quispiam, quando minùs & quando magis in tot doloribus deliquium passa sit B. Virgo Maria: etenim non semper exteriùs vniformiter signa doloris exhibuisse, sed aliquando deliquium passam, aliquando vires resumpsisse, iam ostendimus ex Reuelationibus Birgittæ & Euangelio.

P. Franciscus Suarez Tom. 2. in 3. Part. S. Thom. disput. 40. sect. 2. dicit certiùs & euidentiùs, multò minùs in depositione Christi de cruce aliquid eiusmodi ei accidisse: *Quoniam si eo tempore*, inquit, *quo Christus Dominus maiorem ignominiam maximosq; dolores sustinebat, nimirum dum viuus in cruce penderet, B. Virgo stabat iuxta crucem inter hostes Christi sine vllo timore, & absque animi deiectione & infirmitate, quomodo credibile est in aliquo alio passionis tempore sensum aut constantiam amisisse? nam siquid huiusmodi B. Virgo passura fuisset, maximè ex nimio dolore, atque magnitudine tristitiæ: sed tunc maximè doluit, quando Filius magis dolebat (erat enim affectu & animo cum eo crucifixa) Filius autem grauissimum dolorem in cruce pendens viuus pertulit, ergo tunc maximè debuisset Virgo spasmum pati: certum est autem ex verbis Ioannis tunc nihil huiusmodi passam esse, ergo.* Quæ tamen verba intelige secundùm dicta superiùs. *Et ideò fortè pauci de spasmo Virginis post mortem Filij egerunt, vt visum est.* & post pauca hoc ipsum magis sic explicat: *Quia quando Christus deponebatur de cruce non sentiebat dolorem, iamq; à multis agnoscebatur, atque honorificè tractabatur; quæ omnia multùm poterant dolorem Virginis lenire. Deinde resurrectio eius propinquior erat, de cuius fide beata Virgo erat certissima; & verisimile est ea spe sæpiùs animum suum erexisse, atque vires resumpsisse.*

S. Bonauentura lib. Medit. vitæ Christi cap. 79. arbitratur magis passam fuisse deliquium, quando Filius eius emisit spiritum, quàm quando vidit crucem baiulantem. sic enim eius verba habent: *O qualis tunc erat anima Matris, cùm sic pœnosè videbat eum deficere, languere, lacrymari, & mori! Credo quòd vel propter angustiarum multitudinem absorpta, & quasi insensibilis vel semimortua facta est, multò magis quàm cùm obuiauit ei cum cruce.* & ad hoc potest facere ratio Suarez. Et hæc de secundo articulo principali quæstionis: ad tertium accedamus.

§. VI.

§. VI.

De loco vbi B. Virgo Maria deliquium passa est.

EX dictis in solutione præcedentis dubij patet, quid respondendum sit ad hoc tertium, in quo quæritur de loco vbi beata Virgo deliquium passa sit : constat enim quod in loco vbi fuit flagellatus, item in via vbi obuium habuit crucem portantem supra Caluariæ montem, vbi fuit crucifixus, mortuus, de cruce depositus, & inferius, vbi fuit vnctus, & sepulturæ traditus.

Plura loca, in quibus Deipara deliquium passa fuit.

Sed inquires, si tot in locis spasmum passa fuit B. Virgo, quare non in omnibus illis eius memoria templi extructione celebratur? & si vnica Ecclesia fuit illius memoria conseruanda, quare potiùs in via illa qua itur ad Caluarium constructa fuit, quàm in ipso Caluariæ loco, vbi, vt diximus ex diuo Bonauentura, maius deliquium passa fuit?

Quare singulariter in loco vbi Dei mater vidit Filium suum crucé gestantem fuerit erecta Ecclesia Spasmi Mariæ Virginis.

Responderem dupliciter. Primò, ideò in via illa, siue secus eam, fuisse Ecclesiam Spasmi B. Mariæ Virginis ædificatam, & non in aliis locis, vbi fortè etiam maius deliquium passa fuit, vt flagellationis, crucifixionis, vel sepulturæ; quoniam ea loca erant aliis Ecclesiis consecranda, quibus mysteria nostræ salutis & insignia passionis Christi opera repræsentarentur: quorum etiam Euangelistæ meminerunt, à quibus profectò B. Virginis dolor non reticetur. Quis enim templa in locis illis constructa, in quibus coram Deipara Christus flagellatus, crucifixus & sepultus fuit, ingrediens, contemplatione versans flagellationem, crucifixionem, & sepulturam eius, non etiam intensos matris dolores mente peruoluat? In ea verò parte viæ quoniam nullum peculiare mysterium passionis Christi erat repræsentandum, meritò pia fidelium antiquitas eam templo B. Mariæ Virginis de Spasmo consecrauit, quo, vt par erat, animi deliquium S. Virginis perpetuò mentibus fidelium repræsentaretur; omnesque per viam transeuntes excitaret ad contemplandum, si alius dolor esset vt dolor Virginis matris, ex dolore Filij sui patientis sub cruce.

Duplex responsio. Prima.

Secunda.

Dicerem secundò, etiam in eo viæ loco maximum dolorem passam fuisse, ac consequenter spasmum, non tam ex horribili illo aspectu, quo innocentem Filium suum, odio illorum quibus tot bona fecerat, & nulla dignitatis illius vel beneficiorum ratione habita, publicè vt pessimum facinorosum duci cum cruce extra ciuitatem videbat; sed amplius, quia contemplabatur, crudeliter in ea durissimis clauis crucifigendum, aceto & felle potandum, spiritum emissurum, lancea vulnerandum, ac denique sepulturæ tradendum. hæc enim omnia, quæ optimè nouerat B. Virgo, illam summo conficiebant dolore, quæ ex deliquio quasi semimortua cecidit. Ideò ibi templum Spasmi B. Mariæ Virginis ædificatum fuit.

Placet, ad maiorem dictorum confirmationem, hîc subijcere quæ de hoc scribit vir pius & doctus Vbertinus de Casali lib. 4. cap. 11. considerans versum istum, *Iesus debilitatus. Cuius causa*, inquit, *adhuc meritò ostenditur in sequenti versiculo, cùm subditur, Iesus Matrem conspiciens. Hoc fuit, sicut legi in quadam historia fide digna, quando in quodam concursu viarum, ipso Iesu portante sua crucis supplicium in humeris suis, Mater eius sic tractatum dolorosè conspexit. Dicitur enim in prefata historia, quòd Mater eius præsens in loco suæ condemnationis & ostensionis ad populum, quando Pilatus ipsum produxit spinea corona & purpura derisum, ipsum adiudicauit ad mortem: videns tumultum populi acclamantis, & sequentis Iesum, cùm duceretur ad crucem, per aliam viam forsitan breuiorem præcucurrit occurrere, timens ne fortè posset accedere ad locum, & videre modum doloroſum mortis Filij sui, cui & ipsa commori & crucifigi anxio mentis desiderio anhelabat. Cumq; in concursu viæ conspexisset Filium, & ex conditionibus faciei ipsius anxietates cordis sui & oppressionem duri oneris aspexisset, syncopizasse ibi dicitur in conspectu Filij præ dolore. Quod conspiciens & ipse pietate plenus Iesus, crucem quam de doloribus Matris semper in corde portabat, licet posset, sicut semper fecerat, suum occultare dolorem, tamen sibi prafatis occasionibus datis, voluit manifestare extrinseco signo, & Matrem associare in pœna: vnde & ibi dicitur, quod quibusdam signis doloroſis, & palloribus pretensis in facie, quasi anguſtiatus, & totus gladiatus, super lapidem ibi positum quasi despectuosè & dolorosè resedit: & ex tunc malefici illi, qui ipsum ducebant ad necem, videntes eum quasi deficere, angariasse dicuntur illum Simonem Cyrenæum venientem de villa, vt tolleret crucem eius. In testimonium illius facti refert historia illa, quod postea adificata est ibi Ecclesia in honorem Virginis matris Dei, quæ vocatur* Sancta Maria de Spasmo. *Et quod ibi propè ostendebatur † lapis; vbi post defectum, Christum tunc ferebatur sedisse. Propter quod subiecit alium versiculum,* Iesus anguſtiatus. *Hæc si vera sunt, non affirmo; non tamen est dubitandum, quòd multa dolorem Christi augmentantia, & multa signa dolorum maternorum visce-*

† In præsentia illius lapidis memoria non extat, multa enim sunt deperdita. Num vnus ex illis est, qui est in arcu Pilati? Ita Sanutus lib. 3. p. 14. cap 10. *Adhuc sunt duo lapides magni & albi in arcu alto murati, super quos Dominus noster requieuit quando crucem portabat.* Hæc ille.

Digitized by Google

viſcerum tunc temporis facta ſunt, de quibus Euangelica hiſtoria nihil dicit. Non enim fuit curæ Euangeliſtis, niſi ſubſtantialia mortis Chriſti retexere; cetera cogitanda relinquentes menti deuotæ, & inſpirationi æternæ. Hactenus ille. Et hæc de propoſita difficultate ſufficiant; quam fortaſſe longiori oratione proſecuti fuimus; tamen non ſine ratione, vt videlicet veterem traditionem de ſpaſmo Virginis Mariæ in partibus iſtis receptam, & Eccleſiæ dedicatione munitam defenderemus: quæ ſanè corrueret, ſi non fuiſſet oſtenſum, ſanctam Dei Genitricem deliquium & ſpaſmum paſſam fuiſſe modo explicato, quod à pluribus non infimæ notæ viris negatum vidimus, dicentes, hiſtoriam illam eſſe apocrypham, & nullius fidei; at veritati, pietati rationiſque conſonam eſſe oſtendimus, & meritò templum illud fuiſſe excitatum, & nos piè ibi Deum venerari ſub inuocatione B. Mariæ de Spaſmo.

CAPVT XII.

De Triuio, ſexto Viæ Crucis memorabili loco, vbi angariatus fuit Simon Cyrenæus portare crucem Ieſu, & alia quibuſdam quæ ibi contigerunt.

PRoſequens iter Dominus Ieſus è loco Spaſmi B. Mariæ Virginis, vt ad Caluariæ montem iret, poſt triginta circiter greſſus, occurrit locus qui dicitur *Triuium*, quoniam trium viarum terminus eſt; ex triplici namque parte illuc confluebat, & à ſe mutuo diuidebatur populus: primò, ex domo Pilati eundo ad portam Iudiciariam, vel ex hac porta & alia etiam parte ciuitatis eundo ad Pilati palatium: ſecundò, ex porta Iudiciaria vel aliunde huc veniendo, & hinc recedendo: tertiò denique huc venitur ex porta quadam ciuitatis proxima huic Triuio, quæ porta Damaſci nunc appellatur, aliàs Anguli. in iſto loco, vt habet vetus traditio, angariatus eſt Simon Cyrenæus ferre crucem Ieſu. Etenim non ſtatim ac de domo Pilati egreſſus eſt, Chriſtus cum cruce angariatus eſt Simon, ſed expleto aliquo viæ ſpatio, vſque ad hoc nempe Triuium; & videtur indicaſſe Ioannes illis verbis, *Et bajulans ſibi crucem*, &c. Ioan. 19, 17. quia verè per aliquod ſpatium viæ ſolus illam portauit Ieſus; cumque eam ampliùs, tum ob illius grauitatem, tum ob ipſius debilitatem, propter immanem enim flagellationem & ſpineam coronam ferè exanguis erat, geſtare non poſſet; Iudæi timentes, ne mortis Chriſti ſententia impediretur, quoniam optimè nouerant, Pilatum ægrè & iniuſtè Chriſtum morti adiudicaſſe, vel illius executio retardaretur, & etiam ne deficiens in via, crucis mortem & improperium euaderet, angariauerunt, hoc eſt, compulerunt quemdam Simonem Cyrenæum venientem de villa, patrem Alexandri & Rufi, &, vt creditur, veniebat ex porta Damaſci, vt tolleret crucem Ieſu, & portaret poſt Ieſum, vel ſimul cum Ieſu; vel, quod probabilius puto, ſolus ex illo loco vſque ad Caluariæ montem portauit, Chriſto ipſum præcedente. De iſto myſterio agunt tres priores Euangeliſtæ.

Trinij nominis ratio.

Simon Cyrenæus fert crucem Chriſti.

In hoc ipſo Triuio in eius dextera parte, vt fertur, Chriſtus videns mulieres, quæ ob crudele illud ſpectaculum lamentabantur, flentes Dominum, ad illas conuerſus, ne ſuper eum flerent dixit, & miſerandam Ieruſalem deſtructionem & ſtragem prædixit: ſic enim Lucæ 23, 27. habetur: *Sequebatur autem illum multa turba populi, & mulierum, quæ plangebant & lamentabantur eum. Conuerſus autem ad illas Ieſus, dixit: Filiæ Ieruſalem, nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos ipſas flete, & ſuper filios veſtros. Quoniam ecce venient dies, in quibus dicent: Beatæ ſteriles, & ventres qui non genuerunt, & vbera quæ non lactauerunt. Tunc incipient dicere montibus: Cadite ſuper nos; & collibus: Operite nos. Quia ſi in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* & iter ſuum ad Caluariæ locum proſequebatur.

Mulierib. flentes Dominus.

Prædicta deſolationis Ieruſalem.

Quòd ſi tibi in animo eſt ſcire ad quos dies reſpexerit Dominus, quandoque illius vaticinium fuerit impletum, docet te Baronius Tom. 1. anno Chriſti 72. quando infelix Ieruſalem à Romanorum exercitu ſub Tito vaſtata fuit, Iudæis medià, fame, gladio & igne conſumptis. Tot verò fuerunt calamitates quæ tunc temporis apprehenderunt Iudæos Ieruſalem inhabitantes, vt non facile ſit explicare. de quibus plura Ioſephus de Bello Iudaico. Sed de fame, quæ eos inuaſerat, & de facinore ex illa exorto tetribile dictu quod ſcribit hic Auctor libro 7. cap. 6. & 8. de Bello Iudaic. ſilentio hîc non pertranſibo: *Tanta populum in Ieruſalem obſeſſum inuaſerat fames*, inquit, *vt nec eſſent herba, quibus veſci poſſent: ex ſtabulo ſimum quærebant in cibum, collectoq; ſtercore veſcebantur; ſed ea magis in dies inualeſcente, nec ab humanis carnibus temperarunt. Iam enim calceamentis cingulisq;, & inſuper coriis, quibus ſcuta tegebantur, detractis, inſumptis, veteriq; feni laceramentis magno pretio venditis; qua his careret, eò immanitatis redacta eſt, fame improba compellente,*

Calamitates quibus obnoxia fuit Ieruſalem in Romanorum obſidione.

pellente, nobilis ac pradives mulier, Maria nomine, filia Eleazari, à seditiosis iam exuta vita substantiis, vt sibi consuleret, fame rabida, qua pascebatur, impulsa, lactentem filium occidit, quem comestura mox coxit; cuius nidoris odore illecti milites, qui sibi victum quacumque possent raptu quærebant, cùm eius peruasissent domum, partem assati filij, quæ supererat, intuiti, detestati facinus, abiere. Mox́ repleta est huius sceleris fama tota ciuitas, & vnusquisque ante oculos sibi cladem illam proponens, tamquam hoc ipse admisisset, horrescebat. Quibus sequentia addit citatus Baronius: *Hæc ipsa haud dubium longiùs spectans tempora Dominus Iesus, cùm perduceretur ad crucem, & mulieres ipsum lamentantes pra commiseratione vidissent, ait: Filia Ierusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros: quoniam ecce venient dies, in quibus dicent: Beata steriles, & ventres qui non genuerunt, & vbera qua non lactauerunt. Tunc incipient dicere montibus: Cadite super nos, & collibus: Operite nos. Dixisse credimus hæc illas his præsertim temporibus, cùm tam horrendum Maria facinus accepissent; insuper & eadem qua addit Dominus verba repetisse, videlicet, Si hæc fiunt in viridi, quid fiet in arido? nimirum, Si mulier nobilis ac pradines eò est necessitatis impulsa, vt ex carnibus filij victum sibi temperare sit coacta; quid erit de ceteris nec diuitijs nec nobilitate pollentibus? Quin & quod nullum malorum esset effugium, intus fame magis magisq́, in dies sæuiente, & circumseptis hostili pariete, foras egrediendi omni facultate prærepta, desperatione extrema compulsas easdem illas verisimile est tunc dixisse hæc à Domino prædicta verba: Montes cadite super nos, & colles operite nos; easdemq́, lamentantes sæpiùs lugubres manias iterasse.* Hæc ex Cardinali Baronio.

Diuina prædictionis impletio.

CAPVT XIII.

De domo sanctæ Veronicæ, septimo loco Viæ Crucis.

SEptimus locus Viæ dolorosæ consideratione ac veneratione dignissimus, est domus S. Veronicæ. Relicto triuio & pertransita domo illius diuitis epulonis Euangelici, de qua alias locuti fuimus, prosequendo vlteriùs versus Caluarium gressus, occurrit domus piæ ac venerabilis illius feminæ, quæ ibi Christo patienti obuia facta, illi compatiens, capitis sui velum obtulit, vt faciem suam sanguine aspersam & sputis deturpatam tergeret. Quod pietatis officium non abnuens, sed gratanter accipiens Christus Dominus, in sudario ipso suam faciei effigiem non manibus hominum, sed digito Dei viui in illo efformatam, in gratitudinis & amoris testimonium piæ mulieri dedit. Ita multos graueſque tradere auctores, antiqua traditio habet; & libellus manuscriptus, de sacri huius Sudarij translatione Romam facta, qui, Baronio referente Tom. 1. anno Christi 34. in Bibliotheca Vaticana asseruatur, idipsum indicat.

Cap. XIII. XII. Peregrin huius Libri.

Christianus Adrichomius in Descriptione Ierusalem n. 44. de Veronicæ domo & eius sancto Sudario in hunc modum scribit: *Domus Veronica angularis fuit, vbi Veronica lineum capitis sui peplum dedit Christo, quo faciem suam tergeret; cui Dominus faciei sua imaginem perfectè impressit, eiq́, in amoris sui pignus reddidit, quod in hodiernum vsque diem Christi facie insignitum Romæ in S. Petri basilica, in Vaticano monte per Constantinum Magnum extructa, grandi honore asseruatur, ac statis diebus populo ostenditur.* Hæc ille.

Nota duo in his verbis; primò, in eo quod dicit Adrichomius domum Veronicæ fuisse angularem, id est, in angulo viæ constructam, vt clarè indicat in sua veteris Ierosolymæ Geographica delineatione, intelligendum de situ quem habebat tempore Christi, si talem habebat; ideò dixit in præterito *fuit:* nam quæ nostro tempore visitur, non in angulo viæ, sed in medio, hinc inde continuas habens alias domos, & est in læua parte viæ euntibus ad Caluarium. Paruum habet ostium, & antè in via duos prominentes gradus, per quos in illam est ingressus. Idem notauit Bonifacius. Secundò, circa materiam Sudarij, quòd lineum fuerit; mihi probabilius fuisse bombycinum, tum quia telæ bombycinæ sunt in his partibus magis in vsu, tum quia erat velum capitis, & huiusmodi communiter ex bombyce elaborantur, quòd subtiliora & leuiora sint: sanè alterius materiæ saltem modò non sunt in vsu; & propter indicatas rationes tobaleæ plicatæ, quas loco pilei Turcæ deferunt, Italicè *Turbanti*, fiunt ex bombyce. Sed Adrichomius, vel non respexit ad consuetudinem Palæstinæ, sed patriæ suæ; vel lineum dixit, quia lineo affine & simile.

Domus Veronicæ descripta.

Sudarij Veronicæ materia.

CAPVT XIV.

De multiplici faciei Christi effigie ac sudario, Abagari videlicet, Veronicæ, & montis Olineti.

AD maiorem factæ domus Veronicæ historicam intelligentiam, & venerationem sacrorum Christi linteorum facta

eius

eius facie diuinitus insignitorum, placet aliqua de illis hic scribere: & quoniam huiusmodi lintea non vnum sed plura sunt, Abagari alterum, alterum Veronicæ dictum, & tertium aliud montis Oliueti non ita celebre, de quo tamen posteà, de singulis aliqua dicere instituì, sexque præstabo. Primò agam de imagine Christi sudario impressa ab ipsomet Christo ante passionem; Secundò, de aliis per applicationem ad primigeniam factis; Tertiò, de locis in quibus imagines istæ asseruantur. Quartò dissera de vultu à Christo Veronicæ capitis peplo impresso, & altero in monte Oliueti similiter efformato in sua passione; Quintò, de aliis in linteis per applicationem ex hoc miraculosè efformatis. Sextò adducam & refellam quædam de his argumenta, quæ Ecclesiasticam historiam & receptam traditionem labefactare videntur.

§. I.

De imagine faciei Christi Domini ab eodem Abagaro Edessano Principi missa.

HVmani generis Reparator Christus Dominus & viuens & mortuus in linteis plures suæ faciei & corporis totius imagines suis fidelibus reliquit, vt illorum deuotioni satisfaceret in variis mundi partibus constitutis, essent perennes egregijque typi illius erga miseros mortales eximij amoris; & *vt per eas* (vt sexta Constantinopolitana Synodus Can. 83. loquitur) *manuduceremur in memoriam suæ in carne conuersationis, passionis, salutiferæ mortis, & præterea mundo factæ redemptionis.* De Christi corporis in linteis post mortem relictis imaginibus alibi erit sermo, modò agendum de vultus sui imaginibus, quas viuens reliquit in velis impressas. Et prima quæ occurrit, primoque & ante illius passionem facta, Abagari Edessæ Principis nuncupatur.

Lib. v. Cap. xvii. ii. Peregr.

Molanus aufert Abagari sudarium.

Et quid de ista dicendum? Ioannes Molanus lib. 4. cap. 2. de Sacris imaginibus videtur eam omnino auferre: cum enim aliam non agnoscat ab illa quæ Romæ in Ecclesia S. Petri asseruatur, & Sudarium Veronicæ dicitur, quam tamen omnino ab Edessena imagine vere distingui ostendemus, colligitur manifestè, ipsum Edessenam imaginem omnino auferre. hoc enim illius indicant verba, si nõ fum hallucinatus, quæ sic habent: *Sed quia de vultu Christi pictura differo, mentioq; incidit imaginis, quæ Romæ percelebris est, cuiusq; exemplar passim habetur, paulò amplius de eo dicere conemur. Si igitur quæras, vnde imaginem hanc Roma habeat, putarim ex noua Roma, siue Constantinopoli allatam fuisse. Fuit enim imago Christi in mantili impressa, primùm Edessæ, deinde Constantinopoli valdè celebris. Nam festum huius imaginis sic annotatur in Græcorum Menais: Mense Augusto die decima sexta deportatio ab vrbe Edessa non manufactæ imaginis Domini nostri Iesu Christi. Neque quemquam turbet, quòd Græci ferè dicant imaginem hanc Abagaro Toparchæ missam esse à Christo; Romani verò asserant eam linteo Veronicæ impressam esse cùm crucem suam baiularet. Fatetur enim Constantinus Imperator, cognomento Porphyrogenitus, in tempore & circumstantiis huius non manufactæ imaginis aliquam esse sententiarum diuersitatem, sed in eo quod præcipuum est omnes consentire. In eo, ait, quod præcipuum est, in hac re omnes consentiunt, & confitentur ex facie Dominica admirabiliter in linteo fuisse formam expressam; in nonnulla autem rei circumstantia, seu in tempore differunt. Quod quidem nihil ladit veritatem, seu prius factum sit, seu posteriùs. Ita itaque varietas Græcorum à Latinis non ladit præcipuam veritatem imaginis. Numquam enim dubitatum est quin sit vultus Christi, qui volet, animaduertet ex iis quæ de hac diuina imagine scripta leguntur tam in septima Synodo & Ecclesiastica historia Euagrij, quàm apud Metaphrasten in Oratione Constantini Porphyrogeniti. Pulchrè sanè Archidiaconus Pamelius: Effigies Christi, quam Veronica in sudario dedisse traditio est, etiamnum extat tanta in veneratione, vt de illa dubitare posthac, non modò miracula non permittant, sed nec aspectus ipse. Cuius interim fit mentio olim apud Albericum in suo Dictionario ante annos 1350. Et extat in Bibliotheca Vaticana eius imaginis Romam sub Tiberio aduecta historia grauiter conscripta, & antiquissimis characteribus; quam totam se perlegisse mihi retulit charissimus Theologus Thomas Stapletonus Anglus.* Hactenus ille.

In cap. 12. Apolog. Tertull.

Verùm faciliùs ac verius conciliarentur inter se Græci & Romani, assignando duo sudaria diuinitus vultu Saluatoris insignita, Abagari alterum Constantinopoli, alterum Veronicæ Romæ asseruatum, & Græcos de illo, Romanos de isto loqui voluisse. Quòd si de eisdem omnes fuisse locutos quis dicat, respondendum, tam Abagari quam Veronicæ plura extitisse; alia ex ipsa Christi facie linteis impressa, alia ex his in aliis velaminibus per applicationem miraculosè relicta: etenim plura esse Christi sudaria sacræ illius faciei imagine condecorata ex dicendis apparebit.

Refellitur.

Abagari & Veronicæ sudarium duo fuere.

Quòd verò sit sudarium Abagari distinctum

ctum ab altero Veronicæ, plures veteres ac recentiores tradiderunt auctores; sed vnum omnium loco audiamus Illustrissimum Annalium Ecclesiasticorum scriptorem Cardinalem Baronium: hic postquam e-
Baron. Tomo 1. anno Christi 31. n. 58. 59.
gisset de epistola Abagari ad Iesum, & de epistola Iesu ad Abagarum ex Eusebio, de imagine Iesu ab eodem ad Abagarum
n. 61.
transmissa ex aliis ita scribit: *Quin & ab ipso Christo sui imaginem, non arte hominis elaboratam, sed ab ipsomet summo rerum architecto & opifice Domino nostro ad Abagarum missam, post datam epistolam à complurib. grauissimis auctoribus scriptum reperimus.*
Euagr. Histor. lib. 4. cap. 26.
Euagrius Scholasticus id testatur; at non fuit ipse eius rei primus auctor: sed quoniam miracula inde prodita recenset, occasione eius rei meminit: quæ verò ab ipso scripta recitata sunt in Concilio Niceno secundo à
Nicen. Concil. II.
Patribus, vt egregiè testata fideq; digna comprobata habentur. Quomodo autem ea imago non manufacta dicatur, Ioannes Damascenus sic scribit: Historia quoque proditum est: cùm Abagarus Edessæ Rex eo nomine pictorem
Damasc. lib 4. c. 17. de Fide orthod.
misisset, vt Domini imaginem exprimeret; neque id pictor ob splendorem ex ipsius vultu manantem consequi potuisset, Dominum ipsum diuinæ suæ ac vinificæ faciei pallium admouisse, imaginemq; suam ei impressisse: sicq; illud ad Abagarum, vt ipsius cupiditati satisfaceret, misisse. Hæc Damascenus; nec diuersa
Nicephor. Hist. lib. 2. cap. 7.
Nicephorus.

De eadem præterea luculenta Oratio[a] Constantini Porphyrogeniti extat, & cumulata mentio habetur in[b] Actis sanctorum Samonis & Guriæ: Græci insuper de eadem celebrant anniuersariam solemnitatem decimo septimo Kalendas Septembris, vt constat ex eorum Menologio. At quod ad Latinos pertinet, testimonio[c] Hadriani Papæ scribentis ad Carolum Magnum, testatum habetur, eamdem de imagine ad Abagarum missa historiam cognitam & receptam esse à Stephano Papa in Concilio Romano, cuius fidei adstipulator est grauissimus. Crebra certè & insignia miracula ex eadem imagine prodita eius rei veritatem abundè declarant, & demonstrant, quæ & recenset Euagrius de temporibus Chosroës, & alij. Theophanes etiam auctor est, ingentes Persarum copias præsidio huius sine manu factæ imaginis, quam secum in acie duxisset Philippicus dux sub Mauritio Imp. esse penitus profligatas. Hæc Baronius. Ex quibus eruditissimi Scriptoris verbis, & aliis, quæ deinceps subijciemus, manifestè apparet, Abagari sudarium distinctum esse ab altero Veronicæ; & quæ Molanus intellexit de sudario Veronicæ, de altero Abagari intelligenda esse.

[a] Apud Metaph. die 15. Augusti.
[b] Apud eũdem 15. Nouemb. & in Vita S. Alexij.
[c] Hadr. ad Carol. Magnũ epist. extat Tomo 3. Concil. nouæ edit.
Euagr. in Actis prædictis apud Metaph. Apud Histor. Miscell. lib. 17.

§. II.

De exemplari sudarij Abagari miraculosè efformato per veli applicationem ad ipsum autographum.

PRæter autographum sudarij Abagari fuit etiam eiusdem antigraphum, etsi non illi simile, sine manu tamen & miraculosè efformatum, quo Deus primigenij veritatem comprobare visus est: qualiter autem id acciderit, in vita S. Pauli anachoretæ in Latro, à loco sic nominati, explicat Baronius Tom. 10. circa annum salutis nostræ 944. *Photium Patritium Constantinus Porphyrogenitus Imp. miserat cum litteris ad S. Paulum in monte Latro anachoretam. Ille cùm ad virum sanctum peruenisset, datisq; ac receptis iam litteris ad reditum accingeretur, vnum ab eo Sanctus petiit, vt non manufacta Christi imagini, quam Mantile sanctum appellare mos est, lineum æquale velum applicaret, idq; sibi mittere ne grauaretur. Factum est quod postulabat, missumq; velum ex animi sententia; quod cùm expandisset, Christi effigiem in eo adamussim expressam, & figuram figuræ exactissimè respondentem vidit; alius autem nihil tale apparebat.* Tantum ille.

Fidem horum astruit Constantinus Porphyrogenitus in Oratione qua explicat, qualiter sancta primigenia illa imago Edessa Constantinopolim translata fuerit, dum scribit, Romanum Lacapenum (qui huius translationis ergô Edessam miserat Abramium Samosatæ Episcopum) sedulò aduertisse, ne in trãditione imaginis deciperetur, néve antigrapha pro autographa traderetur: extabat enim quædam alia, quæ descripta fuerat propter Persicum bellum, & altera similis quæ celebrabatur in Ecclesia Nestorianorum: ambas penes se aliquanto tempore habere voluit Imperator, quas deinde archetypa sibi tradita restituit. Ex his apparet, plures fuisse imagines faciei Christi viuentis: quarum vna ab ipso Christo sua diuina facie efformata ad Edessanum Principem missa fuit, aliæ ad huius exemplar efformatæ, & in veneratione habitæ.

§. III.

Quibus in locis asseruatæ fuerint & asseruentur Christi faciei ad Abagarum imagines.

CVm res omnes creatæ, etsi dignissimæ illæ sint, mutationi sint obnoxiæ, quia nihil stabile sub sole, vt Sapiens dixit, inde fit

fit vt perpetuò in vno eodemque loco permanere non possint; & ita euenit sacræ Imagini, quam mantili diuinitus impressam ad Edessæ Principem Abagarum ipse Christus Dominus misit: & primò quidem in ipsa Edessana ciuitate mansit, ad quam eam Christus Abagaro misit; quam posteà Leo, Ecclesiæ Constantinopolitanæ Lector, cùm descendisset in Syriam cum Regijs Apocrisiarijs *Edessa adorari & honorari à populo vidit*, vt ipsemet testatur in secunda Synodo Nicæna. Nicephorus & eo antiquior Euagrius narrant, quomodo vrbs Edessa à Chosroë Persarum Rege oppugnata, seruata fuerit per illam *diuinitus fabricatam Imaginem, quam hominum manus non effinxerant*, quamque vocabant Edesseni *suæ ciuitatis Custodem & Conseruatricem*; vt patet ex Oratione Constantini Porphyrogeniti.

Imago Domini in domibus seruata loco.

Edessa.

Act. 5. l. 17. c. 26. lib. 3. c. 26.

Constantinopoli.

Secundò, sacra hæc Imago ex Edessa posteà Constantinopolim translata fuit, vt Cardinalis Barònius ostendit Tom. 10. Annal. ad annum Domini 944. num. 5. Constantini cum Romano Lacapeno Imperij consorte XXXIII. causam & modum prisci Scriptores habent. Zonaras in Romano Lacapeno: *Eodem* (Romano) *rerum potiente, Christi effigies nullis facta manibus, & diuinitus in tintea expressa, in Imperatoriam vrbem est translata. Eam tum Edessa habuerat; quæ cùm in periculo excidij esset, Agareni, qui tum vrbem tenebant, incolumitatem hac effigie à Romanis redemerunt.* Paulò aliter Curopalates: *Cùm Romanorum copijs Edessa obsideretur, Edesseni malis obsidionis grauiter oppressi, Legatos ad Imperatores miserunt, petentes vt exercitus ab obsidione recederet; seq; polliciti sunt pretium* daturos *sanctam Christi effigiem. Soluta igitur obsidione, tradita est Imago, & ad Regiam vrbem producta, eam excipiente Imperatore cum splendido atque decenti satellitio per Regij cubiculi Præfectum Theophanem.*

Miracula sacra Imaginis.

Memoratus Constantinus Porphyrogenitus totam historiam pluribus prosequitur, & miracula quæ in itinere virtute sacræ Imaginis contigerunt. *Cæci*, inquit, *ex improuiso aspiciebant, & claudi reddebantur sani membris integris; saltabant, qui longo tempore in lecto decubuerant; & sani fiebant quibus erat manus arida; & fugabatur omnis morbus & infirmitas.* Tum subiungit, Constantinopoli repositam in Phari templo, & ibi conseruatam *ad gloriam fidelium, custodiam Imperatorum, tutelam totius ciuitatis, & status Christianorum.*

Celebrata est solemnis illa depositio decima sexta Augusti, qua die hæc habentur in Græcorum Menologio: *Commemoratio Imaginis non manu factæ Domini Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi ex vrbe Edessa egressæ, & in hanc à Deo seruatam & Regiam vrbem deportatæ.*

In Italiam delata: Romam, ab Genuam?

Mansit quidem per aliquot annos veneranda hæc Imago Constantinopoli, ac deinde tertiò in Italiam delata fuit, vbi adhuc religiosè asseruatur. Sed in quam eius partem, vel vrbem? Aliqui dicunt, Genuam, Liguriæ vrbem, in Ecclesia S. Bartholomæi. Ita præter alios Reuerendissimus Augustinus Iustinianus, Nebiensis Episcopus, in Genuensis Reipublicæ Annalibus lib. 4. ad annum Domini 1384. vbi tempus & causam translationis & acquisitionis huius Imaginis sequentibus explicat: *Hoc anno* 1384. *cùm Genuensis ciuitas pestilentia grassante vastaretur, illius Dux Leonardus de Montealto, vir prudens & iustus, eodem morbo fuit infectus, quo & tribus diebus è viuis sublatus est. Inter alia salutaria, quæ pro anima & corpore fecit, in sua infirmitate & hoc præstitit: manifestauit pretiosum pignus sacratissimi Sudarij veram Saluatoris effigiem ad vinum exprimentis, quam eum Saluatorem Abagaro Edessæ Principi misisse piè creditur. Accepit hoc munus inter alia à Constantinopolitano Imperatore pro acceptis singularibus ab eo beneficijs. Conseruauit, occultatumq; detinuit hic pius vir sacratissimum hoc pignus in suo Oratorio multo tempore, videlicet vsque ad suum transitum; ea tamen qua decet veneratione, lumine continuò ante ipsum accenso. Hoc manifestauit mortis tempore appropinquante, illudq; reliquit in testamento Ecclesiæ S. Bartholomæi Armenorum cum reditibus, quibus pro dignitate religiosè asseruaretur & coleretur. Refert & idem Auctor lib. 6. ad finem anni* 1506. *quomodo idem Sudarium cum pede S. Bartholomæi, opera Castellani, & cuiusdam fratris Petri de Varisio negligentia fuerit anteà in Galliam translatum, sed iussu Ludouici Galliarum Regis idem cum pede eidem ciuitati restitutum, & in eadem Ecclesia maiori addita custodia repositum.* Hæc ex illo huc ex Italico in Latinum idioma translata.

Cardinalis Baronius ad annum Domini 944. vbi plura de his scribit, Constantinopoli Romam fuisse translatam docet; tempus tamen determinatum translationis non assignat, verumtamen non nisi post multos annos fuisse inde asportatam indicat, dum post multa bella & Græcorum schismata id accidisse ait. Sic enim dicit: *At verò posteà bellis ingruentibus, ipsa Constantinopolitana ciuitate sæpè capta, & ab hostibus direpta, atque à Catholica primùm communione sæpè discissa, Dei prouidentia factum est, vt eadem Imago ve-*

neranda fuerit Romam perlata, vbi hactenus colitur in titulo S. Siluestri. Cùm certum sit, non posse eamdem Imaginem in pluribus locis esse, dicendum est, archetypum esse in vno, & illius exemplar in alio. An verò archetypus sit Romæ, vel Genuæ, non ausim iudicare: hoc certissimum, vtrobique vtramque Imaginem meritò religiosè honorari.

De ista Imagine agit Io. Iac. Chifletius in sua Critica historica de linteis sepulchralibus Christi cap. 33.

§. IV.

De Sudario S. Veronicæ, & altero montis Oliueti.

Veronica quæ fuerit.

SVdarij Veronicæ in toto orbe Christiano celebris est memoria. Sed quænam erat hæc mulier, cui sui diuini vultus patiens Dominus dedit in sudario impressam imaginem? Et cuiusnam conditionis fuit sudarium illud? Quantum ad primum quæsitum, Pater Alphonsus Salmeron, doctus & eruditus Scriptor, Tom. 10. Tract. 33. dicit fuisse vnam ex illis, quæ Dominum patientem præ commiseratione *plangebant, & lamentabantur*, vt S. Lucas 23, 27. scribit, Veronicam appellatam. Et addit, Nicodemum in Euangelio suo tradere, mulierem curatam à fluxu sanguinis, de qua Matthæus agit, vocatamque fuisse Veronicam. An verò hæc eadem fuerit, quæ hoc officium Christo præstitit, asserit sibi compertum non esse. idem alij. Nobilem faciunt, communiterque Veronicam nominant: sed & Berenicen dici docet Baronius Tomo 1. anno Christi 34. etiam Veronicam, vt posteà apparebit. Huius mulieris, & imaginis Christi exhibito ab ipsa velo, vt eius abstergeretur facies, impressæ meminit Methodius Episcopus, antiquus Chronographus, apud Marianum Scotum, & præ ceteris qui de sanctis Palæstinæ locis scripserunt.

Sudarij Veronica conditio.

Quantum ad secundum quæsitum, cuius conditionis fuerit illud sudarium, respondet citatus Salmeron, fuisse velum capitis Veronicæ oblongius & triplicatum, & imaginem diuinitus impressam triplicem suscepisse: quarum vna seruatur Romæ, altera in Giennensi ciuitate Hispaniæ, tertia Ierosolymis; eratque sudore ac sanguine aspersa.

Ioannes Lanspergius Homil. 19. de Passione Domini tradit, faciem Domini in sacro illo velo impressam retinere digitorum vestigia, & aspicientibus monstrare quomodo armata manu alapas Christo Domino inflixerint impij illi. De materia illius, quòd velum esset capitis, anteà probabiliter diximus ex bombyce fuisse.

Similem historiam præcedenti accidisse in martyrio B. Pauli Apostoli narrat Linus, Salmerone referente. Cùm S. Apostolus Romæ duceretur ad supplicium, in porta ciuitatis fertur se vidisse Plautillam, siue, vt alij vocant, Perpetuam, Apostolorum discipulam, atque illi dixisse: *Plautilla*, siue Perpetua, *aeternæ salutis filia, commoda mihi pannum quo caput tegã: ligabo enim mihi oculos vice sudarij; & delectationi tuæ, amoris mei pro Christi nomine pignus ad illum pergens relinquam.* Quam cùm reprehenderent carnifices de panno amisso in reditu eorum à supplicio, ostendit eis pannum ex sinu extrahens roseo perfusum sanguine. Eamdem historiam tradit Baronius anno Christi 69. n. 10. ex Actis passionis Pauli.

Pauli facies in sudario impressa.

Translatio Sudarij Veronicæ Romam.

De factæ huius Imaginis translatione ex Palæstina Romam, vbi etiammum asseruatur, placet hîc aliqua subijcere. Allatam fuisse Romam tempore Tiberij Cæsaris notauit antè adductus Molanus. Addit Bzouius anno Christi 1216. n. 16. 17. ex veteri traditione, ipsam Veronicam detulisse, eaque sanasse Tiberium Augustum difficili morbo laborantem. Imperator tanti gratus beneficij Christo diuinos decreuit honores. Verùm quòd in suo Senatu id fecerat, Senatus prohibuit, vt auctor est Suetonius.

Ita refert Eckius in Enchiridio de Imaginibus Christi & Sanctorum.

Subdit Bzoulus, idem deinde linteum venisse in manus S. Clementis Papæ; postmodum à Constantino Imperatore collocatum in Basilica S. Petri. Ioannes VII. Papa, qui sedit anno Domini DCC. V. seruando illi velo construxit tessellati operis *ingressum*, quod dictum est *Domus sanctæ Dei Genitricis, & sanctæ Mariæ in Veronica.* Innocentius III. meminit Processionis Sudarij Veronicæ à S. Petri Basilica vsque ad ædem Xenodochij sancti Spiritus in Saxia, anno Domini M. CC. & Alexander IV. Pontifices successores. Bonifacius VIII. anno Domini M. CC. XCVIII. Sudarium Veronicæ à prædicto templo sancti Spiritus (vbi priùs ostendi solitum erat) ad Basilicam Principis Apostolorum transtulit, suisque manibus ex eminentiore loco ostendit, præsentibus Iacobo Aragonum & Carolo Siciliæ Regibus: atque vt eo loci tum seruaretur in posterum, tum à summo Pontifice statis diebus ostenderetur, constituit. Denique Paulus V. idem sudarium in nouam S. Petri Basilicam transferri fecit die vigesima prima Martij anni Domini M. DC. VI. vt patet ex instrumento Iacobi Grimaldi Basilicæ Vaticanæ gazophylacij Præfecti apud citatum Bzouium, qui fusiùs hæc pertractat.

Ser Dominic. 1. post Epiphan.

Præter duo autographa sudaria viuentis Saluatoris Abagari & Veronicæ, est & aliud quod Oliueti dicitur; quia illo Christus Dominus,

Sudarium transit Oliueti.

minus; quando pridie mortis ſuæ ad radices montis Oliueti orans ad Patrem ſuum ſudauit ſanguinem, ſe abſterſit; & hoc integrum ad poſteros deuenit, ſummaque religione colitur, & in monte ſancto Bauariæ aſſeruatur, inquit Pater Gretſerus de ſancta Cruce, Tom. 1. lib. 1. cap. 97.

§. V.

De aliis imaginibus ad archetypum Sudarij Veronicæ efformatis.

PRæter archetypum Sudarij Veronicæ, ſunt & aliæ imagines ad illius exemplar depictæ, quæ publicè in diuerſis locis à fidelibus coluntur. Celebres ſunt in Gallia duæ: vna quæ populo exhibetur Caduci in Vaſconia; altera in Diœceſi Laudunenſi, magno peregrinantium concurſu colitur in Cœnobio virginum inſtituti Ciſtertienſis, quod Monaſteriolum vocant vulgò *Monſtreuil des Dames*. De quo, & de aliis, plura Io. Iacobus Chiffletius in ſua Criſi hiſtorica de linteis ſepulchral. Chriſti, cap. 34. & 35.

Alias imagines à primigenia Romana per admotionem miraculo in velis expreſſas, vti de Edeſſena anteà factum notauimus, probabile eſt credere; maximè cùm antiquiſſimus Auctor Simocrata lib. 2. c. 3. ſcribat, quamdam Chriſti effigiem ſine pictore aut hominis arte factam Mauritij Imperatoris ætuo fuiſſe Conſtantinopoli, ſeu potiùs in Romanorum caſtris; cuius haberent archetypum Romani: quam contra hoſtem pugnaturus Heraclius circumtulit, vt teſtatur Theophanes in Heraclio. Addit Cedrenus, eamdem ab ipſo contra Phocam profecto ex Africa Conſtantinopolim cum claſſe deportatam. Admiranda primis illis ſæculis patrata Conſtantinopoli virtute ſacræ Imaginis narrantur in Græcorum Menæis, quæ refert citatus Chiffletius.

Dubium. Solutio:

Hic idem Scriptor inquirit quî factæ fuerint illæ imagines. Reſpondet primò de poſtremis, per velaminum ad primigenias applicationem: de primis verò, in mantili Abagari & Veronicæ peplo per contactum vultus Chriſti, aut ſudi aut ſudore defluentis, efformatas fuiſſe. Secundò addit, omnes, non ſecùs ac ſepulchrales, miraculo factas fuiſſe, & *digito Dei*, vt loquitur Baronius, ſiue diuinæ virtutis potentia depictas. Hoc omnino verum crediderim. Vt enim non niſi diuina virtute factus fuit homo ad imaginem & ſimilitudinem Dei, quando in terreum corpus inſpirauit omnipotens Deus ſpiraculum vitæ, etſi ad illius ſtructuram concurrerit terræ limus, vt in Geneſi dicitur; ita licet in iſtis imaginibus pannus lineus vel bombycinus, ſudor & ſanguis concurrerit, tamen hæc omnino inſufficientia ad perfectas faciei Chriſti imagines efformandas: oportuiſſet enim tum fuiſſe Chriſtum ſimilem plaſtis & pictoribus, qui vt ceram imagine alicuius inſigniant, neceſſe habent totum exemplar ceræ applicare, vt in ea omnia delineamenta impreſſa relinquantur; quod dicere non videtur probabile, ſed ſimplici eius virtuti tribuendum eſt: & qui per panni applicationem ad faciem eius, vel alterius ad iam effigiatum ſudarium ſui diuini vultus impreſſam reliquit imaginem, eamdem abſq; applicatione efformare potuiſſet. Sed de hoc aliqua dicemus Libro v. Capite XVII. II. Pergrinationis.

Anno 591. num. 59.

§. VI.

Argumenta ſiue calumniæ contra relata de Veronicæ Sudario, & eorumdem confutatio.

Argumenta.

IMpiiſſimus hæreſiarcha & veritatis hoſtis acerrimus Caluinus tela contorquet in ſanctæ Veronicæ Sudarium hiſce verbis: *Quinam fieri potuit, vt ſi in linteum occurrentis Veronicæ Chriſtus faciem ſuam tanto miraculo impreſſit, Euangeliſta rei tam mirificæ & cum primis dignæ, quæ fide dignis teſtibus poſteritati commendaretur, nullam mentionem fecerint? Nam cùm Euangeliſta multa minoris momenti, & quæ ignorare parum intererat, tam diligenter litteris conſignarint, vtique factum tam illuſtre & memorabile non præteriiſſent; alioqui meritò Spiritus ſanctus obliuionis & oſcitantiæ accuſari poſſet.* *Primum.*

Deinde Euangeliſta nominant mulieres, quæ Chriſtum ad crucem comitatæ ſunt; de Veronica altum eſt vbique ſilentium. *Secundum.*

Ad extremum, aliis mulieribus, quæ tanta fide & charitate flentes, Chriſtum ad ſupplicium crucis euntem proſecutæ ſunt, nullum eiuſmodi miraculum contigiſſe legitur. A ratione ergo alieniſſimum eſt, id quod de Veronica vetus traditio & perſuaſio habet. *Tertium.*

Hactenus impiiſſimi impoſtoris calumniæ & argumenta, quibus vanam contendit oſtendere veterem receptam de memorato Sudario traditionem, quam ſapientiſſimi ac prudentiſſimi viri vt veram ac pietati conſentaneam amplexi ſunt, quibus omnibus ſeipſum impudenter & ſine vera ratione præfert.

In præmiſſis verbis tria continentur argumenta vel probra, quorum inſufficien-

tiam ac leuitatem ostendere haud erit difficile. In primis argumentatur ab auctoritate negatiue : Euangelistæ de Veronica & imagine Christi in linteo delineata nil memoriæ prodiderunt; igitur quod de hac re traditur, & creditur iam ab antiquis temporibus, falsum est & commentitium.

Responsio ad primum. Respondent huic argumento qui vix primis labiis Dialecticam degustarunt, argumenta ab auctoritate negatiuè ducta nullius esse ponderis; quia auctores non semper omnia scripserunt, sed pleraque omiserunt, vel ob multitudinem & sublimitatem, vel vt aliis maius scribendi argumentum relinquerent, & ita in casu nostro accidisse sanctus Ioannes 21, 25. hisce verbis indicat: *Sunt & alia multa, quæ fecit Iesus: quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros.* De quorum numero hoc vnum est, quod de Veronicæ Sudario memoratum est, ab aliis relatum.

Ad secundum. Secundò, ex illo miraculo, si accidit, & fuit ab Euangelistis prætermissum, eosdem arguit negligentia & oscitantia, quòd minora, & quæ ignorare parum intererat, retulerint.

Sed non est Caluini iudicare quæ magis sint proficua & recensenda; nec debuit latere Caluinum, omnia tradita ab Euangelistis aliisve sacris Scriptoribus esse Ecclesiæ vtilia, cùm Apostolus manifeste dicat: *Omnis scriptura diuinitus inspirata, vtilis est ad docendum*, &c. 2. Tim. 3, 16. Nec possunt meritò reprehendi, nisi reprehendatur simul Spiritus sanctus; quia *Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines*, 2. Pet. 1, 21. Sed quis tam audax, qui audeat corripere Spiritum sanctum, & ab eo dictata iudicare? Caluinus, qui suo depsauato iudicio subdit dictanda à Spiritu sancto, quasi illa iusta ac bona sint, quia talia iudicat hæreticus; & non quia à Spiritu sancto dictata, & diuinæ voluntati, omnium actionum inobliquabili regulæ, conformia.

Ad tertium Tertiò denique argumentatur: Simile miraculum non legitur accidisse aliis mulieribus, quæ magna fide & charitate Christum vsque ad crucem secutæ fuerunt; igitur nec in Veronicæ gratiam illud factum fuit.

Responsio patet ex primi solutione. Adde secundò, Veronicam de facili fuisse vnam ex mulieribus flentibus & sequentibus Dominum, quæ cùm inter ceteras pietatis illud obsequium Christo exhibuerit, in signum grati animi suo peplo Christus singulariter faciei suæ imaginem impressam reliquit.

Tertiò denique cum Apostolo, quòd *diuisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus*, 1. Cor. 12, 4. qui diuidit omnibus prout vult, & non prout vult Caluinus: quare sic vt alias gratias fuit aliis mulieribus impertitus, vt liberando ab infirmitatibus mentis & corporis, certiores taddendo de Christi resurrectione, consolando Angelica & eiusdem Christi glorioſa apparitione; ita hanc faciei suæ imaginem & gratiam piè Veronicæ concessit. *Gratia diuersa à Deo concedantur.*

Cùm dicitur, Euangelistæ huius Veronicæ nullam mentionem faciunt; Respondeo feciſſe, etsi non explicitè, implicitè tamen, cùm aliarum mulierum Christum flentium meminerunt illis verbis: *Sequebatur autem illum multa turba populi, & mulierum, quæ plangebant & lamentabantur eum*, Luc. 23, 27. & inter illas & Veronicam extitisse, expressè propter hæc verba dixerunt alij Ecclesiastici Scriptores. Non fecerunt verò expressam mentionem fortasse Euangelistæ; quia nec miraculi in gratiam illius facti meminerunt: & quare hoc? Non cognoui sensum Domini, nec consiliarius Dei sum, nec audeo illi dicere: Quare sic facis? Optima tamen ratione ita factum. De his P. Iacobus Gretserus citatus. Et hæc satis pro domus S. Veronicæ elucidatione.

CAPVT XV.

De porta Iudiciaria per quam exiuit Dominus Iesus ad Caluariæ montem vt crucifigeretur, quæ octauo loco veneration habetur in Via Crucis.

OCtauus & vltimus locus, ex his quæ modò venerationi habentur in Via Crucis, est porta Iudiciaria. Hæc inter alias portas sanctæ Ciuitatis celebris & veneratione dignissima est, constructa in illius Occidentali parte, per quam ad mortem adiudicati ibant ad Caluariæ montem, damnatorum locum. Ratio illius veneration is est, quoniam Christus Dominus amoris & doloris flammis succensus illam transitu suo sanctificauit, quando nostri causa, vt cæli clausam ianuam nobis aperiret, per eam iuit ad Caluariæ montem, vt crucifigeretur, sicut S. Ioannes 19, 17. manifestissimis hisce verbis dixit: *Et bajulans sibi crucem, exiuit in eum, qui dicitur Caluariæ, locum*, &c. *Exiuit* primò à domo Pilati Præsidis, & deinde per portam istam extra ciuitatem ad sacratissimum Caluariæ montem, &c. Ita communiter Doctores interpretantur, & interpretatio recepta veteri traditione firmatur. *Ratio veneration is portæ Iudiciariæ.*

Et

Et quamuis quidam illorum inter se de nomine istius portæ dissentiant, vt videbimus, consentiunt tamen omnes quos vidi, in eo quod diximus illam esse portam per quam intrauit Christus crucifigendus. Et S. Paulus in ea quam scripsit ad Hebræos Epistola, ostenso per Christi mortem veteris testamenti figuras fuisse impletas, huius portæ sacratissimæ meminit dicens: *Quorum animalium infertur sanguis pro peccato in Sancta per Pontificem, horum corpora cremantur extra castra. Propter quod & Iesus, vt sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est*, Heb. 13, 11.

Antiqua est, & mutata.

Hæc porta illa eadem creditur quæ erat tempore Christi, propter antiquitatis vestigia quæ in ea cernuntur, tunc aperta, nunc clausa manet muro; quæ est in causa vt pij fideles corporeis gressibus, quando ad Christi imitationem viam Crucis deambulant, ex ea vsque ad Caluariæ montem Christum comitantes non egrediantur, sed hic est huius viæ terminus: etsi vsque ad montem mentis gressibus pioque affectu pro ipsis patientem Christum sectentur, corporis etiam per aliam viam ad ipsum Caluariæ montem & Dominicæ Resurrectionis templum accedunt.

Subtus hanc portam sunt vetustissimæ marmoreæ columnæ quibus fulciebatur, vel construebatur. De ea sic Bonifacius: *Antequam ad domum Veronica sancta descendatis, sunt duæ columnæ erectæ in capite Viæ dolorosæ in loco, vbi tempore quo Christus passus est porta ciuitatis erat*, &c.

Nomina.

Sed quonam nomine nunc nominatur & nominabatur antiquitus? in præsentia *Iudicialis* siue *Iudiciaria*, & antiquitus etiam, & aliis nominibus, secundùm Brocardum, & alios; inter quos audi Adrichomium, qui in Descriptione Ierusalem n. 166. de hac porta in hunc modum scribit ex

Sim.

aliis: *Porta vetus, siue antiqua, quæ ab Aquilone portæ Piscium sita, solem occidentem respiciebat; à Iebusæis quoque porta Iebus, & à iudiciis Iudiciaria seu Iudicialis vocata fuit, quia ad iudicandum olim ibi seniores sedebant: in portis enim iudicia tunc exercebantur. Extra hanc portam fiebat etiam iudiciorum executio; vnde & Christus per hanc eductus, extra eamdem quoque est crucifixus. Cuius portæ vetusta adhuc vestigia extant.* Hactenus ille.

Sententia Villalpandi.

Villalpando Tom. 3. part. 1. lib. 3. cap. 23. non probatur hæc sententia; tum quia non in ea iudicium quo Christus fuit morti adiudicatus factum fuit, sed in domo Pilati: & ita ruit fundamentum cui inniti videbatur. Tum quia ex 2. Esdr. cap. 3. contendit non in Occidentali, sed in Orientali plaga sanctæ Ciuitatis prope templum collocandam esse portam Iudicij, quæ & Custodiæ dicitur.

Sed portam, per quam ingressus est Christus in Caluariæ locum, appellari portam Vallis probat loco citato c. 13. auctoritate Septuaginta Interpretum; qui, vbi nos legimus Nehemiam dicentem 2, 13. *Et egressus sum per portam Vallis nocte*, legunt, *Et egressus sum in porta τῆ γωλαλά*. Quam vocem inquit, vtpote ex Hebræa Galal deductam, Caluariæ portam licet vertere. Quibus verbis illud omnino significare voluerunt Septuaginta, eam portam Vallis dici, quòd in vallem cadauerum duceret; atque adeò quòd in valle, quæ montem Caluariæ ab vrbe separabat, sita esset: eamdemque Caluariæ portam dici, quòd in montem eiusmodi, cui ex aduerso sita erat, viam aperiret.

Sed & mysterium vult Septuaginta significasse. Egressum enim Nehemiam tradunt per Caluariæ portam, dum vrbis instaurationem procurat, vt per eamdem egressurum indicaret, quem nos egressum iam credimus Christum Dominum; vt in eo haberemus *redemptionem per sanguinem eius, secundùm beneplacitum eius* Patris, *quod proposuit in eo, in dispensatione plenitudinis temporum, instaurare omnia in Christo, quæ in cælis & quæ in terra sunt, in ipso*, &c. Ephes. 1, 7.

Nolo hic immorari in inquirendo ordinem portarum sanctæ Ciuitatis; dicam solùm, sicut probabilem arbitror opinionem Villalpandi, ita alteram communem non esse à ratione alienam. Et non quidem sic dicta, quia Christus ad eam fuerit morti adiudicatus, hoc enim vere improbat Villalpandus; & tunc non esset nomen vetus, sed nouum, non à tempore Nehemiæ sed Christi acquisitum. Tum quia, vt Lorinus in Psalm. 68. vers. 13. arbitratur, quo tempore Iudæi subiecti erant Romanis, publicum iudicium Romani in portis non exercebant, nec fortasse Iudæi, quod eis permittebatur, etsi exiguæ esset auctoritatis: sed Iudiciaria appellata est, vel dicendi olim vsitata formula, vt subdit idem auctor, sicut & hodie apud Turcas, & alios, vt portæ vocabulo iudicij locus significetur; non quòd Christi tempore, sed aliàs ibi exequebatur. Nemine enim contradicente, olim iudices in portis iudicia exercebant, & non Hebræi modò, sed etiam Gentiles, vt notauit Abulensis in Gen. cap. 23. & 34. Deut. 17. & 21. & alibi sæpiùs, Lyranus in cap. 5. Iob, & alibi, Iansenius ad ea verba Prouerb. 31. *Nobilis in portu vir eius.* idem alij. Huius consuetudinis rationes adducit

Ratio nominis portæ Iudiciaria.

Digitized by Google

cit Hieronymus in cap. 5. Amos vers. 23. Vel etiam iudicialis dicebatur, quia proxima loco vbi iudicium exequebatur, & iudicati per eam ad supplicium ducebantur.

Et quare, si Villalpando loco priùs indicato portam Iudicij appellare licuit portam Custodiæ, à proxima custodia, id est miti carcere, in quo quidam minoribus delictis accusati includebantur; quare, inquam, simili ratione aliis non licebit, portam proximam Bethiso, carceri teterrimo & obscurissimo, damnatis ad mortem parato, proximo Caluariæ monti, vt idem auctor docet, & consequenter proximam loco vltimi supplicij, non licebit portam Iudicij siue Iudiciariam appellare? Et hæc satis de Iudiciaria porta, & sanctis locis Viæ crucis & dolorosæ, sextęq; Peregrinationis.

PEREGRINATIO VII. *in qua recensentur & enucleantur quindecim loca obseruatione digna, occurrentia proficiscentibus extra sanctam Ciuitatem in eius plaga Orientali & Australi citra & supra vallem Iosaphat.* I. *locus est Sepulchrum S. Virginis Mariæ in valle Iosaphat.* II. *Ecclesia circa dictum Sepulchrum ædificata; in qua sunt alia tria sepulchra, sanctorum Ioachim & Annæ parentum & Ioseph sponsi eiusdem S. Dei Genitricis.* III. *Sepulchrum Iosaphat Regis Iuda.* IV. *Sepulchrum Absalom filij Dauid.* V. *Antrum in quo tempore passionis Christi latuit S. Iacobus frater Domini; in quo eidem post Resurrectionem idem Dominus glorioſus apparuit.* VI. *Sepulchrum Zachariæ.* VII. *Villa & vallis Siloë.* VIII. *Puteus Nehemiæ, siue ignis.* IX. *Vallis Gehennon, & lucus Topheth.* X. *Mons offensionis & scandali.* XI. *Vbi Iudas proditor laqueo se suspendit.* XII. *Latibula Apostolorum in quibus ijdem se absconderunt, Christo tempore suæ Passionis relicto.* XIII. *Acheldema, siue Ager sanguinis.* XIV. *Natatoria Siloë; & locus vbi sectus fuit Isaias Propheta.* XV. *Fons B. Mariæ Virginis.*

CAPVT PRIMVM.

De Sepulchro glorioſæ Dei Genitricis Virginis Mariæ in valle Iosaphat, primo loco septimæ Peregrinationis.

ACturi de glorioso Sepulchro beatissimæ Virginis Genitricis Dei Mariæ, tria præstabimus. Primò, de illius situ, forma & conditione; Secundò, de Ecclesia circa ipsum ædificata agemus. Tertiò, contra dicta, vt melius intelligantur, quædam obijciemus, & iisdem respondebimus; & primum præsenti, secundum sequenti, & tertium tertio Capite exequemur.

Situs Sepulchri S. Mariæ Virginis.

Igitur quantum ad primum, sciendum est, extra sanctam Ciuitatem in eius plaga Orientali, in medio vallis Iosaphat, in extremitate & Aquilonari parte eiusdem, prope hortum Gethsemani, & locum vbi Christus orauit, & sudauit sanguinem, ad radices montis Oliueti, esse grandem pulchramq; Ecclesiam gloriosæ Virgini Mariæ dicatam; in qua est Sepulchrum illud benedictum, in quo sanctissimæ Virginis Mariæ corpus, post eius felicem ex terrestri Ierusalem ad cælestem transitum, fuit à sanctis Christi Apostolis sepultum: & ex quo corpore & anima glorioſa post tres dies surrexit, & Angelis comitata, cum omnium iubilo assumpta fuit in cælum super omnes Angelorum Choros, vbi sedet à dextris Dei in vestitu deaurato, circumdata varietate gratiarum & gloriæ. Ita pia habet traditio, docent sancti Patres, & Catholica tenet Ecclesia.

Igitur de hoc Sepulchro agamus. Sepulchrum B. Mariæ Virginis marmoreum est, in rupe solo ipso hærenti excisum, ad instar alterius Filij sui (de quo Libro sequenti) diuersi tamen coloris; quia illud albi coloris cum quibusdam rubentibus venis, at hoc grisei potiùs est coloris, vt ex illius abrasis particulis dijudicari potest; & vt alterum Saluatoris tabulis marmoreis albis, ita hoc tabulis eiusdem materiæ, sed cinerei coloris, cum nigris venis opertum est, est velut arca & demissum altare supra quod incruentum Filij Virginis Æterno Patri offertur sacrificium. longum est palmas 7. latum 3. & vnc. 2. *Materia & forma.*

Sacello inclusum est affabrè olim elaborato, columnellis exornato; sed has abstulerunt infideles, basibus & capitellis relictis; quod vetustate pristinum decorem amisit. Duo habet ostiola; alterum hinc indecitra ipsum & deforis calce incrustatum.

Huic

Huic etiam ſacello annexum eſt altare, vbi vel parantur neceſſaria ad interiùs celebrandum, vel in eodem etiam celebratur, temporis inopia vel multitudine ſacerdotum exiſtente. Ardent in eo lampades 21. Frequenter illuc ſe conferunt Fratres ſancti Franciſci, & ſi qui ſunt alij ſacerdotes ad celebrandum, ſed aliàs frequentiùs ad orandum.

Cultus Sepulchri.

In feſto Aſſumptionis S. Virginis Mariæ ibi ad Veſperas conueniunt Minoritæ; vbi manent vſque in ſequentem diem, magno cum gaudio & alacritate S. Virginis Mariæ Aſſumptæ feſtiuitatem ſacrificiis & orationibus celebrantes: ad quam ceteri confluunt Catholici, vt S. Virginem Mariam honorent, & ſe illi commendent.

De iſto Sepulchro Bonifacius lib. 2. de Perenni cultu Terræ ſanctæ ſequentia ſcriptit: *In medio iſtius glorioſæ Eccleſiæ*, de qua ſuprà, *mauſoleum eiuſdem Virginis & Matris reperies ſplendidum, cuius ſplendor ſolis ſuperat ſplendorem, innumeris lampadibus à piis cultoribus Terræ ſanctæ illuſtratum.* Vt patet ex dictis, exceſſit; ſi eius dicta ad ea quæ in præſentia videntur, aptentur.

Noctum præparatum à Domino.

Monumentum hoc à Deo fuiſſe Virgini præparatum, & nouum, vt alterum Filij ſui, inuenio. Beluacenſis in Spec. hiſtor. Tom. 4. lib. 7. cap. 76. ſiquidem ad intentum hæc dixiſſe Dominum Apoſtolis tradit: *Accipite corpus* Matris meæ, *& deferte in dextram partem ciuitatis ad Orientem, & ibi inuenietis monumentum, in quo ponentes illud expectate donec veniam ad vos*, &c. & cap. 78. *Apoſtoli verò portantes corpus ad locum deſtinatum, poſuerunt in monumentum nouum; clauſoq; ſepulchro exſpectabant ſedentes ante oſtium, ſicut præceperat Dominus*, &c.

Cuſtoditum ab Apoſtolis.

Et quamuis hæc inter Hiſtorias apocryphas inueniantur, pia tamen eſſe dicit ad credendum, cap. 79. Et ſanè ſi Moyſi in monte Nebo, Catharinæ in monte Sinai, Clementi Martyri in mari ſepulchrum præparauit Dominus, dubitabimus non præparaſſe ſuæ ſanctiſſimæ Matri, & nouum, vt nouam decebat creaturam, vermibus & cineribus non coinquinandam; ex quo deinde tertia die diuina virtute ad imitationem Filij ſui glorioſa reſurgeret? *Opus enim erat*, vt diui Damaſceni verbis vtar, *vt quæ Deum Verbum ventris ſui hoſpitio exceperat, in diuini Filij ſui tabernaculis collocaretur: & quemadmodum Dominus ſe in his quæ Patris ſui eſſent verſari oportere dixerat; ſic quoque Matrem in Filij ſui palatijs eſſe conueniebat, hoc eſt, in domo Domini, & in atriis domus Dei noſtri.*

Sanctorum corpora cura Dei.

Damaſc. Orat. 1. de B. Mariæ Aſſumpt.

Et nos ad hunc ſacratiſſimum thalamum, ad hanc diuinam arcam, ad hoc gratiæ ærarium & ſacrum altare prouoluti, mente ad Virginem ſublata, ipſam cum Sepulchro gratiarum fonte ſalutemus, vt fiat in nobis fons aquæ ſalientis in vitam æternam, & cum eodem doctiſſimo pariterque pijſſimo Damaſceno exclamemus: *Aue gratia plena, Dominus tecum. Gaude inexhauſtum gaudij pelagus: gaude vnica merorũ obliteratio: gaude pharmacum ex omni pectore dolorem propulſans: gaude, per quam mors ſubmouetur, vita autem importatur. Iam verò, ô ſacrorum omnium ſepulchrorum dumtaxat poſt Domini ſepulchrum, quod vitæ initium dedit, ac reſurrectionis fons fuit, ſacerrimum (tecum enim tamquam cum animâ prædito mihi ſermo erit) Vbinam tandem illud minimè adulterinum aurum eſt, quod Apoſtolorum manus in te condiderunt? vbi inexhauſtæ opes? vbi pretioſus ille theſaurus, qui vitam ſuſcepit? Vbi animata menſa? Vbi nouus liber, in quo inenarrabili modo Deus Verbum citra omnem manus operam inſcriptus eſt? Vbi gratiæ abyſſus? Vbi ſanationum pelagus? Vbi fons ille ex quo vita orta eſt? Vbi denique deſideratiſſimum illud atque amabiliſſimum Dei Genitricis corpus?*

Damaſc. ibidem. Excellentiâ & virtus Sepulchri Deipara.

Sermo ad Sepulchrum

Ac deinde idem S. Doctor Sepulchrum velut animatum in hunc modum inducit reſpondens: *Quidnam eam in ſepulchro quæritis, quæ ad cæleſtia tabernacula elata eſt? Quid cuſtodiæ rationem à me expoſcitis? Non ea mea vires ſunt, vt diuinis iuſſis obluctèr. Relicta ſindone, ſanctum illud ac ſacrum corpus, poſtquam mihi ſanctitatem impertiuit, atque vnguento & ſuauiſſimo odore me complenit, diuinumq; delubrum effecit, abreptum hinc abiit ſtipantibus Angelis & Archangelis, atque omnibus cæleſtibus Virtutibus. Nunc me Angeli complectuntur: nunc in me diuina gratia habitat. Ego morbo correptis medicina, qua dolores propulſentur, exiſto; ego ſanitatum fons perennis; ego Dæmonum proſtigatio; ego iis, qui ad me confugiunt, ciuitas refugij. Accedite populi cum fide, ac gratiarum dona affluentiſſimè haurite. Accedite, qui fide minimè ambigua præditi eſtis. Sitientes venite ad aquas, hortatur Iſaias, & quibus non eſt argentum, venite & emite abſque pretio. Ego autem Euangelicè clamo: Qui morborum ſanationem, vitioſarum animi affectionum depulſionem, peccatorum obliterationem, calamitatum omnium ſubmotionem, regni cælorum quietem ſitit, cum fide ad me veniat, gratiæq; donum magnopere efficax & vtile hauriat. Quemadmodum enim aquæ, terræ, aëris ac ſplendidiſſimi ſolis actio ſimplex licet atque vna ſit, variè tamen atque accommodatè ad earum rerum quæ ipſum participes ſiunt naturam immutatur,*

Sepulchri reſponſio.

mutatur, fitq; in vinea vinum, in olea oleum: ad eumdem modum gratia quoque, quamuis ſimplex & vna ſit, variè tamen ac congruenter ad vniuſcuiuſque vtilitatem, eos à quibus percipitur, beneficio afficit. Nec verò ex natura mea hanc gratiam habeo. Sepulchrum enim omne fœtore refertum eſt, mœroriſq; cauſa, & delectationis hoſtis; verùm pretioſum vnguentum accepi, ex quo mihi odoris ſuauitas impertita eſt. Atque hoc vnguentum tanta ſuauitate tantaq; vi præditum eſt, vt vel leuiter admotum, fructum eiuſmodi afferat, qui nulla ratione auferri poſſit. Sine pœnitentia enim verè ſunt diuina beneficia. Lætitiæ fontem hoſpitio excepi, perennique ipſius ſcaturigine affluxi. Videtis chari Patres ac fratres, quibus verbis celeberrimum illud templum ad nos vtatur, &c. Hucuſque ex bono ac pio illo Patre.

CAPVT II.

De Eccleſia ædificata circa Sepulchrum B. Mariæ Virginis, ſecundo loco ſeptimæ Peregrinationis, & ſepulchris ſanctorum Ioachim & Annæ parentum Ioſephique ſponſi eiuſdem S. Mariæ Virginis.

CIrca Sepulchrum glorioſæ Virginis Dei Matris Mariæ eſt ædificata Eccleſia, de qua nunc. Hæc Eccleſia nobilis, magna & illuſtris eſt, vt decebat Dei Matrem, & vt in mentibus fidelium tenaciùs ſui ad cælos glorioſi tranſitus memoria reſideret. Structura illius huiuſcemodi eſt; in formam crucis tota ex quadris dolatis marmoribus affabrè conſtructa: ad eam ingreſſus per oſtium quod meridiem reſpicit; ante ipſam eſt quadratum atrium ſiue platea. Eſt in Eccleſia ſcala 48. & etiam 50. graduum albi dolati marmoris, per quam ex oſtio deſcendimus ad S. Virginis Sepulchrum.

Materia & forma Eccleſiæ ſanctiSepulchri B. Mariæ Virginis.

A dextra parte ingredientibus, id eſt Orientali plaga, & fere in medio ſcalæ, eſt ſacellum in quo ſunt duo mauſolea in formam altaris conſtructa: in quorum altero, quod reſpicit Aquilonem, aliquando corpus S. Annæ Matris S. Dei Genitricis Mariæ tumulatum fuit; in altero verò ad Orientem corpus S. Ioachim patris eiuſdem Virginis.

Sepulchra Sanctorum, Annæ,

Ioachim,

Ex altera parte è regione huius ſacelli alterum eſt D. Ioſeph ſponſo Virginis Mariæ dicatum, vbi eiuſdem eſt ſepulchrum in ſimilem altaris formam. Priuata ſunt iſta mauſolea ſacris pignoribus, illa tamen venerantur fideles ſacrificiis & orationibus, præſertim in illorum ſolemnitatibus; quòd fama ſit, illorum Sanctorum ſacra corpora fuiſſe in illis tumulata, ipſorumque reliquiis ſanctificata.

Ioſeph.

In fine ſcalæ & cornu Eccleſiæ Orientali in medio eſt Sepulchrum & ſacellum Deiparæ Virginis, in altero cornu Occidentali eſt ciſterna. Præter iam memorata altaria, ſunt alia in quibus ſacerdotes ſchiſmatici celebrant.

Adamnanus lib. 1. De locis ſanctis cap. 9. agit de Eccleſia iſta & Sepulchro S. Mariæ, & illius fabricam diſtinguit in inferiorem & ſuperiorem; & de inferiori hæc habet: *Inferior pars ſub lapideo tabulato mirabili rotunda eſt ſtructura fabricata; in cuius Orientali parte altare habetur: ad dexteram verò eius partem, ſanctæ Mariæ ſaxeum ineſt cauum Sepulchrum, in quo aliquando ſepulta pauſauit. Hanc inferiorem rotundam ſanctæ Mariæ Eccleſiam intrantes, illam vident petram ad dexteram parieti inſertam, ſuper quam Dominus in agro Gethſemani in illa nocte, qua tradebatur à Iuda in manus Iudæorum, flexis orauit genibus ante horam traditionis eius; in qua videlicet petra duorum veſtigia genuum eius, quaſi in molli cerâ, profundiùs impreſſa videntur.* Et de ſuperiori parte addit: *In ſuperiore igitur atque rotunda Eccleſia ſanctæ Mariæ quatuor altaria ineſſe monſtrantur.* Quæ capellæ & altaria ſint in iſta ſancta Eccleſia iam vidimus. Quare verò rotundam inferiorem huius Eccleſiæ partem appellet, cùm minimè rotunda ſit, arbitror eſſe, quia intra ſe claudit ſanctum Deiparæ Sepulchrum, vt rotundum in ſe centrum continet. Eadem habet Beda cap. 6.

Guilielmus Tyri Archiepiſcopus lib. 18. Belli ſacri cap. 32. ait, Meliſendem Reginam Ieruſalem Ieroſolymis defunctam in hac Eccleſia fuiſſe tumulatam. ita enim de ea ſcribit: *Sepulta eſt autem inclytæ recordationis domina Meliſendis, Angelorum chorea inferenda, in valle Ioſaphat, deſcendentibus ad Sepulchrum beatæ & intemeratæ Dei Genitricis & Virginis Mariæ ad dexteram in crypta lapidea, ianuis ferreis præſepta, altare habens vicinum, vbi tam pro remedio animæ eius, quàm pro ſpiritibus omnium fidelium defunctorum acceptabiles Creatori quotidie offeruntur hoſtiæ.* Hæc Tyrius. Eadem habet Auctor Epitomes Bellorum ſacrorum. Altare eſt vnum ex memoratis. Ad ſepulchrum huius Reginæ non aduerti: nec ibi portæ ferreæ ſunt in præſentia; quas de facili Mauri abſtulerunt.

Meliſendis Regina in iſta Eccleſia ſepulta.

Eccleſia iſta eſt ſatis obſcura, quia in profundo vallis ædificata; & ex paucis & anguſtis feneſtris parum illuminatur, quare ingredientes lumen deferunt. Tantum aliquando

quando in ea creſcit aqua, vt totam inferiorem partem alluat vſque ad Deiparæ Virginis Sepulchrum.

Pertinet ad Minores.

Ius Eccleſiæ ac Sepulchri ad Minoritas pertinere ex alibi dictis patet; & alij non niſi de illorum licentia in eo celebrare poſſunt.

A fidelibus & infidelibus veneration habetur.

Sanctum hoc Sepulchrum in magna habetur veneratione non ſolùm à Chriſtianis & fidelibus, ſed & ab ipſis infidelibus Turcis & Mauris, propter ſanctiſſimam Virginem Mariam, quam ipſi venerantur; vnde extra Sepulchrum, ſed prope, vbi eſt quidam fornix, locum orationis ipſorum dedicarunt. Et qui apud eos ſanctitatem profitentur, collectos circa Sepulchrum pulueres conſeruant, & magni faciunt. Tantus eſt aliquando ad hanc Eccleſiam Turcarum concurſus, & ita frequentes virorum & mulierum comitatus accedunt, vt non ſemel fideles ab eorum ſacrificiis & orationibus impediantur, vel retardentur.

Deiparam beatam dicunt omnes generationes.

Quæ ſi contempleris, dices, ibi ex parte impleri quod de ſe ipſa B. Virgo Maria Spiritu ſancto plena vaticinans dixit: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes*, Luc. 1, 48.

Apud Henricum Canſium Tomo 6. Antiquar. Lect.

Sed audi etiam quid de iſta Eccleſia dicat Fr. Anſelmus Ord. Min. de Obſeruant. in ſua Deſcriptione Terræ ſanctæ, loquens de locis Orientalibus ſanctæ Ciuitatis, qui aliquid amplius à præmiſſis addit, prout ſupra annos centum ante nos dum eſſet Ieroſolymis obſeruauit. Inquit igitur: Pertranſeundo per ponticulum torrentem Cedron incipit hortus in ingreſſu montis Oliueti, & à dicto torrente ad ſedecim paſſus in valle Ioſaphat habetur Eccleſia ſubtus terram miro tabulatu exornata nullam habens feneſtram. Et ad hanc Eccleſiam eſt deſcenſus per gradus; & deſcendendo ad iſtam Eccleſiam à parte dextra dictorum graduum, eſt in pariete ſepulchrum quod dicitur ſanctæ Annæ: ad partem ſiniſtram dicitur eſſe ſepulchrum Ioachim; in Choro autem prædictę Eccleſiæ eſt Sepulchrum B. Mariæ Virginis ad inſtar Sepulchri Chriſti, vbi Fratres Minores de Obſeruantia quolibet Sabbato legunt Miſſam nocte de Aſſumptione glorioſæ Virginis Mariæ: vbi quotidie lampades ardent diſpoſitæ per Chriſtianos. Ad hanc Eccleſiam Chriſtiani acceſſum non habent liberum, niſi pro quæſtu: nam Maurus cuſtodit illum locum in die, & intromittit ibi neminem, niſi accepto pretio; ſoli Fratres noſtri habent acceſſum liberum & ingreſſum, quibus prædictus Maurus obtulit clauem coactus miraculo: nam per multos annos Fratres noſtri, quando celebrare volebant, ibidem ſoluebant ſingulis vicibus vnum *maiedin*, id eſt groſſum. Guardianus Cœnaculi Domini non potens ſufficere talem exactionem contribuere, voluit ibi celebrationem deinceps omittere, & deliberauit; tum beatiſſima Virgo illi Mauro apparuit cuius area eſt, eumdemque perterruit, & comminabatur horribiliter præcipiens, vt Fratres ſineret ibi liberè diuina celebrare in Sepulchro eius, & viſitare: perterritus Maurus venit ad Fratres, eiſdem terrorem prædictum narrando, clauemque dedit; & ita iam quando volunt, liberè ſinit ad intrandum & celebrandum ſine pretio. In eadem Eccleſia eſt fons, & ibi Sepulchrum Virginis Mariæ. Eſt Indulgentia plenaria. *Miraculum*

In præſentia nedum Sabbato, ſed etiam Feria 4 ordinariè, ac etiam aliàs ex deuotione celebrat.

Sed quiſnam magnificam iſtam ædificauit Eccleſiam? Nicephorus Calliſtus lib. 8. c. 30. Hiſt. Eccleſ. dicit Helenam M. Conſtantini piam matrem eam ædificaſſe. agens enim de templis ab illa extructis, de iſto hæc ait: *Excitauit quoque mirificum aliud templum in Gethſemani prædio Genitricis Dei, atque in ſacrario ipſo viuificum eius Sepulchrum firmiter incluſit. Cùm verò declinis ſit locus, gradus marmoreos fieri curauit, viatores ex ſancta Vrbe Orientalem plagam verſus ferentes*, &c. Sed enim hanc ſententiam non poſſe ſubſiſtere, ex dicendis Capite ſequenti facilè apparebit. *De Auctore Eccleſiæ S. Virginis Mariæ.* *Nicephori ſententia.*

Cardinalis Baronius Tom. 1. Annal. ſub annum Chriſti 48. n. 19. dicit, haud multum ante tempora Iuuenalis Sepulchrum illud fuiſſe repertum, & ex ab eo dictis deducit; & ex dicendis Capite ſequenti, non priùs fuiſſe inuentum apparebit. Cui ego adhærens ſententiæ probabiliter addo, circa idem tempus fuiſſe à piis fidelibus circa ipſum ædificatum templum; ſed quo præcipiente, quóve auctore, necdum inuenire potui. *Baron.*

Quòd non multò ante Iuuenalis tempora fuerit ædificatum templum iſtud, & non tempore Helenæ, ſequenti apparebit Capite; quod circa illa, nunc in hunc modum oſtendo. Ioannes Damaſcenus Orat. 2. de B. Mariæ Virginis Aſſumptione ex Euthymiaca hiſtoria lib 3. cap. 40. hæc ſcribit: *Superiùs commemoratum eſt, quemadmodum S. Pulcheria Chriſto in vrbe Conſtantinopolitana Eccleſias conſtruebat. Harum autem vna eſt ea, quæ in auſpiciis Imperij † diuina claſſis Marciani in Blachernis exædificata eſt. Cùm igitur ipſi celeberrimæ ac ſanctæ Dei Genitrici, ac perpetuæ Virgini Mariæ venerandam ædem extruxiſſent, atque omnibus ornamentis illuſtraſſent, ſanctiſſimum quodq; vitam ſuſcepiſſet, ipſius corpus conquirebant: accitoq; Iuuenali Ieroſolymorum Archiepiſcopo, ac Palæſtinæ Epiſcopis, qui tum ob Concilium Chalcedone coactum in vrbe Imperiali* † id eſt, *beata memoria*, vel, *diuina ſedis*

peregrè agebant, his eos verbis alloquuntur:
S. Pulcheria petitio. *Ieroſolymis principem & eximiã Dei Genitricis ac perpetuæ Virginis Mariæ Eccleſiam eſſe audimus in eo loco qui Gethſemane vocatur, vbi corpus ipſius, quod vitam tulit, in loculo conditum eſt. Placet itaque has Reliquias huc afferri, vt Imperatrici huic vrbi præſidio ſint.*

Reſponſio Iuuenalis. Quibus graui oratione reſpondit Archiepiſcopus Iuuenalis, ibi non eſſe Virginis corpus, ſed vnà cum eius anima fuiſſe delatum in cælum, ſed benè eſſe Sepulchrum vacuum; non tamen negauit circa ipſum ædificatam eſſe Eccleſiam, ſed non negando, verè fuiſſe Eccleſiam, vt illi dixerant, indicauit. Igitur ſi Pulcheria & alij audierunt ſuo tempore fuiſſe eximiam ædificatam Gethſemane ad Sepulchrum Virginis ædem, & conſenſit Iuuenalis Ieroſolymorum Epiſcopus, conſequens eſt, vt circa tempus Iuuenalis & Pulcheriæ fuerit illa ædificata. Iuuenalis Ieroſolymitanæ Eccleſiæ Epiſcopus creatus fuit anno Domini 429. & vſque ad 457. eam adminiſtrauit, vt ſub his annis indicat Cardinalis Baronius: & Pulcheria, quæ circa eadem tempora floruit, è vita deceſſit anno Domini 453. vt ibidem Baronius, quando iam ferè centum elapſis annis Helena Conſtantini mater è vita deceſſerat. Igitur inter illa tempora probabile eſt credere, inuentum fuiſſe ſacrum Virginis Mariæ Sepulchrum, & circa ipſum eximiam illam à fidelibus ædificatam Eccleſiam.

Brocardi ſententia. Brocardum oppoſitum ſenſiſſe, videtur indicare Villalpandus Tom. 3. lib. 3. c. 6. dum de his illius verba in hunc modum adducit: *In valle Ioſaphat, non quidem in ima profunditate, verùm in pede montis Oliueti, parum tamen ſupra ipſam vallem locatum fuit beatiſſimæ & Chriſtiferæ Virginis Sepulchrum; quod quidem ante ſubuerſionem Ieruſalem per Romanos ſupra terram eminens erat, nunc autem terra coopertum eſt, adeò quòd Eccleſia ibidem in honorem Virginis conſtructa, cùm ſit ſublimium parietum, nobiliſſimeq; teſtudinata, ſicut decens eſt tantam Virginem honorare, nunc ſit tota ſubterranea, & repletionibus ruinarum templi, & atriorum, de quibus ſuprà diximus, omnino cooperta: valliſq; Ioſaphat ibidem adeò repleta fuit, quòd extat via publica tranſiens ſuper prædictam Eccleſiam tam ſub terra abſconditam.*

Refellitur à Villalpando. Verùm, inquit Villalpandus, quod ad templum B. Virginis ante vrbis euerſionem ædificatum attinet, fides penes ſcriptorem ſit, &c.

Defenditur Sed enim illius fides poteſt & à nobis acceptari; nec diſſentit ab his quæ modò notauimus, ſed eadem magis explicat: nam verè priùs dicit, Sepulchrum fuiſſe ruinis ciuitatis coopertum, non tamen id ipſum dicit de Eccleſia, quæ non erat tempore excidij Ieroſolymitani ædificata; nec hoc ipſum latuiſſe credendum eſt Brocardum: ſi enim Sepulchri Domini notioris non fuit tunc ædificatũ templum, quomodo Virginis minùs noti? Et quod dicit de Eccleſia tota ſubterranea, verè dicit; nam vt ſuo tempore, ita & noſtro talis conſpicitur, quia videlicet collis Ioſaphat valli ac Eccleſiæ prominet: & ſi ruderibus & terra vallis complanaretur, tota operiretur Eccleſia, & ſuper ipſam eſſet tranſitus. Quod verò hæc fuerit mens Brocardi, patet ex eo quod ſtatim dicit, fuiſſe ædificatam Eccleſiam poſt vrbis reparationem. ſic enim ſubdit: *Eſt tamen ibidem in terra ſuperficie poſt vrbis reparationem conſtructa Eccleſia, vel ædificium per modum capellæ: quod cùm ingreſſus fueris, deſcendes per gradus plurimos ſub terra in Eccleſiam præſcriptam & ad Sepulchrum Virginis; & credo, ni fallor, ſunt gradus 60. Eſt autem Sepulchrum in medio Chori ante altare marmoreum, & magnificè decoratum, quod & Saraceni deuotiſſimè venerantur oſculantes proſtrati, & ſacræ Virginis ſuffragia alta voce ſuo more implorantes. Ego fui in Sepulchro ipſo.* Hæc ille. quæ explica & intelligе vt nos antè diximus.

Ad huius Capitis initium diximus, ſacram hanc Deiparæ Eccleſiam eſſe in formam crucis extructam. De cuius formæ antiquitate ac ratione hìc pauca recenſenda ſunt; quoniam iſta vna eſt ex præcipuis Terræ ſanctæ in formam crucis ædificatis, & primò etiam occurrens in opere iſto. Sciendum itaque, ſanctam fuiſſe veterum Chriſtianorum conſuetudinem conſtruendi ſacras ædes in crucis formam, &, vt creditur, ab ipſis Apoſtolis emanantem, vt tradit Boſius de Triumphanti Cruce l. 6. c. 8. licet ob Tyrannorum perſecutionem & odium in Chriſtianos deſtructæ illæ fuerint, ac ideò tam antiqua monumenta haud ſuperfuerint. Nihilominùs imminuta perſecutione, reddita Eccleſiæ pace, dataque fidelibus facultate Eccleſias ædificandi, illas ſecundùm priſcorum morem ac pietatem in formam crucis erexerunt tam in Oriente quàm in Occidente. Et de Occidentis Eccleſiis nihil dicam; de quibus abundè citatus Boſius: & pauca de Orientis & noſtris Terræ ſanctæ proponam; quæ licet non omnes ſecundùm dictam formam fuerint erectę, propter iuſtas rationes, & impedimenta, his tamen dificientibus, talis extruendi mos non fuit prætermiſſus.

Eccleſia in crucis formam adfcari ſolita antiquitus.

Ad crucis formam extructa fuit Eccleſia S. Mariæ in Bethlehem apud Præſepe Domini, vt de ea agentes explicabimus. Et ſimilis

Eccleſia S. Maria in Bethlehem in forma crucis.

milis forma poteſt obſeruari Ieroſolymis in Eccleſia S. Ioannis Euangeliſtæ & aliis.

Ad puteum Samaritanæ.

Ad crucis formam pariter extructa erat olim Eccleſia prope vrbem Sichem in Samaria ſupra puteum Patriarchæ Iacob, nunc *Samaritanæ* appellatũ, vt tradit Beda, & meminit S. Hieronymus; & nos de Samaritanæ puteo ſuo loco agentes dicemus, licet in præſentia ſit ſolo æquata.

Gaza, in Palæſtina.

Ad crucis modum quoque in Palæſtinæ vrbe Gaza à S. Porphyrio eiuſdem vrbis Epiſcopo extructa fuit Eccleſia illa, quam Eudoxianam appellarunt, quia Eudoxia Arcadij Imperatoris vxore iubente ædificata eſt ſuper ruinas templi celebris idoli, quod incolæ Marnæum vocabant, aſſerentes illud Critæ Iouis generi extitiſſe. Quod templum omnium quæ in vniuerſo terrarum orbe reperiebantur illuſtriſſimum ac glorioſiſſimum eſſe rebantur; Arcadij autem Imperatoris edicto, poſtulante id Eudoxia coniuge, eodemq; ſancto Porphyrio Epiſcopo efflagitante, igne concrematum eſt, vt teſtatur Marcus Gazenſis Diaconus, & euſdem S. Porphyrij diſcipulus, in ipſius Sancti Actis, quæ ab eo fideliſſimè collecta, & à Simeone Metaphraſte ad poſterorum memoriam ſcripto commendata, Latinitate poſteà donata ab Aloyſio Lipomano Epiſcopo Tomo quinto, & à Surio Tomo primo, ſub die vigeſima Februarij, inter Sanctorum vitas relata ſunt: vbi dum agitur de prædicti idoli Marnæi templi euerſione, ac de Eudoxianæ Eccleſiæ extructione, hæc verba produntur: *Interim autem dum repurgatur locus, venit Magiſtrianus epiſtolas offerens Imperatorias ſemper memorandæ Eudoxiæ. Continebant verò litteræ ſalutationem & precum petitionem pro ſuo marito & filiis. Erat autem in alia charta intra litteras deſcripta forma ſanctæ Eccleſiæ in figuram crucis, quomodo nunc quoque Deo volente cernitur.* Hæc ille. Et ad horum & ſimilium Eccleſiarum imitationem, hæc noſtra S. Mariæ in valle Ioſaphat circa Deiparæ Sepulchrum erecta fuit.

Celeberrimum idoli templum euerſum, & aliud vero Deo dicatum.

Et quidnam mouit fideles ad Chriſtianas Eccleſias in crucis formam extruendas; ſiue, quare vt ita extruerentur Deus diſpoſuit?

Talis formæ erectionis rationes quatuor. Prima, vt figura impleretur.

Reſpondeo, huius ritus multas adduci poſſe rationes, ſed quatuor hic ſubijcio. Prima ſit, vt figuratum figuræ reſpondeat, cuius gratia facta fuit. Sancta Eccleſia, nedum prout fidelium congregationem importat, ſed ipſa materialis ſtructura præfigurata fuit in forma caſtrorum Iſraël: quæ, vt quidam tradunt, ad crucis figuram inſtrui conſueuerant. quod inter ceteros innuit Coſmas Ieroſolymitanus in Theog.

Forma hac templorum in caſtris Iſraël præfigurata.

Hymn. 9. in Exalt. S. Crucis; inquit enim: *Sacra prafulcitur quadripartitus populus, præcedens in figura teſtimonialis tentorij, cruciformibus ordinibus celebratus.* vnde Cantic. 6, 3. *Terribilis vt caſtrorum acies ordinata* nuncupatur. Ergo vt appareret quanta conſenſio eſſet in figuram & figuratum, & quæ in veteri Teſtamento adumbrata fuere, in nouo impleta eſſe, mouit Deus fideles vt ſuas Eccleſias in formam crucis exſtruerent.

Secunda, pietas in S. Crucem.

Secunda ratio eſt, fidelium pietas ac deuotio ad ſanctam Crucem. Vt enim amantes curant ſibi illarum rerum quas diligunt imagines exprimi; ita in teſtimonium amoris Crucifixi, illius imaginem exprimi in Eccleſiis ſtuduerunt, præſertim quòd id in amoris argumentum expoſtulet Dilectus illis verbis: *Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum, vt ſignaculum ſuper brachium tuum*, Cant. 8, 6. Ac ſi diceret: Mea imago nedum interiùs in corde reſideat, ſed etiam exteriùs in operibus tuis appareat, & abſque rubore palàm in ipſis manufactis ædificiis confitearis.

Tertiò, quia qui ſunt de Eccleſia debent mundo crucifigi.

Tertia, vt intelligant qui ad hanc Eccleſiam admittuntur, debere mundo crucifigi: talem rationem adduxit Epiſcopus Guilielmus Durantus in ſuo diuinorum Officiorum Rationali, dum agit de forma quam obtinent Eccleſiæ à Chriſtianis extructæ, dicens: *Quædam tamen Eccleſiæ in modum crucis formantur, ad notandum nos mundo crucifigi, ſeu Crucifixum ſequi debere, iuxta illud: Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.*

Quartò, vt Crucifixo compatiamur.

Quarta denique ratio ſit, vt nos in Eccleſia commorantes mente verſemus dolores quos noſtri cauſa in cruce ſuſtinuit Reparator noſter; vt per regenerationis lauacrum in Eccleſia, per Baptiſmi ſacramentum, parturiret cælo: ibi namque nos cum dolore peperit cælo, quos anteà cum gaudio genuerat mundo. hoc enim tibi ob oculos ponit forma crucis ſecundùm quam efformata eſt Eccleſia.

Igitur, Chriſtiane, dum in iſta S. Mariæ Eccleſia, vel in qualibet alia moras trahis, gratiam illius ne obliuiſcaris, qui dedit innocentem animam ſuam in mortem crucis, vt tuam nocentem à ſpirituali ac æterna morte liberaret. *In toto corde tuo honora patrem tuum,* vt Eccleſiaſtici verbis vtar, *& gemitus matris tuæ ne obliniſcaris: memento quoniam niſi per illos natus non fuiſſes: & retribue illis, quomodo & illi tibi.* Eccli. 7, 29

CAPVT III.

Difficultates contra dicta in præcedentibus de Sepulchro & Ecclesia B. Virginis Mariæ.

NOnnullæ se offerunt difficultates, quæ infirmare videntur dicta à nobis in præcedentibus de Sepulchro & Ecclesia B. Virginis Dei Genitricis Mariæ à sacris Scriptoribus & communi traditione recepta, quæ in medium adducendæ sunt, & vt poterimus diluendæ.

Argumentum contra veritatem Sepulchri.

Si memoratum Sepulchrum illud est in quo fuit B. Virgo Maria tumulata, qui fieri potest, vt veteribus in cognitione locorum sanctorum versatissimis non innotuerit? & si innotuit, quòd illius mentionem non fecerint? Sed non innotuit vel iis qui proximi fuerunt temporibus Apostolorum, vel aliis qui fuerunt tempore Maximi Constantini, vel paulò post: si namque cognitum fuisset, illorum temporum Scriptores aliquam mentionem fecissent, vt rei valdè memorabilis: sed nullam fecerunt, signum ergo est ipsum non verè fuisse; & consequenter, nec quod in præsentia eo intuitu colitur, verè Sepulchrum Deiparæ erit.

Primò, S. Epiphanius, qui florere cœpit in Dei Ecclesia circa annum à partu Virginis 372. vt sub hoc anno indicat Cardinalis Baronius Tom. 4. Annal. & vsque ad decrepitam vixit ætatem; eiusque obitum notat idem Cardinalis sub anno Christi 402. multùm Ierosolymis versatus, & optimè sancta nouit loca, vt S. Hieronymus ad Pammachium Epist. 61. docet; nihilominùs hic sanctus Doctor ambigit, an mortua sit S. Maria, an potiùs sit absque morte ad cælum translata. Ipse enim Hæres. 78. aduersus Antidicomarianitas, post multa, de hoc argumento hæc scribit: *Siue igitur mortua sit*, id est Mater Dei, *non nouimus: siue sepulta est, non copulata fuit carni; absit.* At non dubitasset de morte Virginis Epiphanius, si Sepulchrum eius extitisset in valle Iosaphat: ex memoria enim Sepulchri illius optimè intellexisset, S. Dei Genitricem ex hac mortali vita ad alteram immortalem per mortem euolasse.

Præterea Eusebius Epiphanio antiquior (floruit enim toto tempore Imperij Maximi Constantini, & pòst, ab anno Domini 306. vsque ad 337. sub his annis idem Baronius & alij) Eusebius, inquam, in vita Constantini lib. 3. cap. 24. & sequent. Socrates lib. 1. cap. 13. Sozomenus lib. 1. c. 1. Theodoretus lib. 1. cap. 15. 16. 17. qui egerunt de locis sanctis Constantini temporibus repertis, & ædificiis illustratis, nullam de Sepulchro Virginis fecerunt mentionem; at eos facturos esse credendum est, si extitisset, cùm multò minora litteris consignauerint.

His denique accedit, quòd D. Hieronymus, qui diu, vsque ad extremam nempe canitiem & diem in Terra sancta commoratus est (obiit enim in ea ad annum Domini 420.) loca sancta pluries lustrauit & veneratus est; & vt de ipsis optimè instructus notata litteris consignauit, nullam tamen Sepulchri sanctissimæ Dei Genitricis mentionem fecit. Et Epist. 27. relegens cuncta Palæstinæ loca, quæ generosa illa sanctaque Paula vt inuiseret, Roma naturali patria relicta ad ea venit, nec sumptibus nec laboribus parcens; & vt taceam de Domini Sepulchro, alia cuncta quæ ibi erant memoriâ digna monumenta recensens, vt duodecim Patriarcharum, Iosue, Eleazari filij Aaron, Elisei, Abdiæ, Michææ, Ioannis Baptistæ, Lazari, nec non & mausoleum Helenæ Adiabenorum Reginæ, quæ tempore Claudij populum fame laborantem pauit, sed Sepulchri B. Mariæ Virginis nec verbum fecit. Quis verò adduci potest vt credat, vel Paulam vnum tantum Dei Genitricis Sepulchrum spreuisse, illudque haud inuisisse, si in his partibus extitit, cùm alia longè inferiora inuiserit? vel Hieronymo mente excidisse, vt illius non meminerit, cùm præsertim alia minùs principalia recensuerit? Et agens de villa Gethsemani in libro de locis Hebraicis, vnam tantum illic erectam Ecclesiam, vbi Dominus in horto orauit, affirmat; & de contiguo eidem Genitricis Sepulchro & templo ne verbum facit.

Ad extremum, scribens idem Hieronymus ad Marcellam nomine Paulæ & Eustochij, vbi alia sancta loca enumerat, non tamen Sepulchrum S. Dei Genitricis; sed non pertransisset silentio, si extitisset.

Nec satisfaciet quis dicendo, Hieronymum huius Sepulchri mentionem fecisse in libello illo, siue Epistola ad Paulam & Eustochium de Assumptione B. Mariæ, quæ inuenitur in 3. Tom. Epist. 10. sic enim ibi dicit: *Monstratur autem Sepulchrum eius*, id est Virginis, *cernentibus nobis vsque ad præsens in valle Iosaphat medio: (quæ vallis est inter montem Sion & montem Oliueti posita) quod tu, ô Paula, oculis aspexisti, vbi in eius honore fabricata est Ecclesia miro lapide tabulata; in qua sepultam fuisse, vt scire potestis, ab omnibus ibidem prædicatur, sed nunc vacuum esse mausoleum cernentibus ostenditur.* Non inquam his fit satis; nam Epistola illa

Digitized by Google

illa non est Hieronymi, vt doctiores testantur, sed Sophronij, vt quidam dicunt; at nec Sophronij esse, sed alicuius impostoris, deducit Cardinalis Baronius Tomo 1. Annal. sub anno Christi 48. num. 18. Si hæc igitur ita se habent, quomodo fieri potest, vt commemoratum Sepulchrum sit S. Mariæ Virginis, & templum circa ipsum ad illius honorem constructum?

Refellitur. Et quomodo etiam verum erit quod tradit Nicephorus Hist. lib. 8. cap. 30. templum illud, toto orbi conspicuum, fuisse ab Helena ædificatum, quæ multo tempore præcessit Paulam & Eustochium; solisque illis, qui in Terra sancta habitabant, vel illa visitabant fuisse incognitum?

Responsio ad argumentum. Sed hæc non officiunt traditioni; & facilè diluemus, si obseruauerimus, post euersionem sanctæ Ciuitatis per Romanos, ruinis vrbis & templi in vallem Iosaphat proiectis adeò fuisse repletam, vt etsi olim magna extiterit, nunc parua appareat: tunc verò temporis & Sepulchrum S. Dei Genitricis opertum fuit, & obrutum; est enim in illius profundo, & 60. gradibus ad ipsum descenditur. Ita rationabiliter dicit fidelis ac diligens Scriptor locorum Terræ sanctæ Brocardus 1. Part. cap. 7. §. 47. Quemadmodum & sepulchro Christi contigit, vt de eo agentes sequenti Libro dicemus. Quare non est mirum, si nec Epiphanio fuit cognitum. Eusebius, cum D. Hieronymo, & aliis, illius nullam fecerunt mentionem, nec à Paula aliisque piis fidelibus primis illis temporibus visitatum; non enim id ex obliuione vel pietatis defectu processit, sed quia necdum mundo innotuerat.

In vastatione Ierusalem per Romanos illius ruinis Sepulchrum Virginis opertum.

Epiphanius, Eusebius & Hieronymus incognitum Deiparæ Sepulchrum; ideò illius non meminerunt.

Ex quo in D. Hieronymum incidimus, quem non feciſſe mentionem Sepulchri Virginis notauimus, vnde quis posset suspicari, S. Doctorem de Virginis ad cælos glorioſa Assumptione dubitasse, arbitror non fore iniucundum Lectori, si aliqua subijciamus, quibus à tali suspicione liberatur. Auctor Pomerij Sermonum de beata Virgine lib. 10. Part. 1. artic. 3. in fine, scribit, S. Antonium de Padua, ægrè ferentem legi suo tempore in Ecclesia lectionem D. Hieronymi, in qua in dubium vertebatur Assumptio Deiparæ in corpore glorioso, noluisse chorum adire; cui Angelus apparens dixit: Cur, Antoni, non vis ire ad Matutinum? eam ipse causam adhibuit, quòd ægerrimè ferret prædictã lectionem in Choro audire. Hæc autem illo dicente continuò ingressa est ad eum B. Virgo magno Angelorum cœtu stipata; ad cuius pedes procumbens Antonius, enixè ab ea postulauit huius mysterij certitudinem; cui beata Virgo respondit: Securè, Antoni,

B. Virgo, se in anima & corpore in cælum assumptam esse, S. Antonio Paduano reuelauit.

veritatem hanc & credere & prædicare potes.

Sed quid dicendum de D. Hieronymo? In Reuelationibus S. Birgittæ lib. 6. cap. 60. dixit Mater Dei ad Birgittam, Hieronymum non dubitasse de eius Assumptione, sed quia determinatè non fuerat reuelata, noluisse definire: sic enim ait: *Quid tibi dixit magister ille ventilator verborum, quod Epistola Hieronymi mei, quæ loquitur de Assumptione mea, non esset legenda in Ecclesia Dei; quia videtur sibi in legenda illa, quòd Hieronymus dubitauerit de Assumptione mea; eò quòd dixit, se nescire, vtrùm sim assumpta in corpore, vel non, vel à quibus personis asportata. Ideò ego Mater Dei respondeo magistro, quòd Hieronymus non dubitauit de Assumptione mea, sed quia Deus non reuelauit apertè huiusmodi veritatem; ideò Hieronymus maluit piè dubitare, quàm definire non ostensa à Deo.* Hæc ibi. Lege etiam quæ ibidem sequenti capite habentur.

Assumptionem Deiparæ credidit S. Hieronymus.

Oppositum tenere, errorem esse in fide, pluribus ostendit Carthagena Tomo 2. de B. Virgine lib. 14. Homil. 13.

Et vt ad id vnde parum digressi fuimus reuertamur; non ideò Sepulchri & Virginis gloriæ derogatum, quod eius Sepulchrum, illius glorioſæ resurrectionis testimonium, obscurum incognitumq; remanserit; nam quò tardiùs, eò illustriùs eius fama velut alter lucidissimus sol toti orbi illuxit. Quis enim dubitat in præsenti, Dei Genitricem Mariam, soluto mortis tributo, anima & corpore glorioſam ad cælestia regna supra omnes Angelorum choros euolasse? & si auroræ, lunæ & soli comparatur, meritò paulatim temporum successione eius laudes mundo illuxerunt; quod ad solatium cessit fidelium, qui diuersis temporibus diuersa haberent argumenta, quibus magis ac magis accenderentur in amorem S. Virginis Mariæ, vt & contigisse experientia didicimus. Ideò postquam Dei miseratione reuelatum fuit sanctissimum hoc Sepulchrum, quàm plurimi illius memoriam scriptis consignauerunt; & nobili circa venerandum Sepulchrum extructo templo, & frequenti populorum veneratione illustrior illius fama resplenduit.

Gloriosè manifestatur Sepulchrum ad Virginis honorem, ac fidelium solatium.

Andreas Cretensis Archiepiscopus Ierosolymitanus: *Gethsemane*, inquit, *suscipe nouam Reginam, para Sepulchrum, produc ea quæ sunt vsui ad sepeliendum, ornã thecam vnguentis.*

Sed aliis vetustioribus & recentioribus omissis, qui mirabilia de glorioſissima Virgine, de eius ex isto Sepulchro ad cælum Assumptione scriptis consignarunt, vnicum, sed piissimum ac grauissimum, proferamus Damascenum, qui in calce 1. Orationis de B. Mariæ dormitione eleganti similitudine sanctitatem & virtutem Sepulchri

chri Deiparæ explicat his verbis: *O ſacrum miraculum, hoc eſt monumentum illud auguſtum & adorandum, quod etiamnum Angeli, non ſine magna quadam reuerentia & metu aſtantes, complectuntur, dæmones pertimeſcunt, homines per fidem accurrunt, honorantes, adorantes, oculis, & labris atque animi cupiditate exoſculantes, vberrimamq; bonorum copiam haurientes. Quemadmodum enim ſi quis ingentis pretij vnguentum veſtibus aut loco alicui imponat, ac rurſus eximat, ſuauitatis reliquiæ abſtracto etiam vnguento reſtant; eodem modo nunc quoque diuinum tuum & ſanctum, ac maculæ prorſus omnis expers diuinaq; fragantia refertum corpus, fons inquam ille gratiæ perennis in Sepulchro collocatum, ac deinde rurſus ad præſtantiorem & ſublimiorem regionem abreptum, haudquaquam ita Sepulchrum reliquit, vt honoris expers eſſet: verùm, tum diuinam fragrantiam & gratiam ipſi impertit, tum ſanationum ac bonorum omnium fontem iis, qui cum fide ad monumentum accedunt, reliquit. Tibi nos quoque hodierna die aſſidemus, ô Domina, Domina, atque iterùm dicam Domina,* &c.

Quam vim Maria Virginis Sepulchrum habeat, pulchra ſimilitudine oſtendit Damaſcenus.

Ad Epiphanium, Euſebium & Hieronymum.

Nec Epiphanius initio capitis adductus credere voluit, S. Dei Genitricem non eſſe defunctam, ſed id non haberi in S. Scriptura; exceſſit verò, quia diſputabat contra hæreticos, B. Mariæ Virginis puritatem impugnantes, vt ipſis magis confuſis veritas appareret: & ob hanc rationem, Sanctos terminos exceſſiſſe ſcimus, nec tamen ideò culpandi, ſed laudandi, quoniam, occultata veritate, ad notitiam veritatis deuenerunt. Lege Baronium vbi ſuprà.

Difficultas. Contra dicta obijciet fortaſſe quiſpiam: Si tempore Maximi Conſtantini Imperatoris inuentum fuit Chriſti Domini Sepulchrum, quare non Matris eius? Certè ſi extitiſſet, cùm piiſſima illius mater Helena Ieroſolymam venit, & illud inuenit, & hoc inueniſſet.

Soluitur. Reſpondetur, faciliùs potuiſſe ſepulchrum Chriſti quàm Virginis Matris inueniri: tum quia illud non in profundo vallis erat, & tot ruinis opertum vt iſtud: tum quia, & meliùs, faciliùs conſeruari potuit memoria Sepulchri Domini quàm Virginis, quia nobilius: tum denique, quia vbi eſſet Sepulchrum Domini facili negotio ex ſacra Scriptura deprehendi poterat, quoniam illius mentionem facit, non item Virginis. Qua etiam ratione potuit innoteſcere locus orationis Chriſti in horto; quia non in profundo vallis & ruinis opertus erat, ſed ad radices montis Olueti ſitus: & ſi ſupra ipſum erat Eccleſia ædificata, maiori ratione apparere debuit. Sed Sepulchrum Virginis in imo vallis erat, & per 60. circiter gradus, omnibus computatis, ad ipſum deſcenditur; hinc templum circa ipſum extructum, etſi magnum & altum, vix extra vallem apparet, non tamen eminet.

Duo corollaria: Primum, templum hoc haud ab Helena conſtructum.

Ex dictis duo deduco, alterum, falſum eſſe quod dixit Nicephorus & alij qui poſt ipſum idem ſcripſerunt, templum illud inſigne Sepulchri B. Mariæ Virginis fuiſſe ab Helena ædificatum; tum quia, vt in opponendo dictum fuit, tempore Helenæ nondum fuit inuentum; tum quia hoc vt præcipuum recenſuiſſet Euſebius inter cetera templa ab ea ædificata.

Nicph. lib. 15. c. 14. & lib. 8. cap. 30. Secundum, Sepulchrum Virginis Conſtantinopolim non eſſe tranſlatum, ſed partem aliquam.

Alterum quod deduco, ſimiliter falſum; ſiue meliùs explicandum eſt quod idem ait Nicephorus, ſanctiſſimæ Virginis Sepulchrum Conſtantinopolim fuiſſe tranſlatum: quoniam eſt ſolo rupiq́ue immobiliter inhærens; & ſemper ita fuiſſe tenendum eſt, cùm de oppoſito non conſtet.

Et confirmatur: quia S. Birgitta (quæ poſt Nicephorum claruit, quippe ſolùm è vita deceſſit anno ſalutis noſtræ 1373. Nicephorus verò floruit tempore Imperij Emanuelis anno Domini 1100.) ad Terram ſanctam peregrinata, reuerſura ex Ieruſalem Romam, cùm in valle Ioſaphat ad Sepulchrum Deiparæ oraret, ei apparuit eadem Deipara nimio coruſcans ſplendore, dicens: *Attende filia: Ego, poſtquam Filius meus aſcendit ad cælos, vixi in mundo quindecim annos, & tanto tempore plus, quantum eſt de feſto Aſcenſionis eiuſdem Filij mei vſque ad mortem meam; & tunc mortua iacui in iſto Sepulchro,* &c. in eius Reuelationibus lib. 7. cap. 26.

Et denique, quia id omnes vnanimi conſenſu affirmant: quare iſto intuitu fuit circa ipſum à fidelibus nobilis extructa Eccleſia; & hoc ipſum viſitantibus ſummi Pontifices Indulgentias conceſſerunt. Vel explicetur Nicephorus, dicendo, Sepulchri nomine non totum, ſed partem eius intellexiſſe: familiare enim eſt cùm ſacris tum profanis Scriptoribus, partem totius nomine explicare; & ex vtriſque poſſunt in medium proferri teſtimonia ad id quod diximus comprobandum: quæ proferre non erit inutile, non tantùm propter id quod propoſuimus de iſto Sepulchro, ſed etiam propter aliàs dicta vel dicenda in ſimili argumento.

Nicephorus explicatur.

De Quadraginta Martyribus dixit ſanctus Baſilius Orat. in 40. Martyres: *Quadraginta illos Martyres dici eſſe conditos in variis ciuitatibus, quia qualibet ipſarum partem aliquam Reliquiarum poſſident.* Et ſi profana ſacris miſcere licet, audiamus quid Dionyſius Halicarnaſſenſis lib. 1. de

plu-

Digitized by Google

Vnius viri quomodo plura sepulchra.

pluribus Æneæ sepulchris scribat, etsi vnicum fuerit, plura tamen fuisse, aliquos arbitratos esse dicit; qui huius dubitationis sequentibus verbis reddidit rationem: *Quòd si quem perplexum facit, quòd Aeneæ sepulchra monstrentur multis in locis, nec possit nisi vno esse conditus, cogitet hanc dubitationem esse vulgarem; & intelligat, quòd quamuis vnicum locus capiat corpora talium, apud multos tamen monumenta eis facta sunt in gratiam acceptam vtilitatis cuiuspiam.* Hæc ille. Et Dauid, qui in Sion fuit tumulatus, cuius sepulchrum Apostolorum tempore monstrabatur, vt Act. 2. docet S. Petrus, tamen fuisse in Bethlehem sepultum tradunt Adamnanus lib. 2. De locis sanctis cap. 4. Beda cap. 8. ex Arnulpho, & præter alios S. Hieronymus Epistola 17. ad Marcellam nomine Paulæ & Eustochij istis verbis: *Inde ad pastorum caulas pergere, in Dauid erare mausoleo.* Vbi sepulchrum Dauidis cum monumento pastorum, quibus Angeli nato Domino apparuerunt, tamquam vicinum coniungitur. Idem sanctus Doctor De locis Hebraicis, de Bethlehem loquens, ait: *Vbi & sepulchrum Iesse, & Dauid ostenditur.* Quia videlicet cum vir insignis esset, non in vno tantùm loco, non Ierosolymis modò, sed etiam Bethlehem potuit honorarium cenotaphium habere, etsi in vno Ierosolymitano fuerit illius corpus tumulatum. Vide Gretserum in Notis ad citatum caput Adamnani; & quos ibi citat Auctores. Ita in proposito, etsi non prorsus eodem modo, dicimus cum Nicephoro, Sepulchrum Virginis fuisse Constantinopolim translatum; quoniam aliqua eius pars translata fuit.

Damasceni explicatur.

Et simili modo explicandus est Damascenus, dum in fine 2. Orationis de Mariæ Assumptione dicit, Iuuenalem, Ierosolymorum Archiepiscopum, ad petitionem sanctæ virginis & Imperatricis Pulcheriæ, & Maximiani Imperatoris eiusdem coniugis, sanctum illum loculum, vnà cum Virginis sanctissimæ Dei Genitricis vestimentis in eo relictis quando ascendit in cælum, misisse, & in Ecclesia, quæ Balchernis exstructa erat, reposita fuisse; quia videlicet aliquam partem misit. Si enim totum misisset, quomodo posterioribus temporibus, vt Bedæ & aliorum, extitisset, & visum fuisset vacuum, vt ille tradit de locis sanctis, & posteà tempore Brocardi, sanctæ Birgittæ, & nostro?

Vel quia aliud simile in honorem Virginis Mariæ Balchernis constructum fuit. Verè tamen, vt diximus, quod in valle Iosaphat inuisitur, & in honore habetur, illud est in quo sacratissimæ Deiparæ corpus à sanctis Apostolis tumulatum, & ex quo in cælum cum sanctissima anima assumptum fuit supra choros Angelorum. Et hæc modò satis de virgineo illo sacratissimoque Sepulchro, & Ecclesia circa ipsum ædificata, secundo huius Peregrinationis loco. De istis agunt Adrichomius in Ierusalem numero 198. Auctores Hodœporici & vitæ S. Episcopi VVillibaldi apud Henricum Canisium Tomo 4. Antiquarum Lectionum, Guilielmus Baldensel apud eumdem Canisium Tom. 5. & alij.

Digitized by Google

ICHNOGRAPHIA
TEMPLI S. MARIÆ V.
IN
VALLE IOSAPHAT,
et eiusdem locorum notæ.

1. *Sacellum Sepulchri S. Mariæ.*
2. *Deiparæ Sarcophagus.*
3. *Altare ubi Sacerdotes parantur.*
4. *Altare Græcorum.*
5. *Altare Lucharorum.*
6. *Altare Abyssinorum.*
7. *Cisterna.*
8. *Statua siue locus orationis Turcarum.*
9. *Altare Armenorum.*
10. *Sacellum et Sepulchra Sanctorum Ioachim et Annæ parentum Deiparæ.*
11. *Sacellum et Sepulchrum Sponsi S. Mariæ.*
12. *Porta clausa, quà olim erat accessus ad locum orationis Christi.*
13. *Porta Ecclesiæ.*
14. *Locus incognitus.*

Digitized by Google

CAPVT IV.

De ſepulchro Ioſaphat Regis Iuda, tertio loco ſeptimæ Peregrinationis.

QVod tertio loco occurrit in iſta peregrinatione eſt ſepulchrum Ioſaphat, de quo ſequentia accipe.

Situs & forma ſepulchri Ioſaphat.

Ad radices ferè montis Offenſionis, non longè à veſtigiis Saluatoris in rupe torrentis Cedron impreſſis, de quibus ſuperiùs locuti ſuimus, eſt in rupe montis exciſum amplum & pulchrum monumentum, quod ab omnibus in partibus iſtis ſepulchrum Ioſaphat Regis Iuda appellatur. Sed quare? an quia in eo huius Regis corpus tumulatum fuit? Non inquam, quoniam ſepultum fuit *cum patribus ſuis in ciuitate Dauid patris ſui*, id eſt Sion, vt dicitur 3. Reg. 22, 51. & 2. Paralip. 21, 1. an quia iuſſu Ioſaphat fuit exciſum? ſicut & propter aliquod inſigne opus in valle Ioſaphat ab iſto Rege operatum, vallis Ioſaphat appellata eſt. Hinc Rabbi Dauid de hac Ioſaphat valle, cuius fit mentio Ioël. 1, 3. ita ſcribit: *Hæc porrò vallis erat Regis Ioſaphat, & fortaſſe ibi ædificarat, aut aliquod opus geſſerat, vt propterea nomen eius retinuerit; vicinaq; eſt vrbi Ieruſalem.*

Cap. xiii. Vix captiuitas.

Nominis ratio.

Aliquorum ſententia refellitur.

Et minùs probabile cenſeo quod alij dixerunt, ſed ſine fundamento, quòd in illud fuerit eius corpus tranſlatum. Sed an nobilius ſepulchro Sion? & vbi id inuenitur? Nec admittendum ducimus quod ſcripſerunt alij, eſſe ſepulchrum Manaſſe; nam huius ſepulchrum eſt in monte Sion, vt antea diximus.

Cap. 11. 111. Peregrinat.

Lib. 1. c. 10. & lib. Bena fep. 6.

Adamnanus de Locis ſanctis de memorato loco ita loquitur: *In valle Ioſaphat non longè ab Eccleſia S. Mariæ turris Ioſaphat monſtratur, in qua ipſius ſepulchrum cernitur; cui videlicet turriculæ quadam lapidea domus ad dextram coharet partem de rupe exciſa & ſeparata montis Oliueti, in qua intrinſecus ferramentis cauata duo monſtrantur ſepulchra ſine aliquo ornatu: quorum vnum illius Simeonis iuſti viri eſt, qui infantulum Dominum Ieſum in templo ambabus manibus amplexus, de ipſo prophetizauit; alterum verò æquè iuſti Ioſeph ſponſi ſanctæ Mariæ, & Domini Ieſu nutritoris.* Hæc ille.

Hoc ſepulchrum in præſentia turris formam non habet, nec ſupra pyramidem erectam, ſed demiſſi ſacelli formam retinet: an turris fuerit antiquitus ſuperiùs erecta, an Adamnanus à fortitudine, & quia plura alia Nobilium ſepulchra ſpeciem turris retinent, hoc Ioſaphat turrem ſiue turriculam appellauerit, me latet.

Lapidea domus, quam deſcribit à dextris ſepulchri Ioſaphat, videtur ſepulchrum Abſalom, ſed interiùs nulla habet cauata monumenta; vel intellexit alterum paulò remotius, ſcilicet Zachariæ; de quo poſteà.

Sepulchrum Ioſeph ſponſi ſanctiſſimæ Deiparæ eſſe in templo eiuſdem Deiparæ in valle Ioſaphat antè notauimus cum communi ac probabiliori; nam cùm iſti ſanctiſſimi ſponſi eiuſdem tribus ac familiæ eſſent, credendum in eodem loco ſibi tumulum elegiſſe: quare monumentum, de quo Adamnanus, vel erit cenotaphium & honorarium ſepulchrum ad honorem ſancti Ioſeph exciſum, vel alterius Ioſeph viri celebris. Hoc certiſſimum, hodie nullam dictorum monumentorum extare memoriam.

CAPVT V.

De ſepulchro Abſalom filij Dauid, quarto loco ſeptimæ Peregrinationis.

AD radices prædicti montis Offenſionis in Orientali plaga ſanctæ Ciuitatis, prope ſepulchrum Regis Ioſaphat, & è regione veſtigiorum pedum Saluatoris, eſt regium magnificumque ſepulchrum ex ipſa montis rupe magno labore & ſumptibus circumquaque in formam ſacelli quadrangularis exciſum; vnius lapidis eſt, eius pyramide ſuperioriq; parte excepta, quæ ex alio lapide elaborata illi ſuperimpoſita eſt. Ad ipſum eſt ingreſſus per oſtiolum in eius Orientali parte exciſum. Appellatur ab omnibus illius regionis incolis ſepulchrum Abſalom filij Dauid. Hoc illud eſſe creditur, cuius ſacra Regum hiſtoria mentionem facit hiſce verbis: *Porrò Abſalom erexerat ſibi, cùm adhuc viueret, titulum qui eſt in valle Regis* (ſiue *columnam*, vt habent Septuaginta Interpretes, vel vt Chald. & Hebr. *ſtatuam:*) *dixerat enim: Non habeo filium, & hoc erit monumentum nominis mei. Vocauitq; titulum nomine ſuo, & appellatur Manus Abſalom, vſque ad hanc diem*, 2. Reg. 18, 18. De eodem Ioſephus lib. 7. Antiq. cap. 10. in hunc modum ſcribit: *Abſalom erexerat ſibi in valle Regis columnam marmoream cum inſcriptione, duobus ſtadiis ab vrbe Ieruſalem diſitam, quam appellari voluit Manum Abſalonis, dicens: Etiamſi liberos ſuos perire contingeret, in eo tamen monumento nomen ſuum perpetuò manſurum.* Hæc Ioſephus. Agunt de iſto titulo tractatores locorum Terræ ſanctæ. In ſequentibus alia dicemus ad maiorem hiſtoriæ huius ſepulchri intelligentiam.

Situs & forma ſepulchri Abſalonis.

CA-

CAPVT VI.

De quiditate ſepulchri Abſalonis, & de ratione multiplicis nominis ipſius.

PRo maiori elucidatione & intelligentia eorum quæ de monumento Abſalonis diximus Capite ſuperiori, quatuor difficultates, quæ illis ex parte refragari videntur, quatuor diſtinctis Capitibus proponendæ ac diluendæ ſunt. In prima quæretur de quiditatè illius monumenti, & de ratione illius multiplicis nomenclaturæ. In ſecunda inquiretur de illius ſitu; in tertia de cauſa erectionis huius tituli. In quarta denique inueſtigabimus, an Abſalom abſque culpa titulum illum ædificarit.

Quatuor difficultates

Quantum ad primam difficultatem, ſciendum eſt, propter plura nomina quibus iam vidimus appellatum fuiſſe Abſalonis monumentum, exortas eſſe ſex opiniones.

Prima, quid ſit Abſalonis ſepulchrũ, & qua eius nomina.

Sex ſententia.

Prima eſt eorum, qui dixerunt monumentum illud fuiſſe columnam marmoream, in cuius ſummitate poſita erat ſtatua Abſalonis ex marmore eleganti arte elaborata, ita vt ad viuum repræſentaret Abſalonis admirandam corporis pulchritudinem. Ita Adrichomius in Ieruſalem n. 227. propter Ioſephi auctoritatem inferiùs adducendam: de qua ſententia quid ſentiendum ſit, poſteà apparebit.

Prima, fuiſſe marmoream columnam.

Probatur ex Ioſepho.

Secunda dicit, illum titulum fuiſſe quamdam manum factam ad ſimilitudinem manus Abſalom, quòd Scriptura dicat: *Vocauitq; titulum nomine ſuo, & appellatur Manus Abſalom.*

Secunda, fuiſſe manum.

Refelluntur.

Hanc opinionem adducit, & duplici argumento refellit Abulenſis in 2. Reg. c. 18. quæſt. 17. Primò, Abſalom erexit illum titulum in memoriam ſui, quique illum repræſentaret; ſed per figuram manus non poterat oſtendi aliqua perfectio Abſalom quæ memoratu digna eſſet; igitur non manum, ſed aliquid aliud erexit.

Secundò, qui vult aliquid relinquere in memoriam ſui, relinquit id per quod ipſe differt ab aliis: ſed per figuram manus non differt vnus homo ab aliis, niſi eſſet monſtroſus, qualis non erat Abſalom, qui pulcherrimus erat, vt habetur 2. Reg. 14, 25. igitur in ſui memoriam non reliquit manum.

Tertia.

Tertia ſententia præcedenti ſimilis, niſi eadem dicatur, eſt illa quam adducit diuus Hieronymus lib. De tradit. Hebr. & refertur in Gloſ. ordinar. inquit ex traditione Hebræorum, quod Abſalom depoſitus de quercu petiit ſibi inducias antequam perimeretur, vt faceret ſibi titulum ob memoriam ſui, eò quòd non haberet filium talem qui regno dignus eſſet. Putabat enim filios ſuos non ſolùm regno indignos, verùm etiam ob peccatum ſuum, quod in patrem patrarat, præſenti vita indignos. In hoc autem titulo manum dicitur defixiſſe, & figuram manus ſuæ expreſſiſſe, & ob hoc titulum hoc modo vocari.

Ceterùm hæc opinio multipliciter refellitur, in primis illis argumentis quibus improbata fuit ſecunda ſententia. Secundò, quoniam Scriptura ſacra ei refragari videtur, quæ aſſerit, Abſalom titulum illum ſibi ædificaſſe cùm adhuc viueret, id eſt, vt interpretatur Abulenſis vbi ſuprà quæſt. 16. quando Abſalom viuebat in Ieruſalem in magna proſperitate, ſcilicet poſtquam reductus eſt de Geſſur, & vidit faciem Regis. Tertiò, quomodo tempore ſui inopinati & ſubiti obitus illud præſtare potuit? & ſi potuit, quomodo illi permiſſum fuit ab ipſum perſequentibus, qui, ne nomen eius memoraretur ampliùs, illius cadauer in profundam foueam proiectum lapidibus operuerunt? Denique illi & præcedenti ſententiæ obſtat communis traditio.

Refelluntur.

Quarta ſententia aliorum eſt, qui dicunt iſtum titulum fuiſſe quamdam imaginem factam de marmore pulcherrimo, quæ omnino erat ad ſimilitudinẽ Abſalonis. Hanc vt veram ſequitur Abulenſis tum alibi tum vbi ſuprà quæſt. 17. & in calce, ipſam magis explicans, addit, credendum eſſe, ibi fuiſſe magnum ædificium: nam imago non eſſet ſola, ne imbribus & vento pateret; quia ſic breui decorem perderet, & maculas atque æruginem induceret.

Quarta, fuiſſe marmoream imaginem.

Probat verò hanc ſententiam tripliciter. Primò, quilibet volens poſt ſe ſui memoriam poſteris relinquere, relinquit de eo quod in ſe excellentius eſt; ſed in Abſalone nihil excellentius erat ſui corporis pulchritudine, igitur illius memoriam relinquere debuit: & hoc non in alio potuit meliùs fieri quàm in eius imagine; ergo iſte titulus erat eius imago.

Probatur tripliciter. Primò.

Secundò (& coincidit cum ſecunda ratione adducta ſuperiùs contra ſecundam ſententiam) quilibet volens ſui memoriam relinquere, relinquit id in quo differt ab aliis, & per quod cognoſci poteſt; ſed non poteſt aliquis homo cognoſci per manum ſolùm, nec diſtingui ab aliis, ergo non reliquit Abſalom imaginem manus alteriúſve partis corporis, vel alterius rei, ſed ſolùm corporis ſui.

Secundò.

Tertiò, probat idem auctoritate Ioſephi, qui lib. 7. cap. 10. titulum illum dicit fuiſſe ſtatuam marmoream. Adde tu, lectionem Chal-

Tertiò.

Digitized by Google

Chaldaicam & Hebraicam ſuprà relatam id ipſum habere.

Refellitur. Statuas erigere Iudæis interdictum

Sed non placet hæc ſententia. Tum primò, quia non fuit Iudæorum conſuetudo, etſi illuſtrium, erigere ſibi ſtatuas, ſed tamquam prohibitum in lege, & ſapiens idololatriam vel gentilitatem abhorrebant, vt ex ipſamet ſacra Scriptura facilè cognoſci poteſt. Et Cardinalis Baronius Tom. 1. Annal. ad annum Chriſti 31. num. 75. oſtendit ex hoc, mulierem illam, quæ ſanguinis fluxum patiebatur, à Chriſto ſanatam, de qua ſacri Euangeliſtæ Matthæus, Marcus & Lucas, non fuiſſe Martham, Mariæ & Lazari ſororem, vt putauit S. Ambroſius in lib. de Salom. cap. 5. quoniam illa tanti non immemor beneficij, ne illud aliquando memoria hominum excideret, egregio monumento teſtatum poſteris omnibus cupiens, æneis ſimulacris, tam Ieſu quàm ſui effigiem referentibus, rei geſtæ memoriam futuris ſæculis in perpetuum commendandam voluit (vt oſtendit ex Euſebio, & nos de his Libro VI. de Iordane agentes dicemus:) *Quamobrem*, inquit, *non eſt quod dici poſſit, eam fuiſſe Martham, Mariæ & Lazari ſororem Iudæam feminam, cùm non liceret vllo pacto Iudæis ſimulacrum cuiuſuis quauis occaſione formare.* Tantum ille. Vnde nec potentiſſimos & abſolutos reges, Dauidem, Salomonem, &c. tale quid feciſſe legimus. Quare cùm Herodes ante Chriſti natiuitatem poſuiſſet quamdam aquilam in porticu templi, & multi de Iudæis, qui illam inde auferre tentarunt, occiſi ab Herode fuerunt, vt ait Ioſephus libro 17. Antiquit. Iud. cap. 8. & Herodes quando conatus eſt introducere quaſdam imagines in Ieruſalem ad faciendum ludos, & non ad adorandum, non ei acquieuerunt Iudæi; quare & multa paſſi fuere, vt idem tradit Ioſephus ipſo Abulenſi referente quæſt. 19. loci citati.

Abulenſis reſponſio rejicitur.

Nec videtur illius reſponſio ſatisfacere, non prohibuiſſe Iudæos ſimpliciter eſſe ſtatuas, quæ non colerentur, ſed prohibuiſſe ſolùm eſſe Ieroſolymis; & hoc feciſſe ſpecialiter propter honorem templi, quod erat in Ieruſalem, &c. Non inquam hæc ſatisfacit reſponſio: etenim ſi honorificum erat non eſſe ſtatuas propter templum, ne appareret aliquod ſimulacrum ad adorandum, propter ſimilem rationem, inhonorificum erat illas alibi ponere; vbique enim malum vel illius occaſio auferri debet: quòd ſi poſteà non reſtiterunt Iudæi, hoc fuit, vel quia non poterant, vel quia manifeſtatum fuit, illas non vt adorarentur, ſed vt deriderentur potiùs monſtrari; vt & ipſi eas deridebant. Accedit, quòd è regione templi, & prope Ieruſalem erat ille titulus, vt ex dictis patere poteſt, & dicetur in ſolutione ſecundæ difficultatis.

Tum ſecundò, quia dicit ſacer Textus, illum titulum fuiſſe vſque ad hanc diem, ſcilicet, Abulenſi interprete, ad diem in qua ſcriptus fuit iſte ſecundus liber Regum. Nam tunc adhuc durabat effigies Abſalom & nomen in loco ſuo. Sed quando ſcriptus fuit iſte liber non erat aliqua erecta ſtatua, vel ſaltem Abſalonis: etenim, vt ibi idem dicit Abulenſis, conſcriptus fuit tempore Iſaiæ vel Ieremiæ, & ab aliquo iſtorum; ſed horum Prophetarum tempore eſſe non poterat illa ſtatua. Non tempore Iſaiæ; nam iſte floruit & vaticinatus eſt in diebus Oziæ, Ioathan, Achaz, & Ezechiæ, Regum Iuda, vt ipſe docet initio ſuarum Reuelationum. Ar ante hos, & alios nonnullos reges Iuda, Aſa, qui ſuper Iudam & Ieruſalem tertius regnauit poſt diuiſionem Iſraëlitici populi ſub Roboam filio Salomonis, vniuerſas idolorum ſtatuas, aras, fana, & excelſa deſtruxit, vt 3. Reg. 15. & 2. Paralipom. 14. indicatur: igitur & illam deſtruxiſſet, ſi fuiſſet, ne ſcandalum pareret, quia dato, quo tempore fuit ab Abſalom ædificata non fuerit ſcandalo, benè fuiſſet, introducta idololatria in populo illò. Et multò minùs erat tempore Ieremiæ: is enim vixit tempore Ioſiæ Regis Iuda, & in tertiodecimo anno regni eius factum eſt ad eum verbum Domini, vt ipſe cap. 1. ſuarum Prophetiarum docet. Sed tunc temporis iam piiſſimus hic Rex ſimulacra, ſi quæ ſupererant, vel à præcedentibus impiiſſimis Regibus reædificata fuerant, confregit, & comminuit, ad ipſum vſque ſerpentem æneum, ne eſſet idola colendi occaſio, vt videre eſt 4. Reg. 22. & 23. & 2. Paralip. 34. Igitur à fortiori, Abſalonis ſtatuam deſtruxiſſet, ſi fuiſſet, quia poterat eſſe occaſio idololatriæ, vt ipſemet dicit Abulenſis quæſt. 20. & ſi non ipſe, deſtruxiſſent Mahometani quando ſibi ſanctam Ciuitatem compararunt, non permittentes ſtatuas eſſe in publicis locis; quoniam idololatriam ſapere arbitrantur.

Denique contra hanc poſitionem facient aliqua quæ dicentur pro poſteriori ſententia; & quia rationes ad illius probationem adductæ non conuincunt, vt oſtendemus, ex his etiam patet primam ſententiam non conſiſtere.

Quinta, magnum fuiſſe ædificium.

Quinta ſit ſententia quam adducit & reijcit idem Abulenſis: hæc aſſerit, Abſalom reliquiſſe quoddam magnum ædificium pulchrè factum de lapidibus politis, & ibi fuiſſe ſepulchrum pro Abſalom: ſimile autem patet Gen. 35, 20. cùm dicitur,

Digitized by Google

tur, *Erexit Iacob titulum ſuper ſepulchrum Rachelis.* Ergo etiam hic erat monumentum pro Abſalone. Ex probatione, ſiue explicatione huius ſententiæ, & confutatione Abulenſis videtur ſentire, ſuper ſepulchrum extructum fuiſſe titulum.

Refellitur. Mihi in eo non probatur opinio iſta, quòd videtur indicare, ſuper tumulum Abſalom titulum erexiſſe, quemadmodum Iacob erexit ſuper illud Rachelis. Sed hoc non ſtat, quia illum ſibi erexit titulum dum adhuc viueret, vt dictum fuit ex Scriptura; & ex hac non conſtat, Abſalom ibi fuiſſe ſepultum, vt poſteà videbimus. Ad hæc, conditionem ſepulchri, quod credimus eſſe titulum, non declarat.

Abulenſis verò ea priùs ratione reijcit, quòd titulus non ſolùm accipitur pro ſepulchris, ſed magis pro imaginibus & lapidibus eleuatis in aliquo loco; & ſic accipitur Leuit. 26, 1. *Non facietis vobis idolum & ſculptile, nec titulos erigetis, nec inſignem lapidem ponetis in terra veſtra, vt adoretis eum.* Vbi manifeſtum eſt, non poſſe intelligi de ſepulchris; quia illa omnia ponebantur à Gentilibus ad adorandum: ſepulchra autem non fiunt ad adorandum, ſed imagines.

Deinde non probatur quòd eſſet ſepulchrum ex eo quòd habetur Gen. 35, 20. ſed magis quòd eſſet imago, quia ibi dicitur: *Erexit Iacob titulum ſuper ſepulchrum Rachel.* Super ſepulchrum tamen non fit aliud ſepulchrum, ſed imago conſtruitur in memoriam ſepulti; & ſic videtur quod fecerit de Rachel.

Sexta, fuiſſe marmoreũ monumentum abſque ſtatua. Sexta denique & poſtrema ſententia aſſerit, titulum illum eſſe marmoreum illud monumentum à nobis Capite præcedenti deſcriptum; an verò etiam circa ipſum exſtruxerit nobile aliquod & inſigne ædificium, & ſupra ſepulchrum erexerit ſui corporis ſtatuam, non eſt prorſus exploratum: & poſterius hoc de ſtatua minùs mihi probabile videtur, & propter dicta, & quia in acutum ſurſum terminatur pyramis illius, & conſequenter videtur excludere locum vbi fuiſſet collocanda ſtatua; alterum verò de ædificio poſſet faciliùs admitti, quia ibi eſt vallis Regis delicioſa, & potuit præparaſſe locum vbi ſe oblectaretur; in præſentia tamen nullum eſt, nec illius veſtigium.

Probatur. Sententia iſta communi in primis traditione aſſeritur, cui auctoritas vel ratio efficax non refragatur: & præterea ei conueniunt quæ de eo dicuntur in Scriptura & Ioſepho, vt in ſecunda difficultate dicemus contra Adrichomium. Nec alienum eſt à Scripturæ conſuetudine, tituli nomine intelligere memorabilia ſepulchra, vt in ſolutione poſterioris difficultatis videbimus. Nunc fundamentis aliarum opinionum ſatisfaciamus.

Reſponſio ad fundamentum primæ ſententiæ. Et primò ad prius primæ, quæ titulum appellat columnam cum ſtatua, propter Ioſephi auctoritatem, Septuaginta Interpretum, nec non Chaldaicam & Hebraicam tranſlationem. Dicimus ideò appellatum columnam propter eius altitudinem, fortitudinem & ſtabilitatem; ſtatuam verò, quia ad inſtar ſtatuæ auctorem illiusque animi ingenium intuentium oculis repræſentabat.

Ad ſecundam & tertiam. Ad fundamentum ſecundæ & tertiæ ſententiæ, quæ dicebat, titulum illum fuiſſe manum, quia tali nomine appellat Scriptura, Reſpondet primò Abulenſis, titulum illum vocatum fuiſſe Manum Abſalom, non quòd eſſet ſimplex manus, ſed pro ſimilitudine, ſcilicet quòd ita erat Abſalom effigiatus & expreſſus in marmore illo, tamquam ſi natura parens illum manu ſua figuraſſet: quod verò ibi eſſet ſepulchrum, nihil referre dicit.

Prima reſponſio.

Refellitur. Sed enim hanc reſponſionem non ſtare, ex dictis iam liquet; ideò dicendum ſecundò, titulum illum fuiſſe appellatum Manum Abſalom, id eſt, opus inſigne Abſalom, in cuius conditione virtutem & potentiam ſuam demonſtrauit: conſuetudo namque ſacræ Scripturæ eſt, manus nomine opus aliquod intelligere, cauſam pro effectu.

Alia reſponſio. Vel Manus Abſalom appellatur is ager, ſic Septuaginta & Hebraica; ſed manus pro loco ſumitur, ſicque poſuit Chaldæica. Ita notauit in ſuis Scholis Mariana. An ſignificat conſilium? quemadmodum 2. Regum 14, 19. in verbis Dauidis ad Sunamitem, *Manus Ioab tecum eſt*, id eſt conſilium. Ita hic, quia vere fuit ille titulus effectus conſilij Abſalom, eiuſdem manus nuncupatur.

Reſponſio ad argumenta quarta ſententiæ. Ad rationes verò Abulenſis pro quarta ſententia affirmante, titulum illum fuiſſe ſtatuam ipſius Abſalom. Ad primam, conceſſa maiori, negamus minorem. Etſi enim in Abſalom nimia corporis pulchritudo præluceret, vana tamen & fallax, quæ velut flos egreditur & conteritur, & quæ non multum ſit à viris fortitudine pollentibus; ſed excellentius in Abſalone erat, vel animi magnitudo, fortitudo, & potentia, quòd eſſet primogenitus Regis, & virtutes, quas ſi non verè, ſecundùm tamen exiſtimationem & apparentiam colebat. Quare & dicemus poſteà erexiſſe titulum, quia non habebat filium, non quidem ſimpliciter, ſed propter defectum virtutis ineptum ad regnandum; & in hoc prudentiam & virtu-

Ad primam

tem

tem ostendit: modò dicimus, hanc ita in extructione sepulchri sicut statuæ conseruare potuisse; & amplius, quia illud magis permanens. Quod veteres etiam faciebant Reges illis, qui ad ostentandam Gentibus potentiam, & nominis memoriam perpetuandam, erexerunt admirabiles pyramides & mausolea; quæ sepulchra erant, in quibus mortui viuerent in mentibus hominum.

Ad secundum. Ad secundum dicimus, non solùm statua proprij corporis, sed etiam illustri opere ab aliis diuersò peculiares homines esse repræsentatos, vt satis patet; & hoc opus Absalonis est ab aliis diuersum.

Ad tertium Ad tertium, dictum est in responsione fundamenti primæ sententiæ.

Argumenta contra quintam sententiam adducta solumnon. Rationes etiam illæ adductæ contra quintam sententiam nec illi nec posteriori videntur officere. Non prior: nam licet tituli nomen non semper accipiatur pro sepulchris, sed pluries pro imaginibus, sufficit nobis quòd aliquando in illa sumatur significatione, vt in proposito. Quare sibi probandum erat, in tali hic haud accipi, quod non facit.

Primum.

Secundum. Nec obstat posterior ratio: nam si locum Geneſis adduceremus, esset ad explicandum, quomodo licuit Absaloni titulum erigere, cùm & Iacob similiter erexerit. Et si posset similitudo negari; quoniam Iacobo non fuit lege interdictum ædificare statuas, sicut fuit posteà Absaloni lege per Moysen promulgata. Nec sequitur, quod ipse Abulensis intendit, quòd supra sepulchrum Rachelis posita fuerit illius statua, & ita super hoc Absalonis; nam titulus ille potuit esse lapis aliquis, vel plures, vt Lib. VI. Cap. XI. 1. Peregrin. dicemus, nec inconueniens aliquod est, dici, sepulchrum poni supra sepulchrum: etenim in sumptuosis & magnificis sepulchris, vbi plura sunt habitacula, omnia retinent nomen sepulchri, vt videbimus Lib. V. Peregrinat. II. cùm de Sepulchro Domini nostri agemus. Et si contingat vnum ex illis habitaculis esse supra alterum, verè & propriè dicetur, sepulchrum esse supra sepulchrum, quemadmodum, cùm de Ægypti pyramidibus loquemur, apparebit: istæ sunt sepulchra; & in altera ex illis in summitate, intra tamen, est vas marmoreum, vel area, vbi defuncti cadauer immediatè collocandum erat; & ita de illo verè & propriè diceretur, sepulchrum est supra sepulchrum, id est pyramidem, vel intra. Ita hîc.

Absalom sepulchrum dictum, quia ab eo exciſum, vt in eo tumularetur. Ex dictis habemus quid priori difficultati respondendum sit, & rationem nominum, quibus sepulchrum illud appellatur sepulchrum Absalom; quoniam ab eo excisum, vt in eo post eius transitum ex hac vita honorificè sepeliretur, eiusque memoria in mentibus hominum conseruaretur.

An in eo sepultus Absalom. Sed an eodem nomine appellari meretur, quòd verè in eo Absalom sepultus fuerit? Respondeo, ex Scriptura oppositum potiùs haberi: ipse enim, exigentibus eius demeritis, ex quercu pendens tribus lanceis infixus & interfectus fuit; indeque amotus, in saltu proiectus in foueam grandem, comportato super eum aceruo lapidum magno nimis, vt dicitur 2. Reg. 18, 17.

Verùm Abulensis hîc quæst. 18. vbi quærit, quare, postquam Scriptura sacra egit de morte & sepultura Absalom in saltu illo, meminit tituli à se erecti; Respondet ex sententia Rabbi Dauid Kimhi, id fecisse ad significandum, quòd ossa Absalom educta sunt de fossa magna, in qua tunc tumulatus est, & posita fuerunt apud titulũ suum in aliquo sepulchro. Hoc valdè rationabile, dicit Abulensis, quia littera videtur hoc manifestè velle ex continuatione quam facit: nam dictum est suprà immediatè, quòd cadauer Absalom positum est in fossa magna, & opertum est lapidibus, nunc autem dicitur, *Porrò Absalom erexerat sibi titulum*; sed *porrò* continuatiuum est. Et sepulturæ modum explicat, dicens: Mortuo Absalom, & facto planctu Dauid super illum, ne maneret filius eius ignobiliter sepultus in saltu sub congerie lapidum, duxit ossa eius ad locum vbi erat imago sua, vt maneret imago illa in memoriam Absalom, & etiam signaret eum ibi iacere: fortè autem apud illam statuam Absalom fecerat sibi aliquod sepulchrum, in quo instituerat se tumulandum; & ibi sepultus est: vel si non construxit aliquod sepulchrum, Dauid illud construxit, vt ossa eius ibi honorificè manerent. Hæc ex Abulensi.

Probabile, fuisse in eo sepultum. Breuiter dicendum: Si Dauid sepeliuit, sepeliſſe in titulo illo quod erat eius sepulchrum, vt iam dictum est: & verè honorificè ipsum tumulasse, Absalonis conditio & Dauidis pietas persuadet. Absalonis quidem conditio, quia filius primogenitus Regis, etsi impius. Quare sicut Iehu iussit impiam & maledictam Iezabelem sepeliri, quia filia Regis erat, vt dicitur 4. Reg. 9, 34. ita credendum est fuisse imperatum, vt Absalom maledictus honesto loco sepeliretur, quia filius Regis erat. At multò magis id persuadet Dauidis pietas & mansuetudo; quæ tanta fuit, vt etiam in Saulem, suum acerrimum hostem, qui non semel, vt Absalom, eum persecutus fuit, sed continuò, quoad vixit, vitæ illius tetendit insidias, se extenderit: etenim planxit illius interitum,

teritum, signa doloris ostendit, ac denique tulit ossa Saul & Ionathæ filij eius à viris Iabes Galaad; & vt honorificè sepeliret, asportari iussit in terram Beniamin, vbi in latere honestè tumulata fuerunt in sepulchro Cis patris eius, vt habetur 2. Reg. 21. quantò magis tale pietatis opus exercuisse credendum in Absalom filium suum vnicè dilectum, qui, vt à morte seruaretur, illum insequentes deprecabatur, quando ipse patri regnum & vitam auferre satagebat? 2. Reg. 18. & 19. at in præsenti eius cadauer vel ablatum, vel consumptum esse, non est dubitandum; ibi enim non esse pro certo creditur. Et hæc de prima difficultate satis.

CAPVT VII.

De loco sepulchri Absalom.

SEcunda difficultas proposita fuit de situ, vbi namque situm sit & ædificatum illud sepulchrum Absalom.

Adrichomij sententia de loco sepulchri Absalom.

Adrichomius antè citatus titulum Absalom delineauit columnam cum statua illius in parte Australi ciuitatis, vel inter Austrum & Orientem, vt habet in illius explicatione.

Refellitur.

Verùm ex dictis à nobis Cap. v. non rectè delineauit: nec enim aliud monumentum Absalonis confingendum est, nec monstratur in partibus istis, ab assignato in plaga Orientali ciuitatis. Et verè hoc illud esse conijcere licet ex relatis, ex Scriptura, & Iosepho: ex illa, dum dicit, *ædificasse in valle regis*, id est *Iosaphat*; ex isto, dum asseuerat, distare ab Ierusalem duobus stadiis: nam verè est in memorata valle, quæ est Orientalis Ierusalem, & distat à ciuitate duobus stadiis.

Est ad Orientem vrbis.

Non leue etiam argumentum est, hoc monimentum interiùs repletum esse lapidibus, & iisdem exteriùs circumdatum, quos transeuntes in ipsum proijciunt, quasi vindicantes Absalonis contra proprium parentem rebellionem. quod etiam notauit Adrichomius. Suffragatur huic sententiæ nobilis Ierosolymitanus Eques Guilielmus de Baldensel, qui ante trecentos annos Ierosolymam venit, dum in suo Hodœporico de ista memoria dicit: *Ex opposito natatoriæ Siloë statua quædam lapidea bonæ magnitudinis & artificiosa cernitur; quam, vt dicitur, Absalom ob memoriam sui fieri præcepit*, &c. per *statuam* monimentum intellige siue memoriam. Et profectò si ista negatur vel vertitur in dubium traditio, idem fieri poterit de aliis; & ita nil certi asseuerare poterimus de locis sanctis.

CAPVT VIII.

Causa erectionis tituli Absalom.

TErtia dirimenda difficultas est, de causa erectionis tituli; quæ etsi superiùs indicata fuerit, quia videlicet Absalom non habebat filium: verùm quia hæc responsio habet difficultatem, & non omnium in illius explicatione eadem est sententia, ideò in eius explicatione quas inuenimus inter se diuersas sententias in medium afferre decreuimus, vt quæ probabiliot iudicata fuerit eligatur.

Quatuor sententiæ de causa erectionis tituli.

De his agens Scriptura sacra dicit: *Porrò Absalom erexerat sibi, cùm adhuc viueret, titulum qui est in Valle regis: dixerat enim: Non habeo filium, & hoc erit monimentum nominis mei*, &c. 2. Reg. 18, 18.

Prima, quia Absalom filium non habebat.

Ratio itaque in hoc consistit, quòd cuique naturale sit seipsum perpetuare, vt quoad fieri potest Deo assimiletur; nam etiam, secundùm Philosophum, in perpetuitate Deo assimilamur, & cùm id in nobis ipsis in individuo præstare non possimus, in filiis & specie implere contendimus: atque, vt sapientes docent, quemadmodum substantia patris transfunditur in filios, ita nomen & memoria parentum in filiis, qui sunt velut eorumdem exemplaria & figuræ, conseruatur. Quare sapienter Ecclesiast. 30, 4. dictum est de patre illo qui sibi similem post sui obitum reliquit filium: *Mortuus est pater eius, & quasi non est mortuus; similem enim reliquit sibi post se*. Quòd si in filiis nomen conseruari non datur, id homines contendunt aliquo illustri opere ad perpetuam sui memoriam operari, vt satis claret, & in huiusmodi opere legitur. Itaque Absalom sui nominis conseruandi cupidissimus, id exequi non valens in filiis, quibus carebat, contendit se immortalem apud homines reddere nobilissimi tituli & sepulchri molitione, vt alij Reges præstiterunt.

Ratio.

Sed enim obstat huic rationi quod antè eodem 2. lib. Reg. 14, 27. dicitur, Absalonem tres filios, & vnam filiam nomine Thamar, elegantis formæ, habuisse.

Confutatio.

Huic obiectioni respondent primò Hebræi, quod filij Absalom iam erant mortui. Ita Rab. Dauid Kimhi, referente Abulensi in 2. Reg. cap. 18. quæst. 21. Eamdem responsionem verisimilem dicit Glossa ordinaria, quam Lyranus, Brixianus & alij afferunt; qui secundá tamen subijciunt, quòd si illius filij superstites erant, ad regnandum erant inepti, & ideò maluit sui memoriam in lapide, quàm in talibus filiis relinquere; quod prudentiæ & virtutis fuit.

Solutio.

Hìc

Secunda sententia, quia pulchram non habebat filium, refellitur.

Hîc reijciendi videntur illi, qui in idoneitatem repræsentandi referunt ad pulchritudinem corporis, quæ talis non erat in filiis Absalom, vt possent illum in pulchritudine repræsentare; nam hoc gratis videtur esse dictum, & oppositum potiùs credere debemus: tum quia Scriptura dicit, elegantis fuisse formæ, & hæc verba absque violentia non ad eius modò filiam, sed etiam ad filios trahi posse videntur: tum quia qualis pater, talis & filius, secundùm communem legem. Igitur si Absalom pulcher erat, similes ei fuisse filios in pulchritudine credendum est: & quamuis Scriptura singulariter meminerit pulchritudinis filiæ, non obstat; nam ideò huius meminit, quia in muliebri sexu magis pulchritudo spectabilis est, ac æstimata. Præterea non est putandum, talem virum, filium Regis, tam fuisse sollicitum de conseruanda memoria suæ corporalis pulchritudinis; nec id potetat tituli erectione.

Abulensis loco citato vtramque reijcit responsionem; & primò priorem, quia adhuc manebat filia sua Thamar speciosissima, alio nomine Maacha, quam in vxorem accepit Roboam filius Salomonis, vt patet 2. Paralip. 11. igitur post mortem Absalom mansit.

Respondent Hebræi, hanc non fuisse filiam Absalonis, sed Abisalonis: sed reijcit responsionem Abulensis, quia littera nostra talem non ponit differentiam; nam citato loco Paralipomenon dicit quod Roboam *accepit Maacham filiam Absalom*, &c. vt & altero loco Regum.

Aliter credo posse dici, non habuisse filium, etsi filiam; sed filiæ non faciunt ad patris memoriam conseruandam, & posteritatem, sicut filij, vt satis constat.

Posteriorem verò responsionem dupliciter refellit. Primò: Si superstites erant filij eius, etsi ad regnandum inepti, non dixisset Absalom, *Non habeo filium, & hoc erit monimentum nominis mei*; quia istud signat, ob defectum filiorum fuisse factum titulum: si tamen habebat illos, & non proficiebant ad conseruandam memoriam, non dixisset sic, sed solùm, *Hoc erit monimentum nominis mei*; vel, quia filij mei non possunt esse memoria nominis mei, iste titulus erit memoria.

Secundò, etsi filij Absalom essent mortui, ipse non diceret, *Non habeo filium*; & propter hoc constitueret titulum, quia istud pertinet ad illum qui desperat se posse habere filios. Absalom tamen iuuenis erat valdè quando mortuus est, quia non excedebat triginta vel triginta duos annos, vt verè probat Abulensis.

Tertia, quia posse filios habere desperabat.

Propter hoc ipse suam ponit sententiam, quæ sit tertia in ordine. Absalom à principio quando suscepit vxorem, magno tempore vacauit gignendæ proli, & non potuit; vnde putauit causam sterilitatis esse à seipso; & ob hoc credebat, quòd sicut nunc non habebat filios, ita numquam haberet illos, & cœpit statuam facere, in qua conseruaretur nomen eius. Verùm non satis probatur ista sententia; nam nec horum meminit Scriptura, sed potiùs ex ipsa reijcitur, vt ab Abulensi interpretatur: explicans enim verba illa 2. Reg. 18, 18. *Porrò Absalom erexerat sibi, cum adhuc viueret, titulum*, dicit, quòd quando Absalom viuebat in Ierusalem in magna prosperitate, scilicet postquam reductus est de Gessur, & vidit faciem Regis, ædificauit sibi quemdam titulum. Hæc ille. Et hoc probabile creditur; nam priùs non habuit fortè opportunitatem & occasionem, & quia nimis iuuenis, & quia abfuit ab Ierusalem post interfectum Amnon; & postquam rediit, duobus annis faciem patris videre non potuit (2. Reg. 14.) quare dolore confectus, non erat ei in animo titulum vel aliquod memorabile extruendi; sed quando titulum erexit, iam tres filios & filiam habebat, vt ipsa luce clariùs apparet hoc eodem loco; igitur non potuit tunc se ad gignendum filios ineptum cognoscere.

Refellitur.

Quarta sententia, quia filij diu durare non poterant.

Quarta sententia est Iosephi in calce cap. 9. lib. 7. Antiquit. quam conuenientem dicit Abulensis, Absalom titulum ædificasse; quia etsi filios haberet, non poterant diu durare: quare volens vt memoria nominis sui duraret, marmoreum illum erexit titulum, & obtinuit quod intendebat, nam vsque in præsentem diem exstat, & vocatur *sepulchrum Absalom*.

Probabilis mihi videtur hæc sententia, sicut prima & secunda: illud enim dicitur non esse, quod ad aliquid ordinatum frustratur fine suo, etsi simpliciter non sit. Quare cùm Absalom filij idonei non essent, ad intentum patris implendum, propriè dixit ille, *Non habeo filium*.

CAPVT IX.

An Absalom peccauerit in illâ tituli erectione.

SEd an peccauerit Absalom in illa tituli erectione, quæritur; quod fuit quartum superiùs in hac materia propositum. Similis mouetur quæstio à sacris Doctoribus de Iacob Patriarcha, Iosue & aliis probatæ vitæ viris; qui tamen absque culpa titulos erexerunt. Ideò ex illorum dictis aliqua seligemus

mus pro responsione ad propositam à nobis difficultatem, quam absoluemus duobus præmissis Notabilibus, & totidem additis Propositionibus.

Ex fine bonitas vel malitia operis.

PRIMVM NOTANDVM. In erectione alicuius tituli potuit esse & non esse peccatum ex fine bono vel malo: conditio enim operis, vt morales docent, ex finis bonitate vel malitia principaliter attenditur, vt illud sit bonum cuius finis est bonus; malum verò, si malus sit finis. Quare in erectione alicuius tituli potest nedum abesse peccatum, sed esse magnum meritum, si in illius erectione sit bonus finis, honor Dei, memoria beneficiorum, gratitudo, & huiusmodi. Ideò & talis titulorum erectio fuit aliquando à Deo præcepta; & à pluribus sponte absque culpa fuerunt tituli erecti. Omitto, Deum præcepisse Moysi in deserto vt serpentem æneum erigeret, Numer. 21, 8. & Iosue iam terram promissam ingressus cum populo Israëlitico, ex præcepto Domini, duodecim prægrandes & duros lapides ex Iordane sublatos laudabiliter erexit in Galgalis, ad perpetuam memoriam mirabilis transitus filiorum Israël per medium Iordanis alueum siccis pedibus, Ios. 4, 20. Iacob Patriarcha in loco vbi Deus illi fuit locutus, & admirabilem illam scalæ visionem habuit, vt tanti beneficij memor gratum se præberet, & cælestis visionis conseruaretur memoria, titulum erexit, Genes. 28, 18. & iterùm absque culpa erexit titulum super sepulchrum Rachelis, Genes. 35, 20. in signum amoris, quo dilectissimam coniugem prosequebatur; eoque facto illa honoraretur, & ad orandum Deum pro illa alij mouerentur. Moyses, sanctissimus diuinæ legis promulgator, in Sinai monte in memoriam datæ legis à Deo lapides fixit, Exod. 24, 4. & Iosue ex præcepto Moysi in monte Hebàl, vbi lex fuit promulgata, ædificauit altare, Ios. 8, 30. Item Saul fecit formicem triumphalem, 1. Reg. 15, 12. & David fecit sibi nomen in valle Salinarum (2. Reg. 8, 13.) id est, fornicem triumphalem, secundùm Abulensem in 2. Reg. c. 18. quæst. 20. & isti, secundùm hunc Auctorem, non peccauerunt; quoniam illa fecerunt ad significandum triumphum habitum: & poterant esse ad laudem Dei; scilicet vt maneret memoria, quòd Deus illos ad magnifica faciendum adiuuerat. Et hac ratione non veniunt culpandi Magnates & Nobiles, qui stemmata & insignia sua in templis collocant, quòd Dei ope aliquod insigne opus patrati fuerint, sed etiam laudandi, suadentes aliis, vt suo exemplo ad Dei laudẽ similia faciant, sintq; de templis benemeriti.

Plures laudabiliter titulos erexerunt.

Fuerunt diuinæ laudis signa.

Titulorum erectio aliquando interdicta.

Potest etiam, si finis erectionis huiuscemodi titulorum est malus, & eorumdem erectio esse peccatum; & hoc dupliciter, vel manifestum, & idololatriæ, vt videlicet diuinus illis exhibeatur cultus, contra præceptum Domini: *Non habebis Deos alienos in conspectu meo*, Deut. 5, 7. & clarius Leuit. 26, 1. *Ego Dominus Deus vester; non facietis vobis idolum & sculptile, nec titulos erigetis, nec insignem lapidem ponetis in terra vestra, vt adoretis eum. Ego enim sum Dominus Deus vester*, &c. In quibus verbis tria obserua; Primò, prohiberi nedum idola, & sculptilia, sed etiam erectionem titulorum.

Tituli quadruplex acceptio.

Prima, pro inscriptione.

Sed hìc aduerte tituli appellationem quadrupliciter vsurpari in sacris Litteris; Primò, pro inscriptione quæ rebus aliquibus superponitur, vt inspicientibus innotescat quænam illæ sint; & in hac significatione accipitur ab Euangelistis tituli nomen, cùm de illo loquuntur, qui in cruce supra Christi caput Hebraicis, Græcis & Latinis litteris exaratus, I. N. R. I. qui causam mortis nostri Reparatoris indicabat.

Secunda, pro marmoreis columnis, &c.

Secundò, accipitur pro marmoreis columnis, ædificiis, pyramidibus & fornicibus, inscriptis nominibus & elogiis præstantium virorum, ad conseruandum illorum memoriam: in qua significatione accipitur à Scriptura diuina, dum loquitur de titulo erecto ab Absalom.

Tertia, pro quolibet ad alicuius rei memoriam conseruandam ordinato.

Tertiò, denotat signum positum ad alicuius rei memoriam repræsentandam; quodcumq; illud sit, etiam rude & sine artificio factum lignum, vel lapis; & in ista significatione, lapides à Iacob, Moyse, & Iosue erecti, tituli appellari possunt.

Quarta, pro statua ad venerandum exposita.

Quartò denique, eadem vox comprehendit statuam, imaginem, & qualecumq; simulacrum ad venerandum expositum, vt Gentes faciebant; & in isto sensu accipitur in auctoritate Leuitici quam explicamus. Tituli erectio secundùm hanc significationem grauiter interdicitur à Domino, & non aliter. Titulos ad hunc finem, erigere, peccatum est idololatriæ: tali peccato deliquerunt Nabuchodonosor, qui erexit statuam vt adoraretur, Dan. 3, 1. & Gentes illæ, quæ suis illustrissimis Dominis & insignibus viris statuas tamquam Diis erigebant, vt Alcibiadi, Ennio Poëtæ, & aliis: de quibus in eorum vita Plutarchus.

Tituli secundùm quartam significationem interdicti.

Lapis insignis quis.

Secundò aduerte, nomine insignis lapidis Scripturam intelligere lapidem egregiè dolatum, repræsentantem aliquem adorationis capacem, vel alicuius imaginem affabrè figuratam.

Sed hìc tertiò nota, id simpliciter non prohiberi, nam in sanctuario erant Cherubim

bim ſpecie hominis, ſed prohiberi huiuſmodi adorationem.

Poteſt etiam in tituli alicuius erectione eſſe malus finis, ſed non ita malus vt præcedens, qui, quòd occultus ſit, cognoſci ab hominibus non poteſt, videlicet inanis gloria, & nominis ſui iactantia; quæ non valdè magnum peccatum eſt, niſi ſit interdum in præiudicium alterius, inquit Abulenſis loco citato.

SECVNDVM principaliter NOTANDVM eſt, quòd quæſtio propoſita poteſt dupliciter intelligi, vel de peccato idololatriæ, vel de alio peccato. His ſic ſtantibus ſint duæ ſequentes Propoſitiones.

Duæ Propoſitiones.

Prima: Abſalom tituli erectione idololatria crimen non commiſit.

PRIMA PROPOSITIO. Abſalom in illius tituli erectione non deliquit idololatriæ peccato. Ita Abulenſis quæſt. 19. loci indicati; & idem alij docent: nec oppoſitum docet Scriptura, ſed potiùs illum à tali peccato liberat, dum dicit, illum ædificaſſe titulum in monimentum nominis ſui, & non vt adoraretur.

Probatur ampliùs: Nam Abſalom, etſi aliàs malus, fidelis tamen fuit, & de infidelitate eum Scriptura non taxat. Ac denique cùm titulum ædificauit, viuebat Dauid Propheta ſanctiſſimus, & populus Iſraëliticus vni ſeruiebat Domino; quare Dauid non permiſiſſet illius tituli erectionem, & populus illi reſtitiſſet, ſi aduertiſſet in eo aliquam idololatriæ ſuſpicionem.

An aliud peccatum? Reſponſio Abulenſis.

Sed peccauitne alio peccato ab idololatria? Reſpondet Abulenſis quæſt. 20. quòd ſic. Quia licet generaliter non eſſet illicitum facere aliquod ædificium in memoriam ædificantis, tamen in Abſalone fuit peccatum. Et probat dupliciter. Primò, quia egit totaliter ad inanem gloriam, vt apud poſteros laudaretur pulchritudo eius, in qua nimis gloriabatur; qua tamquam ſupremo bono fruebatur. Secundò, quia illa ſtatua & figura Abſalom potuit eſſe occaſio idololatriæ; & qui dat occaſionem idololatrandi, grauiter peccat.

Reijcitur.

Sed ex ſuperiùs dictis in hoc argumento in ſolutione primæ difficultatis facilè reijcitur ſententia Abulenſis: & vnde deducit, filium Regis ſanctiſſimi adeò fuiſſe vecordem, vt in vana deficienti pulchritudine ſupremum bonum collocaret, eaque frueretur, etiam oſtenſum fuit, titulum illum non eſſe imaginem. Sed eſto fuerit imago, & potuerit eſſe ſcandali occaſio, ſecundum huius Auctoris doctrinam, non colligitur ipſum peccaſſe: inquit enim ipſe quæſt. 19. quòd non omne illud, ex quo poteſt ſequi ſcandalum, eſt peccatum mortale, ſi fiat, ſed ſolùm quando actualiter incipit eſſe ſcandalum; nam & Deus interdum agit aliquid ex quo ſcandalum ſequi poteſt: ſic fuit de ſerpente æneo, quem iuſſit fieri in deſerto, Num. 21. quem poſteà multi Hebræi adorauerunt, & tamen ſemper manſit vſque ad tempus Regis Ezechiæ, qui contriuit illum, eò quòd incipiebat iam eſſe manifeſtè ſcandaloſus, de quo 4. Reg. 18. Ita titulus, quem erexit Abſalom, non fuit, inquit, ſcandaloſus, quia ſciebatur ad quid erexiſſet illum: ſi tamen aliquo tempore inciperet eſſe ſcandaloſus, ſicut ſerpens Moyſi, tunc debebat deſtrui. Hæc ille. Ecce quomodo hic liberat Abſalom à peccato ſcandali, quando titulum illum erexit. Quomodo ergo quæſt. 20. ſi ſibi conſtare vult, poteſt illum peccati ſcandalo reum facere?

Non omne quod poteſt occaſio eſſe peccati, peccatum eſt.

Aliter ego reſpondendum arbitror; & ſit SECVNDA PROPOSITIO: Abſalom in illius tituli erectione potuit peccaſſe alio peccato ab idololatria, videlicet ſcandali vel inanis gloriæ; ſed peccaſſe non conſtat, & à peccato liberari poteſt.

Secunda Propoſitio: Incertum an peccauerit.

Prima pars huius Propoſitionis non indiget probatione: ſi enim commiſit alia grauiora peccata, & illud committere potuit. Secunda pars, quòd non conſtat ipſum peccaſſe, ſed in eo facto innocentem extitiſſe. Probatur, quia peccato ſcandali non deliquit, vt iam dictum eſt. Si enim fuiſſet ille titulus ſcandaloſus, non illum Dauid pater eius, vel populus ædificare permiſiſſent; nec duraſſet vſque ad tempus quo ſecundus liber Regum conſcriptus fuit, & vſque ad præſens. Quod nec inanis gloriæ oſtenditur: quia, vt dixit Abulenſis, non eſt ex ſe illicitum facere aliquod ædificium in memoriam ædificantis. Quare ergo fuit illicitum primogenito Regis? & quare culpandus, ſi non conſtat in quo? præſertim cùm de omnibus rectè ſentire, optimum conſilium ſit.

Denique Abulenſis immunem facit à peccato non ſolùm Dauidem virum ſanctum, ſed etiam ſceleſtiſſimum Saulem, quando ædificarunt fornices triumphales; quare ergo & nos non poterimus à peccato eximere Abſalonem, quando titulum ædificauit? & diſparitas rationis aſſignata ab Abulenſi non nititur ſolido fundamento, quæ ex dictis abunde remanet confutata. Et iſta ſufficiant pro hiſtorica intelligentia ſepulchri Abſalom.

CAPVT X.

De antro, in quo S. Iacobus Minor latuit tempore passionis & Resurrectionis Domini, vbique idem Dominus glorioſus apparuit, quinto memorabili loco ſeptimæ Peregrinationis.

Antri Ædificatio Iacobi forma, & nominis ratio.

NOn longè à prædictis monumentis Ioſaphat & Abſalom in eadem parte vallis, ſed ſuperiùs, & in eminentiori loco eſt Eccleſia, vel crypta, in dura rupe montis exciſa à piis fidelibus non ſine magno labore ad honorem D. Iacobi Minoris, cognomento Iuſti, qui & frater Domini dictus eſt. Ratio huius fuit, quòd credatur S. Apoſtolum ibi latuiſſe tribus diebus Dominicæ paſſionis, eo propoſito, non comedendi panem, quoad Chriſtum à mortuis excitatum vidiſſet. Erat verò ibi ſpelunca, in qua, ſecundùm votum Apoſtoli, Dominus Ieſus illi apparuit eodem ferè tempore quo fuit à mortuis excitatus. Ita habet in partibus iſtis communis traditio, & tali intuitu honoratur antrum hoc, ſiue ſacellum, etſi, quod valdè diſplicet, locus, Apoſtoli nedum, ſed & ipſius Domini glorioſa præſentia conſecratus, in caprarum ſtabulum verſus ſit.

Apparitio Domini hoc in loco facta, illa eſſe creditur, cuius Apoſtolus 1. Cor. 15, 7. meminit, dum enumerans Chriſti poſt Reſurrectionem apparitiones, dicit: *Deinde viſus eſt Iacobo.* & S. Hieronymus de Scriptoribus Eccleſiaſticis in Iacobo c. 2. ex Euangelio Matthæi, quo vtebantur Nazaræi, idipſum pluribus explicatum reliquit. ſic verò ait: *Dominus autem* poſt Reſurrectionem, *cùm dediſſet ſindonem ſeruo ſacerdotis, iuit ad Iacobum, & apparuit ei. Iurauerat enim Iacobus, ſe non comeſturum panem ab illa hora qua biberat calicem Domini, donec videret eum reſurgentem à mortuis. Rurſumq; poſt paululum: Afferte, ait Dominus, menſam & panem; ſtatimq; additur: Tulitq; panem, & benedixit, ac fregit, & pòſt dedit Iacobo Iuſto, & dixit ei: Frater mi, comede panem tuum, quia reſurrexit Filius hominis à dormientibus.* Hactenus S. Hieronymus ex prædicto Euangelio Nazaræorum.

Trin contenta in verbis diui Hieronymi.

In præmiſſis S. Doctoris verbis tria obſeruo: vnum omnino certum, quod ſacra Scriptura teſtatur, Chriſtum apparuiſſe Iacobo poſt Reſurrectionem; duo verò dubia, de loco videlicet apparitionis, & tempore; at hoc illo incertius. Ieroſolymis apparuiſſe Dominum Iacobo, & in iam aſſignato loco, docet communis traditio: cuius meminerunt Terræ ſanctæ Tractatores de loco huius apparitionis agentes; nec auctorem vel rationem quæ ei refragetur inueni. Quare meritò eo intuitu veneration habetur locus ille à fidelibus; verùm in aliis quæ notauimus non parua ſit dubitatio, quam ſeorſim Capite ſequenti explicare placet.

CAPVT XI.

Defenditur traditio de tempore Dominicæ apparitionis factæ Iacobo in Ieroſolymitano ſpecu.

DIximus Capite præcedenti, ſecuti communem iſtarum partium traditionem & D. Hieronymum, Chriſtum Reparatorem noſtrum circa idem pænè tempus ſuæ glorioſæ Reſurrectionis apparuiſſe Iacobo Alphæi in memorato ſpecu Ieroſolymitano. Cui ſententiæ ſe opponit P. Auguſtinus Torniellus: cuius ſententia proponenda & refellenda eſt, ne recepta corruat, & relinquatur traditio, tot ſæculis piis fidelium peregrinationibus teſtata.

Sententia Tornielli de Iacobi apparitione, & probatur.

Torniellus itaque Tomo 2. ſacror. Annal. M. A. 4084. n. 49. arbitratur, Iacobi apparitionem contigiſſe poſt multos dies & hebdomadas à die Reſurrectionis, poſt illam Galilææ in monte Thabor, cuius meminit 1. Cor. 15, 7. ſanctus Apoſtolus, poſt quam ſtatim ſubdit: *Deinde viſus eſt Iacobo.* Igitur cùm illa apparitio non ſtatim ac reſurrexit Chriſtus contigerit, ſed cùm de proximo aſcenſurus eſſet ad Patrem; multò magis iſta, quæ illam ſecuta eſt, & in ordine apparitionum nonam ponit, dicitque conſequenter, non poſſe eſſe illam quam refert B. Hieronymus. Et ratio, inquit, eſt, quia de illa ibidem dicitur, quòd iuranerat Iacobus ſe non comeſturum panem ab illa hora qua biberat calicem Domini, donec videret eum reſurgentem à mortuis. Atqui non eſt veriſimile, quod per tot dies atque hebdomadas aut ipſe ſine cibo naturaliter viuere potuerit, aut quòd Dominus ei apparere tanto tempore diſtulerit, ac ipſum tame tamdiu affligere voluerit; neque item, quod aliqui ſuſpicantur, Dominum ſoli Iacobo bis apparuiſſe. Quare, quid quid de hac re ſenſerit B. Hieronymus, quem certum eſt, quædam interdum referre ſolitum eſſe, quæ tamen ipſe non approbat, licet non reprobet, videtur prædicta de Iacobo hiſtoria non ſatis firmo niti fundamento; non ſolùm quia ex libro apocrypho & ab Eccleſia minimè recepto deſumpta ſit; ſed etiam, quia ſi verum eſt quod communiter creditur, Apoſtolos tempore paſſionis Chriſti omnes aut à fide defeciſſe, aut ſaltem in ea admodum titubaſſe, iuxta id quod eis paulò antè prædixerat

Primum argumentum.

Secundum.

Tertium.

Digitized by Google

Matth.26, 31. Marc.14, 27. rat Dominus, *Omnes vos ſcandalum patiemini in me in iſta nocte*, &c. & poſt eius mortem non modò de eius reſurrectione hæſitaſſe; verùm etiam mulieribus, atteſtantibus ſe illum viuentem viditſe, credere renuiſſe: (*viſa* enim *ſunt ante illos ſicut deliramenta verba* illarum:) ſi, inquam, ſola Chriſti Mater tunc à fidei firmitate dimoueri non potuit; non videtur veriſimile, vel ipſum quoque Iacobum in fide reſurrectionis Dominicæ vſque adeò firmiter perſtitiſſe, vt ſe ad non priùs comedendum tali ſacramento adigere non dubitauerit; vel ſi non permanſit, quòd temerè ſeipſum tali obligatione interimere attentaſſet. Hæc ille.

Luc.24,11

Baronij ſententia. & communis.

Verùm Cardinalis Baronius Tomo 1. anno Chriſti 34. alteram amplectitur ſententiam, citiùs Iacobo Chriſtum apparuiſſe, & eodem fermè tempore quo Matri ſuæ apparuit. ſed propria ipſius verba audiamus: *Verò*, inquit, *quamuis non omnia, quæ à Chriſto ſunt geſta, Euangeliſtæ memoriæ fidelium commendarint; tamen vetus traditio per manus maiorum, ac per ſubſequentia ſæcula ad poſteros dilapſa teſtatur, eumdem Dominum noſtrum apparuiſſe priùm omnium ſanctiſſimæ Genitrici Mariæ: quod nemo pius, puto, negarit. Quod inſuper eodem ferè tempore & Iacobo, qui frater ipſius dictus eſt, apparuerit, ex Euangelio Matthæi, quo Nazarei vtebantur, hac Hieronymus recitat, &c.* & poſt allatum textum Euangelij antè relati hæc addit: *Qui*, id eſt Hieronymus, *cùm non excipiat de apocrypho (vt de aliis aſſolet) ſe eiuſdem hiſtoriæ fidem haud impugnaſſe demonſtrat.* Ex quibus illuſtriſſimi Scriptoris verbis conſtat, Hieronymum in hac eſſe ſententia, & non vt apocryphum, & ſecundùm aliorum ſententiam, dixiſſe, vt indicare videntur Tornielli verba. Et confirmatur; quia eam referens ſententiam, nititur firmare Origenis auctoritate.

Circa tempus quo Chriſtus Matri apparuit, etiam Iacobo ſe manifeſtauit.

Nec Hieronymus vir doctiſſimus, Cardinalis Baronius, communis Orientalium traditio, cum pleriſque aliis magnæ auctoritatis viris id tamquam canonicum & de fide tenent, ſed vt humanam hiſtoriam, traditione & monumentis firmatam, à qua non niſi aperta auctoritate Scripturæ vel efficaci ratione refragante recedendum eſt. Propter quæ horum libenter amplector ſententiam, præſertim quòd minimè difficile erit reſpondere obiectis à Torniello.

Reſponſio ad argumenta pro Tornielli ſententia. Ad primum

Ad auctoritatem Apoſtoli dicimus, non conſtare, an eo loco Domini apparitiones quo ordine contigerint recenſitæ fuerint, an mutato; ſacros enim Scriptores in ſuis enarrationibus non ſemper ſeruare ordinem referendi res geſtas prout illæ acciderunt, ſed frequenter inuertere, quilibet etiam non mediocriter in ſacra Scriptura eruditus nouit: quare cùm incompertum nobis ſit, an Apoſtolus recenſuerit apparitiones Domini eo ordine quo contigerunt, an mutato, non poſſumus ex illius auctoritate firmum ſumere argumentum pro præſenti materia. Sed de ordine apparitionum Chriſti poſt ſuam Reſurrectionem ſermo erit Libro ſequenti.

Ad ſecundum.

Ex hoc patet reſponſio ad illam rationem, ſanctum Iacobum tanto tempore viuere non potuiſſe, vel nimium fame cruciatum; quoniam non tenemus illam apparitionem fuiſſe vnam ex poſterioribus, ſed ex prioribus, vt dicemus Lib. v. Capite xxx. 11. Peregrinationis.

Ad tertium

Ad illam rationem, quòd communiter creditur, omnes Apoſtolos vel fidem amiſiſſe in illo triduo mortis Chriſti, vel titubaſſe ſaltem, Virgine Maria excepta, quare, &c. Reſpondeo, contrarium tamquam longè probabilius defendi ac probari à grauiſſimis Theologis; fidem inquam etiam explicitam Reſurrectionis Domini, ſicut & aliorum fidei articulorum, manſiſſe in aliquibus Apoſtolis, addentes, oppoſitum affirmare, valdè temerarium eſſe.

In triduo fuit in Apoſtolis fides.

Probatur primò ex illo Lucæ 22, 32. *Ego rogaui pro te* Petre, *vt non deficiat fides tua.* Quo planè loco, per fidem Petri, intelligitur illa vtique quam ipſemet Petrus confeſſus fuit, dum dixit, *Tu es Chriſtus Filius Dei viui*, Matth. 16, 16. vt patet in Concilio Tridentino in acclamationibus Patrum in fine Concilij, vbi dicitur: *Hæc eſt fides Petri*, id eſt, quam Petrus confeſſus eſt. Igitur fides, loquendo de illa ſecundùm omnes ſuos articulos, non defuit in Petro, nec in omnibus aliis Apoſtolis in triduo mortis.

Secundò, quia Ioannes Euangeliſta ſimul cum B. Virgine ſecutus fuit Chriſtum ad crucem, & ibi cum eadem Virgine manſit, Ioan. 19. interfuit etiam Sepulchro & ſepulturæ Chriſti cum Virgine, vt & Petrus & Iacobus frater Domini, ſecundùm Anſelmum; & notamus Lib. v. cùm de funere Saluatoris agimus. Ioannes etiam cum Petro cucurrit ad monumentum Domini, Ioan. 20, 3. Item D. Auguſtinus ſuper Ioannem ait, quòd Petrus, qui negando Chriſtum fuit mortuus, plorando reſurrexit & reuixit. quod & communiter aſſeritur de Iacobo Alphæi. Hæc omnia non ineuidenter oſtendunt, in illis fuiſſe veram explicitamque fidem Chriſti Reſurrectionis & aliorum myſteriorum noſtræ fidei.

Digitized by Google

Apostoli peccauerunt peccato confessionis fidei.

Ad illam Domini prædictionem de scandalo discipulorum dicimus, Apostolos in illo triduo non quidem fidem amisisse, sed benè peccasse peccato confessionis fidei; quoniam cùm tunc tenerentur confiteri Christum, non fuerunt confessi, quin imò ore & opere negauerunt, vt communiter tenent omnes Doctores Theologi in explanatione illius prædictionis, *Omnes vos scandalum*, &c. referendo illam ad scandalum confessionis fidei; quia Apostoli erant exterioribus dumtaxat verbis illum negaturi.

Ampliùs. D. Ambrosius lib. 10. in Luc. Hilarius Canon. 31. & 32. in Matth. & Psalm. 25. D. Augustinus Contra mendacium Tom. 4. cap. 6. D. Leo Papa Serm. de Pass. D. Bernardus de Gratia & lib. arbit. & alij plerique sancti Patres, quos citat Bellarminus de Romano Pontifice lib. 4. cap. 3. intrepidè asserunt, explanantes illa verba Lucæ 22. *Ego rogaui pro te* Petre, *vt non deficiat fides tua*, Petrum nullatenus amisisse fidem, & non solùm fidem minimè amisisse, verùm etiam neque peccasse peccato confessionis.

Obiectio.

Et si aliquis vrgeat dicendo, illa verba, *Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua*, intelligenda esse finaliter, qua ratione neque à Petro, neque ab aliis Apostolis defecit fides, & non ex eo tempore quo confessus fuit Christum; quoniam ipse Christus dixit Petro: *Antequam gallus cantet, ter me negabis*, Matth. 26, 34.

Solutio.

Respondent ipsi, illa verba Christi de fide Petri, non tantùm esse intelligenda finaliter, verùm etiam ab eo tempore quo confessus est ipsum esse Christum Filium Dei viui; illamque negationem dicunt non fuisse fidei, sed societatis & amicitiæ: non enim negauit Christum esse Filium Dei, sed quod non nosset eum, id est, quod non esset ex amicis & familiaribus illius.

Negatio Petri qualis.

Apostoli quomodo in triduo fidem amiserunt.

Dicitur verò Apostolos in triduo amisisse fidem, vel in eadem titubasse; quia verè ipsorum aliqui, cum aliquibus ex Domini discipulis, in illa stabiles ac constantes non perstiterunt; & verum est: constatque in primis ex eo, quòd postquam Christus resurrexisset, & apparuisset Mariæ Magdalenæ, & ipsa nuntiasset Apostolis, admirati fuerunt ipsi, & cucurrerunt ad monumentum, quin imò multi eorum conterriti fuere; & liquet de discipulis Emmaum euntibus, quibus Christus sub peregrini specie apparuit, & increpauit eos de incredulitate, & illi dixerunt peregrino: *Sed & mulieres quædam ex nostris terruerunt nos, quæ ante lucem fuerunt ad monumentum, & non inuento corpore eius, venerunt, dicentes se etiam visionem Angelorum vidisse, qui dicunt eum viuere*, Lucæ 24, 22. Ampliùs. Apostolus Thomas dicebat: *Nisi videro*, &c. *non credam.* Vnde Dominus dixit illi: *Infer digitum tuum huc*, &c. *& noli esse incredulus, sed fidelis*, Ioan. 20, 27. Rursus Matth. 28, 16. sic dicitur: *Vndecim discipuli abierunt in Galilæam, in montem, vbi constituerat illis Iesus. Et videntes eum adorauerunt: quidam autem dubitauerunt.* Ac denique Marc. 16, 24. ita habetur: *Exprobrauit incredulitatem eorum & duritiam cordis; quia iis, qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt.* Ex his apparet, quòd licet aliqui Apostoli verè in triduo Christi fidem tenuerint etiam explicitè, quia tamen aliqui ex ipsis, & plures ex discipulis vel non crediderunt, vel dubitauerunt de Christi Resurrectione, ideò asseri illos non credidisse, vel in fide hæsitasse, sed hoc non nobis efficit.

Sed esto, verè Iacobus in triduo illo non crediderit; quid deinde prohibet dicere, ipsum ex vehementi affectu & amore nimio, quo magistrum suum prosequebatur, illa protulisse verba. Quemadmodum simili de causa Petrus, & ceteri Apostoli, licet audiuissent à Christo, quem mentiri non posse sciebant, omnes in sua passione scandalum in eum passuros, derelicturos, ac Petrum ter esse negaturum, nihilominùs iste & quilibet alius dicebat: *Etiam si oportuerit me mori tecum, non te negabo*, Matthæi 26, 35. & *Tecum paratus sum & in carcerem & in mortem ire*, Lucæ 22, 33. Sed euentus veritatem Dominici vaticinij comprobauit. Et quodnam inconueniens, affirmare, Iacobum Minorem aliósve Apostolos ante aduentum Spiritus sancti temerè ex amore aliquid tentasse, proposuisse ac locutos fuisse, cùm ex timore in maioribus deliquerint? Quare, proposita traditione ac sententia retenta, dico, sicut Christus in domo Caiphæ respexit Petrum, postquam illum ter negasset, eidemque post suam Resurrectionem apparuit, & ei singulariter voluit eam nuntiari, ita non deseruit fratrem suum Iacobum, etsi more feruidè amantium aliquid inconsideratè protulerit, sed ob eximiam eius dilectionem non culpandus; ac ideò statim post resurrectionem sua gloriosa præsentia in memorato antro illum consolatus fuit.

Fides in triduo non in sola Virgine manst.

Ex dictis apparet, non satis subsistere id quod dicebatur, in triduo solam Virginem Matrem à fidei firmitate dimoueri non potuisse, quasi à ceteris viuentibus abscesserit fides: quod ampliùs explicatur ratione & exemplo. Ratio sit: Quoniam Ecclesia, quæ à sui exordio vsque ad sæculi consummationem

tionem perdurabit, in triduo mortis Chriſti non defecit, & portæ inferi non præualuerunt aduerſus eam, ac conſequenter nec defecit illius fides, quæ totius ſpiritualis ædificij fundamentum eſt; igitur non fuit in ſola Virgine. Probatur conſequentia; quia Eccleſia eſt fidelium congregatio in vna Chriſti fide, ſecundùm illud Apoſtoli: *Fidelis Deus: per quem vocati eſtis in ſocietatem Filij eius Ieſu Chriſti Domini noſtri*, 1. Cor. 1,9. & patet de Conſec. diſt. 1. c. Eccleſia. Et conſequenter non in vno, ſed in pluribus illius eſſe conſiſtit. Ita ſentiunt, præter alios, Abulenſis in Præfat. Euang. Matth. q. 13. Bannes in 2. 2. q. 1. art. 10. Blaſius Nauarro lib. 1. de Principatu Eccleſiæ. Et confirmatur; quoniam Eccleſia corpus & acies dicitur in ſacro Eloquio: ſed hæc partes plures requirunt. Conſule Ioannem de Carthagena Tomo 2. de B. Virgine lib. 12. Homil. 8.

Ephes. 4. 4. Cant. 6, 9.

Exemplum ſit, quia tunc multi Iudæi pij ac fideles erant omnia credentes ad quæ tenebantur; ex prædicatione enim Chriſti *multi crediderunt in eum*, Ioan. 7, 31. & 8, 30. qui non credere deſierunt, quòd aliquid viderint fieri circa Chriſtum; & planum eſt Matth. 27, 57. & Ioan. 19, 38. de Nicodemo & Ioſepho ab Arimathæa, qui ſepelierunt eum, erant enim diſcipuli eius, & crediderunt in eum, & conſequenter manſit in eis fides. Item Lazarus, poſtquam à mortuis fuit reſuſcitatus, ſemper retinuit fidem Meſſiæ & Chriſti; Magdalena & Martha etiam, quæ dixit: *Ego credidi, quia tu es Chriſtus Filius Dei viui, qui in hunc mundum veniſti*, Ioan. 11, 27. Anſelmus in Dialogo de Paſſione affirmat, Magdalenam vouiſſe ſe nullatenus negaturam Chriſtum: idem opinandum videtur de Maria Iacobi & Salome; & factis conteſtatæ fuerunt. Etiá tunc temporis apud Gentiles erant multi fideles & iuſti, in quibus erat Eccleſia, vt patet Act. 10. de Cornelio Centurione. Quare in triduo illo non in Deipara modò, ſed etiam in aliis fuit verè fides Chriſti.

Duo argumenta. Primum.

Scio duo in contrarium adduci: alterum, quia Eccleſia, ad ſpecialem honorem Virginis, ab antiquo in Hebdomada ſancta, quando recitatur Matutinum, quindecim cereos in candelabro poſitos, vno excepto, extinguit, vt hac cærimonia ſignificet, Apoſtolos omnes & Marias in Chriſti paſſione à fide defeciſſe, ipſamque in ſola Virgine remanſiſſe. Ita Gulielmus Pariſienſis in Rationali diuinorum Officiorum lib. 6. cap. 71. explicans Officium Feriæ quintæ in Hebdomada ſancta, & alij.

Secundum.

Alterum quod obijcitur, eſt: Quoniam conſueuit Eccleſia vſque ad veſperum & per totam Sabbati diem ſpecialiter colere Virginem Deiparam; quaſi totum illud ſit tempus quo Chriſtus iacuit mortuus, & in quo fides Dominicæ reſurrectionis immobiliter in Virgine permanſit.

Reſponſio ad primum.

Reſpondetur, iſta non officere. Et ad primum dicimus, Auctorem illius libri haud fidem facere: & rationabiliter poteſt illius opinio deſeri. Accedit, eumdem Auctorem dicere, cereum, qui modò non extinguitur, ſed occultatur, in primitiua Eccleſia etiam extingui ſolitum; quare illa ratio & congruentia non facit fidem. Denique Rupertus Abbas lib. 5. de Diuinis Officijs cap. 26. aſſerit, intelligendam eſſe cærimoniam illam de Prophetis veteris legis, qui omnes fuerunt extincti ac occiſi à Iudæis; occultationem verò illius candelæ accenſæ ſignificare Chriſtum, qui cum luce Diuinitatis paruo tempore latuit in ſepulchro, poſteà verò reſurrexit. Et ob hoc Sabbato ſancto magna cum reuerentia dicitur, *Lumen Chriſti*, cum candelis accenſis.

Ad ſecundum.

Ad ſecundum dicitur, non conſtare nobis euidenter, an ob eam rationem eo tempore honoretur Virgo; aliæ enim poſſunt adduci rationes. Quidquid autem verum ſit, inquit Abulenſis citatus, ſcilicet, an ſola Domina noſtra in illo triduo hanc fidem de reſurrectione determinatè & particulariter habuerit: vel an aliquis alius de viuis aut mortuis etiam illam habuerit, totum ſine præiudicio Dominæ noſtræ dictum ſit; non enim intendimus Aduocatam noſtram offendere: nam cùm eam dignè laudare non poſſumus, iniuſtum eſt, vt eius laudes ei aliunde collatas minuamus. Cùm tamen dicitur, quod propter iſtam fidem, quam tenuit ſola in triduo, exhibetur ei honor à veſpere Feriæ ſextæ & in toto Sabbato, dicendum, quod non conſtat nobis euidenter, an ex iſta cauſa, vel ex aliqua alta iſta laudabilis conſuetudo introducta ſit; quia non deſunt cauſæ innumerabiles, ex quibus Dominæ noſtræ honorem ſpecialem impendere poſſumus, imò debeamus. Sed adhuc conceſſo, quòd ex hac cauſa ſola introductus fuerit ille honor, dicendum, quod non eſt propter hoc determinatio Eccleſiæ, quòd in Domina noſtra ſola manſerit fides in illo triduo, quia aliàs obligaremur omnes credere ſicut quemlibet alium articulum, ſub pœna hæreſis vel infidelitatis, cùm quælibet determinatio Eccleſiæ in pertinentibus ad fidem ſit tantæ neceſſitatis ſicut articulus, &c. Hucuſque Abulenſis.

Addo, non ex hoc derogari excellentiæ Virgi-

Primi virtus alterius virtuti non derogatur.

Virginis; quoniam alicuius virtus non derogat excellentiæ alterius. Imò adderem, quòd quemadmodum gloria magna parentum & dominorum est, habere filios ac seruos virtute ac dignitate præstantes; ita cedere in honorem Virginis Mariæ, alios eius filios & seruos, quales erant illo tempore Apostoli & Discipuli Christi, fuisse fide ac pietate exornatos.

In fide dantur gradus.

Posset etiam dici conciliando prædictas opiniones, fuisse quidem in illo triduo explicite fidem nedum in Virgine, sed etiam in aliis viris & mulieribus: verùm quia horum fides cùm debilis esset, & illa Virginis fortis, viua & immobilis, huius comparatione, illorum fides nomen fidei mereri non videtur. Nec hic modus loquendi alienus est à communi modo loquendi & Scripturæ. Mediocriter in litteris eruditus, imperitus & ignorans dicitur, comparatione alicuius egregij Sapientis. Angeli stabiles & puriſſimi spiritus sunt, & tamen si cum Deo, qui natura infinitè immobilis & purus est, comparentur, *non sunt stabiles* in conspectu eius, *& in Angelis suis reperit prauitatem*, vt Iob 4, 18. proditum est. Regulus ille, qui accessit ad Dominum pro filij sui salute, in illum credebat. *Qui enim salutem quærebat filio*, inquit S. Gregorius Homil. 28. in Euang. *proculdubiò credebat: neque enim ab eo quæreret salutem, quem non crederet Saluatorem.* Quare ergo ei dicitur, *Nisi signa & prodigia videritis, non creditis*, qui ante credidit quàm signa videret? Respondetur, De incredulitate redargutum fuisse Regulum; quoniam illius fides parua & debilis erat: *Quia*, inquit S. Doctor, *præsentiam eius rogat, quasi absens sanare non posset.* Ita dicendum in proposito, ideò dici, Discipulos & alios credentes in triduo non habuisse fidem Dominicæ resurrectionis, quoniam paruam & debilem habebant; in sola verò Virgine conseruatam fuisse, quoniam maxima & immobilis semper in ea perseuerauit, quam nullæ aquæ tribulationum potuerunt extinguere, vt Doctores docent.

Fortasse parum à scopo defleximus, sed necessariò, ne traditio, de loco illo præsentia Iacobi & Saluatoris condecorato ac consecrato, quam veram credimus, & prædicamus, corruat & relinquatur ob rationes illas Tornielli, & sacer locus debita veneratione priuetur.

Non alienum arbitror ab instituto nostro dictis adnectere, quæ de Iacobo Apostolo fratre Domini scribit Gregorius Turonensis lib. 1. Mirac. cap. 27. *Iacobus Apostolus*, inquit, *qui frater Domini vocatus est, ab ipso Domino nostro Iesu Christo Episcopus dicitur ordinatus: post cuius glorioſam Ascensionem dum viam iustitiæ Iudæis errantibus aperire conatur, de pinna templi præcipitatus adliditur, effuſoq; fullonis fuste cerebro, spiritum reddidit, sepultusq; est in monte Olineti in memoria, quam sibi ipse priùs fabricauerat, & in qua Zachariam & Simeonem sepelierat. Hæc de Iacobo Apostolo.* Hactenus ille; qui & multa alia dicit de locis sanctis, prout à suo Diacono, qui ad ea peregrinatus fuerat, accepit, vt ipsemet fatetur: quorum & nos ex ipso data opportunitate mentionem faciemus. Ad idem credo alluſisse Marinum Sanutum lib. 3. Part. 14. cap. 9. dum dixit: *Iuxta Sepulchrum Virginis est sepulchrum beati Iacobi Minoris: ibi enim à Christianis sepultus est, cùm fuit de templo à Iudæis præcipitatus.* Iuxta Sepulchrum Deiparæ dixit hunc locum, non quia illi hæreret, sed quia non longè ab eo.

Iacobus à Christo ordinatus Episcopus.

In monte Olineti sepultus.

In Romano Martyrologio 1. die Maij dicitur, non longè à templo, ex cuius pinna fuit præcipitatus, fuisse sepultum. Sed hoc non obstat dictis à Gregorio Turonensi; nam per locum non dissitum à templo, intelligit Martyrologium memoratum locum montis Oliueti, quoniam è regione templi est, nec multum ab eo distat; vel primò prope templum, deinde in Oliueti monte, vel econtrà, fuit sepultus. Sed prius magis placet, quoniam non consueuerunt Iudæi sepelire mortuos intra ciuitatis pomœria; nec sepeliſſent illum, quem vt malefactorem interemerunt. In præsentia sacrum illud corpus in neutro dictorum locorum reperitur, sed Romam translatum, in Ecclesia sanctorum Apostolorum Philippi & Iacobi vnà cum corpore Philippi conditum est, vt tradit Cardinalis Baronius in Notis Martyrologij; vbi & plura alia notat ad hoc argumentum.

CAPVT XII.

De sepulchro Zachariæ, sexto loco septimæ Peregrinationis.

SExtus peculiaris locus qui in ista occurrit Peregrinatione, est sepulchrum Zachariæ; de quo hæc accipe.

Forma & situs sepulchri Zachariæ.

Hoc sepulchrum est excisum ex rupe montis Oliueti, ad radices eius solo inhærens, formæ quadrangularis, parumque acuminatum, à latere antri siue cryptæ sancti Iacobi Alphæi. Communiter ab omnibus appellatur in partibus istis, sepulchrum Zachariæ filij Barachiæ occisi à Iudæis inter templum & altare; cuius meminit Saluator noster apud S. Matthæum.

Quis verò fuerit hic Zacharias, non est ita manifestum: nos varias proponemus sen-

Digitized by Google

sententias, vt quæ probabilior iudicata fuerit eligatur. Quatuor in Scriptura sacra insignes viros inuenio Zachariæ nomine insignitos. Primus est Zacharias, vnus ex duodecim Prophetis minoribus, in ordine vndecimus. Secundus Zacharias sacerdos, pater Ioannis Baptistæ, de quo Luc. 1, 5. Tertius est Zacharias filius Ieroboam Rex Israel, de quo 4. Reg. 15, 8. Quartus denique est Zacharias filius Ioiadæ, qui iussu Ioas Regis Iuda occisus fuit inter templum & altare, vt dicitur 2. Paralip. 24, 22. Sed nullius horum sepulchri mentionem inuenimus in sacra Scriptura. Cuiusnam ergo horum censebimus hoc fuisse sepulchrum, à quóve denominatum?

Quatuor insignes viri Zachariæ nomine appellati.

Si in re dubia licet proprium aperire sensum, dicerem, hoc sepulchrum esse denominatum à Zacharia filio Ioiadæ Principis, & non ab aliquo ex aliis. Non quidem à Zacharia, vno ex duodecim Prophetis: etenim, vt docent D. Epiphanius & S. Isidorus, natus est in Chaldæa tempore captiuitatis Iudæorum, & simul cum aliis Iudæis ex illa liberatus sub Cyro Persarum Rege (1. Esdr. 1.) venit Ierosolymam, vbi non ad sumptuosum sibi sepulchrum ædificandum attendere debuit; tum quia non constat quantæ fuerit apud suos auctoritatis, & etiam potestatis; tum quia vir Dei cùm aliis maioribus negotiis attendere debuit, id est, reædificationi murorum Ierusalem, & templi, otium non habuit exstruendi sepulchrum. Nec dicendum, ideò ab illo non denominari, quòd ipse illud sibi exciderit, vel alij eidem ædificauerint; sed quia defunctus, in eo fuit tumulatus; non, inquam, hoc est dicendum, quoniam, secundùm Dorotheum Tyrium, cùm Ierosolymis è vita decessisset, apud Eleutheropolim in campo Noëman sepultus fuit.

A quo Zachariæ sepulchrum denominatum.

Nec à Zacharia patre Ioannis Baptistæ hoc denominatur sepulchrum: quia si sepulchrum sibi ædificauit; ædificauit vbi habitauit, scilicet vel in Hebron, secundùm vnam opinionem, vel, secundùm aliam, in Montanis Iudææ. de quo Lib. VI. Cap. II. IV. Peregrin. agemus.

Nec múltò minùs denominatur à Zacharia filio Ieroboam, Rege Israel, quia in Ierusalem partem non habebat; sed in Regno suo & Samaria interfectus & tumulatus fuit.

Probabiliter, à Zacharia filio Ioiadæ.

Quare probabiliter videtur dicendum, ab altero Zacharia filio Ioiadæ sumpsisse nomenclaturam; sed quanam ratione? an quia in eo fuit tumulatus? an potiùs quia dum viueret sibi ædificari curauit? Non propter priorem rationem; quoniam, vt Sozomenus lib. 9. cap. 17. Histor. Eccles. dicit, in Cophar villa, in territorio Eleutheropolis, Palæstinæ sepultus fuit, vt ipsemet Zacharias in somnis monstrauit cuidam seruo, Calemero appellato, agri præfecto. *Propheta igitur clara luce apparens*, inquit Sozomenus, *se ipsum reuelauit, & horto quodam demonstrato, Age, quaso, inquit, hîc fodito, ab hac sepi in hortum mensura ducta ad cubitos duos, iuxta viam qua ducit ad ciuitatem Bethrerebin; reperies enim arcam duplicatam, ligneam interiorem, in exteriori plumbea, & prope hanc arcam vitreum item vas aquis plenum, & duos etiam serpentes amplitudine mediocres, mites & innoxios, adeò vt mansueti videri possint. Calemerus igitur ad locum indicatum ex Prophetæ mandato profectus, operi gnauiter incumbit: & cùm secundùm predicta signa iam in apertum producta & reclusa esset arca sacra, apparuit diuinus Propheta candidam stolam indutus, vtpote qui, vt opinor, etiam sacerdos fuerit; sub pedibus autem eius extra arcam iacebat puer regali apparatu sepultus: habebat enim in capite coronam auream, & in pedibus calceamenta, & vestem pretiosam. Disquirentibus igitur tum sapientibus ac sacerdotibus de isto puero, quisnam & vnde esset, & cur sic ornatus esset; fertur Zachariam, qui tum in Gerara conuentui Monastico præerat, in vetustum quoddam, sed non canonicum, Iudæorum scriptum fortè incidisse, quo tradebatur, quòd Ioas Rex Iudæa, non multò pòst quàm Prophetam Zachariam interfecisset, in domum suam ingentem calamitatem acceperit; quandoquidem septimo post interfectum Prophetam die, filius admodum ipsi charus repentè interiit. Colligens igitur, se propter iram diuinam in huiusmodi calamitatem incidisse, sub illius pedibus filium sepeliuit; quasi hac ratione sese purgaret illis qua aduersus Prophetam deliquerat. Atque hæc quidem ego sic accepi. Propheta verò tametsi seculis iam plurimis sub terra iacuisset, viuus tamen adhuc apparebat, capite raso, naso oblongo, barba modicè prominenti, capite breuiusculo, oculos habens aliquantulum profundos, ac supercilijs contectos.* Hactenus ille. de quo etiam facto agunt Nicephorus lib. 14. c. 9. & 10. & Euagrius lib. 1. c. 22. Igitur, vt concludamus, non dicitur sepulchrum illud Zachariæ, propter illam priorem rationem, quòd ibi tumulatus fuerit, sed fortè propter posteriorem. Cùm enim hic Zacharias à Ioa Rege interfectus, esset filius Ioiadis Principis, & fortè, vt dictum est, sacerdos, & vir certè magnæ auctoritatis in Ierusalem, in qua & habitabat, potuit more illustrium virorum illud sibi in petra excidisse sepulchrum. Probabiliter ergo dicimus, dictum sepulchrum esse

Non fuit in eo tumulatus.

Innocentia corporis Zachariæ.

huius

huius Zachariæ, ab eoque fuisse denominatum, quia illud sibi excidit in petra. In præsentia glorioſi huius Martyris corpus Venetiis in Ecclesia illi dicata honorificè asseruatur, & monstratur.

An verò, vt attigimus, hic Zacharias ille sit, cuius Matthæi 23. mentio facta est, vt cum ratione de sepulchro isto loquamur, disquirendum est.

CAPVT XIII.

Quis fuerit ille Zachariæ Barachiæ filius occisus inter templum & altare, de quo Matthei 23.

Quatuor sententiæ.

CIrca propositam difficultatem quatuor inuenio Doctorum inter se dissentientes sententias. Prima est Ruperti Abbatis in cap. 6. Apoc. in explicatione sexti sigilli, dicentis, Zachariam, cuius mentio fit apud Matthæum, non esse filium Ioiadæ Pontificis; quoniam iste non fuit vltimus eorum quos Iudæi occiderunt in templo, cùm post illum plures de iustis veteris & noui Testamenti interfecerint.

Prima Ruperti, Zachariam fuisse Iacobū fratrem Domini.

Putauit itaque per illum Zachariam intelligi debere B. Iacobum fratrem Domini, primumque Ieroſolymitanæ Ecclesiæ Episcopum, à Iudæis occisum proximè ante Ieroſolymitanum excidium factum à Tito Imperatore: ob cuius Iacobi necem Ioſephus ait, tantam illam calamitatem Iudæis contigisse. Ita Rupertus de memorato Zacharia.

Reijcitur.

Sed noua nimis & singularis est huius Doctoris opinatio, quæ triplici ex capite euidenter refellitur. Primò, quia hic Iacobus numquam appellatus est Zacharias, nec filius Barachiæ, sed Alphæi dictus est. Deinde non est occisus inter templum & altare, sed extra è pinna templi præcipitatus. Denique Dominus noster manifestè locutus est de iustis qui ante ipsum occisi fuerant à Iudæis, non autem de his qui posteà erant occidendi; Iacobus autem multis annis post mortem Domini interfectus est.

Nec ratio Ruperti officit, vt inferiùs videbimus; eamque refellunt Ianſenius capite 84. suæ Concord. Euangel. Caietanus in cap. 23. Matth. & alij. Singulariter enim Saluator meminit Zachariæ Ioiadis filij; etsi non fuerit vltimus occisus à Iudæis, propter rationes posteà adducendas.

Hac itaque prima relicta sententia, sit secunda, memoratum Zachariam esse illum, qui inter duodecim Prophetas vndecimum locum tenet.

Tertia, patrem Ioannis Baptistæ.

Quarta denique, fuisse filium Ioiadæ Principis.

Secunda, Zachariam fuisse vndecimum ex minoribus Prophetis.

Secundam sententiam retulit S. Hieronymus & Theophylactus in c. 23. Matth. quam plures secuti sunt, vt Chrysostomus in Homil. S. Ioannis Baptistæ, quæ est in 2. Tomo, Vatablus, & alij ex recentioribus; quam vt ceteris veriorem tuetur Ribera in caput 1. Zachariæ; & probatur dupliciter.

Probatur dupliciter. Primò.

Primò, ex nominibus res innotescunt; ad hoc enim instituta fuere nomina: sed tam apud Matthæum quàm apud Zachariam iisdem prorsus nominibus inuenimus, Zachariam videlicet, & filium Barachiæ; igitur idem ille erit apud Matthæum qui apud Zachariam: aliter mancus censeretur Euangelista, qui alieno nomine alterum expressit; quod impium est dicere.

Secundò.

Secundò, Lucæ Euangelistæ verba de hoc idipsum indicare videntur; sic verò habent: *Propterea & sapientia Dei dixit: Mittam ad illos Prophetas, & Apostolos* (qui etiam Prophetæ fuerunt) *& ex illis occident, & persequentur: vt inquiratur sanguis omnium Prophetarum, qui effusus est à constitutione mundi à generatione ista, à sanguine Abel, vsque ad sanguinem Zacharia, qui periit inter altare & ædem.* In quibus verbis indicare videtur sacer Euangelista, loqui Dominum de nece Prophetarum; etsi apud Matthæum de sanguine omnium iustorum loqui videatur. Quare saltem verba hæc referenda non erunt ad Zachariam, de quo 2. Paralip. 24, 20. quia Propheta non appellatur; & potiùs ad eum qui inter duodecim Prophetas numeratur vndecimus, quàm ad Ioannis Baptistæ patrem, qui inter Sacerdotes potiùs quàm Prophetas recensetur, verba Euangelistæ commodè aptari possunt. Igitur secundùm hanc sententiam, Christus Dominus locutus est in Matthæo de Zacharia vndecimo inter duodecim Prophetas. Luc. 11, 49.

Tertia sententia. Zachariam fuisse patrē Ioannis Baptistæ. Probatur dupliciter. Primò.

Tertia sententia affirmat, illum Zachariam fuisse patrem Ioannis Baptistæ: hanc refert D. Hieronymus loco citato, & Theophylactus in Luc. 11. & Matth. 23. loquens de isto Zacharia. Alij dicunt fuisse vnum de duodecim Prophetis, alij patrem Præcursoris Domini. Habet enim ita narratio nobis tradita, quòd locus quidam in templo fuerit, in quo stabant virgines: igitur cùm esset Pontifex, postquam Deipara peperisset Christum, & statuisset eam in eo loco, indignati sunt contra eum Iudæi, & occiderunt eum, quòd cum virginibus collocasset mulierem quæ pepererat. Non est enim mirabile, quòd etiam pater Præcursoris habuerit patrem Barachiam; & sicut

Digitized by Google

ſicut is, qui ex duodecim erat, dicatur Barachiæ filius. Veriſimile enim, quòd ſicut illi fuerunt cognomines, ita & patres eorum. Hæc Theophylactus.

Secundò. Aliam addunt huius necis rationem, quòd Saluatoris prædixerit aduentum, iuſſu Herodis fuerit interfectus, & fortè Iudæorum conſilio. Hanc ſententiam adducit & ſequitur Baronius Tom. 1. an. Chriſti 42. adductis pro ea aliquibus ſanctis Patribus: hi ſunt Petrus Epiſcopus Alexandrinus, Origenes, Gregorius Nyſſenus, Baſilius, & alij poſt eos.

Cæterùm, etſi vtraque commemorata ſententia, propter patronos quos habet, probabilis ſit, non deſunt tamen ad vtriuſque fundamenta ſolutiones, & confutationes.

Qua ſecunda & tertia ſententia refragantur. Et primò, prioris ſententiæ fundamentum de nominis vnitate non videtur ſubſiſtere: nam omnibus compertum eſt, plures idem nomen habuiſſe, quoniam ad placitum nomina imponantur. Igitur dices: *Argumentum prima refellitur.* Non imponuntur nomina innoteſcendi gratia, & ſi negetur, ergo ſuperuacanea erit illorum impoſitio.

Nomina communia circumſtantiis ſunt propria. Reſpondeo, Non ita eſſe; nam aliqua gloſſula appoſita dignoſcuntur plures idem proprium nomen ſortientes, vt Iacobi nomine duo appellati fuere diſcipuli; at non ideò confuſio eſt, nam vnus Maior, & frater Ioannis, alter Minor, & frater Domini appellatur. Duo Ioannes, at vnus Baptiſta, & Præcurſor Domini, alter Euangeliſta, & dilectus Ieſu nominatur. & in innumeris poſſet ſimilis fieri inductio. Ita in propoſito, ex genere mortis explicuit Dominus, ſe non loqui nec de Zacharia vndecimo ex duodecim Prophetis, nec de patre Ioannis; quoniam de iſtis non legitur eo genere mortis, quod explicuit Saluator, interiiſſe, ſed bene de altero filio Ioiadæ tale genus mortis exprimitur 2. Paral. 24.

Obiectio. Solutio. Si dicas, quòd iſte non fuit filius Barachiæ, ſed Ioiadæ; Reſpondeo dupliciter, Primò, cum D. Hieronymo, in Euangelio quo vtuntur Nazaræi, cui multam fidem præbet S. Doctor, pro filio Ioiadæ poni filium Barachiæ.

Secundò, & eſt primæ reſponſionis confirmatio, cum Ianſenio & alijs, dico hunc Ioiadam fuiſſe binomium, vt frequenter in aliis contingit in ſacris Litteris, dictumque fuiſſe patrem Zachariæ Barachiam, & Ioiadam. *Barachiæ binomium.* Dictus verò fuit Zacharias ille filius Barachiæ à Domino potiùs quàm Ioiadæ, ad commendandam patris ſui ſanctitatem, inquit Carthuſianus in Matthæum: nam Barachias interpretatur Benedictus Domini; & ſic patet ad primum prioris ſententiæ fundamentum.

Nec minori difficultate corruet ſecundum fundamentum, ſi dicamus Primò, *Secundum ſoluitur.* cùm D. Matthæus abſolutè loquatur de iuſtis, & non de Prophetis tantùm, in vniuerſum de iuſtis verba illius eſſe intelligenda, in quorum numero erat ſummus ille Sacerdos & Martyr Zacharias, de quo 2. Paralip. 24, 20. & ſanè Chriſtum in vniuerſum de quibuſuis iuſtis fuiſſe locutum, etſi non prophetiæ dono inſignitis, ſuſpicor, quòd antè dixerat Chriſtus: *Ecce ego mitto ad vos Prophetas, & ſapientes, & ſcribas*, &c. Matth. 23, 34. & quia ſic magis illorum crudelitas redarguitur, quod non tantùm in Prophetas futura prædicentes iniecerint & iecturi eſſent manus violentas, ſed in quoſlibet iuſtos, de quibus debitas darent pœnas. Quare Matthæi & Lucæ eadem eſt ſententia ſub diuerſis verbis explicata. *Iudæorum crudelitas.*

Secundò reſpondeo, Prophetæ nomen in ſacra Scriptura multiplicem habere ſignificationem: ſextuplicem enumerat Pererius in cap. 20. Geneſ. verſ. 7. Vna verò eſt, vt Propheta iuſtum ſignificet, vt Geneſ. 20, 7. vbi legimus Dominum dixiſſe Abimelech Regi Geraræ: *Redde viro ſuo vxorem, quia Propheta eſt: & orabit pro te, & viues.* Hic Prophetæ nomine iuſtus intelligitur, & non prædicens futura, vt ratio adducta à Domino indicat. *Et*, inquit Dominus, *orabit pro te, & viues.* Etenim eſſe Prophetam prædicentem futura, non eſt ratio quare Dominus orationes exaudiat: nam non neceſſariò omnes Prophetæ ſunt boni, ſed ratio quare alicuius oratio exaudiatur eſt iuſtitia, & ſanctitas, vt manifeſtum eſt; & ita reſpondet Didacus Stella in Lucam. *Propheta nomen multiplex.* *Iuſtum ſignificat.*

Deinde, ſi Prophetæ nomine velis proprié prædicentem futura intelligere, adhuc non colligitur intentum ex argumento: poſſumus enim dicere, ſicut Propheta fuit Abel, ita non ſolùm Zacharias vndecimus inter Prophetas, & alius Ioannis Baptiſtæ pater, ſed etiam ille ſacerdos filius Ioiadæ, vel alio nomine Barachiæ, quòd licet non ſcriptis, factis tamen futura monſtrarunt. Fuit Propheta Abel, qui nihil ſcripſit; quia vel diuino Spiritu afflatus cognouit quandoque venturum Saluatorem mundi, vt inquit Ianſenius; vel quia ſuo ſacrificio & morte, illius ſacrificium & mortem præfigurauit. In quem modum dicitur Eccleſiaſtici 48, 14. corpus Eliſei mortuum prophetaſſe, quod alterius cuiuſdam hominis cadauer illatum in ſepulchrum Eliſei repentè contactu eius ad vitam excitatum eſt; quo miraculo Eliſeum eſſe Prophetam teſtificatum eſt: illo ſiquidem miraculo præfigura- *Propheta non tantùm qui verba, ſed qui facta futura prædicit.* *Eliſei corpus quomodo prophetauit.*

figurauit,& præmonſtrauit,noſtrorum corporum reſurrectionem virtute Chriſti in Eliſeo præfigurati operandam. Ita ſimiliter poſſumus dicere,Zachariam Ioiadæ filium, quoniam ſacerdos erat, & ſacrificia omnipotenti Deo offerebat, quibus, & morte ſua, Chriſti ſacrificium & mortem repræſentauit, Prophetam fuiſſe.

Propheta, Doctor legis & Concionator.

Ad extremum, dici poteſt Propheta, quoniam diuina oracula & præcepta exponebat populo: in quem modum Aaron ſacerdos frater Moyſi dicebatur Propheta eius, Exod. 7,1. quia Domini voluntatem ex parte Domini explicuit Pharaoni. Idipſum etiam faciebat iſte Zacharias, vt patet 2. Paralip. 24, 20. vbi id tamquam mortis eius cauſa adducitur; cùm enim videret Iudæos auerti à vero Dei cultu, & conuerti ad falſum idolorum, nec hoc ille ferre poſſet, *Spiritus Dei induit Zachariam filium Ioiadæ ſacerdotem*, inquit ſacer Textus, *& ſtetit in conſpectu populi, & dixit eis: Hæc dicit Dominus Deus: Quare tranſgredimini præceptum Domini, quod vobis non proderit, & dereliquiſtis Dominũ vt derelinqueret vos? Qui congregati aduerſus eum, miſerunt lapides iuxta Regis imperium in atrio domus Domini. Et non eſt recordatus Ioas Rex miſericordiæ, quam fecerat Ioiada pater illius ſecum, ſed interfecit filium eius*, &c. Zachariam verò, vnum ex duodecim Prophetis, nec Scriptura ſacra, nec probatus aliquis auctor, quod ſciam, teſtatur interfectum fuiſſe inter templum & altare, imò nec violenta morte peremptum; quin ſenio confectum è vita deceſſiſſe Ieroſolymis, tradit Dorotheus Tyrius, & Eleutheropoli in campo Noëman humatum anno ab Orbe condito 3460. vt inquit Sixtus Senenſis. & in Romano Martyrol. die 6. Septembris tantùm dicitur: *Zachariæ Prophetæ, qui de Chaldæa ſenex in patriam reuerſus, iuxta Aggæum Prophetam conditus iacet.* Et ſanè, ſi credidiſſet Eccleſia martyrio vitam finiſſe, ad ipſum magis honorandum illius meminiſſet. Non igitur dicendum eſt, ipſum fuiſſe interfectum inter templum & altare.

De martyrio Zachariæ, vno ex duodecim Prophetis, non conſtat.

Obiectio.

Quòd ſi quis dicat, non obſtare oppoſitæ ſententiæ, quòd vetus Scriptura talis mortis haud meminerit, quoniam non omnia traduntur in veteri Teſtamento; multa enim illi addiderunt Chriſtus, Apoſtoli, & Protomartyr Stephanus, quæ nos, niſi ipſi addidiſſent, neſciremus. Itaque cùm Chriſtus genus mortis Zachariæ explicuerit, ex eo intelligentiam accipere debemus.

Præterea, ſeries ſacræ Hiſtoriæ interrupta eſt eodem tempore ab Eſdra & Nehemia vſque ad Machabæos; quare & mors Zachariæ, vnius ex duodecim Prophetis, & multa alia illis temporibus geſta litterarum monumentis mandata non ſunt.

Reſponſio.

Reſpondeo, Licuiſſe Chriſto, Apoſtolis ac D. Stephano aliqua addere, quia diuino Spiritu afflati erant; ergo & nobis peccatoribus ſimilem ſpiritum non habentibus addere licebit? Et vnde probabitur, Chriſtum Matth. 23. explicuiſſe mortem huius Prophetæ? hoc enim eſt quod in quæſtione quæritur, an Chriſtus apud Matthæum de hoc vel de alio Zacharia ſit locutus; nec de illo fuiſſe locutum, fuit efficaciter oſtenſum. Quin de Zacharia, vndecimo ex Prophetis, etſi non habeamus ex Scriptura ſacra, ex aliis tamen probatis Scriptoribus & adducta probabili coniectura habemus, violenta morte è viuis non deceſſiſſe.

Ad aliud, de interruptione ſacræ Hiſtoriæ, dico, etſi fuerit interrupta, non propterea certò diuinare poſſumus vbi & in qua materia, ac ideò nec pro certo aſſeuerare quod incertum omnino eſt. Hac enim ratione quænam falſitas non probaretur ex Scriptura: quin ex hoc capite quælibet contradictionis pars probari poſſet; at vera contrarietas nullo modo in ſacra Scriptura eſt admittenda.

Sed addamus ampliùs, quantum ad mortem huius Prophetæ, Scripturam minimè interruptam fuiſſe, ex eo perſuademur: ſi enim illa fuiſſet deſcripta, occaſione profectò reditus in Ieruſalem, ac ædificationis templi; ſed hoc haberemus in libris Eſdræ, quoniam incipiunt hiſtoriam texere à reditu Babylonicæ captiuitatis, explicantque ea quæ contigerunt, quo tempore templum ædificatum eſt, & muri ciuitatis reſtaurati: quare cùm in libris illis huius Prophetæ mortem non habeamus, nec deſcriptam fuiſſe ſuſpicandum eſt. Et confirmatur ex ratione D. Hieronymi, qua probat, verba Domini intelligi non poſſe de nece Zachariæ, vndecimo ex duodecim Prophetis: *Quia*, inquit, *tempore huius Prophetæ vix remanſere ruinæ templi, ac proinde inter templum & altare interfici non potuit.*

Tempore huius Zachariæ templi ruinæ non erant.

Obiectio.

Sed contrà dicet quiſpiam, Templum ſexto anno Darij abſolutum fuit, vt docemur ex 1. Eſdræ 6, 15. Zacharias verò anno quarto eiuſdem Darij prophetauit, vt ipſe cap. 7, 1. teſtatum reliquit; itaque ſi duos præterea annos vixit; non ruinas, ſed integrum perfectumque templum vidit.

Reſponſio.

Obiectioni poſſet quiſpiam reſpondere pro D. Hieronymo, incertum eſſe, an vltra annum, quo prophetauit, vlteriùs vitam protraxerit; vſque ad ſextum annum, quando ædificatum fuit templum.

Deinde

Deinde non est omnino certum, fuisse anno sexto Darij templum penitus absolutum, cùm, præter altare & atrium, exteriores eius partes tantùm absolutæ fuerint. Etsi enim 1. Esdr. 6, 15. dicatur, Iudæos anno sexto Darij Regis compleuisse domum istam, dici posset completam fuisse quoad eius partes interiores & principales, non quoad alias accidentales.

Iudæi à captiuitate reuersi multum sibi timebant.

Vel dicatur, non fuisse hunc Prophetam à Iudæis occisum; quoniam Iudæi, qui tunc temporis degebant Ierosolymis, recenter à captiuitate reuersi, maximè sibi timebant; ac propterea non ausi fuissent tantum facinus perpetrare, & templum innocentissimo sanguine polluere, timentes, ne Deus in eos, sicut quondam in patres suos, sæuiret. Patet ex his responsio ad ea quæ pro illa prima sententia adducebantur.

Tertia sententia refellitur.

Tertia adhuc sententia non probatur, Zachariam patrem Ioannis Baptistæ esse illum, quem Christus dixit Iudæos occidisse inter templum & altare: si enim is

Pater Ioannis non fuit Zacharias.

fuisset, tunc non meritò Christus reprehendisset Iudæos; etenim illi dixissent, se ab ipso redargui de bono opere, quod zelauerint Dei honorem & legem, interficientes hominem, qui contra legem, quæ præcipiebat, corruptas, vel nuptas, non manere in templo in loco virginibus designato, admisisset sanctissimam Dei Genitricem coniugem Ioseph in eo stare, nec prohi-

Responsio ad primum.

buisset. Quamuis enim sancta Deipara fuerit flos virginum, non tamen constabat; quare ipsum redarguissent Iudæi tamquam malè sentientem de diuinis legibus.

B. Virgo in templo ad locum virginum non mist.

Præterea, non videtur verisimile, sanctissimam Dei Genitricem se in loco virginum in templo collocasse; quoniam, vt ad tempus suam virginitatem occultaret, voluit purissima omnium creaturarum se cum corruptis & impuris mulieribus purificare, abstinendo à templi ingressu diebus quadraginta à suo purissimo partu; post quos, secundùm legem, ac si non virgo esset, obtulit filium suum cum oblatione puerperarum corruptarum. Et Dominus voluit vt viro desponsata esset, vt, aliis omissis mysteriis, ad tempus suæ Matris celaretur virginitas, eo præsertim tempore, quando cognita & credita non fuisset: quomodo ergo humillimam Virginem post partum in templo se recepisse ad locum virginum credendum est, vel in eo à Zacharia fuisse collocatam? & si illud contigit Virgini, quare non eo tempore quo obtulit Filium suum in templo coram Simeone? & certè tunc Simeon prophetico spiritu repletus, qui cognouit Virginem Matrem & eius Filium Iesum, vt patet Luc. 2. eam in loco virginum collocasset, nisi occultandum ad tempus mysterium nouisset. Præterea cùm id ex Scriptura nullam habeat auctoritatem, eadem facilitate contemnitur qua probatur, inquit D. Hieronymus.

Nec aliud cogit, iussu Herodis fuisse interfectum Zachariam, quòd Saluatoris prædixerit aduentum: tum quia hoc non dicit Scriptura, vel antiquus probatus Auctor: tum quia, quando hæc dixit Christus, non Herodem, sed Iudæos redarguere intendebat; at redargutus fuisset Herodes ille qui iam perierat, si de Zacharia patre Ioannis locutus fuisset. Si dicatur, ideò huius Zachariæ mortem Iudæis imputari, quoniam ipsorum persuasione & consilio perpetrata fuit, respondeo, etsi id concedere non sit inconueniens, non tamen necessariũ: nimiùm enim timebat Herodes regno priuari, ideò vt se à suspicione liberaret, tot occidit infantes, vt dicitur Matth. 2, 16.

Ad secundum.

Nec etiam satis capio, quomodo Iudæi mortem illi procurauerint, qui summopere expectatum Messiam prænuntiabat: & si hoc intuitu mortem illi intentarunt, quare non item Simeoni, Annæ, & Ioanni Baptistæ, qui verbis & signis manifestè ostenderunt Saluatorem? sed tali causa nullum ex his interijsse, apud omnes est in confesso. Et quare non coniectus fuit in carcerem ad vitandum populi tumultum, vt alter Herodes coniecit Ioannem?

Zachariam Ioannis patrem à Iudæis interfectum, non videtur probabile.

Ad extremum: Si eo mortis genere interemptus fuisset Zacharias, non tacuisset Lucas, qui eius vitam vel acta conscripsit; vel alij Scriptores, qui aliorum Sanctorum martyria, vt Innocentium, Ioannis Baptistæ, D. Stephani, &c. scriptis consignarunt, non tacuissent.

Quare sit quarta & postrema sententia, quam referunt Theophylactus in cap. 11. Luc. & D. Hieronymus in cap. 23. Matthæi, Zachariam, de quo Saluator loquitur apud Matthæum, esse illum de quo in 2. Paralip. 24, 20. quæ sententia, tamquam magis communis, mihi magis probatur; & meritò quidem, tum Primò propter iam dicta in confutatione aliarum opinionum: si enim non est ille ex duodecim Prophetis, vel pater Ioannis Baptistæ, aliúsve ex commemoratis, erit iste filius Ioiadis.

Quarta sententia, fuisse Zachariam de quo 2. Paralip. 24.

Probatur tripliciter.

Secundò, quia si non hunc intelligamus vnum de duobus, sequitur & vtrumque absurdissimum, & impossibile, vel Christum rectè se in illa comminatione non se explicuisse; vel si se explicuit, Euangelistas dicta Saluatoris non fideliter retulisse, verique historici munere functos non fuisse,

quod eſt, nomina deſcribere eorum quorum actiones vel paſſiones ſcribuntur; at non item, ſi dicamus eſſe Zachariam, de quo 2. Paralip. Conſecutio probatur: quoniam nomine Zachariæ filij Barachiæ poteſt, abſque aliquo addito, ita benè intelligi vndecimus ex duodecim Prophetis, vt ille de quo 2. Paralipomenon: nam & ipſe, vt benè aduertit Theophylactus, potuit patrem habere qui Barachias appellatus ſit; atque hoc pacto, non claram hiſtoriam, ſed dubiam & perplexam relationem texuiſſent Euangeliſtæ. Dicendo verò illum eſſe ſummum Sacerdotem, de quo 2. Paralip. omnis tollitur ambiguitas per illam circumlocutionem, *Quem occidiſtis inter templum & altare*; nam & id dicitur de Zacharia filio Ioiadæ, ſiue Barachiæ, in 2. Paralipomenon; & margo, quæ hîc ponitur in ſacris correctis Bibliis, ſignans Matthæi 23. manifeſtè indicat, eiuſdem Zachariæ vtrobique fieri mentionem.

Tertiò, & poſtremò, libenter hanc amplectimur ſententiam; quia plurium veterum & recentiorum Doctorum eſt, & in primis D. Hieronymi, in exponendis ſacris Scripturis Doctoris maximi, quem plurimum facit Eccleſia, quæ in hac difficultate eius videtur approbare ſententiam, dum in Breuiario in Euangel. illo Matthæi, *Ecce ego mitto*, &c. legit ſancti huius Doctoris interpretationem, quæ ſic habet: *Quærimus, quis ſit iſte Zacharias filius Barachiæ: quia multos legimus Zacharias. Et ne libera nobis tribueretur erroris facultas, additum eſt: Quem occidiſtis inter templum & altare. In diuerſis diuerſa legi: & debeo ſingulorum opiniones ponere. Alij Zachariam filium Barachiæ dicunt, qui in duodecim Prophetis vndecimus eſt: patrisq; in eo nomen conſentit; ſed vbi occiſus ſit inter templum & altare, Scriptura non loquitur: maximè cùm temporibus eius vix ruinæ templi fuerint. Alij Zachariam patrem Ioannis intelligi volunt, ex quibuſdam apocryphorum ſomniis approbantes, quòd propterea occiſus ſit, quia Saluatoris prædicarit aduentum. Alij iſtum volunt eſſe Zachariam, qui occiſus eſt à Ioas rege Iudæ inter templum & altare, ſicut Regum narrat hiſtoria. Sed obſeruandum, quòd iſte Zacharias non ſit filius Barachiæ, ſed filius Ioiadæ ſacerdotis: vnde & Scriptura refert: Non fuit recordatus Ioas patris eius Ioiadæ, quia ſibi feciſſet bona. Cùm ergo & Zachariam teneamus, & occiſionis conſentiat locus: quærimus, quare Barachiæ dicatur filius, & non Ioiadæ? Barachia lingua noſtra benedictus Domini dicitur, & ſacerdotis Ioiadæ iuſtitia Hebræo nomine demonſtratur. In Euangelio, quo vtuntur Nazareni, pro filio Barachiæ, filium Ioiadæ reperimus ſcriptum.* Hactenus fuere S. Hieronymi verba.

Ceterùm contra hanc ſententiam & pro *Obiectio.* ſe argumentantur oppoſitum ſentientes. Chriſtus Dominus vt à primo Propheta vel Martyre Abel incepit, ita in vltimo deſinere debuit: ſed non fuit vltimus Zacharias filius Ioiadæ; nam poſt ipſum Iſaias ſerra ſectus fuit, & Ieremias apud Taphnas in Ægypto lapidibus à populo necatus, vt docet S. Hieronymus. Cur igitur hos omiſit Dominus? an quòd non eſſent ob horum cædem Iudæi puniendi? non inquam, *Vt inquiratur*, inquit Chriſtus, *ſanguis omnium Prophetarum, qui effuſus eſt à conſtitutione mundi*, Lucæ 11, 50.

Reſpondeo, hoc argumento nihil ſuffra- *Reſponſio.* gari prioribus illis ſententiis, nec poſteriori refragari. Illis non ſuffragatur; quoniam non conſtat, Zachariam, vndecimũ ex duodecim Prophetis, vel patrem Ioannis, fuiſſe vltimò interfectum à Iudæis eo tempore quo cum illis Chriſtus loquebatur; imò nec ab ipſis fuiſſe interfectos habemus. Nec poſteriori refragatur: nam qua neceſſitate cogimur dicere, Chriſtum debuiſſe vltimum à Iudæis interfectum exprimere, præſertim cùm ex aliis indicauerit daturos pœnas omnis ſanguinis iniuſtè ab illis fuſi? & ſi ſanguinis Abel ante tot tempora fuſi pœnas luere debebant, quis dubitaſſet non ſimiles paſſuros propter recenter effuſum ſanguinem? Et ſi expreſsè vltimum nominare debuiſſet, Ioannem potiùs Baptiſtam nominaſſet, inter Prophetas & iuſtos eximium, & vt talem ab omnibus agnitum, quem illorum, vt creditur, perſuaſione in carcerem coniecit, & occidit Herodes. Quare vt mors Saluatoris Iudæis adſcribitur, quoniam illorum ſuaſione executa fuit, ſimile ſuſpicandum eſt de cæde Ioannis; & videtur ex Matthæi 17, 12. colligi. Cùm enim ægrè ferrent Phariſæi, multos ad Ioannem vt baptizarentur confluere (ſuperbi enim, ambitioſi, inuidi, odioſque repleti cùm eſſent, ex eo minus illi æſtimabantur) tradiderunt illum Herodi: ſine horum enim auctoritate non auſus fuiſſet Herodes tantum virum comprehendere, quem timebat, & libenter audiebat, etſi acriter illius notum ſcelus fœtentemque luxuriam increparet: vnde & Chriſtus, illius audita nece, ab illis receſſit; at huius nullam fecit mentionem, nec Iſaiæ, Ieremiæ, & aliorum: quare non eſt neceſſe dicere, Chriſtum primum & vltimum Martyrem nominare debuiſſe.

Suaſerunt Iudæorum Ioannis interfectum.

Sed quæres iterùm, quare Abelis & Za- *Dubitatio.* chariæ,

Quare Abelis & Zachariæ memoria Christus.

chariæ, filij Ioiadis, martyrij nominatim mentionem fecit Saluator, cùm alij recentiores istis non defuerint, non minùs sanctitate & prophetico spiritu clari? Respondetur, quia horum singulariter fit mentio in Scriptura, non item aliorum.

Solutio.

Obiectio.

Contrà: Nam etsi sacra Scriptura non recenseat aliorum martyrium, non ideò haud secutum est; quod absque dubio vlciscetur Dominus. Respondeo, multum referre, loqui de illis quorum mentionem facit Scriptura, & quorum non: horum enim mortem ab ipsis inflictam negassent Iudæi, non item aliorum. Et profectò ea est Iudæorum conditio (vt qui cum illis tractarunt & disputarunt, fateri possunt) vt nihil admittant, quod Catholica Scriptura non sit comprobatum. Quare cùm horum conditionem optimè cognosceret Dominus, illorum Martyrum obiecit illis martyrium, quod ipsorum canonica Scriptura celebrat.

Responsio.

Iudæi tantùm in Scriptura contenta admittunt.

Abelis & Zachariæ martyrium maximè publicum.

Accedit, quòd horum martyrium fuit notissimum: Abelis quidem; quoniam fuit secundus in mundo genitus, & ipsius mortem voluit Deus per vniuersum mundum diuulgari; & Moyses scripsit, vt alios præteream: Zachariæ verò fuit maximè publicum ac memorandum martyrium, quia summi Sacerdotis publicè in templo interfecti: & tum maximè, si verum est quod tradunt grauissimi Scriptores cum diuo Hieronymo, multo tempore sanguinem huius Zachariæ in parietibus & scamnis atrij templi recentem apparuisse, in detestationem & memoriam tam detestabilis homicidij & sacrilegij. Tertullianus aduersus Gnost. inquit: *Zachariæ inter altare & ædem trucidatur, perennes cruoris sui maculas filicibus assignans.* Genebrardus dicit, sanguinem ebullientem apparuisse, ac si vindictam clamaret illius facinoris; & id perdurasse quoad Iudæi à Nabuchodonosor captiui in Babylonem ducti fuere. Id ipsum priùs scripserat S. Epiphanius, addens etiam, post eius mortem oracula & responsa cessasse, quæ in templo Deus dare consueuerat.

Sanguinis fusi recens permanet memoria, & vindictam clamat.

Ex multis circumstantiis Zachariæ detestabilis.

Hoc etiam facinus ex multis circumstantiis pluribus aliis detestabilius Iudæis opposuit Dominus, à quo minùs se poterant excusare; detestabilius inquam, propter plures circumstantias personæ occisæ, quia non priuata, sed in magna dignitate constituta, summus Sacerdos, diuino præcepto veneratione dignissimus: ratione temporis, causæ mortis, & interficientium; quando videlicet monita salutis dabat Iudæis, eos à spirituali morte ab idololatria eripere volebat, quando zelabat veri Dei honorem, vt blasphemus iussu Regis, qui tot fuerat à Ioiada Zachariæ patre suo beneficiis cumulatus, ab vniuerso nihilominùs Iudæorum populo, qui eum pluribus de causis diligere tenebatur, lapidibus obrutus, & interfectus fuit: ratione loci, quia in templo fuit interfectus. Quare meritò huius Zachariæ mortem Iudæis obiecit Dominus.

Iansenius & alij dicunt, ideò Dominum Abelis & huius Zachariæ mentionem fecisse; quoniam Scriptura horum duorum dumtaxat explicuit vindictæ petitionem: Abelis, dum dicit, *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra*, Gen. 4, 10. Zachariæ verò, quia cùm morereretur sequentia dixisse memorat: *Videat Dominus, & requirat*, 2. Paralip. 24, 22.

Abelis & Zachariæ sanguis vindictam petijt.

Denique dicet quispiam, An non etiam aliorum sanguis inquirendus est, qui vindictam non quæsisse scribitur? vtique; sed de his maior est ratio asseuerandi, quia expressè de his Scriptura loquitur. Etsi enim simile iudicium de aliis faciendum sit, non tamen admisissent Iudæi, quia Scriptura de aliis non loquitur manifestè. Et quędam peculiares circumstantiæ concurrunt in morte Abel & Zachariæ, ratione quarum illorum sanguis clamare dicitur; & ideò singulariter horum meminit Saluator.

Dubij solutio.

Remigius in Catena aurea D. Thomæ, quare occisorum ab Abel vsque ad Zachariam dumtaxat Christus meminerit, etsi aliorum sanguis fusus fuerit, sequentibus verbis aliam reddidit rationem: *Abel*, inquit, *pastor ouium in campo fuit occisus; Zacharias fuit sacerdos, & in atrio templi interfectus. Idcò ergo Dominus hos duos commemorat; quoniam per hos omnes sancti Martyres designantur, laicalis scilicet & sacerdotalis ordinis.* Chrysostomus etiam Abelē commemorauit, ostendens, quoniam Iudæi ex inuidia essent Christum & discipulos suos occisuri; Zacharię autem mentionem fecit, quoniam duplex præsumptio fuit in eius occisione; non enim solùm in sanctum hominem facta est, sed etiam in loco sacro. Origenes hìc aliam reddit rationem. Theophylactus in Matth. Abelis meminit: *Sicut enim*, inquit, *Abel propter inuidiam interemptus est; ita & Christus occisus est.* Alij istam, vt indicaret Dominus maiori pœna in eos quàm in eorum parentes animaduersurum; quia post tot exempla in saniorem mentem non redierunt. Ex quia non loquebatur Christus illis Iudæis tamquam particularibus hominibus, sed vt erant populus Iudæorum: quæ gens non erat noua, sed ortum & originem trahebat à principio mundi.

Alia causa mentionis facta singulariter Abelis & Zachariæ.

Sæuiùs puniendi Iudæi illis quàm parentes eorum.

CAPVT XIV.

De villa & valle Siloë, ſeptimo loco ſeptimæ Peregrinationis.

IN hac Peregrinatione ſeptimo loco occurrit villa & vallis Siloë, de quibus pauca hæc accipe.

Siloë villa quid. Villa Siloë aliud ad præſens non eſt, quàm cumulus quidam domunculorum apud montem Offenſionis pænè conſumptarum, furnis ac cauernis perſimilium, quas Mauri & miſerrimi homines inhabitant.

Vallis Siloë. Vallis verò Siloë, eſt vallis Ioſaphat pars quæ villam Siloë reſpicit, ad illius radices poſita: contra eam ex altera parte eſt celebris fons Siloë, de quo inferiùs erit ſermo; à quo tam villa quàm vallis Siloë ſumit denominationem. In hac parte Adrichomius in Deſcriptione Ieruſalem num. 189. & Villalpandus in ſua veteris Ieroſolymæ imagine deſcribunt hortum regium Salomonis.

CAPVT XV.

De puteo Nehemiæ, ſiue ignis, octauo loco ſeptimæ Peregrinationis.

AD radices montis Offenſionis contra Auſtrum eſt pulchra & ſpecioſa planities, ſiue vallis in extremitate vallis Ioſaphat, quæ, vt credo, pertinet ad vallem Gehennon, in qua cernuntur in præſentia oleæ, malorum aureorum plantæ, & aliæ arbores; vbi celebris ille & nominatus puteus eſt, Nehemiæ & ignis appellatus: cuius conditionem præſenti Capite explicabimus, & ſequenti duas diluemus difficultates, quæ contra ipſius hiſtoriam eſſe poſſent.

Putei Nehemiæ conditio. Puteus hic anguſtus quidem eſt, ſed altus & profundus, in quo ſemper aquæ conſeruantur, etſi non ſemper eodem modo: hiemali enim tempore, pluuiis & aquis ex montibus neſcio per quos ſubterraneos canales vel meatus in eum confluentibus, multùm augeſcit, adeò vt per os ipſum effluant, & per canale egreſſæ, alluant & fecundent vicinos campos; quod magnam adfert incolis lætitiam: quare tunc temporis tam viri quàm mulieres, relicta ciuitate, hilares eò ſe transferunt. Cùm enim terra iſta arida & inaquoſa ſit, de cælo expectans imbrem, credunt à Deo miſſum ad eam fecundandam, & hominum ſalutem. Quando aqua eſt in ſuo naturali eſſe, diſtat ab ore putei paſſus circiter 18. Ex hoc colligitur, aquas ibi ſcaturire, & exterius aliis augeſcere. Prope hunc ex altero latere eſt capella veruſtate deſtructa, ex altero verò eſt piſcina in terra excauata, in qua putei aquæ recipiuntur: quam reſtaurauit, & ædificiis auxit noſtro tempore ſanctæ Ciuitatis Gubernator.

Nehemiæ puteo inundante gaudet Ieroſolyma.

Puteus iſte ab omnibus regionis iſtius habitatoribus, Nehemiæ vel ignis puteus nuncupatur. Ratio eſt, quoniam ille eſſe creditur, in quo Sacerdotes iuſſu Ieremiæ Prophetæ acceptum de altari ignem abſconderunt, quando de proximo Iudæi in Perſidem captiui ducendi erant, vnde reuerſi, ſub Nehemia non ignis, ſed aqua craſſa inuenta, ipſaque conſperſo ſacrificio, diuinitus in ignem conuerſa eſt. Placet hanc relationem & hiſtoriam hîc adſcribere propriis verbis Auctoris lib. 2. Machab. qui cap. 1, 19. ſic habet: *Cùm in Perſidem ducerentur patres noſtri; Sacerdotes, qui tunc cultores Dei erant, acceptum ignem de altari occultè abſconderunt in valle, vbi erat putem altus & ſiccus, & in eo contutati ſunt eum, ita vt omnibus ignotus eſſet locus. Cùm autem præteriſſent anni multi, & placuit Deo vt mitteretur Nehemias à Rege Perſidis: nepotes ſacerdotum illorum, qui abſconderant, miſit ad requirendum ignem: & ſicut narrauerunt nobis, non inuenerunt ignem, ſed aquam craſſam. Et iuſſit eos haurire, & afferre ſibi: & ſacrificia, quæ impoſita erant, iuſſit ſacerdos Nehemias aſpergi ipſa aqua, & ligna, quæ erant ſuperpoſita. Vtq; hoc factum eſt, & tempus affuit, quo ſol refulſit, qui priùs erat in nubilo, accenſus eſt ignis magnus, ita vt omnes mirarentur.* Hactenus fuere illius Scriptoris verba; quæ rectè conſiderata, & ſimul putei conditione, eam non parum explicant. In Græco diſtinctiùs habetur, partem ignis ex altari incenſi acceptam, & in cauerna ſicci putei repoſitam.

Ratio nominis.

Dubium. Sed numquid ſacellum illud vetus, cuius ruinæ cernuntur prope puteum, alicuius peculiaris myſterij repræſentandi gratia exſtructum fuit? *Reſolutio.* Reſpondeo affirmatiuè; fuiſſe inquam ædificatum mandato Artaxerxis, ad perpetuam indicati miraculi memoriam. Sciendum itaque, quòd delato ad Regem Perſarum Artaxerxem nuntio de igne tot annis in ſubterraneo loco abſcondito, & in aquam craſſam & inde rurſum in ignem conuerſo, vehementer admiratus eſt Rex; tantoque magis, quòd magna apud Perſas in veneratione ignis ſemper fuit. Itaque rei veritatem primùm diligenter inquiri iuſſit, atque examinari; tum eum locum ſanctum & religioſum haberi voluit templo ibi extructo, quod cum ſacerdotibus multis donatiis & muneribus honorauit; & fundamenta & ruinæ quæ

Ignis à Perſis veneratione habitus.

Templum apud puteũ Artaxerxes ædificauit.

modò

Digitized by Google

modò cernuntur, illius probabiliter credi possunt. id indicauit Auctor 2. libri Machab. post iam recitata verba dicens: *Considerans autem Rex, & rem diligenter examinans, fecit ei templum, vt probaret quod factum erat: & cùm probasset, sacerdotibus donauit multa bona, & alia atque alia munera, & accipiens manu sua, tribuebat eis*, 2. Machab. 1,34.

Obiectio. Torniel. Tom.1. A.M.3610 num.13.

Refragatur huic sententiæ Nicolaus Lyranus & Augustinus Torniellus: & quæ de templo dicuntur, arbitrantur intelligenda de Ierosolymitano restaurato, & exornato. Ratio est, quia Nehemias, qui erat vir valdè pius & Regi valde acceptus, cùm benè nosset, non licere apud Iudæos alibi Deo templum extruere, nisi in Ierusalem, proculdubio Regem de ista mente deducere curasset. Neque idem Rex putandus est aliud tunc erexisse Ierosolymis templum, ab eo diuersum quod ibidem sub Dario Hystaspis ædificatum fuerat, sed illud idem iam extructum adeò exornasse ac ditasse, vel etiam, vt legitur in codice LXX. Interpretum, circumseptisse, id est, ad loci tutelam, omnes quoque partes eiusdem templi exteriores muris valde firmis circumdedisse, vt quodammodò ipse Longimanus illud fecisse dici posset.

Solutio.

Sed enim propter hæc non est à priori sententia recedendum, quam, præter alios, ex antiquioribus conceptis verbis docuit S. Ambrosius lib. 3. Offic. cap. 14. Tom. 1. dicens: *Hoc patefacto indicio*, mutationis scilicet aquæ in ignem, *Rex Persarum eo loco, in quo ignis fuerat absconditus, & postea reperta est aqua, templum fieri mandauit; cui inferebantur dona plurima.* Et ipsi Septuaginta Interpretes videntur indicare, qui sic habent: *Circumsepiens autem Rex, templum fecit*, hoc est, circumdans muro putei locum, templum erexit. Et Mariana in Scholiis ait: *Fecit & templum, scilicet in eo puteo vbi fuit ignis*, id est, prope; quia certum est, in puteo templum fieri non potuisse; & meritò prope factum fuit, vt indicaretur miraculum ibi patratum, fuisse Regi extero probatum. Denique nomen loco impositum idem indicat. dicit enim sacer Textus: *Appellauit autem Nehemias hunc locum Nephthar, quod interpretatur purificatio. Vocatur autem apud plures Nephi*, 2. Machab. 1, 36. *Locum* dixit, non Ierosolymitanum templum; nec hoc posteà isto nomine appellatum inuenitur. Et quamuis dixerimus esse sacellum, vel superstites ruinas sacelli signum, non obstat; nam exiguus etiam locus alioqui sacer templum dicitur, vt constat, & pluribus hæc indicat Seratius quæst. 14. Ad rationem in contrarium dicendum, illam non obstare: quia licet interdictum fuerit extra Ierusalem sacrificare, hoc intelligendum communiter, & malo fine, vt non vero Deo, sed idolis cultus exhibeatur; non similiter, si existat rationabilis aliqua & peculiaris causa, qua tunc licitè vero Deo in omni loco sacrificia offeruntur. Hoc probatur in primis exemplo Eliæ Prophetæ, qui extra Ierusalem in monte Carmelo erecto altari, super illud sacrificauit, vt tolleret cultum Baal, & veri Dei exaltaret; & benè fecisse, ignis de cælo demissus, qui vorauit holocaustum, comprobauit. Præterea clarius idipsum anteà à vulgaribus hominibus nedũ inculpatè, sed laudabiliter factum nouimus. Cùm filij Israël, qui erant cis Iordanem, intellexissent fratres suos trans-Iordanitas, tribus Ruben, Dan & dimidiam Manasse, ædificasse iuxta Iordanem altare infinitæ magnitudinis, profecti fuerunt contra illos, vt de eisdem tamquam de magno patrato facinore vindictam sumerent: sed cùm intellexissent non malo, sed bono fine, non vt separarentur à Deo, sed vt eidem magis cum fratribus suis copularentur, vnoque humero omnes illi seruirent, placati illi, nedum non vlti sunt factum illud, sed laudauerunt, & Deo gratias egerunt. *Quibus auditis*, inquit sacer Textus, *Phinees sacerdos, & Principes legationis Israël, qui erant cum eo, placati sunt: & verba filiorum Ruben, & Gad, & dimidiæ tribus Manasse, libentissimè susceperant.* siue, vt habet Hebr. *Hoc totum visum est ijs bonum*; seu, *Fuit in eorum oculis bonum. Dixitq; Phinees filius Eleazari sacerdos ad eos: Nunc scimus quòd nobiscum sit Dominus, quoniam alieni estis à prænaricatione hac*, &c. Ios. 22, 30. Lege Serarium in caput 22. Ios. quæst. 3. Et sanè vt filij Israël, quia siccis pedibus per medium Maris rubri & Iordanis transiuerunt, ibi in tanti prodigij monumentum laudabiliter lapides erexerunt; ita cum laude, ob illius ignis miraculi perpetuam memoriam conseruandam, memoratum templum erectum fuit prope puteum.

Ratione existente, extra Ierusalem sacrificare licitum.

In memoriam miraculi ædificatum.

Obiectio.

Si dicatur: Miraculum accidit in templo Ierosolymitano, ideò ibi debuit illius memoria conseruari. Respondeo, verum esse; sed prius miraculum fuit in puteo, quando ignis in aquam crassam conuersus fuit, & ex isto processit aliud in templo miraculum. Et præterea iam erat in sancta Ciuitate ob plura memorabile templum Domini erectum.

Solutio.

Aduerto denique, posse dici illud ædificium non esse extra Ierusalem, quia est prope, in eius videlicet suburbiis, vt dictum

fuit. Nec vmquam in Scriptura conſtructio templi Salomonis Regi Artaxerxi tribuitur; non ergo hic de Ieroſolymitano Salomonis templo ſermo eſt.

Difficultatis ſolutio. Dubitant Doctores de intentione Artaxerxis circa dicti templi extructionem, an ignem honorare ex Perſica ſuperſtitione voluerit, an potiùs mirabilium omnium effectorem Deum, qui & aquam ardere faceret, & eamdem ex igne produceret. Reſpondendum cum Torniello, & aliis, quòd licet non ſit facile aliquid certi ſtatuere, in meliorem partem eſſe interpretandam: Primò, quia Eſther Regina & Mardochæus ea occaſione videntes Regem ad pietatem propenſum, non omiſerunt rectè dirigere, præſertim non ignarum veri Dei, vt ex eius decreto pro Iudæis perſpicuum eſt Eſther cap. vlt. 16. Secundò, quia nec Nehemias nec Iudæi alij permiſiſſent, alteri quàm vero Deo templa erigi Ieroſolymis, ſcientes, quanta paſſi fuerint propter ſuorum anteactas idololatrias.

CAPVT XVI.

Duæ difficultates, quæ infirmare videntur dicta Capite præcedenti de puteo Nehemiæ.

COntra dicta Capite præcedenti de puteo Nehemiæ & ignis ex veteri recepta traditione, & Scriptura ſacra duplex occurrit difficultas; altera, qua impugnatur dicta ignis hiſtoria: altera, qua, non in dicto puteo fuiſſe abſconditum ſacrum ignem, ſi fuit abſconditus, probatur.

Argumentum primum, quòd Machabæorum libri Canonici non ſint. Quantum ad priorem, redditur difficilis creditu illa hiſtoria, quoniam fabellam eſſe aliqui opinantur; ea moti ratione, quòd Machabæorum libri non ſint de Canone ſacræ Scripturæ; idque aſſeuerant non modò Iudæi & hæretici, ſed etiam quidam ex Scriptoribus Catholicis. Gloſſa ordinaria 2. Machab. 1. ſequentia litteris mandauit: *Hæc quippe, qui Ieroſolymitani Iudæi, ſcribentes ad eos qui per Aegyptum fuerunt Iudæos de igne reperto in puteo, in ſimilitudinem aquæ craſſæ conuerſo, neque in Eſdræ, neque in Nehemiæ ſcriptis aut dictis alicubi reperire potuimus, ſicut nec illud quod in poſterioribus cap. 2. de Arcæ & tabernaculi abſconſione per Ieremiam aſſerunt, nullo modo in ipſius Ieremiæ libro ſcriptum inueniri poteſt: vnde conſtat, hæc illos aut maiorum ſuorum traditione didiciſſe, aut in apocryphis eorum libris exarata reperiſſe. Nos ergo quod incertum eſt relinquentes, ad ea, quæ certa Canonicorum librorum atteſtatione eſſe manifeſtum eſt, calamum conuertamus.* Hæc Gloſſa. Alij ſimiliter fabuloſa eadem eſſe dicunt; & quòd falsò hæc aſſeruntur ex dictis Prophetarum.

Secundum. Addam & alterum, quod tamquam apocryphum tangit Gloſſa ex 2. Machabæorum 1. Quòd *cùm in Perſidem ducerentur patres noſtri* captiui, &c. non in Perſidem, ſed in Babyloniam ducti fuerunt Iudæi. Hæc & alia, quæ breuitatis cauſa omitto, fuſiùs videri poſſunt apud Sixtum Senenſem lib. 8. Bibliothecæ ſanctæ, Bellarminum Tomo 1. lib. 1. de Verbo Dei cap. 15. & lib. 1. de Purgat. cap. 3. & alios, quibus probatur, Machabæorum libros nullius eſſe auctoritatis, ac conſequenter approbanda non eſſe, quæ de illo puteo & igne aſſeuerantur.

Reſponſio. Duo Machabæorum libri Canonici ſunt. Sed enim hæc dictis obſtare nullatenus debent; nam duos priores Machabæorum libros, in quibus iam memorata de puteo illo & igne continentur, pro Canonicis recipit Eccleſia, & antiquitus ſancti Patres vt Canonicos venerati ſunt; & denique ſancta Tridentina Synodus illos adſcripſit in Catalogo librorum Canonicorum: quare ablata eſt omnis dubitandi occaſio, & omnia conſequenter in ipſis contenta de fide tenenda ſunt, & quæ refragari videbantur diluenda.

Ad primum Cùm primò dicitur, non eſſe illos libros tamquam Canonicos admittendos, quia illorum Scriptor ignoratur: quidquid ſit de antecedente, reſpondetur negando conſequentiam; quia non ideò confitemur libros aliquos eſſe Canonicos, quia eorum Scriptor ſciatur, vel non, hoc enim nihil ad id facit; aliàs libri alij verè Canonici, quorum Scriptores ignorantur, expungerentur é ſacris Bibliis, & plures alij non Canonici in eorum locum ſubrogarentur, de quorum Scriptoribus non dubitatur; quod admittendum non eſt. Sed ideò illos pro Canonicis recipimus, quia tales approbat Eccleſia. vnde S. Auguſtinus de huiuſcemodi libris ait lib. 18. de Ciuitate Dei cap. 36. *Machabæorum libros non Iudæi, ſed Eccleſia pro Canonicis accipit, propter quorundam Martyrum paſſiones vehementes, atque mirabiles; qui, antequam Chriſtus veniſſet in carne, vſque ad mortem pro lege Dei certauerunt, & mala graniſſima atque horribilia pertulerunt.* Hæc S. Auguſtinus.

Cùm dicitur, memorata non reperiri in libris Nehemiæ, vel Ieremiæ, Reſpondeo dupliciter: Primò, illo conceſſo, id nobis non officere; quoniam ſufficit ea ſcripta in vno Canonico libro, qualis eſt primus & ſecundus Machabæorum, vt diximus. Si dicatur, rem quidem ita ſe habere, ſi in libro, vbi hæc notantur, non deſignarentur

alij

alij Auctores, vel codices, sed si citantur, & non inueniantur, vt accidit in casu nostro, illa suspicione non carent.

Dicendum, id in proposito non officere, nec falsas auctoritates Ieremiæ adduci; nam sunt aliquæ eius traditiones, vel commentaria, quæ licet non sint in Canone, non sequitur non esse Ieremiæ. Ita Sixtus Senensis. Et certè S. Hieronymus in cap. 27. Matthæi testatur, se legisse quemdam apocryphum Ieremiæ librum, quem ei Iudæus quidam Nazarææ sectæ attulerat. Nec est inconueniens, sacrum Scriptorem libri Machabæorum adduxisse scriptorem non sacrum, hoc est Scripturam in Canone non contentam; nam id ipsum ab aliis sacris Scriptoribus cum laude factum nouimus, vt patet Tit. 1, 12. 1. Corint. 15, 33. Act. 17, 28. & alibi; & licitum & laudabile esse docent sacri Doctores. Videatur D. Hieronymus in Epist. ad Magnum Oratorem Romanum, D. Augustinus lib. 2. de Doctrina Christiana paulò ante finem, & dist. 38. c. Legimus.

Sacer Scriptor licitè non sacrum adducit.

Vel secundò dicatur, prædictorum mentionem quidem factam fuisse in Scriptura citata, sed fortè illius partè, in qua dicta recensentur, periisse: vel etiam extare, & ignis sacri factam mentionem Nehem. 12, 42. secundùm Riberam lib. 5. de Templo c. 17. ignis verò, & aliorum, quæ 2. Machab. 2. memorantur, Ierem. 50, 7. & 8. ibi enim prædicit Propheta perspicuè ignotum fore locum, *donec congreget Deus congregationem populi*, id est, ex Babylone in terram Israël, *& propitius fiat. Et tunc*, inquit, *Dominus ostendet hæc, & apparebit maiestas Domini, & nubes erit, sicut & Moysi manifestabatur, & sicut cùm Salomon petiit vt locus sanctificaretur magno Deo, manifestabat hæc.* Lege P. Augustinum Torniellum Tomo 2. Annal. M. A. 3610. à num. 13. vsque ad 15.

Patres verò, qui oppositum sentire videntur, piè explicandi sunt, dicendo, alios non acceptasse illos libros pro Canonicis; nec tamen culpandi, quia illorum fortasse tempore Ecclesia pro Canonicis illos non acceptauit: alios verò dixisse, non esse de Canone synagogæ videlicet Iudæorum, vt verè non sunt; non tamen negauerunt esse de Canone S. Ecclesiæ. Et præterea, si aliqui dixerunt, non esse vllo modo de Canone; neminem tamen credo illis negaturum fidem illam quæ probato & fide digno Historico præstaretur. Sed solutio difficultatis est de fide tenenda.

Ad secundum

Ad illud de Perside ex cap. 2. lib. 2. Machab. respondeo quadrupliciter; Primò cum doctissimo Cardinali Bellarmino, Auctorem illius libri vocare Persidem, non solùm eam regionem quæ propriè dicitur Persis, sed etiam alias finitimas; quod patet ex 1. Machab. 6, 5. vbi nuntius qui venit in Babylonem ad Antiochum, dicitur venisse ad eum in Persidem, at Babylon propriè Persis non est. Et hic scribendi modus minimè alienus est à scribendi genere aliorum Scriptorum: nam Chrysostomus Homil. 6. in Matth. dicit, Iudæos ex captiuitate Persica liberatos; quia ex captiuitate Babylonica fuerunt liberati.

Persis regio qua dicatur.

Dico secundò, Pro Babylone dixisse Persidem; quia loca quæ tunc Babylonij tenebant, anteà ad Persas ab illis debellatos pertinebant; & ab eo quod fuit dedisse denominationem Auctorem secundùm Scripturæ consuetudinem. Lege quæ notauimus Lib. 11. Cap. 111. §. Si tertiò.

Tertiò, posuit Auctor libri Machab. Persidem pro Chaldæa; quia versus Persidem ducti fuerunt Chaldæi.

Ac denique quartò; quia reuerà illorum plerique in Persidem Cyro rerum potiente deducti fuerunt.

Quantum ad posteriorem difficultatem, de loco vbi ignis ille fuit absconditus, non eadem est omnium sententia. Alij apud Adrichomium in Descriptione Ierusalem num. 62. dixerunt, ignem illum absconditum fuisse in Probatica piscina.

De loco absconditi ignis sententia.

Prima, in Probatica piscina.

Alij apud eumdem in Ruben num. 2. asserunt, ignem sacrum cum altari incensi fuisse absconditum in monte Abarim, qui est trans Iordanem, vbi fuit quadragesima prima mansio filiorum Israël, in puteo, cisterna, vel spelunca eiusdem montis. Nec multum ab hac sententia dissentit Torniellus vbi suprà num. 14. dicit enim, in monte Nebo cum arca & aliis, quæ simul cum igne inuenta fuere, fuisse absconditum ignem sacrum.

Secunda, in spelunca montis Abarim.

Ceterùm non probatur horum sententia; in primis enim vtrique refragatur communis & vetus recepta traditio. Et prior ex sacra Scriptura falsa deprehenditur, quæ dicit, sacerdotes abscondisse occultè in valle vbi erat puteus altus & siccus; at intra ciuitatem non est vallis, præsertim Iosaphat, quemadmodum antonomasticè hîc nomine vallis, vallem Iosaphat, quoniam ceteris potior, meritò quidam intelligunt. Et sanè de aliqua valle Ierosolymitana loqui voluit sacer Scriptor; nam si de altera vltra Iordanem vel distantiori loqui voluisset, ad pleniùs noscendum alia addidisset; & per hoc refellitur posterior sententia. Præterea non videtur probabile, in Probatica piscina, ex se profunda satis, fuisse altum puteum: ad quem enim vsum fuit ædifi-

Refelluntur

Primum

ædificatus? & si fuisset, non siccus, sed plenus aquis Probaticæ piscinæ extitisset, imò & supernatassent.

Secunda. Posterior item non probatur sententia: non enim video, quomodo tunc temporis ignis & Arca potuerint commodè transferri vltra Iordanem in montem Abarim, vel Nebo; sed benè, commodiùs recondi potuerunt in indicato à nobis puteo, qui tantùm circa medium milliaris distat à sancta Ciuitate, vnde & commoditas breui recipiendi erat.

Denique Scriptura sacra apertè dicit, non in monte Abarim, vel Nebo, sed in valle fuisse absconditum ignem. Etsi enim 2. Machab. 2, 4. dicatur, in monte, in quo Moyses ascendit, & vidit Dei hereditatem, Ieremiam inuenisse locum speluncæ, & tabernaculum, & Arcam, & altare incensi intulisse illuc, & ostium obstruxisse; non tamen id dicitur de igne in monte, sed in valle.

Obiectionis solutio. Nec valet, dicere simul inuenta fuisse, & eodem tempore; nam præterquam quod id non constat, & voluntariè dictum est, dicimus, simul omnia inuenta fuisse, scilicet circa idem tempus, non tamen omnia in eodem loco, sed ignis in dicto puteo: cui conueniunt conditiones quæ de eodem in Scriptura notantur. Alia alibi.

Nec facit difficultatem, quòd Scriptura dicat illum caruisse aqua, quam continet in præsentia: nam cùm & putei ipsi aliquando siccentur, potuit & iste tunc temporis exsiccari; sed postea aquæ, cursu suo mutato, iterùm ad eumdem fluxerint, vt & in præsentia fluunt.

Anno ab orbe condito 3879. ignis ille sacer, qui olim ex aqua crassa sub Nehemia mirabiliter eductus fuerat, ac deinceps in altari holocaustorum à sacerdotibus ingi lignorum appositione vsque ad hæc tempora conseruatus, vt sub indicato anno n.6. notauit Torniellus, mirabiliter quoque, ob Iasonis & Menelai simoniæ aliorumq; scelerum detestationem, extinctus fuit, vt ex D. Augustino tradit S. Antoninus Histor. 1. Part. tit. 4. cap. 4. §. 13. & refertur 1. quæst. 1.

Simonia peccatum ignis extinctus.

Circa diligentiam sacerdotum conseruandi sacrum ignem, quando captiui in Babylonem ducti fuerunt Iudæi, S. Ambrosius lib. 3. de Officiis c. 14. notabile deducit documentum, charitatem & eius conseruationem in igne significatam, esse ante omnia curandam, &c. Et hæc de puteo Nehemiæ siue ignis, octauo huius Peregrinationis loco, dicta sufficiant.

Charitas sollicitè conseruanda.

CAPVT XVII.

De valle Gehennon, & luco Topheth, nono loco septimæ Peregrinationis.

DE valle Gehennon & luco Topheth, nono huius Peregrinationis memorabili loco, in præsentia agendum est.

In suburbiis sanctæ Ciuitatis & parte eius Orientali, vergente tamen ad Austrum, in extrema ac propinquiori parte vallis Raphidim, sub monte Offensionis, ad Meridiem fontis Siloë est vallis illa Gehennon dicta, in qua antiquitus lucus erat, in quo turpissimis crudelissimisque sceleribus & idololatriis fuit Deus optimus maximus offensus. De his modò agentes tria notabimus, primò, horum locorum conditionem; secundò, multiplicia ipsorum nomina, & eorumdem significationem; tertiò, præcipua in ipsis operata.

Situs vallis Gehennon.

Quantum ad primum, vallis Gehennon est profunda, pulchra ac spatiosa, olim hortis, vineis atque arbonbus consita, quæ alluitur ac fecundatur aquis fontis Siloë, & torrentis Cedron. In valle ista erat insignis idololatriæ lucus, Topheth appellatus, à quo & vallis denominatur. Frequens fit horum mentio in sacris Litteris. Ex dicendis magis ipsorum conditio eluceſcet.

Descriptio.

Et quantum ad secundum, memorata vallis nuncupatur vallis *Gehennon*, siue *Benhennon*, siue *Behennon*, *Topheth*, & *Moloch*. Gehennon, vel Behennon, vallis dicebatur ab illius emptoribus, vel possessoribus, id est, vallis filiorum Ennon, quia Ennon illam emit pro filiis suis; Topheth verò & Moloch, ab idololatria, quam dæmonibus ibi exercuerunt filij Iuda, vt docent D. Hieronymus, Lyranus, & alij. Ieremiæ 7, 31. vbi agitur de idololatria filiorum Israel, sequentia leguntur: *Et ædificauerunt excelsa Topheth, quæ est in valle filij Ennom, vt incenderent filios suos & filias suas igni: quæ non præcepi, nec cogitaui in corde meo*, &c. In quæ verba sic scribit S. Hieronymus: *Topheth, quæ est in valle filij Ennon, illum locum significat, qui Siloë fontibus irrigatur; & est amœnus atque nemorosus, hodieq; hortorum præbet delicias. Hic autem gentilitatis error omnes prouincias occupauit, vt ad capita fontium lucosq; amœnissimos victimas immolarent, & omnis prauæ superstitionis religio seruaretur. Topheth lingua Hebræa interpretatur latitudo: scriptumq; fertur in libro Iosue filij Nun de hoc loco, qui est in valle filij Ennon, & Hebraicè dicitur* גיא הנם, גיא *quippe* φάραγγα, *hoc est vallem,*

Nomina, & significatio.

Behennon ab emptore dicta.

Topheth & Moloch, ab idololatria.

Locus idololatriæ deputata amœna.

&

Gehenna ab ista valle dicta.

& הנם, *vel hominis nomen, vel gratiam sonat*; *tradunt q; Hebræi, ex hoc loco appellatam Gehennam; quod scilicet omnis populus Iudæorum ibi perierit, offendens Deum. In quo loco etiam filios suos in igne idolis consecrarint, siue holocaustum obtulerint: quæ non præceperit eis, nec vlla legis iusserit sanctione.* Hactenus loco citato S. Hieronymus. Et de locis Hebraicis inquit: *Topheth legimus in Ieremia Aram-Topheth; est autem in suburbanis Aeliæ vsque hodiè locus qui sic vocatur iuxta piscinam Fullonis, & agrum Acheldema.*

Lyranus verò in ea verba 4. Reg. 23, 10. *Contaminauit quoque* Iosias *Topheth, quod est in Conualle filij Ennom*, inquit: *Contaminauit quoq; Topheth, id est, idololatriam idoli Moloch, quæ vocabatur Topheth, quod significat tympanum, seu tympani sonitum; eò quòd sacerdotes illius idoli percutiebant in tympanis, ne parentes audirent clamorem filiorum suorum in manibus idoli morientium, sicut dictum fuit suprà 16. & Leuit. 18.* Moloch verò erat idolum, cui filij Israël sacrificia offerebant filios & filias: ferturq; in hac valle fuisse tabernaculum in quo stabat huiusmodi idolum. Lege Bedam libro de Locis sanctis cap. 6. & plura in hoc argumentum apud Pinedam de Rebus Salomonis lib. 7. cap. 10. & 11.

Moloch idoli forma.

Erat illud idolum æneum figura Regis fabrefactum, intus concauum; cuius caput vitulum, pars verò reliqua hominem exprimens, brachia ad immolandum filios habebat extensa: qui vehementi idoli calore inter eos nefarios amplexus comburebantur, vt ex aliis notauit Adrichomius in Descriptione Ierusalem num. 186.

Vsus.

Duplex modus transferendi filios per ignem.

Illud autem duobus modis fieri poterat, vt docet Lyranus 4. Reg. 16, 3. indicans quomodo Achaz huic idolo vnum & alterum filium sacrificauerit, in ea verba, *Insuper & filium suum consecrauit, transferens per ignem secundùm idola Gentium*, &c.

Primus.

Primo quidem, inquit, ponendo filium in brachiis illius igniti idoli, & sacerdotes idoli percutiebant in tympanis, ne patres audirent clamorem pueri morientis, & crederent ipsum sine afflictione transisse ad gloriam; & propter hoc, locus ille vocatur Topheth, quod significat tympanum in Hebræo. Et sic quod dicitur hîc, inquit Lyranus, *transferens per ignem*, intelligitur de translatione de vita præsenti ad aliam.

Secundus.

Secundo modo intelligitur, quòd sine morte transferentur filij: ex hoc enim quod ignis habet virtutem purgatiuam, sicut videmus, quod metalla à rubigine & impuritate purgantur per ignem; sic credebant antiqui, quod purgaret ab impuritate spirituali, & vsque hodie credunt hoc Tartari: & ideò extranei venientes ad præsentiam Imperatoris transeunt inter ignes factos hinc & inde, vt sic purificati appareant coram ipso. Et forsitan vtroque modo Achaz idololatra fecit de filiis, vnum transferens per ignem primo modo, offerens ipsum idolo, alios autem purgans per transitum inter ignes. Vnde hîc dicitur in singulari, *filium suum consecrauit*, &c. quasi designans, illum translatum per ignem de vita præsenti per mortem. Et huic modo dicendi concordat Iosephus dicens, quod Achaz filium suum immolauit idolo in holocaustum. Holocaustum enim est sacrificium totum incensum. In 2. verò Paralipom. 28. dicitur, quòd Achaz lustrauit, id est, purgauit filios suos in igne; quasi in hoc designans, alios filios suos purgatos secundo modo prædicto. Et non solùm Achaz, sed etiam Manasses, Reges Iuda, cum aliis de plebe, secundùm ritum Gentium, dilectissimos filios suos immundo Moloch parentes holocaustum obtulerunt, vt sacra Regum & Paralipomenon testatur Historia. Ita ex Lyrano.

Maximè crudelis immolatio, ideò summè abominata.

Arbitror tamen, ordinariè immolari solitos filios priori modo, vt ferè omnes docent; & ex eo probatur, quod præ ceteris falsis cultibus, hunc summoperè propter magnam crudelitatem abominatus est Dominus, omnis pietatis & misericordiæ parens. Sed & sequentia accipe ex aliis.

Ara idoli Moloch septem conclauia habuisse dicitur; quorum primum aperiebatur offerentibus similam; alterum, turtures; tertium, ouem; quartum, arietem; quintum, vitulum; sextum, bouem; septimum, filium.

Quàm verò acerbæ execrandæque essent paruulorum pœnæ qui in Molochio sacrificio cremabantur, ex eo apparet, quòd Saluator nolter per analogiam infernum, damnatorum locum, Gehennam appellauit Matthæi 10, 28. vt docet S. Hieronymus: quem lege in 2. Paral. 33. in locis Hebraicis litt. S. & T. in Matth. cap. 10. & in Ierem. cap. 2.

Vt verò huiusmodi cultus crudelissimus est, & nedum animabus, sed etiam corporibus nocentibus & innocentibus noxius, & Moloch idolum inter alia præcipuum & execrandum; ita piissimus & omnium creaturarum Auctor Deus summopere detestatus est, vt innuimus, & nefarium illum cultum prohibuit. In eo euertendo aliquorum Regum Iuda pietas maximè enituit, sicut & in eodem erigendo aliorum impietas apparuit.

Et primus omnium qui hoc execrandum idolo-

Salomon hanc idololatriam introduxit.

idololatriæ genus in populum Dei introduxit, fuit Salomon ille Rex Israëlitici populi eximiis à Deo affectus beneficiis, cui nullus alius similis in potentia, sapientia & diuitiis surrexit, nec in posterum surrecturus sit, vt illi dixit Dominus. *Aedificauit Salomon fanum*, vt dicitur 3. Reg. 11, 7. *Moloch idolo filiorũ Ammon.* Et suo execrando exemplo ceteris dedit manus. Paulus enim Palatius colligit non ineptè ex Ecclesiast. 47, 22. vbi de Salomone dicitur, *Profanasti semen tuum inducere iracundiam ad liberos tuos*; vt vel ex eo scelere maximè videatur tum in Salomonem tum in eius posteritatem ira diuina concitata: & cùm alium non legamus filium quàm Roboam, ac duas filias, dicendum, si alios ex tot vxoribus & concubinis suscepit, malos malè perdidisse insanam parentis religionem, & funestum illum ac nefarium Molochium ignem: quem posteà alij Reges, & alij de plebe scelesti homines imitati fuere.

Propter illam in Salomonis posteritatem indignatus Deus.

Destruxit illum Iosias.

Sed successit piissimus Rex Iosias, qui vt Dei voluntatem adimpleret, ac tam detestandę crudeliq; insaniæ occurreret, statuam Moloch contriuit, lucum eius succendit, loci amœnitatum cadauerum, ossium aliorumq; immundorum spurcitiis fœdauit, atque in perpetuum huiusmodi sordium atque immunditiarum receptaculum destinauit, 4. Reg. 23, 10.

Deus ille crudelitatis vindex.

Et ter optimus maximus Deus, vt quantum execraretur crudelem illum cultum ostenderet, atque ab illo arceret vniuersos, maximas de delinquentibus sumpsit pœnas in cæde videlicet suorum filiorum, vt in quo deliquerant punirentur. Etenim in valle Gehennon & Topheth ita populi multitudo cæsa fuit, vt non vocaretur ampliùs locus ille Topheth, sed Polyandrion, hoc est, tumulus multorum mortuorum; quorum cadauera ibi insepulta auibus cæli & bestiis terræ facta sunt esca, vt signis conceptisq; verbis à Ieremia fuerat prænuntiatum: quod quidem ex parte impletum fuit in Babylonica captiuitate, pleniùs tamen tempore Saluatoris, inquit D. Hieronymus in cap. 19. Ieremiæ, quando Iudæi obsessi fuere à Vespasiano & Tito; eorumq; ciuitas tempore Imperatoris Adriani in æternos cineres collapsa est: vt qui obtulerant filios suos idolis, ipsi eos posteà, famis necessitate compulsi, in ciborum vsum verterent; carnesq; omnium darentur volatilibus cæli, & bestiis terræ: vt qui Domini muneribus abusi fuerant in impietatem, & propria viscera idolis immolarant, ventres tuos sepulchra facerent liberorum. Hæc & alia notato loco sancti Hieronymi, quæ fusiùs apud Iosephum de Bello Iudaico videri possunt.

Fana non tantùm in valle, sed etiam in colle.

Aduertendum, fana idolorum non tantùm in valle, sed etiam in propinquo colle fuisse ædificata; vbi etiam nunc temporis cernuntur. *Excelsa* Hebr. legit *statuam*.

In valle Gehennon Angelus sub Ezechia Rege occidit Assyrios: Iudæi quasi id non Deus, sed Moloch fecisset, templa & aras in eius honorem construxerunt. Ita Mariana in c. 7. Ieremiæ vers. 31. Lege eumdem cap. 31. vers. 40. Et ex his tertium de loco isto supra propositum apparet.

CAPVT XVIII.

Nominis Topheth primaria origo.

DE valle Topheth acutè satis agit Ioannes Villalpandus Tom. 3. Apparatus; paucis lib. 2. cap. 13. pluribus lib. 3. cap. 25. Ex quo illud adnotandum breuiter hìc videtur, quod ipse plùribus ex Scriptura sacra & D. Hieronymo deducit, quantum ad nominis eius etymon. *Topheth* quidem omnium consensu Hebræorum tympanum significat; sed quare? Plures scriptores respondent, propter tympana in ea valle personari solita, dum coram parentibus viui infantes idolo Moloch comburebantur, vt notauimus Capite præcedenti. Optima quidem ratio; sed ea priorem alteram & præcipuam inuenimus: quia in ea festiuis diebus, in hortis amœnisque eius vallis lucis ac locis choreas ducebant; vel idolis vel sibi ipsis indulgentes hilariter tympana tangere consueuerant Ierosolymitani ciues; quorum lætitiæ ac voluptati debitas comminatus pœnas Isaias inquit: *Cessauit gaudium tympanorum, quieuit sonitus latantium, conticuit dulcedo citharæ*, Isa. 24, 8.

Topheth idem quod tympanum.

Ratio prima huius nominis, est à voluptate.

Esse verò hanc significationem priorem ac præcipuam, ex eo in primis probatur, quod Iob 17, 6. vbi Vulgata legit, *Posuit me quasi in prouerbium vulgi, & exemplum sum coram eis*, Hebraica veritas habet, *Topheth lepanim, portentum facicbus*: hoc est, omnibus me prospicientibus admirabilis videbar, vel priùs, præ nimia pulchritudine & felicitate; vel posteriùs, præ nimia dolorum ac miseriarum quibus premebar copia. Igitur cùm Iob meminerit Topheth, qui plura præcessit sæcula, sacrilegi illius idololatriæ apud Ierosolymitas cultus immolandi filios per ignem ad sonitum tympanorum, consequens est, alteram esse priorem & præcipuam significationem.

Deinde Ieremiæ 7, 32. postquam Dominus de Topheth locutus fuisset, vbi immani illa idololatria offensus fuit, subdit:

Ideò

Digitized by Google

Ideò ecce dies venient, dicit Dominus, & non dicetur amplius, Topheth, & Vallis filij Ennom, ſed Vallis interfectionis, &c. Si prior illa ſignificatio tantùm Topheth conueniret, imò ſi poſteriùs adducta illam non præcederet, tali non fuiſſet vſus antitheſi, *Non dicetur*, &c. Si Topheth nomen immanem illam puerorum carnificinam præcipuè ſignificaret; (poteſtne enim excogitari alia immanior & crudelior occiſio?) igitur ſi oppoſita ex eorum collatione cognoſcuntur, & Topheth opponatur Vallis interfectionis, dicere oportet, Topheth locum delicioſum & voluptuoſum ſuo principali ſignificatu importare.

Et confirmatur: Quia ſi nomina rationabiliter impoſita naturam rerum nominatarum ſignificant, cùm vallis Topheth ſit Siloë fontibus irrigua, amœna, nemoroſa, hortorum præbens delicias, vt Capite ſuperiori diximus ex D. Hieronymo, & ad voluptates ſectandas idoneus locus ab idololatris illis electus, dicendum eſt, nomen Topheth ſua primaria ſignificatione voluptuoſum amœnumque locum ſignificare. Et ampliùs: Si Topheth lingua Hebraica interpretatur latitudo, hoc eſt ex nobili conditione loci, quòd adeò amœnus, nemoroſus pulcherque ſit, vt in eo exhilarentur & dilatentur hominum corda, debet ex ſua præcipua ſignificatione locum amœnum ac voluptuoſum ſignificare.

Dubium. Dices: Si Topheth, & vallis Gehennon ſignificat præcipuè locum deliciis & voluptatibus refertum, quomodo vſurpatur ad ſignificandum obſcuriſſimum & miſerrimum inferni locum, in quo damnati inexplicabiles pro admiſſis ſceleribus pœnas luunt? Saluator enim noſter, vt anteà diximus, teterrimum illum locum non ſemel Gehennam nominauit.

Reſponſio. Reſpondendum, quando aliqua nomina accipimus ad aliud tranſlatiuè ſignificandum, non ſemper ea vſurpari ex illo quod primò ſignificant, ſed ex notiori ſignificatu. Sodomitica regio, vt erat opulenta & delicioſa, ita paradiſum Domini ſignificabat; & nihilominùs Iſaias 1,9. eadem vſus eſt ad ſignificandum execrandam miſeriam & ingentem deſolationem Iudæorum, dicens: *Niſi Dominus exercituum reliquiſſet nobis ſemen, quaſi Sodoma fuiſſemus, & quaſi Gomorrha ſimiles eſſemus.* Et quare opulentis olim vrbibus vſus eſt ſanctus Vates ad ſignificandam extremam calamitatem? quia ſuo tempore receſſerat ab illis amœnitas, & aduenerat calamitas, *facta terra fructifera in ſalſuginem*, vt dixit Regius Vates Pſalm. 106, 34. Ita Saluator conſiderans poſteriorem & magis apparentem vallis Topheth execrandum & abominabilem ſtatum, priori relicto, illo vſus eſt ad pœnas inferni ſignificandas. Quòd ſi ad priorem & propriam ſignificationem reſpexiſſe contendas; dicas, per ironiam antithesimve à contrario ſenſu fuiſſe locutum Reparatorem noſtrum, vt frequenter fit, & notamus Lib. VII. Cap. v. 11. Peregr.

Breuiter itaque dicendum, ab euentu deſumptam fuiſſe denominationem Topheth: & Primò, quòd omnis populus Hebræorum ibi periit, offendens Deum. Secundò, quia ibi in igne viuentes filij velut in inferno cruciabantur. Tertiò, quia locus iſte à piiſſimo Ioſia ſordibus ac beſtiarum putidis cadauenbus horrendus haberi cœpit, atque abominabile ſpectaculum.

Peccati malitia quanta. Hinc colligendum arbitror, quòd quemadmodum peccatum ex Angelo fecit dæmonem, ita ex paradiſo infernum conſtituit. Regio illa Sodomitica regiis vrbibus omnibusque affluens bonis, adeò vt Paradiſo Domini comparata inueniatur; verùm propter inhabitantium peccata, omni decore & gratia ſpoliata remanſit, *factæque ſunt* illius vrbes *exemplum, ignis æterni pœnam ſuſtinentes*, vt dixit S. Iudas Apoſtolus. Et Ieruſalem *vrbs perfecti decoris, gaudium vniuerſæ terræ*; quia *peccatum peccauit, inſtabilis facta eſt: omnes qui glorificabant eam, ſpreuerunt illam, quia viderunt ignominiam eius: ipſa autem gemens conuerſa eſt retrorſum*, vt dixit dolens Ieremias. Et quæ typus erat cæleſtis patriæ, à ſanctis Vatibus Sodomæ, Gomorrhæ & Ægypto confertur, vel etiam in impietate præfertur. Ideò non mirum, ſi Topheth lucus, & Gehennon, olim vallis & locus deliciarum, propter Dei offenſam, tormentorum & perditorum hominum locum ſignificet. Vtinam in his noſtra detineretur conſideratio, cognoſceremus inferni auctorem peccatum, & peccatores ſuis ſceleribus in ſeipſos violentas manus inferre, atque ſe æterna vita priuare. Vt enim olim Lucifer peccato ſeipſum de cælo in profundum laci deiecit, & Adam de paradiſo voluptatis in hanc miſeriarum vallem, ita quilibet peccator culpa & iniquitate ſua ſe priuat Regno cælorum, & æternam pœnam gehennamque ignis ſibi parat.

Thren. 2, 15.

Thren. 1, 8.

CAPVT XIX.

De monte Offenſionis & ſcandali, decimo loco ſeptimæ Peregrinationis.

DEcimus locus, qui in hac Peregrinatione ſe nobis conſiderandus obijcit, eſt mons Offenſionis & ſcandali. Circumde-

Ierosolyma diuina custodia.

cumdedit Deus optimus maximus dilectam sanctamque ciuitatem Ierusalem altissimis montibus, quibus tuta ab hostibus esse posset, iisque velut munitissimis turribus, non hominum manibus, sed arte diuina fundatis, vt à quibuslibet hominum incursionibus defenderetur, atque ex visibili illa externa custodia, non modò Dei inhabitans populus, sed & ipse populus nationum intelligeret inuisibilem, internam atque assiduam Dei erga Ierusalem custodiam, hocque pacto ille Deum vt Patrem honoraret, & reueretur; iste verò vt Dominum oculatissimum vigilem iustumque iudicem timeret. Quare sanctus Dauid hanc duplicem admirabilem planè custodiam sanctæ Ciuitatis contemplatus, dixit: *Montes in circuitu eius, & Dominus in circuitu populi sui*, Psalm. 124,2. *Montes*, &c. propter externam custodiam dixit, *& Dominus*, &c. propter internam, sine qua illa non prodesset.

Hebræorum ingratitudo

Verùm horum aliorumque complurium beneficiorum, quibus à Deo affectus fuit populus ille Iudaicus, immemor, ingratus, & duræ ceruicis, diuinis illis contemptis beneficiis, iis ipsis Deum offendit, summum ingrati animi vitium, vt pluribus tum per alios Vates, tum singulariter per Ezechielem conqueritur Dominus. Et non tantùm ignarus populus Deum offendit, sed & illi electi Reges ab eodem Deo maioribus cumulati beneficiis, pluribus idololatriis, diuersisque Gentium cultibus & superstitionibus offenderunt, non solùm in Ierusalem, sed in omnibus vrbibus Iuda, vt ex variis sacræ Scripturæ locis colligi potest. Sed nos de illis dumtaxat agemus, quibus offensus fuit Deus in suburbiis Ierusalem, offerente se occasione tractandi de vnico illo loco, vbi ædificata fuerunt excelsa idolis, constructa lupanaria: qui veteri traditione istarum partium ille idem esse asseritur, & vocatur communiter *mons Offensionis & scandali*. De isto tria videbimus; primò, situm eius, secundò, rationem nominis expendemus; ex quo apparebit tertiò quæ ibidem fuerint in Dei contemptum & hominum scandalum operata.

Ezech. 16.

Mons Offensionis & scandali.

Quantum ad primum, recolendum est, quod alias notauimus, sanctam Ciuitatem à parte Orientali circumdari alto prolixoque monte, hoc est, in directum porrecto ab Aquilone vsque ad Austrum ferè vrbis; qui mons Oliueti, vel Oliuarum appellatur, vt infrà de eo agentes explicabimus. Et quamuis sit hic mons vnus continuatione; nihilominùs, propter tria quæ ex ipso exurgunt distincta cacumina, in quibus diuersa operata fuere, distincta sortitus est nomina: quare, præter commune Oliueti nomen, quo frequentius totus nominatur cum partibus suis, dicitur etiam *Viri Galilæi*, ob rationem alias assignandam: à cacumine, quod est in latere & plaga Aquilonari montis, siue cacuminis principalis, commune nomen retinet; ab opposito verò Meridionali cacumine, *mons Offensionis & scandali* vsque in præsentem diem ab omnibus in ista regione appellatur, ob rationes mox adducendas.

Tria montis Oliueti cacumina diuersis nominibus appellata.

Sed numquid mons Offensionis, & scandali, sunt duo montes, secundùm nominum dualitatem, an potiùs vnus & idem duobus appellatus nominibus?

Dubium.

Christianus Adrichomius duos montes, siue idololatriæ loca distincta, in eodem Oliueti monte describit. In delineatione namque Ierusalem num 193. montem Scandali montem altum designat vltra torrentem Cedron in Aquilonari latere montis Oliueti, distantem ab Ierusalem quatuor stadiis: in quo Salomon, vxorum Gentilium instinctu, Chamos idolo Moabitarum fanum construxit; quod etiam Iosias confregit. Vbi Machabæorum tempore castrum ædificatum fuit, cuius indicia adhuc extare affirmat. Eodem loco num. 191. è regione montis Scandali, & in Meridionali plaga montis Oliueti, fontis Rogel, & lapidis Zoëleth, describit montem Offensionis, in quo Salomon Melchon idolo Ammonitarum fanum ædificauit suasu vxorum alienigenarum, illudque adorauit. Iuxta quosdam, fuit Pantheon omnibus idolis consecratum: quod annis trecentis sexaginta tribus integrum permansit; & tandem à Iosia Rege demolitum. Propè describit lucum Moloch, inferiùs item idolum Moloch, & vallem Gehennon.

Responsio Adrichomij

Non inficior, Salomonem iam totum deditum concupiscentiis innumerabilium feminarum, potuisse ad illarum voluntatem & voluptatem ædificasse delubra in vtraque Oliueti montis extremitate Septemtrionali, & Meridionali; præsertim quòd 3. Reg. 11, 7. dicatur, Salomonem in monte Oliueti, qui respicit templum & Ierusalem, vniuersis vxoribus suis alienigenis ædificasse idola: non quòd singulis mulierculis ædificarit singula fana, sed vel statuas, & idola, vel, vt interpretatur Nicolaus, quia omnibus eiusdem cultus ædificauit fana: & quia nedum in montibus, vbi frequentiùs idololatræ conuenire consueuerunt ad suas profanitates & obscœnitates explendas, sed etiam in vallibus, vt tum alibi, tum singulariter Ezech. 6. videre est. Itaque si in valle Gehennon luci

Statua idolorum in pluribus locis montis Oliueti.

&

& fana erecta fuere, quare non etiam potuerunt erigi supra montem Oliueti, non in vno modò, sed etiam in pluribus locis, & ita in Septemtrionali & in Meridionali plaga? Hæc quidem optimè: quare facilè admitterem, in pluribus locis Oliueti erectas fuisse varias idolorum statuas, præsertim quòd plurium fit mentio loco citato Regum; non tamen simili facilitate, tot, & in tòt partibus admitterem ædificata fana: quia in Scriptura solius montis Offensionis, & non Scandali fit mentio; & Villalpandus in sua veteris Ierosolymæ studiosissima imagine, inserta Tom. 3. sui Apparatus, montem dumtaxat Offensionis delineauit, nulla Scandali memoria facta. In præsentia illius dumtaxat conseruatur memoria sub vtroque nomine Offensionis & Scandali; & ingentia ibi cernuntur fundamenta & ædificiorum ruinæ in illius memoriam, non item alibi: quare vel in hac dumtaxat parte fana erecta fuere, vel sanè præcipuum, & Pantheon. Igitur & nos de solo isto monte, duplici indicato nomine, sermonem facimus.

Alia responsio.

Situs montis Offensionis.

Ex his habemus situm montis Offensionis & loci idololatriæ Salomonis, & suarum amicarum in Orientali plaga ciuitatis: quem amplius ex Scriptura sacra confirmo, & explico. Salomon ille à Domino innumeris cumulatus beneficiis, sed Deo ingratissimus; etenim *cùm esset senex*, vt dicitur 3. Reg. 11, 4. *depranatum est cor eius per mulieres* alienigenas, ita *vt sequeretur Deos* earum: vnde, relicto vero Deo, mendaces, qui dij non sunt, opera manuum hominum, *colebat*, *Astarthen deam Sidoniorum, & Moloch idolum Ammonitarum.* Quid amplius? Ad maiorem benefactoris Dei contemptum, & sacratissimi templi dedecus, *ædificauit fanum Chamos idolo Moab in monte qui est contra Ierusalem, & Moloch idolo filiorum Ammon. Atque in hunc modum fecit vniuersis vxoribus suis alienigenis, quæ adolebant thura, & immolabant diis suis.*

Summa Salomonis impietas & ingratitudo

Sed clariùs 4. Reg. 23, 13. vbi agitur de fanorum idolorumq; destructione & combustione per piissimum Iosiam Regem Ierusalem, locus notatur cum nomine hisce verbis: *Excelsa quoque, quæ erant in Ierusalem ad dexteram partem montis Offensionis, quæ ædificauerat Salomon Rex Israël Astaroth idolo Sidoniorum, & Chamos offensioni Moab, & Melchom abominationi filiorum Ammon, polluit Rex, & contriuit statuas*, &c. & locus & mons Offensionis communiter appellatur is de quo loquimur, estque contra Ierusalem & templum. Templum enim, quod nunc extat, ædificatum est vbi olim erat; & euersum fuit Salomonicum, vt docet Nicephorus: & omnes meritò in hoc conueniunt. Igitur is erit de quo Scriptura loquitur.

Idem prætereà ex illius situs conditione confirmatur. Ibi siquidem pulchra & spatiosa est planicies, ad secessus voluptarios valdè idonea; propè sunt aquæ, fons Rogel & Siloë, cum puteo Nehemiæ, & ad radices illius nemorosa ac deliciis affluens vallis Gehennon. Huiusmodi enim loca sibi eligebant idololatræ, ad magis explendas suas turpes immunditias, fornicationes & idololatrias, vt de valle Gehennon agentes ex D. Hieronymo notauimus. Et colligitur non obscurè ex Scriptura sacra; quæ cùm in hac materia de excelsis loquitur, id indicare vult, secundùm Gloss. Ra. *Excelsa*, inquit, *dicit Scriptura loca in collibus posita frondentibus, in quibus dæmonibus immolabant, vel Domino, locorum amœnitate illecti; contra interdictum, relicto altari, quod erat in templo, illuc oblaturi confluebant: vnde sæpiùs in hoc libro dicitur Regibus minùs perfectis: Verumtamen excelsa non abstulit.* Hæc Glossa.

Delicia montis.

Gloss in 4. Reg. 23.

Denique ibi, & non alibi, ingentes monstrantur ruinæ, signa veteris idololatriæ, secundùm omnes; & à longè ex istis cognoscitur mons Offensionis. Hæc Capite sequenti magis innotescent.

Ruinæ.

Locus iste, vt ad secundum de eo propositum accedamus, mons *Offensionis* dicitur in Scriptura, & communiter *Scandali.* Offensionis, ab idolo ibi erecto, quod offensio dicitur, secundùm vtramque Glossam. Idolum verò appellatum est offensio, tum quia eo Deus plurimùm fuit offensus; tum quia populo & Salomoni illud colentibus fuit magnæ offensionis.

Ratio nominis.

Quidam Linguæ sanctæ periti, deducentes vocem originalem offensionis à radice *sabbath*, quod est, perdere, dissipare, aut corrumpi, & putrescere, quod item ad vastitatem pertinet, legunt, *montem destructionis*, vt Regia, & Vatabl. *vastitatis*, Tigurina; aut actiuè, *montem corrumpentem* aut *vastantem*, quòd in ea idololatria exerceretur: quæ est piissima vastitatis & destructionis Israëlitarum causa. Sicut eadem voce offensionis aut perditionis dictum est, Osee 13, 9. *Perditio tua Israël:* quia inde perditio & ruina Israël processit, &c.

Scandali etiam mons nuncupatur; quoniam fuit maximo scandalo habitantibus præsertim Ierusalem: dum enim isti videbant, vero ac diuino cultu contempto, fana contra templum erecta, & idololatras non faciem, sed terga ad templum & Dominum vertere, & thura diuinosque cul-

Scandalum peperit magnum.

tus idolis exhiberi, magnum ſcandalum patiebantur, & ad idololatriam incitabantur.

Scandalum etiam fuit pluribus in vniuerſo Iſraële, qui, exemplo Salomonis, & ipſi ſimilia perpetrauerunt facinora. Ac denique magnum vniuerſo mundo ſcandalum attulit, dum contemplatur, ſanctam Deoque electam Ciuitatem conuerſam fuiſſe in lupanar effeminatorum, & impudicarum mulierum; & domum orationis & ipſius Dei, in ſpeluncam latronum redactam, & cultum idolothyticum; dilectum Deo populum factum ei inimicum, & Salomonem, omnium mortalium ſapientiſſimum, à Deoque præcellentiſſimis exornatum beneficiis, propter mulieres in tantam abiiſſe inſaniam, vt, illis ſpretis, ſequeretur deos illarum, & quod horrendum eſt non dicere modò, ſed cogitare, thura & & ſacrificia illis obtulerit. Ex dictis tertium patet.

CAPVT XX.

Duplex difficultas contra dicta Capite præcedenti.

FOrtaſſe contra ſuperiùs dicta pro confirmatione veteris traditionis, poſſet quis ex Scriptura ſacra argumentari in hunc modum; Primò, dicendo, montem cuius fit mentio 3. Reg. 11. non eſſe illum de quo 4. Reg. 23. vt ſupponebatur: ille namque dicitur fuiſſe contra Ieruſalem, iſte verò intra.

Duo argumenta. Primum.

Secundum. Præterea videtur eſſe contra Scripturam, dicere, in loco anteà aſſignato fuiſſe templa ſiue fana idolis ædificata à Salomone, ſiue montem, in quo ruinæ illæ oſtenduntur, eſſe montem Offenſionis; quoniam ruinæ ædificiorum monſtrantur in medio & ſummitate montis Offenſionis: Scriptura verò dicit, excelſa fuiſſe in Ieruſalem ad dexteram partem montis Offenſionis; igitur in aſſignatis locis 3. & 4. Regum de eodem monte non agitur; nec Offenſionis mons erit, quem deſcripſimus.

Reſponſio. Verùm propter hæc non cogimur relinquere iam adductam traditionem ob præcedenti Capite & alibi dicta, in ſancta Ciuitate non fuiſſe alios montes à Sion, Moria, & Acra, vel Goreb: qui profectò mons Offenſionis & Scandali non ſunt. Quare ad obiecta reſpondendum.

Ad primum Ad primum reſpondeo cum Gloſſa ordinaria in 4. Reg. 23. Ideò fanum dici ædificatum in Ieruſalem, etſi extra in monte contra ipſam; quia iſte mons erat in tanta vrbis vicinia, vt ipſam quoque ſordibus, quæ in eo congerebantur, contaminare videretur. Nec iſte loquendi modus inſolens eſt, ſed frequens in Scriptura. Sed hoc vnum ſufficiat exemplum. Chriſtus in Bethlehem Iudæ natus perhibetur Matthæi 2, 5. & tamen extra natus eſt, in Bethlehem ſuburbiis, & ſub muris eius, vt ex Euangelica hiſtoria & veteri traditione omnes Scriptores colligunt. Vel dicatur, montem Offenſionis dici eſſe in Ieruſalem, quia prope & apud eam eſt. Lege quæ ſuprà notauimus Libro hoc Cap. VI. IV. Peregr. & infrà Libro VI. Cap. XII. 1. Peregr.

Ad ſecundum. Ad ſecundum ex dictis ſimiliter reſpondeo, & multipliciter; Primò, Scripturam 4. Reg. continuaſſe ſermonem vt cœperat; dixerat enim, montem eſſe in ciuitate, ideò conſequenter dixit, eſſe ad dexteram partem; quia ſi intus eſſet in loco quem è regione reſpicit, verè ad dexteram eſſet.

Mons Offenſionis pro toto Oliueti monte accepitur. Secundò dicendum, & melius, Scripturam eo loco non intelligere per montem Offenſionis, illum qui vnus eſt ex tribus cacuminibus totius Oliueti montis, ſed totum ipſum montem: id ſentit etiam Nicolaus in 3. Reg. 11. & confirmatur; quia Pagninus citato loco 4. Reg. pro monte Offenſionis, legit montem Oliueti: quamuis pars illa per excellentiam mons Offenſionis dicatur; quoniam cùm ibi eſſet, vt anteà notauimus, Pantheon idolorum, *Pantheon Salomonis.* magis fuit Deus in ea parte offenſus, etſi totus mons, tum ratione huius partis, tum quia totus variis idololatriis contaminatus fuit, mons Offenſionis dici poſſit. Pars autem dicta Offenſionis mons plena fanis & idolis eſt ad dexteram Oliueti montis, hoc eſt, cacuminis principalis, quod in medio eſt; & hoc reſpectu Ieruſalem.

Tertiò denique dicatur, in proprio Grammaticali ſenſu vera eſſe, quæ vtroque citato loco Regum aſſeruntur; quia Salomon non ſolùm extra, ſed etiam intra ſanctam Ciuitatem aras & fana idolis erexit, vt benè aduertit Pineda de Rebus Salomonis lib. 7. cap. 11. & lib. 8. c. 1. quem tu conſule etiam lib. 7. c. 10. vbi plura tradit pro maiori intelligentia argumenti quod tractamus; communiter tamen mentio fit montis extra Ieruſalem, quia ibi ſolemnior & impudentior viguit idolothyticus cultus. *Intra & extra ciuitatem fana erecta.*

Antequam hunc diſcedas, pie Lector, conſidera, quæſo, memorandum humanæ fragilitatis exemplum, virum inquam conſidera, qui ſapientiam à Deo mirabiliter acceperat; qui præ eximia ſua pietate, magnificentiſſimum eidem vero Deo templum extruxerat; qui eius opes ac diuitias Dei ope mirandum in modum auxerat, & perpetua pace ac tranquillitate potitus fuerat, *Exemplum humanæ fragilitatis.*

gitized by Google

rat, omnium mortalium sapientissimus ac felicissimus: extrema ætate à mulieribus adeò is deprauatus fuit, vt posuerit maculam in gloria sua, illis femora & diis ipsarum inclinauerit. In qua quidem impietate non diem, mensem, vel annum, sed viginti annos, secundùm aliquos, vixit, vel pauciores, secundùm alios, sex vel quinque ex illius fabricis colligunt Hebræi, referente Abulensi super caput 11. lib. 3. Reg. In qua fortè impietate è vita decessit: nec enim in Scriptura sacra inuenitur eius pœnitentia, vt legitur culpa. Sed quidquid sit de hoc, eius exemplo quilibet admonetur, vt *qui se existimat stare, videat ne cadat*, vt consulit Apostolus 1. Cor. 10, 12.

Lege Pinedam lib. 8. cap. 1. n. 7.

CAPVT XXI.

De loco vbi Iudas proditor laqueo se suspendit, qui vndecimus occurrit in septima Peregrinatione.

VNdecimus locus huius Peregrinationis non quidem venerandus, sed memorandus, & execrandus, est ille in quo Iudas laqueo se suspendit, de quo in præsentia.

Iudas Ephraimitæ. D. Hieron. in Is. 28, 1.

Iudas ille est Iscariotes Ephraimita, secundùm Hieronymum, in quem Christus Dominus tot contulit beneficia: à sæculi enim laboriosis curis ad se, ad tollendum iugum suaue & onus leue Euangelicæ vitæ, traxit, discipulum suum, & vnum de duodecim instituit; atque elegit sui & totius Apostolici Collegij procuratorem. Verùm ingratus, & tantorum immemor beneficiorum, Christo benefactori reddidit mala pro bonis, & odium pro dilectione: vendidit namque Magistrum suum Principibus sacerdotum, ad illum capiendum militum cohortem duxit, fraudulento osculo prodidit, ac in manus impiorum impius pium tradidit Dominum. Verùm vt vmbra corpus & fumus ignem concomitantur, ita pœna culpam, & peccatum sequitur mors; sic perditum illum hominem post venditionem ac proditionem Christi pœnitudo, infructuosa tristitia, & pœnitentia ac mors ipsa temporalis & æterna secuta est. Videns enim ille quòd Iesus damnatus esset ad mortem, abiit ad templum, vbi sacerdotes & seniores aliqui Iudæorum congregati erant propter diem festum (erat enim tunc primus dies Paschæ;) coram illis proprio confesso & accusato crimine, & Christi innocentia manifestata, proiectis in templum argenteis, ex sacrilego pretio & iusto vendito sanguine comparatis, abiit, & laqueo se suspendit, vt tradunt Matthæus & Lucas. In qua quidem historia vt certum habemus, impium hominem violenta morte è viuis decessisse, & Ierosolymis; ita dubium est, quonam genere mortis, in quonamve loco apud sanctam Ciuitatem diabolo maledictam animam tradiderit. Quare ad clariorem intellectum propositæ narrationis & loci, in quo fertur communiter Iudam laqueo suspensum fuisse, & crepuisse, tria examinabimus. Primum, quo mortis genere Iudas interierit: secundum, quo instrumento interemptus fuerit: tertium, de loco mortis.

Ingratus.

Culpa & pœna comites.

Christi confitetur innocentiam.

Violenta occumbit morte.

Quantum ad primum, de genere mortis, omnes in hoc consentiunt, non naturali, sed violenta morte periisse, quia manifestè indicant Matthæus & Lucas: sed de modo peculiari mortis, non æquè conueniunt omnes. Aliqui dicunt, super Iudam corpore inflatum, & vermibus scatentem, cùm esset in terram proiectus, currum pertransijsse, qui ex eius corpore violenter fecerit intestina exire, ipsumque expirare.

Quo mortis genere.

Prima Græcorum sententia, currus compressum fuisse.

Quibus si obiiciatur, id esse contra Euangelistas dicentes, laqueo se suspendisse; Respondent, ex arbore, ad quam se voluit suspendere, decidisse, & postea quod dictum est contigisse: nam, vt inquit Euthymius, non continuò mortem est assecutus prout cupiebat; agnitus enim à quibusdam depositus est, ne præfocaretur: deinde postquam in secreto quodam loco modico vixisset tempore, præceps factus, siue præcipitatus, inflatus, diruptus, ac diffusus est medius. *Et diffusa sunt omnia viscera eius*, sicut ait liber Actorum cap. 1. Ita Græci Auctores ex Papia, vt aiunt, huiusmodi de interitu Iudæ narrant historiam. Oecumenius itaque Act. 1. ex Papia Ioannis Apostoli discipulo sequentia refert: *Ad magnum impietatis exemplum in hoc mundo permansit Iudas. In tantum enim corpore inflatus, vt progredi non posset: cùm currus leui cursu pertransiret, currus compressus est, ita vt effunderentur eius intestina. Vel alio modo sic (duplex enim est lectio) corpore enim adeò inflatus est, vt neque posset progredi quà currus leui cursu pertransibat. Imò nec solus capitis tumor: siquidem & palpebras oculorum eius adeò intumuisse ferunt, vt lumen omnino videre non posset; oculi verò eius neque medici instrumenti adminiculo aperiri possent, tanta profunditate ab exteriori aspectu erant separati: porrò sanies ac vermes contumeliosè confluentes ex toto ipsius corpore ferebantur, egredientes per sola loca secretiora. Post verò multa tormenta, & insanas vlsiones, cùm in suo prædio, vt aiunt, mortuus esset, præ fœtore illud desertum per-*

Obiectio.

Solutio.

manſit & inhabitatum vſque ad hodiernum diem; ſed neque ad hoc vſque tempus locum illum quiſquam præterire poteſt, niſi obturatis manu naribus. Sic Græci ex Papia interpretantes Lucam in Actis Apoſtolorum dicentem de Iuda, *Suſpenſus crepuit medius, & diffuſa ſunt omnia viſcera eius.* Atque hoc pacto quæ facta narrantur, non ſtatim ſimulque, alterum poſt alterum ſubſecuta fuiſſe, ſignificare videntur. Ex his etiam, ſecundum horum ſententiam, reſpondetur ad ſecundam & tertiam difficultatem, Iudam laqueo ſuſpenſum, curruque in ſuo prædio compreſſum, ſpiritum cum inteſtinis effudiſſe.

Quantum ad ſecundum, quodnam fuerit mortis Iudæ inſtrumentum, cùm de laqueo conſtet ex Euangeliſta, quæritur, ad quid fuerit laqueus appenſus; Adrichomius in Deſcriptione Ieruſalem num. 234. dicit, ad ſycomorum: *Iudas*, inquit, *ex Apoſtolo factus proditor, ex funeſta ſycomoro quadam, quæ adhuc viſitur, laqueo ſe ſuſpendit*, &c.

Sententia Adrichomij

Ad poſterius dubium reſpondet idem Adrichomius in ſua Ieruſalem geographica deſcriptione, mortuum eſſe ſacrilegum proditorem in Occidentali plaga montis Sion in ſilua quadam.

Aliter iis dubiis, ſecundùm communiorem probabilioremque, vt puto, ſententiam, reſpondendum arbitror. Ad primum, quòd laqueo ſuſpenſus, repentè mortuus ſit. Statim enim ac Iudas proiecit in templum argenteos ante Chriſti obitum, laqueo ſibi impoſito viuendi finem impoſuit: quo enim impetu ſtimulo graui culpæ adactus eſt reddere nummos, eodem pariter videri poteſt ad necem impulſus. Quare Chryſoſtomus Iudam alloquens in cœna cum Domino ait: *Guttur enim profanum, quod hodie Chriſto extendis ad oſculum, craſtino es illud extenſurus ad laqueum.* Idem ſentiunt omnes ferè tam veteres quàm recentiores Doctores, D. Leo Serm. 11. de Paſſione, D. Ignatius Epiſt. 8. ad Philip. Origenes Tract. 35. in Matth. Theophylactus, & D. Auguſtinus ad illa verba Pſal. 108. *Fiant dies eius pauci: Pauci fuerunt*, inquit, *dies Apoſtolatus Iudæ: quoniam ante paſſionem Domini ſcelere ipſius & morte conſumpti ſunt*, &c. & B. Iſaias Abbas Orat. 22. inquit: *Nec Dominus Ieſus viuus aſcendit in crucem, quàm Iudam expuliſſet è medio diſcipulorum.* Idem Cardinalis Baronius, de nece Iudæ agens Tomo 1. Annalium, ſub anno Chriſti 34. cum aliis.

Communis ſententia.

Iudas ſtatim proiectis argenteis laqueo ſe ſuſpendit.

Chryſoſt. Tom. 5. Serm. 3. in 5. Fer. Paſs. & 4.

Scio & alteram eſſe ſententiam Auctoris Quæſt. noui & veteris Teſtam. Tom. 4. Operum Auguſtini, quæſt. 94. & Auctoris Commentariorum in Marcum, qui D. Hieronymo adſcribuntur, quæ affirmat, poſt Chriſti mortem Iudam obijſſe; ſed prior ſententia communior eſt, cui ſuffragantur verba Matthæi 27, 3. quæ ſic habent: *Videns Iudas quòd damnatus eſſet Chriſtus, pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos Principibus ſacerdotum, & ſenioribus: & proiectis argenteis in templo, receſſit, & abiens, laqueo ſe ſuſpendit.* Quæ verba non habent, videns quod crucifixus eſſet, ſed damnatus; quaſi indicare velint, impatientia & deſperatione ſuperatus, non expectaſſe Chriſti mortem, ſed ante in ſeipſum violentas manus iniecisſe, & laqueo vitam finijſſe.

Ad illos verò alterius ſententiæ Patres, qui teſtimonio Papiæ nituntur, reſpondet Baronius loco citato, quæ nomine Papiæ adducuntur, non videri eius eſſe. ſic enim ſcribit: *Sed an prædicta hiſtoria verè Papiæ ille ſit auctor, vt vera certaq; habenda ſit, relinquimus prudentis Lectoris arbitrio: nam, ne contradicant diuinæ Scripturæ in his quæ Euangeliſtæ ſcripſerunt de Iuda, aliqua, vt vera eſſe probentur, indigent declaratione, ſiue cenſura:* cùm præſertim altera ſententia ſit verior & conformior aliis Patribus.

Reſponſio ad primæ ſententiæ fundamentum.

Ad ſecundum verò dubium, dicimus cum communi veteri traditione, quæ ad nos vſque dimanauit, & aliorum ſcriptis recenſita, non ad ſycomorum, ſed ad ficum fuiſſe ſuſpenſum Iudam: quæ confirmatur auctoritate Iuuenci Poëtæ, quem adducit & ſequitur Beda de Locis ſanctis cap. 4. dicens: *Portam Dauid egredientibus fons occurrit in Auſtrum per vallem directus, ad cuius medietatem ab occaſu Iudas ſe ſuſpendiſſe narratur: nam & ficus magna ibi, & vetuſtiſſima ſtat, iuxta quod Iuuencus ait:*

Exorſuſq; ſuas laqueo ſibi ſumere pœnas,
Informem rapuit ficus de vertice mortem.

Ad ficum fuit appenſus.

Ad tertium ac poſtremum dubium dico, locum, in quo Iudas laqueo ſe ſuſpendit, eſſe in monte Offenſionis in Orientali parte Ieruſalem, vergente tamen ad Auſtrum: vbi nunc pro ſigno eſt arcus ſiue fornix quidam, vbi proditorem domum & hortum habuiſſe, quidam arbitrantur. Et inferiùs, è regione huius loci, eſt planities vel vallis in qua Iudæorum cadauera ſepeliuntur. Noſtris temporibus nec domus nec ficulnea ibi cernitur; & locus non ſatis opportunus ad domum & viridarium, fortè magis idoneus olim erat: vel dicitur ibi fuiſſe, quia non longè. Abhinc annis quinquaginta erat ibi ficus magna, vt à ſenibus Heroſolymitis in rebus Terræ ſanctæ optimè

Ad Orientem Ieruſalem.

Digitized by Google

mè inſtructis accepi, ad quam proditorem ſe ſuſpendiſſe, fama erat: quæ poſteà aruit, & ablata fuit.

Et hæc ſi vera ſunt, vt habet traditio, falſum deprehenditur primò quod dicebatur, dum Iudas ex arbore in terram cecidiſſet, currum ſuper eum pertranſiſſe, & interfeciſſe: nam ſi ibi hortus erat, non erat via curruum. Ad hæc, non facilè capere poſſum, quomodo currus illac tranſire queant, cùm equi & iumenta vix ibi incedere poſſint, & ſecundò, quod de inſtrumento & loco mortis dixit Adrichomius. Et hæc de his ſatis. Alia tradunt D. Matthæi & Actorum Interpretes.

CAPVT XXII.

De latibulis Apoſtolorum, in quibus ſe ijdem Apoſtoli abſconderunt, quando in horto, tempore paſſionis Chriſti, eo relicto fugerunt, quæ duodecimo loco inuiſuntur in ſeptima Peregrinatione.

VT extra ſanctam Ciuitatem Ieruſalem in eius Orientali plaga, ita & in Auſtrali multa & ampla ſunt in montibus rupibusque exciſa ſepulchra, ad ſepelienda Iudæorum corpora, ſecundùm eorum conſuetudinem, extra ciuitatem: in iſtis autem plagæ Auſtralis prope Agrum ſanguinis, ſiue in ſummitate montis Offenſionis ſupra vallem Gehennon, ſunt quædam memorabilia, quæ Latibula Apoſtolorum appellantur. Huius nomenclaturæ ratio eſt: quia vetus traditio habet, Apoſtolos in ipſis ſe abſcondiſſe, quando tempore paſſionis Domini, cùm eum in horto captum & ligatum ab impiis miniſtris vidiſſent, omnes eo relicto fugerunt. Non tamen omnes in illis ſe abdiderunt; quia non Petrus, & dilectus diſcipulus Ioannes, qui ſtatim ac illum deſeruerunt, ſecuti ſunt: hec Iacobus Minor, quia in alio Orientali antro ſe abdidit, vt ſuprà Capite x. huius Peregrinationis notauimus; nec multò minùs Iudas proditor, quia erat cum militibus & ſatellitibus qui comprehenderunt Ieſum: à quibus poſteà recedens, non multò pòſt laqueo ſe ſuſpendit, quemadmodum præcedenti Capite notauimus. Igitur alij octo, vel plures ex ipſis, in illis ſe abſconderunt; & à maiori horum parte nomen acceperunt *Latibula Apoſtolorum.*

Latibulorum Apoſtolorum ſitus, & nominis ratio.

Quamuis verò plura ſint huiuſcemodi antra vel latibula; vnum tamen peculiariter oſtenditur amplum & latum, in quo plura ſunt loca ad corpora ſepelienda, vbi ſingulariter Apoſtolos latuiſſe fertur, etſi non negetur, in aliis etiam huic proximis delituiſſe. In illius veſtibulo & intus ſunt in Apoſtolorum memoriam ipſorum figuræ, multùm veruſtate & infidelium odio demolitæ: pro ſacello enim olim deſeruiebat, & in præſentia eo intuitu inuiſitur atque venerationi habetur. Nonnumquam etiam ibidem Miſſa celebratur, etſi rariſſimè; quoniam Mauri & ruſtici eò ſe conferunt, & capreas ducunt.

Principalis latibuli forma.

Horum ſepulchrorum mentionem fecit Adrichomius in Deſcriptione Ieruſalem num. 226. & P. Bonifacius De perenni cultu Terræ ſanctæ lib. 2. in hæc verba: Sunt quædam latibula valdè pulchra arte ſculptoris in lapidibus exciſa, in quibus tempore paſſionis Chriſti eo relicto latitarunt. Iſta, vt reor, antiquorum ſepulchra in hortis propriis in petra exciſa fuerunt, poſteà à choris Anachoritarum in habitacula aſſumpta ſunt: ibi ego inueni ſepulchrum quoddam ſimile omni ex parte ſepulchro, in quo iacuit Chriſti corpus, quod & Fratribus oſtendi, vt gaudeant, & poſteris ſuis & peregrinis ad Terram ſanctam aduenientibus oſtendant. Ego porui peroptimè ſcire, quia corporis Dominici locum vidi, quando ſub Paulo IV. & Carolo V. ſanctæ memoriæ viris, ſumptibus Catholici Regis Philippi, à primis fundamentis ipſum ſanctum locum inſtauraui, & luciditſimis marmoribus decoraui. Hactenus ille.

Sepulchrum Chriſti ſepulchro perſimile.

Id verò antrum illud eſſe creditur, in quo ad præſens Græcorum Monachorum & aliorum vtriuſque ſexus Religioſorum corpora ſepeliuntur: vbi duodecim ſunt loca, velut patentes arcæ, in quibus cadauera collocantur & amouentur, quando ibidem alia ſepelin contingit, cadaueribus prioribus in propinquum locum eiuſdem antri proiectis. Os antri ſimile eſt illi, per quod intratur ad Sepulchrum Domini.

CAPVT XXIII.

De Acheldema, hoc eſt, Agro ſanguinis, ſepulchro peregrinorum, decimotertio loco ſeptimæ Peregrinationis.

OMnibus compertum eſt ex Euangelio, Principes ſacerdotum & Iudaici populi ſeniores, proiectos triginta argenteos in templo à Iuda proditore, pretium Sanguinis Chriſti, non miſiſſe in corbonam, oblationum quæ in templo offerebantur locum, quia pretium ſanguinis fuit, ſed emiſſe *agrum figuli in ſepulturam peregrinorum*, inquit S. Matthæus 27, 7. De iſto

Digitized by Google

agrò modo agemus, & tria explicabimus, primò, rationem nominis, secundò, eius situm & conditionem, tertiò, vsum.

Haceldemah nominis significatio.

De primo. Iste ager *Haceldemah* dicitur Hebraicè, vel potiùs Chaldaicè, inquit Iansenius cap. 140. Concord. Euangel. composita ex *Hakal*, quod Syriacè agrum, & *demah*, quod sanguinem significat: Latinè verò, *Ager sanguinis*; quia à Iudæis pretio sanguinis emptus. Dicitur & Ager figuli, quia fortè alicuius pauperis figuli erat, inquit idem Iansenius; vel quòd proximus esset portæ ciuitatis quæ *Fictilis* appellaretur, quia iuxta eam figuli habitabant.

Et minùs probabile creditur quod dixerunt alij, ita fuisse appellatum, quia ex eo fodiebatur terra ad vasa figuli conficienda; vel quòd in ipsum testarum fragmenta proijcerentur.

Situs.

De secundo dicimus, istum agrum esse supra vallem Gehennon ad Austrum montis Sion: habet à tergo parum eleuatum collem, ipse verò inferiùs est in parua montis planitie: distat à piscina superiori, quæ est in occidua parte ciuitatis, circa tertium milliare. *Conditio.* De conditione illius videtur dicendum cum B. Aria Montano, esse sterilem & infecundum, culturæque inutilem, solis mortuis sepeliendis commodum. Et præterquam quod etiamnum propriis id oculis videmus, ratio idem persuadet: Primò, quia erat pauperis figuli, vt diximus ex Iansenio. Secundò, quia triginta argenteis fuit emptus. Sed fecundus ager & fertilis ciuitati proximus non tam vili pretio emi potuisset. Tertiò, quia nouimus fuisse consuetum, vt qui extra vrbem sepeliebant suos, iuxta Platonis legem, sepelisse in agris sterilibus, qui nulli vsui essent futuri, vt sine detrimento viuorum reciperent mortuos; eaque potissimùm sterilis terra tali vsui deputabatur, ne mortui viuorum minuerent vtilitates. Lege Pererium in Genes. Tomo 4. cap. 50. disp. 4. *Lib. 12. de Legibus.*

Forma.

In medio huius agri sunt muri eleuati, quibus amplum constituitur cœmeterium, quod ex superiori parte monti & colli hæret. Ex superiori eius parte per foramina, quæ sunt in concamerato, demittuntur defunctorum corpora. Est longitudinis 32. latitudinis verò 24. gressuum, excepto spatio muris circumdato. hinc inde parum se extendunt agri extremitates. Adrichomius in Descriptione Ieruſalem num. 216 de isto sic scribit: *Cuius medium Imperatrix Helena quatuor muris longitudine septuaginta duorum, latitudine verò quinquaginta pedum, fecit includi, ac superiùs testudine (quæ septem foraminibus, per quæ defuncta Christianorum corpora demittuntur, paret) concamerari.* Hæc ille. Nunc temporis non tantam præ se fert antiquitatem, vt credatur ab Helena ædificatum; non tamen hoc negandum, sed illud vetustate demolitum, postea restauratum & innouatum fuit. Nec septem modò habet foramina, sed, quantum recolo, quatuor.

Haceldemah ager ædificatus ab Helena, & ab aliis Christianis reparatus.

Ex his patet tertium, ad sepeliendos *vsus.* mortuos fuisse destinatum agrum istum: & quos mortuos? Peregrinos, & qui propria non habebant sepulchra. & hoc quidem fuit primum Sacerdotum & Seniorum consilium: *Emerunt agrum figuli*, inquit Euangelista, *in sepulturam peregrinorum:* ignobilium, inquit Hieronymus de Locis Hebr. Act. Apost. *Acheldema ager sanguinis: qui hodie quoque demonstratur in Aelia ad Australem plagam montis Sion: & hactenus, iuxta Iudæorum consilium, mortuos ignobiles alios terra tegit, alios sub dio putrefacit.* Ita S. Doctor. Alij pro Gentilibus assignatum volunt. Dici potest, his & illis deseruisse.

Iudæorum sepulcra.

Rabanus arbitratur in isto agro sepultum fuisse Iudam Iscariotem, ac ideò didum fuisse à D. Petro Act. 1, 18. *Et hic quidem possedit agrum de mercede iniquitatis.* Quod si verum est, expende quàm viliter & ignominiosè fuerit perditus ille tractatus ab illis ipsis, quibus rem gratissimam fecerat, tradendo Magistrum suum, quia vt ignobilis & peregrinus. Ciues enim aut *Ciuium sepulchra qualia.* in publico loco, aut in suo quisque fundo proprium habebant sepulchrum, vbi omnes, qui eiusdem erant familiæ, sepelirentur; eratque grauis pœna, vel dolor, in patrum sepulchris non sepeliri, vt ex variis Scripturæ locis constat. Et meritò quidem putridum illius cadauer inter ignobilium & peregrinorum corpora fuit humatum; cùm & illius anima ab æterna patria & Sanctorum consortio exul effecta, in inferno cum ignobilibus ac teterrimis dæmonibus in æternum crucianda fuerit sepulta.

Terræ illius virtus.

Fertur mirabilem esse terræ Agri sanguinis virtutem, non hìc tantùm in loco suo, sed etiam alibi asportata, quòd defunctorum corpora viginti quatuor horarum spatio in puluerem redigat: quòd & hìc, & Romæ in Campo sancto, ex terra ista iussu Helenæ nauibus adducta constituto, Romanos respuat, sola peregrinorum corpora admittens: quorum omnem carnis substantiam intra viginti quatuor horas prorsus consumit, ossibus tantùm relictis.

Sepulchrum cuiusdam virginis.

De eodem Bonifacius ita scribit: *In eo*, scilicet agro, *multa corpora diuina virtute seruantur integra, & in nullo diminuta. In latere Septemtrionali, ad Occidentem declinando, posuimus quamdam virginem Christi Magda-*

Digitized by Google

Magdalenam nomine, quæ quadraginta & octo annis in maxima paupertate, clara multis virtutibus & diuinis reuelationibus, vixit. Hæc ille.

Alterius terra similis virtus.

Non inficior antiquitus huic terræ ineſſe potuiſſe, & etiam infuiſſe, nedum miraculosè, ſed etiam naturaliter virtutem illam; nam & Plinius de Natural. hiſtor. lib. 36. cap. 17. de lapide ſimilem virtutem habente, & contrariam, ſequentibus mentionem facit: *In Aſſo Troadis ſarcophagus lapis fiſſili vena ſcinditur: corpora defunctorum condita in eo, abſumi conſtat intra* XL. *diem, exceptis dentibus. Mutianus, ſpecula quoque, & ſtrigiles, & veſtes, & calceamenta illata, omnia lapideſcere, auctor eſt. Eius generis & in Lycia ſaxa ſunt & in Oriente, quæ viuentibus quoque adalligata, erodunt corpora. Mitior eſt autem ſeruandis corporibus, nec abſumendis cherniteſ eburi ſimillimus, in quo Darium conditum ferunt,* &c. Ita Plinius.

In præſentia talis illius virtus non deprehenditur.

Et quamuis hæc ita ſe habeant, aliquandoque acciderit circa aliqua corpora quod dictum eſt, ſed in præſentia idem accidere circa omnia cadauera in cœmeterium illud proiecta, non facilè dixerim: ego enim non ſemel cum aliis in illud curiosè introſpexi, vt viſu & experientia ediſcerem, quod ex aliorum ſcriptis intellexeram; aduertiſque propriis oculis, ibi corpora ſimiliter putreſcere & conſeruari, vt in aliis locis; & ita erat tempore D. Hieronymi, vt eius verba ſuperiùs relata indicant. Quare Villalpandus de iſto agrò agens Tomo 3. lib. 3. cap. 25. de illius euulgata virtute dixit, aſſidua experientia oppoſitum doceri.

Armenbrii fabella.

Noſtris temporibus ibi ſepeliuntur Armeni aliqui, ſed nonniſi magno illorum Prælatis perſoluto pretio; ab ipſis decepti, vt à fide dignis accepi, quòd ibi ſepulti, nullam ſuorum ſcelerum in altera vita Deo reddant rationem: quare felices habentur illi qui in eo ſepeliuntur agro. Benè quidem, quia cùm ſchiſmatici iſti non credant, iam cum ſibi ſimilibus iudicati ſunt. Ecce quibus erroribus decipiuntur miſeri, quibus ignorantiæ tenebris offunduntur, & turpis lucri gratia ſacra Pagina adulteratur: ecce cæci cæcis ducatum præbentes, omnes in inferni foueam præcipitantur.

CAPVT XXIV.

De Natatoria Siloë, & loco vbi ſectus fuit Iſaias Propheta, decimoquarto loco ſeptimæ Peregrinationis.

TRactaturi de Natatoria Siloë, & loco vbi ſanctus Propheta Iſaias ſectus fuit, qui quarto decimo loco in via iſta conſiderandus occurrit, tria præſtabimus. Primò, de dicta Natatoria, & ſectionis Prophetæ loco; ſecundò, de morte, & cauſa mortis eiuſdem Prophetæ; tertiò, de nomine & origine Siloë fontis verba faciemus. Primum præſenti Capite, cetera in proximè tribus ſequentibus abſoluemus.

Quantum ad primum, S. Pater Hieronymus in cap. 8. Iſa. ita reſpondet: *Siloam autem fontem eſſe ad radices montis Sion, qui non iugibus aquis, ſed in certis horis diei ebulliat, & per terrarum concaua ad antra ſaxi duriſſimi cum magno ſonitu veniat, dubitare non poſſumus, nos præſertim qui in hac habitamus prouincia.* Hæc S. Doctor. Fluunt autem huius fontis aquæ in vallem Siloë & Gehennon, eas mirificè fecundantes. *Fontis Siloë ſitus.*

Prope locum, ex quo fons ſcaturire videtur, eſt piſcina in latere Occidentali vallis Ioſaphat, quæ aquis huius fontis repletur: ad hanc Saluator noſter miſit cæcum à natiuitate, vt oculos, ab ipſo linitos luto ex ipſius ſputo & puluere confecto, lauaret, & viſum reciperet. Qui abiit, lauit, & vidit, vt dicitur Ioan. 9, 7. Hic poſteà pia poſteritas, in illius illuſtriſſimi miraculi memoriam, pulchram extruxit Eccleſiam, quæ in præſentia antiquitate & odio infidelium penitus deſtructa eſt; illius tamen magnificentiam non obſcurè indicant columnæ marmoreæ, & quæ ſuperſunt adhuc ingentes ruinæ. *Piſcina.*

Non longè à piſcina, è regione illius obſerua ruinoſam illam turrim, cuius meminit Saluator noſter apud S. Lucam c. 13, 4. Eſt etiam ibidem ſpatioſus quidam locus, in quo exuberantes Siloë fontis aquæ velut in piſcina recipiuntur; & hoc non continuò, ſed hiemis tantùm tempore accidit, ideò ibi pulchra naſcuntur olera, ſicut & in proximis locis, propter opportunam aquarum copiam. *Turris.*

Hic etiam proximus eſt ille aliùs celebris locus, in quo S. Propheta Iſaias illuſtri martyrio vitam finiuit, & ſepultus ſub quercu Rogel iuxta tranſitum aquarum. Eſt ibi pro ſigno arbor mori albi in parum eminenti loco arte accommodato plantata; & locus orationis Turcarum eſt. P. Bonifacius lib. 2. De perenni cultu Terræ ſanctæ appoſite de his in hunc modum ſcripſit: *Hinc*, id eſt à loco vbi ſectus fuit Iſaias, *ad paucos paſſus occurret fons Siloë ad radicem montis Sion, & locus qui vocatur Moria, in quo ædificatum fuit templum Salomonis. Aquæ enim Siloë cum ſilentio fluunt, & faciunt natatoria plura. Cæcus natus ad primum miſſus fuit; quia ibi conſtructa fuit valdè pulchra Eccleſia in honorem Saluatoris Illuminatoris. Videbis etiam pie cultor materias* *Locus martyrij Iſaiæ Prophetæ.*

Eccleſia Saluatoris Illuminatoris.

riæ ruinosæ turris illius quæ cecidit super decem & octo viros. Eo in loco constructa fuit ab Helena gloriosa matre Constantini Magni Ecclesia, & super fontem Siloë altare maius collocatum fuit. Hactenus ille.

Irenæus lib. 4. cap. 19. affert in diebus Sabbatorum multos curari solitos in Siloa. *Siloa*, inquit, *multos in diebus Sabbatorum curauit; & propter hoc assidebant multi in diebus Sabbatorum.* Hæc Irenæus. In his verbis duo significare videtur sanctus hic Doctor: alterum, hanc piscinam esse eamdem cum altera Probatica, de qua Ioannis 5. Alterum, quòd saltem erat illi persimilis; quia vt apud illam, ita apud istam infirmi manebant pro consequenda diuinitus sanitate.

Verùm vtrumque facilè refelli potest. Prius quidem; quoniam Probatica illa piscina intra ciuitatem est templo proxima, sed Natatoria Siloë extra ciuitatem, & longè à templo est.

Siloë non sanitatum ordinarius locus.

Posterius autem, plures apud Siloa in Sabbato curari solitos, non habet fundamentum: nam nec facer Scriptor veteris vel noui Testamenti vel profanus tale refert bunt; cùm tamen huius Natatoriæ non semel fecerint mentionem, vt 2. Esdr. 3, 15. Isai. 8, 6. Ioan. 9, 1. & Iosephus 6. de Bello Iudaico cap. 6. nec aliqua alia ratione vel auctoritate probatur, ante cæci illius nati illuminationem, alia ibi operata fuisse miracula. Ad hæc: Si miracula ibi fieri consueuissent, non est credendum, Christum missurum ad eam cæcum, vt illuminaretur. Cùm enim testimonio Saluatoris ille cæcus natus fuerit, vt manifestarentur opera Dei in illo, vt inquam Iesus Messias & Dei Filius ex miraculosa illuminatione cognosceretur: si ad eam fieri miracula solitum fuisset, tunc illuminatio cæci nati non fuisset adscripta virtuti Saluatoris, sed aquæ illi, vel Deo, quem non videbant Iudæi; nec tanta fuisset altercatio inter Iudæos, parentes cæci nati, & ipsum cæcum iam illuminatum, sed omnes miraculum illud miraculosæ piscinæ adscripsissent; & tamen nullus adscripsit, sed cæcus Christo Dei Filio; parentes timore non audebant idem confiteri, & Iudæi liuore & odio in Christum concitati, lumen videre & veritatem confiteri respuebant.

Et confirmatur magis ex eo quod graues affirmant Doctores cum Chrysostomo Homil. 56. in Ioan. Christum ideò misisse cæcum ex templo linitis oculis ad piscinam, vt transiens per ciuitatem, & posteà ab illa per hanc eamdem rediens videns, miraculum magis magisque manifestaret, & Iesus illius auctor vt Dei Filius glorificaretur: quod fieri minimè potuisset, si sanandi virtus aquæ Natatoriæ illius infuisset.

Accedit, quòd si die Sabbati apud Siloa ex consuetudine multi curati fuissent, tunc non ausi fuissent Iudæi Christum redarguere, quod Sabbatum non custodiret; quia hominem sanauit in Sabbato: aduertentes enim frequenter tali die infirmos sanari, facilè intellexissent, sanare homines die Sabbati, non esse contra diuinam legem, vt verè non erat, & consequenter nec Christum redarguere potuissent, quòd Sabbatum violasset.

Denique contra Irenæi sententiam, quam etiam refellit Toletus Annot. 7. in cap. 9. Ioan. possent similia argumenta fieri, quæ superiùs adduximus, contra historicam veritatem Probaticæ piscinæ; ad quæ tamen non similiter aptari possent ibi adductæ responsiones.

Fortè Irenæus loquitur de Siloë postquam fuit ad eam cæcus illuminatus, & Dei Filius mundo glorificatus. De Siloë agit Adrichomius in Descriptione Ierusalem num. 100. alij Terræ sanctæ Tractatores, & D. Ioannis Interpretes.

CAPVT XXV.

De morte Isaiæ Prophetæ, & causa ipsius.

QVantum ad secundum Capite superiori propositum, de morte Isaiæ Prophetæ apud Siloa, & causa ipsius, dico, in sacra Scriptura nihil explicitè haberi, etsi implicitè; ex ea enim deducunt Doctores omnes tam Catholici quàm Hebræi, & constanter affirmant, prope fontem Siloë iussu impiissimi Manasse Regis Ierusalem serra sectum martyrio vitam finisse; Catholici serra lignea, Hebræi, & quidam ex Catholicis, ferrea, qui & causam mortis assignant, vt videbimus.

Isaias serra sectus.

In Prologo Reuelationum Isaiæ Prophetæ dicitur, Isaiam nobili genere ortum Ierosolymis fuisse de tribu Iuda, egregiumq; volumen scripsisse Prophetiarum Spiritu sancto illustrante sub quatuor Regibus Iuda sibi inuicem succedentibus, Ozia, Ioatham, Achaz, & Ezechia: adeoque clarè de mysteriis Christi locutus est, vt S. Hieronymus existimet, non tam Prophetam, quàm Euangelistam appellandum esse. Et cùm plus minus septuaginta annis in Ierusalem prophetasset, iussu Manasse Regis (cui, vt idem ait Hieronymus, auus fuisse traditur) serra in duas partes sectus occubuit, sepultusque in Beniaminica tribu sub quercu Rogel iuxta transitum aquarum; quas

Prophetia.

D. Hieron. ad Paul. & Eustoch. D. August. de Ciuit. Dei lib. 18. cap. 29.

Sepultura.

quas olim Ezechias Rex iacto obſtruxit puluere, circa annum ab orbe condito ter milleſimum ducenteſimum quadrageſimum, & ante Chriſti ortum ſeptingenteſimum vigeſimum octauum.

Martyrium Iſaiæ ex Scriptura. Nicolaus ex Scriptura deducit, violento mortis genere fuiſſe ſanctum Vatem à Manaſſe interemptum: dum enim eius recenſet enormia ſcelera, & hoc memorat, quod eſt, *ſanguinem innoxium fudit multum nimis, donec impleret Ieruſalem vſque ad os*, 4. Reg. 21, 16. Inter iſtos occiſos, ait, fuit Iſaias Propheta, qui dicitur Manaſſe auunculus ex parte matris fuiſſe, & eo quòd eſſet nobilis genere, non fuit auſus eum ita de facili ſicut alios interficere, ſed quæſiuit occaſionem de lege, vt habetur in quodam libro Hebraico, qui dicitur Iebamoth, dicens: Tu dixiſti, *Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum & elevatum*, Iſa. 6, 1. & ideò tu dicis contra Moyſem & contra Dominum dicentem Moyſi: *Non videbit me homo, & viuet*, Exod. 33, 20. & ſic eum morte dignum iudicauit. Et cùm Propheta oraret Dominum, aperuit quamdam cedrum, & ibi incluſit Prophetam. Manaſſes autem viſo miraculo, non fuit retractus à crudelitate, ſed cum cedro iuſſit eum ſecari ſerra ferrea. Expoſitores autem noſtri, ſubiungit Lyranus, dicunt communiter, quod fuit ſerratus ſerra lignea, ad diuturniorem afflictionem. Et cùm Propheta peteret aquam ſibi dari, & negaretur, Dominus de excelſo miſit aquam in os eius: & inde locus iſte, iuxta quem ſerrabatur, dictus eſt Siloë, quod ſignificat miſſionem. Tamen in fine Manaſſe pœnituit, vt habetur 2. Paralip. cap. vltimo. Hactenus ex Lyrano.

Oratio mortis.

Miraculum in eo.

Sectum etiam fuiſſe ſerra ferrea, docet Epiphanius antiquiſſimus, auctor in libro de Vita & exitu Prophetarum cap. 7. forte ex fontibus Hebræorum. Eadem habes in Hiſtor. Scholaſt. 4. Reg. cap. 32. & apud alios.

Ceterùm commodiùs & clariùs genus mortis Iſaiæ alij videntur mihi collegiſſe ex Epiſtola B. Pauli ad Hebr. cap. 11. vbi loquens S. Apoſtolus de perſecutionibus & martyriis Sanctorum veteris Teſtamenti, dicit, quoſdam ſectos fuiſſe: & cùm id de nullo illorum legatur, præterquam de Iſaia, illis verbis ad Iſaiam reſpexiſſe Paulum, credendum eſt, quemadmodum eum locum Doctores interpretati ſunt.

Horrendum profectò & immane genus mortis; adeò vt irrogatum fuerit lege 12. Tabularum cap. 2. Quin aliquem ſectum ſic fuiſſe, nec ſe legiſſe, nec audiuiſſe, teſtatur A. Gellius lib. 12. cap. 2. Quare barbaricam potiùs quàm Romanam eam fuiſſe ſæuitiam monſtrare videtur Valerius Maximus lib. 9. cap. 2. Exter. 4. Primus qui tam immane ſpectaculum oculis Romanorum ingeſſit, reperitur fuiſſe Caius Caligula, de quo Suetonius in Caio c. 27.

De Martyrio Iſaiæ legendi ſunt S. Hieronymus in cap. 20. Iſa. S. Epiphanius in Vita Iſaiæ, S. Iſidorus in lib. de Vita & morte Sanctorum cap. 37. Euſebius in Chronicis, & ſingulariter D. Zeno Epiſcopus Veronenſis Serm. de Martyrio Iſaiæ Prophetæ, in Tom. 2. Biblioth. Vet. Patrum. Sic etiam deceſſiſſe, ex certiſſima traditione Hebræorum docet Hieronymus ſuper Iſaiæ cap. 57. & communiter tenet Eccleſia, & regiſtratam habet in Martyrologio Romano ſub pridie Nonas Iulij.

Abulenſis ſententia reijcitur. Propter quæ non videtur audiendus Abulenſis in 4. Reg. 21. quæſt. 18. aliter docens, eo potiſſimùm argumento, quòd in Prophetiæ ſuæ initio Iſaias non dicat ſe prophetaſſe ſub Manaſſe, ſed tantummodò ſub præcedentibus Regibus, videlicet Ozia, Ioathan, & Ezechia: ex quo elicit, ipſum non peruenisſe ad tempora Manaſſe, ſed Ezechiæ temporibus obiiſſe.

Quandoquidem, reſpondet Torniellus Tomo 2. Annal. ſub M. A. 3338. num. 4. Ieremias quoque in principio ſuæ Prophetiæ dicit ſe prophetaſſe à decimotertio Ioſiæ anno vſque ad conſummationem vndecimi anni Sedeciæ in menſe quinto; tamen conſtat, quòd non tunc mortuus eſt, ſed poſteà fleuit, ſcripſitque ſuper Ieruſalem deſolatam Lamentationes; ac deinde, poſt occiſum in menſe ſeptimo ab Iſmaële Godoliam, cùm vniuerſus populus Iudaicus, qui remanſerat in Iuda, fugiſſet in Ægyptum, illuc quoque cum eo perductus eſt Ieremias: vbi multa aduerſus eos vaticinatus eſt, quemadmodum legimus Ierem. cap. 41. vſque ad 45.

Duplex cauſa mortis. Cauſam mortis Prophetæ duplicem aſſignatam inuenio à Doctoribus. Altera, quòd Iſaias reprehenderit Optimates domus regiæ, Principesque Sodomorum appellarit, vt dicitur Iſaiæ 1, 10. Ita Magiſter Hiſtor. loco ſuprà citato, & alij. Altera, quòd dixerit ſe vidiſſe Dominum ſedentem, &c. Iſaiæ 6, 1. Ita Lyranus ex Hebræis. D. Hieronymus lib. 1. Commentariorum in Iſaiam in ea verba cap. 1. *Audite verbum Domini Principes Sodomorum*, duplicem hanc adducit rationem, & poſteriorem reijcit. Licet enim ſecundùm naturæ proprietatem Deus videri nequeat, bene tamen imperfectè & in ænigmate videri poteſt, vt vidit Moyſes.

Hunc

Hunc lege, si placet, & in Epistola ad Damasum exponentem eiusdem Prophetæ visionem cap 6. An etiam, quòd prædixerit Moysis legem abolendam in aduentu Christi?

CAPVT XXVI.

Aliorum sententiæ de origine & terminatione fontis Siloë; & de origine ac significatione nominis Siloë.

TEmpus est vt tertio quæsito suprà proposito de fonte Siloë respondeamus, vndenam hic fons originem & nomen accepit. Præsenti Capite tradita ab antiquioribus Doctoribus referemus; sequenti, quæ nos ipsi cum aliis obseruauimus.

S. Epiphanius lib. de Vita & exitu Prophetarum cap. 7. respondet hisce verbis: *Fontem quippe Deus Siloam causa Prophetæ effecit; quoniam prinsquam moreretur, pusillum precatus est, vti vndas illic emittere dignaretur, & confestim dimisit illi calitus aquam viuentem, vnde sortitus est locus ille appellationem Siloam: quòd si quis interpretetur, sonat dimissum. Sub Ezechia quoque Rege, antequam stagnum piscinasq; fabricasset, precibus Isaiæ effectum, vt exigua lympha scaturiret, quòd populus in obsidione hostium teneretur, ne ipsa periret vndis destituta ciuitas. Milites igitur perscrutabantur vndique, vbinam sedare sitim daretur; ignorabant enim. Vrbe quippe iam potiti, obsidebant Siloam. Quandocumque itaque indigentes Iudæi aquatum venerant, scaturiebat vnda, & aquabant; exterarum verò nationum homines reperire nesciebant; latex namque aufugiebat. Eoq; vsque in hodiernum diem eructatur clanculùm, quo significetur mysterium. Ceterùm quandoquidem Isaiæ Prophetæ istud acceptum referunt, in perennem eius rei memoriam, populus accuratè Prophetam isti solo cum gloria & honore reddidit, vt per eius intercessionem, in consummationem vsque sæculi aquæ huiusmodi fructus impetretur, cui scilicet vsum referebant acceptum.* Hucusque Epiphanius, de sepulchro Isaiæ agens ad Siloam posito.

Ratio nominis fontis Siloe. Orationis Sanctorum virtus.

Miraculum in Iudæorũ gratiam factum.

Cõtrarium aliud miraculum.

Notandum tamen, quòd postquam Iudæi Dominum occiderunt, & Christus lacrymis prædixit Ierusalem destructionem (mirabile dictu!) aquæ illæ Iudæis se absconderunt, & hostibus se præbuerunt. Testatur enim Iosephus lib. 6. Belli Iud. c. 11. Siloë, & omnes alios quotquot erant extra ciuitatem fontes, ante Titi Cæsaris aduentum adeò defeciſſe, vt iuxta eos aqua venderetur; post accessum autem eius, tanta vbertate hostibus fluxisse, vt non modò ipsis & iumentis eorum, sed etiam hortis sufficeret. Idem scribit Egesippus lib. 5. de Excid. Ierosol. cap. 16.

Aduertendum vlteriùs arbitror, fonti huic, ex miraculo illo in gratiam Prophetæ facto, non simpliciter Siloë nomen fuisse inditum; siquidem ante illud Prophetæ martyrium, eodem nomine appellatum inuenio apud eumdem Prophetam cap. 8. qui loquens de causa vastationis Regni Israël per Assyrios, quia videlicet recessit à domo Iuda, sub qua in pace viuebat, maximè tempore bonorum Regum, quod per aquas fontis Siloë (quarum hic meminit) significatur, quæ vadunt cum silentio, vt in huius loci interpretatione indicant diuus Hieronymus, & Nicolaus. Quare dicendum videtur, non simpliciter in morte Isaiæ, fontem illum Siloë fuisse appellatum, sed quia fons ex illo miraculo magis auctus fuit, atque ex eodem Siloë magis appellari cœpit, vt etiam docet Magister Histor. Schol. vel, qui anteà sic appellabatur, posteà noua illius miraculi ratione eodem nomine appellatus est.

Ante Isaiã Siloë erat.

D. Hieronymus loco citato videtur sentire, fontem Siloa eumdem esse cum illo qui Gichon dictus est. Fons autem Gichon est ad quem Salomon in Regem vnctus est, 3. Reg. 1, 33. & quem Ezechias obturari fecit, ne inimici & hostes potum inde haberent, 2. Paral. 32. sic dictus, aiunt Linguæ sanctæ periti, à verbo Hebræo *ganahh*, significante erumpere, aut irrumpere; quasi aquæ impetu quodam inde erumperent.

Sed Hieronymiano huic dicto illud obstat, quòd Gihon fons longè ab isto distat, circa dimidium videlicet milliaris, & ampliùs; ille ad Occidentalem, iste ad Orientalem plagam sanctæ Ciuitatis: diuersa etiam habent nomina; quomodo ergo idem fons esse possunt?

Siloë quomodo idem quod Gihon.

Dici posset, sequendo hanc opinionem, esse eumdem fontem materialiter, quia vtriusque eædem sunt aquæ; & distingui ab inuicem sicut causa & effectus, vt origo & terminatio, fons & piscina: ita vt Gichon, siue, vt communiter dicitur, Gihon, origo, causa, principium sit, vt ex nominis interpretatione facilè coniectare possumus. Gichon enim exitum significat, Siloa verò effectus, natatoria & piscina, in qua fluentes aquæ recipiuntur. Et ita dicere possumus, Gihon, & Siloa, secundùm diuersos respectus, esse idem, & diuersa, ac ideò posse vno & pluribus nominibus nuncupari. Et hoc posset confirmari similibus adductis exemplis de fonte signato, Iordane, & mari Galilææ. Lege Ianienium in cap. 78. Concord. Euang. & alios interpretes in c. 9. Ioan.

Aduerto

Aduerto tamen, nunc temporis in parte Occidentali ſanctæ Ciuitatis monſtrari locum, qui Gihon appellatur, vbi Salomon fuit vnctus Rex, in quo multæ cernuntur ædificiorum ruinæ: & ibidem eſt magna piſcina, non fons. Fortè fons obſtructus fuit. Sed de his plura dicemus Lib. VI. Cap. vltimo VII. Peregrinationis, de piſcina Gihon agentes.

Filij Dei in mundum aduentus præfigurati.

Vel demque dicatur, Natatoriam iſtam vel fontem Siloë, id eſt miſſus; eſſe appellatum, ad præfigurandum myſterium poſteà in Filio Dei adimplendum: de quo aliàs fuſiùs dicetur, cùm de Bethlehem & Nazareth agemus. Igitur fons quietè ex Gihon procedens in Siloë, & ex Siloë in hortos aquas diffundens, Siloë appellatus eſt, quòd præfigurauerit Dei Filiũ, qui ab æterno Patre ſine ſtrepitu ac ſilentio procedens, id eſt, inuiſibili proceſſione, & immutabiliter homo factus eſt; &, vt cantat Eccleſia de iſto myſterio in quadam Antiphona, *Dum medium ſilentium tenerent omnia, & nox in ſuo curſu medium iter haberet, omnipotens ſermo tuus à regalibus ſedibus venit.* Qui, velut fons gratiarum & ſpiritualium bonorum, in ſanctam Eccleſiam, & fideles animas, vt in vineas & hortos abundè ſe effudit; ita vt verè dicere poſſint: *De plenitudine eius nos omnes accepimus*, Ioannis 1, 16. Et cæcus ille à natiuitate ad illum typicum fontem miſſus, à vero & perenni Chriſto Domino animæ & corporis medelam percepit; vnde ipſe dixit: *Abij, laui, & video*, Ioan. 9, 11. Quare Ioannes Euangeliſta, Hebraico nomine retento Siloë, adhibuit interpretationem, *quod interpretatur miſſus:* vt per Siloë, Chriſtum ſignificari indicaret; & eius virtute, non aquæ natatoriæ, cæcum fuiſſe illuminatum doceret, vt notauit Chryſoſtomus Homilia 56. quem plerique alij ſequuntur. Hic fons, id eſt, Chriſtus latitans, multorum cæcitatem ſpiritualem aufert, ſi ipſam agnoſcentes, ad eum acceſſerint. Scrutamini Scripturas, ipſæ enim teſtimonium perhibent de me; ſicut eam contemnentes, in eorum cæcitate permanere neceſſe eſt. quod antè prædixiſſe videtur Regius Vates, dum Pſal. 35, 10. dixit: *Apud te eſt fons vitæ.* & Zacharias cap. 13, 1. *In die illa erit fons patens domui Dauid, & habitantibus Ieruſalem, in ablutionem peccatoris.*

Sunt qui dicunt, hanc Natatoriam dici piſcinam inferiorem; ſed non placet, propter ea quæ infrà dicemus de piſcina Gihon.

CAPVT XXVII.

Alia ab Auctore & aliis obſeruata circa fontem, & Natatoriam Siloë, quibus magis origo & terminatio illius reſeratur.

QVoniam multa dicuntur de fonte & Natatoria Siloë, vt vidimus, & in partibus iſtis aliqua diuerſa à memoratis aſſeruntur; vt omnia innoteſcant, &, quæ probabiliora iudicabuntur, teneantur, poſtquam relata ab antiquis deſcripſimus, reliquum eſt, vt à nobis inquiſita proponamus: ex his enim & illis dilucidior euadet cognitio fontis & Natatoriæ Siloë.

Fons Siloë & B. Maria in eadem linea Orientali.

Ieroſolymis in plaga Orientali, præter fontem Siloë, eſt alius ſupra ipſum, qui communiter appellatur Fons beatæ Virginis Mariæ, de quo Capite ſequenti agemus. Dicitur ab incolis Ieroſolymitanis, aquas vnius fontis fluere per ſubterraneum canalem ad alterum, etſi dubitetur de origine primaria aquarum. Ego, etſi pluries exteriùs hos conſiderauerim fontes, & alios conſuluerim de iis quæ de eiſdem aſſeruntur, numquam tamen plenè ſatisfactus remanſi; nec conceſſum fuit, vt voluiſſem, periculum facere. Vnde vt certior de memoratis fierem, cùm abeſſem à ſancta Ciuitate, ſcripſi ad amicum meum in ea moras trahentem Adm. Reueren. & Perilluſtrem D. Ghirardum Vinhouen, Sacerdotem Colonienſem, & Equitem ſanctiſſimi Sepulchri Domini noſtri, virum pium & curioſum, vt meliori modo quo poſſet, quæ propoſui inueſtigaret, & inuenta referret. Diligenter petitioni ſatisfecit, & vt ſequitur reſcripſit.

De Siloë plus experientiæ quàm forſan veritatis habeo; dicam tamen id quod vidi, & expertus ſui. Retulit mihi Frater Iulius (hic Frater probus & pius Religioſus, qui ad decem & ampliùs annis commoratur Ieroſolymis, de rebus Terræ ſanctæ optimè inſtructus, quique ad illius obſequium vltimum diem claudere exoptat) ſe ante aliquot annos canalem ſubterraneum de fonte B. Virginis vſque ad fontem Siloë tranſiuiſſe, quod ego nunc pro obtinenda potiendaque meliori certitudine imitari conatus ſui: verùm quoniam interiùs in nonnullis locis nonnihil conciderit, ita angustiatus ſui, vt vix tranſiri poſſit. Fui ingreſſus vſque ad medium, vti mihi videbatur, vel paulò minùs; illic verò ita conſtrictus fui, vt non ſolùm manibus genibusque ſerperem, ſed etiam fermè pronus procederem, quam ob cauſam candelæ lumen

Periculum factum de tranſitu vnius in alterum.

Digitized by Google

perdidi, nec ex ferro propter angustiam loci excutere, nec me benè vertere potui: quod vbi obtinui, viam priorem, vnde ingressus eram, redij, licet benè madidus, & sordibus plenus; adeò vt ab illa parte fontis B. Mariæ Virginis singularius nihil viderim, nisi canalem ex inferiori parte satis exaltatum esse de terra ex sordibus, quas eò fortiores vndæ suo tempore impellunt & portant. De fonte hoc notaui, scilicet quòd hoc tempore à parte fontis B. Mariæ Virginis aquas salire non viderim, nisi saliant directè ante gradus, vbi intratur; nam ibi fons profundior est, & aquæ consumuntur lauando, portando, &c. vt constat. Magis introrsum aliquamdiu totum siccum reperi, deinde paululùm procedendo, in fundo nonnihil aquæ. Hoc de fonte à parte B. Virginis Mariæ.

Alia die (cùm ibi difficiliùs transirem) à parte fontis Siloë ingressus fui, & circa ictum moschetæ prædictum subterraneum canalem ingressus fui, donec etiam propter angustiam commodè vltrà procedere non possem. Notaui autem, fontem Siloë per totum leniter fluere; vnde verò aquæ illæ effluant, ex quo loco præciso & particulari non vidi, nisi quòd per totum canalem hinc inde per rimas salire putem: vidi tamen ab illa parte vlteriùs venire aquam; ego commodè intrare non potui. Et post pauca subdit: Vtrùm verò Siloë fons, & B. Mariæ fons, vnus sit, an plures, pro certo affirmare non ausim; quia ab vtraque parte aquas vidi; ad medium verò mihi venire non licuit. Puto tamen ego, esse vnum locum principalem vbi saliunt aquæ fontis vtriusque, & propter diuersos effectus diuersa nomina meruisse. His paucis sua M.R.P. valeat, &c.

Ex dictis præsenti & præcedenti Capite duo probabilia proponere breuiter possumus. Alterum, posse aquas Gehon per subterraneos meatus & rimulas ad fontem Siloë descendere: & si solis illis aquis ditaretur, iam soluta esset quæstio de origine huius fontis; sed huic obstare videtur hoc, quòd, sicca piscina Gehon superiori & inferiori in æstate, aquæ abundant, vel sanè non desunt in Siloë, & multò minùs in fonte B. Mariæ Virginis.

Probabile, Siloë exire à fonte B. Mariæ.

Alterum est, si non sunt duæ scaturigines fontis Siloë & B. Mariæ, sed vnica, vt mihi probabilius videtur; (aliàs, ad quid canalis ille pertingens ab vno ad alterum fontem?) illam dicerem esse ad fontem B. Mariæ; & ita tradit etiam Fr. Anselmus in sua Descriptione Terræ sanctæ. Ratio est. Primò, quia hic fons mihi videtur esse in eminentiori situ quàm sit alter Siloë. Secundò, quia abundantior aquis; & illo ferè exhausto, in isto non desunt: & celebrior & frequentior est ad eum concursus hominum & mulierum: qui nedum pro ipsis, sed etiam pro iumentis hauriunt aquas. Sunt vtriusque fontis aquæ dulces, salubres, multumque proficuæ.

Termino Siloë.

De terminatione aquarum Siloë hæc accipe. E fonte Siloë per patuulum canalem fluunt aquæ in stagnum siue Natatoriam Siloë duodecim vel sedecim pedibus distantem; & deinde per alium canalem sub terra, vsquedum videtur, effluunt. Quando coloni volunt in Natatoria congregare aquas, posteriorem canalem obstruunt: qua repleta, cùm volunt proximos hortos vallis Iosaphat adaquare, illum aperiunt, & ad illos deriuantur aquæ; ibique absorbentur & terminantur. Et hæc de Siloë satis.

CAPVT XXVIII.

De fonte B. Mariæ Virginis, decimoquinto loco septimæ Peregrinationis.

Conditio fontis beatæ Mariæ Virginis.

E Regione montis Offensionis, citra vallem Iosaphat, ad radices montis Sion Septemtrionem versus, est fons pulcherrimus, magnus ac spatiosus, satisque profundus, ad quem est commodus descensus per nonnullos marmoreos politos & dolatos gradus: magnam præbet aquarum copiam hominibus ac iumentis, ac ideò plurimùm frequentatus, & æstimatus. Fons iste modò appellatur, & antiquitus appellabatur fons B. Mariæ Virginis. Nos in præsentia pro eius historica elucidatione tria explicabimus; primò, rationem nominis; secundò, quomodo in sacris Litteris appelletur; tertiò, de illius origine aliqua proponemus.

Rationem.

Quantum ad primum, fons B. Mariæ Virginis nuncupatur; quoniam pia habet traditio, sanctam sedulamque Dei Genitricem, non semel, cùm ex occasione esset Ierosolymis, ad illum se contulisse, vel ad hauriendam aquam pro se suæque societatis vsu, vel ad abstergendos Filij sui Iesu panniculos, quando cum eo ibat Ierosolymam, vt tempore Præsentationis, vel aliàs. Nec ita dicere, est à pietate & ratione alienum, sed eidem maximè consentaneum: etenim si aliæ pauperes matres pro filiorum domusque necessitatibus simile opus non prætermittunt, quid putabimus de sanctissima Deipara, præ ceteris studiosa in obsequio vnigeniti dilecti Filij sui, & suæ sodalitatis? & cùm pauper esset, poruit ipsa cum magno puero Iesu & sponso Ioseph ad vberem hunc & commodum fontem se

Digitized by Goo

se conferre, vt aquarum illius beneficio potiretur. Hac ratione magna in veneratione à Christicolis habetur, ipsum vt peculiare sanctuarium inuisunt, ad eum preces fundunt, & Deo, omnium bonorum primario perenniqúe fonti, & Virgini Mariæ matri eius, qui est fons signatus sigillo totius Trinitatis, fons hortorum, & puteus aquarum viuentium, donorum cælestium, & spiritualium gratiarum, se commendant, & aquas in gaudio de fontibus Saluatoris expostulant, & materiales etiam illas hauriunt; & non ex necessitate modò, sed magis ex deuotione bibunt.

Venerationi habetur.

In sacris Litteris quemodo appellatus.

Quantum ad secundum, quonam appelletur nomine hic fons in sacris Litteris; Respondeo, Auctores qui de illo scripserunt, non omnes inter se conuenire. P. Bonifacius lib. 2. De perenni cultu Terræ sanctæ arbitratur appellari fontem Draconis; de quo 2. Esdr. 2, 13. vbi sic loquitur Nehemias: *Et egressus sum per portam Vallis nocte, & ante fontem Draconis*, &c. sic enim ille ait: *Hinc* (id est, à fonte Siloë) *ad iactum lapidis, ad radicem sacri montis Sion Septemtrionem versus, est fons qui à Ieremia appellatur Draconis, nunc dicitur, & ab omnibus appellatur fons Virginis Mariæ, etiam ab incolis infidelibus terra illius. Dicunt & ipsi, quòd B. Virgo sæpè ad hunc fontem descendebat ad abluendum panniculos Filij sui Saluatoris nostri Iesu Christi.* Tantum ille. Credo in hisce verbis Bonifacij mendum esse Typographi, qui pro Nehemia posuit Ieremiam; nam sub præmisso nomine non inuenio factam mentionem fontis huius in Ieremia, sed benè in Nehemia, vt vidimus.

Prima sententia. Fons Draconis.

Adrichomius in Descriptione Ierusalem num. 185. videtur suffragari Bonifacio, dum describit fontem Draconis in plaga Orientali Ierusalem, vergente tamen ad Aquilonem, & in parum differenti situ ab assignato à Bonifacio.

Refragatur Villalpando.

Sed vtrique refragatur Villalpandus; quoniam fontem Draconis putat fuisse in parte vrbis Occidentali: ita tradit Tom. 3. Apparatus lib. 3. cap. 6. de illo quippe loquens dicit, *Fontem hunc ad radices montis Caluariæ* (qui est ad Occidentem vrbis) *scaturijsse, in ipsamet cadauerum, seu Golilæ, hoc est, Stercorum valle*, &c. Et quamuis plures fontes obstructos fuisse Ierosolymis dicat, intra & extra; inquit tamen post adducta verba: Huius fontis memoriam ibidem extare, testes esse possunt bini putei perennis ac dulcis aquæ, quibus Franciscani Fratres ac peregrini vtuntur, &c. addit́q; Draconis appellari; quia magnos pisces aleret, quos dracones seu cetos hyperbolicè vocabant Ierosolymitani ciues: vel quia in ima & ruderibus plena valle diffluerent, alendis serpentibus opportuna, &c.

Ratio discriminis inter hos Auctores prouenit ex diuersa portarum Ierusalem assignatione: etenim cùm omnes in eo conueniant, fontem Draconis esse inter portam Vallis & Stercoris, quemadmodum citatus Nehemiæ textus indicat; sed dissentiunt in assignando harum portarum situ. Ego quidem non intendo disputare de præmissarum portarum situ, & consequenter nec de situ huius fontis; dicam tamen quod probabilius occurrit, si fons Draconis non est obstructus, sed adhuc remanet illius memoria, vt dicit Villalpandus, illú esse potiùs hunc, de quo locuti sumus, in Orientali plaga ciuitatis verè memorabilem ac celebrem, non item illum Villalpandi, in Occidua parte; quia in ista nec fons est, nec putei ab illo memorati cernuntur, eorúmve memoria extat; si visus, & senum Ierosolymitarum relatio non me decepit.

Bonifacij & Adrichomij sententia probabilior.

Frater Anselmus Minorita in sua Terræ sanctæ descriptione apud Henricum Canisium Tom. 6. Antiq. lectionum, supponit esse fontem Rogel, cuius fit mentio in libris Iosue & Regum. Et, ni ego fallor, non improbabiliter, si ille obstructus non fuerit, & adhuc supersit. Etenim Adrichomius & Villalpandus in suis Ierosolymæ descriptionibus, & alij, in plaga ista describunt fontem Rogel, vbi in præsentia cernitur fons B. Mariæ Virginis. Sanè in plaga & linea ista, excepto Siloë, alius fons ab isto non monstratur Ierosolymis, & Iosue cap. 15. & 18. si rectè consideretur, suffragari videtur, & quod notat Villalpandus Tom. 3. lib. 1. cap. 16. Tunc dicetur etiam Fullonis, quia id significat Rogel, ex Villalpando ibid. l. 2. c. 17. Ea fortasse ratione, quòd eius aquæ ad Agrum fullonis decurrerent, fullombusq́; ibi vsui essent. Pertinebat ad hortos Regis, vt indicat Iosephus lib. 7. Antiq. cap. 11. nam Adoniam dicit coronatum ad fontem qui est in hortis regiis; quod Scriptura dicit factum iuxta fontem Rogel, 3. Reg. 7, 9. qui est in confinio duarum tribuum Iudæ & Beniamin, vt Iosue 15,7. & 18,16. habetur.

Secunda. Fons Rogel.

Iof. 15,7. & 18,16. 2. Reg. 17. 17. 3. Reg. 1,9.

Fontis Rogel fines.

Quantum ad tertium, de origine aquarum huius fontis, varia sunt placita Auctorum. Aliqui sentiunt probabiliter, illas ibi suam habere scaturiginem; quæ inde à dextro latere per canalem subterraneum deriuantur ad fontem Siloë, vt notauimus Capite præcedenti. Credo similiter dicturos, asserentes illum esse fontem Draconis, vel Rogel; cùm istorum origo exte-

De huius fontis origine sententia.

Prima, ibi scaturire.

gitized by Google

riùs, quod ſciam, non petatur; & hoc crede verum.

Secunda, in templo. Dicunt alij, & videtur eſſe communis reſponſio in partibus iſtis, fontem iſtum repleri aquis è templo egredientibus, & per ſubterraneos meatus ad eum confluentibus, & ad has aquas alludere Eccleſiam in aquæ illa benedictione, *Vidi aquam egredientem de templo à latere dextro*, & Ezechielem cap. 47. poſteà adducendum.

Hæc ſententia vt cómunis, ita valdè probabilis eſſet, ſi altera vera eſſet, & quæ c. 47. ſcribit Ezechiel, verè de aquis materialibus in templo ſcaturientibus intelligéda eſſent, vt plerique intelligunt, & non de ſpiritualibus cęleſtis doctrinę ac diuinæ gratiæ, vt alij interpretantur. Adde, potuiſſe alias aquas templi ibidem fluere, & fontem illum ſi non facere, ſaltem augere. Quod quomodo accidere potuerit, non grauabor vt potero explicare; non enim erit inutile.

Aqua erant in templo. Aquas fuiſſe in templo Ieroſolymitano pro illius & miniſtrorum vſu, & etiam canales & meatus, per quos deferrentur foras poſtquam deſeruierant, tam ex ſacris quàm profanis litteris liquet, & ex dicendis apparebit: ſed quales illæ erant, ſcaturientesne in eo, an aliunde colligebantur vel deportabantur?

Dubium.

Solutio. Dico primò, fuiſſe aliunde collectas aquas: hoc probatur in primis ex 3. Reg. 7, 23. & 2. Paral. 4, 2. vbi legimus, ad Meridianam atrij Sacerdotum partem ingens locatum fuiſſe aquarum receptaculum, Mare æneum appellatum; quoniam ex ære fabricatum erat, & in eo, velut in mari, aquæ colligebantur: duodecim boum dorſo ſuſciebatur, quorum tres ad Orientem, tres ad Occidentem, ad Auſtrum tres, totidem ad Aquilonem ora vertebant. Hoc mare aquam pro lauandis Sacerdotibus præbebat. de illo Ioſephus lib. 7. Antiquit. cap. 6. ſequentia ſcribit: *Hoc mare ex aris quodam genere fabricatum, quod auro pretioſius ducebatur. Dauid, inquit, præcipuas Adrazari vrbes aggreſſus eſt, easq; vi expugnatas diripuit: in his magna vis auri & argenti reperta eſt; & præter hæc, aris genus, quod auro pretioſius eſt habitum: ex quo poſteà Salomon fecit magnum illud vas Mare appellatum, & pulcherrima polubra, cùm templum adornaret*, &c. Plura de eo Villalpandus Tom. 2. Part. 2. lib. 5. cap. 38. In eodem etiam atrio erant decem luteres, ſiue conchæ, ſupra decem baſes ac rotas, veluti ſupra decem currus; quinque ad dextram, quinque ad ſiniſtram partem conſiſtebant. In iis victimæ offerendæ abluebantur. De illis citatis locis Reg. & Paral. & Villalp. ibid. c. 39.

Erat aquarum receptaculum.

Deinde Montanus in Apparatu, in atrio Sacerdotum duos puteos fuiſſe ait poſterioribus temporibus artificio confectos, ſiue potiùs ciſternas; in quibus aquæ aliunde hauſtæ in ſacrorum vſus conſeruabantur: an autem à Salomonis temporibus effoſſi & conſtructi fuerint, incompertum putat. Fuiſſe præterea ſcribit puteum pertuſo canali per montem pertingente vſque ad torrentem, lapide impoſito cum anſa; in quem ſanguis cum aqua infuſus ad torrentem defluebat.

Duo putei vel ciſternæ.

Alius puteus.

Dico ſecundò, fuiſſe in templo fontem è quo aquæ viuæ manabãt. Ita Ariſtæus apud Euſebium lib. 9. Præparationis Euangelicæ cap. 4. vbi ſic ait: *Templum ad ortum reſpicit, poſteriora eius ad veſperum tendunt. Lapidibus autem ornatiſsimè pauimentum templi conſtratum eſt, & aqua ſæpiùs in templum immittitur, vt à ſanguine detergat; multa enim animalium millia in ſolemnitatibus offeruntur. Fons verò copioſiſsimè atque integer in ipſo templo ſcaturit, ex quo magna vis aquarum per cloacas plumbo conſolidatas diffluit.* Hæc Ariſtæus in libro de Interpretatione legis.

Fons.

Et fuiſſe fontem in latere dextro templi, videtur ſentire Adrichomius antè citatus num. 83. Huius fontis arbitror mentionem fieri apud Ezechielem cap. 47, 1. hiſce verbis: *Et conuertit me ad portam domus*, id eſt, templi Salomonis, *& ecce aquæ egrediebantur*, per modum fonticuli ſcaturientis, inquit in hunc locum Lyranſis, *ſubter limen domus ad Orientem*, hoc eſt, ex limine & oſtio Sancti ſanctorum; ſicut de iiſdem infrà v. 12. dicitur, egreſſuras aquas *de Sanctuario*, & v. 1. *Aquæ autem deſcendebant in latus templi dextrum ad Meridiem altaris*, hoc eſt, Meridianam altaris partem.

In parte Meridionali.

Cùm tot eſſent aquæ ad abluendum tam Sacerdotes alioſq; templi miniſtros, quàm hoſtias ſacrificandas, ratio ſuadet aſſerere, ibidem fuiſſe canales vel meatus per quos ablutiones demitterentur, ne illis ſacrum fœdaretur & inundaretur templum: & verè fuiſſe, conceptis verbis docet Ariſtæus dicens: *Tantus eſt eductarum aquarum aſſiduus fluxus, vt perennem fontem inundare putes. Sed mirabilius eſt, & ferè inenarrabile, ſubterraneorum conceptaculorum magnitudo, quæ ad quinque ſtadia per circuitum templi cuncta penetrat. Plumbeæ ad ea fiſtulæ quacumque per muros, & templi ſolum, quibus omnia abluantur, & mundentur, deſcendunt. Sunt & apud aræ frequentes aperturæ, omnibus quidem, niſi his qui miniſtrant, incognitæ: quorum influxu & impetu, omnis ex hoſtiarum multitudine cruor purgetur. Receptarum autem aquarum multitudinem per hunc modum coniectauimus: nam cùm nos vltra*

Exitus, & aquarum termini.

qua-

Digitized by Google

quatuor ſtadia extra vrbem deduxiſſent ad quendam locum, iubent nos ſubterfluentium vndarum ſonitum audire; qui mihi quidem magnorum vaſorum confluxus viſus eſt. Hactenus ille.

Itaque cùm hæc ita ſe habeant, fieri poteſt, vt aquæ illæ partim in Probaticam piſcinam demitterentur, partim ad torrentẽ Cedron fluerent, & partim ad dictum fontem in hac linea conſiſtentem, & ad radicem montis, vbi templum ſitum erat, decurrerent. Atque ex his conſtat, quomodo ſaluari poteſt quod dicitur, aquas egredientes de templo ad hunc fontem deſcendere; &, ſi credam aliis, etiam augeri.

Probatica piſcina, torrens Cedron, & fons B. Mariæ Virginis.

In præſentia, ſi malè non recolo, in templo Ieroſolymis extructo, in loco vbi olim erat templum Salomonis, eſt quidem fons, vt eſſe ſolet in Meſquitis Turcarum, ſed non ibi oritur, ſed aquis fontis ſignati eouſque delatis repletur. An inde demiſſæ fluant ad dictum fontem, vel in alium locum, mihi eſt incompertum.

Vnum dictis obſtare poteſt, quod citato capite Ezechielis habetur, aquas illas fluere ad Iordanem, & inde in Mare mortuum, cuius aquas etiam ſanare dicit. Reſpondetur, ex hoc deduci, non omnes aquas demitti in fontem illum, quod non negamus, ſed aliquas demitti; & ſufficit nobis. *Obiectio.* *Solutio.*

Sed hîc obiter myſterium aduerte: quòd quemadmodum aquæ è templo egreſſæ Mare mortuum ingrediuntur, & ſanant, piſceſque in eo viuentes gignunt; ita cæleſtis doctrinæ ac gratiæ aquis, à Chriſto Domino eiuſque dextro latere manantibus, homines peccatis mortui viuificantur, Deoque acceptabiles redduntur. Atque, ex eo quòd illæ aquæ fluere dicuntur ad fontem Virginis, intelligimus gratias omnes à Chriſto manantes nobis communicari per Virginem Matrem, vt Sancti docent. Et hæc de memorato fonte & præſenti Peregrinatione ſatis. *Aquæ de Hirina & gratia Chriſti homines purgantur.* *Gratiæ nobis per Virginem communicantur.*

PEREGRINATIO VIII. *in qua recenſentur atque enucleantur ſeptem loca ſingulari obſeruatione digna, occurrentia egredientibus ex porta Orientali ſanctæ Ciuitatis, ſancti Stephani appellata, & ad montem Olineti proficiſcentibus.* I. *locus eſt vbi ſanctus Stephanus fuit lapidatus.* II. *Vbi aliquantum iacuit eiuſdem Sancti corpus poſt eius mortem.* III. *Pons Cedron.* IV. *Mons Oliuarum.* V. *Vbi ſancta Deipara aliquando orauit, & quieuit.* VI. *Vbi Thomas Apoſtolus accepit Mariæ Virginis cingulum.* VII. *Vbi Chriſtus fleuit ſuper ciuitatem.*

CAPVT PRIMVM.

De loco vbi ſanctus Stephanus fuit lapidatus, qui primò inuiſitur in octaua Peregrinatione.

EGreſſi pij fideles ex ſancta Ciuitate per *portam Gregis* ſiue *Genath*, vt eam appellat Ioſephus, id eſt, hortorum, quòd ad hortos Regios & vallẽ Ioſaphat viam aperiret; ſiue *ſancti Stephani*, vt eam in præſentia appellant iſtarum partium incolæ, & alij Scriptores, quòd ex ea eiectus ſit ſanctus Stephanus quando fuit lapidatus, & *Orientalis*, quòd in Orientali plaga ciuitatis ſita ſit: ex hac inquam porta egreſſi fideles, vt viſitent loca ſancta, quæ occurrunt eundo ad montem Olineti, præter alia, de quibus hactenus actum eſt, & adhuc agemus, poſt peractum iter vnius ſtadij circiter, in deſcenſu ad torrentem Cedron & vallem Ioſaphat, occurrit primò in quadam rupe, ad dexteram partẽ viæ, locus, in quo iacuit ſanctus Stephanus quando fuit lapidatus, effigie ſui corporis conſignatus. Cùm enim ſanctus Leuita, & Apoſtolorum vigilantiſſimus miniſter, plenus gratia & fortitudine, in ſuo iuuentutis flore miniſterium ſuum impleret, Chriſtumque Filium Dei annuntiaret, & mundi Saluatorem & promiſſum Meſſiam prædicaret, & huiuſcemodi ægrè ferrent Iudæi, in odium Chriſti, illum eiecerunt extra ciuitatem, & lapidarunt; & ad locum, de quo modò loquimur, cùm perueniſſet, ſuſcepit in ſuo corpore torrentis lapides, quibus in hac & in altera vita fuit gloria & honore coronatus: in eo poſitis genibus Chriſtum Dominum pro lapidantibus exorauit: in eo vidit cælos apertos, & Filium hominis ſtantem à dextris virtutis Dei; qui obuius ei factus, dealbatum illius ſpiritum in Agni & proprio ſanguine, primum ſuſcepit in manibus ſuis inter illos qui pro Chriſto ſanguinem fuderunt: vnde & in numero Martyrum inuentus eſt primus. Hæc pluribus deſcribuntur à D. Luca Actor. cap. 7.

Porta ſancti Stephani nomina; & eorundem ſignificata. *S. Stephani martyrium.*

Frater Anſelmus Ordinis Minorum de Obſeruant. qui anno 1507. fuit in Terra ſancta, in ſua Terræ ſanctæ Deſcriptione, quæ

quæ habetur Tomo vltimo Antiquarum Lectionum Henrici Canisij, vbi loquitur de locis Orientalibus respectu Ierusalem, de isto loco hæc scribit: *Per portam Cedar (quæ nunc S. Stephani) sit egressus de ciuitate versus montem Oliueti per descensum ad duo stadia ad vallem, vbi primò est lapis albissimus, latus & aliqualiter eminens à terra, vbi sanctus Stephanus est lapidatus: & ibidem per aliquot passus in superiori loco monstratur locus vbi Saulus stetit custodiendo vestimenta lapidantium.*

Vbi Saulus mansit, dum lapidabatur Stephanus.

Aduertendum, nonnullos dubitasse, an in eo loco S. Stephanus viderit cælos apertos, &c. nam hæc contigisse in sancta ciuitate, quando prædicabat Christum Iudæis, indicat S. Lucas; illo enim dicente, *Ecce video cælos apertos, & Filium hominis stantem à dextris Dei*, illi rati execrandam protulisse blasphemiam, *exclamantes voce magna, continuerunt aures suas, & impetum fecerunt vnanimiter in eum. Et eicientes eum extra ciuitatem lapidabant*, Act. 7, 55.

Sed verisimillimum mihi videtur, quod docet communis traditio, eo in loco S. Leuitam vidisse Iesum stantem à dextris Dei. Et potuit in hunc modum accidere, vt visio illa in ciuitate inceperit, & semper deinde, vsque ad mortem, & post, perseuerauerit: vel si interrupta fuit quo tempore eiiciebatur extra ciuitatem, iterùm ei facta fuerit, quando lapidabatur, & maiori egebat adiutorio & consolatione; ita vt verè Dominus dicere potuerit: *Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum*, Psal. 90, 15.

Rupes vbi lapidatus est Stephanus miraculosè sui corporis effigie consignata.

Mirabile verò est, quòd in eo loco, in dura illa rupe cernitur effigies corporis Protomartyris, non natura vel arte, sed miraculo insculpta. Cùm enim in terra positus esset, oculis in cælum intentis, rupes illa cessit velut mollis cera, & posterioris partis effigiem in se recepit.

Pia consideratio circa factum miraculi.

Sed quid hoc prodigio portendebatur? An quòd rupes illa voluisset in se corpus Martyris recipere, & sacro illo pignore ditari, ex quo cælum eiusdem sanctissimam recepit animam, eaq; velut lucidissimo sole exornatú fuit, quando Dei Filius eam cum magno cælestium spirituum comitatu, & cum exultatione suscepit? An potiùs, vt eo prodigio prodigiosum illius martyriú mentibus fidelium perpetuò repræsentaret, eleríque velut illustre trophæum suæ glorioſæ victoriæ? Et quemadmodum Stephanus ore proprio Dei mirabilia enarrauit; ita rupes illa, etsi rationis & sensus expers, omnibus palàm faceret, quæ pertulit pro Christo Stephanus, & quæ fecit pro Stephano Christus. An etiam externo illo prodigio indicabatur, quanti meriti esset Sanctus iste apud Deum; vt videlicet illius meritis & precibus marmorea peccatorum corda, ob longam peccandi consuetudinem obdurata, vt caro & mollis cera rédderentur? Et profectò id euentus monstrauit: nam non multò post illius glorioſum martyrium, Paulus in suo errore obduratus, qui faciem suam vt silicem & vt adamantem posuerat, nominis Iesu acerrimus hostis, sanctamque Christi surgentem Ecclesiam persequens, precibus sancti huius Martyris ad Christum conuersus est, & ablatú fuit ab eo cor lapideum, & datum cor carneum, vt mollis cera ad diuina charismata suscipienda dispositum, factus vas electionis, Doctor gentium, & sanctissimi nominis Iesu propugnator acerrimus. Ita docet S. Augustinus Serm. 1. Conuers. S. Pauli, seu Serm. de Sanctis 13. Tom. 10. & apud eumdem lib. 22. de Ciuitate Dei cap. 8. multa leguntur exempla, quibus apparet, quanti meriti sit apud Deum pro emolliendis cordibus peccatorum saxeis illius intercessio, ita vt ex ipsis fluant contritionis & doloris lacrymarum fontes.

S. Stephani meritis obdurati in peccatis emolliuntur.

Aliqui videntes lapides in rupe illa, qui velut nodi in tabula, dicunt esse lapides quibus fuit Stephanus lapidatus, quos rupes in se recepit, & adhuc conseruat. Hoc tamquam magnum secretum à viro pio & docto, & ob longam in partibus istis moram, in traditionibus locorum sanctorum versatissimo, accepi. Sed quidquid sit de hoc, fides apud illum maneat.

Lapis unus, quo lapidatus fuit, Anconam delatus.

Verius illud erit quòd fertur, quemdam pium Christianum collegisse lapidem quo fuit S. Stephanus in cubito percussus, & in Italiam detulisse: qui nunc Anconæ honorificè seruatur; vbi Ecclesia ad honorem Martyris ædificata est, in qua illius meritis Deus multa operatur miracula. In Martyrologiis fit huius mentio die 3. Augusti, & apud D. Augustinum Serm. 31. & 32. de diuersis. Meminit & Beda, licet pro Ancona, mendosè Antiochia impressorum vitio posita sit.

Indicatimiraculi aliud testimonium non inuenio præter rupem illam effigie Martyris decoratam, & veterem in partibus istis receptam traditionem: nec tamen reiiciendum, cùm efficax ratio vel argumentum ei non refragetur; maioraque, ne dicam similia, nouerimus Deum fecisse in gratiam Sanctorum suorum, à quo nimis honorificati sunt, vt dixit Dauid Psal. 138, 17. Vnde si, vt præmissimus, in gratiam S. Stephani emollit Deus saxea peccatorum corda, quod maius est, multò magis in eiusdem gratiam, & illustrissimi sui martyrij memoriam, ru-

pem

pem illam mollem reddidiſſe, & ſancti Martyris forma condecoraſſe, piè credi poteſt.

In præſentia dicta effigies admodum conſumpta eſt, ob indiſcretam Chriſtianorum pietatem, qui ex illa particulas vt ſacras reliquias abſtrahentes, miraculi ferè abſtulerunt memoriam: adhuc nihilominùs capitis, humerorum & nonnullarum aliarum partium apparent ſigna.

Sancti locus Eccleſia illuſtratus fuit; nunc deſtructa.

Hunc locum Eudoxia Auguſta, quando venit Ieroſolymam, nobiliſſima Eccleſia mirificè illuſtrauit, vt auctor eſt Euagrius libro 1. Hiſtor. capite 22. cuius hæc ſunt verba: *Cùm multis huius generis hominibus* (ſanctis ſcilicet monachis Palæſtinæ) *Theodoſij coniux* (id eſt Eudoxia) *collocata eſt, & multa eiuſmodi monaſteria, vt antè dixi, ædificauit: Ieroſolymorum refecit mœnia, eaq; pulchriora reddidit. Templum extruxit præterea ad memoriam ſancti Stephani primi & Diaconi & Martyris, ſplendore ac pulchritudine eximium (quod quidem non ſtadio ab vrbe Ieroſolyma diſtat;) inq; eo, ſimul atque ad vitam immortalem profecta eſt, condita fuit: Theodoſius autem poſteà, vel, vt quidam putant, ante mortem Eudoxiæ, vbi triginta octo annos Imperium gubernauerat, deceſſit è vita; inq; eo honoris gradu poſt eum locatus fuit vir omnium facilè præſtantiſſimus Martianus*, &c.

Hiſce temporibus nulla extat illius Eccleſiæ vel ſepulchrorum memoria: antiquitate omnia conſumpta & demolita, atque aliquæ ruinæ & fundamenta humo operta fuere: prope enim ſanctum locum eſt ager. Ex præexiſtentis fortaſſe ædificij lapidibus fuerunt poſteà ædificata mœnia ciuitatis, vel alia.

Loci memorati martyrio ſancti Stephani illuſtrati, præter communem traditionem, mentionem fecerunt Guilielmus Tyrius lib. 8. de Bello ſacro cap. 2. Cardinalis Vitriacus in Hiſtoria Ieroſol. cap. 63. Bonifacius lib. 2. De perenni cultu Terræ ſanctæ, Adrichomius in Deſcriptione Ieruſalem num. 201. & alij qui de Locis ſanctis ſcripſerunt.

CAPVT III.

Duplex difficultas contra dicta Capite præcedenti.

INter alia, duo diximus Capite præcedenti de loco vbi ſanctus Stephanus fuit lapidatus. Alterum, locum martyrij accidiſſe in Orientali ciuitatis plaga extra portam Orientalem, & Gregis. Alterum, eſſe rupem ipſam immobilem. Contra vtrumque dictum duplex ſeſe offert difficultas, quæ proponenda & diluenda eſt, vt allatæ traditionis veritas magis ſtabiliatur. Et contra primum primò. In Epiſtola Luciani communiter à tota Eccleſia recepta, quam ſcripſit de inuentione corporis B. Stephani & aliorum Sanctorum, legitur, & refert ex relatione Gamalielis, qui fuit Ieroſolymis quando S. Stephanus martyrio coronatus fuit, ipſum fuiſſe lapidatum extra portam quæ vergit ad Aquilonem, & ducit ad Cedar, quæ poſteà S. Stephani ab eius martyrio appellata eſt; alio nomine porta Ephraim, vt docet Beda de Locis ſanctis cap. 1. Brocardus Part. 1. capite 7. & Tyrius lib. 8. cap. 5. Qui locus nec integro ſtadio ab Ieruſalem diſtare dicitur. Ergo non fuit proiectus Stephanus extra portam Orientalem, & in parte Orientali vrbis lapidatus.

Primum ad-gumentum.

Contra ſecundum dictum facit quod ſcribit Beda de Locis ſanctis, dum dicit, fuiſſe quemdam lapidem mobilem, ſuper quem poſitus S. Leuita ſuſcepit lapidum imbres; qui in Eccleſiam Apoſtolorum ad montem Sion tranſlatus, in magna fuit habitus veneratione: non ergo fuit immobilis illa rupes, immediatus martyrij locus.

Secundum.

Ad primum reſpondeo, dicta Luciani dictis à nobis ex recepta traditione non aduerſari, ſed cum eiſdem maximè conuenire. Conueniunt in primis in diſtantia loci: nam nos cum illo dicimus, locum martyrij S. Stephani diſtare à ciuitate circa ſtadium. Secundò, in eo quod, vt ille, affirmamus, portam, extra quam fuit eiectus & lapidatus Stephanus, appellari portam S. Stephani: ſolum inter illum & nos videtur eſſe diſcrimen, quòd nos aſſerimus, portam illam reſpicere Orientem vrbis, ille verò Aquilonem; tollitur tamen, dicendo, vel portas ciuitatis fuiſſe mutatas, præſertim quando vltimò à Selino Turcarum Imperatore nouis muris ſancta Ciuitas circumdata fuit: vel ſi in eodem ſitu relictæ fuerunt, alium tamen reſpectum habere; atque hæc S. Stephani, quæ nunc Orientem, olim Aquilonem reſpiciebat. Vel denique dicatur, hanc portam reſpicere Aquilonem, & ducere in Cedar, ſi ad alias comparetur, & præſertim ad Auream, quam habet à latere dextro, & verè Orientalis eſt. Brocardum, & Adrichomium, arbitrantes, portam, extra quam eiectus & lapidatus fuit Stephanus, appellari Ephraim, verè refellit Villalpandus Tomo 3. Apparatus lib. 3. cap. 7. & 12. eamque appellari arbitratur portam Gregis, vt etiam nos diximus; & hæc, omnium ſententia, Orientalis eſt.

Reſponſio ad primum.

Porta ſancti Stephani quomodo, cùm Orientalis ſit, Aquilonaris dici poſſit.

Digitized by Google

Ad secundum.

Ad secundum, dicendum, illius lapidis Bedæ in præsentia nullam extare memoriam; nec, adhibita diligentia cum his qui longam moram in partibus istis traxerunt, aliquid intelligere potui. Quod vel ideò euenit, quia Ecclesiam Sion sibi vsurparunt Turcæ, & in Mesquitam conuerterunt: quare, pristino decore deperdito, potuit etiam multis sacris Reliquiis spoliari, & ex his lapide illo. Vel quia rarò, & non nisi magna cum difficultate, est modò in eam Ecclesiam ingressus, non facilè notari & memorari possunt in ea obseruanda & memoranda. Et fortè lapis Bedæ fuit pars aliqua memoratæ rupis, qui vt veneratiõi maiori haberetur, repositus in Ecclesia Sion. Vel denique, quòd lapis Bedæ fuit is, in quo positis genibus pro lapidantibus exorauit S. Stephanus. Rupes autem nostra est illa, in qua lapidatus & pænè mortuus cecidit, & in manus Filij Dei, quem contemplabatur auxiliatorem, sanctum & impollutum tradidit spiritum.

CAPVT III.

De loco in quo iacuit S. Stephani corpus postquam lapidatus fuit, & antequam honorificè sepeliretur, qui secundò inuisitur in octaua Peregrinatione.

Situs & forma loci vbi corpus S. Stephani proiectum fuit.

NOn grauabor dictis superiùs de loco martyrij S. Stephani adnectere, quod de altero huic proximo, in quo sanctum eius corpus post mortem proiectum fuit, asseritur: nam & illius memoria in partibus istis conseruatur. E regione igitur rupis martyrio Stephani consecratæ, in sinistra parte viæ, qua ad vallem Iosaphat descenditur, in angulo proximi campi iuxta viam est locus, in quo corpus B. Protomartyris prima vice sepultum fuit. Ita communiter in his partibus asseritur; & in quibusdam non contemnendis vetustis manuscriptis locorum Terræ sanctæ legi. Quin Adrichomius in Descript. Ierusalem n. 23. agens de sepulchro S. Stephani quod erat in monte Sion, asserit, corpus eius trecentis sexaginta annis, plus minúsve, cum corporibus Nicodemi, Gamalielis, & Abibonis eius filij ibidem iacuisse: *Sepulchrum*, inquit, *S. Stephani Protomartyris, Nicodemi, Gamalielis præceptoris Pauli Apostoli; & Abibonis filij eius: quorum corpora cùm plus minùs trecentis sexaginta annis prope Ierosolymam in valle, vt videtur, Iosaphat in obscuro ac sordido loco iacuissent, sub Honorio Imperatore cælesti reuelatione monstrata, inuenta, effossa, & suaui odore fragrantia, non sine miraculis summa celebritate hîc prope Cœnaculum & vrbem mœnia honestius tumulata sunt.* Hæc Adrichomius. Quæ ideò adduxi, vt ex ipso etiam intelligeremus, ante sacri illius corporis translationem, in dicto Iosaphat loco fuisse. Inibi ædificij signa cernuntur, rupes & muri calce incrustati. Fortasse hic erat Ecclesia ab Eudoxia ad honorem sancti Martyris ædificata, de qua suprà Cap. 1.

Rejicitur.

Verùm, sicut quæ ex Adrichomio retulimus, absolutè falsa esse credimus; ita antè dicta ex relatione & manuscriptis, vt veritati consentanea sint, explicatione indigent. Falsa sunt illa: quoniam eo loco non fuit humatum corpus Protomartyris post mortem, & consequenter non ibi tot annis mansit, vt patet ex antè memorata Luciani Epistola ab vniuersali Ecclesia recepta; cuius partem nostro proposito deseruientem posteà subijciam: sed fuit sepultum in villa Gamalielis distante ab Ierusalem viginti milliaribus, vel fortè pluribus, vt toto orbi manifestum est; nec in istis partibus fuisse ignotum, suspicandum. Et ex his alia, quibus dicitur B. Protomartyris corpus fuisse in eo loco post mortem tumulatum, explicamus.

Corpus S. Stephani non fuit ibi sepultum, sed in Gamalielis villa.

Dicendum itaque, hunc locum sepulturæ S. Stephani nomen consecutum fuisse, quoniam eius exanime corpus primò recepit, in eum à Iudæis proiectum, etsi tunc inhumatum remanserit, & prohibiti fuerint Christiani ne ipsum honorificè, vt par erat, sepelirent.

Ad horum intellectum obseruanda sunt quæ de sepultura S. Stephani scripsit S. Lucas Act. 8, 2. *Curauerunt autem Stephanum viri timorati, & fecerunt planctum magnum super eum.* sed enim non id fecerunt statim, & immediatè post illius martyrium; nam ante notata verba sequentia præmisit: *Facta est autem in illa die*, in qua scilicet fuit lapidatus B. Stephanus, *persecutio magna in Ecclesia, quæ erat Ierosolymis; & omnes dispersi sunt per regiones Iudææ & Samariæ, præter Apostolos.* Et post ista, illa subtexuit de funere sancti Stephani, vt indicaret non statim post mortem accidisse.

Non fuit post mortem fuit humatum.

Sed vbi interim iacuit sanctum illud corpus inhumatum? Dicerem, non in publica via, & loco vbi occubuit; nimium enim horrorem etiam ipsis hostibus ingessisset; sed in eum, de quo loquimur, locum fuit proiectum, vt vel lapidibus quateretur, vel vt inhumatum à feris & auibus laceraretur, & disrumperetur. Quod cùm protegente Deo illæsum permansisset, sedato tumultu, & persecutione aliquantulùm quiescen-

Digitized by Google

quiescente, honorificæ sepulturæ à piis viris traditum fuit. Et hæc pié excogitata confirmari possunt ex verbis Gamalielis in citata Epistola Luciani contentis, quæ sic habent: *Lapidatus est (Stephanus) à Iudæis & Principibus sacerdotum in Ierusalem pro Christi fide extra portam, quæ est ad Aquilonem, quæ ducit ad Cedar: ibi die ac nocte tacuit proiectus, vt sepultura non daretur, secundum mandatum impiorum Principum, vt à feris consummaretur corpus eius; ex Domini autem voluntate, non tetigit eum vnum ex illis, non fera, non auis, non canis. Ego Gamaliel compatiens Christi ministro, & festinans habere mercedem à Domino, & partem cum sancto viro fidei, misi per noctem quantos poteram religiosos Christianos, & in Christo Iesu fideliter credentes, habitantes Ierusalem in medio Iudæorum; & hortatus sum eos, & necessariam substantiam ministrani, ac persuasi illis ire occultè, vt portarent corpus eius meo in vehiculo ad villam meam, hoc est in Caphargamalam, quod interpretatur villa Gamalielis, viginti millia habens à ciuitate. (Beda Retract. in Act. 8. legit quadraginta quinque.) Et ibi feci planctum fieri diebus septuaginta, & poni eum in meo monumento nouo in Orientali theca: & præcepi meis, vt quæcumque necessaria erant pro eius planctu, de meo darent.* Hæc ibi de sepultura & loco in quo iacuit post mortem S. Stephani corpus. & locus iste est, qui sepultura illius dicitur.

Gamalielis verba in Epistola Luciani.

Ex his patet, quæ ab Adrichomio relata fuere, non esse veritati consentanea, & alia ex relatis, esse cum grano salis intelligenda. De funere & sepultura S. Protomartyris plura collecta inuenies apud Lorinum in Act. cap. 8. vers. 2. Et hæc satis de memorato huius Peregrinationis secundo loco.

CAPVT IV.

De ponte supra torrentem Cedron ædificato, tertio loco octauæ Peregrinationis.

QVod in ista Peregrinatione tertio loco considerandum occurrit, est pons Cedron, de quo pauca hæc accipe.

Forma, & amitas pontis.

Ex prædictis locis martyrij & proiectionis S. Stephani vlteriùs prosequendo gressus Orientem versus, citò occurrit lapideus pons supra torrentem Cedron ædificatus, constans vnico arcu. Helena Imperatrix illum fecit in eo loco construi, vbi anteà in similem vsum deseruiebat lignum illud, ex quo pila Dominicæ Crucis facta fuit, vt ex aliis notauit Adrichomius in Descriptione Ierusalem num. 197. sed enim hoc multam fidem non videtur habere: & si de huiusceemodi curiosa magis quàm vera scire desideras, consule Pinedam de rebus Salomonis lib. 5. cap. 14. num. margin. 51. De isto loco, inquit Fr. Anselmus citatus Capite 1. huius Peregrinationis, Iudæi iaciebant lapides super Stephanum, &c.

Hac pertransiit primò sanctus Rex Dauid, cùm fugeret à facie Absalom filij sui, 2. Reg. 15, 23. ac postea Saluator noster in Dauide præfiguratus, aliàs quidem, sed singulariter, cùm in die Palmarum cum gloria & acclamatione, vero Regi & Messiæ debita, in Ierusalem & templum ingressus fuit.

CAPVT V.

De sacro monte Oliuarum, quarto loco octauæ Peregrinationis.

AGendum nunc de Oliuarum monte, quarto præcipuoque huius Peregrinationis sacratissimo loco.

Chananæa montosa.

Non modò in tota Terra promissionis multi, ijque egregij & pingues montes sunt, propter quos terram montosam appellauit Dominus Deuteron. 11, 11. sed etiam in Iudæa, eiusdem regionis Prouincia; & Ierusalem egregia ciuitate, & circa, eisdem abundat, Regio Vate dicente: *Fundamenta eius in montibus sanctis*, Psalm. 86, 1. & *Montes in circuitu eius*, Psalm. 124, 2. Inter quos est celeberrimus Oliuarum mons naturali ac supernaturali beneficio, quo sancta Ciuitas fecundatur, & munitur, vt cùm præsenti tum sequentibus Capitibus, vbi de particularibus eius locis mentionem faciemus, videbimus. Et præsenti Capite de ipso monte in se agemus, duoque explicabimus. Alterum, naturalem illius conditionem & situm, quem habet respectu Ierusalem. Alterum erit, adducere & explicare nomina quibus frequenter in Scriptura sacra, & apud alios scriptores, ob eius singularem dignitatem significandam, appellatur. Pauca etiam attingemus quæ in eo acciderunt, plura in sequentibus reseruantes.

Mons Oliuarum celeberrimus.

Quantum igitur ad primum dico, Montem Oliuarum esse montem altum, fertilem & pinguem, propter multas olim in eo crescentes oleas, quæ & in præsentia non desunt; etsi aliàs iisdem magis abundarit, & non oleis tantùm, sed palmis, myrtis, pinis aliisque fructiferis arboribus; quibus mysticè præfigurabantur spirituales gratiæ ibi à Deo optimo maximo ad sui gloriam & hominum salutem operandæ. Sunt in eodem horti, vineæ, & campi: quos

Olineti fertilitas.

quos profectò fecunditate & pulchritudine non modò aliis coæquarem, sed etiam longe præferrem.

Altitudo. Dixi esse altum; quoniam ceteris Ierosolymitanis montibus altior est, eisdemque præest: etenim ex ipso, quod non licet ex aliis, videntur non solùm ciuitas & templum, sed Arabiæ montes, Iordanis fluuius, &, sereno cælo, Mare mortuum, & alia: sed peculiariter eius altitudo ex dicendis magis apparebit. Tria habet cacumina, *Tria habet cacumina.* vt præcedenti Peregrinatione attigimus, & posteà dicemus.

Situs. Situs est è regione Ierusalem in eius plaga Orientali, vt dicitur Psalm. 67. Ezech. 11. & Zach. 14. à ciuitate valle Iosaphat & torrente Cedron discretus. Distat ab Ierusalem iter sabbati, vt docet Scriptura sacra.

De distantia montis Oliueti ab Ierusalem, quatuor sententia. Primo, mille passus. Et quantum erit hoc spatium? Respondeo, me quatuor inuenisse sententias. Prima tradit, esse spatium mille passuum. Ita Beda cum aliis qui scripserunt de Locis sanctis. & hoc videntur indicasse sapientes Iudæorum apud S. Hieronymum: *Quia* D. Hieron. Epist. 151. q. 10. ad Algasiam. *iussum est*, inquit, *vt diebus Sabbatorum sedeat vnusquisque in domo sua, & non egrediatur, neque ambulet de loco in quo habitat: si quando eos iuxta litteram cœperimus arctare, vt non iaceant, non ambulent, non stent, sed tantùm sedeant, si velint præcepta seruare; solent respondere, & dicere: Rab akiba, & Symeon, & Hille, magistri nostri tradiderunt nobis, vt bis mille pedes ambulemus in Sabbato.* Hæc ex Hebræis sanctus Hieronymus.

Secunda, sex stadia. Secunda sententia est Iosephi lib. 6. c. 3. de Bello Iudaico, qui de Romanis agens, qui primò Ierosolymam obsederant, dicit, montem Oliueti sexto ab Ierosolymis distare stadio; quartaque parte minùs vno milliario iter sabbati indicare videtur: & longè minus illud Pharisæorum positum à diuo Hieronymo, nempe duorum millium pedum. Si enim stadium habet sexcentos & viginti quinque pedes, vt dicit *Stadij longitudo.* Plinius libro 2 capite 23. sex stadia continent ter mille septingentos quinquaginta pedes.

Tertia, duo milliaria. Tertia sententia est Suidæ, qui in verbo *Sabbaton* inquit: *Sabbati via est duorum millium cubitorum; tanto enim spatio Arca castra antecedebat; tantoq; interuallo, quibus id fas erat, Arcam monebant in Sabbato.* Hæc ille.

Ecce quanta varietas in assignanda distantia montis Oliueti ab Ierusalem; quæ tamen ad vniformitatem redigetur sequenti distinctione obseruata.

Quarta sententia est Lyrani in caput 1. Actuum Apost. qui expendens ea verba, *Sabbati habens iter*, inquit: *Id est distans ab Ierusalem per mille passus, qui faciunt mediam leucam.* *Quarta. vnum milliare cum dimidio.*

Suffragatur Caietanus eodem loco, dum asserit, iter illud, non laboris, licitum fieri in die Sabbati, fuisse forte duodecim stadiorum, tantumque distare à Cœnaculo quod ingressi fuere à monte Oliueti post Christi Ascensionem discipuli eius.

Notandum itaque, nos multipliciter loqui posse de distantia quæ est inter Ierusalem & montem Oliueti, & peculiaria quædam eorumdem loca. Primò namque considerare possumus distantiam quæ est inter radicem montis & eius summitatem; & hæc erit vnius milliaris Italici, & ampliùs. Secundò, potest considerari distantia quæ est à porta Aurea ciuitatis, vel S. Stephani, vsque ad montis summitatem; & ista erit vnius milliaris circiter cum dimidio. Tertiò, potest considerari spatium quod intercedit inter portam Sion, & sanctum Cœnaculum, & locum summitatis Oliueti, vnde Christus ascendit ad cælos; & hoc erit duorum milliarium. Quartò, potest considerari distantia quæ est à pede montis vsque ad eiusdem montis locum, vbi Romani obsidentes Ierusalem castra posuerunt: & ista erit vnius milliaris quarta parte minùs. Est ibi locus, vbi Iesus videns ciuitatem fleuit super illam. Hisce diuersis consi- *Premissarum epilogus & conciliatio.* derationibus cõciliari possunt prædictorum auctorum inter se, vt videtur, dissentientes sententiæ, dicendo, Bedam, & D. Hieronymum cum aliis, ex Hebræorum sententia *Prima sententia explicatur.* locutos fuisse de distantia secundùm primam considerationem, vel de ea quæ est inter portam Aurcam, vel S. Stephani, & locum vbi Romani castra metati fuerunt, & Christus fleuit super ciuitatem; Iose- *Secunda.* phum autem ferè similiter explicandum, vel ipsum locutum de distantia quarto modo accepta, quæ moraliter & non mathematicè accipienda est: & Suidas similiter *Tertia.* intelligendus est. Lyranus & Caietanus lo- *Quarta.* qui voluerunt de distantia secundùm secundam considerationem. Quòd si etiam de distantia quarto modo accepta loqui voluerunt, parum refert: etsi enim maior sit distantia, duorum circiter milliarium, sanè de ista locus Actuum Apostolorum videtur intelligendus; quia post Christi Ascensionem, è loco Ascensionis venerunt Apostoli ad cœnaculum Sion, vt indicat D. Lucas in Actis Apost. dicens de Apostolis: *Tunc*, id est, statim ac Christus assumptus Act. 1, 11. est in cælum, *reuersi sunt Ierosolymam à monte qui vocatur Oliueti, qui est iuxta Ierusalem, Sabbati habens iter. Et cùm introissent*

sent in cœnaculum, ascenderunt vbi manebant Petrus & Ioannes, &c. hoc credideriim esse iter fieri licitum in Sabbato: quòd, tamquam communiter receptum, dixerunt aliqui Expositores. Aduertendum etiam, milliaria non esse apud omnes æqualia; quare fieri potest, vt vnum cum dimidio apud aliquos, apud alios duo integra sint.

Aduerte tamen, me non dicere, locum Ascensionis distare à Cœnaculo Sion duobus millianibus, propter rationem à Caietano assignatam; quòd locus Ascensionis esset in territorio Bethaniæ veniendo versus Ierusalem: quæ cùm, secundùm Ioannem cap. 11, 18. distet ab Ierusalem quasi stadiis quindecim, credere ex altera parte videtur, locum Ascensionis tribus dumtaxat stadiis distare à Bethania, & ab Ierusalem duodecim, & consequenter locum Ascensionis proximiorem esse Bethaniæ quàm Ierusalem. hoc enim est manifestè falsum, à sensu, & ab omnibus qui viderunt loca sancta, & de eisdem scripserunt, reiectum. Locus enim Ascensionis Bethaniam supra Ierusalem ex opposito respicit, habens Sion ad dexteram, parum ad Occidentalem plagam. Et vt Bethania habet montem Sion in plaga Meridionali; ita respicit montem Oliueti in Aquilonari, & singulariter partem illam, ex qua Christus ascendit in cælum, quæ est in eiusdem medio, satis remota à Bethania, & à Cœnaculo Sion, iter Sabbati & duorum milliarium.

Iter Sabbati est accipiendum à loco Ascensionis vsque ad sanctum Cœnaculum.

Quare distantia illa diei Sabbati à loco Ascensionis & Ierusalem, non est illa quæ intercedit inter locum Ascensionis & Bethaniam, nimia enim esset, quia trium milliarium circiter; sed est illa quæ interiacet inter locum Ascensionis & Cœnaculum Sion.

Oliueti mons quomodo vnus & trinus.

Mons Oliueti tres habet summitates, siue tribus cacuminibus erigitur, in quibus etiam diuersa operata fuere: quare vnus & tres montes videtur; trinus propter tria distincta cacumina, vnus propter eorumdem continuationem. vnde & plura sortitus est nomina: qui in medio, vbi est locus Ascensionis Domini, communi nomine dicitur mons Oliueti: qui in dextera, mons Viri Galilæi vocitatur; cuius nominis rationem indicabimus sequenti Peregrinatione Capite VII. qui in sinistra, mons Offensionis dicitur, ob rationem assignatam Cap. XVII. præcedentis Peregrinationis, dum de eo ageremus.

Nomina, & significatio.

Quantum ad secundum de isto monte superiùs propositum, multiplici insignitur nomine. Prætereo nunc, ipsum appellari montem *Viri Galilæi*, & *montem Offensionis*. Mons *inclytus* & *sanctus* nuncupatur Dan. 11, 45. quoniam inclytæ & sanctæ operationes in eo fuerunt operatæ. *Mons Oliueti* & *Olivarum* Zachar. 14, 4. & Act. 1, 12. & frequentiùs apud Euangelistas: & ita communiter appellatur, ob naturalem ipsius conditionem & vbertatem, quoniam oliuis abundabat, & propter mysterium; est enim oliua misericordiæ & vbertatis symbolum. Suo ergo isto nomine datur intelligi, Christum suo ex isto monte in cælum ascensu, misericorditer ad cælum iter olim clausum omnibus aperuisse, & ex illo ad nos vniuersa bona manasse. *Ascendens* enim Christus *in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus*, vt post Dauidem dixit sanctus Apostolus. Et quot oleis, id est Sanctis, fuit hic mons decoratus, præter Christum, eius sanctissimam Deipatam, & sanctos Apostolos?

Oliua misericordiæ symbolum.

Christi misericordia in offensa.

Psal. 67, 19 Ephes. 4, 8.

Mons etiam *trium Luminum* appellatur. Notauit enim Ludolphus 2. Par. de Vita Christi cap. 82. quòd vbi Act. 1. modò legimus, Apostolos reuersos fuisse Ierosolymam, *à monte qui vocatur Oliueti*, in veteri editione haberi, *à monte trium Luminum*; quia mons Oliueti de nocte, inquit, illuminabatur ex parte Occidentis igne templi, vbi erat ignis iugis in altari: manè à parte Orientis excipiebat radios solis, antequam hi illustrarent ciuitatem: habebat etiam copiam olei, quod est fomentum luminis. Idem docet Glossa ordinaria Rabani de nomine montis trium Luminum, & de causa nominis, non tamen quòd vetus editio in textu id nomen habuerit. Et hæc de secundo.

Mons trium Luminum quare dictus.

Operata in monte Oliueti.

Multa, eaque memorabilia, in monte isto peracta fuere, quæ pro maiori parte in sequentibus recensebimus, cùm de eius peculiaribus locis agemus. In præsentia duo tantùm recolimus. Alterum, *Dauid* Rex cùm fugeret ex Ierusalem à facie Absalom filij sui, vt dicitur 2. Reg. 15, 30. *ascendebat clivum Olivarum, scandens & flens, nudis pedibus incedens, & operto capite, sed & omnis populus, qui erat cum eo, operto capite ascendebat plorans.* Alterum, ex isto monte, quo tempore à pio & insigni viro Godefrido Bullonio obsidebatur sancta Ciuitas ab infidelibus occupata, cùm eius milites pluribus laboribus & vigiliis iam defessi essent, ita vt ad pugnandum vires deficerent, descendit Eques lucidissimo clypeo munitus, qui nostris animum dedit, eos ad cœptam prouinciam prosequendam cohortatus, & posteà disparuit, vt scribit Tyrius lib. 8. cap. 16. de Bello sacro.

Frater Anselmus in sua Descriptione Terræ sanctæ de isto monte agens, inquit inter

inter alia: De monte Oliueti versus Orientem ad tria stadia vulgaria est sepulchrum sororis Mahometi, prophetæ Saracenorum, in eminentiori loco quàm sit locus Ascensionis Christi. Ego nullam illius audiui mentionem fieri.

CAPVT VI.

De loco ad radices montis Oliueti, in quo B. Virgo Maria aliquando orasse & quieuisse dicitur, qui quinto loco insistitur in octaua Peregrinatione.

INitio ascensus montis Oliueti ad dexteram partem viæ, ostenditur & veneratione habetur locus & rupes in plano, in qua, vt vetus habet traditio, B. Virgo Maria orabat Filium suum Iesum pro B. Stephano, dum ipse glorioſum subibat martyrium, & pro lapidantibus eumdem Dei Filium exorabat. Fertur insuper, eamdem B. Virginem ibidem aliquando quieuisse, cùm defessa redibat ex visitatione montis Oliueti. Rupes hæc alba est, & multùm consumpta propter particulas à fidelibus abstractas, ob deuotionem in S. Virginem, quòd ibi orasse & quieuisse credant: est ferè è regione alterius rupis, in qua B. Stephanus lapidatus, in Christi manus tradidit spiritum, distatque ab ea quantum bis iacit arcus; & media valle Iosaphat & torrente Cedron ab inuicem separantur.

Situs & conditio loci quietis B. Mariæ.

Non me latet, huiusmodi in Scriptura sacra vel apud probatum vetustum Scriptorem haud reperiri, sed non ideò vt falsa vel somnia reiicienda; quoniam contraria sufficienti auctoritate & efficaci ratione non infirmantur, sed vt veritati ac rationi consona probabili ratione, auctoritate & pia fidelium visitatione roborantur.

Ratio traditionis.

Ratio. Quando B. Stephanus lapidabatur, B. Virgo Maria erat Ierosolymis, vt patet ex his quæ suprà diximus Capite XIV. & XV. IV. Peregrinationis: quare fieri potuit, vt quando B. Stephanus lapidibus obrutus fuit, factus spectaculum mundo, Angelis & hominibus, ad illud & B. Virgo conuenerit, quæ consolatrix est afflictorum, flammis amoris succensa, suum deprecatura Filium, vt patientiam & consolationem palmamque martyrij fidelissimo ministro impertiretur.

B. Maria erat pro Stephano.

Auctoritas.

Auctoritas. Quia hæc docent qui scripserunt de locis sanctis; & retulit nostræ tempestatis nobilis & eruditus Scriptor P. Ioannes Lorinus in Act. Apostolorum cap. 7, 58. & Bonifacius lib. 2. De perenni cultu Terræ sanctæ de his in hunc modum scribit: *Descendentibus verò de monte Oliueti locum occurrit, in quo B. Virgo Maria flebat, quando Iudæi Stephanum lapidibus torrentis iectũ è Ciuitate occiderunt, & pro ipso orabat. Iste locus est celeber apud omnes Orientales, qui dicunt, quòd Maria prece iuuabat Stephanum, ne in tormentis deficeret: & est locus, vt dixi, in pede montis Oliuarum, parum ad læuam declinando iuxta locum vbi Christus captus fuit: & olim fuit ibi capella parvula, nunc verò solùm ruinæ eius cernuntur, & in medio ingens arbor nux amygdalina, quæ nuces suauissimas producit; quas incolæ terræ illius colligunt, & infirmis seruant ob deuotionem Virginis Mariæ. Felix enim tam fidelis quàm infidelis reputatur, qui viginti vel triginta emere ab hortulano vel colligere potest.* Hæc Bonifacius. In præsentia arbor illa non est; & ruinas capellæ in proximi campi maceries conuersas esse arbitror.

B. Virgo frequenter visitabat loca sancta.

Quòd etiam ibidem aliquando quieuerit B. Virgo, defessa ex visitatione locorum sacri montis Oliueti, ex eo mihi persuadeo, quòd post Filij sui glorioſam Ascensionem frequenter visitabat loca sancta, in quibus Filius suus salutis nostræ mysteria operatus fuit, vt inquit sanctus Epiphanius cum aliis, & nos suprà attigimus, & iterùm dicemus inferiùs. Igitur credi potest, ex laborioſa visitatione procliui & prolixi montis Oliueti & loci Ascensionis Domini, inter alios præcipui, defessam, ibi modicam quietem cepisse, vt docet traditio. Et hoc, vt alterum, comprobat frequens huius loci fidelium visitatio intuitu dictæ orationis & quietis sanctissimæ Virginis.

Defessa ibi quieuisse.

Nec difficiles esse debemus in credendis his quæ de beata Deipara asseruntur, quòd in sacra Scriptura vel graui vetusto Scriptore non inueniantur: quoniam non ideò ea scripserunt, quia non vera, sed quia reliquerunt tradenda posteris per singulas generationes, vt quæ non fuerunt monumentis Scripturarum consignata, ne ab hominum memoria excíderent. *Ministrata à nobis, & scripta* fuerunt, vt D. Pauli verbis vtar, *non atramento, sed spiritu Dei viui, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus*, 2. Cor. 3, 3. Quæ diximus, & veneranda proposuimus, ex illis esse credimus.

CAPVT VII.

De loco vbi S. Thomas Apostolus è cælo Mariæ Virginis cingulum accepisse dicitur post illius ad cælos glorioſam Assumptionem, qui sextò insistitur in octaua Peregrinatione.

PRæcedenti loco orationis & quietis B. Virginis Mariæ relicto, parum ascenden-

Digitized by Google

dendo monté Olueti, à dextera parte viæ eſt alius locus rupeſq; præcedenti perſimilis, nobili prodigio conſecratus: fertur enim, ibi S. Thomam Apoſtolum Deiparæ cingulum accepiſſe poſt illius ad cælos glorioſam Aſſumptionem. Qualiter verò res ſe habuerit, partim habemus ex Nicephoro lib. 2. cap. 23. Iuuenali Epiſcopo Ieroſolymitano, & partim ex vulgata harum partium traditione, pia ſancti loci viſitatione firmata.

Aſſerunt itaque illi, quòd cùm B. Thomas non interfuiſſet morti & funeri ſanctiſſimæ Dei Genitricis, & poſt tres dies aduenisſet, alij diſcipuli, ad ſolatium & conſolationem condiſcipuli, reſerarunt Sepulchrum, in quo ſacrum Virginis corpus poſuerant; vt qui viuentem Virginem, antequam ſpiritum Deo redderet, videre non potuerat, videret defunctam. Sed reſerato Sepulchro, & pretioſo theſauro non inuento, quod erat, ſuſpicati fuere, corpus Virginis, vnà cum eius anima glorioſa, fuiſſe honorificè gloria fulgens in cælum aſſumptum.

B. Virginis Aſſumptionis argumentum, ſunt illius Sepulchrũ vacuum, & cingulum Thomæ demiſſum.

His autem alij ſequentia addunt: Cùm inde, id eſt, à Virginis Sepulchro, quantum iactus eſt lapidis, verſus montem Olueti S. Thomas receſſiſſet, in dicto loco emiſſum è cælo Virginis cingulum accepit. Quod fortaſſe ideò ſanciuit Dominus; vt quemadmodum hic Apoſtolus aſpectu & tactu vulnerum Saluatoris, ſuæ glorioſæ Reſurrectionis certior factus eſt (Ioan. 20, 28.) ita ex vacuo Sepulchro & cingulo Virginis certus redderetur, ſanctã Dei Genitricem in anima & corpore glorioſam ſuper omnes Angelorum Choros exaltatam fuiſſe, vt cantat Eccleſia. Scio aliquos hæc tamquam apocrypha reſpuere; & nos ea non vt de fide, & indubitata, ſed vt pia, & deuotione fidelium & veteri traditione recepta proponimus.

CAPVT VIII.

De loco vbi Chriſtus videns ciuitatem fleuit ſuper illam, ſeptimo & vltimo octauæ Peregrinationis.

ABſoluto itinere ſex ſtadiorum circiter poſt exitum à ſancta Ciuitate per portam S. Stephani ad montem Olueti, occurrit & monſtratur locus memorabilis aſpectu, lacrymis & prædictione Chriſti Domini: & à lacrymis appellatur locus, vbi *Chriſtus videns ciuitatem, fleuit ſuper illam*. Hic tibi ex Euangelio ſubiicimus loci huius hiſtoricam elucidationem.

Ratio nominis loci.

Cùm Chriſtus Dominus, humani generis reparator, ante ſex dies ſuæ Paſſionis, in die Palmarum, vt Rex & Meſſias manſuetus & humilis, triumphali pompa ſuper aſinam & pullum eius ex Bethphage ingrederetur Ieroſolymam, & ad hunc locum perueniſſet, ex quo ciuitas & templum commodè videri poterat, vt etiam in præſentia videtur, oculis ſuis piiſſimis ciuitatem intuitus, & mente intelligens, poſt quadraginta annos penitus euertendam, quoniam non cognouit tempus viſitationis ſuæ, & ipſum verum Regem & Meſſiam noluit recipere; ſed in proxima ſexta Feria cum cruce illius humeris impoſita, eiiciendum fore extra ciuitatem, & in Caluariæ monte vt malefactorem & ſeductorem crucifigendum: hæc, inquam, mentis oculis proſpiciens, & dilectam ciuitatem etiam corporis oculis tantorum malorum ſcopũ videns, magna commiſeratione motus, ventura prædixit, & eo loco fleuit, vt ſequentibus verbis ſanctus Lucas explicuit: *Et vt appropinquauit* Ieſus, *videns ciuitatem, fleuit ſuper illam, dicens: Quia ſi cognouiſſes & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi: nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis. Quia venient dies in te: & circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te, & coanguſtabunt te vndique, & ad terram proſternent te, & filios tuos, qui in te ſunt, & non relinquent in te lapidem ſuper lapidem; eò quòd non cognouerit tempus viſitationis tuæ.* Luc. 19, 41.

Chriſtus quare fleuit, & vbi.

Et hoc vaticinium impletum fuit, quando in hoc ipſo loco Olueti, & circa, ſub Tito à Romanis obſeſſa fuit ciuitas, vt verè obſeruatione dignum aduertit doctiſſimus Baronius Tom. 1. Annal. ſub annum Chriſti 34. *Eſt res*, inquit, *obſeruatione certè ac ſtupore digna, in eodem monte Olueti, vbi Chriſtus aſpiciens Ieroſolymam fudit lacrymas, Romanos, cùm eſſent obſeſſuri eamdem ciuitatem, ac funditus vaſtaturi & euerſuri, primùm caſtra poſuiſſe, quod his verbis teſtatur Ioſephus de Bello Iudaico lib. 6. cap. 3. His, inquit, præceptum erat ſexto ab Ieroſolymis ſtadio caſtra ponere, qua in parte mons, qui appellatur* Ἐλαιῶν, *id eſt, Oliuarum, contra ciuitatem ab Oriente ſitus eſt*, &c.

Vbi fleuit Chriſtus, ibi poſita obſidio.

Nunc in iſto peculiari loco eſt pauimentum dolatis lapidibus ſtratum, & ædificij fundamẽta: ex quibus certò diiudicatur, ibi fuiſſe Eccleſiam à fidelibus ad honorem dolentis Saluatoris ædificatam; & iſto intuitu tranſeuntes Chriſtiani ſanctum locum venerantur, Deum deprecantes, vt lacrymas illis impertiatur, quibus culpas, pœnarum cauſas, abſtergant. Turcæ hunc locum pro Meſquita ſiue loco orationis delegerunt.

Ibi olim ædificata Eccleſia.

Saluator noſter iter ſuum continuans,

proximus ciuitati, magna turbarum & puerorum caterua fuit honorificè exceptus, diuinoque honore honoratus: quæ fuit causa vt inuidia & odio discruciarentur Pharisæi, & præcipui Iudæorum: & cetera secuta fuere quæ pluribus sacri scripserunt Euangelistæ. Et hæc pro præsenti loco & Peregrinatione satis.

PEREGRINATIO IX. *in qua referuntur & explicantur octo memorabilia loca, quæ visuntur supra montem Oliueti in reditu ex eo ad sanctam Ciuitatem per aliam viam ab illa per quam priùs præcedenti Peregrinatione ascendimus.* I. *locus est vbi Apostoli composuerunt* Credo. II. *Vbi Christus orauit, & orandi formulam præscripsit.* III. *Sepulchra Prophetarum.* IV. *Vbi Christus prædixit templi & Ierusalem destructionem, & sæculi consummationem.* V. *Tugurium S. Pelagiæ.* VI. *Vbi Christus ascendit in cælum.* VII. *locus dictus* Viri Galilæi. VIII. *Vbi sancta Virgo Maria morti proxima ab Angelo palmam accepit.*

CAPVT PRIMVM.

De loco vbi sancti Apostoli composuerunt Credo, *qui primò occurrit in nona Peregrinatione.*

VT extrà controuersiam est, sanctos Apostolos ante ipsorum diuisionem Ierosolymis composuisse *Credo*, *Symbolum Apostolorum* nuncupatum; ita controuertitur de loco particulari compositionis illius: & duplicem inuenio sententiam. Prima est illorum qui arbitrantur, collectos Apostolos in Cœnaculo Sion ibidem *Credo* composuisse. Ita refert Adrichomius in Descriptione Ierusalem nu. 6. Probabilis sententia. Cùm enim plura mysteria in sacratissimo isto loco peracta fuerint, & hoc accidere potuit. *De Sion* enim *exiuit lex, & verbum Domini de Ierusalem*, vt dicitur Isaiæ 2, 3.

De loco compositionis Symboli duplex sententia. Prima, in Cœnaculo Sion.

Secunda, in monte Oliueti.

Secunda sententia, non minùs præcedenti probabilis, affirmat, Apostolos Symbolum composuisse supra sanctum montem Oliueti: & locus ostenditur supra illum locum, in quo Christus fleuit super ciuitatem, quantum ter iacit arcus, in plano parum eleuato, ex quo Ierusalem commodè videtur. Hanc ego sententiam libenter sequor, duplici ratione motus.

Duplex ratio pro secunda sententia. Prima.

Prima ratio: Quia est communis in partibus istis traditio, perpetuis monumentis à fidelibus confirmata, qui ibi antiquitus pulchram eo intuitu ædificarunt Ecclesiam sub titulo S. Marci Euangelistæ, vt in vetusto manuscripto libello de Locis sanctis exaratum inueni; & meminit Fr. Anselmus, vt & aliorum de quibus posteà; & non modica illius fundamenta & ruinæ adhuc cernuntur. Subtus est pulchra oblonga cisterna in rupe montis excisa, duodecim habens in eadem rupe excisas nauicu-

Cisterna memorabilis.

las, siue arcus, in memoriam duodecim Apostolorum, qui vnà ibi collegerunt cælestis doctrinæ aquas salutares, quibus totus mundus imbibendus erat. Ad eam descenditur per angustum ostium, quod ciuitatem respicit.

Secunda ratio.

Secunda ratio: Quia quo tempore sancti Apostoli composuerunt *Credo*, à Rege Agrippa & Iudæis persequebantur, & ad necem quærebantur, vt alibi dictum fuit, & statim iterùm dicemus: quare cùm domi, & in monte Sion, vbi communiter congregabantur, admodum tuti consistere nequirent, locum ab hominum tumultibus & periculis magis remotum, qualis est iste de quo loquimur, facilè sibi elegisse, ad consilium & Catholicam doctrinam compilandam, piè credere possumus: præsertim, quòd licet scirent, è Sion legem egressuram, quod impletum fuit tum aliàs, tum quando Christus in vltima cœna egregium coram Apostolis suis habuit sermonem, tum quando in die Pentecostes super eos in linguis igneis descendit Spiritus sanctus, & ipsi loquebantur variis linguis magnalia Dei, & annuntiabant cum fiducia verbum Dei; ex quorum prædicatione multi susceperunt Christi legem: sciebant etiam verbum Dei loco non esse alligatum, & sacrum Oliueti montem fuisse à Christo Domino ad varia mysteria, & singulariter ad cælestem doctrinam electum, vt antè attigimus, & posteà clarè videbimus; quare & eos eumdem sacrum montem, & memoratum locum elegisse, quando Symbolum composuerunt, probabile est credere. Qualiter autem id acciderit, videamus.

De Sion quando & quomodo lex egressa.

Verbum Dei loco alligatum non est.

Cùm propter exortam persecutionem in Iudæa contra sanctos Apostolos, & ceteros Christi fideles, profecturi essent Apostoli ad annuntiandum Euangelium Gentibus, vt illis dixerat Spiritus sanctus, quo se

Digitized by Google

Apostolorũ in doctrina prædicanda per vniuersum mundum consensio.

se indignos reddiderant Iudæi; antequam à se inuicem separati, ad varias Prouincias prædicaturi Christi fidem proficiscerentur, in vnum priùs omnes conuenere, inter se conferentes, & statuentes quid essent prædicaturi, vt omnes, tamquam eodem Spiritu sancto impulsi, eamdem omnino fidem prædicarent, nullaque esset vel apparens in Euangelij prædicatione diuersitas, sed summa vnio & concordia eluceseeret; atque saltem ex hoc capite, ex concordia sanctæ doctrinæ, cogerentur omnes asserere, eorum doctrinam non humanam, sed cælestem, à Spiritu sancto diuinitus missam, qui est Spiritus pacis & vnionis, sicque ad eam amplectendam magis ac magis promouerentur homines.

Itaque quosdam fidei Canones singuli composuerunt, quibus tota Catholica doctrina & fides necessariò à fidelibus addiscenda perstringitur ac firmatur, & omnes hæreticorum errores falsi deprehenduntur. Quos Canones sancta Ecclesia *Credo* & *Symbolum Apostolorum* appellauit. de quo S. Leo Papa Epist. 96. ad Pulcheriam Augustam dicit: *Ipsius Catholici Symboli breuis & perfecta confessio, quæ duodecim Apostolorum totidem est signata sententiis, tam instructa fuit in munitione cælesti, vt omnium hæreticorum opiniones solo possint gladio detruncari.* Hæc S. Leo. Similia docent alij Patres. Vnde & in Conciliis Oecumenicis consueuit sancta Ecclesia ipsum recitare, tamquam sit basis Catholicæ veritatis.

Symbolum Apostolorum fundamentum fidei, & in Conciliis recitari solitum.

Dicitur *Credo*; quoniam quilibet tenetur in eo contenta scire & credere, actuque, si necessitas adsit, ore confiteri; quoniam *ore confessio fit ad salutem*, vt dicit S. Paulus Rom. 10, 10. *Symbolum Apostolorum* dicitur; vel quia quilibet ex duodecim Apostolis suum posuit symbolum & sententiam; vel quoniam Christiani hoc Symbolo, velut signo & tessera, dignoscuntur. Vnde quilibet, qui Christi fidem profitetur, Symbolum tenetur scire Apostolorum. Hæc fusè videri possunt apud Ruffinum in expositione Symboli.

Hìc subscribo quæ ex S. Arnulpho scripsit Adamnanus lib. 1. de Locis sanctis c. 11. de spelunca in rupe montis Oliueti vallem Iosaphat respiciente, in qua, quatuor mensas & duos puteos fuisse tradit. sic autem habet: *In latere montis Oliueti quædam inest spelunca, haud procul ab Ecclesia S. Mariæ, in eminentiori loco posita contra vallem Iosaphat, in qua duo profundissimi habentur putei: quorum vnus sub monte in altum infinita profunditate productus extenditur, alter verò in spelunca pauimento, cuius vastissima, vt fertur, cauitas est in profundum demersa, descendens recto tractu dirigitur. Qui duo putei semper clauduntur. In eadem spelunca quatuor insunt lapideæ mensæ; quarum vna est iuxta introitum spelunca ab intus sita Domini Iesu: cui proculdubio mensulæ sedes ipsius adhæret, vbi cum duodecim Apostolis simul ad alias ibidem habitas mensas sedentibus, & ipse conuiua aliquando recumbere solitus erat. Illius putei os conclusum; quem in pauimento spelunca inesse suprà scripsimus, Apostolorum mensas propiùs habere monstratur. Huius spelunca portula ligneo, vt fert S. Arnulphus, clauditur ostio, qui eamdem speluncam sæpiùs frequentauit.* Tantum ille.

Adamnani relatio.

Hæc spelunca, si non est antè memorata cisterna Apostolorum, nescio quidnam sit: certè antè relata quoquo modo cum ea conueniunt, nec mirandum, quòd non ex toto; nam à tot sæculis, quibus S. Arnulphus visitauit loca sancta, multa ablata & mutata fuere, adeò vt in isto nostro vix speciem rerum præcedentium retineant.

CAPVT II.

De loco in monte Oliueti vbi Christus orauit, & orandi formam suis discipulis tradidit, qui secundò occurrit in nona Peregrinatione.

LOco, in quo collecti sancti Apostoli composuerunt *Credo*, de quo suprà, alius proximus est in medio cuiusdam planitiei; in quo, vt habet antiqua traditio, Christus Dominus Patrem suum orauit, & suos Apostolos orare docuit, dicens: *Cùm oratis, dicite, Pater noster*, &c. vt habetur Matth. 6, 9. & Luc. 11, 2. quæ traditio vt radicitus mentibus hominum insisteret, fuit illo intuitu in perpetuum monumentum ibi Ecclesia à fidelibus ædificata, quæ in præsentia præ vetustate solo est coæquata.

Locus orationis Christi olim Ecclesia consignatus.

Traditio ista, quantum video, non habet ex Scriptura euidens testimonium; quia nec Matthæus, nec Lucas, qui de dicta oratione & institutione scripserunt, dicunt hæc in monte Oliueti accidisse, vnde ex istis non possumus dictorum cognoscere nedum peculiarem sed nec communem locum.

Traditio loci orationis Christi comprobatur.

Ceterùm ex D. Luca eorum quæ diximus aliqua sumitur probabilitas; cui, adiuncta communi traditione, omnis tollitur dubitandi locus. Igitur sanctus hic Euangelista cap. 10. ostendit, quomodo Christus fuerit in Iudæa, in Bethania in domo Marthæ, quæ illi sedula ministrabat; & soror eius Maria, secus pedes Domini sedens, audiebat verbum illius: à qua cùm discessisset, in

locum orationi opportunum ſeceſſit; quod immediatè ſequenti capite ſcribit his verbis: *Et factum eſt: cùm eſſet in quodam loco orans, vt ceſſauit, dixit vnus ex diſcipulis eius ad eum: Domine, doce nos orare, ſicut docuit & Ioannes diſcipulos ſuos. Et ait illis: Cùm oratis, dicite: Pater, ſanctificetur nomen tuum*, &c. Luc. 11, 1. Ergo ſi in rebus recenſendis non facta eſt permutatio (vt non ſemel fieri conſueuit) vt non eſſe factam credimus, teſque vt euenerunt enarratæ fuerunt; quoniam ad aliter ſentiendum non videtur ſufficiens ratio, cùm mons Oliueti Bethaniæ proximus ſit, à quo priùs immediatè ante orationem diſceſſit; & ex Scripturâ habeamus, Chriſtum conſueuiſſe montem aſcendere cùm orare volebat, & ſuos Apoſtolos docere, & in partibus iſtis Ieroſolymitanis montem Oliueti eſſe, vt patet Luc. 21, 37. & 22, 39. ita & nunc ſuam ſecutus conſuetudinem, ex Bethania montem Oliueti aſcendit; & poſtquam in memorato loco orauit, diſcipulis etiam ſuis orandi formulam præſcripſit, vt habet harum partium traditio. Huius loci meminit Bonifacius lib. 2. De perenni cultu Terræ ſanctæ.

Hîc tamen aduerte, hunc locum non eſſe illum, in quo Chriſtus, qua nocte tradebatur, orauit, & ſanguinem ſudauit; quoniam ille non eſt in ſummitate, ſed in pede montis, vt ſuperiùs vidimus Cap. IX. & X. v. Peregrinationis.

Obiectio. Sed difficultas eſt proponenda & diluenda, quæ dictis refragari videtur: nam prolixus ille Chriſti ſermo, qui dicitur, *Sermo Domini in monte*, plenus Chriſtianis inſtitutis, imò ſummam Chriſtianæ veritatis continens, quem ſcriptum habes apud ſanctum Matthæum à cap. 5. incluſiuè vſque ad 8. excluſiuè, continet etiam illam orandi formulam, de qua locuti ſumus; at ille habitus eſt, ſecundùm aliquos, in monte Thabor, vel ſanè in aliquo montium Galilææ; & colligi ex D. Matthæo, docent ſacri Interpretes: & nos Lib. VII. de monte Thabor agentes notabimus & explicabimus. Igitur & in Thabor vel alio Galilææ monte Reparator noſter dictam fecit orationem, & formulam orandi diſcipulis ſuis præſcripſit; & conſequenter non in monte Oliueti, qui eſt in Iudæa.

Sermo Domini in monte in Galilæa habitus.

Solutio. Reſpondetur quadrupliciter; Primò, Chriſtum Dominum bis illam orandi formulam ſuis diſcipulis tradidiſſe, ſemel ex ſe ipſo non rogatus; & de iſta loquitur ſanctus Matthæus cap. 6. & hæc accidit in Galilæa: iterùm cùm rogatus fuit ab vno ex 72. diſcipulis, qui fortè non aderat, quando in Galilæa docuit Apoſtolos ſuos orare, de qua Lucas cap. 11. & hæc in memorato monte Oliueti tradita fuit.

Secundò, fuiſſe quidem eamdem orandi formam quam omnes docuit, primò in Thabor, vel alio montium Galilææ omnibus præſentibus; ſed vel omnes obliti, vel meliùs, aliquis ex ipſis memoria lapſus, iterùm de modo orandi Dominum interrogauit; & hoc contigit in monte Oliueti. Nec talem obliuionem & naturalem imperfectionem ponere in Apoſtolis, inconueniens videatur, cùm maioribus & ſpiritualibus laborarent ante aduentum Spiritus ſancti; de quibus nouimus non ſemel à Domino fuiſſe reprehenſos.

Tertiò, voluit cæleſtis Magiſter modò hîc modò illic, ſecundùm opportunitatem, eamdem docere doctrinam, propter illius magnam neceſſitatem; vt audientes illam meliùs memoriæ mandarent, & vt iam datam, veram, neceſſariam ſalutaremque cognoſcerent, dum eamdem iterùm repetijſſe viderent; & quia priùs non fuit perfectè à diſcipulis percepta. Hinc Ioannes Baptiſta non ſemel de Chriſto diſcipulis ſuis dixit, *Ecce Agnus Dei*, &c. ſed bis, repetens quod priùs dixerat. Vt enim libro 2. in Ioannem capite 4. monuit Cyrillus, Munus docentis eſt, quòd adhuc non rectè intellexerunt auditores, diligenter repetere: quod confirmat dicto illo Pauli ad Philip. 3, 1. *Eadem vobis ſcribere, mihi quidem non pigrum, vobis autem neceſſarium.* Hac ipſa ratione crediderim, ſæpiùs Chriſtum Dominum de ſua paſſione fuiſſe locutum, & in propoſito, ſemel & iterùm eamdem orandi formam diſcipulis ſuis præſcripſiſſe, maximè rogatum: in vno montium Galilææ ſemel, iterùm in altero Iudææ, id eſt, Oliueti, de quo in præſentia.

Neceſſaria & vtilia ſæpiùs à doctore repetenda.

Quartò denique dicere poſſumus, quod probabilius putat Ianſenius capite 83. ſuæ Concord. Euang. Matthæum orandi formam à Domino traditam inſeruiſſe prolixo ſermoni loco opportuno, quamquam alio tempore, addamus & loco, traditam. Quemadmodum veriſimile eſt, eum in illum ſermonem multa adſcripſiſſe, quæ alio tempore, addamus & loco, ſunt à Domino dicta, vt conſtat ex diuo Luca. Voluit enim Matthæus in principio ſui Euangelij, ſermone quodam Domini à ſe deſcripto, ſummam ferè totius Euangelicæ doctrinæ concludere. Ita ex Ianſenio.

CA-

CAPVT III.

De ſepulchris Prophetarum, quæ tertio loco occurrunt in nona Peregrinatione.

EX memorato Capite præcedenti loco Dominicæ orationis & inſtructionis, ad Auſtrum verſus parum aſcendendo, inuenitur memorabilis locus in ipſa montis rupe multo labore, artificio & ſumptibus excisus: ibi enim ſubtus in eodem ſitu ſunt exciſa ſepulchra velut periſtylia, ſeu, vt aiunt, parua clauſtra Monachorum, quæ vndequaque habent ſepulchra in rupe eadem ſimiliter exciſa. Locus iſte ab incolis Ieroſolymitanis communiter *Sepulchra Prophetarum* appellatur.

Sepulchrorum Prophetarum nominis ratio.

Pro huius loci & nomenclaturæ vera intelligentia, ſciendum eſt, Ieroſolymis fuiſſe à Iudæis peculiaria & illuſtria quædam ſepulchra in gratiam & honorem diuinorum Vatum ædificata. Et, præter rationem, quæ ad id credendum perſuadet, quòd ſi aliis inferioris conditionis & priuatis hominibus erant conſtructa ſepulchra peculiaria, vt ex à nobis alibi dictis manifeſtum relinquitur, quantò magis credendum eſt, pro electiſſimis viris Prophetis, qui fuerunt templum Spiritus ſancti, fuiſſe ſimilia ædificata? ſed ad hoc ipſum habemus firmiorem Dominicum ſermonem.

Sepulchra Prophetis extructa, ratio & auctoritas perſuadet.

Chriſtus Dominus Matth. 23, 29. obiurgat Scribas & Phariſæos Ieroſolymis degentes, quòd vel ipſi, vel alij ipſorum perſuaſione, ſepulchra Prophetarum extruerent, atque exornarent. hoc enim illa indicant verba: *Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, qui ædificatis ſepulchra Prophetarum, & ornatis monumenta iuſtorum*, &c. In quibus Domini verbis non illi obiurgantur, quòd ſepulchra Prophetarum ædificarent, & ornarent; nam illud erat opus præclarum & laudabile: ſed obiurgat, & væ in illos iactat Dominus, quia rectum non recte exequebantur, & opus bonum vana intentione vitiabant, non vt Deum & ſeruos ſuos venerarentur, ſed vt pij & ſtudioſi haberentur. Omnia quippe opera ſua faciebant, vt viderentur ab hominibus, vt idem Saluator Matth. 6, 5. dixit. Et quia eorum patres Prophetarum occiſores imitari vellent, Meſſiam Prophetarum maximum occidendo, vt ibi ex verborum contextu apparet. Ita docent Ambroſius Luc. 11. Chryſoſtomus Homil. 75. in Matth. & alij. Ex his itaque habemus intentum, Ieroſolymis fuiſſe ſepulchra Prophetis honorificè ædificata.

Opus bonum mala intentione factum reprehenditur

Sed numquid memorata montis Oliueti ex illis ſunt? Reſpondeo, nos poſſe rationabiliter affirmare, præſertim cùm alia pro ipſis communia in partibus iſtis non memorentur ædificata; & id ipſum maiores noſtri affirmarunt: atque eam ſortita nomenclaturam ſepulchra Prophetarum arbitrarer; quoniam in eorum gratiam, vt in ipſis exanima ſanctorum Prophetarum corpora cum honore ſepelirentur.

Dubium. *Reſponſio.*

Sed fuerúntne in ſepulchris illis ſacrorum Vatum poſt mortem corpora tumulata? Reſpondeo & dico duo; alterum; id nos de pluribus negare debere, quæ alibi ſepulta fuiſſe docent ſacræ Litteræ, & Eccleſiaſtici Scriptores: alterum, de nemine nos poſſe cum aſſeueratione ſtatuere, fuiſſe ibi tumulatum.

Dubium aliud. *Solutio.*

Et ad horum intellectum inquirendum eſt, vbi Prophetæ populi Iſraëlitici fuerint poſt obitum ſepulti. Omitto hîc maximum Prophetarum Moyſen; quem conſtat non veniſſe in Terram promiſſionis, nec poſt mortem in eam fuiſſe eius corpus delatum: quoniam *mortuus eſt in terra Moab, iubente Domino: & ſepelinit eum in valle Terra Moab contra Phogor: & non cognouit homo ſepulchrum eius vſque in præſentem diem*, vt dicitur Deut. 34, 5. 6.

Moyſes in valle terræ Moab ſepultus.

Omitto Regium Vatem, virum ſecundùm cor Dei; quem in ſacro monte Sion honorificè ſepultum fuiſſe ſacra Scriptura commemorat.

Dauid in Sion.

Omitto alios Iſraëlitici populi Spiritu ſancto afflatos viros, vel mulieres, quos extra Ieruſalem & Iudæam fuiſſe tumulatos, non dubitamus. De ſolis illis loquar, quos in Catalogo Prophetarum collocat diuina Scriptura, & eorum vaticinia inter Canonicos libros recenſet. Sexdecim ſunt: quorum quatuor priores, maiores appellantur, poſteriores duodecim, minores. Illorum nomina ſunt, Iſaias, Ieremias, Ezechiel, atque Daniel: iſtorum, Oſee, Ioel, Amos, Abdias, Ionas, Michæas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias.

Prophetæ quatuor maiores, duodecim minores dicti.

Et vt à maioribus ordinatè procedamus: Iſaias ſub Manaſſe Rege ſectus in duas partes occubuit; & non in monte Oliueti, ſed ſub quercu Rogel iuxta tranſitum aquarum ſepultus fuit, vt dicitur in Romano Martyrologio ad diem 6. Iulij. de cuius martyrio & ſepultura nos plura diximus ſuprà Peregrinatione VII. Ipſius Reliquiæ poſteà, anno triceſimo quinto Imperatoris Theodoſij iunioris, aduectæ fuerunt Panneadem, & collocatæ in Baſilica S. Laurentij, vt ſcribit Cedrenus in Compendio eo anno.

Iſaias ſub quercu Rogel ſepultus.

Ieremias in Ægypto à populo lapidibus

Ieremias apud Taphnas in Ægypto.

obrutus, apud Taphnas occubuit, ibiq́ue sepultus est: ad cuius sepulchrum fideles, vt refert S. Epiphanius, supplicare consueuerunt; indeq́ue sumpto puluere aspidum morsibus medentur. Ita in eodem Romano Martyrologio 1. Maij, & nos Lib. VIII. De ossibus huius Prophetæ translatis ad Tetraphylum, vide in Prato spirituali capite 77.

Ezechiel Babylonia.

Ezechiel à Iudice populi Israël, quòd eum de cultu idolorum argueret, apud Babyloniam interfectus, in sepulchro Sem & Arphaxat, Abrahæ progenitorum, sepultus est: ad quod orationis causa multi confluere consueuerunt. In Romano Martyrologio die 10. Aprilis. & S. Epiphanius de Prophetarum vita & interitu cap. 9. de frequenti cœtu populi concurrentis ad sepulchrum eius hæc scribit: *Multi ad monumentum eius confluunt ad precationem & obsequium: sanè quando tanta cum frequentia vnà ad monumentum eius conueniunt, formidant Chaldæi ac metuunt, ne illum auferant; quapropter egredientes comitantur, & deducunt.* Hæc S. Epiphanius.

Daniel Babylonia.

Daniel apud Babylonem fuit tumulatus, vt in eodē Romano Martyrologio die 21. Augusti indicatur; & peculiarem sepulturæ locum S. Epiphanius vbi suprà in fine c. 10. sequentibus verbis explicuit: *Humatus est honorificè in angusta caverna; extatq́; monumentum eius vsque ad hoc sæculum nostrum in Babylone cunctis notissimum.* Hæc ille.

Reliquiæ trium puerorum ibidem.

Trium puerorum, amicorum Danielis, Reliquias in eadem spelúca tumulatas fuisse, tradit S. Isidorus de Vita & obitu Sanct. cap. 40. & eos omnes vt Sanctos veneran. In Commentariolo Metaphrastis de Daniele & tribus pueris apud Surium Tom. 4. habetur, translatas eorum reliquias Babylone Alexandriam, & in Ecclesia sanctorum Ioannis & Cyri positas, vt acta eorumdem significant; easdemq́ue Venetias translatas dicitur, thesaurum plane incomparabilem. Ex his apparet, neminem ex quatuor, vel etiam alium ex illustrioribus Prophetis, fuisse in memorato loco Oliueti montis sepultum.

Osee in Belemot.

De minoribus Prophetis nunc agamus. Primus Osee: qui non in isto Ierosolymitano loco, sed in patria sua sepultus fuit, vt tradit Sixtus Senen. lib. 1. Biblioth. sanct. eius autem patria, vt tradit Dorotheus Tyrius, fuit Belemot, siue Belometh, oppidum tribus Issachar, vt inquit idem Senensis. In Romano Martyrologio die 4. Iulij fit mentio Osee & Aggæi; sed nihil dicitur de eorum sepultura.

Ioëlis Esdræq́ue in eodem Romano Martyrologio die 13. Iulij fit mentio, sed nihil de eorum sepultura; in Bethor tamen Ioëlem sepultum fuisse, refert Sixtus Senensis, vnde & oriundus: locus tribus Ruben, secundùm Dorotheum. *Ioël in Bethor.*

Amos Thecuæ in Palæstina natus; quem Amasias sacerdos frequenter plagis afflixit, & filius eius Ozias vecte per tempora transfixit: qui posteà semiuiuus in patriam deuectus, ibidem expirauit, sepultusq́ue est cum patribus suis. Ita in Romano Martyrologio 31. Martij. *Amos Thecua.*

Abdias vnà cum Eliseo in Samaria, siue Sebaste, ciuitate Palæstinæ, prouinciæ Samariæ, sepultus est. Martyrologium Romanum die 14. Iunij, ex D. Hieronymo; & nos Lib. VII. Cap. 11. 11. Peregrinationis dicemus. Et de Abdia separatim 19. Nouembris in eodem Martyrologio. *Abdias cū Eliseo Sebaste.*

Ionas in Geth terræ Saar sepultus est. In Romano Martyrologio 21. Septembris. S. Hieronymus ad Chromatium in Proœmio super Ionam agit de sepulchro Ionæ apud Diospolim, vel Diocæsaream. Geth viculus tempore D. Hieronymi Diocæsarea vocabatur, inquit Senensis citatus. Quare non in dictis diuersitas; & si esset, semper haberemus, non in monte Oliueti fuisse sepultum. *Ionas in Geth.*

Michæas moritur ex alto loco præcipitatus; & sepultus est in Morasthi patria sua prope Polyandrum. Ita Senensis vbi suprà; & D. Hieronymus Epist. 27. qui addit, eius sepulchrum mutatum fuisse in Ecclesiam. *Michæas Morasthi.*

Nahum sepultus est in Begabar. Romanum Martyrologium 1. Decembris, & Senensis. *Nahum in Begabar.*

Habacuc ex agro Bezochar, in eodem suo agro sepultus est, inquit Senensis. Corporis huius Prophetæ & Michææ inuentio recolitur in Romano Martyrologio die 15. Ianuarij. *Habacuc in agro Bezochar.*

Sophonias Propheta in Iudæa sepultus dicitur in Romano Martyrologio die 3. Decembris: addunt alij Ierosolymis; sed non explicant peculiarem sepulturæ locum, montem Oliueti, vel alium particularem. *Sophonias Ierosolymis.*

Aggæus moritur Ierosolymis, inquit Sixtus Senensis; & prope sepulchra Sacerdotum fuisse sepultum, addunt alij. *Aggæus Ierosolymis.*

Zacharias iuxta Aggæum conditus iacet. Romanum Martyrologium; idem Senensis. *Zacharias ibidem.*

Malachias in Iudæa tumulatur. Romanum Martyrologium die 14. Ianuarij. *Malachias in Iudæa.*

De his Prophetis plura Cardinalis Baronius in Notis ad Romanum Martyrologium, & inibi citatis Auctoribus.

Ex dictis deducimus, Israëlitici populi Prophetas pro maiori parte non certò in dictis

Incertum, aliquem ex dictis. Prophetis esse in sepulchris Oliveti montis sepultum.

dictis montis Oliueti sepulchris, nec Ierosolymis, sed alibi fuisse tumulatos: de paucioribus verò posteriùs memoratis dubium esse, an in illis sepulti fuerint; quia tantùm dictum fuit, in Iudæa & Ierusalem fuisse sepultos, non explicato peculiari loco; & constat, in Iudæa & Ierusalem plura esse alia etiam memorabilia sepulchra à memoratis, in quibus sepeliri potuerunt.

Quare vt ad intentum nostra recurrat oratio: ista sepulchra Prophetarum appellantur, quia illorum intuitu excisa fuerunt; & fortasse alij Prophetæ à memoratis fuerunt in illis tumulati. Christianis possidentibus Terram sanctam, creditur fuisse pœnitentia Anachoritarum sanctificata.

CAPVT IV.

De loco vbi Christus prædixit discipulis suis templi & Ierusalem destructionem ac sæculi consummationem, quarto loco nonæ Peregrinationis.

EX altera parte viæ reuertendo à sepulchris Prophetarum, ad Aquilonem procedendo, & ad locum Ascensionis Domini nostri, ad læuam partem est campus, & in eius medio locus, in quo, vt omnes in partibus istis Christi fidem profitentes dicunt, Christus, humani generis Reparator, ostendit discipulis suis magnificentissimum templum Salomonis, nobilem Regiamque ciuitatem Ierusalem, quam vnà cum templo destruendam fore prædixit; simulque sæculi consummationem, suum in maiestate ad iudicium aduentum, aliaque vaticinatus fuit: quæ pluribus explicarunt sancti Euangelistæ, Matthæus, Marcus, & Lucas.

In loco prædictionis Christi Ecclesia extructa:

Est locus iste è regione alterius, in quo idem Saluator orare docuit: pro signo est ibi columnæ pars, & arbor oliuæ. Antiquitus in prædictorum memoriam fuit ibidem magna extructa Ecclesia, vt tradit Bonifacius, sed in præsentia penitus destructa, & solo æquata; cuius aliqua duntaxat cernuntur fundamenta.

Ab Helena, vt creditur.

Crediderim ego illam fuisse ædificatam opera Helenæ; illamque esse cuius meminit Eusebius lib. 3. de Vita Constantini cap. 40. &c. vbi, postquam egisset de altera ab eadem Helena extructa in loco Ascensionis Domini, hæc subiecit: *Templumq; inferius etiam ædificauit in eo ipso antro, in quo (vt vera & sacra Dei testantur Eloquia) discipuli & Apostoli à Saluatore omnium arcanis mysteriis initiati fuerunt*, &c. nam est in inferiori loco alterius Ascensionis; & arcanissimis, vt ita dicam, mysteriis fuerunt, vt præmisimus, Christi discipuli ab ipso ibi edocti.

Euangelistæ traditioni fauent.

Huic traditioni testimonium perhibere videntur sacri Euangelistæ Matthæus & Marcus: Matthæus enim cap. 24. inquit, quòd ingressus Saluator Ierololymam in die Palmarũ, postquam multa in tẽplo docuisset, post hæc egressus sit de templo cum discipulis suis: quibus in nobilem ædificiorum templi structuram oculos coniicientibus, vnus ex ipsis ad letum ait: *Magister,* Marc. 13. *aspice quales lapides, & quales structura.* qua 1. occasione permotus, ruinam templi prædixit. Sed clatiùs posteà, Ierosolymam egressus, quando cum discipulis Oliueti montem scandisset, ibique in assignato loco, qui è regione templum respicit, & templi destructionem, ciuitatis sæculique consummationem, & suum aduentum ad Iudicium prædixit. sic enim scribit Marcus cap. 13, 3. *Et cùm sederet* Iesus *in monte Oliuarum contra templum, interrogabant eum separatim Petrus, & Iacobus, & Ioannes, & Andreas: Dic nobis, quando ista fient? & quod signum erit, quando hæc omnia incipient consummari? Et respondens Iesus,* &c.

Alij item Scriptores.

At locus, de quo loquimur, talis est, qualis à dictis Euangelistis describitur; igitur verè illum esse, cum communi traditione credere debemus. Post responsionem Christi ad discipulorum interrogationem, prædixit etiam illis suam passionem; & cum ipsis in Bethaniam reuersus est. Huius loci meminit Adamnanus lib. 1. de Locis sanctis c. 19. & ibi Beda cap. 7. & Cardinalis Vitriacus in Hist. Ierosol. cap. 62. dum ait: *In hoc sancto & dignissimo monte Oliuarum Dominus sedebat contra templum, quando discipuli eius signa aduentus eius ad iudicium & consummationis sæculi ab eo quæsierunt.*

CAPVT V.

De tugurio & Ecclesia sanctæ Pelagiæ pœnitentis, quinto loco nonæ Peregrinationis.

IN summitate montis Oliueti, non longè à loco vbi Christus prædixit Iudicium, de quo Capite præcedenti, & prope eum vnde Christus ascendit ad cælos, de quo in sequentibus, & à læua parte, est Ecclesia, olim tugurium siue antrum, famosæ illius Antiochenæ olim meretricis Pelagiæ: quæ omnes Antiochenas feminas pulchritudine, diuitiis, deliciis ac luxuria superans, propter eius fastum & superbiam ab Antiochenis Margarita appellata fuit. Et facta vile prostibulum, diaboli mancipium, & laqueus ad capiendas animas, plu-

Situs tugurij & Ecclesia Pelagiæ pœnitentis.

Digitized by Google

res pellexit, & ad ſuum turpem traxit amorem: verùm, diuina fauente gratia, fuit à Nonno Epiſcopo Ediſſeno ad Chriſtum conuerſa, & ſacri Baptiſmatis vnda ablutа; & in melius mutata, poſt paucos à ſua conuerſione dies, Antiochia relicta, oblita populum ſuum & domum patris ſui, vt magis concupiſceret Rex decorem ſuum, Ieroſolymam incognita abiit: vbi habitu mulieris & nomine in viri mutato, Monachi habitu aſſumpto, Pelagium ſe appellauit: & in tuguriolo, de quo nunc loquimur, vt Dominum ad cor eius loquentem meliùs audiret, ſe incluſit, ibique mortalem cum immortali vita per temporalem mortem commutauit.

Pelagia pœnitentia conuerſio.

Ieroſolymã profectio.

In Monachi habitu ſe in antro incluſit, vbi & ſpiritum Deo reddidit.

Hic contemplare mutationem dexteræ Excelſi. Pelagia, quæ fuit pelagus & abyſſus ſcelerum, & in profundum abyſſi, mortis & inferni plures traxit, facta eſt pelagus virtutum & pœnitentiæ, qua multos poſt ſe traxit ad Chriſtum: quare meritò non amplius Margarita, vt ab Antiochenis, ſed Pelagia pœnitens à toto orbe eſt appellata. In Romano Martyrologio eius memoratur celebritas die 8. Octobris. Lege de eadem Baronium ibi in Notis, & To. 6. Annal. ſub ann. Chriſti 451. Nicephorum lib. 14. cap. 3. Adrichomium in Deſcriptione Ieruſalem num. 203. qui tamen meliùs delineaſſet hoc ſacellum citra quàm vltra locum Aſcenſionis Domini.

Eccleſiæ forma.

Ad memoratum huius pœnitentis tugurium ſunt ordinata tria habitacula. Prius latius & ſpatioſius eſt; ad quod per nonnullos gradus deſcendimus, & ex iſto ad aliud per decem alios gradus ſimiliter deſcendimus; eſtque ſolo pariete à priori diſcretum, non ita, vt illud, magnum. Et in iſto ſecundo eſt à latere ſepulchrum quoddam; quod an ſit Pelagiæ, vel alterius, me latet. Non ſum tamen neſcius, hanc pœnitentem ibi vltimam obiiſſe diem, & ſepultam, vt illius docet hiſtoria. Ex iſto in tertium anguſtiſſimum locellum intramus, qui creditur fuiſſe antrum in quo ſe incluſit ſancta hæc pœnitens; & ex quo ipsà ad meliorem vitam euocatà, ibidem eius corpus fuiſſe tumulatum aſſeritur. Duo priora loca creduntur fuiſſe, in quibus Eccleſia à Chriſtianis ædificata; ſed verſa nunc in Meſquitam Turcarum: & non niſi furtim ad eam intrare permiſſum eſt.

Si Eccleſia, de qua Capite præcedenti, illa non eſt, de qua ibi cum Euſebio agimus, hæc facilè erit quæ ab Helena in memoriam myſteriorum Domini conſtructa, poſterioribus temporibus pœnitentia & morte Pelagiæ celebrior reddita.

CAPVT VI.

De ſacratiſſimo loco montis Oliueti, ex quo Saluator noſter, ſtola immortalitatis veſtitus, glorioſus aſcendit ad cælos, qui ſextò honoratur in nona Peregrinatione.

AGentes de loco Dominicæ Aſcenſionis montis Oliueti, quinque diſtinctis Capitibus eam explicamus. Primò, quòd ille qui memoratur locus, verè ille ſit tanto prodigio illuſtratus. Secundò, quæ antiquitus ibi contigerunt mirabilia. Tertiò, quæ noſtris temporibus videantur. Quartò, quam partem reſpiciat Domini veſtigium in montis rupe impreſſum. Quintò, propoſita ac ſoluta difficultate, myſterium reſeratur poſitionis & aſpectus aſcendentis Domini in cælum.

A primo exordientes, præſenti illud Capite abſoluemus. Cùm Saluator noſter poſt ſuam glorioſam Reſurrectionem in hoc corruptibili mundo, vita tamen incorruptibili, per dies quadraginta inter ſuos diſcipulos alioſque electos apparuiſſet, & variis argumentis ſuam Reſurrectionem declaraſſet, in fideque ipſius confirmaſſet, *Nouiſſimè*, vt dicitur Marci 16, 14. *recumbentibus illis vndecim apparuit, & exprobrauit incredulitatem eorum & duritiam cordis; quia iis, qui viderant eum reſurrexiſſe, non crediderũt.* Et hæc appatitio fuit vltima, vt docet S. Auguſtinus lib. 3. de Conſen. Euang. c. 25. In qua poſtquam præ gaudio cum illis comediſſet, vt omnis prorſus de ipſorũ mentibus ſuæ Reſurrectionis tolleretur dubitatio, ſumptis reliquiis dedit eis; ac ſubinde ex Scripturarum teſtimonio probauit ſuam Reſurrectionem: apertoque ſenſu, vt intelligerent Scripturas, dedit illis virtutem & poteſtatem mirabilia faciendi: & vt ad prædicandum Euangelium in vniuerſum mundum irent, præcepit. Eos inſuper admonuit, ne inde diſcederent, ſed Ieroſolymis manerent, donec induerentur virtute ex alto, vt Luc. 24. & Marc. 16. habetur. Quibus peractis, eduxit eos foras, in Bethaniam, in montem Oliueti, vt ex eodẽ Luca Act. 1, 12. colligitur, dum agit de reditu diſcipulorum in Ieruſalem poſt Chriſti in cælos Aſcenſionem, & dicit: *Tunc reuerſi ſunt Ieroſolymam, à monte qui vocatur Oliueti, qui eſt iuxta Ieruſalem, Sabbati habens iter.* Igitur, ſi ex monte Oliueti redierunt Ieroſolymam poſt Chriſti Aſcenſionem, euidenter colligitur, eos ex Ieroſolymis comitatos fuiſſe Chriſtum vſque Bethaniam, & ex Bethania ad montem Oliueti, nec ab eo

Chriſti vltima apparitio.

Inſtructio. & mandatum.

In montem Oliueti profectio.

Digitized by Google

eo discessisse quoad benedicti fuerunt, & assumptus fuit ab oculis eorum, vt sequentibus explicuit in Euangelio idem Lucas:

In calum ascensio. Luc. 24. 50. *Et eleuatis manibus suis benedixit eis: & factum est, dum benediceret illis, recessit ab eis, & ferebatur in calum.* & fusiùs in Act. 1, 9. *Et nubes*, inquit, *suscepit eum ab oculis eorum. Cumq; intuerentur in calum euntem illum, ecce duo viri astiterunt iuxta illos in vestibus albis, qui & dixerunt: Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cælum? hic Iesus qui assumptus est à vobis in cælum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cælum. Tunc reuersi sunt Ierosolymam, à monte qui vocatur Oliueti, qui est iuxta Ierusalem, Sabbati habens iter.* Ex his sacræ Scripturæ auctoritatibus non ineuidenter colligitur, ex Oliueti monte Ierosolymis proximo Christum ascendisse in cælum.

Ex Oliueto in cælum ascendisse probatur.

Idem etiam inter alios dicit Leo V. Imperator cognomento Sapiens Orat. in Adscen. Et B. Virgo Maria ad S. Birgittam, vt habetur in calce lib. 5. Reuelat. eiusdem, enumerans quædam loca, in quibus nonnulla mysteria nostræ salutis operata fuere, hæc de isto monte dixit: *Quintus locus erat mons Oliueti, de quo Filius meus quasi aquila euolauit secundùm humanitatem in cælum, vbi secundùm Diuinitatem semper erat*, &c. Ita Maria Virgo ad Birgittam. In Romano Martyrologio in Vigilia Ascensionis Domini id pronuntiat Ecclesia hisce verbis: *In monte Oliueti Ascensio Domini nostri Iesu Christi.* Idem totus prædicat mundus, & de fide credo, sicut & fidei proximum arbitror, ascendisse ex loco, qui monstratur impressus vestigiis Saluatoris, quæ in rupe velut in molli cera impressa reliquit, non aliunde eò asportata, vt toti mundo essent testimonium suæ admirabilis Ascensionis. Et veteres fideles, apud quos recens erat memoria mysteriorum Christi & circumstantiarum eorumdem, locum illum ineuitu Dominicæ Ascensionis nobilissima Ecclesia circa ipsum ædificata, quæ esset perpetuum tanti mysterij monumentum, illustrarunt.

Pedes Christi vestigia in rupe impressa.

Ad hunc locum respexisse videtur Dauid in Psal. 131, 7. dum dixit: *Adorabimus in loco, vbi steterunt pedes eius*, vt tradunt Athanasius lib. Quæstionũ ad Antiochum q. 14. & Damascenus lib. 4. c. 15. Eiusdem sanctissimi & miraculosi loci plures meminerunt Scriptores veteres & recentiores, & præsertim qui de locis Terræ sanctæ scripserunt. Lege Adrichomium in Descriptione Ierusalem num. 192. & Cardinalem Baronium Tom. 1. Annal. sub ann. Christi 34. num. 232. qui ex grauibus Doctoribus plura mirabilia; quæ antiquitus ibi accidebant, memorat; & vt valdè memoranda recolit, non tantùm 1. sed etiam Tomo 3. ann. Christi 326. num. 40. ex quibus aliqua nos Capite sequenti subiiciemus.

CAPVT VII.

Memorabilia quædam, quæ olim accidisse in sacratissimo Ascensionis Domini loco tradunt Ecclesiastici Scriptores; & veteris Ecclesiæ Ascensionis conditio.

DE secundo superiùs proposito, de sacro isto loco S. Hieronymus de Locis Heb. Actor. Apost. hæc scribit: *Mons Oliueti ad Orientem Ierosolyma, torrente Cedron interfluente, vbi vltima vestigia Domini humo impressa hodieq; monstrantur. Cumq; terra eadem quotidie à credentibus hauriatur; nihilominùs tamen eadem sancta vestigia pristinum statum continuò recipiunt. Denique cùm Ecclesia, in cuius medio sunt, rotundo schemate & pulcherrimo opere conderetur, summum tantùm cacumen, vt perhibent, propter Dominici corporis meatum, nullo modo contegi, & concamerari potuit.* Hæc sanctus Doctor.

Eadē semper remanent vestigia, etsi à fidelibus eraſa.

Ascensionis Ecclesia nō potuit camerari.

Cyrillus Episcopus Ierosol. Catech. 14. inquit: *Stat ad hodiernum vsque diem mons Oliuarum, qui ascendentem in nube oculis fidelium modò commonstrat, & portam, qua ascendit in cælum, indicat.*

Optatus Milcuitanus contra Parm. lib. 6. ad ista Saluatoris vestigia videtur alluisse, dum de Ecclesia Orientali agens, inter alia dicit: *Ibi eius sancta sunt impressa vestigia.*

His similia clarius scripsit S. Paulinus Episcopus Nolanus ad Seuerum Epist. 11. *Mirum verò inter hæc*, inquit, *quòd in Basilica Ascensionis, locus ille tantùm, de quo in nube susceptus ascendit, captiuam in sua carne ducens captiuitatem nostram, ita sacratus diuinis vestigiis dicitur, vt numquam tegi marmore aut pauiri receperit, semper excussis, solo respuente, quæ manus adornandi studio tentauit apponere. Itaque in toto Basilicæ spatio, solus in sui cespitis specie virens permanet, & impressam diuinorum pedum veneratione calcati Deo pulueris perspicua simul & astigua venerantibus omnia conseruat, vt verè dici possit: Adorauimus, vbi steterunt pedes eius.* Hæc Paulinus. quæ accepit à Melania sanctissima ac spectatissima femina, cùm, ab Ierosolymis Romam rediens, Nolæ apud eum diuertit. Eadem ferè Sulpitius Seuerus Sacr. Hist. lib. 2. qui peculiariter addit: *Quin etiam calcati Deo pulueris adeò perenne documentum est, vt vestigia impressa cernan-*

nantur; & cùm quotidie confluentium fides certatim Domino calcata diripiat, damnum tamen arena non sentiat: & eadem adhuc sui speciem, velut impressis signata vestigiis, terra custodit. Hæc ille.

Domini vestigia nec pedibus equorum fracta.

Augetur verò miraculum; quòd licet eodem in monte, & ex ea parte Romanus exercitus sub Tito castrametatus esset Ierosolymam obsessurus, vt Capite VIII. VIII. Peregrinationis ex Iosepho adnotauimus; tamen Christi vestigia pedibus equorum non fuerunt deleta vel fracta.

Hæc verò in monte Oliueti edita miracula in loco Ascensionis Domini, non dictorum tantùm Auctorum tempore cunctis perspicua permanebant, sed post septingentos fere annos, in eodem statu perseueraſſe Beda de Locis sanctis c.7. significat, alia etiam addens.

Sed omnia audiamus ex Adamnano, ex quo Beda. Adamnanus itaque lib. 1. de Locis sanctis cap. 17. dum agit de loco Dominicæ Ascensionis, & de Ecclesia in eo ædificata, quæ sequuntur litteris consignauit:

Forma Ecclesiæ Ascensionis, & illius memorabilia.

In isto monte Oliueti nullus locus altior esse videtur illo, de quo Dominus ad cælos ascendisse traditur: vbi grandis Ecclesia rotunda stat, ternas per circuitum cameratas habens porticus desuper tectas. Cuius videlicet rotundæ Ecclesiæ interior domus sine tecto, & sine camera, ad cælum sub aëre nudo aperta patet; in cuius Orientali parte altare sub angusto protectum tecto constructum exstat. Ideò itaque interior illa domus cameram suprà collocatam non habet, vt de illo loco, in quo postremùm diuina institerant vestigia, cùm ad cælum Dominus in nube sublatus est, via semper aperta, & ad æthera cælorum directa, oculis in eodem loco exorantium pateat: nam cùm hæc, de qua pauca commemorantur, Basilica fabricaretur; idem locus vestigiorum Domini, vt alibi scriptum est repertum, continuari operimento cum reliqua stratorum parte non potuit; siquidem quæcumque applicabantur, insolens humana suscipere terra respuebat, in ora apponentium excussis mox prioribus. Quin etiam calcati pulueris à Deo perenne documentum est, vt vestigia cernantur impressa: & cùm quotidie confluentium fides à Domino calcata diripiat, damnum tamen area non sentit; & eamdem adhuc sui speciem, veluti impressis signata vestigiis, terra custodit.

In eodem igitur loco, vt sanctus refert Arnulphus, sedulus eiusdem frequentator, area grandis per circuitum rota desuper explanata collocata est; cuius altitudo vsque ad verticem haberi monstratur mensurata. In cuius medietate non parua patet pertusura, per quam desuper apertam vestigia pedum Domini planè & lucidè in puluere impressa demonstrantur. Illa quoque in rota ab Occidentali parte quasi quædam semper patet porta, vt per eam intrantes facilè adire locum sacrati pulueris possint; & per apertum desuper foramen eiusdem rotæ de sacro puluere, porrectis manibus, particulas sumunt.

Igitur nostri Arnulphi de loco vestigiorum Domini narratio cum aliorum scriptis rectè concordat, quòd nec culmine domus, nec aliquo speciali inferiore & viciniore tegmine vllo modo protegi potuerit, vt semper manifestè ab vniuersis eius frequentatoribus conspiciatur, & Dominicorum vestigia pedum in eiusdem loci puluere depicta clarè demonstrentur. Hæc eadem vestigia ingentis claritudine lampadis, supra eamdem rotam in trochleis pendentis, die & nocte flammantu illuminantur.

Illius itaque suprà memoratæ Ecclesiæ rotundæ in Occidentali parte bis quaternales supernè fabricatæ habentur fenestræ, valuas habentes vitreas. Quibus vtique fenestris eiusdem numeri vicinæ lampades intrinsecus è regione in funibus pendentes ardent. Quæ videlicet lampades sic collocatæ sunt, vt vnaquæque lampas nec superiùs nec inferiùs, sed quasi adhærens eidem videatur fenestræ, cui interiùs è regione propinqua specialiter cernitur: quarum vtique lampadum in tantum claritas refulget, vt earum lumine, quasi de superiori montis Oliueti loco coruscantium, per vitrum abundanter effuso, non tantùm ea eiusdem montis pars, quæ Occasum versus eidem adhæret rotundæ & lapideæ Ecclesiæ, sed etiam ciuitatis Ierosolymæ de valle Iosaphat ascensus, per quosdam gradus in altum sublimatus, clarè quamlibet in tenebrosis noctibus mirabiliter illustretur, & maior eiusdem pars vrbis anterior è regione posita similiter eadem illuminetur claritudine.

Hæc fulgida & prædicabilis octonalium magnarum coruscatio lucernarum de Monte sancto & de loco Dominicæ Ascensionis noctu refulgentium, maiorem, vt Arnulphus refert, diuini amoris alacritatem credulorum respicientium cordibus infundit, quemdamq; pauorem menti cum ingenti interna compunctione injcit.

Sed & hoc nobis non esse tacendum videtur, quòd sæpè memoratus Arnulphus de hac eadem rotunda Ecclesia mihi diligentiùs interroganti resulit, dicens: In anniuersaria *Annuum miraculum.*
die Dominicæ Ascensionis solemnitate per omnes annos validissimi flaminis procella, meridianis horis, post peracta in eadem Basilica sacrosancta Missarum solemnia, forti impetu irruere in tantum solet, vt nullus hominum stare, vel etiam sedere in illa Ecclesia, & in vicinis locis quoquo possit modo; sed omnes

Digitized by Google

nes superstrati iacent, donec illa terribilis procella pertranseat. Huius terrifici flatus causa facit, vt illa pars domus habere cameram non possit supra locum impressorum Domini vestigiorum, qua in supradicta rotunda Ecclesia per medium foramen aperte monstratur, sed ad calum semper patefacta appareat: nam quascumque materias desuper ad cameram componendam aliqua manus humana ars edificare conabatur, suprà memorati diuinitus emissa venti validitas distrahebat. De hac itaque formidabili procella sanctus Arnulphus taliter nobis enarrauit; qui eadem hora, qua in die Dominica Ascensionis ille validissimus irruit flatus, & ipse presens in eadem Ecclesia Olineti interfuit montis, cuius videlicet rotunda Ecclesia figura, vili quamuis pictura, sic depicta declaratur; area nec non in eius medietate collocata rota formula hac descriptiuncula demonstratur subiecta.

Sed & hoc sancti Arnulphi didicimus relatione, quòd in eadem rotunda Ecclesia ad consuetum octo suprà memoratarum noctu intrinsecus refulgentium lucernarum numerum, propè innumerabiles in nocte festiua Dominica alia adyci soleant lampades; quarum terribili & admirabili coruscatione per vitreas fenestrarum valuas abundanter effusa, mons Olineti non solùm illuminari, sed etiam ardere totus videtur, totaq; ciuitas illustrari in humiliore vicino sita loco. Hucusque Adamnanus.

Eadem compilauit Beda cap. 7. quibus consona breuiter scripsit Sanctimonialis consanguinea S. VVillibaldi in huius Hodœporico, additque, *in Ecclesia duas stare columnas contra parietem Aquilonis, & contra parietem Meridionalis plaga. Illa sunt ibi in memoriam & signum duorum virorum, qui dixerunt, Viri Galilæi quid statis aspicientes in calum? Et ille homo, qui ibi potest inter parietem & columnas repere, liber est à peccatis suis.* Hæc ibi. Et Auctor vitæ eiusdem S. VVillibaldi addit, pauimenti locum ipsum operiri non potuisse: *Hodie etiam*, inquit de his agens, *Dominicorum vestigia pedum euidentissimè demonstrant, & quasi sentiens se ex hac pedum impressione omni artificioso ornatu incomparabiliter pretiosiorem, nec pauimento sterni, nec tecto patitur operiri.*

Dua columna & memoria in Ecclesia Ascensionis.

Pauimentum impolitum experimentum respuit.

Ex dictis tria singulariter apparent: in primis, nedum vsque ad tempora S. Arnulphi, Adamnani, & Bedæ, sed etiam postea vsque ad annum Domini 740. circa quem S. VVillibaldus assumpsit Ierosolymorum peregrinationem, non fuisse ædificatum sacellum Dominicæ Ascensionis quod nunc est; quoniam hoc non patulum, sed opertum est. Secundò, Angelos, qui apparuerunt in vestibus albis Apostolis in die Ascensionis, non apparuisse in loco illo distito ab isto Ascensionis, qui *Viri Galilæi* appellatur, de quo posteà, sed in hoc ipso vbi Christus ascendit in cælum: in quorum memoriam duæ columnæ erectæ fuerunt; quæ tamen, sicut nec alia relata, in præsentia haud sunt, vt posteà referemus. Ac tertiò denique, ex dictis antiquitas Indulgentiæ huius sanctissimi loci colligitur.

Tria corollaria.

Sancti loci Indulgentia antiquitas.

Ecclesiam, cuius meminerunt prædicti Auctores in loco Dominicæ Ascensionis ædificatam, in memoriam diuinorum prodigiorum eo ipso in loco operatorum, vt tenaciùs hærerent memoriæ hominum, ædificasse Helenam, Maximi Constantini piissimam matrem, docet Eusebius lib. 3. de Vita Constantini cap. 42. vbi, postquam egisset de aduentu Helenæ Ierosolymam, sanctorum locorum veneratione, & ædificatione templi in loco Natiuitatis Domini, statim de ædificatione templi in loco Ascensionis sequentia subintulit verba: *Rursus eius mater*, Constantini, *quò omnium nostri Seruatoris in celos Ascensionis memoriam celebraret, excelsa quadam edificia in monte Oliuarum extruere parat: ac primùm in summo totius montis vertice sanctuarium Ecclesia Dei erexit, templumq; inferiùs etiam exædificauit in eo ipso antro, &c.* Ita Eusebius.

Ecclesia Ascensionis à Constantino ædificata.

CAPVT VIII.

Obseruata nostris temporibus circa locum Dominicæ Ascensionis; & quomodo dicta capite præcedenti accipi possint.

COllectis ex diuersis Scriptoribus de sacratissimo loco Ascensionis Domini, & à nobis in medium productis superiùs, placet in præsentia subijcere quæ nos ipsi ibidem existentes adnotauimus, ad maiorem sanctissimi loci elucidationem, vt tertio

Digitized by Google

tio loco ſuperiùs propoſuimus; & ad quatuor Notabilia reuocabimus.

Difficultas. Chriſti veſtigia in rupe an in puluere impreſſa.

PRIMVM NOTANDVM ſit, difficultatis explicatio. Cùm S. Hieronymus & alij veteres Patres dicant, Chriſtum in ſua admirabili Aſcenſione reliquiſſe in puluere, ſeu terra impreſſa ſuorum pedum veſtigia, quid puluerís & terræ nomine intelligere voluerunt? num puluerem & terram propriè, an ex his congeſtam rupem & lapidem? Ratio difficultatis eſt; quia recentiores oculati Scriptores cum ſenſu & experientia docent, ſacra illa Domini veſtigia relicta fuiſſe in lapide vel rupe.

Antiquiores, in puluere, recentiores, in rupe.

Lorinus in cap. 1. Act. Apoſt. putat veteres audiendos eſſe, qui nil de lapide, ſed tantùm de terra, ſeu puluere terræ mentionem fecerunt.

Conciliantur à Gretſero

Gretſerus in Prolegom. ad libellum Adamnani & Bedæ de Locis ſanctis cap. 8. arbitratur, iuniores cum antiquis conciliari poſſe; & dupliciter, Primò dicendo, non tantùm terræ ſeu arenæ ſuperiectæ, ſed etiam ſaxo ſubiecto veſtigia pedum Domini impreſſa fuiſſe; & de prioribus antiquos, de poſterioribus poſteriores loqui: neque enim tam conſtans Heroſolymitanorum peregrinorum de veſtigiis lapidi impreſſis perſuaſio ex nihilo fluxiſſe videtur.

Secundò reſpondet, veſtigia lapidi inciſa, fuiſſe tantùm imitamenta quædam & delineamenta verorum Chriſti veſtigiorum, deſumpta ex his tamquam ex prototypis; ſucceſſu autem temporis pro veris & primigeniis veſtigiis haberi vulgò cœpta, quemadmodum in id genus aliis pietatis argumentis ſæpiùs euenisſe, non ſemel in opere de S. Cruce monuimus, idque nullo religionis detrimento, niſi cauillatorum & calumniatorum iudicio. Hæc ille.

Conciliationis confutatio.

Recentiores cum antiquioribus conciliandos eſſe, placet cum P. Gretſero, ſed non item modus conciliandi. Ratio eſt; quia veteres Patres de illis veſtigiis loquuntur tamquam de magno miraculo, & vt magni miraculi teſtimonium habentur, oſtenduntur, & conſeruantur. Et quodnam, quæſo, miraculum, ſi aſcendens Chriſtus in cælum, in puluere mollive terra ſuorum pedum reliquiſſet impreſſa veſtigia? & quodnam portentum retuliſſent ſancti Patres, & antiquitas poſteris oſtentaſſet?

Dicet fortaſſe quiſpiam, miraculum in eo ſingulariter conſtitiſſe, quòd, pedibus equorum calcata, vel ex eiſdem puluere ablato, nihilominùs, Deo mirabiliter præſeruante, in ſuo eſſe perpetuò & incorruptè perſeuerauerint.

Fateor in eo conſiſtere miraculum, & ita eſſe potuiſſe. Sed enim ita dicendo, non attingimus mentem Doctorum, qui tamquam diſtincta miracula retulerunt impreſſionem veſtigiorum, & eorumdem conſeruationem. Adhæc, ſi tantùm in conſeruatione agnoſceretur miraculum, tunc oporteret dare perpetuum miraculum; ſed hoc non admittunt Theologi, neceſſitate præſertim non exiſtente, quæ in caſu noſtro non eſt. Sed quidquid ſit de hoc, euentus & ſenſus refragantur: nam alterum veſtigium ablatum fuit, alterum, quod remanſit, multum demolitum eſt. Quare dicendum, miraculum factum fuiſſe in illorum efformatione à tenera pedum Saluatoris carne in dura rupe montis, vt omnes fatentur; & deinceps per aliquod tempus fortè miraculosè, & per multò longius ſine miraculo conſeruata fuiſſe; quemadmodum cæcus illuminatus, miraculosè viſum recipit, & poſteà ſine miraculo videt.

Reſponſio ad Gretſerum.

Nec dicendum, fuiſſe primò illa in puluere impreſſa, poſteà marmore ſiue rupe tecta, tum propter dicta; tum quia hoc eſt voluntariè dictum contra communem receptam traditionem, quæ docet, illa veſtigia eſſe illamet, quæ Dominus Ieſus aſcendens ad Patrem ſuum ibi in rupe mirabiliter reliquit. Tum denique; quia ſi illud accidiſſet, eſſet dolatum & politum marmor, cùm tantùm ſit impolita rupes, vt fuit à natura producta, vt indicauit ſanctus Paulinus & VVillibaldus Capite præcedenti relatus. Credo tamen, ne ab exercitu Romanorum vel ab aliis infidelibus effringerentur, ad conſolationem fidelium, & monumentum Dominicæ Aſcenſionis, fuiſſe vel miraculosè à Deo, vel abſque miraculo à fidelibus, diligentia adhibita, per tempus aliquod integra conſeruata.

Alius conciliandi modus.

Ad propoſitam difficultatem dicerem probabiliter, S. Hieronymum & alios veteres Patres, puluerís & terræ nomine non propriè mollem terram & puluerem, ſed generico vocabulo ſpeciem terræ, id eſt, rupem intellexiſſe; tum quia plurimum terræ participat, & aliud eſſe non videtur quàm conſtricta & conſtipata terra; tum quia ad inſtar mollis terræ ac tenuiſſimi puluerís ſe habuit in recipiendo veſtigia pedum Saluatoris. Sed recentes auctores, ad magis exprimendum miraculum, planum illud, quod in ſe recepit veneranda veſtigia, rupem vel lapidem appellarunt. Vnicum inter multos audi Brocardum, qui Part. 1. cap. 7. inquit, *Lapidem illum, qui Domini continebat impreſſa veſtigia, Chriſtianæ fidei hoſtium inuidia inde ſublatum, in porta Orientali eius Eccleſiæ ab ea clauſa poſitum eſſe.* Aduerte hic, Brocardum nomine lapidis non intellexiſſe totam rupem,

Brocardus explicatur.

rupem, in qua duo fuerunt impreſſa veſtigia, ſed partem illius, in qua alterum dumtaxat erat impreſſum: nam altera pars, alterius veſtigij forma exornata, in eodem loco relicta fuit; & in præſentia inuiſitur, & veneratione habetur.

SECVNDVM NOTANDVM ſit, circa illud quod citati Auctores teſtantur, ex ea parte, qua Chriſtus aſcendit in cælum, non potuiſſe fieri operimentum vel cameram, non eſſe dubitandum; cùm illorum aliqui propriis oculis viderint, alij ex oculatis & fide dignis teſtibus retulerint; omnes graues, & veritatis æmulatores: & tunc temporis, eorumque tempeſtate ita eſſe debuit, ſicut & illud quod de luminibus refert Beda cum Adamnano.

Antè vtata miracula in præſentia non cernuntur.

Verùm talia non cernuntur in præſentia, ſed quæ ſubiicimus. Extructa fuit apud ſanctiſſimum locum magna Eccleſia, & intra ipſam ſacellum: Eccleſia tum vetuſtate tum odio infidelium omni decore ſpoliata eſt, imò pro maiori parte demolita; & tantùm parietes partis interioris cum aliquibus baſibus columnarum & fundamentis remanſerunt, ex quibus non obſcurè, qualis eius magnificentia fuerit, dignoſcitur. Octogenę erat figuræ eius circuitus circa ipſam; & interiùs porticus erat, quæ ordine vno columnarum ſuſtentabatur. Intra eſt ſacellum, vbi eſt veſtigium pedis Domini; & à porticu, ſiue columnis, vſque ad illud cælum patens erat. Sacellum integrum eſt, rotundum, & totum cameratum; intra quod olim erant veſtigia pedum Saluatoris, quæ in rupe impreſſa reliquit quando aſcendit ad cælos; quorum alterum, dextrum nempe, ablatum fuit, alterum verò, ſiniſtrum nempe, remanſit: & hoc non eſt omnino in medio ſacelli, ſed potiùs in eius latere dextro, prope oſtium, quod Occidentale eſt, ſanctam Ciuitatem reſpiciens. Sacellum totum (rupe excepta, vbi eſt veſtigium pedis Saluatoris) ex dolatis quadratis lapidibus ſtratum eſt & ex ſimilibus conſtructum; circumcircà feneſtras habebat, quæ nunc clauſæ manent, ſicut & alterum oſtium, quod erat ad Orientem, obſtructum eſt. Nullum in eo eſt altare, vel altaris ſignum; in maiori verò Eccleſia altaria ſunt. Prope veſtigium Dominici pedis in plaga Meridionali eſt fornix, quem fecerunt vel elegerunt Turcæ ad orandum. Rupes venerandi veſtigij ex tribus lateribus paucis antè annis fuit marmore circumdata, ad maiorem venerationem. Eſt ille locus, quem, numquam potuiſſe concamerari, ait Paulinus cum aliis. Sacellum exteriùs affabrè erat marmoribus & columnellis exornatum. Anno Domini 1617. Guberna-

Præſens ſtatus loci Aſcenſionis.

Dextrum pedis veſtigium ablatum, ſiniſtrum relictum.

tor ſanctæ Ciuitatis reſtaurari deforis huius ſacelli fornicem ſeu cameram, calceque incruſtari, ac totum maioris Eccleſiæ pauimentum expurgari iuſſit: tunc in eius plaga Meridionali inuenta fuit ciſterna. Si, ob deuotionem quam habebat ad ſanctum locum, id ſe feciſſe dixit, eius deuotio magnæ pecuniarum ſummę à Chriſtianis exigendę occaſio fuit. Ex his apparet, ſacellum conſtructum in loco vbi Chriſtus aſcendit in cælum, non patulum & apertum nunc eſſe, ſed opertum & cameratum.

Sacellum cameratũ.

TERTIVM NOTANDVM eſt, circa illud quod dictum fuit de puluere ex illa pedis effigie vel terra abraſo, id eſt, de particulis ab ea abraſis, formam pedis non demolitam, ſed in priſtino ſtatu permanere. Hoc quidem miraculum potuit antiquitus fieri; nam & ſimilia alias alibi facta fuiſſe, tradunt probati Scriptores. Gregorius Turonenſis lib. 1. Miracul. cap. 24. vt refertur Tom. 7. Biblioth. ſanct. Patr. de certis Hiſpaniæ fontibus ſcribit, hauſta ex ipſis aqua eos non deficere. Simile dixit cap. 7. de ſentibus coronæ Domini, & terra Dominici Sepulchri. Lege etiam eumdem lib. 1. Hiſt. Francorum cap. 10.

Quæ ſuffragentur dictis de incorrupto veſtigio.

Sed iucundum magis, atque vtilius, & non minùs ad propoſitum arbitror hîc ſcribere, quæ de ſanctiſſimę Crucis mirabili multiplicitate & virtute, ac ſi in ſe vegetabilem vim haberet, ita vt in dies augeatur, diminuatur, & quaſi pullulando conſeruetur, dixerunt ſanctiſſimi Antiſtites Cyrillus Ieroſolymitanus & Paulinus. Cyrillus Catech. 10. hæc habet: *Lignum crucis teſtatur ad hodiernum diem apud nos apparens, & apud eos, qui, ſecundùm fidem, ex illo capientes, hinc vniuerſum orbem ferè compleuerunt.* Hæc Cyrillus.

Crux Domini vegetabilem habet virtutem.

Paulinus verò Epiſt. 11. ad Seuerum ſequentia de eadem ſancta Cruce notauit: *Quæ quidem Crux in materia inſenſata vim viuam tenens, ita ex illo tempore innumeris pænè quotidie hominum votis lignum ſuum commodat, vt detrimenta non ſentiat, & quaſi intacta permaneat, quotidie diuidua ſumentibus, & ſemper tota venerantibus; ſed iſtam imputribilem virtutem & indetribilem ſoliditatem de illius profectò carnis ſanguine bibit, quæ paſſa mortem, non vidit corruptionem.* Hucuſque fuere Paulini verba.

Sed & alio miraculo S. Crucis comprobo ſimile adductum de veſtigiis Saluatoris: Illa flammis obiecta reſiſtit, & incombuſta permanet; in magnã foueam proiecta, lapidibus & ſordibus ſuperimpoſitis, etſi multo tempore hiſce operta, non tamen carie vel putredine conſumpta fuit, ſed mira virtute conſeruata. Similiter iſta veſtigia, etſi

pedibus equorum Romani exercitus conculcata fuerint, integra tamen & illæsa diuina virtute permanserunt; & adhuc memoria conseruatur, etsi in Christi hostium potestate. Et hæc quidem sunt mirabilia quæ fecit Dominus super terram.

Indiscreta aliquorum fidelium pietas.

In præsentia tamen hoc omnino non apparet miraculum: nam & dextrum pedis vestigium totum ablatum est; quod verò remansit sinistrum, multum, vt antè attigimus, consumptum, propter non dicam fidelium pietatem, sed impietatem potiùs eorum, qui locum hunc venerantes, particulas illius raserúnt: quare non modicum sustinuit detrimentum, quod admodum displicet; videntur enim isti indiscreta deuotione velle delere tanti miraculi memoriam, quod Saluator conseruari voluit, nedum in tabulis cordis carnalibus hominum, sed etiam lapideis sacri Oliueti montis: quod non fecerunt sapientissimi piissimique viri, qui antiquitus loca sancta venerati fuere, magis Dei cultum æstimantes, & consolationem posterorum magis respicientes quàm propriam; ideoq; reliquerunt, vt omnes in illis spiritualiter oblectarentur, quod multi ex posterioribus non fecerunt.

Miracula facta quando necessaria erant, & homines merebantur.

Miracula illa ex Patribus commemorata, facta fuerunt illorum temporibus, & posteà etiam, quoad fuerunt necessaria, & pietas fidelium illa promerebatur; sed fide præsertim Ascensionis Domini stabilita ac vbique diffusa, quæ vt miraculis, velut adminiculis, fulciatur, non indiget, cessauerunt, ob refrigescentem fidelium charitatem & pietatem, ne dicam fidem: ex ipsis enim plures ac præstantes, loca sancta, vt contemptibilia, nihili faciunt; quod, vt experientia omnibus manifestum, amplius non explico. Atque meritò qui priùs Sanctus cum sanctis erat, miraculaque faciebat, eadem cum peruersis prætermittat, atque peruersus appareat, impleaturque quod
Sap. 11,17. à Sapiente dictum fuit: *Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur.* Quare dicta à Patribus & Doctoribus de Ecclesia Dominicæ Ascensionis, intelligenda sunt antiquitus
Præsens Ecclesia non est illa vetus. euenisse, & non modò; & de illa Ecclesia, quam Helena ædificauit, dicta, non de ista, cuius sacellum, vt diximus, totum est concameratum, capienda sunt; hancque illam esse credo, quam Modestus, Ierosolymorum Episcopus, à fundamentis exædificauit, altera à Persis destructa, vt dicetur Lib. v. Cap. v. 1. Peregrinat.

Diuinam toto corde deprecor Maiestatem, ne deteriora permittat, vt nostra demerentur peccata; propitius sit populo suo, quem redemit Sanguine suo, & hereditatem suam non derelinquat; illuminet mentes fidelium, vt quanti momenti sint loca sancta intelligant, & intellecta affectu & effectu compleant.

QVARTVM denique NOTANDVM sit, Dominici pedis vestigium ibi relictum, & à fidelibus veneration habitum, esse sinistri pedis, eiusque digitos plagam Aquilonarem respicere, aliquantulùm vergendo ad Occidentem: vnde ex hoc colligimus, Dominum nostrum versa ad Aquilonem facie ad cælos ascendisse, Ierosolyma à læua parte relicta; atq; ex hoc apparet, quid dicendũ ad id quod anteà quarto loco proposuimus.

Quare, si ego in horum obseruatione non sum deceptus, certè allucinatus est Fr. Anselmus Minorita, dum in sua Terræ sanctæ descriptione dixit esse vestigium dextri pedis, & Meridiem respiciens: *In loco Ascensionis Christi*, inquit, *est modò Ecclesia rotunda satis lata, quam Helena construxerat, sed iam media pars eiusdem Ecclesiæ corruit. In medio huius Ecclesiæ est capella parua rotunda, in cuius medio (in medio, quia intra capellam, & non longè à medio) est lapis quadratus, de quo Dominus Iesus in cælum ascendit videntibus discipulis, & in illo lapide reliquit vestigium dextri pedis, quod vsque in hodiernum diem permanet; vestigium autem illius dextri pedis cum digitis est versus Meridiem*, &c.

CAPVT IX.

Argumentum contra posteriùs dicta Capite præcedenti; & vbi positum fuerit dextrum vestigium Dominici pedis.

ABsoluamus nunc quod suprà Cap. vi. pro maiori elucidatione huius sacri loci Dominicæ Ascensionis proposuimus.

Saluatorem nostrum ascendisse ad cælos non versa ad Aquilonem facie, alij probant; ex eo quòd credant Occidentem respexisse, sicut & in cruce eamdem plagam ante oculos suos habuit; & ex Sedulio lib. 4. hisce verbis deducunt:

Quatuor inde plagas quadrati colligit orbis.

Ioannes Molanus de Historia sacrarum Imaginum lib. 4. cap. 4. postquam dixit, Christum in cruce vertisse dorsum Ierosolymæ, & faciem ad Occidentem, de eiusdem positione, quando ascendit in cælum, subiungit: *Quali positione etiam ascendit, oculos suos ad Occidentem vertens & super Romanam Ecclesiam in Occidente positam: ad quam Petrum & Paulum, præcipuos Apostolos, erat missurus; & vbi pactum cum Petro initum erat custoditurus, quod Ioannes Hesselius & Petrus Montanus, Dominica Passionis interpretes inculcant.* Et con-

consequenter Aquilonem ad dexteram habuit, & ad lævam Austrum; quod est contrarium dictis à nobis superiùs.

Argumentum, quòd ad Orientem.

Alij efficaciùs ex Scriptura sacra idem se probare arbitrantur; quæ neque ad Aquilonem neque ad Occidentem conuersum, sed ad Orientem ascendisse Dominũ, clarè indicare videtur. Psal. 67,34. loquens Dauid de Christi gloriosa Ascensione ait: *Ascendit super cælum cæli ad Orientem.* Deinde ad eumdem sensum adducunt alij verba illa Ezechielis 11, 23. *Ascendit gloria Domini de medio ciuitatis, stetitq; super montem, qui est ad Orientem vrbis.* item illa Zachariæ c. 14,4. *Stabunt pedes eius in die illa super montem Oliuarum, qui est contra Ierusalem ad Orientem.*

Responsio ad primum.

Respondeo ad primos Auctores dicendo, ideò illos dixisse Christum versũ ad Occidentem facie ad cælos ascendisse; quia, vt diximus, ascendendo parum ad Orientem se inclinauit, à læua Ieroſolymam relinquens.

Ad secundum.

Ad secundos verò, suppositio, illas auctoritates Scripturæ intelligi debere de Christi Ascensione, & eius loco; Respondeo, tantùm ostendere Christum ascendisse in cælum ex monte Oliueti, qui respicit Ieruſalem ad Orientem; sed, quorsum faciem verterit, non explicant. Et ita manifestè appareret, in sententiis Ezechielis & Zachariæ, quæ habent, in monte, qui est ad Orientem, Dominum ascendisse, alteram Dauidis explicari. Verè enim Dominus ascendit super cælum cæli ad Orientem Ieruſalem, sed versa ad Aquilonem facie. Ex his apparet quomodo conciliandi sint Doctores, qui aliter dicere videntur.

Doctorum conciliatio.

De loco alterius vestigij opiniones.

Diximus iam, in sacello Dominicæ Ascensionis vnicum dumtaxat esse vestigium pedum Domini; sed vbi fuit alterum positum, quando inde ablatum fuit? Brocardus, Capite præcedenti relatus, dicit, positum fuisse in pariete muri Orientalis Ecclesiæ Ascensionis; verùm in præsentia non videtur: & quomodo id accidere potuerit nescio. Si enim illud abstulerunt infideles in odium Christianorũ, quare non similiter & alterum? vel si non abiecerunt, vel disperserunt, &, vt venerationi haberent, abstulerunt, quare non potiùs in aliqua ipsorum Mesquita posuerunt?

Gretserus in Prolegom. ad Adamnanum cap. 8. inquit: Nisi admodum fallor, legi in aliquo Anglicano Historico, siue is Matthæus Parisiensis, siueque alius est, lapidem, cui pedis Christi vestigium erat impressum, in Angliam peruenisse.

Alij dicunt, inter quos est Bonifacius lib. 1. De perenni cultu Terræ sanctæ, & illustrissimus Princeps Radziuilius in suo Hodœporico, positum fuisse in maiori Mesquita Turcarũ Ieroſolymis, quæ templũ Salomonis appellatur. Ego id ita esse ab ipsismet Turcis accepi, qui mihi affirmarunt, ipsum in veneratione haberi, & nonnullis ornamentis circumdatum esse. Vnus ex istis anteà Christianus exemplar illius in terra siue luto impressum ad me detulit, quod perfectiùs refert plantam pedis quàm alterum Oliueti vestigium, adeò vt meliùs illud conseruent Turcæ, quàm hoc Christiani. Radzio. Epist. 2. pag. 74.

Quæ si vera sunt, non item quod addiderunt aliqui probabiliter apud Radziuilium, ascendentem Dominum, sinistri tantùm pedis vestigium pro signo in terris reliquisse, dextro iam eleuato ad ascendendum. *Alij refelluntur.*

CAPVT X.

Rationes aliquæ ascensus Domini ex monte Oliueti versa ad Aquilonem facie; & pauca alia ad sacrum montem spectantia.

ESt apud omnes in confesso, nedum Christi actiones, sed etiam earumdem actionum circumstantias eximiis & salutaribus mysteriis esse refertas; quare dubitandum non erit, mysteria non latere in positione vel prospectu Christi ascendentis in cælum: quorum aliqua reseranda sunt. Dicentes, Christum ascendentem respexisse Orientem; relicta Ieroſolyma à tergo, fortasse hoc excogitauerunt mysteriũ: Quòd quemadmodum accedente Filio Dei ad Iudæos per Incarnationis sacramentum, vt illos per fidem & gratiam illuminaret, ad viam veritatis perduceret, & ex diaboli seruis faceret Dei filios; sed socordes & perfidi noluerunt illum recipere, vero lumini oculos claudentes; & vt per Ieremiam Prophetam de ipsis conquestus Dominus dixit, *Verterunt ad me tergum, & non faciem*: ita idem Saluator mundum hunc sua corporea visibili præsentia relinquens, ascendit versa ad Orientem facie, & à Ieruſalem auersa, typo Synagogæ & Iudæorum; vt ex hoc intelligerent omnes, ab eis veri luminis & misericordiæ lumen auertisse, relictoſque esse in tenebris erroris & infidelitatis vſque ad sæculi consummationem, illuminatis interim Gentilibus & Occidentalibus. *Christus auertit à Iudais oculos, quia ipsi ei tergà verterunt.* Iere. 2,27. & c. 32,33.

Vt enim Sol, relicto Oriente, ac facie ad Occasum conuersa, Orientales in tenebris relinquit, & Occidentales suo fulgore illuminat; ita Christus, verus iustitiæ & totius veri luminis Sol & origo, auertens faciem suam *Ad Occidentales oculos convertit.*

ſuam à Iudæis, anteà illius beneficio illúminatis, & ad contrarios Gentiles, qui ſedebant in ignorantiæ tenebris & vmbra mortis, conuerſa, illos reliquit in tenebris erroris & ignorantiæ cæcitate, & iſtos vera & fulgida Euangelij luce gratiaque cæleſti illuſtrauit, adimpleṇs illud quod priùs fuerat vaticinatus Ioannis 9, 39. *In iudicium ego in hunc mundum veni, vt qui non vident videant, & qui vident cæci fiant.* Quia verè poſt Chriſti Domini gloriоſam aſcenſionem cæci facti ſunt priùs videntes Iudæi veræ doctrinæ lumen, quo illuminati ſunt anteà non videntes Gentiles. Vera & appoſita conſideratio.

Sed, ni fallor, non minus myſterium deliteſcit in ſuæ faciei conuerſione ad Aquilonem, parum ad Occidentem vergentis: quod ex triplici capite conſidero, primò, ex eo quòd ipſum Chriſtum reſpicit; ſecundò, quòd Hebræos; Tertiò, quòd fideles & ſanctam Catholicam Eccleſiam concernit.

Ad Aquilonem aſcendit Chriſtus, quia ibi ſedem ſuam collocaturus erat.

Et primò, myſterium Chriſtum Dominum reſpiciens ſit huiuſmodi: Illa poſitione indicauit, ſuam eligere poſſeſſionem, atque ſuam collocaturum ſedem in lateribus Aquilonis iure ſibi debitis, Spiritu ſancto dicente: *Latera Aquilonis ciuitas Regis magni*, Pſal. 47, 3. quandoquidem ipſo ſolo aſpectu rei acquiritur poſſeſſio, vt primo Libro notaui. Igitur ſic dicamus: Ad illam partem ſe debuit vertere Chriſtus ad cælos aſcendens, quam ſibi elegit, in quaque ſolium ſuum collocare ſtatuit; quemadmodum & Ieroſolymam aſcendens, vbi per paſſionem ſolium crucis ſtatuere volebat, eam aſpiciebat, vt apud Euangeliſtam Marcum videre eſt: ſed ſolium ſuum collocare ſtatuit in Aquilonis lateribus, vbi ſuperbus Lucifer ſedem ſuam ponere voluerat, ipſo apud Prophetam dicente: *In cælum aſcendam, ſedebo in lateribus Aquilonis*, Iſaiæ 14, 13. Congruum igitur fuit, vt aſcendens in cælum Rex noſter, ad Aquilonem oculos ſuos conuerteret.

Quia Iudæi reprobandi erant, & in læua habendi:

Secundò, myſterium reſpiciens Iudæos primò poteſt aſſignari illorum reprobatio. quod ſic explico: Filius Dei venit in hunc mundum tamquam paſtor ad oues quæ perierunt domus Iſraël, vt eas ab infernalis lupi faucibus eriperet, à ſeruitutis iugo liberaret, collocaretque ad dextram ſuam in excelſis; ſed ipſi, diuino lumini ingrati, repulerunt & extinxerunt, quare diuinam auerſionem & æternam damnationem ſibi promeruerunt: & hanc voluit prænuntiare Dominus in modo ſuæ Aſcenſionis, ſe inquam auerſurum in perpetuum faciem ſuam ab eis; & in extremo iudicio, non cum electis filiis ſecundiſque ouibus ad dexteram ſuam collocaturum; ſed cum hoſtibus laſciuientibus & fœtentibus hœdis ad ſiniſtram relicturum, æterno igne cum tartareis ſpiritibus cruciandos. Et hoc facilè quiuis intelliget, ſi aduertat, quòd quemadmodum mons Oliueti eſt ad Orientalem plagam Ieruſalem, ita Ieruſalem eſſe ad Occidentalem montis Oliueti; &, peculiarem Oliueti locum, ex quo Dominus aſcendit in cælum, eſſe ſupra Ieruſalem, eamque habere in ſiniſtro latere. Itaque cùm, vt diximus, in Ieroſolyma ſit Iudaicus populus repræſentatus, conſequens eſt, vt dicamus, vt reprobatum relinqui à læua Chriſti Domini.

Qui poſſunt Chriſti beneficio ad eumdem conuerti.

Secundò, alia via incedendo, dicamus, Iudæos in præſenti vita habere Chriſtum à latere, vt intelligamus ipſos poſſe ex eius læua ad eumdem conuerti, & eius cognitionem adipiſci, ne in altera faciem ſuam ab eiſdem in perpetuum auertat, ſed dextera in æterna gloria amplexetur; ſecundùm illud Cant. 2, 6. *Læua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.*

Reſpexit Galilæam, vbi beneficia acceperat.

Adde myſterium, quod Chriſtum & Galilæos ſingulariter reſpicit, Dominum videlicet ſemper eos peculiari affectu reſpexiſſe. Quamdiu apud nos vixit humani generis Reparator, viſus eſt peculiari dilectione Galilæam proſecutus fuiſſe: in ea quippe concipi & educari voluit, ex Galilæa Apoſtolos elegit; mulieres, quæ illi miniſtrabant de facultatibus ſuis, illumque ſequebantur viuentem, & vſque ad ſepulturam comitatæ fuerunt, è Galilæa erant. Galilæa erat illi velut aſylum & locus refugij, in qua manebat, cùm à Iudæa recedebat; quoniam ibi volebant eum Iudæi interficere. Et denique, poſt ſuam Reſurrectionem, in Galilæa pluries ſuis diſcipulis & fidelibus apparuit. Quæ omnia indicant, ipſam quadam ſpeciali dilectione fuiſſe proſecutum. Ideò aſcendens Chriſtus in cælum, noluit illi terga vertere, vel auertere faciem; ſed in eam ſuos pijſſimos oculos conijcere voluit, & faciem ſuam decoram ad eamdem conuertere, eleuatiſque manibus benedicere. Et hæc feciſſe arbitramur, dum ad Aquilonem verſa facie & eleuatis manibus aſcendit ad cælos ex Oliuarum monte Ieſus Chriſtus: etenim Galilæa eſt in plaga Aquilonari ſacri huius montis, ex quo Chriſtus aſcendit ad Patrem.

Indicauit, ſe noſtrum aduocatum futurum.

Tertiò, myſterium quod fideles & ſanctam Catholicam reſpicit Eccleſiam ſit, vt ea poſitione intelligeremus, ipſum noſtrum futurum aduocatum apud Patrem ſuum & ſecurum ſubſidium in die tribulationis,

Digitized by Google

lationis, quemadmodum postea conceptis verbis dixit eius discipulus Ioannes. Omne malum venit ab Aquilone, vt sub metaphora oleæ accensæ intellexit Ieremias, & Dominus apertissimis verbis declarauit, dicens: *Ab Aquilone pandetur omne malum super omnes habitatores terræ*, Ierem. 1, 14. Vt contra malum igitur bonum illud propelleret, qui est per essentiam bonus Iesus Christus, contra Aquilonem ascendit. In huius rei figuram legimus, templum Domini, Christi Domini typum, statuendum ad Aquilonem.

Ecclesia sedem in Gentibus collocandam.

Ad hæc (& singulare arbitror mysterium) significauit Regni sui thronum singulariter in Gentibus & Romana vrbe collocaturum, reprobata Synagoga, in qua olim Dominus habitabat, & Iudæis derelictis, quos vt filios enutrierat & exaltauerat, quia ipsi illum spreuerunt, & vt Patrem non cognouerunt. Modò qui dominatur à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum, eiectus à Synagoga, non erit absque sede vagus & profugus super terram; & qui alios parere facit, sterilis ipse non erit; sed, filiis multiplicatis, Regnum sibi stabiliet. Et vbi quæso? In Catholica Ecclesia, in vrbe Roma, in Gentibus. *Ab ortu solis vsque ad occasum magnum est nomen meum in Gentibus*, dixit ipsemet Dominus per Malachiam. Et hoc in modo, quo Christus ex Oliueti monte ascendit ad cælos, quantum video, arbitror indicatum. Oliuarum siquidem mons Ecclesiam Gentium designat, vt docet S. Ambrosius in ea verba Lucæ cap. 21. *Cùm appropinquasset Iesus Ierosolymis*, &c. propter magnum fidei prouentum, & eximiam bonorum operum fertilitatem ex ea consecutam, vt verè dicere possit: *Ego autem sicut oliua fructifera in domo Dei*, Psalm. 51, 10. Hinc Apostoli, sanctæ Ecclesiæ satores & rectores, à suo magistro edocti, aduertentes se post suam in Iudæa prædicationem à Iudæis despectos, ne absque fructu remaneret semen verbi Dei ab illis disseminandum, sed fructum centuplum germinaret, ad illos dixerunt: *Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei; sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æterna vitæ, ecce conuertimur ad Gentes sic enim præcepit nobis Dominus*, &c. Act. 13, 46. Ad hoc plura, eaque pulchra, videre poteris apud Eusebium lib. 6. de Demonstrat. cap. 18.

Malach. 1, 11.

Et illa ascendentis Christi positione præmonstratum fuisse, nedum Christum apud Occidentales & Gentiles plantaturum Ecclesiam suam, sed singulariter collocaturum sedem in vrbe Roma, vt euentus comprobauit, subtiliter & acutè satis adnotauit ex Geographia D. Ioannes Baptista Couus, cuius alibi in Opere hoc mentionem feci. Hic in Notis ad suum conscriptum Poëma intentum sic explicat: Longitudo Ierusalem, secundùm Ptolemæum lib. 5. est grad. 66. min. 40. & latit. grad. 31. Romæ verò longitudo, secundùm eumdem lib. 2. est grad. 36. min. 40. latit. grad. 41. min. 40. Ex modica illa Christi Occidentem versus inflexione, ex vestigio illo montis Oliueti deprehensa, colligit manifestè, Christum Latium ante oculos habuisse, & Romam singulariter, Latij caput, vt testatur Liuius Decad. 1. lib. 8. respexisse. Quod priùs eleganti Epigrammate lib. 2. Triumphi Domini nostri Iesu Christi sic expressit:

Discedens, Latium spectas, vbi ponere petram
Constituis, perstet qua tua nixa domus.
Aeria in specula dum stares roboris atri,
Obtutu eiusdem fixus in orbis eras.
Ter felix Latium, miserando quod aspicis, ora
Obtutu facta est nostra beata tuo.

Breuiter ergo, dum Christus modo illo suæ glorioſæ Ascensionis sacrum Oliueti montem condecorauit, indicare voluit, Ecclesiam suam singulariter ex Gentibus congregandam, & in Occidente & vrbe Roma supra firmam petram fundandam fore.

In orbe Roma.

Sed adhuc pauca subijciamus ad sanctissimum Ascensionis Domini locum spectantia. In monte Oliueti, & probabiliter in isto particulari Ascensionis Domini loco, Antichristus, vt se Deum ostendat & Messiam, in cælum ascendere tentabit, sed spiritu oris Domini proijcietur, & miserè animam in manus dæmonum exhalabit, vt docent S. Hieronymus & Theodoretus in cap. 11. Dan. & confirmat S. Doctor illa auctoritate Isaiæ cap. 25. *Præcipitabit Dominus in monte sancto faciem dominatoris tenebrarum super omnes gentes.* Idem sanctus Thomas Comment. in 2. ad Thessal. cap. 2. & alij. Hoc ipso fortasse loco Christus, cùm ad iudicandum venerit, sedem suam collocabit, vt aliqui colligunt ex illis Angelorum verbis ad Apostolos in eodem loco existentes in Ascensione Domini: *Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cælum? hic Iesus, qui assumptus est à vobis in cælum, sic veniet*, &c. Act. 1, 11.

In Oliueto tentabit Antichristus sedem suam collocare, & ibi à Domino interficietur.

Exemplum notabile.

Non inutile & iniucundum erit hîc subijcere historiolam nobilis, pij & excellentis cuiusdam militis, cuius meminerunt Bernardinus Senensis Serm. 1. de Ascen. Pelbar. Ludol. & alij. Cùm ille, piè obitis aliis sanctis locis, ad ipsa eadem vestigia Christi, quæ, vt dixi, cernuntur, peruenis-

Digitized by Google

ICHNOGRAPHIA ECCLESIÆ ASCENSIONIS D. N. IESV CHRISTI.







1. Sacellum Ascensionis D.N. IESV CHRISTI.
2. Vestigium sinistri pedis CHRISTI Domini in saxo hâc rupe impressum.
3. Locus orationis Turcarum.
4. Porta occidentalis Sacelli aperta.
5. Porta orientalis clausa.
6. Bases columnarum magni Templi.
7. Cisterna.
8. Porta occidentalis aperta.
9. Porta orientalis clausa.

Digitized by Google

ſet, indidem, corpore animoque deficiens, præ amoris ſuauitate, & Chriſtum videndi deſiderio, euolauit in cælum vnde Chriſtus aſcenderat: cumque corpus, vt fit, exenteratum eſſet, apparuerunt in corde inſculpta verba, AMOR MEVS IESVS. Quem vtinam imitari & ſequi poſſimus; relictaque terra cælum petamus, vbi illi in æternum ſeruire poſſimus, qui ſedet ad dexteram Patris Ieſus Chriſtus Dominus noſter.

CAPVT XI.

De loco qui appellatur Viri Galilæi, ſiue Galilæa, qui ſeptimò occurrit in nona Peregrinatione.

Deſcriptio loci Viri Galilæi.

IN facti Oliuarum montis ſummitate, à dextro latere loci Aſcenſionis Domini, procedendo Aquilonem verſus, eſt quædam habitatio ad inſtar demiſſæ turris in quadam planitie, vbi nulla eſt Eccleſia, ſed locus orationis Turcarum, & circumcirca Maurorum domunculæ. Ex iſto loco, propter eius eminentiam, cælo ſereno Iordanis fluuius & mare ſaliſſimum clarè cernitur. Eſt hîc cacumen alterum montis Oliueti, quod Viri Galilæi, vel Galilæa appellatur.

Diuerſione illius nominis tres ſententiæ. Prima, quia ibi Apoſtolis dictum, Viri Galilæi, &c.

Sed quænam eſt huius nominis ratio? Reſpondeo, in ea aſſignanda non omnes conuenire. Quidam dicunt, ſic fuiſſe appellatum, ex eo quòd, exiſtentibus ibi Chriſti diſcipulis in illius Aſcenſione ſtupentibus, & in cælum aſpicientibus, apparuerint duo viri in veſtibus albis, qui eis dixerunt: *Viri Galilæi, quid ſtatis aſpicientes in cælum?* &c. Act. 1, 11.

Rejicitur.

Sed non probatur iſta ſententia: nam ex ipſomet loco Aſcenſionis reſpiciebant diſcipuli magiſtrum aſcendentem, & in eodem viri illi apparuerunt, &c. vt exploratum ſuppono, & oſtendunt quæ ſuperiùs notauimus ex Adamnano, Beda, & Hodœporico S. VVillibaldi.

Præterea, diſcipuli poſt Aſcenſionem iuerunt in Ieruſalem, vt fuerat illis à Domino imperatum, ad templum, vel Cœnaculum in Sion; ergo non per hunc locum debebant tranſire, qui extra viam eſt, & aliquantulùm diſtat à loco Aſcenſionis in eius Aquilonari plaga. Si dicatur, olim fuiſſe ex illa parte viam; eſto, ſed non videtur quòd per illam remotiorem ire debuerint, ſed per vnam ex his, per quas modò accedimus, commodiorem, quæ ducit ad templum è regione loci Aſcenſionis Occidentali, & Cœnaculum ex Meridionali.

Soarius, Epiſcopus Conimb. qui loca ſancta Ieruſalem explorauit, Marci 16. duo dicit de iſto loco & monte: alterum, partem iſtam montis Oliueti dictam eſſe Galilæam; quòd Galilæi Ieroſolymam venientes ad celebrandos feſtos dies, ibi manere ſolerent. Alterum, quòd ille ſit, de quo dicitur in Euangelio, Chriſtum præceſſurum diſcipulos ſuos in Galilæam. Non eſt accipiendum, inquit, in Galilæam prouinciam præceſſurum Chriſtum, ſed in montem qui vicinus eſt monti Oliueti. Cùm enim venitur in vallem Joſaphat, ſunt tres præeminentes montes, mons ſcilicet Oliueti in medio ceteris præeminens, mons Galilææ, & alter mons à dextris montis Oliueti. In monte Galilææ fecerunt Galilæi domum amplam ad permanendum, quando Ieruſalem negotiorum cauſa veniſſent: vnde mons dicitur Galilæa vſque in hodiernum diem. Ad hunc montem Dominus prædixit ſe præuenturum Apoſtolos. Ita ille. Et refert Barradius.

Secunda ſententia, quòd is locus Galilæa in Euangelio dicatur.

Bonifacius conuenit cum Soario in priori dicto, ſed in poſteriori diſſentit: *In via*, inquit, *illis occurrit ad dexteram locus, qui Galilæa vocatur, quo hoſpitio Galilæi recipiebantur, non, vt quidam perperàm aſſerunt, quod ſit locus ille, in quo eos præcedere Ieſus prædixit; quia ille eſt in prouincia Galilææ, in quo eos præceſſit, & viſus eſt, vt ait Apoſtolus ad Corinthios, pluſquam quingentis fratribus ſimul. Hic neque eſt Eccleſia, nec locus orationis, ſed, vt dixi, hoſpitium Galilæum.* Hæc Bonifacius.

Rejicitur.

Meritò improbatur poſterius dictum Soarij: tum quia non ſolido ſubſiſtit fundamento; tum quia communiter Doctores per Galilæam, in qua Chriſtus à mortuis excitatus præcedere voluit diſcipulos ſuos, intelligunt, non hoſpitium Galilæorum prope Ieruſalem, ſed Galilæam prouinciam: tum denique, quia repugnat textus Matthæi cap. 28, 16. qui habet: *Diſcipuli abierunt in Galilæam, in montem, vbi conſtituerat illis Ieſus*, &c. hoc eſt, abierunt in Galilæam prouinciam, & in montem eiuſdem prouinciæ, quem illis indicauerat Dominus. Nouimus ex Scriptura ſacra, Dominum apparuiſſe in Galilæa diſcipulis & aliis fidelibus, modò ad mare Tiberiadis, modò in monte Thabor, vt, de locis Galilææ & Domini apparitionibus ſuo loco agentes, oſtendemus: ſed in iſto peculiari loco montis Oliueti apparuiſſe, nuſquam legimus in Scriptura vel apud veteſtũ probatum Scriptorem: & conſequenter hic mons non eſt in Galilæa de qua in Euangelio, vbi Chriſtus diſcipulis ſuis glorioſus apparuit.

Tertia ſententia, à villa Galilæa dicta.

Alij ad extremum dicunt, locum illum appellari, Viri Galilæi, vel Galilæam, à villa quæ ibi erat Galilæa appellata; non tamen dicunt eſſe illam de qua in Euangelio, & vbi Dominus præceſſurus erat diſcipulos

by Google

ſuos. Probabilis ſententia, quam inueni in veteri manuſcripto libello locorum Terræ ſanctæ. Et vſque in hodiernum diem ibi villula eſt.

Dubij ſolutio.

Sed quare hæc villa fuit appellata Galilæa? Si melius non occurrat, dicas cum Bonifacio & aliis, quoniam erat ibi antiquitus hoſpitium Galilæorum, &c. quod fortaſſe ibi, & non in ciuitate, ſibi elegerunt, quia commodius.

CAPVT XII.

De loco in deſcenſu montis Oliueti, vbi B. Virgo Maria morti proxima dicitur ab Angelo accepiſſe palmam, quæ octauò inuiſitur in nona Peregrinatione.

REdeuntes pij peregrini & fideles Ieroſolymam ex viſitatione ſanctorum locorum montis Oliueti, ex loco Dominicæ Aſcenſionis per aliam viam, per quam non venerunt, incedentes, in deſcenſu montis, in dextra, & Aquilonari parte, eſt locus, parum diſtans à montis ſummitate, in quo, vt habet communis vetuſque in partibus iſtis recepta traditio, ſanctiſſima Deipara, cùm, poſt Filij ſui glorioſam ad cælos Aſcenſionem, rediret à viſitatione ſancti montis Oliueti ad domum in Sion, aliquando defeſſa quieuit; ibique triduo ante eius feliciſſimum tranſitum de eo ab Angelo admonita fuit, qui ei è cælo ramum viridis palmæ obtulit; quem poſt mortem ante feretrum detulit ſanctiſſimus Chriſti diſcipulus, & Deiparæ adoptiuus filius & miniſter Ioannes, ceteris Apoſtolis, & aliis ſanctis viris ac mulieribus, Angelorumque choris cum iubilo ſacrum funus ad Sepulchrum in valle Ioſaphat præparatum comitantibus: illam verò detulit dilectus Chriſti diſcipulus vel in ſignum victoriæ, quam de hoſtibus viſibilibus & inuiſibilibus obtinuit ſemper ſanctiſſima Virgo, vel certè in arrham gloriæ præeminentis, quam conſecutura erat ſupra illos quos vidit Ioannes indutos veſtibus albis & palmas in manibus geſtantes: & quòd Beatorum omnium futura eſſet primiceria & Regina.

Ante feretrum Virginis virgo Ioannes palmam detulit.

Non me latet, aliquos ſenſiſſe, hæc apocrypha eſſe; quibus reſpondemus: Si ideò ea apocrypha dicant, quòd in Scriptura ſacra non contineantur, ambabus manibus concedimus; ſi verò talia affirment, quia falſa, & ſine pietate & probabilitate aſſerta, omnino negamus.

Probabilitas traditionis.

Et in primis, hæc aſſerimus, antiqua receptaque fidelium harum partium traditione, pia veneratione ſtabilita; probatique Auctores retulerunt, Nicephorus lib. 2. capite 21. & lib. 15. cap. 14. S. Coſmas Veſtior, Damianus, quos refert Pelbartus in ſuo Stellario lib. 10. Part. 3. artic. 1. cap. 2. & nos ſuprà, cùm de locis ſacri montis Sion ageremus, aliqua de his diximus.

Notandum, Bonifacium dictis relationibus & traditionibus diſtincta aſſignare loca; alterum quietis Virginis, alterum, in quo accepit eadem Virgo palmam: ego vnius dumtaxat memini; quoniam vnius mentionem in partibus iſtis fieri inueni. Sed quidquid ſit de hoc, parum refert: potuit enim S. Deipara in frequenti viſitatione ſacri montis, in pluribus locis modicam quietem languido amoris potiùs quàm laboris corpori tribuiſſe, & in altero ex iſtis victoriæ palmam recepiſſe. De priori loco ſic ille ſcribit lib. 2. De perenni cultu Terræ ſanctæ: *Hinc deſcendentibus & aſcendentibus montem ſanctum, occurrit ille locus illuſtris ſeſſionis Virginis Mariæ. Referunt enim omnes Orientales Catholici, & nos ita credimus, quòd B. Virgo Maria à tempore Aſcenſionis Chriſti, vſque ad ſanctam dormitionem ſuam, ſapiſſimè hunc locum cum ceteris Terræ ſanctæ locis viſitabat: & dum eſſet in loco iſto ſancto, & contemplaretur Filium ſuum hinc cælos conſcendiſſe, fatigata ex itinere, hîc conquieuit*, &c.

De poſteriori verò loco ibidem poſt alia dicit: *In ingreſſu eiuſdem Eccleſiæ* (Aſcenſionis Domini) *eſt locus, ſuper quem Virgo glorioſa & Dei mater ab eo loco, de quo eumdem ſuum Filium cælos ſcandere viderat, rediens, ſedebat: venit ad eam Angelus, qui nuntiauit ei diem tranſitus eius ad Filium, cui & palmam, quam è cælo tulerat, dedit; quam Apoſtolus Ioannes ante feretrum portauit ad Sepulchrum eius in vallem Ioſaphat. Tria enim B. Virgo Maria per Angelum à Filio regnante in cælo petiit, & obtinuit. Primum, vt omnes fratres eius Apoſtoli, qui per orbem ad euangelizandum diſperſi fuerant, dormitioni intereſſent. Secundum, ne hora tranſitus ſui videret ſatanam, qui numquam partem, gratia & dono Filij ſui, in ea habuit. Tertium, vt idem Chriſtus de cælo ad domunculam montis Sion, in qua ipſa morabatur, pro deferenda anima in cælum deſcenderet.* Hactenus ille.

Tria B. Virgo à Filio ſuo petiit, & obtinuit.

Deinde adſunt probabiles congruentiæ, quibus præmiſſa ſtabiliri poſſunt. Et quòd defeſſa in illis locis quieuerit aliquando, ex eo colligitur, quia, vt indicauimus, & docent Patres & contemplatiui, B. Virgo Maria frequenter animo, & etiam corpore, ſi opportunitas aderat, luſtrabat loca ſancta, geſtis Filij ſui operibuſque noſtræ ſalu-

Sophron. Serm. de Aſſump. B. Mariæ, Odilon in quodam Sermone, & alij.

B. Virgo ſanctorum locorum viſitationi aſſidua.

Digitized by Google

ſalutis conſecrata; nilque ei dulcius ac ſuauius illorum viſitatione contingere poterat: quare nunc deſcendebat in Bethlehem, nunc aſcendebat Ieruſalem, nunc morabatur in Golgotha, nunc glorioſum Filij ſui ingrediebatur Sepulchrum, nunc Bethaniam, & montem Oliuarum, ex quo Chriſtus aſcendit in cælum, ſcandebat.

Non hîc prætenbo quod in huius veritatis confirmationem ſcribit Bonifacius lib. 3. De perenni cultu Terræ ſanctæ, loquens de ſupplicationibus in Bethlehem fieri ſolitis: *Aliæ*, inquit, *ſupplicationes ſolemnes ſunt in Bethlehem menſe Auguſti in die Dominico ante feſtum Aſſumptionis Virginis Mariæ, ad quas conueniunt ab Arabia, Hebro, Gazara, Lyda, tota Samaria, & Galilæa Chriſtiani, aſſerentes (quamquam nos quoque ex traditione antiqua habemus) teſtantur, quòd Virgo glorioſa Maria Mater Dei, antequam ſpiritum Filio redderet, has ſupplicationes cum fidelibus, qui cum ipſa erant, in die Dominico ante feſtum Aſſumptionis ſuæ ad cælum celebrauit; & locum Natiuitatis, in quo de illa ille gigas ad currendam viam noſtræ ſalutis exultans, vt radius de Sole, & ſponſus de thalamo proceſſit, vbi etiam Angelos cantare audiuit, lætari Archangelos vidit, exultare omnes iuſtos contemplata, piè deoſculata eſt. Nec non & locum, vbi puerulus Chriſtus à Magis adoratus, reclinatuſq; fuit, eumq; quem ipſa Virgo & Mater peperit, hîc adorauit, quem vbique adorabat, & pura mente colebat. In memoriam igitur tantæ pietatis, plebs ſanctæ præfatarum ciuitatum ad ſupplicationes ad primas veſpertinas preces, & Miſſam ſolemnẽ conuenit. Omnibus deuotè expletis, vnuſquiſque ad propria reuertitur.* Hactenus fuere Bonifacij verba. Igitur ſi B. Virgo Maria ſedula viſitabat loca ſancta, cùm eſſet eiuſdem naturæ ac nos ſumus; vt nos in ſimilibus neceſſariò. fatigamur, & quietem capimus, & ipſa defatigari debuit, & conſequenter quieſcere; & quid prohibet in memoratis locis?

Supplicationes ante feſtum Aſſumptionis Deiparæ in Bethlehem fieri ſolitæ.

Quod verò eidem dies tranſitus ſui ab Angelo reuelatus fuerit, pluſquam probabile eſt: ſi enim id pleriſque Sanctis fuit conceſſum, qua ratione dicemus, omnium Sanctorum Reginæ fuiſſe denegatum? & eo præſertim tempore factum fuiſſe credere debemus, quando in contemplatione & ſanctis exercitiis occupata erat. Hinc Damaſcenus in quodam Sermone de beata Virgine aſſerit, ſanctæ Deiparæ morti proximæ ab Angelo Gabriele nuntiatum fuiſſe ſuum feliciſſimum tranſitum; quo nuntio magna voluptate perfuſa fuit, ob ſpem breui videndi dilectiſſimum Filium ſuum.

Deiparæ dies tranſitus ab Angelo Gabriele reuelatus.

Ac denique, quemadmodum Virginis Filio, pridie quàm pateretur, in horto Gethſemani ad montem Oliuarum Patrem ſuum deprecanti, vt, ſi fieri poſſet, ſalua tamen illius voluntate, calix paſſionis ab eo tranſiret, apparuit Angelus Domini de cælo confortans eum, indicans, ſibi ſecundùm voluntatem Patris bibendum eſſe paſſionis & mortis calicem, cuius gratia maximè exaltandus & glorificandus erat; ita conueniens fuit, vt Angelus Domini ſanctiſſimæ Matri appareret ante mortem eius in monte Oliueti, dum Patrem cum Filio deprecabatur, illamque de feliciſſimo tranſitu, & gloria ſuper omnes Angelorum Choros ei à Domino præparata, ſuiſque bonis operibus comparata, certiorem redderet eamque omni humilitate ac reuerentia ſimili ferè modo fuiſſe allocutum contemplor: Veni Regina noſtra, veni Domina noſtra in hortum odoris ſuper omnia aromata: iam enim hiems tranſiit, imber abiit & receſſit, tempus putationis aduenit, &c. hæcque ſigno ſenſibili virentis palmæ declaraſſe. Et hæc vt pietati conſona, nec à veritate aliena, retuhmus pro indicati loci hiſtorica elucidatione.

Præter iſtum ſeſſionis Virginis locũ, vſque ad Sepulchrum eiuſdem Virginis in valle Ioſaphat, alium peculiarem fideles non venerantur. Et hæc de memorato loco & nona Peregrinatione ſatis.

PEREGRI-

Digitized by Google

PEREGRINATIO X. *& vltima, in qua recenſentur & enucleantur tredecim loca, quæ inuiſuntur vel veneratione habentur ab euntibus ex Ieruſalem Bethaniam, & redeuntibus ex Bethania ad ſanctam Ciuitatem per Bethphage.* I. *locus eſt, vbi Chriſtus maledictione areſecit ficulneam.* II. *Domus Simonis Leproſi.* III. *Caſtellum Lazari.* IV. *Sepulchrum Lazari.* V. *Bethania, caſtellum Mariæ & Marthæ.* VI. *Domus ſanctæ Mariæ Magdalenæ.* VII. *Domus S. Marthæ.* VIII. *Ciſterna ſanctæ Marthæ.* IX. *Lapis Bethaniæ.* X. *Bethphage.* XI. *Caſtellum contra vos nuncupatum.* XII. *Porta, per quam Chriſtus in die Palmarum intrauit Ieroſolymam.* XIII. *Porta, per quam eodem die ingreſſus fuit in templum triumphans.*

CAPVT PRIMVM.

De loco vbi Chriſtus maledictione arefecit ficulneam, qui primò ſe conſiderandus offert in decima Peregrinatione.

POſt ſolemnem illam & admirabilem proceſſionem, quam Dominus noſter ex Bethania per Bethphage & montem Oliueti cum diſcipulis ſuis, turbis & pueris perfecit in die Palmarum, ſex diebus ante ſuam Paſſionem, ingrediens Ieroſolymam ſedens ſuper aſinam & pullum eius; ſerò illius diei, poſtquam mirabilia plurima in templo operatus fuiſſet, incœnatus, & ieiunus, ob Iudæorum inhumanitatem & crudelitatem, pauper Ieſus rediit Bethaniam, vbi humaniter à piis viris & mulieribus hoſpitio excipiebatur.

Iudæorum inhumanitas in Ieſum.

Chriſtus eundo Ieroſolymam, ficulneam maledictione arefecit.

Manè ſequentis diei ex Bethania per aliam viam, per quam non venerat in die Palmarum, cum diſcipulis ſuis rediit Ieroſolymam: & in itinere, cùm à longè ſecus viam vidiſſet ficulneam, eſuriens acceſſit ad eam; qui cùm ſolis frondibus ornatam ſine fructibus vidiſſet; *(Non enim erat tempus ficorum,* inquit Euangeliſta: & vere, quia, vt tradunt Doctores, tunc erat menſis Niſan, qui noſtro Martio & Aprili reſpondet) maledixit ei, *& arefacta eſt continuò ficulnea:* ex cuius ſiccitate multùm mirati fuere diſcipuli. Ita docent Matthæus & Marcus.

Marc. 11, 13.

Matth. 21, 19.

Ficulnea loci deſcriptio.

Locus, in quo erat ficulnea, vt ex antiqua docemur traditione, eſt ferè in medio itineris inter Ieruſalem & Bethaniam, diſtans ab vtraque circa vnum milliare: eſt in dextera parte viæ, qua ex Ieruſalem proficiſcimur Bethaniam. Eſt is paruus ager, in quem vel fuit ingreſſus Ieſus, ſi ſecus viam non erat ficulnea, vt fuiſſe Matthæus indicat, vel à longè à Domino conſpecta, vt dicit Marcus; ſed hoc vel illud dicere, parum refert: hoc indubitatum, infructiferam cùm vidiſſet eſuriens Saluator, maledixiſſe, & arefactione maledictionis effectum indicaſſe.

Mirabile verò eſt, quod vſque in hodiernum diem ab incolis obſeruatur, cùm in iſto agello ſint octo vel decem ficulneæ, omnes tamen iniucundæ, & ferè aridæ & infructiferæ apparent, aliis vndequaque virentibus, pulchrumque aſpectum fructibus & frondibus, quibus ornantur, præbentibus; quaſi teſtimonium reddentes antiquo miraculo, & pro pluribus conſiderationibus materiam ſuggerentes.

Primi parentes ex foliis ſicus fecerunt ſibi perizomata.

Vt myſterium alterum aſſequi poſſis arefactionis ficulneæ, aduerto, maiorum relatione perlatum, ficum fuiſſe illam arborem, ex qua primi parentes, poſt peccatum, legentes folia, pudenda texerunt. Inter alios enim qui hoc teſtantur, Iſidorus Peluſiota ſcribens ad Theopompum Tribunum lib. 1. Epiſt. 51. hæc ait: *Exaruit igitur arbor, vt hominibus terrorem iniiciat: quia in hac quoque re arcanus quidam ſermo annexus eſt, à ſenibus ſapientibus ad nos graſſatus, nempe hanc tranſgreſſionis arborem eſſe, cuius etiam foliis ad corpus tegendum hi qui mandatum violarunt vſi ſunt.* Hæc Iſidorus. Vnde illius arefactione indicauit Dominus, quàm grauiter ſentiat peccatum, & illius abſconſionem ab eo, quæ ad memoriam reducebat ficulnea illa; quare vt ab huiuſcemodi nos deterreret, illam maledixit.

Ficus tranſgreſſionis arbor.

Sed curiosè forſitan quis inueſtigabit, an aliqua ex ficulneis, quæ ſunt in memorato agello, trahat originem ex illa quam maledixit & arefecit Dominus? Reſpondeo, rem incertam mihi eſſe; quia ex Scriptura non conſtat, an illius radices cum trunco aruerint: quòd ſi non, potuit aliqua ex indicatis ex illius maledictæ radice originem traxiſſe. vt enim inquit Iob 14, 7. *Lignum habet ſpem: ſi præciſum fuerit, rurſum vire-*

Dubij explicatio.

Digitized by Google

vireſcit, & rami eius pullulant: ſi ſenuerit in terra radix eius, & in puluere emortuus fuerit truncus illius, ad odorem aquæ germinabit; & faciet comam quaſi cùm primùm plantatum eſſet. Et ita potuit illi accidere ficui, ſi dumtaxat illius truncus mortuus fuit. Propter hæc non omnium eadem eſt ſententia.

Aliqui putant probabilius, nedum truncum, ſed etiam illius radices aruiſſe. ita enim Marcus ait: *Viderunt* (diſcipuli) *ficum aridam factam à radicibus*, &c. Hanc ſi ſequeremur ſententiam, diceremus, etſi ficulneæ, quæ in præſentia cernuntur in loco illius à Domino maledictæ, eiuſdem ſpeciem referant, nullam tamen à maledicta & arefacta originem trahere. Marc.11, 20.

Alij non minùs probabiliter oppoſitum docent cum D. Hieronymo, non arefactas fuiſſe radices, ſed, trunco emortuo, vixiſſe; & appoſita ratione & myſterio intentum probant. Chriſtus Dominus, vt inquit Beda Marc.11. quomodo multa in parabolis docebat, ita etiam nonnulla in parabolis facere ſolebat, ex quibus varia percipere poſſemus documenta; ita in propoſito, ſecundùm D. Hieronymum & Bedam, in ficu illa infructuoſa Dominus Iudaicum populũ infructuoſum, qui Meſſiam recipere noluit, ſed reiecit, intellexit; quemadmodum maledictione & arefactione illius, punitionem & defectum. *Ficulnea Iudæorum typus.*

Idem anteà in quadam parabola ficulneæ indicauit idem Dominus Luc. 13,7. Pater quidam familias in vinea ſua ficum plantauerat; quia verò fructum non proferebat, etſi per triennium illum quæſiſſet, ſterilem exſcindi iuſſit. Interceſſit cultor, exciſionem in annum differri impetrauit, vt interim ad fructum ferendum adhiberet remedia. Ficus hæc Iudaicum populum adumbrat, ex ſententia Ambroſij, Bedæ, Theophylacti, Euthymij, & aliorum. Ficus fuit hic populus, verborum & cærimoniarum abundans foliis, fructibus verò & virtute carens, iuxta illud Iſaiæ 29,13. & Matth.15,8. *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè eſt à me.* Quæſiuit Dominus fructum bonorum operum, fidei, pietatis, &c. ſed non inuenit, vt per Michæam Prophetam dixit aliquando idem Dominus: *Væ mihi, quia factus ſum ſicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ: non eſt botrus ad comedendum, præcoquas ficus deſideranit anima mea. Periit ſanctus de terra, & rectus in hominibus non eſt: omnes in ſanguine inſidiantur*, &c. Mich.7,1.

Factus poſteà Deus homo, non deſtitit ab huius ficulneæ cultura, ſed pro ea multùm ſudauit, præſertim tribus extremis annis vitæ ſuæ; prædicatione inquam & prodigiis quæſiuit ex myſtica iſta ficulnea veræ fidei & charitatis dignos & debitos fructus; ſed pro his, crucem & paſſionem inuenit. *Dederunt Iudæi pro fructibus crucem.*

Digna erat ficus ſterilis, quæ protinus exſcinderetur, & ignis æterni fieret pabulum; ſed diſtulit ſupplicium Paterfamilias prece Chriſti ſui quadraginta annis; præcepto interim Apoſtolis tradito, vt illam colerent doctrina & miraculis, vt alibi notauimus: ſed quia fructum ferre noluit, tandem, Romana ſecuri admota ad radices, exciſa eſt atque deiecta. Sed obſerua Patrisfamilias in hanc arborem, in gentem hanc infructuoſam, pietatem. Vt intentum myſterium explicemus; non præcepit auellere, extirpare, & funditus radices ipſas tollere, ſed ſuccidere. *Succide ergo illam*, &c. Luc.13,7. vt ex ſuperſtitibus in terra radicibus ſpem ſalutis concipiat, aliquando recepturam Meſſiam fide & operibus; nam poſtquam plenitudo gentium ingreſſa fuerit, Iſraël ſaluus fiet, vt ex Apoſtolo edocemur, & nos alibi explicuimus. Accidetque illi quod arbori quam vidit Nabuchodonoſor Rex, quæ iuſſa fuit quidem ſuccidi & diſſipari, ſed radix eius in terra dimitti; quoniam cæleſti beneficio ad priſtinum decorem reſtituenda erat: & quod myſticè fuit adumbratum in ea, & verè in Nabuchodonoſor Rege impletum, implebitur & in Iudaico populo antequam veniat dies Domini magnus. *Chriſti longanimitas.* *Non auulſa ficulnea, quia Iudæi conuertendi.* Dan.4,26.

Ad ſimile myſterium indicandum, credimus fuiſſe arefactam ficulneam, & viridem relictas radices à Chriſto.

Et quòd arefactio ficulneæ omen extiterit excidij Iudaici populi, Eccleſiaſticorum Annalium illuſtriſſimus Scriptor indicauit, & tamquam rem omnino exploratam ſuppoſuit Tom.1. ſub ann. Chriſti 60. nu.59. quemadmodum ex arefactione Romuleæ ficulneæ Romæ anno 4. Neronis, quæ prodigij loco habita fuit, vt docet Tacitus Annal.lib.13. arbitratur præmonſtratam fuiſſe abrogationem veteris ſuperſtitionis, Romanique gentilitij Imperij. *Ficulnea arefacta omen excidij Iudæorum.*

In radicibus verò virentibus præmonſtratam ſalutem finalem Iudæorum, ſi eam voluerint, hiſce explicat S. Hieronymus in cap.21. Matth. *Sic aruerunt folia, vt truncus ipſe remaneret, & fractis ramis vireret radix: qua in nouiſſimo tempore, ſi credere voluerit, virgulta fidei pullulet*, &c. & Beda in eumdẽ Matthæi locum: *Siccauerunt*, ait, *folia, & fractis ramis radix viuet, de qua in nouiſſimo tempore, ſi credere voluerint, virgulta fidei pullulent*, &c. *Radix relicta conuerſionis.*

Et ſi hanc ſequamur ſententiam, ad alterius fundamentum dicere poſſumus, diſcipu-

ſcipulos vidiſſe ficulneam arefactam à radicibus, non quidem incluſiuè, ſed excluſinè, id eſt, vſque ad radices. Et profectò diſcipuli nonniſi truncum videre potuerunt vſque ad radices; nec enim auulſerunt illam, vt viderent radices, an aridæ vel potiùs virentes eſſent: & ſi hoc verum, fieri poteſt, vt aliqua ex illis ficulneis ex radice illius maledictæ originem trahat. Adrichomius & Villalpandus in ſuis Ieroſolymæ deſcriptionibus in plaga Orientali vrbis deſcripſerunt ficum maledictam & aridam; ſed in proximiori alioqúe ſitu quàm in his partibus cognoſcatur. Et hæc ſatis de memorata arbore.

Adrichom. num. 184.

CAPVT II.

De domo Simonis Leproſi Phariſæi, ſecundo loco decimæ Peregrinationis.

NOn longè à Bethania, ante illius ingreſſum, procedentibus ex Ieruſalem verſus Meridiem, & viam, vbi locus oſtenditur ficulneæ maledictæ à Domino, ad lævam partem, parum extra viam, ſeſe offerunt ruinæ antiquæ cuiuſdam Eccleſiæ, quæ ab omnibus in hiſce partibus domus Simonis Leproſi appellatur. Ratio nominis eſt; quia, ſecundùm veterem traditionem, ibi erat domus in qua habitauit Simon Phariſæus dictus Leproſus: appellatur verò Leproſus, non quòd is fuerit ſemper lepra infectus; ſed quia, cùm aliquando fuerit leproſus, poſteà à Chriſto mundatus, deinceps priſtinum nomen retinuit: quod vſu venit, & frequens eſt Scripturæ conſuetudo, vt res mutata nomine prioris appelletur, vt Heuà os & caro Adæ appellatur Geneſ. 2, 23. *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea*; quia os & caro Adæ anteà fuerat. Virga Moyſi in ſerpentem conuerſa, à præexiſtente forma, virga Moyſi dicitur Exod. 7, 12. Iuſtificata, *peccatrix*, Luc. 7, 37. quòd aliquando fuerit peccatrix. Corpus Chriſti in Euchariſtia *panis* dicitur, quia aliquando panis fuit: ita domus iſta *Simonis Leproſi* appellatur, quia fuit Simonis aliquando lepra infecti. Traditio iſta videtur aliquam probabilitatem habere ex Matth. c. 26, 6. vbi dicitur, fuiſſe domum Simonis Leproſi Bethaniæ: & hæc, vt diximus, à Bethania non diſtat.

Ratio nominis domus Simonis Leproſi.

A re non exiſtente, quæ aliquando infuit, denominatio fit.

Domus iſta fuit poſteà à piis fidelibus in Eccleſiam conuerſa; quia à Chriſto Domino fuit diuina & corporea ſua ſanctificata præſentia, & nobilibus operibus illuſtrata: hanc ſiquidem ingreſſus fuit Chriſtus Dominus, poſtquam de monte Oliueti (vbi multa diſcipulis ſuis prædixit de templi & Ieruſalem deſtructione, ſæculíq; conſummatione) deſcendit, eáque ſuo & Apoſtolorum hoſpitio nobilitata fuit. In hac ipſa, vt pietas & congruentia perſuadet, Phariſæus fuit à Chriſto Domino lepra mundatus. Creditur etiam in ea conuiuium, quod ante biduum Paſchæ Chriſto & diſcipulis eius factum fuit, de quo Matthæus 26, 17. & Marcus 14, 12. fuiſſe paratum, quod Capite ſequenti ampliùs explicabitur. In hac denique domo *mulier habens alabaſtrum unguenti nardi ſpicati pretioſi, & fracto alabaſtro effudit ſuper caput* Ieſu; pro cuius effuſione murmuratio diſcipulorum contra mulierem facta eſt, ſed correpti à Domino fuerunt, & illa defenſa: verùm Iudas, cuius cor malitia & auaritia obfirmatum erat, nihilo melior reprehenſione effectus, inde diſceſſit, abiitq; Ieroſolymam ad Principes ſacerdotum, pactus cum illis, ſe traditurum in eorum manus Ieſum Nazarenum, ſi quid illi dare vellent.

Conuerſa in Eccleſiam Sanctis illuſtrata myſteriis.

Matth. 26, 7. Marc. 14, 3

Hanc domum oſtendi ſolitam peregrinis, docet Brocardus in ſuo libro de Terra ſancta, & Bonifacius, cum aliis qui ſcripſerunt de Locis ſanctis. In præſentia ferè deſtructa, muro vno excepto, qui Dei benignitate adhuc in eius memoriam conſeruatur; cùm aliud non ſuperſit, nihilominus à peregrinis & huius regionis incolis inuiſitur, vt viſitari conſueuerat antiquitus & D. Hieronymi tempeſtate, etſi non tanta frequentia; tum propter paucitatem Chriſtianorum, tum propter infidelium pericula.

Plus ſemper peregrinationibus frequentata.

CAPVT III.

De Caſtello Lazari fratris Mariæ & Marthæ, tertio loco decimæ Peregrinationis.

DOmo Simonis Phariſæi à læua parte viæ relicta, cœptum proſequendo iter verſus Bethaniam, peracto itinere quantum iacit arcus, occurrunt magnæ ruinæ & ingentia veruſtiſſimi Caſtelli fundamenta, hoc enim illa præ ſe ferunt; proxima ſunt nedum domui Simonis, ſed etiam ſepulchro Lazari: & tam hæc quàm illa & ſtatim memoranda loca ſunt extra montem Oliueti, tamen à latere eius; vt, præter ſenſum id præ ſe ferentem, poſſet ex Euangelio etiam deduci. Fundamenta illa & ruinæ *Caſtellum Lazari* appellantur.

Sed quare talem obtinuerunt nomenclaturam? Reſpondeo, me nec in ſacra Scriptura nec alio probato Scriptore rationem inueniſſe. Et quòd dicitur Ioannis 11, 1. *Erat autem quidam languens Lazarus à Bethania, de caſtello Mariæ, & Marthæ ſororis eius,*

Ratio nominis Caſtelli Lazari.

eius, nullam facit traditioni fidem, quia de isto castello non intelligitur: nam præterquam quòd mentio non fit castelli Lazari, sed sororum eius, bona quæ ad ipsos pertinebant, iam singulis creduntur fuisse partita, vt non obscurè ex Euangelio colligi possit. Et si etiam vellemus quæ sororum erant accommodare fratri, adhuc non videtur quomodo verè dici possit castellum Lazari, non tantùm id de quo loquimur, sed nec Bethania. Redacta namque hac Iudææ parte in Prouinciam, non tantùm nulli ex Iudæis quantumuis illustribus, sed nec ipsi Tetrarchæ Herodes & Philippus castellum sibi aliquod vendicasse putantur, quemadmodum notauit Cardinalis Baron. Tom. 1. Annal. an. Christi 34.

Iudæi non alicuius castri domini facti Romanis subiecti.

Dicendum igitur aliter, & dupliciter. Primò, veteres, qui nomen loco illi dederunt, secutos fuisse communem loquendi modum & Scripturæ consuetudinem, vt domus, vel locus alicuius esse dicatur, non quia huiusmodi dominus sit, sed quia in eo aliquando habitauit, vel etiam diuertit. Vnde Lucas cap. 2, 39. appellat Nazareth Christi Domini ciuitatem, & Matthæus cap. 4, 13. Capharnaum; & Ioannes c. 1, 44. Bethsaidam, Petri & Andreæ ciuitatem dicit, & cap. 11, 1. Bethaniam, castellum Mariæ & Marthæ; quoniam Christus aliquando in Nazareth & Capharnaum, Petrus & Andreas Bethsaidæ, & Maria & Martha Bethaniæ habitarunt. Ita possemus probabiliter dicere, castellum hoc appellatum esse Lazari; quia nobilis hic vir in eo aliquando habitauit.

Secundò, posset dici, & fortè probabiliùs, Lazarum hîc propriam habuisse domum; quæ quoniam ceteras ædes & palatia magnitudine, pulchritudine & fortitudine præcellebat, vt præcipuum & illustrem virum decebat, relictæ ruinæ & fundamenta, qualia Bethaniæ vel circa nõn cernuntur, nõn leue faciunt argumentum.

Dubium. Si adhuc quæras, quare Lazarus nõ dictus est de castello Bethaniæ, quod celebrius est, vt sorores eius? & quare Maria & Martha dictæ sunt de castello Bethaniæ, & non *Solutio.* earum frater Lazarus? An quia hoc castellum, vel domus erat extra Bethaniam; & cùm à proprio & nobili loco potuerit Lazarus denominari, ab eo, communi relicto, denominatus sit; sorores vero à communi, quia proprium & singulare non habebant? sed quidquid sit de hoc, scire parum refert, quia non omnia scripta sunt. Et nos breuiter possumus dicere, dictas ruinas appellatas fuisse castellum Lazari; vel quia ibi verè castellum erat, in quo Lazarus habitauit, etsi illius dominus non fuerit; vel quia ibi domum egregiam habebat ad instar castelli.

Et si quæ diximus vera sunt, meritò inuisitur à fidelibus; quoniam magna dignum veneratione, vtpote sacratum; vt pium est credere, Christi Domini, sanctissimæ eius Matris, Apostolorum, & aliorum sanctorum virorum ac mulierum præsentia & egregiè factis. *Meritò honorandus locus.*

Hoc piè crediderim, fuisse domum, in qua Saluator noster ante sex dies Paschæ venit, vbi dum cœnaret, Lazarus erat vnus ex discumbentibus, Martha ministrabat, & Maria soror eius vnguento nardi pistici vngebat pedes Iesu, quam à Iuda contra eam oblatrante defendit Dominus. *Probabiliter ibi cœnauit Christus.*

Si obijctas, id contigisse in domo Simonis leprosi, vt dicunt Matthæus & Marcus; Respondetur, hos locutos fuisse de alio conuiuio, vnctione, murmuratione, ac defensione. Nec enim inconueniens est asserere, pluries pauperem Dominum, qui nec vbi caput reclinaret, habebat, apud plures diuertisse, tum vt suis & discipulorum necessitatibus consuleret, tum vt piorum hospitum deuotioni satisfaceret; & similiter, pluries amore sauciam mulierem, ob iteratum pietatis officium, fuisse à discipulis redarguram, & à Christo defensam: primùm à Iuda in domo Lazari ante sex dies Paschæ, vt ait Ioannes; deinde à Iuda & aliis discipulis simul, in domo Simonis Leprosi ante biduum Paschæ, vt scribunt Matthæus & Marcus, quando fracto alabastro vnguenti, illud effudit super caput Iesu. Ita sentit Cardinalis Baronius citatus; & ex diuerso modo loquendi Ioannis, Matthæi, & Marci ita videtur dicendum. *Obiectio.* *Solutio.* *Apud plures Christus hospitatus fuit.*

Si dicas, Lazarus vnus ex discumbentibus dicitur, quasi non in domo sua, sed inuitatus, in alterius domo conuiuium paratum sit; Respondeo, ideò Lazari singulariter factam mentionem, vt magis ac magis indicaretur miraculum circa ipsum à Christo operatum; non tamen negare voluit Euangelista, quòd Lazarus non exceperit hospitio Christum Dominum benefactorem suum in domo sua. Quid enim non fecisset Lazarus, vel quid non facere debuisset pro Christo, à quo fœtens quatriduanus fuit è monumento ad vitam reuocatus? Pium est credere, Lazarum, Mariam & Martham distinctas propriasque habuisse domos, vt distinctæ etiam in præsentia inuisuntur, & veneration̄i habentur à fidelibus. Et Christus satisfaciens illorum honestæ petitioni, modò in domo Lazari, modò in domo Mariæ vel Marthæ hospitatus est. *Alia obiectio.* *Solutio.*

CAPVT IV.

De ſepulchro Lazari, quarto loco decimæ Peregrinationis.

PRope caſtellum Lazari & Bethaniam, inter hæc eſt celebris illa ſpelunca, vel ſepultura, in qua Lazarus Chriſti amicus, & amantiſſimus frater Mariæ & Marthæ fuit tumulatus; ex qua fœtens & quatriduanus diuina Chriſti virtute ab inferis ad ſuperos fuit reuocatus. Illuſtriſſimum, & poſt hominum memoriam numquam auditum miraculum, & omnium miraculorum maximum, quæ in ſuæ Diuinitatis teſtimonium Chriſtus fecit, vt dixit S. Auguſtinus Serm. 52. de Verbis Domini, & Chriſtus ipſe illis verbis indicauit, quibus Lazari infirmitatis cauſam expreſſit, *Infirmitas hæc non eſt ad mortem, ſed pro gloria Dei, vt glorificetur Filius Dei per eam*, Ioannis 11, 4. euentus etiam comprobauit; tum quia, ob rediuiuum Lazarum, *multi ex Iudæis crediderunt in Ieſum*, Ioan. 1, 45. tum quia in die Palmarum Saluator obuiam habuit turbam, quæ ſolemni pompa ac diuinis honoribus illum excepit, & in ſanctam ciuitatem introduxit, vt Ioannes literis conſignauit.

Lazari reſurrectio maximum miraculum.

Et in quo miraculi huius excellentia conſiſtit? In duobus, Primò, quòd mortuus & fœtens, ac proinde à vita remotiſſimus, fuerit diuino verbo Saluatoris ad vitam reuocatus; quod ampliùs factum non fuit. Secundò, quia non vnicum, ſed duplex fuit miraculum: etenim ad Saluatoris vocem anima Lazari ab inferis ad eiuſdem corpus reuocata, ipſum viuificauit; ac præterea, quia *ſtatim prodiit qui fuerat mortuus, ligatus pedes & manus inſtitis, & facies illius ſudario erat ligata*, inquit Ioannes 11, 44. Anne hoc nouum aliud miraculum, virum, clauſis oculis, deuinctis manibus & pedibus, abſque humano auxilio, non ſolùm è ſepulchro exire, ſed etiam ſpelunca, vbi ſepulchrum erat; vnde non ſolùm ſurrexit, ſed etiam ita ambulauit vt exiret, etſi ligatus eſſet? *O res admirationis plena*, exclamat Baſilius Orat. de mœrore & triſtitia, *faſciis conſtricti erant pedes, nec tamen impedimento fuerunt mortuo; maius erat robur impedimento.* & iterùm idem magnus Pater Homil. de gratiarum actione: *Ecce mortuus à morte rediuiuus fit, ligatus quoque ambulat. Admirare miraculum in miraculo; pedes inſtitis habebat vinctos, neque interim à motu prohibebatur.* & Euthymius: *O maximum ac duplum miraculum! non ſolùm qui iam olebat reſurrexit, ſed etiam qui vinctus erat exiuit de monumento.*

Lege Toletum in cap. 11. Ioan. Notat. 14. *Miraculi excellentia ex duplici capite. Primò, quia mortuus vixit. Secundò, quia ligatus ambulauit.*

Sed quomodo manus pedesque ligati erant, num vinculis ac tæniis? non ſanè, ſed corpus totum linteo inuolutum, & faſciis vnà cum manibus & pedibus circumligatum erat, ſecundùm conſuetudinem Iudæorum in defunctorum pollinctura: & vt pueri faſciis inuoluti, qui Plinio dicuntur *iacere manibus pedibuſque deuinctis.* Et ita notauit de Lazaro Nonus Græcus antiquus Auctor in Ioan. 11. *A pede ad caput uſque habebat totum corpus conſtrictum nexilibus inſtitis, ſeu faſciis ſepulchralibus.* Verùm Ioannes appoſitè de pedibus tantùm meminit; quia ex his oſtendebatur miraculum quod ipſe intendebat. Nam quòd corpus tantùm obuolutum eſſet, ſupponitur ex conſuetudine Iudæorum ſepulturæ: verùm ſi ſoluti fuiſſent pedes, potuiſſet nihilominùs abſque nouo miraculo ambulare; ſed quòd manus ac pedes ligati fuerint, quibus haud adiuuare ſe poterat nedum ambulando, ſed ne quidem reptando, & nihilominùs ambulauerit, miraculum requirit; quod vt inſinuaret Euangeliſta, ſolius manuum ac pedum conſtrictionis meminit. Hiſce omnibus teſtimonium perhibuit S. Ioannes qui interfuit, & teſtimonium eius verum eſt.

Dubij ſolutio.

Vt eximij dupliciſque huius miraculi in mentibus hominum perpetuò conſeruaretur memoria, ad maiorem Filij Dei gloriam, fuit apud ſpeluncam illam nobilis extructa Eccleſia, vt Auctor eſt S. Hieronymus, ab Helena Magni Conſtantini matre; quæ non à fidelibus modò, ſed ab ipſis infidelibus Turcis & Mauris veneratione habetur, vt verè notauit Adrichomius in deſcriptione locorum ad Orientem Ieruſalem num. 179. Eccleſia eſt ante ſpeluncam non inelegans, & mediocris quantitatis: illam ſibi vſurparunt Mauri, & in meſquitam conuerterunt, ac ideò in præſentia non licet per eam, vt olim, accedere ad Lazari ſepulchrum: quare ne ſanctus locus, Chriſti, Apoſtolorum præſentia & illuſtriſſimo miraculo nobilitatus, debito priuaretur honore, paucis antè annis Pater P.F. Angelus à Meſſana, ſacri montis Sion Guardianus, aliquo perſoluto pretio, obtinuit à Turcis facultatem excidendi ſuperiùs ex altera parte tumuli gradus in ipſa rupe; & facta ſcala, per eam ad ſacrum locum venerandum deſcendimus: clauem illius tenent Franciſcani fratres; ad illos namque cura huius ſepulchri pertinet. Hic propè è regione oſtij ſcalæ eſt facellum, in eo loco, vt creditur, ædificatum, vbi Dominus dixit ſororibus defuncti, *Vbi poſuiſtis eum?* modò ſatis demolitum eſt. Vndequaque ſunt magna ædificiorum fundamenta;

Locus Eccleſiæ illuſtratus miraculi memoriam.

D. Hieron. de Locis Hebr. & Epiſt. ad Marcell. Nicephor. lib. 8. c. 30.

In meſquitam conuerſa.

Via ad ſepulchrum.

Pertinet ad Minores.

Digitized by Google

menta; quæ an ſint monaſterij Sanctimonialium, olim ibi ædificati, de quo ſtatim, & Eccleſiæ, de qua Hieronymus, an potiùs illius ſint quæ adhuc integra perſeuerat, me latet; ſed hoc mihi probabilius quod Guilielmus Tyrius lib. 15. cap. 26. Belli ſacri tradit, Bethaniæ dominam Meliſendem Reginam, Fulcone tertio Ieroſolymorum Rege regnante, rebus omnibus in pace compoſitis, pro ſalute animæ ſuæ, viri & filiorum, nobiliſſimum ſacrarum virginum monaſterium ædificaſſe; ad id inducta precibus & exhortationibus ſororis ſuæ, quæ Ieroſolymis in monaſterio ſanctæ Annæ Deo virginitatem conſecrauerat, & ſub diſciplina Abbatiſſæ illius monaſterij, cum aliis virginibus, vitam degebat: cui cùm indecens videretur, Regis filiam ſub diſciplina vnius ex ordinariis feminis eſſe, ſorori, iam ad operandum pium opus propenſæ, ſuaſit, vt ſibi monaſterium conſtrueret: cui honeſtæ petitioni annuit, Bethaniæq; illud in loco ſatis inter alia opportuno conſtruxit, & multis ornamentis exornauit, prouentibuſque ditauit; ita vt aliis piis locis inferius non eſſet. Vbi, pro tutiori cuſtodia, munitiſſimam etiam turrim ædificauit. (an ea erat caſtellum Lazari de quo ſuprà?) In monaſterium deinde multæ fuerunt Sanctimoniales introductæ, quibus præfuit nobilis quædam ac ſancta Matrona; poſt cuius mortem, in eius locum ſuffecta eſt & Abbatiſſa conſtituta ſoror Reginæ. Hæc pluribus explicat Tyrius. An hoc monaſterium fuerit circa Lazari ſpeluncam erectum, mihi eſt incompertum, ſed fuiſſe probabile videtur; quoniam alibi non tot ruinæ & ædificiorum fundamenta, vt hîc, videntur. De prædicto monaſterio ita Vitriacus: *Eſt Abbatia S. Lazari, quæ dicitur de Bethania, in qua eſt Abbatiſſa nigra & Moniales, ſancti Benedicti Regulã & inſtituta profitentes.* Idem Sanutus.

Monaſterium Monialium ibidem ædificatum.

Dictis ſequentia ſubijcio ad clariorem huius ſanctuarij elucidationem. Ante ſepulchrum, vbi Lazari corpus poſitum fuit, eſt veſtibulum in ſacellum conuerſum; ante ſacellum eſt Eccleſia de qua antè, & non eſt ſupra ſepulchrum: ante ipſam ſunt magnæ ruinæ, quæ fortaſſe maioris Eccleſiæ ſunt, vel monaſterij à Meliſende Regina ædificati. Olim, vt innui, ex Eccleſia per veſtibulum erat ad ſepulchrum acceſſus. In ſacello eſt os ſepulchri, & è regione ipſius eſt magnus lapis rubeus, vel certè multùm vergens ad rubedinem, qui ori ſepulchri fuit ſuperpoſitus: & ſupra ipſum manſit vſque ad tempora Brocardi, vt ipſe de ſepulchro iſto agens indicare videtur. ſic enim ſcribit: *Oſtenditur peregrinis ſepulchrum Lazari, in quo reſuſcitatus fuit à Domino, tectum lapide marmoreo, in quod ego, vt reliqui, deſcendi.* In præſentia ſepulchrum patens eſt, & lapis erectus pro altari in dicto loco, ſupra quem Miſſam celebramus. In iſto veſtibulo fortaſſe Ieſus iterùm infremuit, lacrymatus eſt, & dixit; *Tollite lapidẽ*, & exclamauit: *Lazare veni foras*; niſi hæc mauis contigiſſe in loco vbi eſt modò ædificata Eccleſia; quia vbi nunc eſt veſtibulum & ſacellum, potuit olim eſſe ingreſſus, & os ſepulchri & ſpeluncæ.

Deſcriptio ſpeluncæ ac ſepulchri Lazari.

Inſuper, quod obſeruatione dignum cenſeo, hoc ſepulchrum valdè diuerſum eſt in forma à Sepulchro Reparatoris noſtri, & ab aliis, quæ in iſtis partibus in montibus & rupibus exciſa cernuntur: hæc enim habent oſtia erecta, vt oſtia domorum, per quæ deferuntur defunctorum cadauera; ſed Lazari monumenti oſtium eſt in ipſo terræ pauimento, perſimile illis quæ in præſentia communiter cernuntur in Eccleſiis fidelium, quæ in ipſa humo defoſſa ſunt, & os deſuper habent. quod eleganter Ioannes Euangeliſta, de eo verba faciens, hiſce verbis expreſſit: *Ieſus ergo rurſum fremens in ſemetipſo, venit ad monumentum; erat autem ſpelunca, & lapis ſuperpoſitus erat ei.* Non dixit, aduolutum fuiſſe lapidem oſtio monumenti, ſicut de monumento Chriſti Domini dixit Marcus cap. 15, 46. quia huic potuit lapis aduolui, quoniam oſtium erectum habet; non item illi, quia oſtium habet inferiùs in ipſa ſoli ſuperficie; & ad illud claudendum non erat aduoluendus, ſed ſupra ponendus lapis: quare appoſitè dixit Ioannes, ſepulchro Lazari fuiſſe lapidem ſuperpoſitum.

Diuerſitas in forma à Chriſti Sepulchro.

Ioan. 11, 38.

Ex deſcriptione huius monumenti facta à ſancto Euangeliſta comprobatur magis veritas traditionis de ipſo. Ex oſtio ſepulchri deſcendimus in ipſum ſepulchrum vbi iacuit Lazarus fœtens quatriduanus. Eſt figuræ quadratæ, ſatis altum, & cellæ perſimile: in eo non ſunt loca prominentia, vel arcæ marmoreæ, vel quid ſimile, vbi ſeorſim collocarentur corpora defunctorum, vt ſunt in pleriſque harum partium ſepulchris.

Traditionis ea approbatio.

In iſto, ſicut in ſuperiori ſacello, certis temporibus, & ſingulariter Feria 6. hebdomadæ 4. Quadrageſimæ, in feſto S. Mariæ Magdalenæ aduentuque peregrinorum, omnipotenti Deo offertur incruentum altaris Sacrificium: & ego pluries in vtroque illud, Dei ſingulari beneficio, cum aliis obtuli.

Sacrificia & orationibus honeſtatur.

Frater Anſelmus Minorita in ſua Terræ ſanctæ deſcriptione de his agens, inquit: *Bethania eſt capella ſicut Eccleſia teſtudina-*

ta, in qua eſt ſepulchrum Lazari, vbi Fratres Minores Feria ſexta ante Dominicam de Paſſione ſingulis annis canunt & legunt plures Miſſas ſolemniter, & habent clauem ab illa capella. In hac capella eſt cauerna decanata in lapide, & eſt carcer Mariæ Magdalenæ, vbi poſt Aſcenſionem Domini ſeptem annis manſit incluſa totaliter; ſoror tamen ſua Martha porrigebat ei panem & aquam per feneſtram: & ibi eſt Indulgentia ſeptennis, ſed circa ſepulchrum Lazari plenaria.

Mariam Magdalenam panitentiam egiſſe ad ſepulchrum Lazari, quomodo intelligendum.

Quòd Magdalena per aliquod tempus poſt Domini in cælum Aſcenſionem ſe in antro, velut in carcere, concluſerit, efficaci ratione non credo poſſe impugnari: & ſi hoc verum, carcerem probabiliter dicerem primum ſacellum ſeu veſtibulum ad ſepulchrum Lazari: ſed quòd in eo manſerit ſeptem annis, habèt difficultatem; quoniam circa annum ab ortu Domini 35. & ita vno poſt eius Aſcenſionem anno, ſæuiente in Iudæa in Chriſtianos perſecutione poſt S. Stephani martyrium, Iudæi Lazarum, Mariam Magdalenam, Martham & Marcellam pediſſequam, in quos maiori odio exardebant, non tantùm Ieroſolymis expulerunt, ſed vnà cum Maximino Chriſti diſcipulo, naui abſque remigio impoſitos, in certum periculum mari tradiderunt, etſi diuinitus incolumes Maſſiliam appulerint. Ita ad citatum annum notat Baronius, quem etiam vide in Notis Martyrologij die 22. Iulij. Igitur tantùm circa annum potuit clauſa in dicto loco manere, ſi manſit.

Vt illuſtriſſimi geminiſque miraculi ac ſepulchri Lazari conditio clariùs innoteſcat, placuit idem ſepulchrum & Lazarum faſciis ligatum, ad vocem Domini de monumento, in quo fœtens quatriduanus iacuerat, egreſſum & ſtantem ſupra pedes ſuos, ſequenti imagine tibi ob oculos ponere: quam Chiffletius in Criſi ſua Hiſtorica de ſepulchralibus Chriſti linteis euulgauit.

IESVS voce magna clamauit, Lazare veni foras. et statim prodijt qui fuerat mortuus, ligatus pedes et manus institis: & facies eius sudario erat ligata. Ioan. 11.

CAPVT V.

De Bethania caſtello Mariæ & Marthæ, quinto loco decimæ Peregrinationis.

Bethaniæ nomen multiplex.

ACturi de Bethania caſtello Mariæ & Marthæ, priùs de illius nomine & multiplici ſignificatione agere expedit, ne illius ignorantia, cognitio Bethaniæ, de qua in præſentia loqui intendimus, deliteſcat. Itaque Bethaniæ nomen pluries inuenitur in ſacris Litteris; & ſemper locum ſignificat, non tamen ſemper eumdem: aliquando enim ſignificat ciuitatem quæ erat trans Iordanem, vbi Ioannes baptizabat; aliàs dicta Bethabara, quæ erat in tribu Beniamin, vt patet Ioſ. 18, 22. & Ioannis 1, 28. dicitur: *Hæc in Bethania facta ſunt*

Bethaniæ ciuitas trans Iordanem.

sunt trans Iordanem, vbi erat Ioannes baptizans. Et quamuis aliqui tam ex antiquis quàm ex recentioribus legendum putent *Bethabaram*, quoniam Bethania citra Iordanem est prope Ierusalem, & vt ex distinctione nominum diuersitas dignoscatur locorum: verùm alij aduertentes, pleraque exemplaria loco citato Ioannis habere Bethaniam, Bethaniam legendum putant; à qua lectione non est recedendum, cùm eam retineant Biblia correcta iussu Sixti V. Bethania etiam nomen significat, & frequentiùs castellum, quod est citra Iordanem proximum Ierosolymis, vt patet in Euangelio & Actis Apostolorum. Idcò aliqui iure merito dixerunt duas esse Bethanias, alteram citra, alteram vltra Iordanem. Argumento, quod huic sententiæ refragari videtur, statim respondebimus.

Bethania castellum ciu Iordanem.

Obiectio.

Cardinalis Toletus in c. 1. Ioan. Annot. 66. dicit, hanc opinionem nullo solido consistere fundamento, certum asserens, esse vnicam Bethaniam, sicut & certum est, Bethabaram esse locum vbi Ioannes baptizabat, quæ erat trans Iordanem, & prope fluuium: quo loco erat transitus ipsius fluuij.

Responsio.

Verùm non solido (vt mihi videtur) illa sententia improbatur argumento. Certum enim est, quòd D. Hieronymus, Lyranus & alij docuerunt, & nos aliàs aduertimus ex sacra Scriptura, res inter se diuersas eisdem non semel nuncupari nominibus; quare etiam duo illa loca, vbi Ioannes baptizabat trans Iordanem, & vbi Maria & Martha habitabant cis Iordanem, haud potuerunt eodem nomine, id est, Bethania, appellari? Et verè nominata fuerunt: & castellum Mariæ & Marthæ semper hoc solo Bethaniæ nomine nuncupatum fuisse, clarissimè constat ex Euangelio & Actis Apostolorum: vrbem similiter, in qua Ioannes baptizabat, eodem appellari nomine, suprà notauimus ex Ioanne secundùm emendatiorem lectionem, quæ non est paruifacienda, vt inquit ipsemet Toletus; quoniam antiqui Doctores, & omnia exemplaria tam Græca quàm Latina, *Bethaniam*, non *Bethabaram*, legunt; & ita legit Cyrillus. Nec probabile credibileve est, locum mendosum esse, tanta antiquitate & tot exemplarium conformitate receptum, vt Toletus ait; & ipse ab hac sententia non recedit: quare verum, eodem Bethaniæ nomine duo memorata loca designari.

Alterius obiectionis solutio.

Nec ideò in narratione confusio est, vt argumento, quod fieri posset, satisfaciamus; quoniam ex annexis circumstantiis distinctio locorum designatur. Dum enim Euangelista loquitur de loco baptismi Ioannis, dicit: *Hæc in Bethania facta sunt trans Iordanem, vbi erat Ioannes baptizans*; ad differentiam alterius citra Iordanem, vbi non erat locus baptismi. Cùm verò de ista sermonem instituit, alias adhibet circumstantias: quòd esset castellum prope Ierusalem, ab ea 15. distans stadiis, prope montem Oliueti; & habitatio esset nobilium feminarum, Mariæ & Marthæ.

Ait Toletus, totam obscuritatem pendere ex Græco & Latino sermone, qui non semper eamdem litterarum distinctionem habet quæ est apud Hebræos. Bethania enim, quæ est prope Ierusalem, scribitur cum *ain*, at quæ trans Iordanem cum *aleph*, & significat idem quod domus nauis; sed apud Græcos & Latinos nullum est discrimen in nomine hanc vel illam Bethaniam significante. His præmissis, dico, agendum esse de Bethania quæ prope Ierusalem est.

Hic fermè est de Bethania cis Iordanem.

Hæc Bethania, quæ domus obedientiæ & humilitatis interpretatur, fuit nobile castellum Mariæ & Marthæ, sororum Lazari, non ita appellatum, quòd illius dominæ essent; hoc enim falsum, vt Capite III. huius Peregrinationis notauimus; sed, vel quia ex illo erant oriundæ, vel quia in eo multo tempore habitarant, & domos habebant, in quibus & Dominum excipiebant, vt habemus in Euangelio. Situm est respectu Ierusalem vltra montem Oliueti in illius plaga Orientali, vergendo tamen parum ad Austrum; ab eaque distat duobus milliaribus stadio vno minùs, id est, 15. stadiis, vt dicitur in Euangelio. Erat quidem olim ædibus & habitatoribus frequens, sed in præsentia paucos & pauperes habet habitatores, & exiguas pauperesque domunculas: antiquitus maiorem fuisse Bethaniam, ex ædificiorũ circumiacentium fundamentis constat, & ex ab inuicem satis distantibus domibus Simonis Leprosi, Mariæ & Marthæ, si istæ ad Bethaniam pertinebant, siue in ea includebantur: sola nunc loci sanctitate gaudet; nec enim, quid temporale ibi spectabile sit, scio.

Bethania, id est, domus obedientia.

Situs, & condatio.

Sancta verò & nobilissima est Bethania, & digna vt in omni veneratione habeatur; quoniam in ea habitauerunt sanctissimi ac nobilissimi viri & mulieres, Lazarus sororesque eius, Martha & Maria, inter se & cum Christo Domino strictissimo charitatis & dilectionis vinculo colligati; sed sanctior atque illustrior reddita est præsentia & hospitio Christi, & Apostolorũ eius. Frequentissimè enim Bethaniam cum discipulis suis se conferebat Dominus; quietumque & acceptum recipiebat hospitium.

Sanctorum habitatio.

Bethaniæ etiam egregia facinora operatus

Operata ibidem.

tus fuit Saluator: & vt missa faciamus ea quæ recensentur in historica elucidatione peculiarium locorum Bethaniæ, & circa; nunc tantú dicamus, Christum, qui ex Patris obedientia descendit de cælis, vt mortem crucis pro hominú salute subiret, morti proximum, biduo ante ipsam, iuisse Bethaniam ad domum obedientiæ & humilitatis, & ex ista ad mortem: ac denique, migraturu post suam glorioſam Resurrectionem de hoc mundo ad Patrem, Bethaniam priùs iuit cum discipulis suis; & ex ipsa montem Oliueti scandens, ea qua venerat obedientia rediit, gloria & honore coronatus, ad Patrem; ad cuius dexteram sine fine regnat, & interpellat pro nobis.

CAPVT VI.

De domo sanctæ Mariæ Magdalenæ, sexto loco decimæ Peregrinationis.

Situs & conditio loci domus Mariæ Magdalenæ.

LOcus à Bethania, vel sepulchro Lazari, circa tertiam partem milliaris distitus ostenditur, vbi (vt vetus & recepta habet harum partiuu traditio) ædificata erat domus B. Mariæ Magdalenæ. Est locus iste in planitie, sed parum eleuatus. Vix præexistentis domus fundamenta cernuntur; & nisi illius memoria ab harum partium fidelibus conseruaretur, & eam pia etiam veneratione posteros docuissent, vix posset diiudicari, fueritne ibi aliqua domus ædificata. Ex præexistente domo, domus Mariæ Magdalenæ locus iste in præsentia appellatur.

Creditur, subtus hunc locum esse cauernas vel habitationes. Ex ruinis ædificiorum & cisternis, quæ inueniuntur in via à Bethaniâ vsque ad hunc locum, meritò aliqui suspicati fuere, Bethaniam hucusque se extendisse. Sanctam fuisse domum Magdalenæ, ac ideò locum inuisendum, ex eo apparet, quòd nedum Magdalena in ea habitauit; sed pium est credere, ad eamdem diuertisse sanctam Dei Genitricem, eius Filium, sanctos Apostolos, & alios sanctos viros ac mulieres. De ea, vt & de sequentibus elucidandis locis, Bonifacius, & alij qui scripserunt de locis Terræ sanctæ.

CAPVT VII.

De domo sanctæ Marthæ, septimo loco decimæ Peregrinationis.

DIstat parum à loco præcedenti, domo videlicet S. Mariæ Magdalenæ, locus alius illo eminentior, qui vulgò in partibus istis dicitur domus sanctæ Marthæ hospitis Christi; quia, secundùm veterem traditionem, olim erat ibi sanctæ huius mulieris domus: in præsentia vix aliqua cernuntur vestigia. De ista dicendum est, sicut de altera sororis eius Mariæ dictum fuit Capite præcedenti.

Martha domum venerabili frequenti Saluatoris hospitio.

Sanctissimus planè locus. Cùm enim fide teneamus, Euangelio docente, Martham Christum Dominum hospitio excepisse, vnde & illius hospes appellata est, inferimus consequenter, Christi & Apostolorum præsentia fuisse condecoratam; & tali intuitu à fidelibus inuisitur.

CAPVT VIII.

De cisterna sanctæ Marthæ, octauo loco decimæ Peregrinationis.

Locus domini & sororum Marthæ.

IVxta domum sanctæ Marthæ est cisterna in dura rupe excisa, quæ à virgine Martha denominationem accepit; quòd aliquo modo ad eam pertinuerit, vel per ipsam fuerit apud domum suam excisa. Adrichomius in Descriptione locorum Ierusalem num. 182. de ea ita ex aliorum sententia scribit: *Cisterna iuxta Bethaniam, vbi ad resuscitandum Lazarum venienti Domino primò occurrit Martha, & postèa ab ea vocata Maria.* Hæc ille. Quæ consona esse veritati, ostendunt dicenda Capite sequenti, de lapide super quem Dominus quieuit.

CAPVT IX.

De lapide Bethaniæ, nono loco decimæ Peregrinationis.

Lapis Bethaniæ forma, & nomine ratio.

CIsternæ Marthæ, de qua superiùs, proximus est lapis quidam oblongus, non multùm à reliqua rupe eleuatus, satis durus, mixti coloris, albi & nigri, qui communiter lapis Bethaniæ appellatur, à fidelibus magna habitus veneratione; quoniam, secundùm veterem traditionem, cùm Christus Dominus Bethaniam venit Lazarum resuscitaturus, supra eum sedit, expectans Mariam Magdalenam ab eo per Martham vocatam: ad hunc cùm peruenisset cum sorore & aliis, inde vnà perrexit ad speluncam Lazari.

Sacellum olim circa ipsum erectum.

Circa hunc lapidem cernuntur quædam fundamenta, ex quibus diiudicatur, pios fideles sacellum circa ipsum erexisse in memoriam Christi super eum sedentis. Lapis iste tantum æstimatur, vt qui eius particulam habere possunt (quæ tamen absque speciali facultate Præsulis sacri montis Sion auferri non potest) vt sacras Reliquias omni lapide pretiosiores teneant.

Boni-

Digitized by Google

Bonifacius lib. 2. de Perenni cultu Terræ ſanctæ de iſto lapide in hunc modum ſcribit: Hinc, id eſt, à domo B. Marthæ, ad triginta paſſus ad Septemtrionem verſus, eſt lapis quidam, ſuper quem ſedebat Chriſtus, quando venit ad eum Martha, & dixit ei: *Domine, ſi fuiſſes hic, frater meus non fuiſſet mortuus*, Ioan. 11, 21. Iſte lapis tam apud fideles quàm apud infideles maximè veneratur; quia ſuper ipſum Chriſtus ſedit. A mille quingentis & ſexaginta ſeptem annis peregrini Terræ ſanctæ loca viſitantes viſitant etiam & lapidem hunc; & vnuſquiſque ab eo fragmentum aliquantulum accipit, nec quidem, nutu diuino, in minima parte imminutus videtur, &c. Princeps Radziuilius in Ieroſolym. peregrinat. Epiſt. 2. pag. 73. confirmat aſſerta ex Bonifacio, & tradit, lapidem hunc appellari *lapidem Colloquij* ſeu *Dialogi*.

Philoneus.

CAPVT X.

De Bethphage, decimo loco decimæ Peregrinationis.

Bethphage quid.

BEthphage, vt optimè dixit S. Hieronymus in c. 21. Matth. viculus fuit ſacerdotum, ſitus in latere montis Oliueti, diſtans vno milliario ab Ieruſalem; nomenque Bethphage, quod Hebraicum eſt, interpretatur *domus maxillarum*. Idem dicit Origenes cum aliis. Ea ratione, quòd ibi ſacerdotes cum ſuis comederent quæ in templo offerebantur; & quòd maxilla pars eſſet ſacerdotum. Alij aliter dicunt.

Pro huius locì clariori intelligentia, tria explicanda ſunt. Primò, quomodo Bethphage dicatur viculus ſacerdotum; & vnde conſequenter nomen habuerit. Secundò, ex ſacra Scriptura, quæ ibi memorabilia acciderint. Tertiò, tria notanda alia ex probatis Scriptoribus ſubijciemus. Quantum ad primum reſpondent aliqui, ideò Bethphage dictum fuiſſe viculum ſacerdotum, quia ſacerdotes illius domini erant. Illud obſtat huic ſententiæ, quòd ſacerdotes non receperunt poſſeſſiones in terra promiſſionis, ſolis decimis contenti, vt ex pluribus ſacræ Scripturæ locis videre licet.

Quare ſacerdotum viculus dictus. Prima ſententia, quia ſacerdotes domini erant. Rejicitur.

Dicunt alij, ideò dictum Bethphage viculum ſacerdotum, quòd ibi habitarent ſacerdotes, quo tempore in templo miniſtrabant. *Bethphage*, inquit Haymo in Matthæum, *eſt viculus in latere montis Oliueti ſitus, in quo habitabant ſacerdotes, Pontifices & miniſtri, qui octonis diebus offerebant ſacrificia, & miniſtrabant in templo Domini. Vnde Bethphage domus bucca, ſiue domus maxillarum interpretatur; quia ſacerdotes ibi habitantes cum vxoribus, filiis & filiabus comedebant decimas, & primitias, & oblationes, quas in templo Dei offerebat populus Deo.*

Secunda ſententia, quia in ea ad tempus habitabant ſacerdotes.

Nimius interpretatio.

Sed non probatur ſententia iſta; tum quia quo tempore illi in templo miniſtrabant, in eodem habitabant illa hebdomada, vt videri poteſt apud Philonem lib. de Monarch. & Abulenſem 1. Paralip. c. 9. q. 16. ne aliqua legali immunditia foris ſe contaminarent, qua inquinati, miniſtrare non poſſent. Quo item tempore ab vxoribus ſe abſtinebant, vt docet idem Abulenſis 1. Paralip. cap. 24. quæſt. 25. Innocentius I. Summus Pontifex Epiſt. 2. cap. 9. Beda in cap. 1. Luc. & alij ibidem; loquentes de ſacrificio Zachariæ ſacerdotis patris Ioannis Baptiſtæ. Non ergo tunc temporis Bethphage habitare poterant ſacerdotes; tum quia viculus tot ſacerdotes capere non potuiſſet. Huic tamen rationi reſpondetur, non omnes ſacerdotes, ſed qui ex officio miniſtrare tenebantur, habitaſſe in templo, & alios ibi expectaſſe tempus ſuum; & eò ſe contuliſſe munere ſuo expleto, maximè qui longè habitabant.

Rejicitur.

Sacerdotes quo tempore ſacrificabant, ab vxoribus ſe abſtinebant.

Druthmanus vult, domum maxillarum appellatam villam, propter capita arietum & hircorum quæ ibi iacebant; ſed non videtur habere fundamentum.

Alij, viculum Sacerdotum dici malunt, quòd victimæ per ipſos offerendæ ibi paſcerentur; & quia, quando deforis veniebant ad ſeruiendum in templo, ſacrificiis oblatis, illuc ſe conferebant. Pro huius rationis intelligentia, quæ plurium eſt, & credo veram, notandum eſt, ſacerdotes, qui per certos dies in templo deſeruiebant, completo officio vicis ſuæ, illuc diuertiſſe; ſimiliter & qui deforis venientes officium accipiebant. Præceptum enim erat in lege, vt nullis diebus Sabbatorum pluſquam mille paſſus incederet, modo alibi explicato. Conueniens itaque erat, quando contingebat mutari ſacerdotes die Sabbati, & domos Ieroſolymis non habebant, locum parum extrà habuiſſe, ad quem ſe conferrent, & Sabbatum non violarent. ſed hoc totum ex Lyrano audiamus; ſic enim ſcribit in cap. 21. Matth. Bethphage dictam fuiſſe villam ſacerdotum, non quia ſacerdotes illius eſſent domini; ſed quia in ea habitabant ſtatutis temporibus, vt ſuprà dictum eſt. Quia licet, inquit, ſacerdotes non haberent hereditates ad excolendum, habebant tamen domum ad animalia nutriendum, & ad manendum tempore quo non vacabant cultui diuino in Ieruſalem. Ita ille. Ad id verò aſſerendum, motus eſt ex præcepto quodam ſcripto

Tertia, quia ibi victimæ alebantur, eoq; ſe conferebant ſacerdotes ante vel poſt ſacrificia.

pto Num. 35,2. vbi legimus Dominum dixisse Moysi: *Præcipe filiis Israël, vt dent Leuitis de possessionibus suis vrbes ad habitandum, & suburbia earum per circuitum; vt ipsi in oppidis maneant, & suburbana sint pecoribus ac iumentis: quæ à muris ciuitatum forinsecus, per circuitum, mille passuum spatio tendentur*, &c. Et iterùm in hunc locum obseruat, hæc data esse ad habitandum, non ad dominandum, vel reditus inde accipiendum; quia erant ipsius Regis vel aliorum dominorum vrbes, in quibus habitabant Leuitæ: vnde & Hebron fuit vna de illis, vt habetur Ios. 20,7. & tamen Caleb fuit ipsius dominus; quia ei in possessionem data est, vt habetur Ios. 15,13. Et Iosue, iuxta mandatum Domini, huiusmodi assignauit Leuitis. Hæc ex Lyrano.

Glossa Ordinaria in Matthæum inquit: Bethphagè erat viculus Sacerdotum in monte Oliueti; in cuius montis latere est ciuitas Bethania, vel villa, vt dicit super cap. 11. Marci: Mons Oliueti est medius inter Ierusalem & Bethaniam, & sic vtrique propinquus. Bethphage, inquit vlteriùs, domus buccæ, Bethania domus obedientiæ. Has Dominus pergens Ierusalem sua præsentia sublimat; quia multos ante passionem docendo, donis piæ confessionis & obedientiæ impleuit.

Acta in Bethphage. Quantum ad secundum, & ea quæ Bethphage contigerunt, dico, Bethphage ex Bethania venisse Saluatorem nostrum sex dies ante eius mortem discipulis suis comitatum; vbi duobus ex ipsis præcepit, vt irent in castellum, quod contra illos erat, &, solutis asina & pullo ibidem alligatis, ad eum ducerent, quoniam illis opus habebat: quibus ad Christum adductis, & vestibus Apostolorum stratis, ab eisdem super ipsorum alterum collocatus est, quo iuit Ierosolymam: ac turba plurima, vestimenta sua ac palmarum ramos in via sternente, debitum Deo ac Iesu Saluatori honorem dabat, & Osanna Iesu filio Dauid acclamabat; qui istinc glorioso quidem, sed humili triumpho, perrexit Ierosolymam. In declini montis Oliueti, vbi optimè ciuitas cerni potest, eam intuitus, eius destructionem præuidens, fleuit super illam: & itinere continuato, Ierusalem per portam Auream, quæ nunc clausa manet, ingressus, in templum Domini intrauit, vbi plura Diuinitatis suæ signa monstrauit; verùm inde ieiunus rediit Bethaniam, vt pluribus tradunt Euangelistæ.

Palma superstes in excidio S. Ciuitatis. Quantum ad tertium, tria dictis placet addere, quæ non erunt inuocunda Lectori, sunt enim scitu dignissima. Primum est, palmam illam, ex qua rami præcisi fuerunt à Iudæis, vt Christum Dominum honorarent, ac vt verum Deum illi obuiando agnoscerent, quasi egregium triumphi Christi monumentum, licet arbores omnes tempore obsidionis sub Tito excisæ fuerint, diuina quadam prouidentia ad multa sæcula perduraſſe. Cyrillus Catechesi 10. adducit eam in testimonium post crucem, sic dicens: *Palma, quæ est in Pharinge, testatur, ramos exhibens tunc his qui benedicebant.* Hoc notauit Baronius Tom. 1. sub anno Christi 34. De qua palma dicitur agi 2. Esdr. 8, 15. & Ioan. 12, 13. eam descripsit Adrichomius in sua Ierusalem num. 195. apud Bethphage.

Secundum est, ex eodem Adrichomio loco citato, num. 214. *Christus triumphator per portam Auream (quæ cùm rarissimè aperiretur, vltrò, vt tradunt, aperta est ei) regiam ingressus vrbem*, &c. Si hoc prodigium eo tempore visum fuit, possumus dicere, figuram, & certè simile olim contigisse Salomoni & Arcæ Domini, typo Saluatoris, si, quod aliqui Hebræorum tradunt, verum est. Cùm enim Salomon cum populo lætante introducere vellet Arcam Domini in templum, & ad hoc peruenisset, eius fores primùm diuinitus clausæ fuerunt; deinde verò eodem orante Salomone, & illa verba fundente ex 2. Paral. 6, 41. *Consurge Domine Deus in requiem tuam, tu & Arca fortitudinis tuæ*, &c. diuinitus reclusis foribus, facilis ad templum patuit aditus. *Porta Aurea diuinitus Christi aperta.*

Tertium est ex Bonifacio lib. 2. de Perenni cultu Terræ sanctæ, qui de porta Aurea sequentia notauit: Occurrit illa celebris templi porta, quæ Aurea appellatur, quæ ad Orientem cunctis celebrior respicit; &, Dei occulto iudicio, nunc clausa manet ab eo tempore quo Ierusalem capta ab infidelibus fuit. de hac quæ ego vidi fideliter referam. Ista, vt prædixi, est porta templi ad Orientem sita, & claudebatur duodecim ianuis & lignis sandulo & cupresso compactis, & sic clausa vsque in hunc diem manet. Ego quosdam Mahometanos in lege doctos interrogaui: Quid sibi vult quòd non aperitur ista porta, sicut & aliæ apertæ sunt? Dixerunt, quòd seruatur cuidam magno Regi. Quisnam sit iste Rex, dicere nolunt. Scio quòd tempore Reuerendiss. Patris Fratris Bonauenturæ Curseti, Patris Prouinciæ Dalmatæ totiusque Ordinis S. Francisci celeberrimi, & de Terra sancta optimè meriti, porta Ephraim, quæ nunc est sancti Stephani, iussu Solimanni Regis Turcarum, maior, quàm priùs fuerat, facta est, & ad mensuram portæ Aureæ: ex illis duodecim ad istam nouam ianuæ *A capta Ierosolymis clausa manet.*

delatæ

In porta Auree oſtij area crux inuenta.

delatæ fuerunt,& coaptatæ in ea ; in qua inuenta fuit crux ænea, & ad ipſum Patrem delata, quam à Sanziaco ciuitatis,pietatis ac religionis cauſa, eo quòd vetuſta erat, magno pretio emit, quæ vſque hodie in Dominico Sepulchro cum aliis Reliquiis cuſtoditur, &c. Hæc Bonifacius.

Bethphage deſerta inuen.

Bethphage in præſentia nihil cernitur, nec ipſa ædificiorum fundamenta: ſolùm à Chriſti fidelibus in partibus iſtis degentibus ſitus, vbi antiquitus erat hic viculus ædificatus, memoria conſeruatur, & veneratioui habetur.

Frater Anſelmus Minorita inquit: *A torrente Cedron aſcendendo per tranſuerſum horti, & præterendo Eccleſiam orationis Chriſti, quæ eſt ad dexteram partem vie, eſt lapis de quo Dominus aſcendit aſinum, quando in die Palmarum venit Ieruſalem: in quo lapide demonſtratur pedum veſtigium; quia quando aſcenderat ſummitatem montis Oliueti, neceſſe habuit ire pedes, ne aſinus caſum pateretur ad lapidem; quia eſt via difficilis de monte Oliueti ad ciuitatem.* Fateor, me talem memoriam non vidiſſe, nec audiuiſſe; non tamen illam nego.

CAPVT XI.

De caſtello, quod vulgò appellatur, Caſtellum contra vos, ſiue Aſinæ, vndecimo loco decimæ Peregrinationis.

LEgimus in Euangelio,quòd, poſtquam Chriſtus Dominus paucis diebus ante ſuam ſanctiſſimam paſſionem ex Bethania veniſſet Bethphage, vt inde glorioſo & humili triumpho Ieroſolymam ingrederetur, dixit duobus ex diſcipulis ſuis; *Ite in caſtellum, quod contra vos eſt*, &c. Matth. 21,2. Sed quodnam fuit illud caſtellum? hoc enim inquirere neceſſarium eſt, cùm de eo ſermonem in præſentia facere debeamus.

De Caſtello contra vos, triplex ſententia.

Triplicem inueni in iſta difficultate Doctorum ſententiam.

Prima dicit eſſe Ieruſalem.

Prima. Lyranus, Abulenſis, Hugo Cardinalis,& Magiſter Hiſt. dicunt,eſſe Ieruſalem: eſt enim contra & è regione Bethphage. Quæ quamuis eſſet nobiliſſima ciuitas, metropolis non Iudææ modò, ſed & totius Palæſtinæ, caſtellum tamen appellauit Saluator, propter eius fortitudinem, & quia ad inſtar caſtelli munita erat; quemadmodum & Mich. 4, 8. eadem ratione turris appellatur, vt Lib. VI. dicemus: vel quia eius dignitas & excellentia, propter peccata habitantium in ea, deprimenda & auferenda erat, & ciuitas ad inſtar caſtelli & villæ euaſura, vt non verbis tantùm, ſed & lacrymis prædixit Dominus, vt patet in Euangelio.

Secunda, Bethphage.

Secunda. Alij dicunt,caſtellum hoc eſſe Bethphage; Lucas enim de eo ſcribens ait: *Et factum eſt, cùm appropinquaſſet ad Bethphage*, &c. Igitur ſi appropinquante Chriſto Bethphage, quæ è regione erat diſcipulorum, ipſis dixit: *Ite in caſtellum, quod contra vos eſt*, potuit per hoc caſtellum Bethphage intelligere. Luc. 19,29

Prima ſententia reſellitur.

Priorem ſententiam reijcit meritò Ianſenius cap. 110. Concord. Euang. cum aliis. Etenim caſtellum hoc loco non arcem ſignificat, aut vrbem, ſed pagum, & viculum, vt patet ex Græco vocabulo, quo Euangeliſtæ vtuntur. Præterea, caſtellum, ad quod diſcipuli mittuntur, è regione ipſorum & in conſpectu erat; Ieruſalem verò ex loco, in quem Chriſtus peruenerat,nondum cernebatur: & quidem ex eo loco non poteſt videri Ieruſalem; quare Ieruſalem non eſt caſtellùm, ad quod Chriſtus miſit Apoſtolos pro iumentis.

Item prima & ſecunda.

Contra vtramque ſententiam ſunt plerique Interpretes, & qui de locis ſanctis ſcripſerunt, & communis iſtarum partium traditio, qui caſtellum, ad quod miſit diſcipulos Chriſtus, nec Ieruſalem nec Bethphage eſſe docent, ſed alium vicum è regione Bethphage, ab eoque diſtantem circa quartum milliaris, qui vulgò appellatur, *Caſtellum contra vos*, ſiue *Aſinæ*. Et iſta eſt tertia ſententia.

Tertia ſententia, Caſtellum contra vos, ſiue Aſinæ.

In præſentia, huius caſtelli, ſicut & Bethphage, nulla vel fundamentorum cernitur memoria; ſed hæc in mentibus fidelium conſeruatur.

Proceſſio quotannis ex Bethphage Ieroſolymam fieri ſolita.

Hocque vt meliùs fiat, vt inquam huius caſtelli & Bethphage triumphique Chriſti memoria conſeruetur, ſingulis quoque annis in Dominica Palmarum, Præſul ſacri montis Sion cum aliis Fratribus, peregrinis & ceteris Ieroſolymitanis fidelibus, cum Chriſto & Apoſtolis Bethphage ſe confert, id eſt, ad horum exemplum: quò cùm peruenerit, omnibus in terra proſtratis, ſacro loco deoſculato, poſt fuſas ad Deum preces, Præſul ad puſillum Chriſti gregem, ad collectam ibi fidelem familiam ſermonem facit, vel de Chriſti amore, vel de mundi contemptu, de via qua itur ad gloriam & Ieruſalem cæleſtem, vel de gloria ipſa; vel denique illud breui ſermone perſtringit, quod ſibi magis opportunum loco, tempori & auditoribus iudicat. Pòſt Diaconus, ſacris veſtibus indutus, petita à Præſule benedictione, ſalutat populum, & Euangelium ſecundùm Matthæum cantat, quod ea die in Eccleſia decantari ſolet: qui cùm ad eum locum peruenerit, *Tunc Ieſus miſit duos*

duos discipulos, dicens eis, statim Præsul, qui Christi personam gerit, duobus Fratribus ab eo deputatis, qui coram ipso genuflectunt, ait: *Ite in castellum, quod contra vos est*, &c. ac deinde residuum Euangelij cantat Diaconus; moxque duo illi Fratres ad castellum, id est, ad locum, vbi olim erat castellum Asinæ, proficiscuntur: quò cùm peruenerint, præparatum inuenientes asellum, ducunt ad Præsulem, stratisque super eum vestibus, desuper sedere faciunt; qui in eo sedens per montem Oliuarum Ierusalem pergit, cui Fratres & alij fideles occurrentes continuò sternunt viam herbis, floribus, & palliis, cantantque quod olim pueri Hebræorum obuiantes Christo cantabant, & nunc cantat Ecclesia in processionibus eius diei: *Pueri Hebræorum portantes ramos oliuarum*, &c. Cùm verò ventum fuerit ad locum, vbi Christus videns ciuitatem fleuit super illam, cantatur Euangelium secundùm Lucam cap. 19. in quo eius lamentatio & fletus recensetur: quo cantato, iter cœptum prosequitur.

Magnus ad processionem populorum concursus.

Mirabile autem est, videre in terra infidelium, & Christiani nominis hostium, quanta cum lætitia & solemnitate hæc fiat processio; vt non modò Catholici, sed ipsi schismatici, non minimi, & de plebe, sed maiores & Præsules ipsorum, Guardianum comitentur; eique vt Christo memorata exhibent obsequia, iubilantes occurrunt, & sequuntur vsque ad ciuitatem: tum ciues, vt Christi triumphum videant, foras confluunt, vt sæpiùs propriis oculis vidi.

Ingreditur processio per portam Sion.

Quia verò ingredi ciuitatem per portam Auream prohibitum est, quoniam, vt anteà monuimus, semper clausa muro manet, per alteram, id est, montis Sion, intrat processio: inde pergit ad conuentum & Ecclesiam S. Saluatoris; quò cùm peruenerit, relicto priùs asello, ea perficiuntur quæ eo die in processione fieri mandat Ecclesia: & Ecclesiæ foribus apertis, Præsul cum aliis ingreditur; dictaque ab eo Oratione ante altare maius, versa ad populum facie benedicit, ac cum benedictione dimittit. Qui pòst, corporali benedictione à Fratribus præparata, pro labore recreatur.

CAPVT. XII.

Vnde originem traxerit processio Capite præcedenti commemorata.

CVm in partibus istis publici & solemnes Ecclesiastici ritus ab infidelibus permissi non sint, meritò quispiam inquirere posset, quomodo iam memorata processio fit cum tanta solemnitate permissa, atque vnde originem habuerit. Ad hanc difficultatem respondetur, in quodam Itinerario Terræ sanctæ reperiri, quòd cùm aliquando Ierosolymis, & circa, maxima esset terræ siccitas, ob quam multum patiebantur homines & iumenta, in magnoque vitæ discrimine omnes constituti erant, Gubernator sanctæ Ciuitatis, vt tanto occurreret periculo, iussit omnibus in ea habitantibus, vt singuli secundùm eorum ritus Deum pro pluuia deprecarentur. Iustæ petitioni acquieuerunt omnes, sed non pluit Dominus de cælo. Tuncque singulari Dei ordinatione factum fuit, vt Gubernator, accersito Guardiano sacri montis Sion cum Fratribus suis, illis singulariter præceperit, vt ad Deum preces funderent pro pluuia: ad quem Guardianus omnium nomine respondit, eos libenter quod præcipiebat executuros, tantumque immensæ bonitati ac pietati fidere, quòd abundantes aquas consequerentur; si tamen eis permitteret, vt eorum more, & vt in Christianitate pro similibus necessitatibus fieri consueuit, solemniter in processione, cum cruce & Ecclesiasticis indumentis circumeuntes ciuitatem, Deum deprecarentur. Iustæ petitioni acquieuit Gubernator. Tunc Fratres quanto potuerunt affectu & præparatione se ad Deum rogandum disposuerunt, ne irritas faceret, sed exaudiret illorum orationes. Igitur quodam manè è conuentu egressi Fratres cum cruce, processionaliter circuierunt ciuitatem, Deum pro optata pluuia deprecantes. Et ecce, necdum clamantibus illis, vt olim sitienti terræ ad clamorem Eliæ misit pluuiam super terram Dominus, exaudiuit misericordiarum Pater preces seruorum suorum, & cataractæ cæli apertæ sunt; magnasque aquas misit Dominus, quibus terra & habitantes in ea recreari fuerunt, & madefacti domum reuersi sunt Fratres. Simile scribit Marcus in Vita S. Porphyrij, & refert Gretserus l. 1. de Sacris Processionibus cap. 4.

Prima responsio ad difficultatem.

Christianorum supplicationum efficacia.

Ob tantum beneficium Fratrum supplicationibus à Deo optimo maximo acceptum, gratus Gubernator Fratribus concessit, vt singulis annis cum cruce possent similem facere processionem: quam per aliquod tempus fecerunt; verùm perfidi & semper Filio Dei aduersantes Iudæi, inimici crucis Christi, ægrè ferentes talem processionem, quam sciebant cedere in Christi ac Christianorum honorem, Gubernatori ciuitatis pro tempore existenti persuaserunt, vt prohiberet Christianis talem facere processionem cum cruce, tamquam indecens esset; eoque enim pacto Christus & Christiani super Mahometem

Operis Iudæorum interdicta processio quædam.

Digitized by Google

tem & Mahometistas extolli viderentur. Quibus annuens ingratus Gubernator, illam deinceps processionem prohibuit; & hanc, de qua locuti sumus, à Bethphage ad Ierusalem sine cruce fieri alterius loco Fratribus concessit.

Secunda rejicitur.

Ceterùm multò antiquiorem processionem illam Ierosolymis fieri solitam, antequam postremò ad Turcarum manus sancta Ciuitas peruenisset, & Minores Fratres ad Terram sanctam admissi essent, in hunc modum explico. Cùm hæc processio sit à fidelibus instituta in memoriam triumphi Christi, quando cum asina & pullo magnificus & humilis Saluator in die Palmarum fuit Ierosolymam ingressus, credendum est, exordium habuisse eo tempore quo Terra sancta venit ad manus Christianorum, quando necdum Minores Fratres has partes penetrauerant, imò nec in lucem prodierant. Ierusalem namque circa annum Domini 1099. capta fuit à Christianis exercitum ducente Godefrido Bullonio, & Franciscani Fratres florere cœperunt in Dei Ecclesia circa annum à partu virgineo 1029. quibus proficientibus & fructificantibus in eadem Dei Ecclesia, nonnisi anno Domini 1313. ad regimen locorum sanctorum Regio ac Pontificio diplomate destinati fuerunt, quemadmodum Libro 1. Capite LXVII. indicauimus. Quare piè credendum est, priùs memoratam processionem originem habuisse, etsi de tempore determinato mihi non satis constet; solitam verò fieri loco & modo memorato, probabile est credere, sicut & aliæ festiuitates & solemnitates in peculiaribus aliis sanctis locis secundùm mysteriorum conditionem suis temporibus celebrantur: vt in die Natiuitatis Domini, Missa & Officium solemniter decantatur in speeu & Præsepio Bethlehemitico; in Hebdomada sancta, in sacro Caluariæ monte, in Dominica Resurrectionis Saluatoris, ad gloriosum eius Sepulchrum: similiter dicatur de aliis mysteriis, festis & locis, proportione seruata. Sed postquam loca sancta à Christianis, post Constantinum Magnum & alios Christianos Imperatores, sibi vsurparunt infideles, Christiani nominis hostes, inter alia religionis ac pietatis officia oblivioni tradita, & processio ista creditur intermissa.

Institutæ antiquitus in memoriâ triumphi Christi ante Ordinem Minorum.

Processio intermissa Ierosolymis ab infidelibus capta.

Restituta, à fidelibus sancta Ciuitate recuperata.

Verùm quando Deo placuit respicere super populum sanctum suum, & Ierusalem hereditatem suam, suis fidelibus, post multos superatos labores, restituere dignatus est sub pijssimo ac strenuissimo Godefrido, primo Ierosolymorum Rege, anno Domini 1099. vt docet Guilielmus Tyrius de Bello sacro lib. 8. Sancto loco expurgato & sanctificato, atque omnibus aliis rectè dispositis, pius ac strenuus Rex, inter alia ab eo ad Dei gloriam maturè sancita, instituit, siue melius restaurauit & exornauit sacrum militarem Ordinem Equitum sanctissimi Sepulchri Domini nostri Iesu Christi: & inter alia quæ sacris militibus præscripsit, & hoc vnum fuit, quod Dominica Palmarum fieret memorata processio. Ita habetur in constitutionibus & ordinationibus dicti Ordinis artic. 14. vt videre potes Lib. 11. Cap. XLVIII. Hoc manifestè apparet in primis ex eo quod scribit Fulcherius Carnotensis ad annum Domini 1118. in Balduino, c. 44. Cùm ex Ægypto deferretur Balduinus Rex, vt mortuus Ierosolymis sepeliretur: *Die siquidem*, inquit, *quo Palmarum rami ex more deferri solent, ordinatione Dei & euentu inopinabili, ad processionem, quæ de monte Oliueti ad vallem Iosaphat tunc descendebat, caterua lugubris & dolentis funeris latrix aduenit: quo viso, & sicut erat cognito, pro cantu planctum, pro lætitia gemitum, cunctis qui aderant, dederunt. Plorant Franci, lugent Syri, & qui hoc videbant Saraceni. Quis enim se continere posset, qui non ibi piè fleret? Igitur tunc ad vrbem redeuntes, tam Clerus quàm populus, fecerunt quod doloris conuenit, & consuetudini. Et sepelierunt eum in Golgotha iuxta Ducem Godefridum suum germanum*, &c. Idem Tyrius de Bello sacro lib. 12. cap. 2.

Balduinus Rex mortuus defertur Ierosolymam.

Et adhuc ad ira opinandum adducor ex admirabili quodam crudelitatis ac pietatis euentu, quem Tyri Archiepiscopus Guilielmus narrat lib. 1. Belli sacri cap. 5. cùm enim, antequam per Godefridum Bullonium Ierosolyma caperetur, multis ab infidelibus calumniis & persecutionibus premerentur fideles in ea habitantes, inter eas memoranda est quæ sequitur: *Quidam ciuis ex infidelibus, nostros odio persequens insatiabili, vir perfidus & nequam, vt eis aliquid ad mortem molsretur, morticinum canis clàm proiecit in atrium templi: in cuius munditia conseruanda, eius custodes & vniuersa ciuitas omnem impendebant sollicitudinem. Manè facto, qui orationis gratia accesserunt ad templum, reperientes immundum cadauer & fœtens, panè ad insaniam versi, vniuersam panè vrbem repleuerunt clamoribus. Concurrit subitò populus vniuersus, & omnes asserunt pro constanti, Christianos hoc fecisse. Quid plura? decernitur interitus vniuersis, & tam peculiare flagitium morte piandum indicatur. Fideles verò de sua confidentes innocentia, mortem pro Christo*

Insigne adolescentis Christiani charitatis exemplum.

Christo pati, parati erant. Dumq; adessent speculatores eductis gladiis, vt populum interimerent, obtulit se adolescens plenus spiritu, dicens: Periculosum est, fratres, si ita perit omnis hæc Ecclesia; expedit magis vt vnus moriatur pro populo, & non tota gens pereat: concedite mihi, vt mei habeatis annuam in benedictione memoriam, & generi meo honor in perpetuum debitus conseruetur; ego verò, auctore Domino, hanc à vobis stragem depellam. Susceperunt igitur gratanter verbum; & quod ille petierat, vltrò concedunt. Et vt in ramis Palmarum, ad perennem eius memoriam, eius olinam, quæ Domini nostri Iesu Christi significatiua est, introducant in ciuitatem in processione solemni, confirmant. Quo facto, predictus adolescens Primatibus se offert ciuitatis, reum se confitetur, & omnes alios astruit innocentes. Quod audientes Iudices, aliis absolutis, illum gladio exposuerunt. Et ita pro fratribus animam ponens, cum pietate dormitionem accepit, optimam habens repositam gratiam. Hactenus Tyrius.

Ex isto admirabili euentu, multò ante Godefridum illam processionem Ierosolymis fieri solitam in Dominica Palmarum, deduco. Quam laudabilem consuetudinem, fortè infidelium persecutionibus collapsam, reddita Ierosolymis pace, Godefridus restituit; & iterùm intermissa, Fratrum Minorum opera restituta, vt anteà dictum fuit.

Aduertendum in citato articulo, Godefridum mentionem quidem non facere *Bethphage, & Castelli contra vos*, vnde asina accepta fuit, & nunc exorditur proecessio: sed non obstat; quoniam supponit ibi incepisse, quia hoc modo Christi triumphus melius repræsentatur, quemadmodum Rex & Ierosolymitana Ecclesia illum repræsentare intendebat. Et hæc de præmissa processione probabiliter dicta sint.

CAPVT XIII.

De porta sanctæ Ciuitatis, per quam Rex noster Christus morti proximus glorioso & humili triumpho in Dominica Palmarum Ierosolymam fuit ingressus, duodecimo memorabili loco decimæ Peregrinationis.

INdicauimus in præcedentibus, Christum Dominum, totius humani generis Reparatorem, morti proximum, in die Palmarum, in humili illo & glorioso triumpho, quem nostri gratia suscepit, quando mansuetus Rex, secundùm Prophetæ vaticinium, sedens super asinam & pullum filium subiugalis, à turbis cum ramis olivarum, à pueris Rex & filius Dauid acclamatus & exceptus; indicauimus inquam, veterem receptam secuti traditionem, Seruatorem nostrum ingressum fuisse Ierosolymam per portam Auream; & tamquam rem exploratam, sicco pede, vt aiunt, pertransiuimus, nec erat animus ampliùs de ea verba facere: verùm quoniam, postquam hunc Librum, imò Opus totum conscripsissem, inueni aliam sententiam, quæ, si vera est, ruit illa traditio; vt quæ ex his sententiis probabilior sit, appareat, placuit vtramque in medium adducere, vt, cognita alterius probabilitate, ea approbetur, & maiori affectu porta illa veneratione habeatur, per quam ingressum fuisse Saluatorem in Dominica Palmarum probabiliori ratione persuaderi arbitramur.

De porta per quam Christus in die Palmarum Ierosolymam ingressus fuit, duæ sententiæ.

Prima sententia iam indicata est, Christum Dominum in die Palmarum super asinam ingressum fuisse Ierosolymam per portam Auream, & ex ista in templum fuisse ingressum. *Porta Aurea* dicta, secundùm Hieronymum, quòd auratis olim fulgeret cælaturis; *Orientalis* etiam, quia ad Orientem templi & ciuitatis sita erat: & quia per compendium è templo ad montem Oliueti ducebat, templi potiùs quàm ciuitatis porta. Et hæc est ratio, secundùm Adrichomium de ea agentem in Ierusalem num. 156. quare Nehemias agens de portis sanctæ Ciuitatis, illius mentionem non fecit; & vere sub isto nomine, sed fortè sub alio, vt dicemus. Et ex hoc colligitur altera ratio pro ista sententia, quia cùm Christi intentio in glorioso illo triumpho esset, ingredi ex monte Oliueti in sanctam Ciuitatem & templum, & per portam, quæ breuiori itinere duceret ad ipsum, cùm, vt facilè coniectari possumus, hæc illi ceteris proximior fuerit, per hanc fuisse ingressum, probabiliter credere possumus.

Prima, Aurea porta fuisse dicit.

Aurea porta nominis ratio.

Prima ratio.

Præterea, cùm Christus solemni cum pompa ciuitatem ingredi vellet & templum, probabile est, per illustrissimam & triumphalem portam ingressum fuisse, & hæc erat ista Aurea, propter nobiliorem situm respectu ciuitatis & templi, & propter aurum & argentum, & alia pretiosa, quibus ornabatur; quia ex ipsa rectà erat introitus ad egregiam templi Orientalem portam, quæ Speciosa appellabatur, vt videre est apud citatum Adrichomium in Descriptione Ierusalem & templi num. indicato, & num. 102.

Secunda ratio.

Denique accedit consensus ferè communis Doctorum, Landulphi Part. 2. Vitæ Christi

Tertia ratio.

Christi cap. 28. Salmeronis Tom. 10. Tract. 19. Adrichomij loco priùs citato, & aliorum ab ipso citatorum; præter alios, qui scripserunt de Locis sanctis: estque communis in partibus istis traditio, atque intuitu ingressus Christi Ierosolymis habitantes & peregrini portam illam Auream venerantur. Id aduertens alterius adducendæ sententiæ sectator Villalpandus, loco statim adducendo inquit: *Scio Aream huiusmodi portam Ierosolymis maxima veneratione in huius ingressus Christi memoriam coli; quam arbitrantur ad instar prioris ædificatam loco eodem, per quam aditus hodie ad montem Oliueti in templum patere potuisset.*

Secunda sententia tradit esse portam Gregis.

Secunda sententia est Villalpandi To. 3. Apparatus vrb. lib. 4. cap. 26. qui cap. 7. dicit, adductam alteram esse falsam, & diuino vaticinio repugnantem; & per portam Gregis, siue Genath, & horti Regis, Christum triumphantem intrasse in die Palmarum Ierosolymam: quam sententiam se probare arbitratur Prophetæ vaticinio, figura, & ratione.

Primum argumentum Villalpandi.

In primis inquam Prophetæ vaticinio. Mich. 4. 7. Michæas enim dicit: *Et regnabit Dominus super eos in monte Sion ex hoc nunc & vsque in æternum: & tu turris Gregis nebulosa filiæ Sion vsque ad te veniet*, &c. In his verbis prædixit Propheta ingressum Christi in Ierusalem gloriosum in die Palmarum, in eo enim sensu adducitur ab Euangelistis, prædicat felicem turrem Gregis; quoniam per portam Gregis intrauit, ab ea turri sibi proxima sic appellata: & si legeretur, non vt Sixtianus codex, *filiæ*, sed vt Ribera & alij, *filiæ Sion*, non tamen alium, inquit, licet eruere sensum; nam & portæ felicitatem, Sionis felicitati, & hanc illi maximè conducere, non est dubium: Filia autem Sion dicetur ea turris, vtpote Sioni proxima, in eius quasi matris gremio sita.

Secundum argumentum. 2. Esd. 3, 1.

Secundò, id ipsum præmonstratum, siue præfiguratum arbitratur in illius portæ reædificatore, qui fuit magnus Sacerdos Eliasibus, magni Sacerdotis Christi Domini verus typus. Neque ob aliam causam, inquit, Nehemiam credimus, instaurandam vrbem aggressum ab hac porta, tamquam à capite initium duxisse, eam totius Synagogæ ac gentis capiti Eliasibo Sacerdoti magno ædificandam vnà cum Sacerdotibus tradens, quàm vt huius portæ dignitatem, magnificentiam & gloriam testatam futuris sæculis relinqueret. Ea autem omnia, quæ diximus, in figura quidem illis contigisse non dubitamus; & quasi in vmbra eius gloriæ, quam, vt multò antè prædixerat Michæas, aduentus Christi attulit: hac enim porta in die Palmarum, quasi triumphum agens, ingreditur; de quo sanctus Lucas Euangelista sic scribit: *Et cùm appropinquaret iam ad descensum montis Oliueti*, &c. Luc. 19. 37.

Tertium argumentum.

Et tertiò rationem addit, ex propinquitate huius portæ ad templum & montem vnde Christus veniebat. Ex loco vnde venit, inquit, nempe à monte Oliueti, & ex templi situ, in quod ingressum fuisse testatur idem Euangelista, non dubia coniectura ducimur, vt credamus, per portam Gregis, quæ monti obiecta, & templo vicina erat, ingressum fuisse Dominum, &c. Hæc ratio, secundùm Villalpandum, magis apparet ex ipsius responsione ad fundamenta alterius sententiæ, quæ sic habet cap. 26.

Responsio Villalpandi ad rationis primæ sententiæ.

Porta Aurea Orientalis, quam maximè celebrant nostræ ætatis Scriptores, nulla vnquam fuit olim sic dicta vel in templo, vel in vrbe: quòd verò tradunt, per eam ingressum fuisse Christum Dominum in die Palmarum, falsum omnino est; repugnat enim Sophonia vaticinio (credo esse mendum, & pro *Sophonia* legendum *Michæa*, cuius ipse meminit) *per Gregis turrim ut portam ingressurum eo die Christum Dominum enuntianti, vt suo loco ostendemus. Id verò quod tradunt, Aureum portum compendiaria via à templo ad Oliueti montem duxisse, non auderent asserere, si attentiùs Iosephum legissent, asserentem, templum ab Orientali sui parte, quæ Oliuarum montem prospicit, trecentos & eo amplius cubitos erectum fuisse, atque adeò inter illud, quod vix oculis quis posset emetiri, deficiente visu, vt ait idem Iosephus, præ nimia altitudine, hoc ipsi Christum Dominum, super asinam & pullum eius humane more vectum, emensum fuisse arbitrantur. Quapropter nulla fuit compendiaria via, quæ à templo rectà duceret in montem Orientalem; sed per portam Gregis ingressos ducebat recta via ad Aquilonarem peribeli templi, indeq; per Orientalem viam ad Speciosam templi portam, per quam introisse arbitramur in templum Christum Dominum.* Hactenus ex Villalpando.

De præmissis sententiis iudicium.

Si in hac difficultate licet proprium proferre iudicium, illud tribus præmissis aperiam. Primum sit, ex Scriptura diuina nihil certi statui posse pro vtraque sententia; quod magis apparebit post responsionem ad argumenta Villalpandi. Quare sicut, *Nostra est cùm Scriptura sacra.* dicendo cum Villalpando, Christum ingressum fuisse in sanctam Ciuitatem per portam Gregis, non loqueremur contra Scripturæ auctoritatem; ita, dicendo cum

communi ſententia, ingreſſum fuiſſe per portam Auream, non eſt dicere omnino falſum & repugnans Michææ vaticinio vel alteri Scripturæ, quemadmodum arbitratus fuit Villalpandus.

Plurium ſententia & communis particulari præferenda.

Secundum ſit, in his, in quibus non habemus firmiorem ſacræ Scripturæ ſermonem, ſtandum eſſe magis plurium auctoritati, traditioni & probabiliori congruentiæ, quàm paucis inefficaci ratione refragantibus; præſertim cùm, plurium ſententiam & traditionem non eſſe ſine ratione, & meliori quàm paucorum, ſentiendum ſit.

Porta aurea & Gregis Orientales diſtincta.

Tertium ſit, diſtinctionem eſſe inter portam Auream & Gregis, & has illas eſſe, quas agnoſcunt habitatores Ieruſalem in eodem tractu Orientali vrbis, Oliuarum montem reſpicientes; & Auream eſſe, quæ in præſentia clauſa manet, Gregis quæ aperta eſt, aliàs à Ioſepho vocata porta Genath, & horti Regis, hoc eſt hortorum, vtpote, quæ hortis tum regiis tum verò aliis quàm plurimis vallis Hennon viam aperiret: quam nunc peregrini, atque Ieroſolymis degentes Chriſtiani, portam vocant ſancti Stephani; & ita notauit idem Villalpandus ex Zuallardo peregrino Ieroſolymitano. Hoc dixi propter eos, qui aſſerunt, portam Auream eſſe portam Gregis; quibus nullo modo, & mentò, aſſentit Villalpandus.

Prima ſententia tenenda.

His ſic prælibatis, dicerem, priorem communem ſententiam tenendam eſſe, propter plurium auctoritatem, communem traditionem & rationem, vt vidimus: quia quæ pro ſingulari ſententia Villalpandi afferebantur, magis illi refragari quàm ſuffragari videntur, vt ſtatim ex ipſorum ſolutione apparebit.

Ad argumenta ſecundæ ſententiæ.

Igitur ad Michææ auctoritatem dicendum, non magis fauere Villalpando quàm nobis: tum quia dicere poſſumus, in ea non

Ad primum.

fieri alluſionem ad portam aliquam Auream, vel Gregis, ſed ad ciuitatem, vel templum, quæ turris nomine intelliguntur, vt placet D. Hieronymo & aliis auctoritatis Scriptoribus, vt Libro VI. Cap. VI. III. Peregrinat. notamus. Tum quia, licet concedamus, Prophetam loqui de aliqua turri Ieroſolymitana eo nomine appellata, quid inde? ergo Saluator intrauit Ieroſolymam

Magis pro prima concludit.

per portam Gregis. An non potuit ingredi per aliam Auream, proximiorem loco vnde veniebat, & templo? Et ſi ea turris *filia Sion*, vel *filia Sion* dicitur, quia Sioni proxima, in eius quaſi gremio ſita, vt inquit Villalpandus; melius & verius dicemus, proximiorem fuiſſe Sioni portam Auream, & hác potiùs ab illa turri denominari, vt Sioni proximiorẽ altera Gregis porta, quæ in extremo ciuitatis Sion reſpicit; & Aurea eſt inter Sion & portam Gregis, ſiue S. Stephani. Hæc quilibet, etſi vix apertis inſpiciens oculis, ne dicam cæcis, confitebitur. Quare, ſi vera eſſet Villalpandi ſententia, fuiſſe Ieroſolymis turrim templi, & portæ Gregis, appellatam turrim Gregis; non tamen vera eſſet illa interpretatio, nuncupatam filiam Sion, quia velut filia in Sion gremio ſita ſit, ſed quia erecta in ciuitate inferiori, quæ filia Sion appellatur; quoniam à Sion, ſiue ciuitate ſuperiori, velut filia à matre, videtur deſcendere, vt, de ſancta Ciuitate agentes, notauimus. Ideò, ſi non ſum hallucinatus, ſi aliquid valet argumentum Villalpandi, valet pro prima communi ſententia, & non pro ſua ſecunda particulari. Præterea, turris felicitas magis attendenda eſt ex manſione Chriſti in templo, quàm ex tranſitu per portã vel ſecus turrim: & ſi ex portã, ex Aurea dicemus; quoniam tẽplo & valli Hennõ proximior, vt priùs notauimus.

Salmeronis ſententia.

Et propter hæc arbitror, Salmeronem Tomo 10. Tract. 19. has duas portas non diſtinxiſſe, ſed Auream & Gregis eamdem portam ſtatuiſſe; loquens enim de ductione Chriſti ex horto ad tribunalia ſic dicit: *Adduxerunt autem eum per portam Auream templo proximam, quæ aliàs dicitur Probatica, vel Ouium porta; per quam paucis antè diebus fuerat ingreſſus cum tanto triumpho & honore palmarum*, &c. idem videtur indicare Tom. 1. Proleg. 42. agens de portis ciuitatis; illamque primo loco ſtatuit. Probatica verò & Gregis idem ſignificant, eodem Villalpando auctore vbi ſuprà cap. 7. poſt principium; vbi & dicit, eſſe proximam templo, & omnium portarum celeberrimam: verùm nunc, nobis cernentibus, Aurea proximior eſt templo alterâ, quam ipſe vocat Gregis, & ſancti Stephani. Et ſi verum eſſet Salmeronis dictum, haberemus, contra Villalpandum, in Scriptura ſacra, & apud probatos Scriptores, mentionem fieri portæ Aureæ, quamuis non ſub hoc nomine. Ad hæc, ſi hoc etiam verum eſſet, reſponſum eſſet ſecundo fundamento Villalpandi; nam Eliaſibus magnus Sacerdos eam ædificaſſet.

Ad ſecundum Villalpandi argumentum.

Sed hoc non obſtante, dicimus, in aliis quàm in ædificatione portæ Gregis fuiſſe Eliaſibum typum Chriſti Domini, vt in Sacerdotio: vt, ſicut magnus ille, ita maximus iſte: & ſicut ab Eliaſibo & Sacerdotibus aliis ciuitatis Ieruſalem reædificatio exordium habuit; ita Chriſtus totius Eccleſiaſtici ædificij fundamentũ extitit, & cum Sacerdotibus & paſtoribus, ſanctis Apoſtolis, aliisque Apoſtolicis viris abſoluit, & dilatauit. Quòd verò in die Palmarum Chriſtus

Digitized by Google

ſtus intrauerit per portam ab Eliaſibo reædificatam, non refert; ſufficit alias ingreſſum fuiſſe, vt Eliaſibus, quantum ad hoc fuerit Chriſti figura; nam in die Palmarum, quando nobilem triumphum agebat, decuit ipſum intraſſe per nobiliſſimam & triumphalem portam Auream.

Ad tertium Quod in tertia ratione aſſumitur, negatur omnino: ſtatim enim oſtendemus, quod non ſemel innuimus, portam Auream proximiorem fuiſſe templo, & Chriſto commodiorē, ad ingrediendum Ieroſolymam & templum è loco vndè veniebat, altera porta Gregis, ſiue S. Stephani; quamuis maior iſta propinquitas in iſto triumpho multum facienda non eſſet, ſed potiùs dignitas & excellentia portæ: & tunc temporis pluris fiebat porta Aurea & Orientalis.

Confutatio reſponſionis Villalpandi ad rationes prima ſententiæ. Nec quæ dicit Villalpandus, confutando prioris ſententiæ fundamenta, officiunt, vt abſque difficultate licet ex dictis colligere. Sed dicamus vlteriùs, cùm aſſerit ille, nullam portam fuiſſe ciuitatis vel templi, quæ Aurea appelletur, concedimus, in Scriptura eam tali nomine haud eſſe appellatam, benè tamen alio, vt Gregis, ſecundùm Salmeronem, vel aliquo alio; & ſub illo apud probatos veteres ac recentiores Scriptores, & ab vniuerſo populo nuncupata inuenitur. Nec mirum, ſacros Scriptores illa nomenclatura eam non appellaſſe, ſed benè alios poſt ipſos; quia iſti animaduerterunt in ea mutationem in melius, illuſtria inquam illius ornamenta, aureas cælaturas, quibus exornabatur, quæ in ea non erant antiquioribus temporibus: quare, veteri relicto nomine, nouum illuſtrius ei inditum fuit. Simile aliàs fieri, ex vſu & Scriptura nouimus.

Ad Ioſephi auctoritatem. Congruentia illa ratióve dictis Villalpandi ex Ioſepho non infirmatur. Eſto enim, templum ea parte, qua ad Orientem Oliuarum monté proſpicit, trecentos & eo ampliùs cubitos erectum fuerit, intellige ſupra vallem Ioſaphat; ſed non minus erectum eſt planum areáve, vel vbi fingit Villalpandus turrim Gregis, vel ædificata eſt porta Gregis; hæc enim ſunt in eadem linea & area ciuitatis. Vallis Ioſaphat ex hac parte non minùs profunda eſt; & qui ampliùs affirmaret, à vero non aberraret: hoc deducitur ex eo, quòd Sepulchrum B. Virginis Mariæ, & templum circa ipſum extructum, niſi poſt aliqualem deſcenſum ex porta S. Stephani ad vallem Ioſaphat, videri poteſt: & in ſatis profundo loco huius vallis ſitum eſſe, ſuo loco oſtendimus. Totum Orientalem tractum Ieruſalem montem Oliuetum reſpicere, ad oculum patet, vt notauit ipſe Villalpandus Tom. 3. Appar. vrb. lib. 1. cap. 5. Quare ſi auctoritas Ioſephi officeret, non minus ei quàm nobis officeret: ſed nemini officit, vt ex declaratione compendiariæ illius viæ, ſiue ex templo ad montem, ſiue ex monte ad templum, ſtatim apparebit.

Igitur via hæc compendiaria non ita accipienda eſt, vt nos eam accepiſſe videtur opinatus fuiſſe Villalpandus, vt ex ea parte Oliueti, quæ habet è regione templum, rectà per portam Auream Chriſtus ingreſſus fuerit ciuitatem, & ex ea in templum; ita vt velut lapis ſe præcipitem Chriſtus dederit ex ea parte templi, & inde velut anguis per vallis Ioſaphat collem reptauerit, & ita per Auream portam ſe intruſerit: non tale inquam compendium nos vel alij prioris ſententiæ ſectatores ſuſpicati fuimus, ſed huiuſmodi, quale & in præſentia abſolueretur, ſi ex monte Oliueti in proceſſione Bethphage, vel alia occaſione ingredi daretur in templum Salomonis, & porta Aurea eſſet aperta: fuit enim, & eſſet vt ſequitur.

Compendiaria via, qua Chriſtus ex monte Oliueti Ieroſolymam per portam Auream ingreſſus fuit, explicatur. Diſceſſit Chriſtus à Bethphage, & per montem Oliueti ad Aquilonem verſus direxit greſſus: & cùm peruenisſet prope locum, vnde poſteà glorioſus aſcendit in cælum, vbi eſt via deſcenſus montis ad ciuitatem, conuertit ad Occidentem & ciuitatem faciem, deſcenditque per hanc partem; & poſt montis deſcenſum, tranſitum vallis Ioſaphat, & pontem torrentis Cedron, proximum horto Gethſemani, ſeſe illi obtulit velut in triangulo ex dextera & Aquilonari parte porta S. Stephani & Gregis, & ex læua & Meridionali, porta Aurea ciuitatis; per quam vlteriùs procedendo ad Occidentem, proximè occurrit templi Orientalis porta, quæ è regione Auream habet. Quare ex Aurea porta ad Occidentem dirigendo greſſus, ad illam breuî peruenitur; ſed ex altera Gregis non item, quoniam progrediendum eſſet vlteriùs verſus Auream, & inde ad templum, longiori via, vt patet. Itaque cùm prior illa via compendiaria videatur ac commodior, & porta Aurea celebrior, per illam credimus in ſuo glorioſo triumpho Saluatorem noſtrum ingreſſum fuiſſe. In præſentia licet porta Aurea clauſa ſit, & ex parte Orientali non ſit introitus in ciuitatem, & inde ad templum, niſi per portam Gregis, adhuc tamen per aliam viam eſt commodus aſcenſus. Quare, vt concludamus, ex Aurea porta per Specioſam Orientalem portam templi humilis Rex Chriſtus in glorioſo illo triumpho ingreſſus fuit ciuitatem & templum. Ex his quilibet iudicet, quænam ex illis opi-

Obiectionis solutio.

opinionibus probabilior sit. Quamuis enim destructa fuerit ciuitas, verùm in reædificatione conseruatus fuit situs portarum; quarum nomina posteri conseruarunt, vel saltè parum immutarunt.

Porta aurea ob plura memorabilis ac venerabilis.

Vt portam Auream veneratione dignam iudicamus, quoniam per eam ingressus fuit Christus Dominus in die Palmarum; ita & memorabilem prædicamus, quia in ea sancti illi coniuges, Ioachim & Anna, de futura prole læti, sibi mutuo occurrisse scribitur.

Et quia per eam Heraclius Imperator, parta diuinitus de Chosroa Persarum Rege victoria, partem Dominicæ crucis conquisitæ, plebeio & humili amictu vestitus, detulit in Ierusalem, modo quo in festo Exaltationis sanctæ Crucis legitur in Breuiario Romano.

Notauit etiam Radzinil. in Ierosol. peregr. Epist. 2. pag. 75.

De hac porta alia diximus supra Cap. x. huius Peregrinationis: quibus & hæc adde, muro clausam asseruari à Turcis, præter rationem antè adductam, quia per ipsam ingressurum esse Regem, qui capturus est Ierusalem, & erit dominus totius mundi, dicunt Mahometistæ; & quia infideles omnes, qui per eam transibant, protinus animam exhalabant; & ne alius à Mahometanis per eam ad templum Salomonis accedens, illud contaminaret.

CAPVT XIV.

De porta templi quæ Speciosa creditur, per quam Christus Iesus in die Palmarum triumphali pompa in templum Dei intrauit, decimotertio loco decimæ Peregrinationis.

CApite præcedenti probabiliter ostendimus, secuti communem sententiam & traditionem, Christum Regem & Saluatorem nostrum in solemni illo Palmarum triumpho ingressum fuisse in sanctam Ierusalem ciuitatem per portam Auream; & innuimus ex eadem sententia, à qua non recedit Villalpandus, intrasse in templum per portam quæ dicitur *Speciosa*: quare, quantum ad hoc, videtur esse communis omnium consensus; & quàm rationabilis ex dicendis apparebit.

De Speciosa porta sitn dissensio.

Verùm quoniam non conuenit inter omnes in assignatione situs huius portæ, & res est perobscura, præmissis quàtuor Notabilibus, quid mihi probabilius videatur, aperiam. Et tantò magis facienda erat mentio huius portæ, quoniam Ierosolymis solemnis est, & veneratione habetur, etsi, vt videbimus, non in proprio loco agnoscatur: de qua nos hactenus locuti non fuimus.

Templum à seniore Herode instauratum ingressu suæ Deus sanct.

In PRIMIS itaque NOTANDVM, templum Ierosolymitanum, in quod Christus intrauit, non fuisse illud primum per Salomonem ædificatum, neque secundum per Zorobabelem restitutum; sed tertium, per seniorem Herodem Ascalonitam ad pueris imitationem ædificatum, sicle reparatum.

Quatuor habebat porticus.

Hoc templum, inter alia, quatuor continebat porticus, de quibus & earum vsu Iosephus Iudæus lib. 2. aduersus Apionem in hunc modum scribit: *Quatuor porticus habuit in circuitu, & harum singulæ propriam secundùm legem habuere custodiam. In exteriorem itaque ingredi licentia fuit omnibus, etiam alienigenis; mulieres tantummodò menstruata transire prohibebantur. In secundam verò porticum cuncti Iudæi ingrediebantur, eorumq; coniuges, cùm essent ab omni pollutione mundæ: in tertiam masculi Iudæorum, mundi existentes, atque purificati: in quartam autem sacerdotes stolis indui sacerdotalibus: in adytum soli Principes sacerdotum, propria stola circumamicti.* Hæc Iosephus.

Communi & proprio appellabantur nomine.

Illæ porticus & distinctis nominibus & communi appellabantur: distinctis quidem, quoniam prima exterior *immundorum* porticus & atrium, secunda *mulierum Israëlitarum*, tertia *mundorum virorum*, quarta *Sacerdotum*; vel *templum*, *sanctum*, *sacrosanctum*, & *Sancta sanctorum*, & aliis nominibus nominabantur: communi verò nomine, id est *templi*, quælibet porticus vel atrium appellabatur. Et quoniam de interiori parte sacerdotum non est dubitatio, de aliis exterioribus profero testimonium. Ioan. 10, 23. dicitur: *Ambulabat Iesus in templo, in porticu Salomonis.* Quæ porticus erat vel prima, vel secunda, secundùm varias opiniones, vt dicemus, quam frequentabant Apostoli, non interior sacerdotum; quia cùm nec Christus, nec Apostoli essent legis Moysaicæ sacerdotes, erat illis ad illam aditus interdictus. Iosephus primam porticum, *primum templum* nonnumquam appellauit.

Difficultas de numero & dispositione portarum exterioris & secundi templi.

SECVNDÒ NOTANDVM, ad illas porticus per varios gradus & portas fuisse accessum, vt variis in locis indicat Iosephus. Sed quid de numero & dispositione portarum exterioris templi vel secundi dicendum est? Iosephus non in vno dumtaxat loco de his portis locutus est, & non eodem semper modo: lib. 6. Bel. Iudaic. cap. 6. decem enumerat, à Meridie quatuor, totidem à Septemtrione, & ab Oriente duas; libro verò 15. Antiq. cap. 14. describens nouum templum

Digitized by Google

templum ab Herode reſtitutum, auctum & nobilitatum, manifeſtè tradit, ſeptem tantùm habuiſſe portas, ternas à Meridie, ex aduerſo totidem, & vnam magnam ad Orientis partem fuiſſe locatam. Ecce quomodo inter ſe videtur pugnare Ioſephus; ſed conciliabitur poſteà.

Omnes ſunt in plaga Meridionali, Aquilonari & Orientali. Ioſephus ſibi contrarius videtur.

Et quomodo duæ illæ Orientales appellabantur, cuius erant conditionis, quomodoque erant diſpoſitæ? De his enim tantùm agendum, quia harum cognitio noſtro inſtituto deſeruit.

Denomine ac conditione portarum Orientalium.

A Ioſepho altera extra templum poſita ab ære Corinthio *Corinthia*, altera intra templum *Magna*, vel *Maior*, quòd craſſiori argento & auro veſtiretur, eſt appellata. De Corinthia ſic ſcribit Ioſephus loco priùs citato: *Vna verò, quæ extra templum erat, ære Corinthio, quæ multo argento incluſas & inauratas honore ſuperabat: & binæ fores quidem in ſingulis ianuis erant, tricenis cubitis altæ, quindenis etiam latæ.* De altera verò Magna hæc idem Ioſephus eodem loco habet: *Aliarum quidem portarum æqualis fuit magnitudo; porta verò, quæ ſuper Corinthiam portam à loco mulierum ab Oriente aperta erat, è regione portæ templi multò maior: quinquaginta enim cubitis ſurgens, quadraginta cubitorum fores habebat, ornatumq; magnificentiorem, quoniam craſſiori argento atque auro veſtiebatur*, &c.

Extra templum Corinthia, quæ intra, Magna & Maior.

Maior ſuper Corinthiam dicitur, quia templo propinquior.

Dicitur hæc porta eſſe ſuper Corinthiam; quia propinquior erat templo, & in loco celſiori extructa è regione Corinthiæ: à Corinthia enim per quindecim gradus ad illam aſcenſus erat, inquit Ioſephus, & refert Barradius de his agens Tom. 2. Concord. Euang. lib. 3. cap. 39. ob hanc rationem magnificentiùs, vt credo, extructa erat.

Ex harum portarum varietate Cardinalis Baronius Tom. 1. ſub anno Chriſti 34. num. 260. vnum deducit, duas has portas Orientales non fuiſſe in frontiſpicio eiuſdem porticus: *Certè*, inquit, *nec ſtructura ratio pati poſſe videtur, vt in eodem frontiſpicio ad Orientem vergente duæ portæ fuerint inæquales conſtructæ; quarum altera tricenis, vt ait, cubitis alta, quindenis lata; altera verò quinquaginta cubitis eminens eſſet*, &c. Quare in diuerſis porticibus erunt collocandæ, vt indicauit Ioſephus, exteriorem alteram, interiorem alteram appellans.

Corinthia idem quod Speciosa.

TERTIÒ NOTANDVM, *Corinthiam* portam illam eſſe, quam D. Lucas Act. 3, 2. *Speciosam* appellat. Ita communiter docent Baronius vbi ſuprà num. 262. Barradius Tomo 3. lib. 4. cap. 16. ad illa verba Ioannis 10. *Et ambulabat Ieſus in templo in porticu Salomonis*, Ribera lib. 1. de Templo cap. 16. Lorinus in Act. 3, 2 & alij.

De altitudine Speciosæ portæ.

Portam Speciosam quidam arbitrantur ædificatam fuiſſe à Ioathan filio Oziæ: erat ſublimiſſima, à terra altè ſuſpenſa, cùm ceteræ portæ terram attingerent. *Porta Ioathan* dicta, & *Porta domus Domini ſublimiſſima & excelſa*, 4. Reg. 15, 35. & 2. Par. 27, 3. Alij aiunt, fieri non poſſe vt ſit illa Ioathæ, ſed altera loco eius ædificata ab Herode, qui templum deſtructum reparauit, ſecundùm Ioſephum lib. 15. Antiq. c. vlt. dicuntq;, Gagneio & Salmerone referentibus, Herodem illam extruxiſſe reliquis portis altiorem, ideòque vulgari nomine vocatam *Speciosam*. Comeſtor in Hiſt. ſchol. c. 17. *Speciosæ* nomen ortum dicit ab ornamento, quod addidit Alexander Hircanus.

Ratio nominis.

QVARTÒ & VLTIMÒ NOTANDVM, vnam ex illis templi partibus, vbi erat porta Speciosa, appellari in Scriptura ſacra, porticum Salomonis, vt Ioan. 10, 23. Act. 3, 11. & 5, 12. Non enim his in locis porticus Salomonis nomine indeterminatè templum intelligitur, vt Vatablus & nonnulli alij ſuſpicati fuerunt: etenim cùm conſter, Chriſtum non ambulaſſe, nec Apoſtolos manſiſſe in atrio ſacerdotum, ſingulariter facta non fuiſſet mentio porticus Salomonis, niſi ea aliqua particularis pars templi eſſet intelligenda. Huius partis mentionem fecit Ioſephus, ſecundùm Baronium & Lorinum. Ioſephus lib. 20. Antiq. cap. 8; & 6. Bel. cap. 6. *primum templum* nominat.

Pars templi porticus dicitur.

Primum templum à Ioſepho appellatur.

Controuertitur modò inter Doctores, quænam pars templi porticus diceretur Salomonis: aliis opinionibus prætermiſſis, duas probabiliores adduco. Altera eſt Alcuini apud D. Thom. in Cat. Ioan. 10. D. Thom. Lyran. Dion. quam ſequitur Barradius locis citatis, fuiſſe ſecundam, quæ *atrium populi* & *mundorum* appellatur; & hîc eam pluribus probare contendit.

Qua pars templi porticus Salomonis diceretur, duæ præcipuæ ſententiæ. Prima, fuiſſe ſecundam partem. Secunda, primam.

Altera tenet, fuiſſe primam exteriorem, atrium Gentium dictam. Ita Ioſephus locis proximè citatis, Villalpandus Tom. 2. lib. 3. cap. 9. & alij adducti Auctores; &, vt videre potui, communior ſententia eſt, de qua ſic ſcribit Pineda de rebus Salomonis lib. 5. cap. 5. num. marg. 119. poſt alias recenſitas opiniones: Sed ex illis quæ ſuperiùs dicebamus, multo veroſimiliùs colligemus, fuiſſe eam porticum in atrio Gentium: qui locus celebrior erat, & Chriſti Domini prædicationi, & miraculorum operationi & glorificationi opportunior, vt qui omnibus indifferenter eſſet expoſitus. Et quamuis non ſolùm illa porticus eſſet à Salomone extructa, ſed & quadriporticus in templi circuitu; tamen peculiarem Salo-

Quare porticus Salomonis nuncupata.

monis appellationem multis de causis habere potuit: in quo multò probabiliùs diuinare illi mihi videntur, qui vel ex regia Salomonis columna & subsellijs, vel ex loco ad orationem destinato, illam appellationem desumptam arbitrantur; quæ terè omnium sententia est: vel quòd illa porticus, aut saltem magna illius pars, non esset à Chaldæis euersa: vnde factum est vt semper retinuerit primam illam sui auctoris denominationem, vt arbitratur Ioannes Maior in Euang. Ioan. 10. Lorinus Act. 3. 2. &c.

Responsio ad difficultatem. Prima sententia statuit Speciosam in fastigio Orientali secundi atrij.

His præmissis, difficultati respondetur secundum hanc duplicem sententiam. Barradius itaque, priorem secutus, appositè etiam mihi videtur statuere portam Corinthiam, siue Speciosam, in fastigio Orientali secundi atrij, per quam mundi viri & mulieres ingrediebantur, seorsim mansuri in propriis locis; alteram verò, id est Maiorem, diuidentem atrium vel locum virorum ab illo feminarum, è regione Speciosæ statuit.

Obiectionis solutio.

Si ei obijcitur, fuisse illam portam templo extimam; Respondet, non dici exteriorem, quòd esset absolutè extra templum, aliàs fuisset etiam extra atrium Gentium, sed respectu sacri templi, quod in sancta & Sancta sanctorum diuiditur; & extra sacrum atrium sacerdotum, in quo erat altare holocaustorum, & sacrificia offerebantur, &c. Harum partium comparatione, ipsum atrium Gentium dicitur fuisse extra templum à Iosepho 7. de Bel. cap. 11. Ita in sententia respondet Barradius Tom. 3. quare hic Auctor nullam portam assignat in plaga Orientali exterioris Gentium porticus.

Baronius, qui posteriorem sequitur sententiam, primam porticum dici porticum Salomonis, suffragatur Barradio in eo quòd portam Corinthiam collocet in eodem secundo mundorum templo; sed eidem refragatur, dum alteram Maiorem ante ipsam agnoscit in immundorum atrio. sic enim ait de Corinthia loquens: *Portam Maiorem appellat (* Iosephus*) respectu ceterarum quas in eodem secundo templo positas dixit. Illam ipsam esse mihi persuadeo, quam alibi idem auctor Maiorem appellans, locatam super eam ab Herode seniore aquilam auream tradit (* 17. Antiq. cap. 8. *) quam non fuisse extra templum in porticu Salomonis, efficax illa ratio persuadet, quòd ibidem Auctor affirmet, detraxisse è porta iuuenes illos dictam aquilam auream, inspectante, vt ait, congregata in templum multitudine: adeò vt opus fuerit, tam audax facinus non foris, sed intra Salomonis porticum esse patratum.*

Prima sententia refragatur Baronius.

Et post pauca ad idem de vtriusque Orientalis portæ dispositione hæc subijcit: *Rursum verò in interiori porticu septem fuisse portas, sex à lateribus, ternas hinc inde positas, & vnam quæ spectaret ad Orientem, quæ prima ac maioris portæ è regione posita esset; hanc, fuisse illam Corinthiam, super quam Iosephus Maiorem portam locatam fuisse testatur; quam sic extra templū positam dicit, quòd scilicet non esset in prima illius templi porticus frontispicio, sed extra illud, minimum in secunda porticu posita: nulla etenim ratio patitur, vt in prima esset portica, quæ minor altitudine & latitudine haberetur.* Hæc Baronius.

Secunda sententia Baronius ponit Speciosam in prima porticu, Maiorem in secunda.

In hac difficili controuersia, dicerem probabiliter, quantum ad intentum nostrum facit, portam Corinthiam, siue Speciosam, fuisse simpliciter primam & exteriorem Orientalem portam templi: quare si atrium exterius & immundorum habuit portam, hanc arbitramur fuisse Speciosam, si non habuit, vt sensit Barradius, tunc fuisse in secundo atrio & mundorum sentimus. Quantum ad secundam huius propositionis partem, conueniunt etiam Baronius & Barradius quantum ad situm; sed dissentiunt, quia hic primam & exteriorem, ille secundam & interiorem dicit: vnde, quantum ad ordinem, sentio cum Barradio, primam hanc exterioremque statuendo, & alteram, Maiorem dictam, secundam & interiorem è regione illius.

Speciosa fuit absolutè prima templi porta.

Probatur tripliciter. Primò.

Probatur ergo propositio quantum ad primam partem tripliciter. Primò, quia Iosephus portam Corinthiam absolutè exteriorem appellat, & extra templum fuisse dicit, vt iam vidimus; quia videlicet extrema erat & prima ingredientibus templum ex Orientali plaga.

Responsio ad Baronij responsum.

Nec responsio Baronij videtur satisfacere, dici exteriorem, quia non erat in primæ illius templi porticus fastigio, sed extra in secunda porticu; tum quia absolutè loquitur Iosephus; tum quia exterius nomen magis propriè dicitur de exterioribus & remotioribus partibus, quàm de interioribus, vt satis constat, & dixit Barradius Tom. 2. vnde si erat altera porta ante eam, hæc interior dici debuit.

Secundò.

Secundò, eadem propositio probatur ex dispositione, quam alteri portæ Maiori in ordine ad hanc assignat Iosephus, dicens, portam illam Maiorem fuisse super Corinthiam, id est, in loco celsiori accliuis montis, propinquiorem interioribus atriis mundorum virorum, vel sacerdotum. Huius etiam Maioris portæ respectu, Corinthia potest exterior dici, & consequenter prima Orientalis.

Tertiò,

Tertiò. Tertiò, ratione in Scriptura fundata efficaciùs probatur. D. Lucas Act. 3, 10. loquens de quodam paupere claudo quem sanauit Petrus, inquit, quòd sedebat ad Speciosam portam templi, vt peteret eleëmosynam ab introeuntibus in templum. Igitur cùm illius mens fuerit, vt & similium pauperum, copiosam citò colligere eleëmosynam, debuit iacere in loco vbi frequentior erat concursus quorumcumque virorum & mulierum, vt ab omnibus eleëmosynam colligeret; sed is est in priori porta templi: cùm itaque ad hanc iaceret claudus, & ista esset Speciosa, consequens est vt dicamus, hanc fuisse primam. Et si hæc erat in primo immundorum atrio, ab omnibus ingredientibus, mundis & immundis, eleëmosynam collegisset; si in secundo sita erat, cùm extra ipsam maneret, potuit petere eleëmosynam à Gentilibus & immundis in primo atrio consistentibus, & à mundis & Iudæis in secundum atrium ingredientibus.

Confirmatur. Confirmatur ex his quæ subijcit Lucas Act. 3, 3. de claudo, Petro & Ioanne: *Is*, inquit, *cùm vidisset Petrum & Ioannem incipientes introire in templum. Incipientes introire*, dixit; quia Speciosa porta, ad quam iacebat claudus, & per quam intrabant Petrus & Ioannes, erat prior porta per quam intrabatur in templum, quomodocumque accipiatur templum, pro prima vel pro secunda illius parte. Item, cùm paulò pòst, accepta per Apostolos sanitate, dicitur intrasse cum eis in templum. Ac denique, quia, claudo ad portam Speciosam sanato, & ingresso templum, addit Euangelista, cucurrisse omnem populum ad eos ad porticum quæ appellatur Salomonis, vbi & factus est numerus credentium ad quinque millia, &, vt credibile est, tam ex Iudæis quàm ex Gentilibus collectis.

Obiectio. Dicet quis, hoc benè sequi, si templum, quod ingressi fuerunt Petrus & Ioannes cum claudo, erat immundorum & Gentilium; quia ad hoc omnibus patebat accessus, mundis & immundis: non item, si illud fuit mundorum & Iudæorum; quia hoc ingredi interdictum erat Gentilibus sub pœna mortis, Imperiali decreto à Romanis in gratiam Iudæorum facto. & hoc indicant illa Titi verba apud Iosephum lib. 7. Belli cap. 4. *Nónne vos cancello sanctum locum protexistis? nónne litteris Græcis ac nostris, id est, Latinis, incisas tabulas constituistis, quibus, ne sepes cuiquam transgredi liceret, edicitur? Nonne eos, qui transissent, quamuis Romanus quis esset, vobis necare permisimus?* Hæc Titus.

Mundorum atrium ingredi Imperiali decreto Gentibus interdictum.

Solutio. Respondeo dupliciter; Primò, si templum illud fuit mundorum, populi confluentis nomine Lucam intellexisse populum Iudæorum. Sed meliùs secundò dicatur; concurrisse quidem omnem populum ex Iudæis & Gentilibus collectum eo modo quo poterat concurrere, Iudæos ad ipsos in templo ipso accessisse, Gentiles verò ad fores illius, ad portam inquam Speciosam, cucurrisse, & per ipsam prodigiosum euentum intuitos & admiratos fuisse. Atque ex his habemus, templi Ierosolymitani, quod restaurarat Herodes, primam & Orientalem portam fuisse Corinthiam, siue Speciosam. Ita sentiunt ex recentioribus Villalpandus Tom. 2. Apparatus lib. 5. cap. 68. Lorinus in Act. Apost. Barradius, & alij.

Responsio ad rationes Baronij. Ad primam. Ad ea quæ obijciuntur ex Baronio respondetur, & primò ad illud de aquila aurea, concesso, illam positam fuisse super Corinthiam, & si hanc statuamus primam extimamque portam etiam primi atrij, dico, potuisse iuuenes, qui illam abstulerunt, videri à Gentilibus & Iudæis, præsertim quòd Gentilium atrium sub dio erat: vel potuit primò videri à Gentilibus, qui de audaci facto stupentes & tumultuantes, excitauerunt Iudæos in secundo vel etiam tertio atrio ad spectaculum conspiciendum.

Adde, quòd ex illa aquila magis intentum probamus. Etenim si illam posuit Herodes ad ostentationem, & ad extollendum insignia Romanorum, debuit illam collocasse in editiori, hoc est, patentiori extimo loco, vbi stemmata statui consueuerunt: & ad hoc fortè respiciens Adrichomius in Descriptione Ierusalem num. 102. illam descripsit super primam templi portam.

Ad secundam. Ad aliud, quod non videtur rationabile, minorem portam ante maiorem collocare, dico, aliquando id rationabile esse, & vsu accidere, vt videmus in sumptuosis Magnatum ædificiis; in quibus maiores nobilioresque portæ ingressum præbentes, adytis & nobilioribus locis interiores sunt: ita in proposito dicimus, porta illa Maior, quantitate & qualitate verè maior quàm fuerit Corinthia, vt diximus ex Iosepho, non in exteriori & minùs nobili parte templi, sed in interiori nobiliorique statui debuit; & ita posita fuit super Corinthiam, vt docet citatus Iosephus.

Iosephus sibimet conciliatur. Ad contrarietatem, quæ videbatur esse in dictis Iosephi Notabili secundo adductis, omissis quæ pro illorum conciliatione dicit Baronius, dicerem breuiter: Cùm Iosephus asseruit fuisse in templo decem portas, duas Orientales, &c. intellexit de templo in se, prout includit & porticum Salomonis,

monis, & alteram partem quæ Herodi adſcribitur; cum verò dicit fuiſſe ſeptem, & ex his vnam tantùm Orientalem, de templo illo interiori ab Herode ædificato mentionem fecit: & hoc ipſe Baronius dixit. Et hæc porta erat Maior illa polita ſuper Corinthiam, vt patere poteſt conſideranti verba Ioſephi 15. Antiq. cap. 14. à Baronio relata; in quibus fit mentio de porta, per quam immundis ſub interminatione pœnæ capitis interdicebatur ingreſſus, & per quam mundi viri & feminæ Iudæorum ingredi poterant. Vel ſecundò dicatur, duas fuiſſe, ſi exterior, Corinthia, & interior, Maior, ſimul cenſeantur, ſed vna tantùm interior.

Speciosa à regione Aurcam habebat.

Hæc porta Corinthia Speciosa Orientalis templi à regione alteram habebat ciuitatis & templi, quæ Aurea dicebatur; per quam primò Reparator & Rex noſter Chriſtus cum gloria & honore intrauit in die Palmarum, & rectà parum progreſſus, qui eſt *ſpecioſus forma præ filiis hominum*, per Speciosam portam templi templum ingreſſus fuit, vbi eieçit ſecundò vendentes & ementes, miracula multa fecit; & ea acciderunt quæ recenſet Matthæus cap. 21. Ex illa & atrio Gentilium potuit vlteriùs progredi, ad adorandum Dominum in templo mundorum, ſiue Iudæorum, per alteram portam Maiorem, ſi illa erat in primo atrio.

Pſal. 44. 3.

Orientalis interior ſignum dedit euerſionis templi.

Interior Orientalis porta dediſſe ſignum euerſionis templi ſequentibus verbis indicauit Ioſephus lib. 7. de Bello cap. 12. Orientalis porta interioris templi, id eſt atrij mundorum, cùm eſſet ænea, atque grauiſſima, & ſub veſperam vix à viginti viris clauderetur, ferisque ferro vinctis obſeraretur, peſſuloſq; altos haberet in ſaxeum limen demiſſos, vno perpetuo lapide fabricatum, viſa eſt noctis hora ſexta ſponte patuiſſe, &c.

Felicitas porta Aurea, Speciosa & porticus templi.

Feliciſſima vtraque porta, & porticus: illa quidem, quia primò triumphantem Saluatorem accepit: per eam ſæpè Chriſtus, Virgo Maria, S. Apoſtoli intrauerunt: in illa porticu prædicauit, & miracula fecit Chriſtus. Feliciſſima illa, quoniam præbuit Chriſto, Virgini Matri, aliis ſanctis viris & feminis aditum ad alteram porticum & mundorũ atrium, vbi in ſeparato à mulieribus loco manſit beata Virgo Maria, & ſanctis eum actibus decorauit: in eo Filium ſuum præſentauit; & poſteà cum mundis mundiſſima frequentauit; & ſol mundi Chriſtus Dominus illius vnigenitus, *qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos*, ſuo in templum ingreſſu diffudit fulgentes ſapientiæ, doctrinæ & gratiarum radios ſuper viros & mulieres mundos & immundos: ac proinde vtraque honoranda, etſi non liceat eaſdem intueri, quia iam deſtructæ ſunt, ſitum ipſarum, & myſteria, quorum illæ referunt memoriam, pio affectu ac mente recolendo.

Matth. 5. 45.

Traditio de ſitu portæ Speciosæ in parte Occidentali templi reiecitur.

Nunc Ieroſolymis in occidua parte templi Domini, quod Salomonis appellatur, extra ipſum & plateam, vel aream eius eſt porta quædam magna in capite vici cuiuſdam, per quam aſcendendo aliquos marmoreos gradus intratur in aream templi, & ex ea ad templum, quæ communiter appellatur porta Speciosa; & veneratione habetur, quòd credatur per eam Virginem Mariam ingreſſam fuiſſe, quando fuit in templo præſentata, vel quando obtulit Filium ſuum in templo: quam traditionem ſecutus Guilielmus Tyrius lib. 8. de Bello ſacro cap. 3. in dicta Occidentali parte eam deſcripſit: ſed, non eſſe huiuſcemodi traditionem ſequendam, ex dictis apparet, quia Speciosa porta Orientalis erat. Et præterea vertitur in dubium, an in templo eſſet Occidentalis porta: negatiuam partem, vt probabiliorem, probat & tuetur Villalpandus Tom. 2. lib. 3. cap. 32.

Et hæc de porta Speciosa. Vtinam per Chriſtum ſalutis noſtræ oſtium, in Speciosa porta præfiguratum, ſpecioſi ſine macula & ruga ingredi poſſimus ad illud mundorum atrium, in quod nihil intrat coinquinatum, ibique feliciſſimis perfruamur paſcuis cum eo & Patre, à quo exit, & cum ab vtroque procedente Spiritu ſancto, & in Deo vno & trino ſine fine lætemur. Amen.

HISTO-

Digitized by Google

HISTORICÆ THEOLOGICÆ AC MORALIS ELVCIDATIONIS TERRÆ SANCTÆ LIBER QVINTVS.

ARGVMENTVM.

AGITVR *de ſacratiſſimo Reſurrectionis Domini noſtri Ieſu Chriſti templo in ſe, & de peculiaribus in eo contentis Eccleſiis, Caluariæ montis, ſanctæ Crucis, Chriſti glorioſi Sepulchri, & aliis ſanctis locis intra & extra in illius cauædio ſiue platea à piis Chriſticolis venerationi habitis: & tres continet Peregrinationes.*

PEREGRINATIO I. *in qua recenſentur & enucleantur duodecim memorabilia loca, quæ occurrunt viſitantibus templum Dominicæ Reſurrectionis, incipiendo à ſacello vbi aſſeruatur ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, & inchoantur ſupplicationes, continuanturque vſque ad ſacrum Caluariæ montem.* I. *locus eſt ipſum ſacrum templum & ſacellum venerabilis Euchariſtiæ,* II. *Altare Columnæ flagellationis Domini.* III. *Carcer Chriſti.* IV. *Capella S. Longini.* V. *Capella diuiſionis veſtimentorum Chriſti.* VI. *Inuentionis Crucis Reparatoris noſtri.* VII. *Sacellum S. Helenæ.* VIII. *Capella improperiorum Chriſti.* IX. *Sanctus Caluariæ mons, vbi Chriſtus fuit crucifixus.* X. *Vbi ſtabant Maria Deipara & Diſcipulus Ioannes, quando Chriſtus crucifigebatur.* XI. *Vbi Chriſtus fuit in cruce exaltatus.* XII. *Sciſſura Caluariæ montis.*

CAPVT PRIMVM.

Dignißimum Dominicæ Reſurrectionis Domini noſtri templum in veteri lege fuiſſe præfiguratum.

AGimus in hoc quinto Libro locorum Terræ ſanctæ de illuſtriſſimo, celeberrimo ac præſtantiſſimo templo Reſurrectionis Domini noſtri Ieſu Chriſti, in inclyta Ieroſolymorum ciuitate ædificato ad honorem eiuſdem Reſurrectionis Domini, nec non mortis & paſſionis: in cuius ambitu continetur ſacratiſſimus Caluariæ mons, locus inuentionis viuificæ crucis, glorioſum Chriſti Sepulchrum, & alia ſancta venerationeque digniſſima loca: de ſingulis ordinatè, & maiori qua poterimus claritate tractabimus. Priùs de ipſo templo in ſe, poſteriùs de ſingularibus in eo contentis locis verba faciemus. Et quoniam templum hoc dignitate & ſanctitate excellit nedum cetera templa Ieroſolymis vel in tota Palæſtina ædificata, ſed omnia loca mundi, quare ad illud venerandum ex omnibus mundi partibus confluunt gentes; ideò ſingularem Librũ placuit de ipſo conſcribere, vt pro dignitate ſeorſim, quod ſingula-

gulariſſimum eſt, ſingulariter pertractetur: quare aliqua in eius declaratione dicemus, quæ prætermiſimus in explicatione locorum quarti Libri; & in explicatione aliorum, in ſequentibus Libris non dicemus.

Quatuor enucleanda de templo Reſurrectionis Domini.

Erunt verò quatuor quæ de iſto ſacratiſſimo templo explicabimus. Primum, quomodo fuerit antiquitus figuris adumbratum in lege ſcripta, naturæ & innocentiæ. Secundum, qualiter Prophetarum vaticiniis fuit prophetizatum. Tertium, à quo, & quomodo fuit ædificatum. Quartum denique, quibus nominibus & titulis appellatum, dedicatum & conſecratum fuit. Primum in præſenti & tribus proximè ſequentibus Capitibus, cetera deinceps explicabimus.

Igitur vt à primo exordiar; in ſacratiſſimi ac celeberrimi huius templi conſtructione obſeruatum video, quod in quolibet inſigni opere, natura vel arte facto, euenire conſueuit. Conſueuerunt agentia naturalia, & apud omnes artifices fuit in more poſitum, vt opus aliquod, illuſtre præſertim, & alicuius conſiderationis perfecturi, priùs vel imperfectum producant, exemplarque aliquod effigient vel interiùs in mente, vel exteriùs in opere: hinc homo filium generans exteriùs, eumdem priùs mente concipit ſibi ſimilem; & non ſolùm hoc in homine rationis compote cernere licet, ſed in ipſis brutis animalibus, ratione, & in plantis, imaginatione ipſa carentibus eumdem producendi modum obſeruare poſſumus: quare ſapienter & verè à Philoſopho dictum fuit: *Omne ſimile producit ſibi ſimile; & omnis cauſa ſuum ſibi aſſimilat effectum*. Sed quod ad oculum patet, Scripturæ ſacræ exemplis & teſtimoniis illuſtremus.

Agentium in operando conſuetudo.

Cùm Adam vidit Heuam ſibi ſimilem, adiutorium ſimile ſibi, ſtatim intulit ad illius productionem concurriſſe, dicens: *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea*, Gen. 2,23. Et filij ad imaginem ſuorum parentum dicuntur progeniti. Gen. cap. 30. legimus, oues, quas paſcebat Iacob Patriarcha apud Laban ſocerum & auunculum ſuum in Meſopotamia, genuiſſe agnos varios; quia in aquis virgas varias reſpicientes, in earum aſpectu coëuntes, varios fœtus ad illarum ſimilitudinem concipiebant. Oliua ſimiliter oliuam, pomuſque pomum producit; nec ordo inuertitur. *Numquid colligunt de ſpinis vuas, aut de tribulis ficus?* dixit apud Matthæum Saluator noſter.

Sed clarius idipſum in arte factis obſeruabimus. Conſidera artificem, aureum argenteumque vas aut ſimile quid efformaturum: is priùs illius ſimulacrum, vel idolum, interiùs mente excogitat, & elaborat; deinde ad ipſius imitationem alterum exteriùs plumbo vel cera conficit, ad cuius denique ſimilitudinem nobile opus efformat, & perficit: & iſto abſoluto, illud deſtruit, ſi ad aliud conficiendum non ſit ordinatum. Quid? cauſa cauſarum, vniuerſale omnium agens, naturæ & gratiæ, corporeæ & ſpiritualis creaturæ auctor, Deus optimus maximus ſimilem agendi modum in ſuis operibus mihi obſeruaſſe videtur cùm in naturæ corporeæ molitione, tum in eius reparatione, & in ſanctæ Catholicæ Eccleſiæ ſtructura, ac denique in ſacratiſſimi templi, de quo nunc agimus, ædificatione: in horum ſiquidem omnium ſtructura voluit eorumdem ſimilitudines præcedere, ad quarum imitationem ſingula perficerentur, vt ſtatim videbimus. Non hoc tamen dico, quòd credam, Deum huiuſcemodi ſimilitudinibus egere, vt neceſſariò indiguiſſe, falsò nugati ſunt fabulantes Iudæi. Hi enim, referente Sixto Senenſi lib. 2. Biblioth. ſanctæ, in Thalmud ordine, id eſt Tract. 4. diſt. 3. dicunt, Deum ante mundi creationem, ne otio torpeſceret, ſe exercuiſſe in variis mundis extruendis; quos vt condiderat, paulò pòſt deſtruebat, atque iterùm inſtaurabat, quoad hunc, quem nunc habemus mundum, facere didiciſſet: ſed ſtultiſſimè fabulantur, talia euomentes de ſapientiſſimo Deo. An non Deus ſapientia infinita & omnis creaturæ fons & origo? quomodo ergo in illo vel diſcurſus, vel inſcitia defectusque collocari poteſt, cùm omnem reſpuat imperfectionem?

Iudæorum error refellitur.

Plato gentilis, abſque ſacrarum Litterarum cognitione, quam Iudæi profitentur, melius philoſophatus eſt, dum in mente diuina Ideas poſuit, quæ, ſecundùm D. Auguſtinum lib. 83. Quæſt. q. 46. Platonem explicantem, aliud non ſunt, niſi principales quædam formæ, vel rationes rerum ſtabiles atque incommutabiles, quæ ipſæ formatæ non ſunt, ac per hoc æternæ, ac ſemper eodem modo ſeſe habentes, quæ in diuina intelligentia continentur: & cùm ipſæ nec oriantur, nec intereant, ſecundùm eas tamen formari dicitur omne quod oriri & interire poteſt, & omne quod oritur & interit, &c.

Sententia Platonis de Ideis explicatur.

Has rationes ab intellectu diuino productas, etiam Theologi noſtri fidei lumine illuſtrati Ideas appellarunt. Et manifeſtè ad hæc reſpiciens ſanctus Ioannes, dilectus Chriſti diſcipulus & illuminatiſſimus Theologus, dixit capite 1. ſui Euangelij: *Quod factum eſt, in ipſo vita erat*: hoc eſt, vt cum D. Auguſtino interpretantur Theologi, mundus, & quidquid in eo conditum eſt,

Omnia creata in Deo habent eſſe cognitum.

est, fuit priùs in Deo vita creatrix, & habuit in mente diuina esse ideale & cognitum. & Boëtius de Consolatione:

Tu cuncta superne
Ducis ab exemplo: pulchrum pulcherrimus ipse
Mundum mente gerens, similiq; in imagine formans.

Hæc verò non dicuntur de Deo propter ipsius indigentiam, qui solus sibi sufficientissimus est, sed vel, vt intelligamus esse omnium rerum opificem peritissimum, omniaque magna cum consideratione operati; vel, vt nos rudes & indocti à sapientissimo Magistro discceremus, omnia operari debere cum maturitate & consilio.

Omnia cum consilio facienda.

Huius veritatis exemplum Dominus exhibuit in mundi creatione: priusquam enim paruum mundum, id est hominem, condidisset, maiorem creauit mundum, qui fuit velut minoris, sed perfectioris, exemplar & idolum, cuius gratia conditus fuit. Et ampliùs, secundùm S. Augustinum lib. 11. in Gen. c. 34. & aliorum sententiam, quando Deus hominem condidit, figuram humani corporis induit, secundùm quam hominem efformauit, & assimilauit non solùm interiùs mente, sed etiam exteriùs corpore; & hoc illa verba significare videntur: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Et creauit Deus hominem ad imaginem suam*, Genes. 1, 26. 27. Moysi quoque exemplar tabernaculi construendi oculis eius obiecit, vt ad illius similitudinem illud efformaret exteriùs: *Inspice*, dixit, *& fac secundùm exemplar quod tibi in monte monstratum est*, & Cant. 1, 10. videtur hoc ipsum fuisse à sponso Christo Ecclesiæ sponsæ indicatum illis verbis: *Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento*; siue (vt in proposito nostro legit Origenes Homil. 2. ex quatuor in Cant. quem vide) *Similitudines aureas faciemus tibi.* Sunt autem similitudines istæ ea pleraque quæ populo Iudaico contigerunt, ad quorum imitationem alia operanda erant in lege gratiæ, quemadmodum ad Hebræos scribens docet S. Apostolus. Et ita, Iudaicus populus fuit similitudo & figura populi Christiani, Moysaica lex, Euangelij, Agni Paschalis immolatio, sacrificij cruenti crucis, Manna, incruenti altaris; vt & Aaronicum Sacerdotium Euangelicum præfigurabat, vt docet S. Thomas 3. Part. quæst. 22. art. 3. & 4. Ita ad propositum, in veteri lege præcessit exemplar & simulacrum sanctissimi templi sacratissimæ Resurrectionis Domini nostri Iesu Christi.

Exod. 25, 40.
Exod. 26, 30.
Exod. 27, 8 & Act. 7, 44. & Heb. 8, 5
Ecclesiasticarum rerum figura per assumptum ex veteri lege.

Sed vbi vel in quibus, quæso, fuit hoc templum præfiguratum? An in Exodo, in Tabernaculo Moysi, vel Arca testamenti? Dicamus, viuis coloribus adumbratum & delineatum fuisse in templo Salomonis, quemadmodum & Salomon expressa figura fuit Christi Domini: quare illius figuram vel exemplar placuit hîc adscribere. Fuit olim Ierosolymis, regia vrbe, inter omnes ciuitates Terræ promissæ, ne Iudææ dicam, in qua sita est, præcipua & Metropolis, ædificatum Domini iussu, opera sapientissimi potentissimiq; Regis Salomonis, templum honorificentissimum, ob cuius dignitatem & excellentiam fuit vbique terrarum celebratissimum, à cuius conditore nomen sortitum fuit, & semper retinuit, etsi desolatum: in præsentia, licet in eo adimpletum sit Christi vaticinium, quòd in eo non remaneret lapis supra lapidem, adhuc pristino appellatur nomine illud nouum, quod posterioribus temporibus in illius situ fuit ædificatum, templum, inquam, Salomonis. Fuit verò illud templum maximis sumptibus, summo artificio, continuoque labore septem annorum curriculo ædificatum, & perfectum, vt conceptis verbis indicat Scriptura diuina: adeoque fuit illius structura mirabilis, tum propter auri copiam, aliaque pretiosa, tum propter artificum peritiam à quibus fuit elaboratum, vt non hominis, sed Dei opus videretur: quare magna fuit apud omnes in admiratione.

Templum Resurrectionis præfiguratum in lege in templo Salomonis.

Salomonici templi excellentia.

Verùm sicut comminatus fuit Deus Salomoni & vniuerso Israëli, si mandata ipsius non custodissent, se proiecturum templum illud à conspectu suo, & deleturum Israël de superficie terræ, futurumque Israël in prouerbium, & domum illam sacram in exemplum; foreque, vt qui posteà per eam transiret, stupere, sibilaret, & diceret: *Quare fecit Dominus sic terræ huic, & domui huic? respondebuntq;: Quia dereliquerunt Dominum Deum patrum suorum, qui eduxit eos de terra Aegypti, & apprehenderunt Deos alienos, & adorauerunt eos, & coluerunt: idcirco venerunt super eos vniuersa hæc mala*, 2. Paral. 7, 21. Quod & secutum esse, propter Salomonis, aliorumq; Regum Israëlis, Iuda Hebræorumque peccata, tam sacræ quàm profanæ testantur historiæ. Et Iudæorum ablatum regnum, templum penitus desolatum, terra illa deserta, modicæ ingentium ædificiorum ruinæ, & ipsorum denique Iudæorum dispersio per vniuersum orbem, de propriis electi sedibus, manifestam fidem faciunt eorum quæ diximus, ablata illis insuper spe templum iterùm reædificandi.

Iudæorum peccata causa euersionis templi Salomonici.

Sed numquid frustrà constructum fuit,

&

& sine consilio solo æquarum, imò ab ipsis fundamentis eradicatum ?, non sanè; sed omnia magna cum consideratione prudentiq́ue consilio operata fuere. Quemadmodum ob non leuem rationem fabricatur idolum, quod alterius gratia fit, & sapienter destruitur, opere consummato cuius gratia factum fuerat. his enim duo indicantur: alterum, idolum illud non sui sed alterius gratia factum fuisse. Alterum, ipsum non duraturum, vel reparandum fore, sed benè illud, quod ad illius imitationem factum fuit, perpetuis temporibus permansurum. Hæc eadem contemplor in Salomonico templo, exemplari templi Dominicæ Resurrectionis, & in hoc ipso, quod ad illius imitationem constructum fuit, & illud desolatum: quòd illud non sui, sed istius gratia fuit fabricatum; & cùm hoc sit iam ædificatum, illud destructum, hoc perpetuò permansurum, illud non amplius reædificandum. Fuisse verò templum Salomonis exemplar templi Dominicæ Resurrectionis apparebit, si alterum cum altero comparauerimus: absque eo quòd Salomon fuit expressa Christi Domini figura; & consequenter plus quàm Salomon Christus; & huius quàm illius templum nobilius.

Diuinum consilium in destructione templi Salomonis.

Comparatio Salomonici templi cum templo Resurrectionis Domini.

Sumptuosum & pretiosum fuit templum Salomonis; quoniam nihil in eo erat, quod auro non tegeretur: sed sumptuosius & pretiosius euasit templum Christi Domini; quoniam auro & aliis pretiosis non caruit: sed quod in illo defuit, in isto non desideratur; hoc enim tinctum & delinitum fuit Sanguine ipsius Christi, auro, argento & omni re corruptibili pretiosiore. Celebre fuit illud; quoniam *cùm ædificaretur, de lapidibus dolatis atque perfectis ædificatum est: & malleus, & securis, & omne ferramentum, non sunt audita in eo*, vt dicitur 3. Reg. 6, 7. quoniam, secundùm Iudæorum sententiam, scindebantur lapides absque strepitu, sanguine cuiusdam vermis habentis ad scindendum lapides virtutem; quemadmodum sanguine hirci adamas diuiditur, vt rerum naturalium inuestigatores tradunt: quam vermis virtutem optimè nouit sapientissimus Salomon. At hoc celebrius; quoniam lapides, quibus constructum est, propter Christi sanguinem, qui dicitur *vermis, & non homo*, & *tenerrimus ligni vermiculus*, in illius effusione scissi sunt, vt Euangelista testatur. Fuisse ex istis hoc templum ædificatum, communis est istarum partium traditio; & sanè cùm ibi essent, ad quid illos abijcere, & alios illuc asportare? Fama illius templi in vniuersum mundum euolauit; vnde ex omnibus mundi partibus ad in illo adorandum & Domino sacrificandum veniebant Iudæi, nec non populi alij; sed hoc multò illustrius, cuius per vniuersum orbem fama peruolauit. Vnde etsi non perfidi Iudæi, veri tamen Israëlitæ, verum Deum cognoscentes, & omnes mundi nationes, etiam infideles, pietatis ergò ex longissimis mundi oris eò confluunt, vt pluribus Libro III. explicuimus. Propitius erat olim Deus hominibus in templo Salomonis orantibus, & eorum clamores exaudiebat; in isto reconciliatus est mundus Deo Patri, Christo Filio summoque sacerdote pro illo orante: igne cælitus dimisso, sacrificium in illius altari consumptum fuit & approbatum; & in isto Resurrectionis, igne charitatis, ab eo qui erat in cælo Dominus, combustum fuit passionibus cruentum sacrificium Corporis Christi, consummatum & approbatum in ara crucis. Nec dubitandum, quòd quemadmodum olim, ita & nunc acceptet fidelium ibidem offerentium sacrificia, & orantibus in loco isto dimittat peccata populi sui Deus, & ostendat eis viam bonam, per quam ambulent, det gloriam in loco isto, omnesque gratias largiatur. Ex his itaque manifestum relinquitur, quòd quemadmodum Salomon fuit figura & typus Christi, & illius templum istius Resurrectionis extiterit exemplar & simulacrum, huiusque gratia ædificatum.

Lapides templi quomodo sine strepitu scindebantur.

Psal. 1, 7. 2. Reg. 23, 8.

Fama templi Salomonis & Resurrectionis

Quòd verò illius Salomonis desolatio, eiusdem & populi Iudaici reprobatio, noui æterniq́ue testamenti, Euangelij videlicet, nostriq́ue templi Resurrectionis stabilimentum & exemplar extiterit, explico ex sanctorum Patrum doctrina.

Signum reprobationis Iudaici populi, & euersionis populi Christiani, destructo templi Salomonis.

In primis S. Augustinus Oratione aduersus Iudæos cap. 9. Tom. 6. ostendit, Deum reprobasse Iudæos, & eorum sacrificia, adducta Domini sententia apud Malach. 1, 10. *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus omnipotens; & sacrificium non accipiam de manibus vestris.* Cùm dicit, *Sacrificium non accipiam de manibus vestris*, indicat, reprobata esse eorum sacrificia, quæ cùm offerri non possent ex præcepto Domini, nisi in templo Ierosolymitano Salomonis, & nullo modo alibi; & vt desperarent de iterùm sacrificando, templum penitus destructum fuit, absque spe reædificandi. Quod optimè intelligere potuerunt, quando, obtenta à Iuliano Apostata facultate illud reædificandi, miraculosè desuper, magna cum illorum strage, deturbati fuerunt, vt Nicephorus & alij Historici docent: & nos Lib. IV. Cap. XIV. Peregr. III. diximus. Ex quo impletum videmus, quod vaticinatus

Digitized by Google

Dan. 9, 27. natus fuerat Daniel, *Vsque ad consummationem & finem perseuerabit desolatio.* Quare optime Augustinus ita percunctatur Iudæos, illisque respondet: *Sed quare hoc sacrificium illi offerri de manibus vestris non vult? locus enim vnus est lege Domini constitutus, vbi manibus vestris sacrificia iussit offerri, præter quem locum omnino prohibuit. Hunc ergo locum quoniam vestris meritis amisistis, etiam sacrificium quod ibi tantùm licebat offerri, in locis offerre aliis non audetis. Ecce omni modo impletum est quod ait Propheta: Et sacrificium non accipiam de manibus vestris. Nam si in terrena Ierusalem maneret vobis templum & altare, posset u dicere, in eis hoc esse completum: quorum iniquorum inter vos constitutorum sacrificia Dominus non acceptat, aliorum verò ex vobis atque in vobis acceptare sacrificia, qui Dei præcepta custodiunt; hoc non est cur possit dici, vbi nullus omnino vestrùm est, qui secundùm legem, quæ de monte Sina processit, manibus suis sacrificium possit offerre.* Hæc & alia citatus Augustinus. Ad hoc propositum idem Augustinus in Psalm. 64. Tom. 8. *Vmbra*, inquit, *terreni templi transiit, nos Dominum, qui eius est veritas, teneamus.*

Malach. 1, 10.

Hæc eadem egregiè prosequitur Chrysostomus Orat. 2. aduer. Iud. Tom. 3. & explicat apposito exemplo de infirmo frigidam sitiente; quæ nisi concedatur, scit Medicus seipsum præcipitem daturum. *Concedit quidem prudens Medicus, sed allata ex domo sua phiala: In hac, inquit, tantùm potabis: quam posteà, inuento ministro, iubet vt in terram decidere permittant, & frangant, vt à frigida abstineat in futurum: ita à Deo sapientissimo Medico factum cum Iudæo, cui ad tempus data lex Moysi, & sacrificiorum religio; quæ suo tempore, ne noceret, ablata fuit, ne templum illud corporeum gloriam Euangelij vel impediret, vel obscuraret.*

Sed aliis Patribus, similia de templo & Ierusalem dicentibus, omissis, vnicum audiamus Hieronymum, & Bedam. *Sicut extructo*, ait sanctus Doctor lib. 5. in Ieremiæ cap. 26. ante medium, Tom. 4. *templo in area Orna, & in monte Moria, hoc est, visionis, in quo Abraham filium suum Isaac obtulisse narratur, cessauit religio Silo, nec posteà ibi sunt celebrata sacrificia: sic, extructa Ecclesia, & spiritualibus in ea victimis immolatis, cessauerunt legis cærimoniæ, & data est vrbs Iudæorum in maledictionem cunctis gentibus terra, de qua nos Dominus liberauit.*

Beda verò in Marci cap. 12. Tom. 1. *Diuinitus*, inquit, *procuratum est, vt, patefacta per orbem fidei Euangelicæ gratia, templum ipsum quondam augustum cum suis cærimoniis tolleretur; ne quis adhuc fortè parvulus ac lactens in fide, si videret illa permanere, quæ à Prophetis sanctis facta, quæ à Domino sunt instituta, admirando sanctum seculare, paulatim à sinceritate fidei, quæ est in Christo Iesu, ad carnalem laberetur Iudaismum. Prouidens ergo Deus infirmitati nostræ, & Ecclesiam suam multiplicari desiderans, omnia illa subuerti fecit, ac penitùs extirpari, quatenus vmbra & typo cessante, veriorem ipsa iam veritas per orbem declarata palmam teneret.* Hactenus Beda.

Aduertendum tamen, quòd licet diuinus cultus Ierosolymis cessauerit apud Hebræos, non tamen apud Christianos, quos sibi peculiariter delegit Dominus, vt ei sacrificent; quia, vt loco priùs citato aduersus Iudæos Augustinus subiunxit cum Propheta, *ab oriente sole vsque in occidentem nomen meum clarum factum est in gentibus, dicit Dominus omnipotens:* sed præcipuè in loco sacratissimi Sepulchri Domini nostri, quem sibi Dominus elegit, & sanctificauit, vt sit nomen suum ibi cunctis diebus. Ibi congregauit Sanctos, qui ordinant testamentum illud in primis, de quo Christus dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*, Luc. 22, 19. Ordinant, inquam, hoc sacrificium super sacrificia veteris legis. Et quamuis pluries fuerit templum hoc Dominicæ Resurrectionis destructum, vel potiùs demolitum; semper tamen, Deo disponente, apud ipsiusmet hostes reædificatum & reparatum fuit; numquamque facer Caluariæ mons, & sanctum Domini Sepulchrum, quorum gratia fuit ædificatum, demolita fuere, vt templum Salomonicum, vt posteà videbimus. Semper etiam ibi inter infideles habitarunt fideles, etsi pluribus oppressi calamitatibus, Domino gratum famulatum exhibentes: & in præsentia nos Franciscani Fratres, singulari Dei beneficio, in hac temporum miseria omnipotenti Deo sacrificia offerimus.

Malach. 1, 11.

Sacrũ Domini Sepulchrum elegit Deus in locum sacrificij, & precum.

Ex dictis itaque patet, quomodo in lege Moysi Salomonicum templum fuerit figura & exemplar templi Dominicæ Resurrectionis, eiuldem desolatio, euidens prognosticon reprobationis populi Iudaici sacrificijque Iudæorum, & stabilimentum Euangelij, & nostri huius sacratissimi templi.

CAPVT II.

De figuris quibus tempore naturalis legis & innocentiæ adumbratum fuit templum Dominicæ Resurrectionis.

NOn solùm in lege scripta, quando *omnia in figura contingebant*, vt dixit S. Apostolus 1. Corinth. 10, 11. præcessit figura templi Dominicæ Resurrectionis; sed nec in lege naturæ, & statu innocentiæ, vbi tot non erant figuræ, defuerunt eiusdem sacratissimi templi symbola & figuræ, nisi mea me fallit opinio.

Locus immolationis Isaac figura templi Resurrectionis.

In lege quidem naturæ (omitto nunc scalam illam admirabilem, quam Iacob Patriarcha vidit, quam credo fuisse huius templi figuram & typum, vt fortè opportuniori loco dicam) magno Patriarchæ Abrahæ exemplar huius templi præmonstratum fuit. Genesis 22, 2, legimus, quòd cùm Abraham habitaret in Bersabee in Geraris, dixit ad illum Dominus: *Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis, Isaac, & vade in terram Visionis: atque ibi offeres eum in holocaustum super vnum montium quem monstravero tibi.* Obtemperauit Abraham voci Domini, venitque cum Isaac filio suo in terram Visionis, in locum sibi à Domino ostensum. Et quænam est hæc terra Visionis? & quisnam hic locus? Est pars Iudææ, quæ est in montanis, est Ierusalem, est locus vbi sanctissimum ædificatum est templum, de quo nunc agimus, vt ex illius descriptione, & iis quæ subijciemus, fiet manifestum. A longè videri poterat terra illa, quare & *terra Visionis* appellata est: & hæc pars Iudææ, quæ est in montanis, quia & ipsa à longè & de longè videri potest, inquit Petrus Comestor in Historia Scholastica, eodem nomine appellari potest; vt etiam ab Isaia *vallis Visionis* dicitur: & ob hanc rationem, profectio in Ierusalem frequenter ascensus nomine explicatur in sacris Litteris. In summitate verò montium Iudææ, de qua loquimur, monticulus erat eminentior, dictus mons Moria, quod interpretatur illuminans, vel lucens, secundùm Hieronymum: hunc Deus Abrahæ monstrauit, vt in eo filium suum illi offerret in holocaustum, vt tradunt Hebræi, quibus assentiuntur D. Hieronymus, Lyranus, & alij; vbi posteà fuit templum Salomonis ædificatum. Ex distantia huius loci ab illo in quo erat Abraham, quando illum fuit Dominus allocutus, colligitur intentum. Etenim locus iste distat à Bersabee, quam respicit in parte Australi, spatio itineris trium dierum, secundùm Hieronymum; siue viginti leucas, vel circiter, secundùm Lyranum; quod in idem recidit: & tantam distantiam esse inter vtrumque locum, colligitur ex verbis Abrahæ ad seruos suos, quando perrexit ad sacrificandum filium, *Tertio die reuertemur ad vos.* Eo loco monstratur locus immolationis; de quo dicemus 111. Peregrinatione huius Libri, sequentes veterem traditionem. Gen. 22, 4 & 5.

Terra Visionis quid, & nominis ratio.

Isa. 22, 1. & 5.

Sed quod magis intentum confirmat, est illud quod citato loco addit sacer Textus, postquam Abraham extendisset manum suam, & arripuisset gladium, vt immolaret filium, fuisse ab Angelo impeditum; &, liberato filio à morte, eius loco sacrificasse arietem cornibus spinis hærentem, locumque holocausti vocasse Abraham, *Dominus videt*: quia Dominus vidit Abrahæ & filij eius in eo loco promptam obedientiam; siue, vt in proposito nostro habet Hebr. & Septuaginta interpretum lectio, in passiua & futura significatione, *In monte Dominus videbitur*; ita vt non tantùm ratione illius facti eo nomine fuerit locus ille insignitus, sed multò magis propter ea quæ in eo operanda erant tempore Messiæ. Quasi propheticè designaretur locus, & in symbolo demonstraretur templum sanctissimum Resurrectionis Domini in illo tempore legis naturæ. His, quæ pietati conformia & veritati consentanea arbitramur, alia placet adnectere, quibus, quod intendimus, magis explicatur.

Ratio nominis loci Dominus videt, vel videbitur.

Figuram quæ in isto loco contigerunt.

Dico igitur, operatis in monte illo in lege naturæ præfigurata fuisse ea, quæ æternus Pater in lege gratiæ operaturus erat cum Filio suo in sacratissimo Caluariæ monte (qui ad montem Moria pertinet, vt suo loco dicetur) & circumiacenti loco, vbi ædificatum fuit posteà templum Resurrectionis Domini: vbi vnigenitus Filius Dei in temporis plenitudine pro hominum salute factus obediens vsque ad mortem, percussus à Patre propter peccata populi (nisi malis dicere, ipsummet Filium fuisse hostiam & sacerdotem) ipse posuit pro peccato animam suam, ipse super struem lignorum S. Crucis in altari montis Caluariæ obtulit semetipsum in holocaustum Patri. Et vt, quod ibi priùs præfiguratum fuit, clarè posteriùs ibidem adimpletum fuerit, explicemus, attende.

Operatus Christus in loco ipso.

Appositè locus, in quo templum Dominicæ Resurrectionis ædificatum est, appellatus fuit, *In monte Dominus videbit*; hoc est, in monte isto æternus Pater videbit perfectam Filij sui obedientiam vsque ad mortem crucis. In hoc ipso loco videbit Pater Resurrectionem Filij sui, in liberation

tione Isaac à morte præfiguratam. dixit enim Ioannes 19, 41. *Erat in loco, vbi crucifixus est* Iesus, *hortus, & in horto monumentum nouum*, vbi positus fuit, & ex quo glorioſus à morte ad vitam resurrexit. In monte Dominus videbit nimiam erga Patrem suum & homines dilectionem. Vel, secundùm alteram lectionem, *In monte Dominus videbitur*: quia in plenitudine temporis non ampliùs iocosè, sicut olim cum Abraham iocari visus est Dominus, cùm illi præcepit, vt filium suum immolaret, sed seriò videbitur æternus Pater percutiens vnigenitum Filium suum Iesum, eum relinquendo in manus peccatorum. In monte hoc videbitur Dei Filius sicut agnus ductus ad victimam, sponte se morti offerens, vt hominum peccata expiaret, & Patri mundum reconciliaret. In monte isto videbitur Filius Dei orans pro crucifixoribus. In monte hoc videbitur æternus Pater exaudire Filium pro sua reuerentia. In monte hoc videbitur Filius Dei Rex vniuersorum Regnum cælorum latroni impertiens. In hoc monte videbitur Filius Dei spiritum in manus Patris sui exhalare. In hoc monte videbitur Deus omnia quæ in mundo sunt sibi reconciliare. In hoc monte videbuntur impleta, quæ dicta fuerunt per Prophetas, de Filio hominis, & consummatum opus redemptionis. In hoc monte videbitur Christus de cruce deponi. In hoc monte videbitur ille, qui à Patre in incarnatione fuit vnctus oleo exultationis & lætitiæ, vnguentis aromatibusq; deliniri, & linteo inuolui ab eius dilectis discipulis Ioſepho & Nicodemo. In hoc sacratissimo loco & cæleſti paradiſo videbitur Christus à morte ad vitam excitatus glorioſus. In hoc templo videbitur Christus gloria & honore coronatus ex clauſo lapideo ſepulchro exire. In hoc templo videbitur Filius Virginis ab ipſa Virgine à paſſionibus liber gloria circumdatus. In hoc templo videbitur Sepulchrum apertum cum ſolis linteaminibus, quibus inuolutum fuerat corpus Ieſu, in teſtimonium eiuſdem Domini Ieſu Reſurrectionis. In hoc templo in hortulani habitu videbitur à Magdalena Dominus, qui ſe ab ea tangere prohibens ei præcipiet, vt fratribus ſuis ſuam nuntiet glorioſam Reſurrectionem. In hoc denique glorioſiſſimo templo videbitur totus confluere mundus ad adorandũ Creatorem & Reparatorem Ieſum, & venerandum locum, vbi ſteterunt pedes eius, vt ſalutis gratiam conſequatur. Nónne ergo in lege naturæ præceſſit figura huius ſacratiſſimi templi, & eorum quæ in lege gratiæ in eo geſta fuêre?

Sed quod non defuerit eiuſdem templi figura in ſtatu innocentiæ, ex ſequentibus accipe. *Plantauerat Dominus Deus Paradiſum voluptatis à principio: in quo poſuit hominem quem formauerat. Produxitq; Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum viſu, & ad veſcendum ſuaue: lignum etiam vitæ in medio paradiſi, lignumq; ſcientiæ boni & mali. Et fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum Paradiſum, qui inde diuiditur in quatuor capita*, Gen. 2, 8. & poſt pauca: *Tulit ergo Dominus Deus hominem, & poſuit eum in Paradiſo voluptatis, vt operaretur & cuſtodiret illum*, Geneſis 2, 15. & rurſus paucis interpoſitis: *Immiſit ergo Dominus Deus ſoporem in Adam, cumq; obdormiſſet, tulit vnam de coſtis eius, & replenit carnem pro ea. Et ædificauit Dominus Deus coſtam, quam tulerat de Adam, in mulierem: & adduxit eam ad Adam. Dixitq; Adam: Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea: hæc vocabitur Virago, quoniam de viro ſumpta eſt*, Geneſ. 2, 21. *Paradiſus voluptatis in ſtatu innocentiæ figura templi Reſurrectionis.*

Paradiſum hunc voluptatis dicerem, & non ſine ratione, præfiguraſſe hoc ſacratiſſimum templum; quoniam ſummæ voluptatis eſt piis Chriſti fidelibus; & verè delicias paradiſi continet: quanta enim cum animi voluptate fideles, poſt multas miſerias aſſumptas & toleratas vt ipſum venerentur, cùm eò peruenerint, in ipſo commorantur? Paradiſus ille à principio plantatus; & templum hoc à principio æternitatis electum, & præparatum. Si enim ab origine mundi præparatum fuit ſacrificium Chriſtus Dominus, qui ideò Apocal. 13, 8. *Agnus occiſus ab origine mundi* appellatur; & locus ſacrificij fuit electus, qui non alius quàm hoc ſacratiſſimum templum. Et ſi propter Adamum, veterem mortis auctorem, conditus fuit ab initio Paradiſus voluptatis, quare ſimilis non fuit præparatus nouo Adæ Chriſto Domino vitæ auctori? Extra Paradiſum voluptatis fuit conditus primus & vetus Adam de limo terræ, & poſteà in illo collocatus; & ſecundus nouuſque Adam Chriſtus extra hoc templum ex terra veteri Virginalis fuit primò formatus, & poſteà in illo collocatus. Indicauerunt hoc ipſum ſancti Patres poſteà adducendi, dum aſſeruerunt, fluuium egredientem de loco voluptatis ad irrigandum paradiſum, & alias regiones alluendas, Chriſtum Dominum præfiguraſſe. Igitur cùm in iſto ſacratiſſimo templo & loco ex Saluatore, velut ex perenni fonte, emanarint & emanent continuè diuinorum chariſmatum & cæleſtium gratiarum flumina, quibus nedum ſacer hic locus, ſed totus mundus alluitur & fecundatur, vt inferiùs ex eiſdem Patri-

Fluuius paradiſi Chriſti figura.

bus explicabimus; consequenter edocemur, sanctissimum hunc locum fuisse in terrestri Paradiso præfiguratum.

Inter cetera ligna, quæ in terrestri illo paradiso decorem, pulchritudinem ac suauitatem afferebant, duo erant quæ Dominus plantauerat, alterum lignum scientiæ boni & mali, alterum verò lignum vitæ. Et in isto sacratissimo templo, inter cetera diuersæ pietatis argumenta, quibus mirabiliter piorum fidelium mentes oblectantur, duo sunt præcipua loca, optimè duobus illis lignis respondentia, & in eisdem præfigurata: alter, sacratissimus Caluariæ mons in ligno scientiæ boni & mali; alter, glorioſum Christi Sepulchrum in ligno vitæ. Et rationabiliter arbitror, in arbore scientiæ boni & mali præfiguratum esse sacrũ Caluariæ montem: si enim illa eo nomine appellabatur, quòd eius fructus posset parere scientiam; Christus ascendens montem Caluariæ, collegit fructus eius, gustauit passionem & mortem; & experimento *didicit obedientiam*, vt dixit S. Apostolus Hebr. 5,8. didicit peccati & pœnæ grauitatem, quantum valeat anima, pro qua Sanguinem suum omni thesauro pretiosiorem effudit. Fuit lignum scientiæ vniuerso mundo; quia, Christo in cathedra crucis in Caluariæ monte exaltato, Deus & homo ipse fuit cognitus, quemadmodum viuens prædixerat illis verbis: *Cùm exaltaueritis Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum*, Ioan. 8, 28. Et sanè velut in diuina Academia illius cognitionem adepti fuêre bonus latro, Centurio, cum alius ad vitam æternam electis, vt perduos reticeam.

Arbor scientiæ boni & mali figura Caluariæ montis.

In altera arbore, vitæ scilicet, Christi Sepulchrum adumbratum dixi: etenim si illius fructus vires amissas restituebat, viridem longamque ætatem, vt sacri docent Doctores, faciebat; & Christus ex isto Sepulchro, in quo non viribus modò, sed vita destitutus fuit, glorioſus & immortalis resurrexit, & refloruit caro eius. *Christus resurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi vltrà non dominabitur*, dixit Apostolus Rom. 6,9. Et nos virtute suæ Resurrectionis duplici resurgemus resurrectione; spirituali, à peccato ad gratiam, & corporali, quando mortui in fine sæculi resurgent incorrupti. Si Christus resurrexit, & nos resurgemus. Et Christus mortuus est *propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram*, dixit idem Apostolus Rom. 4, 25. & iterùm elegantissimè idipsum his verbis expressit: *Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem: vt quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris; ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius; simul & resurrectionis erimus*, &c. Rom. 6,4.

Arbor vitæ typus sancti Sepulchri.

Vetus Adam positus fuit *in Paradiso voluptatis, vt operaretur & custodiret illum*, Gen. 2,15. & nouus in templo isto salutem nostram operatus, curam continuò nostri habet. In Paradiso illo ex latere Adæ formata fuit Heua; & in isto sacratissimo loco ex latere Christi mortui formata est Ecclesia, vt dixit D. Paulus. Non ex carne, sed ex osse Adæ Heua formata fuit; & carne, non osse, detractum illius os suppleuit Dominus, vt dicitur in Genesi; vt significaretur nobis quod dixit Augustinus Tract. 15. in Ioan. *Quòd facta est mulier in costa tamquam fortis, factus est Adam in carne infirmus. Ecce mysterium: quia Christus suam Ecclesiæ virtutem tribuit, qui hominis agritudinem in se suscepit.*

Præter dicta duo ligna electasque arbores scientiæ boni & mali ac vitæ, spectabilem, fecundum ac delicioſum admodum reddebat paradisum fluuius, qui ex ipso egrediens in eum dẽ profluebat; & aquarum abundantiam intra suum alueum continere non valens, in quatuor capita diuisus, se ad alias regiones irrigandas ac fecundandas diffundebat, vt sanctus Moyses his verbis significauit: *Et fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum Paradisum, qui inde diuiditur in quatuor capita*, Gen. 2, 10. & Christus Reparator noster, scaturigo & fons omnium bonorum, in fluuio illo præfiguratum nostrum Ierosolymitanum paradisum, sacrum hoc inquam Templum, illustrat, & sanctam, triumphantem ac militantem Ecclesiam vniuersumque mundum diuinis muneribus ac cælestis gratiæ aquis alluit & fecundat.

Fluuius verè Christus egrediens è loco voluptatis quintuplici respectu. Primò, secundùm æternam generationem, secundùm quam est Filius Dei. Secundò, secundùm temporalem nativitatem, secundùm quam est Filius hominis. Tertiò, secundùm temporalem vitam, secundùm quam mortalis visus est, & cum hominibus conuersatus est. Quartò, fluuius in Cruce patiens. Quintò, fluuius ex sepulchro immortalis resurgens, & glorioſus ad cælum ascendens.

Christus quintuplex fluuius Paradisi.

Et in primis fluuius Christus, secundùm Diuinitatem quam habet à Patre, & Filius eius est: id indicauerat Propheta Regius, cùm, sermonem suum ad Patrem æternum dirigens, dicit: *Quoniam apud te est fons vitæ*, Psalm. 35, 10. Quem Scripturæ locum expendens Theodoretus asserit, Daui-

Primò, secundùm Diuinitatis.

Dauidem ſanctiſſimæ Trinitatis myſterium clariſſimè nobis aperuiſſe, dum vnigenitum Dei Verbum vitæ fontem appellauit; qui apud Ieremiam hoc eodem nomine ſemetipſum nuncupauit, dicens: *Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt ſibi ciſternas, ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas.* Michæas ad idem: *Et tu Bethlehem Ephrata paruulus es in millibus Iuda: ex te mihi egredietur, qui ſit Dominator in Iſraël: & egreſſus eius ab initio, à diebus æternitatis.* Locum hunc intelligendum eſſe de Chriſto, docuerunt etiam Scribæ Iudæorum: & ſecundùm illius poſteriorem partem, de illius æterna à Patre generatione intellexerunt Hieronymus, Theodoretus, Rupertus, & alij interpretes. Vbi obſerua, quomodo verbo ſignificante natiuitatem, *Et egreſſus eius*, &c. alludat Propheta ad ortum fluuij egredientis de paradiſo, quo eumdem expreſſit Moyſes dicens: *Et fluuius egrediebatur*, &c. Fluuius hic in cælo quidem exhilarat Patrem, Sanctos & Angelos omnes lætificat, Propheta dicente Pſ.45,5. *Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei.* Lætificat Patrem, ipſo Patre teſtante: *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui*, Matth.17,5. Aſpiciens in fontem Narciſſus nimiùm ſua ſpecie delectabatur, & in eius aſpectu deperibat, vt fabulantur Poëtæ: ſed verè detiderant in fontem hunc paradiſi aſpicere Sancti, vt videant ſui vultus claritatem, quam in ſe ipſis perfectè videre non poſſunt; & videre illum, à quo lumen & ſpeciem mutuauerunt, atque beatificantur: ideò benè dicere poſſunt Deo: *Quoniam apud te eſt fons vitæ; & in lumine tuo videbimus lumen*, Pſal. 35, 10. &: *Quemadmodum deſiderat cerous ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus. Sitiuit anima mea ad Deum fortem viuum: quando veniam & apparebo ante faciem Dei?* Pſal.41,2.

Ierem.2, 13.

Mich. 5, 2.

Gen.2,10.

Secundò, ratione temporalis generationis

Secundò, fluuius egrediens è Paradiſo Chriſtus, ſecundùm eius temporalem generationem, & vt Filius hominis eſt. Etenim genitus & natus ex Maria Virgine, quæ eſt omnium virtutum Paradiſus, ſicut ſcriptum eſt: *Emiſſiones tuæ Paradiſus.* Hinc Coſmas Ieroſolymitanus in Theog. Hym.12. deuotionis feruore inflammatus, ad ſanctiſſimam Virginem ſermonem ſuum conuertens, illam Paradiſum appellat, dicens: *Myſticus es, ô Deipara, Paradiſus illaboratè germinans Chriſtum.* & Michæas antè adductus in priori parte ſententiæ idipſum expreſſit. Hic fons, qui antiquitus ex Patris ſinu egrediens, Dei dumtaxat ciuitatem & felices illos ciues lætificabat, qui natura bonus eſt, alueum erumpens, factus eſt homo, vt homines lætificaret; quod in ipſius ortu apparuit dicente Ioanne 1, 14. *Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis: & vidimus gloriam eius. Quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis noſtris*, &c. *Et hæc ſcribimus vobis, vt gaudeatis, & gaudium veſtrum ſit plenum.* Et ſanè adhuc latens Chriſtus in vtero Matris nedum lætificauit Matrem, cuius ſpiritus exultauit in Deo ſalutari ſuo, ſed domum Zachariæ totam, Zachariam, Eliſabeth & Ioannem. Vix enixa eſt Deipara Regem, & ecce cum Angelis gaudent paſtores; & eumdem videntes Orientales Reges, gauiſi ſunt gaudio magno. Gauiſus eſt Simeon, Anna & iuſti omnes. Suo acceſſu in Ægyptum noſter hic fluuius meliùs illam alluit & fecundauit quàm Nilus, vt teſtantur multi ac vberes, quos ſuo tempore protulit, fructus ſanctorum Patrum, Martyrum, Virginum, & aliorum Sanctorum. Nónne hic fluuius adhuc paruulus irrigauit etiam doctrinæ & ſapientiæ ſuæ aquis Ieroſolymis templum Domini, adeò vt omnes mirarentur? *Stupebant autem omnes, qui eum audiebant*, inquit Lucas 2,47. *ſuper prudentia & reſponſis eius.*

1.Ioan.1,1

Cant.4, 13.

Tertiò, ratione prædicationis & gratia miraculorum.

Tertiò, fluuius Paradiſi Chriſtus, quando ad perfectam ætatem peruenit, & prædicatione ſua, miſericordia, pietate, gratia miraculorum incultam & arentem cordium humanorum terram velut cæleſti aqua coluit & fecundauit: hinc ſuper fontem Iacob ſedens, exhibet ſitienti mulieri aquas quæ in æternum ſitire non patientur; & quemlibet ſitientem ad ſe vocabat, vt ſitim extingueret, dicens: *Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat*, &c. Ioan. 7,37. Nullus ab iſto repellitur fonte, ſed omnes inuitantur, vt ſine argento & auro ſimilique commutatione ſalutaribus aquis perfruantur: ideò meritò & ipſe Euangelicus Vates ad hunc fluuium perennem fontemque indeficientem inuitat; quia, inquit, *haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris*, Iſaiæ 12,3. quæ verba expendens S. Bernardus appoſitè dixit: *Pro paradiſo, quem perdidimus, reſtitutus eſt nobis Chriſtus Saluator. Sicut ergo de vno fonte Paradiſi deriuantur quatuor flumina ad irrigandum Paradiſum; ita de pectoris eius arcano procedunt quatuor fontes, ex quibus hauriuntur quatuor aquarum genera, vnde tota per vniuerſum mundum rigatur Eccleſia. Sunt autem quatuor fontes, Veritas, Sapientia, Virtus, & Charitas. Ex his ergo fontibus hauriuntur aquæ, ex ſingulis ſcilicet ſingulæ: nam de fonte Veritatis ſumuntur aquæ iudiciorum, de fonte Sapientiæ, aquæ conſiliorum; de fonte Virtutis, aquæ præſidiorum; de fonte Charitatis,*

S. Bernar. in parvis Sermonibus, Serm. 66.

Quatuor fluminum ſignificatio.

tatis; aqua desideriorum. In aquis iudiciorum cognoscimus, quid liceat, vel quid non liceat; in aquis consiliorum discernimus, quid expediat, vel quid non expediat. & post pauca subdit: *Quid prodest, nosse quid liceat & expediat (quod vtique decent iudicia atque consilia) si posse perfici minimè contingat? ideo post aquas iudiciorum & consiliorum, quærenda sunt aquæ præsidiorum. Rursum & posse quid valeat, si horum omnium non sit finis Charitas? Rectè itaque post iudicia, post consilia, post præsidia, hauriuntur de fonte Charitatis desideria, vt videlicet, quidquid sapimus aut loquimur, quidquid operamur aut patimur, æterna vitæ finis concludat.* Hæc S. Bernardus.

Quartò, ratione passionis.

Quartò, fluuius in cruce Christus, & patens, & fecundus. Fluuius ille terrestris paradisi, ortum ducens ex loco voluptatis, diuidebatur in quatuor capita; per quæ effusus, voluptatis hortum lætificabat, & arentes alias ac steriles regiones irrigabat & fecundabat. Et ex aperto Christi latere, vbi sedes est amoris, origo passionum omnium & meritorum, manauit nedum aqua, sed etiam sanguis; qui diuisus est in quatuor scaturigines, vnde respersum fuit primò totum corpus Saluatoris, vt sanguine & aqua madefactum, in resurrectione reflorescceret, & gloriæ fructus referret, & sanctus hic locus diuino illo chrismate sacraretur, se deinde effudit ad quatuor capita, quibus Orientem, Occidentem, Septemtrionem atque Meridiem, vniuersamque terram efficacissima sua virtute irriganit, Sacramentisque ditauit suam Ecclesiam: hinc terra nostra hæc Caluariæ, quòd sontium supplicio deputata esset; maledicta erat, quia *maledictus omnis qui pendet in ligno*, Gal. 3, 13. nunc virtute Sanguinis Christi in eo fusi omnibus locis sanctior reddita est. Et tota hæc nostri orbis terra, quæ, ob protoplasti & aliorum peccata diuinæ maledictioni subiecta, nihil aliud quàm spinas & tribulos germinabat, nunc per Christi Sanguinem Deo reconciliata, atque iterùm benedicta, adeò fecunda effecta est, vt bonorum operum copiosos ac Deo gratissimos fructus ferat.

Stabiliuntur hæc sacræ Scripturæ auctoritate ac sanctorum Patrum doctrina. Propheta Zacharias, ad optatissimum illud tempus mortis nostri Reparatoris respiciens, dixit: *In die illa erit fons patens domui Dauid, & habitantibus Ierusalem, in ablutionem peccatoris & menstruatæ. Et erit in die illa, dicit Dominus exercituum: Disperdam nomina idolorum de terra, & non memorabuntur vltrà: & pseudoprophetas, & spiritum immundum auferam de terra*, Zachar. 13, 1. Quæ verba expendens S. Gregorius in Ezech. lib. 2. Homil. 20. acutè dixit: *Fons quippe occultus est vnigenitus Patris inuisibilis Deus; fons verò patens, est idem Deus incarnatus. Qui fons patens, rectè domus Dauid dicitur: quia ex Dauid genere noster ad nos Redemptor processit.* Et verè illum, quem absconditum Deum antèà appellauit Isaias, modò in cruce patentem nuncupauit Zacharias; quoniam extensa habet ad amplexandum brachia, apertas manus plenas hyacinthis gratiarum, vt nos ditet; apertum latus, vt in eo ab omni malo protegamur ac defendamur. De mirabilibus fructibus Sanguinis Christi ex diuino illo fluuio erumpentibus plura, eaque egregia, habet Chrysostomus Homil. 61: ad populum Antiochenum. Sed, aliis, omissis, vnicum audiamus Bernardum in die Natalis Domini Serm. 1. ita loquentem: *Fons nobis est Christus Dominus vnde lauemur, sicut scriptum est: Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris.* Ab hoc ditissimo fonte quatuor flumina scatent; flumen nimirum Misericordiæ, flumen Sapientiæ, flumen Gratiæ, & flumen Charitatis, vt paucis interpositis hisce indicat idem sanctus Doctor: *Habemus de fonte Misericordiæ, ad diluendas culpas, aquas remissionis: habemus de fonte Sapientiæ, ad potandam sitim nostram, aquas discretionis: habemus de fonte Gratiæ, ad irrigandas plantas bonorum operum, aquas deuotionis. Quæramus ad decoquendos cibos aquas feruentes, aquas æmulationis: hæ nimirum condiunt & decoquunt affectiones nostras, & ebulliunt de fonte Charitatis. vnde ait Propheta: Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis.* Hactenus ex sancto Bernardo.

Quintò, fluuius Saluator noster ratione Resurrectionis & Ascensionis.

Denique fluuius Saluator noster in sua gloriosa Resurrectione & Ascensione. Egressus hic à terra Sepulchri, sicut alius à terra Paradisi. Et quàm verè hic fluuius irrigauit terram, & fecit illam germinare & producere nouellas plantationes; quæ tantum exurgerent, vt vsque ad cælestem paradisum peruenerint. Referans Saluator noster Samaritanæ mulieri sui fontis aquæ virtutem dixit: *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum: sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam*, Ioan. 4, 13. Tantum ascendit aqua artis peritia, quantum altus est locus ex quo descendit. Noster hic fluuius vnde, & quò descendit? à cælo, à sinu Patris, sicut fuit Ioanni ostensum, eodem dicente Apoc. 22, 1. *Et ostendit mihi fluuium aquæ vitæ, splendidum tamquam crystallum, procedentem de sede Dei &*

Christus tam altè ascendit quàm locum ex quo descendit.

Agni-

Agni. Deinde in mundum venit, descendit de cælis in vterum Virginis, ex vtero Virginis iuit ad ouem quæ perierat; & penetrauit vsque in inferiores partes terræ, quando ad inferos descendit. Vidisti descensum, nunc contemplare similem ascensum, non arte humana, sed diuina virtute operatum, in se quidem primò, ac deinde in aliis, qui hauserunt aquas in gaudio de fontibus Saluatoris. Ascendit de inferno, & ex sepulchro corpore non inglorio sed glorioso assumpto, caterua sanctorum Patrum ù limbo eductorum stipatus, primò ascendit ad Virginem, ac deinde apparuit, quæ perierat, oui Magdalenę, Petro ac aliis electis vitis & mulieribus: ac denique, elapsis quadraginta à sua Resurrectione diebus, ascendit in altum, captiuam ducens captiuitatem, & tam altè, quantus est Pater, à quo exierat. *Assumptus est in cælum, & sedet à dextris Dei,* Marci 16,19. quod ipse priùs dixerat: *Exiui à Patre, & veni in mundum: iterùm relinquo mundum, & vado ad Patrem.* vt deinceps interpellet pro nobis, mittat Spiritum sanctum, det dona hominibus, viridarium suæ Ecclesiæ, at singulariter omnium electissimæ & sacratissimæ Resurrectionis, atque vniuersum mundum aquis cælestium gratiarum lætificet ac fecundet.

Ioan. 16, 28.

Et breuiter, dicta colligendo de sacratissimo nostro Dominicæ Resurrectionis templo, contemplare illius præcellentem dignitatem, tot symbolis ac figuris præfiguratam in omni lege & statu: in illo legis, in Salomonico templo; in altero naturæ lapsæ, in loco vbi Abraham filium suum sacrificare voluit; ac denique in statu innocentiæ eiusdem templi exemplar & excellentiam admirare in terrestri illo voluptatis Paradiso mirabiliter præfiguratam, & mirabiliùs in eodem impletam ac consummatam.

CAPVT III.

Prophetiæ aliquæ, quibus sacri Vates Dominicæ Resurrectionis templum & eius excellentiam vaticinati fuere.

TEmpli sacratissimi Resurrectionis Domini dignitas & præcellentia non solùm commendata relinquitur ex illius variis figuris, quæ in omni statu præcesserunt; sed etiam spectabilis redditur ex diuersis sanctorum Prophetarum diuinis vaticiniis: & quamuis mihi certò persuadeam, plures plura, eaque egregia, in illius commendationem prædixisse; tamen, breuitatis causa, duos tantùm in medium proferemus.

Prophetarum vaticinia de templo Resurrectionis.

Primus est Propheta Regius, homo secundùm cor Dei, qui in Psalmo 28, 9. dixit: *In templo eius omnes dicent gloriam.* Sed quodnam est hoc Domini templum, in quo omnes illi gloriam decantare debebant? An Salomonis? non ego id omnino asseuerarem; quoniam illud iam omnino reprobauit Deus, vt suprà vidimus. Ac præterea in illo solùm Iudæi hostias immolabant, quas nec accepturum, nec illis glorificandum fore Deum, per eumdem Vatem testatus est Dominus illis verbis: *Non accipiam de domo tua vitulos, nec de gregibus tuis hircos,* Psal. 49,9. Igitur de isto intellige, vt nomine eius indicatur, non Salomonis, sed Dei; ita vt secundùm nomen eius, sic & laus eius. Et ad templum istud non tantùm Iudæi, sed Angeli, qui ab illo Salomonico recesserunt, omnes nationes, Græcorum, Latinorum, & omnes gentes quas fecit Dominus, veniunt vt adorent Dominum, vt pluribus fuit à nobis Libro III. explicatum. Quare hoc est templum Domini, in quo omnis spiritus, Angelicus & humanus, laudat Dominum; & omnes nationes omnibus ritibus dicunt Deo gloriam.

In templo Resurrectionis omnes Deum laudant.

Iterùm alio loco idem Vates: *A templo tuo in Ierusalem tibi offerent Reges munera,* Psal. 67, 30. Et de quo alio templo magis hæc possunt intelligi, quam de isto? ad quod semper ex longinquis etiam partibus venerunt cuiuscumq; potestatis Ecclesiasticæ & sæcularis Principes, vt adorarent cum muneribus Dominum; & frequentiùs illa mittunt, omnium Regem & Dominum in eo, depositis de capitibus suis coronis, venerantes.

Sed Prophetam alterum audiamus. Aggæus cap. 2. sequentia in consolationem fidelium & sancti templi huius commendationem dixit: *Nolite timere, quia hæc dicit Dominus exercituum: adhuc vnum modicum est, & ego commouebo cælum, & terram, & mare, & aridam. Et mouebo omnes Gentes: & veniet desideratus cunctis Gentibus: & implebo domum istam gloria, dicit Dominus exercituum. Meum est argentum, & meum est aurum, dicit Dominus exercituum. Magna est gloria domus istius nouissima plus quàm prima, dicit Dominus exercituum: & in loco isto dabo pacem, dicit Dominus exercituum.*

Hæc sententia multorum mentes vexauit; quare in illa explicanda in varias interpretationes abierunt doctores Hebræi & Catholici. Hebræi, nostris Doctoribus in Commentariis huius Prophetæ referentibus, illam interpretati sunt de secundo tem-

plo Salomonis per Zorobabel reædificato, cuius gloriam & magnificentiam prædicit Propheta, vt Iudæi, qui tristes animum deposuerant, propter prioris templi desolationem per Regem Babylonis factam, illum resumerent, & gaudio replerentur, contemplantes alterius Zorobabelis magnificentiam.

Magnificentia templi Zorobabel quale.

Sed falluntur isti: etenim maiestas & splendor secundi templi, post reditum filiorum Israël à Babylonica captiuitate per Zorobabel reparati, nedum maior quàm primi, sed nec tantus splendor, tanta gloria, tanta magnificentia fuit vt illios; non tot diuitiæ, tantum aurum in posteriori, vt in priori apparuerunt: non tam denique celebre fuit in cærimoniis, Prophetarum vaticiniis, & ministrorum sanctitate; quin, tantum prius per Salomonem ædificatum dignitate & gloria posterius per Zorobabelem reparatum superauit, vt seniores Iudæorum, qui prioris diuitias & magnificentiam viderant, & posterioris paupertatem & defectum, maximos gemitus emitterent, maximamque vim lacrymarum profunderent, vt testatur Esdras lib. 1. c. 3, 12. & Iosephus lib. 11. Antiq. cap. 4. cùm dicit: *Cùm Sacerdotes, & Leuitæ & seniores prouinciarum vetus recordarentur templum, ingenti magnificentia conditum, & nouum viderent per inopiam non ita constructum, arbitrati, quantum à priori felicitate minores existerent, tristes, ac dolorem minimè tenere valentes, ad lacrymas lamentationesque proruperunt.* Sed nec doluissent, fleuissentque, si ad litteram impleta vidissent, quæ à Propheta illis verbis pronuntiata fuere.

Propter hanc rationem, Hebræorum alij, fabulosam alteram adinuenerunt responsionem, dicentes, Prophetæ verba de templo ædificando ab illorum Messia, cùm venerit, esse intelligenda.

Sed decipiuntur istu omnino. Tum primò, quia Messiam iam veniisse, vt illis promissum fuerat, nec alterum expectandum esse, absque difficultate sæpissimè conuicti fuere. Tum secundò, quia contemnentibus Iudæis ædificium secundi templi dicitur per Aggæum Prophetam suprà citatum: *Nolite timere*, &c. *implebo domum istam gloria. Istam* dixit, igitur non aliam tertiò reædificandam.

Magnificentia Herodiani templi.

Alij volunt, Propheram locutum fuisse de templo Herodis; quod multò magnificentius illo priori Salomonis fuisse, quibusdam placet: quod alij euidenter reijciunt.

Catholici alij intelligunt de gloria Salomonici templi tempore Messiæ; sed aliunde quàm ex temporalibus diuitiis, vel aliis memoratis, vt præcedentium sententiarum auctores, considerant gloriam, ex diuino, inquàm, supernaturalique munere, scilicet ex Christo Domino. Lyranus in hunc locum dicit, fuisse tunc impleta quæ à Propheta dicuntur. In Domini siquidem aduentu motum fuit cælum, quando stella noua in Christi natiuitate apparuit, Matthæi 2. terra & mare per victoriam Romanorum: in omni terra & insulis maris motæ fuerunt omnes gentes; quia imminente Christi natiuitate, ex ordine Augusti Cæsaris fuit descriptus vniuersus orbis, Luc. 12. Tunc venit Christus desideratus cunctis gentibus; quoniam omnium salutem operari debebat, vt ibidem dicitur. Impletum fuit templum illud gloria, quando in templo illo per Zorobabel reædificato fuit Christus à matre oblatus, & ibi pluries prædicauit, & multa miracula fecit, ex quibus domus ista fuit summè glorificata. Quam sententiam confirmat per Rab. A. Aquila. Data est etiam pax ab Angelis in Christi natiuitate. Hæc & alia Lyranus.

Operatus Christus in templo.

Aduertendum, Lyranum loqui voluisse, ni fallor, non de templo à Zorobabele, sed ab Herode ædificato, hoc est, de illo quod tempore Christi erat; nam quæ ipse recenset, non in illo Zorobabel, quod tempore Christi non erat, sed in alio Herodis contigerunt: hic enim decimo octauo anno regni sui aggressus est templi ædificationem à fundamentis; quam octo annis absoluit: & trigesimo secundo, Christus Saluator noster natus est, vt auctor est Eusebius in Chronicis; quare quæ tempore Christi contigisse memorantur, in Herodis & non Zorobabel templo contigisse, certum est.

Si dicas, quomodo in templo Herodis huiusmodi contingere potuerunt, cùm octo annis fuerit ædificatum, & illud, in quo Christus dicitur fuisse, & mirabilia fecisse, non nisi quadraginta sex annis fuerit absolutum? sicut verba illa Iudæorum ad Christum indicant: *Quadraginta & sex annis ædificatum est templum hoc*, Ioan. 2, 20.

Difficultas in solum.

Respondeo dupliciter. Primò, templum illud quadraginta sex annis ædificatum, fuisse euersum tempore Christi; verùm loquentes Iudæi de altero octo annis constructo, dicere maluerunt, fuisse quadraginta sex quàm octo annis ædificatum, vt Christum vehementiùs arguerent: magis enim redargutio aggrauabatur dicendo, illum voluisse reædificare templum annis quadraginta sex quàm octo ædificatum. Dicendum nihilominùs, Iudæos eo modo dicendi non recessisse à solita loquendi consuetu-

ſuetudine. Conſuetudo enim eſt, vrbes, templa,& huiuſmodi, eodem præſertim loco reædificata, continuè pro eiſdem haberi, & numerari: quare benè locuti Iudæi de templo Herodis, ac de altero Zorobabelis. Ad hanc fortè conſuetudinem reſpiciens Lyranus, non diſtinxit inter Zorobabelem & Herodem; etſi verè illa ab ipſo recenſita contigerint in illo Herodis.

Secundò, dico cum Cardinali Toleto Annot.25.in cap.2.Ioan. templum per Zorobabelem ædificatum,non fuiſſe euerſum, ſed duraſſe annis centum octoginta, vſque ad Veſpaſianum; ſed ab Herode fuiſſe inſtauratum, & valdè amplificatum, vt habet Ioſephus lib.11. Antiquitatum cap.vlt. quare eiuſdem templi inſtauratio & amplificatio illud non variauit; ideò benè potuit hoc Herodis, propriè templum Zorobabelis appellari.

Et vt ad id, vndè parum digreſſi ſumus, noſtra recurrat oratio: alij Prophetæ verba intelligunt de ſancta Catholica Eccleſia, & fidelium congregatione (non de aliquo materiali templo) quæ multò glorioſior & dignior eſt quàm fuerit Hebræorum Synagoga.

Hæc quidem & alia ſapienter à ſacris Interpretibus enarrantur. Lege Villalpandum Tom.2.Apparatus lib.6. à capite 66. vſque ad 72. & nos intentum proſequamur.

CAPVT IV.

Altera explicatio auctoritatis Aggæi Prophetæ de templo Dominicæ Reſurrectionis.

SEd nec ab intentione Spiritus ſancti futurum arbitror, ſi nos alteram expoſitionem eiuſdem Prophetæ auctoritatis hic ſubiiciamus; quæ ſi non in litterali ſenſu admittatur, ſaltem in ſpirituali, vel illo,quem ſacri Doctores per accommodationem appellant, non reiicietur.

Igitur ſit poſtrema ſententia, Aggæi Prophetæ adducta verba commode intelligi poſſe de ſanctiſſimo & glorioſiſſimo templo Dominicæ Reſurrectionis. Sanctiſſimum & glorioſiſſimum, propter ſtructuram quidem materialem, dignitatem & varietatem miniſtrorum in eodem deſeruientium; ſed multò ampliùs, propter ſpirituales gratias à Saluatore noſtro ibi conceſſas, & alia mirabilia ibi operata. Solatium non vnius Iudaicæ gentis, vt illud Salomonis, ſed totius populi Chriſtiani, totius mundi. Libenter hanc attuli interpretationem; quoniam in ſimili magiſtrum habui Euſebium Cæſareæ Antiſtitem: hic enim arbitratur, vaticinia Prophetarum antiquæ Ieruſalem, de noua & materiali, de illa, inquam, poſteriùs ædificata, vbi eſt ſanctiſſimus Caluariæ mons, ſacratiſſimum Sepulchrum, & hoc Dominicum templum, vt Capite ſequenti dicemus, intelligenda eſſe. Igitur & nos poterimus, Aggæi aliorúmve Prophetarum de Salomonico templo, vel etiam de Catholica Eccleſia propheſias, de noſtro Dominicæ reſurrectionis templo intelligere.

Gloria templi Reſurrectionis.

Attende itaque quid Dominus per Prophetam dicat: *Ego commouebo*, inquit, *cælum,& terram, & mare, & aridam. Et mouebo omnes Gentes*, Aggæi 2,7. Hæc ſingulari modo impleta fuerunt, quando in ſanctiſſimo huius templi loco fuit crucifixus Chriſtus Dominus, & à morte ad vitam reuocatus. Tunc cælum motum fuit non per vnius ſtellæ mutationem, ſed ipſius ſolis, quando in morte Chriſti obſcuratus eſt, vt ſacer teſtatur Euangeliſta,& in eiuſdem Reſurrectione citiùs ſolito ſurrexit, vt S.Petrus Chryſologus Serm.82. hiſce verbis dixit: *Solem, qui prater horam, vt Domino compateretur, abſteſſerat claritate, cùm reſurgeret Dominus ante tempus occurriſſe; & qui, vt ſuo commoreretur auctori, ſuam meridianam mortificauerat claritatem, vt conſurgeret auctori ſuo, eictis tenebris, anteluccanum erupiſſe.*

Omnia mota in Chriſti morte.

Terra ſimiliter mota fuit; tum quia *tunc petræ ſciſſæ ſunt, & monumenta aperta ſunt*, Matth.27,51. tum quia Chriſtus victoriam retulit de humani generis hoſte, qui per imperium & tyrannidem captiuum tenebat hominem; & de mundo exturbauit, quemadmodum Chriſtus prædixerat illis verbis: *Nunc iudicium eſt mundi: nunc princeps huius mundi eiicietur foras*, Ioan.12,31. & penetrauit vſque ad inferiores partes terræ, infernumque ſpoliauit.

Tunc motæ ſunt omnes Gentes; quia non ſolùm Iudæi, ſed Gentiles ad mortem Chriſti Ieroſolymis conuenerunt: & eo tempore potiùs, quàm in illius natiuitate; quoniam cùm eſſet ſolemne Paſcha, venerunt ex omnibus mundi partibus homines ad adorandum in Ieruſalem: & fortè magis, quando Chriſtus fuit in cruce exaltatus, quemadmodum ipſe prædixerat: Cùm *exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum*, Ioan.12,32. tunc *veniet deſideratus cunctis Gentibus*, Aggæi 2.8. Et quiſnam eſt iſte? certè Redemptor noſter ſalutem noſtram operatus: quæ non in natiuitate aliiſve operibus vitæ ſuæ, ſed in morte & in Reſurrectione, quæ in loco iſto contigit, conſummata fuit. Naſci enim non pro-

profuit, nisi redimi profuisset, vt sancta mater Ecclesia cantat.

Et implebo domum istam gloria, Aggei 2,8. Si Salomonis templum impletum fuit gloria, quando in eo paruulus, vel adultus passibilisque apparuit Christus, vel in manibus Simeonis, vel in medio Doctorum, vel prædicans, & faciens miracula; & hoc nostrum diuinissimum templum longè glorioſius apparuit in eiusdem Saluatoris morte, & post eius glorioſam Resurrectionem, quando, inquam, in morte prodigia in cælo & in terra apparuerunt; quando pro persecutoribus exorauit; quando clamans expirauit; quando de cathedra crucis magnus ille Magister & Orator, breui septem verborum oratione ita altè & sapienter dixerit, vt magis mouerit obstinatorum corda, quàm aliàs conuerterit pluribus sermonibus: conuersus enim tunc fuit latro, illum agnouit gentilis Centurio; & milites infamesque peccatores, quasi Dominum, quem offenderant, cognoscentes, reuertebantur, percutientes pectora sua, & in his magna Christi & augustissimi huius loci apparuit gloria; & multò magis eadem resplenduit, quando gloria & honore coronatus fuit in sepulchro Dominus Iesus, & de illo, morte deuicta, glorioſus exiuit. Quare meritò Euangelicus Vates Christi *Sepulchrum glorioſum* appellauit.

Christi Sepulchrum quare glorioſum.

Isai. 11,10.

Meum est argentum, & meum est aurum, Aggæi 2,9. Si ad splendorem & magnificentiam Salomonici templi fuit aurum & argentum necessarium; *Meum est argentum, & meum est aurum, dicit Dominus exercituum*, quod vobis dabitur secundùm exigentiam, vt domus etiam materialis illustris appareat. *Omnes opes, quas ego donabo vobis*, inquit Gloſſa interlinearis, *in ornamentum templi*. Et huiusmodi non defuerunt in illo Dominico templo; quoniam ex largis eleëmoſynis piorum Principum & aliorum fidelium, quæ sunt peculiaria bona Dei (præter alia de quibus posteà) fuit hoc ædificatum templum & reparatum; & iisdem in præsentia conseruatur: etenim custoditur ab illis, quorũ pars Dominus est, nihil in terra possidentibus, à Fratribus dico S. Franciſci; qui à terrenis omnibus separati, corpore in terra degentes, mente conuersantur in cælis, & ex libera piorum subuentione à Domino sustentantur: ex quo etiam apparet gloria Ministrorum huius templi, qui in eo Christo Iesu die ac nocte deseruiunt, offerentes vitulos labiorum suorum, corpora mortificata, hostiam acceptabilem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium, & dignissimum acceptissimumque incruentum Filij Dei sacrificium: & certè ob ista digniores Deoque gratiores, quàm veteres illi, qui velut carnifices animalium, ea trucidabant & sacrificabant. Accedit maior gloria ex aliis spiritualibus beneficiis in isto non in illo operatis; liberatio humani generis à peccati iugo, Deoque reconciliatio, & sanctæ Ecclesiæ desponsatio.

Diuitiæ ad vsum templi destinatæ.

In loco isto dabo pacem, Aggæi 2, 10. Hanc fateor nuntiatam fuisse ab Angelis in Christi natiuitate; sed non me latet, etiam fuisse à Domino Angelorum in eius morte consummatam. *Reconciliati enim sumus Deo per mortem Filij eius*, inquit sanctus Apostolus Rom. 5, 10. *Per mortem*, ait, non per natiuitatem, vel in Salomonico templo præsentationem, vel prædicationem. Propter hæc ergo, & alia, quæ, ne plus æquo longiores simus, prætermittimus, dicamus cum Propheta: *Magna est gloria domus istius nouissima plusquam prima*, Aggæi 2, 10. Huius solius ædificatione animum sumere possunt fideles, sicut in alterius Zorobabel constructione sumpserunt Iudæi, gaudere & lætari; quoniam non legalis & expiationis funditur sanguis, sed immaculatus & placationis fusus fuit, quo dealbati ad templum illud admittentur, in quo omnipotenti Deo cum iubilo & exultatione omnes dicent gloriam.

Per natiuitatem Christi, fuit in eius Resurrectionem consummata.

CAPVT V.

A quo fuerit ædificatum primò, & posteà reædificatum Dominicæ Resurrectionis templum; & aliqua de illius structura.

Plures quotiens dicuntur structuræ templi Resurrectionis.

SAcratissimum hoc Dominicæ Resurrectionis templum fuit non semel ædificatum, vel reparatum, aliis præcipientibus, aliis iussa exequentibus, quibus omnibus ædificatio adscribi potest (quemadmodum de Salomonico templo in præcedentibus fuit dictum, quod à Salomone, Zorobabele, & Magno Herode Iudæorum rege ædificatum dicitur) & de facto pluribus nostri huius templi constructio ab Historicis adscribitur; quæ fuit causa, vt quidam, ad hæc non aduertentes, hallucinati sint, non distinguentes inter primum auctorem & reparatorem, inter præcipientem & iussa sequentem: quare nec posse facilè sciri, quis fuerit illius auctor, dixerunt alij. Qui additionem fecit Historiæ scholasticæ in ea Domini verba Ioannis 2, 19. *Soluite templum hoc*, &c. inquit: *Templum Domini, quod modò est, & Bethel dicitur, quis ædificauerit nescitur: quidam autem dicunt, ædificatum ab Helena, post*

post Crucis inuentionem: quidam ab Heraclio, cùm de Perſia triumphans Crucem retulit: quidam à Iuſtiniano Auguſto: quidam à quodam Rege AEgypti nomine Aſſa-Chibir, id eſt ſummi Dei.

Verùm ſi ad præmiſſam diſtinctionem attenderimus, & Hiſtorias conſuluerimus, non erit admodum difficile adinuenire, quis ipſum primò ædificauerit, quis poſteà deſtructum reparauerit, quorum imperio, & quorum executione conſummatum fuerit, & qua ratione tot illius Auctores referantur.

Tria particularia templa ambiuntur à templo Reſurrectionis.

Sed & vlteriùs aduertendum eſt, in ambitu & circuitu huius ſacratiſſimi templi, de quo agimus, tria peculiaria contineri templa: primum & præcipuum eſt illud Reſurrectionis circa ſacratiſſimum Domini Sepulchrum: alterum eſt montis Caluariæ, ipſum ſacrum Montem continens: tertium denique ſub iſto, huicque continuum, eſt ſanctæ Crucis, quia continet locum in quo fuit ab Helena ſancta Crux Saluatoris noſtri inuenta. In quibus particularibus templis particularia ſanctuaria continentur, variis myſteriis conſecrata & dedicata, de quibus inferiùs ſuo loco. Lege Guillelmum Tyrium lib. 8. de Bello ſacro cap. 3.

Sententia Auctoris Epitomes Bellorum ſacrorum de ædificatione templi Reſurrectionis.

His animaduerſis, reſpondeo ad difficultatem. Auctor Epitomes Bellorum ſacrorum apud Henricum Caniſium Tomo 6. Antiquarum lectionum dicit, quòd in reparatione ſanctæ Ciuitatis, à Tito & Veſpaſiano deſtructæ, Chriſtiani obtinuerunt ab Ælio Adriano, vt locum Dominici Sepulchri & alia loca ſancta illi conuicina intra murorum ambitum includeret: *In quo loco*, inquit, *poſteà populus Chriſtianus fabricam mirandi operis dedicauit. Apparet quòd iſta deſtructio, facta per Titum filium Veſpaſiani, duranerit annis quadraginta ſex: ideò, quia idem Titus expugnauit ciuitatem anno quinquageſimo à paſſione Domini; anno autem centeſimo decimonono ab eius Incarnatione reparata fuit, Aelio prafato fauente, ſimiliter fabricatio templi in ea forma qua nunc eſt.*

Quidam autem dicunt, fuiſſe reformatum ſub Conſtantino Imperatore ab Helena matre ſua, ob reuerentiam ſanctæ Crucis ibi reperta: & ſi ſic eſſet, tunc deſtructum iacuiſſet annis ducentis triginta ſex, & paulò plus: tot enim anni fluxerunt à tempore captionis ciuitatis Ieruſalem per Titum vſque ad Principatum Conſtantini. Hæc ille.

Refellitur prædicta ſententia.

In huius Scriptoris verbis duo indicantur: alterum, ſacrum templum primò ædificatum fuiſſe tempore Ælij Adriani à populo Chriſtiano: alterum, fuiſſe reformatum ſub Magno Conſtantino. ſed neutrum verum eſt: non primum, tum quia tempore Adriani & deinceps vſque ad Conſtantinum tenues erant puſilli Chriſtiani gregis vires, & magnæ infidelium, à quibus premebantur; & quamuis multæ fuiſſent, tamen nec Adrianus, qui parum fauit Chriſtianis, nec quiuis alij Imperatores & Principes vſque ad Conſtantinum, cùm idololatræ eſſent, permiſiſſent tam egregium conſtrui templum, quod euidenter cederet in ruinam illorum idololatriæ. Et hoc ita eſſe, conſtat ex his quæ dicit Eccleſia in Hiſtoria Dedicationis Baſilicæ Saluatoris, & nos notauimus Libro IV. Capite vltimo II. Peregrinationis. Tum quia ab Adriani temporibus vſq; ad 21. annum Imperij Magni Conſtantini, in loco Reſurrectionis colebatur ſimulacrum Iouis, & in crucis rupe marmorea ſtatua Veneris, & in ſpecu, vbi quondam Chriſtus paruulus vagiit, Thamuz, hoc eſt, Adonis Veneris amaſius plangebatur: exiſtimabant enim Ethnici, fore vt Chriſtiani loca illa penitus deſererent & deteſtarentur, ſi ea ſimulacris idolorum conſpurcata cernerent, quemadmodum infrà oſtendemus Cap. XX. Quare non templum Chriſtianorum, ſed fanum gentilium fuit in loco Reſurrectionis & Paſſionis Domini erectum; & ita plures tradunt fide digni Scriptores. Et locum Paſſionis & Reſurrectionis muro cinxerunt, & idola ibi erexerunt, vt illorum obiectu inde amouerentur Chriſtiani. Tum quia omnes probati Scriptores refragari videntur, qui Conſtantino Magno & Helenæ adſcribunt primam Dominici templi fundationem. Ex his & ampliùs ex dicendis apparebit magis prioris & poſterioris dicti falſitas.

Sozomen. lib. 2. c. 1. Hieron. Epiſt. ad Paulin. Ruffin. lib. 1. Hiſt. Eccl. c. 7.

Ad hæc fortaſſe reſpiciens præfatus Auctor, ad iam ex ipſo recitata ſubiunxit: *Dicendum eſt, ſi dubitatur de certo tempore reparationis templi, tamen hoc eſt verum, quia prædicta Helena conſtitui fecit Baſilicam Reſurrectionis, ob reuerentiam Crucis ibi inuentæ*, &c.

Imperatorum Conſtantini iuſſu & ſumptibus fuit primò templum Reſurrectionis ædificatum.

Dicendum igitur, primi particularis templi ſanctiſſimi Sepulchri Domini noſtri primum auctorem fuiſſe Maximum Conſtantinum Imperatorem, cuius iuſſu, opera & ſumptibus ædificatum eſt, poſtquam à lepra curatus mirabiliter fuit, & ex Gentili Chriſtianiſſimus euaſit, quod ſequentibus explico.

Circa annum Domini 326. poſt celebratum Nicænum Concilium, & Imperatoris Conſtantini opera ſchiſmaticis & hæreticis confutatis, & reiectis quantum fieri potuit, rebuſque in pace compoſitis, incidit conſilium bonum piiſſimo Imperatori de idolo-

idololatria euertenda, & ædificandis templis, in quibus soli vero Deo sacrificaretur: quod quidem consilium, quoad potuit, executioni mandare studuit. Igitur *Imperator*, inquit Socrates lib. 1. cap. 12. *post confectum Concilium, in magna latitia ætatem degit: & simul vt festum solemne ad vigesimum annum Imperij sui, vt assolet, celebrauerat, nulla interposita mora, ad Ecclesias construendas omne suum studium contulit.*

Et primò quidem in Palæstina, vt par erat, ad loca sancta illustranda, vt patet ex Eusebio Cæsariensi; ex quo summatim proposito deseruientia perstringam. Eusebius itaque in Vita Constantini l. 3. c. 24. & seqq. scribit in hunc modum: *His rebus ad hunc modum constitutis, aliud quoddam opus maximè memorabile apud Palæstinorum gentem diuinus iste Imperator efficere aggressus est: at quodnam, quæso? sanctissimum illum salutaris Christi Resurrectionis locum Ierosolymis existimauit ita à se illustrari debere, vt omnibus eximius & veneratione dignus videretur; idcirco mandauit, in eo statim templum construi:* diuino quidem spiritu incitatus, vt diabolico exagitati impulsu, impij, Christiani nominis hostes, ex hominum memoria Sepulchrum Saluatoris delere cogitarint; quod hisce assequi posse arbitrati sunt.

Studium infidelium pro obliterranda memoria Sepulchri Domini.

Itaque primùm permultum cæpere laboris cæperunt in terra aliunde & extrinsecus inuehenda, qua locum vniuersum obtegerent. Deinde cùm molem terræ in immensam altitudinem erexissent, constrauissentq́, lapidibus, diuinum Sepulchrum ingenti aggere super iniecto obtegere. Post, cùm nihil iam illis ad opus explendum deesset, super illum terræ cumulum, nefandum reuera & execrabile bustum animarum construere, & recessum lasciua Veneris dæmoni vnà ædificare, simulacrisq́, mortuis complere: tum detestabiles ibi victimas super impuras aras & omni nequitiæ labe pollutas immolare, &c. Et Nicephorus de his agens lib. 8. cap. 28. sequentia addit, & templum præterea impudicæ Deæ Veneris, statuamque eiusdem ibi collocasse, virgineo partui illudentes, vt qui eo loco debitum Christo honorem sibi præstandum statuissent, simulacro ei exhibere viderentur, processuque temporis oblivio veram premeret atque occultaret causam, &c. Seuerus Histor. lib. 2. meminit etiam simulacri dæmonum in eodem loco passionis Dominicæ constituti.

Veneris dæmonumq́ simulacra in loco Sepulchri posita.

Verùm horum machinamenta aliquando demolita fuerunt, & sanctum Sepulchrum omnibus enituit. *Confestim igitur,* subiungit Eusebius, *Imperatoris mandato, machinamenta ad homines in errorem inducendos comparata, de sublimi ad solum prosternere, & ædificia falso cultui consecrata, vnà cum statuis & dæmonibus disturbare diruereq́, cæpit: neque his rebus gestis alacre Imperatoris studium acquieuit, sed de integro mandatum dedit, vt materia eorum quæ erant deiecta, sive lapidea illa esset, sive lignea, tolleretur penitus, & quàm longissimè extra loci fines ejiceretur: cui quidem mandato rei exitus planè respondebat.*

Constantini mandat loca sancta purgari.

Neque satis habebat Imperator in istis solùm rebus expediendis progredi; sed rursus diuini Numinis instinctu impulsus, iubet vt ipsum solum ad ingentem altitudinem defossum (quippe supra dæmonum contagione infectum erat) foras procul cum ipso aggere exportaretur; quod è vestigio effectum est: simulatque verò solum terra oppletum sordibus egestum fuit, & aliud solum, id est locus ille monumenti, ex abdito terra sedibus eminebat, ipsum etiam venerandum & sacrosanctum salutaris Christi Resurrectionis monumentum, præter omnium spem, vnà emersit; & Sepulchrum, quod meritò sanctissimum appelletur, Resurrectionis Seruatoris aptè propterea expressit effigiem, quòd post tenebrarum caliginem, quibus quasi sepultum iacuisset, in lucem denuò prodiit: & illustrem sanè miraculorum ibi editorum visum (qui reuerà omni voce clarius Seruatoris Resurrectionem testificatus est) sub aspectu eorum, qui ad illud ipsum contemplandum veniebant, subiecit.

Sepulchrum Reparatum detegitur.

His rebus in hunc modum confectis; extemplo Imperator, non modò sacratis legibus sancinit, vt templum angustum circa salutare illud antrum extrueretur; verùm etiam subsidijs ad eam rem suppeditatis (quippe hoc opus longo iam tempore apud animum proposuerat, attentioreq́, cogitatione prospexerat, quòd erat futurum) illud magnificè ac splendidè exædificandum curauit. Gentium igitur præfectis Orientem versus habitantium mandat, vt, adiumentis necessarijs abundanter & copiosè subministratis, opus eximium, amplum & magnificum fabricandum curarent; quin etiam ad Episcopum, qui id temporis Ecclesiæ Ierosolymitanæ præerat, tales misit litteras, quales sinceram & salutarem de fide nostra doctrinam, planè & apertis verbis complexa sunt.

Augustum templum circa Sepulchrum mandat extrui Constantinus.

Et vt propositum opus pro dignitate absolueretur, epistolam scripsit Maximus Constantinus ad Macarium Episcopum Ierosolymorum: in qua ipsum hortatur quàm maximè, vt sicut rei dignitas expostulat, omnem adhibeat diligentiam, vt opus ad perfectionem mandet operæ Draciliani; cui Constantinus de templi constructione mandatum dedit, vt sequitur.

VICTOR

VICTOR CONSTANTINVS MAX. AVGVST. MACARIO S.

Epistola Constantini ad Episcopum Ierosolymitanum, vt insistat structurae templi, prout illius dignitas requirit.

Tanta Seruatoris nostri erga nos benignitas declarata est, vt nulla tam accurata dicendi ratio & vis sit, quæ præsens miraculum pro dignitate explicare posse videatur: nam vt insigne illud sanctissimæ illius Passionis monimentum, quod terræ visceribus abditum, tot tamq; multis annorum conuersionibus iam delituisset, tunc illucesceret seruis Dei, cùm illis hoste deuicto, in libertatem essent vindicati, omnem profectò hominum admirationem longè superat. Etenim si omnes, qui in vniuersi orbis terra ambitu sapientes videntur, in vnum locum congregati, aliquid pro rei dignitate dicere aggrederentur, ne minima huius partis oratione ex æquo satisfacere possent; miraculi enim magnitudo tantò plus vniuersum humanæ rationis & naturæ captum vincit, quantò res cælestes & diuinæ humanis sunt valentiores. Quapropter hoc vnum mihi in primis propositum sit ad dicendum: quòd sicut vera fides seipsam quotidie nouis miraculis patefacit; sic nostri omnium animi omni modestia & concordi alacritate ad sanctas Euangelij leges colendas attentiores fieri debent. Præterea illud, quod cuique perspicuum esse arbitror, pro certo tibi cum primis persuasum velimus, hoc nobis præ ceteris rebus omnibus maximè curæ esse, vt locum ille sacer, quem Dei iussu turpissima simulacrorum mole, tanquam graui quodam onere impositu, purgauimus, quemq;, & primis mundi temporibus, ipsius Dei iudicio sanctum habitum esse, & posteà etiam, quia fidem Passionis Seruatoris tamquam è tenebris in lucem euocarit, multò clariorem sanctitatis suæ significationem dedisse cognouimus, præclara ædificiorum structura exornetur. Par est igitur, vt tua prudentia ita opus disponat, vt prouide res quasque accuret necessarias; quo non modò sanctuarium templi reliquis omnibus, quæ vbique sunt, pulchritudine antecellat, sed etiam cetera eius partes tales sint, vt omnia templa, quæ in singulis ciuitatibus primas tenent, huius ædificij dignitate longè superentur. Ac de parietibus erigendis, exquisitoq; artificio perpoliendis, tum Draciliano amico nostro, qui nonnullas aliarum prouinciarum partes administrat, tum vestræ etiam prouinciæ Præfecto, scito curam à nobis esse impositam. A nostra enim benignitate illis imperatum est, vt qui artifices, qui operarij, quæve res aliæ fuerint ad illud ædificium necessariæ, à tua prudentia discant, ac statim ipsorum prouisione eò mittantur.

Quod autem attinet ad columnas ceteras q; partes ex marmore conficiendas, quas ipse existimaueris vel ad decus illustriores, vel accommodatiores ad diuturnitatem fore, cùm eas quasi summatim tecum consideraueris, fac ad nos diligenter perscribas; vt cùm ex litteris tuis, quibus rebus opus fuerit, intellexerimus, vndique eadem illò comportari possint: nam locus ille, qui totius orbis terrarum facilè primas fert, omnibus ornamentis meritò illustrandus est. Testudinem verò sanctuarij laqueatámne facere, an alio quodam fabricæ genere extruere placeat, abs te certior fieri velim: quòd si fiat laqueata, scitè quoque inaurari poterit. Restat igitur, vt tua sanctitas illis, quorum iudicio, vt suprà dictum est, rem permisimus, quibus operariis, quibus artificibus, quibus denique sumptibus, opus fuerit, quàm celerrimè significet: quin etiam nos non solùm de columnis aliisq; partibus ex marmore conficiendis, verùm etiam de testudinis laquearibus (si modò illud fabricæ genus pulchrius esse censeas) quamprimum facias certiores. Deuote, frater charissime, diu seruet incolumem. Hactenus Constantinus ad Macarium.

Quid deinde secutum fuerit sequentibus verbis indicat Eusebius, explicans simul formam & structuram sacratissimi templi. *Ista*, inquit Eusebius, *ab Imperatore præscripta fuerunt, rerumq; nulla interposita mora, prosperè successit euentus. Atque ad illud salutare Christi monumentum noua Ierusalem exædificata est è regione veteris illius, quæ hominum sermone iam diu celebrata fuisset, quæq; post cruentam eadem Domini, ad extremam vastitatem prolapsa, pro impietate ciuium eam incolentium pœnas dederit. Imperator itaque huic ex aduerso salutare victoriæ Christi contra mortem comparatæ monumentum (quæ fortasse est recens illa & noua Ierusalem Prophetarum oraculis prædicata, de qua vaticinationes pluribus verbis explicatæ, plurima Spiritus sancti instinctu canere videntur) liberali & abundanti sumptus magnificentia erigendum extruendumq; curauit. Et primum omnium, sacrum antrum, diuinum illud videlicet monumentum, ad quod olim Angelus fulgore enitens delapsus, spem regenerationis, quæ est à Seruatore nobis illic ostentata, omnibus annuntiauit: primum inquam omnium Imperatoris magnificentia istud, velut totius ædificij caput, eximijs columnis illustrare, & ornatu splendido maximoq; decorare, atque adeò variis cuiusque generis insignibus illuminare cœpit.*

Nona Ierusalem extructa, & qualis.

Deinde ad amplissimum templi locum, libero cælo patentem, exornandum se contulit: cui & solum lapide eximio constratum, & porticus longis ambulationum spatijs ex tribus lateribus circumdati, permultum decoris attulerunt. Aduerso autem lateri antri, quod solem

Templi Resurrectionis descriptio.

solem orientem spectabat, regale & augustale sanctuarium adiunctum fuit, opus planè eximium, ad infinitam altitudinem erectum, longitudine & latitudine immensa patens. Cuius ædificij partes interiores marmoris versicoloris materia incrustata; exterior autem parietum superficies politis lapidibus, qui commissuris quibusdam inter singulos interiectis colligabantur, exornata, singularem quandam pulchritudinis speciem, eamq; non minùs ad aspectum illustrem, quàm marmore obducta fuisset, præbuit.

Quod autem ad ipsa tecta in sublimi posita attinet, exteriores eorum partes plumbea obtexit materia, qua, tamquam firmum munimentum, tempestuosos imbres depelleret; interiores verò cælatis laquearibus affabrè inter se compacta, & tamquam quoddam vastum pelagus per vniuersum sanctuarium, coagmentationibus quibusdam inter se continenter cohærentibus diffusa dilatataq;, & fulgente auro passim cooperta, totum templum, velut lucis claritate, mirè illuminarunt. Duabus porticibus, partim subterraneis, partim supra terram eminentibus, xysti gemini ex vtroque latere adiecti, ad longitudinem sanctuarij porrigebantur; quorum testudines erant auro insignita & varie artificio illustrata: ex quibus alter, à fronte inferioris templi columnis ingentibus suffulciebatur; alter intrò spectans, substratis pos[illegible] magno extrinsecus ornatu decoratis erigebatur: tres porta ad orientem solem apiè & eleganter dispositæ, multitudini ingredientium patuerunt. Istis ex aduerso erat fornix dimidiati vniuersi cæli circuli speciem adumbrans, in summo sanctuario in orbem ductus: quem duodecim columnæ, Seruatoris [illegible]stolis numero pares, tamquam corona cingebant, crateribus ex argento confectis circa fastigia concinnè expolita; quas Imperator Deo illic pro monimento pulcherrimo dicauit.

Inde ad introitum pro templo locatos accedentibus area patuit. Erant inibi vtrimque, primò atrium, deinde porticus, ad extremum atriensis porta; post quas in ipsa media platea à foro eò deducente, totius ædificij vestibula perpolitè constructa iter illac facientibus admirabile visu spectaculum, quod rerum intus fabricatarum pulchritudinem quodammodò monstrabat, exhibuerunt.

Istud verò templum, quo tamquam testimonio salutaris Domini Resurrectio illustris & nota fiebat, extruxit Imperator: & quo totum illud magnifico & regali ornatu decoraret, insignibus, quæ oratione explicari nequeunt, & monumentis auri, argenti, & lapidum pretiosorum materie distinctis, & quasi depictis, quæ erant numero ferè infinita, adornauit. Quorum apparatum tum magnitudine, tum multitudine, tum varietate, denique adeò artificiosè elaboratum, figillatim iam oratione persequendi otium non datur. Hæc Eusebius de templo Resurrectionis Domini primò ædificato opera Maximi Constantini Imperatoris: quod decem annis absolutum fuit. Illius architectus fuit Eusthatius Presbyter Constantinopolitanus, vt tradit D. Hieronymus in Chronico anno 30. Constantini Imperatoris. De his lege etiam Theodoretum libro 1. cap. 17.

Templa Passionis & Crucis Domini ædificauit Constantinus.

Alia etiam duo peculiaria templa, Passionis in Caluariæ monte, & S. Crucis in loco inuentionis eiusdem ædificauit idem Imperator, vt docet idemmet Eusebius in Oratione de laudibus Constantini, vbi enumerans sex Ecclesias ab Imperatore in Palæstina ædificatas, & has recenset cùm ait, *Primam erectam esse in memoriam Christi Passionis; secundam dedicatam in memoriam sanctissimæ Crucis; tertiam exadificatam in loco vbi sepultus est.*

Guilielmus Tyri Archiepiscopus lib. 1. de Bello sacro cap. 4. docet hoc ipsum, alia addens de illa destructione & reparatione: inquit enim, Hequen Calipha Ægyptium, regem Ierusalem, templum Resurrectionis Domini destruere ac solo æquare fecisse, quod olim opera & imperio Constantini piissimi Imperatoris ædificatum fuit à Maximo Ierosolymorum Episcopo primùm, & posteà per Reuerendissimum Modestum Episcopum tempore Heraclij Imperatoris reparatum, qui ad priorem venustatem etiam restituit templa, quæ Chosroë scelestissimus Persarum Princeps destruere iussit, vt eodem libro cap. 1. dicitur.

Templum Resurrectionis captum sub Macario, & absolutum sub Maximo, sancta Ciuitatis Episcopo.

Aduertendum hîc, Guilielmum non contradicere Eusebio, dum dicit, templum iussu Constantini fuisse ædificatum à Maximo Episcopo, Eusebius verò à Macario: nam Eusebius respexit tempus quo primum iussit Imperator templum ædificari, quando Macarius Ecclesiam Ierosolymitanam gubernabat; & ita verè dicit Eusebius, Macarium templum inchoasse. Guilielmus verò respexit ad tempus quo templum fuit absolutum, & quia hoc contigit sub Maximo, qui in Episcopatu Ierosolymitano successit Macario, vt scribit Sozomenus lib. 2. cap. 17. ideò Maximo adscribit templi ædificationem; & rem ita se habere, ex eo colligitur, quòd templi fabrica cœpit circa annum Domini 326. & completa fuit anno Domini 336. decem videlicet annis; at anno Domini 331. è vita decessit Episcopus Macarius, postquam, longæuus & plenus Domini benedictionibus,

bus, ſediſſet Ieroſolymis in Epiſcopatu annis 49. in cuius poſteà locum ſubrogatus fuit Maximus, & cœpit Eccleſiam gubernare anno 331. ſecundùm Hieronymum in Chronico; & ſedit in Epiſcopatu illo annos viginti, hoc eſt vſque ad annum Domini 351. quo tempore abſolui potuit Reſurrectionis Domini ædificatio cœpta ſub Macario: quare inter Euſebium & Tyrium non eſt contrarietas; quoniam ille de templi exordio, iſte de illius conſummatione locutus eſt. Clare hæc videri poſſunt apud Cardinalem Baronium Tomo 3. ſuorum Annalium.

Helena tribuitur fabrica ſacri templi, quia de conſenſu Conſtantini ea operam dedit.

Adſcribitur etiam huius templi ædificatio Helenæ Conſtantini Imperatoris piiſſimæ Matri, vt videre eſt in Hiſtoria Socratis lib. 1. cap. 13. quia ipſa venit Ieroſolymam, locum Sepulchri expurgauit; & iuſſa filij ſui, ipſius auxilio, exequi diligenter curauit, vt tradit Euſebius lib. 3. Vitæ Conſtantini cap. 42. & Theodoretus lib. 1. c. 18. dum enim agit de epiſtola miſſa ab Imperatore ad Macarium Ieroſolymitanum Epiſcopum pro extruendo Dominicæ Reſurrectionis templo, inquit: *Huius epiſtolæ perferendæ negotium non alius quiſpiam quàm ipſa Imperatoris Mater; tam præclari filij procreatrix, cuius laus omnium piorum ore ac ſermone prædicata eſt, ſuſcepit: quæ & hoc eximium mundi luminare peperit, & pietatis alimenta ei ſuppeditauit*, &c. Ex his appareret, quomodo pro vno computari debent Conſtantinus & Helena; quoniam eodem tempore, voluntate communi & auxilio vterque concurrit ad primam ſacratiſſimi illius templi ſtructuram.

Et ante citatus Auctor Epitomes Bellorum ſacrorum inquit: *Quidam autem affirmant, templum Sepulchri fuiſſe reparatum tempore Heraclij Imperatoris; qui regnare cœpit anno Domini 618. nam in quinto anno ſui Imperij, Choſroë Rex Perſarum cepit & euertit muros eius, & Eccleſias deſtruxit: in ſeptimo verò anno ſurgens contra eum Imperator Heraclius, ſuperauit, & interfecit eumdem Choſroën; & recuperata ſancta Ciuitate, multas Eccleſias reformauit, ſimiliter & murum ampliauit, montemq; Caluariæ, & quidem plurima loca illi conuicina intercluſit intra murum ciuitatis, ſicut anteà fecerat Aelius Adrianus.*

Heraclius templum Reſurrectionis reparauit.

Ex antè dictis ab Archiepiſcopo Tyri habemus, fuiſſe templum Dominicæ Reſurrectionis ſecundò ædificatum, ſiue reædificatum, meliùs reparatum, ſub Imperatore Heraclio, vt dixit Auctor citatus Epitomes, circa annum Domini 616. per Modeſtum Ieroſolymorum Antiſtitem. Quòd verò ſub Heraclio fuit reparatum, crediderim fuiſſe in cauſa, vt quidam, de quibus citatus poſtillator Hiſtoriæ Scholaſticæ ſuperiùs relatus, crediderint, fuiſſe ab illo Imperatore ædificatum.

Contrà poſſet quis obijcere, Heraclium, nedum non ædificaſſe, ſed ne reparaſſe quidem memoratum templum: etenim de victoria elatus, potiùs ignauiæ & ſocordiæ deditus, ſuis rebus magis conſuluit quàm publicis, & quæ Ieſu Chriſti, vt ex Græcorum Annalibus tradit Baronius Tomo 8. anno proximè citato 616. quo eam reparationem contigiſſe ſcribit. ſic verò ait: *Quod pertinet ad res Orientalis Imperij, calamitoſum planè illud reddunt Annales, nempe, eò vſque progreſſos eſſe Perſas, vt per Libyam venirent Carthaginem, eamq; obſeſſam diu, tamdem ceperint. Tantoperè inualuit potentia Choſroës, vt cùm totam depopulatus eſſet Aſiam, inuaſerit poſt Aegyptum Africam quoque, nullo obice oppoſito. Ita Deus permiſit barbarum Regem, ad populorum peccata plectenda, liberè pro arbitrio in Orientem & Occidentem longè lateq; graſſari: cùm verò ipſi placuit, redegit eum in nihilum. Inter tot tantaq; orbis flagella Heraclius ſtupiditate quadam oppreſſus, omiſſa omni de bellicis rebus cura, ad ſuos filios honoribus prouehendos incumbit: hoc ſiquidem anno (vt ijdem habent Annales) creat Conſulem Conſtantinum iuniorem, qui & Heraclius dictus eſt; inſuper & minorem eius fratrem ex Martina genitum, Conſtantinum itidem nominatum, Cæſarem appellat.*

Reſpondetur dupliciter: Primò, Heraclium non niſi poſt viceſimum annum ſui Imperij declinaſſe à fide Catholica, ex ſuggeſtione Cyri Epiſcopi Alexandriæ, & Sergij Patriarchæ Conſtantinopolitani; qui prædicabant, vnicam fuiſſe in Chriſto naturam, vt inquit citatus Auctor Epitomes: quare benè potuit ſtatim capta Ieroſolyma, quando erat Deo dilectus, illam cum ſanctis locis reparaſſe.

Secundò. Et ſi paulò pòſt à captis Ieroſolymis ſe voluptati & errori dediſſet, non officit, quin executioni mandaretur quod priùs fuerat ab illo ſancitum, vel quod potuit ordinaſſe factus hæreticus; licet hoc mihi minus probabile: nam & Orientales hæretici plurimi faciunt loca ſancta. Fauet his, quòd, vt ſuprà monuimus, in monte Caluariæ eſt pictura huius Imperatoris, vt de locis ſanctis, & ſingulariter de hoc templo benemeriti.

Quòd verò Eccleſia ſancta Ieroſolymitana, abducto in Perſidem Zacharia Patriarcha captiuo, abſque paſtore relicta eſſet, iniuncta eſt eius adminiſtratio Modeſto, Patri Monachorum cuiuſdam mona-

ſterij Palæſtinæ: qui quidem magno animi ardore non ea tantùm quæ ad animarũ curam ſpectare videbantur, quietemque Monachorum extorrium, ſummo ſtudio pertractauit, ſed etiam in reſtituendis igne conſumptis Eccleſiis (licet impoſſibile videretur rem tantam Monachum vnum poſſe præſtare) alterum ſe Zorobabelem exhibuit. Locuples teſtis de his omnibus eſt Antiochus Monachus in Epiſtola ad Euſtachium, in qua de Modeſto primùm hæc habet:

Nos proinde humiles & abiecti, gratia primùm Dei, deinde ſeria admodum & accurata diligentia prænemorati ſanctiſſimi Modeſti ſedentariam hanc exigimus vitam in liberiore & tranquilliore otio. & inferiùs rurſum:

Gratia enim Chriſti, ſed & ſolerti ſedulitate iam dicti venerandi apprimè Patris noſtri Modeſti, cuncta id temporis incoluntur effusè iſtius Eremi monaſteria. ac paulò pòſt: *Superſunt nuntia aliquot ſanè quàm læta: quorum fideli relatu, & veſtra & omnis ſinceriter Chriſtiani anima meritò poſſit exhilareſcere. Hæc igitur valdè promptus & alacer annuntio vobis: Modeſtus ſanctitatis eximiæ vir, de quo nan ſemel dictum, non eorum modò prouidã gerit curam ſollicitus, quæ per hanc vaſtam eremum ſparſim diſiecta ſunt, Monaſteriorum, ſed & moderandæ huic ciuitati ac vniuerſæ circùm finitimæ regioni ſolerter proſpicit, Deo eidem cooperante in omnibus. Hic enim ad viuum nobis exprimit imaginem noui cuiuſpiam Beſeleelis, aut certè Zorobabelis. Gratia etenim plenus Spiritus ſancti, templa Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, quæ quidem barbarico igne conflagrarunt, in ſublime erigit, omni prorſus digna veneratione, puta ædes ſanctæ Caluariæ, ac ſanctæ Reſurrectionis, domum inſuper dignam omni honore venerandæ Crucis, quæ mater Eccleſiarum eſt, ſed & ſanctæ Aſſumptionis ædem à fundamentis exædificat; adeò vt per hæc læta initia, de futuris quoque ſpes ampliſſimas concipiamus, idq; vel ob eos maximè, qui huc ſperantur venturi ab externis regionibus, ſancta hæc loca vt adorent, vt omnes in commune glorificemus Deum.* Hactenus Leontius, referente Baronio. Hoc ipſum templum fuit poſteà deſolatum, & iterùm reædificatum, ſiue reſtauratum; & eſt illud quod in præſentia cernitur.

Sed quorum opera vtrumque factum ſit, non latis inter Hiſtoricos conuenit. Guilhelmus Tyrius vaſtatum arbitratur ab Homar Principe Sarracenorum in Oriente Chriſtianos vaſtante; Turcis ibi magnos progreſſus facientibus anno Domini 1048. vt videre eſt apud Baronium Tomo 11. Annal. Eccleſiaſt. ſub anno Chriſti 1009. ante liberationem ciuitatis Ieruſalem annis ſex; & 37. poſt eius deſtructionem reædificatum fuiſſe Reſurrectionis Domini templum, quod ad præſens cernitur, per Heliopolitanum Imperatorem Conſtantinopolitanum: hic enim, obtenta priùs ad ipſum ædificandum facultate à Deben Turcarum Rege, filio ſceleſtiſſimi Hequen (qui ei in regno, ſed non in moribus ſucceſſit; fuit enim manſuetos & in Chriſtianos beneuolus) ipſum ædificari curauit: quod tandem abſolutum fuit ſub Conſtantino Monomacho, qui Helipolitano ſucceſſit, ope & facultatibus iuuante, vt eodem lib. 1. Bell. ſacr. cap. 6. habetur.

Alij vetuſtiores volunt, perſuaſione Hebræorum per Ammiratum Babylonis Principem fuiſſe deſtructum, & poſteà per eius matrem Chriſtianam reædificatum: quod accidit anno Domini 1009. quorum ſententiæ adhæſit Baronius ſub eodem anno, qui rem ex probatis Auctoribus, vt ſequitur, explicat.

Hoc eodem anno, id eſt 1009. inquit, *contigit ſacroſanctum Ieroſolymorum templum per Babylonis Principem ſterni; cuius occaſione ingens in Occidente facta eſt Iudæorum ſtrages, cùm eorum id perpetratum opera cognitum eſſet: Deo autem operante, rurſum maiori decore templum ibidem excitatur, quod miro ex Catholico orbe concurſu frequentari cæptum. Hæc omnia temporis huius fidelis Hiſtoricus Glaber teſtata reliquit his verbis:* Glab. lib. 3. cap. 7.

Eo quoque tempore, id eſt, anno nono poſt præfatum milleſimum, Eccleſia, quæ apud Ieroſolymam Sepulchrum continebat Domini ac Saluatoris noſtri, euerſa eſt funditus iuſſu Principis Babylonis: cuius videlicet euerſionis occaſio tale, quod dicturi ſumus, cognoſcitur exordium habuiſſe.

Cùm enim de toto terrarum orbe, ob inſigne Dominicum memoriale, plurima fidelium multitudo Ieroſolymam viſitaturi pergerent, rurſus cæpit inuidus diabolus per aſſuetam ſibi Iudæorum gentem veræ fidei cultoribus venenum ſuæ nequitiæ propinare. Erat igitur huius generis apud Aurelianenſem Galliarum Regiam vrbem non modica multitudo, qui ceteris ſuæ gentis tumidiores, & mundi, atque audaciores ſunt reperti. Hi denique nequam conſilio inito, corruperunt quemdam data pecunia, videlicet gyrouagum ſub peregrino habitu, nomine Robertum, fugitiuum vtique ſeruum B. Mariæ Melerenſis Cœnobij. Quem accipientes, cautè miſerunt ad Principem Babylonis cum Hebraicis characteribus ſcriptis epiſtolis, pictaciolis ferri baculo inſertis, ne quo caſu potuiſſent ab eo diuelli. Qui egreſſus Iudæorum perfidia contra Ecclesiam Christi Ieroſolymitanam.

detu-

detulit litteras prædicto Principi, refertas dolo & nequitia: & quoniam, nisi celeriùs domum Christianorum venerabilem subuertet, sciret se in proximum, Christianis Regnum illius occupantibus, omni penitus dignitate carere. His verò Princeps auditis, protinus furore arreptus, misit Ierosolymam de suis, qui prædictum funditus subuerterent templum: qui venientes fecerunt, vt eis fuerat imperatum. Ipsum quoque concauum Sepulchri tumulum ferri tuditibus quassare tentantes, minimè valuerunt.

Miranda tentantibus demoliri sancti Sepulchri.

Ecclesiam S. Georgij esse illam quæ est apud Lyddam, quam dixit esse in Ramula, quia non longè de illa Lib. IV. Capite III. Peregrin. rapum

Tunc etiam beati Martyris Georgij Ecclesiam in Ramulo pariter subuerterunt; cuius olim virtus Sarracenorum nimiùm gentem terruerat. Fertur enim, crebrò illuc eos ingredi cupientes, raptum cæcitatem pertulisse.

Euerso igitur, vt diximus, templo, post paululum manifestè claruit, quoniam Iudæorum nequitia tantum nefas sit patratum; vt & diuulgatum est per orbem vniuersum, communi omnium Christianorum consensu decretum est, vt omnes Iudæi ab illorum terris vel ciuitatibus funditus pellerentur. Sicq; vniuersi odio habiti, expulsi de ciuitatibus, alij gladiis trucidati, alij fluminibus necati, diuersisq; mortium generibus interempti; nonnulli etiam sese diuersa cæde interemerunt, ita scilicet, vt digna de eis vltione peracta, vix pauci illorum in orbe reperirentur Romano.

Dira vindicta vrget Iudæi.

Tunc quoque decretum est ab Episcopis atque interdictum, vt nullus Christianorum illis se in quocumque sociaret negotio. Si qui tamen de illis ad Baptismi gratiam conuerti voluissent, omnemq; Iudaicam respuere consuetudinem, vel morem, illos tantùm suscipere decreuerunt. Quod & fecerunt plurimi illorum, magis amore præsentis vitæ coacti metu mortis, quàm vitæ sempiternæ gaudiis. Nam quicumque illorum sese tales mentiendo fieri popposcerant, paulò post ad morem pristinum sunt imprudenter reuersi.

Præterea hijs ita gestis, prædictus litterarum baiulus ad natiuum male securus repedauit solum. Cœpit itaque sedulò perquirere, si fortè quempiam gentis suæ fraudis consitæ reperiret: inuentis verò perpaucis in ciuitate Aurelianorum pauidè admodum degentibus, rursum cœpit illorum familiariùs vti consortio. Accidit igitur, vt quidam peregrinus, eius in transmarino socius itinere, atque certissimè illius itineris conscius negotij, illuc deueniret, rursumq; illum Iudæorum amicitijs nimis hærere cerneret; palàm vniuersis indicare curauit, quanti mali gerulus ille esset homuncio, & cuius rei causa Iudæorum potiretur opibus: qui illicò comprehensus, acribusq; agitatus verberibus, propria delationis confitetur crimen; moxq; à ministris Regis in conspectu totius plebis extra ciuitatem igni est traditus atque consumptus: Iudæi tamen profugi ac vagabundi, qui in locis abditis delitescentes prædictæ superfuerant cladi, post quinquennium euersionis templi cœperunt in vrbibus apparere perpauci. Et quoniam oportet, quamuis ad illorum confusionem, vt ex illis aliqui in futurum supersint, vel ad confirmandum proprium nefas, seu ad testimonium fusi Sanguinis Christi; idcircò verò credimus, Christianorum animositatem, diuina dispensante prouidentia, in eis ad tempus mansuetisse.

Detecto facinore, dat pœnas auctor.

Eodem nihilominùs anno, diuina propitiante clementia, cœpit materipsius Principis, videlicet Amiratti Babylonis, mulier Christianissima, nomine Maria, readificare Christi templum, iussu eius filij euersum, politis & quadris lapidibus. Nam & vir ipsius, quasi alter Nicodemus, pater huius scilicet, de quo præsens est sermo, habitus occultè Christianus dicitur fuisse. Tunc quoque de vniuerso terrarum orbe incredibilis hominum multitudo exultanter Ierosolymam pergentes, domui Dei restaurandæ plurima detulerunt munera. Hucusque Glaber.

Rursum templum Resurrectionis instauratur.

Meminerunt & Græci de eiusmodi templi Ierosolymorum euersione, sed anno sequenti, nempe octaua Indictione: nam Curopalata de his agens hæc ait: Indictione octaua, anno mundi IↃↃ CIↃ IↃ XXIII. *Aegypti Princeps Aziziùs, ob leuem causam, & offensas ne relatu quidem dignas, fœdere, quod ei erat cum Romanis, rupto, & templum Ierosolymis ac Sepulchrum Christi sumptuosissimè conditum euertit, & religiosa perdidit monasteria, & qui in iis piæ vitæ exercitationibus erant dediti, eos per omnem terram extorres egit. Eadem & Cedrenus.*

Subdit Baronius Tyrij relationem, & suum in hoc iudicium: *Guilielmus Tyrius agens de Bello sacro, recensèt destructionem templi Ierosolymorum, & Christianis in Oriente illatam ab Homar Principe Sarracenorum persecutionem anno salutis millesimo decimo octauo, postq; annos triginta septem factam eiusdem templi readificationem à Christianis sub Constantino Monomacho Imperatore. Sedisse autem tunc Ierosolymis Orestem Episcopum asseuerat. Sed antiquioribus, suorum præsertim temporum Scriptoribus, tutior inest fides.* Hactenus ex Baronio. Tyr. lib 1. c. 1. 3. 4. 5.

Et idem Auctor postea sub anno Christi 1032. refert ex Curopalata, Conradum Romanum Imperatorem hoc anno, & sui Imperij tertio, se totum dedisse ad exstruenda & exornanda templa, & inter alia hoc Dominicæ Resurrectionis à Sarracenorum Principe demolitum. ait enim: *Cùm enim Azizius Aegyptius furore correptus multa detrimenta Christianis intulisset,*

euertisset, templum Domini nostri Iesu Christi Ierosolymis; deinde ipse quoque turpissimè vitam finisset: ipsius filius, è Romana quadam captiua natus, concessit iis qui vellent templum readificare. Quod Imperator studiosè construere festinabat, sed mors, quæ illum occupauit, ne id perficeret, prohibuit; at successor eius Michaël ad exitum perduxit.

CAPVT VI.

Conciliantur Auctores, qui inter se dissentire videntur circa Reparatorem præsentis templi Resurrectionis Domini.

POssent de facili duæ dissentientes sententiæ Capite precedenti memoratæ, de reparatione templi Dominicæ Resurrectionis, ad concordiam redigi & conciliari, & tripliciter: in primis, dicendo, templum primò à Maria, fideli muliere, Principis Babylonis matre, fuisse inceptum, & ab aliis fidelibus postea absolutum; nam sumptuosum ac magnificum templum, quale hoc est, non potuit breui tempore ad perfectum reduci vel reparari, in illa præsertim temporum calamitate & fidelium per infideles oppressione: quare quod Glaber de templi inchoatione, Tyrius de consummatione intellexit.

Secundò, si de absoluta consummatione templi aliquis arbitretur fuisse locutos præfatos Auctores, dicendum, ad diuersa tempora respexisse; nam & diuersa tempora ab eisdem Auctoribus assignantur dicti templi reparationi, vt visum fuit: igitur, primò potuit per Mariam reparari, vt dixit Glaber, postea à Christianis aliis Principibus, Conrado, Michaële, ac fidelibus aliis sub Constantino Monomacho, ac etiam deinceps: & hoc Tyrius dicere volebat. Etenim cùm odium & persecutio infidelium in Christianos esset singulariter propter templum Domini, cuius gratia alij manebant Ierosolymis, alij ad eam peregrinabantur, infideles leui de causa illud deuastarunt, & demoliti sunt: quod fideles deinde, obtenta facultate, sumptibus & laboribus non parcentes (tantus enim erat illorum in Deum ardor spiritus) reparauerunt. Et cùm crebræ essent infidelium persecutiones, vt videre est apud Tyrium lib. 1. Belli sacri; ita frequentes esse potuerunt circa Resurrectionis templum mutationes & reparationes.

Tertiò denique dici potest, dictos Auctores de diuersis templis in vnum ferè congestis, siue in eodem situ siue ambitu constructis, fuisse locutos: & quod Glaber, Cedrenus & alij de vno dixerunt, Tyrius de altero ipsorum asseruerit. Hæc dixi, quoniam Tyrius veridicus istarum partium Historicus habetur; quique scripsit plura, vt vidit, & suo tempore euenerunt. Sed de hoc iudicet quilibet vt voluerit; hæc enim non asseuerando, sed discurrendo scripsi.

Guilielmus Tyrius de Bello sacro lib. 8. cap. 3. situm & formam huius Ecclesiæ describens, ait: *In monte Sion, sed in declexo, quod ad Orientem respicit, sita est sancta Resurrectionis Ecclesia forma quidem rotunda: quæ quoniam in declino prædicti montis sita est, ita vt cliuus eidem imminens & contiguus, Ecclesiæ pænè superet altitudine, & reddat obscurum. Tectum habet erectis in sublime trabibus, & miro artificio in modum coronæ contextis, apertum & perpetuò patens, vnde lumen Ecclesiæ infunditur necessarium: sub quo hiatu patulo Saluatoris positum est monumentum.* Hæc Tyrius.

Sion non fuit in Resurrectione Domini.

Non assentior Tyrio in eo quod dicit, esse hoc templum in monte Sion fundatum; distat enim ab eo, & potiùs videtur positum in monte Moria & eius extrema parte, vt patet vtriusque situm consideranti. Sanctus Hieronymus de locis Hebraicis docet, montem Caluariæ, vbi est hoc templum, hodie ostendi in Ælia ad Septemtrionalem plagam montis Sion; & nos de eo agentes inferiùs ostendemus: nisi ideò dixerit, quia montes Ierusalem continuantur, vel per montem Sion ipsam Ierusalem intelligere voluerit, intra quam nunc templum hoc continetur; sed hoc secundum non respondet illius dictis.

Docet etiam idem Tyrius eodem loco, antequam fideles sancta Ciuitate potirentur, Caluariæ locum, vbi Dominus crucifixus, & alterum illi proximum, vbi de Cruce depositus fuit, cùm aromatibus vnctus & sindone inuolutus, qui nunc *Petra vnctionis* appellatur, cum aliis sanctis locis ad orandum accommodatis, quòd diuersa referant nostræ salutis mysteria (de quibus præsenti & sequenti Peregrinatione agemus) fuisse extra circuitum templi Resurrectionis: sed Dei misericordia capta sub Godefrido Bullonio Ierosolyma, expediens visum fuisse Christianis, maximis muris templum montis Caluariæ cum altero Resurrectionis copulare, vnumque amplum facere, continens petram vnctionis cum aliis sanctis locis; & ita fecerunt, vt nunc videre est.

Crederem, templum hoc, quoties fuit destructum ab infidelibus, & à fidelibus reparatum, fuisse reparatum ad similitudinem prioris operæ Constantini ædificati, etsi

etsi fortè, ob inopiam & defectum, non tot sumptibus, tantaque magnificentia; tum quia prioris forma elegans & proportionata erat; tum quia minores expensæ factæ fuissent, existentibus iam fundamentis, materia & aliis ad opus reparandum necessariis; tum denique, quoniam, quæ dicuntur in descriptione templi per Constantinum Magnum ædificati ab Eusebio, pro maiori parte conueniunt & huic, quod nunc extat, posteriùs ab aliis fidelibus reædificato, siue potiùs reparato: quamuis splendorem pristinum amiserit, multumque demolitum, infidelium odio & inuidia; qui politis marmoreis tabulis & aliis pretiosis, quibus ornabatur illud, spoliauerunt, & restaurare reparareque ipsum non permittunt Christianis. Temporis iniuriæ omnia vorantis nisi breui subueniatur, corruet camera peculiaris templi Dominicæ Resurrectionis: quod pro sua pietate auertat Deus, & illius reparationi studeant fideles.

Conditio loci vbi templum fuit ædificatum.

De conditione loci vbi templum hoc ædificatum fuit, ex coniectura veterum, qui longam moram in partibus istis traxerunt, accepi, fuisse cauernosum, vt plerique montes in ista regione esse solent, & illi præsertim, vbi defunctorum corpora recondebantur, qualis hic fuit; & cauernas fuisse in capellas accommodatas, ad diuersa repræsentanda mysteria; & fortasse hoc à cælesti sponsa in Canticis Salomonis indicatum fuit, dum alloquens sponsum suum Iesum, dixit: *Reuertere: similis esto, dilecte mi, capreæ hinnuloq; ceruorum super montes Bethel:* siue, vt aptiùs proposito nostro habet lectio Græca, pro *montibus Bethel, montes concauitatum*, siue *circuitionum*. ac si clariùs dixisset: Reuertere, qui ab origine mundi hunc montem ascendisti affectu acceptans mortis sententiam, effectu in plenitudine temporis in eodem consummandam: reuertere nunc, & similis esto capreæ, quæ visu acutissima est, & ceruorum hinnulo, hosti serpentium acerrimo, vt sapientia & omnipotentia tua infinita dispersas ac dissipes venenatos mortiferosque peccatorum nostrorum serpentes super hunc sacrum & cauernosum montem Bethel, quem ad habitandum in morte & resurrectione elegisti, ab omnibus propter mortem & resurrectionem tuam venerandum & adorandum.

Cant. 2, 17.

Ex dictis breuiter colligendo ea quibus difficultati superiori Capite propositæ respondere possimus, dicimus, templum peculiare Resurrectionis, cum aliis duobus, Passionis & sanctæ Crucis, fuisse ædificatum primò iussu Magni Constantini Imperatoris, & Helenæ matris eius per sacros Antistites Ierosolymorum Macarium & Maximum. Secundò, à Chosroë demolitum sub Heraclio, à Modesto Ierosolymorum Episcopo reædificatum. Tertiò, iterùm odio Hebræorum per Babylonis Principem deuastatum, & ab eius matre Maria Christiana reædificatum, secundùm Glabrum & alios; vel à Conrado & Michaële Imperatoribus, siue, secundùm Tyrium, ab Homar destructũ, ab Heliopolitano primò reparatum, & sub Constantino Monomacho perfectum & decoratum; siue ab his omnibus modo explicato, & postremò, sub Godefrido tria in vnum copulata post captam Ierosolymam. Et, ni fallor, posteriores à Constantino potiùs instauratores & reparatores, quàm auctores & ædificatores dici merentur, materia, forma & antiquitate sacri huius templi considerata, vt sequenti Capite explicabimus.

Dignitas templi Resurrectionis.

Non possum hic vnum silentio inuoluere, quod non parum facere arbitror ad huius sacri templi commendationem: quòd quemadmodum ipsum fuit typicè præmonstratum & præfiguratum; ita & eiusdem structores fuerunt præfigurati Ecclesiastici & sæculares, Reges & Principes in ædificatoribus templi Salomonis, qui simul dignitate decorati fuerunt. Illud primò ædificauit potentissimus ac sapientissimus Rex Salomon, & hoc maximus & piissimus Imperator Constantinus. Destructum illud à Babyloniis, fuit postea per strenuos piosque Principes, Zorobabelem, Iesum filium Iosedec & Nehemiam reædificatum: & hoc similiter à Persis, à Chosroa inquam ipsorum Rege vastatum, fuit sub Heraclio à sanctissimo Præsule Modesto reædificatum. Profanatum illud à sceleratissimo Antiocho, fuit à strenuo Principe Iuda Machabæo mundatum; & tandem per M. Herodem Iudæorum Regem ampliatum: & hoc denique Resurrectionis fuit per pios & strenuos Principes mundatum, reparatum & ampliatum. Nónne ergo ex illis ædificatoribus manifestatur illius dignitas & excellentia?

CAPVT VII.

Alia dictis adduntur pro maiori declaratione historiæ sacratissimi templi Dominicæ Resurrectionis; ex quibus eius antiquitas & ædificator magis deprehendetur.

Forma templi Resurrectionis Dominicæ.

TEmplum hoc sacratissimum Dominicæ Resurrectionis, & inter omnia quæ in mundo sunt præcipuum, est in for-

mam crucis ædificatum: caput ipsius & superior pars, est locus ille in quo Græci suum officium faciunt; sequitur deinde longitudo & corpus Ecclesiæ vltra sanctissimum Sepulchrum. Superior pars Orientem, inferior respicit Occidentẽ. Dextrum brachium templi prospicit Aquilonem; & in eo nihil peculiare est, solùm ostium, ex quo è templo est egressus. Sinistrum brachium respicit Meridiem: in isto est sacra petra vnctionis Domini; & in extremo sunt portæ, per quas olim erat in sanctum templum ingressus: modò per vnam, altera clausa existente, ingrediuntur Christicolæ. Ex his colligo, locum, vbi est petra vnctionis, fuisse cinctum muro cum templo à fidelibus, antequam sub Godefrido sancta ciuitas è manibus hostium eriperetur, præsertim quòd structura Ecclesiæ tota vniformis est, & tota ferè eamdem præ se fert antiquitatem: nec suspicandum, antiquiores fideles imperfectum erexisse templum, & cum dedecore foras reliquisse sanctum istum vnctionis locum; quare Guilielmo Tyrio, Capite præcedenti relato, aliter dicenti non assentimur. Lege infrà Caput 111. 11. Peregrinationis.

Inter brachium memoratum & caput Ecclesiæ est infrà sacellum Adæ cum quibusdam habitaculis, desuper sacer Caluariæ mons; supra quem sunt porticus & deambulacra: & circa caput & superiorem partem sacri templi inferiùs sunt porticus & capellæ, in quibus sunt peculiaria sanctuaria, & olim portæ templi, de quibus postea. Circa duo præmissa brachia sacri templi, alia peculiariter hîc non obseruabo, sed ad corporis Ecclesiæ reliquas partes explicandas me confero. Quamuis à superiori videatur incipiendum, tamen ab inferiori, in qua est sanctissimum Sepulchrum Domini, cuius gratia superior pars addita fuit, ordiemur, Eusebium Cæsariensem imitati, de quo etiam suprà.

De hac itaque parte, vbi est sanctissimum Sepulchrum, sic ait Eusebius lib. 3. de Vita Constantini: *Ad ampliſſimum templi locum, libero cælo patentem, exornandum ſe contulit: cui & ſolũ lapide eximio conſtratum, & porticus longis ambulationum ſpatiis ex tribus lateribus circumdati, permultum decoris attulerunt*. Pauimentum quidem stratum cernitur, vt dicit Eusebius, sed multùm demolitum, & dolatæ marmoreæ tabulæ satis fractæ. Quod ait de porticibus è tribus lateribus circumdantibus, hoc non videtur; sed, vt dicetur postea, in loco, vbi modò Fratres Minores habitant, signa illorum non obscurè cernuntur.

Quomodo autem reliqua proposita præstiterit pius Imperator, post pauca Eusebius explicat, dicens: *Quod autem ad ipſa tecta in ſublimi poſita attinet, exteriores eorum partes plumbea obtexit materia, quæ tamquam firmum munimentum tempeſtuoſos imbres depelleret*. Hic per tecta plumbo operta, intelligo solùm ea quæ hanc templi partem tegunt, in qua est sanctissimum Sepulchrum, quæ verè tecta in præsentia plumbo; nam reliduum templi lapidibus mixta calce tegitur: & vt nunc est, & olim extitisse mihi persuadeo; & quæ subinfert Eusebius verba id non obscurè indicant: *Interiores verò* (partes inquam tectorum, de quibus anteà) *calatũ laquearibus affabrè inter ſe compacta, & tamquam quoddam vaſtum pelagus per vniuerſum ſanctuariũ, coagmentationibus quibuſdam inter ſe continenter cohærentibus diffuſa dilatatq́, & fulgẽte auro paſſim cooperta, totũ templum, velut lucis claritate, mirè illuminarunt*. Hæc sanè verba nonniſi de ista sanctuarij parte intelligi possunt, vbi sunt laquearia & trabes; nam camera & fornix residui Ecclesiæ lapide compactus est: igitur & de eadem, sed exteriori parte, intelligi debent præcedentia verba. Trabes istæ & laquearia ex cedro esse perhibentur; longæ 60. palmis, quadratæ ex omni parte; latæ palmo vno; numero 131. rotundum quod faciunt superiùs, quo templum illuminatur, est per diametrum 30. palmorum: nunc simplices sunt absque auro; opertas tamen fuisse pellibus inauratis vel deargentatis, partes quæ ex illis ceciderunt, fidem faciunt. In inferiori parte, in fornice, supra quem nituntur trabes, in medio ipsarum adhuc depictæ cernuntur tabulæ: ex his vsque ad pauimentum Ecclesiæ sunt pal. 100.

Ad indicatas trabes sequitur immediatè vnus ordo fabricæ, murus inquam partem istam totam circumdans; qui totus opere musaico quondam exornabatur, figuris videlicet diuersis; & campus illarum auro musaico tegebatur: figuræ erant pro maiori parte Apostolorum, Prophetarum maiorum & minorum, vt reliquiæ quæ remanserunt, quas hîc indicabimus, manifestè demonstrant.

Ad quarum imaginum intellectum, & aliarum, quæ sunt in sacro Caluariæ monte & residuo sacri templi, & etiam illarum quæ in augustissimo maiori templo sanctæ Mariæ Bethlehem appictæ sunt, duo aduerto. Alterum, in omnibus ferè in superiori parte, & ad caput, esse ipsarum nomina descripta: & illæ, quæ tenent tabulas, in quibus sunt aliquæ sententiæ, tenent sinistra manu, & pauimento hærent, in quo dictæ figuræ repræsentantur.

Alterum

Alterum obſeruandum eſt, omnes ferè, vel ſaltem præcipuas figuras, vt Prophetarum, Regum & Sacerdotum, vltra coronas regias, ſi Regum ſunt, geſtare in capite diademata, quæ ſancta Eccleſia ſolet apponere capitibus Sanctorum; ſiue illæ Sanctorum ſint, vt Dauidis, Ezechiæ, Ioſiæ, Helenæ, &c. ſiue dubitetur de illorum ſalute, vt Salomonis, & Conſtantini: ſiue etiam ſint eorum quos Eccleſiaſtici & ſacri Scriptores damnant, vt Heraclij, Roboami, Abiæ, &c. Ratio huius aſſignabitur Capite ſequenti.

In parte Occidentali & Orientali huius ordinis omnes figuræ collapſæ ſunt; ſupereſt tantùm in Meridionali verſus Occidentem hiſtoria Tobiæ iunioris, quando ad flumen Tigris illum piſcis inuaſit: hic integer apparet, Angeli verò & Tobiæ tantùm extremæ partes. Igitur hîc, incipiendo ex parte Meridionali, primò apparet Ezechiel Propheta, cum ſequenti ſententia:

Ezech. 37. 9.

HÆC DIC
IT. DN̄S
DEVS A Q
VATVOR
VENTIS VE
NI SPV̄S. ET
INSVFFLA SV
PER INTER
FECTOS. VT
REVIVISCA
NT.

Sequitur ſecundò Daniel cum ſequenti Prophetia:

Dan. 12, 2.

ℳVLTI DE
HIS QVI DOR
MIVNT IN
PVLVℰRℰ
ℰVIGILAḂT:
ALII IN VI
TAℳ ℰTℰR
NAℳ ALII IN
OBBROBR
IVM.

Tertiò, Oſeas cum ſua Prophetia:

Oſe. 13, 14

O MORS
ERO MORS
⅋A MORS
VS TVVS
ℰRO IN
FERNℰ.

Quartò, figura M. Conſtantini in quodam fornice in habitu Imperiali, dextra manu tenentis crucem, ſiniſtra globum, in quo crux ſimplex eſt exarata, cum inſcriptione vt ſequitur:

CONS
TĀTI
NVS IM
P ATOR
Ⓐ KON
CTAN
TINO
G

Quintò, Ioël Propheta cum ſuo vaticinio:

ℰGO DOMI
NVS DE
VS VES
TER ET NŌ
EST AMPLIVS
ET NON CONFV
NDETVR
POPVLVS
ℳEVS IN
ℰTℰRVM.

Ioel. 2, 27.

Sextò, Amos cum ſequenti ſententia:

IN DIE ILLA
SVSCITA
BO TABℰR
NACVLV̄
DD QVOD
CECIDIT ET
RℰEDIFICA
BO APTVR
AS MVŔO
RVM EIVS.

Amos 9, 11

Septimò denique eſt Abdias cum Prophetia:

IN MONTE
SION ℰRIT
SALVATIO
ℰT ℰRIT
SC̄S ET ERIT
DOMINO
RℰGNVM

Abd. 1, 17

A par-

Digitized by Google

A parte Aquilonari adhuc ſuperſunt aliquæ Apoſtolorum figuræ nondum totaliter collapſæ, cum ipſorum nominibus; & in eorum medio in fornice, è regione Conſtantini Imperatoris, eſt eius piiſſima mater Helena regio amictu ornata, cum cruce & globo cruce ſignato, vt diximus de Conſtantino, & ſupra fornicem Angelus.

1. S THO *Figura.* MAS

2. S AL IA *Figura.* PHE CO I BVS

3. SCA TELE *Figura.* NA IHA ELE NH.

4. S. LI *Figura.* PhI PP°.

5. S MA VS *Figura.* ΛE EW

6. S BAR LO *Figura.* THO MEVS

S CA *Figura.* SIM NAN ON ÆVS

Duæ porticus templi. Euſebius de eodem templo: *Duabus porticibus, partim ſubterraneis, partim ſupra terram eminentibus, xyſti gemini ex vtroque latere adiecti, ad longitudinem ſanctuarij porrigebantur; quorum teſtudines erant auro inſignita & vario artificio illuſtrata: ex quibus alter, à fronte inferioris templi columnis ingentibus ſuffulciebatur; alter intrò ſpectans, ſubſtratis poſtibus, magno extrinſecus ornatu decoratis, erigebatur.*

Templi Reſurrectionis duæ partes, inferior & ſuperior. Ad horum verborum intellectum, ſciendum, hoc templum, ſecundùm eius inferiorem medietatem, eſſe ſubterraneum, & ſecundùm ſuperiorem, ſupra terram erectum, eminens inquam ſupra ſolum ſanctæ Ciuitatis: & hoc apparet, quando ex diuerſis partibus ciuitatis ad hoc templum deſcendimus, & quando in eodem exiſtentes ex parte ſuperiori intuemur portas, per quas olim ex ſancta Ciuitate erat ad idem templum acceſſus; & nunc ibidem exiſtentes, ſtrepitus ciuitatis & viæ rumores audimus: hoc manifeſtiſſimum. Ad id reſpiciens Euſebius, dixit eſſe circa templum hoc duas porticus: ſubterraneæ ſunt, circumdantes inferiùs ſanctiſſimum Sepulchrum; ſupra has conſtructæ ſunt illæ, quibus innititur conuexa pars, ſiue templi laqueare. Xyſti gemini adiecti in longitudinem ſanctuarij, id eſt, reſidui corporis Eccleſiæ; cuius priùs meminerat, & nos poſteà eius ſubijciemus verba: & optimè, quia amplæ porticus in longum porriguntur, vniuerſam templi fabricam inferius & ſuperiùs circumdantes, optimè ſtratæ opere teſſellato: quæ ſanctuarium circumdant, in longum porriguntur planis & dolatis lapidibus conſtructæ. Nunc quòd teſtudines eſſent auro illuſtratæ, non apparet; alicubi reliquiæ figuratum ſimplicium, quæ etiam in parietibus cernuntur.

Inferior porticus verè craſſis marmoreis columnis numero 14. fulcitur; ſunt tamen & aliæ columnæ quadratæ, ſiue incumbæ, quibus arcus incumbunt numero ſex; ſuperior porticus, ex qua in inferiorem reſpicitur, paraſtatis quidem fulcitur duodecim & octo minoribus columnis, ad maiorem ſtructuræ ſplendorem. Euſebius à maiori parte accepit denominationem: & illæ dolatis tabulis marmoreis operiebantur, vt & aliæ partes interiores & inferiores totius templi: nunc omnes ferè ablatæ ſunt; cernuntur dumtaxat aliquæ illarum reliquiæ cum

Digitized by Google

tum aliquibus ferramentis, quibus ſuſtentabantur aliæ: ex quibus, quid anteà fuerit, poteſt diiudicari.

In ſuperiori porticu erat porta Occidentalis à regione ſanctiſſimi Sepulchri, nunc clauſa manet, per quam in ipſam ex ciuitate intrabatur: ad poſtes & columnas ſunt podia, ex quibus introſpicitur, & caſus prohibetur.

In inferiori porticu eiuſdem Occidentalis plagæ eſt aliud oſtium apertum quidem, ſed alia prohibent ex ciuitate per illud ingreſſum: ex eo itur ad ciſternam ſacri templi, quæ magna ſatis, præbens nedum aquam habitantibus in ſanctiſſimo Sepulchro, ſed etiam pluribus aliis, qui vt hauriant veniunt. Nullus eſt fons vel puteus. Fratres intra ſuam habitationem modicam pro ſuo vſu habent ciſternam. Præ foribus oſtij eſt marmoreum vas quadrum, formam roſæ intus præ ſe ferens, Baptiſterium vetus Eccleſiæ.

Pars hæc templi, ſi per diametrum metiatur, porticibus abiatis, eſt palmorum 78. Et hæc de extrema iſta & Occidentali parte templi & ſacri antri ſatis.

Perſimilis Eccleſia Eccleſiæ ſanctiſſimi Sepulchri Domini noſtri eſt celeberrima ac ſacratiſſima illa in Romandiola, Italiæ prouincia, in antiquiſſima pariterque illuſtriſſima ciuitate Rauenna, inuicto ac glorioſo martyri Vitali dicata: quæ quidem vetuſtiſſima eſt, & ad ſancti Benedicti Monachos pertinens. Hæc ſimiliter in duas, ſuperiorem & inferiorem, diuiditur partes, & vtraque pretioſis marmoreiſque columnis fulcitur, itemque lucidiſſimis marmorum tabulis veſtitur & exornatur, vt olim noſtra ſacri Sepulchri; nec ego, licet alias plures viderim Eccleſias, nullam huic ſimilem inueni: quod cùm illius Cœnobij Patribus dixiſſem, ipſi pariter teſtati fuere, ſingulariter dictam Eccleſiam ad ſimilitudinem Dominici Sepulchri conſtructam fuiſſe, nec facilè alias illi ſimiles reperiri poſſe.

Sed iam ad alteram & Orientalem partem, quæ ſequitur, accedamus. de ea ſic Euſebius: *Aduerſo autem lateri antri, quod ſolem orientem ſpectabat, regale & auguſtale ſanctuarium adiunctum fuit, opus planè eximium ad infinitam altitudinem erectum, longitudine & latitudine immenſa patens.* Equidem ad Orientem ſacelli ſacri Sepulchri, ex latere ipſiuſmet loculi, in quo humatum fuit corpus Ieſu, eſt reſiduum Eccleſiæ: in eo primò conſidera arcum, per quem eſt tranſitus; olim erat hîc cancellus ferreus diuidens hoc ſanctuarium à ſacro antro, vt faciliùs ad hoc vel illud aliqui admitterentur vel excluderentur. Supra in parte exteriori hinc inde erat opere muſaico depicta Annuntiatio Domini, Angelus videlicet & Maria, ille annuntians, iſta annuntiata: in præſentia vix capita, quæ fatis demolita, apparent: ſubtus eſt altare; in quo fortè loco ſanctiſſimi Sepulchri, quando magnus erat fidelium concurſus, Miſſa debuit celebrari: ſuprà in teſtudine eleganti opere muſaico depicta eſt Aſcenſio Domini; Chriſtus verſa ad Orientem facie cum quatuor Angelis aſcendens ad cælos; cum Apoſtolis illum aſpicientibus, ſequenti ſententia Græcis litteris valdè attritis in parte Meridionali exarata:

ΟΟΙ··ΟΑΝΑΝΘΘΚΑΘΝΩΡ
ΕΙΟΟ ΝΟΥΡΑΝΟΥΟΟ ΕΛΕΥC
ΕΤΑΙΠΑΗΝΟΝΤΡΟΠΟΝΕΘΕ
ΑCΑC ΘΑΙΑΥΟΝΠΟΡΕΥΟΜ
ΝΟΝΕΙCΤΟ ΟΥΡΑΝΟΝ.

Ex hac eadem parte erat etiam altera Latina; ſed attrita eſt modò: in parte verò Aquilonari eiuſdem arcus adhuc leguntur ſententiæ ſequentes, Græca altera, altera Latina.

Græca:

ΑΝΔΡΑΙC ΓΑΛΗ
ΛΑΙΟΙΓΙ ЄC ΤΗΚΑΤΑΙ
ΒΛЄΠΟΝΤΑΙC ЄΙC
ΤΟΝ ΟΥΡΑΝΟΝ.

Latina:

VIRI GALILЄI
QVID STATIS
ASPICIЄNTЄS
IN CЄLVM.

Latitudo huius arcus eſt palmorum 27. extenſio, ſiue latitudo incumbarum, quibus ſuſtentatur & conficitur, eſt palmorum 20.

Sequitur deinde alia pars templi, *auguſtale* nempe *ſanctuarium*, altum quidem & ſpatioſum; cuius magna hyperbole altitudinem & amplitudinem explicuit Euſebius. Etenim (non metiendo brachia Eccleſiæ huic ſanctuario reſpondentia) eſt longitudinis palmorum 47. latitudinis 37. altitudinis verò proportionatæ.

Huius pauimentum optimè ſtratum opere teſſellato; in quo ſignatur locus, quem eſſe medium mundi, dicunt Græci. Hinc inde erant ſedilia, vt ex ſigmis, quæ ſunt in pauimento & pariete circumdante, diiudicare licet: in præſentia nulla ſunt.

De elegantia & venuſtate huius ſtructu-

Digitized by Google

tæ subiungit Eusebius: *Cuius ædificij partes interiores marmoris versicoloris materia incrustata; exterior autem parietum superficies politis lapidibus, qui commissuris quibusdam inter singulas interiectis colligabantur, exornata, singularem quamdam pulchritudinis speciem, eamq; non minùs ad aspectum illustrem, quàm si marmore obducta fuisset, præbuit.* Et post aliqua hæc subiicit de capite & prima parte huius Sanctuarij: *Tres portæ ad orientem solem aptè & eleganter dispositæ multitudini ingredientium patuerunt: istis ex aduerso erat fornix dimidiati uniuersi cæli circuli speciem adumbrans, in summo Sanctuario in orbem ductus: quem duodecim columnæ, Saluatoris Apostolis numero pares, tamquam corona cingebant, crateribus ex argento confectis circa fastigia concinnè expositæ, quas Imperator Deo illic pro monimento pulcherrimo dicauit.* Hæc Eusebius de ipso corpore & parte præcipua Ecclesiæ Dominicæ Resurrectionis.

Postea alia de atriis & porticibus exterioribus addit: quorum explicationem proponemus sequendo narrationis ordinem. Quænam sint portæ illæ Orientales pone superiorem partem Ecclesiæ, non satis constat. Quidam dicunt, vnam ex illis esse quæ est sub loco crucifixionis Domini verè Orientalis: & post dictam partem templi aliæ duæ sunt ei proximæ, quarum altera, vt præcedens, in præsentia clausa est, & altera aperta: nec obstat, quòd istæ duæ respiciant Meridiem; quia propter vicinitatem ad Orientem & præcedentem portam, appellauit Eusebius omnes Orientales. Et posset confirmari; quia cùm istæ portæ præcipuæ sint, nec alibi nominatæ inueniantur ab Eusebio, probabile est, in præmissis verbis de ipsis fuisse locutum.

Alij dicunt, vnam portam esse priùs nominatam: secunda, quæ est inter sacellum diuisionis vestimentorum, & altera sancti Longini, asseritur publica; tertia ea est quæ proxima sacello sancti Longini ex altera parte.

Fornicem, vt explicat Eusebius, & in præsentia cernimus; licet opus musaicum, quo exornabatur, adeò consumptum, vt quæ Historia esset in eo depicta, non facilè diuinari possit; quod tamen diligenti indagine deprehendimus, hîc tibi subiicimus. In fornicis medio est depictus Christus perforatis manibus: supra caput & in extremitate fornicis legitur H A N A C Z: hinc inde iuxta, & pænè supra, sunt Angeli, & duæ tabellæ, altera in dextera, & altera in sinistra: in veraque ter legitur Agios Græcis literis, id est Sanctus, vt sequitur.

AΓIOC	AΓIOC
AΓIOC	AΓIOC
AΓIOC	AΓIOC

Ab vtroque latere homines aspicientes, Apostoli, & alij, & beatissima Virgo Maria: sub pedibus duo minores Angeli; quorum vnus chordam trahit, alter in altum respicit. Infrà ex dextera parte depictus erat sanctus Petrus Apostolus, sed in præsentia vix nomen illius legitur; in sinistra sanctus Paulus cum sequenti inscriptione:

Ē G R̂ A
D Ī S ū
I ϑ Q ϑ
S V M E T
G R Â C E P
✝ M̄ V A
C U A N̄
F V I T

Duodecim columnæ, quæ binæ & binæ dispositæ, fulciunt & exornant hanc priorem templi partem, vt modò videntur: illas verè descripsit Eusebius, tamen crateres ablati fuerunt. Multæ figuræ cum variis inscriptionibus sacrum exornabant locũ, quas nec curauimus hîc subscribere, quòd ferè demolitæ, nec aliquem sensum ipsarum elicere potuimus: characteres illarum similes aliis. Pauimentum optimo & eleganti opere stratum. Altare in eius medio pulcherrimum erat, pretiosis marmoribus & columnellis affabrè elaboratum; sed omni venustate infideles illud spoliarunt, vix reliquias illis inutiles reliquerunt; ex quibus arguitur quale fuerit. Et sanè illustrissimi templi maius altare egregium esse debuit. Alterum est minus, in dextera eius parte prope columnas, tribus Regibus, Christianitatis primitiis, dicatum. Quem morem alibi in Græcorum Ecclesiis laudabiliter obseruari vidi.

Circumcircà sunt marmorei gradus, in formam dimidiati circuli ac theatri secundùm huius partis dispositionem dispositi, numero septem: ex istis ascenditur ad marmoream sedem, quæ in summitate ipsorum & in medio collocata est; quam esse Romani Pontificis nedum tradunt Catholici Græci, sed etiam ipsi schismatici, si quid sibi illa velit dicere coguntur; quemadmodum alias quatuor, de quibus statim, asserunt esse quatuor Patriarcharum: & traditio est in istis partibus recepta.

Sequitur ex fornice memorata testudo alterius partis templi, in qua sunt sancti Apostoli

Digitized by Google

poſtoli depicti in campo deaurato opere muſaico, cum ſuis nominibus. Nec mireris iterùm hìc eſſe depictos ſanctos Apoſtolos, cùm adhuc ſint in altera parte templi appicti; quia Græci & Orientales ferè ſemper figuras & myſteria eadem pingere conſueuerunt etiam in eodem templo, vt patebit conſideranti & dicta & quæ infrà dicemus, dum montem Caluariæ & Eccleſiam ſanctæ Mariæ Bethlehem deſcribemus, & inſpicienti picturas quæ vbique cernuntur in Græcorum Eccleſiis.

Infrà, ex Græcorum relatione, quatuor ſedes marmoreæ ſiue illarum ſitus oſtenduntur, veriùs duarum, vt poſteà explicabo; ad quas eſt aſcenſus per quatuor dumtaxat gradus, & non per ſex, vt ad alteram R. Pontificis: duæ in dextera, & duæ in ſiniſtra parte ſunt. Prima & ſuperior dextræ partis aſſignatur Patriarchæ Conſtantinopolitano; altera, quæ hanc in ſiniſtra parte reſpicit, Alexandrino; tertia, proxima Conſtantinopolitanæ, Antiocheno; & quarta, proxima Alexandrinæ, Ieroſolymitano Patriarchæ deputata eſt. Et ſanè, talem ordinem obſeruandum in ſedibus Patriarchalibus, in Conciliis generalibus determinatum fuit, in Conſtantinopol. VI. Can. 35. & in maximo Lateranenſi Can. 5. cui interfuerunt Conſtantinopolitanus & Ieroſolymitanus Patriarchæ: quibus aſſentientibus, ſancitum fuit, vt, poſt Romanam Sedem, primò ſequatur Conſtantinopolitana, ſecundò, Alexandrina, tertiò, Antiochena, ac denique quartò, Ieroſolymitana.

Hìc notandum arbitror, ex indicata ſedium diſpoſitione, ſecundùm ipſos Græcos, colligi Catholicam veritatem primatus Apoſtolicæ Romanæ Sedis ſupra omnes alias, & Romanum Pontificem eſſe primum non tantùm ordine ac coordinatione, reſpectu aliorum Patriarcharum, ſed auctoritate, ac ſimpliciter, & proinde eſſe vnicum ſupremumque totius Eccleſiæ caput, & ceteros omnes ſubditos membra interiora, quemadmodum ſemper docuit ſancta vniuerſalis Eccleſia in Oecumenicis Conciliis, & ſancti Patres, ac Doctores veteres & recentiores, & ex his nouiſſimè, quod ſciam, Matthæus Caryophyllus Archiepiſcopus Icoñienſis, contra hæreticos Græcos, qui hanc capitis primitatem negant, facientes Eccleſiam hydræ ſimilem, quinque prominentibus capitibus conſtantem. In Concilij Nicæni Canonibus ex Arabico tranſlatis, quibus omnes conſentiunt fideles, ca. 39. declaratur, *Sedes Romæ caput & princeps omnium Patriarcharum; quandoquidem ipſe eſt primus, ſicut Petrus, cui data eſt poteſtas in omnes Principes Chriſtianos, & omnes populos eorum: vt qui ſit Vicarius Chriſti Domini noſtri ſuper cunctos populos, & vniuerſam Eccleſiam Chriſtianam.* Ita habetur apud Coccium lib. 7. de Hierarchia Eccleſ. art. 6. & in Iure Canonico 4. d. c. Si Papa. 9. q. 3. cap. Concta. & ſeqq. 21. d. c. Quamuis. 24. q. 1. c. Rogamus. & Gloſſ. Si Epiſcopus. De pœn. & remiſſ. in 6. & c. Felici. De pœn. & remiſſ. in 6. c. 1. De regularibus. in 6. cum Gloſſ. & Proœm. lib. 6. cum Gloſſ. & in omnibus pænè Conciliis & Patribus. Vide etiam Coriolanum in Summa Concil. in Annotatione ad 6. Can. Concilij Nicæni. Sed lubet verba citati Concilij Lateranenſis ante quadringentos annos celebrati huc transferre, quod fuit, ſi aliud anteà, Patrum numero frequentiſſimum, qui veritatem apertè fatentur; ſic autem habent:

Antiqua Patriarchalium ſedium priuilegia renouantes, ſacra vniuerſali Synodo approbante, ſancimus, vt poſt Romanam Eccleſiam, quæ, diſponente Domino, ſuper omnes alias ordinariæ poteſtatis obtinet principatum, vtpote Mater vniuerſorum Chriſti fidelium & Magiſtra, Conſtantinopolitana primum, Alexandrina ſecundum, Antiochena tertium, Ieroſolymitana quartum locum obtineant, reſeruata cuilibet propria dignitate: quod, poſtquam eorum Antiſtites à Romano Pontifice acceperint pallium, quod eſt plenitudinis Pontificalis inſigne, præſtito ſibi fidelitatis & obedientiæ iuramento, licenter & ipſi ſuis Suffraganeis pallium largiantur, recipientes pro ſe profeſſionem Canonicam, & pro Romana Eccleſia ſponſionem obedientiæ ab eiſdem. Hæc Concilium.

Hìc conſidera, quòd quemadmodum in Lateranenſi & aliis Conciliis generalibus, & ſingulariter in primo Nicæno, ſub ſancto Silueſtro Romano Pontifice & Maximo Conſtantino Chriſtianiſſimo Imperatore celebrato, primitas abſoluta Romanæ Sedis ſupra alias omnes ſedes determinata ac declarata fuit; ita idem Imperator voluit, vt in nobiliſſimo totius mundi templo Dominicæ Reſurrectionis eadem veritas externo ſigno omnibus præluceret, ordine videlicet & ſitu memoratarum ſedium, dum Romanam in eminentiori ac nobiliori ſitu collocari voluit. Quod teſtimonium, poſt tot ſacri templi mutationes, ac Græcorum à ſancta Eccleſia defectiones, diuina diſpoſitione adhuc extat.

Dixi, prædictum ſitum eſſe potiùs duarum quàm quatuor ſedium Patriarchalium locum, Alexandrinæ videlicet & Antiochenæ. Etenim quo tempore fuit hoc erectum tem-

templum, Imperij nempe Constantini, & Oecumenicæ Synodi Nicænæ I. erant tantummodò proprie tres Patriarchales sedes, Romana, Alexandrina & Antiochena, vt patet ex eadé Nicæna Synodo can. 6. Chalcedon. act. 16. Epistola 3. Anacleti, Epistola 53. Leonis ad Anatholium, & Epistola Gregorij ad Eulogium, quæ est 37. lib. 6. & refert Bellarminus de Romano Pontifice lib. 1. cap. 24. & non nisi posterioribus temporibus, hoc est post annum Domini 500. Iustiniani opera, & Romanorum Pontificum permissione, aliæ duæ sedes Episcopales, Constantinopolitana & Ierosolymitana, inter præcipuas Patriarchales, nemine reclamante, haberi cœperunt. Itaque cùm ante hoc tempus fuerit per Constantinum erectum sacrum hóc templum, prædictus locus non potuit assignari nisi pro duobus tunc existentibus Patriarchis, præter Romanum; Alexandrino & Antiocheno. Et angustia loci considerata hoc persuadet: vt enim locus pro duabus sedibus sufficiens est, ita pro quatuor deficiens. Et ideò nos, hanc explicationem secuti, tres tantùm notauimus Patriarchales veteres sedes, primò Romanam, secundò Alexandrinam, tertiò Antiochenam. Nec tamen sic dicendo, minus habemus intentum: quandoquidem si Romana Sedes præfertur Alexandrinæ & Antiochenæ sedibus, propriè Apostolica ordinatione Patriarchalibus, quantò magis anteponetur Constantinopolitanæ ac Ierosolymitanæ Patriarchalibus tantummodò ex gratia & permissione?

Quando, data opportunitate, nos Catholici hæc obijcimus schismaticis Græcis pro absoluto primatu Romani Pontificis, erubescunt, nescientes verè quomodo appositè respondeant, sicut non possunt: audiui tamen aliquando eos dicentes, Romanum Pontificem esse extra ordinem Patriarcharum, nihilque quod cum ipsis agat habere, vt illa prima Sedes extra alias Patriarchales est. Et quod ad honorem ac præeminentiam repræsentandám optimus Imperator sanciuit, & pia antiquitas semper venerata fuit, perfidi ac superbi isti recentiores schismatici contemptui impudenter vertunt.

Aduerto etiam, Græcos, qui hanc partem sacri templi tenent, inter altare & quatuor Patriarchales sedes erexisse tabulatum diuidens, vbi icones & variæ picturæ, iuxta eorum ritum: & hinc inde sunt portæ, quibus ad interiorem chorum & altare intratur, sicut & in medio è regione altaris. Ex quatuor sedibus tres priores non exornant, & nihili faciunt, sicut nec primam Romanam supra altare; quartam verò, id est, Ierosolymitanæ Ecclesiæ, vt par est, benè custodiunt, & exornant suo more; & vt antiquitus exornari consueuerant Patriarchales siue Episcopales sedes. Vnde placet hîc aduertere quod Cardinalis Baronius Tomo 1. Annal. an. Christi 45. n. 11. notauit: *Maiores nostros, egregios pietatis cultores, vt qui probè scirent loco Christi (quod sepè monet Ignatius) esse habendos Episcopos, sedes illas, quibus illi in Ecclesia, cùm sacras synaxes agerent, insiderent, vt diuinum thronum, velis egregiè ornare consueuisse, easdemq; tegere velamento. Id planè innuit Pontius Diaconus in Cypriani martyrio, cùm ait: Sedile autem erat fortuito linteo tectum, vt & sub ictu passionis Episcopatus honore frueretur. Et Augustinus ad Maximinum Episcopum Donatistam: In futuro, inquit, iudicio nec apsides gradatæ, nec cathedra velatæ adhibebuntur ad defensionem. Apsides sanè gradatas cùm dixit, sedes Episcoporum sublimiori attolli fastigio solitas esse significat. Et Pacianus Episcopi sedem linteatam nominat in Epistola secunda ad Sympronium.* Et Græci schismatici, licet vera sint destituti pietate, laudabilem tamen non reliquerunt memoratam consuetudinem; vnde sedem suam Patriarchalem & pictis tabulis ad instar sacelli accommodarunt; & ampliùs sericis exornant velis, quando in solemnitatibus ipsorum in ea sedet Patriarcha.

Aug. ad Max. Episcop. Donat. Epistol. 203.

Ex altera parte, prope sedem Antiochenam, est vas, in quo Græci in Sabbato sancto mergunt & baptizant infantes; quod extra illud tempus vilissimis deseruit vsibus, nempe scopis aliisque vilibus vtensilibus abscondendis. Et hæc placuit obseruare, pro maiori cognitione eorum quæ de sacri templi præcipua structura dicta fuere ab Eusebio.

Infra prædictas sedes, in medio huius partis Ecclesiæ & augustalis sanctuarij, est à pauimento prominens paruum marmor, vbi esse medium mundi Græci asserunt; & id ipsum relatum reperi apud veteres ac recentes Scriptores qui de sanctis Palæstinæ locis tractauerunt, eademque viderunt: Marinus Sanutus, Torsellus dictus, qui scripsit ante annum Domini 1321. asserit hoc à Christo Domino reuelatum fuisse: *Ibi*, inquit, *ostenditur locus vbi Ioseph ab Arimathia & Nicodemus lauerunt Iesum, quando deposuerunt eum de cruce; quem aiunt Dominum Iesum ostendendo dixisse, ibi esse medium mundi: & est in medio thori.* Explica *in medio thori* moraliter, quia prope dictum locum, medium & vmbilicum mundi dictum, alias sunt ista duo loca distincta.

Secret. fidel. Crucis l. 3. pal. 4. cap. 8.

Si

Digitized by Google

Si Christus ita retulit, non dubitandum de dicta relatione; sin aliter, videtur Græcos accuratè nimis, & plusquam potuerunt, mensos fuisse mundum.

Ex dictis meum debeo proponere iudicium circa auctorem huius præsentis templi Dominicæ Resurrectionis, fuisse ninivitum Maximum pissimumque Imperatorem Constantinum; nec vnquam fuisse ab infidelibus nedum à fundamentis excisum, vel solo æquatum, sed ne destructum quidem, aliàs non possent in id competere quæ adnotauimus. Quomodo enim fieri potuit, vt posteriores fideles, ferè semper in summa miseria & infidelium subiectione degentes, post priùs deperditam Ierosolymam à Christianis, tam egregium templum & omnino simile regio & augusto Constantini erigere potuerint? Accedit, quòd non nisi multo & longo tempore destrui potuisset, structura considerata, tunc præsertim tormentis bellicis deficientibus: sed quando illud aggressi fuerunt infideles, fuit breui excursione & furore destructum; quo transacto, sibimetipsis consulentes, & labori parcentes, ab opere cœpto destitisse, arbitramur: & aliud non præ se fert templi antiquitas & ruptura. Non meum modò est hoc iudicium, sed & eorum qui viderunt, & attentè ipsum considerarunt, & senum in primis harum partium, & veritatis inuestigatorum: P. Bonifacius hoc ipsum sensit, vt quædam illius datæ litteræ indicant, quas infrà subijcimus Cap. XIII. II. Peregrinationis.

Quid ergo dicendum ad Historicos, asserentes, hoc templum pluries fuisse destructum & reædificatum? Iam indicata fuit solutio; quam ampliùs explicamus. Dixerunt fuisse destructum; quia multùm demolitum, diuitiis & ornamentis spoliatum; & aliquibus exterioribus porticibus, vt diximus, item omnino vestibulis, & portis aliisque externis ornamentis, quæ templum valdè magnificum ac spectabile reddebant; de quibus suprà Cap. 5. ante medium citato loco loquitur Eusebius dicens: *Erant inibi vtrimque, primò atrium*, &c. nam & ista templi appellatione gaudent; ex his enim vix aliqua cernuntur: quæ vt primò occurrerunt, priùs furorem & rabiem senserunt infidelium.

Reuerendissimus Augustinus Iustinianus, Nebiensis Episcopus, in suis Genuensis Reipublicæ Annalibus lib. 2. scribit, Genuenses, ob egregia opera & beneficia in gratiam Regni Ierosolymitani patrata, multa in animi grati signum obtinuisse à Balduino Rege huius nominis I. & conuentiones inter Regem & Genuenses compendiosè sequentibus aureis litteris exaratæ fuerunt supra arcum altaris sanctissimi Sepulchri:

Genuenses de Regno Ierosolymitano benemerenti.

PREPOTENS GENVENSIVM PRÆSIDIVM.

Hæc inscriptio, cum aliis, permansit vsque ad Almericum IV. Ierosolymorum Regem; qui illas deleuit. Hoc meritò ægrè ferentes Genuenses, apud summos Pontifices, Alexandrum III. & Vrbanum III. conquesti fuerunt: qui scriptis litteris ad Regem, Patriarcham sanctæ Ciuitatis, & ad templi Magistrum, mandarunt, vt prædictæ litteræ per Almericum deletæ iterùm reficerentur. Ita refert dictus Episcopus. An verò memoratæ scripturæ restitutæ fuerint, me latet; hoc mihi compertum, ab indicatis anteà, nullas alias legi neque in rotunda neque in maiori Ecclesia. Vt oculatus vidi & adnotaui, ita scripsi.

CAPVT VIII.

Ratio structuræ sacri templi Dominicæ Resurrectionis, & quorundam ornamentorum eius.

NOn est dubio vertendum; quæ præstiterunt peritissimi architecti, & ordinarunt grauissimi & piissimi Patres & sapientissimi Præsules in ædificatione gloriosissimi templi Dominicæ Resurrectionis, ex commissione Maximi & Christianissimi Imperatoris Constantini, & quantum ad structuram & formam, & quantum ad ornatum, magno cum consilio & prudentia præstitisse: & illud placet in præsentia inuestigare; & de structura in primis, ac deinde de ornamentis.

De structura quidem. Quare tot partibus inter se diuersis, inferioribus & subterraneis, superioribus & supereminentibus, cum tot porticibus, portis, &c. erectum fuit templum hoc sacratissimum?

Dicet quispiam, & benè, ideò id præstitum fuisse, quia loci natura, in quo debuit templum ædificari, ita exigebat: cùm enim in eo plura essent sanctuaria inter se distincta, vt Caluariæ mons, Petra vnctionis, Sepulchrum Domini, & alia, vt posteà videbimus, debuit templum spatiosum & variis partibus distinctum erigi, vt illa omnia in se decenter & honestè caperet. Templum etiam partim subterraneum, & partim supra solum ciuitatis eleuatum est; quoniam, vbi est monumentum, erat hortus, & in humili quidem loco: & cùm ibi debuerit erigi templum, ex parte subterraneum respectu alterius partis ciuitatis euadere debuit,

buit; ac ne mancum & monstrosum esset, sed amplum, decorum & augustum, superior pars addita fuit cum porticibus, deambulatoriis portis, & aliis partibus. Magis decens & congruum fuit, vt vastum illud sanctuarium & templi superior pars ante ostium sanctissimi Sepulchri & ad Orientem erigeretur, quàm retrò & ad Occidentem ædificaretur, vt satis consideranti patere potest.

Sed huic altera addatur ratio non minùs vera & notanda, eaque grauissima; ita inquam ordinatum fuisse, tot in eo distributas partes, vt omnibus ad ipsum venientibus, cuiuscumque conditionis & sexus essent, consultum esset, & de opportuno decentique loco prouisum, & in ordinatissimo templo omnia ordinatè agerentur.

Ad cuius rationis intellectum, sciendum est, quòd quemadmodum olim in Ierosolymitano templo, vt notauimus Lib. IV. Capite XVII. 11. Peregrinationis, & Cardinalis Baronius in Apparatu priùs aduertit, loco distincti erant sacerdotes à populo, viri à mulieribus, atque à nuptis virgines; ita eodem ferè ordine & dispensatione in Christianorum Ecclesiis Orientalibus, & etiam Occidentalibus, cùm agerentur sacri conuentus, fideles ab inuicem distinctis in locis separati manebant. Id quidem in primis Philo Iudæus lib. de Vita contempl. seruari solitum ab Essenis, qui in Ægypto apud Alexandriam agerent, tradit, quos Hieronymus de Script. Eccles. in Philone Christianos esse affirmat, & pluribus explicat Cardin. Baronius Tom. 1. an. Christi 57. adductis his Philonis verbis: Commune Semmeum, in quod septimo quoque die conueniunt, septo claüditur duplici, separatis virorum & mulierum coetibus: nam mulieres quoque simul auscultant ex more, dumtaxat quæ institutum idem sectantur. Medius autem paries à solo surgit, tribus quatuórve cubitis in modum loriculæ. Superiora vsque ad tectum patent; vnde gemina prouenit commoditas, & quòd pudori feminei sexus consulitur, & quòd verba Doctoris exaudiunt facilè absque vllis obstaculis, quæ vocem eius intercipiant. Hæc Philo.

Clemens Constit. lib. 2. c. 61.

Eadem apud Clementem, ac magis distinctè, leguntur: ait enim, Ecclesiam construi solitam longo situ instar nauis, in cuius medio (quod gremium dicimus) Episcopus vnà cum Clero ad vtrumque latus posito sedeat; ex altera Ecclesiæ parte viri, ex altera verò manerent mulieres: & sicut loco ab inuicem distincti erant, eodem quoque modo portæ, vt qua viri ingrederentur, discreta essent ab ea quæ feminis tantùm pateret: & sicut virorum portæ ostiarius præerat, ita diaconissæ demandata erat cura portæ mulierum. Hæc omnia, inquit auctor, prout etiam disposita erant in templo. ac subdit: Adolescentulæ rursum, si sit locus, seorsum maneant: ceteræ, & quæ post stent nuptæ, & quæ iam liberos habent, seorsum maneant. Virgines & viduæ, & anus, primæ omnium vel stent, vel sedeant. Hæc de locorum ac personarum distinctione & ordine in Ecclesia seruari solitis apud Clementem.

Sed Gregorius Nazianzenus ex his quæ scribit in somnio Anastasiæ, supra Ecclesiæ porticus mulierum locum fuisse demonstrat, cùm ait: Sanctæ virgines vnà cum grauibus matronis è sublimi tecto castissimas sermonibus meis aures inclinabant. Confirmant hæc ipsa quæ de S. Ioanne Chrysostomo scriptis mandata leguntur; nimirum Clericum sacris assistentem, cùm mulierem sursum in tabulato manentem procaciter inspexisset, ab altari amouisse. De loco insuper vbi virgines à ceteris feminis separatæ agerent in Ecclesia, Ambrosius meminit his verbis, quibus in virginem lapsam inuehitur: Nónne vel illum locum tabulis separatum, in quo in Ecclesia stabas, recordari debuisti, ad quem religiosæ matronæ & nobiles certatim currebant, tua oscula petentes, quæ sanctiores & meliores te erant? Nónne vel illa præcepta, quæ oculis tuis ipse inscriptus paries ingerebat, recordari debuisti? Diuisa est mulier & virgo. Quæ non est nupta, cogitat quæ Domini sunt, quomodo sit sancta corpore & spiritu; tu autem in contrarium vertens dictum, &c. Et S. Hieronymus Epist. 125. ad Susannam virginem à Sabiniano diacono corruptam, eamdem locorum distinctionem eisdem ferè verbis indicauit, dicens: Quomodo in actu ignominioso illo non veniebat in mentem habitus virginalis? processus ad Ecclesiam inter virgineos choros? &c. & post pauca: Nónne vel illum locum tabulis separatum, in quo in Ecclesia stabas, recordari debuisti, ad quem religiosæ & nobiles matronæ certatim currebant, tua oscula petentes, quasi sanctioris? quasi dignioris? &c. Procopius etiam hæc habet: Sunt duæ vtrimque porticus, quas fastigiata testudo & aurum venustant: harum vna viros orantes, altera mulieres admittit, alias nulla re differentes. Quis tabulata, in quibus versantur mulieres, exponet? Hæc ille de locorum differentia & sexus & ordinis distinctione.

Metaph. in Vita S. Ioan. Chrysost.

Ambros. ad Virg. lapsa.

In Ecclesia quoque Romana distincta fuisse in basilicis loca virorum ac mulierum, vetera Vaticanæ Ecclesiæ monumenta

Digitized by Google

ta declarant; quæ inciſa marmoribus, deſcripta legimus in codice eiuſdem Eccleſiæ bibliothecæ, ac primùm hæc ipſa de inſcriptione ſepulchri:

AD SANCTVM PETRVM APOSTOLVM ANTE, REGIA IN PORTICV, COLVMNA SECVNDA QVANDO INTRAMVS, SINISTRA PARTE VIRORVM, LVCILLVS ET IANVARIA HONESTA FEMINA.

Item illud in Vitis Romanorum Pontificum: *Symmachus Papa fecit Oratorium S. Crucis à parte virorum*, &c. & in Vita Gregorij Papæ III. *Hic fecit Oratorium intra Baſilicam S. Petri iuxta arcum triumphalem in parte virorum.* & in Sergio Papa: *Hic fecit imaginem auream beati Petri Apoſtoli, quæ eſt in parte mulierum.* His & aliis memoriis perſpicuum redditur, in Eccleſia Romana ſeruatum eſſe ordinem, vt in baſilicis ſeorſum à mulieribus orarent viri, ijdemque ſiniſtram baſilicæ partem occuparent, dexteram verò feminæ: digniorem namque partem in ſacris ſiniſtram habitam eſſe, Tomo 2. Annalium tradit Baronius. Et hæc quidem ex ipſius Tomo 1. ſub anno Chriſti 57. num. 123. 124. 125. mutuauimus; ſed hoc vltimum, ſiniſtram in ſacris eſſe dextra digniorem, conſideratione dignum arbitror.

Igitur vt ad intentum accedamus, cùm tam in communibus Eccleſiis Orientalibus quàm Occidentalibus, Græcis & Latinis, vetus inoleuerit conſuetudo aſſignandi diuerſa loca Eccleſiaſticis & ſæcularibus, viris & mulieribus, & in ſuperiori parte pro mulieribus nuptis & non nuptis, ſecundùm loci opportunitatem; quantò magis arbitrari debemus, talem rationem habitam fuiſſe in ſacratiſſimi templi Dominicæ Reſurrectionis ſtructura à religioſiſſimis illis veteribus Patribus, cùm excellentia & dignitate omnia mundi templa ſuperet, vt in eo locus determinatus eſſet pro omnibus fidelibus, viris & mulieribus, qui pietatis ergò ad venerandum ſacratiſſimum Sepulchrum ex vniuerſis mundi partibus accederent; atque in eo ſolo inuenire liceret, quidquid ſpectabile & dignum in aliis ſeparatim licet animaduertere. Ex dictis intelligimus, in ſuprema & digniori parte collocatam fuiſſe ſedem pro communi omnium Patre & Chriſti Vicario in terris Romano Pontifice; & hinc inde ſedilia & gradus, pro aſſeſſoribus, Canonicis & aliis Eccleſiaſticis miniſtris. Poſt quæ cernuntur quatuor honeſtiſſimo loco diſpoſitæ ſedes pro quatuor ſanctæ Catholicæ Eccleſiæ Patriarchis; vt ſi aliquando accideret, diuina ordinatione, ſimul omnes prædictos Præſules ſummos vnà hic congregatos eſſe, pro Paſchæ aliáve ſolemnitate vel Concilio aliquo generali celebrando, abſque moleſtia, quibuſque propria & decentia eſſent aſſignata loca. Sequebantur deinde ſub vaſto illo ſanctuario, cuius meminit Euſebius, optimè diſpoſitæ in longum ſedes, arbitror pro dignioribus viris Eccleſiaſticis, vel etiam ſæcularibus. Et infrà, in extrema parte Eccleſiæ vbi eſt ſacratiſſimum antrum, cui altera ex aduerſo conſtructa eſt, ſtabant viri, cuiuſcumque conditionis extitiſſent; qui, vt ſacris adſtarent, & glorioſum Chriſti Sepulchrum viſitarent, huc confluebant. Et ex hac parte deſuper in porticibus loricatis morabantur feminæ: quæ cùm magnæ & ſpatioſæ ſint, potuit commodè aſſignari locus vnus pro ſanctis virginibus & non nuptis, alius, in quo nuptæ & habentes filios quieſcerent; vt his ſic optimè diſpoſitis & ordinatis, abſque ſcandalo omnes ſacris aſſiſterent, verbum Dei audirent, honoraretur Deus in ſpiritu & veritate, ſanctificarentur fideles, & confunderentur tartareæ poteſtates; eſſetque iſtis ſacra iſta Eccleſia & congregatis formidabilis & terribilis vt caſtrorum acies ordinata. Et hæc ſatis de ſtructura & locis ſacratiſſimi templi.

Quantum ad ornatum, dico, quemcumque, etſi exímium, in eius honorem impenſum, minorem eſſe illius dignitate & merito; exornandum profectò nedum terrenis & humanis ornamentis, ſed cæleſtibus & Angelicis, cùm cælo ipſo inferius minimè ſit habendum; ſed debito modo, vt quod rectum eſt, rectè exequatur. Et inter ornamenta, quibus fuit venerandum hoc templum condecoratum, ſiue à primis illis auctoribus, ſiue à poſterioribus fidelibus, ſunt picturæ diuerſarum celebrium perſonarum, vt Chriſti Domini, ſanctiſſimæ eius Matris, Angelorum, Apoſtolorum, & aliorum plurium, vt ex parte vidimus, & adhuc inferiùs videbimus, cùm de ſacratiſſimo Caluariæ monte agemus.

In quibus tamen illud ingerit difficultatem, quod, vt Capite præcedenti attigimus, nedum Sanctorum catalogo adſcriptorum, & de quorum ſalute dubitare nefas eſt, & ingens piaculum, ſed etiam damnatorum, & de quorum ſalute dubitari poteſt abſque culpa, exornantur capita diadematibus, quibus ſancta Eccleſia dumtaxat illorum

illorum condecorat capita, quos in Sanctorum numerum adscriplit. Igitur perperàm fecerunt veteres fideles, illa aliis non sanctis, imò perditis hominibus, imponendo.

Baron. Tomo 3. an. Chr. 337. n. 29. Gretser. de S. Cruce To 1. lib. 2. c. 54.

Et, vt de vno Constantino verba faciamus, quòd descriptus fuerit gemmato diademate, laurea corona obiecta: optimè, quia hæc redolebat gentilitiam superstitionem; non item illud, quo Dauid & alij sanctissimi Reges vsi fuerunt: quòd item Imperiali habitu, cum cruce & globo illo signato, optimo cum consilio; quia mundi Imperator, cuius maiorem partem crucis virtute sibi comparauerat, & eadem conseruandum fore confidebat. Ad hæc, inter alia insignia Romanorum Imperatorum, pomum aureum recensetur, vt inter alios adnotauit Petrus de Andelo lib. 2. de Imperio Romano cap. 8. dicens: *Quatuor sunt Romani Imperij insignia, diadema, gladius, sceptrum, & pomum aureum, seu globus.* Et Romanorum Imperator fuit M. Constantinus. Item, diuinitus in cælo eidem signum Crucis apparuit; & crucem denique de tenebris erutam, toto orbe claram & venerandam præbuit; sub cuius Imperio desiit esse latronum aliorumque sontium patibulum, & esse cœpit ornamentum & gloria Principum & fidelium omnium.

Io. Molan. 2. lib. de sacr. Imagin. c. 64.

Sed quod vltra hæc gestet diadema Sanctis debitum, parit admirationem: etenim tantum abest quòd fuerit sanctus, inquiunt quidam, cùm Sanctos persecutus sit; nam sanctissimum Antistitem Athanasium, acerrimum impiissimi Arij oppugnatorem, in exilium misit, consuetudine Arianorum delectatus, & Eusebianos hæreticos fouit, aliaque fecit aliena à Christiano viro, vt, qui eius gesta scripserunt, testantur: non ergo prudenter in eius capite positum fuit Sancti diadema.

Nec satisfaciet quis pronuntiando vulgatum illud Horatij,

—— Pictoribus atque poëtis
Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas.

Etenim quæ in sacro templo depicta fuerunt, non secundùm sensum pictorum, sed de consilio veterum illorum Patrum fuerunt exarata: & cùm non semel in generalibus Conciliis statutum fuerit, vt tantùm decentes figuræ, quæ ædificationem & non scandalum parere possent, pingerentur & exponerentur in sacris templis, non est dubitandum, quin id ab illis templi huius dignissimi auctoribus siue exornatoribus fuerit obseruatum.

Facili nihilominùs negotio diluetur hæc difficultas; sed quoniam altera tacta est de sanctitate Constantini, istius solutio indicanda est priùs. Dicimus itaque, ob dicta nullatenus Constantinum appellandum esse hæreticum; quoniam nec tali nota fuit inustus in aliquo Concilio, vel à sanctis Patribus, sed magnis potiùs laudibus celebratus, quòd idololatriam & Gentilium delubra destruxerit, hæreticos aliosque infideles fuerit insectatus, sanctam Ecclesiam ditauerit, auxerit, & multis exornauerit bonis, semperque virtutem coluerit: & hæc non hæretici hominis, sed Christianissimi sunt argumenta, ac proinde meritò illum sanctus Ioannes Chrysostomus Sanctum nominat. B. Gregorius feliciter vitam terminasse indicat, dicens illum esse *piæ memoriæ*, 11. q. 1. c. Sacerdotibus. Melchiades *Religiosissimum* appellat, 12. q. 1. c. Futuram. *Deo dilectissimum & beatæ memoriæ* appellauit sanctus Cyrillus Episcopus Ierosolym. & passim alij sancti Patres Christianissimum, religiosissimum, piissimum & sanctum Imperatorem appellant: quæ nomina non nisi fideli & iusto conueniunt; qui licet aliquando peccauerit, nihilominùs pœnitentia culpas deleuit. vt enim Prou. 24, 16. scriptum est: *Septies cadet iustus, & resurget.* quod eleganter Hieronymus elucidauit Epistola ad Rusticum, dicens: *Si cadit, quomodo iustus? si iustus, quomodo cadit? sed iusti vocabulum non amittit, qui per pœnitentiam semper resurgit.* quasi diceret: Si vltimò tandem resurgens stat, quid obstat sæpiùs olim cecidisse? igitur si sanctus etiam & pius appellatur post illa peccata, illorum pœnituisse par est credere, qui Athanasium ab exilio redire iussit.

Quòd Presbyteri Ariani consuetudine vsus fuerit, vel etiam Eusebianorum partes tutatus sit, fecit deceptus sub specie veræ religionis, quare & eosdem est insectatus. Vnde si licuit dicere Augustino, *Errare potero, hæreticus nunquam ero:* ita Constantinus, quoniam homo erat, potuit decipi, verùm non continuò hæreticus; quia non in errore pertinax, & cognitæ veritatis impugnator. Et, quod magis est, idem iudicium fecit Senatus populusque Romanus. Hinc, vt vita functus fuit Imperator, non voce tantùm beatum Imperatorem Deo acceptum & verè Imperio dignum prædicauit, verùm etiam re ipsa declarauit; nam in nummis tamquam in cælum ascendentem sculpserunt: & cùm cæli effigiem in tabella propriis coloribus expressissent, depingunt eum super cælestes orbes in æthereo cœtu requiescentem. Ita ex Eusebio notauit Molanus. Ad hæc, nedum Ethnici & Romanus populus Constantinum in Diuorum numerum retulerunt, sed & Ecclesia Græ-

ed by Google

Græca. Tradit enim Eutropius lib. 10. Conſtantinum inter Diuos eſſe relatum. Illud ſanè omnibus notum eſt, à Græcis ſolemni celebritate Conſtantinum coli vt Sanctũ, aſſerentibus animam eius ſubuectã inter Beatos in cælum: inter Sanctos enim relatus reperitur in Eccleſiaſticis eorumdem Græcorum tabulis, qui diem anniuerſarium natalis eius religioſo cultu hactenus proſequuntur. Et cùm non ſolùm vniuerſalis Eccleſia magnæ ſit auctoritatis in iudicando & determinando, ſed etiam particulares, vt Libro III. Cap. XXXVIII. notamus ex D. Thoma, erit profectò hoc magnum argumentum ſanctitatis Conſtantini, quòd Eccleſia Græca, quando cum Catholica communicabat, Sanctorum catalogo illum adſcripſerit: & Romana non retragatur, dum eius corpus tumulatum ſeruat in veſtibulo Eccleſiæ Principis Apoſtolorum Romæ; quæ ſi non fidelem crederet, longè pelleret. De his lege Cardinalem Baronium Tom. 3. ſub anno Chriſti 336. & 337. vbi plura recenſet in laudem Conſtantini, & obiectis illi ab aduerſariis appoſitè reſpondet; nos pauca ex ipſo pro inſtituto.

Quæ ſi vera ſunt, non obſtat argumentum; & iuſtè ſupra coronam auream gemmis pretioſis contextam Sancti diadema ſuperimpoſitum fuit. Sed reſpondendum eſt nihilominùs pro aliis ſimiliter decoratis, qui peccarunt quidem, ſed pœnitentiam non egerunt, ac ideò iuſtè ab Eccleſia damnati, & tamen, vt diximus, cum Sanctorum diadematibus depicti inueniuntur. Dico itaque non obſtare, quia diadema non à Sanctis ad huiuſmodi tranſlatum eſt; ſed ab his qui victoriam aliquam de viſibilibus huius mundi hoſtibus conſecuti fuere, vel opus heroicum operati, ad Sanctos ob ſimilia tranſlatum fuit. Ita obſeruatum inuenio ab Incognito in ea verba Pſal. 6. *Scuto bonæ voluntatis tuæ coronaſti nos.* ait enim, quondam apud Romanos conſuetudinem viguiſſe, cùm reuertebantur victores ex bello, in ſignum victoriæ, tamquam coronam & diadema, ſcutum rotundum ſuper capita eos portare; & hoc comprobatur ex antiquis aliquibus Romanorum Imperatorum nũmiſmatibus, in quibus Capita Imperatorum ſanctorum diademate exornata cernuntur. Ad cuius imitationem mos in Eccleſia inoleuit, Sanctorum capitibus, in ſignum victoriæ, pro corona ſcutum rotundum ſuperimponi, quod diadema vocitamus. Quare & nos hic dicere poſſumus, non tantùm quia ſanctus Conſtantinus, ſed quia glorioſus Imperator, & multis victoriis fuit onuſtus, ſcuto & diademate coronatum fuiſſe: & pari ratione Heraclius, & alij Reges & illuſtres viri, quòd aliqua illuſtria præſtiterunt facinora, etſi in eis ſanctitas & pietas defuerit, ſcuto & diademate fuerunt donati.

Ampliùs, pro eiuſdem difficultatis explicatione aduerto cum Illuſtriſſimo Annalium Eccleſiaſticorum Scriptore Baronio ad annum Chriſti 502. antiquitus titulos dari conſueuiſſe non tam ex meritis quàm ex communi vſu. Etenim Romæ in Synodalibus actis Theodoricus Rex hæreticus Arianus à Patribus vocatus fuit *Piiſſimus*, vel *Sanctus*, ſecundùm variam lectionem: ſicut alij æquè hæretici, vel aliàs impij Principes, iiſdem, vel etiam ſplendidioribus titulis, in Synodorum Actis, vel aliis monumentis antiquis inſigniti à Catholicis reperiuntur. Eiuſmodi namque prorſus indignos titulis hæreſis vel impietas effecerat: nec exiſtimandum eſt, ea piiſſimos Præſules adulatione ipſos demulcere voluiſſe; ſed in more fuit, etiam antiquis ſanctiſſimis Epiſcopis, Ethnicos quoque Principes titulis illis honoris appellare, quibus conſueuerunt à ſuis inſigniri; adeò vt non pios tantùm & ſanctos, ſed & ſanctiſſimos appellauerint, ſicut à Dionyſio Alexandrino apud Euſebium 7. Hiſt. 10. Valerianum & Gallienum Imperatores nominatos eſſe conſtat, alioſque item ab aliis; idque exemplo Apoſtoli Pauli, cùm nefarium hominem, Præfecturam tamen gerentem, conſueta nomenclatura *optimum* vocauit Felicem, Act. 24, 3. cùm & alioqui ex proprietate quoque vocis eiuſmodi nomenclaturam ſuſtineri poſſe indicet Cicero pro Archia poëta, dum ait, ſuo iure Ennium ſanctos appellaſſe Poëtas, quòd quaſi diuino aliquo dono atque munere commendati nobis eſſe videantur. Quare ſi quod à Deo datum creditur, ſanctum dicitur, cùm conſtet ex Chriſtianæ legis præſcripto, Principes etiam malos à Deo dari in vltionem peccatorum, Oſee 13, 11. & Iob 34, 30. hac quidem ratione potuerunt illi nominari ſanctiſſimi, ac ſimili, in ſtatuis ac picturis, coronis ac diadematibus, verè ſanctis debitis, condecorari. Et hæc de præſenti difficultate; quam hîc placuit examinare, quoniam hîc primò de picturis & ornamentis Eccleſiarum Terræ ſanctæ ſeſe obtulit opportuna differendi occaſio, quæ deſeruient etiam his quæ inferiùs dicentur de ſacro Caluariæ monte, & quæ Lib. VI. de Eccleſia ſanctæ Mariæ Bethlehem.

CAPVT IX.

De variis nominibus, quibus appellatum est hoc sacratissimum Dominicæ Resurrectionis templum à piis fidelibus; & de illius Dedicatione.

QVantum superiùs propositum inquirendum, de sacratissimo templo Dominicæ Resurrectionis, quod est præsenti Capite paucis expediendum, fuit de multiplici illius nomenclatura, & Dedicatione vel consecratione.

Et quantum ad illius appellationem, dico, quinque nominibus fuisse appellatum, primò, *Bethel*, secundò, *nouam Ierusalem*, tertiò, *Martyrion*, quartò, *Basilicam Constantinianam*, & quintò denique, *templum sacratißimi Sepulchri Domini*, siue *Dominicæ Resurrectionis*.

Primò, Bethel dicitur templum hoc; & quare. Genes. 28, 18.

Bethel primò appellatur, vt Capite 5. vidimus ex postillatore Historiæ Scholasticæ: non sic verò intelligas fuisse nuncupatum, quòd sit locus ille, in quo Iacob dormiens vidit admirabilem illam scalam cælum & terram extremitatibus pertingentem, eodem nomine appellatus, vt legimus in Genesi, vel quòd in loco illo sit hoc diuinissimũ templum constructum; quoniam, vt videbimus inferiùs de sacratissimo Caluariæ monte agentes, non est hoc templum huiusmodi Bethel, nec in illo Bethel est hoc ædificatum templum; sed vel ideò fuit sic appellatum, quòd in illo Bethel præfiguratum fuit: vel quia, cùm Bethel domus Dei interpretetur, & Dominus templum & locum istum sibi in electissimam domum elegerit tempore suæ dolorosæ mortis, & glorioſæ Resurrectionis, vbi esset nomen suum cunctis diebus, ideò ab euentu meritò Bethel fuit appellatum.

Secundò, noua Ierusalem.

Secundò, *noua Ierusalem* oraculis Prophetarum prædicata, appellatur ab Eusebio lib. 3. cap. 32. de Vita Constantini; eodem etiam nomine appellatum fuit ab Helena, de qua in hunc modum scribit Socrates lib. 1. cap. 13. *Mater Imperatoris ad locum monumenti magnificum & egregium templum, quod nouam Ierusalem nuncupabat, è regione veteris illius & desertæ Ierusalem exædificat.* & post pauca idem repetit, & rationem vnam indicauit, ad differentiam desertæ & veteris Ierusalem: cui alteram addere possumus; quia cùm Ierusalem visio pacis interpretetur, & ibi per nouum Adam nouiter in fine vitæ suæ sit hominibus pax comparata, *reconciliati Deo per mortem Filij eius:* & quia veteres Ierosolymitæ, id est, Iudæi, erant non multò pòst, propter mortem, quam Christo intulerunt, de illa exturbandi, & nouis Ierosolymitis veriſque credentibus ad habitandum tradenda; ex his inquam nouam Ierusalem consultò nominauit prudens Imperatrix, & Eusebius.

Rom. 5, 10.

Tertiò, Martyrion.

Tertiò, Cyrillus Episcopus Ierosolymit. Cateches. 14. scribit, nominatum fuisse *Martyrion*, hoc est testimonium; nempe Christi Resurrectionis monumentum, & testem, idque, vt ait, *ex Prophetarum oraculo.*

Quartò, Basilica Constantiniana.

Quartò, idem templum ab aliis pluribus nuncupatur *Basilica Cõstantiniana:* quòd illius primus auctor & fundator fuerit Magnus Constantinus: quemadmodum & veteris Ierosolymæ templum, etsi pluries destructum, & à diuersis reædificatum fuerit, semper tamen templum Salomonis appellatum fuit; quia hic sapientissimus Rex primus auctor illius fuit.

Quintò, templum S. Sepulchri & Dominicæ Resurrectionis.

Quintò denique, semper appellatum fuit & appellatur nostris temporibus *templum sanctißimi Sepulchri*, & *Dominicæ Resurrectionis*; quoniam continet sanctissimũ Sepulchrum, cuius gratia fuit constructũ: in eoque præcipuum nostræ salutis mysterium fuit operatum, Domini Resurrectio.

Dedicatio templi quando facta.

Quantum verò ad eius Dedicationem, semel tantùm inuenio fuisse dedicatum & cõsecratum, quando nempe fuit ædificatum à Constantino. Igitur absoluto sacratissimo templo, plurib⁹ picturis & ornamentis decorato, decem annorum decursu, post Tyri celebratum Concilium iussu M. Constantini plurimis illius Concilij Episcopis in sancta ciuitate Ierusalem congregatis, magna solemnitate consecratum fuit circa 30. annũ Imperij Constantini, Domini verò 331. Lege de his plura apud Eusebium lib. 4. de Vita Constant. à c. 40. vsque ad 46. & lib. 10. Hist. c. 4. sed pauca placet hîc adscribere, quæ de hoc argumento scribit Sozomenus lib. 2. c. 25. *Dum hæc geruntur*, inquit, *circiter trigesimum annum Imperij Constantini, cùm templum Ierosolymis, quod magnum vocabatur, in Caluariæ loco extructum esset, Marianus vir nobilis, & Scriba Imperatoris, accedens Tyrum, Concilio tradidit litteras; quibus erat mandatum, vt Episcopi quàm maturrimè Ierosolymam peterent, nouumq; templum consecrarent. Quin etiam istud quoque (sic enim secum antè deliberauerat) necessarium putauit, vt Episcopi, qui Tyri in vnum conuenerant, lites inter ipsos susceptas primò omnium dirimerent: sicq; deinde à discordia & offensione animorum purgati, ad templum dedicandum se conferrent; nam concordiam Sacerdotum tali festo peraccommodatam esse. Itaque Episcopi contendunt Ierosolymam, & non templum solùm, verùm etiam thesauros & monimenta*

Concordiã commendat Constantinus Episcopis templũ sanctißimi Sepulchri consecraturis.

ab

ab Imperatore illuc missa consecrant; quæ ad hoc tempus in eo templo manent repositæ; multumq; admirationis propter suam magnificentiam & amplitudinem spectatoribus excitant. Ex quo tempore Ecclesia Ierosolymitana quotannis diem festum splendidè admodum celebrat; adeò vt in eo initiationes sacrorum peragantur, & dies octo deinceps conuentus fiant: complurésq; ex omnibus totius orbis terræ partibus, qui vndique ad sacra loca visenda confluerent, tempore quo hic dies festus celebrabatur, eò conuenirent. Hactenus fuêre Sozomeni verba de consecratione templi per Constantinum ædificati.

Annus & dies consecrationis templi Resurrectionis

Ex præmissis Sozomeni verbis habemus quidem annum quo fuit nostrum sacratissimum templum iussu Magni Constantini per Episcopos Tyrienſis Concilij consecratum, anno scilicet Dòmini 331. sed non similiter habemus diem consecrationis & dedicationis; quod necessarium scitu videtur, vt illa quotannis debito tempore celebretur. Quo ergo die illa contigit? Respondeo, pridie exaltatæ Crucis: quod ex Græcorum Menologio, quod habetur in Typico S. Sabæ, perspicuum fit: nam eo die Græci celebrabant τὰ ἐγκαίνια τῆς ἀναστάσεως, hoc est, Dedicationem templi à Constantino Magno in loco Resurrectionis exstructi; quod Græcè *Anastasis*, Latinè *Resurrectio* dicebatur. Hæc enim sunt verba Menologij 15. Septembris: Τὰ ἐγκαίνια τῆς ἁγίας Χερσὸς Θεοῦ ἡμῶν ἀναστάσεως. Idem probatur ex sancto Sophronio; qui memorato Dedicationis die ad circumfusam multitudinem Ierosolymis concionans, cuidam sibi propositæ difficultati respondet. Quærit, cur nunc Resurrectio crucem antecedat, cùm olim crux triduo Resurrectionem antecesserit. *Resurrectionis encænia sunt*, inquit ille; *& quis fidelium non renouabitur? O miraculum! & quid cunctor edicere mysterium? Olim quidem Crux resurrectionem antecedebat, nunc Resurrectio dux & quasi anteambulo crucis est. O admirandam permutationem!* paulò pòst: *Quisnam huius permutationis & vicissitudinis causam explicare poterit? Neque enim cursus velocitate vsa Resurrectio antegressa est, hac, vt tardior, subsecuta. Cur igitur non vt priùs, diuina Crux priùs exorta refulsit; luciflua verò Resurrectio triduò pòst illa resplenduit? Et quidem, quid maiores nostri spectarint in hac permutatione faciendâ, nemo nostrum pro certo & explorato dixerit: arbitramur autem, nobisq; coniectura ductis persuademus, eos, qui ex finibus terræ ad vtriusque adorationem sese conferunt, huius subsecutionis & antegressionis causam fuisse, vt obito priùs & celebrato lætissimo & splendidissimo Resurrectionis festo, post hoc autem statim Crucis Exaltatione conspecta, potentissimum eius comitatum, quasi egregium & salutare viaticum, secum asportent, habeantq; crucem in terra quidem simul gradientem, in mari simul nauigantem comitem*, &c. Et ante & post adducta verba, alia ad intentum habet Sophronius Patriarcha Ierosolymitanus in Oratione exaltationis venerandæ Crucis, & in sanctam Resurrectionem, quam totam affert P. Gretserus Tomo 2. de S. Cruce.

Refert Gretserus de S. Cruce Tom 2. lib. 1. c. 64.

Ex his manifestum euadit quod diximus, festum Dedicationis templi Resurrectionis Domini, imperio Magni Constantini ædificati, celebrari die 13. Septembris, & pridie Exaltationis S. Crucis: cùm verò festum Resurrectionis immediatè præcedens festum Exaltationis S. Crucis, de quo loquitur Sophronius, illud non vno die, sed pluribus mensibus hoc præcedat, vt satis patet; de Dedicatione annua dicti templi Resurrectionis loqui, dicendum: & confirmatur ex illis eiusdem Sophronij verbis: *Resurrectionis encænia sunt*. Sed *encænia*, inquit S. Augustinus Tract. 48. in Ioan. circa medium, *festinitas est Dedicationis templi*. Ita etiam notauit Gretserus Tomo 1. de S. Cruce.

Ego memoratæ dumtaxat Dedicationis sacri huius templi memoriam inueni; & tamen videtur, quòd postea debuerit consecrari, post vltimò recuperatam Terram sanctam à Christianis; quia anteà pluries profanatum ac demolitum ab infidelibus, vt in præcedentibus ostendimus. Quare si, recuperata Ierosolyma, fuit à Legato Apostolico & aliis Præsulibus consecratum templum, erectum in loco vbi fuit constructum templum Salomonis, quod Guilielmus Tyri Archiepiscopus templum Domini appellat; & in suo opere de Bello sacro illius refert Dedicationem, vt de illo agentes vidimus: multò magis credendum est, consecratum fuisse Dominicæ Resurrectionis templum, omnium templorum dignissimum. & si hoc verum, quando accidit? & quare Tyrius illius temporis accuratus Scriptor mentionem non fecit?

Responderem probabiliter, templum Resurrectionis non fuisse iterùm consecratum post captam per Christianos Ierosolymam: quia etsi pollutum, profanatum ac ex parte demolitum ab infidelibus fuerit, non tamen execratum; & fortasse seruata loca consecrationis integra; quibus notatis, non fuit opus noua consecratione, sed tantùm benedictione ac reconciliatione, quæ statim peracta fuit Ierosolyma recuperata. Et dispar est ratio de templo Domini, &

de

de templo Reſurrectionis; nam illud ſemper ab infidelibus ſuo ritui fuit deſtinatum, & iſtud ſemper à Chriſtianis cuſtoditum, etiam ſub infidelium iugo: quare par eſt credere, quòd licet fuerit omnino per Choſroë vel alios verè profanatum & execratum, nihilominùs arbitror, poſteà fuiſſe à Chriſtianis, quibus ſemper fuit relictum, conſecratum, & forte eo ipſo tempore quo priùs: igitur non fuit opus, vt Ieroſolyma per Chriſtianos vltimò capta, templum Reſurrectionis conſecrarent Epiſcopi, ſicut conſecrauerunt alterum Domini. Ideò non mirum, ſi Tyrius illius conſecrationis haud meminerit; imò ex hoc poſſumus ampliùs quod diximus comprobare, recuperata Ieroſolyma, non indiguiſſe conſecratione ſacrum hoc templum: quia ſi indiguiſſet, adhibita omnino fuiſſet; & Tyrius, vt alteram, ſcriptis conſignaſſet. An poſt tot factas mutationes adhuc ſit ſacrum hoc Reſurrectionis Domini templum conſecratum, recurrendum eſt ad ſigna conſecrationis vel execrationis, de quibus Doctores in verbo *Eccleſia*, vel *Altaris conſecratio*.

Nundinæ Ieroſolymitanæ, ob feſtum exaltatæ Crucis, quod 14. Septembris celebratur.

Adamnanus, ex S. Arnulpho, huius ſolemnitatis, concurſus populorum Ieroſolymam illius occaſione ad nundinas, & prodigioſi euentus à Deo operati ſoliti in gratiam ſanctæ Ciuitatis meminit lib. 1. de Locis ſanctis cap. 1. cuius verba hic ſubijcio, non enim erunt iniucunda Lectori: *Sed & hoc etiam*, inquit, *non eſſe prætereundum videtur, quod nobis S. Arnulphus de huius ciuitatis in Chriſto honorificentia præfatus narrauit, inquiens: Diuerſarum gentium vndique innumera multitudo, decimo quinto die menſis Septembris anniuerſario more in Ieroſolymis conuenire ſolet, ad commercia mutuis venditionibus & emptionibus peragenda; vnde neceſſe eſt, vt per aliquot dies in eadem hoſpita ciuitate diuerſorum hoſpitentur turba populorum, quorum plurima camelorum & equorum aſinorumq; numeroſitas, nec non & boum maſculorum, diuerſarum vectorum rerum, * per illas politanas plateas ſtercorum abominationes proprietorum paſſim ſternit; quorum nidor non mediocriter inuehit ciuibus moleſtiam, qua ambulandi impeditionem præbet. Mirum dictu, poſt diem ſuprà memoratum receſſionis cum diuerſis turmarum iumentis, nocte ſubſequente, immenſa pluuiarum copia de nubibus effuſa, ſuper eandem deſcendit ciuitatem, qua totas abſtergit abominabiles de plateis ſordes, ablutasq; ab immunditiis fieri facit eam: nam Ieroſolymitanus ipſe ſitus, à ſupercilio Aquilonaris montis Sion incipiens, ita eſt molli à Conditore Deo diſpoſitus declinio, vſque ad humilia ra Aquilonarium Orientalium q; murorum loca, vt illa pluuialis exuberantia nullo modo in plateis, ſtagnantium aquarum in ſimilitudinem, ſuprà ſedere poſſit, ſed inſtar fluuiorum de ſuperioribus ad inferiora decurrit. Quæ ſcilicet cæleſtium aquarum inundatio per Orientales interfluens portas, & omnia ſecum ſtercoraria auferens abominamenta, vallem Ioſaphat intrans, torrentem Cedron auget; & poſt talem Ieroſolymitanam baptizationem, * continuatim fluminalis exuberatio ceſſat.* * ſtatim

Hîc ergo non negligenter annotandum eſt, ſubdit Adamnanus, *quanti, vel qualis honoris hæc electa & prædicabilis ciuitas in conſpectu æterni Genitoris habeatur, qui eam ſordidatam diutiùs remanere non patitur, ſed, ob eius Vnigeniti honorificentiam, citiùs eam emundat, qui inter murorum eius ambitum, ſanctæ Crucis & Reſurrectionis eius loca habet honorifica.* Hæc ille.

Mir. Cod. per illas politanas plateas. Forte leg. per illas politas, hoc eſt elegantes, plateas, ait ad hunc locum Greſerus.

Noſtris temporibus huiuſcemodi nec videntur nec obſeruantur. Et hæc ſatis de templo Dominicæ Reſurrectionis in ſe conſiderato; ad illius peculiarium locorum explicationem nunc calamum conuertamus.

CAPVT X.

De ſacello Apparitionis B. Mariæ Virginis in templo Dominicæ Reſurrectionis; vnde primò incipit proceſſio, in eodem templo ſingulis diebus fieri ſolita.

EGreſſi ex patria, de terra & cognatione ſua pij peregrini, Ieſu Seruatore comite; & poſt varios caſus, variaque maris terræque itinera & pericula, incolumes, Ducis beneficio, ingreſſi Terræ ſanctæ agrum, in aliquibus illius locis, ciuitatibus videlicet & vicis eiuſdem Terræ parum commorati ac venerati, ad ſanctamque Ieroſolymorum ciuitatem admiſſi, poſt aliqua eiuſdem viſitata ſanctuaria, ſecundùm opportunitatem, introducuntur tandem ad electiſſimam & florentem vineam Eccleſiæ Reſurrectionis Domini magno cum animi gaudio & ſpiritus voluptate, quæ finis eſt illorum peregrinationis. Vt enim gloriоſum Chriſti Sepulchrum, ſanctum Caluariæ montem, cum aliis in eo contentis ſanctuariis, venerentur Ieroſolymitani peregrini, Terræ ſanctæ peregrinationem aſſumunt: ingreſſi itaque ſacrum Templum, ante omnia, ſacra infigunt oſcula petræ vnctionis quæ primò occurrit, ibique Redempto-

Peregrini quæ obſeruant in Eccleſia ſancti Sepulchri.

Digitized by Google

demptorem de cruce depositum, & in ea à sanctis discipulis, Ioseph ab Arimathæa & Nicodemo, inunctum adorant; gratiasq; agunt pro in ipsos spiritualibus & corporalibus collatis beneficiis: inde accedunt ad Dominicum Sepulchrum, & ad alia sanctuaria, si tempus patitur, eaque priuatè venerantur; quæ tamen postea solemniter opportuno tempore in processione honoranda, modo nunc explicando.

Congregati Fratres Minores cum peregrinis hora Completorij in sacello sanctæ Mariæ Virginis de Apparitione, Completorio decantato, Ministris Ecclesiasticis paramentis indutis, cum cruce, ceroferariis, thuribulo, omnibus accensos cereos deferentibus, solemnis instituitur processio, qua totum sacrum templum circumdatur, singulaque in eo contenta sanctuaria, peculiaribus nostræ salutis mysteriis dedicata, piè coluntur, debitus Deo exhibetur honor, & pro acceptis beneficiis aguntur gratiæ, vt hac ratione ad alia recipienda dispositi inueniantur deuoti Christicolæ.

Processio quotidiana S. Sepulchri.

Hæc processio singulis diebus post Completorium peragitur à Fratribus continuò in sancto Sepulchro commorantibus; at multò solemnior in aduentu peregrinorum, tum quia plures tunc adsunt Fratres, qui, aperto sacro templo, cum peregrinis ex deuotione veniunt; tum propter peregrinos comitantes, & alios fideles Ierosolymis habitantes. In hac Hebdomadarius, id est, Sacerdos qui officium facit, paucis, sed piis & grauibus verbis, explicat mysteria illorum peculiarium locorum, cùm ad illorum quemlibet ventum fuerit in processione, excitans ad pietatem & deuotionem comitantes peregrinos cum ceteris.

Ordo processionis S. Sepulchri.

Sed vnde primò incipit ista processio? quisnam locus priùs in ordine colitur? Incipit à sacello S. Mariæ de Apparitione; & primò veneration̄i habetur sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum in maiori altari asseruatum.

Forma sacelli sanctæ Mariæ de Apparitione.

Est hoc sacellum parua Ecclesia, ferè in quadro fabricata, longitudinis palmorum 32. latitudinis 24. vbi Fratres Officium celebrant die ac nocte: in anteriori parte sunt tria altaria; quod in medio, & maius, est in capellula, vbi asseruatur sanctissimum altaris Sacramentum; alterum in huius dextera parte, olim in magna veneratione, quia in illius superiori pariete est fenestella cum crate ferrea, in qua posita fuit vna pars sanctæ Crucis, quando illam Heraclius, de Chosroë victoriam consecutus, ex Persida Ierosolymam asportauit, anno à partu virgineo circiter 628. quæ in partes diuisa, & ad varias partes delata, non modicam partem Ierosolymis reliquit Imperator, quam in capellula illa fuisse asseruatam, à plerisque Ierosolymis asseritur. Et quamuis certissimum sit, eamdem sanctissimam Crucis partem, ob crebras persecutiones & bella quibus sancta Ciuitas obnoxia fuit, & ipsam crucem iacturam passam fuisse, imò & deperditam, vt alibi notauimus: nihilominùs piè credendum est, semper aliquam particulam fuisse à piis fidelibus religiosè custoditam, quæ postea in dicta capella collocata; vel quòd aliqua peculiaris pars ab ipsa Helena Constantini matre fuerit in Dominico Sepulchro reposita, quæ deinde inuenta à P. Bonifacio sacri montis Sion Præfecto, fuit in eo loco reposita, vt ipse indicat in quadam Epistola, quam Lib. v. Cap. XIII. II. Peregr. adducimus. Verùm postea eadem crucis portio, anno Domini 1537. (quo tempore Fratres nostri sacri montis Sion capti fuerunt, & in carcerem detrusi à Solimanno Turcarum Imperatore, vbi & steterunt quatuor annorum curriculo, de quibus alibi dictum) cùm locorum nostrorum gubernatio Armenis commissa esset, ab infidis ipsis surrepta, & in ciuitatem Armeniæ metropolim deportata est. An verò adhuc ibi sit, me latet. Asserunt Armeni, in ista capellula illam non existere: sed modica dumtaxat particula in parua cruce lignea inclusa, & in capellula, siue fenestella illa, dicitur asseruari. Hæc accepi à senioribus istarum partium, qui, quando ista acciderunt, degebant Ierosolymis; & communis est in partibus istis opinio. Locus iste in processione peculiari veneratione non colitur; tum quia ex eo fuit sublata S. Crux, tum quia in aliis locis in processione fit eiusdem S. Crucis commemoratio, vt videbimus.

Pars crucis ablata à sacro templo in Armeniam deportata.

Alterum verò altare, quod à læua maioris est, Columnæ Domini dicitur, quòd in eo asseruetur pars columnæ, in qua fuit Christus Dominus flagellatus, de qua sequenti Capite. Respiciunt ista altaria Orientem, secundùm veterem huius regionis & Ecclesiæ Orientalis consuetudinem. E regione horum altarium sunt sedilia & chorus Fratrum; circumcircà sunt picturæ, passionis & resurrectionis Christi mysteria repræsentantes.

Crux Domini vbi posita post eius inuentionem.

In medio ferè huius sacelli est in pauimento tabula marmorea plana grisei coloris, figuræ circularis, cuius diameter est quatuor palmorum; collocata, vt fertur, supra locum vbi posita fuit crux Domini cum aliis latronum, quando inuentæ fuerunt, & miraculo, quænam esset Saluatoris fuit deprehensum; de quo inferiùs, dum mentionem

Baron. Tom. 8. Christi anno 628.

Digitized by Google

tionem faciemus de loco inuentionis sanctæ Crucis. Rationem nominis huius sacelli inferiùs Capite vltimo 11. Peregrinationis adducemus.

Ad propositam quæstionem reuertentes, videlicet vnde exordium sumat processio; dicimus, quòd ab isto sacello S. Mariæ & ab altari, in quo Eucharisticum Christi corpus asseruatur. Hoc primò incensatur, decantatur Antiphona, *O sacrum conuiuium*, &c. cum sua Oratione; & dicto *Pater noster* cum *Aue Maria*, pro Indulgentia consequenda, continuatur processio Hymnos in ea decantando: & hoc obseruatur in singulorum locorum veneratione respectiuè.

Ratio ordinis processionis.

Et magno quidem cum consilio tale exordium sanxerunt in ea processione Patres nostri; tum quia altare hoc principalius est; tum quia omnis nostra actio à Deo & Filio eius mediatore, qui in augustissimo Sacramento asseruatur, & in altari illò continetur, ordiri debet; ille enim est *α & ω, principium & finis* omnium nostrarum operationum: in eo sunt omnia, & per ipsum omnia facta sunt, ideò ipsi omnis honor & gloria. Tum vt magis mentibus nostris obiicerent, quantum fuerit Redemptoris nostri passio meritoria: tum denique, vt quæ gessit Christus, antequam amaram illam faceret processionem à Sion monte vsque ad Caluarium, eadem primò velut in figura & typo oculis mentis nostræ repræsentarent.

Apoc. 1, 8.

Duo præstita à Christo ante passionem.

Ad horum verò intellectum obseruandum est, Christum Dominum, antequam mortem crucis pateretur, duo præstitisse. Alterum est, disertis apertisque verbis passionem suam sanctissimæ Matri suæ manifestasse. Alterum, instituisse sanctissimum sui Corporis & Sanguinis Sacramentum, eodemque sanctos pauisse Apostolos, & Sacerdotes instituisse. Hoc posterius pluribus in locis docet sacra Scriptura, non item prius; sed non ob id negandum, sed piè firmiterque credendum, quoniam rationi & diuinæ consuetudini consentaneum, sacrisque Doctoribus probatum.

Christus manifestat Matri suæ passionem.

Rationi quidem consentaneum est: vult enim ratio, vt negotia maximè ardua cum amicis tractentur. *Causam tuam tracta cum amico tuo*, inquit in Prouerbiis Salomon. Et fuit apud ipsum Deum in more positum, vt sua negotia cum suis conferret amicis, adeò vt se aliter facere non posse, aliquando testatus sit. Hinc volens infames quasdam sulphure & igne delere ciuitates, non potuit illam destructionem amico suo Abrahæ non reuelare. *Num*, inquit de his agens, *celare potero seruum meum Abraham, quæ gesturus sum?* Genes. 18, 17. quod & præstitit cum Moyse, cum quo loquebatur facie ad faciem, vt amicus ad amicum, & cum Dauide, vt alios præteream, ipso dicente: *Incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi*, Psalmo 50, 8. Nec carne indutus, postquam in terris visus est, & cum hominibus conuersatus, se ab hac consuetudine Dominus Iesus liberauit; sed frequenter ea vsus, omnia quæ audiuit à Patre suo, nota fecit discipulis suis dilectis, vt iisdem ipsemet dixit; & de sua passione singulariter pluries cum eisdem sermonem habuit, vt in Euangelio cernere licet. Quare ergo non credemus, hac eadem consuetudine vsum fuisse cum dilectissima Matre sua, super omnes creaturas magis dilecta? & certè mortem suam de proximo consummandam, cum aliis quæ contemplatiui meditantur, contulisse cum Matre, tradunt cum D. Bonauentura qui vitæ ac mortis Christi mysteria litteris consignarunt.

Prou. 25, 9.

Passio Christi multùm meritoria.

Hæc duo verò Christus præstitit (vt quod innuimus explicemus) duplici ratione. Primò, vt omnibus palàm faceret, quanti meriti illius passio apud Patrem futura esset. Secundò, vt velut in figura & breui compendio eorumdem mentibus suam obiiceret passionem & resurrectionem.

Duo ad meritum necessaria, operis arduitas, & affectus operantis.

Et ad primum explicandum accedentes, inter alia ad meritum concurrentia, docent sacri Doctores duo maximè necessaria esse. Alterum, quòd opus sit arduum, laboriosum & pœnale; virtus enim versatur circa difficile. Alterum, quòd ex libera voluntate & amore patiendi procedat. Ista duo in afflictione Iob, figura Christi, contemplari possemus, ac ideò multum Deo accepta; sed ne longius nostra protrahatur oratio, sat sit, innuisse. Et hæc eadem cõsideremus cum D. Paulo in Christi passione: *Humiliauit semetipsum* Dominus Iesus Christus, inquit sanctus Apostolus Philip. 2, 8. *factus obediens vsque ad mortem, mortem autem Crucis. Humiliauit semetipsum*, ecce primum, amor & prompta voluntas patiendi; quod ampliùs aliis explicatur verbis, *factus obediens vsque ad mortem crucis*, ecce secundum, operis arduitas. Et quantum ideò fuerit Patri accepta ex præmio illi à Patre suo exhibito, sequentibus hisce verbis manifestauit: *Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen*, &c.

Dolorem & promptitudinem patiendi ante passionem Christus ostendit.

Sed hæc ampliùs nos singulariter obseruamus in eo, quòd Christus in fine vitæ suæ Eucharistiæ Sacramentum instituit, & mortem suam Matri suæ manifestauit; quæ ex eo dolorem maximum sensit: etenim mortis manifestatio facta Matri, fuit gladius doloris pertransiens animam Virginis;

ginis; & dolor illius ex huiusmodi reuelatione perceptus fuit acuta lancea: qui dolor intima cordis Christi Domini præcordia penetrauit magis quàm claui & lancea, quibus crudelium ministrorum manibus transuerberatum fuit factum illud & immaculatum Saluatoris corpus. Liberam verò patiendi voluntatem ostendit ex eo, quòd præuisam mortem non fugit, cùm posset, sicut alàs de persequentium manibus exiuit; & quia, vt de re plurimùm desiderata, vt aliàs pluries cum discipulis, ita tunc cum Matre sermonem instituit.

Sed singulariter ex altero Capite idem ostendamus, id est, ex eo, quòd qua nocte tradebatur, sacrum Eucharistiæ Sacramentum instituit; tunc enim ardentem liberamque patiendi voluntatem monstrauit, quod sic à Gregorio Nysseno manifestatur. Quærit sanctus hic Doctor Orat. 3. de Resurrectione Domini ante medium, cur Christus Dominus non instituerit sacrosanctum Eucharistiæ incruentum Sacrificium post cruentum crucis, cùm sacrificium Crucis sit eius sacrificij exemplar quod in Missa celebratur, exemplarque suapte natura præcedere debeat suum exemplatum; Respondet, id propterea factum fuisse, vt charitas diuina ostenderet, nullam violentiam passam esse, sed sponte; vt sic eius excellentia magis ostenderetur. sic enim ait Nyssenus: *Qui omnia pro Dominica potestate atque auctoritate administrat, non expectauit ex proditione necessitatem, non Iudæorum quasi prædonum impetum, non iniquum Pilati iudicium, vt illorum scelus ac malitia, communis hominum salutis principium & causa esset; sed pro ineffabili arcanoq;, & qui ab hominibus cerni nequit, sacrificij modo, sua dispositione & administratione præoccupat impetum violentum, & sese oblationem & victimam offert Sacerdos simul & agnus. Quando hoc accidit? cùm suum Corpus ad comedendum & Sanguinem suum familiaribus ad bibendum præbuit. Cuilibet enim hoc perspicuum est, quod nec homo vesci non potest, nisi comestionem mactatio præcesserit. Voluit igitur se priùs immolare in Sacramento quàm in cruce, ne violenta & non spontanea videretur mors crucis.* Quælibet enim suspicio violentiæ maximè suspecta & perniciosa est in operibus charitatis; retundit namque illius feruorem, & diminuit meritum. Notauerat hoc Isaias cap. 53,6. vbi, post enarratam vniuersam passionem Christi, siue, postquam recensuit labores omnes & cruciatus, qui Christum Dominum in passione expectabant, addidit, *Et posuit in eo Dominus iniquitates omnium nostrum:* & adhibuit Propheta per admirationem quamdam, vt aduertit D. Hieronymus, *Oblatus est, quia ipse voluit.* Quare Sacramentum illud meritò, antequam pateretur, instituit Christus Dominus; vt voluntariè se pati, ac proinde suam passionem maximi meriti esse indicaret. Et veteres nostri Patres, vt hoc ipsum nobis præmonstrarent, antequam in processione alicuius mysterij passionis memoriam recolerẽt, sanctissimi huius Sacramenti commemorationem fieri instituerunt.

Sed & alia via, recta tamen, incedendo, altera eiusdem ordinationis occurrit ratio. Ante alia mysteria passionis Christi, memoria celebratur venerabilis & tremendi Eucharistiæ Sacramenti; sicut meritò illius institutio Christi mortem & varia suæ passionis mysteria suamque sanctam resurrectionem præcessit: exemplar siquidem & figura rem exemplatam & figuratam præcedere debet, sed Eucharistiæ Sacramentum (etsi, secundùm alteram considerationem præcedenti ratione assignatam, sit exemplatum mortis Christi) est Christi passionis, mortis, Resurrectionis, & gloriæ exemplar & figura, quorum fit mentio in ista processione; etenim de eo canit Ecclesia: *O sacrum conuiuium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis eius,* &c. Igitur vt illius institutio passionem in re præcessit; ita illius memoria in processione ista, vbi horum fit mentio, præcedere debuit. Quam quidem rationem explicare libet ex sequenti D. Epiphanij obseruatione hæresi 5. Agni Paschalis immolatio fuit figura sacrificij Crucis; fuit verò Agnus immolatus luna 14. sed 15. Christus passus est. *Oportebat*, inquit Epiphanius, *Christum in 14. die immolari secundùm legem.* In cuius sententia ponderanda sunt posteriora verba, *secundùm legem.* Non dicit absolutè 14. die fuisse immolatum; nam constat ex Euangeliis & communi Latinorum Catholicorum consensu, 15. crucifixum fuisse, sed dixit, 14. *die, secundùm legem*, vt innueret figuram præcedere debuisse figuratum, scilicet agni immolationem Christi crucifixionẽ. Et verum est nõ solùm de typico illo agno, sed etiã de oblatione incruenti sacrificij altaris, quod cruentum crucis præcessit.

Eucharistia exẽplar passionis & Resurrectionis Christi.

Agnus quare luna 14. dicatur immolatus secundùm legem.

Peritus pictor non priùs figuram viuis coloribus exornat, quàm obscuris delineet in tabula vel papyro; sed hoc posterius primò, deinde exequitur quod in ea figurabatur, & quale futurum esset monstrabatur: ita Christus Dominus diuinus pictor, priùs voluit agnum comedere, huius Sacramenti figuram, & posteà hoc Sacramentum instituere; in quo, tamquam in tabella, omnium suorum mirabilium memoriam repræsentaret, & obscuris coloribus adum-

similitudo.

gitized by Google

braretur mors & resurrectio Christi Domini, viuis posteà coloribus sanguinis sui delineanda : atque hoc facto intelligeremus, quanta futura esset suæ passionis ignominia, suæ resurrectionis gloria, & suorum fidelium, quam sua passione comparauit. Et hoc ipsum imitamur nos in processione, dum illam exordimur ab augustissimo Sacramento, & posteà ipsam continuamus passionis mysteria recensendo, & terminamus in eius Resurrectione & gloria. Est enim hoc Sacramentum rememoratiuum & repræsentatiuum passionis & resurrectionis Domini, vt veteris legis sacrificia repræsentabant sacrificium crucis vt futurum: & ita dixit Christus de illo Sacramento, loquens cum discipulis suis : *Hoc facite in meam commemorationem*, Luc. 22, 19.

Incipimus verò à sacello beatæ Mariæ Virginis, tum quia in eo asseruatur Dominicum corpus Filij sui, tum vt per eam à Domino auxilium in omnibus operibus & spiritum compunctionis in ea processione impetremus; (vt enim piè & verè dixit sanctus Bernardus: *Nihil nos Deus habere voluit, quod per manus Mariæ non transierit*) & vt, quæ est via vitæ & veritatis, nos semper oculis suæ pietatis comitetur, sicut spiritus & corporis gressibus patientem Filium secutæ fuit: ac denique vt Christum imitemur, qui passionem & dolorosam processionem à Virgine Matre inchoauit, quando eidem mortem suam reuelauit. Incruenti sacrificij memoriam facimus, vt exinde cruentum meliùs contemplemur, & illius fructus consequamur: quod concedat nobis Iesus Christus Mariæ Virginis Filius suæ Matris precibus; cui sit honor & gloria nunc & in perpetuum.

Maria Virginis intercessione omnia nobis conciliantur bona.

CAPVT XI.

De Columna, ad quam iussu Pilati Præsidis fuit flagellatus Christus Dominus, quæ secundo loco honoratur in prima Peregrinatione.

POst debitam sanctissimi Sacramenti venerationem, vertit se processio ad altare flagellationis Christi Domini, in sinistra parte maioris altaris sanctæ Mariæ de Apparitione erectum. Hoc altare tali nomenclatura insignitur, non quia credatur eo loco fuisse Christum Dominum ad columnam flagellis cæsum, constat enim ex dictis Lib. IV. Cap. V. & VI. VI. Peregrinationis, quòd Saluator noster in alio loco flagellatus fuerit: sed quoniam supra hoc altare, in fenestra ferreis cancellis clausa, creditur ab omnibus communiter in partibus istis asseruari pars illius columnæ, ad quam iussu Pilati Præsidis fuit Christus Dominus flagellatus, ad cuius honorem fuit illud altare consecratum, cùm aliunde illuc fuit delata. Conditio huius columnæ ex dicendis inferiùs apparebit.

Altaris flagellationis nominis ratio.

In ista eadem fenestella, à latere dextro Columnæ flagellationis, est modica pars alterius columnæ, quam quidam arbitrantur esse partem illius quæ Columna improperiorum nuncupatur, de qua inferiùs erit sermo; sed falluntur omnino, nam in colore, crassitie & specie marmoris ab ea plurimùm differt. Quidnam verò sit, diuinare non possum; illud tantùm mihi pro certo persuadeo, esse aliquod sacrum, &, vt honorificè asseruetur & honoretur, inter alia sacra à piis fidelibus repositum. Fuit ab aliquibus creditum, esse partem illius columnæ, quæ posita fuit in loco, vbi virtute sanctæ Crucis fuit mortuus ad vitam excitatus, de qua infrà Cap. XXI. ex Beda mentionem faciemus. In sinistro latere eiusdem Columnæ flagellationis est quædam pars Sepulchri Christi Domini figuræ quadratæ, cuius latera sunt 8. vnc. ex quo diiudicatur crassities exterioris partis arcæ Sepulchri, ex qua pars illa accepta fuit. In horum sacrorum venerationem intra fenestellam lampas accensa continuò asseruatur.

Asseruata in sacello flagellationis.

In fastigio, siue anteriori superioriq́ue parte dictæ fenestræ, in tabula marmorea coloris cinerei, qua paries operitur, est inscriptio maioribus sculpta litteris, quæ etsi imperfecta, quia ad historiæ intelligentiam conducit, illam hîc subiicimus:

✠ D. IESV SEPVL. A. FVNDAM. INSTA̅
FVIT. AN̊. S. INCAR. M.D.L.V. PER. F̂.
BONIFACIV̂ DE RAGVSIO. G.S.M. SION
SVPTIB9.
ET̂. EREXIT AL̂. ISTVD Ī. HON̂. X.
AD HAC. qA̅. HIC VERA̅. CERNIM9
COLLIG. ET. FLAGELATI. IN PRETORIO. PILATI.

D. O. M. L.

Pro clariori intelligentia eorum quæ diximus ex communi receptaq́ue in partibus istis traditione de ista columna, tria iisdem placuit adiicere. Alterum, quid de ea dictum sit à nonnullis Doctoribus. Alterum, argumenta, vel auctoritates, quæ videntur refragari allatæ traditioni. Tertium deniq; ad obiecta responsio. Prius præsenti, alia duo posteriora Capite sequenti explicabimus.

Quam-

Quantum ad primum, de hac columna arbitror cum Bosio & aliis locutum fuisse D. Hieronymum in Epitaphio Paulæ matris ad Eustochium illis verbis: *Ostendebatur illi* (scilicet Paulæ, postquam ascendit Sion) *columna Ecclesiæ porticum sustinens* (loquitur de porticu Ecclesiæ in monte Sion ædificatæ) *infecta cruore Domini, ad quam vinctus ducitur & flagellatur*. His similia scribit Beda de Locis sanctis cap. 1. *In superiore montis Sion planitie*, inquit, *Monachorum cellulæ frequentes Ecclesiam magnam circumdant, illic, vt perhibent, ab Apostolis fundatam; eo quòd ibi Spiritum sanctum acceperint, ibiq; sancta Maria obierit: in qua etiam loculus cœnæ Domini ostenditur. Sed & columna marmorea in medio stat Ecclesiæ; cui adhærens Dominus flagellatus est*, &c. Ad eamdem respiciens Prudentius dixit:

Perstat adhuc, templumq; gerit venerandà columna.

De eadem Paulinus Epist. 34. Nicephorus lib. 8. cap. 30. Brocardus in Descriptione Terræ sanctæ itin. 6. & alij. Nazianzenus Orat. 1. ad Iulianum adstipulatur Hieronymo in eo quod dixit, fuisse cruore Domini infectam, dicens, *Columnas cruoris plenas*. Et Auctor, qui circa tempora Constantini Magni scripsit Itinerarium Burdegalense, seu potiùs Ierosolymitanum, apud Gretserum ait: *Ascenditur Sion*, &c. *& columna adhuc ibi est, in qua Christum flagellis cecidérunt*.

Jacobus Bosius de Triumph. crucis lib. 1. cap. 13. D. Hieron. Epist. 27. Tom. 1.

Gretser. de S. Cruce Tom. 1. lib. 1. c. 1 Q. Itin. Ierosol. edit. Par.

Columna flagellationis diuisa, & ad diuersas partes transmissa.

Hæc Columna flagellationis fuit postea ab infidelibus confracta; sed illius partes à fidelibus reuerenter collectæ, & ab eisdem particulæ, pietatis ergò, sponte acceptæ, fuerunt in partes diuersas missæ. Pars vna missa fuit Romam ad Paulum IV. altera ad Imperatorem Ferdinandum: insuper alia ad Philippum Hispaniarum Regem huius nominis II. alia ad Rempublicam Venetiarum; quæ ad eius honorem singulis quoque annis die 16. Aprilis festum celebrat, facit solemnem processionem, illamque publicè conspiciendam proponit in maiori altari celeberrimi templi S. Marci, in cuius sacrario asseruatur; persimilis illi quæ Ierosolymis asseruatur, excepto quòd aureis ornamentis nobilitata est. Quam ego vidi, tetigi, deosculatus fui commemorato die, & aliàs. Habet integram suam rotunditatem; longitudo est ferè dimidiæ vlnæ. Stringa in sua Venetia lib. 1. cap. 132. Et denique aliæ particulæ ad Rempublicam Ragusinam & ad alios Christianos Principes destinatæ fuerunt, vt, qui scripserunt de locis sanctis, testati sunt.

Solemnis processio fit Venetiis pro Columna flagellationis.

Adrichomius in Descriptione Ierusalem

CAPVT XII.

Argumenta quæ dictis Capite præcedenti refragari videntur.

QVantum ad alia duo præcedenti Capite posteriori loco proposita, in primis allata traditio Columnæ flagellationis ex duplici Capite impugnari potest: Primò, ostendendo, non fuisse ad columnam flagellatum Christum; secundò, si verè fuit flagellatus ad columnam, non tamen ad hanc. Ex primo capite sic argumentor: Christus humi flagellatus fuit; igitur non ad columnam. Consequentia est manifesta, & antecedens probatur. In Deut. 25, 2. ait Dominus: *Sin autem eum qui peccauit, dignum viderint plagis* (Iudices:) *prosternent, & coram se facient verberari*, &c. Respondebis, eam legem fuisse datam Iudæis; at Christus non secundùm leges Iudæorum, sed Romanorum, & per manus Gentilium fuit flagellatus; qui ad palum vel columnam flagellabant. Sed huic responsioni obstat Augustinus, qui Sermone de Passione Domini scribit, *Iesum prostratum in terram fuisse flagellatum*. & Caluinus libro de Reliquiis à Prædicantibus aucto ait, *Papistas ex suo cerebro finxisse columnam, ad quam Dominus vinctus fuerit & flagellatus; in Euangelio enim nullum verbum hac de re extare*. Ita refert P. Gretserus de S. Cruce Tom. 1. lib. 1. cap. 10.

Primum argumentum.

B. August. Serm. de Pass. Dom. citatus à D. Thoma in Catena aurea Matth. 27.

Ex secundo verò capite, quòd si fuit flagellatus ad columnam, non tamen ad hanc, probatur in hunc modum. Columna, ad quam dicitur fuisse flagellatus Christus, Romæ in Ecclesia S. Praxedis magna ve-

Secundum.

Digitized by Google

neratione asseruatur, & eo intuitu à fidelibus veneratione habetur, multùm à nostra Ierosolymitana dissimilis; cui testimonium perhibent Landulphus de Vita Christi, Marianus in Scholiis Epitaphij D. Hieronymi superiùs citati. Fauet inscriptio quæ in capella eiusdem columnæ posita est; cuius sequentia verba sunt: *Columna, quæ in hac sancta capella reconditur, huic depictæ omnino similis, non ea est quæ templi porticum sustinebat, ad quam Dominus Iesus Christus in suæ passionis nocte alligatus, illusus & verberatus fuit, sed ea est, quæ in Pilati Prætorio pro fustigationis supplicio aderat, ad quam Dominus noster Iesus Christus iubente Pilato flagellatus erit. Integra enim est, nec maior erat, ne posterior flagellandi hominis pars ab altiore columna tegeretur; quam Ioannes Cardinalis Columna Legatus Apostolicus in partibus Orientalibus sub Honorio III. circa annum Domini* 1223. *huc asportauit.* Columnam istam asportatam fuisse ab isto Cardinali in eam Ecclesiam eius Titularem, tradit Raphaël Volaterranus in Antropologia lib. 22. Alphonsus Ciaccon de Vita & gestis Summorum Pontificum, & Onuphrius Panuinius Tractatu de septem Ecclesiis vrbis Romæ; vbi ait: *In eodem proximo oratorio S. Zenonis extat columna, ad quam Dominus noster Iesus Christus tempore suæ passionis alligatus fuisse dicitur, & verberatus, quam ante annos trecentos & quinquaginta Ioannes Columna, Presbyter Cardinalis huius Tituli, sub Honorio tertio Orientis Legatus, ex Ierosolymis Romam attulit, & in eo oratorio locauit; super quam collocata sunt corpora SS. Valentini & Zenonis.* Idem alij; & Romæ communiter asseritur.

His tamen non obstantibus, dicimus, Christum Dominum verè fuisse ad columnam iussu Pilati Præsidis ligatum & flagellatum, & ad eam quæ Ierosolymis asseruatur. Antequam amplius explicem hanc propositionem, vnum aduerto, Euangelistas Columnæ flagellationis expressam non fecisse mentionem; non quòd ad columnam haud fuerit Christus flagellatus, sed quia suppossuerunt, & implicite insinuarunt, dum dixerunt, illum fuisse flagellatum non in via, ad Caluarium deferens crucem, vel in ipso Caluario, vbi fuit crucifixus, sed antequam imponeretur illi crux deferenda, imò ante promulgationem sententiæ mortis. Etenim morte damnati tripliciter flagellis cædi poterant: Primò, antequam ad supplicium deducerentur; & hoc fiebat in publicis carceribus & locis ad hoc deputatis, vbi erat columna continuò fixa atque immobilis, ad quam damnati deuinciebantur & fustigabantur. Secundò, poterant in ipsa deductione flagellari; ac tertiò denique, in eodem loco vbi vltimo afficiendi erant supplicio: & tunc verberabant ad palum humi infixum, vt ex historiarum monumentis Titi Liuij & Sallustij, ex Cæsaris Commentariis & Ciceronis scriptis locis quamplurimis elicitur, præsertim verò vbi inquit: *Nomine sceleris coniurationisq; damnati, ad supplicium traditi, ad palum alligati.* Hoc notauit, & aliis explicuit Bosius lib. 1. cap. 13. de Triumphanti cruce, & Gretserus citatus.

Cicero 7. in Verrem.

Hoc præmisso, veritas prioris partis præmissæ propositionis manifesta relinquitur, Reparatorem nostrum fuisse iussu Pilati ad columnam ligatum & flagellatum; quia cæsus non fuit nec in via ad Caluarium, nec in ipso Caluario, sed in publico iustitiæ flagellationis loco, quemadmodum anteà diximus, vel, secundùm alios, in palatio Prætorio.

Ampliùs idem explicatur auctoritate citata D. Hieronymi, vt etiam deducit citatus Marianus dum dicit: *Dilucidè hinc appareat, veram esse Ecclesiæ traditionem, quòd Dominus noster Iesus Christus ad columnam alligatus flagellatusq; fuerit: huius columnæ pars Romæ Exquiliis in templo S. Praxedis monstratur.* Ecce quomodo id esse Ecclesiæ traditionem dicit; & hoc omnes picturæ veteres & recentiores demonstrant. Id ipsum confirmat responsio statim ad primum argumentum adducenda.

Ergo ad argumentum initio positum dico, Christum à Romano Iudice fuisse flagellatum per Gentiles, qui ministri eius erant, quos Brutianos fuisse, non improbabiliter graues asserunt Doctores; more etiam Romanorum & Gentilium, ac consequenter ad columnam, dicendum est fuisse flagellatum. *Pilatus hoc pacto*, inquit Victor Antiochen. in cap. 15. Marci, *Iudæorum voluntati & Romanorum consuetudini sese accommodare voluit.* Ita omnes, quos viderim Doctores qui de flagellatione Domini tractarunt, hoc affirmant.

Responsio ad primum argumentum.

Quare Euangelistæ Columnæ flagellationis non meminerint.

Santti vbi flagellabantur.

Ad obiectionem ex Augustino respondetur, fuisse humi prostratum flagellatum, postquam ad columnam flagellatus fuit; & modum hisce verbis explicat eruditissimus Salmeron Tract. 29. de Flagellat. Domini: *Vbi Dominus flagellatus fuit, & quidam resecuissent funes, quibus erat ligatus, recidit super sanguinem suum, quo erat ipse impletus: ad hoc enim proderat funibus fuisse alligatum, ne ex virium defectu caderet. Postquam igitur Dominus à columna solutus fuit, iterùm in terra verberatus, ne maneret illa sum pectus, quod columna tectum fuerat; vt*

Christus quomodo flagellatus.

Digitized by Google

à planta pedis vsque ad verticem capitis non esset in eo sanitas, &c. Ex his apparet, temerè Caluinum carpere Papistas, quasi quid nouum adinuenerint, quia non expressè ab Euangelistis memoratum; isti enim vt rem manifestam suppoſuerunt.

Ad secundum. Posterior assertionis pars, quòd fuerit Christus flagellatus ad columnam Ierosolymis asseruatam, remanet ex dictis probata: nec video efficacem rationem, vel auctoritatem, quæ ei refragetur, sed ratio & auctoritas quod diximus magis confirmat, *Ad tertium.* vt posteà ampliùs adhuc videbimus. Cùm dicitur esse Columna flagellationis Christi Romæ in Ecclesia S. Praxedis, vt Romæ dicitur, & à pluribus auctoribus scriptis consignatum est; ego dico, esse Ierosolymis in Ecclesia sancti Sepulchri, quia ita docet Orientalium traditio, tractatores locorum Terræ sanctæ; & antiquiores Doctores idipsum testati fuere: vnde summi Romani Pontifices ad eam eo intuitu peccatorum plenariam Indulgentiam piè venerantibus concesserunt. Nec Romanæ columnæ traditio obstat, quin assensum præbeam traditioni columnæ Ierosolymitanæ: sed, propter dicta & dicenda, firmiorem teneor præbere assensum Ierosolymitanæ traditioni; nec citati auctores intendunt oppositum dicere. De Mariano iam vidimus: dixit enim partem Romæ asseruari; nos verò non dicimus totam esse Ierosolymis. Idem alij.

Triplex modus concilandi difficultatem de Ierosolymitana & Romana columna. Sed quid dicendum ad contrarias traditiones de columna Ierosolymitana & Romana, quæ non absque solido fundamento processerunt, cùm pro vtraque tot graues patroni & fautores sint? Respondeco, me triplicem modum inuenisse illas inter se conciliandi.

Primus modus. Primus modus asserit, columnam Romanam esse partem Ierosolymitanæ, & ex vtraque constitisse illam ad quam Christus Dominus iussu Pilati fuit ligatus & flagellatus. Ita Ludolphus Carthusianus in suo pio opere de Vita Christi Parte 2. cap. 62. dum, differens de columna Ierosolymitana, sic tradit: *Cuius Columna aliqua pars ostenditur Romæ in Ecclesia sanctæ Praxedis; maior autem pars fertur esse in Ecclesia montis Sion, in loco vbi prænuntiatur Euangelium.* Idem habet Annalium Spiræ auctor, Bosio referente de Triumphanti Cruce lib. 1. cap. 13. dicens: *Pars aliqua de Columna flagellationis Christi in Cathedrali B. Mariæ Deiparæ Virginis templo in summa ara, cum multorum Christi comitum Sanctorum Reliquiis reposita colitur. Ostenditur & alia huius columnæ pars Romæ in Ecclesia sanctæ Praxedis; maior verò pars Ierosolymis fertur esse in Ecclesia montis Sion.* Hunc explicandi modum secutus fuit Gretserus: sic enim ait: Huius columnæ pars extat nunc Romæ in sacello quod *Hortus Paradisi* dicitur. Dixi *pars*: nam qui tota? cùm pars eius peregrinis ostendatur Ierosolymis, vt testantur cum Brocardo recentiorum Hodœporica Ierosolymitana, idque vnanimi consensu. Et quis credat, columnam non fuisse maiorem ea quæ Romæ visitur & colitur, cùm Ecclesiæ porticum sustinuerit gestaritque, teste S. Hieronymo aliisque antiquis scriptoribus; illa autem, quæ Romæ religiosè asseruatur, tantùm constet altitudine trium palmorum & dodrantis, vt scribit Daniel Mallonius in explicatione Sindonis cap. 5.

Primus modus concilianda refellitur. Verùm isti, & omnes alij hos secuti, absque dubio hallucinati sunt. Etenim quæ Ierosolymis & quæ Romæ columna, nullo modo possunt esse vnius columnæ marmoreæ partes, quia omnino inter se differunt materia, forma, colore: quæ Ierosoly- *Forma columnæ Ierosolymitanæ.* mis, rotunda, tota æqualis, non maior in inferiori quàm in superiori parte, mixti coloris, rubei potiùs quàm alterius speciem præfert, similis subnigro, quibusdamque respersa maculis; crassities est quatuor palmorum, longitudo verò duorum cum dimidio. Columna verò, quæ Romæ in Ecclesia S. Praxedis asseruatur, ita describitur à Mallonio citato: *Est ex marmore, colore ceruleo, albis intermicantibus maculis, griseum colorem appellant alij; cuius diameter inferiùs ferè pedem, superiùs verò dodrante minor, altitudo tres circiter palmos & dodrantem ad instar basis, inserto in suprema parte ferreo annulo, cui restis insereretur, qua alligatus Christus flagellis cædebatur.* Eadem Bosius; qui etiam addit, & verè, Romanam esse planè integram: vnde ex hoc optimè concludit, non esse Ierosolymitanæ partem; & nos addimus, non tantùm propter hoc, sed etiam propter alia præmissa, in quibus nullo modo conueniunt, si inter se comparentur, nisi in genere marmoris. Columnæ Romanæ figuram cum Saluatore ad illam alligato delineatam exhibent Mallonius & Bosius.

Forma columnæ Romanæ.

Arbitror, auctores illos, qui columnam S. Praxedis non viderunt, quando dixerunt, hanc esse partem illius quæ est Ierosolymis, pro Ecclesia S. Praxedis voluisse dicere Ecclesiam S. Petri, quemadmodum dixit Adrichomius; quia ibi huius pars verè esse perhibetur.

Ex dictis etiam refellitur sententia asserentium, columnam S. Praxedis esse partem Columnæ quæ improperiorum appellatur; quia in specie marmoris, colore &

forma multùm differunt: & præterea, si ambæ copulatæ fuissent, altior nimis columna euasisset, inidoneaque, vt super eam sedere posset Christus, quando consputus, spinis coronatus, blasphemiis & aliis improperiis affectus fuit, vt sediſſe docet vetus recepta traditio, de qua inferiùs: genua enim flectebant milites illudentes Saluatori, vt tradunt Euangelistæ.

Secundus modus conciliandi refellitur.

Bosius mouit quidem difficultatem, & appositè adductam ante illius solutionem confutauit; sed quæ subdit ipse, nescio an planè satisfaciant. Tantùm enim ex duplici columna memorata colligit duplicem Christi flagellationem iussu Pilati executam; alteram, vt dimitteretur, alteram, vt postea crucifigeretur. Hanc duplicem flagellationem Lib.IV.Cap.VII.VI.Peregrinat. retecimus: sed si admitteretur, adhuc quæri posset, ad quam iussu Pilati fuerit flagellatus Christus, vt postea dimitteretur; de ista enim flagellatione manifestè loquuntur Euangelistæ, non item de alia. Præterea diceret aliquis: Et si bis Christus fuerit flagellatus, tantùm ad vnicam columnam, quæ seruiebat tam pro capitali sententia damnatis, quàm pro dimittendis post flagellationem. Et hic secundus dicendi modus magis ex dicendis refelletur.

Tertius modus conciliandi probabilior.

Tertius dicendi modus, & mihi quidem probabilior, est à Mallonio indicatus, Christum Dominum fuisse quidem bis flagellatum, sed alio modo ab assignato à Bosio: Primò, inicio Pilato iudice, in Caiphæ domo, ea nocte qua captus fuit, atque à Caipha & Concilij Senioribus fuit proclamatum, vt cautè custodiretur, columnæ creditur, vinctis post terga manibus alligatus, multiplicesque illusiones tota ea nocte sustinuisse. Deinde verò, cùm Pilati iussu flagris acerrimè vapulauit. Secundùm hanc sententiam, de duplici Christi flagellatione & illusione, quam in diuersis locis passus fuit, dici posset, semel ad vnam in domo Caiphæ, & semel ad alteram in ædibus iustitiæ Pilati fuisse Christum ligatum & flagellatum.

Difficultatis solutio.

Sed remanet adhuc difficultas, ad quam ex duabus columnis fuit Christus iussu Præsidis ligatus & flagellatus. Ex his, quæ de Christi flagellatione tradunt Doctores, arbitror, columnam Ierosolymitanam illam esse, ad quam fuit Christus iussu Pilati vinctus atque cæsus, quia illi benè aptari possunt, non item Romanæ, vt sequentia considerans manifestè fatebitur. De nostra columna, Ierosolymis in sacello sanctæ Mariæ Virginis de Apparitione religiosè asseruata, in hunc modum scribit Mallonius: *Huic autem columnæ in Pilati domo, dum flagellis caderetur, censeo non solùm manibus, sed etiam medio corpore, fortè etiam collo alligatum.* Medio verò corpore fuisse adstrictum, ex iis, quæ Eusebius Cæsariensis tradit, colligitur: *Ad columnam*, inquit, *districtos homines* (alia versio legit, *quosdam verò columnis ita fortiter adstringebant*) *vt pedibus non subsisterent.* Huc facit illud Plauti,

> *——Abducite hunc*
> *Intrò, atque adstringite ad columnam fortiter.*

Aulus Gellius dicit lib. 12. cap. 3. non solùm manus ligari solitas, sed etiam crura. Hoc idem colligitur ex iis quæ habentur Actor.cap.22,25. *Et cùm adstrinxissent eum loris*, vt flagellarent: sed simili modo Christum Dominum fuisse flagellatum, ex pluribus colligit citatus Mallonius.

Nicephorus lib.1.cap.30. videtur innuere, Christum collo ligatum fuisse, ita enim habet: *Pilatus flagellum de collo eius suspendit, & sanguinariis carnificibus flagellandum permisit.* Ioannes Aquilanus Sermone de Amara Christi passione dicit, Christum manibus retrò ligatum ad columnam. B. Virgo Maria ad Birgittam lib.4. Reuelat.c.70. & lib.1.c.10. dixit: Christus sponte columnam amplectens, funibus ligatur. Alij, ex eo quòd Actor.cap.21,11. legunt, Agabum de Paulo prophetasse, quòd manibus pedibusque ligandus esset, inferunt, Christum manibus pedibusque columnæ esse reuinctum. Ioannes Eckius Tract.de Passione artic.4.consideratione 4. dicit, Christum manibus, pedibus ac collo columnæ adstrictum fuisse. Theophilus Historicus dicit, Christum primò manibus post terga reuinctum, mox vinculis illis solutis, brachiis adeò ditè fuisse adstrictum, vt in iis excrescens tumor, sanguinem ex rupta sub vnguibus cute exprimeret. Philippus Diez Ser. 2. de Passione Domini dicit, collum, manus & pedes marmoreæ columnæ fuisse alligatos: cuius dicti optimam adducit rationem, vt nullatenus, inquit, verbera posset euitare. Igitur si Christus fuit collo, manibus, pedibus & corpore ad columnam ligatus, secundùm præcitatos auctores, qui loquuntur de flagellatione facta iussu Pilati, de qua & sacri Euangelistæ sermonem faciunt, nam altera domus Caiphæ non est vsquequaque certa; consequens est, vt dicamus, non fuisse vinctum & flagellatum ad columnam quæ est Romæ in Ecclesia sanctæ Praxedis, quia nimis breuis, vt simul collo, pedibus & corpore potuerit Christus ligari.

Bosius tamen rationem reddens paruitatis columnæ Romanæ ait: *Ne si altior esset,*

ſet, miniſtris impedimento eſſet, quò minùs commodè damnatos tam à poſteriori quàm ab anteriori parte flagris cædere poſſent: & ita pro defenſione columnæ Romanæ relinquit prædictorum aliorumque Doctorum dicendi modum de Chriſti flagellatione, quoniam illi non inſeruiſſet.

Secundò, quia columna, ad quam iuſſu Pilati Chriſtus fuit flagellatus, ſuſtentabat porticum magnæ Eccleſiæ Sion: ſed hoc præſtare non poterat columna Romana, propter eius paruitatem; quæ ratio mouit Gretſerum ad dicendum, hanc eſſe Ieroſolymitanæ partem. Benè ergo poterat ſuſtentare Ieroſolymitana, quia craſſior, & quando integra, longior erat.

Tertiò denique, ſi vera eſt Boſij opinatio, columna Romæ aſſeruata eſt illa, quæ immobilis & fixa erat Ieroſolymis in palatio Prætorio, quæ columna Prætoria appellabatur, vt idem aſſerit Boſius; ſed non in Prætorio Chriſtum fuiſſe flagellatum Libro IV. Cap. I. & VI. VI. Peregrin. ni ego fallor, fuit non inefficaciter oſtenſum. Quare probabiliter dico, columnam Romanam illam eſſe, ad quam, inſcio Pilato, fuit Reparator noſter in Caiphæ domo vinctus & cæſus; Ieroſolymitanam verò, partem illius ad quam fuit ex ſententia Iudicis Pilati flagellatus; cuique ſacri Euangeliſtæ teſtimonium perhibent.

Nec obſtat, traditionem columnæ Romanæ habere, ipſam illam eſſe ad quam Chriſtus Pilati iuſſu fuit flagellatus; id namque fuit accidentaliter additum ex opinione pendens: ſed cauſa per ſe, quòd è Ieroſolymis fuerit Romam delata, & ibidem in honore habita, eſt, quia contactu & paſſione Saluatoris ſanctificata; ſed an id acciderit in Pilati domo vel Caiphæ, omnino illi accidentarium & ex opinione pendens.

Pater Iacobus Gretſerus vnicam dumtaxat admittit Chriſti flagellationis Columnam; cuius partes meritò cùm Ieroſolymis tum Romæ vt ſacræ Reliquiæ in veneratione habentur, vt iam vidimus; & indicatum à Mallonio conciliandi propoſitam difficultatem modum, tamquam nouum ſequentibus verbis refellit. Nam quòd Mallonius duplicem columnam ſtatuit, *alteram, ad quam ligatus & diuexatus fuerit in domo Caiphæ, alteram, ad quam in domo Pilati flagellis cæſus*, innuitque, veteres, Hieronymum, Prudentium, Bedam & alios, de priore, non de poſteriore intelligendos, mihi non probatur; quia veteres expreſsè loquuntur de columna, ad quam in domo Pilati adſtrictus flagellorum ſupplicium Saluator noſter exſoluit, vt de recentioribus nihil dicam, quibus idem ſenſus. Neſcio vtrùm ex antiquorum Patrum vel Hiſtoricorum numero aliquis proferri poſſit, qui columnas geminauerit.

Nec obſtat, quòd nimis tenuis videatur hæc columna ſuſtinendo templo: nam forſan, vt non tota altitudo, ſic nec tota ſpiſſitudo, ſeu magnitudo, adeſt. Deinde videmus etiam tenues columnas ex ſolido lapide, cuiuſmodi marmor, non infirma eſſe fornicum fulcra, quando à pluribus adiuuantur. Adde, quòd ſanctus Hieronymus dicit, hanc columnam *geſtaſſe Eccleſiæ porticum*, vtique non ſolam, ſed cum aliis: at porticibus ſuſtinendis non ſpiſſiſſimas columnas quotidie adhiberi videmus. Hæc P. Gretſerus.

Ratio duplicis flagellationis Chriſti.

Reſpondeo, iſta nobis non officere: etenim modum illum duplicis flagellationis in duobus diſtinctis locis, in domo Caiphæ & loco iuſtitiæ Pilati, vnde duplex etiam columna deducitur, non tamquam de fide atque omnino indubitatum propoſuimus, ſed tamquam conuenientiorem, ad conciliandam difficultatem exortam de columna Ieroſolymitana & Romana, duplici alio à Gretſero & Boſio adducto; nec ideò pietati vel veritati contrarium, ſed eidem maximè conformem. Omiſſa namque flagellatione iuſſu Pilati facta, quæ manifeſtiſſimè in Euangelio recenſetur, alteram in domo Caiphæ executam Pilato inſcio, ſaltem implicitè, poteſt deduci ex D. Matthæo; qui, loquens de paſſis à Chriſto in Caiphæ domo, inquit, quòd, poſtquam à Pontifice & aſſeſſoribus morte dignus fuit iudicatus, & in manibus crudelium miniſtrorum relictus, *tunc* ipſi *expuerunt in faciem eius, & colaphis eum ceciderunt, alij autem palmas in faciem eius dederunt, dicentes: Prophetiza nobis Chriſte, quis eſt qui te percuſſit?* Eadem Marcus & Lucas. Igitur ſi perfidi illi tot in Caiphæ domo Saluatori conuitia intulerunt, quid prohibet, ſalua pietate ac veritate, dicere, fuiſſe in eadem domo etiam ad columnam ligatum & diuexatum, vt poſſint duæ illæ traditiones de duabus columnis, Romana & Ieroſolymitana, conciliari? multa enim vera ſunt, licet expreſsè in Euangelio vel in antiquis Patribus non legantur. Matth. 26, 67.

Ego nullo modo aſſeuero, D. Hieronymum vel alios antiquos Patres locutos fuiſſe de columna, ad quam in Caiphæ domo fuit Saluator flagellatus, & Romana; ſed de altera, ad quam fuit iuſſu Præſidis ligatus & cæſus, ac Ieroſolymitana. Et ſi hoc verum omnino, columna geminanda eſt, & variæ traditiones explicandæ. Iam vidimus, columnam Romanam, cùm in-

tegra sit, retinere totam altitudinem & spissitudinem: & ipse Gretserus, qui primò dixit, columnam Romanam esse partem Ierosolymitanæ, postea indicauit integram, etsi paruam, fuisse, & cum aliis sustentasse porticum Ecclesiæ. Hoc tamen à Gretsero excogitatum haud mihi multùm probatur, quia vt sustentaret Ecclesiam, vel porticum eius, talis esse debuit, quòd decori & necessitati Ecclesiæ inseruiret, & cum ea proportionem haberet; sed non potuisse inseruire, neque cum ea proportionem habere, tenuitas & paruitas illius satis indicat: quare etsi non admittatur cum Alexandro Monacho, Ecclesiam Sion fuisse omnium Ecclesiarum maximam; magna tamen & eximia erat, vt sanctissimum locum & fundatricem illius piissimam Helenam Imperatricem decebat, cum qua vel porticu eius sola, vel cum aliis similibus, non potuit habere conuenientem proportionem, propter eius paruitatem. Atque ex his liquet, dicta à P. Gretsero non multùm officere nostro modo conciliandi diuersas traditiones de columna sanctæ Mariæ de Apparitione Ierosolymis in templo Dominicæ Resurrectionis, & de altera sanctæ Praxedis Romæ. Et hæc probabiliter discurrendo potiùs, quàm aliquid firmiter asseuerando dicta sint. Atque, quomodocunque in his res se habeat, illud mihi certò persuasum, tam Ierosolymitanam quàm Romanam columnas contactu Saluatoris sanctificatas, ac ideò vt sacras Reliquias à piis Christi fidelibus honorificè custoditas, & in veneratione habitas. Hæc dicta sint pro defensione traditionis columnæ Ierosolymitanæ, quòd verè illa sit, ad quam Christus Dominus humani generis Reparator sponte iussu Pilati ligari ac flagellari voluit, vt nos funibus peccatorum constrictos solueret, atque ab æternæ mortis flagellis liberaret.

Pia fidelium consuetudo, corrigias circumdare & tangere Columnam flagellationis, & alia Sanctuaria.

Pergratum arbitror futurum Lectori, si hîc subiiciam, quod Gregorius Turonensis lib. de Gloria Martyrum cap. 2. de hac Columna sermonem faciens dixit: *Ad hanc Columnam multi fide pleni accedentes, corrigias textiles faciunt, eamq; circumdant: quas rursus pro benedictione recipiunt, diuersis infirmitatibus profuturas.* Hæc Gregorius Turonensis; qui & de miraculis eius alia dicit. Ex cuius verbis colligitur, non esse nouum, facere corrigias textiles secundùm longitudinem loci Natiuitatis Domini, Præsepij, Petræ vnctionis, Sepulchri Christi Domini, necnon sanctissimæ eius Matris, quibus ea loca metiuntur, & appellantur mensuræ loci Natiuitatis, &c. illas cùm istis tum aliis locis sanctis applicantes, quasi ex illo contactu maiorem virtutem & venerationem sint consecuturæ, fidentes Christianos se illarum pio vsu, diuino implorato auxilio, Christi Domini & eius sanctissimæ Matris intercessione, gratias sanitatum & à periculis libertatem consecuturos, sicut piè & verè credentes nouimus consecutos. Hic enim sanctus Gregorius migrauit ex hac vita anno Domini 194. anno quarto Pontificatus sancti Gregorij Papæ, vt videre est in Notis Martyrologij Romani Cardinalis Baronij ad 17. Nouembris; & ante illius tempora laudatissimus ille mos obseruabatur. Et hæc de Columna flagellationis Domini satis.

CAPVT XIII.

De Carcere Christi Domini, tertio loco primæ Peregrinationis.

Columna flagellationis & præsentis figura.

ANtequam filij Israël de Ægypto egrederentur, ex præcepto Domini agnum typicum festinanter comederunt, vt sacra Exodi testatur Historia; indeque statim ad desertum proficiscentes Domino sacrificaturi per turmas, velut ordinatissimus exercitus, illos præcedebat columna nubis & ignis; quæ in die à nimio solis æstu protegebat, & in nocte, fugatis tenebris, viam rectam ostendebat. Et ampliùs, vt alios exercitus præcedunt vexilla, aquilæ, dracones, columbæ, &c. ita columna illa, velut vexillum, certæque protectionis argumentum, præibat. Et nos, qui in processione sanctissimi Sepulchri, velut castrorum acies ordinata, procedimus in desertum passionum Domini, aduersus mortem & diabolum præliaturi cum Iesu in Caluariæ monte, vbi acceptissimum Æterno Patri Filij sui offerendum est sacrificium, postquam ex Domini præcepto, & maiorum traditione, non typicum quidem agnum, sed verum spiritualiter comedimus, sanctæ Eucharistiæ memoriam recolentes in eius altari & sacello B. Mariæ Virginis, inde festinanter discedimus ad Columnam flagellationis, cuius tutela & lumine ac velut tuto vexillo properamus ad Carcerem Christi & ad alia sancta loca: *quia exercitata mens*, vt verbis vtar D. Ambrosij, *non aquilarum præfert imagines, nec dracones, sed in Cruce Christi, & in Iesu nomine progreditur ad prælium*, &c. Et nos nunc dicamus: In columna Christi, ad quam vinctus ipse est, procedimus in processione; & primò ad locum qui Carcer Christi appellatur.

D. Ambros. lib. 2. de Abraham cap. 7.

Ad Christi carcerem quare primò accedatur.

Sed quid sibi vult, quòd in illa processione Christum venerantes primò ad eius Carcerem properamus? Si correptus fuit Christus flagellis, igitur dimittendus, sicut cogita-

itized by Google

Luc. 23. 22. gitauerat Pilatus, qui dixit: *Corripiam illum, & dimittam.* Sed latere hîc myſterium mihi perſuadeo, dum, poſtquam flagellationis Chriſti ad columnam memoriam celebrauimus, carcerem ipſius veneramur: & illud eſſe ſingulariter crediderim, nos eo facto admonitos eſſe, Chriſtum Dominum non fuiſſe illa flagellatione liberatum, ſed maiora adhuc ſibi ſupereſſe ſuſtinenda ludibria, alias perpeſſurum paſſiones, & ipſam denique mortem.

Qui à iuſtitia verberantur, ſi pòſt iterùm in carcerem detrudantur, euidens argumentum eſt, illorum pœnam necdum eſſe deletam, ſed maiora adhuc illis ſupereſſe ſupplicia: igitur cùm nos, poſt memoriam Chriſti flagellationis, accedamus ad Chriſti Carcerem venerando in eo Chriſtum, intelligimus, non eſſe liberatum, ſed maioribus vulneribus & morti ipſi remanere obnoxium.

Deinde ad hunc Carcerem immediatè properamus à Columna flagellationis; quia in ordine ſanctuariorum ſacratiſſimi Sepulchri, ex ſacello ſanctæ Mariæ Virginis egreſſi, primò in proceſſione occurrit; reliqua enim eidem ſacello proximiora in altera parte opportuniori tempore, & in reditu honorantur. Itaque cùm ſanctuaria, eò modo quo diſpoſita ſunt, venerentur fideles, ante alia priùs Carcerẽ in ſacra illa proceſſione venerantur, quia primò poſt nunc recenſita occurrit; & hæc eſt communis ratio continuationis, quare deinceps modò ad hoc modò ad aliud ſanctuarium accedamus in proceſſione.

Carcer Chriſti quid, & quare ſic dictus.

Sed quidnam eſt hic locus, & quare Carcer Chriſti eſt appellatus? Fateor, quæ in partibus iſtis communi traditione aſſeruntur de Chriſti Carcere, me non inueniſſe in Euangelio aliáve parte Scripturæ diuinæ, nec apud probatum aliquem antiquum Scriptorem; non tamen neganda, quia non omnia ſcripta ſunt; & ex aliquibus probabilia redduntur. Nos Primò quæ communiter aſſeruntur, & deinde quæ nos ipſi excogitauimus, adducemus in medium, & carceris conditionem explicabimus.

Primum refrendi modus.

Eſt vetus & antiqua in partibus iſtis Ieroſolymitanis ab omnibus recepta traditio, locum iſtum, Carcerem Chriſti fuiſſe appellatum; quoniam Saluator noſter parum antequam crucifigeretur, in illum, velut malefactor in carcerem, fuit coniectus, & inde eductus ad Caluariæ montem, vt crucifigeretur; non quòd ibi eſſet verus ſontium carcer.

Secundus.

Secundò, alij dicunt, verè ibi ad radices montis Caluariæ fuiſſe carcerem ædificatum, in quo ſeruabantur ad mortem condemnati; quoad omnia, ad mortem illis infligendam neceſſaria, parata eſſent; & in eo Chriſtus morti adiudicatus poſitus fuit, & à tam nobili & innocenti reo, Carcer Chriſti denominatus.

Tertius.

Tertiò, alij probabiliùs arbitrantur, hunc carcerem fuiſſe cauernam ad radices montis Caluariæ, in qua crucifigendi ſiſtebantur, quoad mortis inſtrumenta parata eſſent, ex qua deinde ad montem ducebantur; & à condemnatis carcer dici potuit, & pòſt Carcer Chriſti, quòd ſteterit in eo Chriſtus iam morti adiudicatus.

Quartus.

Si in re dubia coniectura vti licet, duobus præmiſſis, proponam quod mihi probabilius videtur pro huius ſacri loci hiſtorica elucidatione. Alterum, non fuiſſe ibi communem aliquem carcerem; huiuſmodi enim ponere, ſuperuacaneum videtur. Sicut enim hac noſtra tempeſtate mortis ſupplicio afficiendi, à Prætorio, vel carcere, ducuntur immediatè ad ſupplicium, & non in alterum carcerem, paratis iam inſtrumentis pro infligenda morte: ita & tempore Chriſti accidiſſe credibile, & rationi conſonũ eſt. Ad quid enim eductos de carcere, vltimo ſupplicio afficiendos, de nouo detrudere in carcerem? An ne elaberentur de manibus cuſtodientium imbecilles & multis militibus circumdati? & ſanè de Chriſto hoc ſuſpicari non licet, quando mori diſpoſuit: pro cuius cuſtodia vniuerſa militum cohors ad eum fuit congregata.

Condemnati ad crucem eam deferebant.

Et quod præcipuum eſt, omnes crucifigendi crucem ferebant ad locum crucifixionis, vt ex antiquis Scriptoribus colligitur; Nonno Marcello, qui verbo *Patibulum* ait: *Deligati ad patibulum circumferuntur, deinde crucifiguntur.* Macrobio lib. 1. Saturnal. cap. 11. ad initium, Ioſepho lib. 6. de Bel. Iud. cap. 12. & eius Vita. Chriſtum eam baiulaſſe, indicat Ioannes 19, 17. *Et* Ieſus *bàiulans ſibi crucem, exiuit in eum, qui dicitur Caluariæ, locum: vbi crucifixerunt eum.* & antiquiſſimus Tertullianus aduerſus Iudæos cap. 10. ad illa verba Iſaiæ 9, 6. *Cuius imperium factum eſt ſuper humerum ipſius: Soluit*, ait, *nouus Rex Chriſtus nouæ gloriæ poteſtatem & ſublimitatem in humero extulit, id eſt, crucem.* Si igitur ſontes ad ſupplicij locum crucem ſibi deferebant, non erat carcer neceſſarius, in quem conijcerentur, poſtquam ad ſupplicij locum venerunt.

Chriſtus quomodo crucem portauit.

Alterum verò quod obſeruo, eſt, Chriſtum Dominum à domo Pilati vſque ad Caluariæ montem non continuò crucem, ſed parte itineris dumtaxat durante, & altera Simonem Cyrenæum portaſſe, quem angariauerunt, vt portaret crucem

Digitized by Google

cem post Iesum, vt dicitur Matthæi 27,32. Ita docent Athanasius Sermone de cruce & pass. Hieron. Matth. 27. August. l. 3. de Consens. Euangel. c. 10. & alij. & Beda in Marcum, ordinem portandi crucem contemplatus, dixit: *Crux primo à Domino portata, deinde Simoni, quem exeuntes forte obuium habuerunt, portanda imposita est.* His præmissis;

Dico, Christum ex multi sanguinis effusione in horto, ad columnam, & ex aliis passionibus nimiùm defessum, non potuisse toto illo itinere, quod est inter palatium Pilati & Caluariæ montem, crucem portare (nisi malueris dicere, illud diuina ordinatione factum fuisse, vt & nos cum ipso crucem portaremus, sequentes vestigia eius:) cumque milites cum Iesu peruenissent ad hunc, de quo loquimur, locum, qui gressus septuaginta distat à loco crucifixionis, ibi stiterunt Iesum, vbi stetit quoad omnia in promptu essent pro illo crucifigendo. Credunt non improbabiliter aliqui, ibi fuisse Christo propinatum vinum myrrhatum, quemadmodum & aliis similiter condemnatis propinabatur; etsi alij id accidisse arbitrentur in Caluariæ monte, vt de illo agentes dicemus.

Quare cùm ibi, velut in carcere, tamquam maximus malefactor detentus fuerit, nomen illi dedit, quod vsque in hodiernum diem retinet, Carcer Christi: excitans hoc patiendi modo in nos maiores flammas amoris, cùm & carcerem pro nobis non abhorruerit, vt solatium esset carceratis, quos in carcere & in vinculis non derelinquit.

Quintus modus dicendi.

Posset etiam dici quintò, eo loco, vel prope, fuisse carcerem damnatorum ad mortem, & in illum vel Christum fuisse coniectum, vel proximum locum sanctificasse. Hoc probabile redditur, si verum est quod tradit Ioannes Baptista Villalpandus: inquit hic doctus & eruditus Auctor Tom. 3. Apparatus par. 1. lib. 2. cap. 9. ex Iosepho, Ierosolymis fuisse locum Betiso dictum in Occidentali parte ciuitatis, extra ipsam, prope vallem cadauerum & Calvariæ montem: qui carcer tetterrimus cùm esset, capitali sententia damnatis destinatus. Etenim Ierosolymis, sicut in aliis grandioribus vrbibus, erant plures custodiæ & carceres, quidam intra ciuitatem, in quibus leuiorum scelerum rei, non capitali pœna mulctandi detinebantur, alij extra, mortì destinatis præparati; & in hos coniectum fuisse dicit S. Petrum ab Herode Agrippa. Hi carceres obscurissimi, tetterrimi & immanissimi erant; ad quos respiciens Saluator noster, volens relinquere nobis aliquam similitudinem pœnarum gehennalium, eas illis comparauit, dum Matthæi 22. introducit Regem præcipientem Ieum quemdam morte dignum mitti in tenebras exteriores, vbi est fletus & stridor dentium. Hæc enim loco maximi supplicij ducebantur; & huius generis carcere vtebantur Romani. Hinc Liuius Decad. 4. lib. 8. *In carcere*, inquit, *inter fures nostrorum vir clarissimus Scipio includatur, & in robore & tenebris expiret.* Erat autem robur, vt tradit Festus, locus in carcere quò præcipitabatur quoddam malefactorum genus, quod anteà arcis robustis includebatur, &c. cui & huiusmodi persimilis creditur fuisse Betiso; quoniam probabile est, postremis temporibus Hebræos morem secutos Romanorum, ab ipsis, qui illis præerant, Romanis introductum. Itaque ad propositum veniendo, cùm hic Carcer Christi appellatus, proximus sit Caluariæ monti, ad Betiso pertinuisse, non est à probabilitate alienum dicere, præsertim, quòd, eo tempore quo antiquitus Christiani sanctam possidebant Ciuitatem, in illa parte erant carceres, vbi postea latrinæ paratæ sunt: quorum signa non obscura etiam in præsentia cernuntur; & esse traditionem veterem hîc, ab expertis senioribus accepi. Appellatur verò Carcer Christi; vel quia proximus locis à Christo passione & præsentia sua consecratis; vel quia verè in ipsum fuit coniectus, vt & carceris horrorem & pœnam pateretur.

Prophetia & figura carcerationis Christi.

Dauid in Christi persona id prædixisse videtur illis verbis: *Formido mortis cecidit super me. Timor & tremor venerunt super me: & contexerunt me tenebræ*, Psalm. 54,5. Hæc verba de Christo potissimùm intelligenda esse, docet Glossa, Carthus. Græci, & alij consentiunt. Alludit ergo Regius Vates ad carcerem Betiso: cuius allusio habetur in Euangelio, secundùm Villalpandum, dum ait: *Formido mortis*, terrores mortiferi (ecce fletus) *cecidit super me. Timor & tremor*, siue horror & tremor, (ecce stridor dentium) *venerunt super me*; & horum atque reliquorum omnium malorum quasi symbolum, imò verò quasi complementum & causa, *contexerunt me tenebræ.*

Ad hoc ipsum aptari possunt quæ dicuntur Psal. 84, 9, 10. *Longè fecisti notos meos à me: posuerunt me abominationem sibi. Traditus sum*, (siue, vt alij legunt, *posuisti me in carcere*) *& non egrediebar*, id est liber.

Sed, præter hæc, alia suppetunt, quæ hanc de Christi carcere traditionem probatam reddunt, veteris nempe Testamenti figuræ, & vaticinia. In primis, quòd Ioseph,

ſeph, ille magni Iacob Patriarchæ dilectiſſimus filius, à proprijs fratribus (quos apud patrem ſuum de crimine peſſimo accuſauit, quibuſque plura de ſua futura gloria prædixit) nimio liuore & odio contra ipſum concitatis, poſtquam illos quæſiſſet & inueniſſet, apprehenſus, in ciſternam veterem proiectus fuit, vt dicitur Gen. 37. qui & poſteà, vt ibidem habetur cap. 39. quia impudicæ mulieri turpiter commiſceri, illiusque petitioni acquieſcere noluit, iniuſtè in carcerem coniectus fuit. In iſtis inquam S. Ioſeph Chriſtum præfigurauit in carcerem coniectum: quem Iudæi fratres ſui, quia eos de multis reprehendit & accuſauit, illis multa de gloria prædixit, & eorum malis operibus acquieſcere noluit, in foueam hanc vel carcerem proiecerunt, auferentes ab eo veſtes, non hœdi quidem, ſed proprio ſanguine tinctas, quem totum cum ſpiritu fudit.

De carceratione multiplici Ieremiæ agetur Libro v1. Cap. x. v. Perg.

Secundò, quid Ieremias olim carceri traditus; quia prædicauit veritatem, præfigurauit? vtique Chriſtum Dominum, qui propter veritatis promulgationem, antequam crucifigeretur, fuit carceratus.

Denique Propheta Regius ad hunc carcerem mihi reſpexiſſe videtur, dum Pſalmo 115, 17. in perſona Saluatoris dixit: *Dirupiſti Domine vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis.* ac ſi clariùs dixiſſet: Poſtquam, ô Æterne Pater, eductus fui de hoc carcere, ſolutis vinculis, quibus tamquam ſeductor & malefactor meæ vinciebantur manus, obtuli in Caluariæ monte acceptabile laudis ſacrificium, corpus meum videlicet, cuius oblatione clarificaberis; oblaturus pariter tibi vitulos labiorum feruidæ orationis, cùm non tantùm me ipſum, ſed & crucifixos ipſos tibi commendabo.

Forma carceris Chriſti.

Locus iſte nunc in capellam verſus eſt: habet tres paruas nauiculas, quæ duabus pilis quadratis priſtinam antiquitatem conſeruantibus fulciuntur. In capite maioris eſt altare; ante quod, vt in aliis ſanctis locis Eccleſiæ S. Sepulchri, lampades ardent. Longitudo eſt palmorum 20. cum dimidio, latitudo 18. & 4. vnciarum. Tres portas habet, ſed quæ in læua parte illius, clauſa eſt, quia extra; iuxta eam eſt altare, in cuius pede eſt magnum & memorabile marmor.

Iſtud marmor duo habet foramina, in quibus, velut in compedibus, poſita damnatorum crura ligabantur. Hoc dicunt Græci, & inibi habitantes ſchiſmatici. Frater Anſelmus de eodem lapide ita loquitur: *Ante carcerem ſunt duo foramina in pauimento lapideo, vbi Dominus eductus, pra debilitate nimia ceſſitauit genibus cadens; & in illa caſura ſunt facta illa foramina: & in carcere eſt plenaria Indulgentia.*

Si iſta vera eſſent, arbitror, quòd non pro gradu altaris, vt pedibus calcaretur, poſitus fuiſſet lapis, ſed ſupra ipſum, vbi Miſſa celebraretur: reſpondent aliqui, non ideò poſitum fuiſſe pro tabula altaris, quia illa traditio omnino indubia non habetur; ſuffragantur tamen huic traditioni hi qui tractant de locis ſanctis, dum & iſtius mentionem faciunt. Et hæc ſatis de loco iſto. Locus olim Georgianorum; in præſentia Græci eiuſdem curam habent.

CAPVT XIV.

De capella S. Longini, vel Tituli ſanctæ Crucis, quarto loco primæ Peregrinationis.

POſt venerationem Carcetis Saluatoris, reuertitur proceſſio, & vlteriùs procedit ad alia loca ſancta veneranda; inter quæ primò occurrit capella D. Longino dicata, vbi priùs antrum quoddam creditur fuiſſe montis Caluariæ: cauernoſus enim erat locus iſte, vt ſuprà monuimus. Quare verò tali titulo fuerit inſignita, duplex aſſignari poteſt ratio, communis altera, altera particularis. Communis: quoniam vt alibi huic & aliis Sanctis conſtruuntur nedum ſacella, ſed illuſtriſſima templa à piis fidelibus, ob ſingularem quam habent ad eos deuotionem; ita veteres Chriſtiani in partibus iſtis, ob deuotionem qua ſanctum Longinum ſingulariter proſequebantur, in illius memoriam, in auguſtiſſimo templo Dominicæ reſurrectionis ſacellum exſtruxerunt.

Capella Longini & Tituli nominis ratio.

Peculiaris altera ratio, eſt traditio iſtarum partium: quòd quando in morte Chriſti ad eum ſe conuertit Longinus, in illud antrum priùs ſe recepit, vt mortem Saluatoris & propria deflereet peccata. Quæ ratio vt melius intelligatur, & vt hic glorioſus pœnitens magis honoretur, operæ pretium eſſe cenſui, aliqua hic ex Doctoribus collecta de Longini conuerſione, vita eiuſdem poſt conuerſionem, & de illius felici tranſitu ſubijcere.

Longinus, ait Surius ex Metaphraſte, erat vnus ex Synagoga Iudæorum quæ contra Chriſtum conſpirauerat, & morte dignum iudicauerat; & ab illa conſtitutus Centurio cuiuſdam numeri militum, quibus cuſtodia crucis demandata fuit: ſignis verò & prodigiis quæ circa crucem facta ſunt ad veritatem conuerſus eſt. Singulare verò illud eſt quod circa ipſum contigit, quòd

Sur. Tomo 2. 15. Martij. *Longinus qui fuerit.*

Longinus corporaliter & spiritualiter illuminatus.

quòd non solùm mente, sed & corpore illuminatus fuit. Erat enim, vt quibusdam placet, monoculus, vel, vt aliis, eius oculi caligauerant ex infirmitate. Cùm itaque adstaret cruci, & iam esset mortuus Christus Dominus, hic miles aperuit lancea latus illius; quod non odio fecit, sed vt à crurifragio, graui infamia, ipsum liberaret; vel, vt Gretserus ait Tom. 1. lib. 1. de Cruce cap. 34. quòd cùm munus Centurionis esset, ne viuus crucifixus deponeretur de cruce, ad ipsum pertinebat experimentum facere, an iam obiisset; in quo nihil piaculi admittere putabat. Et, vt creditur, fuit ad illud faciendum diuinitus motus; vt illo vulnere, de Christi morte certiores redderentur omnes; ex quo sanguis & aqua exiuit, & vnà salutis nostræ mysteria completa. Cùm verò illo sanguine aspersi, vel deliniti fuissent illius oculi, visum clarum recepit. Et hæc non tantùm vulgò asseruntur, sed etiam grauium Auctorum placitis stabiliuntur.

Non peccauit aperiendo latus Christi.

Et Longinum fuisse militem illum qui lancea latus Christi aperuit, licet tacuerit Euangelista Ioannes, expressit tamen Euangelium Nicodemi sequentibus verbis: *Accipiens autem Longinus miles lanceam, aperuit latus eius, & continuò exiuit sanguis & aqua.* D. etiam Augustinus Manual. c. 23. à medio, Tom. 9. cum aliis, eodem nomine illum appellauit. Georgius Vicelius ex quorumdam sententia refert, non fuisse illius nomen proprium, sed ab actu nuncupatum Longinum à voce Græca λόγχη, quæ significat hastam, siue lanceam, ab ictu lanceæ, quo Dominum petiuit. Et Romanum Martyrologium die 15. Martij dicit: *Cæsareæ in Cappadocia passio sancti Longini militis, qui latus Domini lancea perforasse perhibetur.*

Ita refert Salmeron Tom. 10. Tract. 46.

Idipsum, & quod illo sanguine visum receperit, scribit in primis Gregorius Nazianzenus in Tragœdia de Christo patiente longè ante medium:

Vbi, inquit, *fixit hastam defluentis sanguinis*
Tinctam liquore; & ecce vt vtraque è manu
Hausit, oculosq; hoc vnxit, hinc vt scilicet
Detergat oculum nocte quæ caca obtegit.

Et Mantuanus de eodem sic cecinit libro Festorum dierum:

Tu cæcus non mente minùs quàm corpore, sanctum
Lancea & admoto pectus mucrone peristi,
Inde cruor confusus aquis hostilia circum
In digitos lapsus tetigit cùm lumina, morbũ
Sustulit: ista Deus collyria misit, vt atram
Ex animo, ex oculis fugiens aerasia nubem
Secum ageret, vitaq; daret te cernere fontẽ.

Et Isidorus Hispal. *Longinus latus Salua-toris aperuit, & tactu Sanguinis Christi, cùm esset altero oculo priuatus, illuminatus est extra & intus lumine fidei, & per Apostolos baptizatus fuit: & post longum tempus in eremo, Episcopatus honorem & martyrij coronam inuenit.* Hæc ille. Lege Mallonium ad cap. 21. sacræ Sindonis, & quos ipse citat Auctores, & nostrum Ioannem de Carthagena Tom. 1. Homil. lib. 11. Homil. 1.

Inquiunt igitur Christiani Ierosolymis habitantes, se ex veteri traditione accepisse, Longinum in Christi Domini morte ad ipsum conuersum, dolore percitum propter mortem Saluatoris, & propter sua peccata, quæ illius causa extiterunt, se in illud antrum, nunc in Capellam conuersum, recepisse, & hac ratione fuisse illi dicatam, & ab illius nomine appellatam *Capellam sancti Longini.*

Sed antequam alia de ista capella dicamus, cetera prosequamur de sancto Longino, vt proposuimus. Cognita veritate de Christo Domino, propter signa quæ in eius morte viderat Longinus, omni excusso metu, inquit Surius, liberè Christum ipsum & Deum confessus est in medio Synagogæ Iudæorum, *Verè*, dicens, *Filius Dei est hic.* Matth. 27. 54. Marc. 15. 39. Postquam sepulturæ mandatum fuit viuificum Christi corpus, Longino rursus iussit Pilatus, vitæ Sepulchrum tueri custodia militari. Et ille quidem fecit id quod erat imperatum, etsi non esset eiusdem de Christo cum Pilato sententiæ, vt iam didicimus. Cùm autem peractum esset magnum mysterium resurrectionis, & milites miracula, quæ erant maiora, quàm vt ea caperet humana cogitatio, Principibus Sacerdotum & Presbyteris Iudaici cœtus annuntiassent; hoc illi ignominiam & dedecus sibi afferre existimantes, & miraculum volentes extinguere, pecuniis persuaserunt militibus, vt calumniarentur Christi resurrectionem. Illi igitur ad Pilatum accedentes, falsam dixerunt esse resurrectionem. Verùm non sic Longinus; sed mendacij quidé fuit præclarus confutator, & Christum verum Dei & hominis Filium verè à mortuis excitatum liberè affirmauit. Quare Pilati & Iudæorum inuidiam sentiens in ipsum conuersam fuisse, qua priùs Christum persequebantur, relicta veste cum cingulo militaris dignitatis, & omnino militaribus armis renuntians, acceptis duobus militibus, qui habebant eumdem zelum pro Christo & veritate, declinat cum populo congressionem, & cum Deo solo & secum versatur. Nec multum intercessit temporis, & relictis Ierosolymis, venit in Cappadociam, præco simul & Apostolus Christi admirabilium operum, & quæ sunt

Longinus Christum Deum confitetur.

Longinus fit ex milite Christi præco.

præter

præter opinionem, cum illis duobus militibus effectus.

Iudæorum persecutio in Longinum.

Quod cùm Iudæis innotuiſſet, ægrè ferentes, per Pilatum & pecuniam obtinent à Cæſare, vt tamquam de rebelli vindictam ſumeret. Annuit Cæſar; & Pilatus mittit in Cappadociam milites, vt inuentum Longinum, ei, & duobus aliis, qui eum comitati fuerant, caput amputent. Hi primò apud Longinum, quem ignorauerant, diuerterunt; à quo humaniter hoſpitio accepti fuerunt: qui aperientes cauſam ſui aduentus Longino, ipſe ſe prodidit illis, ſeque eſſe Longinum liberè confeſſus, eos cohortatus fuit, vt quod illis mandatum fuerat contra illum exequerentur: libenter enim lictori caput tradebat pro eo, qui ſe totum in cruce tradidit propter illius ſalutem. Nolebant illi tantum facinus in benefactorem committere, ſed eum liberè dimitti volebant: ceterùm illius cohortationibus moti, Longino & duobus ſociis ceruices amputarunt. Detulerunt illi caput Longini ad Pilatum, in illius mortis teſtimonium; contra quod crudelem ſe exhibuit Præſes, vt rem gratam faceret Iudæis: iuſſit enim ante portam ciuitatis per ignominiam proiici venerandum caput; cuius tamen Deus curam ſuſcepit. Hæc & alia apud Surium pluribus explicata habes.

Longini & duorum ſociorum caput amputatur, & defertur ad Pilatum.

Corpus Longini vbi.

Eius corpus ex Cappadocia tranſlatum, Romæ nũc aſſeruari in Eccleſia S. Auguſtini, ſe percepiſſe dicit Baronius in Notis ad Martyrol. alij tamen in Gallia tumulatũ affirmant.

Sed, his omiſſis, alia etiam proſequamur de memorata capella: in ea creditur aſſeruatam fuiſſe Chriſti Crucẽ per aliquod tempus poſt Chriſti reſurrectionem, antequam fuiſſet ab Helena inuenta. Ad dexteram introitus, Occidentem verſus, eſt anguſta feneſtra cum columnellis hinc inde, alta palmos 16. in qua, vel eius loco, creditur in iſtis partibus fuiſſe Domini Crucem poſitam, antequam in foueam vel ſiccam ciſternam proiiceretur, vbi fuit poſteà ab Helena inuenta. Et tantò magis hoc aliqui probabile arbitrantur, quòd duæ aliæ cernantur, altera è regione iſtius, altera in medio, ſed non ita altæ, abſque ornamentis, clauſæ interiùs & exteriùs; ſed iſta, dè qua loquimur, exteriùs tantùm clauſa eſt, quæ quaſi capellulam facit in qua Crux ſancta reconderetur. Qualiter verò id accidere potuerit, inferiùs loquentes de inuentione ſanctæ Crucis aperiemus.

Crux Chriſti vbi primò repoſita.

Appellatur etiam ſacellum Tituli ſanctæ Crucis; quòd aliquando in eo manſerit tabella illa, quæ poſita fuit ſuper caput Ieſu in Cruce pendentis, in qua ſcripta erat cauſa ſuæ mortis litteris Hebraicis, Græcis & Latinis, I. N. R. I. quæ nunc ex parte Romæ in Eccleſia S. Crucis in Ieruſalem nuncupata honorificè aſſeruatur. Cuius tituli exemplar, vt hîc tibi ſubiicimus, eſſe perhibetur.

Titulus Cruce vbi primò poſitus.

ישוע הנוצרי מלך היהודים

ΙΗΣΟΥΣ ΝΑΖΩΡΑΙΟΣ Ο ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΤΩΝ ΙΟΥΔΑΙΩΝ.

IESVS NAZARENVS REX IVDAEORVM.

Tituli Crucis forma, & locus.

Ita exarauit titulum ſanctæ Crucis Sixtus Senenſis lib. 2. Bibliothecæ ſanctæ agens de Pontio Pilato. Lege Gretſerum de ſancta Cruce lib. 1. cap. 28. & 29. Dixi, ex parte Romæ aſſeruari. Et fortaſſe, inquit Boſius, non niſi tertia & ſuperior pars, vt illius indicant litterarum characteres; reliquum ad alias Chriſtianorum partes delatum vt ſacræ Reliquiæ. Illius ſuperioris partis typum exhibet idẽ Boſius lib. 1. c. 11.

Characteres verò huius tituli rubro colore tincti erant, vt ex antiquo Diario rerum Romanarum refert Boſius lib. 1. de Triumphante Cruce. Moris enim fuit apud antiquos, ea quæ magno in pretio habebant, ac proinde diu durare deſiderabant, rubro colore depingere: & nos alibi hoc idem notauimus, & probauimus.

Titulus iſte exaratúſne fuit in ipſa tabella & ligno, an conſcriptus in charta tabulæ affixa? hoc ſecundum tradit Lyranus: ſed illud verum, vt, qui tabellam illam viderunt, fatentur, dicentes, chàracteres tituli ferreo aliquo inſtrumento in ipſa lignea tabella fuiſſe inſculptos.

Ex qua verò materia, id eſt, ex qua ligni ſpecie facta fuit? Reſpondet Beda diſertis verbis, fuiſſe buxeam. Et talis materies, quæ duriſſima eſt, inſcriptioni optimè quadrat, vt diu in ea conſeruaretur, nec auferretur, vt fruſtrà auferre contenderunt Iudæi, quæ poſt mille ſexcentos annos legi poteſt.

Quærunt adhuc Doctores, quomodo illa tabella fuerit cruci appoſita? Doctiſſimus Salmeron ait, tabellam inter duo cornua crucis funiculo hinc inde alligatam fuiſſe: ſed clauis fuiſſe affixam, multò probabilius, quia antiquiores id tradunt. Sanctus Cyprianus ait: *Pilatus in capite ligni clauis tabulam cum nomine Regis Iudæorum confixit.* quod & apud Nonnum legitur, dum ait: *Pilatus ſpectabilem inſcripſit teſtificam-*

Cyprian. de Sina & Sion.

ficante clauo inscriptionem. Et videtur communis sententia, antiquis picturis firmata.

Contra dicta duo obstant: alterum, quòd rubei characteres in dicta tabella non cernuntur: alterum, quòd impudens obijcit Caluinus, illam tabellam Tolosæ, & in aliis Romanæ Ecclesiæ subiectis ciuitatibus, monstrari.

Ad primum respondetur, propter vetustatem & nimiam contrectationem rubeum colorem penitus periisse. Ad secundum dicitur, esse quidem illam tabellam Romæ, sed non integram; ideò reliquæ partes possunt alibi ostendi.

Quomodo fuerit Romæ inuenta, referunt ex antiquo Diario Romano Bosius citatus de Triumphante Cruce, Carthagena Tom. 1. Homil. lib. 10. Homil. 28.

In processione sacellum hoc peculiari cultu, vt alia sancta loca, non colitur; vel quia processio illa fuit instituta ad recolenda mysteria passionis & resurrectionis Domini, ideò S. Longini memoria prætermittitur; vel quia memoria S. Crucis in pluribus aliis locis celebratur, vt in loco inuentionis ipsius, in sacello S. Helenæ, & in Caluariæ monte; priuate tamen à fidelibus honoratur. Et hæc de sacello S. Longini, vel Tituli S. Crucis, satis.

CAPVT XV.

De Capella diuisionis vestimentorum Christi Domini, quinto loco primæ Peregrinationis.

A Capella D. Longini, vel Tituli sanctæ Crucis, procedenti vlteriùs gressus duodecim, altera occurrit capella præcedenti persimilis; quæ ab omnibus appellatur, Capella diuisionis vestimentorum Christi: ad quam accedens processio, illam veneratur ob honorem vestimentorum Christi Domini, eorumdem recolens memoriam.

Ratio nominis Capellæ diuisionis vestimentorum Christi.

Sed quare tale nomen ei à fidelibus datum est? Dici potest, vt superiùs notatum fuit de capella S. Longini, & semper obseruari idem potest in assignanda ratione nominis locorum Sanctorum, communi & propria. Communis, quæ non videtur pati difficultatem, vt eo monumento perpetuò conseruaretur memoria vestimentorum Christi, quibus nostri causa fuit à militibus spoliatus, eademque honorarentur simul supremo cultu, quem Theologi latriam appellant; quia supremum Sacerdotem ac Dominum contigerunt: quemadmodum ob hanc rationē, simili adoratione S. Crucem, Præsepe Domini, eius sanctissimum Sepulchrum, & alia quæ Christum tetigerunt adoranda esse, tradunt Doctores, & nos ex ipsis diximus Lib. III. Cap. XLII. Et quidem id præstare debuerunt fideles, cùm mysterium diuisionis vestimentorum tam illustre sit, vt non vnus Euangelista, sed omnes, & ipsi Prophetæ mentionem fecerint, vt statim videbimus: ideò variis modis memoria retinendum.

Altera particularis ratio nominis huius Capellæ, quæ in partibus istis circumfertur, est; quoniam, vbi nunc est capella, fuit olim locus, ad quem, postquam fuit Dominus crucifixus, se receperunt milites, qui inter se vestes illius diuiserunt, super alteram sortem mittentes: ad cuius facti memoriam perpetuò conseruandam, eo ipso loco pia antiquitas memoratum construxit sacellum.

Veteri allatæ traditioni videtur ratio adstipulari ex ipso Euangelio accepta. Diuus Ioannes, post Matthæum, Marcum & Lucam, loquens de vestium Christi diuisione, hæc habet: *Milites ergo cùm crucifixissent* Iesum, *acceperunt vestimenta eius (& fecerunt quatuor partes, vnicuique militi partem) & tunicam. Erat autem tunica inconsutilis desuper contexta per totum. Dixerunt ergo ad inuicem: Non scindamus eam, sed sortiamur de illa cuius sit, vt Scriptura impleretur, dicens: Partiti sunt vestimenta mea sibi: & in vestem meam miserunt sortem. Et milites quidem hæc fecerunt.* Sortem vocat Scriptura ludum militibus *Sors quid.* consuetum; quia taxilli sorte cadunt, vt ita Christus luderetur & illuderetur: vel sortem vocat diuisoriam, de qua Salomon ait: *Contradictiones comprimit sors, & inter potentes quoque dyudicat*, Prouerb. 18, 18. vestes enim damnatorum, vt ait D. Cyrillus, quasi hereditatis lege ad se pertinentes, milites vendicarunt. Igitur si hæc fecerunt milites, in aliquo loco fecisse oportet; vel ergo in eo ipso vbi Christus fuit crucifixus, vel in alio illi proximo: nam non videtur ratio, quæ moueat ad afferendum, hæc fecisse in remoto; & illud videntur indicare Euangelistæ continuando illius Historiæ relationem. Quòd verò fecerint non in loco ipso crucifixionis, sed in altero eidem proximo, illa congruentia persuaderi potest; ne in sortiendo disturbarentur à maxima multitudine, quæ ad illud spectaculum conuenerat. In loco etiam proximo crucifixionis hoc mysterium delineauit Adrichomius in tabula geographica ciuitatis Ierusalem, & in eius explicatione num. 154. declarauit; non tamen dicimus esse omnino in eo situ, sed in altero, à latere videlicet montis Caluariæ, vel pone locum crucifixionis: & tantò

gitized by Google

tò magis credere debemus esse illum de quo loquimur, quantò alius ab eo non monstratur, in quo diuisæ fuerint & sortitæ vestes Saluatoris. An miserint sortes immediatè super rupem & terram, vel super tabulam marmoream, me latet: scio in Ecclesia sancti Ioannis Lateranensis Romæ esse in pariete affixam tabulam porphyreticam latitudinis 5. palmorum, & 6. longitudinis, supra quam milites sortes misisse dicitur. Ad hæc, altera alba ostensa fuit in Ecclesia S. Sebastiam ad Catacumbas, supra quam, idem factum fuisse, significatum fuit.

Sortium locus quis.

CAPVT XVI.

Quot & quales fuerint vestes Christi.

DE numero & qualitate vestimentorum Christi pauca dicenda sunt. De numero prius. Quot illa fuerunt? Respondetur in hac difficultate, vnum esse certum, alterum dubium: illud certum, fuisse plures vestes Christi, vt manifestissimis verbis indicant omnes Euangelistæ & Psalmista; hoc verò, quantum ad præcisum numerum, incertum. Aliqui apud Euthymium Matth. 27. arbitrati fuere fuisse quinque: *Quidam*, inquit, *dixerunt vestimenta Christi fuisse quinque; quatuor quidem quatuor militibus diuisa, quintam verò tunicam inconsutilem*, &c. refutat hanc sententiam, & addit: *Coniectantes ergo dicimus, tria fuisse Christi vestimenta: vnum quidem fuisse tunicam corpori applicatam in modum subuculæ, dico sanè tunicam hanc inconsutilem; alterum autem, quo super primum vestiebatur, & tertium, superius indumentum.* Hæc ille. Probabilis sententia; nam tot communiter viri in partibus istis vtuntur: à quorum honesta consuetudine non est arbitrandum Christum abstinuisse, cùm per omnia fratribus similatus fuerit, vt Paulus docet Heb. 2, 17.

Vestes Christi plures.

Barradius Tom. 4. Concord. Euang. libro 7. cap. 12. his addi posse arbitratur thoracem laneum siue lineum, & femoralia, cum calceis. Sed thoracem habuisse non facilè admitterem; quia illius vsus non est in partibus istis, sicut in nostris, & picturæ fauent; facilius, femoralia, propter decentiam & honestatem, etsi multi, pauperes præsertim, illis non vtantur.

Thoracis vsus fuerit Christus.

Nec, quòd essent quatuor milites, sequitur, fuisse quatuor vestes, vt cuilibet vna obtigerit; nam duæ illæ fuerunt diuisæ, quod indicant verba illa militum de veste inconsutili: *Non scindamus eam, sed sortiamur de illa cuius sit*, Ioan. 19, 24. ac si clarius dixissent: Non scindamus hanc tunicam quemadmodum scidimus alias, quia non habet futuras, vt aliæ, quæ diffui possunt; & non expedit illam scindere, & lacerare, quare super eam sortem mittamus. Fauet Cyrillus in Ioan. 19. *In quatuor*, inquit, *partes ceteris vestibus diuisis, vnam tunicam dilacerare visum non est; sortis ergo illam faciunt munus*, &c. Longas illas fuisse, demissas infra genua, & fere vsque ad talos, habitu harum partium considerato, qui antiquitatem retinet, mihi persuadeo, & picturæ antiquæ & recentiores suffragantur. Et sanè decentes & modestas fuisse, non est dubitandum.

Sed contra dicta de vestium pluralitate posset aliquis in hunc modum argumentari: Christus, quæ verbo docebat, firmabat exemplo, vt apud omnes est in confesso; sed, ne plures tunicas haberent Apostoli, præcepit, dicens: *Neque duas tunicas habeatis*, Luc. 9, 3. ergo Christus tres vestes non habuit.

Apostoli an pluribus vestibus vsi.

Respondetur, Christum non prohibuisse Apostolis pluralitatem vestium quibus induerentur, quibusque indigerent ad honestatem, & necessitatem, aërisque intemperiem arcendam: nec enim licet opinari, benignissimum Dominum, qui vestit lilia agri, & omnibus creatis necessaria affluenter & abundè suppeditat, noluisse dilectissimos Apostolos habere sufficientia vestimenta, præsertim in laborioso illo prædicationis munere, ad quod illos destinabat, quando id præcepit. Nec Apostoli oppositum fecissent; quos tamen, præter vnam tunicam, habuisse indumenta creditur. Actor. 12, 8. Petro in carcere existenti dixit Angelus: *Præcingere, & calceate caligas tuas.* Ex his habemus, saltem Petrum, vltra vestem quam soluerat, habuisse cingulum ad illam præcingendam, & caligas, siue, vt Græcè habetur, sandalia: genus calceamenti non habens corium super pedem. *Et fecit sic*; obtemperauit præcipienti Angelo. qui pòst dixit illi: *Circumda tibi vestimentum tuum, & sequere me.* Ecce fit alterius vestimenti mentio, quod superior vestis esse debuit, quam loco pallij, secundùm consuetudinem regionis, deferre debebat. Nec dicendum, locutum de priori; quia iam de ea dixerat Angelus: nec fuit ita Petrus Angelica præsentia exterritus, quòd non intellexerit, & mandato non obediuerit; quoniam statim *fecit sic*. Post quæ addidit Angelus aliud: *Circumda tibi*, &c. Ad hæc eodem Act. lib. cap. 19. legimus, delata fuisse *super languidos à corpore* Pauli *sudaria & semicinctia, & recedebant ab eis languores, & spiritus nequam egrediebantur.* Semicinctia autem & suda-

Semicinctia quid.

ria aliud erant à communi veste, qua operiebantur, quando ea ad infirmos deferebant; vnde Gloſſa Rabani: *Semicinctia, veſtes ex vno latere pendentes; vel zonæ, ſiue veſtes nocturnæ; vel genus ſudarij, quo Hebræi vtuntur in capite.*

Igitur de ſuperfluis & mutatoriis ſunt verba Domini intelligenda. Ita D. Hieronymus: *In duabus tunicis*, inquit, *videtur mihi duplex intelligere veſtimentum: non quod in locis Scythiæ & glaciali niue rigentibus vna quis tunica debeat eſſe contentus; ſed quòd in tunica veſtimentum intelligamus, ne alio veſtiti, aliud nobis futurorum timore ſeruemus*, &c. Idem S. Auguſtinus lib. 2. de Conſen. Euangel. cap. 30. D. Thom. Matth. 10. & alij. Nec verba Marci obMarc. 6,9. ſtant, *ne induerentur duabus tunicis*: quia vt præcedentia Lucæ interpretanda, ſcilicet, ne haberent plures veſtes mutatorias, vt explicant Ianſenius & Maldonatus.

Superfluas mutatorias veſtes Apoſtolis interdicta.

Barradius Tom. 2. lib. 9. cap. 11. poſt nunc allatam interpretationem ait: Simplicior ſenſus eſt, præcepiſſe Dominum, vt vna tantùm tunica induerentur, præter pallium: nam in terrâ illa calida, vt Lyranus ait, vna tantùm tunica ſatis erat, addito pallio; vnde illud Baptiſtæ Lucæ 3,11. *Qui habet duas tunicas, det non habenti*, &c. Non enim duæ tunicæ neceſſariæ erant habenti, idcircò altera donari poterat.

Vnius veſtis nomine neceſſarium intelligitur veſtimentum.

Verùm vel iſta expoſitio coincidit cum præcedenti, vt tunicæ nomine neceſſarium indumentum intelligatur, ſit vna vel plures tunicæ cum pallio: quòd ſi nolit eam coincidere, euidenter refellitur; Primò, quia ratio illius non ſatis firma videtur; cùm non ſit tam calida iſta regio, quòd vel hiemis tempore vel flantibus ventis non ſint minùs vtilia veſtimenta quàm in aliis multis partibus Occidentis. Et ego ſanè non minùs in his partibus quàm in Occidentalibus veſtibus vſus ſum, quemadmodum ſimilibus alios vſos fuiſſe vidi. Secundò, refellitur ſingulariter ex verbis S. Hieronymi: nam illud præceptum non tantùm datum fuit pro Iudæa, quam relinquendam eſſe deſertam nouerat Dominus, quia Euangelium erat aſpernatura; quare ex ea, puluere de pedibus excuſſo, debebant proficiſci ad alias regiones & nationes, vt poſteà Paulus & Barnabas Iudæis dixerunt; vbi non modò caumata & ardentes calores, ſed etiam rigidiſſima frigora, glacies & niues paterentur. Ideò profecturi ad prædicandum Euangelium in vniuerſum mundum, non tantùm in calidioribus, ſed etiam frigidioribus regionibus, ne frigore præſertim deficere eos contingeret, neceſſarium erat vt pluribus veſtimentis induerentur, ſi vnum non ſufficeret; quæ varius tunicæ nomine intelliguntur in Chriſti mandato. Quare prior ſenſus, vt communior, ita verior & ſimplicior mihi videtur. Et ſic patet, quid dicendum ad difficultatem.

Veſtes Chriſti quales.

De qualitate verò veſtium Chriſti, pretioſæne, viles, an mediocres fuerint, non omnes conueniunt. Aliqui enim pretioſas fuiſſe affirmant, & alij negant: at non fuiſſe pretioſas, ſed viles, probabilius creditur. Nec enim placet ſuſpicari, Chriſtum feciſſe quæ eius pauperrimo ſtatui non conueniebant; & quæ ipſe in aliis damnauit, oppoſitum faciendo docuiſſe: quæ enim verbo docuit, priùs monſtrauit exemplo. Quare cùm pro nobis pauper factus ſit, & adeò pauper, vt non habuerit vbi caput ſuum reclinaret, vt dicitur apud Matthæum, paupertatem docuit. Damnauit enim luxum veſtium, dum ſanctitatem Ioannis ex veſtitu commendans, dixit: *Qui mollibus veſtiuntur, in domibus Regum ſunt*, Matth. 11,8. Igitur, ne, quod verbis docuerat & approbauerat, factis improbaret, non pretioſas illas veſtes fuiſſe, ſed viles dicendum eſt: & de inconſutili id manifeſtè indicauit Iſidorus Peluſiota libro 1. Epiſtola 74. ad Cratonem, dum ait (Baronio referente Tom. 1. Annal. anno Chriſti 34. n. 117.) *Erat autem tunica eius deſuper contexta per totum. Quis autem veſtis illius vilitatem ignorat? vt qua Galilæorum pauperes vtantur: apud eos enim maximè huiuſmodi veſtis genus fieri ſolet, arte quadam, vt pectoralia, retractim conſutum.* Hæc Iſidorus.

Quantum verò ad huius veſtis colorem attinet, vinei fuiſſe tradit Nonnus in Ioannis cap. 19. *Ne fingamus hanc vinei coloris veram tunicam, habentem diuinam formam peregrinam.*

Difficultatis ſolutio.

Dictis obſtat illud; quia ſi ita viles & pauperes extitiſſent illæ veſtes, milites non ita ſolliciti fuiſſent de illarum diuiſione & ſortitione. Reſpondetur tripliciter: Primò, viles & pauperes homines, quales fuiſſe illos milites, viliſſimo exercitio inſeruientes, id eſt, crucifixioni, omnia etiam vilia & egena æſtimaſſe. Secundò, ſi illud non concedatur, dicatur cum Euthymio, milites per irriſionem diuiſiſſe, quaſi de regiis & pretioſis veſtimentis aliquid habere volentes. Vel tertiò, veriùs & ſubtiliùs dica*Virtus veſtimentorum Chriſti.* tur, ad virtutem, & non ad pretium reſpexiſſe: cùm enim anteà vidiſſent, quòd ſolo tactu fimbriæ veſtimenti eius, mulier quædam à fluxu ſanguinis ſanata fuiſſet, facilè quidem inde coniectare poterant, medicandi vim veſtibus eius ineſſe. Et ſanè illis infuiſſe virtutem, arbitratus fuit Pilatus Genti-

Gentilis, vt patet ex dictis ex Incognito Capite XLIII. III. Libri. Solliciti ergo fuerunt de vestibus Christi illi milites, non propter valorem materiæ, sed propter pretium virtutis, quas proinde multa pecunia se vendituros autumabant. Hanc responsionem indicauit Procopius Gazeus in caput 28. Isaiæ dicens: *Ob eam causam inter se contendebant milites, singuli cupientes, ea diuisa, habere partem: quasi vtilis foret non ad inducendum, sed quia vis quædam medica in ipsa erat.* & quia, vt Reliquias pretiosas putabant se posse vendere vel Matri eius, vel aliis amicis suis qui aderant. Lege Rupertum Ioan. 19.

Euthymius cap. 61. in Matth. agens de veste Christi inconsutili ait: Hanc tunicam è traditione Patrum accepimus, opus fuisse Dei Matris, veluti sunt apud nos capitis aut pedum hiemalia operimenta, id est pileoli & caligæ, quæ tum ex lanarum bombyce fiunt ad arcendum frigus.

Salmeron Tract. 38. cap. 10. & alij.

Addunt alij, B. Virginem Christo parulo existente illam contexuisse, & ipso crescente illam etiam creuisse; quod licet nonnulli negent, non deest tamen fundamentum ad annuendum, commemorans, vestes filiorum Israël egredientium de Ægypto, per quadraginta annos non fuisse vetustate consumptas; imò, illis crescentibus, ipsas auctas, vt multi tradunt locum Deuteronomij 8, v. 4. explicantes. Illud verum arbitratur Baronius loco citato: nam in Oriente, hominum vestes à feminis confici solitas, liber qui dicitur Esdræ testatur, cùm ait: *Ipsæ faciunt stolas omnium hominum.* eadem etiam in Prouerbiis de optima muliere dicuntur: *Confidit in ea cor viri sui, & spoliis non indigebit.* & posteà: *Domestici eius vestiti sunt duplicibus.* Ergo B. Virgo est celebris & fortis illa mulier, quæ, vt dicitur Prouerb. 31, 13. *quæsiuit lanam & linum, & operata est consilio manuum suarum.*

Prouerb. 31, 21, & 22.

Cùm primùm dulces infans, inquit Baptista Mant. *proferre loquelas*
Cœpit, & aduersis vestigia figere plantis,
Mater ei tunicas habiles ordita, nouumq;
Vestiit opus, niueo puerum velauit amictu;
Suspiciensq; polos inquit, Date Numina vesti
Incrementa meæ, pueri cum corpore semper
Crescat, & ad sanctos vltrò se accommodet artus:
Non gladium timeámve ferat, non trita senecta
Cedat, & hæc nostri durent monumenta laboris.

Inconsutilem nedum tunicam Filij opera mirabili texuisse creditur, sed etiam eius adhuc pueri subuculam è crassio re lino consuisse: quæ Romæ asseruatur in æde sacra S. Ioannis Lateranensis.

De tunica inconsutili ita scribit Sigebertus in Chron. an. 553. *Tunica Domini nostri Iesu Christi in ciuitate Zaphat, non longè ab Ierosolyma, confessione Simeonis inuenta, & ab Episcopis, Gregorio Antiocheno, & Thoma Ierosolymitano, & Ioanne Constantinopolitano, Ierosolymis, in loco vbi Crux Christi colitur, posita est.*

Placet hîc etiam addere quæ de eadem tunica scribit Gregorius Turonensis lib. 1. Miracul. cap. 8. *De tunica verò beati corporis non consuta*, inquit, *desuper contexta per totum, quæ, iuxta Dauidicum vaticinium, sub sorte iacuerat, fides Euangelica pandit. ait: Partiti sunt vestimenta mea sibi, & in vestem meam miserunt sortem. De hac verò immaculati agni tunica, quæ à quibusdam audiui silere nequeo: ferunt autem in ciuitate Galatea, in Basilica, quæ ad sanctos Archangelos vocitatur, retineri. Est enim hæc ciuitas ab vrbe Constantinopolitana quasi milliaribus centum quinquaginta: in qua Basilica est crypta abditissima; ibiq; in arca lignea hoc vestimentum habetur inclusum: quæ arca à deuotis atque fidelibus cum summa diligentia adoratur; non immeritò digna, quæ hoc vestimentum retinet, quod Dominicum corpus vel contingere meruit, vel velare.* Hæc ille. Sed priùs citati Auctores tradunt, illam asseruari in oppido Argentolio, non longè à Lutetia Parisiorum, vbi magna veneratione peregrinis ostenditur. Adrichomius in Descript. Ierusalem n. 254. Augustæ Treuirorum religiosè asseruari docet.

Vestis inconsutilis vbi.

CAPVT XVII.

De loco inuentionis S. Crucis Domini nostri Iesu Christi, sexto loco primæ Peregrinationis, aliorum sententia.

LOqui aggredimur de loco inuentionis S. Crucis Saluatoris Domini nostri Iesu Christi; quem, post venerationem loci, siue sacelli diuisionis vestimentorum eiusdem Domini nostri, in processione pia veneratione adoramus, inuentionis S. Crucis memoriam recolentes. In cuius quidem argumenti tractatione, vt falsa relinquantur, & quæ vera, vel saltem veritati & rationi proximiora iudicabuntur, eligantur; locumque, quem nunc intuitu inuentionis sanctæ Crucis veneramur, illum pie vereq; esse credamus, in quo sancta Crux inuenta fuit à S. Helena, M. Constantini Imperatoris

toris pia matre, plura maiori qua poterimus diligentia & claritate declarabimus.

Cautela in lectione Historiæ inuentionis S. Crucis obseruanda.

Et diligentia quidem & claritate in hoc argumento pertractando procedendum est; quoniam multi irrepserunt errores, & variæ emerserunt opiniones de loco vbi fuit proiecta & abscondita sancta Crux post mortem nostri Saluatoris, & vbi fuit ab Helena inuenta; remque ità se habere indicauit Gelasius Papa in Romano Concilio hisce verbis: *Item scripturam de inuentione Crucis Dominicæ, & aliam scripturam de inuentione capitis Ioannis Baptistæ, nouella quædam reuelationes sunt, & nonnulli eas Catholici legunt; sed cùm hæc ad Catholicorum manus adueniunt, B. Pauli Apostoli prætendat sententia: Omnia probate, quod bonum est tenete.* Hæc ipse. & idem amplius ex dicendis manifestum euadet. Igitur vt pretiosum à vili seligamus, illud approbemus, & istud relinquamus, defendamusque veterem ac veram traditionem de loco inuentionis sanctæ Crucis, in primis varias opiniones adducemus, quæ veteri traditioni refragari videntur; deinde nostram sententiam & veterem traditionem explicabimus; denique agemus de tempore quo fuit inuenta, quibusque signis & prodigiis cognita: totum verò hoc argumentum pluribus Capitibus absoluemus; in præsenti aliorum sententiam in medium adducemus, cetera præstabimus in sequentibus.

Gelas. in Rom. Cõc. c. de Lib. authent. & apocryphis, vt refert Baron. To. 3. Annal. an. Chr. 326. 1. Thessal. 5. 20.

Prima sententia Adrichomij de loco inuentionis S. Crucis.

Christianus Adrichomius in Descriptione vrbis Ierusalem num. 242. dicit, locum, in quem proiecta fuit Christi Domini Crux cum aliis latronum, dici vallem cadauerum, sitam inter montem Caluariæ & mœnia ciuitatis, de qua Ierem. cap. 31, 40. *Vallis cadauerum,* inquit, *quæ inter montem Caluariæ & mœnia Ierusalem sita est, nomen inde habens, quòd ibi cadauera, ossa & cineres eorum qui in monte Caluariæ morte puniti, aut combusti erant, proiiciebantur. Quamobrem & milites, Christi crucifixores, postquam latronum, qui cum Christo crucifixi erant, fregissent crura, ob imminentem vesperam & diem festum, eorum cadauera & cruces, simul & Christi iam sepulti crucem ac titulum in hanc vallem præcipitauerunt.* Hæc & alia, quæ ab Eusebio & aliis dicuntur, scribit Adrichomius.

Adrichomij sententia reiicitur.

Cetertùm hæc Adrichomij sententia non omnino certa videtur, tum propter ea quæ posteà dicentur; tum quia fundamentum, cui innititur, haud omnino firmum est.

Vallis cadauerum quare dicta.

Non est enim vlquequaque certum, vallem illam ideò appellatam vallem cadauerum à Ieremia, quòd in eam cadauera proiicerentur; etenim alij arbitrantur, vt Chald. sic appellatam fuisse, quia ibi Assyriorum cædes facta est, de qua 4. Regum 19, 35. Et forsan vallis Ennon, siue Gehennon, erat: quam vt profanaret Iosias Rex, in eam proiecit mortuorum cadauera, ne in ea illis polluta Iudæi amplius idolis sacrificarent. Hæc eadem vallis interfectionis appellata est Ieremiæ 7, 32. quoniam ibi innumeros Iudæos occiderunt Chaldæi, vt dicitur cap. 6. Ezech. & non, quòd in eam proiicerentur cadauera interfectorum in monte Caluariæ, & illorum cruces & mortis instrumenta: & consequenter, non relinquitur indubitatum, in eam proiectas fuisse cruces Christi & latronum. Et sanè corpus Christi non fuisse in illam proiectum, docent Euangelistæ; quare non legem, vel consuetudinem perpetuò obseruatam fuisse persuademur, vt corpora defunctorum, & mortis instrumenta in vallem illam proiicerentur.

Præterea, dato, quòd in illam vallem communiter proiicerentur mortis instrumenta; non video quomodo proiecerint cruces Christi & latronum: tunc enim, quando tres illæ inuentæ fuerunt, non illæ tantùm, sed cum illis plures aliæ similiter crucifixorum inuentæ fuissent. Non est enim dubio vertendum, à tempore crucifixionis Christi & latronum, vt & anteà, in Caluariæ monte, vsque ad Crucis inuentionem, quod fuit spatium annorum 296. vt ostendemus inferiùs, alios in eodem loco, & eodem mortis genere, non fuisse punitos: & tamen in Historia inuentionis sanctæ Crucis habemus, tres dumtaxat cruces in eodem loco fuisse inuentas; alteram videlicet Saluatoris, cum illius titulo, & alias duorum latronum.

Secunda sententia Brocardi, & aliorũ.

Brocardus arbitratur, sanctam Crucem Saluatoris in fossam, quæ erat extra ciuitatem & prope Caluarium, fuisse proiectam; sic enim habet in libro quem conscripsit de Locis sanctis cap. 7. §. 47. agens de loco inuentionis sanctæ Crucis: *Locus, in quo ab inuidis & cæcis Iudæis cruces absconditæ fuerunt, considerata antiqua vrbis dispositione, videtur mihi fuisse ciuitatis fossa extra parietes porta Iudiciaria: quæ quidem fossa propinqua erat Caluariæ loco; nam & apud Ioannem legimus, quod prope ciuitatem passus est Dominus. Existimandumq; est, quòd Iudæi, depositis corporibus, in contemptum proiecerunt cruces omnes in fossam, & desuper ciuitatis sordes proiici curauerunt, vt marcescerent. Deuotissima verò Regina Helena locum mundari iussit, &, inuenta sacratissima Cruce in imo & profundo illius fossæ, capellã & altaria erexit: estq; modò locus iste inter mœnia ciuitatis inclusus; & retro locũ in quo fuit crucifixus Christus.* Hæc Brocardus.

His

Digitized by Google

His similia dicit Landulphus de Vita Christi, & aliqua addit: *Ipse autem locus*, inquit, *in quo Crux inuenta est, distat à loco Caluariæ decem pedibus versus Orientem descendendo: vbi in Ecclesia, quæ continet montem Caluariæ, est crypta profunda inferior pauimento* 40. *gradibus, vel circà; & sunt ibi quatuor columnæ quæ dicuntur mortem Domini fleuisse*. Hactenus ille.

Tertia sententia proponitur, & altera Brocardi reiicitur.

Non placet aliquibus hæc sententia; ideò, alia posita, ipsam reiiciunt. Dicunt igitur, iustitiæ ministros, post Christi & latronum mortem, depositis eorum de patibulis corporibus, cruces ipsorum in fossam illam non proiecisse, vt auctores præcedentis sententiæ asserunt, sed facta fossa, in ipso Caluariæ monte humasse, supra quam proiectæ fuerunt sordes ciuitatis: quæ quia in altum excreuerant; ideò, quando Crux inuẽta fuit, in profundo loco fuisse dicitur. Quam sententiam vt stabiliant, & præcedentem reiiciant, duo iaciunt fundamenta: quæ quoniam veritatem continent, & faciunt pro alia communi sententia, quam sequi intendimus, hîc subiiciemus, fuseque explicabimus. Alterum fun-

Magnum Sabbatum quid; & quanta illius obseruãtia apud Iudæos.

damentum & notandum est, diem Sabbati, & præcipuè magni Sabbati, vt erat illud quod in Octaua Paschæ occurrebat, apud Iudæos in maxima habitum fuisse veneratione: quod vt magis honoraretur, non solùm crucifixos in patibulis illo die, sed nec cruces lignáve, in quibus appendebantur; vel crucifigebantur fontes, erecta manere patiebantur; ex illorum intuitu deuotionem & sanctitatem festi violari arbitrantes: quare ligna, cruces, clauos, aliaque instrumenta, quibus carnifices vsi fuerant in illorum crucifixione, humi sepeliebant. Te-

Ioan. 19, 31.

Iudæi eodi die deponebant crucifixos de crucibus, & eos auferebãt, propter festum & Domini præceptum.

nebantur verò ad illud obseruandum, non tantùm propter festi solemnitatem, sed etiam propter peculiare Domini præceptum, quod habetur Deuteron. cap. 21. vbi præcipit Dominus, cadauera suspensorum eodem die quo fuerunt suspensa, & ante solis occasum, vt docet Philo de Special. legib. de patibulis & crucibus deponi, ne contaminaretur terra. Hanc tamen legem alij à Iudæis non obseruabant, sed corpora in patibulis relinquebant, quoad vitam finissent, & lacera discerptaque fuissent à volucribus & feris, vt patet apud Lipsium libro 2. de Cruce cap. 12. & 13. Et sanctum Andream, à Gentibus crucifixum, legimus in eius Historia triduo in cruce pependisse.

Quare cùm diei, in quo Christus crucifixus fuit, successerit Sabbatum, & magnum Sabbatum, vt statim apparebit, vt ipsum Iudæi sanctificarent, & præcepti Domini transgressores haud viderentur, debuerunt de patibulis corpora interfectorum deponere; eaque cum illis sepelire: idque eo citiùs præstare tunc tenebantur; scilicet ante solis occasum, propter sequens Sabbatum, quia die Veneris crucifixus fuit Dominus: *Erat* enim *Parasceue*, vt dicitur Ioan. 19, 31. A solis enim occasu incipiebat Sabbati solemnitas, ideò debuerunt omnia esse completa, ne fossione & illorum sepultura festum violare crederentur. Si enim ante solis occasum non fuissent corpora de crucibus deposita, illorum depositionem post solemnitatem distulissent: hæc enim opera seruilia credebant; at quæ seruilia prohibebantur in lege. Præter Sabbati festum, erat etiam secunda dies Azymorum maximè solemnis, & duplici ratione veneranda: ideò magnum Sabbatum appellabant diem illum. Ne ergo Iudæi legem, consuetudinem & præceptum Dominicum violarent, elaborarunt, vt corpora Christi & latronum de crucibus deponerentur, eaque cum crucibus illa die sepelirentur. Et ea ratione totum fuisse executioni mandatum docuit sanctus Ioannes 19, 31. dicens: *Iudæi ergo (quoniam Parasceue erat) vt non remanerent in cruce corpora Sabbato (erat enim magnus dies ille Sabbati) rogauerunt Pilatum vt frangerentur eorum crura, & tollerentur.*

Sepeliebant Iudæi apud mortuos mortis instrumenta.

Alterum fundamentum est, fuisse apud Iudæos consuetudinem, instrumenta mortis sepelire, vel iuxta corpora damnatorum, vel non multùm longè ab eis. Ita refert Cardinalis Baronius Tom. 3. Annalium an. Christi 326. Alij idem dicunt, vt colligitur ex Compendio Talmud, dicto Alphasi, & ex Rabbinis, Iacob Turim, & Moyse Ægyptio: hi enim dicunt, apud eos fuisse prohibitum corpora malefactorum sepelire in cœmeteriis, vel locis, vbi eorum corpora, qui malefactores non fuerant, humabantur, sed longè ab ipsis. Non procul verò à sepultura corporum interfectorum per ministros iustitiæ sepeliebantur cruces, quibus damnati affixi fuerant, cum aliis instrumentis mortis, vt clauis, fustibus, &c. ideò Iudæi reos in arboribus crucifigi nolebant, sed vt ex lignis diuitis & fectis fabricarentur cruces præcipiebant, vt statim à terra auferri possent: pari ratione Iosue, Regem Hai, quem iussit suspendi ad vesperam, ad solis occasum de ligno præcepit deponi.

Difficultas.

Vt verò quæ in isto notando dicta sunt plenius dilucidentur, difficultas, quæ contrà fieri potest, proponenda & diluenda est. Gabaonitæ, vt sacra Regum testatur Historia, crucifixerunt septem filios Saul in mon-

te coram Domino; nec eo die, quo crucifixi fuerunt, depoſuerunt de patibulis, vt manifeſtum eſt conſideranti hiſtoriam illam; qui ob id minimè reprehenſi fuerunt: Dauid enim illos de patibulis depoſitos iuſſit honorificè ſepeliri cum oſſibus Saul & Ionathæ filij eius in ſepulchro Cis patris Saul.

Soluitur. Reſpondetur, hæc non officere; nam præceptum illud fuit datum Hebræis, & ab eiſdem erat illa conſuetudo obſeruanda: at Gabaonitæ Hebræi non erant, ideò ad illius præcepti conſuetudiniſque obſeruantiam non tenebantur. Nec officit, quòd Gabaa eſſet in Beniamin, tribu Iudæorum; quia non ideò qui crucifixerunt filios Saul Iudæi erant, ſed exteri: quod clarè 2. Regum 21, 2. indicat hiſce verbis ſacra Scriptura: *Porrò Gabaonitæ non erant de filiis Iſraël, ſed reliquiæ Amorrhæorum.* Et protectò, ſi Iſraëlitæ fuiſſent, pacem non poſtulaſſent à filiis Iſraël, vt poſtularunt: nec filij Iſraël iuraſſent, ſe non eos interfecturos. Dicebantur autem de Beniamin; quia in ſorte Beniamin habitabant. Quare illorum factum diuino præcepto Iudæorumque conſuetudini non officit.

Iuſtitia Dei. Diuina etiam permiſſione & ordinatione illud creditur factum fuiſſe, vt diuinum iudicium contra Saul & domum eius omnibus innoteſceret; quoniam Saul contra iuramentum & Dei voluntatem occidit Gabaonitas: ideò non mirum, ſi filij eius fuerint ſuffixi patibulis, & eorum corpora hominum conſpectui per aliquod tempus in ipſis patibulis relicta.

Sed contrà opponet quis factum Dauidis: qui licet eſſet Iſraëlita de tribu Iuda, legis diuinæ & laudabilium ordinationum obſeruantiſſimus, tamen non modico tempore corpora illa inhumata in patibulis reliquit; & depoſita, non cum interfectis ſepeliuit, ſed in honeſto ſepulchro, vt dictum eſt.

Reſpondet Lyranus in 2. Reg. 21. legem, quæ Deut. 21. obſeruanda præcipitur, fuiſſe de communi lege: quod & dicere poſſumus de altera, de humandis corporibus crucifixorum non procul à patibulis; ſed in hoc facto fuit principaliter reuelatum ipſi Nathan Prophetæ, & per Nathan Dauid, quòd voluntas Dei erat, vt manerent in patibulis, donec oſtenderetur ſignum propitiationis diuinæ per conceſſionem pluuiæ. Addere poſſumus, ad iuſtitiam diuinam magis declarandam, piiſſimum etiam Dauidem voluiſſe erga illos pietatis officium exhibere, ne in eorum morte & ignominia delectari & mortuos perſequi videretur. Sed, his etiam ſecluſis, non eſt ſuſpicandum, Dauidem contra legem feciſſe; nam ipſam intelligendam eſſe de illis, qui à iuſtitia vt fontes & malefactores occidebantur illo mortis genere, non eſt dubiò vertendum: ſed filij Saul non fuerunt vt fontes à iuſtitia crucifixi, ſed à iuratis hoſtibus, in odium & vindictam; quare abſque legis offenſa potuerunt honorificè ſepeliri. Voluit etiam Dauid Rex illos honorifica ſepultura honorare; quia filij Regis erant: ſunt enim Reges & eorum filij honorandi.

Verùm in morte Chriſti non fuit in lege illa diſpenſatum cum eo; quia vt ſeductor & malefactor per iuſtitiæ miniſtros morte dignus iudicatus fuit, & per eos cum aliis fontibus cruci affixus, vt patet in Euangelio; quare ante ſolis occaſum debuit eius ſanctiſſimum corpus deponi de cruce: nam nec fuit neceſſarium diu in ipſa manere, ad diuinam iuſtitiam & propitiationem oſtendendam; quoniam modico illo tempore quo manſit in cruce, ſatis manifeſtata fuit infinitæ propè hominum multitudini, quæ ad Paſchæ ſolemnitatem Ieroſolymis conuenerat, quando ipſe innocens *vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra*; quando Patrem pro perſecutoribus exorauit, & pro ſua reuerentia fuit exauditus; quando latroni Paradiſum elargitus fuit; quando denique ſua omnipotenti virtute totum mundum ad ſe traxit, & Patri ſuo reconciliauit.

Corpus Chriſti eodem crucifixionis die depoſitum fuit de cruce.

Iſa. 53.

His ſic explicatis, hæc dicunt poſterioris ſententiæ ſectatores de loco inuentionis ſanctæ Crucis, Depoſitis de cruce corporibus interfectorum, Chriſti & latronum, Chriſti curam ſuſcepiſſe Ioſeph ab Arimathæa & Nicodemum, occultos Chriſti diſcipulos, & iuxta Caluariæ montem ſepeliſſe, vt dicitur Ioan. 19. latronum verò corpora ipſoſmet Iudæorum miniſtros in Caluariæ monte humaſſe; cruces verò tam Chriſti quàm latronum, magna cum feſtinatione prope Caluarium facta fouea, omnes ſimul, vnà cum aliis paſſionis inſtrumentis, ſepeliſſe; quæ ob proiectos ſuper eam lapides & ſordes in montem excreuit. Quare cùm in hiſtoria inuentionis ſanctæ Crucis dicitur, quando Helena cruces inuenit, fuiſſe in profundiſſimo loco; non ideò hoc dicitur, quòd fuerint in valle vel foſſa ſepultæ, ſed quia lapides, ſordes & ruinæ ciuitatis ex illa parte Caluariæ montis in tantum excreuerant, vt montem effecerint, vt dicit Sulpitius Seuerus. Atque ex his arbitrantur, ſatis confutatam eſſe Brocardi ſententiam, longeque à veritate aberrare, tum propter legem & conſuetudinem aſſignatam; tum quia nullus ex veteribus

Tertia ſententia explicatur.

Diuina propitiatio.

Digitized by Google

tibus hiſtoricis illud dicit. Sozomenus, cum Theodoreto & aliis Hiſtoricis, ait, Crucem Domini inuentam fuiſſe prope Dominicum Sepulchrum, & in Caluariæ monte, ſimul cum crucibus latronum: in Hiſtoria inuentionis S. Crucis, quam approbat Eccleſia, idem habetur. Et hæc pro Auctoribus tertiæ ſententiæ de loco inuentionis ſint dicta.

CAPVT XVIII.

Sententia poſtremo loco adducta Capite præcedenti de loco inuentionis S. Crucis diſcutitur.

NOn erit abs re, in argumento, quod præ manibus habemus, examinare confutationem opinionis Brocardi & opinionem poſteriùs adductam Capite præcedenti de loco inuentionis S. Crucis: & præter dicenda Capite ſequenti, non adeò improbabilem eſſe opinionem Brocardi oſtendo. Dico itaque, dum Brocardus ait, cruces crucifixorum inuentas fuiſſe in foſſa illa, non ideò licere inferre, Iudæos feciſſe contra eorum legem & conſuetudinem; imò ſic dicendo, commodiùs illa ſeruata inuenietur, quàm illis aſſentiendo. Etenim foſſa illa eſt ſub ipſo loco, vbi Chriſtus fuit cum latronibus in Caluariæ monte crucifixus: in quam ſtatim, depoſitis de cruce corporibus, potuerunt miniſtri cruces & alia paſſionis inſtrumenta proijcere; at non ita facilè potuiſſent, ſi terram vel rupem montis excauare debuiſſent. Et quomodo locus inuentionis S. Crucis aſſignatus à Brocardo non eſt proximus Sepulchro Domini, cùm ab eo ſexaginta vel ſeptuaginta greſſus dumtaxat diſtet? Præterea, locus crucifixionis Sepulchro Domini proximus eſt, vt ex Ioannis Euangelio apparet, nec vllus ſanæ mentis negabit; igitur & memoratus: in quem, ſecundùm Brocardum, proiectæ fuerunt cruces; quoniam ſub illo crucifixionis ſitus eſt.

Cùm dicunt, Nullus ex vetuſtis Scriptoribus dicit quod retulit Brocardus, hoc ego non facilè conceſſerim; quin credo, eos qui de inuentione Crucis ſcripſerunt, facilè trahi poſſe ad explicandam & roborandam ſententiam Brocardi, vt illos legenti patere poteſt: vel certè oppoſitum vel diuerſum ab eo non dicunt. Præterea, nullus vetuſtus Hiſtoricus illud dixit; ergo non eſt verum, quod Brocardus & vetus traditio de loco inuentionis S. Crucis docuit. Et vnde locus? & quæ conſecutio? An non etiam veteres Scriptores aliqua poſterioribus dicenda reliquerunt, vel etiam conſulto omiſerunt, quòd eſſent celebèrrima fama commemorata, ex quibus hoc vnum credimus, quod de loco inuentionis dixit Brocardus? Et profectò magis credendum oculato & prudenti teſti, & oculatæ communitati aliquid aſſerenti, quàm paucis non oculatis oppoſitum dicentibus abſque efficaci ratione vel auctoritate, illud tantùm negantibus, quia apud vetuſtum Scriptorem non inuenerunt; quaſi antiqua & communis traditio non æquipolleat paucis antiquis Scriptoribus. Optimè enim S. Auguſtinus: *Abſit vt ea ſciri negemus, quæ celeberrima fama commemorat.* Et, vt reor, maiorem nouitatem habet horum ſententia quàm Brocardi.

Inſuper in hoc fides Brocardo præſtanda eſt; quia in ſacra Scriptura verſatus, & in Hiſtoria traditionibuſque locorum ſanctorum optimè inſtructus: etenim per decem annos fuit in Terra ſancta, illam diligenter luſtrauit; potuitque, optimè vrbis Ieruſalem & montis Caluariæ diſpoſitione conſiderata, diiudicare, an memorata foſſa illa fuerit, in quam fuerunt cruces proiectæ, & poſteà ab Helena inuentæ, & ſuam proferre ſententiam, quam ex communi traditione didicit, pia fidelium veneratione & ſummorum Pontificum Indulgentiis approbatam.

Accedit, quòd Ieroſolymis alius locus inuentionis S. Crucis ab aſſignato & deſcripto à Brocardo non oſtendatur nec honoretur: qui ſi talis non eſſet, maximè culpandi eſſent antiqui fideles, quòd memoriam proprij loci inuentionis S. Crucis non conſeruaſſent, cùm tamen aliorum conſeruarint, quæ non tanta veneratione ſunt conſpicua. Et, ſi negetur Brocardi ſententia & communis, Deus ipſe in præſentia videretur nolle locum illum debito honore honorari, quem aliàs tamen ſua Cruce ſanctiſſima honorari voluit: nec alibi Helena Eccleſiam ad honorem inuentionis S. Crucis ædificauit ab ea quæ apud dictum antrum ædificata eſt.

His adde, quòd ſi ſerò depoſitum fuit corpus Chriſti de cruce, quia hora Completorij, vt tenet Eccleſia; igitur & alia latronum corpora ſimiliter depoſita fuerunt; & conſequenter magna cum feſtinatione ſepelierunt, & cruces & alia mortis inſtrumenta abſconderunt vel humarunt: at citiùs id præſtitiſſent, ſi illa in dictam foſſam vel ciſternam proiecciſſent, quàm ſi non terram, ſed rupem excauare debuiſſent, quod tempus non exiguum requirebat. Etenim Caluariæ mons, vt plerique alij in iſtis partibus, non ex molli terra, ſed ex rupe eſt: &

in

in rupe nunc monſtratur locus vbi plantata fuit S. Crux; & reſiduum, quod ex illo monte remanſit, rupes eſt, quem ob hanc fortè rationem ſaxoſum appellauit Simon de Caſſia lib. 13. de Paſſione.

Quòd ſi poſterioris ſententiæ auctores dicere vellent, ciſternam illam, vel foſſam, eſſe illam quam tunc fecerunt: hoc ſanè eſſet mirabile, quia vix vno menſe excauari potuiſſet, & non hora vna vel die vno, vt hora vna plus minúsve excauatam fuiſſe illi docent.

Nec quando inuentæ fuerunt cruces, verè dici potuiſſet, fuiſſe in foſſa alta, quia lapides vel ſordes ſupra proiectæ fuiſſent, ſed quia verè alta & profunda erat.

Denique modus dicendi illorum non videtur ſatisfacere; nam dicitur in Hiſtoria Inuentionis S. Crucis, quando S. Crux fuit inuenta, fuiſſe excauatam terram, & non complanatam; at hoc dixiſſet, ſi in foueam illam non fuiſſet proiecta, vel inuenta. Quare ſententiæ Brocardi, imò communi, non refragantur dicta ab Auctoribus poſterioris ſententiæ; & ego illam, quantum ad id quod dicit de loco, libenter amplector, licet, quantum ad aliqua, libenter ſimiliter recedam à Brocardo, propter dicenda Capite ſequenti in explicatione communis ſententiæ ſiue traditionis de iſto ſanctiſſimo loco.

CAPVT XIX.

Communis traditio de Inuentione S. Crucis Saluatoris noſtri ſecundùm mentem Auctoris.

PRo maiori clarioriſque intellectu Hiſtoriæ Inuentionis S. Crucis Domini noſtri, præter duo fundamenta Capite præcedenti poſita, tria alia in præſenti obſeruanda & explicanda ſunt.

Diſſimiliter actum cum cruce Chriſti & latronum.

PRIMVM eſt, aliter loquendum eſſe de cruce Chriſti, ac de crucibus latronum: quemadmodum aliter cum corpore Chriſti quàm cum corporibus latronum actum fuit. Corporis enim Chriſti curam habuerunt duo ex illius diſcipulis, Ioſeph ab Arimathæa & Nicodemus, vt Euangelica veritas docet: corporum latronum iuſtitiæ miniſtri, vel Iudæi curam ſuſceperunt, ne, contra illorum legem & conſuetudinem, in illa ſolemnitate in cruce remanerent. Itaque aliter arbitror cum Chriſti cruce & aliis latronum crucibus & mortis inſtrumentis actum fuiſſe, quòd latronum curam habuerint Iudæi, vt concorditer alij fatentur; ſed crucis Chriſti curam ſuſceperunt ijdem nominati Chriſti diſcipuli, qui vt rem pretioſam abſconderunt: in ſe enim experti fuerant virtutem ſanctæ & viuificæ Crucis.

Ioſeph & Nicodemus crucem Chriſti curauerunt, ſicut & Chriſtum.

Ad hoc autem opinandum moueor, tum ex ſtatim dicendis in ſecundo Notabili, tum ex dictis Lib. III. Cap. XLIII. de magna ſollicitudine veterum fidelium conſeruandi ſacras Reliquias, & eximia erga eaſdem veneratione: quantò ergo magis credere nos debemus, ſollicitos fuiſſe de conſeruanda Dominica Cruce, præcipuo Chriſti paſſionis & noſtræ ſalutis inſtrumento, tuto aſylo vexilloque Chriſtianorum? Et ſanè Auctor Supplementi Chronicorum libro 8. tradit, Nicodemum clauos, lanceam, linteamina ac quæque paſſionis inſtrumenta diligentiſſimè ſeruaſſe. Arbitror itaque, ſanctos illos non ampliùs occultos, ſed manifeſtos, & dilectiſſimos Chriſti diſcipulos, Ioſephum & Nicodemum, ſanctam Crucem accepiſſe, & magna cum reuerentia, vt ſacras Reliquias & pretioſum theſaurum, cuſtodiſſe, vel abſcondiſſe; ſicque faciendo, vel diuinæ legis vel Iudæorum conſuetudinis tranſgreſſores dici minimè potuiſſe. Lege Mallonium in ſacram Sindonem pag. 22. B. & 249. A.

Adhæc, ita accidiſſe mihi perſuadeo ex his quæ S. Paulinus Nolæ Epiſcopus Epiſtol. 11. Tom. 9. Biblioth. veterum Patrum ſcribit in hæc verba: *Ergo crux Chriſti tot operta atatibus, & Iudæis tempore paſſionis abſcondita*, &c. Et à quibus melius credamus fuiſſe abſconditam, quàm à ſanctiſſimis illis diſcipulis auctoritate & pietate eximiis, quemadmodum ab ipſis corpus Chriſti ſepulturæ commendatum? Nam alij Iudæi haud abſcondiſſent, ſed abieciſſent, quia inimici crucis Chriſti.

Crux ſtatim poſt Chriſti mortem in honore habita.

ALTERVM NOTANDVM, quod præcedens magis confirmat; eſt, Crucem Chriſti poſt eius mortem ſtatim fuiſſe in veneratione habitam; cuius adorationem, Apoſtolorum traditionem extitiſſe, docet S. Ioannes Damaſcenus cum aliis: & omnino ita credendum, aliter ad noſtras manus crucifixi exemplar à Nicodemo exciſum non veniſſet, quod nunc Lucæ in Tuſcia in illius Cathedrali Eccleſia magna veneratione aſſeruatur: nec Iudæi (quod plures ſcripſerunt Auctores) vt illius memoriam prorſus auferrent de mentibus fidelium, perſuaſiſſent Gentibus, vt in loco, vbi erecta fuit S. Crux, erigerent idolum Veneris; nec vt inquit Iſidorus, quis ex Chriſtianis, ad quorum aures peruenſſet notitia S. Crucis, auderet illuc accedere, & locum Crucis venerari, ne idolum adorare crederetur; ſicut & in loco reſurrectionis ſimulacrum Iouis, vt reſurrectionis Chriſti memoriam

moriam penitus abolerent. vnde S.Hieronymus Epistola ad Paulinum, de Institutione Monachi, dicit: *Ab Adriani temporibus vsque ad Imperium Constantini, per annos circiter centum octoginta, in loco resurrectionis simulacrum Iouis, in crucis rupe statua ex marmore Veneris à Gentibus posita colebatur, existimantibus persecutionis auctoribus, quòd tollerent nobis fidem resurrectionis & crucis, si loca sancta per idola polluissent.* & idipsum in Historia inuentionis S.Crucis, quam in eius festo recitat Ecclesia, asseritur. Idem docet Tertullianus, qui floruit anno Domini 200. vicino temporibus Apostolorum, in Apologetico cap. 16. dum respondet obiectioni Gentilium de adoratione Crucis; & Minutius in Octauio.

Christus quo anno passus.

TERTIVM NOTANDVM est, Christum Dominum passum fuisse anno ætatis suæ 33. & Crucem eius inuentam fuisse anno ab eius felicissimo ortu 326. vt ostendit Cardinalis Baronius Tom. 3. Annal. ad istum annum: idipsum communiter Doctores tradunt, vt infrà dicemus; in loco verò, in quo demum ab Helena inuenta fuit, delituisse centum circiter octoginta annis, vt dicitur in Breuiar. Rom. in festo Inuentionis S.Crucis, & in adducto Hieronymo.

Crux non fuit statim proiecta in sordidum locum post Christi mortem.

Si hæc vera sunt, vt esse verissima creduntur, euidenter colligitur, S. Crucem non statim post Christi mortem fuisse proiectam, vel in vallem cadauerum, vt Adrichomius; vel in fossam illam, vt dicebat Brocardus Capite præcedenti relatus; vel, vt alij, facta fouea sepultam; (tunc enim non tantùm 180. annis delituisset, sed 296. tot enim currunt à morte Domini vsque ad Crucis inuentionẽ, sicut 326. ab eius ortu:) igitur alio tempore, quod fuit 113. annorum (tot enim oportet decurrisse à morte Christi vsque ad tempus quo fuit abscondita;) & fuit annus Domini 146. quando in locum immundum proiecta, ex quo postea anno Domini 326. in lucem prodiit, & denuò à fidelibus venerationi habita. Mihi ad hoc facere videtur quod Cardinalis Baronius scribit in Notis Martyrol. Rom. ad diem 3. Maij, quando recolitur festum Inuentionis S. Crucis: *Inuentionem*, ait, *Crucis cùm Graci non habeant in Menologiis, ea esse causa videtur, quòd inter mobilia festa eadem adnumerabatur: tertia enim die à Resurrectione Domini celebrabatur Crucis resurrectio, cùm nimirum sursum emergens, miraculis coruscauit.*

Inuentio Crucis quare dicta resurrectio.

Antequam rationem proponam, quare sanctæ Crucis inuentio sit illius resurrectio nuncupata, aduerto, P. Iacobum Gretserum Tom. 1. de S. Cruce lib. 1. cap. 64. sentire, apud Græcos nullum esse festum Inuentionis S.Crucis; tum quia si esset aliquod, fieret mentio in illorum Ritualibus & Ecclesiasticis Officiis: & tamen nulla fit, nec Homiliæ orationésve Patrum Græcorum pro tali solemnitate, sicut pro illius Exaltatione aliisque solemnitatibus inueniuntur: tum quia Oratio Sophronij, in qua videtur anteposita sententia Inuentionis sanctæ Crucis sub Resurrectionis titulo indicari, non loquitur de festo Inuentionis Crucis, sed de templi Resurrectionis Domini Dedicatione, vt nos suprà Cap. IX. ex eodem notauimus. Sed quidquid sit de hoc, fortasse non fit illius mentio, nec in illius festo habuerunt Patres Homilias & Orationes, quia non æquè celebre ac alterum Exaltationis; tamen non obstat, quin sit verè memorabilis dies Inuentionis S. Crucis apud populum, ob inuentæ Crucis beneficium, sicut accidit in Ecclesia Romana. Quidam Sancti communiter à populo celebrantur; quorum tamen haud notatur Officium in Breuiario, vel in Martyrologio memoria recolitur. Simile de S. Crucis inuentione multò magis opinari possumus, quandoquidem plures Græci scriptores meminerint eiusdem inuentionis: & Græci communiter, quantum vidi, locum inuentionis sanctæ Crucis maximè venerantur. Hoc mihi satis ad intentum, doctos viros rectè censere, diem Inuentionis S.Crucis, eiusdem resurrectionem nuncupari. Sed quanam ratione tali est insignita nomenclatura, cùm certum sit, resurrectionis nomen nonnisi rebus animatis propriè conuenire?

Responderem, tali nomine indicari quod proposuimus, S.Crucem multò antè quàm sub Magno Imperatore Constantino inueniretur, fuisse in honore ac veneratione habitam. *Resurrectio enim*, secundùm diuum Damascenum lib. 4. Fidei orthod. *est secunda eius quod dissolutum est, & cecidit, surrectio.* Itaque, si cruci per metaphoram & analogiam resurrectionis nomen tribuitur, & definitio Resurrectionis tribuatur; dicaturque, ideò inuentionem S.Crucis fuisse nuncupatam eiusdem resurrectionem, quia cùm ea post Christi mortem viueret, vt ita dicam, magno cum honore apud fideles vsque ad annum ab ortu Domini 147. & a Christi resurrectione 113. & inde velut mortua in sordibus & puluere delituisset vsque ad annum Domini 326. hoc ipso anno resurrexisse meritò dicta est, cùm à piissima Helena, sub auspiciis Christianissimi Constantini, è sordidissimo illo & puluerulento loco eruta, denuò cœpit in honore haberi, miraculis & gloria coruscare; & ita intentum patet, non statim post

Christi

Christi mortem fuisse S. Crucem in sordidum aliquem locum proiectam.

Confirmatur ex Collecta, quam in eiusdē Crucis inuentionis festo sanctā Romana recitat Ecclesia; quæ sic habet: *Deus qui in præclara salutifera Crucis inuentione passionis tuæ miracula suscitasti*, &c. Et quæ miracula facta fuerunt in Christi passione, postea in Crucis inuētione suscitata? Terra mota fuit, mortui fuerunt ad vitam excitati, & peccatores ad Christum conuersi. *Terra mota est*, inquit Matth. 27, 51. *& monumenta aperta sunt, & multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt. Centurio autem, & qui cum eo erant custodientes Iesum, viso terræmotu & his quæ fiebant, timuerunt valdè, dicentes: Verè Filius Dei erat iste.* Ampliùs, ipse Christus fuit à morte ad gloriosam vitam reuocatus, & ab omnibus iustis & peccatoribus tamquam verus Rex & omnium Dominus, sicut anteà prædixerat, cognitus. Non dissimiliter accidit in S. Crucis inuentione: terra mota fuit, Sepulchrum Christi patefactum, mortui ad vitam restituti, peccatores illam custodientes, vel illius notitiam habentes, ad Christum conuersi, & ipsa Crux è sordibus, ruderibus ac obscura fossa eruta, gloria & honore in terra & in cælo sublimata fuit, cum omnium gaudio & exultatione, vt ex duobus proximè sequentibus Capitibus apparebit. Optima igitur ratione, Crucis inuentio sub nomine Resurrectionis indicitur, & in eadem passionis Christi miracula suscitata perhibentur.

Miracula facta in morte Christi & Crucis inuentione.

Quæ si vera sunt, duo cogimur distincta assignare loca in quibus mansit S. Crux, antequam ab Helena inueniretur: alterum, in quo honorata fuit 115. annorum curriculo: alterum, in quo delituit in sordibus annis 180.

His sic explicatis, dicerem (saluo semper meliori iudicio) rem in hunc modum se habuisse. Obtenta Ioseph ab Arimathæa licentia à Pilato tollendi corpus Christi de cruce, perrexit cum Nicodemo, seruis eorum comitantibus, ad Caluariæ montem: tunc sancti illi discipuli reuerenter Magistri corpus de cruce deposuerunt; & munda sindone inuolutum, in monumento nouo, loco crucifixionis proximo, aromatibus conditum honorificè sepelierunt, vnà, vt pluribus placet, cum clauis & spinea corona, vt facerent secundùm consuetudinem Iudæorum: Crucem verò, quam ob magnitudinem Sepulchrum non capiebat, vel ipsimet, vel, ob temporis inopiam, illorum serui abstulerunt, eamque cum ceteris passionis instrumentis, tamquam pretiosas Reliquias, quæ Dominicum corpus tetigerant, & nostræ salutis instrumenta fuerant, in aliquo honesto loco absconderunt, vel reposuerunt; vt possent fideles ea venerari. Is verò locus vel fuit spelunca ad pedem montis Caluariæ, proxima loco inuentionis S. Crucis, & Sepulchro Domini, posteà in capellam conuersa, & D. Longino dicata, vt superiùs de ea agentes diximus, & est traditio in partibus istis, vbi mansit per aliquot annos cum illius titulo, quare & capella tituli S. Crucis appellata fuit: vel si non ibi, saltem in alio honesto loco fuit reposita, ab illo in quo fuit ab Helena inuenta, in quo à fidelibus honorabatur. Quod posteà impij infideles inimici Crucis Christi aduertentes, circa annum Domini 146. sub Ælio Adriano, secundùm D. Hieronymum, vel, secundùm computum Adrichomij ex Genebrardo, sub Antonino Pio, in fossam illam, de qua Capite præcedenti, proiecerunt, in quam anteà cruces latronū à militibus proiectæ fuerant, vel die quo fuerunt illorum corpora de illis depositā, vel etiam posteà; quæ deinde omnes sordibus, lapidibus & ruderibus ciuitatis opertæ, ab Helena Augusta simul, id est, in eadem fossa, repertæ fuerunt.

Quando Crux Saluatoris fuit in fossam proiecta.

Quid factum de S. Cruce post Christi mortem.

Hæc fossa, quæ siccæ cisternæ similitudinem gerit, cisterna verè fuit: sub cuius pauimento, quod nunc ibi stratum est, vel prope, quidam fide digni, & versatissimi in traditionibus locorum sanctorum, se ibi aquam vidisse testati sunt; quam adhuc nonnihil fluere, maxima loci humiditas persuadet, & structura idem indicat. Satis ampla est, sub loco montis Caluariæ vbi Christus fuit in cruce eleuatus sita: cuius pauimentum ab illo & summitate vlnis 20. distat, tantamque esse illius cisternæ altitudinem denotat. A magno templo superiori Dominicæ resurrectionis ad hanc foſſam descenditur per scalam 29. graduum, qui ex dolato marmore elaborati sunt, & pertranſitur Ecclesia, quæ S. Crucis vel S. Helenæ dicitur; illaque est quam S. Imperatrix ædificauit ad honorem inuentæ Crucis, de qua Eusebius Cæsariensis, & alij. In eius medio sunt quatuor marmoreæ columnæ, hemisphærium Ecclesiæ, vnde & per feneſtras vitreas lumen recipit, sustentantes: in fronte verò est capella, quæ sub inuocatione S. Helenæ honoratur, de qua pòst agemus. Ex illa, procedendo ad dexteram partem, descendimus per duodecim gradus in rupe montis Caluariæ ruditer excisos ad locum inuentionis S. Crucis: in eius latere apparet scissura montis, quæ creditur ab aliquibus facta in morte Domini, quando terra mota est, & petræ scissæ sunt, sed falsum, & à sensu reiectum;

Descriptio loci inuentionis sanctæ Crucis.

ibi

ibi enim erat canalis ciſternæ, prout qui viderunt & abſtulerunt fide digni renuntiarunt. In fronte eſt altare, in quo pro pietate Sacerdotum, &, ob loci ſanctitatem, Miſſa celebratur. Singulis annis 3. Maij, quando Eccleſia celebrat feſtum Inuentionis ſanctæ Crucis, ibi à Fratribus ſancti Franciſci Miſſa & Officium ſolemniter decantatur. Iſti ſemper ante ipſum lampades accenſas tenent, quod & à latere eius faciunt Græci: ab omnibus enim tam Catholicis quàm ſchiſmaticis locus iſte magna in veneratione habetur, quòd omnes credant, illum eſſe in quo multo tempore delituit ſancta Crux, & ibidem à S. Helena poſtmodum inuenta.

Antiqua pictura hiſtoriæ inuentionis & Crucis.

In capellula altaris ſuperiùs in fornice eſt depicta ſancta Regina Helena cum cruce, & hinc inde viri, & à læua illius Iudas ille Hebræus genuflexus digito oſtendens locum ſanctæ Crucis. Viginti abhinc annis meliùs apparebant dictæ picturæ, nunc ferè antiquitate & magis humiditate conſumptæ, tamen quod diximus demonſtrant. Addunt veteres, ideò ibi fuiſſe depictas, quia erat os ciſternæ, per quod proiecta fuit ſancta Crux. Deforis ſupra ipſum eſt pulchra & virens olea. Ibi etiam videntur ruinæ magnæ Eccleſiæ montis Caluariæ; & decem abhinc annis multò maiores videbantur; ſed Gubernator quidam ciuitatis deſtruxit, & cum aliis aliarum Eccleſiarum ruinis abſtulit, vt ſibi & filiis amplas ædificaret domos, vt ædificauit, ſed non multò pòſt iectus, illis perfrui non potuit.

Hæc dixi de inuentione ſanctæ Crucis opinando potiùs, & prout elicere potui ex dictis illorum, qui, ob diuturnam moram in locis ſanctis, magnam habent eorumdem & veterum traditionum cognitionem, quàm aliquid firmiter aſſerendo. Quæ ſi non placent, dicas cum Brocardo, Iudæos, vel Gentiles, qui abſtulerunt patibula latronum, abſtuliſſe & Crucem Chriſti, & cum inſtrumentis aliis mortis in illam foueam proieciſſe; quæ omnia poſteà ſimul ab Helena inuenta fuêre.

Difficultatis ſolutio.

Sed quid dicendum ad obiectionem quæ fieri poſſet ex compùto ſuperiùs in tertio Notabili poſito? Reſpondetur multipliciter: Primò, dicendo, mendum eſſe in computo D. Hieronymi, quod ſic corrigendum, & pro 180. legendum 296. tot anni enim fluxerunt à morte Chriſti vſque ad ſanctæ Crucis inuentionem, vt diximus. Non facile hanc admitterem ſolutionem; quoniam eamdem lectionem ſemper retinuit Eccleſia in Breuiario, poſt illius multiplicem recognitionem.

Secundò, dici poſſet, tempore mortis Chriſti, omnes quidem cruces, ipſius & latronum, in foſſam fuiſſe proiectas; ſed ſolùm tempore Ælij Adriani, qui ferè ſolo æquauit ciuitatem, vt alibi dictum, ruderibus ac eiuſdem iniectis ruinis opertas. Quæ reſponſio non multùm mihi ſatisfacit, tum propter iam dicta; tum quia pietati feruentium naſcentis ac primitiuæ Eccleſiæ fidelium derogat: non enim credendum, pretioſum lignum, eorumdem ſalutis inſtrumentum, in tam ſordido loco relicturos, ex quo, vt iam vidimus, illius ſolam imaginem venerabantur.

Tertiò, potiùs dicatur, illos centum octoginta circiter annos, poſt quos dicitur inuentam fuiſſe ab Helena Dominicam crucem, non eſſe accipiendos ab illo tempore in quo fuit abſcondita, vel in foueam proiecta; quia, vt probatum fuit, multò plures intercurrerunt; ſed ab alio, in quo à Gentibus idolum Veneris poſitum fuit in loco Crucis, ad tollendam Chriſti Domini paſſionis memoriam.

Difficultatis alterius ſolutio.

Si quis dicat, vnà cum cruce inuentas etiam fuiſſe duas latronum; igitur ſimul proiectæ fuerunt in foueam, & ipſo tempore mortis Chriſti, quia eodem & illæ latronum ſepultæ fuerunt.

Reſpondetur dupliciter: Primò, quòd aliæ duæ cruces, vt quidam ſuſpicantur, non fuerunt ſontium cum Chriſto occiſorum, ſed aliorum poſteà interfectorum: quæ proiectę ab infidelibus tempore Adriani vnà cum cruce Chriſti, ad huius confuſionem, ne à Chriſtianis aliquando humo effoſſa ob illius inuentionem, propter alias ibi exiſtentes, etiam inuenta non cognoſceretur, ſicut verè accidiſſet, niſi miraculum interueniſſet.

Vel dicatur ſecundò, fuiſſe omnes illas cruces Seruatoris & latronum ſimul inuentas, id eſt, in eadem foſſa, ſed non ſimul in eodem peculiari loco, vt ita dicam, agglutinatas ſiue iunctim poſitas, ſed diſperſas; ita vt, excauata humo, primò ſancta Crux Saluatoris apparuerit, vel ab ea ſeparatus titulus: & quia illa viſa, indubiè ſcire nequibant, an eſſet, quam inquirebant, ſcientes & alias ſontium cruces in ſordidum illum locum eſſe proiectas, vlteriùs effodientes, ſi fortè aliam inuenirent, quæ notâ aliquâ eſſe propriam Saluatoris præmonſtraret, apparuerunt duæ illæ latronum, & fortè etiam aliæ, ſed non exinde certiores de Cruce Chriſti. Quare videntes naturalia humanaque media non ſufficere ad ſalutarem Crucem dignoſcendam, ad miraculum recurſus factus eſt; & miraculis certò fuit cognita, vt Cap. XXI. dicemus.

Quartò denique poſſet non improbabiliter

biliter dici, argumentumque assumptum in hunc modum explicari, Christo & latronibus de cruce depositis, Ioseph um & Nicodemum omnes cruces accepisse, & abscondisse; ne sola Christi accepta, aliis relictis, Iudæi perperàm aliquid de ipsis suspicarentur, ac contra ipsos malum aliquod molirentur, duas latronum in memoriam, & alteram Christi ad honorem reseruantes. Et hæ omnes, post illorum obitum simul inuentæ, anno Domini 113. in dictam cisternam vel sordidam foueam simul proiectæ, post centum octoginta annos, anno videlicet Domini 326. simul ab Helena inuentæ fuerunt. Quæ si vera essent, clarè soluta remaneret difficultas.

Dubij solutio. Sed adhuc est dubium diluendum. Ioseph & Nicodemus post Christi mortem non timidi & occulti, sed feruentes & manifesti eiusdem Christi discipuli opere se exhibuerunt; non debuerunt ergo timere, relictis crucibus latronum, custodire crucem Christi, sicut non timuerunt petere à Pilato corpus Iesu, & illud solemniter & honorificè sepelire, non similiter cadauera latronum.

Fervor & prudentia Ioseph & Nicodemi. Respondetur: Ex quo feruorem ostenderunt in petendo audacter corpus Iesu, & illud honorificè sepeliendo; ita prudentes se exhibuerunt auferendo omnes cruces simul, ne scandali & maletaciendi occasionem Iudæis præberent: quia inquit Apostolus. 1. Cor. 10, 32. *Sine offensione estote Iudæis, & Gentibus, & Ecclesiæ Dei.* Et hæc de his satis.

CAPVT XX.

Quo tempore, & à quo inuenta fuerit sancta Crux Saluatoris nostri; quómodoque cognitus fuerit locus eius.

SAncta Crux Reparatoris nostri Iesu Christi eo tempore inuenta fuit, quo liberè debitoque honore venerari potuit, & vnanimi omnium consensu, sub Imperio Magni Constantini: vnde Cyrillus, Episcopus Ierosolymitanus, ad Constantium Imperatorem, ipsius Magni Constantini filium, de hoc, tamquam de re omnium testimonio recepta, dixit: *Tempore quidem Deo dilectissimi & beatæ memoriæ Constantini patris tui salutare Crucis lignum Ierosolymis repertum est*, &c. At quo anno eius Imperij, non est ita compertum. Eusebius in Chronico meminisse videtur inuentionis sanctæ Crucis anno 10. Imperij Constantini, Domini verò 315. sic enim inquit: *Helena Constantini mater diuinis admonita visionibus, beatissimum Crucis signum, in quo mundi salus pependit, apud Ierosolymam reperit.* Suffragatur huic sententiæ Eusebius Papa natione Græcus, dú in Epistola tertia ad Episcopos Tuscię & Campaniæ Prouinciæ tradit, sub suo Pontificatu inuentam fuisse Crucem Domini nostri Iesu Christi, & ipsum festum de ea celebrandum instituisse. & ita refertur à Gratiano de Consec. dist. 3. hisce verbis: *Crucis Domini nostri Iesu Christi, quæ nuper, nobis gubernacula sanctæ Romanæ Ecclesiæ tenentibus, quinto Nonas Maij inuenta est, in prædicto Calendarum die Inuentionis festum vobis solemniter celebrare mandamus.* Hæc Eusebius Papa. Hic Pontifex rexit Ecclesiam sub Imperio Magni Constantini ante Melchiadem & Siluestrum; quia creatus fuit Pontifex anno Domini 309. & sedit in Pontificatu annos sex. Si ergo dicatur, anno extremo sui Pontificatus fuisse Dominicam Crucem inuentam, sequitur, verum esse quod citatus Eusebius dixit, inuentam fuisse anno 10. Imperij Constantini, & Domini 315.

Prima sententia, de tempore inuentionis S. Crucis.

Ceterùm non hæc probatur sententia; quoniam cómunis ei refragatur, quæ habet, Crucem Saluatoris nostri fuisse inuentam anno Domini 326. Imperij verò Constantini 21. sequenti anno post Nicænum Concilium. Ita Græci omnes Auctores, dum de aduentu Helenæ Ierosolymám loquuntur, quo tempore, & non priùs, inuenta fuit sancta Crux, secundùm omnes. *Refellitur prima sententia.*

Igitur anno Domini 326. Imperij verò Constantini 21. Helena in somnis admonita, ætate iam ingraueſcente, conquirendæ Crucis studio Ierosolymam venit, & inuenit, vt, quotquot de Crucis inuentione mentionem fecerunt, scriptis consignarunt: & disertis verbis legitur in Breuiario Romano in illius Inuentionis festo. Sed, aliis prætermissis, vnum audiamus Ambrosium factum elegantissimè enarrantem, qui in Oratione coram amplissimo Senatu, habita in laudem Theodosij defuncti Imperatoris, sequentia nostro proposito deseruientia dixit: *Venit ergo Helena, cœpit reuisere loca sancta: infudit ei Spiritus, vt lignum Crucis requireret. Accessit ad Golgotham, & ait: Ecce locus pugnæ, vbi est victoria? quæro vexillum salutis, & non inuenio? Ego, inquit, in Regnis, & Crux Domini in puluere? ego in aulis, & in ruinis Christi triumphus? Ille adhuc latet, & latet palma vitæ æternæ? Quomodo me redemptam arbitror, si redemptio ipsa non cernitur? Video quid egeris diabole, vt gladius, quo peremptus es, obstrueretur. Sed Isaac obstructos ab alienigenis puteos eruderauit, nec latere aquam passus est. Tollatur igitur ruina, vt vita appareat: promatur gladius, quo veri Golia caput est amputatum:* *Secunda sententia, & communis.* *S. Helenæ diligentia in Christi Crucis inquisitione.*

Digitized by Google

tatum: aperiatur humus, vt salus fulgeat. Quid egisti diabole, vt absconderes lignum, nisi vt iterùm vincereris? vicit te Maria quæ genuit Triumphatorem; quæ sine imminutione virginitatis edidit eum, qui crucifixus vinceret te, & mortuus subiugaret. Vinceris & hodie, vt mulier tuas insidias deprehendat. Illa quasi sancta Dominum ceſtauit; ego Crucem eius inuestigabo: illa generatum docuit, ego resuscitatum: illa fecit, vt Deus inter homines videretur; ego ad remedium peccatorum diuinum de ruinis elenabo vexillum. Hactenus S. Ambrosius.

Responsio ad rationem primæ sententiæ.

Et quid ad dicta pro priori sententia dicendum? Quantùm ad Eusebij Chronicon respondet Cardinalis Baronius Tom. 3. Annal. ad annum Christi 326. Imperij Constantini 21. illud à librariis admodum esse deprauatum, quod & eodé Tomo anno superiori ostendit. Et verè in proposito ita esse, tum ex dictis tum ex eo conuincitur; quia Crucis inuentio ponitur post Nicænum Concilium, igitur non anno 10. sed 21. Imperij Constantini, quando illud fuit celebratum, vt docet Sozomenus lib. 2. c. 1. Et ex dictis colligitur, falsum esse quod scribit Zonaras Annal. Tom. 3. Helenam, post baptizatum Constantinum, adscito sibi comite sancto Siluestro, Ierosolymam profectam esse; nam nec auctoritate nec ratione id probatur, sed contrarium: non enim reperitur, vel dicitur, sanctum Siluestrum Ierosolymis fuisse; aliqua enim mentio ab antiquis Scriptoribus facta fuisset.

Sed quid respondebimus ad confirmationem ex Eusebio Papa? An historia ibi indicata, de inuentione Crucis, apocrypha est? etenim Gelasius in decreto de libris apocryphis apud Gratianum dist. 15. c. Sancta Romana. non ita probat scripturam de inuentione sanctæ Crucis: & protectò, putandum non est, esse locutum de historia quæ à sancto Ambrosio narratur, & probatur in citata Oratione, in funere Theodosij Imperatoris habita, & à S. Paulino in Epistola 11. ad Seuerum, & ab ipso Sulpitio Seuero Hist. lib. 2. cap. 8. Socrat. lib. 1. c. 13. Sozom. lib. 1. cap. 1. Theodoret. lib. 1. c. 18. & aliis; qui ab his acceperunt, vt notauit Baronius in Notis ad Martyrol. Rom. die 3. Maij; quoniam illam historiam amplexa est Ecclesia, vt diximus: ergo de alia historia locutus est Gelasius, & forte de illa quæ memoratur in illa Epistola Eusebij Papæ.

Sed illud obstat huic responsioni, quòd in illo Gelasij decreto à scripturis apocryphis excipiuntur decretales Epistolæ Pontificum, quæ suscipi debent in Ecclesia. vbi sic dicitur: *Decretales Epistolæ, quas beatissimi Papæ diuersis temporibus ab vrbe Romana pro diuersorum Patrum consultatione dederunt, venerabiliter suscipiendæ sunt.*

Respondetur dupliciter; Primò, non omnia in huiusmodi Epistolis contenta esse indubitanter vera: quædá enim asseruntur, vt ab aliquibus creditur, & vt tenet Pontifex, non vt Pontifex, sed vt Doctor; & illud de inuentione Crucis potest esse vnum ex illis. Secundò, dicendum, Decretalibus præmissis fidem adhibendam esse non vt Scripturæ sacræ & Oecumenicis Conciliis, sed vt dictis Doctorum: & patet in dicto decreto Gelasij; vbi, postquam sermo habitus est de sacra Scriptura & Oecumenicis Conciliis, quæ sunt de fide suscipienda, statim subditur de scriptis Doctorum, quibus non ita firmiter hæremus: & in pænultimo, vel etiam vltimo loco collocantur decretales Epistolæ Pontificum. Igitur; cùm Lib. 1. Cap. x. & LXXXIX. ostenderimus, non necessariò adhærendum esse sententiæ cuiuslibet Doctoris, sed rationabili existente causa ab eadem recedendum, & in argumento, quod tractamus, maior sit pro nobis auctoritas, communis tam Græcorum quàm Latinorum veterum & recentiorum Doctorum, & ipsius vniuersalis Ecclesiæ, hanc retinere debemus, aliquibus etiam refragantibus. Hæc tantùm proposita esse volui: alij meliùs argumentum prosequentur.

Sed qualiter locus sanctæ Crucis piæ Imperatrici innotuerit, sequentibus verbis indicauit Paulinus, Nolanus Episcopus, de Helena dicens: *Itaque non solùm de Christianis doctrina & sanctitate plenos viros, sed & de Iudæis peritissimos, vt propria, qua miseri & gloriantur, impietatis indices exquisiuit, & accitos in Ierosolymam congreganit. Tum omnium vna de loco testificatione confirmata, iussit illicò, vrgente sine dubio concepta reuelationis instinctu, in ipsum locum operam fossionis accingi.* Potuit verò locus innotescere ex lege Iudæorum, de humandis instrumentis mortis prope locum crucifixionis, vel ex traditione patrum ad filios.

Epist. 11. Tom. 4. Biblioth. vet. *Inuentionis S. Crucis locus quomodo cognitus.*

Addit Adrichomius ex aliis in Descriptione Ierusalem num. 242. Helenam, renuentibus Iudæis locum Crucis manifestare, quòd nescirent dicentes, omnes igne cremari præcepisse: qui sibi timentes, tradiderunt ei Iudam quemdam, virum in gente sua ætate præstantem, qui puer à parentibus suis, de his quæ Imperatrix scire ab illis cupiebat, fuerat instructus. Tum illa, ceteris dimissis, Iudam compellans, Mors, ait, & vita apposita sunt tibi, si non ostenderis mihi Crucem Christi; quodcumque volueris elige: ille verò tergiuersans, variis sermonibus moras nectebat; timebat enim

Helena minis vrget Iudæos ad locum Crucis ostendendum.

(id quod reuerà factum est) per Crucis prædicationem, leges & traditiones Iudaicas fore abolendas. Instat Imperatrix, vrget vt secretum prodat, variisque mortis minis hominem premit: at cùm nihil verbis proficeret, ad rem ventum est; nam in puteum aqua vacuum demittitur, & inedia periturus excruciatur. Cùm autem omni cibo sex diebus fuisset destitutus, die septimo extrahi petiit, & se Crucem Dominicam indicaturum promisit: extractus igitur, ad locum concitus, vbi iacebat sancta Crux, perrexit; & fusis ad Deum precibus, sanctæ Crucis lignum supplex ostendi sibi postulauit. Præstitit Deus precibus auditum, & locum vbi diuina recondita iacebant passionis suæ insignia, euidenti miraculo demonstrauit; nam subitò terra commota est, & aromatum miri odoris vaporem exhalauit. Quo miraculo, venerabilis Imperatrix de loci testificatione confirmata, iussit illicò in ipsum locum operam fossionis accingi; paratasque mox ciuium pariter & militari manu, breui laborem istius molitionis hausit: nam exportatis sordibus in altum, defossas tres cruces inuenit, & seorsum ab aliis ligneam illam tabulam, quæ olim cruci Dominicæ impolita, titulum Hebraicè, Græcè & Latinè à Pilato scriptum continebat. Hæc ex Adrichomio. Refert etiam Sanutus lib. 3. Par. 2. cap. 1. quod, inuenta Christi cruce, diabolus vociferabatur in aëre: *O Iesu Nazarene, omnes ad te traxisti; & ego, qui priùs per Iudam traditionem feci, nunc per Iudam ejcior.*

Vide Equites & alij S. Crucem ante pectus ferre didicerunt.

Terra motu ac fuaui odore locus S. Crucis deprehenditur.

S. Crux in lucem prodit.

Versetur diabolus Cruce inuenta.

Dictis alia ad præsens argumentum spectantia placet adnectere ex Sozomeno l. 2. cap. 1. quibus adhuc indicatur, quomodo locus S. Crucis innotuerit. sic verò scribit: *Indicio, vti quidam memorant, Hebræi cuiusdam versus Orientem habitantis, qui anito quodam scripto admonitus locum commonstrauit; sed, quæ verior est opinio, monstratione Dei optimi maximi, qui signis quibusdam & somniis homines ad loci memoriam excitauit. Nam res diuina, mea quidem sententia, humano indicio non egent, cùm Deo visum sit eas patefacere.* Hæc, & optimè, Sozomenus.

Quis Crucem locum effodit.

Hic Iudæus creditur fuisse Iudas superiùs relatus, qui postea redditus Christianus, in sacro Baptismi lauacro Cyriacus appellatus fuit; de quo in libro de Romanis Pontificibus in Eusebio Papa, & Gregorio Turonensi Hist. lib. 1. cap. 36. qui postea fuit Ierosolymorum Episcopus creatus, & sanctus, vt plures affirmant.

In Hispaniarum Chronicis legitur, tantam deuotionem habuisse S. Cruci, vt eam deforis ostenderet portans in vestibus ante pectus; & ex hoc processisse consuetudinem, vt Christiani Equites crucem deferrent pro nobilitatis & dignitatis insigni. Ex dictis patet, quomodo & humana diligentia, & multò magis diuinis miraculis, insolitis inspirationibus, terræ commotione & aromatum miri odoris euaporatione, locus ille sacer ex tenebris in lucem prodierit. Ad hunc sanctum locum S. VVillibaldus, qui Gazæ lumen oculorum amiserat, postea rediens, id diuinitus recuperauit, vt in eius Hodœporico legitur.

CAPVT XXI.

De prodigiis quibus cognita fuit Christi Crux inter alias latronum.

SEd, inuenta Dominica Cruce cum aliis latronũ, quomodo illa Saluatoris cognita fuit? Respondeo, & clarissimis miraculis & humano indicio. Cùm enim humanitus dignosci illæ non possent, erant namque in forma & materia persimiles, vt creditur; quare, consilio Macarij Ierosolymorum Antistitis, ad Deum recurritur, vt miraculo dignetur ostendere, quænam ex tribus illis crucibus esset Saluatoris aspersa sanguine, eiusque passionis instrumentum, & mortis triumphus. *Sapientissimus ille & planè diuinus Macarius, vrbis illius Antistes*, inquit Theodor. lib. 1. cap. 18. *tali via illorum animos dubitatione liberare aggressus est. Mulieri cuidam nobili, morbo diuturno oppressæ, vnamquamque crucem sigillatim, precibus ad Deum simul ardenter fusis, admouens, Crucis Seruatoris virtutem facilè perspexit: nam vt primùm ea mulieri adhibita fuit, illicò grauis ille morbus depulsus est, & homo ipsa ad integram valetudinem restituta.* Eiusdem miraculi meminerunt Rufinus lib. 10. Hist. cap. 8. Socrates lib. 1. cap. 13. Sozomenus lib. 2. cap. 1. Nicephorus lib. 8. cap. 29. & Ecclesia in festo Inuentionis S. Crucis. Sed & illustriori adhuc innotuit miraculo; nam, præter mulierem sanatam, eodem tempore mortuus fuit ad vitam reuocatus, vt Paulinus Epistol. 11. ad Seuerum scribit, Sozomenus citatus, & alij; & indicat Ecclesia in Officio Inuentionis S. Crucis dum ait: *Ad Crucis contactum resurgunt mortui, & Dei magnalia referantur.* Vtrumque miraculum tunc accidisse, ex aliis docet citatus Nicephorus. In cuius viri resurrectionis loco, vt inquit Beda de Locis sanctis cap. 3. in sempiternum patrati miraculi monumentum, columna quædam à piis fidelibus erecta fuit. Quare optimè Constanti-

Humana diligentia & miraculis S. Crux cognita.

nus

nus in Epist. ad Macarium, quam refert Eusebius lib. 3. de Vita Constantini, dicit, in illius inuentione *nouis miraculis fidem esse declaratam. Miraculis* dixit, non miraculo; quoniam tunc plura patrata fuere miracula; quibus non tantùm in eius inuentione, sed multò pluribus in posterum coruscauit.

Continuū miraculum ligni sanctæ Crucis.

Ex multis autem miraculis vnicum hoc referam, quod continuò per aliquot annos visum fuit Ierosolymis. Ex magna portione Crucis ab Helena Ierosolymis relicta, vt statim dicemus, fidelibus eò pietatis ergò peregrinantibus, & pro mercede longi itineris aliquid ex Dominicæ Crucis ligno sibi impertiri obnixè petentibus à loci Episcopo, erat solitum frustulum concedi; sed, operante diuina virtute, iugi miraculo, *Crux*, inquit Paulinus Epist. 11. *in materia insensata vim viuam tenens, ita ex illo tempore innumeris panè quotidie hominum votis lignum suum commodat, vt detrimenta non sentiat, & quasi intacta permaneat, quotidie diuiduam sumentibus, & semper totam ventrantibus: sed istam imputribilem virtutem, & indetribilem soliditatem, de illius profectò carnis sanguine bibit, quæ passa mortem, non vidit corruptionem.* Sanctus etiam Cyrillus, Ierosolymorum Antistes, qui eo tempore vixit quo fuit inuenta sancta Crux, & eiusdem inuentioni potuit interfuisse (nam sub Constantio, filio Constantini, eidem Sedi post Maximum, Macarij successorem, fuit præfectus Episcopus) de crucis innumerabiles ferè per partes facta diuisione hæc habet Catech. 4. *Ligno crucis vniuersus terrarum orbis per partes repletus est.* ac rursum Catech. 13. *Per particulas ex hoc loco per vniuersum orbem sparsum est.* Et de eodem multiplicato, in crucis diuisione diuinitus impartita, ait idem Cyrillus Catech. 10.

Ligno sanctæ Crucis totus mundus repletus.

Beda in Epitome de Locis sanctis cap. 20. in fine, agens de sanctæ Crucis ligno Ierosolymis Constantinopolim translato sub Heraclio ingruentibus Sarracenis, continui miraculi meminit hisce verbis: *De nodis enim ligni sancti liquor odorifer oleo similis profluit; cuius si etiam modica particula contingat, omnem ægritudinem sanat.* Hæc Beda ex S. Episcopo qui ista aspexit. Cetera prosequamur.

Præter diuinum indicium, adfuit etiam humanum in illius cognitione, ex ipsius videlicet titulo, vt docet S. Ioannes Chrysostomus Hom. 84. in Ioan. & S. Ambrosius, qui in Oratione in funere Theodosij inquit: *Aperit itaque* Helena *humum, decutit pulverem, tria patibula confusa reperit, quæ ruina contexerat, inimicus absconderat; sed non potuit obliterari Christi triumphus. Incerta erat vt mulier; sed certam indaginem Spiritus sanctus inspirat, eò quòd duo latrones cum Domino crucifixi fuerint. Quærit ergo medium lignum: sed poterat fieri, vt patibula inter se ruina confunderet, casus mutaret & inuerteret. Redit ad Euangelij lectionem; inuenit, quia in medio patibulo prælatus titulus erat,* IESVS NAZARENVS REX IVDÆORVM. *Hinc collecta est series veritatis, titulo Crux patuit salutaris. Hoc est quod petentibus Iudæis Pilatus respondit, Quod scripsi, scripsi; id est, Non ea* Ioan. 19. 22. *scripsi quæ vobis placerent, sed quæ ætas futura cognosceret: non vobis scripsi, sed posteritati, propemodum dicens: Habeat Helena quæ legat, vnde Crucem Domini recognoscat. Inuenit ergo titulum, Regem adorauit, non lignum vtique, quia hic gentilis est error & vanitas impiorum; sed adorauit illum qui pependit in ligno, scriptus in titulo, illum qui sicut scarabeus clamauit, vt persecutoribus suis peccata donaret. Auida mulier festinabat tangere remedium immortalitatis, metuebat calcare sacramentum salutis. Læta corde & trepidante vestigio, quid faceret nesciebat. Pertendit tamen ad cubile veritatis, lignum refulsit, & gratia micuit.* Hæc Ambrosius; qui non ideò dissentit ab auctoribus priùs adductis, nam vtrumque esse potuit, vt miraculis & humano indicio cognita fuerit S. Crux. Vt enim, inquit Ruffinus, ex titulo fuit cognita Dominica Crux, sed non omnino euidenter; quia titulus non erat affixus cruci, sed iacebat prope eam: ideò, vt nulla remaneret ambiguitas, ad miraculum confugerunt.

Vide Gretser. Tom. 1 de sancta Cruce l. 1. cap. 62. 63. 64. Bosium de Triumph. Cruce lib. 16. cap. 16.

CAPVT XXII.

De forma & materia Crucis Domini nostri Iesu Christi.

SEd cuiusnam formæ & materiæ fuit sancta & viuifica Crux Reparatoris nostri? Irenæus lib. 2. cap. 42. breuiter formam illius expressit, dicens: *Ipse habitus Crucis fines & summitates*, hoc est extremitates, *habet quinque, duos in longitudinem, duos in latitudinem, & vnum in medio, vbi requiescit qui clauis configitur.* Hæc Irenæus. Eadem alij Doctores dixerunt, licet aliqui medij non meminerint, ob eam fortasse rationem, quòd ad essentiam crucis non pertineat.

Forma Crucis.

Tertullianus Apolog. cap. 16. idem indicat, dum dicit, stipites trophæorum fuisse cruces, & ipsa signa militaria recta hasta & transuersa hastula formam crucis repræsentasse. Idem Ambrosius Serm. 56. &

Digitized by Google

D. Augustinus Tract. 118. ostendens, quomodo illius termini sint indicati in Scriptura, mysteria in ipsis delitescentia eleganter referat, dicens: *Cruce significari rectè intelligitur quod ait Apostolus: Qua sit latitudo, & longitudo, & altitudo, & profundum. Lata est quippe in transuerso ligno, quo extenduntur pendentiq; manus; & significat opera bona in latitudine charitatis. Longa est à transuerso ligno vsque ad terram, vbi dorsum pedesq; figuntur; & significat perseuerantiam in longitudine temporis vsque in finem. Alta est in cacumine, quod transuersum lignum sursum versus excedit; & significat supernum finem, quò cuncta opera referuntur. Quoniam cuncta quæ latitudine ac longitudine benè ac perseueranter fiunt, propter altitudinem diuinorum faciendæ sunt præmiorum. Profunda est in ea parte, qua in terram figitur.: ibi quippe & occulta est, nec videri potest, sed cuncta eius apparentia & eminentia inde consurgunt; sicut bona nostra de profunditate gratia Dei, quæ comprehendi ac diiudicari non potest, vniuersa procedunt.* Lege eumdem Augustinum Tract. de Cataclysmo cap. 6. Serm. 7. de Verbis Apostoli, Epist. 119. cap. 14. & Epist. 120. cap. 26. & lib. 2. de Doctrina Christiana cap. 41. & Lipsium de Cruce lib. 1. cap. 10. & lib. 2. cap. 10. Denique ab vniuersa Ecclesia antiquis imaginibus sculpta vel picta talis formæ repræsentatur: *Quare de his ambigere*, ait Baronius Tom. 1. anno Christi 34. num. 93. *insania potiùs quàm inscitiæ adscribendum esse putamus.*

Ephes. 3. 18.

Altitudo eius quindecim pedes extitisse, & transuersum lignum octo habuisse longitudinis perhibetur; crassitudo tanta, quanta magno viro sustinendo satis esse potuit. Graue sanè pondus corpori Christi, etsi leue illius charitati.

Materia S. Crucis.

Maior extat de materia difficultas. Supponatur, id quod est extra controuersiam, fuisse ex lignis factam; quæritur, ex quot, an ex duobus tantùm, an ex pluribus: & siue hoc vel illud, an illa fuerint eiusdem vel diuersæ speciei; & si diuersæ, cuiusnam. Fuisse duo ligna, videntur indicare citati Auctores, Tertullianus, Ambrosius & Augustinus; qui quodam in loco, expendens geminam virgæ Moysi percussionem, ait; *Gemina percussio duo ligna crucis significat:* qui tamen non arbitrandi sunt retragari illis qui quatuor assignant, vt dicemus: nam illi solùm de principalibus & essentialibus crucis locuti creduntur, longo videlicet & transuerso, alij verò de his, & de medio illo, de quo Irenæus, & tabella tituli. Omissis hîc, quæ de origine & inuentione ligni, ex quo fuit efformata sancta Crux, fortasse alibi opportuniori loco proponentur, materiam illius explicemus.

De ligno S. Crucis prima sententia.

Dicimus primò, quorumdam opinionem extitisse, Crucem Domini efformatam fuisse ex palma & oliua: ratio est; quia cùm ipsa fuerit trophæum victoriæ Christi, videtur debuisse confici ex eisdem lignis, quibus Ierosolymam ingrediens, quasi post victoriam reuersus, triumphauit: hæc autem fuisse palmas & olivas, vsus Ecclesiæ comprobat, in Dominica Palmarum illa solùm arborum genera benedicens.

Secunda.

Secundò, alij ex taxo opinati fuerunt fabricatam, qui illis Ieremiæ verbis innituntur: *Mittamus lignum in panem eius.* Nomine enim ligni, taxum, quæ arbor est venenosa, intelligi debere, auctor est Lyra in eumdem locum; per panem verò, Glossam & Patres corpus Christi significare velle, satis exploratum est; vnde perinde aiunt esse dicere, *Mittamus lignum in panem eius*, ac si diceretur: Affigamus corpus eius, quod ipse panem vocitat, venenoso & execrando taxi ligno.

Ierem. 11. 19.

Tertia.

Tertiò, alij fraxinum arborem proceram, & ad fabricandum hastas optimam, fuisse dicunt: de qua Virgilius Ecloga 7.

Fraxinus in siluis pulcherrima. ——

Sed nescio an in his partibus fraxinus, nisi deferatur, inueniri possit.

Quarta.

Quartò, Anastasius Sinaita ait, Christum recubuisse & obdormisse in ligno crucis ex tribus arboribus confectæ; quibus intelligit cupressum, pinum & cedrum: cui sententiæ plures subscripserunt; Chrysostomus, Alexander Monachus, &, alijs omissis, Beda in Collectaneis, dum ait: *Crux Domini de quatuor lignis facta est, quæ vocantur cupressus, cedrus, pinus, & buxus: sed buxus non fuit in cruce, nisi tabula de illo ligno super frontem Christi, in qua conscripserunt Iudæi titulum: cupressus fuit in terra vsque ad tabulam, cedrus in transuersum, pinus sursum.* Sic ille.

Quinta.

Quintò, Glossa in Clementina 1. de Sum. Trin. quatuor quidem ligna fuisse tradit, vt præcedens opinio, sed ab ea diuersa in hoc, quòd pro pino & buxo, ponat palmam & oliuam; & carmine significat hanc sententiam,

Ligna crucis palma, cedrus, cupressus, oliua;

& ponit cedrum in stipite, palmam in palo per longum, cupressum in ligno transuerso, oliuam in tabula super crucem. eadem S. Bernardus de Passione Domini capite 46. & alij.

Lipsii & Bellarmini iudicium.

Iustus Lipsius de Cruce lib. 3. cap. 13. arbitratur, hæc curiosè magis quàm verè dicta: & Cardinalis Bellarminus Tom. 1. Controuers. lib. 2. de Imaginibus cap. 27. dicit,

Digitized by Google

dicit, non habere hæc veterum teſtimonia, nec videri probabilia; ſed dicta eſſe ad varia Crucis repræſentanda myſteria. Inquit enim, veteres aliquid addidiſſe myſterij gratia, & nunc ex parte ſeruari. Igitur cùm myſticè locuti fuerint Patres, ex ipſis nil certi de materia Crucis deprehendi poteſt.

Myſteria varia, quæ ex variis relatis ſententiis & altera adducenda, inter alios aperuit Carthagena Tom. 1. Homil. lib. 10. Homil. 19. Et quod dictum eſt de varietate & pretio lignorum ſanctæ Crucis, non ei probatur; tum quod ſibi facilè perſuadere non poſſit, inimicos Chriſti diligentes fuiſſe in exquirendis lignis, alioquin pretioſis, ad compingendam Chriſti Crucem, quam tamquam infamem & maledictam execrabantur. vnde D. Gregorius Nyſſenus Oratione de Baptiſmo ait: *Lignum Crucis omnibus hominibus ſalutare eſt; licet ſit pars, vt audio, arboris vilis contemptioriſq; quàm alia multæ ſint.* Tum quia, ſi his compacta fuerat Dominica Crux, certè cùm ab Helena tres cruces repertæ fuere, facilè fuiſſet diſcernere, quænam illarum Chriſti eſſet ex materia; quod non accidit, vt conſtat: & illas eiuſdem fuiſſe materiæ, dicere non eſt neceſſe.

Sed dici poſſet hæc non obſtare: non primum; quia quod alicubi ob raritatem pretioſum eſt, alibi propter abundantiam commune & vile habetur; & illis lignis olim præſertim abundaſſe regionem iſtam ex ſacra Scriptura nouimus: quare iuſtitiæ miniſtri, ſi nõ ex omnibus illis lignis, ſaltem ex aliquibus conficere crucem potuerunt: & ſi credat Carthagena, fuiſſe ſimpliciter ex viliſſima arbore, quomodo affirmat fuiſſe ex quercu? nec obſtat Nyſſeni auctoritas, quòd vilem contemptioremq; dicat, quia ad aſpectum vilitatem præ ſe ferebat: quæ licet ex memoratis arboribus fabricata fuiſſet, aliæ tamen ipſis inueniuntur nobiliores. Nec officit ſecundum; quia poſt inuentionem ſanctæ Crucis, & eſſe Dominicam miraculis cognitum fuit: poſteà, cuiuſnam extiterit materiæ, diligentia fuit deprehenſum.

Sexta ſententia. Ipſemet Carthagena ſuam poſt ſententiam, quernam fuiſſe Dominicam Crucem; quam variis & moralibus rationibus probat: quem tu conſulè, ſi placet; optimè enim & vtiliter mihi diſſerere videtur. Idem Ciaconus. Lipſius loco proximè citato, de materia crucium latronum & Domini ait, latronum ex obuio & prompto aliquo ligno, Saluatoris è quercu. Primùm, quia viri fide digni aſſerunt, fruſta ſacratiſſimi huius ligni, quæ hodie extant, ſpeciem hanc referre. Tum quia crebra & frequens in Iudæa olim & nunc quoqûe illa arbor. Tertiò, quia robuſtum lignum & figendo & ferendo aptum. Itaque Silius lib. 1. in eo etiam crucifigit:

Quem poſtquam diro ſuſpenſum robore vidit.

Iterùm:

——— Erecto ſuffixum robore mœſtis
Oſtentabat onus populis. ———

Septima. Cùm in re dubia liceat cuilibet ſequi quam maluerit ſententiam, & ſuum proferre iudicium, præſertim cum ratione conueniens; liceat & mihi in tanta auctorum varietate proponere quod ſentio. Dico itaque duo. Alterum, lignum quidem ſanctæ Crucis ab æterno fuiſſe præuiſum & præparatum, cùm Chriſtus ſit agnus occiſus ab origine mundi; ſed miniſtris iuſtitiæ illud caſu occurriſſe, ſicut & latronum: & quantum ad hoc, non video quare ſit aſſignandum diſcrimen, niſi illud fortè, quod maiorem crucem ex tribus pro Chriſto elegerint peſſimi miniſtri, tamquam latronum & malefactorum anteſignano.

Alterum dictum ſit, potuiſſe quidem ſanctam Crucem fuiſſe ex quercu; ſed nulla poteſt efficaci ratione probari, vt benè contra Ciaconum probat Gretſerus Tomo 1. de ſancta Cruce lib. 1. cap. 6. ſicut nec ratio neceſſaria eſt ad probandum, ex quo ligno determinatè fuerit.

Ego probabiliter arbitror fuiſſe ex oliua; tum quia hæc frequêtior & magis ad manus in partibus iſtis quàm quercus, imò non minùs ad opus idonea quàm quercus; tum quia ita graues Doctores adducti dixerunt. Quòd ſi dicas, de cedro, palma, &c. myſticè fuiſſe locutos, non negamus; at de oliua nedum myſticè, ſed etiam ad litteram. Confirmatur: Etenim in partibus iſtis vetus receptaque traditio eſt, ex oliua fuiſſe efformatam ſanctam Crucem, locusque monſtratur, & venerationi habetur, vnde ſacrum hoc lignum præciſum fuit: de quo Lib. VI. Cap. VII. IV. Peregrinationis erit ſermo. Multùm fauet huic ſententiæ myſticus ſenſus.

Nec adducta pro præcedenti ſententia huic obſtant, vt ex parte vidimus: non illud, quòd fragmenta crucis querna apparent, dicam ego oliuina, propter magnam affinitatem & ſimilitudinem quercus & oliuæ. Ad aliud, quod patibulum ex quercu factum appelletur, dico quod notauit Lipſius in margine, pro ſpecie genus intelligi poſſe, pro robore, inquam, quodlibet lignum, more Poëtarum, addo etiam Scripturæ ſacræ, vt Cap. IV. III. Peregrinat. huius Libri videbimus. De his agit Iacobus Boſius de Triumphanti Cruce lib. 1. cap. 6.

CAPVT XXIII.

De coronæ ſpineæ conditione & clauorum numero.

EX quo egimus de ſanctæ Crucis inuentione & eiuſdem forma & materia, non erit ab inſtituto alienum, aliqua ſubiicere de corona ſpinea, qua regium aureumque caput noſtri Saluatoris fuit redimitum, & de clauis, quibus eiuſdem manus & pedes transfixi & cruci affixi fuerunt, quos eodem tempore cum Cruce fuiſſe inuentos creditur. Ob quæ duo præſtabimus. Primò, agemus de conditione ſpineæ coronæ, & de clauorum numero; ſecundò, de eorumdem inuentione. De priori præſenti, de poſteriori Capite ſequenti erit ſermo.

Corona Chriſti ex quo compoſita. Prima ſententia.

Quantum ad primum: Cuiuſnam materiæ & formæ extitit corona illa? Sanctus Hieronymus in c. 3. Habacuc & 2. Aggæi, & alij aiunt, fuiſſe ex rhamno, plenam ſentibus, & hericio ſimilem.

Secunda.

D. Auguſtinus, S. Vincentius, Lyranus, Salmeron, Toletus, & alij, aſſerũt, coronam Chriſti compactã fuiſſe ex iuncis marinis, quibus Syria & vicina Ægyptus ſcatent; acutiſſimaſq; cuſpides habent, dicẽte Poẽta:

——*Et acuta cuſpide iunci.*

& alibi:

—— *Et carice paſtus acuta.*

Idem enim valet iuncus quod carex, ſcirpus, aut papyrus, vt colligitur ex Plinio lib. 33. c. 11. vnde mare Rubrum apud Hebræos mariſcoſum nuncupatur; eò quòd manſcis littora eius abundent. Guilielmus Durantes lib. 6. Rational. diu. Offic. cap. de Paraſceue, ſe propriis vidiſſe oculis coronam ſpineam, & ex marinis iuncis eſſe compactam ait. Auctor Hiſtoriæ Scholaſticæ ſic ſcribit: Qui attentiùs conſideraſſe ſe dicunt ſpinas illas, aſſerunt iuncos fuiſſe marinos, quorum acies non minùs ſpina pungit. Ioannes de Carthagena Tomo 1. Homil. lib. 10. Homil. 14. ait, hanc communiorem & celebriorem eſſe ſententiam.

Tertia.

Refragantur nihilominùs alij, aſſerentes fuiſſe de ſpinis, vt clare loquuntur Euangeliſtæ, illis videlicet quibus hæc regio abundat, vbi vix alias ego vidi, quas ſanctas incolæ appellant: ex his fuiſſe compactam coronam Chriſti, clarè aliqui tenent apud Gretſerum lib. 1. de Cruce cap. 22. creſpini ſentes appellantes; quarum ſingulæ tribus ſpinulis conſtant; quoniam erant ad manus intra & extra ciuitatem. Ita creditur in partibus iſtis; ac ideò ſpinas ſanctas appellant. Multùm ad album tendunt: ſpinæ ex ramis egredientes ſatis acutæ & longæ: & ego aliquas vidi coronæ Domini perſimiles ſpinis prædictis Ieroſolymitanis. Ad has ſpinas, ſiue ad conſtructam ex ipſis coronam, arbitror reſpexiſſe Baruch 6, 70. quando dixit: *In horto ſpina alba, ſupra quam omnis auis ſedet:* Etſi rhamnus tubi genus eſt candidius & fruticoſius, ramos ſpargens rectis aculeis, non, vt ceteri, aduncis, toliis maioribus, vt quidam illum deſcribunt; non credo ab hac ſententia abhorrere Auctores primæ ſententiæ.

Cardinalis Baronius Tom. 1. ſub anno Chriſti 34. num. 86. huius videtur eſſe ſententiæ; & refellit præcedentem congruenti ratione dicens: *At nullatenus audiendos puto, qui ex iunco marino Domino coronam contextam fuiſſe dixere; cùm certum ſit, Lucæ & Ioannis Euangeliſtarum aſſertione, ex ſpinis eſſe compactam, ambobus ita dicentibus: Plectentes coronam de ſpinis. Longè enim diuerſa eſt iunci ac ſpinarum ratio: nam iunco marino nulla nec in fuſte vel ramis inhærent ſpinæ, ſed eius tantùm acumina in ſpinas deſinunt. Sed & vnde, rogo, præ manibus agentibus Ieroſolymis militibus marinus iuncus, cùm ea ciuitas longè diſtet à littore marĩ? Ex ſpinis igitur, quæ circa vrbem illam naſci ſolerent, paratam ab illis coronam Domino, ratio perſuadet, & docet experimentum, cùm quæ hactenus aſſeruatæ reperiuntur ex eadem corona ſpinæ, verè ex ſemibus eſſe decerptæ noſcantur, proculq; abeſſe, vt aliqua ex parte cum iunco marino communicent.* Luc. 23. Ioan. 19. Hæc ille.

Martinus Delrius Lectione 9. de Paſſione, negat ſimiliter ex marinis iuncis factam fuiſſe Chriſti coronam, quòd iunci, cùm vnam habeant cuſpidem, parum idonei fuerint coronæ plectendæ: multis enim iuncis opus fuiſſet, vt eorum cuſpides caput vndique cingerent. & addit oculorum teſtimonium: Luſtraui, ait, non ſemel magnam illam coronæ partem, quæ Pariſiis in ſancto ſacello aſſeruabatur: vidi in Hiſpania, Legione, & in Monaſterio de Spina, & Louanij, & alibi coronæ ſpinas varias; nulla illarum quidquam cum iunco commune habet, ſed omnes rhamnum vel paliurum oſtentant. Et Pariſienſis quidem vni ramo plures ſpinas in latere cohærentes, quod à iunco procul eſt alienum, &c.

Non diſplicet hæc opinio Barradio, nec alteram reſpuit; ſed vtramque inter ſe conciliare contendit. ſic autem ait: Reſponderi tamen poteſt, coronam ex iuncis marinis fuiſſe contextam, non ſolis, ſed permixtis, ideoque potuiſſe caput cingere, neque videri in multis coronæ partibus, quia

Digitized by Google

quia cùm sint duriores & maiores per se, asseruantur aliis locis.

Valeret conciliatio, nisi obstarent oppositа à Baronio & Delrio, quibus non respondit. Profectò nescio quomodo illi milites reperire potuerint iuncos marinos; ego sanè nusquam huiusmodi in partibus illis vidi, nec valet, dicere, habuisse anteà præparatos, quoniam minùs idonei ad coronam plectendam quàm communes harum partium spinæ. Fauet quod scribit Gregorius Turonensis de Gloria Martyrum cap. 2. *Ferunt ipsas coronæ sentes quasi virides apparere*; *quæ tametsi videantur aruisse foliis, quotidie tamen renirescere virtute diuina.* At in iunco non sunt folia. Dicatur itaque, coronam illam qua Rex noster Christus fuit in sua passione à militibus redimitus, fuisse ex sentibus siue spinis contextam.

Forma spinea corona.

Sed cuiusnam extitit formæ? D. Vincentius in Sermone de Passione ait, ita contextam in pilei modum, vt omni ex parte caput tegeret & pungeret. Gabriel quoque in Tractatu de Passione, opinatur fuisse coronam spineam similem coronæ imperatoriæ, quæ caput & cingit & tegit. Idem alij.

Respondetur, ex Euangelio solùm haberi, milites plexisse coronam de spinis; & talem verè fuisse probabilius videtur qualem picturæ indicant; & ad intentum Romanorum militum erat, quorum fuit inuentio. *Illam impietatis contumelioſa coronam*, ait Tertullianus de Corona militis cap. 9. *populus non conscinit, Romanorum militum commentum fuit, ex vsu rei secularis.* Nec credo ab hac sententia alios dissentire, sed ideò dixisse, fuisse in modum pilei, vel imperialis coronæ, vt exaggerarent militum sæuitiam, qui adeò densam & spinis abundantem fecerunt illam coronam, vt totum ferè ambiret caput, premeret & perforaret, & non solùm extrinsecus cingeret: spinis enim iis tunc illius tempora & fœdata & lancinata asserit Tertullianus. Vulneratum à coronæ spinis Dominum 72. locis opinatur D. Vincentius. Et hæc de spineæ coronæ conditione. De clauis modò, quibus humani generis Reparator cruci affixus fuit, pauca subiiciamus.

De numero clauorum Christi.

Quot clauis fuit Christus crucifixus? quidam octo, sed pauci & non graues id asserunt Auctores, alij tribus; sed quatuor fuisse cruci affixum, singulariter propter testimonium Gregorij Turonensis de Glor. Martyrum cap. 6. probabilius sentiunt graues Auctores. *Id quidem secundum antiquum crucifigendi ritum*, ait Baronius Tom. 1. ad annum Christi 34. num. 118. *nam Plautus: Ego dabo ei talentum, primus qui in crucem excucurrerit; sed ea lege, vt affigantur bis pedes, bis brachia. Ceterùm interdum Martyres pluribus etiam clauis in cruce confixos, dicemus tertio Annalium Tomo. At de Christo Domino nostro antiquiores imagines, quatuor ipsum affixum clauis repræsentant, nempe seorsum singulis pedibus singulis confixu clauis. Sed aliam sententiam de tribus clauis recentior probauit vsus.* Hæc ille. Et Tom. 3. sub anno Christi 326. num. 52. agens de horum inuentione, pluribus idipsum, vt sequitur, explicat: *Cùm autem tres saltem clauos, quibus cruci affixus est Dominus, esse oportuerit (cuius crucifixionis speciem exhibent hodie eiusdem Christi crucifixi imagines) ex illorum duobus frenum* (equi scilicet Constantini) *esse confectum tradunt (licet frenos quasi plures Ruffinus dicat) tertio autem regium diadema compactum: verùm quatuor potiùs fuisse clauos Gregorius Turonensis, qui ante mille & centum propemodum annos vixit, constanter affirmat; & de singulorum vsu hæc scribit: Speciosi autem omni metallo nobiliores Dominica Crucis claui, qui beata membra tenuerunt, ab Helena Regina, post ipsius sacræ Crucis inuentionem reperti sunt; & de duobus quidem frenum Imperatoris munuit, quò facilius, si aduersæ gentes restitissent Principi, hac virtute fugarentur: de quibus non est ignotum Zachariam vaticinasse Prophetam, &c.* Ac mox subdit *de vsu claui tertij: Eo enim, inquit, tempore Hadriaticum mare magnis fluctibus mouebatur: in quo cùm frequentia erant naufragia & demersio hominum, vt Vorago nauigantium diceretur; tunc prouida Regina, condolens excidia miserorum, vnum ex quatuor clauis deponi iubet in pelagus, confisa de Domini misericordia, quòd sæuas fluctuum commotiones facilè posset opprimere. Quo facto, redditur mare quietum, tranquillaq; deinceps nauigantibus flabra præstantur. Vnde vsque hodie nauta sanctificatum mare venerantur; & cùm ingressi fuerint, ieiuniis, orationibus & Psalterio vacant. Clauorum ergo Dominicorum gratia, quòd quatuor fuerint, hac est ratio: duo sunt affixi in palmis, & duo in plantis.* Hæc Baronius. Nonnullæ enim antiquæ Christi Domini Crucifixi imagines id quidem exprimunt, vt seorsum pedes singuli Cruci habeantur affixi; licet aliæ, eædemque frequentiores (quòd recentior vsus id recepisse videatur) pedum plantis inuicem superpositis, vnico tantùm clauo prominentiori suppedaneo ligno Cruci inhærenti confixis, vbique visantur eiusdem Crucifixi imagines sculptæ, vel pictæ.

Quid de clauis factum sit.

Clauo Domini mare tranquillum redditur.

De quarto autem clauo Gregorius ait, ipsum in galea statuæ Constantini fuisse positum; testaturque post alios idipsum

Zona-

Zonaras. At cùm omnium ſententia conſtet, clauum poſitum in corona qua ipſe vti ſoleret Conſtantinus; puto potiùs, coronam ſimulacro impoſitam, ad illius, quam geſtare ſoleret Imperator, exemplum eſſe compoſitam, quàm illam reuerà alio clauo Crucis ornatam fuiſſe. Sed quæ Gregorius ſcribit de freno ex duobus clauis affabrè facto, hæc idem habet, dum res geſtas enarrat quæ ſub Iuſtino Imperatore, eodem quo auctor vixit ſæculo, contigerunt: *Magnam*, inquit, *ferunt virtutem eſſe huius freni: quod ambigi nequaquam poteſt; quod Iuſtinus Imperator publicè expertus eſt, ac ſuis omnibus patefecit. Illuſus enim à quodam mago propter pecuniam, emiſſas ſibi à damonis vmbra intolerabiles per duarum curricula noctium ſuſtulit inſidias; ſed cùm tertia nocte frenum capiti collocaſſet, locum inſidiandi inimicus vltrà non habuit, repertumq; auctorem inſidiarum gladio percutit.* Hæc Gregorius.

Ioannes de Carthagena Tom. 1. Homil. lib. 10. Homil. 22. pluribus agit de numero clauorum; ſed inhærens ſententiæ adductæ, quòd fuerint quatuor, argumentis, quibus probari poſſet fuiſſe tres præſertim vel octo, reſpondet: quem ſi volueris videre, non erit inutile. Hîc tantummodò ſubijciam quæ loco poſteriùs citato addit Baronius ad argumentũ, quo probari poſſet, clauos, quibus fuit crucifixus Chriſtus, eſſe plures tribus, & quatuor, quia in pluribus locis ſupra quatuor aſſeruari perhibentur. ſic autem ſcribit: *Quòd verò clani, quibus Cruci ſuffixus eſt Chriſtus, plures diuerſis in locis hodie reperiri dicantur; nihil eſt quod pluribus quàm tribus, vel ad ſummum quatuor, Chriſti manus & pedes confixos eſſe putemus: licet multa extent exempla ſanctorum Martyrum, & inter alia quod ſanctus Ambroſius recitat de Martyre multiplicibus clauis affixo patibulo. Ait enim ipſe, cùm agit de inuentione Agricolæ martyris crucifixi: Nos legimus Martyris clauos, & multos quidem, & plura fuerunt vulnera quàm membra: ſed fortaſſe accidit, vt ex aliquo clauorum Chriſti modica ſingulis acceſſerit ferri portio; vel potiùs, deperditis antiquioribus rem teſtantibus monumentis, clani illi, quibus compacta ſunt ligna ſanctiſſimæ Crucis, crediti ipſi fuerint, quibus Chriſti membra Cruci fuerunt infixa: niſi fortè alicubi accidit, vt clauus aliquis inter ſacras Reliquias aſſeruatus, quo myſtica membra Chriſti, nempe Martyr quiſpiam confixus eſt, idem vnus ex ipſis paſſionis Chriſti clauis fuerit exiſtimatus. Quidquid ſit, fides (quod ait Ambroſius) purgat facinus; cùm nemo fidelium ferrum colat, ſed Chriſti potiùs paſſionem veneretur & adoret in ferro.* Hactenus ipſe. Et hæc ſatis de ſpineæ coronæ, qua Dominicum caput redimitum fuit, conditione & numero clauorum, quibus eiuſdem ſanctiſſimum corpus fuit cruci affixum. Alia de eiſdem propoſita proſequamur.

Quomodo, cum clani Domini erat tantùm vel quatuor fuerint, multò plures reperiuntur.

CAPVT XXIV.

De ſpineæ coronæ & clauorum Domini inuentione.

IN propoſito argumento, alterum fermè certum, alterum dubium. Illud, eodem tempore quo inuenta fuit ſancta Crux Saluatoris, inuenta etiam fuiſſe alia paſſionis inſtrumenta, coronam ſpineam & clauos. Iſtud verò dubium videlicet eſt, de loco particulari, in quo huiuſmodi reperta fuere. Et vt in propoſita difficultate appareat, idem iudicium faciendum eſſe, quantum ad hoc de ſpinea corona ac de clauis, illa diluenda eſt difficultas, Num Chriſtus cum ſpinea corona fuerit crucifixus & mortuus. *Cum ſpinea corona fuerit Chriſtus crucifixus.*

Triplicem inuenio reſponſionem: altera eſt Euthymij aſſerentis, Chriſto morti proximo exuiſſe omnia regalia ornamenta, atque adeò chlamydem coccineam, & coronam. *Prima ſententia.*

Altera eſt, fuiſſe quidem detractam coronam quando fuit exutus chlamyde, ſed poſteà impoſitam. ita Birgitta lib. 7. Reuelat. cap. 15. *Quo facto*, ait, *coronam de ſpinis, quam depoſuerant de capite eius, cùm crucifigeretur, iterùm impoſuerunt, & aptauerunt capiti ſuo ſacratiſſimo.* Hæc ibi. *Secunda*

Tertia denique ſententia, & communior, eſt, non fuiſſe detractam, ſed cum ea fuiſſe crucifixum, & de cruce depoſitum. Hanc confirmant picturæ; quæ tamen ſecundæ ſententiæ non refragantur, vt docuerunt veteres Patres, D. Cyprianus de Paſſione Domini, Tertullianus lib. contra Iudæos c. 13. & Origenes Tract. 35. in Matth. *Quomodo*, ait, *denuò ſpoliauerunt eum chlamyde coccinea? de corona autem ſpinea nihil tale ſcripſerunt Euangeliſtæ, propterea quòd & nos quærere voluerunt exitum rei de corona ſemel impoſita, & numquam detracta.* Hæc Origenes. *Tertia*

Carthagena Tom. 1. Homil. lib. 10. Homil. 21. duplicem hanc poſteriorem conciliat ſententiam, dicendo, non omnino iudicandum fuiſſe, detractam coronam, quæ ſtatim maiori cum dolore fuerat imprimenda; non enim dimiſſum dicitur, quod ſtatim erat aſſumendum, vt conſtat ex l. Diuortium. ff. De diuortiis. & ad priorem Euthymij reſpondet, non eſſe eamdem rationem

nem de corona quę de chlamyde: nam chlamydem, inquit, exuerunt carnifices; quia, ſecundùm conſuetudinem damnatorum, ad crucem nudus crucifigi debebat; & quia ipſi chlamydis lucrum quærebant. Quæ rationes reſpectu coronæ nullius momenti ſunt: igitur corona ſpinea fuit inſtrumentum mortis, & cum ea mortuus eſt Chriſtus; ac proinde, quando fuit depoſitus de cruce, quod de clauis factum eſt, arbitrandum eſt ſimile factum fuiſſe de ſpinea corona.

Vbi claui inuenti. Prima ſententia.

Dubij huius ſolutione præmiſſa, dico, duplicem eſſe opinionem circa præcipuam difficultatem. Altera aſſerit, fuiſſe clauos inuentos in ſanctiſſimo Sepulchro à piiſſima Helena. Ita docent Socrates lib. 1. capite 13. Metaphraſtes inferiùs adducendus Cap. XII. ſequentis Peregrinationis. Cardinalis Baronius eamdem ſententiam ſequi videtur in ſuorum Annalium Tomo 1. & 3. quam referens Barradius Tom. 4. lib. 7. capite 23. explicans illa verba; *Inuoluit illud in ſindone munda*, ait: Cardinalis Baronius Tom. 1. in Appendice, ex Rabbi Iacob, & Rabbi Moſe Ægyptio, ait, pollinctores, ea quæ damnatorum corporibus inhæſiſſent vnà cum eis ſepelire conſueuiſſe, eò quòd legis maledictioni ſubiecti eſſent: qua ratione ductus, putat, ſpineam coronam & clauos in Sepulchro Domini incluſos; crucem verò, quam locus ſepulturæ non caperet, in propinquiori aliquo ſpecu eſſe reconditam. Recolendum eſt hìc quod ſuprà notauimus: quod vt ſancti Chriſti diſcipuli, & non pollinctores, depoſuerunt ſacrum pignus de cruce; ita iidem curam habuerunt ſepeliendi, vel abſcondendi, quæ exanimi corpori adhæſerant, mortiſque inſtrumenta fuerant: & ſanè illam curam non facilè habuiſſent pollinctores gentiles; qui nihili faciebant obſeruantias Iudaicas.

Secunda.

Altera ſententia aſſerit, fuiſſe omnia inſtrumenta paſſionis in eodem loco cum cruce ſepulta, & ibidem inuenta. Ita Barradius citatus; qui etiam ad Baronium ſic reſpondet: Si illud verum eſt, ait, pollinctores omnes cruces, & quæ damnatorum corporibus adhæſiſſent, ſepelire conſueuiſſe, probabilius videtur, clauos ſimul cum cruce fuiſſe ſepultos. Hinc colliges, cur Virgo Deipara clauos non ſeruarit; videlicet quia ſepeliendi cum cruce erant. Sepultæ autem ſunt ſimul cruces latronum cum cruce Chriſti, vt Crucis inuentio indicat, ſimul enim omnes ſunt repertæ ab Helena.

Sed hæc minimè obſtant, vt patet ex dictis de inuentione ſanctæ Crucis: & obſeruabatur lex illa de ſepeliendis inſtrumentis mortis, ſi ea in ſepulchro, vbi tumulabatur corpus, recondebantur: quare benè potuit ſanctiſſima Deipara accipere à Ioſepho clauos, illos in ſinum ſuum reponere, & poſteà eoſdem cum Chriſto in ſepulchro ſepeliſſe. Ad id quod opponit de Hiſtoria inuentionis ſanctæ Crucis, quid reſpondendum ſit, viſum fuit ſuprà, cùm de illa agemus.

Præterea vnum eſt quod huic refragatur ſententiæ, & alteri ſuffragatur: quòd ſi claui in loco inuentionis ſanctæ Crucis fuiſſent inuenti, vt à pluribus aliis dignoſcerentur, neceſſarium fuiſſet ad miraculum recurrere, quemadmodum factum eſt pro Dominica Cruce; quod tamen ad hunc finem factum fuiſſe nemo, quod ſciam, fatetur: & meritò non fuit factum, quia in Sepulchro alij claui non erant, à quibus, vt ij Saluatoris diſcernerentur, ad miraculum eſſet recurſus. Quamuis autem pro clauis illis ſanctiſſimis cognoſcendis miracula non fuerint neceſſaria, non deſtitit tamen ea operari Dominus, tum ad ſuam oſtendendam gloriam; tum vt, quanti faciendi eſſent, intelligerent fideles, quos tanti Dominus æſtimaret. Et in primis magnum fuit miraculum, poſt tantum tempus elapſum à crucifixione Chriſti vſque ad illorum inuentionem, haud fuiſſe rubigine conſumptos. Ac deinde, de vno miſſo ab Helena ad Conſtantinum dicebant Iudæi (D. Ambroſio referente Oratione in funere Theodoſij:) *Ecce & clauus in honore eſt, & quem ad mortem impreſſimus, remedium ſalutis eſt, atque inuiſibili poteſtate dæmones torquet.*

Corona ſpinea vbi inuenta.

Ob dicta, creditur tamquam valdè probabile, in eodem Sepulchro inuentam fuiſſe ſpineam coronam. De clauorum inuentione & miraculis, quidque de ipſis factum fuerit, egit Gregorius Turonenſis lib. 1. de Gloria Martyrum cap. 6. & nos aliqua ex ipſo Capite præcedenti retulimus. & D. Ambroſius loco citato hæc ſcribit: *Quæſiuit* (Helena) *clauos quibus crucifixus eſt Dominus, & inuenit. De vno clauo frenos fieri præcepit, de altero diadema intexuit; vnum ad decorem, alterum ad deuotionem vertit. Viſitata eſt Maria, vt Euam liberaret; viſitata eſt Helena, vt Imperatores redimerentur. Miſit itaque filio ſuo Conſtantino diadema gemmis inſignitum, quas pretioſior ferro innexas Crucis redemptionis diuina gemma connecteret: miſit & frenum. Vtroque vſus eſt Conſtantinus, & fidem tranſmiſit ad poſteros Reges. Principium itaque credentium Imperatorum, ſanctum eſt quod ſuper frenum; ex illo fides, vt perſecutio ceſſaret, deuotio ſuccederet.* & paulò pòſt: *Reſtè in capite clauus, vt vbi ſenſus*

ſenſus eſt, ibi præſidium: in vertice corona, in manibus habena. Corona de cruce, vt fides luceat; habena quoque de cruce, vt poteſtas regat, ſitq; iuſta moderatio, non iniuſta præceptio. at poſt multa de eodem argumento tractata, *Quid ergo*, inquit, *aliud egit Helenæ operatio, vt frena dirigeret, niſi vt omnibus Imperatoribus ſancto dicere ſpiritu videretur; Noliſte fieri ſicut equus & mulus; ſed in freno & camo maxillas eorum conſtringeret, qui ſe non agnoſcerent Reges, vt regerent ſibi ſubditos?* Mentionem & inter alios facit Theodoretus lib. 1. Hiſt. cap. 18. de clauo in freno poſito, alludens ad id quod olim per Zachariam Prophetam prænuntiatum fuerat: *In die illa erit quod ſuper frenum equi eſt, ſanctum Domino.* Sed hoc, ait Baronius Tomo 3. S. Hieronymo explicanti verba Prophetæ parum arridet.

Zach. 14. 20.

Clauus Mediolani in veneratione habetur.

Clauus, ex quo frenum factum fuit, aſſeruatur in celeberrima Mediolanenſi Cathedrali Eccleſia ſub excelſo chori fornice maxima cum veneratione: qui ſingulis annis die 3. Maij deponitur, quando Eccleſia celebrat teſtum Inuentionis S. Crucis, & maxima cum ſolemnitate publica in Supplicatione defertur ab Archiepiſcopo per ciuitatem, concurrentibus non ſolùm Mediolanenſibus omnibus Eccleſiaſticis & ſæcularibus, ſed etiam ex variis partibus quàm plurimis. Per octo continuos dies eius celebratur feſtiuitas, & cum multis luminibus in maiori altari Eccleſiæ in nobiliſſima cruce publicè expoſitus adoratur, in illiſq; ſemper eò confluunt fidelium proceſſiones & cœtus, & plures à dæmonibus vexati liberantur. Alij partim Romæ, partim Pariſiis, partim Venetiis, partim in aliis partibus, ſi non integri, ſaltem ipſorum reliquiæ aſſeruantur, vt in illis locis & alibi traditur.

Aliæ claui Romæ, Pariſiis & Venetijs aſſeruantur.

De ſpinea Domini corona ſequentia ſcribit Genebrardus lib. 4. ſuæ Chronologiæ: *Ludouicus Rex Gallia à Græcis redemit coronam ſpineam, eamq; Lutetiam aſportari præcepit, cui ipſe obuiam, comitantibus Epiſcopis & Regni Proceribus, venit multis cum lacrymis & ſuſpiriis, nudis pedibus, vndique affluente & in genua procumbente populo.* Illius aliquæ ſpinæ in diuerſis cernuntur partibus. Et hæc de clauorum & ſpineæ coronæ inuentione ſatis.

Spinea corona vbi.

CAPVT XXV.

De ſpongia qua Chriſtus in cruce fuit felle & aceto potatus, & lancea qua fuit eiuſdem latus apertum.

QVamuis ſpongia felle & aceto admixta, arundini impoſita, ſitienti in cruce Domino exhibita, & lancea, qua exanime illius corpus transfixum fuit, mortis inſtrumenta extitiſſe non videantur, tamen opprobrij & paſſionis fuerunt, & pro talibus ſemper habita: quare vt de aliis paſſionis inſtrumentis & mortis iam egimus, occaſione loci Inuentionis S. Crucis, non erit abs re pauca addere de ſpongia illa & lancea benedicta, quæ noſtræ ſalutis æterna monumenta. Et de ſpongia priùs.

Chriſtus cùm penderet in cruce, & iam morti proximus eſſet, ob riuulos nimij ſanguinis de ſuo ſacratiſſimo corpore egreſſi, eum inuaſit maxima ſitis, ideò dixit, *Sitio*; quamuis magis hoc dixerit *vt conſummaretur Scriptura*, vt notauit Ioannes, &, vt docent Doctores ſacri, vt ſignificaret ingentem ſitim adhuc patiendi, conuerſionis Iudæorum, & ſalutis omnium hominum. Quod audientes milites, cùm ibi *vas poſitum eſſet aceto plenum; illi ſpongiam plenam aceto, hyſſopo circumponentes, obtulerunt ori eius*, vt idem ait Euangeliſta. Bis potatus fuit Dominus, ſemel, antequam crucifigeretur, vino myrrhato felle permixto, iterùm, crucifixus, aceto, &c.

Sitis Chriſti in cruce vade præcipit. Ioan. 19. 28.

Chriſtus in paſſione bis potatus.

Diſputant Doctores, ad quid delatum fuerit vas illud aceti, & ad quid acetum milites Chriſto propinauerint; & quia non eſt animus diſſentientes grauiſſimorum virorum ſententias proponere, & de eiſdem iudicium proferre, tu illos conſule, vt Cardinalem Baronium Tom. 1. ſub anno Chriſti 34. num. 104. Barradium Tom. 4. Concord. Euang. lib. 7. cap. 18. & alios.

Dicam tantùm ad intentum, ſpongiam illam fuiſſe Ieroſolymis inter ſacras Reliquias longo tempore aſſeruatam, & vſque ad Bedæ tempora monſtrari ſolitam, vt ipſe indicat de Locis ſanctis cap. 2. *In platea*, inquit, *qua martyrium & Golgotha continuat, exedra eſt, in qua calix Domini ſcriniolo reconditus per operculi foramen tangi ſolet, & oſculari: qui argenteus calix, hinc inde duas habens anſulas, ſexterij Gallici menſuram capit, in quo illa eſt ſpongia Domini potus miniſtra.* Hæc Beda. Hæc poſteà Romam tranſlata, ſummo cum honore in baſilica Lateranenſi, ruborem quemdam in ſe retinens, quaſi aliquando tincta Chriſti Sanguine, aſſeruatur, vt ex oculatis teſtibus inter alios tradit Baronius vbi ſuprà num. 116. Et de lancea aliqua explicare proſequamur.

Spongia olim Ieroſolymis monſtrabatur.

Roma poſtmodum aſſequatur.

Conſummato opere noſtræ Redemptionis per mortem Chriſti, vnus militum vel militari ferocia, vel ex humanitate & reuerentia, virtute mortis illius operante, vt citiùs & abſque crurifragij grauiſſima pœna & infamia moreretur, non creditus mortuus,

Miles quo re latus Chriſti lancea aperuit.

Digitized by Google

tuus, vel vt mortuus oſtenderetur, vel denique vt gratiam præſtaret crudeliſſimis Iudæis, lancea latus noſtri Saluatoris aperuit, vt inquit S. Ioannes. Lancea illa non fuit ſepelienda, vel abſcondenda cum inſtrumentis mortis Chriſti; quia non fuit mortis adminiſtra, ſed arma militis; verùm inter ſacras præcipuasque Reliquias collocanda, quòd latus Domini aperuerit, ex quo exiuit ſanguis & aqua, Eccleſiæ Sacramenta fluxerunt, & ipſamet Eccleſia Chriſti ſponſa genita fuit, vt alibi ex ſanctis Patribus indicauimus: & ita factum fuit, diuina prouidentia operante, à piis fidelibus; aliter ad vſque noſtra tempora cum honore aſſeruata non fuiſſet.

De lanceæ inuentione plura ex diuerſis in vnum collegit Ioannes de Carthagena Tom. 1. lib. 12. Homil. 2. ex quo hîc compendiosè aliqua ſubijciam. Quod autem primò dicit, Reginam Helenam, Conſtantini matrem, ſimul crucem, clauos & ferrum lanceæ reperiſſe, ex auctoritate veterum doctorum, qui egerunt de S. Crucis inuentione, quos ipſe retulit Homil. vltima lib. 10. ego fateor me tale in illis non aduertiſſe; & mirum, quòd accuratiſſimus ſcriptor Cardinalis Baronius, ex iiſdem ſcriptoribus plura referens de inuentione Dominicæ crucis & clauorum, lanceæ nec verbum fecerit. Arbitror, neotericum Scriptorem idem iudicium feciſſe de lancea illa, ac de aliis paſſionis inſtrumentis, ſimul inquam ea ſepelienda. Sed longè diuerſum faciendum erat: nec enim fuit lancea inſtrumentum mortis, quia iam Chriſtus ſpiritum emiſerat, ſed arma militis, qua noluiſſet ſe priuare, vt conſuetudini Iudæorum ſatisfaceret; præſertim quòd de lancea aliud iudicium ferendum ſit quàm de aliis paſſionis inſtrumentis, vt præmiſimus: quare ad alia accedamus.

Chriſti lancea vbi aſſeruata.

Beda venerabilis lib. de Locis ſanctis capite 2. ſcribit, ferrum lanceæ in lignea cruce incluſum, cuſtoditum fuiſſe in ſancta Ciuitate in porticu templi, in qua ſepulchrum Domini eſt: *Lanceæ militis*, inquit, *inſerta habetur in cruce lignea in porticu Martyrij; cuius haſtile in duas interciſum partes à tota veneratur ciuitate.*

Antiochiæ tranſlata.

Multis poſtmodum elapſis annis fuit diuina prouidentia lancea iſta benedicta in Antiochiæ ciuitatem tranſlata, & anno Domini 1098. cùm ciuitas illa grauiſſima obſidione infeſtaretur à Corbacat, vel, vt aliis placet, Chorbana, Perſiani Regis Duce, inuenta. Siquidem eo tempore accidit, vt ex diuina reuelatione, facta per S. Andream Apoſtolum cuidam Petro Preſbytero (referente Boſio lib. 1. de Triumphante Cruce cap. 17.) in abſcondito quodam loco templi ſancti Petri pretioſum lanceæ pignus inueniretur; cuius ſanè felicem inuentionem, tamquam certum futuræ victoriæ præſagium, ciuitas iudicauit: vnde, poſt trium dierum ieiunium, ſacramento Confeſſionis omnes ciues abluti, Euchariſtiæque ſalutari cibo refecti, Chriſtiano zelo inflammati, Epiſcopo Legato Apoſtolico præeunte, ac ſacrum lanceæ pignus in manibus geſtante, aduerſos inimicum exercitum egreſſi ſunt; quem adeò acriter profligarunt ac trucidarunt, vt Blondus de Declin. Roman. Imper. Decad. 2. lib. 4. Paulus Æmil. de Reb. geſt. Franc. lib. 4. Robertus Monachus lib. 7. Guiliel. Tyr. lib. 8. cap. 14. & plerique alij affirmarint, pluſquam centum millia Barbarorum ab eis interfecta fuiſſe.

Lancea inuenitur.

Permiſit autem Deus optimus maximus, vt reuelatio & inuentio illa lanceæ Dominicæ calumniaretur, vt miraculo illuſtraretur & firmaretur; vt de cruce anteà, cùm fuit ab Helena inuenta, factum fuit. Accidit itaque, parta victoria, vt refert Paulus Æmilius vbi ſuprà, inuidiæ cauſa, vt Capellanus quidam Comitis Normandini inter ciues diuulgaret, ferrum illud lanceæ Antiochiæ repertum in Eccleſia S. Petri, non eſſe illud quo Chriſti Domini latus confoſſum fuerat, ſed fictum induſtria Comitis Toloſani, vt inde lucri aliquid reportaret: quod ægrè ferens Sacerdos, cui diuina reuelatio facta fuerat, maxime cùm aduerteret, non paucos huic fabulæ fidem adhibere, coram tota ciuitate, vt ſe purgaret, ad flammæ iudicium nudus deſcendit, ſacrum lanceæ ferrum manu geſtans, cuius quidem virtute per coaceruatorum lignorum ardentem ſtruem mediosque ignes illæſus euaſit: mox verò ad tantum miraculum turba ruente vt illum tangeret, ab ea oppreſſus, inter manus eius periit: vnde qui flammas euaſit, manus turbæ euadere non potuit.

Calumnia magis lanceæ i. ne tuit.

Lancea peruenit ad Imperatorem Conſtantinopolitanum, qui illius cuſpidem miſit ad Francorum Regem.

Poſtmodum verò ſacrum lanceæ pignus in manus Imperatoris Conſtantinopolitani peruenit; qui cuſpidem eius ab ea ferrea lima ſcindens, dono miſit Regi Francorũ, vt, præter alios, refert Guilielmus Caoriſinus in ſuis Commentariis, reliquum verò ſacri ferri, quod ſupererat, cuſtodiri fecit in templo ſancti Ioannis de Petra: vbi tamdiu permanſit, quamdiu ciuitas illa in manus Mahometi incidit anno 1453. tunc enim ſacra hæc lancea, cum ſpongia & arundine, qua Chriſtus Dominus fuit potatus, nec non & S. Ioannis Baptiſtæ dextera manus, qua Redemptorem mundi baptizauit, in hoſtis victoris poſſeſſionem deuenerunt;

nerunt; vnde conscius Mahometus, Constantinopolis Basilicas magna auri, argenti & Reliquiarum copia ditatas esse, eam legem sanciunt, ne quispiam ab eis locis aliquid auferre auderet. Deinde in Turcarum Imperium succedens Baiazethus, vt beneuolentiam magni Magistri S. Ioannis Ierosolymitani captaret, nomine F. Petri de Aubusin, matrum S. Ioannis Baptistæ donauit; & ad eius preces sacrum lanceæ ferrum Innocentio VIII. Summo Pontifici idem Baiazethus misit anno 1492. vt sacræ Religionis S. Ioannis verissima historia contestatur. Ad cuius felicem aduentum, qui fuit vltima Maij anni 1492. vt ex Diariis Romanarum rerum etiam habetur, Summus Pontifex, & Cardinales omnes, cum ingenti Presbyterorum & Monachorum multitudine, vsque ad portam sanctæ Mariæ de Populo, honoris & reuerentiæ causa, egressi fuere, vt sacrum pignus debito honore susciperent.

Ferrum lanceæ ad Pontificem Romam delatum.

Detulit autem Summus Pontifex sacrum ferrum in propriam cameram; eo quidem animo, si Bosio credimus, vt ibi asseruaretur, quousque ad eius honorem sumptuosum templum erigeret. Cùm primùm tamen ille vita functus est, confestim translatum fuit sacrum ferrum in Basilicam S. Petri eodem anno die Lunæ, 16. mensis Iulij, vt eadem Diaria docent. Non ergo illud posuit Innocentius, vt in eius Vita dicit Platina, nisi dicatur, ipsum in morte ita ordinasse.

Roma in Basilica S. Petri asseruatur.

Difficultas dissoluitur.

Duo dictis obstant, quæ sunt proponenda & diluenda. Primum est, quod non pauci Historici tradunt, Balduinum II. Imperatorem Constantinopolitanum, graui quadam pecuniæ necessitate oppressum, sacrum lanceæ ferrum Venetis impignorasse pariter cum corona spinea, & parte sanctæ Crucis: qui cùm postea eisdem Venetis debitum non soluisset, eius permissu sanctus Ludouicus Rex Francorum, soluto æte, sacra hæc pignora recuperauit, & in Regia sua Parisiis religiosè custodiuit.

Respondet Carthagena, totum ferrum non fuisse datum ab Imperatore; nec id dicunt Historici, qui factum illud retulerunt; & hoc singulariter ostendit ex Philippo Bergomenti in Supplemento Chron.

Secundum, quod opponi potest, est quod Genebrardus in sua Chronologia affirmat, sanctam lanceam in manus Rodulphi Ducis Burgundiæ peruenisse, eamdemque ab eo partim muneribus partim minis Henricum I. Imperatorem extorsisse; postmodum verò illam obtinuisse Othonem eius successorem, Regique Angliæ Etelestano liberaliter donasse anno 963.

Respondet idem Carthagena, lanceam de qua loquitur Genebrardus, non esse illam Saluatoris, sed aliam qua Imperator Constantinus vtebatur; cuius ferrum formam crucis exprimebat, intusque particulam cuiusdam Christi claui continebat. Huius meminerunt Sigebertus in Chron. sub anno 929. Cardinalis Baronius Tom. 3. sub anno Christi 325. num. 207. Ex his & illis quæ ex eodem Cardinali diximus Capite XXIII. huius Peregrinat. de clauorum Christi pluralitate, patet quid respondendum sit dicentibus, ferrum Dominicæ lanceæ esse Mechinij, vel in Armenia. Et hæc de his satis.

CAPVT XXVI.

De sacello S. Helenæ matris Constantini, septimo loco primæ Peregrinationis.

E Loco Inuentionis sanctæ Crucis Saluatoris nostri, & cisterna in præcedentibus memorata, gradus vndecim in rupe montis excisos ascendendo, reuertimur ad Ecclesiam & cryptam S. Helenæ, Magni Constantini Imperatoris piissimæ matris; vertendoque nos ad dexteram partem, iterumque reuertendo, duobus gradibus adscendimus ad altare, vbi sanctam Deoque dilectam veneramur mulierem, quemadmodum alia sancta loca priùs fuimus venerati.

Sacellum hoc & templum pluchrum est ac amplum, & non minus ac alia quæ in templo Resurrectionis Domini honorantur. Tres habet naues; in medio est hemisphærium, quod quatuor marmoreis columnis sustentatur, & ex illo lumen recipit: sunt illæ in quadro dispositæ; & omnes ab inuicem distant pâlmis 20. & à columna ad nauem, siue murum Ecclesiæ, sunt palmi 16. tota eius longitudo est palm. 50. latit. 48. ligneis cancellis diuiditur, & superior pars clauditur: in qua sunt duo altaria; in medio maius est, totum integrum, hoc est, ex vnico marmore, longit. 9. latit. 5. palm. cum proportionata altaris altitudine: S. Imperatrici dicatum est. Alterum in eius dextera bono Latroni, siue eius cruci, dicatum; à sinistra est marmorea sedes Episcopi: fabella est, esse illam, in qua Helena sedit, quando iussit fodi terram pro inuenienda sancta Cruce; vel in illa sedisse Constantinum, quoniam tunc Ierosolymis non fuit Imperator. Etenim ab Episcopo Armeno Ierosolymitano, quem ego ipse noui, fuit ibi erecta; & aliquando conquestus fuit, quòd illam demolirentur peregrini falso illo intuitu. Nihilominùs fas est credere, verè ibidem fuisse Helenam, quando iussit fodi terram pro sancta Cruce inuenienda.

Forma sacelli S. Helenæ.

Et

Digitized by Google

Et non minùs falsum, columnas marmoreas priùs memoratas emittere lacrymas, quasi dolentes mortem Saluatoris: etenim olim quidem, quòd sacelli illius solarium non esset perfectè compactum & accommodatũ, ob defluentem in eas aquam, semper madefactæ & quasi lacrymas emittentes videbantur; at in præsentia, ex quo stratum illud superiùs optimè resarcitum est, alioqúe diuertit decidentes aquas, nil tale videtur.

Guilielmus de Baldensel causam defluentis illius aquæ adscribit naturæ lapidis columnarum; sic enim de illis scribit in suo ad Terram sanctam Hodœporico: Circa locum inuentionis sanctæ Crucis sunt quædam columnæ marmoreæ aquam continuè distillantes; & simplices dicunt, quòd plangant & defleant mortem Christi, quod verum non est: quia vbi natura sufficit, non est ad miraculum concurrendum. Est autem certa species lapidis in genere marmorum, quæ Enidios appellatur, cuius natura per magistros mineralia conscribentes talis asseritur, quod ex frigidissima naturali eius complexione aërem circumstantem ingrossando transmutat in aquam: in habentibus enim symbolum facilis est transitus aquæ in aërem subtiliando, & aërẽ in aquam inspissando; quo fit, vt aërem aquam factum, & petræ circumpositum, necesse sit naturaliter distillare. Vnde in Constantinopoli, in veteri palatio Imperiali, sub terra quasdam conchas marmoreas vidi de simili lapide; quæ plenæ existentes aqua, euacuabantur aliquoties: & reuoluto anno, sine omni humano studio, plenæ inueniuntur aqua, ita vt vndique effluant; quod à vulgaribus maximum miraculum reputatur. Sed ego hoc videns naturam lapidis considerauí, circumstantiam loci aduerti; admirato domino Imperatori causam naturalem exposui, cui plurimùm placuit, & me ex tunc in singularem amorem & honoris gratitudinem collegit. Hæc ille.

Mihi in proposito præcipua ratio illius defluxionis videtur esse loci humiditas, ob quam aliæ templi maioris columnæ fæces quasi demittunt sudoris; sunt enim illæ ex communi marmore: etenim si essent ex Enidios lapide, vt olim, ita in præsentia aërem in aquam conuerterent, ac defluerent, quia mutatæ non sunt; quod tamen haud faciunt.

Ratio nominis sacelli S. Helenæ.

Sed quare hoc sacellum *Sancta Helena* nuncupatur? Dicerem duplici ratione. Altera, quia ipsa Imperatrix illud ædificauit ad honorem inuentæ Crucis: arbitramurque, esse illam Ecclesiam, de qua Eusebius & alij locuti fuerunt, & nos suprà meminimus Capite v. huius Peregrinationis: quæ Ecclesia sanctæ Crucis ab ea appellata. Quo nomine fortasse in præsentia non gaudet; vel quia eo insignitur ipse locus inuentionis sanctæ Crucis; vel quia, antiquitate consumpta, vel potiùs, rabie infidelium demolita, postea à piis fidelibus reparata & reædificata, ob pietatem & deuotionem in Augustissimam & sanctissimam mulierem, ab eius nomine appellata est *Sancta Helena*, Deo iustè disponente, vt illa hoc monumento perpetuò in Terra sancta celebraretur, quæ in ea tot templa constructit, totque veræ pietatis æterna monumenta posteris reliquit. Et hæc est altera ratio nomenclaturæ huius Ecclesiæ & sacelli. Posset etiam dici; totam structuram Ecclesiæ dici sanctæ Crucis, sed ratione superioris partis & altaris S. Helenæ, Sacellum sanctæ Helenæ nuncupari.

CAPVT XXVII.

De origine D. Helenæ, M. Constantini Imperatoris piissimæ matris.

OMnis ratio & æquitas requirit, cùm de sanctis Palæstinæ locis agamus, vt aliquid de muliere illa forti dicamus, Helenam Imperatricem dico, quæ ex remotissimis partibus venit Ierosolymam, non vt altera Regina Saba, audire sapientiam Salomonis, sed vt oculis corporis videret, & mente contemplaretur, pioque affectu & studioso effectu illa veneraretur loca, quæ sanctificauit & exornauit ille, qui est plus quàm Salomon, increata Sapientia, Verbum Patris, Æternique Dei Filius, & Reparator noster Christus Iesus. Mulier sedula, quæ, in manibus suis lucernam fidei gestans, euerrit non domum vnam, sed, peragratis ciuitatibus, maribus transfretatis, ab Occidente in Orientem venit in Palæstinam, ad sanctam Ciuitatem Ierusalem, vt inquireret drachmam perditam, an absconditam? sanctam Crucem Saluatoris nostri, eius augustissimum Sepulchrum, & alia sancta loca: quæ nec ab opere destitit, donec, subuersa ciuitate & prouincia, illam inuenit. Mulier illa Augusta, quæ in augustissimo & sapiente filio strenuissimo Imperatore Constantino Maximo gloriari potuit, quæ ad sexum & ingrauescentem ætatem non respexit, sumptibus & laboribus non pepercit, vt quod quærebat inueniret, sicut & inuenit; nostræ salutis instrumenta, sanctissima Terræ sanctæ loca, odio infidelium obscurata, fere sepultã & obliterata, vt in lucem prodirent, effecit, & illustrissi-

S. Helena encomium.

ſtriſſimis monumentis mundo conſpicua reddidit. Ratio inquam expoſtulat, vt de ea aliqua dicamus, quæ nedum de ſanctis Terræ promiſſionis locis, ſed de tota vniuerſali Eccleſia optimè merita fuit; vnde & grauiſſimis Scriptoribus nobiliſſima ſcribendi præbuit argumenta, ex quibus nos aliqua in eius commendationem ſeligemus, & hic ſubiiciemus. Antehac de ſacello eius nomini dicato ſermonem fecimus, nunc de illius origine, progreſſu & fine agemus. Et vt ab huius generoſæ mulieris origine, cunabulis & proſapia ordiamur, omiſſis mendaciis, & fictis Græcorum commentis, quæ refert & acutè refellit Cardinalis Baronius Tom. 3. Annal. ſub anno Chriſti 306. à num. margin. 12. vſque ad 20. dicamus quæ ab eo approbata ex probatis & fide dignis Scriptoribus referuntur.

Helena ex Britannia oriunda.

Helena, vt veteres produnt Britanniæ Annales, ex Britannia oriunda, filia fuit vnius Britanniæ Reguli Coel nomine: ad quem cùm Conſtantius, Claudij Imperatoris recenti memoria clarus, ab Aureliano Imperatore miſſus fuiſſet cum exercitu in Britanniam, vt populum illum, ſæpiùs tumultuari ſolitum, in officio & fide Aureliani contineret; & apud illum hoſpitatus, Helenæ filiæ pulchertimæ iam nubili amore captus, eam accepit in coniugem, & genuit ex eâ Conſtantinum, quem in Britannia peperit. Ita celebris ille Gallicanus Orator diſertis verbis coram ampliſſimo conuentu, habito eo tempore quo celebratæ fuerunt nuptiæ Conſtantini & Fauſtæ, filiæ Maximiani Herculij, dum ait de patre Conſtantio & eius filio Conſtantino: *Liberauit ille Britannias ſeruitute; tu etiam nobiles illinc oriundo feciſti.*

Nubit Conſtantio.

Helena repudiatur à viro Conſtantio.

Quæ poſtquam geſta fuiſſent, Maximianus Herculeus Conſtantium ſibi adoptauit in filium, vt ei in matrimonium coniungeret Theodoram priuignam ſuam: quare, eodem Maximiano iubente, coactus fuit Helenam, quam priùs vxorem duxerat, repudiare, vt tradunt Eutropius lib. 9. Victor in Diocletiano, & alij Hiſtorici. Quo facto, vnà cum Imperio Theodoram accepit vxorem, ex qua filios & filias genuit; quibus tamen poſthabitis, Conſtantinum ex Helena ſuſceptum, Imperij reliquit heredem. Neç memoria extat, inquit Baronius, Conſtantium aliũm ex Helena filium vel filiam genuiſſe. Ex quibus omnibus colligimus, Helenam nobilibus regiiſque ortam natalibus, pulchram & honeſtam feminam extitiſſe, &, vt par erat, nobiliſſimo viro nuptui traditam.

Helena nobilitas.

Ceterùm duo adducuntur contra nobilitatem & honeſtatem Helenæ. Alterum, quòd non vera legitimaque vxor extiterit Conſtantij, ſed fornicaria & concubina. Zonaras ſiquidem Annal. lib. 3. in Conſtantino auctor eſt, controuerſia agitatum, dicentibus aliis eam concubinam fuiſſe Conſtantij, aliis legitimo illi iunctam eſſe coniugio affirmantibus; quorum litem ipſe non ditimit, ſed ſub iudice reliquit: quam determinauit Zoſimus lib. 2. cum aliis, fuiſſe concubinam Conſtantij, & Conſtantinum natum eſſe ex conſuetudine mulieris, quæ materfamilias minùs eſſet.

Argumenta contra Helenæ honeſtatem & nobilitatem.

Alterum ei obiectum eſt, non nobilem, nec regiis natalibus progenitam, ſed vilem extitiſſe hoſpitem, & ex hoſpitio ſibi vitam comparaſſe; quod, præter alios Scriptores, Eutropius lib. 10. in principio indicauit ſequentibus verbis: *Conſtantinus ex obſcuriori matrimonio eius filius in Britannia creatus eſt Imperator.* ſed quod magis facit, eſt quod S. Ambroſius Orat. in fun. Theod. *Helenam ſtabulariam* appellat.

Reſpondetur argumentis. Helena legitima Conſtantij vxor.

Verùm hæc nullo modo ſunt admittenda: & quòd non concubina, ſed legitima Conſtantij vxor extiterit, inde colligitur, quòd citati, Eutropius, Victor, & alij dicant fuiſſe repudiatam à Conſtantio: repudium verò tantùm de vera coniuge dici ſolet; & fortè hoc indicauit Conſtantius, dum non Theodoræ poſt ſuſceptæ filios, ſed primogenitum ex Helena Conſtantinum reliquit heredem Imperij: denique Gallicanus Orator coram Maximiano & Conſtantino, Magiſtratibus & florentiſſimo auditorio, in concione habita in nuptiis Conſtantini, commendat inter ceteras virtutes eius continentiam, in qua patrem fuit imitatus: & quomodo verum dixiſſet coram præclariſſimo auditorio, ſi Conſtantius pellicem ſcortumque habuiſſet? Ad Zoſimum & eius aſſeclas oppoſitũ affirmantes dicere poſſumus, primò non eſſe fidem præſtandam, quoniam non zelo veritatis, ſed liuore vindictæ locutum fuiſſe in Conſtantinum: quippe cùm ethnicus eſſet & idolorum cultor, quorum cultum interdixerat Conſtantinus, cùm aliter ſe vindicare non poſſet, ex illicito concubitu progenitum dixit. *Ethnicus enim homo*, inquit Baronius, *addictiſſimus ethniciſmo, & in Chriſtianam religionem infenſiſſimus, cùm de Chriſtianorum rebus agit, manifeſtus ſæpè conuincitur proditor veritatis, & in Conſtantinum pariter iniquiſſimus, quem vt deſertorem Deorum exagitat contumeliis; vt intelligas, ipſum in Conſtantinum Philippicas potiùs quàm Conſtantini Hiſtoriam conſcripſiſſe.*

Helena concubina cur dicta.

Secundò reſpondetur, ideò dictam fuiſſe concubinam, non quòd non fuerit legitimo matrimonio Conſtantio copulata; ſed quia

quia legibus Romanorum cautum erat (quod testatur Papinianus I. C.) vt si Præfectus cohortis, vel Equitum, aut Tribunus contra interdictum vxorem duceret in ea prouincia, in qua officium gerebat, matrimonium non esset, cùm ratio potestatis, vt ait, eiusmodi nuptias prohiberet. Quam ob causam sic acceptam Helenam à Constantio putarint potius concubinam quàm coniugem. Sed quid Paulus I.C. respondit? Si post depositum officium eiusmodi in eadē voluntate perseueret, iustas nuptias effici. Hæc ex Baronio: quæ exemplo confirmat.

An etiam ideò dicta est concubina, quia, cùm vnius viri vna vxor esse debeat, Constantius Theodoram duxisset sanguine nobiliorem, vtputa Romani Imperatoris filiam? cui ne concubinæ nomen Christiani nominis hostes tribuerent, maluerunt illud Helenæ postea Christiana nobilitate clarion tribuere.

Helena quomodo ignobilis.

Quare nec de ignobilitatis nota ab inimicis musta curandum est. Præterea iis, qui non odio in S. Imperatricem locuti sunt, dicere possumus, non absolutè *stabulariam & ignobilem* dictam, sed respectu Theodoræ, quam cum Imperio Constantius suscepit in coniugem. Sed quid dicendum ad Ambrosium Christianissimum Antistitem, qui miris laudibus efferre Helenam professus fuit? Respondet Baronius, eo nomine fuisse appellatam, *quòd hospitio, apud quem diuertit Constantius in Britannia, filia fuisset. Sed qualis hospitio? qui Ducem totius exercitus domi exciperet: certè haud infimi ordinis inter Britannos & mediocrium facultatum; sed par est credere (vt euenire solet in hospitalibus militaribus) qui in ciuitate nobiliores ac ditiores sunt, eos qui digniores pariter militia ducunt ordines, hospitari solere.*

Adderem quod aliis probatur, D. Ambrosium non ex propria, sed aliorum sententia fuisse locutum; & hoc eius verba manifestè indicant, cùm loco citato ita dicit: *Stabulariam hanc primò fuisse asserunt, sic cognitam Constantio Seniori, qui postea Regnum adeptus est. Asserunt*, inquit, id est, alij: non id ego affirmo.

Et quamuis ex prosapia illustri Augusta Imperatrix laudabilis sit tamquam ex alienis, habet ex propriis, id est heroicis suis virtutibus, vnde vsque ad sidera encomiis efferatur, vt videbimus. Agnouit eius filius ingenitam & acquisitam matris nobilitatem: qui cùm probè sciret, nobiles & virtute præditos parentes filios reddere gloriosos, ideò gloriabatur se tali matre fuisse progenitum, vt Auctores varij prodiderunt; & in tantæ matris honorem opera illustria operatus est, vt posteà videbimus. Et hæc de Helenæ origine satis.

CAPVT XXVIII.

De Helenæ progressu illiusque heroicis operibus.

CLaris quidem orta natalibus Helena Augusta, & genere nobilis, vt iam visum fuit, at longe clarior & nobilior Christiana religione & pietate, Augustissima prole heroicisque eius operibus, in his enim vera consistit nobilitas, & ex his meritò nobilis ac generosa mulier laudanda est. Helena itaque à Deo optimo maximo ab æterno electa, vt nedum in altera beata vita, sed & in hac miseriis plena illustrissimis actibus glorioſa esset, in tempore illam diuinitus vocauit, cælesti fulgore illustrauit, vt, fugatis errorum densissimis tenebris, spreta falsa gentilitia superstitione, veram Christianorum susciperet, promptè annuit illa; &, interno docente magistro, didicit multò nobiliorem esse Christianorum humilitatem & seruitutem Regum opibus ac superbia, quemadmodum nobilis illa Catanensis virgo & martyr Agatha dixit: quare hanc amplexa, & quoad vixit profecuta fuit tanta sollicitudine, vt mundo forma & exemplar Christianæ vitæ remanserit.

Helena suscipit Christianam religionem.

Controuersum nouimus inter Scriptores de tempore quo facta est Christiana, an ante Constantinum, an posteà: &, an ante Christianismum Iudæis patrocinata fuerit, & eorum legem professa sit. In quorum decisione multa fabulosa & falsa enarrantur, à quibus nos abstinemus, quæ probabiliora doctioribus visa fuerunt hîc subscribentes.

Probabilius illud, Helenam in iuuentute Christo se consecrasse, baptizatamque ante Constantinum, quin fide & meritis Helenæ baptizatum Constantinum, & orbi redditum glorioſum, & à puero ad pietatem instituisse. Ita Cardinalis Baronius Tomo 3. sub anno Christi 315. num. 12. & probat auctoritate Paulini, qui eodem sæculo celebris in Senatu fama claruit; ipse enim in Epist. 11. ad Seuerum hæc dicit: *Manſit hoc sæculi prioris nefas in tempora nostra proxima Constantini, qui Princeps esse Principibus Christianis non magis suo quàm matris Helenæ fide meruit.* Hæc Paulinus claritudine generis doctrinaque insignis & sanctitate præclarus, ob idque dignus cui magis credatur, quàm Eusebio in Vita Constantini lib. 3. cap. 46. asserenti, Helenam antè pietate minimè imbutam, piam redditam per Constantinum. At quonam pacto, quæso, quis dixerit Gentilem

Helena iuuenis reddita Christiana, & eius meritis Constantinus.

& Christo aduersariam adhuc Helenam his fuisse temporibus, si filia eius Constantia Licinio nupta (vt diximus, inquit Baronius, sub anno Christi 313.) Christiana erat? vt appareat tenellam virginem è secretis maternæ domus penetralibus progredientem Christianam, non nisi ex materna institutione id consequi potuisse. Et Ado in Martyrologio ad VI. Nonas Maij idipsum verbis Paulini affirmare videtur.

Sed dicet aliquis: Si Constantia Helenæ filia dicitur, & ab eadem vt filia honestis ac Christianis moribus educata; quomodo verum, quod anteà ex Baronio assertum fuit, Helenam vnicum habuisse filium Maximum Constantinum? Respondetur, Constantiam dici filiam Helenæ non carnalem, sed spiritualem; quia illam vir eius Constantius ex Theodora altera coniuge genuit, & Helena honestè educauit, ac Christo peperit.

Verùm si Constantia verè Helenæ filia nuncupatur, verè illius filiam nedum spiritualem, sed etiam carnalem fuisse, reor, efficaci ratione vel auctoritate haud refragante: ratio est, quia historiæ verba sunt secundùm communem & vsitatum loquendi modum & sensum accipienda, sed filiæ nomen communiter accipitur pro carnali filia, igitur, &c. Et tantò magis credi posset, Helenam duos genuisse liberos, marem & feminam, si quæ statim subijcio vera sunt.

Ierosolymis nobilis quidam peregrinus Danus, vir, si quis alius, antiquitatum studiosissimus, & in scientiis apprimè versatus, dixit mihi in primis, se habere numisma in quo sculpta erat D. Helena cum duobus filiis hinc inde ad pectus; quorum alter maris, alter femellæ formam exprimebat, atque ex illo addidit, confirmari & explicari quod in quodam legum Volumine legitur, de duplici Helenæ partu, Helenam inquam duos genuisse filios, masculum & feminam: & si hæc vera, præmissis additis, rationabiliter asseuerare possemus, Augustam nedum spiritualem, sed etiam naturalem matrem Constantiæ fuisse, quemadmodum fuit Constantini.

Addidit idem nobilis, se habere aliud numisma in quo sculpta erat imago Sepulchri Domini: hoc ego in primis summoperè videre desiderabam, sperans ex illo clariùs me posse intelligere ac explicare antiquam eiusdem Sepulchri formam. Promisit ille, se vtriusque numismatis exemplar Ierosolymam ad me transmissurum, illa enim reliquerat in sarcinis suis Sidone, vulgò *Saida*: verùm ille in itinere & montis Libani peregrinatione pestilentia è viuis sublatus fuit; & ita, vt ille vita priuatus, sic ego meo desiderio fraudatus remansi. Honesti viri relationi fidem adhibens, postea, occasione nactus, diligentia non mediocri prædicta inuestigaui, sed nusquam inuenire potui, nisi quod subijcio ex Adolpho Occone in suis Imperatorum Romanorum numismatibus pag. 538. vbi duo describit numismata Flauiæ Maximianæ Faustæ Ethnicæ, Constantini M. vxoris.

Arg. FLAV. MAX. *alij*, MAXIMIANA FAVSTA AVG. SPES REIPVBLICÆ BSIS. *Femina gestans duos pueruios, alterum dextra, alterum sinistra.*

SALVS REIPVBLICÆ S.T.R. *Femina stans cum duobus pueruis. Idem ex ære.*

Hoc ego vidi: paruum est, & illos in brachiis tenet. An de vno ex istis numismatibus fuerit peregrinus ille locutus, & fortasse, propter consumptas litteras, pro Maximiana, Helenam ipse legerit, an verò de alio Helenæ numismate intellexerit, penitus me latet. Placuit ista adnotare, quia studiosiores, quibus q; maior suppetit commoditas, eadem indagare ac inuenire poterunt. Itaque ad intentum, si hæc vera sunt, dicere possumus, Helenam duplici ratione fuisse Constantini ac Constantiæ matrem, carnalem, quia mundo, spiritualem, quia Christo peperit clariores.

Zelus Helenæ inuisendi loca sancta.

Generosa hæc mulier, diuini conscia oraculi, non esse in via Domini retrocedendum, sed procedendum semper, vt Regno Dei inueniamur apti, hoc, quod singulare videtur, iam multis annis onusta, licet alios, vt Imperij opibus & honoribus potirentur, sollicitos videret, his posthabitis, ad instar alterius Moysis (qui pro salute populi sui magis elegit cum eò affligi, *quàm temporalis peccati habere iucunditatem*, vt inquit S. Apostolus Hebr. 11, 25. *maiores diuitias æstimans thesauro Ægyptiorum, improperium Christi: aspiciebat enim in remunerationem*) ob singularem in Christum pietatem, & communem Ecclesiæ vtilitatem, cum ætate recipiens incrementa virtutum, sexu & ætate quidem infirma, sed diuina virtute promptior & fortior reddita, in somnis admonita, precationis ergò, locorumque sacrorum cognoscendorum gratia, & vt sacratissima nostræ salutis inquireret instrumenta, & nobilissimis illustraret monumentis, abiit in Palæstinam, nec longi itineris labore, nec senectutis molestia remorata: quæ quod quæsierat inuenit, vt superiùs de Inuentione S. Crucis, & de sancto hoc templo Dominicæ Resur-

Resurrectionis ageremus diximus, & inferiùs, sermonem vel de sacrosancto Caluariæ monte, vel de Christi augustissimo Sepulchro facientes dicemus. Consule de his Baronium Tom. 3. sub anno Christi 326.

Pauca hîc dumtaxat perstringamus, quibus suam in Deum & Sanctos eius in templorum structura & ornamento pietatem, & erga homines in subueniendo & seruiendo egenis humanitatem & humilitatem sancta demonstrauit Imperatrix.

Ecclesia ab Helena ædificata.

Nicephorus lib. 8. cap. 30. aliqua memorat Imperatricis templa mirifico opere ædificata, in loco resurrectionis & Caluariæ, in Bethlehem, ad eam in qua Christus natus est speluncam, in monte Oliueti, in loco vbi Christus in cælum ascendit (addit & Ecclesiam in Gethsemani prædio circa Mariæ Virginis Sepulchrum, sed hoc de eo agentes reiecimus.) Sanctis item infantibus, & vbi Angelus Pastoribus lætum attulit nuntium, in eis ipsis locis sacras extruxit ædes: infantibus videlicet ipsis, & Verbi Puerperæ, necnon aliam quoque sponso Ioseph ædem. Bethaniæ Lazaro Christi amico insigne ædificauit delubrum. Deinde ad Iordanem conuersa, circa speluncam, vbi olim domicilium Baptista habuit, perpulchram ædem illi erexit; aliamque ad accliuitatem montis Heliæ Thesbitæ. Inde, quatuor dierum itinere emensо, venit Tiberiadem; ibi templum duodecim Thronorum appellatum erexit, vbi miraculum quinque panum fecit Dominus: item, apud Capharnaum, vbi miraculum illud in Centurione editum, & in paralytico, qui per tectum demissus, statim salutem inuenit; deinde, vbi mulier sanguinis fluxu laborans restituta est. Ad mare Tiberiadis, supra montem Thabor, in ciuitate Nazareth, Cana Galilææ, & alibi in partibus illis sacras extruxit ædes. In vrbem sanctam reuersa, in cœnaculi loco, & in domo Caiphæ Ecclesias ædificauit. In fouea Ieremiæ, & ad fontem, qui Siloë dicitur, mirifica construxit opera. Postremò, agrum figuli apparati curauit, in aduenarum scilicet & peregrinorum sepulturam. Plura alia extruxit & exornauit, & idololatrarum euertit fana; vt plures tradiderunt Historici. Nicephorus lib. 8. cap. 30. post plures recensitas Ecclesias ab Helena ædificatas, addit sequentia: *Quin & plures Ecclesias alias in sanctis illis locis, supra triginta, amantissima Dei femina Imperatoris mater condidit*, &c. Et tanta huius sanctæ Mulieris creuit in partibus istis Orientis opinio pietatis, vt quotquot cernuntur Ecclesiæ, vel sane pro maiori parte ab ea fuisse ædificatas dicatur.

Helena liberalitas.

Nec minùs fuit pia & liberalis S. Imperatrix in proximum. *Porrò autem*, inquit Eusebius de Vita Constant. lib. 3. cap. 43. 44. *dum regiarum opum magnificentia instructa omnem Orientem peragrat, cùm vniuerso populo quasq; ciuitates incolenti simul, tum priuatim singulis eorũ qui ad ipsam accedebant, infinita munera largita est; infinita etiam ordinibus militaribus quasi plena manu distribuit. Quæ verò pauperibus, omnibus rebus nudatis, omniq; ope & auxilio destitutis dispertierit, vix enumerari possunt; quippe in alios grandem pecuniarum vim conferre, aliis corporis tegumenta prolixè & largiter suppeditare, vinculis eripere alios, alios tum laboribus in metallis effodiendis afflictatos, tum fraude & iniuria oppressos liberare, denique ab exilio alios in patriam reuocare dignata est. Quæ quidem licet eiusmodi rebus esset insigniter nobilitata, alia tamen in Deum pietatis munera minimè neglexit. Nam vbiq; cernebatur, in Ecclesiam Dei intrare, templaq; splendidis exornare monumentis; inq; ades sacras vel in minimis vrbibus extructas suam benignitatem ostendere licebat: præterea eam & decoro eximioq; apparatu admirabilem videre sæpè versari cum multitudine, & verum cultum erga Deum omnibus piis vitæ officiis declarare.* Hæc Eusebius.

Helena pietas.

Helena humilitas.

Sed singulare humilitatis & pietatis argumentum omnibus palàm fecit, dum vt vilis femina sacratis Deo virginibus Ierosolymis ministrauit, vt lib. 8. cap. 31. tradit Nicephorus, & Ruffinus, qui lib. 1. cap. 8. inquit: *Reliquit Ierosolymis etiam indicium hoc religiosi animi Regina venerabilis: virgines quas ibi reperit Deo sacratas, inuitasse ad prandium, & tanta eas deuotione curasse dicitur, vt indignum crederet, si famularum vterentur officiis; sed ipsa manibus suis, famulæ habitu succincta, cibum apponeret, poculum porrigeret, aquam manibus infunderet, & Regina orbis ac mater Imperij, famularum Christi famulam deputaret.* Hæc Ruffinus. Eadem alij. His & alijs pietatis operibus egregiè peractis, reuertitur Romam ad filium suum dilectissimum Imperatorem Constantinum, deferens immensum thesaurum, pretiosissimas Reliquias, crucem, clauos, quibus Saluator noster homines & Angelos cælestibus bonis ditauit.

CAPVT XXIX.

De felici transitu D. Helenæ, & honore ei exhibito.

Diua Helena Augusta, Augusti Imperatoris pia mater, plena bonis operibus, agens, vt creditur, ætatis suæ annum octo-

gesimum, migrauit ad Dominum: de cuius glorioso & felici transitu, honore ei à filio exhibito scripserunt varij, qui eius & filij sui res gestas scriptis consignarunt. Morte imminente, vt quondam Isaac, Iacob alijque celebres viri, ex hac ad alteram emigraturi vitam, filios suos benedixerunt, & ad obseruantiam diuinæ legis exhortati sunt, saluberrima consilia relinquendo; ita Helena, vt scribit Theodoretus lib. 1. cap. 18. plurima de pia viuendi ratione filio præcepta dedit, eumque benedictionibus muniuit.

Helena benedicit filio, & salutaria dat monita.

De transitu verò eius hæc accipe ex Eusebio lib. 3. de Vita Constantini cap. 45. *Demum verò cùm naturam viuendi satietate expleuisset, & ad meliorem statum euocaretur, octogesimumq; ferè ætatis suæ annum confecisset, & ad extremum vitæ exitum propè veniisset; decreuit secum, statuitq; coram Imperatore filio suo, vnico Principe mundi potentissimo, huiusq; liberis Cæsaribus, nepotibus suis, testamentum suum facere, & sigillatim nepotibus suis, quæ sibi in toto orbe terrarum suppeterent, facultates dispertire. Quibus rebus hunc in modum constitutis, suo filio, tanto & tam eximio Imperatore, ipsi præsto assistente, sedulò inseruiente, & manus illius tenente, finem ita viuendi fecit, vt beatissima quidem iure optimo, non mori prudentibus videretur, sed vitam caducam & fragilem cum cælesti & æterna reuerà commutare. Anima igitur corporis compagibus soluta, ad immortalem & angelicam naturam, atque adeò ad ipsum Saluatorem assumpta est.* & cap. 46. de eius funere & sepultura subijcit sequentia: *Eius autem tabernaculum splendidis exequiis decoratum; nam maxima satellitum turba ad ciuitatem, quæ principem locum tenet Imperij, deportatum fuit, ibiq; regali sepulchro conditum. Sic igitur Imperatoris mater diem suum obijt, quæ quidem est immortalis planè memoria celebranda, non modò propter pia vitæ officia, sed etiam propter eximium illud & admirabile germen ab ea editum, Constantinum dico; quem quidem cùm ob ceteras res omnes, tum ob pietatem in parentem & procreatricem suam, beatum iudicare, par est: qui illam, cùm iam antè pietate minimè esset imbuta, ita piam reddidit, vt à primo tempore ætatis ab ipso communis omnium Saluatoris ore instituta fuisse videretur; ita etiam honore regio exornauit, vt cùm apud omnes gentes, tum apud eos qui in aliquo gradu militari collocati essent, Augusta & Imperatrix nuncuparetur, aureique numismata eius imprimerentur effigie. Iam verò thesauro regio pro arbitratu vtendi, proq; animi sententia, & vt sibi commodissimum fore putaret, singula liberè dispensandi, filius ei liberam fecit potestatem, quo etiam in his omnibus eam & splendore eximiam & amplitudine admirabilem efficeret. Quare inter ea, quæ ad eius memoriam illustrandam faciunt, ista etiam non sine causa repetita sunt; quæ dum propter singularem pietatis præstantiam in matre colenda exercebat, præcepta etiam diuina, quæ honorem parentibus decenter impertiendum tradunt, accuratè expleuit.* Hactenus Eusebius de obitu & pietate Helenæ, & officiis in eam à filio suo impensis.

Helena felix ex hoc mundo transitum.

Regium Helenæ funus.

Baronius Tom. 3. sub anno Domini 326. num. 62. ex verbis Eusebij deducit, Helenam fuisse Romæ sepultam; quoniam ipsa principem locum Imperij tenebat, contra Socratem, qui lib. 1. c. 23. in fine dicit, Constantinopoli sepultam. Niceph. lib. 8. c. 31. manifestè tradit, Romæ mortuam & sepultam, sed post biennium Constantinopolim translatam. At dictum de translatione non placet Baronio, quòd apud veterem scriptorem non inueniatur. De numismatibus Helenæ, de ædificiis & statuis à Constantino ad honorem suæ numquam satis laudatæ matris, epitaphiisque nobili eius mausoleo appositis, consule loco indicato Cardinalem Baronium. Idem Baronius Tomo 10. sub anno Christi 849. num. 28. ex Sigeberti Chronico ait, ex Vrbe ab Ecclesia sanctorum martyrum Petri & Marcellini eleuatum corpus S. Helenæ, Constantini Magni matris, per Theagisum Monachum fuisse translatum in Gallias, & in Diœcesi Rhemensi collocatum; verùm de eius corpore inter Latinos & Græcos antiqua est controuersia, vbi sepultum fuerit. Veneti insuper illud ab Oriente delatum possidere se gloriantur, quod & digno cultu prosequuntur; sed & Romæ asseruari in Ecclesia Fratrum Minorum S. Mariæ de Ara cæli, in nobili sacello sanctæ Helenæ dicato, asseritur. Nobis hæc dixisse sufficiant de Augustissima pariterque sanctissima Imperatrice, Maximi Constantini Imperatoris dignissima matre, ex occasione sacelli à gratis fidelibus ad Dei honorem & illius memoriam, quæ fuit de sanctis locis optimè merita, erecti, & continuò in veneratione habiti.

De loco sepulchri Helenæ.

CAPVT XXX.

De cruce boni Latronis qui fuit cum Christo crucifixus.

MEllitissimus ille ac deuotus Pater sanctus Bernardus in suis Declamationibus versus finem appositè obseruauit, tres in carcere quondam fuisse, tres in cruce.

Digitized by Google

te. Ioseph siquidem cum pincerna & pistore Regis carcerali custodiæ mancipatus; Christus verus Ioseph cum sceleratis duobus vtique reputatus est. Et illi quidem in carcere vidêre somnia,& audiere interpretationem; isti in cruce verba quædam protulere, & vnus accepit promissionem. Priorum siquidem alter propinabat Regi, & audiuit: *Restituet te in gradum pristinum*, Genes.40,13. Alter pascebat aues, & responsum mortis accepit. Ipsi siquidem sunt porci, quos pauit ille prodigus adolescens. Spurci enim & elati meritò porcorum & auium nomine designantur. Porrò eorum qui crucifixi sunt cum Saluatore alteri vtique confitenti dictum est, *Hodie mecum eris in paradiso*, Lucæ 23,43. alteri verò blasphemanti, non quidem à Domino (neque enim tunc ille iudicabat quemquam) sed à socio responsum est: *Neque tu times Deum, quòd in eadem damnatione es*, &c. His D. Bernardi verbis addere possumus, felici illi responso ac promissioni Domini ad Latronem addita fuisse etiam in præsenti vita bona illa, quæ vel Sanctis vel ipsi Deo exhibentur ab hominibus; quòd videlicet existente illo cum Christo in paradiso, in terra ab hominibus vt Sanctus honoretur Ecclesiarum dedicatione, altarium erectione, vt Lib. IV. Cap. IV. 1. Peregrinationis diximus; & non ipse modò, sed etiam illius patibulum & crux, in qua cum Christo pependit, in honore similiter habeatur.

De cruce S. Latronis simul inuenta cum altera Saluatoris, placet nunc aliqua dicere, ac deinde, ad eiusdem boni Latronis honorem, inuestigare, num crux illa, in qua mortuus fuit, illi martyrij coronam comparauerit; hæc enim pertractare non est ab instituto alienum, quia necdum ab inuentionis Crucis illius loco discessimus. Crux boni Latronis inuenta quidem fuit vnà cum altera Saluatoris, & mali latronis, vt habetur in sanctæ Crucis Saluatoris nostri inuentionis historia; sed quomodo innotuerit, adhuc non legi: quæ, vt arbitror, aliquo miraculo, vt Crux altera Saluatoris, cognita fuit; propter quod forte, & ob fidelium deuotionem, in ipsius honorem altare in sacro Resurrectionis templo fuit ædificatum. Et hoc diuina ordinatione gestum est; vt qui socius fuit passionis cum Christo, esset etiam particeps consolationis & honoris non solùm in altera, sed etiam in præsenti vita: ex eoque intelligeremus, quantum bonus Latro honoretur in cælis, cuius patibulum tantum voluit Deus venerari in terris. Aliqua dictis, pro pleniori intelligentia argumenti quod tractamus, placet addere prout legimus & audiuimus.

Inuenta cruce Saluatoris vnà cum illis latronum, B. Helena, parte excepta Crucis Christi, quam Ierosolymis in perpetuum rei gestæ monumentum reliquit; residuam cum crucibus latronum ad Constantinum detulit: addunt Suidas & Felix Faber, Constantinum crucem boni Latronis cum aliis Terræ sanctæ Reliquiis sepelisse in platea, quæ dicitur Constantiniana: post aliquod verò tempus eadem crux Cyprum translata fuit, & honorificè Nicoxiæ in templo collocata; quam se vidisse affirmat Faber: additque, communè hominum sententiam esse, seipsam sustinere & pendere in aëre absque aliquo adminiculo; quoniam nullus eorum qui eam attentissimè contemplati sunt, cernere potuerunt quomodo sustentetur, nisi miraculo. Vlteriùs addit, Reginam Helepam eidem inseriisse particulam Crucis Saluatoris nostri, vt illa magis honoraretur. Romæ quidem asseruatur pars eius transuersalis, ab Helena in Ecclesia sanctæ Crucis in Ierusalem collocata. Quare si etiam Cypri asseruatur, erit alterum eius lignum; vel, quod probabilius puto, crux ex simili materia fabricata, vel credita.

Crucem boni Latronis ab Helena acceptam Constantinus sepelit in platea Constantiniana.

Singularia de cruce S. Latronis referuntur. Lege Gretserum de S. Cruce To. 1. li. 1. cap. 49.

Roma pars asseruatur.

Ceterùm quæ de translatione huius crucis è Roma Cyprum, & miraculosa eius sustentatione asserta sunt, nescio quo stabili fundamento. Quomodo enim & quando ea Roma priuata est, & Cypri Ecclesia ditata? & ad quid ponere perpetuum illud miraculum prodigiosæ illius sustentationis? qua necessitate vel vtilitate omnipotens & sapientissimus Deus illud ordinauit? ergo eo priuilegio Latronis decorabit patibulum, quo non suam sanctissimâ Crucem, sui triumphi vexillum, nostræ salutis instrumentum, sanctissimum suum præsepe, aliáve suæ passionis instrumenta decorauit? Et si ea pars quæ Cypri in aëre miraculosè sustentatur, quare non item illa quæ Romæ posita est in Sacrario pro gradu altaris? Crediderim ego; si pluribus in locis est crux boni Latronis, ideò factum esse, vt in pluribus honoretur; sicut & illa Saluatoris est ferè per totum orbem partita, vt per totum orbem adoretur: sed quemadmodum ista, ita & illa modo naturali manet.

Singularia de cruce S. Latronis improbantur.

Ratio etiam illa quæ adducta fuit, quare in cruce boni Latronis partem illius Saluatoris incluserit B. Helena, indiget consideratione. Dicerem ego illud præstitisse, si præstitit, vt Ecclesiam, cui eam largiebatur, pluribus ditaret Reliquiis, & propter alia. Facilè enim posset error accidere, vt quod est per se adorabile dulia, latria adoraretur: etenim crux boni Latronis dulia dumtaxat adoranda est, sed adoraretur latria propter inclusum lignum Dominicæ Crucis, quod esset

esset inconueniens. Quodlibet enim, secundùm perfectionem quam continet, venerationi habendum est.

Postquam hæc legissem, & propter dicta non possem illis adhærere, percunctatus sui quosdam, qui diu Cypri in ciuitate Nicoxiæ commorati fuerant, curiosos valde, & magna familiaritate cum Græcis, præsertim religiosis, coniunctos, si à me relata de cruce boni Latronis viderint, vel audierint: qui contestati sunt numquam talia vidisse, vel audiuisse; sed benè ibi asseruari à Græcis partem Doimnicæ Crucis thecis argenteis inclusam. Nec ego postèà ibidem existens tale quid vidi, vel audiui, etiam studio adhibito. Quare hoc, tamquam fine solido fundamento posito, prætermisso, ad aliud propositum, bono Latroni honorabilius ac nobis vtilius & iucundius, calamum conuertamus.

Bonus Latro an Martyr fuerit.

Quæritur à sacris Doctoribus, Num bonus ille Latro, qui vnà cum Christo Reparatore nostro in cruce obiit, ex illa morte Martyr fuerit, Martyr sit dicendus, & corona martyrij condecorandus. Et quod Martyr non fuerit, & consequenter nec Martyr dicendus, atq; laurea Martyribus debita laureandus, sequentia mihi persuadere videntur. Primò, quia, secundùm D. Augustinum, *Martyrem non pœna, sed causa facit:* causa verò est fidei protestatio, & Catholicæ religionis studium; at bonus Latro non pro fide & religione, sed pro delictis propriis damnatus fuit, ergo ex secuta morte Martyr dici non potest, nec vt Martyr honorari. Et hic discursus verissimus videtur.

Lib. 3. contra Cresconium c. 47. & in Psal. 34. conc. 2.

Secundò, Catholica Ecclesia bonum Latronem in Romano Martyrol. die 25. Mart. non Martyrem, sed potiùs Confessorem appellat, dicens: *Ierosolymis commemoratio S. Latronis, qui in cruce Christum confessus, ab eo meruit audire: Hodie mecum eris in paradiso.* at Martyrem appellasset, si fuisset, quoniam Dei seruos secundùm merita honorat & colit sancta Mater Ecclesia.

Tertiò, quia si Martyr fuisset, vtique primus, quia nullus ante bonum Latronem pro Christo mortem subiit; sed illud falsum, quoniam primus Martyr fuit sanctus Stephanus, & tali nomine illum agnoscit sancta Ecclesia, dum ait: *Beatus Stephanus in numero Martyrum inuentus est primus; & ideò triumphat in cælis coronatus. Mortem enim, quam Saluator noster dignatus est pro nobis pati, hanc ille primus reddidit Saluatori.*

S. Latronē Martyrem esse, qui asseruerunt.

Nihilominùs ex gratia singulariq; Dei beneficio, & Martyrem fuisse, & Martyris nomen & coronam ei debitam esse, pium est credere; præsertim cùm plurium grauium Doctorum auctoritas, & non contemnenda ratio suffragetur. In primis sanctus Augustinus lib. 1. de Animæ origine Tom. 7. ex D. Cypriano inquit: *Latro ille, non ante crucem Domini sectator, sed in cruce Confessor à Cypriano sancto inter Martyres computatur.* verba verò Cypriani sunt: *Sic in cruce Latro confitens non tantùm indulgentiam meruit, sed Christi familiaris effectus, præmissus est in paradisum, & factus est particeps Regni, per confessionem factus est collega Martyrij.*

Secundò, Goffridus Vindocinensis Abbas Sermone de bono Latrone apud P. Gretserum Tom. 3. de S. Cruce 4. p. Horti S. Crucis cap. 20. inquit: *Latro Confessor ex latrone efficitur, & Martyr ex Confessore; & tormenta, quæ priùs in latrone cæperant, nouæ gratiæ coronam & præmium Martyrij sortiuntur,* &c. *qui nec Iudaicam perfidiam formidabat, & nomen Christi perfectus Christianus, pius Confessor. & Martyr glorioſus non in occulto, sed palàm portabat,* &c. *Petrus Apostolus & Martyr* (est,) *Latro Confessor & Martyr factus est,* &c. *Nos autem & B. Petrum, præcipuum Apostolorum & principem, & illum glorioſum Confessorem & Martyrem Dimam nomine diligenter oremus, quatenus suis precibus & meritis apud bonum Creatorem nostrum & pium Redemptorem nobis obtineant, vt ipsi in exitu vitæ nostræ animas nostras à diaboli potestate custodiant,* &c.

Tertiò, Amalarius lib. 1. de Officiis Ecclesiasticis cap. 27. dicit: *Latro, qui in cruce confessus est Dominum,* &c. *non suscepit manus impositionem, quamuis eum credamus baptizatum fuisse in cruce sua sanguine. De quo Baptismo dicit Gregorius Nazianzenus in Sermone de secundis Epiphaniis: Scio enim & quartum baptismum, quo quis sanguine suo per martyrium baptizatur.*

Denique accedant Tigurini Præcones, qui in sua confessione aiunt: *Notum hic omnibus est præclarum illud & consolationis plenum Latronis crucifixi exemplum, de quo veteres dixerunt* (citatur in margine Cyprianus) *Latrocinium damnationem meruerat & supplicium, sed cor contritum pœnam mutauit in martyrium, & sanguinem in Baptismum.* Idem alij tenent.

Ratio idipsum quoquo modo persuadet, quia licet bonus Latro propter sua facinora crucem ascenderit, piè tamen creditur, in eadem propter Christum sponte mortem acceptasse, & milites eamdem in odium Christi acceleraſſe: & sic, quando milites fregerunt Latronis crura, id non solùm effecerunt, quia ita moris erat crucifixos hoc suppliçij genere ante mortem afficere, sed simul etiam ex odio in Christum, quia

Digitized by Google

quia viderant Latronem eum coluiſſe, & tamquam Regem cæli & terræ confeſſum fuiſſe. Hæc ergo ſuſtinens Latro illata tormenta, propter egregiam ac præclaram quam de Chriſto fecerat confeſſionem, poteſt, ſecundùm memoratos Auctores, credi ac dici Martyr non tantùm deſiderio, ſed re ipſa; & conſequenter martyrij laurea condecoratum fuiſſe, ob inſignem fortitudinis actum in patiendo pro Chriſto exhibitum; præſertim cùm, vt præclarè dixit S. Martyr Cyprianus, ad coronam Dei promerendam ipſius teſtimonium ſolum ſufficere, qui iudicaturus eſt, qui arcana rerum ſcrutatur, qui cordis intuetur occulta. Nec in contrarium adducta huic ſententiæ multùm officiunt; nam de facili poſſunt dilui.

Quid requiratur ad martyrij coronã.

Primum ex nunc dictis diſſoluitur: nam primò quidem non inferebatur mors Latroni cauſa Chriſti, benè poſteà, quando illum ab omnibus contemptum fuit egregiè confeſſus, cùm finis coronet opus, & ex eo operatio meriatur & denominationem accipiat.

S. Latro ſi eſt Martyr, quare Confeſſor dicitur.

Ad ſecundum reſpondeo, & dico: Etſi fuerit Confeſſor, potuit etiam Martyr eſſe, ſicut ſanctus Petrus Apoſtolus & Martyr fuit; & Eccleſia, quæ implicitè bonum Latronem Confeſſorem dixit, quia Chriſtum fuit confeſſus, non negat Martyrem fuiſſe: quod verò potiùs Confeſſorem quàm Martyrem dixerit, duplex poteſt aſſignari ratio. Altera, quia Eccleſia non iudicat niſi de manifeſtis; at confeſſio Latronis manifeſtiſſima extitit, & ſolemniter in Euangelio canonizata, non item eiuſdem voluntas patiendi pro Chriſto, & Iudæorum militumque deſiderium mortem inferendi in odium Chriſti: *Prauum* enim *eſt cor omnium, & inſcrutabile: quis cognoſcet illud?* inquit Ieremias 17, 9. & cùm ob indicatam duplicem cauſam fracta Latroni fuerint crura, vnde illi ſecuta fuit mors; de priori conſtabat, quia conſuetudine obſeruanda, non item de poſteriori inſolita. Altera ratio, quòd potiùs Confeſſorem quàm Martyrem appellauerit Eccleſia, eſſe poteſt, quia ex confeſſione originem habuit illius ſalus & martyrij gloria.

S. Stephanus quomodo primus Martyr.

Ad tertium reſpondeo dupliciter: Primò, ſanctam Eccleſiam appellaſſe Stephanum primum Martyrem ex his qui manifeſtè pro Chriſto & eius gloria dilatanda paſſi fuerunt, & non ex omnibus de quibus poteſt eſſe dubitatio.

Secundò, & meliùs, dico, Eccleſiam loqui de Martyribus qui poſt Chriſtum paſſi ſunt, quando iam cæli portæ per Chriſti paſſionem apertæ erant, & non de aliis qui ante Chriſtum, vel cum ipſo pro Dei honore paſſi fuerunt: ex his enim multos præceſſiſſe Stephanum indicauit Saluator apud Matthæum, Paulus ad Hebræos; & teſtati fuerunt ſancti Machabæi pro ſanctis Legibus ab Antiocho occiſi, Innocentes infantes pro Chriſto ab Herode Aſcalonita interfecti, Ioannes Baptiſta pro veritate Deique honore ab Herode Antipa decollatus; quorum martyrium celebrat Eccleſia, & inter hos Martyres arbitramur enumerandũ bonum Latronem: vnde licet ante Stephanum obierit, nón obſtat quòd Eccleſia Stephanum primum Martyrem appeller, quia primus eſt reſpectu illorum, vt diximus, qui paſſi ſunt poſtquam Chriſtus paſſus eſt, & in cælum aſcendit. Et hæc ſi vera ſunt, vt piè credimus, meritò crucis boni Latronis memoria conſeruatur, illaque in honore habetur, quoniam martyrij glorioſi inſtrumentum fuit. Et hæc de his ſatis.

CAPVT XXXI.

De Capella improperiorum Chriſti Domini, octauo loco prima Peregrinationis.

POſtquam venerati fuimus inuentam Crucem cum ſacello ſanctæ Helenæ, ex profundo illo inuentionis ſanctæ Crucis loco per duas ſcalas aſcendimus ad maius templum; & cùm ad ſummitatem peruenimus, ad læuam nos conuertimus, procedentes ad venerandum capellam, quæ dicitur Improperiorum Ieſu Chriſti. Hac inſignitur appellatione, non quòd ibi improperia paſſus ſit Chriſtus Dominus; nam clarum eſt, illa ſuſtinuiſſe in horto Gethſemani, in S. Ciuitate, in domibus Principum & Pontificum Iudaici populi, Annæ, Caiphæ, Pilati, & Herodis; ſed quia ad hanc capellam delata fuit, & adhuc ibi aſſeruatur columna quædam vel ex domo Pilati, vel ex altera illi proxima, ſupra quam ſuæ paſſionis tempore ſedens humani generis Reparator fuit ab impiis opprobriis ſaturatus, conſputus, colaphis cæſus, illuſus, ſpinis coronatus, aliis contumeliis & improperiis affectus. Et hæc quidem omnia paſſum fuiſſe Chriſtum, docent Euangeliſtæ. *Tunc ergo apprehendit Pilatus Ieſum*, inquit Ioannes 19, 1. *& flagellauit. Et milites plectentes coronam de ſpinis, impoſuerunt capiti eius, & veſte purpurea circumdederunt eum. Et veniebant ad eum, & dicebant: Aue Rex Iudæorum: & dabant ei alapas.* Et Matthæus his addit cap. 27, 27. milites in Chriſti manibus arundinem poſuiſſe, qua & ſacrum eius caput ſpinis redimitum percutiebant, & in faciem

Ratio nominis capella improperiorum.

faciem eius conſpuebant, inquiens: *Tunc milites Præſidis ſuſcipientes Ieſum in Prætorium, congregauerunt ad eum vniuerſam cohortem: & exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei; & plectentes coronam de ſpinis, poſuerunt ſuper caput eius, & arundinem in dextra eius. Et genu flexo ante eum, illudebant ei, dicentes: Ave Rex Iudæorum. Et expuentes in eum, acceperunt arundinem, & percutiebant caput eius.* Quæ improperia noſtri cauſa ſuſtinuit mitiſſimus Ieſus & Dominus: ad quorum memoriam recolendam (ne ingrati animi vitio notemur) nos excitat columna iſta, ſupra quam, vt habet vetus recepta traditio, illa paſſus fuit, quæ vt debito honore honoraretur, & memorata opprobria ſimul cum aliis myſteriis paſſionis Chriſti celebrarentur, in Eccleſiam Dominicæ Reſurrectionis tranſlata fuit, & in capella ipſius prope Caluariæ montem, vel in ipſomet monte extructa, ſuper illius altare repoſita fuit. Per feneſtellam crate ferrea munitam, ne demoliatur, videtur: eſt griſei & ſubobſcuri coloris, longitudinis trium palmorum, & duarum vnciarum; craſſitiei circuitus eſt ſex palmorum & totidem vnciarum. Meminerunt huius columnæ Adrichomius in Deſcriptione Ieruſalem num. 24. & alij qui de locis ſanctis ſcripſerunt.

Deſcriptio columnæ improperiorum.

Saluator noſter tribus inſtrumentis ſupra memoratam columnam fuit à Pilati militibus illuſus, purpurea chlamyde, corona ſpinea, & arundine vacua. Chlamyde corpori, corona capiti, & arundine quaſi manibus ſceptro impoſita. Litteraliter hæc ſunt tria Regalia inſignia, inquit Ludolphus Carthuſianus de Vita Chriſti Parte 2. cap. 62. quæ contumeliosè ac per ludibrium Domino fuerunt impenſa; vt innuerent atque oſtenderent eum læſæ Maieſtatis reum, quippe qui Regnum ſibi vſurpare voluiſſet, nec obtinere potuiſſet. Ex quo ſuprà egimus de ſpinea corona, altero improperiorum Chriſti inſtrumento, conuenit vt in præſentia aliqua dicamus de aliis duobus inſtrumentis, chlamyde, & vacua arundine.

De Chriſti chlamyde.

De chlamyde, Saluatoris illuſoria veſte, inquiro, fuerintne vna, an duæ, & cuius coloris: & non vnam tantùm, ſed duas fuiſſe, aliquorum eſt ſententia; ea moti ratione, quòd de ea Euangeliſtæ diuerſimodè loquuntur: Matthæus enim *chlamydem coccineam* appellat, Marcus verò & Ioannes *purpuream*, vt vidimus. Sed coccus & purpura diſtincti ſunt colores: coccus enim eſt rubens herbæ granum, quod in Galatia & Emerita, Luſitaniæ ciuitate, teſte Plinio, præſtantiſſimum naſcitur; purpura autem piſcis genus eſt, ſiue conchylij, quod dicitur murex, in cuius faucibus eſt ſuccus ille rubricandis veſtibus aptus: vnde ſacra Scriptura de illis, tamquam de duabus rebus diſtinctis, loquitur Exodi 26, 1. *Tabernaculum verò ita facies, decem cortinas de byſſo retorta, & hyacintho, ac purpura, coccoq; bis tincto.* Igitur cùm veſtis, qua fuit illuſus Chriſtus, coccinea & purpurea nuncupetur, non vnica ſed duplex extitit. Et duplicem, alteram coccineam, alteram purpuream à Pilati militibus fuiſſe Chriſtum indutum, arbitratus fuit S. Ambroſius l. 20. in Luc. *Chlamydem*, ait, *coccineam induitur à militibus, & purpuream tunicam, in altera deſignans Martyrum palmas, in altera regiæ poteſtatis inſignia*, &c. idem Iuuencus in libro Euangelicæ hiſtoriæ dicens:

Purpureamq; illi tunicam chlamydemq; rubentem
Inducunt, ſpinisq; caput cinxere cruentis.

Altera nihilominùs communior & probabilior ſententia eſt, vnicam fuiſſe illam veſtem; & fauent picturæ. Ad rationem in contrarium reſpondetur dupliciter: Primò ex D. Auguſtino lib. 3. de Conſen. Euang. cap. 9. veſtem illam coccineam & purpuream appellari, propter affinitatem & ſimilitudinem coccinei & purpurei coloris. Ita etiam ſenſit D. Athanaſius Serm. de Cruce & paſſione. Secundò, duplici illo nomine fuit nuncupata, dicunt alij, quia erat dibapha, de qua Plinius lib. 9. cap. 19. & 41. hoc eſt biſtincta, ſemel colore coccineo, & iterùm purpureo.

Et ad alteram quæſtionem reſpondent ſacri Expoſitores, chlamydem propriè fuiſſe veſtem militarem, pallio breuiorem & arctiorem. Hinc Cardinalis Baronius Tom. 1. anno Chriſti 34. num. 88. ait: Fuiſſe chlamydem veſtem militarem, omnes norunt; quam rubri coloris eſſe conſueuiſſe, Martialis Epigram. l. 14. diſtichо illo admonet:

Roma magis fuſcis veſtitur, Gallia ruſis:
Et placet hic pueris militibuſq; color.

Chlamys etiam, teſte Liuio lib. 2. Belli Punici, apud Macedones amictus Imperatorum erat, ſicut toga purpurea apud Romanos triumphantium; & ferè apud omnes Regum habitus.

Ad hæc tradunt Doctores, purpuram illam non decoram pulchramque extitiſſe, ſed veterem, turpem, &, vt ita dicam, antiquitate diſcolorem: profectò talis eſſe debuit quæ ad irridendum adhiberetur; & videntur Euangeliſtæ indicaſſe, dum coccineam & purpuream appellarunt. Coccineus color imperfectus reſpectu purpurei. Purpuræ nobilior color inſtar ſanguinis concreti, vt indicat Plinius lib. 9. cap. 38. ad

Dioſcor. lib. 4. c. 45.

quem

quem alludit Tertullianus de Corona militis cap. 1. & 13. vbi, agens de milite Christiano, ajt: *Et nunc russatus sanguine suo.* & post multa: *Illic purpura tua, sanguis Domini,* &c. Arbitror itaque, vestem illam ludicrosam verè purpuram fuisse, ac ideò tali nomine à Marco & Ioanne appellatam: sed quia color vetustate splendorem amiserat, & coccineus magis apparebat, Matthæus appellauit coccineam. Ex hoc tertiam habes responsionem ad priùs positam difficultatem.

Exuentes ergo milites Iesum propria veste, vt ait Origenes Tract. 25. in Matth. purpura primò illum induerunt, non quidem splendida, vt decebat eum, qui verè erat Rex regum & Dominus dominantium, sed, vt diximus, vili satis, attrita & sordida, vt vaticinatus fuerat Zacharias c. 3. dicens: *Vidi Iesum magnum sacerdotem indutum vestibus sordidis.* Et pro sceptro arundine illi data, Creator ac Redemptor humani generis, velut scenica larua Regem fictitium ac ridiculum agens, ab iisdem militibus illuditur: qui speciem adorationis genuflexi præ se ferentes, loco tributi, sputa alapasque pendebant, & arundine caput illud diuinum præacutis spinis coronatum percutiebant.

De arundine, Domini sceptro.

Igitur, vt pauca etiam de arundine dicamus, immiserunt impij Pilati milites Christi Domini manibus arundinem, dexteram illam omnium rerum fundatricem ac rectricem ludibrio dehonestantes, inani & vacuo sceptro innuere volentes, ipsum Dominum sibi Regis titulum arundini similem vsurpasse, vanum scilicet, leuem ac Regno vacuum; & optima quidem ratione, si vanum huius mundi Regnum affectasset, arundini in Scriptura comparatum: sed hoc renuit Dominus; & quando turbæ huiusce modi Regni Regem facere voluerunt, fugit in montem ipse solus: & coram Pilato protestatus fuit, Regnum suum non esse de hoc mundo, sed in mundo alio existere, id est in æternitatis mundo, vbi non arundineum & vanum, sed firmum ac stabile est. Egregias spirituales considerationes huius arundinis plures excogitarunt sacri Doctores, à quibus nos in præsentia abstinemus. Sacra arundo, cum alus sacris Reliquiis, fuit Constantinopolim ad Imperatorem delata, & in Ecclesia S. Ioannis de Petra Constantinopolitanæ ciuitatis honorificè condita.

Verùm cùm anno Domini M.CCCC.LIII. Christianorum peccatis exigentibus, ciuitas illa illustris in potestatem Mahometis secundi deuenisset, etiam sacra arundo, cum lancea, spongia & aliis sacris Reliquiis ad illius manus deuenit, & in magni Turcæ ærario diligenter asseruata, vt ex aliis tradit Bosius de Triumphanti Cruce, & suprà nos aduertimus. Et benè aduertit hic Auctor, superbissimum illum Tyrannum, Dei iustissimi occulto iudicio, tunc duo maxima Imperia, duodecim Regna, & innumerabiles pænè ciuitates per summum scelus Christianis eripuisse. Sed quid mirum, si Deus in vindictam scelerum Christianorum tradidit Mahometano temporalia Christianorum bona, cùm spiritualia, sacras videlicet Reliquias, & sancta Palæstinæ loca haud negauerit? Mirandum magis, ob Dei singularem misericordiam, quòd occupans nunc Magnus Turca Terræ sanctæ Regnum à Christianis Principibus neglectum, simul alia eorumdem sibi non subripiat Regna; sicut è contra de eadem Dei misericordia magis fidendum; quòd Christiani Principes vastissimum Turcicum occuparent Imperium, si de Ierosolymitani Regni recuperatione solliciti essent. Sed ad suum scopum præmissa nostra recurrat oratio.

S. Gregorius Turonicus de Gloria Martyrum cap. 7. optimè notauit, Saluatoris nostri passionis instrumenta velut quædam trophæa esse victoriæ toti orbi proficua; è quibus, velut ex quibusdam fontibus, gratiæ atque miracula eruperint: ipsas spinas coronæ Iesu, columnam, ad quam alligatus est, cùm flagellis cæderetur, arundinem atque spongiam, qua fuit aceto potatus, magna fuisse diligentia asseruata. Dicamus nos hoc idem de ista columna, supra quam tot ludibria & passiones sustinuit idem Saluator noster.

Instrumenta passionis tamquam trophæa victoriæ Christi seruata.

Digitized by Google

THE AUTOBIOGRAPHY OF BENJAMIN FRANKLIN

Benjamin Franklin was born in Boston, Massachusetts, on January 17, 1706. He was the fifteenth child of seventeen children born to Josiah Franklin and his second wife, Abiah Folger. Franklin's father was a candle maker and soap boiler. Franklin's mother was the daughter of Peter Folger, a well-known Puritan minister. Franklin's parents were both born in England and emigrated to America in 1683.

EARLY LIFE

Franklin's early life was not easy. His father was poor and had many children to support. Franklin's mother was also poor and had many children to support. Franklin's parents were both born in England and emigrated to America in 1683. Franklin's father was a candle maker and soap boiler. Franklin's mother was the daughter of Peter Folger, a well-known Puritan minister.

sam, montem nobilem & cæli deliciis clariorem & amabiliorem sua passione efficeret, & altare, quo pacificis hostiis placaretur & honoraretur Deus, esset, elegit. Vt enim verè & piè dixit sanctus Apostolus 1. Cor. 1, 27. *Stulta & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia: & ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt destrueret: vt non glorietur omnis caro in conspectu eius.* Et quid, quæso, stultius, infirmius, ignobilius & contemptibilius Caluario & cruce? At his Christus Iesus, Filius Dei, factus humilis homo, diabolum, callidum hostem, principem super omnes filios superbiæ, fortemque mortem deuicit, profligauit & confudit, inferni ferreas portas & vectes ferreos confregit; vnde etiam onustus opimis spoliis glorioſus exiuit. Locus electus à constitutione mundi, potius dixerim, à principio æternitatis, quando *prædestinatus est Filius Dei in virtute secundum Spiritum sanctificationis*, vt dixit S. Paulus Rom. 1, 4. Et meritò quidem: nam si Deus in lege elegit locum, in quo, & non alibi, volebat sibi vitulorum, arietum & aliorum animalium sacrificia offerri, vt dicitur in Deuteronomio, quantò magis credendum est hunc sibi elegisse, in quo non carnes taurorum & hircorum, sed acceptissimum & diuinissimum sacrificium, Agnus occisus ab origine mundi, vnigenitus Dei & hominis Filius offerendus erat? & si electum locum monstrauit Deus Abrahæ, in quo eius in filio suo Isaac immolandi promptam experiretur obedientiam; quare non similiter dicere debemus in casu nostro, Æternum Patrem à principio æternitatis præparasse Filio suo hunc sanctissimum locum, in quo suam promptissimam obedientiam vsque ad mortem Crucis omnibus propalaret?

Caluariæ mons ab æterno Christo præparatus.

Christus quare in Caluario & extra ciuitatem mactatus.

Sed optima ratione communis iudicio damnatorum locus eligitur, vt omnibus hominibus, propter peccata iusto Dei iudicio ad æternam mortem damnatis, per Christi passionem ab illa liberatis, vitam largiri æternam innotesceret, & per ipsum omnes viuificari: *Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei*, Rom. 3, 23. quam in isto sacratissimo loco nobis Christus comparauit.

Et adhuc, quemadmodum non in ciuitate Bethlehem natus est, sed extra, nec ex ciuitate ascendit ad cælum, sed extra, in monte Oliueti; vt omnes intelligerent, non pro vna ciuitate, populo vel gente natum fuisse, & ad cælos ascendisse, sed pro toto mundo: ita non in ciuitate Ierosolyma, sed extra, in monte, &, vt dicetur, in medio orbis terrarum crucifigi voluit, vt pro toto mundo sanguinem fudisse intelligeremus, & velle *omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*, vt dixit sanctus Paulus 1. Tim. 2, 4. ad quod spectare videtur Dauidicum illud: *Deus autem Rex noster ante sæcula operatus est salutem in medio terræ*, Psal. 73, 12. præsertim, si per medium terræ intelligamus cum Petro Damiano Tom. 2, Ser. 37. Dominicum corpus, & regionem vbi pati dignatus est; quæ certè, inquit, mundi medium illum est. Vt quemadmodum medio participant extrema, & ex centro protrahuntur ad circumferétiam lineæ, & eædem à circumferentia ad centrum protenduntur; ita omnes ex Christo in sacratissimo Caluariæ monte in ara crucis posito diuina charismata participarent, ex ipso originem traherent, & nascerentur fideles, & ex omnibus mundi partibus ad ipsum, vt ad centrum, quod vbique est, & nulla circumferentia clauditur, omnes gentes confluerent, sicut prædixerat Isaias; vt & contigisse tunc nouimus. An non Centurio ille non recepit visum corporalem & spiritualem, quando Christum esse verè Filium Dei confessus est; peccatores peccatorum remissionem, iusti gratiam, Latro Paradisum, Pater spiritum illius, Ioseph & Nicodemus eius sacratissimum corpus? Et omnia traxit ad se, quæ in cælis & in terra sunt, sicut ipse prædixerat: *Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum*, Ioan. 12, 32. & sanctus Paulus Philippens. 2, 8. *Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem Crucis: propter quod*, &c.

Quare potiori ratione possumus nunc ad Christum patientem illa D. Leonis Papæ de Christi Natiuitate verba aptare: *Exultet Sanctus, quia appropinquat ad palmam: gaudeat peccator, quia inuitatur ad veniam: animetur Gentilis, quia vocatur ad vitam. Dei namque Filius secundùm plenitudinem temporis, quam diuini consilij inscrutabilis altitudo disposuit, reconciliandam auctori suo naturam generis assumpsit humani* (adde, & in ara crucis in sacratissimo Caluario Patri obtulit) *vt inuentor mortis diabolus, per ipsam, quam vicerat, vinceretur.*

CAPVT XXXIII.

Dauidicum illud illustratur, Operatus est salutem, *&c. & situs Caluariæ montis magis explicatur.*

EX quo incidimus in Dauidis illam mirabilem sententiam, *Deus autem Rex noster ante sæcula operatus est salutem in*

medio terræ, Psal.73,12. aliqua pro eius explicatione differere placuit proposito nostro deseruientia. Quantum ad litteram, Titelmannus, post alios, in Annotationibus ad illum versiculum dicit, intelligendum esse de liberatione populi Israëlitici à seruitute Pharaonis, quæ in medio terræ facta est, dum coram omnibus populis ad omnium aures fama peruenit. Quia verò ista liberatio Israëlitici populi sub Pharaone Rege Ægypti, figura erat liberationis populi fidelis per Christum à diabolo tenebrarum principe, idcircò hanc salutem, secundùm mysticum sensum, interpretamur illam quæ per Christum in carne propria pro nobis facta est in temporis plenitudine. Quæ quidem salus rectissimè in medio terræ facta dicitur; quoniam pro omnium omnino populorum & gentium vtilitate in vno Iudææ loco facta fuit. Omnium enim communis erat hæc salus, æquè propinqua, æquè vicina omnibus. Igitur per medium terræ intelligendo non tantùm manifestationem, &, vt ita dicam, publicitatem, sed situm, non modicam habet difficultatem. Cùm enim terra simul cum aqua vnicam sphæram conficiat, sphæra autem in superficie vbique medium vbique extrema habeat, sicut & cælum vndique sursum: quomodo ergo aliquod medium potest rectè in eius superficie assignari?

Primus ac literalis explicandi modus.

Varij explicandi modi apud sacros Doctores inueniuntur, quorum quosdam hic subiiciam. Itaque primo illo relicto quo dicitur, per medium terræ, idem esse quod palàm; quia ab antiquo coram omnibus sub alis suæ protectionis protexit nos; & coram omnibus tempore magnæ solemnitatis, quo ex omnibus mundi partibus homines veniebant Ierosolymam, nostram fuit operatus salutem; qui modus verissimus est:

Secundus modus.

Secundus modus dicendi est asserentium, per medium terræ vterum beatissimæ Virginis Mariæ esse intelligendum; nam & Virgo Maria ab eodem Propheta Psal. 84, 13. terra appellatur: *Terra nostra dabit fructum suum.* Ita putat Hieronymus, Ruffinus, Bernardus; & innuit Procopius in Isa. cap.41. & alij.

Quomodo salus nostra in Virginis vtero operata.

Sed quomodo in vtero Virginis nostram operatus est salutem, quam constat in Caluariæ monte operatum fuisse? Respondet Bernardus Serm. 2.de Pentecost. Quia ad Virginem, sicut ad medium, arcam Dei, rerũ causam, negotium sæculorum respiciũt omnes. & Procopius: Quia carnem Filius Dei, qua nostram est operatus salutem, de terra non de cælo demissam habuit. Vel dic, operatam fuisse nostram salutem in Caluario completiuè & consummatiuè, sed in vtero Mariæ Virginis initiatiuè, quando, assumpto Dei Filius ex vtero Virginis corpore se obtulit Patri in holocaustum consummandum tempore sibi placito, quemadmodum Psal. 39. idem Propheta dixit, secundùm D. Pauli interpretationem Hebræor.10, 5. *Ideò ingrediens* (Dei Filius) *mundum dicit: Hostiam & oblationem noluisti: corpus autem aptasti mihi: holocausta mata pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi: Ecce venio.*

Si quis alia via vellet incedere, sequendo spiritualem hunc sensum, posset non incongruè dicere, Deum in medio terræ, id est, in B. Virgine singulariter salutem operatum fuisse, ita vt peculiari modo ab omni peccato originali vel actuali, mortali vel veniali fuerit præseruata; & verè *benedixerit Dominus terram suam, auerterit captiuitatem Iacob*, Psal.84,2. quia *Deus in medio eius non commouebitur*, Psalm. 45, 6. quare meritò B. Virgo Deum salutare suum, id est, peculiarem Saluatorem & ab omni peccato præseruatorem, appellauit.

Tertius modus.

Tertius modus illorum est, qui per medium terræ, non absolutè terram, sed Terram sanctam intelligũt, quæ frequenter nomine terræ accipitur in Scriptura, vt aliàs adnotaui, cuius medium est Ierusalem; ita vt sit sensus, Deum operatum fuisse salutem in Ierusalem, quæ in medio Terræ sanctæ sita est. Et hæc interpretatio firmari potest auctoritate Iosephi Hebræi de Bell. Iud. lib. 3. c.2. dicentis: *Media verò eius* (id est Palæstinę) *est Ierosolyma.* Vnde quidam non sine ratione, vmbilicum terræ eam vocarunt.

Quartus modus.

Quartò, D. Hieronymus non de medio Palæstinæ tantùm, id est Ierusalem, est interpretatus, sed absolutè de medio totius terræ, id est habitabilis: in illa enim verba Ezech.5,5. *Hæc dicit Dominus Deus: Ista est Ierusalem, in medio Gentium posui eam, & in circuitu eius terras*, ait, *Ierusalem in medio mundi sitam, hic item Propheta testatur, vmbilicum terræ esse demonstrans.* & inferiùs: *Operatus est salutem in medio terræ: à parte enim Orientis cingitur plaga quæ dicitur Asia; à partibus Occidentis eius quæ appellatur Europa; à Meridie & Austro, Libya & Africa; & à Septemtrionali, Scythia, Armenia atque Perside, & cunctis Ponti nationibus. In medio igitur gentium posita est.* Idem dicit Tertullianus lib. 2.contra Marcionem.

Quintus modus.

Quintò, D. Augustinus Serm. 1.de Tempore, & Beda cap. 2. de Locis sanctis, Ierusalem etiam intelligunt, sed alia ratione medium interpretantur, non respectu situs in quo posita est, sed ratione beneficiorum, qui-

quibus fuit à Deo præ ceteris aliis locis decorata & priuilegiata: ibi enim Abraham, Isaac immolaturus, Deo iubente arietem sacrificauit: ibi templum illud toto orbe celeberrimum extitit: ibi Christus miracula fecit, prædicauit, mortuus est, & resurrexit, &c.

Sextus modus.

Sextò, alij per medium terræ limbum intelligunt, qui est in medio terræ. Tunc verò Deus est salutem operatus, quando ex ipso animas sanctorum Patrum eduxit. Vera doctrina & subtilis interpretatio, sed angusta nimis. Ad quid enim opus nostræ redemptionis omnibus commune, coram omnibus operatum, arctare ad liberationem animarum sanctorum Patrum, & in abscondito? Præterea etsi sanctis illis fuerit salus Christi applicata in limbo, sed extra operata est, & consummata pro omnibus in Caluariæ monte.

Septimus modus.

Septimò, qui medium non mathematicè sed moraliter intelligunt, quemadmodum & illud Genes. 2, 9. *Produxit Deus lignum vitæ in medio Paradisi*, se ab omni difficultate expediunt: tunc enim sensus esset, Christum intra terræ latitudinem, vel ferè in medio, etsi non in loco æquè ab extremis dissito, mundi salutem fuisse operatum: qui sensus videtur verissimus. Et hæc sententia tali ratione probatur. Ierusalem non est constituta sub Æquatore, sed ne intra Tropicos quidem; quippe quæ longitudinis obtinet gradus 66. latitudinis verò 31. vt tradit Ptolemæus lib. 1. Geographiæ.

Octauus modus.

Octauò, D. Cyrillus Catech. 13. D. Hilarius in Matth. can. 35. inquiunt, medium terræ esse Golgotha. *Non meus est hic sermo, Propheta dicit: Operatus est salutem in medio terræ.* & Tertullianus lib. 2. contra Marcionem cap. 4.

Golgotha locus est, capitis caluaria quondam;
Lingua paterna prior sic illum nomine dixit;
Hîc medium terræ est, hîc est victoria signum.

Sanctus etiam Victorinus Martyr, Pictauiensis Episcopus, quem citat Beda de Locis sanctis cap. 3. idem his verbis dixit:

Est locus ex omni medium quem credimus orbe,
Golgotha Iudæi patrio cognomine dicunt.

quibus addit Beda: *Columna celsa stat, quæ æstiuo solstitio umbram non facit, unde putant ibi mediam esse terram; & historicè dictum: Deus autem ante sæcula operatus est salutem in medio terræ.* Hæc ille.

Verùm Beda videtur potiùs aliorum sententiam quàm suam retulisse, vt liquet eius verba consideranti. Fateor me talia non obseruasse, etsi ex aliis audiuerim.

Græci dicunt, medium mundi mathematicè sumptum, esse non in summitate Caluariæ, sed inferiùs in eorum choro, in medio pauimenti, vbi pro signo est paruum prominens atque elaboratum marmor. Fortè hoc illud est, quod se reperisse testatur Franciscus Georgius in Problem. Script. To. 3. sect. 1. n. 178. intra Ecclesiam sancti Sepulchri litteris Romanis scriptum: HIC EST MEDIVM MVNDI. Ego huiusce modi litteras nec legi, nec vidi. Cardinalis Baronius Tom. 1. Annal. ad annum Christi 34. de his agens, ex aliis rectè reiicit opinionem à Beda relatam, dicens: *Sed profectò fieri non potest, quod asserit Beda: nam si ita esset, necesse omnino foret, Ierosolymam ponere intra Zonam torridam, & Tropico saltem Cancri subiicere; at ab illo longiùs abesse, omnes qui terras describunt, apertissimè tradunt, & certissimis experimentis etiam nunc cognosci potest. Sed illud non male, vel Ierosolymam sitam in medio terræ habitabilis, vel in medio Palæstinæ.*

Ex dictis colligimus, pro instituto nostro, sacrum Caluariæ montem esse vel in medio Palæstinæ, vel etiam totius terræ habitabilis; morali modo tamen medium intelligendo, vbi Saluator noster propter suam nimiam charitatem, non per legatum vel Angelum, sed per seipsum non corruptibilibus auro & argento, sed proprio fuso sanguine nos ab interno ad cælestia regna euocauit, Patriq́ue suo nobis iustè infenso reconciliauit.

CAPVT XXXIV.

Nomina quibus sacratus Caluariæ mons appellatur, & eorumdem significatio.

SAcratissimus ille locus humilisq; mons, noxiis & maleficis crucifigendis, vel alio mortis genere interimendis, Ierosolymis deputatus, multiplici appellatione nominatus inuenitur cùm in veteri tùm in nouo Testamento. In veteri, *Dominus videbit*, *mons Moria*, & *Goatha*. In nouo, *Caluariæ locus*, & *Golgotha*, ac denique post Christi in cælos Ascensionem à Gentilibus *Venerarius*. *Dominus videbit*, appellatur Gen. 22, 14. *Mons Moria*, ibidem ex Hebr. & 2. Paralip. 3, 1. *Goatha*, Ierem. 31, 39. *Golgotha* verò & *Caluariæ locus*, Matth. 27, 33. Marc. 15, 22. Luc. 23, 33. Ioan. 19, 17.

Mons Caluariæ nomina & significationes.

Dixi appellari, *Dominus videbit*, & *mons Moria* citatis locis: quoniam illum esse probabimus, in quo Abraham iussu Domini voluit filium suum Isaac sacrificare, &

Mons Caluariæ quare Dominus videbit & Moria dictus.

Salomon templum ædificare: sed locus illius sacrificij & ædificationis templi appellatur & *Dominus videbit* & *mons Moria* citatis locis; igitur & iste Caluariæ, in quo Filius Dei sacrificatus est, & sancta nostra Ecclesia constructa.

Moria nomen commune regionis & montis.

Arbitror verò, Moria nomen esse commune & totius montis & montosæ regionis; sed *Dominus videbit*, *Goatha*, *Caluariæ locus*, & *Golgotha*, partem & extremitatem ipsius Moria explicare. Et probant aliqui, ex eo quòd Genes. 22. dicitur terra Moria, in qua monstratus est locus particularis Abrahæ, vbi Isaac immolaret; & hunc dicunt Golgotha: atque in eadem terra est area Areuna monstrata Dauidi, vbi templum Salomonis fuerat ædificandum, 2. Regum 24. & 2. Paral. 3. & etiam totus mons Sion variis mysteriis consignandus. Et hoc magis apparebit inferiùs ex multiplici eius nominis significatione, quæ dictis peculiaribus locis mirè aptatur.

Ampliùs, ad maiorem huius intellectum, notandum est, non esse alienum à consuetudine sacræ ac profanæ scripturæ communique vsu loquendi, vt idem pluribus nominibus diuersa significantibus nominetur, & nomina totius de partibus enuntientur. Mons Sion, quod vnum est, & pars Ierusalem, & tamen ciuitas superior & Dauid, & communi nomine Ierusalem etiam appellatur, vt de Sion agentes diximus.

Mons Nebo quid.

Mons Nebo, est pars eminens montis magni Abarim; & Abarim etiam, quod est nomen præcipuum montis, appellatur Deuter. 32. & ibidem Lyranus in ea verba Domini ad Moysen, *Ascende in montem istum Abarim, id est, transituum, in montem Nebo*, &c. *Abarim*, inquit, *est nomen montis magni, & Nebo cuiusdam partis supereminentis in illo; & tamen de hac parte loquens Dominus ad Moysen dicit, Ascende in Abarim.*

Mons etiam Galaad diuersa sortitur nomina, secundùm partes diuersas ad quas se extendit, quæ tamen omnes communi vocabulo Galaad appellari poterunt; vnde Brocardus Itin. 2. de montibus qui sunt trans Iordanem sic scribit: *Porrò vltra Iordanem sunt varij montes, nempe mons Seir, mons Hennon, mons Libani, & mons Galaad; qui tamen omnes sunt mons continuus, nisi quod in diuersis locis diuersa sortiuntur nomina.* Hæc ille.

Mons Sinai & Horeb vnus mons est, & plures propter diuersa cacumina, qui indifferenter appellantur Sinai & Horeb, vt suo loco, fauente Deo, dicemus.

Ac denique, aliis prætermissis, mons Oliueti in tria cacumina vel partes diuiditur: in eam quæ dicitur *Viri Galilæi*; in eam ex qua Dominus ascendit in cælum, quæ in medio est, & *Domini Ascensio* dicitur: & in alteram, quæ à sinistra eius est, & *Offensionis mons* appellatur; à communi tamen & principali nomine mons totus & quælibet eius pars, mons Oliueti nominatur. Quare Lyranus in ea verba 4. Reg. 23. *Excelsa quoque, quæ erant in Ierusalem ad dexteram partem montis Offensionis, quæ ædificauerat Salomon*, &c. inquit: *Iste est mons Oliueti prope Ierusalem, & vocatur hic mons Offensionis; eò quòd Salomon offendit Deum, ædificando ibi templa idolorum pro vxoribus suis, vt dicitur 3. Reg. 11, 7.*

Ita in proposito, montem Caluariæ dici arbitror à communi nomine *montem Moria*; tamen propter diuersa mysteria, *Dominus videbit*, & *Caluaria mons* posteà appellatus est. *Dominus videbit*, propter factum Abrahæ, quando voluit in eo filium suum sacrificare; quoniam Dominus ibi se videndum exhibuit Abrahæ, & duplici oculo, misericordiæ & beneficentiæ, illum respexit; & propter ea quæ suprà Capite 11. huius Peregrinationis diximus. Lege Pererium in cap. 12. Genes. v. 14. & tantò magis credimus hanc huic monti conuenire nomenclaturam, si vera sunt quæ Cap. 111. & IV. 111. Peregrinationis huius Libri dicemus: à qua etiam sententia non videtur dissentire Villalpandus Tom. 3. lib. 3. cap. 8. in fine. *Mons Caluariæ*, vel à caluariis hominum ibi interfectorum, vel à caluaria primi hominis ibidem sepulti. Sed de hoc posteà clariùs sequenti Peregrinatione.

Golgotha nomen significatio.

De *Golgotha* nomine aliquid dicamus. *Golgotha* Hebraicè, hoc est lingua qua tunc Hebræi, hoc est Iudæi, vtebantur, inquit Ianseníus cap. 143. Concor. Euangel. significat cranium, siue caluariam, ob eius volubilem rotunditatem, à verbo Galal, quod voluere significat, & circumire. Non est autem ea dictio purè Hebraica, sed Chaldaica magis, aut Syriaca, vt etiam D. Hieronymus testatur in interpretatione nominum Hebraicorum in Matthæum: nam, secundùm veram Hebræorum linguam, dicitur Gulgoleth. Verùm Hebræi desierunt pura Hebræa lingua vti, postquam in Babylonem translati, vnde redeuntes Chaldaismum secum detulerunt; quo tamen vtentes idiomate, Hebraicè loqui dicebantur, quoniam ea tunc Hebræorum erat lingua, nec multùm à puro diuersa Hebraismo. Mendosè tamen in Græcis & Latinis Codicibus legi videtur Golgotha per simplex l, cùm legendum potiùs sit per duplex l, Golgoltha, nam

nam ſic caluariam Chaldaica vocat: atque ſic in vetuſtis exemplaribus Latinis ſe inueniſſe teſtatur Munſterus. Hucuſque Ianſenius.

Caluaria montis ſignificatio.

Caluaria verò *mons*, id eſt mortis, dicebatur, quia ibi damnati occidebantur, vt quidam aiunt; vel à caluariis ibi apparentibus, vel potiùs, ibidem humatis: vel quoniam caluariæ erat ſimilis, ſcilicet caluus arboribus herbisque carens, totus ſaxoſus & ſterilis, ac ideò damnatorum ſupplicio deſtinatus; vel denique à caluaria Adæ ibidem tumulata, de qua ſequenti Peregrinatione Cap. IV.

Ex dictis refellitur ſententia Antonij Honcalæ aſſerentis, locum Caluariæ à capite Saulis primi Regis vocatum, quod legitur fuiſſe in templo Dagon affixum, quia, vt dicitur 1. Regum 31. corpus Saulis ſuſpenſum fuit in muro Bethſan, & caput in templo Dagon; vnde neſcio quomodo ſequatur: Caput Saul Regis affixum fuit in templo Dagon, ergo ab eo denominatur Golgotha Caluariæ locus. Vel probet Honcala, templum Dagon eſſe montem Caluariæ, & prope mœnia ciuitatis Ieroſolymæ; quod non probabit, quia conſtat ipſum ſitum eſſe inter ciuitates Philiſthinorum, montem verò Caluariæ in regione Iudæorum.

Diximus etiam *Moria* appellari, quòd idem ſit ac ille, in quo Abraham voluit Iſaac filium ſuum immolare, quod III. Peregrinationis Capite III. & IV. oſtendemus: interim lubeat variam huius vocis originem & ſignificationem ex Oleaſtro hîc adſcribere, & poſteà myſteria aliqua in ea abſcondita reſerare.

Varia origo nominis Moria & ſignificatio.

Oleaſter itaque in cap. 22. Geneſ. inquit: De etymologia vocis Moriah dubitatur: quidam enim deducunt à *Marar*, ſiue *Mar*, quod eſt myrrha: quòd locus ille myrrha & cinnamomo & aloë abundaret; de quo Cant. 4, 6. dicitur: *Ibo ad montem Myrrhæ*. Alij deriuant à *Iara*, quod eſt timere; quòd in eo monte Dominus poſteà coli & timeri deberet. Sunt qui deducunt à *Iara*, quod eſt docere, & deſcendere; quòd ex eo monte deſcenſura & proditura eſſet doctrina & lex, iuxta illud Iſaiæ 2, 3. *De Sion exibit lex*. Mihi autem, ſi ea vox deducatur à *Mar*, videtur iſte mons appellatus amarus, propter amaritudinem Abrahæ immolantis filium, aut filij immolati; ſin autem radix eius ſit *Iara*, quod eſt timere, ſic dictum puto à timore quem ibi habuit Iſaac, vel potiùs à præſentia diuina futura ibi in templo. Nec deſunt qui vocis Moriah ſignificationem arceſſant à verbo *Raah*, quòd eſt videre, vt ſignificet terram viſionis: in qua ſcilicet Deus Abrahæ antèà apparuerat: quæ quidem interpretatio minimè improbanda eſt. Hæc Oleaſter. Ex quibus habemus quod ſuprà attigimus, hoc nomen ſignificare etiam peculiaria loca: quatenus ſignificat myrrham, notat *Golgotha*, vbi Abraham & Iſaac amaritudine repleti fuerunt; ſi timorem, locum vbi templum Salomonis conſtructum fuit, quia ibi Dominus timendus erat; ſi docere, *Sion*, quia de Sion exiuit lex.

Sed enim, ſi omnia in figura contingebant antiquis illis Patribus, & quæ antiquo illo tempore contingebant figura erant eorum quæ in iſto nouo gratiæ & Euangelij euenerunt, liceat nobis aliquâ in multiplici nominis illius ſignificatione myſteria explicare. Et quantum ad eius primam ſignificationem, quòd Moriah myrrham ſignificet, quia locus myrrha, cinnamomo & aloë abundabat, non hæc ad literam dicta, quaſi huiuſcemodi aromatibus mons ille petroſus abundaret; ſed quia ex ipſo odoramenta virtutum & gratiarum colligere deberent fideles, quibus traherentur, & ipſi alios ad Chriſtum traherent, ſecundùm illud Cantic. 1, 3. *Curremus in odorem unguentorum tuorum*. & propter aromata, quæ dilecti Chriſti diſcipuli, Ioſeph & Nicodemus, & ſanctæ mulieres detulerunt, vt vngerent Ieſum.

Myſteria varia nominis Moriæ.

Si à timere deriuat, vt in ſecunda dicitur ſignificatione, optimè quidem, etenim in eo monte timuit diabolus, qui ligno crucis velut vile mancipium è mundo eiectus fuit, in quem diram tyrannidem exercebat. Timuit mors, quæ in eo fuit ab Auctore vitæ ſuperata, ſicut prædictum illi fuerat Oſee 13, 14. *Ero mors tua ô mors*. ab Eccleſia dicitur: *Mors & vita duello conflixere mirando: Dux vita mortuus regnat vivus*. Timuerunt peccatores, tot pœnas ac ludibria in Filio Dei contemplantes: intra ſe enim percutientes pectora ſua dicere debebât: *Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* Luc. 23, 31. Si tot patitur iuſtus pro alienis peccatis, quot peccator patietur pro propriis? Timore concuti debuerunt iuſti, cernentes in eorum Capite latronum dura ſupplicia, vt eos à propriis reatibus liberaret, verè confitentes, ſe ſimilia pro propriis ſuſtinere debere tormenta, quæ vt caueant, ſtantes videnc, ne cadant. Timuit ipſe Chriſtus, dum doloribus plenus, cum clamore & lacrymis exorauit Patrem: timuit denique totus orbis, quando ſol obſcuratus fuit in morte Chriſti, & tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram, velum templi ſciſſum eſt, petræ ſciſſæ ſunt, & monu-

menta aperta sunt: & cum timore Deus ibi à cunctis Gentibus honoratur.

Non minùs ei conuenit tertia significatio, quæ est docere. Vbi enim tantum docuit Dei Filius paucis quidem verbis, sed heroicis actibus, sicut in monte isto? etenim mundus cognouit quia ipse est, vt ipse Iudæis prædixerat, & traxit ad se. Et vbi tantum descendit & humiliauit se, vt in loco isto? etenim cùm in forma Dei esset, fuit habitu inuentus vt homo, vermis, opprobrium hominum & abiectio plebis, humiliatus vsque ad mortem crucis, qui & descendit in inferiores partes terræ.

Si quartò amarum dicere volueris; quis in monte illo non impleuit amaritudine cor suum? Doluerunt Angeli pacis, qui, vt quidam contemplantur, assumptis humanis corporibus, mortem sui Creatoris amarè flebant, vt dixit Isaias. An non cor Virginis fuit ab Omnipotente repletum amaritudine, & pertransitum doloris gladio ex dolore Filij sui? An non doluerunt Ioannes, Magdalena, alijque viri & mulieres? & super omnes doluit Christus, vir dolorum, & sciens infirmitatem, amaricatus à peccatoribus, felle & aceto potatus, derelictus à Deo, à tribulatione & angustia circumdatus, & repletus.

Quintò denique, si à visione deriuare volueris, appositè quidem: nam, vt aliàs dicta ad hæc spectantia præteream, quid non vidit, videt videbitque Deus in loco isto? vidit calamitates nostras, & ab illis nos eripuit; videt nunc, si sit intelligens aut requirens eum, si sit qui operetur bonum, vt præmiet, si quis delinquens conuertatur, vt propitius sit ei: inde videt omnia opera hominum, quæ continuò operantur. Quare de Saluatore nostro in isto sacratissimo monte existente dicere possumus quod cantat Ecclesia:

Speculator adstat desuper,
Qui nos diebus omnibus
Actusq; nostros prospicit
A luce prima in vesperum.

Videbit denique in loco isto, quando *iudicabit orbem terrarum in iustitia, & populos in æquitate*, Psal. 97, 9. Fateor, iudicium vniuersale faciendum in valle Iosaphat, vbi omnes Gentes congregabuntur, vt cum illis disceptet Dominus, vt dixit Ioël Propheta: scio etiam multorum esse sententiam, Iudicem solium suum, in quo iudicabit, collocaturum in monte Oliueti; sed nec me latet, etiam Isidorum de Natiuit. cap. 61. dicere, eumdem futurum locum iudicij, qui fuit crucifixionis Christi; quod innuit Isaias 10, 23. dicens: *Consummationem enim & elevationem* (in editione nostra *abbreuiationem*) *Dominus Deus exercituum faciet in medio omnis terræ.* De monte Moria, Vallalpandus Tom. 3. p. 1. cap. 8.

CAPVT XXXV.

Significatio & origo nominis Venerarij, *atque vtilis eiusdem obseruatio.*

Caluariæ mons quare Venerarius dictus.

SAcratissimus Caluariæ mons, post Christi Domini nostri in cælos gloriosam Ascensionem, desolationem sanctæ ciuitatis per Romanos, propter iniustè illatam Christo mortem in Caluario à Iudæis, & sanctorum locorum profanationem, veteri nomine Caluariæ mutato, nouo & turpi appellatus fuit ab infidelibus, *Venerarius* videlicet, ex appositio in eo Veneris impuro simulacro; arbitrati eo facto Christiani nominis hostes penitus obliterandam à mentibus fidelium memoriam passionis & mortis Christi. Ita tradiderunt S. Ambrosius in Psalm. 47. D. Hieronymus Epistola 13. Nicephorus lib. 8. cap. 28. & alij passim de monte isto sacratissimo agentes.

Notanda obseruatio.

Circa quod factum non est hic notabilis, ni fallor, consideratio prætermittenda; quòd impij illi inimici crucis Christi, ad illius tollendam memoriam, in sanctissimo loco, non Iouis, non Saturni, non Martis alteriúsve mendacis & fictitij dei idolum erexerint, sed impurissimæ Veneris, & omni puritate ac sanctitate venerandum locum lasciuiis & turpitudinibus deputarint, quemadmodum tradit Eusebius lib. 3. de Vita Constantini cap. 24.

Luxuria obliuiscitur facti Christi passionem.

Et ad quid hæc, & quo suggerente spiritu fecerunt? vtique satanico, immundo & tenebricoso spiritu incitante; quia nullum est magis præsentaneum medium ad obliterandam memoriam passionis Christi de mentibus Christianorum venerea voluptate & sensuali amore, qui excæcat mentem, & aufert cor etiam sapientum. Nec immeritò: si enim contraria mutuo se expellunt, quid magis contrarium passioni & morti voluptatibus & deliciis? Et quis in cœno luxuriæ & turpis voluptatis, vt sus in volutabro luti inuolutus, potest mentem erigere ad Christi acerbissimam passionem, & ascendere cum eo ad montem myrrhæ & crucis? An animalis homo cogitabit quæ sunt spiritus Dei? Quemadmodum ex alia parte, nullum magis opportunum remedium adinueniri posse, mihi facilè persuadeo ad liberandum voluptuosum à venerea voluptate & stimulis carnis, attenta & assidua recordatione & meditatione Caluariæ montis, crucis & passionis Christi, illi oppositæ. Et ita me docuit

Christi passio luxuriæ remedium.

docuit S. Augustinus in Manuali cap. 32. hisce verbis: *Nullum tàm potens est & efficax medicamentum contra ardorem libidinis, sicut mors Redemptoris mei. In omnibus rebus non inueni tam efficax remedium, quàm vulnera Christi; in illis dormio securus, & requiesco intrepidus.* Hæc ille. Et diuus Bernardus in Formula honestæ vitæ hoc idem in hunc modum declarauit: *Deus meus pendet in patibulo, & ego voluptati operam dabo?* Quis enim ille erit, qui gaudens nomine Christiano, & contempletur Dominum suum non byssо & purpura indûtum; sed ipsismet tegumentis nudatum; non in molli lecto iacentem, sed in duro asperoque ligno clauis affixum pendentem; non in Regia aula, sed in sordido & execrando loco existentem, à notis & amicis derelictum, ab inimicis blasphematum, velit delicatis indui vestibus, lasciuire in stratis eburneis, & in regiis ac deauratis habitaculis cum obscœne dilectis libidinibus vacare? nullus sanè; quin dicet potiùs cum quodam strenuo ac generoso milite, quando fuit à proprio Rege exhortatus, vt, è bello ad ipsum Regem & patriam reuersus, domum suam peteret ad quiescendum, & cum vxore sua cohabitandum. *Arca Dei & Israël & Iuda*, dicebat, *habitant in papilionibus, & dominus meus Ioab, & serui domini mei super faciem terræ manent; & ego ingrediar domum meam, vt comedam & bibam, & dormiam cum vxore meâ? per salutem tuam, & per salutem animæ tuæ, non faciam rem hanc*, 2. Reg. 11, 11.

Sed & Spiritus sanctus animam sibi dilectam, telis igneis voluptuosæ delectationis vulneratam vel stimulatam, sub columbæ nomine alloquitur, vtque pro liberatione & cura præsentaneum hoc remedium adhibeat sequentibus hortatur: *Columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ, ostende mihi faciem tuam*, Cant. 2, 14. Sed cur de his agens columbam potiùs quàm sponsam, vel dilectam appellat? Columba calidum animal, voluptatibus deditum, hinc & amoris symbolum est illius qui aufert cor. Itaque illis verbis hoc voluisse Spiritum sanctum indicare mihi persuadeo: O dilecta mea ab æterno præelecta, cui datus est stimulus carnis qui te colaphizet, quam vanus & carnalis amor excordauit, facta columba seducta non habens cor, si tantis malis prouidere desideras, si à sagitta volante in tenebris, ab incursu & dæmonio meridiano, & accensis facibus libidinis te immunem præseruare exoptas, ingredere in foramina petræ, in cauernam maceriæ: ingredere per apertum ostium lateris Saluatoris, qui est lapis angularis & petra salutis; accede ad Caluariæ montem, qui quoniam petrosus, & in ipso petræ scissæ sunt, ferè macerioſus, & ibi ostende mihi faciem conscientiæ tuæ per meditationem passionis & mortis Reparatoris tui, & tuta eris: non timebis à timore nocturno, nec à cupidinis facibus & venereis appetitibus consumeris.

Columba amoris carnalis symbolum.

Cognouit hanc sacratissimi montis virtutem Magdalena illa, quæ priùs fuerat in ciuitate peccatrix, multis luxuriæ vulneribus sauciata, iam misericordia Saluatoris curata, ac ideò, ne ampliùs ab eisdem laceraretur, spernens horrorem corporum mortuorum fœtoremque funesti montis, libenter ibi manebat, quia sciebat esse optimum asylum contra potentissimos hostes. Hinc Matth. 27. & Ioan. 19. dicitur stetisse iuxta crucem, Magistro suo in ea pendente. Et sancta Ecclesia de eadem cecinit:

Adstare non timet cruci,
Sepulchro inhæret anxia.

Idipsum cognouit & cum fructu obseruauit sanctus Elzeatius Confessor, tertij Ordinis B. Francisci, Comes Arriani: is enim ab anno tertio-decimo vitæ suæ ieiuniis vacans, in nocte funem multorum nodorum subtus cingebat ad carnem (ad lumbos, vbi virtus libidinis in hominibus est, secundùm D. Gregorium in ea verba Iob 40. *Virtus eius in lumbis eius.*) frenum lasciuiæ petulantis, & secretum memoriale vulnerum Saluatoris: ideò sanctam & immaculatam virginitatem non solùm animo, sed etiam corpore conseruauit, cum sancta Delphina coniuge sua ducens perpetuum cælibatum, non aspernentes iura coniugij, nec virginitatem in aliquo violantes.

Cognouit hoc idem maximus ille ac piissimus Imperator Constantinus: qui videns suam Imperialem vrbem, caput totius orbis terrarum, Romam dico, ob immunditias & scelera, quibus fuit commaculata, factam Babylonem, habitationem dæmoniorum, custodiam omnis spiritus immundi, &c. vt dicitur in Apocalypsi, & matrem fornicationum, & abominationum vniuersæ terræ, cum qua Reges, mercatores & vniuersi populi fornicati fuerant; vnde & Veneri deæ, amoris voluptuosi & vniuersæ turpitudinis primiceriæ, & Cupidini in atrio Sessoriano amplum ædificauit templum, ac ideò inuisa & inimica Deo. Volens itaque magnus ac religiosus Constantinus tam pernicioso malo occurrere, & dilectam sibi, Deo etiam amabilem reddere ciuitatem Spiritu sancto illustratus, quemadmodum antè à diabolico infideles, ad tollendam Ierosolymis crucis & passionis Christi memoriam, in Caluariæ

riæ monte simulacrum & fanum Veneris erexerunt; ita ipse posteà Ierosolymis ad montem Caluariæ, & Romæ in atrio Sessoriano, vt vindicaret iniuriam factam Ierosolymis sanctissimæ Cruci, & ex sua dilecta ciuitate impurum auferret amorem, & puram redderet Deo, Veneris & Cupidinis templum diruit, & solo æquauit; & alterum inuentæ Crucis illustrissimum iisdem in locis erexit, in quo partem inuentæ Crucis, cui illud dicauit, pio cultu venerandam reliquit: sicque factum fuit, vt tam Ierosolymis quàm Romæ profanus sanctificaretur locus, Venus Cruci cederet, sancta & vniuerso orbi celebris redderetur Ierusalem & Roma. Templi Ierosolymis extructi meminit Eusebius in Orat. de Laudibus Constantini, alterius verò Romæ mentio fit in quodam libro de Ecclesijs à Constantino ædificatis, vt tradit Cardinalis Baronius Tom. 3. anno Christi 324. & Bosius de Triumphanti Cruce lib. 6. c. 16. Ex his quilibet, cui cum Paulo datus est stimulus carnis angelus satanæ, qui illum colaphizet, fit velut columba seducta & libidinis facibus exusta, & recipiat in vulnera Christi, in Caluariæ montem, & extinguentur illæ, & ipse euadet incolumis.

CAPVT XXXVI.

De sacratissimo montis Caluariæ loco, in quo Christus Dominus fuit crucifixus, nono loco primæ Peregrinationis.

SAnctissimus Caluariæ mons, olim quidem nudatus & omni decore spoliatus, vt nomen ipsum præ se fert, nunc verò diuersis elaboratis marmoribus stratus & vestitus, figurisque, vt aiunt, musaicè, siue opere tessellato elaboratis ornatus, non amplius extra, sed intra sanctã Ierosolymorum ciuitatem, & intra diuinissimum Dominicæ resurrectionis templum inclusus. Plura in eo distincta assignantur loca, peculiaribus nostræ salutis mysteriis sanctificata; tria verò sunt præcipua in tria sacella redacta, in illud quod in medio est, in alterum quod in sinistra, & in tertium quod in dextra parte situm est: ante quæ est communis locus velut vestibulũ complens sacratissimi montis Ecclesiam. In priori loco, qui in medio est, fuit Christus crucifixus; in altero ad læuam stabat Mater cum Ioanne; dum Filius & Magister crucifigebatur; & in tertio fuit Saluator noster in cruce exaltatus; denique in vestibuli loco alia contigerunt, quæ ab Euangelistis enarrantur, vt verus receptaque in partibus istis traditio habet. De quibus omnibus agemus: de primo loco, præsenti Capite, de aliis locis ac mysteriis, proximè sequentibus Capitibus verba faciemus.

De loco crucifixionis Christi Domini.

Et vt à prioris loci, qui in medio est, explicatione ordiamur, dubium referandum est, quod tamquam discussum & determinatum supponit traditio, Christum non in aëre, sed humi fuisse cruci affixum. Notandum igitur, sanctos Euangelistas parcè admodum explicuisse mysterium crucifixionis Christi Domini, sicut & pleraque alia, solùm dicentes, *Et crucifixerunt eum*, factum narrantes, modum silentio prætereuntes; adeò vt meritò miretur Simon Cassianus lib. 13. de Passione Domini; sed non sine mysterio & Spiritus sancti impulsu. An quia Christus, vt alij fontes, crucifixus fuit? & quoniam vulgata notitia, qua sic damnati exitio tradi solent, manus temperarunt, ne insererent in Euangelio crucifigendi modum? An potiùs, quia, præ teneritudine cordium & commiseratione, tam audax & tam horrendum facinus describere noluerunt? nisi malis dicere, magna mysteria silentio potiùs vel breui sermone, quàm prolixa oratione, propter illorum mirabilem & ineffabilem modum excellentiamque, explicanda esse. Quare, quemadmodum paucissimis verbis expressérunt ineffabilia illa Incarnationis, Natiuitatis & Resurrectionis Domini mysteria (de Incarnatione enim dixit Ioannes 1, 14. *Verbum caro factum est*; de Natiuitate Luc. 2, 7. *Peperit Filium suum primogenitum*; & de Resurrectione Marcus 16, 9. *Surgens* Iesus *manè, prima Sabbati*, &c. & modum horum mysteriorum ineffabilem silentio præterierunt) ita etiam eadem ratione de crucifixione fecerunt, qui, seriem & modum supprimentes, factum dumtaxat explicantes, dixerunt: *Et crucifixerunt eum.* Vel denique nostræ vtilitati consulentes, id præstiterunt, vt meditatione modum & seriem illius inquirentes, meritum ex illa colligeremus vitæ æternæ, secundùm ipsius Domini promissionem: *Qui elucidant me, vitam æternam habebunt*, Eccli. 24, 31. Et ita factum fuit; plura enim à pluribus piis fidelibus addita sunt iis quæ de Dominica passione scripserunt sacri Euangelistæ.

Euangelista quare modum crucifixionis non explicuerit.

De duplici figendi modo, in alto vel in terra depositæ cruce, apud Lipsium de Cruce lib. 2. c. 7.

Et quantum ad illius crucifixionem, duos vel tres inueni dicendi modos: alter, illorum qui dicunt, cruce iam erecta & plantata in aëre fuisse crucifixum Saluatorem; alter, illorum qui in Caluariæ solo. Sed illi sunt in duplici differentia. B. Gregorius Nazianzenus in Tragœdia Christi patientis, B. Bonauentura in Fascic. & aliqui alij dicunt: quòd cùm peruentum esset ad locum crucis, crucem terræ stantem fixerunt; deinde applicarunt duas scalas duobus crucis

Primus figendi modus.

tis brachiis: quarum altera à tergo longior, altera verò vſque ad pedum locum breuior. Aſcendit ergo tremens Dominus, & tandem ſe ad populum conuertit, & vna manu confixa per carnificem, corpus totum contractum eſt; magnaque cum violentia brachium tractum, vt altera manus figeretur; & ablata ſcala pependit corpus: deindè pedibus chorda violenter tractis, ita vt vniuerſa oſſa dinumerari poſſent, cruci configuntur.

Secundus modus.

Alij cum S. Birgitta lib. 7. cap. 15. ſuarum Reuelationum dicunt, quòd cùm crux à Iudæis figebatur, & firmabatur fortiter in foramine petræ montis, cuneis malleo circumquaque impreſſis, vt crux ſolidiùs ſtaret, ne quouis modo in aliquam partem inclinaret, ſtatim adaptabantur tabulæ ligneæ in circuitu ſtipitis crucis per modum graduum vſque ad locum vbi debebant crucifigere pedes, vt poſſent per illos tabularum gradus tam ipſi quàm crucifixores aſcendere, & ſuper tabulas illas commodè ſtare, ad explendum crucifixionis miniſterium.

Tertius figendi modus, & ſententia.

Alius modus, & ſententia eſt aſſerentium, cruce iacente in terra fuiſſe crucifixum Dominum: huic adſtipulatur S. Cyrillus, S. Leo, D. Hieronymus, D. Antoninus 1. Par. Hiſtor. cap. 6. D. Anſelmus, S. Bernardus, & B. Laurentius Iuſtinianus, dum dicit, *Ibi nudatur veſtibus, ſolo ſupinus extenditur, configitur ſtipiti, elevatur in aëra*; & plerique alij idipſum aſſeuerant. Cui S. Eccleſia fauere videtur; quæ idcircò, vt eruditiſſimus Salmeron notauit Tom. 10. Tract. 35. in die Veneris ſancti, ad huius rei memoriam, crucem in terra proſtratam adorat. Et P. Greſerus de S. Cruce Tomo 1. lib. 1. cap. 21. hunc modum magis probabilem & pium eſſe dicit.

Ratio perſuadet; quia hic crucifigendi modus facilior & expeditior eſt: duo alij multò difficiliores & laborioſiores, etiam crucifixoribus. An ad illum modum reſpexit Ioannes 19, 16. dum dixit, *Suſceperunt autem Ieſum, & eduxerunt. Et bajulans ſibi crucem, exiuit in eum, qui dicitur Calvariæ, locum, Hebraicè autem Golgotha: vbi crucifixerunt eum?* Dicit *vbi*, quaſi ſitum & ſtationem deſignans, non in aëre, ſed in terra: at manifeſtiùs apud eumdem Ioannem 12, 32. ipſe Dominus videtur illum modum prædixiſſe, dicens: *Et ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum.* Leuatio enim crucifixi fuit vera exaltatio & plena; & ex crucifixo prouenit vis trahendi: alioquin cur additur, *à terra?* Quod bis anteà, cùm dixiſſet de exaltatione Dominus, non adiecerat, niſi

Leuatio crucifixi à terra, exaltatio.

quòd illic crucis paſſionem ſignificet, hìc è terra vſque inchoatam. Suffragantur denique picturæ & vetus traditio, & pia antiquitas, quæ, notato in Caluariæ monte crucifixionis loco, pulcherrimo ſacello ad honorem Dominicæ crucifixionis conſecrauit: cuius pauimentum & locus pulchro elaborato marmore opere teſſellato ſtratus; & ille ſingulariter, qui intuitu crucifixionis honoratur, ſex palmorum latitudinis, & nouem longitudinis. Tantaque eſt hic locus elegantia & arte elaboratus, vt alius in Terra ſancta ei comparari non poſſit: eaque operis ſubtilitate & elegantia arbitror, pios veteres fideles efficaciùs poſteris perſuadere voluiſſe, in illo Reparatorem noſtrum pro hominum ſalute crucl affixum fuiſſe, ſicut verè id ſemper perſuaſum habuerunt. Camera illius opere muſaico depicta duo continet altaria; & in vtroque miſſa celebratur: alterum eſt in parte dextera, alterum in fronte ſacelli; & in iſtius icone myſterium crucifixionis Domini ante oculos intuentium repræſentatur poſteriori indicato modo; quem nos propter dicta, & quoniam communior eſt, libenter ſequimur non vt dogma, ſed vt pium: quod & ampliùs explicamus.

Elegantia loci crucifixionis.

Igitur mitiſſimus Ieſus, agnus innocens & impollutus, hoſtia & ſacerdos, oblaturus ſeipſum in holocauſtum Patri in odorem ſuauitatis pro totius mundi redemptione, qui cælum ſtellis & terram floribus veſtit, propriis exuitur veſtibus, vt habetur in Euangelio (ſibi enim illas inter ſe milites diuiſerunt;) quod fieri nõ potuit ſine maximo illius dolore & dedecore, quoniam vulnerato corpori compactæ & conglutinatæ erant; ob id etiam abſtulerunt ſpineam coronam de capite eius, quam iterùm, poſtquam nudatus fuit, impoſuerunt, vt dixit S. Birgitta, vt ſicut lilium inter ſpinas appareret. Et quia violenter & feſtinanter Iudæi agebant, ita interior tunica detracta eſt, vt pellis ab ariete auelli ſolet; quam Matri ac fidelibus qui aſſiſtebant oſtendentes plenam ſanguine, vt quidam meditantur, dicere poterant quod fratres Ioſeph ad patrem ſuum Iacob dixerunt: *Hanc inuenimus: vide vtrùm tunica filij tui ſit, an non*, Gen. 37, 32. Nudus ergo & ſanguinolentus coram omnibus ſtetit noſter Ieſus, vultu & oculis ad terram defixis: & qualis primus homo in paradiſo habitauit, talis in paradiſum ſecundus homo ingreſſus eſt. Verùm verenda ipſius, propter honeſtos viros & mulieres qui venerant ad ſpectaculum, linteo operiri diſpoſuit: nam, vt teſtatur S. Anſelmus lib. de Paſſione Domini, ſanctiſſima Deipara velamen capitis ſui in

Chriſtus quomodo nudus in cruce.

hoc

Virgo fortè dedit alteri velum vt Christo pateret, & sic conciliatur Anselmus cum Birgitta. Plura de his Carthag. To. 1. lib. 10. Homil. 22.

hoc obsequium ei obtulit, vel alius, vt habetur in sanctæ Birgittæ Reuelationibus; libro enim primo cap. 10. post med. sic sanctam Virginem legimus allocutam Birgittam: *Stante autem Filio meo sicut natus erat, vnus accurrens, apportauit sibi velamen, quo ipse exultans intimè, velabat verenda sua.* & lib. 4. cap. 70. sub initium: *Perueniente igitur ad locum crucifixionis, & ecce malleus & quatuor claui acuti in promptu sunt, & mox iussus vestes ponit, parumque linteum verendis prætexit: quod & ipse, inde quasi consolatus, adiuuit ad ligandum.*

Et si hoc verum, duo refelluntur, quæ nec mihi nec doctioribus vllo modo probari possunt. Alterum, quòd Christus pependerit in cruce omnino nudus, & absque tegumento vllo ad partes, quas tegi natura iubet, vt senserunt Gretserus, Iansenius, Suarius, & alij apud Lorinum. Alterum, quòd asseruit Abulensis Parad. 5. cap. 42. Christum crucifixum, imò etiam sepultum cum femoralibus: *Nemo namque*, ait, *tam durus foret, vt immemor humanæ verecundiæ, hæc auderet detrahere, nec id Christus pateretur.* Hoc etenim videtur dici absque auctore & fundamento; nam velo verecundiæ satisfieri potuit. Et vtrique dicto refragatur, præter dicta, vsus Ecclesiæ, quæ omnes crucifixi Domini imagines obuelatis coxis proponit, & non femoralibus: linteo aliquo obuelatas fuisse, sudarium, in quo Christus depositus de cruce obuolutus fuit, quod Taurini asseruatur, indicat, vt sequenti Peregrinatione apparebit. Contrarium etiam docent S. Bernardus Sermone de Passione, Salmeron Tom. 10. Tractat. 35. Vincentius Brunus Meditat. 38. Mallonius in Paleotum cap. 6. num. 10. ac plerique alij. Et cùm multi Patres, à Gretsero & Lorino laudati, Christum nudum in crucem actum affirment, non proinde negant, peplum illi circa pudenda obligatum; nudum enim à maiori parte dixerunt, secundùm communem loquendi vsum: nam corpus, solis verendis obuelatis, benè nudum appellatur. Velum illud Aquisgrani asseruari perhibetur.

Ergo Reparatorem nostrum sic nudum impij illi carnifices super lignum durum & impolitum, vt quidam dicunt, ad augendum illius dolorem prostrauerunt. Supinus itaque super crucem stratus, expansus est; eiusque manus & pedes clauis perforati, acuto veru priùs, vt diuus contemplatur Bonauentura, ac cruci affixi; teneraque eius membra ea vi in cruce extensa, vt laxarentur artus eius, & dinumerarentur omnia ossa eius, vt Propheta Regius prædixerat. Hæc quidem & alia, quæ alibi explicanda reseruamus, contigerunt in memorato loco, vbi Christus crucifixus fuit. Agit de isto loco, cum aliis qui scripserunt de Locis sanctis, Adrichomius in Descriptione Ierusalem num. 251.

Notandum, locum istum subtus excauatum esse, & non ob id negandum, verè locum esse crucifixionis; nam id ita accidit, tum quia terra sacri montis ab Helena Romam asportata fuit, tum quia alia adhibita pro templi structura.

CAPVT XXXVII.

De loco vbi B. Virgo Maria stabat cum Ioanne, quando Saluator cruci affigebatur, decimo loco primæ Peregrinationis.

LOco memorato crucifixionis Domini ad læuam & Meridionalem partem alius proximus est, in quo, vt habet harum partium traditio, stabat sanctissima Deipara cum dilecto Christi discipulo Ioanne, quando Dei & hominis Filius pro mundi salute crucifigebatur: hinc pia antiquitas, ad conseruandam memoriam mansionis dolentis Matris & discipuli, locum illum nobili constructo sacello condecorauit. Hoc sacellum est extra magni templi ambitum, annexum tamen eidem, à loco crucifixionis solo muro diuisorio seiunctum, quod in Sepulchri platea eminet. Olim ex platea per gradus & externum huius sacelli ostium erat ad ipsum accessus, & per aliud interius ad Caluariæ Ecclesiam ingrediebatur. In præsentia est quidem templo inhærens scala, sed exterius ostium clausum; interius similiter in inferiori parte obstructum: superior in fenestram conuersa, qua illuminatur locus crucifixionis, & alius proximus exaltationis Crucis; quæ tamen cancellis ferreis munita est, ne ingredi vel egredi cuiquam liberum sit. Paruum est hoc sacellum, quia longitudinis palmorum 15. latitudinis 11. circiter; affabrè tamen interiùs exteriusque elaboratum & exornatum marmoreis columnellis & picturis musiui operis, sed pro maiori parte in præsentia veteribus ornamentis nudatum.

Formæ sacelli B. Mariæ & Ioannis Euangelistæ.

Prædictæ traditioni sicut nullus Euangelista expressè suffragatur, ita nullus refragatur; quin potiùs oculatus testis Ioannes videtur eidem testimonium perhibere, dum asserit, Mariam Deiparam stetisse iuxta crucem, dum in ea pendebat Filius, qui & eamdem cum eodem Ioanne fuit allocutus. Quare ergo non credemus eiusdem crucifixioni interfuisse? Interfuit sanè, & firmi-

Digitized by Google

firmiter asserunt Doctores sacri; nosque indicauimus de illius spasmo loquentes: & cùm illius mansionis hunc vpicum locum notauerint fideles, ac ideò ad honorem Deiparæ & Ioannis Euangelistæ ibi prædictum sacellum extruxerint, ibidem vtrumque mansisse in Saluatoris crucifixione, ratione præsertim vel auctoritate non refragante, sed magis suffragante, rationabile ac pium est credere.

Aliqui tamen credunt ibi steriſſe, postquam fuit Christus crucifixus; & de ea ibi manente locutum fuisse Ioannem illis verbis, *Stabat autem iuxta Crucem Iesu Mater eius*, &c. Ioan. 19, 25. sed propter dicta, prior sententia magis probatur: tum quia locus iste non est ita iuxta illum vbi fuit Crux Domini plantata; distat enim triginta pedibus, & ampliùs, & tamen inquit Ioannes, quòd *stabat iuxta*, &c. & cùm non obstet, quin possimus præmissa verba accipere in propriissima significatione, in ea accipienda arbitror: & profectò B. Virgo, quæ cum Christo commori & crucifigi voluisset, ei approximare debuit quantum potuit. tum quia picturæ omnes, recentes & vetustissimæ, Latinorum, Græcorum & aliarum nationum id ostendunt, dum beatam Virginem iuxta crucem à latere dextro & Septemtrionali crucis delineant; at locus ille distat, estque in sinistro & Meridionali eiusdem crucis latere.

An etiam hoc sacellum illud est, de quo Brocardus in suo libello de Terra sancta, & Adrichomius in Descriptione Ierusalem num. 242. agit? Fertur enim, Mariam illam olim maximam peccatricem, cùm Ierosolymam veniſſet, non religionis causa, sed vt liberiùs turpitudinibus & luxuris laxaret habenas, & sacratissimum Dominicæ Resurrectionis templum ingredi voluisset, diuinitus prohibitam fuisse: quæ ad se reuersa, & anteactæ vitæ pœnitens, magna pietate ac deuotione ad imaginem beatæ Virginis præ foribus Occidentalibus huius templi conuersa, cum lacrymis orans diuinam clementiam consecuta est: à vita, quam perditè egerat, ad pœnitentiam conuersa, vltra Iordanem in desertum secessit, & corpus suum variis exercitiis sibi in seruitutem redigens, omnibus sanctissimæ vitæ exemplo fuit. Illius B. Virginis picturæ mentio fit in Nicæno Concilio Act. 4. dum acta Mariæ Ægyptiacæ recitantur, & in Ioanne Damasceno de Imaginibus lib. 3. Nota verò quod inquit Adrichomius: Sacellum in eius honorem adhuc visitur; & de pictura idem dicit Brocardus.

Imago Deiparæ, ad quam se conuertit Maria Ægyptiaca, & gratiam obtinuit.

Et sanè extra fores sanctissimi Sepulchri nescio vbi sit sacellum, cui magis dicta aptentur quàm isti. Fores illæ Occidentales sunt quidem sacelli; sed quia per ipsas intrabant in templum peregrini, ideò fores templi appellantur. Est etiam in Caluariæ monte, vbi populo lignum S. Crucis ostendebatur, quod Maria illa videre maximè cupiebat, ac ideò maximus ibi erat populorum concursus. Et si hoc verum, pictura simplex B. Mariæ intra templum in inferiori arcu Caluariæ & in muro rudi modo delineata cum aliis, illa non erit de qua dicti Auctores loquuntur.

Si autem illa fuit, quam opinando diximus fuisse præ foribus huius sacelli & Ecclesiæ, non sic intelligas velim, quòd adhuc illud idem numero sacellum & figura visitetur, ad quam conuersa fuit pœnitens Maria; quoniam hoc illa præstitit supra annos mille & centum: conuersa enim fuit Ierosolymis ad Christum circa annum Domini 520. templum verò Dominicæ Resurrectionis per Magnum Constantinum ædificatum, fuit, etsi non solo æquatum, multùm tamen demolitum anno Domini 616: & postea, vt diximus suprà Capite IV. & consequenter sacellum & pictura si non penitus demolita, multam saltem iacturam passa fuere. Sed ideò dixerunt adhuc illius B. Virginis figuram honorari, vel quia eo ipso loco, vbi erat prædictum sacellum & pictura, si pòst demolita, postea, data facultate, adhuc ad illorum exemplar restaurata fuerunt; vel quia verè sacellum illud cum pictura, vt minimum sacri templi, diuina dispositione permansit, quemadmodum & multa alia loca sancta relicta fuerunt. In præsentia nec præ foribus huius sacelli, nec in aliis exterioribus locis picturæ cernuntur, quia à Turcis exteriùs prohibentur, qui illas dumtaxat interiùs in Ecclesiis & domibus permittunt.

CAPVT XXXVIII.

De sacello & loco vbi Christus fuit in cruce eleuatus, vndecimo loco primæ Peregrinationis, ac situ aspectuque crucifixi Saluatoris.

A Dextro loco, siue sacello Crucifixionis Domini, est sacellum aliud illi persimile, sola columna & velo ab eo discretum. Locus totius orbis terrarum sanctissimus, æterna memoria celebrandus, vbi est cauum illud sacratissimum, in quo Christus Dominus, in æneo illo veteri serpente præfiguratus, in pertica crucis exaltatus cunctis spectantibus, vt ab omnibus tamquam seductor & malefactor insignis habe-

haberetur, cum eius ingenti animi & corporis dolore, verecundia & dedecore, & omnium membrorum viscerumque concussione, pridie festi Paschæ, in rupe sacra, in præparato illo loco sacrum pondus sacro stipiti affixum plantatum fuit: in cuius superiori parte mortis sententia Hebraicis, Græcis Latinisque litteris scripta, I. N. R. I. in lignea tabella posita fuit. Foramini crucis deinde adhibuerunt iustitiæ ministri ligna & lapides, vt fixa permaneret, nec in aliquam partem propenderet.

Huius sacratissimi loci meminit sanctus Hieronymus in Epistola ad Paulinum, de Institutione Monachi, ostendens quomodo infideles laborarint illius memoriam de hominum mentibus obliterare, extruentes in crucis rupe Veneris statuam, quam ipsi colebant: sed Dominus vanas hominum cogitationes dissipauit, & reprobauit consilia Principum; quoniam sub Magno Constantino eius piissima & sanctissima mater locum hunc sanctissimum expurgauit, & condecorauit cum aliis: qui, vt aliàs, quando Terra sancta à fidelibus possidebatur, magno in honore erat; sic etiam modò ab infidelibus tyrannicè occupata, confluentibus ex omnibus mundi partibus populis, & piis fidelibus in medio nationis prauæ habitantibus, honoratur, & colitur.

Honor loci vbi erecta fuit sancta Crux.

Eiusdem loci meminit & conditionem expressit Gregorius Nazianzenus; quem esse saxosum, & à pauimento prominentem, circa initium Tragœdiæ de Christo patiente ait:

Conditio Caluariæ montis.

Postquam, vrbe Solymarum relicta, in editum
Venêre stratum plurimis saxis locum,
Regem trahentes impia turba meum.

& infrà:

Sic cùm omnium rerum potentem altam in crucem
Illi impulissent, saxea mole editum
Locum occupantes, &c.

P. Alphonsus Salmeron Tom. 10. Tractat. 35. de sacratissimo isto loco verba faciens, sequentia scriptis consignauit: *Intra primam Ecclesiam* (Caluariæ Ecclesiam primam ex tribus, quæ in ambitu totius magnifici templi Resurrectionis Domini continentur, appellauit, quòd prima hoc ingredienti occurrit) *adhuc extat rupes, sedecim gradibus eleuata à pauimento reliquæ terræ: in qua rupe Crux Saluatoris fixa fuit; atque ibi desuper Græcè scriptum, quod redditum Latinè sic habet*: HÎC DEVS ANTE SÆCVLA OPERATVS EST SALVTEM IN MEDIO TERRÆ. Hæc ille. Sed hæc melius intelligentur ex à nobis obseruatis infrà subiiciendis. Quare, his hîc prætermissis, situm & positionem Christi crucifixi consideremus, quando fuit eleuatus & in sacra rupe fixus.

Psal. 73, 12.

Suprà Capite XXXII. ex parte indicauimus, crucifixum Seruatorem nostrum & in cruce eleuatum fuisse in medio terræ, modo ibi explicato, & sanè extra ciuitatem Ierusalem; quod amplius sacræ Scripturæ & sanctorum Patrum auctoritatibus placet explicare, ex quibus aliquæ moralitates eliciuntur.

Christus extra ciuitatem crucifixus.

In primis sanctus Ioannes 19, 20. *Prope ciuitatem*, inquit, *erat locus, vbi crucifixus est Iesus.* Si prope ciuitatem, non intra. & clarius sanctus Paulus Hebr. 13, 12. *Iesus*, ait, *vt sanctificaret per suum Sanguinem populum, extra portam passus est. Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium eius portantes. Non enim habemus hîc manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus.*

Christus quare extra ciuitatem passus.

Ad hæc, idipsum docent sancti Patres; eius etiam rationem addentes, quòd erat communis hostia. Sanctus Chrysostomus Homil. de Cruce & Latrone: *Ne putares*, inquit, *pro illa tantùm plebe, id est, Iudaica, oblatum Christum, ideò foras ciuitatem, ideò foras muros, vt scias sacrificium esse commune*, &c. idem D. Hilarius in Matth. Sanctus Augustinus Serm. 130. addit alteram rationem, vt aëris naturam mundaret, propterea non in altari nec tecto superposito, sed sub cælo immolatus est Dominus. Aër enim purgabatur, cùm in altitudine immolaretur ouis; terra etiam purgabatur, quia stillabat Sanguis Domini super eam, &c. Quod sub patentis fontis similitudine prædixerat Zacharias 13, 1. dicens: *Erit fons patens domui Dauid, & habitantibus Ierusalem, in ablutionem peccatoris*, &c. quasi diceret: Non est Christus fons clausus, vel alicuius priuatæ domus, solis domesticis aquas tribuens, sed est toti mundo patens, vt totum labe peccati infectum lauacro gratiæ suæ purgaret, atque sitientes salutem recrearet. Hinc & ipse in die magno solemnitatis non vni, sed omnibus dicebat: *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat*, &c. Ioan. 7, 37. Christus ergo voluit extra ciuitatem, & in medio terræ se hostiam Æterno Patri offerre, ob rationem indicatam.

Christus cruce dicidentem respiciebat.

Sed nec sine vtili ratione erit, inquirere, quam orbis partem ante faciem habuerit, in quamque oculos coniecerit, in Orientem vel Occidentem, Meridiem vel Septemtrionem. Respondent Doctores, Occidentem respexisse; ita vt locus vbi fuit plantata sancta Crux, & Christus emisit spiritum, hanc respiciat partem. Sanctus Damascenus lib. 4. Fid. orthod. cap. 13. *Dominus cùm*

in

in Cruce penderet, inquit, *ad Occasum prospiciebat*. & sanctus Germanus Patriarcha Constantinopolitanus in Theor.rerum Eccles.dicit: *Christus cruci affixus ad Occidentem erat intuens, eius verò venerandarum manuum altera in Meridiem, altera in Septemtrionem erat extensa*. & Sedulius lib.4. Carminum, cuius Carmina recitat Beda in cap.23. Luc.

Quatuor inde plagas quadrati colligit orbis:
Splendidus auctoris de vertice fulget Eous;
Occiduo sacra labuntur sidere planta:
Arctos dextra tenet, medium tua exigit axem.

Eadem pleriq; alij. Lege Gretserum Tom.1. de S.Cruce lib.1. cap.27.

Adrichomius in Descriptione Ierusalem num. 252. *Ea autem positione*, inquit, *crux Iudaorum studio fuit erecta, vt Christus dorsum suum contra Ierusalem haberet, faciem autem versus Occidentem: indignum enim eum reputabant, quem sancta vrbis aspectu dignarentur*. statimque addit id fuisse diuino consilio factum, vt impleretur quod dixe-
rem.18, rat per Ieremiam Dominus: *Sicut ventus vrens dispergam eos coram inimico: dorsum, & non faciem ostendam eis in die perditionis eorum*. Ergo remanent in tenebris, ex quo sol oriens Christus auertit ab illis faciem; & vt cæci palpant in meridie miseri Hebræi, & consequenter Italis, & in vniuersum Europæis, qui sedebant in tenebris & vmbra mortis, lux orta est, vita gratiæ illis est elargita, ex quo Christus sol indeficiens & vita perennis in eos oculos coniecit: & Roma singulariter hisce gratiis donata fuit, ex quo in ea suum Vicarium in terris constituere debuit, & Regni cælorum Academiam stabilire; & quæ magistra erat erroris, facta est discipula, vt dixit sanctus Leo Ser.1.in Natal. Apostolorum Petri & Pauli, adde & magistra veritatis. Has quidem & alias dignas considerationes piasque meditationes passim apud Doctores inuenies.

Ioannes Molanus de sacris Imaginibus lib.4.cap.4. Adrichomio suffragari videtur, dum ait: Crucifixus est autem (ac proinde pingi debet) dorso versus Ierusalem & Orientem, facie respiciens ad Occidentem, dextera ad Aquilonem, sinistra ad Meridiem, vt docet Sedulius lib. 4. Beda cap.93. Tom.3. in Lucam scribens, & Damascenus lib.4.cap.13.

Verùm, vt prius dictum nedum grauissimorum virorum auctoritate, sed etiam sensu ipso firmatur; ita posteriùs additum, ex sententia Adrichomij, reiicit oculus & ratio: etenim Caluariæ mons, & locus, vbi fuit viuifica Crux Saluatoris nostri erecta, habent ante se & à latere plagaque Meridionali montem Sion, castrum quod Pisanum dicitur, vbi est celebris turris Dauid, numquam bellis penitus deuastata, vt modò ego cum aliis in his versatissimis attentissimè adnotaui.

Et ne mihi & aliis oculatis testibus tantùm præstetur fides, adhibeatur rationi idipsum persuadenti, nixæ grauium Auctorum testimonio. Ratio desumitur ex dispositione quam habet mons Sion respectu totius vrbis & montis Caluariæ. Et quamnam habet? Aliqui constituunt Sionem ad Occidentem vrbis: quorum sententia si vera esset, cùm Christus in Cruce conuerterit faciem ad Occidentem, habuisset proculdubio non post tergum, sed ante oculos ciuitatem in monte Sion fundatam; sed quoniam falsam arbitramur cum aliis, vt illam quam adducit refellitque Villalpandus Tom.3.Part.1. lib.1. cap.5. ideò aliter dicendum est.

Sion respicit Caluariam ad Aquilonem.

Dico itaque, montem Sion esse quidem ad Meridiem vrbis, sed ad Occidentem excurrere, respicereque montem Caluarium ad Aquilonem. Ita Brocardus Part.1. c.7. *Mons Sion sumens principium à porta aquarum, quæ sita est contra Orientem, constituit semicirculum contra Austrum vsque ad Occidentem*. S. Hieronymus, à nobis suprà Capite XXXI. relatus, docet, montem Caluariæ esse positum in Septemtrionali plaga montis Sion. D. Augustinus in Psalm. 47. ait: *Contrarium solet esse Aquilo Sion: Sion quippe in Meridie, Aquilo contra Meridiem*. & sanctus Ambrosius in eumdem Psalmum ait: *Dominus secundùm cæli tractum in Venerario passus est, qui erat locus in latere Aquilonis. Venerario*, id est, Caluario, vt suprà notaui. Villalpandus tum alibi, tum loco citato cap.6. hoc ipsum confirmat aliorum adducto testimonio; inquit enim: *Totus mons seu collis Sion latitudinem suam à Meridie ad Aquilonem porrigit, ab Occasu in Orientem longitudinem: eius latitudo cubitos bis mille æquat, longitudo quatuor mille. Contrà res erit, si totam simul vrbem consideres; nam longitudo à Meridie in Aquilonem excurrit, latitudo ab Occasu in Orientem*. & post pauca, quæ in confirmationem & explicationem adducit, addit: *Denique ab Occidente mons hic curuatur, & in maximam celsitudinem erigitur; in cuius vertice prærupta rupes in corona modum exsurgit, in qua olim Iebusæorum arx constructa erat; posteà verò toti huic monti superior ciuitas insedit*. Et ipse Adrichomius in Descriptione Ierusalem num.235. idem videtur dicere, dum ait, montem Caluariæ fuisse proximum ciuitati inter Occidentem & Septemtrionem; sed non ita lon-

gè, vt ex illo Christus montem Sion & ciuitatem in eo ædificatam videre non potuerit, vt Adrichomius delineauit.

Igitur, vt intentum explicemus, cùm mons Sion & ciuitas in eo constructa protendatur à Meridie in Occasum, & habeat montem Caluariæ ad Septemtrionem, nullo modo possumus asseuerare, Christum in cruce ciuitati saltem superiori terga vertisse; sed benè illam ante oculos habuisse, etsi à læua parte & Australi, vt explicatum fuit. Propter quæ, an etiam Villalpandus iustè delineauerit montem Caluariæ in sua veteris Ierosolymæ imagine, & ex opposito sinistro latere montem Sion, aliis expendendum relinquo.

Si dicat aliquis pro Adrichomio, ideò dixisse, montem Sion ad Aquilonem habuisse Caluarium, quia Iudæi ita crucem plantauerant, vt Christus in ea Sioni & ciuitati terga verteret; sed tunc vertisset faciem ad Aquilonem, & non ad Occidentem, vt patet consideranti dispositionem quatuor plagarum mundi: quod tamen asserere falsum est, contra communem veterum ac recentiorum Doctorum sententiam, illustrissimis monumentis, sacro inquam templo erecto in loco vbi plantata fuit sancta Crux, facie versa ad Occidentem, ad illud indicandum firmatam, & contra ipsum Adrichomium.

Si iterùm dicatur, ideò Adrichomium asseruisse Christum Iudæis terga, & non faciem vertisse, quoniam perfectè illorum ciuitatem ante oculos non habuit; & quia ab illis spretus, eos etiam spreuit, stamus cum eo: sed tunc suæ Ierosolymæ delineatio geographica refragatur, vt ad oculum patet illam consideranti; descripsit enim Caluarium omnino extra ciuitatem, & in angulo, & Christum vrbem à tergo habentem.

Ad Auctores à Molano pro hac sententia Adrichomij adductos respondeo, ipsos vnum & verum asserere, Christum in cruce facie Occidentem respexisse; non item alterum falsum, ciuitati terga vertisse, vt illorum indicant verba.

Sed nec mysterio caret memorata à nobis corporis Christi in cruce dispositio, vt ciuitatem ad læuam habuerit: & illud crediderim, Iudæos impœnitentes, quique petierunt Christi sanguinem super seipsos & filios suos, cum malo latrone crucifixo cum Christo à sinistris, pro maiori parte crucifigendos & interimendos, quod impleri cœpit, cùm per Romanos fuit eorum ciuitas sub Tito obsessa, capta & vastata, omnesque proiiciendos tamquam vilia mancipia, vt verè accidisse eorumdem Scriptor Iosephus Hebræus de Bello Iudaico litteris consignauit; ac denique in finali iudicio fœtentes cum fœtentibus hœdis ad læuam Christi Iudicis collocandos, quando cum potestate magna & maiestate veniet iudicare sæculum per ignem, auditurosque cum aliis reprobis terribilem illam sententiam: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius*, Matth. 25, 41.

Mysterium situs Christi in cruce.

Christi iustitia.

Vel etiam, alia via incedentes, dicere possumus, illa positione Christum indicare voluisse, Iudæos posse in præsenti vita conuerti, cùm illos à latere habeat, & quasi manu porrecta illos apprehendere & auxilium præbere velit, vt ad dexteram veniant cum electis ouibus, & cum eisdem vitam consequantur æternam. Profectò Christi omnipotenti brachio multi ex Iudæis iam conuersi fuerunt ad Christum, & in dies conuertuntur aliqui, & multò plures conuertentur circa sæculi huius consummationem, & salutem consequentur, vt Scriptura diuina & sacri Doctores concorditer docent, & nos Libro primo indicauimus.

Christi misericordia.

Et vt, qualiter res se habuerit, melius percipiatur, nouam imaginem vnius partis sanctæ Ciuitatis, montis Caluariæ, & Sepulchri Dominici, vt erat tempore Christi, hîc delineari curauimus.

Hîc inserenda imago partis Ierusalem, montis Caluariæ, & Sepulchri Domini, vt erat tempore Christi.

CA-

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

CAPVT XXXIX.

Aliqua adhuc proponuntur, quibus conditio ſacri Caluariæ montis magis innoteſcit, vt menſuræ, picturæ, ſcripturæ locus vbi Deipara ſtetit iuxta crucem, & alia quæ in eo videntur.

Accurata deſcriptio ſacri Caluariæ montis.

TOtam aream planitiémve ſacri Caluariæ montis partimur in duas præcipuas partes, vt iam diximus; in eam in qua fuit Chriſtus cruci affixus, & in eam in qua fuit in cruce exaltatus (non loquimur nunc de ſacello ſanctæ Mariæ Virginis, de quo Cap. XXXVII.) & vtramque partem adhuc in alias duas diſtinguimus. Et de illa prius agentes, priorem partem aſſignamus à muro vbi altare eſt, vſque ad incumbam, ſiue pilam, cui arcus inſidet, & hæc reſpectu alterius erit Orientalis; quæ ſequitur vſque ad vltimum arcum, Occidentalem nominamus. Vtraque pars duabus cameris tegitur, velut duas partes vnius porticus conficientibus.

Longitudo huius ſacelli à muro Orientali vſque ad principium incumbæ eſt palmorum 16. vnciarum 9. latitudo, non metiendo dictam incumbam & columnam, eſt palmorum 15. vnc. 1. latitudo columnæ eſt palmorum 6. vnciarum 8. craſſities palmorum 4. vnciarum 5. longitudo ſiue altitudo columnæ eſt palmorum 8. vnciarum 6. inde vſque ad fornicem ſuperſunt palmi 9. ſicque tota proiectura eſt palmorum 17. vnciarum 3. Incumbæ & parietes ſacri loci operti tabulis marmoreis cinericei coloris, an albi; qui antiquitate & lampadarum fumo multùm obſcurati. De picturis & ſcripturis agentes, primò adducemus illas quas apud alios inuenimus, deinde quas nos ipſi obſeruauimus.

In opere, cui titulus eſt, INSCRIPTIONES SACROSANCTÆ VETVSTATIS, Petro Apiano Mathematico Ingolſtad. & Bartholomæo Amantio Poëta Auctoribus, impreſſo Ingolſtadij in ædibus P. Apiani anno M. D. XXXIII. ſequentes inueniuntur inſcriptiones Græcæ, & figuræ, quibus ego adiiciam Latinam interpretationem.

ΙΣ
ΧΣ

IESVS
CHRISTVS.

ΩΡΑΙΟΝ ΕΙΣ ΟΡΑ
ΣΙΝ ΟΦΘΕΝΤΟ
ΞΥΛΟΝ.

SPECIOSVM ASPECTV
APPARVIT LIGNVM.

ΜΡ
ΘΥ

MATER
DEI.

ΓΕΥΣΕΙ ΜΕ ΝΕ-
ΚΡΟΙ ΤΟΝ ΘΕΟΝ
ΚΑΤ' ΕΙΚΩΝΑ *ΩΡΑΙΟΣ ΩΝ ΚΑΛ
ΛΕΙ * ΔΕ ΘΕΙΑΣ
ΟΥΣΙΑΣ.

GVSTABVNT ME MORTALES DEVM SECVNDVM FIGVRAM SPECIOSVM EXISTENTEM PVLCHRITVDINE DIVINÆ VERO SVBSTANTIÆ.

ΟΥ ΤΗΝ ΔΕ ΘΗΚΗΝ ΡΩ
ΜΑΙΚΟΣ ΓΗΣ ΔΕΣΠΟΤΗΣ
*ΩΡΑΙΟΤΑΙΣΙΝ ΑΡΕΤΩΝ
*ΕΣΤΕΜΕΝΟΣ.

NON HAC CAPSA ROMANVS TERRÆ DOMINVS PVLCHRITVDINIBVS VIRTVTVM CORONATVS.

*ΩΡΑΙΟΝ ΤΟ ΚΑΛΛΕΙ * ΘΕΙΑΣ ΔΕ

ΖΩΟΙ ΜΕ ΧΡΙΣΤΟΣ ΣΑΡ
ΚΙΚΟΣ ΘΑΝΩΝ ΞΥΛΩ.

SALVET ME CHRISTVS CARNEVS MORIENS LIGNO.

*ΩΡΑΙΟΤΗΣΙΝ
*ΕΣΤΕΜΜΕΝΟΣ.

Digitized by Google

Hanc picturam cum hac inſcriptione VVilibaldus ſecum Venetiis attulit.

MX
MICHAEL

ΧΑΡΙΣΙΝ· * ϹΡΑΙΣΣ
ΤΗΜΙΩΝ ΑΙΘΩΝ
ΗΤΤΩΝ Δ' * ΑΥΤΟΝ
ΔΑΙΜΟΝΑΣ ΚΑΙ
ΒΑΡΒΑΡΟΥΣ.

ΓΒ
GABRIEL

* ωραιαις
* αυτοις

GRATIIS SPECIOSIS
PRETIOSORVM LA-
PIDVM VINCENS
IPSOS DÆMONES
ET BARBAROS.

Δ
Η
Η
Η

Τ
Ρ
Ι
Ο
Σ

DEMETRIVS.

*M

Supra locum vbi Christus crucifixus hoc scriptum:

Ο ΘΕΟΣ ΒΑΣΙΛΕΥΣ *ΗΜΩΝ ΓΡΟ ΣΑΙΩΝΑΣ *ΕΡΓΑΣΕΤΟ ΕΝ ΜΕΣΩ ΤΗΣ ΓΗΣ.

* ημων
* εργασατο

DEVS REX NOSTER SECVNDVM SÆCVLA
OPERATVS EST IN MEDIO TERRÆ.

Supra

Supra locum vbi Crux Domini fuit fixa ſcriptum:

ΠΕΤΡΑ ΗΝ ΟΡΑΣ ΕΣΤΙ
ΒΑΣΙΣ ΤΩΝ ΠΙΣΤΩΜ
ΤΟΥ ΚΟΣΜΟΥ.

PETRA QVAM VIDES EST
FVNDAMENTVM FIDE-
LIVM MVNDI.

Opinatum eſt, quòd Crux Domini habeat in altum XV. *pedes; tabula iſta, vbi ſcriptura fuit, pedem & dimidium.*



ΣΤΑΥΡΟΣ ΤΟΥ ΚΥΡΙΟΥ
ΠΙΤΥΟΣ ΠΙΣΣΟΥ ΚΑΙ ΠΙΤΟΥΣ

CRVX DOMINI
PRESSI ET PINI

ΤΡΙΩΝ ΞΥΛΩΝ ΚΥΠΑ ΞΥΛΩΝ
ΚΑΙ ΚΑΙΔΡΟΥ. ΚΗΔΡΟΥ

TRIVM LIGNORVM CY-
ET CEDRI.

Hæc Philippus Melanchthon reperit in Bibliotheca Tubingenſi: quæ ſic deſcripſit melioribus quàm fuit ibi formulis in antiquo Sindelfingenſi codice; quo fit fides, eſſe eò collata hæc ab aliquo ex his qui cum Eberhardo Probo, VVirtembergenſi Duce, Hieroſolymis fuerunt. Hæc ex memorato Opere ad verbum.

Fateor me nullam prædictarum ſcripturarum & imaginum vidiſſe in ſacro Caluariæ monte, vel in alio loco templi Dominicæ Reſurrectionis, etſi non modicam adhibuerim diligentiam; non tamen negandum illas fuiſſe, ſed antiquitate & odio infidelium demolitas, ſicut pleraſque alias ſimiles. Saue VVilibaldus Epiſcopus, qui priores illas ſcripturas & picturas exſcripſit & notauit, perfecit Ieroſolymitanam peregrinationem ante annos 880. vt alibi fuit obſeruatum; & ab illo tempore vſque ad præſens facilè potuerunt conſumi.

Subiiciamus nos quas ipſi non exiguo labore & ſtudio adnotauimus. Aduerto, omnes ſcripturas & picturas eſſe opere muſaico deſcriptas & appictas, etſi antiquitate & fumo lampadarum multùm conſumptas ac denigratas.

In capite & Orientali parte huius ſacelli Crucifixionis Domini circumdant fornicem ſequentia verba:

.....ICARIS CARO CARNO-
FII ACRIMMER LEVATVR:
A CRVCE PRO MISERIS REX
PIVS

✠.....

.....

A dextro latere & Aquilonari circa arcum ſequentia tribus lineis exarata habentur; quarum initia ſigno crucis notantur vt ibi:

✠ P..... SINVM PVERI SER-
VANT. SVB IMAGINE VERI.
SERVANT IVDEI DVRITIAM
FIDEL IGNEM CV GLADIO

Digitized by Google

PORTAT PATRIARCHA FIDELIS. QVo.....

✠ LGNIS ISAAC ONERATVR, DE CRVCE XPS. STAT PATER: ESTQ: PVER LIGNA SVPPOSITº. HIC GLADIVM LEVAT. HIC IVGVLVM PARAT ANTE LGATº. SIC PATRIS IMPIOFi.....

✠.....IGELVS ALLVBRENS ABRAHA VOCAT ATQ. COHERCET. CONVERSVS STVPET HIC VIXQ. MANV RETINET. CORNIBº IN SPINIS HERENS ARIES IVGVLAT SIC CARO SOLA: VINDPI.....

Sub arcu est historia in adducta sententia indicata, Abraham inquam volens vnigenitum filium suum Isaac sacrificare. Ex parte Occidentali pueri cernuntur quos Abraham ad radices montis reliquit; in Orientali Isaac iacens super struem lignorum, Angelus prohibens eleuatam Abrahæ manum super filium suum, & à tergo aries in vepribus. E regione huius arcus, & Meridionali parte huius sacelli, veteres picturæ penitus corruerunt; & quid ibi fuerit, diiudicari non potest. Tantùm sub arcu fornicis sequentia leguntur; quæ, an indicent fuisse ibi depictam liberationem sanctorum Patrum ab inferis, & alligationem sataniæ, me latet.

.....OMAE XPS TOLLT SD SVPOS: MERITI MODERAMINE IPº GAVDET HOMO MANES TREPIDANT GEMIT OIS ABISSº EST EXCESSVS ADE XPO VENIENTE REMISSº.

Sub fornice, siue camera, est historia Adscensionis Domini, Christus inquam ascendens ad cælos versa facie ad Occidentem, à quatuor Angelis comitatus; & infrà in parte Orientali sunt stupentes & aspicientes Apostoli Saluatorem suum ascendentem in cælum cum sequenti inscriptione; quæ vnicâ comprehensa lineâ intersecat sacelli fornicem siue cameram ab Aquilonari vsque ad Meridionalem partem.

VIRI GALEI QVID ASPICITIS IN CELV. HIC IHS QV ASSVMPTº EST A VOBIS IN CELV. SIC VENIET QVEMODV VIDISTIS EV EVE IN CELV.

Sub arcu Occidentali huius sacelli in parte Aquilonari est Elias Propheta, qui adscendit in cælum; & infrà eius discipulus Eliseus obsecrans & recipiens pallium cum sequenti inscriptione:

hELIAS RAPTº IN CELV. hELISEVS RECEPIT PALLV.

Sub eodem arcu è regione præcedentis figuræ est Elias, cui coruus defert panem, cum inscriptione quæ sequitur:

CORVI DEFEREBANT EI CARNES ET PANE MANE ET VESPI. OAYhOS hELIAS.

In pauimento huius sacelli elegantissimè strato, vt suprà diximus, fuit Christus crucifixus: est altius pauimento sacelli eleuationis sanctæ Crucis vnc. 6.

Sequitur nunc altera pars loci Crucifixionis ferè iam explicata; quantum ad structuram alteri similis, licet in ornamentis dissimilis.

Ab extremitate pilæ vsque ad principium alterius & arcus Occidentalis palmi sunt 15. vnciæ 7. Totius itaque loci longitudo est palmorum 39. latitudo, comprehensa crassitie columnæ, est palmorum 19. vnciarum 6. Sub arcu huius Aquilonari & dextero, qui est communis alteri parti montis vbi plantata fuit sancta Crux, sunt duæ figuræ Prophetarum cum suis nominibus & sententiis: quæ in Orientali parte, est Danielis cum sententia delumpta ex 9. capite suarum Reuelationum:

ET POSTEBD
OMADES SEX

AGIN-

AGINTÆVAS
OCCIDETVR
XPS CVVENE
RITIS C SSCO
RV CESSAVIT
VNCCIO.

In Occidentali parte eiuſdem arcus è regione Danielis, eſt Oſeas Propheta cum ſententia accepta ex ſuarum prophetiarum cap. 13.

O MORS ER
O MORS
TVA OOO
R S V S
TVVS ER
O INFERNI.

Sub iſto eodem arcu ad Occidentem eſt ſedes marmorea, quam Epiſcopalem vel Patriarchalem credo.

E regione huius arcus & parte Meridionali ſub fornice, in pariete eſt cœna Domini, Chriſtus inquam & diſcipuli eius diſcumbentes ſecundùm antiquam conſuetudinem, & non ad menſam ſedentes; & Chriſtus Dominus non in medio diſcipulorum, ſed in capite diſcumbit. Et hæc optimo conſilio ita effigiata fuere; etenim antiquitus Hebræi menſæ non aſſidebant, ſed diſcumbebant, & hoc vel accepta à Romanis conſuetudine, poſtquam illis ſubiecti fuere; vt quibuſdam placet, ſiue, vt aliis, quia talem anteà morem obſeruarent. Et addunt illi, Regem ſacrorum, qui apud Romanos maximæ dignationis erat inter Pontifices, ſummum locum in Pontificalibus occupare ſolitum, neminemque ſupra eum accubare; ideò Chriſtus in Pontificiis cœnis, cùm verè Rex & Sacerdos eſſet ſecundùm ordinem Melchiſedech, eumdem occupauit, nec quiſquam ſupra eum accubuit: & ex eo probatur, quia ſi aliter fuiſſet, non potuiſſet Maria Magdalena in domo Simonis alabaſtrum vnguenti effundere ſuper caput ipſius recumbentis, ſi in medio loco accubuiſſet; aut ipſe Ioannem in ſinu habere, ſi in imo. Quare cùm & in iſta pictura vltimæ cœnæ Domini conuiuæ diſcumbentes ſint repræſentati, & Dominus & Magiſter in capite, optimè & ſecundùm veterem conſuetudinem fuit delineata. De his conſule Euangeliſtarum ſacros expoſitores, & Cardinalem Baronium Tom. 1. Annal. Eccleſiaſt. ſub anno Chriſti 34. num. 37. & 40. Supra diſcumbentes eſt ſequens inſcriptio magnis litteris exarata:

Hebræi antiquitus menſæ non aſſidebant, ſed diſcumbebant.

Chriſtus in Cœna in ſuperiori diſcubuit loco.

HEC EST CŒNA DOMINI.

Pauimentum huius partis continuatur cum altero crucifixionis Domini, & quamuis non tanta elegantia vt illud, affabrè tamen opere teſſellato elaboratum. Hic parata fuerũt quæ obſeruabantur cum condemnatis ad mortem. Et in primis longè à iam deſcripto differens fuit præparatum conuiuium, illud inquam de quo ipſe Dominus per Prophetam dixit: *Dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potauerunt me aceto*, Pſal. 68, 22. ac ſi dixiſſet: In conuiuiis eſca ponitur & potus, & in conuiuio, mihi in Caluariæ loco præparato, milites & Iudæi pro eſca fel, & pro potu acetum obtulerunt; conuerſa vro Chriſto in amaritudinem vinea, iuxta illud Ierem. 2, 21. *Quomodo conuerſa es mihi in pranum vinea aliena?* &c. & Deut. 32, 32. *Vua eorum vua fellis, & botri amariſſimi*, &c. Euthymius in Matth. 27. fel appellari putat eſcam; quia aridi fellis fragmenta in vinũ iniecta ſunt, & emollita, vt vinum loco potus eſſet, fragmenta fellis pro buccella panis. Lyranus: Quia, inquit, fel erat de natura ſua magis eſibile quàm potabile, ideò nominat ipſum Pſalm. eſcam, &c. Cuius conuiuij mentionem etiam fecerunt Euangeliſtæ. Sanctus Matthæus 27, 34. *Et dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum. Et cùm guſtaſſet, noluit bibere.* Sanctus Marcus 15, 23. *Et dabant ei bibere myrrhatum vinum, & non accepit.*

Conuiuium Chriſto in Caluario paratum quale.

Fel quare eſca dictũ.

Ad horum intelligentiam tria breuiter explicabimus. Alterum, quale fuit poculum Chriſto propinatum; alterum, ad quid datum. Tertium, quare non accepit, vel, cùm guſtaſſet, noluit bibere. Euthymius & Theophylactus, quos ſequitur Cardinalis Baronius Tom. 1. ſub ann. Chriſti 34. cum aliis, arbitrantur, duo pocula diuerſa continentia fuiſſe Chriſto exhibita antequam aſcenderet Crucis patibulum, alterum vini myrrhati, alterum verò vini cum felle: prioris volunt meminiſſe Matthæum, poſterioris Marcum, & probant ex eo, quod pro vino cum felle mixto, plures Græci codices legunt acetum, vel vinum acetoſum: quod valdè diuerſum eſt à myrrhato vino, quod optimum erat. Præterea de iſto dicit Euangeliſta; *Cùm guſtaſſet, noluit bibere*; de vino verò myrrhato: *Dabant ei bibere myrrhatum vinum, & non accepit.* At, inquiunt iſti, longè diuerſum eſt, *non accepit*, ab

Duo pocula Chriſto propinata fuiſſe, qui dixerint.

ab eo quod dicitur, *Cùm gustasset, noluit bibere*.

Vinum bonum quare damnatis dabatur.

Ad hæc, consueuerunt Iudæi dare vinum suaue damnatis, quemadmodum & in præsentia datur à nostris, vt reficerentur, eorumq; corda confirmarentur, iuxta illud Prouerb. 31,6. *Date siceram mœrentibus, & vinum his qui amaro sunt animo: bibant, & obliuiscantur egestatis suæ, & doloris sui non recordentur amplius*, &c. & hoc non debuit esse acetosum & felle mixtum, sed optimum, vt indicatur Amos 2, 8. vbi loquens Propheta de voluptatibus & deliciis, quibus profusè abutebatur populus Moab, indicans & optimum vinum bibisse, ait: *Vinum damnatorum bibebant in domo Dei sui.* Igitur & tali consuetudine fuisse vsos cum Christo, non est dubitandum; præsertim quòd cum eo alij damnati erant.

Confirmatur: quia si Hebræi, vt pietatem præ se ferrent, quando aliquem flagellabant, ad numerum flagellorum quadragesimum non pertingebant, vt lex præcipiebat, ac ideò dixit S. Paulus, loquens quomodo fuerit flagellatus: *Quadragenas, vna minùs, accepi*, 2. Cor. 11, 24. Igitur solitum illud humanitatis genus non negauerunt Christo: ac consequenter, præter poculum vini acetosi & felle mixti, aliud dederunt vini optimi, quod myrrhatum appellat Marcus.

Vnicum poculum Christo propinatum qui dicant.

Altera sententia asserit, vnicum poculum fuisse Christo exhibitum; & quod Matthæus fuisse felle mixtum, Marcus myrrhatum dixit, quòd amarissimum sit. Ita S. Augustinus lib. 3. de Consen. Euang. cap. 11. *Dederunt*, inquit, *ei vinum bibere cum felle mixtum*, id est, amarissimum: item, *fel posuit* Matthæus *pro amaritudine.* alium addit simpliciorem sensum: *Dabant ei bibere vinum myrrhatum*, id est, cum myrrha amara mixtum. *Et dederunt ei vinum bibere cùm felle mixtum*; quia vinum illud impij illi homines cum myrrha & felle permiscuerunt. Dicitur verò à Marco *vinum myrrhatum*, propter mixtam amaram myrrham; dicitur à Matthæo, *vinum cum felle mixtum*, propter fel. Eamdem sententiam sequuntur D. Hieronymus, Beda & Anselmus; & communem esse Patrum expositionem dicit Carthagena lib. 10. Homil. 21. licet ipse alteram sequatur, quam non carere probabilitate, nihilque esse quod eam refellat, ait Barradius Tom. 4 lib. 7. cap. 11.

Sententia communis defenditur.

Optimè quidem; sed ego arbitror, quæ ab ista sententia adducuntur contra communem Patrum, non illi refragari, & facili negotio posse dilui, dicendo ad rationem, idem poculum dici myrrhatum, quia tale quidem fuit præparatum & datum latronibus; sed impij illi, pro Christo omni humanitate destituti, voluerunt illum priuare exigua illa consolatione: totus enim infernus contra Christum solutus erat tempore suæ passionis.

Euthymius id mihi videtur indicasse dum ait, milites præbuisse illud vinum ludentes; at illusio est, quando sub specie vnius alterum exhibetur, quemadmodum dicimus, Christum fuisse illusum, quando fuit purpura indutus: vestis quidem Regia, sed quòd attrita & vilis & in contemptum imposita, illusionem indicat; ita in proposito, illuserunt Christo, dum sub specie myrrhati vini fel dederunt; & quia corruperunt, benè potuit dici acetosum, vel acetum. *Quod cùm gustasset, noluit bibere*, quia non traiecit in stomachum; & est quod alius dixit Euangelista, *Et non accepit.*

Ad confirmationem dicimus, Iudæos in pluribus aliis deliquisse, & pietatis genus arbitratos fuisse, tunc sæuire in Christum, quem vita indignum arbitrabantur; & amplius simulasse pietatem deferendo myrrhatum, sed crudelitatem exercuisse miscendo fel. Confirmatur responsio à simili flagellationis: etenim in illa legem non seruarunt; quia nedum attigerunt verberum quadragesimum numerum, sed excesserunt centesimum, vt omnes fatentur; vnde dicere potuit: *Consolantem me quæsiui, & non inueni*, Psal. 68, 21. Et quamuis fuerit à Gentilibus & more Gentilium flagellatus Saluator, non obstat; quia Gentiles ita crudeliter flagellauerunt, vt voluntati Iudæorum satisfacerent, illisque morem gererent. Et omnes circa Christum in passione consummatæ crudelitates Iudæis tribuuntur, quia ex illorum depranata voluntate processerunt: certum enim, nihil aduersus Christum habuisse Gentiles, & Pilatum voluisse eum liberare; & quæ contra illum operatus est, fecit timore tumultuantium Iudæorum, vt manifestum est, & sanctus explicuit Augustinus.

Si vinum illud myrrhatum dicatur, vt volunt quidam prioris sententiæ, quia in vasis myrrhinis propinabatur, soluta esset quæstio, vinum illud datum Christo, dictum fuisse acetum cum felle mixtum, quia tale erat; myrrhatum verò, quia in myrrhino poculo propinatum.

Gustauit Christus, sed non bibit: quia gustauit quidem mortis amaritudinem, sed paulò pòst resurrexit, vt inquit Hieronymus. Qui dicunt, vinum illud surripere vsum rationis, atque suauissimum extitisse, aiunt pariter, noluisse Christum bibere, quia voluit omnem experiri passionem, essèque, vt dixit Isaias Propheta, vir dolorum,

Digitized by Google

rum, & ſciens infirmitatem, nullamque habere conſolationem.

Alij ſic: Myrrha propter ſuam amaritudinem pœnam ſignificat; ſed hæc duplex eſſe poteſt: altera, qua impij cruciantur interiùs & exteriùs in præſenti & in altera vita, quæ eſt in traiectione myrrhæ, quæ amaricat & inficit vniuerſum palatum, guttur & ventrem. de iſta in illorum perſona dicitur Thren. 3, 15. *Replenit me amaritudinibus, inebriauit me abſynthio.* & huiuſmodi fuit comminatus Dominus per Ieremiam dicens: *Ecce ego cibabo populum iſtum abſynthio, & potum dabo eis aquam fellis.* Altera pœna eſt temporalis, quæ cruciat quidem, ſed ad tempus; poſt quam ſequitur conſolatio: iſta potantur iuſti, & non deglutitur; quia in tribulationibus interiùs lætantur Deum habentes conſolatorem. Voluiſſent quidem Iudæi Chriſtum tradere cruciatibus æternis, illisque quibus interiùs impij cruciantur, ſed noluit ſe illis ſubijcere qui habet claues mortis & inferni, & poteſtatem ponendi animam ſuam, & iterùm ſumendi eam; benè tamen tranſeuntem ſuſtinere voluit, ideò dicitur, amarum illud poculum guſtaſſe, ſed minimè bibere voluiſſe: & eſt quod ſuprà diximus ex Hieronymo. Ideò facto illo videtur Chriſtus ſic inimicos ſuos fuiſſe allocutus: *Sat mihi perſpecta eſt ineffabilis veſtra in me indignatio, qua, præter cruciatus quibus me affligere poteſtis, etiam doloribus & pœnis inferni ſubijcere me velletis; ob hoc enim vinum iſtud mihi propinatis, in quo, præter myrrham, fel quoque commiſcuiſtis amariſſimum: at ego, qui, licet circumdari potuerim doloribus inferni, prout aliquando confeſſus ſum in Pſalmo 17, 6. ob vehementiam amaritudinis cordis veſtri, ſubijci tamen illis minimè potui. Guſtabo quidem vinum, in quo myrrha eſt: cuius amaritudo etſi maxima ſit, guſtu tamen dumtaxat attingitur; at nequaquam illud bibam, cùm fel quoque ei admixtum ſit, quo impij potantur, qui in profundum detruduntur inferni. Ex his patet, quid dicendum ſit ad propoſitas difficultates; pro quibus, ſi plura ſcire deſideras, conſule citatos Auctores.*

Pœna duplex, interior & exterior.

Ierem. 9, 15.

Odium Iudæorum in Chriſtum.

Ad hæc, in loco iſto nedum creditur propinatum fuiſſe Chriſto myrrhatum vinum modo explicato, ſed etiam maiori opprobrio fuiſſe affectum, illum propriis veſtibus coram numeroſiſſima multitudine exuendo, vt anteà monuimus ex teſtimonio omnium Euangeliſtarum. De quo opprobrio conſule Carthagenam loco citato.

In huius loci camera ſunt quidem optimè flores aliaque ornamenta depicta, ſed figuræ & inſcriptiones nullæ. De iſto loco Adrichomius in Deſcriptione Ieruſalem num. 250. hæc habet: *Hic Chriſto veſtimenta, quæ iam ſaucio eius corpori & concreto ſanguini inhærebant, non ſine vulnerum renouatione (quæ maiorem quàm prima vulneratio ſolet inferre dolorem) extracta ſunt. Atque ibidem, donec quæ ad erigendam crucem erant neceſſaria pararentur, nudus, crudis vulneribus, vento & frigori expoſitus ſuper lapidem, vt tradunt, ſedens, vino myrrhato felle mixto potatus eſt.* Scio tamen aliquos opinatos, Chriſto infrà in pede montis, & loco qui dicitur Carcer Chriſti, de quo ſuprà Cap. XIII. fuiſſe myrrhatum vinum propinatum; quod non auderem improbare, ſicut nec modò dictum poteſt ratione reprobari.

Arcus Occidentalis huius loci eſt craſſitiei ſiue latitudinis pal. 4. vnc. 4. ſunt in eo depictæ duæ figuræ Prophetarum cum ſuis ſententiis: quæ à parte Aquilonari eſt Abdiæ, cum ſententia ex ſua prophetia deprompta:

POTABV
NT OMS
GENTES
VINVM
ET
ERVNT
QVASI N̄
ESSENT
IN MONTE
V SYON
ERVNT I
N SALVTE
M.

Quæ verò eſt in Meridionali plaga eſt Sophoniæ cum ſequenti vaticinio ex capite 1. eiuſdem accepta:

TIMEAT A FA
CIE DN̄I QVA
PPE E DIES
DN̄I: QMPA
RAVIT DN̄S
VICTIMA SV
VOCAVIT OP
TIMATES SV
OS.

Alte-

Alteram præcipuam partem ſacri montis diſtinguimus ſimiliter ac præcedentem in duas partes. In priori & Orientali eſt ſacratiſſima rupes à reſiduo pauimenti ſacelli eleuata palmis 2. tota plana, ſtrata dolatis albis marmoribus à principio eius vſque ad murum: cuius latitudo eſt palm. 9. vnc. 4. longitudo eſt palm. 11. in eius medio eſt ſacratiſſimum illud cauum, in quo Chriſtus cruci affixus fuit, poſitus & eleuatus, & omnia præſtitit, quæ acta in cruce referuntur ab Euangeliſtis quoad emiſit ſpiritum: quare hinc inde oportuit erecta fuiſſe alia duo patibula pro duobus latronibus, qui cum Chriſto crucifixi fuerunt; vnum à dextris pro bono, & alterum à ſiniſtris pro malo latrone: ad quod indicandum, ſupra ſacram rupem hinc inde ſunt poſitæ duæ cruces; & non longè ab eo loco, de quo ſtatim, oportuit ſteriſſe Centurionem, milites, ſacerdotes, Scribas, Phariſæos & alios cuiuſcumque nationis; & in primis ſanctiſſimam Deiparam cum Ioanne & Magdalena: quem non diſtare locum Adrichomius in Deſcriptione Ieruſalem num. 253. ait: *Hîc B. Maria cum Ioanne, Magdalena & aliis mulieribus firma mentis fideiq; conſtantia ſtetit, quindecim vlnis, quæ nunc octodecim gradibus metiuntur, à cruce Domini ſeparata; vbi, iuxta Simeonis vaticinium, animam eius doloris gladius tranſiuit; & corporis dolores, quorum in partu & morte fuit expers, animi doloribus duplicauit. Ibidem verbis Chriſti Ioanni eſt commendata, & Ioannes in Mariæ filium adoptatus: qui locus, vt ceteri, pia adhuc veneratione à fidelibus decoratur.* Sic ille. Arbitror ego, hæc, vt dixi, accidiſſe in hac montis parte, quorum in pauimento ſigna oſtenduntur.

Cauum crucis rotundum eſt exciſum in duriſſima rupe, vt experti, & qui ſimplicem abſque ornamento viderunt, teſtati ſunt; nunc totum opertum eſt lamina argentea; & quæ deſuper eſt patella per diametrum eſt vnciarum 11. vna dimidia minùs: diameter inferius, id eſt ipſiuſmet cui, eſt vnc. 5. cum dimidia; illius profundum eſt palm. 1. & 5. vnc. circumcircà ſunt eleuatæ figuræ cum litteris Græcis, vt hîc tibi ſubijcimus.

Hic inſerendum exemplar argenteæ patellæ, qua opertum eſt cauum ſanctæ Crucis.

A latus

Digitized by Google

Digitized by Google

Portrait of a woman together with a manuscript of a Book of Hours, Flemish, 1500-1525. Oil on panel. Rogers Fund, 1917 (17.190.1). Image © The Metropolitan Museum of Art. Image source: Art Resource, NY

Digitized by

A læua est sciſſura montis facta in morte Christi, quando petræ sciſſæ sunt, diuidens inter Christum & malum latronem: illius longitudo apparens est palm. 6. profunditas palm. 1. latitudo non est vbique vniformis; tamen vbi maior est, erit 10. vnc. & sanè ad palmum non pertinget: ab ista ad cauum est distantia palm. 5. vnc. 8. à cauo ad extremitatem altaris in medio est planum palm. 4.

In capite erant olim picturæ cum litteris mysterium ibi operatum repræsentantes, vt, etsi ferè consumptæ sint, potui dijudicare. In camera huius sacelli ferè consumptæ picturæ; tamen aliqui Angeli & fragmenta cernuntur, ad hoc ibi delineati, quasi illi in morte Christi spectatores dolentes exiterint, iuxta illud Isa. 33, 7. *Angeli pacis amarè flebant.* In præsentia camera altaris & paries sericis tapetiis vestitur, in quo est depictus Christus in cruce cum Maria matre eius à dextris & Ioanne à sinistris: sunt etiam ibi duo parua altaria, alterum à dextris, alterum à sinistris sacræ rupis & altaris Domini; in quibus sacerdotes Græci celebrant, numquam tamen in altero loco, vbi summus Sacerdos semel seipsum obtulit immaculatum Deo viuenti.

A latere Aquilonari est arcus, & in eo ostium per quod intratur ad habitacula Græcorum custodum sacratissimi loci. In extremitate arcus est aliud ostium & scala ascensus & descensus sacri montis. Sub arcu erant duæ figuræ cum suis sententiis, in præsentia vnica dumtaxat, quæ ferè consumpta videtur, cum sequentibus Græcis litteris Amos Prophetæ; ex quibus deprehenditur, imaginem esse eiusdem Prophetæ.

✠ ΑΠΕΔΟ͞
ΣΑΡΓΥΡ
ΩΤΟΝ
ΔΙΚΑΙ
ΟΝ. ✠

Hoc est,

Amos 2,6. VENDIDERVNT ARGENTO IVSTVM.

Circa alterum arcum, qui hunc è regione respicit, de quo diximus suprà, subtus repræsentare sacrificium Abrahæ, ex ista parte adhuc sequentes visuntur litteræ:

HIC HVMILIS ....
ORO IVRE QVIDĒ MORIOR
DIGNA SATIS PATIOR.

Tomvs II.

TYPIE ĊVR PACE ....
S' RESPICEEI AGAREI REX
MISERERE MEI.
EN ERIS IN CÆL ....
DEI MERITO XPC AIT SVBITO.

Ab altari, vbi est cauum crucis, vsque ad pilam diuidentem & fulcientem hanc & alteram partem sacri delubri, est spatium palm. 11. columnæ latitudo & crassities explicata est suprà. A columna hac vsque ad alterum arcum Occidentalem est longit. palm. 15. vnc. 7. sicque tota huius partis principalis sacri montis longitudo erit palmorum 42. vnc. 7. latitudo palm. 17. vnc. 6. Circa vtramque partem, Orientali excepta, vbi sunt altaria, est parum eleuatus paries ad sedendum.

Sed ad arcum, qui in medio sacelli est, accedamus: hic subtus habet duos depictos Reges cum eorum nominibus & sententiis: qui in dextera, & Aquilonari, est Salomon cum sententia ex cap. 9. Prouerbiorum desumpta:

SALOMON
SAPIENCIA
EDIFICAVIT
SIBI DOMV̄
EXCIDIT COLV̄
NAS SEPTEM.
....
MISCI.

Qui in sinistra, & Meridionali parte, est Dauid cum sententia accepta ex Psalmo 40.

DAVID QV
I EDEBAT
PANES ME
OS MAGN
IFICAVIT
SVPER ME
SVB PLAN
TACIONĒ.

Supra hunc arcum, qui est parum ex parte Occidentali eleuatus, sunt depictæ quinque

Digitized by Google

Sanctorum figuræ à medio corpore vsque ad caput: quæ in medio, est Sancti sanctorum Christi Domini, proxima huic à dextera, suæ sanctissimæ Matris, à sinistris, Præcursoris eiusdem; aliæ fere consumptæ: quare quorum Sanctorum essent, diiudicare non potui. Pauimentum prioris huius partis est simplicibus marmoreis tabulis albis stratum; sed alterius, quod cum isto continuatur, opere musaico eleganter elaborato est stratum, quòd fortè hìc steterit Virgo-Mater iuxta crucem, &c. vt dictum fuit: in medio est circularis lapis, qui ad aliquid repræsentandum, vt alij similes, positus creditur.

Sed in quo situ, in quáve parte crucis manebat sanctissima Deipara, dum in ea pendebat Filius eius? Bernardinus Bustius in suo Mariali Ser.6. Part.3. respondet, stetisse ad sinistram eius ad Aquilonem orantem pro peccatoribus, & ideò ex hac parte debere depingi. Vocat verò partem Aquilonarem respectu crucifixi sinistram, quia credit Christum in cruce facie Orientem respexisse; & ad hoc citat Alexandrum de Alas in Psalmos, & illud Psalmi 141, 5. *Considerabam ad dexteram, & videbam, & non erat qui cognosceret me.* Si verò beata Virgo fuisset à dextris Christi, non id dixisset, quoniam optimè illum cognoscebat.

Sed enim, inquit de his loquens Ioannes Molanus de sacris Imaginibus lib.4. cap.8. *id magis inter opiniones referendum est, quàm solido nitatur fundamento.* Et meritò; etenim receptus in Ecclesia vsus depingendi Deiparam ad dexteram Christi refragatur. Ad idem faciunt rationes quas adducemus Capite sequenti, quibus probabimus, bonum Latronem pependisse in cruce à dextris Christi.

Nec suffragatur dictum Psalmi: illo enim nolebat indicare Saluator, quòd nullus, qui in eius dextera parte esset, illum cognosceret, quia parũ hoc illius referebat; & si voluisset cognosci, satis fuisset, cognoscentem esse in dextera vel sinistra parte, vt verè erat B. Virgo, vt constat ex Euangelio; sed volebat significare, neminem tunc à dextris eius esse, qui suam calamitatem cognosceret, & opem ferret: & hoc verissimum, neminem fuisse, & ab omnibus derelictum. Et si de simplici cognitione intelligatur, Mater eximenda est, de qua non dubitandum. Non benè etiam dixit, Christum in cruce Orientem respexisse.

Frater Brocardus de monte Sion inquit: *Beata Virgo Maria non stetit sub crucè ad Aquilonem, vt quidam fabulantur, sed contra faciem Filij ad Occidentem, aliquantùm tamen declinans ad Austrum: monstratur enim vsque hodie locus, & à fidelibus veneratur, vbi cum aliis mulieribus ipsa stetit.* Quantum ex huius descriptione coniicio, videtur hic Auctor loqui de loco vbi erat B. Virgo quando Christus crucifigebatur, quia illi conuenit descriptio allata. Verùm ex supradictis constat, haud ibi stetisse B. Virginem.

B. Virgo vbi steterit iuxta crucem.

Crederem probabiliter, vel stetisse in Aquilonari & dextera parte, vt nobiliori; quod omnes communiter picturę veteres ac recentiores Occidentalis & Orientalis Ecclesiæ demonstrant; vel, etiam probabiliùs, in Occidua parte ante faciem dilecti Filij, ipsum cõpassionis oculis respiciendo, vt à Filio commiseratione ducto similiter respiciebatur, qui eamdem allocutus dixit, *Mulier ecce filius tuus*, & proximo discipulo Ioanni commendauit illis verbis, *Ecce mater tua.* Hoc notauit antiquitas, dum antè indicato signo sacelli pauimentum notauit. Et hoc videtur significare ex veteri traditione Sanutus lib.3. Part. 14. cap. 8. dicens: *Locus, vbi stetit B. Virgo cum ceteris mulieribus iuxta crucem, non fuit sub brachio crucis ad Aquilonem, vt multi putant, sed ante faciem Filij panè ad Occidentem: & ostenditur sub rupe predicta locus ille.* atque impletum illud Cant.7,10. *Ego dilecto meo, & ad me conuersio eius.* Idem alij sentiunt. Nec obstat, quòd dicatur stetisse, vel etiam pingatur in Aquilonari plaga crucis; quia hoc ideò dictum & factum, quia vergebat fortè ad Aquilonem: vel, vt ostenderetur, nullo modo in æqua parte stetisse, in opposita dextera collocata fuit.

Non ineptè obseruarunt aliqui, in isto pauimento à latere dextro crucis esse elaboratum viridem ramum, & ex altero diabolum serpentémve quempiam suffocantẽ, ad designandam diuersam sortem eorum qui cum Christo crucifixi fuerunt: quorum alter, qui à dextris, cum Christo admissus fuit ad delicias paradisi; alter, qui à sinistris, in profundum laci cum angelis apostaticis proiectus.

Camera similis proximæ alterius sacelli, cum floribus, &c. sed ferè diruta & fumo consumpta; quod fortè ibi quondam infideles, quando ceperunt sanctam Ciuitatem, ignem accenderint, vt quidam dixerunt. Sub arcu Aquilonari huius sacelli sunt picti duo Prophetæ cum suis nominibus & inscriptionibus: qui in Orientali parte, est Isaias cum sua sententia:

VERE LANGVO — Isa. 53.
RES NRŌS IS

Digitized by Google

ET VLTE TO
OLORES NRO
S ISTE PORT
AVIT SE AVE
VLNERATE
SPPTNIQVI
TATES NRAS E
TLVORE EI' S
NATI SVM'.

Qui in Occidentali verò, est Habacuc cum sequenti vaticinio:

Habac. 3. 4.

SPLENDOR EI'
VLVX ERIT
CORNVA IN
MANIB' EIV'
IBI ABSCOND
ITA FORTT
VDO EIV' ANTE
FACIE EI' IB
IT MORS.

Sub vltimo, & Occidentali parte huius sacratissimi loci, à parte dextra & Meridionali est sancta Helena in habitu Regio & Imperiali cum diademate: in dextera eius manu longa est crux ad instar hîc descriptæ, & in sinistra sphæricus globus; in cuius medio est rubea crux cum hac inscriptione:

h ELENA REGINA.

E regione & Aquilonari parte eiusdem arcus est Heraclius Imperator habitu Imperiali indutus, cum diademate quo solet Ecclesia condecorare Sanctorum capita; & in manibus habet, vt Helena; Crucem & Orbem, cum sequenti inscriptione:

€RACLIVS IMPERATOR.

Et optima quidem ratione vtriusque Principis memoria Ierosolymis, & singulariter in hoc sacro monte, conseruata fuit: Helenæ quidem, quoniam ipsa sanctam Crucem inuenit, & è sordibus in lucem redire fecit, vt suprà de loco inuentionis eiusdem sanctæ Crucis agentes pluribus explicuimus. Et ampliùs, eiusdem Imperatricis opera festum Exaltationis sanctæ Crucis institutum fuit, vt tradit Nicephorus lib. 8. c. 28. *Crucis partem maximam*, inquit, *diuina Helena argenteæ ciſtæ inclusam, Episcopo ad memoriam posterarum generationũ reliquit, vbi etiam sacram Exaltationem quotannis peragendam sanxit.* Et hoc sano modo intelligè; quia videlicet sancta Imperatrix apud Pontificem vel Episcopos operam dedit, vt institueretur, vel si institutum anteà à Pontifice fuit, vt euulgaretur atque obseruaretur, Imperiali decreto mandauit: aliàs namque non ad sæculares Principes, sed spirituales & Ecclesiasticos sacras festiuitates instituere spectat.

Festum Exaltationis S. Crucis opera Helenæ institutum.

Heraclij similiter hîc meritò memoria conseruata fuit; quia cùm adhuc bonus Deoque charus esset, eiusq; impleret voluntatem, Ierosolymam ab infidelium tyrannide liberauit, & sanctam Domini Crucem à Chosroë Persarum Rege ereptam recuperauit, & recuperatam, miraculo etiam in hunc sacrum montem detulit, & exaltauit, vt plures tradunt Historici; & narratur in Romano Breuiario in festo Exaltationis sanctæ Crucis.

CAPVT XL.

Bonum Latronem pependisse à dextra Christi in cruce.

CAllidi & astuti Iudæi, vt notauit Theodoretus Serm. 10. de Prouidentia, volentes Christi iustitiam modis omnibus occultare, non sunt sola crucis morte contenti, sed cum sceleratissimis hominibus associant eum, vt eorum similis reputaretur, imò locum medium ei dant, vt inter sceleratos primum locum eum habere omnibus significent; & consequenter, ipsi ab inuidiæ & iniustitiæ nota liberarentur; quòd non iustum, sed maximè facinorosum morti tradiderint; etsi in eo facto alia fuerit mens Spiritus sancti, & illius qui inter eos crucifigi voluit, vt posteà ex sanctis Patribus indicabimus, & vt impleretur Prophetia Isaiæ: *Et cùm sceleratis reputatus est.* Isa. 53. 12. Fuerunt quidem cum Christo alij duo nequam & latrones perditissimi crucifixi; sed vnus ex illis, pœnitentia ductus, fructum sanguinis Christi percipiens, bonus euasit, & salutem consecutus fuit; alter in malo perseuerans, ad æternas inferni pœnas damnatus fuit. Quæstio circa ista oritur, quis-

Iudæi quòque inter latrones Christum crucifixerunt.

quisnam ex illis tenuit dexteram, & quis sinistram partem Iesu crucifixi. Respondeo, Euangelistas, qui omnes huius opprobrij meminerunt, nihil quidem dixisse ad difficultatem, sed tantùm cum Christo crucifixos fuisse duos latrones, vnum à dextris, & vnum à sinistris; at quisnam ex illis fuerit ad dexteram, & quis ad sinistram, non expresserunt: sed verè à dextris pependisse cum Christo bonum Latronem, & malum à sinistris, cum communi traditione supposuimus duobus proximè precedentibus Capitibus. Et quoniam huic traditioni & veritati contradictum fuisse vidimus, placuit illam hîc multipliciter probare.

Bonum Latronem pependisse in cruce à dextra Christi probatur.

Dextra symbolum misericordiæ.

Et primò ratione. Dextra pars misericordiam significat; hinc Dauid Psal. 117,16. dicebat: *Dextera Domini fecit virtutẽ, dextera Domini exaltauit me.* & Cant. 2,6. *Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Vbi læuæ appellatione aliqui iustitiam sponsi intelligunt: quia breuis & arcta est, sub caput tantùm pertingit, *Læua eius sub capite meo*; at misericordiæ dextera circumquaque cingit & complectitur, *Et dextera illius amplexabitur me*; quia *superexaltat misericordia iudicium*, vt dixit S. Iacobus. Hinc qui in extremo iudicio misericordiam consequentur, statuentur à Christo à dextris eius, vt reprobi à sinistris. Igitur cùm bonus Latro fuerit à Christo misericordiam & Regnum Dei consecutus, meritò à dextris eius pendere debuit in cruce, vt alter reprobus à sinistris, quoniam ad æternos cruciatus fuit adiudicatus.

Iacob. 2, 13.

Dextera sinistrâ dignior.

Confirmatur; quia dextera dignitate sinistram excellit, secundùm sanctum Hieronymum in cap. 1. ad Ephes. & Ambrosium Ser. 61. Quare in Genesi legimus, dum Patriarcha Ioseph ad patris sui dexteram filium suum Manassen collocasset, sanctum senem, Ephraim præferre volentem, manus commutasse, ac dexteram super Ephraim, sinistram verò super Manassen posuisse, quem inferiorem futurum prænuntiauit. Et Dei sponsa & Christus, à dextris Dei sedere dicuntur; quoniam illis eminentior locus & gloria à Deo parata est. Igitur cùm nobilior locus bono Latroni deberetur, debuit à dextris Christi in cruce pendere.

Christus inter latrones crucifigi cur voluit.

Secundò probatur auctoritate sanctorum Patrum: qui, dum assignant rationem, quare Deus & ipse Christus voluit inter latrones crucifigi, idem significant. Sanctus Leo Serm. 4. de Passione Domini: *Vt etiam in ipsa patibuli specie monstraretur illa, quæ in iudicio ipsius omnium hominum est facienda discretio, cùm & saluandorum figuram fides credentis Latronis exprimeret, & damnandorum formam blasphemantis impietas prænotaret: nam Christus Filius Dei cruci, quam etiam ipse gestarat, affixus est, duobus latronibus, vno ad dexteram ipsius, alio ad sinistram similiter crucifixis.*

In eamdem sententiam sanctus Augustinus Tract. 31. in Ioan. *Ipsa crux, si attendas, tribunal fuit: in medio enim iudice constituto, vnus latro qui credidit liberatus, alter, qui insultauit, damnatus est. Iam significabat, quod facturus est de viuis & mortuis, alios positurus ad dexteram, alios ad sinistram.* Quibus verbis significant sanctus Leo & sanctus Augustinus, Latronem bonum à dextra, malum à sinistra Christi pependisse.

Clarissimè idem dixit sanctus Vincentius Ferrerius Serm. de bono Latrone, dum assignat rationem conuersionis boni Latronis. Supposito enim, quod anteà diximus, Christum in cruce Occidentem respexisse, ait, fidelem & bonum Latronem ad dexteram Christi fuisse versus Aquilonem, & ideò in Meridie vmbram corporis Christi obumbrasse illum, & virtute illius, sicut vmbra Petri infirmos sanabat, vt refert D. Lucas, Latronem excitatum fuisse ad se in Christum conuertendum: quod prædixisse videtur Dauid, dum, in persona Latronis loquens, Psal. 139,7. ait, *Exaudi Domine vocem deprecationis meæ* (deprecatio erat: *Memento mei Domine, cùm veneris in Regnum tuum*) & continuò subiungit: *Domine, Domine virtus salutis meæ, obumbrasti super caput meum in die belli.* quasi diceret: Vmbra tui sacri corporis cooperuisti me; quæ, ad deprecationem hanc efficiendam, virtutem ac vires subministrauit.

Bonum Latronem quomodo fuit ad Christum conuersus.

Denique omnes picturæ Ecclesiasticæ confirmant, probatque communis omnium fidelium persuasio.

Ex his meritò, vt inquit Gretserus lib. 1. de sancta Cruce, inter paradoxa plusquam Stoica referenda est opinio Adriani Iunij (nisi potiùs, inquit, lapsum memoriæ vel inconsiderationem nominare velimus) qui, vt refert Ioannes Molanus De Picturis lib. 4. cap. 9. existimauit bonum Latronem à sinistra, malum à dextra Christi pependisse; ita enim canit in sua Anastauroси, siue Passione Seruatoris:

Bonum Latronem à sinistris Christi pependisse retulerunt.

Dexter latro conuitiis
Diris, Christum lancinat,
Pacem siniſter expetit,
Atque inuenit facillimè:
Palmis decussatis Iacob
Heredij sic ius dedit
E liberis læuo.

Egregia certè noui commenti probatio, inquit Gretserus; quasi verò Ephraim & Ma-

Manaſſe fuerint typi & figuræ latronum: licet enim Patriarcha Iacob inter benedicendum manus in crucis ſpeciem conformarit, vt ait ſiue tradit D. Damaſcenus libro 4. cap. 12. & alij; non tamen neceſſe eſt, vt duo illi nepotes, alter ad ſiniſtram, alter ad dexteram, repræſentarint duos latrones in cruce; alioquin alterum tantummodò benedictum oportuit, ſicut vnus dumtaxat ex latronibus benedictionem accepit; at certum eſt, vtrumque benedictionem ab auo accepiſſe, licet is qui erat ad ſiniſtram, nempe Ephraim, præpoſitus fuerit ei, quod ad benedictionis amplitudinem attinet; qui erat ad dexteram, videlicet Manaſſe.

Dignum obſeruatione eſt, Ephraim alteri non vt ſiniſtrum, ſed vt dexterum, præpoſitum eſſe; quandoquidem Iacob manibus decuſſatis cancellatisque dexteram impoſuit ſuper caput Ephraim, & ſiniſtram ſuper caput Manaſſe; vt quia ſitum mutare non poterat corporis tranſlatione, mutaret manuum tranſpoſitione: quo ipſe ſatis indicauit, ad dexteram eſſe debere, qui alteri vel ſimpliciter vel aliqua ex parte præponatur.

Quos duo illi filij Ioſeph velut typo quodam præſignificarint, docet his verbis ſanctus Hieronymus in cap. 31. Ieremiæ: *Ephraim in typo eſſe populi de gentibus congregatis, Scriptura teſtatur: fuit enim poſterior filius Ioſeph, & ſurripuit primogenita Manaſſe, qui natura primitiuus erat; ſed in myſterio crucis decuſſatis manibus, qui ſtabat ad ſiniſtram Iacob, dextra manus eius ſuſcepit benedictionem; & qui ſteterat ad dexteram, ſiniſtra benedictus, in ſecundum redactus eſt gradum. Et quomodo Iacob Eſau, ſic Ephraim Manaſſe rapuit primogenita.* Hactenus ille. Et de propoſita difficultate ſatis.

CAPVT XLI.

De ſciſſura montis Caluariæ facta in morte Chriſti, quæ duodecimò occurrit in prima Peregrinatione.

Multa prodigia in Chriſti Paſſione.

MVlta, eaque memoranda illuſtriaque prodigia in Chriſti dolorosa paſſione apparuerunt, quibus indicabatur, non purum hominem, ſed verum Deum & hominem eſſe qui patiebatur: ex quibus quædam mortem eius præceſſerunt, alia in morte & poſt mortem contigerunt; ſingulorum ſacri Euangeliſtæ & nonnullorum alij, etiam ex profanis ſcriptoribus, mentionem fecerunt: de quibus & nos, Deo dante, in conſiderationibus agemus. In præſenti de altero dumtaxat ex his, quæ poſt illius mortem acciderunt, ſermonē inſtituemus, de petrarum videlicet ſciſſione, quoniam ad hoc, de ſciſſura ſacri montis Caluariæ tractantes, compellimur, quæ Chriſto exanime in cruce pendente facta perhibetur, & in præſentia ab omnibus videtur, coque intuitu inuiſitur.

Notandum itaque, quod D. Matthæus, loquens de ſignis quæ acciderunt in morte Chriſti, & huius meminit illis verbis: *Et ecce velum templi ſciſſum eſt in duas partes à ſumme vſque deorſum: & terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt, & monumenta aperta ſunt: & multa corpora Sanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt.* Matth. 27. 51. 52.

Terræmotus vniuerſalis in morte Chriſti.

Ille terræmotus non modicus, ſed magnus, non particularis in Ieruſalem & Iudæa, ſed vniuerſalis, & in aliis mundi partibus. In Bithynia enim ex terræ motu duodecim ciuitates corruerunt, teſte Euſebio in Chron. To. 2. & Phlegone ibidem. Eiuſdem meminit etiam Plinius lib. 2. cap. 84. dicens: *Maximus terræ memoria mortalium extitit motus Tiberij Cæſaris principatu, duodecim vrbibus Aſiæ vna nocte proſtratis.* & Michaël Syngellus refert, Dionyſium in Ægypto agnouiſſe inſolitam ſolis eclipſin & tremorem terræ. Eiuſdem etiam terræ motus alibi extant memoriæ ſigna: in quo quidem magno hiatu aperta fuit terra, rupti montes, & petræ ſciſſæ fuerunt.

B. Hieronymus To. 3. Epiſt. 150. quæſt. 8. ſcribens ad Hedibiam, & in Matth. 27. Tomo 6. ex Euangelio Hebraicè ſcripto, referente Salmerone, dicit; quando templi velum ſcinderetur, lapidem infinitæ magnitudinis de templi ſuperliminaribus cecidiſſe, in ſignum futuræ deſtructionis templi: verùm in iis locis nil legi de memorato lapide magno; benè ex Euangelio Nazaræorum, quod in Latinum tranſtulit ſanctus Doctor, habemus; illo terræmotu templi ſuperliminare collapſum eſſe; tum & Angelos, præſides templi, auditos eſſe dicentes: *Tranſeamus ex his ſedibus.* & ad Hedibiam inquit: *In Euangelio autem, quod Hebraicis litteris ſcriptum eſt, legimus, non velum templi ſciſſum, ſed ſuperliminare templi mira magnitudinis corruiſſe.* Vbi nihil de lapide illo: num apud alios vidit? Hoc ſuperliminari forte indicantur marmoreæ illæ tabulæ, inſtar columnarum per medium diuiſæ, ex Ieroſolymis Romam aduectæ, & in Baſilica ſancti Ioannis Lateranenſis collocatæ, quæ diuiſæ fuerunt in morte Chriſti, vt antiqua docet traditio. Illud & Euſebius in Chriſti Paſſione accidiſſe teſtatur, licet Ioſephus lib. 7. de Bello Iud. cap. 12. (inquit Baronius Tom. 1. ad annum Chriſti 34.) ad Pentecoſtes referat tempus: ſed in hoc, vt in aliis, lapſum dicit.

Mons Aluernia ſciſſus in Chriſti morte.

Item in Hetruria, facer Aluerniæ mons in Chriſti paſſione ſciſſus fuit, vt Angelus Domini B. Franciſco reuelauit; & ſciſſuræ adhuc, non ſine magna admiratione, inſpiciuntur: & alter ſimiliter prope littus campanum, Caietæ promontorium.

Deſcriptio ſciſſuræ Caluariæ montis.

Sciſſura Caluariæ facta in morte Chriſti; & eius.

Sed hoc præcipuè ſignum in ipſo Caluariæ monte, vbi Chriſtus patiebatur, apparuit: ibi petræ ſciſſæ ſunt, aperto ipſo monte, vt magnam rabiem crucifixorum contra Chriſtum deteſtaretur. Factam verò fuiſſe in morte Chriſti ſciſſuram illam, & de ea ſingulariter locutum fuiſſe Matthæum, docet Anſelmus lib. de Paſſione, & Cyrillus, Ieroſolymorum Epiſcopus, Catech. 13. illis verbis: *Hactenus Golgotha monſtrat, vbi propter Chriſtum petra ſciſſæ ſunt.* Alij idem, & in primis qui de locis ſanctis ſcripſerunt, vt Adrichomius in Deſcriptione Ieruſalem n. 252. & ante omnes Propheta Regius Pſ. 17, 5. dum dixit in perſona patientis Saluatoris: *Circumdederunt me dolores mortis, & torrentes iniquitatis conturbauerunt me*, &c. *Commota eſt, & contremuit terra; fundamenta montium conturbata ſunt, & commota ſunt, quoniam iratus eſt eis.*

De eius verò ſitu & conditione hæc accipe. Eſt ſciſſura iſta in ſiniſtra parte crucifixi, id eſt foraminis vbi crux plantata fuit, & dextra mali latronis, quaſi hunc peſſimum à Chriſto ſeiungens, à ſiniſtris cum hœdis perpetuò collocandum: palmo ampliùs patet, & duobus deſcendit, & ibi clauditur; inferiùs tamen deſcendit ad locum vbi caput Adæ fuiſſe humatum dicitur, & non ad alterum inuentionis ſanctæ Crucis, vt quidam arbitrati fuere.

Dicunt plerique, & ſcripſit etiam Adrichomius, eſſe immenſæ profunditatis, adeò vt per ipſam demiſſa bolide, fundum nequiuerit inueniri, atque ad infernum vſque deſcendat: ad indicandum myſterium, per ipſum montis foramen, blaſphemum, inquam, latronem vſque ad infernum deſcendiſſe, & omnes ei ſimiles eum ſecuturos fore; ſicut bonum vſque ad cælum adſcendiſſe, & alios, illius pœnitentiæ & virtutis æmulatores, eiuſdem gloriæ conſortes futuros.

Ego indicatæ relationis periculum quidem feci, ſed ſtatim etiam terminum inueni. An ſit ſciſſura ſordibus repleta, vel aliud ſit prohibens bolidis deſcenſum; vel verè ſciſſura minimè ad infernum deſcendat, penitus me later.

Digitized by Google

CAPVT XLII.

Præcellentia augustissimi ac sacratissimi Caluariæ montis ex Isaia Propheta.

INdicauimus iam Caluariæ montem non altum, sed humilem, non illustrem, sed vilem, non pulchrum & decorum, sed turpem, horridum maleque olentem fuisse, si naturalem illius conditionem consideremus & vsum, ad quem fuit ab hominibus deputatus; verùm si supernaturalem eiusdem consideramus statum, maiestatem, inquam, & dignitatem, quam diuino beneficio accepit, omnium terrarum orbis montium, seu locorum, celsissimus, maximus ac digniſſimus est. Et quamuis in præcedentibus ex parte explicuerimus illius excellentiæ rationem, quia electus à Deo in locum dilectissimi sacrificij, quoniam argumentum hoc digniſſimum atque augustissimum est, iucundum futurum arbitror Lectori, si alia ex sactis Litteris proposuero, quibus magis præcellentia & dignitas sacri huius montis elucidetur. Nam licet hunc tractandi modum non elegerimus; tamen, cùm sacer mons Caluariæ ex præcipuis locis de quibus in hoc Opere agimus, digniſſimus sit, meritò aliqua in eius commendationem explicare poterimus.

Singularis quædam Isaiæ ostensa.

Igitur Euangelicus Vates Isaias suarum Reuelationum cap. 25. plurium memorabilium sibi à Deo præmonstratorum mentionem facit: in primis cuiusdam nobilis vrbis omnino subuertendæ, & numquam restaurandæ; deinde nouæ cuiusdam ciuitatis, quæ nouis constare debebat ciuibus & nouo populo; ac denique cuiusdam digniſſimi montis, in quo mirabilia à Deo operanda prædicit Propheta: conuitium, inquam, pinguium omnibus populis præparandum, mortem, lacrymam, opprobrium auferendum ac præcipitandum esse denuntiat, ac tandem Deum ipsum ibidem vt Saluatorem recognoscendum. Et hæc quidem, adductis Prophetæ verbis, & ad intentum explicatis, dilucidè apparebunt.

§. I.

De ciuitate sacro Vati ostensa vastanda, nec amplius restauranda.

Ierusalem ciuitas vastanda, & non ædificanda.

ET à proposito priùs ordientes, Quænam est illa vastanda & non instauranda ciuitas? Regia, totoque orbi celebris, & totius Terræ promissionis caput & metropolis vetus Ierosolyma, per Titum & Vespasianum, Romanos Principes, cum suo magnifico templo demolita. Ita dicunt graues Auctores. Ista interpretatio negari non potest, cùm euentu probetur.

Duo dissoluuntur.

Duo nihilominùs contra illam obijci possunt, quæ proponenda & diluenda sunt, vt magis firma consistat. Alterum est, vrbem, de qua Propheta loquitur, prædici non ædificandam in perpetuum: sed Ierusalem non multò post illius vastationem reædificata fuit, & adhuc ciuitas est. Dices, quæ nunc extat non esse eamdem cum ea quæ fuit, sed aliam in alio situ à veteri vrbe reædificatam. Contrà, quia refragantur Historici, inquit Lyrensis, asserentes, præsentem Ierusalem in eodem situ fuisse constructam, vbi quondam vetus & destructa erat, paucis immutatis.

Primum.

Secundum.

Alterum, quod obstare potest, est, Isaiam gaudere Deoque immensas agere grates pro prædictæ vrbis destructione & perpetua desolatione. Et quî fieri potest, vt lætetur & gaudeat ille pro sanctæ ac dilectæ patriæ desolatione, qui anteà, huntiata sibi idololatriæ exteræque Babylonis destructione, totus immutatus & consumptus remansit? Ita ipsemet Propheta pluribus explicat cap. 21.

Responsio ad primum.

Ad primum respondetur, Ierusalem Iudaicam destructam verè fuisse, nec amplius reparatam, quemadmodum post Isaiam conceptis verbis prædixit Saluator nostet Luc. 19. & Matth. 23. & quæ fuit constructa ciuitas in destructæ situ, alia dici potest, & non pro Iudæis, vt illa. Ad quod fortasse indicandum, Helius Adrianus Imperator, diuino motus consilio, post illius extructionem, non amplius Ierosolymam, sed à suo nomine Heliam appellari voluit; interdicto insuper Iudæis sub graui pœna nedum in illam ingressu, sed ipso aspectu, vt docet S. Hieronymus, & nos alibi obseruauimus.

Adrianus quare Ierosolymam Heliam appellauit.

Responsio ad secundum.

Ad secundum dupliciter responderi potest: Primò, Isaiam Prophetam non affectione commodi, sed iustitiæ motum fuisse, vt virum iustum & sanctum decebat, non ad carnem & sanguinem, sed ad iustitiam & Dei honorem respexisse; ideoque cùm videret iustum sumi iudicium de impia Deoque ingrata Ierosolyma, etsi aliàs sibi dilectissima patria, humana pietate exutus, & zelo Dei armatus, pro illius præuisa vastatione ac perpetua desolatione, totus in Deum absorptus, gaudioque circumfusus, immensas quas potuit illi reddidit gratias. Verè enim dixit Regius Vates Psal. 57, 11. *Lætabitur iustus cùm viderit vindictam: manus suas lauabit in sanguine peccatoris.* Apositè ad hoc S. Bernardus Serm. 8. in Psal. *Qui habitat*, expendens verba illa Psal. 140.

Sanctissimum iustitiæ lætatur in peccatorum pœnis, quod de eadem naturali pietate obstantem.

Absorpti

Absorpti sunt iuncti petræ iudices eorum, ait: *Absorpti planè in affectum iustitiæ, & petræ soliditatem cui iuncti sunt imitantes: Iuncti, inquit, petræ; quam profectò solam vt sequerentur, cetera omnia reliquerunt*, &c. Quemadmodum aliquando sacer Vates, vt homo pius & misericors, humanâ compassionem ostendens, considerata ingenti Babylonis strage ac desolatione, ex compassione deliquium passus fuit, & defecit; præsertim quòd illa esset grauiter offensi Numinis argumentum: & hac ipsa ratione cùm æterni Patris Filius videret dilectam Ierosolymam, & perpetuam illius futuram desolationem, quia non cognouit tempus visitationis suæ, commota sunt viscera eius; & profusis lacrymis, dolorem ex illius ruina & Dei offensa omnibus testatum reliquit.

Iusti diuinæ voluntati conformes.

Secundò dici potest, sanctum Vatem gauisum fuisse, Deoque gratias egisse, non quidem propter suæ Ierosolymæ vastationem, ex sè minimè expetendam; sed quia illius destructio, alterius nobilioris ciuitatis & in perpetuum duraturæ ædificandæ omen erat. Et profectò demolitio Regiæ vrbis, sicut nec humani corporis dissolutio, haud est per se causa diuinæ laudis & gratiarum actionis, sed benè illius nobilior reparatio, & istius glorioſa resurrectio, quæ absque illa numquam fieret. *Scimus enim*, inquit sanctus Apostolus 2. Cor. 5, 1. *quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quòd ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cælis*, &c. Ideò iusti exultant, & Deo rèddunt gratiàs, cùm vident, vel regnum mundi & diaboli dissolui, vel sui tabernaculi depositionem imminere; quoniam ex illius dissolutione, sciunt Regnum Dei magis stabiliri ac dilatari, & ex illorum vitæ temporalis amissione, æternam sibi à Deo in futuro sæculo præparari. Hinc Christus Dominus, postquam discipulis suis prædixisset Ierosolymæ vastationem, ingentem Antichristi persecutionem, & totius visibilis huius mundi horribilem futuram mutationem, antequam veniat dies Domini magnus; quoniam hæc omnia poterant illos perterrefacere, nimioque timore concutere, ne viribus cadant animumque despondeant, ad spem gaudiumque concipiendum hortatur, propositis Regni Dei complemento & ipsorum perfecta salute, quæ ex tot malis euentura erant: *His autem fieri incipientibus*, dixit, *respicite, & leuate capita vestra; quoniam appropinquat redemptio vestra*, Luc. 21, 28. Ita dicendum in proposito, Isaiam lætari, agere Deo gratias, non quidem pro suæ vrbis destructione, sed pro melioris ædificatione; & quia iusta Dei iudicia impleri videbat. Et Prophetæ verba non oscitanter considerata, manifestè hoc indicant; sic autem habent: *Domine Deus meus es tu, exaltabo te, & confitebor nomini tuo; quoniam fecisti mirabilia, cogitationes antiquas fideles, amen. Quia posuisti ciuitatem in tumulum, vrbem fortem in ruinam, domum alienorum; vt non sit ciuitas, & in æternum non ædificetur. Super hoc laudabit te populus fortis, ciuitas gentium robustarum timebit te. Quia factus es fortitudo pauperi*, &c. Isaiæ 25, 1. In prioribus huius sententiæ verbis exprimitur quidem vrbis desolatio, quæ potuit esse tristitiæ occasio; sed in posterioribus, nobilioris vrbis & populi erectio causa exultationis.

De malis ob finem bonum iusti lætantur.

§. II.

De ciuitate reædificanda loco veteris destructæ, & à nouo populo inhabitanda.

ET, prosequentes alia iam proposita, Quænam erit ciuitas reædificanda, nouis inhabitanda ciuibus, nouo populo? Verissimè respondent, qui eam dicunt Ecclesiam Catholicam, quæ in sempiternum durabit, & portæ inferi aduersus eam præualere numquam poterunt; cuius ciues fideles sunt, populus robustus ac fortis gratia Saluatoris.

Sed à veritate haud recedere arbitramur, dicentes, ciuitatem hanc esse nouam nostram materialem Ierosolymam pro Christianis extructam, ab eisdem antiquitus & in præsentia habitatam, & in posterum, ablatis Christianorum discordiis deletisque peccatis, Deo placato, maiori cum gaudio, potestate ac numerositate incolendam. Nouam dico Iesusalem, Prophetarum Oraculis prædicatam, vt dicit Eusebius Cæsar. & ego alibi aduerti: quæ licet in veteris situ reædificata sit, alia tamen & noua ciuitas non immeritò dici potest; tum quia nouiter & pro nouis ciuibus ædificata; tum quia nouam formam obtinuit; tum denique, quia ex parte Aquilonari dilatata, muro erecto claudit loca illa dignissima, Caluariæ inquam montem & Dominicum Sepulchrum, quæ vetus excludebat Ierosolyma, vt Euangelista Ioannes & Paulus Apostolus indicant.

Ciuitas nouiter ædificanda, Ecclesia Catholica, & noua Ierusalem.

Præsens Ierusalem quare nouâ dicitur.

Dignissimam hanc & nouam vrbem habitabit Christianus populus, à Propheta *populus fortis, ciuitas robustorum*, nuncupatus; seu, vt adducta ex vulgata Lectione verba transtulerunt Septuaginta, *Propterea benedicet tibi populus pauperum; & ciuitates hominum iniquitatem sustinentium benedicent tibi*. Igitur nostræ egregiæ vrbis ciues fortes

Habitatrix noua Ierusalem conditio.

fortes & pauperes, robuſtos & ſuſtinentes iniquitatem prædicit Propheta: & profectò ſemper tales habuit, & habebit in poſterum noſtra Ieroſolyma. In primitiua quippe Eccleſia quàm pauperes erant Ieroſolymitæ fideles; nam, venditis omnibus quæ habebant, pretia ad pedes Apoſtolorum deferebant, & in communi viuentes, ex illis & ex aliis emendicatis eleëmoſynis illorum neceſſitatibus conſulebatur, vt in Apoſtolorum Actis legimus: & poſteà non niſi vt pauperibus illis ex eleëmoſynis prouiſum eſt, & in præſentia prouidetur, quemadmodum Libro 1. & 111. à nobis explicatum fuit. Et ſi verba Prophetæ intelligere ſingulariter vellemus, de Fratribus Minoribus iam ſupra tria ſæcula & modò in ſancta Ieroſolyma habitantibus, quàm appoſitè; quoniam verè pauperes ſpiritu, voluntate ac ſingulari profeſſione.

Habitatores Ieruſalem ſpiritu & re pauperes. ſed virtute fortes.

Sed ſi pauperes & abiecti, quomodo fortes erunt? vbi milites, vbi bellica inſtrumenta, quibus ſeipſos & ciuitatem b hoſtibus defendant? an non potiùs ſunt velut debiles & inermes oues in medio luporum? fortes ſunt iſti pauperes non corporis, ſed animi fortitudine, non armis ferreis, ſed heroicis virtutibus, non iniuriarũ illatione, ſed earumdem perpeſſione & virili tolerantia propter Chriſtum: & in his maior conſiſtit fortitudo, cùm à Sapiente ſcriptum ſit Prou. 16, 32. *Melior eſt patiens viro forti: & qui dominatur animo ſuo, expugnatore vrbium.* Et ſi illa fortitudine regnum cælorum, quod vim patitur, ſibi comparant fideles, *Beati* quippe *pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum*, vt dixit Saluator noſter; quare tales non dicemus illos, qui terrenam noſtram Ieruſalem, regni cælorum typum, inhabitant & cuſtodiunt, cùm tales profeſſione eſſe ſciamus?

Ieroſolyma quales fideles Antichriſti tempore.

Libẽtiſſimè etiam dicerem, Iſaiæ verba ſpecialiter reſpicere fideles, qui tempore Antichriſtianæ perſecutionis Ieroſolymis habitabunt; in quos magis deſæuiet Antichriſtus, ſpolians eos omnibus bonis, carceri tradens, morti vel fugæ: qui nihilominùs omnia patienter propter Chriſtum ferent, & in medio nationis prauæ atque peruerſæ fidei conſtantia, paſſionum tolerantia aliisque virtutibus illuſtres, velut lucernæ ardentes erunt in caliginoſo infidelitatis & peccati loco.

Ex Deo fortitudo noſtra.

Et vnde tantam habebunt iſti fortitudinem & virtutem? non niſi à Deo, Apoſtolo dicente Phil. 1, 29, *A Deo vobis donatũ eſt pro Chriſto, non ſolùm vt in eum credatis, ſed vt etiam pro illo patiamini.* quod priùs dixerat noſter Vates: *Quia factus es fortitudo pauperi.* Et ideò idem Vates digniſſimam hanc ciuitatem fortitudinis nomenclatura condecorauit, tùm ob illius inhabitantes ciues, tum ampliùs, ob illorum ductorem & fortitudinis largitorem Chriſtum; ſic enim dixit: *Vrbs fortitudinis noſtræ Sion Saluator, ponetur in ea murus & antemurale. Aperite portas, & ingrediatur gens iuſta, cuſtodiens veritatem*, Iſa. 26, 1.

§. III.

De monte Prophetæ oſtenſo, ac celebri conuiuio à Deo illuſtrando.

SEd vt ad id, cuius occaſione præmiſſa explicata fuerunt, noſtra ſe conuertat oratio: Quid ſignificat celebris ille mons, egregium conuiuium in eo à Domino præparandum, & alia, quæ ad iam præmiſſa ſubiungit Propheta hiſce verbis? *Et faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc conuiuium pinguium, conuiuium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemiæ defecatæ. Et præcipitabit in monte iſto faciem vinculi colligati ſuper omnes populos, & telam quam orditus eſt ſuper omnes nationes. Præcipitabit mortem in ſempiternum: & auferet Dominus Deus lacrymam ab omni facie, & opprobriũ populi ſui auferet de vniuerſa terra: quia Dominus locutus eſt. Et dicet in die illa: Ecce Deus noſter iſte, expectauimus eum, & ſalvabit nos: iſte Dominus, ſuſtinuimus eum, exultabimus, & lætabimur in ſalutari eius. Quia requieſcet manus Domini in monte iſto*, &c. Iſaiæ 25, 6. In horum explicatione non vna eſt omnium ſententia. Lyranus, per montem intelligit Sionem, per conuiuium, vltimam cœnam, quam in eo celebrauit Dominus, vbi inſtituit diuiniſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, in ſe habens omne ſpirituale delectamentum ſuis electis præparatum.

Mons & conuiuium apud Iſaiã quid ſignificet.

Prima ſententia, montem Sion, & vltimam Chriſti cœnam.

Hector Pintus, per montem, Sion & Eccleſiam intelligit, per conuiuium, Chriſti Euangelium: eſt enim verbum Dei animæ alimentum omnibus dapibus dulcius & præſtantius, Dauide dicente Pſal. 118, 103. *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, ſuper mel ori meo!* & Iſaia 2, 3. *De Sion exibit lex.*

Secunda, Eccleſiam & Euangelium.

Villalpandus Tom. 2. in Ezechielem p. 2. cap. 40. lib. 3. cap. 5. arbitratur, Iſaiam per illum montem intellexiſſe montem Moria, vbi fuit templum Domini ædificatum, vel ipſam etiam Catholicam Eccleſiam.

Tertia, montem Moria.

Theodoretus, Irenæus lib. 4. cap. 22. Origenes Hom. 23. in cap. 28. Num. Tertullianus lib. de Reſurrect. & Ephræm lib. de Compunct. intelligunt adducta Prophetæ verba de requie beatæ patriæ & cæleſtis Ieru-

Quarta, empyreum cælum, & Sanctorum gloriam.

Ierusalem. Itaque, secundùm istos, mons erit empyreum cælum, de quo dixit Dauid Psal. 14, 1. *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo?* conuiuium, cæleſtis gloria, qua beati æterno æuo fruuntur, satians omnem illorum appetitum. de qua dixit Dauid Psalmo 16, 15. Tunc *satiabor, cùm apparuerit gloria tua.* Sed sanctus Athanasius lib. de Incarnat. apud Leonem de Castro in Isaiam, ad Passionem Christi eadem retulit verba; & consequenter per montem, Caluariæ montem intellexit; per conuiuium, & alia relata, passionem Christi & quæ ex ea euenerunt intelligere debemus. Cuius sancti Patris vestigiis inhærentes, eamdem prosequemur interpretationem, tamquam alias non excludentem, sed omnes mirificè amplectentem.

Quinta, montem Caluariæ & Christi passionem intelligit.

Conuiuium Caluariæ quale.

Igitur dicamus primò: In monte hoc Caluariæ faciet Dominus exercituum conuiuium pinguium, hoc est, excellentissimum: verè tale fecit in monte Sion conuiuium, quando Saluator se incruentum dedit discipulis sub specie panis & vini. Sed non dissimile hoc Caluariæ, vbi occiditur vitulus saginatus, & non sub alienis speciebus occultatus, sed sub propriis cruentatus offertur, conuiuium inquam corporis & sanguinis Christi in mensa crucis; cuius illud Sionis typus extitit & figura.

Verbum Dei, conuiuium in Caluaria.

Secundò: Si conuiuij appellatione verbum Dei & Euangelium intelligatur, quo mentes fidelium pascuntur, vt salutem consequantur æternam, ad quod omnes inuitantur, quoniam iussit Dominus Apostolis vt omni creaturæ Euangelium prædicarent; & indicauit priùs in quadam parabola, secundùm Chrysostomum, in qua Dominus ipse conuiuij iterùm misit alios seruos, qui dicerent inuitatis: *Ecce prandium meum paraui, tauri mei & altilia occisa sunt, & omnia parata, venite ad nuptias*, Matth. 22, 4. vbi, quæso, vmquam vilius conuiuium fecit quàm in crucis cathedra, vbi septem illis efficacissimis verbis exemplo firmatis, velut septem suauissimis vitalibus cibis, omnem animam esurientem satiauit? plus namque illis profecit, vt verè opinantur graues Doctores, quàm præcedenti trium annorum prædicatione.

Verbum Dei, spirituale hominis nutrimentum.

Sunt sanè verba Dei rationalis creaturæ spirituale alimentum; sunt panis & aqua vita hominis, quibus, tamquam dilectam creaturam, nutrit ac fouet Deus, vt Ecclesiastici 15, 3. dicitur: *Cibabit illum pane vitæ & intellectus, & aqua sapientiæ salutaris potabit illum.* Sed, bone Deus, quàm ficcus panis, & aqua amara, diligere amicos, odio habere propinquos, adhuc & animam suam, relinquere omnia, & Christum nudum & spoliatũ sequi graui onustum cruce? verùm hæc mollia dulciáve redduntur, si Christi passione condiantur. Est Christi passio velut acetum, in quo Ruth illa Moabitis aridam panis buccellam intingebat, & ex labore ac æstu se recreabat viresque sumebat: est sal Elisei, quo aquæ Ierichontinæ, amaræ & impotabiles, dulces atque potabiles redditæ sunt. Et vt paruuli insipientesque filij magistri disciplinam, correptiones & verbera fugiunt, quia sensui iniucunda, & scientiæ pulchritudinem & fructus non nouerunt, quam tamen fructuosè apprehendunt, si pane dulcique cibo promoueantur à matre; ita aspera quæque ac iniucunda sensui, & rationis oculo haud benè perspecta, promptè magnaque cum suauitate percipiuntur. *Propter verba labiorum tuorum, ego custodiui vias duras*, Psal. 16, 4. Dauid, Stephanus, & alij, quia nouerunt, & audierunt Christum crucifixoribus ignouisse, pro eisdemque Patrem suum interpellasse, & ipsi inimicis suis offensas condonarunt, pro eisdem orarunt ac patrocinium susceperunt: quia Christus nudatus pependit in cruce ab omnibus derelictus, plerique cum Apostolis reliquerunt omnia, nudum Christum secuti.

Christi passione sua redditur.

Crux de Brinum Christi dulciorem facit.

Dicebant quidam apud semetipsos non rectè cogitantes, cogitantes tamen auferre per crucem Christum & doctrinam eius de terra: *Mittamus lignum in panem eius*, &c. Ierem. 11, 19. vbi Glossa ordinaria appositè satis ad intentum: *Cùm verbo & disciplina eius coniungitur crucifixio Magistri, in panem lignum mittitur; & illi quidem infidiantes dicunt: Mittamus lignum in panem eius. Ego verò inuisibile vel mirabile quoddam inferam, lignum missum in panem eius, panem fecit meliorem, id est doctrinam dulciorem; sicut lignum per Moysen missum in amaram aquam, fecit eam dulcem. Ante enim quàm mitteretur lignum in panem eius, quando tantùm erat panis, & non lignum, in omnem terram non exierat sonus eorum; sed postquam assumpsit fortitudinem per lignum, in omnem terram sermo passionis eius seminatus est.* & addit: *Ego autem autumo, legem non intellectam amaram esse aquam; cùm autem venit lignum Iesu Christi, & sermo Saluatoris in eam descendit, dulceratur.*

Crux Christi clauis intelligentia Scripturæ.

Et quomodo intellecta, nisi per Christum, qui aperuit sensum vt intelligeretur? & non alio medio quàm ligno crucis, quæ clauis in Scriptura nuncupatur: quoniam quemadmodum claui theca aperitur ac thesauri manifestantur; ita diuina mysteria in Scriptura abscondita virtute Crucis & passionis Christi manifestata fuere. *Et dabo* Isa. 22, 22.

clauem

clauem domus Dauid super humerum eius, dixit per Isaiam Dominus: *& aperiet, & non erit qui claudat: & claudet, & non erit qui aperiat.* Quæ verba expendens sanctus Hieronymus in Isa. 22. dixit: *Et hæc ipsa clauis erit super humerum eius, hoc est in passione,* Isaiæ 9.6. *iuxta illud quod in alio loco scribitur: Cuius principatus super humerum eius. Quod enim ille in sua passione reseranerit, claudi non poterit; & quod clauserit in carimoniis Iudeorum, à nullo alio aperietur.* & clariùs sanctus Augustinus Serm. 210. de Tempore: *Clausum erat*, inquit, *quia nondum clauis Crucis antecesserat: iam tempus erat, vt in mysterio Crucis omnia, quæ in veteri Testamento velabantur, reuelarentur.*

Hinc sapienter insipientes quidam dixerunt in libro Sapientiæ: *Contumelia & tormento interrogemus eum; vt sciamus reuerentiam eius, & probemus patientiam illius. Morte turpissima condemnemus eum: erit enim ei respectus ex sermonibus illius.* hoc est: Sæuo & inhonesto crucis tormento illum afficiamus, ex quo patienter passo cognoscemus reuerentiam, id est pietatem eius, vel ineffabilem mysterij in eo operati dispensationem, cuius gratia à Patre exauditum fuisse in cruce dixit sanctus Paulus; tuncq; sermones illius meritò excipientur. Sap. 2, 9. *Insipientiũ sapiens dictum.*

Obiectionis solutio. Scio post præmissa subiunxisse Sapientem, *Hæc cogitauerunt, & erranerunt: excæcauit enim illos malitia eorum*, &c. verùm hæc non obstant; optimè namque dixerunt; sed quia dicta non intellexerunt, nec ex Christi patienter tolerata passione fructum perceperunt, à malitia excæcati, ideò verè dixit Sapiens, illos in suis cogitationibus errasse. In quem modum Caiphas optimè dixit de Christo, *Expedit vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat*; quia mors Christi necessaria: illudque à semetipso non dixit, sed à Spiritu sancto motus; quia *cùm esset Pontifex anni illius, prophetauit*, inquit Euangelista Ioannes. Verùm omnes Doctores impiam atque iniustam sententiam fuisse asseuerant; quia ex deprauato affectu processit, ipsam non, vt debebat, intellexit, vt ex eodem Euangelista colligitur, & multò minùs ex eadem fructum percepit. Et vnde, quæso, magis cognitus Saluator noster nedum à iustis, sed etiam ab iniustis, & ipsismet dæmonibus, quàm passione? Hinc Doctor Gentium Apostolus Paulus, qui licet doctissimus esset, profitebatur tamen se nihil aliud scire, ac consequenter docere, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum, dicebat Corinthiis, Ioan. 11, 50. 1. Cor. 2, 2. 2. Cor. 3, 2. *Tamquam parulis in Christo lac vobis potum dedi.* Et quare lac suam appellat doctrinam, cùm esset de rebus arduis sensuique contrariis? quia erat morte Saluatoris in dulce ac suauissimum lac conuersa, quæ omnia dulcia & suauia reddit; vt mater amaram potionem in lac dulce infantulo suo conuertit. Hinc ad id respiciens quædam dicebat: *Meliora sunt vbera tua vino*, Cant. 1, 1. & alius: *Gustate, & videte, quoniam suauis est Dominus*, Psal. 33, 9. Optima ergo ratione, in Caluariæ monte egregium verbi Dei conuiuium præparatum fuisse dictum est. *Christi Dominus, quia passione eius dulcis reddita.*

Tertiò, si montem illum intelligis montem Moria, quia in eo Salomonicum templum ædificatum fuit, & Catholica Ecclesia præfigurata, multò excellentiùs potest eumdem de nostro Caluariæ monte intelligere, quòd Moriæ pars sit, vt alibi ostensum fuit; sed in primis, quòd in eo erectum sit Golgothanum & Resurrectionis Domini templum augustius illo Salomonis, & sancta Catholica Ecclesia ibidem in lucem edita, fundata & impinguata, & omnes fideles progeniti & enutriti. *Resurrectionis templum & Catholica Ecclesia in Caluario fundata.*

Indicauerat hoc ipse Christus, vnius Ecclesiæ Sponsus ac fidelium parens, in mysticis illis verbis cap. 8, 5. Canticorum Salomonis, *Sub arbore malo suscitaui te amica mea: ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua.* Hæc arbor est mali punici, siue granati, vt tradunt, præter alios, Glossa ordinaria & Nicolaus de Lyra; cuius alibi in eisdem Canticis mentio facta est. Ex communi sanctorum Patrum sententia, sanctam Domini Crucem significat: tum quia, vt hæc arbor amoris hieroglyphicum est, ita Crux diuini amoris testimonium; quia Redemptor noster non nostris meritis, sed sua nimia charitate pretiosum suum Sanguinem fudit, vt nos à peccatorum sanguinibus liberaret ac mundaret. *Dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in Sanguine suo*, ait sanctus Ioannes Apocal. 1, 5. Tum quia arbor punica fecunditatis symbolum est, quòd in vnico pomo innumera contineantur grana; & sub cruce fideles omnes qui fuerunt, sunt & erunt in posterum, geniti fuerunt. *Dicitur hic sancta Crux malum granatum*, inquit eadem Glossa, *quæ est arbor fructifera, ad designandum fructum Crucis, qui est innumerabilis.* & Rupertus Abbas in Cantica Cant. lib. 7. cap. 6. in eadem verba dicit: *Sub arbore malo, id est, sub arbore afferente fructus suos; quia videlicet lignum crucis non sterile lignum fuit, sed fructus attulit vita & salutis:* quia Christo vnita & desponsata, vt Synagoga, sterilis omnino remansit, & orbata filiis, quia ab eo recessit; vnde verè illud Annæ dicere possumus, quòd *sterilis peperit plurimos; & quæ multos habebat filios, infirmata est*, 1. Reg. 2, 5. *Malum punicum Crux.* *Malum punicum amoris & fœcunditatis symbolum.*

Sed

Digitized by Google

Mater corrupta Synagoga, sponsa ex ea genita sancta Ecclesia.

Sed quid mater corrupta sub cruce significat, & ex ea genita sponsa? Respondent Rupertus vbi suprà, Beda in Cant. Cantic. lib.6.c.8.& alij, matrem Synagogam significare, quæ ex parte in passione Christi corrupta fuit. *Maior videlicet ac senior eiusdem portio plebis*, vt ait Beda, *illa nimirum, quæ, Principum suorum persuasione seducta, Barabbam pro Domino elegit, stulta temeritate conclamans: Sanguis eius super nos & super filios nostros*, &c.

Sponsa genita est Christiana Ecclesia. Etenim quotquot prædordinati ad vitam æternam, Apostoli, discipuli ac alij fideles ex Synagoga de maledicto legis liberati, in libertatem filiorum Dei reducti fuerunt; & quæ erat ancilla, libera facta est. Non enim Synagogam penitus dereliquit Deus: *Quia non repellet Dominus plebem suam, & hereditatem suam non derelinquet*, vt Propheta dixit Psal.93,14. & sanctus Paulus ad Romanos 11,1. *Numquid Deus repulit populum suum? Absit. Nam & ego Israëlita sum ex semine Abraham, de tribu Beniamin: non repulit Deus plebem suam, quam præscinit*, &c.

Christus sponsas suas non virgines virgines facit.

Recolo me Lib.1.ex D.Hieronymo adnotasse singularem quamdam Dei nostri ac amabilissimi sponsi conditionem ac virtutem, cùm omnes illas quæ se alienis amatoribus prostituendas tradiderunt, vitioque suo virginitatem amiserunt, sancto sibi copulat coniugio; contra aliorum consuetudinem, qui virgines corruptas faciunt, ipse corruptas, fornicarias & adulteras, puras & immaculatas virgines facit, vnde & *Dux virginitatis* illarum appellari voluit. Idipsum nunc considero euenisse in aula Caluariæ montis, in lecto crucis, ibi corruptam cum alienis amatoribus Synagogam, cùm, spreto Deo ac legitimo sponso suo, extero adhæsit Cæsari; verùm Deus optimus maximus, qui etiam ex malis elicit bona, tanti sceleris occasione genuit sibi atque indissolubili vinculo copulauit sanctam Ecclesiam virginem sponsam tum ex Iudæis tum etiam ex Gentilibus, quam fidei annulo subarrhauit, aureo amictu charitatis induit, sanguine suo ornauit genas eius, & tamquam sponsam & Reginam præmiorum corona exornauit.

Ier.3,4.

Occasione auersionis Synagoga. Ecclesia Gentium fundata.

Notauerat hoc magnus ille Iudæus & Gentium Apostolus Paulus, dum loquens cum eisdē ait: *Numquid sic offenderunt* Iudei *vt caderent? Absit. Sed illorum delicto salus est Gentibus, vt illos æmulentur. Quòd si delictum illorum diuitiæ sunt mundi, & diminutio eorum diuitiæ Gentium*, occasionaliter; *quantò magis plenitudo eorū?* Rom.11,11,12. & v. 15. *Si enim amissio eorum*, ex parte videlicet, *reconciliatio est mundi: quæ assumptio, nisi vita ex mortuis? Quòd si delibatio sancta est, & massa: & si radix sancta, & rami. Quòd si aliqui ex ramis fracti sunt, tu autem cùm oleaster esses, insertus es in illis, & socius radicis & pinguedinis oliuæ factus es*, &c. Et quid clarius ad intentum dici poterat? sed grauissimum adhuc Patrem Magnum Gregorium memorata Canticorum verba explanantem audiamus: *Quid*, inquit, *per arborem malum, nisi sancta Crux designatur? quæ malum illud sustinuit, de quo eadem sponsa in superioribus dicit: Sicut malus inter ligna siluarum, sic dilectus meus inter filios. Sed sponsam suam Christus sub arbore mala suscitauit; quia in cruce positus, subditam sibi Ecclesiam ad vitam vocauit, vt à somno mortis resurgeret, & cum illo se crucifigens, ad nouam resurrectionem properaret. vnde & Apostolus cuius anima mortua dicit: Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus. Et quibusdam, qui iam resurrexerant, alibi dicit: Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite. Sed quia infidelitas Synagogæ Christum crucifixit, ideò sequitur: Ibi corrupta est mater sua. Sub arbore malo mater Ecclesia corrupta esse dicitur; quia quando Saluatorem suum in ligno fixit, nefando scelere se corrupit: cuius sceleris magnitudinem inculcat, cùm ibidem replicat, dicens: Ibi violata est genitrix tua.* Hæc appositè sanctus Doctor.

S. Gregor. in Cant. Canticor. cap.8.

Eph.5,14.

Colos.3,1.

Optimè quidem hæc omnia, verùm adhuc hæret animus. Nam esto, ex occasione corruptionis Synagogæ genita sit Ecclesia, sed propriè per mortem Christi; hinc sancti Patres & Theologi communiter dicunt: quòd quemadmodum costa ex dormientis Adæ latere ablata ædificata est Heua; ita ex aperto latere Christi mortui fundata est Ecclesia, & fideles geniti. Et clarum est; quia vt Synagogæ corruptio haud necessariò infert Christi mortem, & sponsæ Ecclesiæ ortum, nam antè corrupta fuit Synagoga, quando Christum repulit; ita mors Christi non infert corruptionem Synagogæ, quandoquidem multò ante fœdum mortem, sed aduentum Filij Dei in mundum, de impuritate, fornicationibus & adulteriis redarguta sæpiùs fuit Synagoga; quoniam, Deo vero relicto, idola gentium coluit. *Filij quoque Memphæos & Taphnes*, dicit ad eam Dominus Ieremiæ 2,16. *constupræuerunt te vsq; ad verticem.* & cap.3,1. *Tu fornicata es cum amatoribus multis.* & alibi frequentissimè idem apud eumdem & alios Prophetas.

Dubium.

Quomodo ergo verè ex Synagogæ corruptione sponsa Ecclesia genita dicitur? Dicerem, occasione quidem corruptionis Synagogæ genitam fuisse Ecclesiam, sed

S. Iustin.

per se, ex Christi humanitate ex eadem Synagoga accepta, & doloribus discruciata. Ad cuius solutionis intellectum aduerto, Synagogam dupliciter considerari posse, in se, & in eius nobiliori ac digniori parte; &, secundùm hanc duplicem considerationem, duplicem assignari corruptionem, culpæ ac pœnæ. Dico ergo, Synagogam in se culpa quidem corruptam fuisse, sed pœna in eius dignissima portione, carne ac humanitate sacratissima Saluatoris violatam, quæ matris nomine meritò dignatur; quia eius causa nedum Ecclesia, sed omnes creaturæ esse receperunt, qua ratione radicem Iesse ac Dauid Lib. IV. Cap. XI. primæ Peregrinat. appellari diximus. Igitur occasionaliter ex corruptione Synagogæ, quando repulit à se Messiam, & ad crucem adiudicauit, & per se ex Christi morte, sponsa Ecclesia cum suis filiis genita est, quando vi flagellorum, spinarum, clauorum & lanceæ sacratissima illa caro dilacerata fuit: & quia id non nisi magno cum dolore ac cruciatu accidit, ita vt rationabiliùs quàm Moyses dici possit Dei Filius *Sponsus sanguinum*, Hebraica veritas postrema illa Canticorum verba ad verbum transtulit; *Ibi cum dolore peperit te mater; ibi cum dolore peperit quæ genuit te*; & geminauit verbum *cum dolore*, quia in corpore ac spiritu maximos dolores parturienti similes sustinuit.

Humanitas Christi mater violata pœnâ.

Christus cum dolore peperit.

Dilectissimus Sponsus, & amantissima mater, ob partus cruciatus & mortis dolores, non obliuiscitur sibi genitæ sponsæ natæque prolis, nec aliis alendam tradit, sed ipsemet propriis delicatissimis carnibus & pretioso suo Sanguine pascit; vnde meritò S. Ioannes Chrysostomus, tantam dilectionem ac dignationem considerans, cum admiratione dixit: *Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes eius? Quis pastor oues proprio pascit cruore? & quid dico pastor? matres multa sunt, quæ post partus dolores filios aliis tradunt nutricibus. Hoc autem ipse non est passus; sed ipse nos proprio Sanguine pascit, & per omnia nos sibi coagmentat. Vnicuique fidelium Christus semetipsum per mysteria commiscet; & quos genuit, per semetipsum enutrit, nec alteri tradit; per hoc tibi rursum persuadens, quòd carnem tuam assumpsit*, &c.

Quos genuit, sui corpore ac Sanguine pascit.

Considera mysterium S. Crucis hieroglyphicum à Iacobo Basio relatum de Triumpho Crucis lib. 5. c. 9.

Præmissam considerationem me docuit Philo Episcopus Carpathius in illorum verborum Cant. Canticorum enarratione, *Sub malo excitaui te, & confirmaui*, quam lubet eius verbis confirmare: *Hæc malus salutifera*, inquit, *si ad arborem respicias, crux est humanæ salutis auctrix, in qua salus mundi auctoris pependit; si verò ad pomum eius ac fructum suauissimum atque sanctissimum, de quo sæpè iam diximus, cœleste totum & salutare malum corpus est Iesu Christi, salutariter nobis à Deo datum in escam scilicet & potum sub mystico pane ac vino; ex quo quidem Christianos omnes sanctissimè pascit ac beat, in hoc castissimam sibi sponsam & quamque fidelem animam ad amorem excitat, vallat ac firmat. In hac enim sacratissima fructuosissimaq; arbore dilectam sibi sponsam comparauit atque despondit; id quod sequens oratio apertissimè explicat, cùm dicit: Illic in dolore te peperit, qua te concepit. In cruce cum dolore cordis ac corporis parta est Ecclesia. Caro enim Christi in tormento crucis passa, Sponsam sibi peperit sanguine redemptam & aqua, qua de eius latere largissimè fluxere, regeneratam ac lotam*, &c. Hæc Philo. Et propter præmissa, vere Isaiam ad nostrum Caluariæ montem in suo Vaticinio respexisse credere possumus.

Christi cruor sub pane mystico.

Habetur Tomo 1. Bibliothecæ veterum Patrum.

Quartò, diximus, montem illum significare empyreum cælum, & conuiuium, Sanctorum felicitatem, quæ rerum delectabilium excellentiumque similitudine nobis innotescit; de quo dixit Christus discipulis: *Ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus regnum, vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo*, Luc. 22, 29. Ad hanc mensam in Caluariæ monte accubuit Christus Dominus, licet in mensa crucis non sedens, sed crucifixus; non vt sponsus regia corona redimitus, sed spineo circulo vt stultus transuerberatus, & vndique doloribus circumdatus; beatus tamen, quoniam nedum Verbum, sed nec ipsa anima Christi à beatitudine, semel ab æterno Patre donata, vmquam discessit. Ad eamdem mensam assederunt Angeli suo Regi adstantes & ministrantes; & ad eamdem admissus fuit bonus latro post mortem, quia ei à Domino dictum fuit: *Amen dico tibi: Hodie mecum eris in Paradiso*, Lucæ 23, 43.

Christus in Caluario fecit gloria communia.

Sed quintò dicamus, verè montem illum Isaiæ esse sacratissimum Caluariæ locum, conuiuium, & alia ab ipso explicata, esse passionem Christi, & bona, quæ ex ea illi & nobis prouenerunt. Singula explicemus. In opiparo egregioque conuiuio electæ dapes & pretiosa vina abundant, sunt conuiuij ministri omnia ordinatè disponentes, & conuiuis ipsis ministrantes, vt mensam, coltros, cyathos & similia prætereamvtensilia, ac cantorum suauem concentum, & instrumentorum musicalium harmoniam. Ergo dicemus, hæc fuisse in Caluariæ monte tempore passionis Christi, cùm sciamus Dominum siti plurimùm æstuasse, nec aqua fuisse potatum, vt illius queru-

Caluariam esse montem Prophetæ ostensum, & Christi passionem enarratam.

Digitized by Google

querula vox indicauit, *Sitio*? & vbi alia conuiuio regio necessaria?

Ioan.19, 29.

Ecce, vt respondeam, dico: Architriclinus conuiuijque moderator fuit Pilatus, qui tradidit Iesum Iudæis, vt illum crucifigerent, cuius ordinatione gesta fuerunt, quæ circa Christum gesta sunt; conuiuij ministri, Gentiles & Iudæi; conuiuæ, Christus in primis Ecclesiæ sponsus, cui Deus Pater fecit cœnam magnam in die suæ desponsationis, cum dilecta sponsa Ecclesia, ac deinde latrones cum Christo crucifixi, Maria Virgo, Ioannes Christi discipulus, ac alij amici Christi, viri & mulieres; trichinum conuiuij, summitas Caluarij; mensa, crux Saluatoris; cultri, claui, lancea, & præ ceteris acutior, fuit ex vtraque parte acutus doloris gladius, qui corpus & animam conuiuarum pertransiuit; vrceus, vas aceti; cyathus, spongia. *Vas erat positum aceto plenum. Illi autem spongiam plenam aceto, hyssopo circumponentes, obtulerunt ori eius*, Ioan. 19, 29.

Moderator huius conuiuij Pilatus.

Ministri, Iudæi & Gentiles.

Conuiua, Christus, Ecclesia, &c

Trichinium summitas Caluariæ.

Mensa, crux, cultri, claui, lancea, dolor.

Vrceus, vas aceti; cyathus, spongia.

Sed vbi dapes & vina? ait Propheta præparandum *conuiuium pinguium, conuiuium vindemiæ*, quòd affatim & abundanter vinum futurum sit; Hebraica lectio habet, *conuiuium facium*, id est, vini veteris, quod fæces habet. *Conuiuium vindemiæ defæcatæ*, Hebr. *facium purgatarum*, id est vini veteris & percolati. Dapes in primis dices, carnem vitulinam electissimam, quia ibi occisus fuit vitulus saginatus, Saluator inquam noster, qui se in sacrificium holocaustum q; Deo obtulit in odorem suauitatis: cuius carnes nobis in salutem mentis & corporis relictæ fuerunt. Vinum electissimum, omnium fæcium, id est, peccatorum propriorum, expers, sed aliarum particeps, fuit Sanguis eiusdem Saluatoris, quem pro peccatorum nostrorum remissione profudit, Christo ipso discipulis dicente: *Hic est calix Sanguinis mei, noui & æterni testamenti, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.*

Dapes & vina, caro & Sanguis Christi.

Dicas etiam, dapes fuisse fel, vinum, acetum & vinum myrrhatum, ipso Christo per Dauidem Ps. 68, 22. dicente, *Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto*; & in vniuersum dolores, & opprobria, quibus vndequaque circumdatus fuit mitissimus Iesus, Ierem. Thren. 3, 30. aiente, *Saturabitur opprobriis.* Flores & rosæ, quibus exornantur & circumdantur dapes, acutissimæ spinæ sunt; cantus, eulatus & blasphemiæ hostium Christi; nisi mauis dicere, lamenta, fletus & lacrymas amicorum, quibus magis delectatus Deus quàm ipsismet captibus Angelorum. Et hæc quidem dapes & vina licet iniucunda & insuauia videantur, & talia fuerint Saluatori; nobis tamen, quia Christi sunt, iucundissima & suauissima, quibus anima spiritualibus bonis impinguatur & vitam recipit sempiternam.

Dapes, fel, vinum, acetum.

Flores, spinæ

§. IV.

De sacri huius conuiuij commensalibus.

CONuiuium hoc facturum ait Propheta Dominum exercituum omnibus populis: igitur omnes omnino populi, boni & mali, fideles & infideles, Christiani & pagani, Iudæi & Gentiles ad illud admittentur, illius participes erunt, & suauissimis illis vescentur cibis & potibus; &, contra præscriptum Saluatoris, non Sancta sanctis, sed canibus dabuntur, & ante porcos proijcientur margaritæ: non tantùm splendida nuptiali veste induti, sed eadem exuti sacratissimæ illi assidebunt mensæ.

Triplici Propositione respondetur. PRIMA. Si sermo sit de conuiuio Eucharistiæ, fecit illud Dominus pro solis iustis, quantum videlicet ad fructum. Quod si quis absque iustitia, & cum conscientia mortalis culpæ, velut alter Iudas, ad hoc conuiuium accedit, *iudicium sibi manducat & bibit*, vt ait S. Paulus 1. Cor. 11, 29. Quare Apostoli, qui primò ad illud admissi fuerunt, signo & verbis Christus iustos & mundos declarauit: signo, dum illis pedes lauit; verbis, dum eisdem dixit, *Vos mundi estis*, Ioan. 13. 10. Ab illo ergo excluduntur nedum infideles, sed etiam peccatores, hisque dicitur: *Foris canes, & venefici, & impudici, & homicidæ, & idolis seruientes, & omnis qui amat & facit mendacium*, Apocal. 22, 15. Et sancta Ecclesia hoc conuiuium contemplata & admirata dixit: *Ecce panis Angelorum, factus cibus viatorum, verè panis filiorum, non mittendus canibus.* Quare Lyranus, qui conuiuio illo intellexit augustissimum Eucharistiæ Sacramentum, per populos pariter conuiuas Dei electos intellexit, qui ex omnibus populis assumuntur.

Conuiuium, quibus factum:

Eucharistia pro solis electis:

SECVNDA PROPOSITIO. Si conuiuij appellatione Euangelium & Dei verbum intelligatur, dico, ad illud omnes admitti, bonos & malos, fideles & infideles: quare huius conuiuij conditor Christus Dominus palàm loquebatur, & in occulto locutus est nihil. Et idem præcepit discipulis suis, vt illud non solis Iudæis & in repromissionis Terra exponerent, sed *euntes in mundum vniuersum*, prædicarent *Euangelium omni creaturæ*, Marc. 16, 15.

Euangelij pro omnibus.

TERTIA PROPOSITIO. Si per conuiuium illud eximium intelligamus alia spiritualia & æterna bona, fidem, remissionem peccatorum, excitantem vel coope-

Spiritualia bona, fides, gratia, &c. non omnibus danda:

rantem & iuſtificantem gratiam & gloriam, dico, non pro omnibus æqualiter illud Dominum præparaſſe, nec omnes ad illud admiſſos fuiſſe. Etenim licet magnitudo, opulentia & dignitas conuiuij ex ſe omnibus in vniuerſum populis & gentibus ſufficeret, & omnes in illo ſaturari poſſent; verùm ob ignauiam & ſtoliditatem vocatorum, qui aures obturauerunt, & ante opiparam menſam fame potiùs & ſiti confici voluerunt, dicimus, non pro omnibus illud factum fuiſſe, nec omnes eiuſdem participes effectos. Et hoc eſt, quod ſacri dicunt Theologi, Chriſtum meruiſſe in morte ſua omnibus ſpiritualia bona, quantum ad ſufficientiam, ſed non quantum ad efficaciam. Vtraq; pars propoſitæ & explicatæ Propoſitionis pluribus probatur à ſacris Theologis in 3. Sent. diſt. 19. ſed nos paucis contenti erimus pro eiuſdé confirmatione.

Chriſtus quantum ad ſufficientiam omnibus meruit.

Quantum ad primam partem, quòd Chriſtus, quantum ad ſufficientiam, omnibus meruerit, & in ſacro Caluariæ monte conuiuium ſpiritualium bonorum præparauerit, probatur in primis ex D. Paulo ſic de Chriſto ad Titum ſcribente: *Dedit ſemetipſum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate*. & S. Ioanne: *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam pro totius mundi*. ac D. Petro: *Peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum*, &c. pœnas autem peccatorum peccata vocat. & pleraque alia ſacræ Scripturæ ac ſanctorum Patrum teſtimonia eamdem confirmant.

Tit. 2,14. 2. Ioan. 2,2 1. Pet. 2,24

Secundò, probatur facto Chriſti, qui non in Ieruſalem, vel aliqua alia ciuitate, ſed extra pati voluit, vt docet ſanctus Paulus, & in medio terræ ſalutis noſtræ conuiuium ſua morte præparauit, vt dixit Propheta Regius; vt ex hoc intelligeremus, ipſum non pro vna gente Iudaica vel Græca, ſed pro omnibus omnino Gentibus mortuum fuiſſe, ac proinde omnibus populis ſpiritualium bonorum conuiuium præparaſſe. Ipſe Chriſtus omnes ad ſe inuitabat, vt & Angelus in Apocalypſi Ioannis omnes ſimiliter ad magnum conuiuium inuitabat, dicens: *Venite, & congregamini ad cœnam magnam Dei*. Denique, hæc de fide eſt.

Apoc. 19, 17.

Chriſtus quantum ad efficaciam non meruit omnibus ſpiritualia.

Secunda pars illius Propoſitionis, quòd, quantum ad efficaciam, non omnibus meruerit Chriſtus, nec ſpiritualium bonorum conuiuium fecerit, probatur in primis euentu; quoniam *ſtultorum infinitus eſt numerus*, Eccle. 1,15. qui pro vilibus & caducis bonis ſolida, illuſtria & ſpiritualia relinquunt: quod in quadam parabola cuiuſdam magnæ cœnæ indicauit Dominus apud S. Matthæum, ad quam inuitati accedere noluerunt. verè enim dixit Chriſtus: *Multi ſunt vocati, pauci verò electi*, Matthæi 22, 14.

Deinde, quando Chriſtus patiebatur, & menſa omnium ſpiritualium bonorum coram innumera multitudine in Caluariæ monte parata erat; aliqui quidem illius deguſtarunt ſalutares dapes, participes ſpiritalium bonorum effecti, ſed plures eaſdem neglexerunt, & pro vita mortem conſequi maluerunt, vt ab Euangeliſtis proditum fuit.

Fides & gratia omnibus propter Chriſtum data.

Et quinam peculiariter perceperunt huius conuiuij fructus? Si de fide, peccatorum remiſſione & gratia loquamur, omnes tam electos quàm reprobos huiuſcemodi recepiſſe dico: ſi verò de gloria, ſolos electos illius participes effectos, & pro iſtis efficaciter conuiuium ſuorum meritorum præparaſſe Saluatorem; at pro aliis non item, ſed communi modo, quia talis fuit voluntas Patris ſui. Et ita indicauit Chriſtus ante & poſt paſſionem ſuam. Ante quidem, quando ad Patrem dixit Ioan. 17,9. *Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo, ſed pro his quos dediſti mihi; quia tui ſunt*, ſcilicet efficaciter. & infrà: *Sanctifica eos in veritate*. Quam orationem dicit Iuſtinus Martyr non eſſe factam à Chriſto pro Iuda, quia fuit oratio efficax, ſed pro aliis Apoſtolis; pro ceteris autem non prædeſtinatis orauit generaliter, & pro ipſis generale Caluariæ montis conuiuium fecit.

Gloria electi dumtaxat pro Chriſto petiit.

Propheta Regius Pſal. 74,8. Dominum conuiuij noſtri conditorem, deſcribit Iudicem, pro lance calicem ſelectiſſimi vini, ſed non abſque fæcibus, in manu tenentem, ex quo omnes biberunt, & inebriati ſunt boni & mali; ſic enim dicit: *Deus iudex eſt. Hunc humiliat, & hunc exaltat: quia calix in manu Domini vini meri plenus miſto. Et inclinauit ex hoc in hoc; verumtamen fex eius non eſt exinanita: bibent omnes peccatores terræ*. Et in conuiuio montis Caluariæ mentio fit vini veteris, quod fæces habet, vt iam ex lectione Hebraica notauimus; ſed quid vini optimi & meri nomine fæciúmve intelligemus? vino beatitudinem, de qua ſub vini metaphora dicitur Iud. 9, 13. *Vinum, quod lætificat Deum & homines*: ea fortaſſe ratione, quòd vt vinum profusè hauſtum inebriat, hominemque extra ſe rapit; ita beatitudo hominem à creatis omnibus abducit, & in Deum abſorbet. Iſto vino potabuntur electi, Dauide dicente Pſ. 35,9. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ*. Fæcis verò appellatione, quòd purgamentum vini ſit, miſeriæ & pœnæ præſentis vel futuræ vitæ, quia inſuaues & iniucundæ ſunt, ſignificantur, quibus reprobi inebriabuntur; vnde

Dominus conuiuij Iudex.

Vinum meritum beatitudinem ſignificans.

Fæx miſeriæ.

Digitized by Google

vnde ad harum alluſionem dicitur Ezechiel.23, 34. *Et bibes illum, & epotabis vſque ad faces, & fragmenta eius deuorabis.*

Sed Dominum, quem luculenter à Dauide deſcriptum audiſti, ſi non carnis, ſaltem ſpiritus & fidei oculis in Caluariæ monte contemplare, licet clauis viſibilibus humanitatis manibus affixum, ſed inuiſibilibus Diuinitatis ſolutum, & calicem præclarum vini purgatiſſimi beatitudinis inebriantem vni ex electis porrigentem qui menſæ illius aſſidebant, quoniam iuſtus; bono inquam Latroni: hic ſiquidem beatitudinis vinum, dignum dilecto ad bibendum, bibit; quia dictum illi fuit à Domino, *Hodie mecum eris in paradiſo*, Luc.23, 43. hoc eſt: Tu hodie, qui iam meis meritis fidem & gratiam conſecutus fuiſti, etiam cæleſtibus dapibus paſceris, & vino beatitudinis inebriaberis. Ac deinde eumdem intuere fœcium poculum vni ex reprobis porrigentem, malo inquam latroni, qui licet eidem aſſederit conuiuio, quia tamen illius ſpreuit dapes, paſſionem & merita Saluatoris nihili fecit, de calice furoris Domini bibere, illum epotare, & illius fæces comedere coactus fuit. Et vt quondam Rex quidam, qui in nuptiis filij ſui eximium conuiuium fecit, cùm triclinium ingreſſus, vidiſſet diſcumbentem hominem ſine veſte nuptiali, illum grauiter corripuit, ſeuereque puniuit; nam, ligatis manibus & pedibus eius, miſit illum in tenebras exteriores, vbi eſt fletus & ſtridor dentium; ita, malus latro, quia in conuiuio montis Caluariæ abſque diuinæ gratiæ nuptiali veſte inuentus fuit, in profundum laci, in gehennam æterni ignis & orcum, vbi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat, proiectus fuit. In cuius veritatis argumentum, vt quondam in deſerto aperta fuit terra, quæ in ſe recepit & in infernum demiſit Deo rebelles illos Dathan & Abiron, vt in lib. Num. proditum eſt; ita, quando in Chriſti morte petræ præ dolore ſciſſæ fuerunt, & Caluariæ mons apertus fuit, quaſi volens recipere ſceleſtiſſimi illius latronis animam, & ad gehennam demittere: & apertura, quæ vſque in hodiernum diem oſtenditur, velut os patens indicatam prædicat veritatem.

Chriſtus quomodo ex Caluariæ conuiuio fructum percepit.

Sed numquid ex conuiuio iſto Caluariæ fructum aliquem aſſecutus eſt ipſe Chriſtus? numquid cæleſtibus illius dapibus & calicibus paſtus fuit? Reſpondendum, ſi de eſſentiali animæ beatitudine vel aliis gratiæ donis loquamur, illa ſibi non meruiſſe, ſecundùm communem Theologorum ſententiam in 3. diſt. 18. ſed gratis à Patre obtinuiſſe; ſi autem de ſui nominis claritate & glorioſa exaltatione, & gloria etiam corporis, dicendum, meruiſſe fructumque percepiſſe ex ſacratiſſimo Caluariæ montis conuiuio. Hoc ex ſequentis difficultatis ſolutione apparebit.

§. V.

De conuiuarum conditione; quomodoque Saluator conuiuij dapibus fuerit paſtus.

SEd quid facere, qualeſque eſſe debent volentes fieri participes efficaciter ſaluti & diuiniſſimi explicati conuiuij? Reſpondeo, virtute præditos eſſe oportere, fortiter viriliterque pugnandum eſſe contra hoſtes viſibiles & inuiſibiles, exteros & domeſticos, plurimumque enitendum. Hoc deduco ex tribus indicatis ab Iſaia, qui conuiuium deſcripſit; primò, ex conditione loci conuiuij; ſecundò, ex conditione habitatorum eiuſdem loci; tertiò denique, ex conditione auctoris conuiuij. De primo iam indicauimus, locum eſſe nouam Ieruſalem, quæ Eccleſiam Catholicam ſignificat, non in humili, ſed in ſublimi loco fundatam. *Fundamenta eius in montibus ſanctis*, vt dixit Regius Vates Pſalm. 86, 1. intra quam & mons Caluariæ eſt: in cuius ſummitate menſa ſelectiſſima parata fuit. Ad hæc, conuiuium hoc, ſiue locus, pluribus vallatus eſt hoſtibus & amicis. Quando enim Chriſtus patiendo conuiuium faciebat, vndique fuit circumdatus ab hoſtibus, Iudæis atque Gentilibus, qui crucifixerunt eum, à latronibus, ab amicis etiam & propinquis, viris & mulieribus, Maria Deipara, Ioanne Euangeliſta, & aliis. & hæc quidem omnia difficilem oſtendunt ad conuiuium acceſſum: ſublimitas loci indicat enitendum eſſe, vt ad eum peruenire poſſit; multitudo circumſtantium, quòd vi irrumpendum eſt; &, quod caput, nedum de hoſtibus triumphandum eſt, ſed amicos & propinquos, qui impedire nos vel retardare poſſent, ne ad conuiuium accedamus, licet pater vel mater ſit, odio habere atque contemnere debemus, vt Chriſtus docuit Luc. 14. Quod expendens Magnus Gregorius Homil. 37. in Euang. modum etiam explicauit dicens: *Vt eos, qui nobis carnis cognatione coniuncti ſunt, & quos proximos nouimus, diligamus; & quos aduerſarios in via Dei patimur, odiendo & fugiendo neſciamus.* Et ad idem S. Hieronymus Epiſtola ad Heliodorum: *Per calcatum*, inquit, *perge patrem, per calcatam perge matrem, & euola ad vexillum Crucis; quia ſolum*

Violenti conuiuio Caluariæ.

Pro Chriſto omnia contemnenda.

lum pietatis genus eſt, in hac parte eſſe crudelem.

De ſecundo iam diximus ſuperiùs, ciues nouæ vrbis eſſe Catholicos, quos Propheta fortes & pauperes, robuſtos & iniquitatem ſuſtinentes appellauit; his indicare volens, admittendos ad conuiuium Caluariæ debere eſſe fortitudine animi præſtantes, quia *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*; pauperes ſpiritu, humiles inquam, & affectu rerum temporalium denudatos, quia talium eſt Regnum cælorum; robuſtos denique in ſuſtinendo iniquitates, hoc eſt, aduerſitates & impiorum perſecutiones. ſcriptum eſt enim: *Beati, qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam; quoniam ipſorum eſt Regnum cælorum*, Matthæi 5,10.

Matth. 11, 12.

Conditor conuiuij quare Dominus exercituum dictus.

Sed de tertio quid dicendum? qualis eſt noſter illuſtriſſimi conuiuij conditor? *Dominus exercituum* appellatur ab Iſaia, vt iam vidimus. Et certè conſideratione & admiratione dignum eſt, quòd potiùs Rex vel paterfamilias non ſit appellatus, ad quos magis conuenit conuiuia præparare vel pro ſponſis, vel pro amicis & propinquis; quemadmodum alibi in Euangelio idem conuiuij conditor habitu & nomine Regis, vel patris, faciens conuiuia introducitur; & hìc ſub habitu ſtrenui Ducis & moderatoris militum deſcribitur, ad quem non conuiuia præparare, ſed acies inſtruere pertinet; non vocare conuiuas, ſed milites ducere; non ad comedendum deliciose, ſed ad ſtrenuè viriliterque dimicandum cum hoſte inuitare.

Dupliciter huic difficultati reſponderem. Primò, quod ad intentum facit, Saluator noſter, qui Dominus eſt gloriæ, & cui, tamquam paternæ hereditatis heredi, debebatur; qui quamuis eſſentialem animæ, quam ob eius immenſitatem mereri non potuit, & ideò nec illam meruit, vt graues docent Theologi, quam tamen potuit mereri; ſui inquam nominis claritatem & exaltationem, nec non & corporis gloriam meritus fuit, viriliter cum hoſtibus pro ſui Patris gloria pugnando.

Chriſtus ſui nominis exaltationem meruit.

Et quòd meruerit ſui nominis exaltationem, tamquam de fide tenendum eſt: ita enim docet ſanctus Paulus Philip. 2,8. *Humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen*, &c. vbi illa dictio *propter* abſq; dubio meritoriam deſignat cauſam. Et D. Auguſtinus Tractatu 104. in Ioannem, exponens hęc Pauli verba, ſic ait: *Humilitas claritatis eſt meritum, claritas humilitatis eſt præmium.* idem oſtenditur ex illis verbis Apoc. 5,12. *Dignus eſt Agnus, qui occiſus eſt, accipere diuinitatem, gloriam, & fortitudinem.* Dicitur autem Chriſtus accepiſſe diuinitatem, quatenus ob ſuam paſſionem ſuæ diuinitatis manifeſtationem promeruit, vt Angelis & hominibus ac etiam ipſis infernis locis notum fieret, quòd Chriſtus verus Deus eſt vnigenitusque Dei Filius; ob idque omnis lingua, ſiue ſponte, ſiue coacte & inuite, confiteatur Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum in gloria Dei Patris eſſe. Ita docent Doctores ſacri, Auguſtinus citatus, Cyrillus lib. 4. Theſauri cap. 2. Baſil. 4. contra Eunomium, & alij. Vide Bellarminum Controuerſia 2. generali cap. 9. & 10. Nónne in throno ipſo crucis, ad menſam paſſionis dum accumbaret, fuit vt Rex & Filius Dei cognitus & proclamatus à bono Latrone, à Centurione, & aliis?

Corporis gloriam meruit.

Quòd autem meruerit ſibi gloriam corporis, licet controuerſia ſit inter ſacros Theologos, an illam directè vel indirectè meruerit; tamen illam verè meruiſſe, cùm à ſui ortus principio non habuerit, negari non poteſt. Et probatur in primis ex illis eiuſdem Saluatoris verbis: *Nónne hac oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam?* Luc. 24, 26. Si autem ſcire velis, qualis & quæ hæc gloria fuerit, & vnde ortum & originem habuerit, vel vnde cœperit, attende ad ea quæ in fine eiuſdem capitis Chriſtus dixit: *Quoniam ſic ſcriptum eſt, & ſic oportebat Chriſtum pati, & reſurgere à mortuis tertia die.* Quod priùs dixerat, *intrare in gloriam ſuam*, nunc dicit, *reſurgere à mortuis.*

Præterea Paulus ad Hebræos 5, 7. loquens de Chriſto, ait: *Qui in diebus carnis ſuæ, preces ſupplicationeſq; ad eum, qui poſſit illum ſaluum facere à morte, cum clamore valido & lacrymis offerens, exauditus eſt pro ſua reuerentia.* Ex hoc teſtimonio colligitur, Chriſtum oraſſe ac deprecatũ fuiſſe Deum, vt ipſum à morte liberaret, & per glorioſam Reſurrectionem eum de mortis poteſtate & vinculis erueret; pro qua re exauditus fuit, & conſequenter ſuam Reſurrectionem & corporis gloriam promeruit.

Ex quam Chriſti latere quando ſpiritalis lux manarit.

Hic quædam difficultas animum pulſat. Cùm, ſecundùm omnes Theologos, Chriſtus Dominus poſt mortem ſuam nihil meruerit, quoniam erat extra ſtatum viæ; vnde eſt, quòd ſancti Patres virtutem Sacramentorum dicunt manaſſe à laterali vulnere Saluatoris, quod, vt ſanctus Ioannes docet, inflictum illi fuit poſt mortem? Sanctus Leo Papa Epiſt. 4. cap. 6. inquit: *Tunc regenerationis potentiam ſanxit, quando de latere eius profluxerunt ſanguis redemptionis*

ptionis & aqua Baptismatis. Similia habet D. Augustinus Tract. 15. & 120. in Ioan. *O mors*, inquit, *vnde mortui reuiuiscunt, quid sanguine isto mundius? quid vulnere isto salubrius?* Et sancta Ecclesia docet, ideò vulnerari voluisse Saluatorem in latere, vt sanguine & aqua ex illo profluente, peccatorum nostrorum sordes abstergerentur. sic enim ait:

Quæ vulnerata lancea
Mucrone diro, criminum
Vt nos lauaret sordibus,
Manauit vnda & sanguine.

Obiectio. Dices, in illius vulneris susceptione nullum fuisse nouum meritum, quoniam exanime corpus erat, & meritò inidoneum; sed ideò in illo fundari dicitur nostræ salutis meritum, quoniam cùm anima vnita esset corpori, illud præuidit, acceptauit, & obtulit Patri in nostrorum peccatorum remissionem.

Optimè quidem, sed nec adhuc mens quiescit: nam, vt Christus præuidit & acceptauit illud vulnus, præuidit etiam flagella, spineam coronationem, crucifixionem & alia mala; quæ nedum antequam reciperet acceptauit & Patri obtulit, sed etiam quando actu illa patiebatur; vnde potiùs his quàm vulneri laterali videbatur adscribi debere meritum suæ passionis & virtus Sacramentorum, quia in statu merendi recepit; & quia magis frequentatis actibus acceptauit, & Patri obtulit.

Solutio. Aliis omissis, dicerem, ideò vulneri laterali Saluatoris adscribi à sanctis Patribus virtutem & meritum passionis Christi, & non aliis plagis & vulneribus, vt indicarent, bello hostes deuicisse, sibique & nobis spiritualia bona promeruisse; nam lancea, qua latus Saluatoris apertum fuit, arma militis est, non similiter flagella quibus fuit cæsus, spinæ quibus fuit coronatus, crux & claui quibus fuit crucifixus. Doctrinam hanc pulchrè explicuit Isaias cap. 63. quem tu consule, & attentè considera.

Ac denique præclarum ad hoc ipsum habemus testimonium Hebr. 2, 9. *Videmus Iesum, propter passionem mortis, gloria & honore coronatum:* vbi nomen *corona* satis indicat, in bello comparatam victoriam, & præmium, propter victoriam debitum. Et quamuis alio titulo corporis gloria ei deberetur ob beatitudinem animæ, verùm alio etiam titulo illam habere voluit, id est, merito & heroicis actibus, quod glorioßius est; & omnia inerant Christo ad talem gloriam promerendam necessaria.

Ex his colligimus, quòd si Christus Dei Filius, conuiuij Dominus & præparator, voluit illi post passionem assidere, & post partam de hostibus victoriam illius pretiosis dapibus & electis vinis perfrui, nos qui homines & semi sumus, ad illud idem ex gratia vocati, arbitrari debemus peruenire non posse, nisi modo quo ad illud Dominus exercituum peruenit, strenuè & legitimè certando.

De quodam prudenti ac forti Duce legitur, quòd postquam cohortatus fuisset suos milites ad strenuè pugnandum cum hoste, vt suaues victoriæ fructus consequerentur; cùm illi fortitudine illum profligassent, præparauit eis fidelis Dux admirandum & omnibus bonis refertum conuiuium, & accubantibus dixit: Ad hoc ex illo peruenimus, hoc est, ex bello ad conuiuium deuentum est. Similiter Christus Dominus, post bellum & victoriam de hostibus comparatam, facit suos milites cælestis conuiuij & suauissimarum dapum montis Caluariæ participes, eodem dicente Apocalyps. 2, 7. *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei.*

Huius veritatis pulchrum exemplum & egregiam figuram legimus in sacris Litteris. Ad Hebræos scribens sanctus Paulus de Melchisedech ait: *Hic enim Melchisedech,* Hebr. 7, 1. *Rex Salem, Sacerdos Dei summi, qui obuiauit Abrahæ regresso à cæde Regum, & benedixit ei.* Cùm victor reuerteretur Abraham, quia quatuor Reges superauerat, tunc illi obuiàm exiit summus Sacerdos, & benedixit ei, vt dicitur in Genesi, proferens panem & vinum. Magnum mysterium, quòd tunc illi obtulit panem & vinum, & benedixit ei, cùm tantam victoriam reportauerat.

S. Anselmus in ea verba mysterium aperit, quod respicit dispositionem necessariò requisitam in accedente ad dignè suscipiendum altaris augustissimum Sacramentum; sic enim dicit: *Cane frater, ne hunc diuinum cibum accipias, nisi postquam à quatuor Regibus victoriam reportaueris, quæ sunt quatuor præcipuæ passiones animæ, quæ illam perturbant, scilicet, spes, metus, tristitia & voluptas.* Quot peccata committit homo sperans temporale aliquod bonum consequi? quot res, quas maximi facere debet, non facit, propter humanum metum? vt autem voluptatem assequatur, & mœrorem fugiat, quid non faciet homo malæ conscientiæ?

Cuius mysterium prosequentes & nos dicimus, neminem admitti vnquam posse ad pingue Caluariæ montis conuiuium ab illo, cuius typus extitit Melchisedech, Christo Domino, nisi priùs cum Abraham viriliter decertauerit, & passiones omnes domuerit, visibiles ac inuisibiles animæ hostes strenuè profligauerit. Curandum ergo di-

ligenter, vt præmissi quatuor mystici Reges & in vniuersum omnes hostes superentur, vt de illis reportata victoria, spiritualibus gratiæ dapibus in præsenti vita, & in futura cælestibus gloriæ vesci possimus.

Ex conuiuio Caluariæ victoria processit.

Secundò respondetur, ideò Reparatorem nostrum appellari Dominum exercituum, dum conuiuator conuiuij montis Caluariæ introducitur; vt intelligeremus, in eo processisse tamquam belli Ducem contra potentissimos Dei & humanæ naturæ hostes, peccatum, mortem, & diabolum, vt eos palàm penitusque de mundo eliminaret, & ad nihilum vsque redigeret: quod tum ex aliis, tum ex Prophetæ verbis, quorum interpretationem prosequemur, facilè patere potest.

Non modicam parit admirationem, quod accidit toto tempore passionis nostri Saluatoris. Cùm enim Christus sponte se morti obtulerit, & se persequentibus minimè restiterit (*Oblatus est, quia ipse voluit*, inquit Euangelicus Vates, *& non aperuit os suum: sicut ouis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum*, Isaiæ 53,7.) inermis & mansuetus apparuerit, & cum pusillo grege discipulorum incesserit; ita vt omnes facilè possent intelligere, non esse hominem bellatorem, nec contra ipsum, vt contra validum robustumque hostem, procedendum: tamen ab exordio suæ passionis vsque ad finem contra ipsum actum est ac contra potentissimum Ducem electissima militia instructum, vt Euangelica docet historia. Quando captus fuit, Iudas accepit cohortem, & à Pontificibus & Pharisæis ministros, & venit ad locum vbi erat Iesus in horto cum laternis, facibus & armis: à quibus & captus est, & ductus ad Annam & Caipham; & vinctus similiter ductus fuit ad Pilatum & Herodem. Deinde congregata ad eum vniuersa cohorte, ductus fuit ad mortem: & à quibus circumdatus non fuit in sacro Caluariæ monte? innumera quippe erat militum turma, & alia hostilis gens. Denique, post ipsam mortem illius Sepulchrum militari custodia munitum fuit. Sed quid de hostibus Iudæis & Gentilibus dico, ipse Christus, qui priùs miserat discipulos suos sine sacculo, pera & calceamentis, imminente illius passione dixit illis: *Qui habet sacculum, tollat; similiter & peram: & qui non habet, vendat tunicam suam, & emat gladium*, Lucæ 22,36. & ipsi duos in mensa gladios acceperunt. Christus ad montem Caluariæ profecturus, se Regem declarauit coram Pilato, qui ab ipso Pilato Rex proclamatus fuit tum illis verbis, *Ecce Rex vester. Regem vestrum crucifigam?* tum in illius mortis sententia. Si in vexillo cohortis Romanorum erant illæ exaratæ litteræ, S. P. Q. R. in vexillo crucis nostri Ducis & Regis erant illæ descriptæ, I. N. R. I. Quid his voluit Dominus indicare? & quodnam latet in præmissis mysterium?

Ioan.19. 14.

Sapientia passionem vincendi.

Illud crederem, Christum Reparatorem nostrum, tamquam Dominum exercituum & strenuissimum Ducem, in sua passione profecturum esse ad Caluariæ montem, vbi, tamquam in campo certaminis, contra tartareas potestates bellum gereret, mortem, peccatum & dæmonem, hostes potentissimos, qui totum sibi subdiderant mundum, debellaret, & foras fugaret, & de ipsis glorioſum referret triumphum, non ferro, sed ligno, non viuendo, sed moriendo. *Mors & vita duello conflixere mirando, Dux vitæ mortuus, regnat viuus*, cantat Ecclesia.

Petro quæ vendendum est mittere gladium in vaginam.

Hinc Petro, qui arbitrabatur ferro pugnandum esse, ac ideò pro sui Ducis defensione in horto, exempto gladio, percussit vnum ex illis qui venerant ad eum comprehendendum, dixit: *Conuerte gladium tuum in locum suum. Omnes enim, qui acceperint gladium, gladio peribunt. An putas, quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò plusquam duodecim legiones Angelorum?* Matth.26, 52. quia non resistendo, sed patiendo, non materialibus, sed spiritualibus armis victoria comparanda erat.

Et profectò in ipso conuiuio & monte, quod euenit, ostendit; omnes circumstantes, & ipsi cum Christo crucifixi conuitiabantur illi; blasphemias, conuitia & improperia ab omnibus sustinuit: nihilominus ipse non solutus, sed cruci affixus, non inferens pœnam, sed sustinens mortem, de hostibus triumphum retulit; nam & vnus ex latronibus cum illo crucifixis partes illius suscepit, & Regem confessus fuit. *Centurio autem, & qui cum eo erant, custodientes Iesum, viso terræmotu & his quæ fiebant, timuerunt valdè, dicentes: Verè Filius Dei erat iste*, Matth.27,54. Principem tenebrarum, vt prædixerat, & omnes tartareas potestates profligauit, & de hoc mundo eiecit. *Expolians principatus, & potestates, traduxit confidenter, palàm triumphans illos in semetipso*, Coloss.2,15. in quibus verbis illud *traduxit* considerandum est, quod ex Græco redditum, *exemplauit:* & vult dicere sanctus Paulus, Christum dæmones ita profligasse, vt eos in triumphũ duxerit, humiliatos, vinctisque post terga manibus, in exemplum omnium mundi Regum ac Principum, vt, conspectis dæmonibus tanta potentia

tentia subactis,& compressis à pristinæ fortunæ felicitate, in eum statum seruitutis miseriæque redactis, discerent in eis Christi arma formidare, timentes nimirum, ne similes sibi casus eueniant; hanc enim vim habet verbum *exemplauit*. Et sanctus Augustinus lib. de Agone Christiano cap. 2. inquit: *In ipso vincuntur inimica nobis inuisibiles potestates, vbi vincuntur inuisibiles cupiditates. Fuso enim sanguine sine culpa, omnium culparum chirographa deleta sunt, quibus debitores, qui in eum crednnt, à diabolo antè tenebantur. vnde ait, Qui pro multis effundetur*, de suo Sanguine loquens Christus. & lib. de Peccat. meritis & remiss. cap. 30. causam & modum nostræ redemptionis insinuans, ait: *Nihil inuenit diabolus in Christo vt moreretur: sed pro voluntate Patris mori Christus voluit, non habens mortis causam de peccato; sed de obedientia & iustitia mortem gustauit, per quam nos redemit à seruitute diaboli*, &c. Ad hoc videri potest Magister in 3. Senten. dist. 19. & ibidem D. Bonauentura artic. 1. quæst. 2. & 3.

Peccati vinculum Christus sustulit, & eius dem apparentiam.

Sed quid singulatiter dicat Propheta noster ad intentum, videamus: *Et præcipitabit in monte isto faciem vinculi colligati super omnes populos, & telam, quam ordituus est, super omnes nationes. Faciem vinculi*, id est vinculum, ita vt *facies* abundet, dicunt aliqui interpretes. Sed vinculum illud, quo omnes ligati tenebantur, quid significat? Peccatum, quo omnes innodati erant, hoc Christus præcipitauit, & de medio sustulit: & telam, quam orditus est, id est, rete, quod omnibus à dæmone est impositum, rupit.

Hector Pintus in hunc Isaiæ locum, per vinculum intelligit nedum peccatum cum aliis, sed amplius arbitratur, *faciem* non redundare, sed aliquid significare docet; & quid? apparentiam ipsam peccati, velleque Prophetam dicere, Christum sua passione & Sanguine non solùm euersurum esse peccatum, sed etiam adeò abolturum, vt ne facies quidem illius apparitura sit; & hoc quantum fuit ex parte illius.

Christus à lege nos liberauit.

Addit etiam aliam interpretationem non prætereundam, faciem vinculi significare obligationem legis Moysaicæ, qua vincti velut vinculis tenebantur Iudæi: quam obligationem Christus aboleuit suo Euangelio, & deleuit eam suo Sanguine, & sua morte præcipitauit; ipse enim nos liberauit de maledicto legis. Hæc obligatio, inquit ille, est chirographum illud de quo ait D. Paulus Coloss. 2, 14. *Delens quod aduersus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis; & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci.* Quamuis enim chirographum illud decreti sit ipsum, quo se per esum ligni vetiti omnesque posteros Adamus æternæ morti reddiderat obnoxios, iuxta Dei decretum dicentis, *In quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris*, vt multi interpretantur; Chrysostomus tamen illud de obligatione Iudæorum legi Moysi etiam exponit. Dixerunt enim, vt in Exodo Litteræ diuinæ testantur: *Omnia quæ locutus est Dominus, faciemus, & erimus obedientes.* Et hæc est etiam D. Hieronymi interpretatio illum locum Apostoli explanantis, quamuis hîc in Commentariis in Isaiam huius expositionis non meminerit. Gen. 2, 17. Exod. 24, 7

Symmachus vertit, *Faciem dominatoris, qui dominatur super omnes populos.* Quod de diabolo intelligitur, quem Christus apud Ioannem huius mundi principem appellauit; quem in profundum inferni præcipitauit. *Christus, diabolum in infernū præcipitauit.*

Per telam operimentum errotis intelligit idem Pintus, quod Christus splendore sui Euangelij abstulit, & lucem, qua homines veritatem intuerentur, attulit.

Præcipitabit mortem in sempiternum. hoc est: Christus sua virtute, non alterius opera, mortem deuincet, & illius auferet instrumenta. dixit idem ipsemet Dominus alibi apud eumdem Prophetam, dum, loquens de victoria quam in cruce de hostibus retulit, inter alia sequentia ad intentum dixit: *Torcular calcaui solus, & de Gentibus non est vir mecum.* id est: Ego solus, non aliorum fultus auxilio, hostes deuici: & quia vicit, & triumphauit in cruce, colligunt sacri Doctores, crucem esse torcular, in quo hostes velut vuæ fuerunt conculcati. *Morte Christi nostra liberata.* Isa. 63, 3.

Hinc factum arbitror, vt propheticus sermo impleretur, vt initio passionis Christi Apostoli eius, quos ipse in vltima cœna iustos omnes prædicauerat, Iuda excepto, *Vos mundi estis, sed non omnes*, Ioan. 13, 10. bonis actibus, & singulariter fide & compassione patientem Magistrum sequerentur, qui nihilominùs, cùm ipsum fuissent comitati vsque ad locum orationis, effusionis sanguinis & captiuitatis in horto, quando tempus erat orandi & dilectionem erga Christum ostendendi, & vt oranti & æstuanti charitate Christo se conformarent, obtemperarent consilio Magistri, & liberarentur à diabolicis insidiis, quas illo singulariter tempore parabat satanas, Christo dicente, *Simon, Simon, ecce satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum. Orate, ne intretis in tentationem.* statim ac Christus orationi se dedit, in qua factus fuit in agonia, & sudauit sanguinem, illi vt omnium immemores, &, vt ita loquar, extra se facti, sopori *Christus in passione quare ab omnibus derelictus.* Luc. 22, 31. & 41.

itized by Google

ſopori & ſomno ſe dederunt, quamuis modico illo tempore non ſemel fuerint à Chriſto excitati & admoniti vt vigilarent; nihil tamen profecit admonitio, nam ſomno ſepulti ſemper iacuerunt, quoad vſque venit illuc Iudas cum numeroſo milite ad Ieſum comprehendendum; tunc enim fuerunt iterùm à Chriſto excitati: & quando fuit captus Chriſtus, omnes diſperſi fuerunt, &, eo relicto, fugerunt: Petrus inter illos præcipuus, quiſque feruentior ceteris diſcipulis videbatur, pluries & cum anathemate iurauit, quòd Chriſtum non nouiſſet. Ac denique, quando crucifixus fuit, ab impiis quidem vallatus, & inter ſceleratos crucifixus, ſed amici ac noti eius ſtabant à longè, vt Euangelica teſtatur Hiſtoria. Et quare tunc tantus torpor, negligentia & facinus, quando noſtra operabatur ſalus, & non potiùs ſanctis operibus dediti, eidem cooperabantur amici Chriſti?

Arbitror Deum ita permiſiſſe, vt, aliis omiſſis, intelligeremus, ſolum Chriſtum in cruce morte ſua mortem omnium ſuperaſſe, ſpiritualia æternaque bona promeruiſſe, & omnes illius paſſione & merito indigere; cùm in ipſo mortis tempore, etiam in electis ſuis Apoſtolis, reperit prauitatem. *Dominus enim noſter*, vt inquit Magnus Leo Serm. 1. de Natiuit. Domini, *peccati mortisq; deſtructor, ſicut nullum à reatu liberum reperit, ita pro liberandis omnibus venit.*

Maria & Ioannes quare crucifixi adſtabant.

Quod ſi dicas, Matrem ſacratiſſimam & dilectum diſcipulum magna animi conſtantia, dolore & compaſſione ſtetiſſe iuxta crucem, dum in ea Redemptor pendebat; Reſpondeo, ſtetiſſe non vt ſalutis noſtræ cooperatores, ſed vt fructus, ſigna & teſtes egregiæ victoriæ, quam tunc de hoſtibus gloriosè ſolus comparauit, nullo alio opem præbente. *Et de Gentibus non eſt vir mecum.* Lege ad idem Iſaiam cap. 53.

Mortem quomodo abſtulit Chriſtus, cùm adhuc vigeat.

Sed dices, quomodo Chriſtus abſtulit mortem, cùm omnes ab Adam vſque ad Chriſtum, & vſque ad præſens, mortui ſint, & morientur omnes qui naſcentur in poſterum vſque ad illius aduentum ad iudicium; quoniam, vt inquit D. Paulus Hebræor. 9, 27. *Statutum eſt hominibus ſemel mori, poſt hoc autem iudicium.* A quo ſtatuto nec ipſe Dei Filius liber exitit.

Reſpondetur, verè Chriſtum in Caluariæ monte præcipitaſſe mortem in ſempiternum, in ſe quidem initiatiuè & conſummatiuè, in aliis initiatiuè; quam in generali omnium reſurrectione penitus conſummabit, & de medio tollet. Singula explicemus.

Dominus exercituum in Caluariæ monte armatus contra mortem procedens, morte ſua de illa triumphum erexit. Iſtum explicandi modum locus Propheræ, proinde citatus à D. Paulo 1. Cor. 15, 54. indicat, qui pro *præcipitabit*, legit, *abſorbebit*. Quod abſorbetur, intra ſtomachum recipitur; & illius eſſe deſtructo, virtute caloris naturalis aliud nobilius recipit, quia vitale, & illius in quod conuertitur: ita mors abſorpta à Chriſto virtute diuinitatis deſtructa fuit, & vita reparata, vt cantat Eccleſia de Saluatore noſtro: *Mortem noſtram moriendo deſtruxit, & vitam reſurgendo reparauit.* Et Reſurrectio aliud non eſt niſi mortis deſtructio.

Et quod pro ſe Chriſtus præcipitauerit mortem in ſempiternum, & vitam comparauerit æternam, nedum initiatiuè, ſed etiam conſummatiuè, docuit S. Paulus Roman. 6, 9. hiſce verbis: *Chriſtus reſurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi vltrà non dominabitur.* Ipſe ſiquidem, vinculis mortis & ſepulchri confractis, tertia die reſurrexit ſtola immortalitatis indutus, & illâ gloriosus aſcendit in cælum: ideò Chriſtus primogenitus mortuorum, & primitiæ dormientium appellatur in ſacris Litteris.

In morte etiam & reſurrectione Chriſti inchoatiuè fuit mors pro aliis præcipitata, & vita introducta, in ſæculi conſummatione abſoluenda. Surrexit Chriſtus caput noſtrum, ergo & nos reſurgemus, inquit ſanctus Paulus. idem: *Cùm autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet ſermo qui ſcriptus eſt: Abſorpta eſt mors in victoria. Vbi eſt mors victoria tua? vbi eſt mors ſtimulus tuus?* 1. Cor. 15, 54. Hic locus eſt Oſe. 13, 14. licet ſub aliis verbis, idem tamen ſignificantibus; vbi ſic dicitur: *De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos: ero mors tua ô mors, morſus tuus ero inferne.* Hæc verba ad intentum & appoſitè mihi videtur interpretari Nicolaus Lyrenſis, etiam ſecundùm mentem D. Hieronymi. Hæc reſurrectio ad vitam immortalem incepit in Chriſto, ſecundùm quod dicitur 1. Corinth. 15, 20. *Chriſtus reſurrexit à mortuis primitiæ dormientium: quoniam quidem per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum. Et ſicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes viuificabuntur.* In reſurrectione verò ſua liberauit Patres ſanctos de manu mortis in limbo detentos; ideò dicitur, *De manu mortis liberabo eos*, &c. quia in ſua reſurrectione liberauit aliquos particulariter de poteſtate mortis; & in reſurrectione generali liberabit omnes generaliter, ſecundùm illud Apoſtoli 1. Corinth. 15, 26. *Nouiſſima autem inimica deſtruetur mors.* Ideò vt in generali reſurrectione omnes reſurgemus, vt loquitur ſanctus Paulus, ita aliqui reſurrexerunt in mor-

Digitized by Google

te Christi, vt indicat Matthæus, loquens de signis quæ in morte Christi acciderunt, Matth. 27. 51. hisce verbis: *Et terra mota est, & petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt: & multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt. Et exeuntes de monumentis post resurrectionem eius, venerunt in sanctam ciuitatem, & apparuerunt multis.* Quos non amplius è viuis decessisse, sed glorioſos vnà cum Christo ad cælum ascendisse, grauium Doctorum probabilis sententia est.

Et non tantùm in monte Caluariæ mortem præcipitauit Christus, sed etiam lacrymis & passionibus suis abstulit & abstersit lacrymas & passiones nostras: certum namque est, & experientia comprobatum, fideles ob Christum aduersa omnia æquanimiter hilariqúe animo sufferre, ac ti insuaue nihil in se haberent, sed omne delectamentum suauitatis; quod in altera vita perficietur, quando, vt ait Ioannes Apocal. 21, 3. *absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, & mors vltrà non erit, neque luctus*, &c.

Et dicet in die illa: Ecce Deus noster iste, exspectauimus eum, & saluabit nos: iste Dominus, sustinuimus eum, exultabimus, & lætabimur in salutari eius. Quia requiescet manus Domini in monte iste, Isaiæ 25, 9. hoc est: Quando Reparator noster in monte Caluariæ sua passione hostes superabit, & omnibus populis splendidum faciet epulum, tunc illum cognoscemus nedum vt omnium Creatorem & Dominum, sed peculiariter Deum nostrum, tum ob sibi vnitam nostram humanitatem in illius incarnatione, tum ob nostram operatam salutem in passione. Et profectò in eius morte verè Deus noster cognitus est à bono Latrone, Centurione & aliis, qui anteà illum non nouerunt, & nomen eius non inuocauerunt. Verè expectauimus eum, quia ab æterno Patre promissus, & expectatio Gentium, ab omnibusque desideratus nuncupatur: cuius expectatio, vt tristitiam pariebat, quoniam *spes, quæ differtur, affligit animam*, Prou. 13, 12. ita illius aduentus & operata salus omnibus extitit causa gaudij & lætitiæ. *Vox exultationis & salutis in tabernaculis iustorum*, Psal. 117, 15.

Christum in cruce Dominum cognimus.

Dubium.

Sed quid est, quod gaudium nostrum prouenire indicat Propheta ex quiete Domini? *Quia*, inquit, *requiescet*, &c. quare non potius è nostra quiete & salute prouenire non dicit, cùm exploratum sit, omnes magis de propriis quàm de alienis bonis lætari?

Solutio.

Respondetur tripliciter; Primò, tenendo cum Hectore Pinto hîc, quiete manus Domini significari cessationem à punitione, sicut extendere manum punitionem significat, secundùm phrasim sacræ Scripturæ, vt patet ex illo Iob 19, 21. *Manus Domini tetigit me.* & Psal. 31, 4. *Grauata est super me manus tua.* & alibi frequenter. Sequendo hanc interpretationem, verè de propriis bonis lætantur fideles, hoc est, de ablatione æternæ mortis, quam sibi peccatis demeruerant, quæ per Christum ablata est; & in eius gratia decedentes, pro æterna punitione sempiternam comparant felicitatem. *De liberatione à morte lætantur fideles.*

Non alienus est ab isto explicandi modo Ferrerius apud Villalpandum iam citatum, qui vult, manum Dei quiescere, denotare perpetuum Dei fauorem & auxilium virtutis ac potentiæ Dei in Ecclesia, qua etiam eius hostes conterat, & ad nihilum redigat, vt indicant sequentia Isaiæ verba: & Christum Dominum perpetuò in Ecclesia quiescentem, manu Dei indicari putat.

Secundò, dicamus, iustos, qui magis affectione iustitiæ quàm commodi mouentur, magis gaudere de bonis Domini omni iure sibi debitis, quàm de propriis sibi à Deo liberaliter elargitis; ac ideò in Cantico Angelorum introducuntur gaudentes & gratias agentes Deo, non pro acceptis ab eo beneficiis, sed pro naturali Dei gloria: *Gratias*, inquiunt, *agimus tibi propter magnam gloriam tuam.* Ita iidem iusti apud Isaiam ungulariter lætantur, ob debitam Saluatori quietem, quam in Caluariæ monte obtinuit. *Boni de bonis Domini magis quàm de propriis gaudent.*

Tertiò, dicamus, quietem Christi esse quietem nostram. Pace à Duce in bello strenuè comparata etiam milites perfruuntur, & quies paxque Ducis & militum censetur; ita cùm noster Dominus exercituum post mortem, victoria de hostibus obtenta, pacem sibi comparauerit, & nostræ nouæ vrbis fortes milites vt eadem potiantur effecit; vnde sanctus Paulus Christum vocauit pacem nostram: ad quod etiam respicientes Septuaginta interpretes, locum Prophetæ ita reddiderunt, *Exultauimus, & lætati sumus in salute nostra. Requiem dabit Dominus in monte iste.* *Christi quies nostra.*

Verùm nescio quid adhuc cupit animus scire, inquit Villalpandus, cur manus Dei quiescere dicatur potiùs quàm Deus ipse: num aliquid egisse intelligatur manus, quo peracto quiescere dicatur: quod cùm euoluerem, occurrit mihi locus Geneseos, in quo, cùm creationis opera omnia, creato homine, compleuisset Deus, dicitur, *Et requieuit die septimo ab vniuerso opere quod patrarat.* Et cùm salutem humani generis operata dicatur manus Domini in monte hoc, atq; instauasse *omnia in Christo, quæ in cælis, & quæ in terra sunt, in ipso*, Ephes. 1, 10. *Dubij solutio.* Gen. 2, 2.

meritò,

meritò, huiusmodi opere completo, atque omnibus numeris absoluto, quieuisse dicatur manus Domini; quippe quæ in passione ac morte nimiùm laborauerat, in Resurrectione requieseret, &c. Quare Deus, qui cessauit in opere creationis creato homine, eodem deperdito per peccatum, & per arduum opus passionis à Deo reparato, manus eiusdem quiescere dicitur à Propheta?

Obiectio. Sed enim necdum animus plenè quiescit. Etenim, vt, post absolutum opus creationis dicitur non manum Dei, sed ipsum Deum cessasse, quare, absoluto opere redemptionis per eumdem Deum, non dicitur similiter ipsum quieuisse, sed manum eius?

Soluitur. Vt quid mihi occurrit aperiam, tria priùs placet præmittere. Alterum est, nomen *quiescere*, quod ab humanis ad diuina secundùm quamdam similitudinem transfertur, non semper eamdem habere significationem, & quidem in humanis, vbi est propriè labor; quoniam ad cessationem operis sequitur quies, ideò, completo opere, dicimur quiescere: & ita quies in humanis vnum connotat, id est, laborem & opus; alterum significat formaliter, id est, cessationem ab opere, & quietem. Quando idem nomen transfertur ad diuina, vel transfertur ad totam Trinitatem, Patrem, Filium & Spiritum sanctum, vel, secundùm quamdam appropriationem, dicitur de Filio Dei, ob assumptam humanitatem. Si dicatur primo modo, dicendum, connotare opus quidem, sed sine labore, & formaliter significare cessationem ab opere. Ratio est; quia beata Trinitas, cùm purissimus & infinitæ perfectionis spiritus sit, omnis passionis expers est. Sed, si dicatur secundo modo de Christo: ratione assumptæ humanitatis potest verbum *quiescere* significare nedum cessationem ab opere, sed etiam opus laboriosum transactum connotare; quemadmodum & anima à corpore separata in sua operatione non patitur, sed benè corpori vnita, quia sensibus indiget in operando, vt docent Philosophi; ad quod respiciens Sapiens dixit: *Corpus, quod corrumpitur, aggranat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem*, Sap. 9, 15.

Verbi quiescere multiplex significatio.

Manus Dei Filium significat. Alterum notandum sit, *manus* nomen, inter alias significationes quas habet in sacris Litteris, significare secundam sanctissimæ Trinitatis personam Verbum Patris, vt patet Psalm. 143, 7. vbi aduentum Filij Dei in mundum per incarnationem expostulans Propheta dicit, *Emitte manum tuam de alto*, &c. ea fortasse ratione; quoniam vt manu omnia operamur, & ideò organum organorum appellatur à Philosopho; ita Pater, quoniam omnia per Filium in esse produxit, dicente Ioanne, *Omnia per ipsum facta sunt*, manus Dei appellatur; et in auctoritate adducta Isaiæ, manus appellatione Filius Dei intelligitur: ratio est, quia in ea fit mentio humanæ redemptionis, quæ Filio appropriatur. Ioan. 1, 3.

Ad cuius intellectum subiungo tertiò. Opus quidem humanæ redemptionis auctoritate potestatis, quę tribus diuinis Personis communis est, æqualiter tribuitur Trinitati: ipsa enim auctoritate potestatis nos redemit, ac ideò Redemptor dici propriè potest; sed appropriatur Filio, propter exhibitionem obedientiæ & humilitatis, quia in assumpta humanitate implenit nostræ redemptionis sacramentum, liberando inquam nos à peccato, diaboli tyrannide, & Deo Patri reconciliando non corruptibilibus, auro & argento, sed vitam propriam pro nostra redemptione morti offerendo, ipso dicente: *Animam meam pono pro ouibus meis*, Ioan. 10, 15. ideò earumdē Redemptor per appropriationem, vt dixi, appellatur. Et ipse Isaias verbo Dei salutem nostram tribuit, vt clarè illius adducta indicant verba.

Opus redemptionis Trinitati communis Filio appropriatur.

Ad propositum, cùm creationem hominis tota fuerit operata Trinitas antequam Verbum humanaretur; de ea loquens Moyses dixit, ea peracta, Deum quieuisse ab opere: vbi verbo *quiescere* non cessatio à labore denotatur, sed ab opere simpliciter; quoniam in beata Trinitate labor esse nequit. Sed Isaias, loquens de eiusdem hominis redemptione operata singulariter à Dei Filio & manu in assumpta humanitate non sine laboribus & passionibus, eodem alibi per Isaiam dicente, *Seruire me fecisti in peccatis vestris, prabuisti mihi laborem*, meritò post illam absolutam dixit, non absolute Deum, sed Dei manum requiem capturam, prout requies significat cessationem à laborioso redemptionis opere, & eiusdem consummationem. Isa. 43, 24.

Deum dicitur quiescere in creatione & redemptione.

Requieuit autem manus Domini in nostro augustissimo & sanctissimo Caluariæ monte; quia in eo finem receperunt Filij Dei peregrinationes, prædicationes, labores & passiones, & quæ sacri Vates de eo vaticinati impleta fuerunt, quando dixit: *Consummatum est. Et inclinato capite tradidit spiritum*, Ioan. 19, 30. Requieuit manus Domini; quoniam ibi sui nominis exaltationem & corporis gloriam sibi promeruit, licet aliis titulis debitam, vt glorioſior esset. Requieuit in monte isto manus Domini in nobis; quia eduxit nos dextera sua de manu inimicorum nostrorum, de tenebris & vmbra mortis, & sanctos Patres de inferni carcere liberauit, & ad cælestia Regna perduxit,

Caluariæ mons quietus locus.

Digitized by Google

duxit, tartareas potestates, ac omnes alios visibiles & inuisibiles hostes profligauit & vicit.

Breuiter, præmissa colligendo, apparet, quanta quidem sit dignitas & excellentia nouæ nostræ Ierosolymæ & ciuium eius, & singulariter præeminentia sacratissimi nostri Caluariæ montis; quæ tanta est, vt facilè superet alia huius visibilis mundi loca, & aliis inuisibilibus ac beatis minimè cedat: quoniam in eo Reparator noster fecit opulentissimum conuiuium, iustis quidem corporis sui; omnibus verò verbi Dei & doctrinæ salutaris; fidei & gratiæ iis qui illam receperunt; gloriæ denique electis suis. Hîc cursum consummauit, & opus, quod à Patre suo accepit, perfecit; ita vt verè in eo quiescat, & nos in ipso. vnde quilibet nostrûm verè dicere potest: *In pace in idipsum dormiam, & requiescam*, Psalm. 4,9.

Sit hîc finis huius primæ Peregrinationis: etsi enim processio, quæ singulis quoque diebus fit in sanctissimi Sepulchri Domini nostri templo, non hîc terminetur, sed vlteriùs procedat ad alia sancta loca honoranda, vsque ad locum vnde primò discessit, tamen visum fuit illam hîc terminare, tum ne nimiùm in vna Peregrinatione loca & Capita multiplicaremus; tum vt mysteria verè distincta, dolorosæ, inquam, Passionis & gloriosæ Resurrectionis distinctis Peregrinationibus repræsentaremus. Vt igitur præsenti Peregrinatione comitati fuimus Christum ad mortem quam in Caluariæ monte sustinuit; ita in sequenti, eumdem de cruce depositum prosequemur ad Sepulchrum vsque, ex quo glorioſus exiuit, & ad locum, vbi dilectissimæ Matri suæ gloria & honore coronatus apparuit.

PEREGRINATIO II. *in qua recensentur enucleanturque septem obseruatione ac veneratione dignissima loca, quæ inuisuntur in templo augustissimo Dominicæ Resurrectionis inter sanctum Caluariæ montem & sacellum sanctæ Mariæ Virginis de Apparitione supplicationes prosequendo.* I. *Sacellum Adæ.* II. *Petra vnctionis Domini.* III. *Vbi amici Christi stabant à longè, dum crucifigeretur, & mulieres, dum de cruce depositus vngeretur.* IV. *Gloriosum Domini nostri Iesu Christi Sepulchrum.* V. *Vbi Christus in hortulani habitu apparuit Mariæ Magdalenæ.* VI. *Sepulchrum Ioseph ab Arimathæa.* VII. *Sacellum S. Mariæ Virginis de Apparitione.*

CAPVT PRIMVM.

De sacello Adæ, secundæ Peregrinationis primo loco, vbi Adæ caput fuisse humatum asseritur.

E Sacratissimo Caluariæ monte per scalam, quam anteà ascendimus, descendentes ad venerandam Petram vnctionis Domini, antequam ad eam accedamus, pertransimus sacellum quoddam, Adæ appellatum, & à læua parte relinquimus: de quo in præsentia agendum est.

Forma sacelli Adæ. Hoc Adæ sacellum est sub ea parte cryptæ montis Caluariæ, in qua Christus Dominus fuit in cruce eleuatus: illius longitudo pertingit ab extremitate vltimi Occidentalis arcus vsque ad locum vbi est cauum sanctæ Crucis, & scissura eiusdem montis. Sub fornice est depicta crux Domini, & in medio eius & circulo est effigies Saluatoris cum litteris Græcis, NIC⊛KA, & ex vtraque parte Angelus: omnia opere musaico elaborata, sicut & sequentia.

Stratum est eleganter hoc sacellum marmore dolato & opere tessellato. Sub fornice, qui est ad Orientem, est modicum altare. Longitudo sacelli, capite illius excluso, & fornicis plano, mensо etiam spatio parastatarum, vulgò *pilastri*, est palmorum 23. latitudo palm. 15. vnc. 8. Fornicis & capitis sacelli longitudo est palm. 11. vnc. 6. latitudo palm. 10. vnc. 10. Post altare, in pariete, vel fornice, potiùs dicam, in ipsa montis Caluariæ rupe, & scissura illa, cuius suprà Capite XLI. præcedentis Peregrinationis mentionem fecimus, tabella marmorea dolata satisque crassa est, vbi repositum fuisse caput Adæ ab eius posteris, docet vetus receptaque harum partium traditio; de qua plura dicemus Capite sequenti. Quod scisso monte, non scissa fuerit tabella illa, mirantur Ierosolymitæ; sed quomodo id accidere potuerit considerandum relinquitur. Atque ex capite Adæ protoplasti nostri, quòd ibi tumulatum fuisse credatur, sacellum hoc, sacellum Adæ appellatur. *Locus tabellæ Adæ.* *Ratio nominis sacelli Adæ.*

Præter dicta; quod in illo singulari consideratione dignum est, sunt duo marmorea

rea mauſolea duorum Ieroſolymitarum Regum, quæ ſunt in introitu ſacelli plagæ Occidentalis: quod in dextera & Meridionali, eſt inuictiſſimi ac puſſimi Godefridi Bullonij, primi Regis Ieruſalem, poſt illius vltimam ab infidelibus per Chriſtianos ſub illius auſpiciis recuperationem: quod in læua & Aquilonari parte, eſt Balduini fratris, qui illi in Regno ſucceſſit, & fuit I. huius nominis Rex. Sunt in illis congrua inciſa Latinis litteris epitaphia: quæ quamuis tum apud alios tum in pluribus Terræ ſanctæ Itinerariis deſcripta inueniantur, quæ tamen ego vidi non fuerunt ex originalibus fideliter tranſſcripta: vel quia qui tranſſcripſerunt, non viderunt; vel quia qui viderunt, nequiuerunt, vel ob inopiam temporis, & defectu conſiderationis neceſſariæ, quoniam odio Græcorum parum demolita ſunt, ad verbum, & vt verè ſunt, deſcribere: nos, quibus tempus & conſideratio non defuit, curauimus illa iiſdem characteribus quibus inciſa ſunt hic tibi adſcribere. & ſunt vt ſequitur.

Epitaphium ſepulchri Godefridi Bullonij I. Ieruſalem Regis.

HIC IACET: INCLITVS: DVX. GODEFRIDVS
DE BVLLON QVI TOTAM ISTAM: TERRAM:
AQVISIVIT: CVLTVI: XPIANO: CVI'
ANIMA: REGNET CUM XPO AMEN.

Epitaphium ſepulchri Balduini Regis Ieruſalem huius nominis I.

REX BALDEVVINVS IVDAS: ALTER MACHABEVS
SPES PATRIE VIGOR ECCLIE VIRTVTIVSQ:
QVEM FORMIDABANT CVI DONA TRIBVTA FEREBAT
CEDAR & EGYPT'. DAN. AC HOMICIDA DAMASCVS
HEROh DOLOR IN MODICO CLAVDITVR HOC TVMVLO.

Sepulchro Balduini alterum ſepulchrum proximum Melchiſedech primi Regis Ieruſalem, Græci dicunt.

Adrichomius in Deſcriptione Ieruſalem num. 242. præmiſſorum meminit ſepulchrorum, additque ibi (id eſt in Eccleſia quæ montis Caluariæ appellatur) eſſe ſepultos aljos Reges Ieruſalem qui dictis ſucceſſerunt; verum eſt, ſed extra ſacellum Adæ, & non longè, ex parte Aquilonari iuxta murum è regione Petræ vnctionis Domini: ibi etenim ſunt quatuor ſepulchra ordinatè diſpoſita, ſed Græcorum odio fracta & demolita, & vnius dumtaxat, quod in capite eſt, legitur epitaphium vt ſequitur.

Epitaphium ſepulchri alterius Regis Ieruſalem.

SEPTIM': IN TVMLO PER: ISTO REX TVMLAT':
EST: BALDEVNI': REGIM: DE SANGVINE: NAT':
QVEM VLT: E MVNDO: SOS: PRIMI CONDITORIS:
VT PADYSIACE LOCA: POSSIDEAT REGIORS.

Rex in tumulo iſto ſepultus, cuius proprium nomen in epitaphio non exprimitur; an eſt Balduinus IV. ſeptimus Ieruſalem Rex, de quo Guilielmus Tyr. lib. 21. de Bello ſacro, quem ſextum Ieruſalem Regem ex Latinis appellat. Puer appellatus; quia vitam cum morte commutauit anno vitæ ſuæ 18. (cùm enim ageret annum 13. fuit ſanctæ Ciuitatis Rex creatus, Regnique gubernacula tenuit annis quinque dumtaxat;) & quia vt puer caſtiſſimè vixit. An potiùs erit Balduinus V. huius nominis Rex, & ſeptimus Ieruſalem, qui verè puer obiit, vt notauit D. Antoninus 2. p. Hiſt. tit. 16. cap. 13. §. 11.

An in præſentia ſint corpora Regum olim

Digitized by Google

olim in dictis ſepulchris tumulata, an potiùs ab illorum poſteris ad proprias patrum regiones tranſlata, quando vltimò fuerunt Chriſtiani è Terra ſancta electi, me latet; illud magis probabile, quoniam in Terra ſancta ſepeliri omnes plurimi faciunt, etſi aliqui opinẽntur fuiſſe ad partes Chriſtianorum tranſlata. De loco ſepulturæ Regum Latinorum ſanctæ Ciuitatis agit Auctor Epitomes Bellorum ſacrorum apud Henricum Canſium Tomo 6. Antiq. lect.

Duo Burgundiæ Principes mandant cor ſuum Ieroſolymis ſepeliri.

Non abs re erit hîc adnotare quod in Chronicis Hollandiæ legitur de duobus Burgundiæ Principibus. In primis anno Domini 1467. 15. Iunij obiit Philippus primus Dux Burgundiæ 26. Comes Hollandiæ, ætatis ſuæ 73. qui ſeriò teſtamento filiis ſuis mandauit inter cetera, vt ſui corporis inteſtina ſepelirentur apud S. Donatianum; cor verò, eiuſdem iuſſu, multis monilibus aureis & argenteis ab Epiſcopo Atrebatenſi exornatum & capſa incluſum, multis Nobilibus comitantibus, Ieroſolymam delatum fuit, datis Fratribus Minoribus ibidem regiis muneribus: nam qui ea loca viuens ſemper cordi habuit, ſuæ dilectionis argumenta etiam in morte manifeſtauit. Ita Chronica Hollandiæ Diuiſione 29. cap. 54.

Deinde Philippus Dux Burgundiæ, 29. Comes Hollandiæ, Burgis in Caſtilia obiit anno ætatis 28. Septembris 26. Domini 1560. ſeuerè mandans cor ſuum ſepeliri in Ieruſalem, vbi iam pridem ſepultum fuerat cor Philippi primi abaui ſui. Ibidem Diuiſione 22. cap. 23.

Supra hoc Adæ ſacellum & ipſum Caluariæ montem ſub coronide faſtigij erat olim longa ſcriptura Latinis litteris exarata, ſed nunc ferè demolita; quæ remanſit, perfectum ſenſum non facit, quam ne deſideres, illam hîc tibi ſubiicimus.

.....

.....

.....SPNMSARA

.....)DIMᵒS.....SED DOMIAC

SAR CIRCVM SVPER.....

ALVICh ERICO PATÆRChA

CVIᵒ TVNC QVRTᵒ PATÆR-

ChÆVS .....SEMEL VNᵒ

ÆB VRBE QVAE SIMILIS

PVR(.....ERANT

.....

EXORT DNINV MERÆBAN-

TVR SIMVL ANN.....

.....VINDE-

CES.....IVDICES.....

An Patriarcha, cuius fit mentio in adducto fragmento, eſt Almericus, qui priùs Prior Eccleſiæ ſancti Sepulchri, poſt Fulcherij Ieroſolymitani Patriarchæ mortem in eius locum fuit ſuffectus, poſteà ab Hadriano, illius temporis ſummo Pontifice, confirmatus, vt docet Guilielmus Tyr. lib. 18. cap. 20? Sed tunc, quid ſibi volunt illa verba, *cuius tunc quartus Patriarchatus?* Non poteſt dici, quòd fuerit quartus ex Patriarchis Latinis, qui pòſt, captis Ieroſolymis, illius ſedem legitimè tenuerit, quia octauus recenſetur à Tyrio. Lege quæ diximus Libro 1. Capite LXIII. An quartus annus Patriarchatus eiuſdem? an, quòd Patriarchatus Ieroſolymitanus in ordine ad alios quartum locum teneat?

Huius Adæ ſacelli curam habent Græci, & in proceſſione peculiari veneratione non colitur. Sed quare hoc? an non ſanctum & myſterij gratia erectum? an Adam ipſe, ſuper quem cecidit ſalutaris vndâ Saluatoris, non fuit ab omni labe mundatus & ſanctificatus, ac proinde intra paradiſi ianuam admiſſus, ac ideò ipſe cum ſuo ſepulchro à ſuis filiis honorandus?

Sacellum Adæ quare in proceſſione non viſitent.

Hanc libenter excitaui quæſtionem, quoniam ex eius ſolutione aliquid ſcitu dignum de ſalute Adæ explicabitur. Dico igitur primò, in proceſſione veterum Patrum mentem fuiſſe, vt in locis ſacratiſſimis ſanctiſſimi Sepulchri recolerentur myſteria noſtræ ſalutis, paſſionis & reſurrectionis Domini; & ſi aliorum celebraretur memoria, illorum dumtaxat qui aliquod memorabile ibi operati fuere ad honorem Saluatoris: & hac ratione, dum paſſionis myſteria recenſentur, & loca ſacratiſſima colimus, interſeritur etiam commemoratio Helenæ piiſſimæ, quæ ſancta eſt, & ab Eccleſia vt veneratione habeatur propoſita; & ſacra templa ibi ædificauit, de locis ſanctis benè merita. At non hæc item poſſumus dicere de noſtro primo parente, ne dicam interfectore, qui nil memorabile, quod ſciatur, ibi geſſit, & vt inhonoraretur Chriſtus, eius inobedientia in cauſa fuit.

Dico ſecundò. Si venerari oporteret illud ſacellum, vt alia ſancta loca, vel ideò quia locus ſanctus Caluariæ eſt; & ob hanc rationem non eſt neceſſe, quia iam non ſemel fuit ſacer mons debito honore honoratus;

vel ratione contentorum, id est Adæ, quem ibi fuisse humatum supponamus, & Regum Ierusalem; & hoc non, quia illos non retulit Ecclesia in Sanctorum numerum, nec eos nobis proposuit, vt honore Sanctis debito veneremur. Nec credo, sacellum Adæ appellari, quia sit ad eius honorem ædificatum, vt solent Sanctis ædificari sacella & templa, sed quia continet locum illius sepulturæ; qua ratione posset etiam appellari Godefridi Bullonij, vel Regum Ierusalem sacellum: etsi illud etiam affirmare, non haberem pro inconuenienti.

CAPVT II.

Num Adam salutem à Domino fuerit consecutus.

EX vltimò dictis Capite præcedenti posset quis in dubium vertere nostri protoplasti salutem; quod vt diluatur, aliqua placet de illa in medium proponere.

De salute Adæ fuit ab aliquibus dubitatum; & ratio est, quoniam Scriptura diuina de illius peccato apertè loquitur, sed non ita manifestè de pœnitentia, quin dubitari haud potuerit, vel expositione non indiguerit. Fuit opinio, error potiùs, & inter hæreses numeratur ab Alphonso de Castro aduersus Hæreses tit. Adam. Hæres. 1. Bellarm. To. 3. de Amissione gratiæ & statu peccati cap. 12. fuit inquam hæresis Tatiani, qui asseruit, primos homines post mortem æternæ damnationis sententiæ addictos fuisse: cui adhæsit Rupertus de Trinit. & operibus eius lib. 3. in Gen. cap. 31. cuius ratio est; quia nusquam Canonica scriptura testatur illum egisse pœnitentiam. In eo dumtaxat, qui inscribitur *Liber sapientiæ*, de illo sic scriptum est: *Hæc*, subauditur sapientia, *illum, qui primus formatus est à Deo pater orbis terrarum, cùm solus esset creatus, custodiuit; & eduxit illum à delicto suo, & dedit illi virtutem continendi omnia.* Verùm hæc scriptura neque de Canone est, neque de Canonica scriptura sumpta est sententia hæc, vt cetera, quæ de patribus in eodem libro cum laude sapientiæ commemorantur; verbi gratia hæc: *Venditum iustum*, subaudis Ioseph, *non deseruit*, & reliqua. Quod ergo illic dictum est, *Eduxit illum à delicto suo, & dedit illi virtutem continendi omnia*, maiore libertate paruipenditur quàm suscipitur; quia quando, vel vbi peccatum suum agnouerit, aut pœnitentiæ satisfactionem attulerit, non ostenditur. Ampliùs autem, quod dictum est, *Et dedit illi virtutem continendi omnia*, nullum certum sensum præsentat; quia profectò, præter vnum hominem Iesum Christum, nullus est homo habens virtutem continendi omnia. Itaque, quia de illo vetere Adam nihil vsque boni operis inuenitur, & nouus Adam illi est oppositus; *Sicut enim in Adam omnes moriuntur; ita & in Christo omnes viuificabuntur*; saluatio eius & à multis liberè negatur, & à nullo satis firmiter defenditur. Ne quis tamen temerè definiat, constat ex hoc, vt Ecclesiastica refert Historia, ab Encraticis hæreticis inuentum fuisse, quibus Tatianus auctor extitit. Hactenus ex Ruperto.

Sap. 10, 1.

1. Cor. 15, 22.

Eccles. Hist. lib. 4. cap. 16.

Opposita huic errori sententia tenet, Adamum & etiam Heuam saluos esse, & à Christo Domino post suam resurrectionem ad cælum euectos fuisse. Hæc sententia communis est, & probatur auctoritate Scripturæ sacræ, Ecclesiasticorum Scriptorum veterum ac recentiorum, & rationibus. Scripturæ auctoritas est iam adducta ex libro Sapientiæ, vbi agit Sapiens de salute, quam per salutem adepti sunt veteres, Noë, Abraham, Lot, Iacob, Ioseph, Moyses, & ante hos omnes Adam. *Hæc*, inquit libri Auctor, *illum*, &c. Hac auctoritate communiter docent Auctores, Adamum saluum esse, pœnitentiam egisse, & per Dei sapientiam, quam perdidit innocentiam comparasse. Nec debebat negare Rupertus, librum Sapientiæ esse Canonicum: nam non solùm post ipsum à Concilio Tridentino in numerum librorum Canonicorum relatus, sed ante eius tempora à Conciliis Carthaginensi & Laodicensi, necnon à quibusdam summis Pontificibus, à D. Augustino & aliis Patribus vt Canonicus approbatus, vt benè aduertit Pererius To. 1. in Gen. lib. 7. vbi disputat, vtrùm Adam sit saluus; & ampliùs Cardinalis Bellarminus Tom. 1. De verbo Dei, lib. 1. cap. 13.

Adam & Heua saluatus fuit.

Nec debuit ab hac vera sententia deterreri Rupertus, quòd non aduerterit, quomodo Adam posset habere virtutem continendi omnia, quòd hæc soli Christo conueniat. Etenim, vt alios continendi modos omittamus, aliquid continere omnia potest dupliciter intelligi: vel virtualiter, quòd habeat virtutem omnia in esse producendi; & hic continendi modus non illi sed Christo conuenit, *in quo omnia, ex quo omnia, per quem omnia*, vt dixit Apostolus Rom. 11, 36. vel subiectiuè, & per modum dominationis; & talem recepit Adam à Deo: *Nam*, vt inquit in eum locum Lyranus, *dedit illi dominium super omnia inferiora.* Et aduertit Iansen. in Sap. 10. & Pererius, pro *continere*, ex Græco transferri *imperare & dominari*; ita vt sit alluſio ad id quod dicitur Genes. 1. & Psal. 8. Deum dedisse

Continere multipliciter accipitur.

Digitized by Google

diſſe Adam principatum, dominationem & imperium ſuper omnes animantes.

Et D. Auguſtinus Epiſt. 99. ad Euodium appoſitè ad hoc in hunc modum ſcribit: *Et de illo quidem primo homine, patre generis humani, quòd eum ibidem* (Chriſtus ad inferna deſcendens) *ſoluerit, Eccleſia ferè tota conſentit: quod eam non inaniter crèdidiſſe credendum eſt, vndecumque hoc traditum ſit, etiamſi Canonicarum ſcripturarum hinc expreſſa non proferatur auctoritas: quamquam illud quod in libro Sapientiæ ſcriptum eſt;* Sap. 10, 1. *Hæc illum qui primus factus eſt patrem orbis terrarum, cùm ſolus eſſet creatus, cuſtodiuit, & eduxit illum à delicto ſuo, & dedit ei virtutem continendi omnia; magis pro hac ſententia, quàm pro vllo alio intellectu facere videatur.* Ex quibus verbis probat Auguſtinus, traditione non ſcripta, & ex Scriptura, quæ an Canonica ſit, non vertit in dubium, Adamum ſalutem conſecutum fuiſſe: nec videtur de quo meliùs poſſint illa verba intelligi, quàm de primo omnium parente.

Dicta de Ada ſalute, de ſalute Heuæ ſimiliter intelligenda ſunt.

Dicta ac dicenda particulariter de Adami ſalute, etiam de Heuæ ſalute ſimiliter intelligenda ſunt: nam ſi per primum hominem, loco Sapientiæ adducto deſcriptum, accipiamus Adamum & Heuam, vt ratio dictat, & apertè accipit Scriptura ſacra Geneſ. 1, 26. vbi ait: *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram: & præſit piſcibus maris, & volatilibus cæli, & beſtiis, vniuerſæq; terræ, omniq; reptili quod mouetur in terra.* hæc enim omnia tam Heuæ quàm Adamo conueniunt. & clariùs verſu ſequenti illis verbis: *Et creauit Deus hominem ad imaginem ſuam: ad imaginem Dei creauit illum.* & quid ibi per hominem intelligat, magis declarat ſubiungens: *Maſculum & feminam creauit eos.* Si, inquam, vocabulo primi hominis vterque ſexus accipiatur; vtique fateri oportet, ipſam quoque Heuam à peccato fuiſſe eductam, & ab æterna damnatione liberatam; & meritò: *Vtrumque enim ſexum Dominus curaturus aduenerat,* inquit ſanctus Ambroſius lib. 6 in cap. 4. Lucæ, ſub finem; *ſed prior ſanari debuit qui prior creatus eſt, nec prætermitti illa, quæ mobilitate magis animi quàm prauitate peccauerat.*

Heuæ viuum & feminam ſignificat.

Confirmatur; quia hæreſis Tatiana, contra quam Patres ſcripſerunt, aſſerebat, primos noſtros parentes, Adamum ſcilicet & Heuam, eſſe damnatione perpetua in infernum detruſos, propter eorum primum inobedientiæ peccatum, vt tradit Alphonſus à Caſtro: & qui eam confutant, præſertim adducta Sapientis auctoritate, non diſtinguunt de Adamo & Heua; ſed Adami ſeu primi hominis appellatione intelligunt vtrũq; coniugem, quemadmodũ facit Scriptura locis allegatis, & de ipſis coniunctim loquuntur, nec à ſalute Heuam excipiunt.

Imò memoratus Alphonſus etiam ſpeciatim probat, ipſam nequaquam fuiſſe damnatam; & hoc eadem met ratione, qua hoc idem de viro eius probauerat; ratione inquam ab ipſorum punitione deſumpta: nam cùm priùs de Adamo dixiſſet, quòd ipſum puniens Deus non ita eum maledixit, vt vocaretur maledictus, quemadmodum hi qui æterno igni ſunt deſtinati; & vt poſteà dixit Deus ſerpenti & Caino: *Maledictus eris,* &c. Gen. 3, 14. & 4, 11. ſed terram maledixit in operibus eius; in punitionem illi infligens tædia & terrenum laborem, & comedere panem in ſudore vultus ſui, & conuerti in terram de qua ſumptus eſt. Poſteà protinus ſubiungit: Similiter & mulier punita eſt per tædia, labores, gemitus, triſtitias, dolores partus. Hoc autem, inquit, diſpenſatiuè à Deo factum eſt; vt neque maledicti à Deo in totum perirent; neq; ſine punitione viuentes Deum cõtemnerent. Ex his apparet, hunc auctorem rationabiliter nihil inter Adami & Heuæ ſalutem diſcreuiſſe, ſed ambos pariter ſaluos dixiſſe. Accedamus nunc ad veteres Patres.

Adam & Heua quare à Deo puniti.

Sanctus Auguſtinus loco adducto eam docet ſententiam, & libro 2. de Peccat. meritis & remiſſ. cap. 34. ait, primos homines poſt peccatum iuſtè viuendo, meritò credi per Domini Sanguinem ab extremo iudicio liberatos, & Serm. 104. de Tempore: *Adam*, inquit, *confitendo peccatum, venia redditus eſt; Cain, quia negauit, æterna pœna damnatus eſt.* Idem lib. 2. de Pœnit. cap. 11. dicit, ſeparatum à deliciis feciſſe pœnitentiam: Tertullianus lib. 2. cap. 25. contra Marcionem appellat Adam & Heuam reſtitutionis candidatos, confeſſione releuatos, quia induerunt ſe perizomatis ex foliis ficulneis, quaſi ſacco & cilicio. Irenæus, Epiphanius locis inferiùs citandis, & Macarius Senior Ægyptius Homil. 11. relatus in Biblioth. veterum Patrum Tom. 2. dum Chriſtum poſt mortem, ad infernas tenebras & mortem introducit in hunc modum loquentem: *Præcipio igitur vobis inferna tenebræ & mors, emittite animam Adæ incluſam: & ita paulò pòſt, improbæ poteſtates tremebundæ reſtituunt Adam incluſum.* Anſelmus lib. 1. Cur Deus homo, cap. 16. ait, Adam & Heuam pœnituiſſe ad redemptionem, quamuis hoc auctoritas diuina apertè non pronuntiet. S. Thom. 4. Contra Gentes cap. 52. 53.

Ex recentioribus, Alphonſus à Caſtro, Bellarminus, Pererius locis citatis, Salmeron

Tom. 10. cap. 35. Lorinus in cap. 10. Sapient. & alij ibi, Maſſius in cap. 14. Ioſ. & ibidem Magalianus; qui & addit, oppoſitam ſententiam vt temerariam reijciendam eſſe, cùm repugnet auctoribus, quos tota ferè obſeruat Eccleſia. Ex his patet, Adamum aliquid boni feciſſe, & pœnitentiam egiſſe dicemus ampliùs Capite 1 v. & Lib. vi. Peregrinat. vii. Cap. v. quam egiſſe non inuenit dicebat Rupertus. Obtulit Deo ſacrificia, & ea offerre docuit filios ſuos; quod optimum eſt. Ita tradit Pererius loco citato de Cain & Abel ad cap. 4. Geneſ. verſ. 2. num. margin. 14.

Nec facit difficultatem, quòd Adam Chriſto fuerit contrarius ſenſu explicato ab Apoſtolo; nam & ceteri peccatores fuerunt Chriſto contrarij: ſed vt faceret amicos venit Chriſtus; venit enim peccatores ſaluos facere, & non tantùm ex illis primis patribus progenitos, ſed ipſos etiam progenitores. *Dominus enim noſter*, vt dixit magnus Leo Serm. 1. de Natiuitate Domini, *peccati mortiſq; deſtructor, ſicut nullum à reatu liberum reperit, ita pro liberandis omnibus venit.* In Reuelationibus Birgittæ poſt lib. 8. in Serm. Angelico, de Virginis excellentia cap. 7. ait Angelus: *Proteſtatur ſacra Pagina, Adam in Paradiſi felicitate exiſtentem mandatum Dei præteriiſſe; ſed poſtquam in miſeriam deuenit, diuinæ voluntati ipſum inobedientem fuiſſe non commemorat; vnde verè patet, Adam totis præcordiis Deum dilexiſſe.* & pluribus ibi oſtendit, culpæ pœnituiſſe, bonisque operibus Deum ſibi offenſum reconciliaſſe, & ab eo ſalutem conſecutum. De Adæ pœnitentia poſt peccatum agit F. Ion. Ludouius Viualdus in libro Opus Regale vocato fol. 322.

Nec deſunt probabilia argumenta quibus citati Auctores ſuam roborent ſententiam. S. Irenæus lib. 3. cap. 34. & ſeq. pluribus probat, ſaluos eſſe primos parentes.

I. Quia noua eſt contraria ſententia, & ab ipſo Tatiano primùm excogitata.

II. Quia Deus non maledixit Adamo & Heuæ, ſicut maledixit ſerpenti, cuius ſalus omnino deplorata erat. Quo argumento vtitur etiam Alphonſus à Caſtro, vt iam vidimus, & ante ipſum Tertullianus citatus: *Ideò*, inquit, *nec maledixit ipſum Adam nec Heuam, vt reſtitutionis candidatos, vt confeſſione releuatos.*

III. Quia Adam & Heua, vt iam fuit indicatum, non mollibus veſtibus, ſed aſperis perizomatis ex foliis ficulneis, quaſi ſacco & cilicio, ſe induerunt; cùm aliæ frondes & magis ad tegendum nuditatem idoneæ non deeſſent.

IV. Quia non videretur bonus paſtor ouem centeſimam, quæ perierat, inueniſſe propriè, ſi primus homo, qui per eam ſignificabatur, ſaluus non eſſet.

V. Quia poſſet diabolus meritò gloriari, ſe à Chriſto victum non eſſe, ſi filij ac poſteri primorum parentum, non ipſi primi parentes, liberarentur. Diabolus enim primos parentes propriè ſuperauit; ceteros autem homines ideò iure captiuos tenet, quòd filij ſint eorum quos ipſe iure belli ſeruos ſuos fecit. A quo enim quis ſuperatur, eius ſeruus efficitur.

VI. Leo IX. intermitti propterea ait in Septuageſima Gloria in Excelſis Deo, & Alleluia, quia peccauit primus homo; & in Paſchate repeti, quoniam, Chriſto reſurgente, reſurrexit ille lapſus protoplaſtus.

VII. Denique Epiphanius Hæreſi 46. aliud addit argumentum, quòd Adam ſepultus fuerit eo loco in quo Chriſtus Sanguinem fudit; & eo myſterio factum credit, vt intelligeremus, ipſum fore participem fructus Sanguinis Chriſti. ſed de hoc infrà Cap. iv. Quare vt homo non præciſus ab Eccleſia, ſed Deo chariſſimus, in loco ſacratiſſimo fuit ſepultus, & eius memoria in memorato ſacello conſeruata. Ex his abundè ſolutæ remanent rationes dubitandi initio Capitis adductæ.

CAPVT III.

Si Adam ſalutem eſt à Deo conſecutus, quare Eccleſia illum non adſcripſit catalogo Sanctorum?

SEd non immeritò quæret quiſpiam: Si noſtri primi parentes ſalutem à Domino fuerunt conſecuti, & in cæleſti Ieruſalem Deo perfruuntur, quare tamquam Sanctos ſancta mater Eccleſia illos colendos nobis non propoſuit?

Eccleſia quoniam Sanctorum catalogum reſpon.

Reſpondetur, Eccleſiam non omnes, de quorum ſalute haud dubitatur, tamquam Sanctos canonizare, & vt tales fidelibus proponere vt honorentur; ſed illos dumtaxat, quorum vitâ & doctrinâ conſpicuâ Eccleſia fuit promota, & moribus & exemplis informata dum viuerent; vnde dicitur Eccli. 44, 1. *Laudemus viros glorioſos in generatione ſua.* & S. Apoſtolus Philip. 4, 3. ait: *Adiuua illas, quæ mecum laborauerunt in Euangelio cum Clemente, & ceteris adiutoribus meis, quorum nomina ſunt in libro vitæ.* & poſt mortem eorum orationibus fuit beneficia conſecuta in languidorum curatione, & mortuorum ſuſcitatione. Propter iſta veneratur Petrum & Paulum, & pleroſque alios pietate ac doctrina præditos viros; quoniam viui & mortui verbo & exemplo ſanctæ Eccleſiæ plura obtinue-

runt

runt beneficia; ob quæ cantat Ecclesia in laudem cuiuslibet Confessoris:

Qui pius, prudens, humilis, pudicus,
Sobriam duxit sine labe vitam,
Donec humanos animauit aura
Spiritus artus.
Cuius ob præstans meritum frequenter,
Aegra quæ passim iacuere membra,
Viribus morbi domitis, saluti
Restituuntur.

Quare, horum defectu, pueros, qui statim post susceptum baptismum è viuis decedunt, licet statim ad Dei visionem admittantur, tabulis tamen Sanctorum non adscribit Ecclesia. Idem dici posset de nostris primis parentibus: qui licet post peccatum pœnitentiam egerint, & beneficio Saluatoris æternam beatitudinem sint adepti; verùm, quoniam de excellenti illorum sanctitate, vel quòd profuerint viui vel defuncti fidelibus & filiis, non constat, vt nocuisse plurimùm certissimum est, ideò tamquam sanctos Sanctorum catalogo non adscripsit Ecclesia, nec vt tales fidelibus honorandos proposuit.

Sed ampliùs, accedit particularis ratio, quòd Ecclesia non canonizet Patres veteris testamenti; tum quia causa semper suum præcedit effectum, & non sequitur: sed causa & fundamentum omnium Sanctorum fuit Christus: ipse enim fuit *Sanctus sanctorum*, vt scribitur Daniel. 9, 24. nullus ergo debet pro sancto canonizari qui fuit ante Christi Natiuitatem.

Præterea, canonizatio Sanctorum requirit tempus plenitudinis gratiæ: *Gratia autem & veritas per Iesum Christum facta est*, Ioan. 1, 17. sancti autem Patres Veteris Testamenti, quantacumque sanctitate pollerent, non fuerunt in tempore plenitudinis gratiæ; imò talis plenitudo gratiæ in lege illa quasi tenebatur inclusa figuratiuè & ænigmaticè, iuxta illud Apostoli 1. Cor. 10, 11. *Omnia in figura contingebant illis*, nec præsentialiter intuebantur eam; sed sicut dicit idem Apostolus Heb. 11, 13. *Defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus, sed à longè eas aspicientes, & salutantes, & confitentes, quia peregrini & hospites sunt super terram.*

Denique Ecclesia sanctitatem illorum non solemnizat; quia, quantumcumque personaliter essent sancti, claritas tamen diuinæ visionis eis non fuit ostensa; quoniam necdum solutum fuerat debitum humanæ naturæ per mortem Christi, sicut decretum fuerat in sanctissimæ Trinitatis concilio, vt cum D. Anselmo docet subtilis Doctor, & alij Theologi. In huius figuram dicit Apostolus, quòd in secundo tabernaculo solus Pontifex semel in anno non sine sanguine introibat; hoc Spiritu sancto significante, nondum propalatam esse Sanctorum viam. Lege Augustinum Triumphum de Potest. Ecclesiast. quæst. 17. artic. 1. & 2.

D. Anselmus lib. 2. Cur Deus homo, c. 16. Scot. 19. d. 19. q. vn.

CAPVT IV.

Num corpus Adæ, vel eius caput, fuerit in monte Caluariæ an in Hebron tumulatum.

QVamuis parum referre videatur, scire, vtrùm Adam, vel ejus caput, fuerit in Ierusalem & Caluariæ monte sepultum, vel in Hebron; multùm tamen conducit ad defendendam traditionem illam, quæ asserit, Ierosolymis sub Caluariæ monte monstrari locum vbi protoplasti caput fuit sepultum, vt superiùs diximus. Si enim non ostenderimus ita esse, & à veritate illam traditionem & sententiam alienam non esse, & oppositum sentientium argumentis non respondemus, corruet illa traditio; quæ, vt firma & stabilis permaneat, propositam explico difficultatem; in eiusque dilucidatione tria præstabo. Primò, sententias varias cum suis fundamentis proponam. Secundò, inquiram, quomodo potuerint primi parentes venire, vel, quomodo venerint, postquam fuerunt electi de terrestri Paradiso, in Iudæam, ibique vltimam diem clauserint, Adamque in ea, siue in Ierusalem, siue in Hebron fuerit tumulatus. Tertiò, respondebo argumentis quibus impugnatur affirmatiua sententia, in Caluariæ monte fuisse sepultum primum omnium parentem.

Quantum ad primum, tres mihi videntur posse adduci opiniones pro solutione huius difficultatis. Prima asserit, Adam non Ierosolymis, sed in Hebron fuisse sepultum. Hanc nonnulli ex veteribus Patribus, & aliqui ex recentioribus sequuntur Doctoribus: fundantur verò in auctoritate Ios. cap. 14. vbi agitur de Hebron, illis verbis: *Nomen Hebron antè vocabatur Cariath Arbe; Adam maximus ibi inter Enacim situs est.* Volunt enim isti *Adam* nomine, ipsum primum & communem humani generis parentem intelligendum esse; qui maximus propterea appellatur, quia origo fuit & princeps sobolis humanæ. In Hebron egit pœnitentiam, suique memoriam reliquit locum, vallem lacrymarum appellatum, ibique vitam finiuit, & tumulatus est. Et cùm valdè conueniens fuerit, vt Scriptura sacra mortis & sepulturæ primi omnium parentis mentionem faceret, cùm aliorum ex eo descendentium non tacuerit, cumque nullibi euidentiùs quàm in prædi-

Adam in Hebron sepultum, probatur.

cta auctoritate inueniatur, & cùm historica sit, in simplici sensu accipienda est: vnde sicut Hebron nomine, vera Hebron ciuitas intelligitur; ita Adæ nomine propriè ipse primus homo intelligi debet: indicauit hoc Latinus interpres, dum Adam transtulit, & non hominem, vt quod diximus significaret: quoniam Adæ nomen absolutè prolatum, primo tantùm parenti, & non cuiuis homini, accommodatur.

Eadem sententia arridet Abulensi ibidem quæst. 10. quòd simplicior sit, & ad Catholicorum communem sensum magis idonea: & vt probabiliorem recipit eo loco Cosmas Magalianus Annot. 4.

S. Hieronymus propter illam auctoritatem idem sentit tum in Epitaphio Paulæ, tum in cap. 5. Epistolæ ad Ephes. sed singulariter in cap. 27. Matth. vbi alteram contemnit; sic verò ait: *Audiui quemdam exposuisse Caluariæ locum, in quo sepultus est Adam; & ideò sic appellatum esse, quia ibi antiqui hominis sit conditum caput; & hoc esse*
Ephes. 5, 14 *quod Apostolus dicit: Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus. Fauorabilis interpretatio, & mulcens aures populi, nec tamen vera. Extra vrbem enim, & foras portam, loca sunt, in quibus truncantur capita damnatorum, & caluariæ, id est decollatorum, sumpsêre nomen. Propterea autem ibi crucifixus est Dominus, vt vbi priùs erat area damnatorum, ibi erigerentur vexilla martyrij: & quomodo pro nobis maledictum crucis factus est, & flagellatus est, & crucifixus; sic pro omnium salute quasi noxius inter noxios crucifigeretur. Sin autem quispiam contendere voluerit, ideò ibi Dominum crucifixum, vt sanguis eius super Adæ tumulum distillaret, interrogemus eum; quare & alij latrones in eodem loco crucifixi sint? ex quo apparet, caluariam, non sepulchrum primi hominis, sed locum significare decollatorum; vt vbi abundauit peccatum, superabundaret gratia. Adam verò sepultum iuxta Hebron & Axbee, in Iesu filij Naue volumine legimus.* Hactenus S. Hieronymus. In quibus duo dicit S. Doctor. Alterum, Caluariæ montem non esse denominatum à caluaria Adæ, sed à caluariis damnatorum. Alterum, Adam non esse in Caluariæ monte, sed in Hebron sepultum.

Cardinalis Baronius Tom. 1. Annal. anno Christi 34. impugnat primum dictum sancti Doctoris, quòd ille mons denominationem acceperit à caluariis decollatorum; quoniam *eiusmodi supplicium*, inquit, *apud Hebræos nec lege esse sancitum, nec consuetudine inuenimus approbatum: apud Romanos enimerat in vsu, quos haud multò ante hæc tempora Iudæis dominari cœpisse, certum est.* Confirmatur; quia si Euangelista non credidisset denominari à primo parente, sed à capitibus decollatorum, non singulari nomine Caluariæ locum, quasi singularem virum designans, sed numero multitudinis dixisset Caluariarum.

Verùm non mihi videtur improbabilis sententia D. Hieronymi quantum ad hoc dictum. Etenim cum Caluariæ nomen sit à Iudæis impositum, non est credendum, in illius impositione respexisse ad caput primi hominis; nam ibi fuisse sepultum, vel in Ierusalem, quidam quidem dixerunt, negauerunt alij, & omnes dubitauerunt. Et profectò, si certò nouissent, vel probabiliter suspicati fuissent Iudæi, in Caluariæ monte caput vel corpus Adæ fuisse sepultum, locum maiori habuissent in veneratione, vt aliorum Patriarcharum sepulchra, nec sontium supplicio destinassent. Si dicatur, non fuisse in eorum potestate, quia sub Romanorum Imperio erant; Respondeo, facilè potuisse à Romanis obtinere, ne in eo loco iudicio damnatos interimerent, qui maiora ab illis obtinuerunt. Et quid ad Romanos attinebat, sontes in illo vel in alio loco multare?

Ad Baronium verò respondere quis posset. Licet illius mortis supplicium vel ex lege vel ex consuetudine Hebræorum non fuerit in vsu, sufficit fuisse apud Romanos, quibus non multò ante illa tempora Hebræi subiecti facti sunt. Et quid prohibet dicere, quódve incommodum sequitur, iudices illos Gentiles, nocentes secundùm eorum leges vel consuetudinem puniuisse? inconueniens potiùs esset dicere oppositum. An non Christus fuit flagellatus, non Hebræorum sed Romanorum more? An non Herodes Agrippa occidit Iacobum gladio? & Antipas alter Ioannem? Sanè singulariter inuenimus, hunc locum dictum Caluariæ ex quo Hebræi se Romanis subdiderunt; quoniam ad mortem damnatos etiam capitali sententia ibi punire debebant.

Respondetur secundò. Quòd, quemadmodum dicentes, in monte illo non caput modò, sed corpus totum Adæ fuisse sepultum, volunt ipsum à capite denominari, præcipua illius parte; ita simili ratione, quouis mortis genere fuerint ibi sontes puniti, à principaliori parte, quæ in corpore reperitur, à capite, inquam, siue capitibus ibidem humatis, nomen locus accepit.

Confirmatur. Etenim, vt Latinis mos est, caput pro vita vsurpare, & pro toto homine; & capite plectendos vocare non tantùm eos, quibus caput amputandum est, sed omnes vita multandos; & capitale crimen

Caput tum hominem significat.

men dicere, quod morte dignum eſt; idem ipſum apud Hebræos in vſu fuiſſe, facile coniicere poſſumus. Cuius rei exemplum aliquod apud Danielem extat: is enim, vt in eius Prophetia videre eſt; dixit vtrique peruerſo ſeni ſeorſim, *Rectè mentitus es in caput tuum*; id eſt, in damnationem capitis, vel vitæ tuæ: lapidati enim creduntur ſenes illi, non capite multati.

Quòd etiam caput pro toto homine vſurpetur, accipe & hoc exemplum ex ſacris Litteris Exod. 16, 16. vbi vulgata habet, *Gomor per ſingula capita*, Hebraicè eſt ad verbum, *Gomor caput*, vel *capiti*: quod optimè vulgatus Interpres reddidit, vt ſenſum exprimeret, *Gomor per ſingula capita*, id eſt, in ſingulos homines. Quare & Caluariæ mons ab ibi quouis modo interfectis, à principaliori parte interfectorum, Caluaria potuit appellari.

Ad confirmationem dicitur, poſitum fuiſſe numerum ſingularem pro plurali, vt frequenter alibi fit in ſacris Litteris; ideò Auctor Hiſt. Schol. in Euang. cap. 170. inquit: *Caluaria eſt propriè os capitis humani nudum; & quia ibi decollabantur rei, & multa oſſa capitis ibi aſperſa erant, dicebatur locus Caluaria, vel Caluariarum.* Hæc ille.

Caluaria mons propheticè ex Chriſti morte dictus.

Non improbo tamen alteram rationem, dici Caluariæ locum à caluaria Adæ; ſed non diſpliceat dicere, figuratiuè & propheticè ſic fuiſſe appellatum, propter Chriſtum in Adamo præfiguratum, caput omnium hominum ibi occidendum, & in proximo loco ſepeliendum. Nec noua eſt hæc explicatio; nam illam retulit S. Cyrillus Ieroſolymitanus Archiepiſcopus Catech. 13. ſic enim habet: *Golgotha verò interpretatur Caluariæ locus. Aliqui ergo propheticè locum hunc Golgotham appellarunt, in quo verum caput Chriſtus crucem ſuſtinuit, ſicut* Col. 1, 15. & 18. *Apoſtolus dicit, Qui eſt imago Dei inuiſibilis. & poſt pauca: Et ipſe caput Eccleſiæ. & rurſus: Omnis viri caput eſt Chriſtus. & rurſus:* 1. Cor. 11, 3 Col. 2, 10. *Qui eſt caput omnis Principatus. Caput hoc in loco Caluariæ paſſum eſt. O magnam propheticam appellationem! Modò enim non & nomen hoc admonet te dicendo, non vt ſimplici homini attendas crucifixo? caput enim eſt omnis poteſtatis crucifixum; caput autem habens Patrem. Caput viri Chriſtus, caput Chriſti Deus.* Hactenus ille.

Alterum dictum Hieronymi impugnatur ex ſecunda ſententia ad difficultatem principalem, quam ſtatim ſubijcimus.

Adam in monte Caluariæ ſepultus eſt.

Igitur ſit ſecunda ſententia, quæ, reſpondens difficultati principali, dicit, Adamum Ieroſolymis in Caluariæ monte ſepultum fuiſſe, & ab eo montem nomenclaturam accepiſſe. Probatur auctoritate veterum Patrum, Doctorum recentiorum, & traditione.

Ex veteribus Patribus, Origenes Tract. 35. in Matth. *Locus*, inquit, *Caluaria dicitur diſpenſationem habere, vt illic moreretur, qui pro hominibus fuerat moriturus. Venit enim ad me traditio quædam talis, quòd corpus Adæ primi hominis ibi ſepultum eſt, vbi crucifixus eſt Chriſtus: vt ſicut in Adam omnes moriuntur; ſic in Chriſto omnes viuificentur, vt in loco illo, qui dicitur Caluariæ locus, id eſt locus capitis, caput humani generis Adam, reſurrectionem inueniat cum populo vniuerſo per reſurrectionem Saluatoris, qui ibi paſſus eſt, & reſurrexit.* Hæc ille. 1. Cor. 15, 22. Et Anaſtaſius Sinaita Patriarcha Antiochenus lib. 7. *Hortus fuit in Caluaria*, inquit, *vbi Adam iacebat mortuus*, &c. & infrà: *Adami caput Caluariæ ſubiectum dicit.* Idem Cyrillus & Baſilius in cap. 5. Iſaiæ, Athanaſius in lib. de Paſſione Domin. Cyprianus in Serm. de Reſurrect. Ambroſius lib. 1. Epiſtolarum, Epiſt. 19. & in Luc. 23. Theophylactus in Matth. 27. Marc. 15. Luc. 23. & Ioan. 19. Chryſoſtomus in Ioan. Homil. 84. Auguſtinus de Temp. Serm. 71. & quæſt. in Geneſ. 161. & in Ioan. Tract. 84. Tertullianus contra Marcionem lib. 2. Epiphanius Hæreſ. 47.

Ex recentioribus Doctoribus, Baronius anno Chriſti 34. Bellarminus Tom. 3. de Amiſſione gratiæ & ſtatu peccati, cap. 12. Maſſius in cap. 14. Ioſ. cum aliis ibidem, Toletus in cap. 19. Ioan. Lorinus in cap. 10. Sapient. Salmeron Tom. 10. Tract. 35. Perenius in Geneſ. lib. 7. Villalpandus Tom. 3. lib. 1. cap. 8. Torniellus Tom. 1. Annal. & plerique alij. Hanc opinionem Magalianus concionatoribus plauſibilem dicit: & communis eſt in partibus iſtis traditio: communem etiam ſanctus Baſilius ſuprà citatus appellat; quod magis ex dicendis apparebit.

Tertia ſententia eſſe poteſt, Adamum quidem fuiſſe in Hebron ſepultum, vt dicit citatus textus Ioſue, ſed poſteà vel corpus eius, vel partem, puta caput, Ieroſolymam tranſlatum, & in Caluario tumulatum; & ſic dicendo præcedentes opiniones conciliari poſſunt, & antiqua traditio defendi. Hæc ſententia mihi ſatis probatur, nec diſplicet Magaliano. Et tunc ad ſecundum principale: Quomodo potuerunt primi parentes in Iudæam venire, & Adam in Hebron, vel Ieruſalem ſepeliri?

Primi parentes quomodo in Iudæam venerunt.

Quidam eorum Doctorum (inquit Moyſes Barcepha, Epiſcopus Syrius, Comment. de Paradiſo Parte 1. cap. 14.) qui cenſent, Paradiſum vltra Oceanum eſſe poſitum, dixere, primos homines ex illa Paradiſo

radiſo affini terra in hanc noſtram per vadoſum mare pedibus commeaſſe, cùm eſſent ſtaturæ proceriſſimæ, & poſt multas peragratas regiones, in Iudæam peruenisſe, ibiq́ue vltimum diem clauſiſſe, & in Ieruſalem fuiſſe Adam ſepultum.

Sed Paradiſum non eſſe vltra Oceanum, communiter tenetur. Sed quidquid ſit de hoc, certiſſimum eſt, primos noſtros parentes non fuiſſe monſtra, ſed perfectos homines, ideoq́ue haud imaginandum eſt, fuiſſe tam proceræ ſtaturæ, vt pedibus immenſum Oceanum tranſire potuerint. Ratio enim dictat, Deum creaſſe hominem vt animo rectum, vt in Eccleſiaſtico dicitur, ita corpore perfectæ magnitudinis; qualis ea fuiſſe creditur quæ eſt in hominibus perfectæ ætatis & in Chriſto Domino, non autem corpore giganteo, quod monſtris Scriptura diuina comparare non abnuit Num. 13. Quare non eſt ſuſpicandum, Deum, qui perfectus eſt in operibus ſuis, & qui, creato homine, idem omnia iudicauit valdè bona, quod primum hominem corpore monſtroſum creauerit. Prætereà Scriptura ſacra Gen. 6. ſatis apertè indicat, gigantes in mundo non priùs apparuiſſe, quàm ex quo primùm filij Dei, nimirum viri iuſti ex Seth geniti, ingreſſi ſunt ad filias hominum, hoc eſt ad mulieres ex praua ſobole Cain progenitas, vt communior in eum locum habet Doctorum interpretatio. Quare, ſi Paradiſus terreſtris fuiſſet vltra Oceanum, ad aliud opportunius medium recurrendum eſſet, ad diuiſionẽ nempe maris; vt quemadmodum diuiſit Deus poſteà pro filiis Iſraël ad eamdem terram proficiſcentibus, ita pro noſtris parentibus diuiſerit; vel, ſi naues adhuc non ſuppetebant, ad Angeli alicuius miniſterium, vt quemadmodum poſterioribus temporibus Angelus ex Iudæa in Babylonem ad Danielem in lacum leonum Habacuc Prophetam cum prandio, & ex eadem Prouincia Philippum in Azotum aſportauit, ita ex diſtantiſſimis illis tranſmarinis partibus noſtros primos parentes ad eamdem Iudæam tranſtulerit.

Alij ſimiliter, qui trans Oceanum collocant Paradiſum, dicunt, ante diluuium regiones citra Oceanũ fuiſſe inhabitatas: quare non in Iudæa mortuus fuit Adam, ſed poſt diluuium, ducta arca, quã fecerat Noë iuſſu Domini, ſupra montes Armeniæ, in qua incluſerat Adæ oſſa, venit in Iudæam, & in Caluariæ tandem monte primi hominis fuit caluaria repoſita. Verùm ſi hoc admitteretur, alias ſimiles traditiones ruere neceſſe eſſet; vt quod primi parentes ad hanc venerint regionem, in eadem pœnitentiam egerint, Cain fratrem ſuum interfecerit, &c. de quibus ſuis locis.

Sed ſuppoſito, Paradiſum terreſtrem eſſe citra vaſtum Oceanum, dicunt aliqui, quòd eiectus è Paradiſo Adam, ad mitigandum dolorem ex illius expultione conceptum, venerit in Iudæam, vbi mortuus, in Caluario fuit ſepultus. *Obtinuit fama quædam*, inquit Magnus Baſilius in Iſaiæ cap. 5. *in Eccleſia memoriam conſeruans, non quidem ſcripto proditam, qua talis eſt: quod prima vtique Iudæa hominem habebat accolam, nimirum Adam, ſimul atque excidit deliciis Paradiſi in hac terra collocatum, ad mitigandum iactũram bonorum quibus fuerat exutus. Prima igitur etiam mortuum hominem excepit; qui & illic eam, cui addictus erat, ſententiam condemnationis plenè eſt executus. Itaque inſolens eſſe ac nouum videbatur illius ætatis hominibus ſpectaculum, os capitis defluente carne nudum: at illi recondentes cranium, loco illi indiderunt nomen cranion, id eſt caluariam. Probabili ratione potuit Noë non ignoraſſe ſepulchrum principis huius & mortalium omnium primigenij; ſiquidem de hac re fama à diluuio mox per orbem propagata eſt ab ipſo, & dimanauit; eoq́; Dominus, excuſſa origine humanæ mortis, in Caluariæ loco paſſus eſt.* Hæc Baſilius. Quæ ſi ita ſe habent, congruenter dixit apud Moſen Barcepha loco citato dominus Iacobus Orrohaita, ſiue Ediſſenus, inter Syrorum Scriptores valdè nobilis, & Magni Ephraimi olim Doctor, quem & citat Maſſius in calce ſuorum Commentariorum in Ioſue, Noë in Iudæa habitaſſe, atque in regione Sodomorum plantaſſe illas cedros ex quibus Arcam conſtruxit: quam Arcam cùm eſſet vnà cum filiis ſuis impendente diluuio ingreſſus, ſecum in eam intuliſſe oſſa Adami, eaq́ue deinde poſt diluuium Arca egreſſum, ſuis filiis diſtribuiſſe, prout orbem terrarum inter illos habitandum partiebatur; verbi gratia, caluariam Adam dediſſe primogenito ſuo Sem, & terram aſſignaſſe Iudæam: atque ita poſteritatem Sem, cùm in Iudæam ceu ſuam hereditatem veniſſet, illam Adæ caluariam, quæ ſibi de illius oſſibus ex paterna diſtributione obuenerat, in Adæ ſepulchro, quod alioqui iam tum illic exſtabat, repoſuiſſe.

Et hæc quidem à priſcis Syris tamquam per manus tradita poſteris fuiſſe, idem Maſſius probabile admodum putat. Quam traditionem comprobare videtur Epiphanius in ſuo Ancoratu verſus finem: & ſequuntur alij. Lege Adrichomium in Iuda num. 7. & quos citat Auctores.

Creditur verò, non ſimplici pietatis affectu, ſed etiam ex præcepto Adæ poſteris relicto,

licto, quo corpus ſuum in terra Iuda humari, ac conſequenter in Arcam deportari volebat, ne aquis diluuij deperderetur, illud feciſſe. Cùm enim Adæ, inter alia noſtræ fidei arcana, & hoc ei ad ſuum ſolatium reuelatum credatur (vt aliàs ex ſacris Doctoribus diximus) cùm audiuit Dominum dicentem ſerpenti, *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & ſemen tuum & ſemen illius: ipſa conteret caput tuum*, in plenitudine temporis verbum Patris ex eo ſumpturum humanam carnem, vt ea totum humanum genus in eo lapſum repararet morte crucis, quam Ieroſolymis in ſacro Caluariæ monte ſuſtinere debebat: cùm inquam hæc omnia noſſet, potuit adiurare filios ſuos, vt in locum mortis Chriſti ſua deportarent oſſa, vt, particeps fructus mortis illius factus, vnde ceciderat reuocaretur, & ſi non ad terreſtrem, ad cæleſtem deueheretur Paradiſum. Quemadmodum & ob hanc cauſam creditur, Patriarcham Iacob in Ægypto morientem præcepiſſe Ioſeph filio ſuo, & hunc fratribus ſuis, vt ex Ægypto eorum oſſa in terram patribus repromiſſam deferrent. Et ſicut illi iuſſis Iacob & Ioſeph obtemperarunt, ita illi mandatis Adæ; & hoc indicat cranium, quod ad pedes crucifixi pingi conſueuit, vel ſculpi, referens nobis Adæ caput, vt teſtatur Ioannes Molanus lib. 4. de Picturis ſacris cap. 78. & docent alij.

Adam, mandaſſe filiis vt ſuum corpus in Iudæa ſepelirent, probabile.

Gen. 3. 15.

Cranium ad pedes crucifixi appictum, quid ſignificet.

Adderem libenter, cùm non ſolùm cranium, ſed & alia oſſa in monte, vbi figitur ſancta Crux, ſculpantur vel pingantur, ſignificari non Adæ dumtaxat, ſed etiam aliorum ſontium fuiſſe tumulum, ſuper quos omnes ſtillauit Sanguis Chriſti, & in omnes venit fructus mortis & paſſionis ſuæ. Venit enim Filius hominis vt omnes homines ſaluos faceret; vt ſicut *per hominem mors*, ita *per hominem reſurrectio mortuorum; & ſicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes viuificarentur*, vt dixit S. Apoſtolus 1. Cor. 15, 21. Et quemadmodum ad contactum corporis Eliſei exſtinctum cadauer fuit ad vitam excitatum, vt dicitur 4. Reg. 13, 21. ita Chriſtus Sanguine ſuo in Caluariæ monte ſuper Adam & alios ex ipſo progenitos defluente, ad ſpiritualem & æternam vitam excitauit.

Ex dictis patet, quomodo vel totum Adæ corpus, vel, quod certius eſt, caput ipſius fuerit in Iudæam à poſteris Noë delatum, & in Ieruſalem ſub Caluariæ monte, loco damnatorum ad mortem deputato, tumulatum. Et aſſignatum modum ſequendo, facilè eſt reſpondere obiectioni quæ fieri poteſt, montes factos fuiſſe in diluuio, qui abſcondere potuerunt locum hunc, ergo & Hebron; ſed illud incertum, imò certum non abſcondiſſe, cùm appareant; & iam oſſa Adæ ad ſe receperat in Area Noë: & hæc de ſecundo ſuperiùs propoſito.

Quantum ad tertium, quod eſt reſponſio ad fundamentum prioris ſententiæ, dico multipliciter reſponderi poſſe. Primò, locum illum Ioſue, non illam tantùm habere datam interpretationem, ſed alias etiam, ſi non veriores, ſaltem non minùs veras. Dicunt igitur aliqui Linguæ ſanctæ periti, quod in auctoritate illa, *Hebron antè vocabatur Cariath Arbe: Adam maximus ibi inter Enacim ſitus eſt*, nomen Adam non ſumitur proprie pro nomine primi hominis, ſed cùm poſſit accipi communiter etiam de aliis hominibus, ibi accipitur pro Arbe, qui fuit maximus inter gigantes, & trium gigantum pater, Siſai, Tholmai, & Haiman, & Hebronis Princeps. Ratio eſt, quia Adam nomen in Hebræo eſt commune ad quemlibet hominem, cùm ſcribitur abſque ה he emphatico, ſic, אדם Adam, & non tantùm primo homini conuenit, ſed quando ei præfigitur ה demonſtratiuum, vt hoc loco, vbi habemus הָאָדָם Haadam, non ſolet eſſe nomen proprium, ſed commune. Igitur cùm illud ה he emphaticum ſit apud Hebræos, velut Pronomen demonſtratiuum apud Latinos, hîc ſpecificabit illum hominem maximum, de quo priùs locutus fuerat, Arbe ſcilicet, à quo vrbs illa fuit denominata.

Reſponſio ad fundamentum ſententiæ, Adam in Hebron ſepultum eſſe.

Ceterùm alij ex rudimentis Hebraicæ linguæ dicunt ה quidem affixum ſpecificare nomen commune cui præfigitur, illudque determinare; ſed non exinde verum eſſe, tunc non poſſe ſignificare primum hominem: imò cùm ſignificat primum hominem, illi aliquando eſſe præfixum ה. docent Hebraicæ linguæ periti, ſic, בראשית; & patet in Textu Hebr. Gen. 1. in Bibliis Regiis. Quare ex characteribus Hebraicis non mihi videtur aſſumenda regula pro confirmatione illius reſpontionis. Et ſanè ſi illa regula perpetuò ad illud valeret, eam non latuiſſet doctiſſimum Hieronymum, & alios doctiſſimos viros in Hebraico idiomate verſatiſſimos; & tamen, ea non obſtante, locum Ioſue de primo parente intelligi voluerunt ex ipſa nominis interpretatione. Quare ex Hebraicis characteribus tantùm colligi haud poſſe arbitror efficax argumentum ad probandum vel improbandum, primum hominem eſſe in Hebron ſepultum; quia nomen Adam iiſdem characteribus & litteris ſcriptum inuenitur, cùm dicitur de primo omnium parente, ſicut cùm de quolibet alio homine enuntiatur.

Secundò,

Secundò, ex vi vnius regulæ Grammaticorum dico, Iosue loco citato, Haadam non stare pró primo parente, sed pro Arbe. Dicunt Grammatici, Pronomen demonstratiuum significare illud quod priùs fuit nominatum, & non aliud, cuius anteà nulla facta sit mentio: igitur loco illo Iosue nomen illud Adam, quod nomen commune est, scribatur Hebraicè cum n he, quod est Pronomen demonstratiuum in Hebr. æquiualens Latino ille, hoc modo, הָאָדָם, hoc est, ille homo. & quisnam? Arbe, inquam, de quo anteà. Et confirmatur ex sequentibus verbis, *Maximus inter Enacim*. Si enim sacer Scriptor istis verbis voluisset intelligere primum hominem, quia origo & princeps humanæ sobolis, non debuit illum cum Enacitis comparare, sed cum aliis omnibus in vniuersum hominibus; quoniam est omnium caput & auctor. Et non comparasse sacrum Scriptorem hîc primum hominem cum Enacitis sic ostendo: nam vel ibi loquitur de originis vel durationis magnitudine, vel molis, vt aiunt, vel virtutis. Si de priori, tunc manca est comparatio; quia Adam non solùm origine & duratione Enacitas, sed omnes alios præcessit, quia ex ipso omnes traxerunt originem. Si de magnitudine molis sit sermo, similiter apposita non est comparatio; quia Adam non fuit gigas, vt cum gigantibus comparari debuerit, sed homo perfectus aliis persimilis. Si de magnitudine virtutis loquatur, fateor maximum fuisse Dei singularibus beneficiis; sed ad quid tunc cum gigantibus comparare? quare non potiùs cum hominibus sanctitate & virtutibus præditis, & plurimùm commendatis? Dices, appellatum esse ibi maximum absolutè, ita vt sit sensus, *Situs est inter Enacim Adam maximus*. Sed non constat; non solùm quia manifestè apparet, locutionem esse comparatiuam; sed etiam, quia Scriptura diuina non consueuit appellare primum hominem Adam maximum, etsi de eo frequenter loquatur. Quare concludendum, ibi Haadam significare Arbe magnum gigantem, & inter filios Enacitas maximum, à quo & fuit Hebron ciuitas nominata, vt habetur Iosue cap. 14. & 21. qui verè maximus fuit tempore, quia illorum pater; quantitate vel virtute, quia Enacitæ erant gigantes, vt patet Numeror. 13,34. vbi legimus, illos, qui Terram promissionis lustrarant, dixisse: *Ibi vidimus monstra quædam filiorum Enac de genere gigantео: quibus comparati, quasi locustæ videbamur*. Auctoritas itaque Iosue nobis non obstat; quia, secundùm datam expositionem, tantùm indicat, Arbe maximum in Hebron situm esse.

Nec officit, quòd nomen Adam cõmuniter in vulgata lectione, quod reliquit noster interpres, significet primum hominem: nam hîc fortè facta fuit exceptio, & consultò, relinquens nomen Hebræum propter eius multiplicem significationem, nisi ex circumstantiis dicatur propriam & singularem habere, vt explicatum fuit.

Nec etiam officit, alibi in Scriptura non fieri mentionem sepulturæ Adæ, sicut nec aliorum plurium illustrium virorum; sufficit factam fuisse mortis, vt fidelis Deus in verbis suis omnibus manifestetur.

Tertiò, dicitur ab aliis in Hebr. non esse, *situs est*, sed, *inter Enacim ipse*; id est, Ipse Arbe fuit maximus inter Enacim: sed enim cùm in vulgata correcta habeatur *situs est*, hæc lectio retinenda.

Quartò, alij, adhuc in eo fundamento persistentes, nomen Adam esse commune, dicunt, ibi accipi pro Abrahamo in Hebron sepulto, vt dicitur Genes. 25,9. quem aiunt vocari hominem maximum non statura, sed dignitate: fuit enim Hebræorum insignis Patriarcha, cui vel ipsi Gentiles multum deferebant. Ephron quippe Ethæus, vrbis Hebron Princeps, illum reuerentius est, vt illius ad eum verba demonstrant: *Princeps Dei es apud nos: in electis sepulchris nostris sepeli mortuum tuum: nullusque te prohibere poterit*, Gen. 23,6.

Quintò, Io. Mariana in Schohis huius loci inquit legere Goth. *ibi in terra Enacim*. At quænã est terra Enacim, nisi terra Chanaan, vt exploratores Hebræi dixerũt? Igitur & si Adam ibi sit nomen personale primi hominis, non officiet nobis; quia tam Ierusalem, vbi est Caluariæ locus, quàm Hebron, est terra Enacim, id est Chanaan & promissionis; & hanc sequendo lectionem haberemus, quod illi alterius sententiæ desiderabant, locum sepulturæ Adæ, si non peculiarem, communem, Terram videlicet promissionis. Vlteriùs, cùm ex dicta lectione communem habeamus locum sepulturæ Adam Iudææam, si liberum relinquitur assignare particularem, rationabiliùs videtur assignare nobiliorem ac sanctiorem, sanctam videlicet ac Regiam Ciuitatem, & Caluariæ montem, cùm fuerit omnium parens & princeps, existente præsertim veteri traditione atque veterum recentiorumque Doctorum auctoritate.

Sextò, Septuaginta legunt, *Metropolis ciuitatum Enacim hæc*. Itaque *Adam* sumunt Septuaginta pro ciuitate, sicut & *ir*, qui in Hebr. virum significat, aliquando pro cortina sumitur, more vocum, quæ à Dialecticis vocantur transcendentes. Et ita nihil contra communem traditionem.

Septi-

Digitized by Google

Septimò, essétne inconueniens dicere, Adam ibi esse nomen proprium non primi hominis, sed alterius viri?

Ad D. Hieronymum dicimus, etsi citatis locis haud secundo loco adductam sequatur sententiam, non audet tamen illam damnare in Comment. cap. 5. Epist. ad Ephes. & in Epist. ad Marcellam eam amplectitur; sic enim dicit: *In hac vrbe, imò in hoc tunc loco, & habitasse dicitur & mortuum esse Adam; vnde & locum, in quo crucifixus est Dominus noster, Caluaria appellatur, scilicet, quòd ibi sit antiqui hominis caluaria condita, vt secundi Adam, id est, Christi Sanguis de cruce stillans, primi Adam & incentis protoplasti peccata dilueret, & tunc sermo ille Apostoli compleretur: Excitare qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus.* Eph. 5, 14. Hæc ille.

Igitur vt concludamus, communem illam traditionem sustinere possumus, Adæ, primi omnium parentis, caput fuisse sepultum sub memorato loco montis Caluariæ, de quo superiùs, & ab eo sacellum denominationem mutuasse; & hoc sequèdo secundam vel tertiam sententiam antè propositam: tum quia illam amplectuntur grauissimi Patres, veteres & recentiores; tum quia pietati conformis; tum denique quia Scripturæ sacræ vel alterius Ecclesiastici Scriptoris auctoritas efficaciter illi non aduersatur, vt vidimus.

CAPVT V.

De Petra vnctionis, in qua examine Christi corpus vnctum fuit, secundo loco secunda Peregrinationis.

RElicto Adæ sacello, quod in processione, vt diximus, peculiari cultu non colitur, immediatè se confert processio ex sancto Caluariæ monte ad venerandum sanctissimum locum, qui Petra vnctionis appellatur ab omnibus in partibus istis, & à plerisque qui scripserunt de locis sanctis: cuius nomenclaturæ ratio nunc aperienda est.

Petra vnctionis nominis ratio.

Postquam Saluator noster in monte Caluariæ in ara crucis spiritum in manus sui Æterni Patris tradidisset, Ioseph ab Arimathæa, vt Euangelica docet Historia, adiit Pilatum, & petiit corpus Iesu, vt posset illud honorificè sepelire; annuit illi Pilatus: sicque Ioseph, cui associatus etiam Nicodemus, non ampliùs occulti, sed manifesti Christi discipuli, accesserunt ad sacrum montem cum instrumentis necessariis ad deponendum de cruce corpus Iesu, & linteaminibus ad illud inuoluendum, & vnguentis ad idem liniendum, & honorificè sepeliendum. Perrexerunt itaque, &, auxiliantibus Ioanne & Magdalena, vt piè creditur, qui cùm sanctissima Deipara à cruce non discedebant, deposuerunt sacrum corpus de cruce, & sindone munda inuoluerunt, & reuerenter inferiùs ad pedem montis deportarunt, & in opportuno assignato loco depositum, antequam ponerent in monumento, mixtura ex myrrha & aloë super petram vel rupem illud perunxerunt: à qua vnctione Christi, locus iste Petra vnctionis appellatus est.

Petra vnctionis est ipsi soli superba.

Antequam alia explicemus de sacratissima ista Vnctionis Domini petra, difficultas vna proponenda & explicanda est; Num Petra illa, supra quam Saluator noster fuit immediatè inunctus, depositus de cruce, fuerit à pauimento ipso & rupe alia separata, an potiùs eidem coniuncta, & eademmet soli rupes. Fuisse separatam, videtur indicare Nicetas lib. 7. sub finem, loquens de Manuele Imperatore (Iacobo Gretsero referente Tom. 1. de Cruce lib. 1. cap. 37.) *Non procul inde basi impositus adoratur lapis purpureus viri magnitudine, qui antè fuit Ephesi; & is esse dicitur, in quo Christus de cruce sublatus & fasciis inuolutus conditus fuerit. Eum lapidem Imperator inde adiectum, humeris suis, quippe qui diuinum corpus ipsumq; Christum gestasset, à porta Bucoleontis vsque ad aedem, quae in turri palatij est, pertulit.* Hæc ille.

Verùm diebus nostris, in partibus istis non super separatum lapidem à pauimento, sed supra ipsummet pauimentum & rupem creditur fuisse vnctus Christus Dominus: & videtur indicasse Guilielmus Tyrius de Bello sacro lib. 8. cap. 3. dum, ob illius reuerentiam, quòd locus ille sacratissimus esset, extra templum, capta Ierosolyma sub Godefrido, à Christi fidelibus erecto muro fuisse inclusum dicit. Quòd si lapis auulsus fuisset, non eo intuitu muro clausissent fideles, sed sacrum lapidem non in terra reliquissent, at pro mensa altaris, vel certè digniori loco reposuissent. Quare ego, cum alias in rebus harum partium plurimum versatis, structura templi & muri considerata, credo in prima templi Dominicæ Resurrectionis constructione fuisse murum erectum claudentem intra templum sacratissimam petram.

Descriptio Petra vnctionis.

Ad hæc facit, quod sexaginta abhinc annis locus ille peculiari elegantique opere musaico opertus cernebatur, vt oculati testes contestati sunt: nec rubea petra est, sed ad viriditatem tendit: quare, illam, de qua Nicetas locutus fuit, alteram à sacra Vnctionis Domini petra arbitror esse, & vt quid sacrum

crum inter sacras Reliquias reponendam, nunc operta est tabula marmorea cinerei coloris: longitudinis est 8. palmorum & totidem vnciarum, latitudinis verò est 2. palm. & 5. vnciarum. Parum prominet à cetero templi pauimento; virga ferrea eleuata, velut demisso cancello, circumdatur, ne pedibus conculcetur. Ad petræ extremitates sunt affixa duo candelabra, hinc inde vnum. Per aliquod spatium circa sanctam petram sunt albi dolati lapides pulchriores aliis quibus stratum est sacrum templum: pendent supra ipsam 8. lampades, quæ diu noctuque ardent: est è regione ostij Ecclesiæ; & supra ipsam sunt sepulchra Regum Ierusalem. Distat à sacro Calvariæ monte palm. 40. à sanctissimo Sepulchro 80. circiter. Meminit eiusdem petræ Adrichomius, licet sub alio nomine, in Descriptione Ierusalem num. 255. Inferiùs de excellentia sanctissimi Sepulchri agentes, plura pro clariori historia & commendatione præsentis loci dicemus.

CAPVT VI.

Varij euentus, qui diuersis temporibus acciderunt circa Petram vnctionis; ex quibus, quantum æstimetur, innotescit.

SAcra Petra vnctionis semper magno in pretio & veneratione habita fuit ab omnibus nationibus quæ Christo nomen dederunt in sancta Ieroſolymorum Ciuitate habitantibus, & ad eam venientibus, vt ex hîc dicendis ex parte quilibet diiudicare poterit; & meritò quidem, quoniam eam Dominus & Redemptor noster, post consummatum nostræ salutis mysterium in ara montis Caluariæ, primò inter alia loca suo sacratissimo & diuinissimo corpore consecrauit, dum, suorum deuotioni fidelium condescendens, super eam vnguento ex myrrha & aloë composito ab eisdem inungi voluit.

Qua re moti piissimi ac religiosissimi Robertus & Sancia eius vxor, Siciliæ Reges, de Seraphica Religione optimè meriti, vt illa Catholico ac religioso cultu honoraretur, eam magno labore & sumptibus cum aliis sanctissimis locis, à Sultano Ægypti obtinuerunt, &, summo Pontifice Clemente V. annuente, Fratribus Minoribus donarunt, vt Libro 1. Capite LXVII. indicauimus. Verùm Georgiani tanto bono, quo ditati fuerant Fratres, inuidentes, nacta opportunitate, contempta iustitia, eam cum aliis Catholicorum locis à Turcarum Imperatore obtinuerunt: quod ægrè ferentes Fratres, vt quædam alia loca, ita hunc sanctissimum posteà recuperarunt, persolutis argenteis 5000. Georgianis permittentes, vt possent supra ipsam duas ardentes lampades continuò fouere, sicut in præsentia, qui in illorum locum suffecti sunt, Græci fouent, permanente tamen sacra petra sub regimine Fratrum Minorum.

Isti, vt illa meliùs conseruaretur, & maiori in veneratione haberetur, cùm, vt anteà diximus, solo musaico opere tegeretur, aliqua eleganti marmorea tabella operire decreuerunt: idonea apud Iacobitas inuenta, dato illis pluuiali obtinuerunt, locumque sacrum operuerunt. Contigit id anno Domini 1555. loca sancta gubernante P. Bonifacio de Ragusio; qui, vt suprà diximus, etiam vestiuit sanctissimum Domini Sepulchrum aliis marmoreis tabulis.

Hoc à Græcis viso, naturali odio, quo Latinos & Catholicos prosequuntur, agitati, adierunt Cadi ciuitatis; ad quem de spectantibus ad religionem referuntur causæ, & de illis iudicat, quemadmodum apud Catholicos Episcopus de spiritualibus; dixeruntque, Fratres locum illum marmore è templo Salomonis, Turcarum principali Mesquita, sublato operuisse; quod indecens in eorum erat lege: qui hoc ideò fecerunt, vt Fratres magna pecuniæ summa multarentur, & pristino statui locus sanctus restitueretur; sed illos sua fefellit cogitatio: etenim Cadi lapidem non abstulit, sed Imperiali sigillo muniuit, edito decreto, ne quis Christianorum ad illum quouis prætextu accederet, sub graui pœna; quid ad Turcarum Mesquitam pertinuit. Sed non permisit Deus, vt sanctissimus locus, ab ipsismet Angelis summo honore habendus, absque honore ab hominibus relinqueretur, pro quibus illum Christus sanctificauit. Etenim nimiùm credulus ille & iniustus iudex, statim, iniusto edito mandato, ægrotare cœpit, qui in se reuersus, arbitratus infirmitatem illam sustinere ob decretum factum contra Christianos, illud protinus reuocauit, ablatoque sigillo, reliquit permisitque Christianis vt anteà sanctum locum venerari, qui posteà de sua infirmitate conualuit. Ita à senibus qui tunc temporis fuerunt accepi, & ab aliis pluries idipsum in partibus istis audiui.

Ad hæc, anno à sacro Virgineo partu 1588. Serenissimus Ferdinandus Medices, Magnus Hetruriæ Dux, huius nominis II. misit Ieroſolymam affabrè eleganterque elaboratam arcam ære fusam, desuper patulam; in cuius quatuor angulis eius stemmata sunt, & circa ipsam mysteria nostræ salutis:

lutis: ex vna parte duo, eleuatio Christi in cruce, & eiusdem exaltatio, vel statio. In altero ex capitibus arcæ, depositio de cruce. Ex altera parte itidem duo, Christi vnctio, & sepultura. Et in altero denique capite, Christi resurrectio. Longitudo est palm. 8. & vnc. 6. latitudo palm. 3. profunditas vel altitudo palm. 2. vnc. 3. Sunt etiam in eius parte superiore, & in medio, duplici ex parte incisæ litteræ, largitorem, & in inferiori aliæ, artificem explicantes.

FERD. MEDICES MAG. DVX ÆTRVRIÆ PIETATIS SIGNVM. D. D. M. D. LXXXVIII.

FRATER DOMINICVS FORTISIANVS CONVENTVS SANCTI MARCI DE FLORENTIA ORD. PRÆD. ROM. PROV. PROFESSVS FECIT ANNO DOMINI NOSTRI M. D. LXXXVIII.

Cùm stemmata huius arcæ sint decorata nedum Ducali corona, sed etiam Cardinalitiis ornamentis, arbitror illam fieri iussisse Ferdinandum, quando S. R. Ecclesiæ Cardinalis, & Seraphici Ordinis Protector erat, & posteà illam, Hetruriæ Dux creatus, misisse.

Liberalitas in loca sancta Ferdinandi Medicis Ducis Hetruriæ.

Igitur pius iste & liberalis Princeps, vt alia dona Ierosolymam, & hanc arcam misit, ad sui perpetuam memoriam; vt sacra Vnctionis petra magis honoraretur, illaque super hanc posita, posset in illa, aliis necessariis appositis, sacrosanctum Missæ offerri sacrificium. Dicunt tamen alij, misisse pro sanctissimo Sepulchro, sed pro illo prorsus inidonea. Fratribus piam Ducis exequi voluntatem studentibus se opposuerunt Græci, qui primò Cadi adierunt, &, ne nil circa Vnctionis petram innouaretur, institerunt; præsertim quòd arcæ illius appositione magnum damnum ciuitati & eiusdem Gubernatori prouenturum esse affirmarent, dicentes (considera, quæso, malignantium istorum malitiam.) mulieres prægnantes, quæ pietatis ergò ingrederentur sanctum Sepulchrum, volentes, secundùm veterem consuetudinem, petram illam deosculari, inclinando se super arcam illam aborsum passuras, ex quo homines, & consequenter vectigalia deficerent; quia pueri qui nascuntur, cùm ad ætatem 14. annorum peruenerint, singulis annis pro tributo quatuor argenteos Gubernatori ciuitatis soluere tenentur. Cognouit ille Græcorum solitam calliditatem, & naturale odium in Francos, ac nullius monenti accusationem; ideò illos repulit: sed non propterea destiterunt, at ad aliud tribunal confugerunt, scilicet Gubernatoris ciuitatis, qui, timens ne quod illi dicebant accideret, & vectigalia illius minuerentur, illorum annuit voluntati. Quo audito, Fratres arcam illam super montem Caluariæ deferentes, sub arcu Aquilonari capellæ Crucifixi collocarunt, proque altari accommodarunt; in qua omnipotenti Deo incruentum offertur altaris Sacrificium.

Denique, cùm anno Domini 1617. Armeni amplioti iure quàm illis ex gratia indultum fuerat potiri voluissent, magna inter Catholicos & eos lis orta est. Concessum illis, sicut & aliis nationibus, vt possent circa sanctam petram candelam in sero Veneris ponere, quando Minoritæ supplicationes ad sanctuaria sacratissimi templi faciunt; ea tamen conditione (vt Fratrum iurisdictio conseruaretur) vt illas omnes noster sacrista accenderet & extingueret, prout vsque ad memoratum tempus semper obseruatum: sedenim posteà, nescio quo maligno spiritu agitati Armeni, quodam sero voluerunt ipsi propria auctoritate suam accendere facem, vnde magna inter nostrum sacristam & illos exorta contentio. Res delata fuit ad Guardianum sacri montis Sion, P. F. Basilium à Caprarola Prou. Romanæ: qui ne sua priuaretur iurisdictione, Gubernatorem adiit ciuitatis, Mahomet Bassia nomine, vtque pro iustitia proferret sententiam, precatur. Dum causa agitaretur, & quærerentur testes, qui veteris consuetudinis cognitionem haberent, Guardianus habitantes in sanctissimo Sepulchro quæsiuit, vt pro veritate testimonium dicerent; qui omnes se pro veritate & in gratiam Francorum testimonium dicturos polliciti sunt: inter quos præcipuus erat quidam senex Iacobita, nomine Ioannes Seti, qui iureiurando publicè coram omnibus affirmabat, in sanctissimo Sepulchro à viginti annis, quibus in eo continuò commoratus fuerat, numquam aliquam ex Orientalibus nationibus candelas accendisse & extinxisse in sero Veneris, præter sacristam Francorum; idque se pari modo in iudicio coram Cadi & ciuitatis Gubernatore confirmaturum dicebat, Armenosque perperàm Francis obsistendo facere. Hoc cùm resciuisset Episcopus Armenorum Gregorius nomine, vir omnino simplex & ignarus, sed dolo ac malitia plenus ac quiuis alius, qui dolo & hypocrisi Episcopatu sanctæ Ciuitatis comparato, altero sene eius amico electo, qui se

Catholicum profitebatur, tyrannide in eo se conseruat: hic inquam, qui probè conditionem habitatorum huius regionis nouerat, de facili nummis ac muneribus peruerti posse, in animum induxit, quòd quemadmodum olim non defuerunt qui pecunia corrupti contra Dominum testimonium dicerent, nec tunc defuturos qui pretio contra seruos eius proferrent; & sua eum non fefellit opinio. Conuênit itaque sacrilegus mercator nationes habitantes in sanctissimo Sepulchro, & singulariter illùm senem Iacobitam ceteris seniorem: qui, accepta pecunia, se pro ipso testimonium dicturos polliciti fuere. In iudicio itaque requisiti, omnes; & singulariter Iacobita, testimonium reddiderunt secundùm Episcopi voluntatem. Sed ostensum & cognitum fuit, non fuisse illud conueniens testimonium, quare nec lis terminata. Sed vide diuinum iudicium: ille qui pecunia priùs excæcatus fuerat, ne manifestaret veritatem, sequenti die cæcus effectus, ambulans in tenebris, lumen cæli videre non potuit, diuersumque præmium à præcedenti sui periurij recepit à Deo: qui etiam paucis pòst diebus in summa egestate per temporalem mortem ad æternam peruenit.

E Constantinopoli ab Oratoribus Christianorum missæ fuerunt magni Turcæ ordinationes in gratiam Francorum, vt litium fautores & inuentores puniantur, Gregorius exilio, Armenorum interpres capite. Sed enim Gregorius, iudicibus & præcipuis totius ciuitatis pecunia corruptis, se ab exilio & suum interpretem à morte liberauit: qui denique, persolutis octo mille argenteis, obtinuit vt facem accendere posset; aliis tamen nationibus à Catholica, candelas ad sanctum locum apponere fuit interdictum. Iste Gregorius, qui pecuniis abundat per fas & nefas collectis, ferè pro nihilo plus viginti mille argenteos consumpsit. Hæc volui referre, vt innotescat, quantum ab omnibus æstimetur sacra ista Petra vnctionis, & quales isti Schismatici Orientales sint.

CAPVT VII.

De locis vbi stabant amici Christi à longè cùm crucifigeretur, & mulieres, quando vngebatur & sepeliebatur corpus illius, quæ tertiò occurrunt in secunda Peregrinatione.

A Petra vnctionis recedendo, post illius debitam venerationem, rectà pergimus ad venerandum sacratissimum Domini nostri Iesu Christi Sepulchrum: eundo relinquimus à læua parte primò locum illum in quo Christi noti stabant à longè, quando ipse crucifigebatur. Parum distat hic locus à præcedenti & à sanctissimo Sepulchro, quem è regione respicit: est opertus rotundo lapide, potiùs dicam, plano quodam sphæricè tessellato opere elaborato. Talis est quorumdam in partibus istis traditio; quam præsertim Armeni docent, ad quos hic locus pertinet.

Probabilis mihi videtur traditio ista habens ex Euangelio probabilitatem. Lucas enim 23, 49. inquit: *Stabant autem omnes noti eius à longè, & mulieres quæ secutæ eum erant à Galilæa, hæc videntes.* Cùm verò locus iste non ita à crucifixionis loco sit dissitus, quin in eo manentes quæ circa Christum agebantur videre potuerint, & alterius ab isto haud sit stationis assignata & conseruata memoria, nec sit qui refragetur, ideò esse illum, vt perhibetur, probabile est. Distat à loco crucis gressibus circiter 45. & eum è regione Occidentali respicit.

Opinantur etiam alij probabiliter, ibi stetisse mulieres, dum corpus Christi in præcedenti loco vngeretur vnguentis à Ioseph & Nicodemo secundùm consuetudinem Iudęorum: quæ talis erat, referente Baronio, & explicabimus postèà, vt viri virorum, mulieres mulierum corpora vngerent & custodirent; quare fieri potest, vt, dum à viris dilectissimi Magistri corpus vnguentis condiebatur, starent in proximo loco mulieres illæ amantes, quæ à dilecto separari non poterant.

Secundò, relinquimus & alium locum diuisum ab isto muro, incluſumque in sacello Abyssinorum; supra quem est templi capella, vel potiùs specialis fornix signatus circulari lapide, quòd credatur ibi stetisse mulieres obseruantes vbi poneretur Dominus. de quibus dixit Matthæus 27,61. *Erat autem ibi Maria Magdalene, & altera Maria, sedentes contra Sepulchrum.* & Marcus 15,47. *Maria autem Magdalene, & Maria Ioseph, aspiciebant vbi poneretur.* Verè locus iste respicit Sepulchrum; & ex eodem videri poterat vbi Dominicum corpus poneretur. Hæc omnia vt pietati & rationi consentanea credi possunt. Sed vlteriùs progrediamur.

DE

DE SACRATISSIMO DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI SEPVLCHRO, QVARTO ET PRÆCIPVO SECVNDÆ PEREGRINATIONIS LOCO.

TRACTATVRI de ſacratiſſimo Chriſti Domini Sepulchro, in quo eius ſanctiſſimum Corpus fuit honorificè tumulatum, & ex quo viuificatum, morte deuicta, hoſtibus profligatis, gloria circumdatum exiit, vndeque omnis gloria nominis Chriſtiani prodiit, duo præſtabimus. Alterum, quo explicabimus eius naturalem conditionem, ſitum, diſpoſitionem & formam. Alterum verò, quo eius dignitas excellentiaque illuſtretur. Et prius primò, poſterius deinde exequemur diſtinctis Capitibus, vt digniſſimum argumentum totius Operis diſtinctè & pro dignitate explicetur.

CAPVT VIII.

Cuius ordinatione & miniſterio Dominicum Sepulchrum excisum & exornatum fuerit.

DEus optimus maximus, qui ſua infinita prouidentia rebus quidem omnibus conſulit, ſed ſingulari quodam modo gubernat & protegit ſeruos ſuos qui ſperauerunt in eum, quique ad tempus viſi fuerunt & crediti ab eo derelicti, innumeris preſſi paſſionibus & angustiis, adeò vt de illorum quolibet dixerint impij apud Regium Pſalçem: *Deus dereliquit eum perſequimini, & comprehendite eum; quia non eſt qui eripiat*, Pſal. 70, 11. At tantum abeſt vt eos dereliquerit, vel non recordetur Deus, quin cum ipſis in tribulationibus eſt; & in memoria æterna erunt apud eum, vnuſque ex his non confundetur. *Iuſtorum autem animæ in manu Dei ſunt*, vt dicitur Sapientiæ 3, 1. *& non tanget illos tormentum mortis. Viſi ſunt oculis inſipientium mori; illi autem ſunt in pace*: non animarum modò, ſed & corporum, & eorum omnium quæ ad ipſos pertinent, curam habens. *Cuſtodit* enim *Dominus omnia oſſa eorum: vnum ex his non conteretur: & capillus de capite* eorum *non peribit.*

Seruorum Dei diuina protectio.

Pſal. 33, 21

Luc. 21, 18.

Quam quidem ſollicitudinem ſingulariter habuiſſe Æternum Patrem ſui Filij, non eſt dubio vertendum inter fideles: etſi enim illius hoſtes & infideles, inimici crucis Chriſti, arbitrati fuerint, morte crucis ignominioſa & maledicta non ipſum tantùm, ſed & nomen eius auferendum de terra. dicebant enim: *Mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra viuentium, & nomen eius non memoretur amplius*, Ierem. 11, 19. At illos ſua fefellit opinio, quoniam non dereliquit Pater animam Chriſti ſui in inferno, nec dedit ſanctum ſuum videre corruptionem; ſed, ſolutis doloribus inferni, ſuſcitauit eum tertia die, & fecit nomen eius glorioſum in cælo & in terra, in mari & in omnibus abyſſis. Hinc, poſtquam in ſacratiſſimo Caluariæ monte ſoluit Filius Æterno Patri humani generis debitum ſui ipſius ſacrificio in ara crucis, Pater ſpiritum illius in manus ſuſcepit, & corpori de honorifica ſepultura prouidit.

Æterni Patris ſollicitudo pro Sepultura Filij.

Quemadmodum enim olim Deus, Iona Propheta & legato ſuo in mare proiecto, præparauit cete grande, vt illum in ſe reciperet & cuſtodiret, ne à fluctibus maris abſorberetur; & B. Pontifici ac Martyri Clementi, qui, quoniam miraculis & prædicatione plures ad Chriſti fidem conuertit, à Traiano, anchora ad collum eius ligata, in mare præcipitatus fuit, vt vnà cum corpore eius memoria interiret; Deus nihilominus præparauit ædiculam marmoream in templi formam, & intus arcam lapideam, in qua corpus ſancti Martyris reconditum & ſeruatum fuit: ità idem Dominus Filium ſuum, qui fuit Propheta, Dei nuntius, & nomen Patris ſui hominibus manifeſtauit, ſummus Rex & Sacerdos, odio Iudæorum, quoniam plures traxit ab illorum errore ad viam veritatis, & ad Patrem ſuum conuertit, in mare paſſionis & mortis ſponte proijci permiſit, ipſo per Prophetam dicente: *Veni in altitudinem maris, & tempeſtas demerſit me*, Pſalm. 68, 3. & ibidem verſ. 2. *Intrauerunt aquæ vſque ad animam meam*. Præparauit illi Pater Sepulchrum glorioſum, in quo triduo mortis eius diuiniſſimum corpus aſſeruaretur, & ex quo eius mors ac reſurrectio probaretur. Ex hoc capite ſecundum Prophetam cognouit Lyrentis gloriam Sepulchri Domini, dicens: *Licet mors Chriſti fuerit contemptibilis, Sepultura tamen eius fuit perhonorabilis, quia*

in Sepulchro nouo lapideo, & cum linteaminibus, & aromatibus pretiosis, vt habetur Ioan. 19. Atque ex his patet, quomodo Æterni Patris ordinatione Dominicum Sepulchrum fuit Filio Dei præparatum.

Sed cuiusnam ministerio illud Deus construi & ædificari curauit? Ministerio nobilissimi & clarissimi viri Ioſephi ab Arimathæa, inter præcipuos sanctæ Ciuitatis, ob eius nobilitatem & virtutem, præclarissimi; at multò præclarior, ob singularem eius in Christum pietatem & religionem; erat enim illius discipulus. Hic pro se quidem excidit sepulchrum, sed, Deo aliter ordinante, vt Filio eius deseruiret; qui cælitus motus, Christo eius magistro dedicauit. Ita Matthæus, de Christi honorifica agens Sepultura, sequentibus docet: *Cùm autem serò factum esset, venit quidam homo diues ab Arimathæa, nomine Ioseph, qui & ipse discipulus erat Iesu. hic accessit ad Pilatum, & petiit corpus Iesu. Tunc Pilatus iussit reddi corpus. Et accepto corpore, Ioseph inuolvit illud in sindone munda. Et posuit illud in monumento suo nouo, quod exciderat in petra. Et aduolvit saxum magnum ad ostium monumenti, & abiit.* In quibus verbis illa singulariter considerandа sunt, *quod exciderat in petra*: iis enim indicatur, auctorem, siue conditorem Dominici Sepulchri fuisse Iosephum ab Arimathæa; qui pro se quidem excidit in rudi petra, sed Christo postea concessit.

Matth. 27. 57.

Permansit verò hoc diuinissimum Sepulchrum, nullis additis ornamentis, in simplici illa ac rudi forma, quam à Iosepho in sua prima excisione acceperat, vsque ad Imperij M. Constantini tempora, quin & multis annorum conuersionibus vsque ad illa tempora delituit. Impij enim homines, nominis Christiani acerrimi hostes, ipsis etiam dæmonibus suggerentibus, vt de mentibus hominum prorsus sustollerent insignium Christi facinorum memoriam, quam Sepulchrum illud conseruabat, multam super ipsum imposuerunt terram: & ampliùs, vt facilius quod intendebant exequerentur, spurcissima idola supra erexerunt, & locum sanctum, omni dignum veneratione, & orationi deputandum, spurcissimis ac luxuriis immundissimis contaminarunt, vt videre est apud Eusebium Cæsariensem & alios.

Adde etiam quod Sozomenus lib. 2. c. 1. dicit: *Vniuerso loco tum Sepulchri, vnde Christus resurrexit, tum Caluariæ, muro vndique circumdato, cum pro suo arbitratu exornare cœperunt: nam primùm sternunt lapidibus, deinde fanum Veneris suprà exstruunt, postremò simulacrum in eo statuunt; ad eum sanè finem, vt & qui Christum in eo loco adorarent, Venerem viderentur colere: & temporis diuturnitate, vera causa, cur homines eum locum venerarentur, veniret in obliuionem: quippe cùm Christiani neque eò tutò ipsi accedere possent, neque aliis indicare auderent, sed contrà, omnibus pro certo confirmaretur, in eo loco aliud esse nihil præter fanum Gentilium & Veneris statuam.*

Quantum ad id quod dicit Sozomenus, de statua Veneris posita in loco Sepulchri, videtur in aliquo aduersatus S. Paulinus Nolanus Episcopus Epist. 11. ad Sèuerum, qui asserüit, & verè, Hadrianum Imperatorem Iouis simulacrum statuisse in loco Dominicæ passionis: nam ex D. Hieronymi lectione, vt Iacobus Gretserus animaduertit, euidenter apparet, Hadrianum Imperatorem, siue Gentiles eiusdem Hadriani temporibus, in Resurrectionis Domini loco, qui & Passionis ipsius etiam locus erat, Iouis statuam dedicasse, & super Caluariæ montem Veneris marmoreum simulacrum statuisse. *Ab Hadriani temporibus*, inquit Hieronymus Epist. ad Paulinum, de Instit. Monac. c. 2. Tom. 1. *vsq; ad Imperium Constantini, per annos circiter centum octoginta, in loco Resurrectionis simulacrum Iouis, in crucis rupe statua ex marmore Veneris à Gentibus posita colebatur; existimantibus persecutionis auctoribus, quòd tollerent nobis fidem Resurrectionis & crucis, si loca sancta per idola polluissent.* Hæc ille.

Supra Sepulchrum Domini erectum à infidelibus Iouis idolum.

Respondetur nihilominùs, non esse inter istos Auctores contrarietatem, si benè intelligantur & explicentur, dicendo, Sozomenum locutum fuisse de communi loco Caluarium & Sepulchrum continente, vt clarè illius indicant verba; & in eo verè positum fuit idolum Veneris: Paulinus verò & Hieronymus distinctiùs de locis peculiaribus communis loci locuti, dixerunt, in loco crucis Veneris, in alio Sepulchri Iouis statuam erectam fuisse; nec hoc negauit Sozomenus.

Verùm opportuno tempore, quando Deo placuit respicere oculo suæ pietatis super populum suum, & super Ciuitatem sanctam suam, hanc expurgando, illiq; tradendo; ad honorem Filij sui & Christianorum solatium, locus etiam ille erutus & expurgatus fuit, cùm iussu piissimi generosiq́ue Imperatoris Constantini Maximi excauata terra, & inde asportata, emergere fecit sanctissimum Sepulchrum; quod etiam tunc innotuit miraculis in eius gratiam editis, vt Eusebius testatur.

Expurgatur locus Sepulchri supra Caluariæ, ipsumq; continuatur.

Hic etiam piissimus Imperator ad honorem sacratissimi Sepulchri fecit templum construi sumptuosum; quod lucidissimis marmo-

y Google

marmoribus exornauit, & ipſum multò magis Sepulchrũ variis ſuperinductis ornamentis nobilitauit. Hæc explicuimus ſuprà ex Euſebio agentes de ſacratiſſimo templo Dominicæ Reſurrectionis. D. Cyrillus de his agens Catech. 14. inquit: *Et locus adhuc apparens, & ſanctæ huius Eccleſiæ hæc domus, quæ, voluntate Chriſti ſtudioſa, à beatæ memoriæ Conſtantino Imperatore edificata, &, vt cernis, ornata eſt*, &c. Et poſteà fideles alij idem præſtiterunt, quando demolitum ab infidelibus viderunt, vt præcedenti Peregrinatione indicatum.

Aduerte, expurgationem ſacri loci & diuiniſſimi templi extructionem à Socrate libro 1. cap. 13. aliiſque Eccleſiaſticis Scriptoribus, quos adducit & ſequitur Adrichomius in Deſcriptione Ieruſalem n. 242. adſcribi Helenæ M. Conſtantini piæ matri, abſque tamen eorum quæ diximus præiudicio: nam eius conſtructio vtrique adſcribitur; quia vel Helena cœpit, & Conſtantinus conſummauit; vel quia vtriuſque idem in illo opere fuit conſilium; vel quia Conſtantinus, epiſtolis ſuis ad Palæſtinæ Præſules directis, opus præcepit, & Helena veniens Ieroſolymam locum expurgauit, & ſecundùm filij ſui mentem Sepulchrum exornari & templum circa ipſum conſtrui præcepit. Ita Theodor. lib. 1. cap. 18. *Hæc*, id eſt Helena, *itineris labores ſubire non recuſauit, neque ſenectutis infirmitatem (nam paulò ante mortem, quam octogeſimum annum ætatis agens oppetebat, iſtud iter fecit) omnino animo complexa eſt; ſed poſtquam vidit locum illum, qui particeps fuit afflictionum pro communi omnium ſalute ſuſceptarum, confeſtim execrabile illud Veneris fanum deturbari, & aggerem ex vrbe exportari iuſſit. Quare confecta, Sepulchrum, quod diu abſtruſum iacuiſſet, emerſit*, &c. & Socrates lib. 1. cap. 13. de his agens: *Helena Ieroſolymam iter capit, Chriſti monumentum, in quo ſepultus eſt, & ex quo reſurrexit, diligenter perueſtigat, & perquiſitum tandem inuenit.* Ex dictis igitur patet, Ioſephum ab Arimathæa, occultum Chriſti diſcipulum, ſacratiſſimum Sepulchrum primò excidiſſe in petra, poſteà M. Conſtantini & Helenæ matris eius opera politum & exornatum fuiſſe, ac denique ab aliis fidelibus, quemadmodum in præſentia cernitur.

CAPVT IX.

De materia ſanctiſſimi Sepulchri, & eiuſdem formæ priſtina conditione, variaque Doctorum placita.

SAnctiſſimi Sepulchri Domini noſtri Ieſu Chriſti materia, qua Ioſeph ordinatione fuit conſtructum, non fuit lignea, vel lateritia, ita vt fuerit vel arca lignea, vel domuncula ex pluribus lateribus confecta; ſed fuit ſolida rupes ſolo inhærens, in qua celte inciſum & excauatum fuit ſepulchrum, quod indicauit Matthæus 27, 60. dicens: Ioſeph *poſuit* Ieſum *in monumento ſuo nouo, quod exciderat in petra.* Cur verò Chriſtus in ſepulchro ex rupe fabricato voluerit tumulari, egregiam rationem indicauit S. Hieronymus in cap. 27. Matth. dicens: *In monumento nouo, quod exciſum fuerat in petra, conditus eſt, ne, ſi ex multis lapidibus adificatum eſſet, ſuffoſſis tumuli fundamentis ablatus furto diceretur.* Ideò etiam nouum fuit, in quo nullus poſitus fuerat, ne Chriſti reſurrectio alteri adſcriberetur. *Sepulchri materia rupes.*

Et vt hoc clarum & conſpicuum videtur, non item aliud, in quo quæritur de eiuſdem Sepulchri formæ conditione: cuius difficultas prouenit ex illius mutatione ex ſuperinductis ornamentis, vt dixit iam citatus Cyrillus, quem inferiùs adducemus; quare non mirum, ſi qui de illa ſcripſerunt, in omnibus haud conueniunt, vt aliquibus ex illis in medium productis apparebit.

Beda in Matth. 27. dicit, quod ſepulchrum hoc domuncula erat rotunda, & petra tantæ altitudinis, vt vix poſſet homo manu extenta culmen attingere: oſtium paruum habebat ab Oriente, in parte verò eius Aquilonem ſpectante erat locus Dominici corporis de eadem petra exciſus, longitudinis ſex pedum, altior verò atque eminentior reliquo pauimento tribus palmis, quaſi ſarcophagus quidam patulus; oſtium verò tam erat paruum, vt ingredi volentem oporteret caput inclinare, ideò de venientibus ad monumentum diſcipulis dicitur à Ioanne, quod inclinauerunt ſe. Color verò monumenti ac loculi, rubicundo & albo dicitur eſſe permixtus. *De forma Sepulchri ſententia.*

Idem Beda de Locis ſanctis cap. 2. deſcribens Eccleſiam ſanctiſſimi Sepulchri, in Occidentali parte montis Caluariæ erectam, ſequentia de iſto ſacratiſſimo Sepulchro ſcribit: *Huius in medio monumentum Domini rotundum in petra exciſum eſt, cuius culmen extrinſecus ſtans homo manu contingere poteſt, ab Oriente habens introitum, cui lapis ille maximus appoſitus eſt, quod intrinſecus ferramentorum veſtigia vſque ad præſens oſtendunt; nam extrinſecus vſque ad culminis ſummitatem totum marmore tectum eſt, ſummum verò culmen auro ornatum, aureamque magnam geſtat crucem. In huius ergo monumenti Aquilonari parte Sepulchrum Domini in eadem petra exciſum, longitudinis ſeptem pedum, trium menſura palmorum, pa-*

nimento altiùs eminet, introitum habens à latere Meridiano; vbi die noctuq; duodecim lampades ardent, quatuor intra Sepulchrum, octo supra in margine dextro. Lapis, qui ad ostium monumenti positus erat, nunc fissus est; cuius pars minor quadratum altare ante ostium nihilominùs eiusdem monumenti stat; maior verò in Orientali eiusdem loco quadrangulo aliud altare sub linteaminibus extat. color autem eiusdem monumenti & Sepulchri albo & rubicundo permixtus videtur. Hactenus Beda. Quibus similia dixit Remigius, vnum addens, domunculam, in qua Sepulchrum Dominici corporis erat, fuisse vix tanti ambitus, vt decem caperet homines: & Chrysostomus breuem & valdè angustum locum appellat Tomo 5. lib. Quòd Christus sit Deus.

S. V Villibaldus Episcopus, qui ante octingentos octoginta annos Ierosolymam peregrinatus fuit, in suo Hodœporico, cuius alibi mentionem fecimus, de hisce in hunc modum scribit: *Et ibi est ille hortus in quo fuit Sepulchrum Saluatoris. Illud Sepulchrum fuerat in petra excisum; & illa petra stat super terram, & est quadrans in imo, & in summo subtilis: & stat nunc in summitate illius Sepulchri crux; & ibi desuper nunc edificata est mirabilis domus: & in Orientali plaga in illa petra Sepulchri est ianua, per quam intrant homines in Sepulchrum orare: & ibi est intus lectus, in quo corpus Domini iacebat: & ibi stant in lecto quindecim crateres aurei cum oleo ardentes die noctuq;. Ille lectus, in quo corpus Domini iacebat, stat in latere Aquilonis intus in petra Sepulchri; & homini est in dextera manu, quando intrat in Sepulchrum orare*, &c. Hæc ibi.

Guilielmus de Baldensel, Eques laureatus Ierosolymitanus, qui post quingentos septuaginta annos à S. V Villibaldo inuisit loca sancta, in suo Hodœporico de sancto Sepulchro ita loquitur inter alia ad intentum: *In medio Ecclesiæ Sepulchri & sub illius circulo paruula domuncula est, in quam, propter portæ demissionem, versus Orientem intrare oportet corpore incuruato; suprà verò testudinata est ad modum semicirculi opere musaico, auro & marmoribus deornata, nullam habens fenestram, candelis & lampade illustrata. In huius domunculæ parte dextra locus est Dominicæ Sepulturæ attingens extremitates prædictæ casæ in longum, scilicet ab Oriente versus Occidentem: cuius longitudo nouem communium palmarum est, latitudo verò tam monumenti quàm spatij ceteri ipsius domunculæ, residuum in latitudine circa sex palmas communes vtrobique se extendit: circa 12. palmas potest esse altitudo domunculæ supradictæ.* Tantum ille.

Fr. Brocardus de Monte Sion, qui circa hæc tempora ad loca sancta, quantum coniectare possum, peregrinatus fuit, in sua Descriptione Terræ sanctæ pauca hæc de Sepulchro Christi scripsit: *Spelunca Sepulchri Domini habet octo pedes longitudinis & latitudinis; similiter spelunca ante ostium Sepulchri tantumdem: & in medio eius stat lapis, qui fuerat ostio monumenti adnolutus.* Sic ille.

Alter Brocardus, celebris locorum sanctorum scriptor, eadem ferè dicit; & addit, ante speluncam Dominici Sepulchri aliam esse cryptam eiusdem magnitudinis & figuræ solo pariete intermedio segregatam; & ad hanc primò descenditur, ex qua per ostium intermedij parietis peruenitur ad speluncam Dominici Sepulchri: quod ostium clausum fuisse dicit, quando mulieres tempore resurrectionis dicebant ad inuicem, *Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti?* Marc. 16, 3.

Quamuis verò aliqui ex istis Auctoribus inter se dissentire videantur in describendo Dominico Sepulchro, conuenire tamen arbitror: etenim quilibet vel à se obseruata scripsit, vel ab altero prætermissa suppleuit.

Beda sanè, qui loca sancta non vidit, sed scripsit de illis vt legit in Adamnano, cuius opus redegit in compendium, duorum locorum dumtaxat meminit, scilicet capellulæ & monumenti in ea excisi, in quo fuit Christi corpus humatum; sicut & Remigius addit, dum de illius magnitudine verba facit.

Brocardus verò, qui Bedæ succesſit (siquidem Brocardus floruit circa annum Domini 1283. Beda verò 734.) & propriis oculis magna diligentia Terram sanctam perlustrauit, alterius etiam capellæ meminit, quæ solo pariete (intellige rupe ad instar muri elaborata) ab illa, cuius etiam Beda meminit, separetur. Idem alter tradit Brocardus, & alij, qui docent esse ibi pro altari magnum lapidem qui fuerat appositus ad ostium monumenti.

Posset etiam dici, Bedam alterius non meminisse; vel quia illius notitiam non habuit; vel quia ad Dominicum Sepulchrum pertinere non credidit; vel quia suo tempore ædificata non erat, sed posteà à fidelibus addita, vel ad ornatum, vel ad mysterium, vt pòst dicemus.

In libro Petri Apiani Mathematici Ingolstadiensis & Bartholomæi Poëtæ, cui titulus est, INSCRIPTIONES SACROSANCTÆ VETVSTATIS, in Inscriptionibus Asiæ & prouinciæ Iudææ ita habetur: *Ierosolymæ epitaphium Domini & Saluatoris nostri Iesu Christi, ab Ierosolymis sacro suo tumu-*

tumulo destinatum, missum Aeneæ Syluio P. M. Romam.

Vita mori voluit, & in hoc tumulo requieuit;.
Mors quia victa fuit, nostram victrix abeleuit:
Nam qui confregit nigra inferna, ille subegit
Educendo suos, cuius Dux ipse cohortis:
Tartarus inde gemit, & mors lugens spoliatur.

Huius Epitaphij nullum in præsentia extat vestigium. Hæc ex aliis relata. Alia à nobis obseruata prosequamur.

CAPVT X.

Sententia Auctoris, & ab eodem obseruata circa sanctissimum Domini Sepulchrum.

ET nostra sententia de conditione & forma sanctissimi Sepulchri Domini nostri aperienda est, & circa ipsum obseruata in medium adducenda. Sciendum itaque, quòd quamuis diuinissimum hoc monumentum veterem priorem formam accidentalem, quam dedit Ioseph, vel potiùs natura, haud retineat, arte à fidelibus posteà exornatum; non est tamen adeò demolitum, quin adhuc essentialia, memorata videlicet receptacula, in se non contineat, vt fatentur omnes qui de eo scripserunt: ex quibus, & ex relatis ab Ecclesiasticis aliis Scriptoribus aliqua proponemus, quæ non parum deseruient ad non mediocrem argumenti, quod tractamus, dilucidationem. De loco verò vbi situm & forma ipsius præsenti Capite agam, sequentibus de Sepulchri custodia; & difficultates ac nonnulla alia aduciam.

Situs Sepulchri. Quantum igitur ad situm & locum huius sacratissimi Sepulchri, dico esse in horto non longè à sancta Ciuitate, prope locum vbi Christus fuit crucifixus. Quòd fuerit extra ciuitatem, probatur ex Paulo Hebr. 13, 12. qui dicit, quòd Christus *extra portam passus est*, igitur & sepultus; tum primò, quia prope locum mortis iudicio damnati sepeliebantur, vt diximus loquentes de loco inuentionis sanctæ Crucis: tum secundò, quia Christus sepultus fuit more Iudæorum, vt dicitur in Euangelio. Sed Iudæi extra ciuitatem sepeliebant defunctorum corpora, non in ciuitate, ne contaminarentur, vt apud omnes est in confesso, & singulariter notauit Iansenius cap. 31. Concord. Euang. vbi, loquens de illis dæmoniacis qui in speluncis & sepulchris delitescebant, inquit: *Vt autem intelligatur melius, quomodo hi dæmoniaci habitauerint in monumentis, idq; in desertis & montibus; sciendum, quòd Iudæi suos non sepelierunt in ciuitatibus, ne contaminarentur, sed extra ciuitatem in agris, & maximè in montibus & desertis locis; vbi vnaquæque ferè familia suum habebat sepulchrum in aliqua rupe excisum, aut in aliqua spelunca delectum, aut ex lapidibus & ex fossione extructum, tantam habens altitudinem & latitudinem, vt multi erecti illud ingredi possent, & multi simul in eo sepeliri. Patet istud ex variis Scripturæ locis, videlicet ex Sepulchro Domini, sepulchro Abrahæ, & sepulchris, de quibus legitur 4. Reg. 23. vbi dicitur Ioas vidisse sepulchra quæ erant in monte, misisseq; & tulisse ossa de sepulchris, & per ea polluisse altare in Bethel. Hinc etiam est, quòd toties in Scripturis dicantur quidam illati vel non illati in sepulchra patrum suorum. Itaque mirum videri non debet, si dæmoniaci isti in sepulchris habitarent, idq; in montibus & desertis.* Hæc Iansenius. Lege quæ ad hoc notauimus Lib. IV. Peregrinat. IV. Cap. VI.

Iudæorum sepulchra extra ciuitatem.

Idem iudicium de Iosephi siue Christi Sepulchro faciendum est. Et, quod omnem tollit difficultatem, in horto fuisse conceptis verbis indicat Ioannes 19, 41. dicens: *Erat autem in loco, vbi crucifixus est, hortus, & in horto monumentum nouum, in quo nondum quisquam positus erat. Erat hortus in loco, id est, prope locum vbi crucifixus est Iesus*, inquit Toletus in hunc locum, *quia illa pars agri & montis, vbi crucifixus est, non erat pars horti, sed proxima horto, nisi velis locum appellari totum illud spatium, quod dicebatur Golgotha; in quo & pars illa montis, vbi crucifixus est, & hortus iste concludebatur.* A monte Caluariæ, si credimus Adrichomio in Ierusalem num. 239. distat centum & octo pedibus, à monte autem Sion passibus mille: ego rectà procedendo, à cauo, vbi plantata fuit sancta Crux, vsque ad locum vbi sepultum fuit corpus Iesu, inuenì pedes, siue palmos, eadem apud me mensura, 132. est in plaga Occidentali Caluariæ montis, vergendo tamen parum ad Septemtrionem. Et hæc de situ sancti Sepulchri.

Forma Sepulchri. De forma verò eiusdem Sepulchri dico, in eo fuisse tria distincta loca in vnica solida rupe excisa. Et vt quod sentimus meliùs explicemus, in primis considerare debemus in illo horto specum, siue rupem & petram solo inhærentem quidem, & ex eodem prominentem, ita vt in ea potuerit commodè Sepulchrum excidi. Deinde aduerto, in ea rupe excisum Sepulchrum tribus locis distinctum fuisse. Prior ante capellu-

Tria in Sepulchro loca.

lam

lam erat, in qua positum fuit velut in arca corpus Iesu; & vestibulum quoddam erat in rupe excisum, ex quo in capellulam erat ingressus ab ostio Orientali, & hoc est alter locus: tertius erat arca, in eadem capellula excisa è solo prominente in Aquilonari latere, vbi positum fuit corpus Iesu. De his duobus posterioribus, præter dicta Capite immediatè præcedenti ex Beda & Brocardo, diximus etiam Capite v. præcedentis Peregrinationis ex Eusebio, dum de eius inuentione sermo incidisset. De vestibulo & priori memorato loco videtur aliquibus, vt Baronio, difficile illum ponere; quoniam illius non meminit Beda ex Adamnano.

Verùm non ob hanc rationem negandum: quæ enim consecutio, Beda non meminit, ergo non est? Meminerunt alij nedum recentiores, vt Brocardus & alij qui scripserunt de Locis sanctis, sed & antiquiores, quibus maior fides adhibenda est, quia in statu minùs innouato ipsum videre potuerunt. Ex his verò audiamus vnum Cyrillum, Ierosolymorum Archiepiscopum, multò Beda antiquiorem; non enim, vt ille, anno Domini 734. floruit, sed circa annum 386. qui, vt benè notauit Baronius To. 3. Annal. sub anno Domini 326. vixit, quando inuenta fuit Crux Domini; quo tempore etiam sanctum Sepulchrum è sordibus in lucem prodiit, & illius inuentioni potuit interfuisse: nam Ierosolymitanæ præfuit Ecclesiæ sub Constantio Constantini filio; & sic sanctum Sepulchrum in pristino statu videre potuit, & quomodo postea remansesit post superaddita ornamenta.

Hic sanè de singulis à me indicatis locis vt vidit, & vt firmiore prophetico sermone didicit, videtur dicere: & primò, quòd fuerit non ex politis dolatis lapidibus extructum, sed in rupe & petra prominenti excisum, indicauit hisce verbis: *Volumus autem apertè scire vbi sepultus est? Numquid manu factus est locus? numquid sicut Regũ sepulchra elevatus est super terram? ex lapidibus facta est sectio composita. Et huic quid superponitur? dicite nobis ô Propheta; & Sepulchri certitudo vbi ponetur, & vbi ipsum quaremus? illi autem dicunt: Respicite in solidam petram, quam excidistis; respicite, & sentietis. Habes autem & in Euangeliis; In monumento excisso, quod erat excisum ex petra. Et quid sit? quod est ostium monumenti? Rursus Propheta alius dicit: Mortificarunt in lacu vitam meam, & imposuerunt lapidem super me. Lapis angularis, electus & glorioſus, in interiori lapide positus est ad modicum tempus. Lapis offendiculi Iudæis, & lapis salutis credentibus. Insitum igitur est lignum vitæ in terra; vt maledicta terra deinceps frui posset bene-*

Cyrillus Catech. 13.

De distinctis Sepulchri locis Scriptura testimonia.

Isa. 51, 1.

Thren. 3, 53.

dictione, & vt liberarentur mortui ac vivificarentur. Hæc omnia ad intentum S. Cyrillus. Secundò, de trium locorum distinctione scribit in hunc modum: *Et vnde resurget Saluator? dicis in Canticis Canticorum, Surge, propera amica mea; & in sequentibus, In foraminibus petræ. Foramen petræ dicit id, quòd tunc ante ostium Saluatoris monumenti erat foramen ex eadem petra, sicut hic esse solet ante monumenta excisum. Nunc enim non apparet, quoniam erasum est vestibulum, propter præsentem ornatum: nam ante regalem hunc ornatum & apparatum, Sepulchri vestibulum erat ante petram; sed vbi est petra quæ habuit vestibulum? num in his quæ sunt circa ciuitatem posita, aut circum muros, aut circa monumenta? Et vtrùm in antiquis muris est, aut in his qui posteriùs facti sunt antemuralibus? dicitur in Canticis: In cauerna macerie habentis petras.* Hæc Cyrillus. In quibus Cyrilli verbis manifesta illius prioris loci, id est, vestibuli, distinctio indicatur, vbi poterat esse difficultas; nam de duobus aliis locis non vidi dubitatum à Doctoribus, vel aliis. Ad hæc, duas fuisse speluncas, interiorem alteram, alteram exteriorem ampliorem & patentiorem, quasi interioris vestibulum, innuit D. Augustinus lib. 3. de Consen. Euang. cap. 24. & magis ex dicendis apparebit. Tria dicta loca Sepulchri appellationem seorsim obtinent, vt videbimus. Prætereà, non est credendum, pios fideles ita Dominicum exornasse Sepulchrum, vt pristinæ formæ memoriam abstulerint; sed vt illam magis conseruarent, ornamenta adhibuisse. Hinc Barradius, qui hanc sequitur sententiam, quæ oculatorum testium est, Tom. 4. lib. 8. c. 3. ait: Sed videat Lector, an velit concedere ausos fuisse antiquos Christianos aliquid sanctorum locorum sanctique Sepulchri diruere, intellige, ita vt auferretur memoria præexistentis formæ. Quare, cùm sicut Brocardi, ita & nostris temporibus, tria distincta loca in Sepulchro Domini cernantur, tria illa esse, quæ anteà erant, sed ad pulchriorem & commodiorem formam redacta, dicendum est.

Cant. 2, 10 14.

Cant. 2, 14.

Ornamenta in ipsius Sepulchri forma haud mutata.

Ad hæc, coniecturam probabilem faciunt plura sepulchra, præsertim nobilium & illustrium personarum, quæ sunt in rupibus & montibus circa Ierusalem: in horum enim plerisque tria distincta inueniuntur loca; & in primis vestibulum apparet ante ostium Sepulchri, in quod deferuntur defunctorum corpora: hæc manifestè videri possunt in sepulchris Regum, Iudicum & aliis supra montem vallis Gehennon, & singulariter in iis, quæ latibula Apostolorum appellantur, de quibus aliàs dictum fuit. Et talem

talem fuiſſe in partibus iſtis conſuetudinem, ante ſepulchra excidere veſtibula, indicant Cyrilli verbà proximè adducta. Igitur cùm Sepulchrum, in quo Dominicum corpus tumulatum fuit, nobilis viri Senatoris Regiæ ciuitatis Ieruſalem fuerit, ab eodem ſibi peculiari ſtudio & ſingulari Dei diſpoſitione ædificatum, non diſſimile ab aliis àliorum in partibus iſtis, præſertim nobilium, eſſe debuit, vt eſſet non quidem Ioſephi, ſed ipſiuſmet Domini honeſtum dignumque habitaculum; & tale fuiſſe tradit etiam Abulenſis in 4. Regum cap. 13. q. 19. & Matth. 8. q. 98. Quare ad illorum diſtinctam memoriam conſeruandam, in magnæ ſancti Sepulchri Eccleſiæ extructione ad duo poſteriora loca additum eſt tertium, veſtibulum in ſacellum conuerſum, cuius meminit poſteà Brocardus, & nunc cernitur.

Capellulæ & loci interioris, vbi iacuit corpus Ieſu, præter iam memoratos Auctores, meminit etiam B. Hieronymus Epiſtola ad Marcellam nomine Paulæ & Euſtochij, dum dixit: *Quotieſcumque Sepulchrum ingredimur, totiès iacere in ſindone cernimus Saluatorem; & paululùm ibidem commorantes rurſus videmus Angelum ſedere ad pedes eius, & ad caput* (hîc eſt ſermo de altero interiori prominente loco) *ſudarium involutum. Cuius Sepulchri gloria, multò antè quàm excideretur à Ioſeph, ſcimus Iſaiæ vaticinio* Iſa.11,10. *prophetatum dicentis: Et erit requies eius honor: quòd ſcilicet Sepulturæ Domini locus eſſet ab omnibus honorandus.* & infrà: *Ergòne erit illa dies, quando nobis liceat ſpeluncam Saluatoris intrare*, id eſt capellulam, *in Sepulchro Domini flere cum ſorore, flere cum matre?* Et Marinus Sanutus Secret. fidel. Cruc. lib. 3. p. 14. c. 8. ad idem ait: *Eſt autem ſpelunca ex omni parte clauſa, nec per aditum aliquem intrare poteſt lux; ſed nouem lampades lucem continuam ſubminiſtrant. Eſt & alia ſpelunca ante ſpeluncam iſtam ſancti Sepulchri eiuſdem longitudinis & latitudinis & diſpoſitionis intus & extrà: & videntur hæ duæ, vna exteriùs exeunti. In iſtam exteriorem intrauerunt mulieres, quando dixe-* Marc.16,3 *runt, Quis reuoluet nobis lapidem ab oſtio monumenti? lapis enim aduolutus erat oſtio ſpelunca interioris; & iacet adhuc magna pars eius ante præditum oſtium: alia verò pars eius tranſlata eſt in montem Sion, & ſuppoſita eſt vni altari. Eſt autem iuxta cellam Sepulchri columna quædam, in qua eſt imago B. Pantaleonis: cuius oculos cùm quidam Saracenus deſtrueret, ipſius oculi protinus ceciderunt in terram.* Hæc Sanutus.

Denique ipſi ſacri Euangeliſtæ, quorum omnes de iſto Sepulchro & excisa rupe ſcripſerunt, diſtinctionem etiam trium locorum indicarunt, quæ maximè obſeruanda eſt, propter ſolutionem multarum difficultatum in hac materia & hiſtoria reſurrectionis Domini inſurgentium.

Diſtinctio locorum Sepulchri ex Euangeliſtis: Veſtibuli Matth.28, 1,2.

De priori loco, id eſt veſtibulo, videntur fuiſſe locuti Matthæus & Marcus. Matthæus, dum dicit: *Venit Maria Magdalene, & altera Maria, videre Sepulchrum. Et ecce terræmotus factus eſt magnus. Angelus enim Domini deſcendit de cælo, & accedens reuoluit lapidem, & ſedebat ſuper eum. Reuoluit*, quia remouit ab oſtio monumenti, per quod deſcendebatur in ſecundum locum: non enim loquitur de lapide qui erat interiùs; quia cùm eſſet magnus valdè, & oſtium paruum, non potuiſſet in cellulam introduci: & præterea, niſi fuiſſet exteriùs in veſtibulo ad oſtium ſecundi loci aduolutus, mulieres non potuiſſent illum videre reuolutum ab oſtio monumenti à longè, antequam ad illud appropinquaſſent; quæ tamen dum ambularent, & reſpicerent, *viderunt reuolutum lapidem*, vt inquit ſanctus Marcus 16, 4. & addens, *Et introëuntes in monumentum, viderunt iuuenem ſedentem in dextris*, &c. indicat veſtibulum fuiſſe ad inſtar alterius ſacelli: quòd enim non eſt aliquo modo clauſum, ingredi non dicitur. Et oſtenditur ampliùs, dum dicit Matthæus Angelum ſuper lapidem ſediſſe, quod non tacuit Marcus. At cùm lapis eſſet extra capellulam, hoc eſt, ſecundum locum, conſequens eſt dicere, fuiſſe in veſtibulo, quod Marcus magis videtur explicuiſſe; & Matthæus c. 28, 6. dum inducit Angelum inuitantem mulieres ad videndum locum vbi poſitus fuerat corpus Ieſu: *Venite, & videte locum, vbi poſitus erat Dominus.* Si enim interiùs in ſecunda capellula fuiſſet Angelus, non dixiſſet, *Venite*, &c. ex ſe enim vidiſſent, ſicut lapidem & ipſummet Angelum viderunt.

quod in capellam conuerſum?

Veſtibulum illud, in priorem capellam conuerſum, Angeli appellatur; quòd ibi ſederit ſuper lapidem Angelus, vt habet communis in partibus iſtis traditio; & nos inferiùs ampliùs explicabimus.

Capellulæ

Secundi verò loci, id eſt capellulæ, meminit Matthæus 27,60. dum dicit, *Et adoluit* (Ioſeph) *ſaxum magnum ad oſtium monumenti, & abiit.* & infrà: *Illi autem abeuntes, munierunt Sepulchrum.* & capite 28,8. *Et exierunt* (mulieres) *citò de monumento.* & Marcus cap. 15. v. 46. & cap. 16. v. 3. & 8. Lucas 24. v. 2. & 9. Ioan. 20. v. 1. & 3. dum de Petro & ſeipſo dicit: *Exiit ergo Petrus, & ille alius diſcipulus, & venerant ad monumentum. Currebant autem duo*

duo simul, & ille alius discipulus praecucurrit citiùs Petro, & venit primus ad monumentum (hoc est, vestibulum monumenti) *& cùm se inclinasset, vidit posita linteamina* (non enim fuit ausus ingredi in secundum locum, & capellulam, sed per eius ostium prospexit in tertium locum, in quo videlicet positum fuerat corpus Iesu:) cùm verò subdit de seipso Ioannes, *Non tamen introiuit*, intellige in secundam partem antri; cùm denique de Petro & de seipso subijcit, *Venit ergo Simon Petrus sequens eum, & introiuit in monumentum, & vidit linteamina posita, & sudarium, quod fuerat super caput eius, non cum linteaminibus positum, sed separatim involutum in vnum locum. Tunc ergo introiuit & ille discipulus, qui venerat primus ad monumentum: & vidit, & credidit*, &c. hæc de secundo loco Sepulchri intelliguntur, & quæ sequuntur de Maria Magdalena: *Maria stabat ad monumentum foris, plorans* (id est in primo loco & vestibulo) *dum ergo fleret, inclinauit se, & prospexit in monumentum* (id est secundum antrum) *& vidit duos Angelos in albis, sedentes, vnum ad caput, & vnum ad pedes, vbi positum fuerat corpus Iesu*, id est in tertio loco in Aquilonari latere excisō: & in isto tertio loco visa fuerunt linteamina, sed non corpus Domini Iesu, neque à discipulis, neque à Magdalena aliisve mulieribus.

Capellula & arca.

De duobus verò posterioribus locis videntur esse intelligenda verba illa Lucæ 24, 3. *Et ingressa* (id est, in secundum antrum) *non inuenerunt corpus Domini Iesu* (id est, in tertio loco.) *Et factum est dum mente consternata essent de isto, ecce duo viri steterunt secus illas in veste fulgenti*, &c. qui fortè illi ijdem sunt, qui à Ioanne sedentes, à Luca verò stantes dicuntur. Nec enim aliquod inconueniens, si illi cælestes spiritus modò stantes modò sedentes describantur; non enim sunt immobiles. Hoc dixi, vt me expediam à nonnullis difficultatibus quas circa hoc mouent Doctores.

Ex dictis ex parte colligitur, quale fuerit sacratissimum Domini nostri Iesu Christi Sepulchrum, quomodoque in eo sint assignanda tria distincta loca.

Ostium Sepulchri paruum.

Ostium secundi paruum quidem est, nam ad videndum interiùs curuauerunt se discipuli & mulieres; non tamen ita paruum, vt communiter creditur & describitur, ita vt nonnisi inclinando & reptando possit per illud intrari, vt efformatur in pluribus locis in descriptione & exemplaribus Sepulchri Dominici: etenim si quod interius est, in quo positum fuit corpus Iesu, prominet tres palmos à solo, vt dixit Beda, non se inclinando potuissent interiùs videre, si esset corpus Iesu vel linteamina, sed oportuisset se prosternere, & intrare. Et quod ad præsens est, si non est innouatum, oppositum ad sensum demonstrat; parum enim se inclinando homo intrat: quod si dilatatum fuit, vt mihi probabile videtur, modicùm tamen.

Parietes interiùs & exteriùs vestiti sunt dolatis marmoreis tabulis cinerei coloris: camera nunc sola rudi calce incrustata; olim tamen elegantissimo musaico fuisse incrustatam non est dubitandum, cùm magnum templum huius gratia erectum tali non caruerit ornamento: ita fuisse traditō Baldensel, & alij, qui post eum ex parte viderunt, testati sunt; nunc verò, licet non nisi obscurè in primo facilo diiudicari possit, benè tamen in secundi camera, diligentia adhibita, licet fumo lampadarum denigratum & obscuratum, minutissimum musaicum cernitur. Et hæc pro nunc sufficiant de situ & forma sacratissimi Sepulchri Domini nostri, alia pro horum maiori intelligentia dicentur inferiùs.

CAPVT XI.

De custodia Sepulchri Domini nostri Iesu Christi.

TAnta erat potentia & virtus Saluatoris nostri, vt eam timerent & formidarent Iudæi, etiam postquam crucifixus, mortuus & sepultus fuit: quare, ne se viteriùs extenderet, petierunt à Pilato vt iuberet custodiri Sepulchrum; quibus annuit Pilatus: sed & pij fideles ex magno ad Saluatorem affectu adhibuerunt pretiosissimo Sepulchro custodiam; sicque duplici custodia munitum fuit, altera fidelium & amicorum Christi; infidelium & hostium altera. Illa consistit in admotione lapidis ad ostium monumenti, ista in signatione Sepulchri & militum assistentium custodia. Vtriusque meminerunt sacri Euangelistæ, & alij Ecclesiastici Scriptores. Prioris Matthæus & Marcus. ille: *Et aduoluit* (Ioseph) *saxum magnum ad ostium monumenti, & abiit*, Matth. 27, 60. iste: *Et aduoluit lapidem ad ostium monumenti*, Marci 15, 46.

Sepulchri custodia duplex.

Posterioris idem Matthæus: postquam enim enarrasset, quomodo Principes & Pharisæi petissent à Pilato, vt iuberet custodiri Sepulchrum vsque in diem tertium, statim placitum Pilati subiungit, & custodiam explicat illis verbis: *Habetis custodiam, ite, custodite sicut scitis. Illi autem abeuntes, munierunt sepulchrum, signantes lapidem, cum custodibus.* Matth. 27, 65.

De

De conditione prioris custodiæ, dixit Marcus fuisse *lapidem*, & *magnum valdè*, Matthæus *saxum magnum*; Beda *lapidem maximum* appellauit, & talem fuisse indicat, dum scissum duobus altaribus deseruisse docet; *ingentem* Nicephorus.

Lapis Sepulchri duplex, an simplex fuit.

Sed oritur difficultas, num lapis ille fuerit simplex, an duplex, id est, an vnus dumtaxat, an potiùs duo fuerint. Ioannes Maldonatus in cap. 28. Matth. docet fuisse duos; & miratur neminem id obseruasse. Miror, neminem, inquit, quòd sciam, interpretem obseruasse, duos in monumento fuisse lapides, & vtrumque fuisse ab Angelo reuolutum. Et probat auctoritate & ratione. Auctoritate primò S. Augustini lib. 3. de Consensu Euangelistarum cap. 24 Bedæ in cap. 27. Matth. Brocardi; & aliorum oculatorum testium; qui omnes asserunt; Christi Sepulchrum fuisse ædificium concameratum, foris ostium habens, quà introitus esset; intus verò Sepulchrum, vbi corpus reponeretur. Et hæc quidem verè. Ex his infert, duos fuisse lapides; alterum foris, quo totius monumenti ostium claudebatur, alterum intus, quo claudebatur Sepulchrum: vtrumque Angeli reuoluerant, primum, vt mulieres ingredi possent; secundùm, vt vacuum Sepulchrum viderent. Angelus ergo non super primum, sed super secundum sedebat.

Et ex hoc rationem conficit: Quia si super primum sedisset, primo aspectu mulieres terruisset, neque ausæ fuissent in monumentum introire; sedit ergo super secundum qui interiùs erat; & consequenter duo. Præterea, conueniebat non super primum, sed super secundum sedere lapidem; & vt ostenderet se ideò Sepulchri lapidem amouisse, vt mulieres vacuum Sepulchrum videre possent; & vt ipso quodammodò digito locum, vbi Christus positus fuerat, vacuum demonstraret: sicut vers. 6. dicit, *Surrexit enim sicut dixit: venite, & videte locum, vbi positus erat Dominus.* Cum ergo Matthæus dicit Angelum remouisse lapidem, vtrumque lapidem intelligit; cùm ait sedisse super eum, secundum intelligit, qui intra monumentum erat. Nam cùm super vtrumque sedere non posset, necesse est, aut super primum aut super secundum sederit. Matthæus super primum sedisse non dicit; Marcus, Lucas & Ioannes super secundum sedisse manifestè dicunt, cùm dicant sedisse intus; ergo & Matthæus, cùm dicit sedisse super eum, secundum lapidē intelligit: vnde sequitur etiá, secundùm Matthæum, Angelum non foris, sed intus à mulieribus visum esse. Hæc ex Maldonato.

Singularis profectò sententia, & vt nullus Interpres illam obseruauit, vt sentit Maldonatus, ita nec tenuit; quia non dubitandum, quin aliquis illam explicasset. Communis ergo altera est, & tenenda, quæ asserit, vnicum fuisse lapidem, & illum admotum ad ostium monumenti. Ita habet vetus receptaque harum partium traditio. Et mirabile est, quod cùm toties sacri Euangelistæ mentionem fecerint sepulchralis custodiæ, siue munitionis, tamen numquam in numero multitudinis lapides dicendo illam explicuerint, sed semper in numero singulari, lapidem vel saxum dixerunt. Ac consequenter, non debemus credere, illos, aliósve qui postea de eodem lapide locuti fuerunt, figurate fuisse locutos, numerum singularem pro plurali intelligentes. Præterea, si duo lapides fuissent, non tacuissent Euangelistæ: quorum mens fuit exactè explicare diligentem custodiam & munitionem Sepulchro exhibitam; vnde hac ratione mentionem fecerunt magnitudinis lapidis, sigilli & custodum.

Positus fuit Sepulchri lapis.

Ad hæc, ex Matth. 28. vers. 6. Angelus, qui sedebat super lapidem, dixit mulieribus, *Venite, & videte locum vbi positus erat Dominus*, quasi, eas nondū in monumentum ingressas, ad ingrediendum inuitet: & ita non interiùs in sacello, sed exteriùs sedebat.

Respondet Maldonatus: Scio etiam hoc multos interpretes fefellisse, quòd existimarunt mulieres his verbis ad ingrediendum in monumentum inuitatas esse, cùm non ad ingrediendum, sed ad veniendum, id est, ad accedendum & videndum Sepulchrum inuitentur. Nec enim dicit Angelus, introite; sed, *venite:* erant enim iam intra monumentum, vt Marcus & Lucas diserti simè scribunt. Cùm enim ad monumentum venissent, &, præter opinionem, primum lapidem, de quo in via sollicitæ fuerant; remotum inuenissent, audacter ingressæ sunt; cùm intus essent, & Angelum super Sepulchrū lapidem sedentem vidissent, obstupefactæ restiterunt, non audentes ad Sepulchrum accedere. Angelus verò primùm iubet timorem ponere, *Nolite*, inquit, *timere vos: scio enim, quòd Iesum, qui crucifixus est, quaritis: non est hic: surrexit*; deinde inuitat ad accedendum videndumque Sepulchrum.

Sed nullo modo est ista responsio admittenda. Primò, quia, si mulieres intus in sacello, de quo loqui intendit Maldonatus, erant, non erat necesse vt inuitarentur ab Angelo ad veniendū vt viderent; quia cùm accessissent vt viderent, intus existentes, etiam inuitę, nisi clausissent oculos, videre debuerunt, cùm iam patulū esset Sepulchrum, & angustia loci, ne aliò conuerterent oculos,

los, cogebat. Nec obest, non dixisse Angelum, introite, sed, *venite*; quoniam priùs inuitandæ erant vt accederent, deinde vt ingrederentur, & viderent. Ita sentit Augustinus citatus; quamuis aliter etiam dicat, sed pro nostra sententia, vt posteà videbimus.

Secundò, non capio, quomodo in angusto loculo potuerint commodè esse vrna corporis Christi, lapis ab ea reuolutus, ad minus eiusdem quantitatis cum vrna, Angelus vnus, imò & plures in humana specie, plures mulieres, nam tres recensét Marcus 16, 1. Mariam Magdalene, & Mariam Iacobi, & Salome: & his plures fuisse indicat Lucas 24, 10. dum de illis loquens dicit: *Erat autem Maria Magdalene, & Ioanna, & Maria Iacobi, & cetera quæ cum eis erant*, &c. Sed difficultas non erit, si vnicus lapis extrà ponatur, supra quem sederet Angelus, ostendens illis locum vbi positum fuerat corpus Iesu.

Adde quod Lucas 24, 2. scribit, *Et inuenerunt lapidem reuolutum à monumento. Et ingressæ non inuenerunt corpus Domini Iesu. Et factum est, dum mente consternatæ essent de isto, ecce duo viri steterunt secus illas in veste fulgenti:* vbi indicat, priùs mulieres non solùm in monumentum ingressas fuisse, sed ad Sepulchrum etiam, quod intus erat, accessisse, idque vidisse vacuum, quàm aut ab Angelo interiùs inuitarentur, aut vllum viderent Angelum.

Respondet Maldonatus, Lucam per anticipationem locutum esse: eo enim properabat animo, vt narraret mulieres Christum in Sepulchro non inuenisse, quia iam resurrexerat; idque dixit, antequam commemoraret Angelos ab illis visos, eorumque testimonio Christi fuisse confirmatam resurrectionem.

Sed nescio, an sit sufficiens ratio asserendi Lucam vsum anticipatione, quia mens erat dicere, mulieres non inuenisse in Sepulchro Dominum, &c. at potiùs, ne Maldonati sententiæ contradicatur, dicerem, mentem fuisse Euangelistæ texere historiam resurrectionis, & vt acciderat nouerat; & ita dicendo, simul explicatur, quomodo venerint mulieres ad monumentum, & hortatu Angeli in illud ingressas fuisse, & vidisse Christum ih eo nõ esse, sed resurrexisse.

Sepulchra Iudæorum patentia.

Denique, vt grauibus placet auctoribus, sepulchra Iudæorum patentia erant; & tantùm ostio sepulchrorum, in quibus reponebantur corpora, lapis admouebatur, illudque claudebatur; & hoc satis erat, ne corpora dilacerarentur à feris, vel ne fœtore aëra inficerent. Omnia quæ in his partibus vidi talia sunt; & profectò alius lapis omnino superuacaneus est. Nec quæ pro sua sententia adducit Maldonatus nobis negotium facessunt. Et ad auctoritatẽ, siue rationem in auctoritate fundatam, negatur consequentia. Erant duo loca, sacellum & vrna, interiùs excisa, ergò duo lapides; non sequitur: vnus enim sufficit, vt nunc diximus; ideò & vnius tantùm meminerunt Euangelistæ.

Præterea, si ad distinctionem locorum monumenti tot lapides assignare deberemus, non duos, sed tres ponere necesse esset; nam tria fuisse ostendimus superiùs: & indicat S. Augustinus loco à Maldonato citato. Quærit ibi Augustinus, quomodo conciliari debeant Matthæus & Marcus. Matthæus dicit, Angelum sedisse super reuolutum lapidem; Marcus verò dicit, introëuntes eas in monumentum vidisse iuuenem sedentem in dextris coopertum stola candida: & duplicem adhibet responsionem. Prima est, quam iam attigimus, Matthæum tacuisse de Angelo illo, quem intrantes viderunt; Marcum verò de illo tacuisse, quem foris viderunt sedentem super lapidem, &c. Secunda responsio est: Intrantes mulieres in monumentum, in aliqua septa maceriæ debemus accipere, qua communitum locum tunc fuisse credibile est in aliquo spatio ante petram; qua excisa locus factus fuerat sepulturæ, vt ipsum viderint in eodem spatio sedentem à dextris, quem dicit Matthæus sedentem super lapidem, quem terræ motu ab ostio monumenti reuoluerat, id est, à loco Sepulchri, quod effossum erat in petra.

Difficultas.

Et quid per *septa maceriæ* intellexit Augustinus? Non, vt voluit Maldonatus, locum immediatè continentem vrnam, in qua positum erat corpus Iesu, sed alterum ante ipsum & vestibulum; erat enim ante petram, id est rupem, qua excisa, factus fuit alter locus & capellula, in qua erat similiter effossa vrna: ista enim non erat macies, sed ex integra rupe efformata & excisa, vt iam indicauimus, & inferiùs III. Peregrin. Cap. VI. ex Adamnano iterùm dicemus; & id clarè mihi videntur significare Augustini verba.

Sepulchri vestibulum ex D. Augustino.

Ad rationes respondeo. Ad primam dicendum, siue apparuerit Angelus extra vel intra Sepulchrum, semper incussit timorem; & maiorem, si intus, quia magis inopinatè; non item si exteriùs, quoniam à longè hominem videntes, non erat causa vt tantùm timerent, sed vt accederent, præsertim exhortatæ: quod si posteà ex fulgore exterritæ fuerunt, multò ampliùs, si, inopinatè ingressæ Sepulchrum, vidissent.

Ad secundam dicendum, Angelum exteriùs super lapidem sedendo, ita rectè ostendisse ipsum amouisse lapidem, & demonstras-

Digitized by Google

monſtraſſe locum vbi poſitus fuerat Dominus, & fortaſſe rectiùs, quàm ſi lapis alius intus fuiſſet; nam nec ita magnus poterat eſſe vt exterior: & primo aſpectu exteriorem fuiſſe ab Angelo amotum, nequiuerunt intelligere, quia ille interiùs exiſtens non fuiſſet viſus. Teneamus ergo cum communi Doctorum ſententia, vnicum fuiſſe magnum lapidem, & illum admotum exteriùs ad oſtium monumenti, eoque reuoluto ab Angelo, poſt Chriſti reſurrectionem ſuper illum ſediſſe, & admoniſſe mulieres, vt ingreſſæ Sepulchrum, viderent locum vbi poſitus fuerat Dominus, ſed non ipſum Dominum iam à mortuis excitatum. Et hæc pro explicatione prioris cuſtodiæ Dominici Sepulchri.

Poſterioris cuſtodiæ conditio in duobus conſiſtit, in ſignatione Sepulchri, & in aſſiſtentia hominum.

Signationem Sepulchri Nicephorus libro 1. Hiſt. cap. 32. ſequentibus explicuit: *Primùm*, inquit, *ſigillum Sepulchro impreſſum, quod intactum permanſit, & cuſtodia militaris, illa & genere alienigena, quæ in propinquo ſigillum id obſeruabat. Præterea ingens ille lapis ad os Sepulchri appoſitus.* & paulò pòſt: *Traditum enim nobis eſt ab antiquis, Iudæos lapidem illum, qui in ſalutiferum illud Sepulchrum pro operculo poſitus fuerat, ad ſummum monumenti labrum petramq; infernè illi ſe coniungentem, ferramentis quibuſdam fabrili lapicidarum arte perforaſſe, ferrumq; ingens à fabro ex propinquo acceptum, per vtrumque foramen immiſiſſe, & in circuli ſiue annuli formam circumegiſſe, atque ita firmiter capitibus commiſſis, omni ex parte quaſi vinculum circumduxiſſe, vt lapis, qualicumque modo, loco ſuo euelli, aut ſaltem ratione aliqua remoueri (niſi arte quadam & vi adhibita, neceſſariò aut ferrum confringeretur, aut petra perrumperetur) non potuerit: atque ad hunc modum cum magna cura, atque etiam ſigno impreſſo, cùm Sepulchrum firmiſſimè communiſſent, cuſtodia inſuper competenti adhibita, eos abiiſſe.* Hæc Nicephorus; quem plures de illa cuſtodia agentes adducunt & ſequuntur: quibus ſimilia dixit etiam Beda de Locis ſanctis cap. 2. relatus ſuperius Cap. VII. huius Peregrinationis.

Sepulchri ſignatio ex Nicephoro.

Nicephorus improbatur.

Ceterùm, ſi quod ſentio proferre voluero, à memoratis Auctoribus, & ſanè ex aliis, relata, mihi non ſatis conſentanea eſſe veritati videntur, munitum videlicet fuiſſe Sepulchrum ferramentis, &c. ea enim Euangeliſtæ non tacuiſſent; nam illorum mens fuit explicare diligentem Iudæorum cuſtodiam circa Domini Sepulchrum, ideò magnitudinis lapidis, ſigilli & militum cuſtodientium meminerunt: quare & ferramentorum meminiſſent, ſi illa extitiſſent, præſertim cùm, illis non obſtantibus, ex monumento glorioſus exiſſet, in maiorem Chriſti honorem ceſſiſſet, & miraculum reſurrectionis illuſtrius apparuiſſet.

Præterea, quomodo illo modico tempore memorata exequi potuerunt? manifeſtum namque eſt, omnia abſolui debuiſſe ante ſolis occaſum; quia poſt ipſum, Sabbati ſolemnitas, in qua nihil ex præmiſſis facere licuiſſet: vnde piæ illæ mulieres, quæ obſeruauerunt locum vbi poſitum fuit corpus Ieſu, non potuerunt tunc, vt voluiſſent, vngere corpus Ieſu, propter inceptam Sabbati ſolemnitatem; quare non niſi ea tranſacta emerunt aromata, vt venientes vngerent Ieſum.

Dicet fortaſſe aliquis, illa ſequenti die præſtitiſſe, quia de cuſtodia Sepulchri loquens D. Matthæus 27, 62. ait: *Altera autem die, quæ eſt poſt Paraſceuen, conuenerunt Principes Sacerdotum & Phariſæi ad Pilatum, dicentes: Domine*, &c.

Reſpondeo, aliquos quidem alterius diei nomine, ſequens illius diei Sabbatum intelligere voluiſſe; ſed verius alij putant, dicendum cum Euthymio & Alberto Magno in Matthæum, per hanc alteram diem, Euangeliſtam intellexiſſe illam eamdem ſextæ Feriæ, ſed iam ſub veſperam noctis, à qua incipiebat Sabbati dies; nam more Hebræorum feſta incipiebant à veſpera: Et illa accidiſſe ad veſperam Paraſceues, ex eo etiam mihi perſuadeo, quòd mulieres quæ obſeruauerunt acta circa Dominum & Sepulchrum eius, cùm tranſacta Sabbati ſolemnitate *valdè manè*, vt ait Marcus 16, 2. *valdè diluculo*, vt Lucas 24, 1. & *cùm adhuc tenebræ eſſent*, vt Ioannes 20, 1. veniſſent ad monumentum cum aromatibus vt vngerent Ieſum, dicebant: *Quis reuoluet nobis lapidem ab oſtio monumenti?* Mar. 16, 3. *Et reſpicientes viderunt reuolutum lapidem*, ſubiungit Euangeliſta. Igitur ſi ſtatim Sabbato tranſacto euntes ſollicitæ fuerunt de reuolutione lapidis ab oſtio monumenti, & viderunt reuolutum, anteà ſanè fuit adnolutus & ſignatus, ac conſequenter ante Sabbatum, ipſo veſpere Paraſceues. Quare, ob temporis anguſtiam, non potuerunt tot præſtari, vt narrat Nicephorus.

In ſero Paraſceues Sepulchrum munitum.

Et merito, ſtatim Chriſto ſepulto, Sepulchro cuſtodia adhiberi debuit, tum propter Chriſtum, tum propter Iudæos. Propter Chriſtum, vt, poſtquam in ſepultura conditus eſt, mentiri non poſſent Iudæi, Ieſum ab Apoſtolis illa nocte furto ſublatum; & vt ita iidem opere teſtarentur, ſe nonnihil Chriſtum mortuum tribuiſſe; nihilq; illius auctoritati imminutum per mortem appa-

reret, ſed potiùs poſt diſceſſum magis dilectum eſſe. Propter Iudæos verò, ne corpus auferrent eius diſcipuli, & à mortuis reſurrexiſſe dicerent, quemadmodum illi timebant; ſicque omnia illius dicta impleta eſſe conſtaret, & haberetur pro vero illo Propheta, quem Deus per Moysen venturum promiſerat, & pro vero Filio Dei, quemadmodum anteà viuens confeſſus fuerat. Et profectò illa diligentia omnino ſuperuacanea fuiſſet; nam lapidis & ſigilli munitio & militum cuſtodia pluſquam ſufficiens erat, ne corpus Chriſti auferretur à timidis diſcipulis, quod timebant Principes Sacerdotum & Phariſæi.

Denique dicta à Nicephoro videntur vnum ſupponere, quod communiter negatum, duos lapides fuiſſe adhibitos pro cuſtodia: alterum ad oſtium cellulæ, & ſecundi loci; alterum interiùs in tertio, ſupra arcam, vbi poſitum fuit Dominicum corpus. De priori videntur eſſe intelligenda verba Nicephori priori loco adducta; de poſteriori verò poſteriùs relata, vbi erant ferramenta illa. Sed vnicum fuiſſe lapidē iam oſtendimus.

Ampliùs: Quomodo Iudæi Sepulchrum intenus ferramentis ſigilloque muniuerunt, poſteriam ad oſtium ſpeluncæ fuit à Ioſeph magnus lapis admotus? Et ſanè hunc potius exteriorem muniuiſſent, quem ſcimus etiam cuſtodia militari obſeruatum fuiſſe; quoniam in priori Sepulchri loco, iſt eſt, veſtibulo, lapis ille erat: iſto enim cuſtodito, & alter, ſi fuiſſet, cuſtoditus fuiſſet. Et præterea in præſentia, quantum cum aliis obſeruare potui, nec in oſtio monumenti, nec in lapide olim ad ipſum aduoluto, qui vnicus monſtratur, ferreorum vinculorum vel fibularum veſtigia vlla videntur; fateor tamen in appoſito poſteà marmore à fidelibus circa oſtium Sepulchri ad ornatum: eſt enim hic lapis natura ſua pulcher & mixtus, porphyritem imitatur, qui olim arte pulchrior, licet in præſentia valdè rudis & demolitus appareat; non tamen caſu, ſed conſilio id factum à fidelibus, ne infideles illius pulchritudine illecti illum inde auferrent, quemadmodum & alios ex Chriſtianorum templis & ſanctuariis abſtulerunt. In iſto inquam lapide, hinc inde in tribus locis, ſuperiùs, inferiùs & in medio ex parte interiori Sepulchri cernitur plumbum quo ferrum aliquod firmabatur: fueritne ibi ferrum longum prohibens ingreſſum, an cardines, in quibus verteretur aliquod oſtiolum, neſcio; illud hîc audiui, & ita fuiſſe probabiliter ſentio. Si namque Romæ interdicitur mulieribus ingreſſus in locum illum, qui apud ſanctum Ioannem in Laterano Sancta ſanctorum appellatur, & ad alia etiam ſancta loca ibi, & alibi; ita credendum eſt, veteres ſanctos zelantesque Ieroſolymorum Præſules, permiſiſſe quidem ad fidelium deuotioni ſatisfaciendum, vt poſſent videre Dominicum Sepulchrum; ſed, ad eiuſdem maiorem reuerentiam, non omnibus ingreſſum conceſſiſſe, ac ideò obſtaculum & cuſtodiam illi appoſuiſſe. At iſta non ſuffragantur dictis à Nicephoro, qui volebat illa ferramenta fuiſſe in ipſo naturali Sepulchri & arcæ lapide. Et vnicus ille lapis exteriùs ad prius os ſpeluncæ aduolutus deſcribitur ab Euangeliſta, dum dicit: *Et aduoluit Ioſeph ſaxum magnum ad oſtium monumenti*, &c. *Ad oſtium*, inquit, *monumenti*, & non ad arcam, &c.

Lapis non ſupra arcam, ſed ad os capellulæ aduolutus fuit.

Ioannes Maldonatus in cap. 27. Matth. v. 66. melius priorem conditionem huius hoſtilis cuſtodiæ videtur explicaſſe dicens: Principes Sacerdotum & Phariſęos lapidem aliquo nimirum annulo aut aliquo alio ſigillo ſignaſſe credendum eſt, ne aut dormientibus militibus diſcipuli aperire poſſent, quin furtum ex ſigilli violatione deprehenderetur; aut ne milites ipſi pecunia à diſcipulis corrupti, corpus illis traderent: quemadmodum Darius lacum leonum, in quem Daniel coniectus fuerat, annulo ſuo obſignaſſe dicitur Daniel. 6, 17. ne aut alij dicerent, ſe Danielem furtim liberaſſe; aut alij in lacum ingreſſi eum occiderent, & à leonibus occiſum euulgarent.

Lapis quemadmodo ſignatus.

Si ſententiam meam proferre liceret, ex à me obſeruatis in hac materia in partibus iſtis, & relatis ab aliis, qui, ob diuturnam moram in eiſdem partibus, probè nouerunt earumdem traditionem ac conſuetudinem, dicerem, vnicum lapidem & magnum admotum fuiſſe primò ad oſtium monumēti, id eſt, capellulæ, quod deforis in veſtibulo apparebat; ac deinde, ne ille caderet, vecte ſuſtentatum fuiſſe, vel alio lapide poſito inter prædictum lapidem mobilem & alterum proximum ſolo inhærentem, cuius poſteà mentionem faciemus: & hoc mihi probabilius, tum quia ſimile etiam in aliis harum partium ſepulchris obſeruatum vidi; tum quia lapis admotus ad oſtium monumenti magnitudine ac craſſitie erat magnus valdè, & inter oſtium & lapidem illum immobilem modica erat diſtantia, vt poſteà oſtendemus: quare commodiùs, faciliùs ac etiam tutiùs inter vtrumque dictum lapidem tertius alius paruus, ad alterius caſum prohibendum, poſitus fuit.

Quantum ad ſigillum, ſi tunc ſimiliter ac noſtris temporibus oſtia ſigillis muniebantur, poſſet dici, chartulam vel quid ſimile appoſitum fuiſſe oſtio Sepulchri & lapidi

by Google

pidi ad ipſum aduoluto, & cera gypsóve appoſitè ſigillo ſuperaddito fuiſſe Sepulcharum munitum, quemadmodum horrea Gubernatoris ciuitatis ſimili modo obſignata, in publica via qua itur ad ſanctum Sepulchrum, non ſemel obſeruauimus. Sed quoniam hoc incertum, more Romanorum, vel Hebræorum, non Mahometiſtarum Ieroſolymitarum, obſignatum fuiſſe Chriſti Sepulchrum, dici poteſt, vt anteà, cum Maldonato & aliis.

Militaris cuſtodia quæ.

Circa poſteriorem cuſtodiam, hominum videlicet, in illius explicatione non eſt omnium eadem ſententia. Quidam apud citatum Maldonatum ad ea verba Matt. 27, 65. *Habetis cuſtodiam*, milites, qui templũ cuſtodiebant, intelligunt: fuiſſe enim aliquos, qui templum etiam armati cuſtodirent, nẽ qua vis inferretur, ex eo intelligitur, quod inter alios templi miniſtros Στρατηγὸς, id eſt, Dux, etiam connumeratur Luc. 22, 4, 52. Putant ergo Pilatum reſpondere, *Habetis cuſtodiam*. quaſi dicat: Quid opus eſt, vt militarem cuſtodiam à me petatis, cùm vos etiam milites habeatis, qui Sepulchrum cuſtodire poſſint? Probare non poſſum interpretationem, inquit Maldonatus. Quid enim opus erat, vt Sacerdotes à Præſide milites peterent, ſi milites ipſi, quos adhibere poſſent, habuiſſent? aut ergo non habebant; aut ſi habebant, vt diximus, in templo, ita cuſtodiendo templo addicti erant, vt alium in vſum adhiberi non poſſent. Præterea, ſi de Iudæis militibus, qui templum cuſtodiebant, Pilatus locutus fuiſſet, cùm dixit, *Habetis cuſtodiam*, certum vtique eſſet, & indubitatum, eos milites, qui Sepulchrum cuſtodierunt, non ſolùm Iudæos, ſed etiam ex ſacerdotali genere fuiſſe: nec enim alij cuſtodiendi templi curam habebant. Quid ergo opus fuiſſet, vt poſt reſurrectionem Principes Sacerdotum militibus & Iudæis & Sacerdotibus copioſam, vt ait Matthæus cap. 28, 12. pecuniam polliceren tur, vt mentirentur, Chriſti diſcipulos dormientibus ſe veniſſe, ac de Sepulchro ſuſtuliſſe corpus? ſponte enim ſua mentiti fuiſſent.

Alij Græcum verbum ἔχετε ita interpretantur, quaſi imperandi modus ſit, *habete cuſtodiam*; quod nihilo mihi magis placet. Præſentis ergo temporis indicandi modi verbum eſt, quo Pilatus non imperat; non dicit eos cuſtodiam habere, ſed concedit vt habeant. quaſi dicat: Quidquid ego militum habeo in veſtra eſt poteſtate, *ite, cuſtodite ſicut ſcitis*, quod rectè carmine Iuuencus lib. 4. Euang. Hiſt. expreſſit:

Et Pilatus ad hæc, miles permittitur, inquit,
Seruate vt vultis corpus tellure ſepultum.

CAPVT XII.

Alia dictis adduntur, ad maiorem hiſtoriæ Dominici Sepulchri dilucidationem.

AD maiorem dictorum de ſanctiſſimo Domini noſtri Ieſu Chriſti Sepulchro dilucidationem, ſequentia addere non erit inutile. Et in primis, hoc ſacratiſſimum antrum diuinumque monumentum eſt in medio magnæ rotundæ Eccleſiæ Dominicæ Reſurrectionis circa ipſum ædificatæ; in quem modum in Italia apud Lauretum ſacra & miraculoſa Deiparæ parua Lauretana domus eſt in medio alterius magnæ & illuſtriſſimæ Eccleſiæ, & apud Aſſiſium altera ſimiliter modica Eccleſia S. Mariæ Angelorum, ſiue de Portiuncula nuncupata: excepto quòd iſtarum magnarum Eccleſiarum camera tota integra eſt, qua dictæ paruæ Eccleſiæ teguntur; ſed illa Sepulchri ex parte peruia eſt qua reſpicit Sepulchrum, vnde tota illuminatur, & ſacrum tumulum ſub dio & aperto cælo relinquit. Deinde, hoc monumentum in ſacellum conuerſum, vt iam indicauimus, in duas capellulas diſtinctum: quarum prior à poſteriori ſola Sepulchri rupe ſeiungitur, in qua eſt non duplex oſtium, vt quidam allucinati dixerunt, ſed vnicum, ad quod fuit magnus aduolutus lapis, cui tamen è regione reſpondet prioris capellulæ aliud oſtium.

Capella veſtibuli forma.

Prior capellula eſt poſteriori paulò maior, poſſuntque in ea duæ partes aſſignari; prima, quæ proxima eſt oſtio monumenti, eſtque in modum fornicis & dimidiati circuli formæ: ſecunda, quæ hanc immediatè ſequitur, eſt formæ quadratæ. In prima parte, quod peculiari obſeruatione ac veneratione dignum eſt, eſt petra, ſiue rupes, ex ipſo pauimento prominens quadratæ formæ: eius longitudo inferiùs eſt palmorum 2. latitudo palm. 2. vnc. 1. ſuperiùs eſt palm. 1. vnc. 9. altitudo palm. 1. Hæc rupes *Petra Angeli* appellatur ab omnibus tam Orientalibus quàm Occidentalibus, & ab ea tota capellula nomenclaturam accipit, *Capella Angeli*: non, vt quidam haud benè opinantur, quia Angelus, qui amouit lapidem ab oſtio monumenti, ſuper eam immediatè ſederit, nam conſtat expreſsè ex Euangelio, Angelum ſediſſe ſuper lapidem à ſe ab oſtio monumenti reuolutum, *Angelus Domini deſcendit de cælo*, inquit Matthæus 28, 2. *& accedens reuoluit lapidem, & ſedebat ſuper eum*; ſed quia lapis reuolutus ſuper illam cecidit, ac deinde Angelus ſedit immediatè ſuper à ſe motum & ſuper

Petra Angeli quia dicatur.

alterum immobilem lapidem mediatè. Huius primæ partis longitudo ab ostio monumenti vsque ad extremitatem Petræ Angeli, & principium secundæ partis, est palmorum 5. vnc. 7. latitudo est palm. 10. Et hæc fortasse pars erat integrum Sepulchri vestibulum, cui altera sequens ad ornatum, decorem & commodum fuit à piis fidelibus superaddita. Secundæ partis huius capellulæ longitudo, id est, ab extremitate præcedentis partis vsque ad ostium eius, est palm. 6. latitudo est palm. 11. & totidem vnciarum: & ita, tota longitudo ab ostio ad ostium est palm. 17. cum dimidio, latitudo non tota vniformis, sed vt fuit indicatum. Huius capellulæ ostium est altitudinis palm. 7. & vnc. 8. latitudinis palm. 3. & vnc. 1. crassities muri est palm. 4. & vnc. 10. In eo aliud particulare non cernitur, non altare, nec lapis ille magnus in duas partes diuisus, vt dixit Beda: hic enim ferè integer, quantum coniectare liquet, olim ab infidelibus extra ciuitatem proiectus, vel alteri communi vsui deputatus; à fidelibus recuperatus & acceptus, vt habet traditio, fuit in monte Sion in domo Caiphæ in Ecclesiam conuersa supra altare collocatus, vbi omnipotenti Deo incruentum altaris Sacrificium offertur: & ego, singulari Dei beneficio, non semel obtuli. Est coloris rubei parum ad album vergentis, magnus valdè ac durus; particulæ namque ex ipso non nisi magna cum difficultate abscinduntur. Illius crassities est vnius palmi, latitudo 4. & 7. circiter longitudo. Est tamen in huius capellulæ pariete paruum sacrarium, in quo aliqua sacra pro Missa celebranda supra sanctissimum Domini Sepulchrum asseruantur.

Lapidis monumenti descriptio.

Est in monte Sion.

Secunda capella & Sepulchri forma.

Altera posterior capellula est alteri continua, vt fuit indicatum: hæc continet diuinissimum Reparatoris nostri Sepulchrum, solo inhærens in modum arcæ; in quo exanime quidem illius corpus repositum fuit, sed inde, morte deuicta, tertia die viuificatum & glorioſum exiuit. Operitur marmoreis tabulis cinerei coloris, quemadmodum & totum exterius sacellum, excepto sarcophago, in quo fuit factum corpus immediatè conditum, qui albis opertus fuit à P. Bonifacio, dum sacri montis Sion Guardianus esset, sub Paulo IV. Pontifice Maximo & Imperatore Carolo V. De horum consensu, & Imperatoris Turcarum licentia, vt apparet, tabula marmorea in sacello Apparitionis B. Mariæ Virginis ad altare flagellationis Christi affixa, vt Cap. XI. præcedentis Peregrinationis vidimus. Illud autem magno cum consilio factum fuit, tum ad maiorem sacri tumuli reuerentiam & decorem; tum ne oleo lampadarum vel aliis immunditiis deturparetur sacer tumulus, & ab indiscretis fidelibus ex eo continuò abrasis particulis penitus demoliretur. Superior tabula integra quidem est; sed in illius medio factum est diuisionis signum propter Turcas, ne, si integrâ appareret, illius pulchritudine allecti, illam inde auferrent, & suis vsibus accommodarent. Locus est ad instar arcæ; cuius amplitudo humanum corpus commodè capere potest, vt intellexi ab illis qui ipsum viderunt antequam illis tabulis operiretur, & quando fuit opertus; & ex dicendis dijudicari poterit: supra ipsum, vt in altari, omnipotenti Deo sacratissimum offertur altaris Sacrificium.

Dixi, esse ad instar arcæ, quæ intra se humanum corpus capere posset; nec est simplex eleuata tupes è pauimento; nam & huiusce modi formæ sepulchra nonnulla videntur in his partibus, super quæ collocantur defunctorum corpora: quæ inde auferuntur, quoties contingit alia inferri, vt etiamnum aliquando obseruatur: huius conditionis fuisse Reparatoris tumulum videntur indicare Zuellardus & Ioannes Cotouicus in suis Terræ sanctæ itinerariis, quibus videtur suffragari Venerabilis Beda, dum in 27. caput Matthæi ait: *Locus Dominici corporis de eadem petra factus est; qui non desuper, sed à latere Meridiano, per totum patulus est, vnde corpus inferebatur.* Hæc Beda. *Obiectio.*

Respondeo, nullo modo ita sentire Bedam, aliter sibimet contrarius esset; nam, vt suprà vidimus, dixit, sarcophagum, vbi positum fuit corpus Saluatoris, patulum fuisse: & aduersaretur Adamnano lib. 1. de Locis sanctis cap. 3. ex quo didicit Sepulchri Dominici conditionem. Dicendum igitur, quòd, dum ait Beda locum Dominici corporis non fuisse patulum ex superiori parte, non fuerit locutus de immediato loco corporis, sed de parua capellula in qua ille excisus est: illa enim est aperta ex latere Meridiano quo corpus inferendum erat, vt in arca & immediato loco collocaretur, qui verè desuper patulus est. Vel breuiter dicatur, Bedam voluisse dicere, Christi Sepulchrum haud patulum esse, vt sunt pleraque in Europa, sed à latere patere, vt per illud corpus posset inferri. Et sanè loca immediata, in quibus corpora colloçantur, communiter non videntur in partibus istis, sed vel ad instar arcæ, vel plena; & si aliqua sint, vt illud Lazari fuisse videtur, non tamen hoc Saluatoris, inquit Beda. *Solutio.*

Vltimò, hoc ipsum confirmatur ex alio quodam sepulchro ad exemplar Dominici

ante

unte Bedæ tempora vt erat antiquitus conſtructo; quod Bononiæ (antiquiſſima & celebratiſſima Italiæ ciuitate) inuiſitur in vetuſta nobiliq́ue D. Stephani Eccleſia, aliàs ſanctæ Crucis nuncupata, à D. Petronio, vrbis illius Epiſcopo, ædificata, vt in huius Eccleſiæ Chronico Italicè conſcripto pag. 124. in hunc ferè modum de dicta Eccleſia & ſepulchro habetur: In medio dictæ Eccleſiæ pulcherrimum ex ſectis, quadratis & perpolitis marmoribus extruxit locum S. Petronius (hic repræſentat capellam Sepulchri Dominici) in quo ſepulchrum è candidiſſimo marmore exciſum incluſit: hoc oculis obijcit formam illius in quo Domini noſtri Ieſu Chriſti ſacratiſſimum corpus collocatum fuit, eiuſdemq́ue magnitudinis & menſuræ ac ipſum originale fecit; & menſuram ipſam S. Petronius propriis manibus accepit ex vero Domini Sepulchro, quando Ieroſolymorum peregrinationem ſuſcepit: intra quod multas poſuit Sanctorum Reliquias; hinc Summus Pontifex Cæleſtinus, huius nominis primus, plenariam omnium peccatorum Indulgentiam, perpetuis valituram temporibus, conceſſit omnibus contritis & confeſſis, qui ſanctum locum in die ſancto Paraſceues, & tribus ſequentibus Paſchæ Reſurrectionis diebus feſtiuis ingrederentur, & venerarentur. Mortuo deinde S. Petronio, illius corpus ibidem tumulatum fuit: quod in præſentia in arca benè clauſa, ferreis munita repagulis, clauibus cuſtoditur, in læua ingreſſus ſancti loci parte ſub crate ferrea poſita.

Sepulchrum autem ad exemplar illius Chriſti Domini eſt in dextera parte collocatum, in quo modò tres capſulæ ſunt, in quibus multæ Sanctorum aſſeruantur Reliquiæ; inter alias, pars lapidis Sepulchri Dominici. Recenter ibidem cratis ferrea conſtructa eſt, pro maiori ſancti loci decore ac veneratione, tutioriq́ue ſacrarum Reliquiarum cuſtodia. Ita ex prædicto Chronico; quod & alij, qui ſanctum locum viderunt, & venerati, teſtati ſunt. Ego illum non fui ingreſſus; quoniam numquam niſi ſupradictis Paraſceues & Paſchæ Reſurrectionis diebus aperitur, quibus intereſſe non potui.

Ex prædicta relatione apparet, huius Sepulchri formam eſſe ad inſtar arcæ vacuæ, & non plenæ rupis è ſolo eleuatæ, vt ait Zuellardus: dicitur namque S. Petronium intus poſuiſſe Reliquias, & poſteà tres arculas Reliquiarum fuiſſe à pia poſteritate incluſas, & crate ferrea munitas: quod fieri haud potuiſſet, niſi vacua arca eſſet. Ergo cùm ad exemplar Sepulchri Saluatoris factum fuerit, conſequens eſt, ipſum eiuſdem eſſe formæ, arcæ vacuæ, & non plenæ rupis. Eſt autem prædictæ traditioni fides adhibenda, propter approbatam multorum ſæculorum antiquitatem; quia S. Petronius præceſſit Bedam trecentis circiter annis: Beda enim è viuis deceſſit anno Domini 733. ſub Leone Imperatore; ſanctus verò Petronius factus Bononiæ Epiſcopus, abſolutaq́ue Ieroſolymorum Peregrinatione circa annum Domini 432. dictam Eccleſiam & ſepulchrum ad ſimilitudinem illius Saluatoris extruxit, vt patet in Chronico Eccleſiaſtico.

Aduerto etiam, ſuper oſtium ſacelli ſupradicti eſſe Angelum cum hac inſcriptione, *Surrexit, non eſt hîc*: quam antiquitus etiam in Sepulchro Domini fuiſſe credimus, etſi in præſentia ibi nulla ſit.

Sepulchri, vt & huius capellulæ, longitudo eſt palm. 7. vnc. 5. cum dimidia, latitudo ſepulchri eſt palm. 3. & 6. vnc. reſiduum vacui capellulæ eſt palm. 3. & 2. vnc. & ita tota latitudo eſt palm 6. vnc. 8. altitudo arcæ palm. 2. vnc. 10. Sunt in huius concamerato tria foramina, per quæ fumus lampadarum aſcendit. Proiectura erit palmorum 9. vnc. 6. oſtioli latitudo 2. palm. & vnc. longitudo palm. 4. craſſities palm. 2.

In his capellulis nulla eſt margo in qua ſint lampades, ſed omnes ex alto pendent. Hîc prætereo exterioris partis ſacri ſacelli menſuras, quia non tam neceſſariæ. Sacellum hoc deforis, præter marmoreas tabulas quibus operitur, duodecim columnellis exornatur marmoreis: poſterior illius pars, quæ Occidentem reſpicit & ſepulchrum aliud Ioſeph ab Arimathæa, rotundæ & ſemicircularis formæ eſt, vt planæ & quadratæ anterior, quæ Orientem & Chorum Eccleſiæ auguſtaleq́ue ſanctuarium è regione habet. Similiter ſuperior pars plana tota eſt; quæ priorem partem, id eſt, quæ capellulam Angeli operit, paulò altera poſteriori ſepulchri eminentior. In iſta poſteriori, ſupra tria iam memorata ſpiracula, eſt hemiſphærium ferro opertum, cui nulla eſt ſuprà poſita crux. Duodecim columnellis ſuſtentatur, ſeptem ex porphyrite, quinque ex albo marmore, omnes cum ſuis baſibus & capitellis integræ & pulchræ: in vno ex capitellis verſus Meridiem eſt imago ſepulchri exciſa cum Angelo oſtendente tribus mulieribus vbi Dominus fuerat poſitus.

Sacellum Sepulchro à Gophitis additum.

Aduerto denique, tempore belli nauali contra Turcas ſub Pio V. Pontifice Maximo, cùm Minoritæ aliquot annis in carcere à Turcis detenti fuiſſent, vt alibi indicatum fuit, Gophitos, illa occaſione arrepta, quia non erat qui efficaciter reſiſteret, in poſteriori ſacri ſacelli parte aliud addidiſſe

tugurium satis inelegans & impolitum; quod nostris displicuit, quoniam sacri antri diminuit aspectum & pulchritudinem, & maiorem occupat Ecclesiam. Hoc placuit aduertere, ne quis crederet, ipsum spectare ad sacri Sepulchri structuram, quia ei coniunctum est.

CAPVT XIII.

Litteræ Patris Bonifacij olim sacri montis Sion Guardiani, postea Stagni Episcopi.

LItteras Reuerendissimi D. Bonifacij Stephanij, Stagni Raccusini olim Episcopi, aliqua de Sepulchro & cruce Domini continentes, ac ideò vt argumento nostro deseruientes hic subiungere placuit, quemadmodum eas retulit P. Iacobus Gretserus in Apologia pro sancta Cruce, vt sequitur.

Frater Bonifacius Stephanius, Dei dono & Apostolicæ sedis gratia Stagni Raccusini Episcopus, vniuersis has litteras inspecturis salutem in Domino sempiternam.

Cùm anno salutis nostræ M. D. LV. *fabrica illa celeberrima ab Helena sancta, Magni Constantini matre, iam olim structa, S. D. N. R. Sepulchrum in orbem claudens, non sine Christianæ pietatis iniuria, ruinam minaretur, ac iam fermè collapsa esset, fe. re. Iulius Papa tertius (quem ad hanc rem perficiendam æterni nominis ac perpetuæ memoriæ inuictissimus Carolus quintus Romanorum Imperator, nec non Deo gratus Philippus eius filius inclytus precibus pulsarunt) instantem ruinam dolens, nobis, qui id temporis Conuentus sancti Francisci de Obseruantia Ierosolymis Prælectum Apostolica auctoritate agebamus, obnixè præcepit, vt sacrum collabentem locum quamprimùm refici instauraríq; curaremus; id quod Illustrissimus quoque Dominus Franciscus Vargas, Cæsareæ Maiestatis tunc apud Venetos Orator, non minori studio, vt perficeretur, vrgebat, magna ad operis illius constructionem pecuniæ summa Imperatoris nomine nobis assignata. Quare Solimanni Othmani, Turcarum Regis, priùs ad id facta nobis copia, quam, magnis difficillimisq; itineribus confectis, summis laboribus & expensis tandem obtinuimus, exoptatum opus sedulo aggressi sumus.*

Cùm igitur ea structura solo aquanda necessario videretur, vt, quæ instauranda denuò moles erat, firmior surgeret, diuturniorq; permaneret, ea diruta, sanctissimi Domini Sepulchrum in petra excisum nostris sese oculis apertè videndum obtulit: in quo Angeli duo depicti superpositi cernebantur; quorum alter scripto dicebat: Surrexit, non est hic; *alter verò Sepulchrum digito notans,* Ecce locus vbi posuerunt eum. *Quorum imagines, vbi primùm vim aëris senserunt, magna ex parte dissolutæ sunt. Cùm verò lamina vna alabastri ex iis, quibus Sepulchrum operiebatur, & quas Helena sancta ibi locauerat, vt super iis sacrosanctum Missæ mysterium celebraretur, necessitate vrgente commouenda esset, apparuit nobis apertus locus ille ineffabilis, in quo triduo Filius hominis requieuit; vt planè cælos apertos videre tunc nobis, & illis, qui nobiscum aderant, omnibus videremur. Erat locus sacrosancto Domini Iesu cruore, vnguento illo, quo ad sepulturam vnctus fuerat, permixto, tamquam fulgentibus solis radiis vndequaque lucens, quem piis gemitibus, & spirituali quadam animi lætitia & lacrymis excipientes, & conspeximus & deosculati sumus; socijs, qui præsentes aderant (aderant autem & Orientalium & Occidentalium nationum Christiani non pauci) incredibili refertis cælestis thesauri deuotione, aliis lacrymis profundentibus, aliis propemodum exanimatis, omnibus animi quadam ecstasi obstupescentibus.*

In medio sacrosancti loci [b] *lignum reperimus collocatum, ac* [c] *sudario pretioso inuolutum; quod cùm in manu reuerenter suscepissemus, deosculatiq; fuissemus, vbi primùm illud æri expositum est, inter manus nostras sudarium in nihilum abiit, nonnullis aureis filis ex illo solùm manentibus. Erant pretioso illi ligno inscriptiones quædam adiunctæ, sed ita vetustate corrosæ & antiquatæ, vt nulla omnino integra ex illis verbis sententia colligi posset, quamuis ad caput cuiusdam membranæ verba hæc Latinis litteris mainsculis legebantur,* [c] HELENA MAGNI. *Vnde, quamuis certò affirmare non possumus, cuiusmodi illud lignum sit, non difficilè tamen coniectari licet, hoc illud ipsum sanctissimum crucis lignum esse, quod à religiosissima Regina Helena inuentum, & Ierosolymis ab eadem positum esse sacris Historiis proditum est. Cuius quidem ligni crucem vnam Ierosolymis reliquimus* [d] *in phano diuæ Mariæ de Apparitione iuxta Domini Iesu Sepulchrum super altari eidem D. Cruci consecrato, partem aliam Romam nobiscum attulimus, inq; particulas aliquot in crucis formam compositas eam diuisimus: ex quibus vnam Pontifici Summo, sacras tunc temporis totius Christi Ecclesiæ habenas regenti, Pio quarto obtulimus; duas Illustrissimis ac Reuerendissimis Dominis Cardinalibus, viris Christiana pietate maximè insignibus, de Carpo videlicet & de Ara cæli nuncupatis, libenter donauimus. Crucem parulam nobis seruamus, qua, dum sacra peragimus, vti reuerenter solemus.*

[b] Particula S. Crucis in Domini Sepulchro inuenta.

Crucis

Crucis beneficio singulare quoddam miraculum Deo optimo maximo auctore experti sumus, quod libet paucis hoc loco commemorare. Cùm iter aliquando difficile suscepissemus, atq; in locum quendam maximè periculosum, in Ciliciæ finibus positum, nomine Bachras, *noctu incidissemus, inq; profundam quandam voraginem cæno refertam peruenissemus, in qua multi ex Mahumetanis, qui nobis se socios adiunxerant, magnum vitæ discrimen tum ipsi tum ipsorum equi sustinuerant, ac mihi postmodum in eam voraginem descendendum esset, animo grauiter consternatus, vt qui manifesta in sociis pericula vidissem, Deo me eiúsque beatissimæ Matri Virgini Mariæ supplicitèr commendans, Crucem iam dictam in manus accepi, ipsaq; me cùm primum omnium signassem, tum reliquos qui mecum aderant Christianos omnes, & regulares & seculares, signo eodem muniui; tunc, mirabile dictu, noctis illius obscuritas mox in magnum quendam lucis splendorem conuertitur, summa nostrorum omnium alacritate, nec minori infidelium, qui nobiscum aderant, admiratione: atque ita factum est, vt & nos, & illi qui nos sequebantur omnes Christiani atque infideles, in illo sanctissima lucis splendore eam periculosam voraginem feliciter euaserimus. Quæ omnia in Christi Domini gloriam & communem fidelium consolationem nota facere cunctis decreuimus, atque in eorum fidem præsentes manu propria subscriptas, maiori nostro sigillo, quo in similibus vti solemus, signari præcepimus. Datum Stagni in ædibus nostris sub die* 13. *Maij, anno à Christo nato supra septuagesimum millesimo quingentesimo.*

Virtute signi sanctæ Crucis tenebræ vertuntur in lucem.

Ego Frater Bonifacius, Episcopus Stagni, confirmo omnia quæ suprà continentur manu propria.

Notæ in litteras BONIFACII.

Hactenus Episcopi Staggi Raccusini litteræ, in quibus aliqua notanda & explicanda sunt: & primò quæ Gretserus, ac deinde quæ nos adiicienda arbitramur, subiiciemus. Vbi ad illud, inquit Gretserus, [c] HELENA MAGNI, adiiciendum videtur, CONSTANTINI MATER; quæ nescio, num ad Constantini ævum referenda sint. Constantino enim antiqua æra & marmora MAXIMI cognomentum tribuunt, non item MAGNI; nisi fortè Antiquarius quispiam legitimum ex antiquitate testimonium prolaturus sit, quo contrarium euincatur.

[a] *Franciscus Vargas*, cuius fit mentio, postea apud Pium IV. Pontif. Max. Philippi Regis Catholici Legatus fuit; ad quem extat Oratio Petri Ioannis Perpiniani anno M. D. LXII. Romæ dicta.

[b] *Lignum*, quod repertum est, si sanctæ Crucis fuit, pars eius fuit, quod Ierosolymis Helena reliquit non integrum; quia omnibus sæculis aliquid de portione, quam Ierosolymis Helena reliquerat, publicè cultum & adoratum fuit, vt ex omnium ætatum à Cruce per Helenam inuenta Annalibus constat. Sanctum fuisse ac venerabile lignum, ostendunt circumstantiæ & grandis miraculi euentus, de quo ipsemet Auctor epistolæ: cuius exemplum, ex autographo ipsius Auctoris desumptum, publica Notarij & testium fide, ex præscripto Iuris, solemni ritu Romæ corroboratum est. Hæc P. Gretserus. Quibus nos sequentia addimus.

[1] *Cùm igitur ea structura.* Structura solo æquanda, cuius meminit Bonifacius, absque dubio est Ecclesia Sepulchrum Domini in orbem ambiens, de qua initio Epistolæ mentionem fecit: sed nescio quomodo illa diruta fuerit; nam quæ antiquitus erat tempore Constantini, & posteà, etsi pristino decore spoliata, vsque ad tempora Bonifacij, eadem est quæ modò cernitur: cuius superior pars ruinam minatur, & tota magnam præ se fert antiquitatem; & picturæ ac scripturæ, quæ in ea supersunt, indicant, non recentes, tempore nempe Bonifacij, sed antiquitus, tempore Constantini exstructam, & fortè paulò post ipsum ex integro absolutam. Ad hoc singulariter facit millesimus cum nomine auctoris in sphærico maioris Ecclesiæ sanctissimi Sepulchri in ipsis plumbeis tabulis infixus: quem ego quidem vidi, & notaui antiquitatem, sed distinctè illâ scripto haud consignaueram; posteà, vt ego petieram, D. Gerardus VVineus, Eques sanctissimi Sepulchri, nunc Pastor Colonienſis, cuius alibi mentionem feci, scripsit ad me ex relatione artificis cuiusdam Fratris, qui bona occasione sæpè illum millesimum vidit, indubiè ac infallibiliter continere, sanctam hanc Ecclesiam absolutam fuisse ad annum Christi 400. & iam per 1228. annos durasse. Quomodo ergo Bonifacius potuit illam solo æquare & de nouo reficere? & insignis fabrica, qualis ista est, si esset dumtaxat 70. vel 80. centúmve annorum, non tantam præ se ferret antiquitatem, nec ruinam minaretur, vt verè præ se fert, & minatur. Præterea ex eius demolitione non video, quomodo sanctissimum Christi Domini Sepulchrum, sese oculis apertè videndum obtulerit, quoniam huius manifestatio ex illius deuastatione non pendet; sicut nec sacellum Dominici Sepul-

Digitized by Google

Sepulchri pendet à maiori circumdante Ecclesia: quare, etsi demolita fuisset Ecclesia, non ideò Sepulchrum Christi se nudum oculis conspiciendum necessariò obtulisset. Nec possum capere, quomodo breui tempore potuerit Bonifacius insignem extruere fabricam, & picturis aliisve ornamentis illustrare.

Quid igitur dicendum? intendisse quidem Bonifacium magnam Sepulchri Ecclesiam demoliri, & ad solum vsque æquare, vt instauranda firmior surgeret; sed non potuisse: quare se ad solam illius restaurationem, ne penitus rueret, conuertit, quemadmodùm & posteà alij Guardiani eidem restaurationi & sacelli Dominici Sepulchri reparationi secundùm necessitatem operam dedisse constat; vnde factum, illi quæ refert innotuisse, propriis oculis vidisse, & meminisse. Ita esse ipse Bonifacius lib. 2. de Perenni cultu Terræ sanctæ indicat; vbi solius reparationis Sepulchri meminit, & nos Libro IV. Cap. XXII. VII. Peregrinationis notauimus: idipsum marmorea tabella supra altare columnæ flagellationis affixa demonstrat, de qua Libro citato Cap. XI. 1. Peregrinationis; verùm tamen, in hisce locis nullam Iulij III. fieri mentionem, sed benè Pij IV. at non obstat: nam Iulius III. qui nouè annis præcessit Pium IV. potuit illi sanctum opus imposuisse, quod posteà absoluit sub Pio prædicto succedente. Ita præ se ferunt litteræ Bonifacij, & alia indicata loca, vt consideranti patere facilè potest.

2. *Sudario pretioso.* Circa illud, quod dicit Bonifacius de ligno serico panno inuoluto in sanctissimo Sepulchro inuento, duo sunt consideranda, quæ piæ opinioni Bonifacij & Gretseri fidem faciunt, præter miraculosum euentum à Bonifacio relatum.

Alterum est, Crucis Dominicæ particulas tum Ierosolymis tum alibi seruari solitas in pallis & velis sericis, vt, præter longam fidelium consuetudinem, claret ex insigni miraculo à sancto Gregorio Turonensi relato lib. 1. de Glor. Mart. cap. 5. Alterum notandum est, inuenta Domini Cruce Ierosolymis ab Helena, maximam illius partem sanctam Imperatricem ibidem reliquisse, ad solatium fidelium Ierosolymitarum & aduenientium Peregrinorum, & sub custodia eiusdem loci Episcopi: qui curam sacrosanctæ Crucis alicui ex probatioribus & sanctioribus Cleri Ierosolymitani committebat; quem proinde ab officio custodem Crucis nominare solebant, quemadmodum ostendit Gretserus lib. 1. de sancta Cruce cap. 75. Et quamuis fuerit à Chosroë in clade Ierosolymitana ablata, & in Persidem translata; fuit nihilominus ab Heraclio recuperata, & in sanctam ciuitatem ab eodem delata, vt plures tradunt Scriptores, & docet Ecclesia in festo Exaltationis sanctæ Crucis: & posteà, licet fuerit capta à Mahometanis Ierosolyma, tamen sancta Crux mansit apud fideles, qui semper fuerunt Ierosolymis, etsi graui infidelium tyrannide pressi, qui illam honesto loco, vt par erat, absconderunt; quæ, capta Ierosolyma à Christianis Duce Godefrido, inuenta fuit, quemadmodum Tyr. lib. 9. cap. 4. de his loquens sequentibus explicat: *Reperta est in parte Resurrectionis Ecclesia seorsum portio vna Crucis Dominicæ, quam, ob metum Saracenorum, quorum iugum patiebantur fideles, ad ampliorem cautelam multò antè, paucis admissis, occultauerant: hanc studio & opera cuiusdam hominis Syri, qui eius tam pretiosi depositi fuerat conscius, repertam, theca reconditam argentea, primùm ad Domini Sepulchrum, deinde ad templum Domini cum hymnis & canticis spiritualibus deportantes; prosequente eam vniuerso Clero & populo, consolationem quasi cælo missam omnes in communi acceperunt, arbitrantes, se laborum & molestiarum mercedem condignam recepisse.* Quod lignum salutare posteà in bellis præferebant fideles, quo multas de infidelibus victorias reportabant, vt citatus notauit Gretserus cap. 90.

Verùm anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo octogesimo septimo, quarta die Iulij, quando in Syria magnum erat inter Christianos & Saracenos bellum, exercitus Christianorum à Saladino, Soldano Babyloniæ, victus succubuit, Guidone Ierosolymitano Rege capto, Baronibus & populo vniuerso. Et sancta Crux, quam in exercitu boni deferebant, capta est, & perdita, ita quòd numquam potuerit inueniri vsque in hodiernum diem; quam etiam ipse Saladines fecit inquiri, & non potuit inuenire. Ita habetur in Epitome bellorum sacrorum apud Henricum Canisium Tom. 6. Antiq. lect. At illud mihi satis probabile, Christicolas in eorum bellis contra infideles non totam quam habebant prætulisse Crucem, sed partem illius, ne, eorum exigentibus culpis, victi ab hostibus, penitus tanto priuarentur thesauro, & partem aliquam honesto in loco sacro in templo abscondisse, vt alij fecerunt fideles, antequam sub Godefrido Ierosolymam caperent Christiani, vt nunc diximus ex Guilielmo Tyrio; &, serico velo de more inuolutam, in sacro Dominico reposuisse Sepulchro; quam tandem inuenit Bonifacius, vt eius indicant litteræ.

3. In

3. *In phano.* Est sacellum sanctæ Mariæ de Apparitione nuncupatum: in quo sunt tria altaria ordinatè disposita in illius Orientali plaga: in eo, quod ad lævam partem est, intra fenestellam crux lignea cernitur ex illis quæ elaborantur Ierosolymis, in quibus particulæ Terræ sanctæ diuersorum locorum variis mysteriis celebrium reconduntur; in qua esse particulam ligni sanctæ Crucis dicitur; & fortè quam dicit Bonifacius, nisi postèà tota vel pars eius ablata à Schismaticis fuerit, quando anno Domini 1537. tota Ierosolymitana familia carceri mancipata fuit, vt notauimus Lib. IV. Cap. V. 11. Peregrin.

CAPVT XIV.

Obiectiones nonnullæ quibus impugnatur veritas sanctissimi Sepulchri.

AVdiui, nonnullos nebulones Occidentales hæreticos detrahentes iis quę dicuntur de iam memorato sacratissimo Domini nostri Iesu Christi Sepulchro, & nullius momenti ratiunculis negantes illud verè esse in quo positum fuit Corpus Iesu, cuius Euangelistæ mentionem fecerunt, quæ adducendæ & refellendæ sunt, ne iustè contra Catholicos, imò etiam contra Schismaticos & Orientales hæreticos, insurgere videantur, sed confundantur, & insipientiæ arguantur. sunt verò quæ sequuntur.

Argumenta quatuor contra Historia Sepulchri veritatem.

Prima. Sepulchrum Domini extra ciuitatem erat, prope locum vbi Christus passus est, vt colligitur ex Ioan. 19. sed hoc est intra muros & ferè in medio ciuitatis; igitur illud verè non est.

Primum argumentum.

Secunda. Sepulchrum, in quo positum corpus Iesu, fuit Ioseph ab Arimathæa, nobilis Decurionis ciuitatis Ierusalem, vt dicitur in Euangelio; non videtur verò credibile, tantum virum excidisse sibi sepulchrum prope locum vbi fontes multabantur & sepeliebantur, id est, prope Caluariæ montem, sed in honestiori loco.

Secundum.

Tertia. In magno templo Resurrectionis, post illud sacellum, alterum sepulchrum monstratur in petra excisum, quod in partibus istis appellatur Sepulchrum Ioseph ab Arimathæa; igitur potiùs hoc quàm illud erit Domini, quia in sepulchro Ioseph sepultum fuit corpus Iesu, vt sacra docet Historia.

Tertium.

Denique tradunt Thalmudici, & ex Rabbinis Iacob cum Mose Ægyptio, vetitum fuisse inferri damnatorum cadauera in sepulchra ceteris communia: sed seorsim inferenda erant in priuata, & in eisdem, vel non procul, sepelienda instrumenta, quibus mors illata erat, vt enses, lapides, cruces, claui, pro mortis genere. Et peritissimus Hebræorum Misnolot c. pænult. tradit morem apud Hebræos fuisse, eos, qui tamquam malefactores occidebantur, non permissos in honorifico sepulchro sepeliri, sed proiici solitos in profundum quemdam locum, quem *foueam corruptionis* vocitabant. Igitur, ne dicamus in Sepultura Christi factum contra Iudęorum consuetudinem, præsertim à piis illis viris, qui corporis illius curam susceperunt, non in illo sepulchro, quod pro damnatis non erat, fuit Dominicum corpus collocatum, sed in foueam illam proiectum.

Quartum.

Sed facili negotio præmissis respondemus; & ad priorem obiectionem dicimus, ipsam procedere ex ignorantia Ecclesiasticæ Historiæ, quæ docet, eam partem præsentis nouæ Ierusalem, in qua nunc est Caluariæ mons & Dominicum Sepulchrum, olim, quando Christus fuit crucifixus, fuisse quidem extra ciuitatis muros, sed postèà in eius reædificatione sub Ælio Adriano, ducto ex illa parte muro, vbi est Sepulchrum Dominicum, in ciuitate inclusam, vt diximus tum superiùs Capite V. præcedentis Peregrinationis, tum Lib. IV. Cap. XVIII. 1. Peregrinationis. Cuius circuitionem prædixisse videtur Ieremias cap. 31, 39. illis verbis: *Et exibit vltrà norma mensura in conspectu eius super collem Gareb; & circuibit Goatha.* Goatha verò esse Caluariæ locum, vbi est sanctissimum Domini Sepulchrum, est plurium sententia: aliàs quidem extra ciuitatem, nunc intra muros circumdatus est. Et hoc benè notauit Guilielmus de Baldensel, Eques auratus Ierosolymitanus, qui anno Domini 1336. ad Terram sanctam peregrinatus fuit: hic enim in suo Hodœporico, agens de monte Caluariæ & Sepulchro Christi, sic de eis loquitur: *Sunt igitur prædicta loca intra ciuitatem Ierusalem, quamuis tempore crucifixionis extra ciuitatem essent; quia post Ierosolymæ euersionem per Titum & Vespasianum factam, in resurrectione eius postmodum per Ælium Adrianum loca crucifixionis & Sepulchri intra ciuitatem inclusa sunt, vrbe ad Septemtrionalem plagam quodammodò dilatata. Super hæc loca à Christianis pulchra fabricata est Ecclesia, figura rotunda, choro versus Orientem, in longum figura addita circulari: quæ deuotissima Ecclesia plumbo cooperta, ad Occidentem de sectis lapidibus pulcherrimam turrim habet; in summitate verò, ipsa Ecclesia*

Responsio ad argumenta.

Ad primum.

versus

Digitized by Google

uersus cælum cooperta est circulo magno patulo, existente cælestis luminis clarius receptiue, &c. Hæc ille.

Ad secundum. Alteri obiectiunculæ duplici responsione satisfacere possumus. Altera, quæ humanum, altera quæ diuinum consilium respicit. Priùs tamen aduerto, hanc obiectionem esse contra Euangelium, & contra ipsos hæreticos qui Euangelium amplecti profitentur. Dico itaque primò, falsum esse, locum illum fuisse ignobilem: imò nobilis erat; tum quia viri nobilis, tum quia ciuitati proximus, & in petra excisus. Et cùm dicitur, proximus erat loco vbi fontes plectebantur; dico non obstare, quia potuit sepe, maceria vel muro seiungi; vel quòd non tam proximus erat, vt ad locum supplicij pertinere videretur, quoniam ab eo distat pedibus 132. vt alibi diximus. Deinde, mons Caluariæ proximus erat templo & ciuitati; igitur hæc ex eo inquinabantur. Nonne etiam in plateis & iuxta Iudicum & Regum palatia noxij puniuntur? Aman certe Princeps, & post Assuerum Regem in suo regno primus, non indignum iudicauit, in propria domo patibulum, in quo Mardochæus suspenderetur, erigere, Esther 7. Et Ierosolymis; ne alibi dicam, quidam occidi iussi sunt: quare nec viro nobili præiudicium erit, habuisse Sepulchrum prope locum vbi iudicio damnati plectebantur & humabantur; præsertim quòd potuit esse inter mortuos liber.

Dico secundò, diuina ordinatione factum fuisse, vt Christus Dominus, qui vt seductor & contumelioſus turpem mortem sustinuit, in honesto loco & viri nobilis sepulchro sepeliretur; vt omnes intelligerent, non derelictum à Deo, sed honestè seruatum, & modicam illam honorifici Sepulchri gloriam exordium fuisse perpetuæ & imminentis resurrectionis, factus inter mortuos liber: non enim eius Æternus Pater dereliquisset animam eius in inferno, nec permisisset sanctum eius corpus videre corruptionem.

Caluaria mons propter Sepulchrum honorandus. Adderem vlteriùs, in eo fuisse adumbratum, locum Caluariæ, propter supplicio damnatos infamem, futurum aliquando nobilem & celebrem, propter vicinitatem ad viri nobilis, imò Domini Sepulchrum. Experientia enim didicimus, humilia & vilia pauperum æstimari, quòd proximà sint regiis Principum; vt vineam iusti Naboth multùm æstimauit Achab Rex Israël, quia domui suæ proxima erat. Et profectò in facto nostro ita euenisse euentus comprobauit: licet enim Caluariæ mons venerabilis sit, quia Dominus noster in eo crucifixus fuit, tamen frequentiùs veneratur & ampliùs æstimatur ob proximum Dominicum Sepulchrum, ad quod venerandum fluunt ex totius mundi partibus gentes.

Vel denique, alia via incedendo, dicamus, diuino consilio factum fuisse, vt Dominus & Redemptor noster in loco ad mortem damnatorum sepeliretur, ad solatium seruorum suorum, qui sui causa in morte & post mortem ignominiosè tractandi erant, similia in Domino contemplantes. Quare vt viuens ad suorum fidelium solatium voluit per omnia illis assimilari, omnibus opprobriis & tormentis subijci; ita in morte vt malefactor tractari voluit, vt qui post ipsum similiter tractarentur, exemplo Domini sui consolarentur. *Ad sil. tium fratruum Dei Christum prope Calcarium sepultus.*

Ad tertiam difficultatem, præter ea quæ inferiùs dicemus, agentes de sepulchro Ioſephi ab Arimathæa, dicimus, potiùs illud, de quo hactenus locuti fuimus, esse Dominicum Sepulchrum, & non aliud; quoniam ei conueniunt quæ dicuntur ab Euangelistis, & veteribus recentioribusque scriptoribus, & non alteri, vt cuilibet vtrumque consideranti ipsa meridiana luce clariùs apparebit: & quia antiqua receptaque traditio semper illud docuit, vix alterius faciens mentionem. *Ad tertium*

Ad quartam denique difficultatem respondeo tripliciter. Primò, Sepulchrum illud non fuisse aliis commune: quare benè potuit accommodari iudicio damnatis, ideò notanter Euangelista Ioannes 19, 41. dixit fuisse *nouum*, & *in quo nondum quisquam positus erat*, tum propter alibi adducendas rationes; tum vt indicaret, sepeliendo Christum, Iudæorum consuetudinem de humandis interfectis non fuisse violatam: & non est dubitandum, Ioſephum virum nobilem paternum pro se & familia sua non habuisse sepulchrum, sed singulariter illud pro se excidisse, quod postea Christo accommodauit. Et in ipso, præter Christi corpus, & mortis instrumenta, quæ capere poterat, posita fuerunt; quæ verò non, vt crux, in alio loco fuere abscondita, vt alibi diximus. *Ad quartum.*

Secundò dicendum, qui à Pilato licentiam obtinuit sepeliendi corpus Christi, obtinuisse etiam sepeliendi honorificè in suo sepulchro: nemini enim ex hoc irrogabatur iniuria.

Vel tandem, Christus, qui moriendo illum traxit ad se, & ex occulto publicum fecit discipulum, docuit etiam propter ipsum parui faciendas Iudaicas superstitiones vel traditiones, præsertim quæ charitati officiunt: quare etsi Ioſeph, dando Christo propriam sepulturam, videatur contra consuetudinem illam Iudæorum egisse (quod

Digitized by Google

(quod tamen non credo) non ideò culpandus, sed laudandus est.

Ad morem illum ex Misnolor relatum respondemus, fuisse cum Christò dispensatum ad illius honorem & gloriam: vt sicut ex aliis capitibus demonstrata fuit illius innocentia, ex hoc etiam contestata relinqueretur. Quod quidem mysterium, multò antè quàm opere completetur, regius Vates vaticinatus fuit Psal. 15, 10. etenim vbi nostra Vulgata legit, *Nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem*, Hebræorum originale habet, *foueam corruptionis*: qua lectione ostenditur, morem illum in Sepultura Christi non fuisse obseruandum, sed in honorifico Ioseph sepulchro tumulandum, vt omnibus illius innocentia palàm fieret.

CAPVT XV.

Alterius scriptoris obiectio.

GVilielmus de Baldensel, Capite præcedenti relatus, licet confiteatur, Christi Sepulchrum fuisse in loco assignato nunc intra vrbem, vt omnes tenent fideles & Orientales schismatici; verùm negat, ibi adhuc esse verum Domini Sepulchrum, sed fuisse à fidelibus in alias partes delatum, vt aliæ sacræ delatæ fuerunt Terræ sanctæ Reliquiæ. sic enim dicit: *Illud verò aduertendum est, quòd monumentum illi sanctissimo loco superpositum non est illud, in quo corpus Christi sacratissimum exanime primitus est immissum; quia, sacro attestante Eloquio, monumentum Christi erat excisum in petra viua scilicet, quomodo antiquorum monumenta, & precipuè in his partibus, fieri communiter consueuerunt; illud verò ex petris pluribus est compositum, de nouo conglutinato cemento, minùs artificialiter & minùs quàm deceat ordinatè.*

Locus etiam ipse monumenti Christi fuit per infideles longo tempore possessus ante tempora Latinorum, & profanatus, qui nihil in ipso dimiserunt, quod deuotionem fidelium posset de huiusmodi prouocare.

Quando etiam Ierusalem capta est vltimò à Saracenis, per certa pacta & tractatus Ciuitatem sanctam dimiserunt, & assultu capta non fuit; nec verisimile est, posito, quòd in loco Sepulchri aliquid fuisset de vero monumento, Christianos dimisisse aliquid ibidem ab infidelibus conculcandum, cùm etiam nunc fideles studeant eadem loca visitantes, de petris & terra, quantum possunt, portare; & si possent, vtique totam asportarent, vestigia Christi consecratam.

Veruntamen, quidquid sit de hoc, ipse locus Sepulchri Christi formaliter moueri non potest, sed remansit & remanebit immobilis in aternum. & post pauca sequentia addit de lapide in Sepulchri sacello existente: *Sapè dictæ domunculæ parte sinistra contra Sepulchrum eminet extra ceteros lapides lapis quidam albi coloris, grossus ad modum capitis hominis, benè ad septem palmas à terra eleuatus, quem Christianos illarum partium pra ceteris vidi deuotiùs osculari; de quo cùm mirarer, & quare hoc esset sollicitè interrogarem, per authenticas personas per interpretem ibidem responsum est, quòd ille lapis sit de vero monumento Christi, qui à Christianis ibidem positus est, vt peregrini aduenientes possint ipsum tangere & videre, vt ad deuotionem amplius excitentur.* Hactenus ex Guilielmo de Baldensel.

Responsio ad Baldensel.

Nullo modo assentiendum est dictis huius Equitis & peregrini Ierosolymitani; quoniam recentiores & veteres fideles Christiani refragantur; & continuata ab antiquo vsque ad tempora nostra traditio semper docuit, in præmisso loco esse solo hærentem arcam sanctissimi Sepulchri. Nec quæ pro se adducit officiunt. verum illud, Sepulchrum Christi fuisse in petra excisum, quia Euangelista dicit, sed non item aliud, quod ex suo addit, hoc esse ex pluribus petris compositum & calce agglutinatum; nisi per sepulchrum hoc pluribus agglutinatum petris, intelligat sacellum ipsum circumdans & operiens ipsum sacrum tumulum, vt verè esset explicandus auctor, qui non introspexit, & Sepulchrum in ipsa rupe excisum non vidit, sed dumtaxat externum operientem parietem. Et si hoc vellet, tunc nihil peculiare diceret, cui meritò quis se opponere posset.

Sepulchrum Christi haud ab infidelibus ablatum.

Quod addit, Sepulchrum ipsum fuisse ab ipsis infidelibus ablatum, ne ad illius deuotionem prouocarentur fideles, gratis dictum: nam licet id illi excogitauerint aliquando, nihilominùs vel diuinitus impediti, vel etiam humanis rationibus se ab illius demolitione abstinuerunt, quemadmodum & à combustione sanctæ Crucis. Mirabile est, infideles crucem Saluatoris in foueam proiecisse, locum Caluariæ & Sepulchri Dominici ruderibus oppleuisse & abscondisse, idolorum simulacris profanasse, vt spirituali consolatione fideles priuarent, ne ad sacra adoranda loca accederent: & quod facilius fuerat, omiserunt; comburere inquam venerandum crucis lignum, & sanctum Caluariæ monticulum complanare, & gloriosum Christi Sepulchrum nedum solo æquare, sed ex ipso excidere, & omnia in fauillam redigere: tamen nihil horum fecerunt; sed quæ tentauerunt in odium Christi & fidelium, vertit Deus in salutem &

honorem ſanctæ Crucis & locorum ſanctorum; quia ipſi, etſi nolentes, ſuis peruerſis operibus conſeruarunt loca ſancta & noſtræ ſalutis inſtrumenta, vt inuenirentur, quando liberè & abſque timore honorari poſſent, vt verè inuenta fuerunt, vt alibi notauimus. Et quis hoc fecit? Ille vtique, qui omnia ſuauiter fortiterque diſponit.

Et profectò, ego inuenio, quo tempore ab infidelibus poſſidebantur loca ſancta, antequam Baldenſel ad illa peregrinaretur, & poſteà, non fuiſſe ab infidelibus Dominicum Sepulchrum demolitum, etſi tentauerint & cogitauerint: & quod ante Baldenſel peregrinationem, patet ex eo quod notauimus Libro hoc Capite v. 1. Peregrinationis.

Præterea, anno Domini 1009. Principem Babylonis per ſuos miniſtros concauum Sepulchri tumulum ferri tuditibus quaſſare tentaſſe, ſed non valuiſſe. Item, quando Chriſtiani ſub Godefrido Bullonio profecti fuerunt ad Ieroſolymam comparandam; Ieroſolymitæ infideles de illorum aduentu facti certiores, atque ſcientes pro recuperanda ciuitate & Chriſti Sepulchro totis viribus incumbere, ſimul conuenientes decreuerunt, interfectis vniuerſis fidelibus, qui Ieruſalem habitabant, Eccleſiam Dominicæ Reſurrectionis funditus dejicere, & Sepulchrum Domini ab eadem radicitus conuellere, ne illorum occaſione aut orationis gratia populus fidelium deinceps accedere & vrbem frequentare proponeret: ſed tandem cognito, quòd per hoc maiora noſtrorum populorum in ſe conflarent odia, mutato conſilio, deſtiterunt, &c. Ita D. Antoninus Part. 2. Hiſtor. tit. 16. cap. 13. §. 6. ad an. Chriſti 1099.

Et Neubrigenſis de Saladino pompaticè Ieroſolymam ingreſſo, poſtquam illam à Chriſtianis abſtulit, etſi alias Eccleſias omnino profanauerit, parum vero Sepulchro Domini pepercitſe indicat, dum ait: *Sepulchri verò Dominici aliquantulam reuerentiam habuit, quod, omni quidem auro vel argento ornatu ſublato, Syros illius terræ indigenas Chriſtianos cuſtodire præcepit*, &c.

Et Otto de S. Blaſio in ſuo Chronico ad idem ait: *Poſtquam ciuitas per conditionem tradita, Sepulchrum Domini à paganis quæſtus gratia in veneratione habetur.*

Sanctus adhuc Antoninus 3. Part. tit. 19. cap. 3. §. 2. ad an. Chriſti 1219. inquit, quo tempore noſtri obſidebant & fortiter oppugnabant Damiatam, Corradinum, filium Saphadini, ſuo congregato exercitu veniſſe in Syriam, & in Ieruſalem; atque, habito ſuorum conſilio, illam deſtruxiſſe intus & foris, præter templum Domini, & turrim Dauid. Et hoc ideò feciſſe creduntur pagani, ne Chriſtiani, poſt captionem Damiatæ, aliquam munitionem mediterraneam haberent & tenerent in Regno Ieroſolymitano: deſperabant enim, capta ciuitate, Regnum Ieroſolymitanum poſſe defendi. De Sepulchro Domini glorioſo deſtruendo conſilium habuerunt Saraceni, & per litteras comminati ſunt: quas ad ſolatium iis, qui intra Damiatam tenebantur incluſi, direxerunt. Hæc ex D. Antonino. Idem dicitur in Epitome bellorum ſacrorum apud Caniſium Tom. 6. Antiq. Lect. Petrus Maturus in Notatione ad præmiſſum Antonini locum inquit: A Sepulchro Domini noſtri Jeſu Chriſti violando ſceleſtas Corradinus continuit manus: cauſam verò Sepulchri templique intacti, quam nonnulli afferunt, delatam tantiſper Chriſtianæ Religioni venerationem, omittimus; magisque credimus, Surianos, Æthiopas, Armenios, Georgianos, & alios Aſiæ Chriſtianos Ieroſolymam incolentes, & alios Chriſtianos multos numero & ſubditos aliis Aſiæ & Africæ Principibus ea loca dirui comminuique prohibuiſſe, eorumque deſiderio ſic Saracenos vel inuitos acquieuiſſe. Blond. lib. 7. Dec. 2. Conſule etiam ad hoc quæ retulit Cardinalis Baronius Tom. 12. anno Chriſti 1187. num. 7. & 9.

Conſilium de Sepulchro demolitendo impeditum.

Quòd poſteà etiam non demoliti fuerint Turcæ Sepulchrum Domini, poſtquam, è ſancta Ciuitate expulſis Chriſtianis, illam iterùm ceperunt, etſi hoc decreuerint ſub Pontificatu Pauli V. diximus Lib. III. Cap. IV. Poſteà etiam an. Domini 1626. rebellis quidam Ieroſolymæ Gubernator comminatus fuit proſternere Dominicum Sepulchrum, quod ego audiui, & abſoluiſſet, quia nec Deum timebat, nec homines reuerebatur, niſi à Deo impeditus fuiſſet, & Chriſtianæ nationes Ieroſolymis degentes furorem illius nummis aliiſque muneribus non repreſſiſſent. Aliàs alij idem tentarunt, ſed ſemper præpediti fuerunt.

Accedit, quòd ſe ab huius demolitione abſtinuerunt, non tantùm, ne contra ſe prouocarent magis Chriſtianos Principes, ſed etiam propter commodum illis proueniens, dum pietatis ergò ex diuerſis mundi partibus ad illud venerandum Ieroſolymam confluunt peregrini, qui omnes certam pecuniæ ſummam exſoluunt; & quotidie ab inhabitantibus Chriſtianis Catholicis & Schiſmaticis exigunt: quæ in vnum collecta, non modica eſt. Sciunt etiam, niſi eſſet ſanctum Chriſti Sepulchrum, & alia ſancta loca, ſanctam Ciuitatem cum circumiacente regione in deſertum conuertendam.

Quod

Fideles tolli particulas, non totum ablatarum Sepulchrum

Quod denique subiungit, fideles abstulisse sanctum Sepulchrum, ob deuotionem ad ipsum; dico non abstulisse: constaret enim de illius translatione, vt constat de sanctæ Crucis translatione Romam per Helenam magni Constantini matrem, & aliarum rerum sacrarum, æstimatione cum Dominico Sepulchro non comparandarum. Etsi enim magna pietas sit, velle apud se habere tamquam sacras Reliquias Crucem Domini, & puluerem Terræ sanctæ; non minor tamen erit, velle vt conseruentur præcipua nostræ salutis monumenta, vbi nostræ reparationis mysteria operata fuere, inter quæ principem locum tenet Dominicum Sepulchrum; præsertim cùm pietati ac deuotioni satisfieri possit quolibet Terræ sanctæ puluisculo, & ne auferatur Ierosolymitana peregrinatio inter omnes celeberrima: ferè enim ob sanctum Christi Sepulchrum piam hanc peregrinationem assumunt Christi fideles. Hinc nec pijssima Helena, magni Constantini mater, è Ierosolymis abstulit Sepulchrum, sed illud in lucem prodire fecit, & vnà cum eius filio Regio illustrauit templo, aliis contenta Reliquiis, vt parte crucis, clauis, gradibus scalæ palatij Pilati Præsidis, & alia Terra sancta. Et mirabile est, quòd, si ablatum fuit posteà à Christianis aliis, non assignetur locus ad quem translatum fuit, vt debito religioso cultu honoretur: etenim si non assignatur, vt verè alius non assignatur locus à Ierosolymitano, & in isto, secundùm Baldensel, non est, erit necessarium dicere, Sepulchrum Domini, præcipuum Christianorum religionis ac pietatis monumentum, inglorium esse; quod tamen Isaias glorioſum prædixit, necdum Saluatoris præsentia consecratum, sed ne quidem à Iosepho ab Arimathæa in petra excisum.

Præterea, semper fuerunt Christiani Ierosolymis, si non multi, saltem pauci, qui numquam permisissent auferri Sepulchrum, nec etiam infideles; qui ompes linceis oculis inuigilant in illius custodia. Sepulchrum & Præsepe Domini pro Fratribus Minoribus empta fuere, & illorum curæ tradita, nihilominùs nedum possunt illa inde auferre, sed nec particulas palàm ex illis excidere: si enim accusarentur abstulisse vel tentasse auferre, non leui mulctarentur ab infidelibus pœna.

Ad hæc, si verum esset quod dicit Baldensel, necessariò dicendùm foret, quotquot venerunt Ierosolymam Christiani ad venerandum sanctissimum Sepulchrum, postquam Ierosolyma possessa est ab infidelibus, fuisse illos deceptos ante illum vel post; quia fideles, quando ea inhabitabant, & timebant aduentum infidelium, illud inde abstulissent, & alìò transtulissent, quod tamen non est dicendum. Etenim S Arnulphus Galliarum Episcopus, qui ante nongentos triginta annos, & S. VVillibaldus Episcopus, qui ante octingentos octoginta annos Ierosolymam peregrinati fuere, inuiserunt & viderunt sanctissimum Sepulchrum. Item, ante octingentos viginti, anno videlicet Domini 799. quemadmodum sub hoc anno scribit Baronius ex Annalibus Francorum, Patriarcha Ierosolymorum per suum Monachum misit ad Carolum Magnum sacrosancti Sepulchri Redemptoris nostri claues; quod fieri solebat in signum benedictionis, vt, præter alios, notauit Gretserus de sancta Cruce Tom. 3. l. 2. cap. 21. ex D. Gregorio. Quem dimittens ipse Carolus, Zachariam Presbyterum illi adiunxit, qui dona ad loca sancta deferret.

Patriarcha mittit Sepulchri claues ad Carolum Magnum.

Deinde Brocardus, & alij, qui ante Baldensel perfecerunt Ierosolymorum peregrinationem, verè esse Ierosolymis Sepulchrum Domini in indicato loco confessi fuerunt. Alij etiam fideles, qui post illum eamdem assumpserunt peregrinationem, & sua itinera conscripserunt, quæ videre potui, eidem adstipulantur veritati. Et Bonifacius, qui multo tempore præfuit locis sanctis, posteà Stagni Episcopus, qui sacrum antrum reparauit anno Domini 1555. vt alibi notauimus, affirmat ibi verè esse, & se illum propriis oculis inspexisse. Et si non esset, quomodo Turcæ illud aliquando demoliri conati essent, vel magnus Hetruriæ Dux Ferdinandus Medices, huius nominis primus, è solo excidere & in Italiam transferre tentasset?

Non inficior tamen, aliquas particulas fuisse ablatas ad solatium fidelium; vt si totum apud se habere vel videre non sit illis concessum, puluisculo illius & aspectu partis eiusdem non priuentur: atque hoc pacto memoria Dominicæ Sepulturæ & Resurrectionis non auferetur, & Ierosolymitana peregrinatio non minuitur, pietatique & deuotioni fidelium consultum est.

Quod dicit de lapide alio ad septem palmas à terra eleuato, in præsentia non cernitur, sed ille dumtaxat qui Angeli dicitur; qui & Sepulchri Christi dici potest, quia est eiusdem rupis, quemadmodum de eo agentes notauimus. An ille est, qui modò intra feneſtellam altaris columnæ flagellationis est, qui pars Sepulchri dicitur? Si esset, ex parte tantùm; quia non tantæ magnitudinis vt à Baldensel describitur.

CAPVT XVI.

Excellentia ſacratiſſimi Sepulchri Chriſti Domini ex illius figuris & vaticiniis.

AD alterum ſuperiùs propoſitum, de ſpirituali ac ſupernaturali excellentia ſanctiſſimi Sepulchri Reparatoris noſtri, nunc accedentes, dicimus, quòd quamuis omnia Terræ ſanctæ loca, nemine diſcrepante, omni honore ac veneratione digniſſima ſint, atque ad pietatem in fidelium cordibus excitandam efficaciſſima; quoniam Chriſti Domini noſtri contactu, corporea præſentia & ſalutis noſtræ myſterijs in eiſdem operatis ſanctificata fuere; verùm ex communi omnium rectè ſentientium conſenſu, ſanctiſſimum Reparatoris noſtri Ieſu Chriſti Sepulchrum, in quo mortuus poſitus fuit, & ex quo, morte deuicta, glorioſus exiuit, inter cetera principem locum tenet, & neſcio quamdam maiorem vim ad illud idem habere dignoſcitur: vnde meritò ſingulari cultu & pietate ab omnibus colitur & honoratur. Quare S. Bernardus Serm. ad Milites templi appoſitè dicit: *Sepulchrum Chriſti inter loca deuotionis tenet quodammodò principatum; & deuotionis neſcio quid plus ſentitur vbi mortuus requieuit, quàm vbi viuens conuerſatus eſt; atque amplius monet ad pietatem mortis quàm vitæ recordatio.*

Sepulchrū Chriſti inter loca deuotionis tenet principatum.

Veritati huic teſtimonium perhibebunt omnes, qui hunc ſacrum tumulum & alia ſancta loca venerati fuere. Hinc factum arbitror, vt ſancta Mater Eccleſia, ductu Spiritus ſancti, eo præſertim tempore, quo Dilecti ſui mors peculiari quodam modo fidelibus ſuis repræſentanda eſt, in Paraſceue, pridie huius diei, vt illorum animi magis accendantur ad pietatem, & ad compatiendum innoxio patienti pro nobis, erigi mandet in omnibus templis noua decentiſſimè ornata ſepulchra; in quibus religioſiſſimè & magna cum pompa recondituꝝ & colitur ſacroſanctum tremendumque Euchariſtiæ Sacramentum: vnde factum hac ex parte Sepulchrum Chriſti glorioſum.

Ideò & nos iure merito diutiùs ac aliàs immoramur circa ſanctiſſimum Sepulchrum; & ad pietatem deuotionemque in nobis excitandam, & ad illius honorem, alia quæ non modò temporalem ac corruptibilem eius reſpiciunt excellentiam, ſed ſupernaturalem & immarceſcibilem ſingulariter explicant dignitatem, dictis adiiciemus, tam ex ſacris Litteris Eccleſiaſticiſque Doctoribus collecta, quàm à nobis excogitata. Hæc ad quinque capita reducemus; ad primum, figuras & prædictiones aliquas huius ſacratiſſimi Sepulchri; ad ſecundum, quæ in Chriſti funere acciderunt, quando illius ſacratiſſimum corpus fuit ſepulturæ demandatum: in tertium & quartum coniicimus quædam quæ pòſt acciderunt Chriſto è mortuis ad vitam reuocato; denique in quinto, humana etiam gloria glorioſum eſſe explicabimus. Hæc omnia Iſaiæ 11. præmonſtrata fuiſſe arbitror. Primum præſenti, reliqua ſequentibus Capitibus explicabimus.

Sanctus ille Iſaias, qui inter ceteros Vates Spiritu ſancto afflatos fuſiùs & dilucidiùs Chriſti Domini myſteria reſerauit, vt Hiſtoricus & Euangeliſta potiùs quàm Propheta viſus ſit D. Hieronymo ad Paulinum, oculis mentis à longè proſpiciens dignitatem & gloriam ſanctiſſimi Sepulchri Domini noſtri Ieſu Chriſti, illam paucis quidem, ſed myſteriis plenis, verbis indicauit, dicens: *In die illa, radix Ieſſe, qui ſtat in ſignum populorum, ipſum gentes deprecabuntur, & erit Sepulchrum eius glorioſum.* Verba hæc de Chriſto intelligenda eſſe docent ſancti Patres, & huius loci interpres Hilarius lib. 5. de Trinitate, Athanaſius de Incarnat. Verb. Euſebius lib. 2. de Con. Euang. Tertullianus lib. de Trinitate, D. Hieronymus, Lyranus, Gloſſa, & alij. Iſa. 11, 10

In die illa, &c. hoc eſt tempore mortis Chriſti, quando nox legis & peccati receſſit, & appropinquauit dies, Euangelium videlicet & gratia, *Radix Ieſſe* Chriſtus: tali enim nomine ſeipſum appellauit poſteà per alium Vatem. Radix Ieſſe quidem; quia non de æthere deſuper, ſed de deorſum, hoc eſt de Virgine Maria, quæ ab eodem Propheta ante præmiſſa verba *Radix Ieſſe* dicitur, originem traxit, eiuſdem cum illa naturæ factus, quemadmodum in hunc Iſaiæ locum Hugo Cardinalis obſeruauit. Quod poſteà non ſymbolicis, ſed apertis verbis dixit Apoſtolus in ea quam ad Galatas ſcripſit Epiſtola: *At vbi venit plenitudo temporis, miſit Deus Filium ſuum, factum ex muliere, factum ſub lege. Factum ex muliere*, inquit Beda in Lucam, *quia conceptus ex vtero virginali, carnem non de nihilo, non aliunde, ſed materna traxit ex carne: alioquin nec verè Filius hominis diceretur, qui originem non haberet ex homine.* *Chriſtus radix Ieſſe.* Galat. 4.

Radix in morte Chriſtus; quia quemadmodum radix in hieme in terra abſcondita pedibus conculcatur, & in vere viteſcit, & flores profert & fructus; & Chriſtus verè Deus abſconditus, velut radix, fuit in hieme paſſionis ab impiis flagellis & percuſſio- *Radix Chriſtus in morte.*

cussionibus conculcatus, vt dixerat per Prophetam, *Conculcauerunt me inimici mei*, &c. Psal. 55, 3. & à piis in terra, hoc est, Sepulchro tumulatus; vnde in Resurrectionis vere vt flos refloruit, *Et refloruit caro mea*, per eumdem dicebat Vatem, &. vberes sibi & aliis protulit fructus. Tunc enim, vt Cant. 2, 11. dicitur, *hiems transiit, imber abiit, & recessit. Flores apparuerunt in terra nostra*, &c. Sed, aliis omissis, radix Christus: quia quemadmodum radix obuoluitur & operitur terra, ita Dominus noster cum salutis nostræ mysteriis & instrumentis in feraci sacræ Scripturæ agro sub figuris & vaticiniis delitescit; quare in eo scrutando insudandum, & intellectu spirituali lumine illustrato velut sarculo sunt illius eruenda & propalanda Sacramenta. Sed quænam erunt symbola & prophetiæ Dominici Sepulchri?

Psal. 27, 7.

Figura Sepulchri Domini.

Præfiguratum in primis video sanctissimum Domini Sepulchrum cum horto vbi erat, Genes. 23. vbi legimus Abrahamum noluisse aliorum sepulchra ad sepeliendum mortuum suum, sed speluncam duplicem emisse, quæ erat in extrema parte agri: & Æternus Pater noluit dilectum Filium suum in communibus sepulchris sepeliri, sed in Sepulchro nouo, quod erat in horto, Ioan. 19.

Spelunca duplex.

Vnctio Iacob.

Similiter vnctio corporis Christi facta à Iosepho ab Arimathæa præfigurata fuit in vnctione illa Iacobi per alterum Iosephum, huius Patriarchæ filium, cuius meminit Moyses in eadem Gen.

Corpus vituli extra castra positum.

Ad hæc, quid illa cærimonia voluit Spiritus sanctus esse iudicatum, qua præcepit Leuit. 6. corpus vituli mortui poni extra castra in loco mundo? vtique quod in eum locum acutè obseruauit Rupertus, Christum Dominum velut vitulum in ara crucis mactatum, extra ciuitatem sindone munda inuolutum in Sepulchro esse ponendum.

Rupert. lib. 1. Comm. in Leuit. cap. 6.

Domus Dauid à militibus custodita.

Domus Dauid à militibus Saul vndique obsessa, è qua, ipsis ignorantibus, tempore auroræ clàm egressus manus eorum aufugit, significauit Dominicum Sepulchrum à Pilati militibus custoditum; ex quo liber, solutis doloribus inferni, diluculo diei resurrectionis exiuit.

Cisterna & carcer Ioseph.

Quid illa cisterna, in quam bonus Ioseph tuit ex inuidia à fratribus proiectus, quòd eos de crimine pessimo accusasset; & carcer, in quem fuit in Ægypto coniectus, quòd impuræ mulieris voluntati noluerit acquiescere; item cisterna illa, in qua non erat aqua, in qua propter verbum Dei & veritatis promulgationem fuit positus sanctus Ieremias; sicut & lacus leonum, in quem fuit propter honorem & zelum veri Dei missus sanctus Propheta Daniel, ex quo etiam illæsus exiuit; aliud significarunt quàm Christi Sepulchrum, in quo mortuus ex Iudæorum inuidia Saluator noster tumulatus fuit; quòd eos de impietatibus redarguerit, Synagogæ iniustis votis acquiescere noluerit, zelum Dei habuerit, & manifestauerit nomen Patris sui hominibus, ex quo morte deuicta glorioſus exiuit?

Cisterna. Ieremiæ.

Lacus leonum Danielis.

Venter ceti Ionæ.

Venter ceti, qui Ionam suscepit, & viuum euomuit, Sepulchrum, ex quo Christus vita immortali circumdatus prodiit, significat, ex eiusdem Christi sententia dicentis: *Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus; sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus*, Matth. 12, 40. Sed addunt alij, nauem, quam Ionas ascendit, ob oculos ponere Sepulchrum hoc, quod Christum magnum Prophetam suscepit: cuius nauis velum expansum sindon munda fuit, qua eius sacrum corpus fuit inuolutum: & præter corpus Christi, varias hæc species aromaticas portabat, non vt corpus à corruptione præseruarent, sed vt illam non esse passurum significarent. Iudæi autem, qui nautæ erant huius nauis, sigillantes, & custodientes illam per triduum, nauigandi arte penitus amissa, viam illius in medio mari minimè potuerunt percipere, nec vsque in hodiernum diem percipiunt.

Currus alter Iosiæ Regis Iudæ.

Piissimus Rex Iosias bellaturus contra Nechao Regem, duobus curribus more regio ad bellandum processit; in quorum altero vulneratus fuit, & in altero mortuus honorificè in Ierusalem fuit delatus; ad viuum exprimit Christum nostrum piissimum Regem, qui bellum gessit cum principe tenebrarum: contra quem, more Regum, duplici curru processit; & ipse in altero, id est, in cruce fuit vulneratus, & mortuus, & in altero, id est Sepulchro, honorificè reconditus. Et si adderes, quòd quemadmodum Elias relinquens Eliseum, eidemque demisso pallio, fuit in curru ad cælum eleuatus, ita Christus, relicto sudario in Sepulchro, ad cælestem gloriam ab hominibus sublatus, & in cælum euectus est, à pietate & veritate alienum non esset.

Currus Eliæ.

Prophetia Sepulchri Domini.

Sed & Prophetæ Dominici Sepulchri gloriam pronuntiarunt. Dauid Psal. 15, 10. Filium alloquentem Patrem introducit: *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* In his verbis memoratum esse Dominicum Sepulchrum, fatentur omnes, quod

corpus Christi incorruptum reddidit. Et propter hanc incorruptionem Isidorus de Natiuitate Domini cap.8. docet, appellari Sepulchrum Christi glorioſum, quod dicitur Hebraicè *Requies*, Isaiæ 11. *Quia*, inquit, *moriens caro eius non vidit corruptionem.* & Psal.131,8. idem Propheta Dauid: *Surge Domine in requiem tuam, tu & arca ſanctificationis tuæ.* Gregorius Homil. 20. in Ezech. explicat de Sepulchro, ex quo exſurrexit in requiem ſuam, cùm carnem ſuam de ſepulchro ſuſcitauit, &c.

Multipliciter glorioſum Christi Sepulchrum.

Sed alter nunc ſufficiat Propheta iam citatus Isaias, dicens: *Et erit Sepulchrum eius glorioſum.* Glorioſum ex funere, glorioſum ex depoſito, glorioſum ex fructibus ab eo prouenientibus, glorioſum denique ex multiplici populorum frequentia, vt poſteà videbimus.

CAPVT XVII.

De gloria Dominici Sepulchri ei ex ſolemni funere proueniente; vbi plura de ſacris ſepulchralibus linteis.

GLorioſum prædicamus adhuc Reparatoris noſtri Sepulchrum cum Euangelico Vate non ampliùs ex illius ſymbolis & vaticiniis, ſed ex celebri Regioque funere, quo ad ipſum fuit corpus Dominicum delatum. In hoc laudandi genere ſex ſingulariter ſe offerunt obſeruanda, quæ funus celebre reddunt; & celebre funus, glorioſum Sepulchrum. I. Obſeruandum erit, quinam conuenerint ad funus Saluatoris. II. Quæ geſta fuerint circa illius exanime corpus, priuſquam ſepulturæ traderetur. III. De variis linteis, quibus Christi corpus è cruce depoſitum, inuolutum ac ſepulturæ mandatum fuit. IV. De eiſdem ſudariis aliqua in ſpecie differendum. V. Proponuntur rationes pro ſindone Taurinenſi ac Veſontina; quidque roboris habeant: & Auctoris intentio aperitur, & difficultas diſſoluitur. VI. Quid ſecutum fuerit, poſtquam Reparatoris noſtri corpus fuit ſepulturæ mandatum, referatur.

§. I.

De his qui conuenerunt ad funus Saluatoris.

ET à primo ordientes, in ſuperiùs allata Isaiæ Prophetia, vbi vulgata habet, *Radix Ieſſe, qui ſtat*, &c. Septuaginta legunt, *Et qui conſurgit, vt Princeps ſit Gentium, in ipſo Gentes ſperabunt, & erit requies eius honor.* Pagninus & Vatab. vertunt, *Et erit in illa die, eum qui egredietur de radice Iſai, qui ſtabit vt vexillum populorum, Gentes quærent, & erit requies eius in gloria.* Ecce quomodo Propheta Christum in cruce pendentem Principem vocat, & vexillum populorum à Gentibus inquirendum. Sed quomodo poſſunt hæc inter ſe cohærere? an non Christus vt maledictus & ſeductor fuit habitus, & crucifixus? *Seductor ille,* dicebant de Christo Iudæi ad Pilatum. &: *Maledictus omnis qui pendet in ligno.* Et quomodo *vexillum populorum* à Gentibus quæſitum, cùm ab hoſtibus ſuis, an amicis, mortem ſuſtinuerit, à propriis diſcipulis & amicis derelictus? Matth.27, 63. Deut.21, 23. Galat.3, 13.

Christus in cruce quomodo Rex Iudæorum.

An contemplatus fuit ſanctus Vates crucem Saluatoris, in cuius titulo Pilatus Spiritu ſancto motus ſcripſit, I. N. R. I? & ideò, ſi in paſſione & morte Christum Regem appellatum vidit, & ipſe Principem prædicauit; ſi Regem Iudæorum, id eſt confitentium & credentium: Iudæus enim idem eſt quod confitens. Et quia Gentes credituræ erant in Ieſum, & confiteri debebant, iure horum vexillum dixit. Si Nazarenum, id eſt, floridum, legit, intellexit carnem eius mortuam, aliquando in immarceſcibilem florem conuertendam in glorioſa Reſurrectione; quemadmodum alius Propheta antè cecinerat: quare & ipſe meritò addidit, *Et erit Sepulchrum eius glorioſum.* Vel etiam reſpexit ad id quod futurum erat inter fideles poſt Euangelij prædicationem; apud quos nil glorioſius æſtimandum erat cruce & Sepulchro Domini: & hac quidem ratione, ſepulchri nomine volunt aliqui nedum ipſum Sepulchrum, ſed etiam crucem Dominicam eſſe intelligendam, vexillum totius populi Christiani eleuandum in nationibus; quo Regiæ coronæ & diademata Imperatorum & aliorum vtriuſque iuriſdictionis Principum decoranda erant, vt, iuxta præſcriptum Apoſtoli 1. Cor. 1, 23. *prædicaremus Christum crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam; ipſis autem vocatis Iudæis, atque Græcis, Christum Dei virtutem, & Dei ſapientiam: quia quod ſtultum eſt Dei, ſapientius eſt hominibus: & quod infirmum eſt Dei, fortius eſt hominibus*, &c. Sed aliter dicamus. Psal.73,3. Iſa.11,10

Fuit Christus Ieſus vt ſeductor & malefactor ignominiosè crucifixus, ſed vt ſtrenuus & glorioſus Princeps honorifica ſepultura donatus. Quare poſt illa priora verba, *Radix Ieſſe*, &c. in quibus de morte ignominioſa crucis egit Propheta, vt indicaret diſſimilem futuram ſepulturam, ſtatim in poſterioribus ſubiecit illius gloriam, *Et erit Sepulchrum eius glorioſum.* Dicamus igitur,

Digitized by Google

Regium Christi funus.

igitur, Christum Dominum iam defunctum, sepulturæ tradendum à Propheta Principem fuisse appellatum; quia funere regio sepeliendus. Talis mos & consuetudo inoleuit, vt in Historiis legimus, & experientia docet, vt in terreni Principis morte tota eius familia, imò regia ciuitas, & vniuersum Regnum commoueatur, dentque omnia signa doloris, ob proprij Domini interitum: flent amici, fundunt propinqui lacrymas, lugubri amictu se operiunt omnes, replent eiulatibus aëra, & parietes nigris peristromatibus tecti velut dolentes se exhibent: conueniunt ad illius funus vtriusque sexus homines, exanime corpus comitantur Ecclesiastici, sequuntur sæculares, ardet luminibus cælum, terra lacrymis madet, queruloque cantu aër insonat, tubæ raucæ tympanaque in luctum conuersa audiuntur, & non erecta vexilla, sed per terram trahi cernuntur; omnia denique lacrymabilem dilectissimi Principis mortem lamentantur. Non dissimiliter accidisse video in morte & funere Principis Christi Iesu: cælum, terra vniuersusque mundus, domus, regnum & possessio eius; *Domini est terra, & plenitudo eius, orbis terrarum, & vniuersi qui habitant in eo*; doloris & tristitiæ signa præbuerunt. Cælum clausit oculos, cùm sol obscuratus est, & luna lumen suum retraxit, terra tremuit, petræ scissæ sunt, velum templi scissum est, & vniuersum, velut nigris peristromatibus, tenebris tectum fuit, quando tenebræ factæ sunt super vniuersam terram. Propinqui & amici Christi, eius sanctissima Mater, discipuli & discipulæ ex oculis fontes lacrymarum fundebant: sed & illius hostes, dolentes percutiebant pectora sua; & qui longè erant, propè steterunt ad sacras summi Principis exequias celebrandas. Tanta fuit totius orbis terrarum mutatio, vt eam contemplatus magnus ille Dionysius, qui longè ab Ierosolymis aberat, vbi Christus passus fuerat, necdum fidei lumine illustratus exclamauerit, *aut Deus natura patitur, aut mundi machina dissoluetur.* & à vero minimè aberrauit.

Psal. 23, 1.

Christus omnia ad sunm funus traxit. Ioan. 12, 32.

Sed antequam funus nostri Principis explicemus, videamus, quid ipsemet Christus de eo, antequam pateretur, dixerit: *Et ego*, inquit, *si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum. Omnia traham*, non homines modò, sed Angelos. Totum mundum ad se traxit Christus in morte, secundùm magni Leonis interpretationem Sermone 8. de Pass. Domini. Si ergo Christus in cruce exaltatus omnia ad se traxit, omnia, antequam exaltaretur, ab eo recesserant: ita profectò. *In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit. In propria venit, & sui eum non receperunt*, Ioan. 1, 10. In eius Natiuitate, in diuersorio ei locus non est inuentus: in vita, non habuit vbi caput reclinaret, factus sicut vir viator & declinans ad manendum. Angelorum legiones abfuerunt à Christo tempore tribulationis, abfuerunt discipuli, quando eodem tempore omnes relicto eo fugerunt. Quando crucifixus fuit, noti eius stabant à longè. Quid Æternus Pater? Filium suum dereliquisse visus est; *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* dixit ad eum patiens Filius; & Spiritus sanctus, qui sanctuarium suum solui permisit. Denique, semetipsum dereliquit in manus peccatorum, ponens pro peccato animam suam: quare potuit verè dicere, *Considerabam ad dexteram, & videbam, & non erat qui cognosceret me*; quia vel vere non cognitus, vel non adiutus.

Matth. 27, 46.

Psal. 141, 5.

Sed mortuus & sepulturæ tradendus magnus noster Princeps, suaui quadam vi omnia ad se traxit. Mirabile illud est, quod quidam rerum naturalium inuestigatores scribunt de quodam genere magnetis, quod non quidem ferrum, sed homines ipsos maria transfretantes, ad se occulta vi trahit, sibique coniungit: at multò mirabilius est, quod de Christo angulari lapide & monte virtutum super omnes colles exaltato; & ipse dixit, & fide didicimus, ipsum non homines modò, sed Angelos, omnes creaturas & creatorem ipsum diuina virtute traxisse. *Omnia traham* ad meum funus celebrandum.

Berchor. lib 10 c. 94 Reduct. Moral. ex Alberto M. 2. Mineral. cap. 11. *Magnes homines trahens.*

Traxit cælum & terram, quando sol obscuratus est, terra mota est, & petræ scissæ sunt: traxit cælum & terram, id est, cæli & terræ incolas: traxit Æternum Patrem, qui venit; vt in manus suas spiritum Filij sui reciperet: traxit Spiritum sanctum, vt templum in morte destructum excitaret, & gloria donaret, quia est cum Patre: traxit seipsum à morte ad vitam: qui enim per incarnationem descendit de cælo, per mortem in cælum ascendit. Quis enim *ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, Filius hominis, qui est in cælo*, Ioan. 3, 13. Traxit Angelos: qui, vt pij quidam contemplantur, quemadmodum in eius Natiuitate lætitiæ carmina cecinerunt, *Gloria in altissimis Deo*, &c. ita iidem in eius morte & funere in assumptis corporibus flentes lugubria promebant: tunc illud Isaiæ 33, 7. adimpletum, *Angeli pacis amarè flebant*; & quod apud Iob 30, 31. *Versa est in luctum cithara mea, & organum meum in vocem flentium.* Et sanctissima Dei Mater dixit ad S. Birgittam, vt in eius Reuelat. lib. 1.

Luc. 2, 14.

cap. 21. habetur, in hunc modum: *Etiam multi Angeli ſancti quaſi atomi ſolis adfuerunt, obſequium exhibentes Creatori ſuo.*

Traxit terram; quia in ea habitantes, iuſtos & peccatores; hos quidem, quia & latronem bonum, qui cum malo priùs Chriſto conuitiatus fuerat, Matthæo 27, 44. dicente: *Et latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei.* Hunc ad ſe traxit Chriſtus, ex maledicto factus Chriſti patronus, confeſſor & protector in tribulationibus. Traxit Centurionem cum militibus ſuis. *Centurio autem, & qui cum eo erant, cuſtodientes Ieſum, viſo terræ motu & his quæ fiebant, timuerunt valdè, dicentes: Verè Filius Dei erat iſte*, ait idem Matthæus: quibus addit Lucas 23, 48. *Et omnis turba eorum, qui ſimul aderant ad ſpectaculum iſtud, & videbant quæ fiebant, percutientes pectora ſua reuertebantur.* & illos poſteà traxit, licet aliter, qui eius Sepulchrum cuſtodierunt: traxit illos, iuſtos dico viros & mulieres. Omitto ſanctam Dei Genitricem, quam ad officia pietatis exhibenda Filio ſuo tractam fuiſſe, ſtatim oſtendemus: & ad eadem traxit Apoſtolos, diſcipulos & ſanctas feminas. dixit enim Lucas 23, 49. quòd in morte Chriſti *ſtabant omnes noti eius à longè, & mulieres quæ ſecutæ eum erant à Galilæa, hæc videntes.* Quænam verò fuerint iſtæ mulieres, explicuerunt Matthæus & Marcus: *Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Ioſeph mater, & mater filiorum Zebedæi.* Inter viros verò, præter Ioannem, ſi credimus Anſelmo l. de Paſs. adſtitit D. Petrus, & Iacobus frater Domini. Inter illos adſtitiſſe & Ioſephum ab Arimathæa, & Nicodemum, cum aliis, qui cum eis venerunt ad deponendum Dominicum corpus de cruce, vt probabiliſſimum quidam arbitrantur; quemadmodum certiſſimum & de fide eſt, hos Chriſti funeri interfuiſſe: etenim de Nicodemo teſtimonium perhibet Ioannes, de Ioſepho ceteri tres Euangeliſtæ.

Matth. 27, 54.

Matth. 27, 56. Marc. 15, 40.

Patres illuſtre ob comitantium excellentiam.

Sed quoniam, ex comitantibus corpus Chriſti & aſſiſtentibus illius funeri diximus petendam eſſe gloriam Dominici Sepulchri, oportet illos præſtantiſſimos fuiſſe: & ita ſanè, cùm aliàs conſtet de excellentiâ Matris Dei, Apoſtolorum & diſcipularum Chriſti, iuuat paucis explicare, quinam fuerint duo iſti poſteriores præcipui Chriſti ſepultores, Ioſephus & Nicodemus.

Ioſeph ab Arimathæa quis.

Ioſephus, teſte D. Matthæo, erat homo diues, Ieſu diſcipulus; ſecundùm Marcum, *nobilis Decurio, qui & ipſe erat expectans regnum Dei.* Lucas fuſiùs eius dignitatem explicatam reliquit: *Et ecce*, inquit, *vir nomine Ioſeph, qui erat Decurio*, id eſt Conſul, ſiue Senator, vt explicant interpretes, *vir bonus & iuſtus: hic non conſenſerat conſilio & actibus eorum, ab Arimathæa ciuitate Iudæa, qui expectabat & ipſe regnum Dei.* Ioannes *diſcipulum Chriſti* vocat, *occultum autem propter metum Iudæorum*, Chryſoſtomus Hom. 37. in Ioannem, *nobiliſſimum* appellat.

Matth. 27, 57. Marc. 15, 43. Luc. 23, 50.

Ioan. 19, 38.

Nicodemus, qui Ioſepho aſſociatus fuit in Chriſti funere, cuius ſolus Ioannes inter Euangeliſtas meminit, erat Phariſæus, legis peritus, & magiſter in Iſraël, qui venit ad Ieſum nocte, cum quo de hominis renaſcentia diſputauit, Ioan. 3. cuius & patrocinium ſuſcepit in concilio Phariſæorum, inſignis Gamalielis nepos, atque, vt refert auctor Supplementi Chronic. anno Chriſti 31. Phariſæorum ſectæ Princeps; cuius ſanctitatem, Mallonio referente in Sindon, cap. 1. eius auus Gamaliel miro deſcripſit emblemate, dicens, *Nicodemum fuiſſe velut aureum caniſtrum candidis roſis plenum.* Dicamus, tam Nicodemum quàm Ioſephum fuiſſe diuites, iuſtos, probatæ vitæ coram Deo & omni populo, omnibus denique numeris abſolutos viros.

Nicodemus quis fuit.

Igitur præſtantiſſimi iſti viri, viſis quæ facta fuerant circa eorum magiſtrum, dolentes maximè, quòd metu humano Iudæorum non ſe prodiderint illius diſcipulos, & vt diſcipuli magiſtri patrocinium non ſuſceperint, reſiſtendo calumniis Iudæorum, Chriſtumque à morte pro viribus liberando, interiùs & exteriùs excitati: interiùs fide, *per quam*, vt dixit Apoſtolus Heb. 11, 33. *Sancti vicerunt regna, operati ſunt iuſtitiam:* exteriùs à corpore & ſanguine Saluatoris, ex quo virtus mirabilis exiit, qua eorum incredulitas ablata fuit, & reſtituta charitas, vt audaces & feruidi ad impendendum charitatis officia exanimi corpori ſe præbuerint.

Vel, vt opinatur Metaphraſtes 15. Aug. Ioſeph hortatu Deiparæ grande & arduum opus aggreſſus, omni excuſſa formidine, Chriſtiana indutus fortitudine, *Et ecce*, inquit Lucas illam miratus, *audacter*, ait Marcus, *introiuit ad Pilatum, & petiit corpus Ieſu. Petiit*, quia damnatorum corpora tolli non poterant ſine licentia magiſtratus qui damnauit.

Luc. 23, 50. Marc. 15, 43.

Intelligens Pilatus Ieſum eſſe mortuum, corpus petitum donauit. Ioſephus mercatus ſindonem, in qua inuolueret corpus Ieſu, & Nicodemus ferens mixturam myrrhæ & aloës, quaſi libras centum, qua condiretur corpus ſanctum, cum miniſtris, ferreis inſtrumentis, & aliis ad intentum opus pro dignitate exequendum, ad veſperam illius diei; *erat* enim *paraſceues, & ſabbatum illuceſce-*

Digitized by Google

illucescebat, inquit Lucas 23,54. proficiscuntur ad sanctum Caluariæ montem: Christo in terram prouoluti adorato, Virgine; quæ cruci adstabat, salutata, ad opus se accingunt; & Ioanne, Magdalena, & ipsamet Virgine auxiliantibus, diuinum illud pignus de cruce deposuerunt.

Lege Carthaginam Tom. 2. de Virgine lib. 12. Homil. 10.

Et quamuis non me lateat, quantum ad modum depositionis, quosdam non improbabiliter dicere; demissam fuisse in terram crucem, & ex ea extractis clauis corpus Dominicum fuisse depositum; sed sequentem alium communiorem, quem beata Virgo reuelauit S. Birgittæ, iubet hic adscribere:

Birgitta 2. lib. Reuel.

Hi duo, dixit, *Nicodemus & Ioseph, qui Filium meum deponebant de cruce tres applicabant scalas: vna protendebatur ad pedes, secunda subtus ascellas, & ad brachia, tertia ad medietatem corporis:* quem de cruce depositum in brachus recepit sanctissima Virgo, vt Tragœd. de Christo patiente tradit Gregorius Nazianzenus cum aliis; quem, extensis brachiis, in linteo, vt probabile creditur, deuotè expectabat. Quo accepto & deosculato, dolore plena, lacrymis perfusa, tradidit cum linteo sanctis illis viris, vt alia pietatis opera circa ipsum prosequerentur. Quem vt olim Simeon senex accepit in vlnas vt benediceret; ita isti, vt honorificè sepelirent, receperunt. Sacrum itaque corpus reuerenter detulerunt inferiùs ad quemdam locum in radice montis, non dissitum à loco crucifixionis & mortis, vt ibi eum vngerent, comitantibus Angelis, hominibus & mulieribus; ideò optimè Metaphrastes vbi sup. *Dicunt hi qui de his rebus tractarunt, Deiparam ab initio vsque ad finem se fortiter atque constanter gessisse, honestè quidem, & non indecorè vtentem motu animi, factis etiam ostendens se esse Matrem, sed Matrem omnino illius qui motum animi certis finibus continuit; mortuumq; videns Filium, eo motu animi vsa est vt oportuit: quin etiam in eo de cruce deponendo maternis manibus inseruiit, & clauos, qui extrahebantur, in sinu suo accepit; & membra illius amplexa est, partim quidem suis lacrymis plagas emundans. deinde tota toti corpori circumfusa: Ecce tibi ab omni seculo præfinitum mysterium ad finem vsque venit, ô Domine, placida voce dicit: & Iosepho in manus tradens sudarium, Hoc eum honestè corpus myrrha condias, & ei iusta facias.* Hactenus ille. Prosequamur cetera, ex quibus dicta ampliùs elucescent.

Christum à cruce depositum brachijs suis Deipara excepit.

§. II.

De actis circa Domini corpus de Cruce depositum priusquam sepulturæ traderetur.

CIrca Reparatoris nostri corpus de cruce depositum, vt in Sepulchro collocaretur, ea præstita fuerunt officia, quæ honestissimo ac Principi viro præstare permittebat Hebræis illius temporis conditio. Sciendum, apud Hebræos non semper eumdem morem obseruatum fuisse in pollinctura tradendis suorum defunctorum corporibus, sed duplicem, antiquiorem alterum, quo vtebantur antequam in Palæstina habitarent; alterum recentiorem, quem seruabant facti Terræ repromissionis incolæ. Prior & antiquior erat omnino similis mori ab Ægyptiis, inter quos versabantur, obseruari solito circa suorum humanda cadauera. Hic Ægyptiacus mos triplex erat, vt tradunt Dionysius Siculus libro 2. cap. 5. & Herodotus Halicarnasseus lib. 2. Primus, in quo argenti talentum insumebatur, cùm myrrham puram, casiam & alios odores, excepto thure, vnà cum vino Phœniceo adhibebant ad condituram. *Vbi ablauerunt*, inquit Herodotus, *sindone byssina incisis loris totum inuoluunt, gummi illinientes, quo Aegyptij glutino loco plerumque vtuntur.* Secunda conditura minoris sumptus, minarum scilicet viginti, fuit mediocrium, qui nitro vtebantur, quod carnes tabefacit, & vnguine cedrino: *Cui tanta vis ineſt*, inquit Plinius lib. 10. cap. 11. *vt in Aegypto corpora hominum defunctorum eo perfusa seruentur.* Tertius modus minimi sumptus, & infimorum è plebe, ablutionibus tantùm constabat & exsiccatione. Omnes porrò condituræ, præter exenterationem, dierum ampliùs triginta salituram requirebant; quæ ad dies vsque septuaginta etiam extendebatur, sed non vltra: & ita circa Iacob Patriarchæ corpus actum fuisse creditur: iubente enim filio suo Ioseph, aromatibus conditum est per quadraginta dies, deinde repositum in loculo in Ægypto.

Pollinctura duplex ritus apud Hebræos.

Arte illa condita & exsiccata corpora Ægyptij domi seruabant, & postea ad defunctorum loca deferebant. *Eo defuncto recepto*, cadauere condito, inquit Herodotus, *propinqui ligneam hominis effigiem faciunt, in qua mox inserunt mortuum, atque ita inclusum reponunt in loco sepulchrorum loculis dicato, & rectum statuunt ad parietem.*

Alter mos Iudæis Palæstinam incolentibus familiaris & minoris sumptus fuit, à priori-

priorique multùm diuersus, ex præcepto Gamalielis Senioris; cuius tam in Sacerdotibus quàm in populo potissima auctoritas erat: is cùm vidisset (referente Rabbi Iacob apud Baronium) excreuisse tantum apud Hebræos impensam funerum, vt eius magnitudine cognati perterriti, relicto cadauere aliquando se subducerent: eius sententia (quam vidit inuiolatè seruatam à posteris) factum est, vt non nisi lineis linteaminibus, iisque non magni pretij, corpora defunctorum obuoluerentur; in quo nullam voluit haberi rationem cuiusuis ordinis aut dignitatis, etiamsi regali effulgeret amplitudine; eoque modo seipsum sepeliri mandauit.

In Thotim Iora Degha cap. 352. Baron. an. 34. n. 136.

Idem Rabbi Iacob ex Rabbi Moyse Ægyptio clariùs ritum explicat, dicens, viros virorum, & feminas feminarum curare consueuisse cadauera in hunc modum: oculos in primis claudere defuncto, & ora stringere fascia; secundò, tondere capillos; tertiò, corpus lauare; quartò, ablutum vnguentis vngere; quinto, cadauer delibutum linteis obuoluere, sicque curatum in sepulchro ponere, vt explicabimus.

Christus more Hebræorum sepultus.

Et quoniam ritu fuit Reparatoris nostri corpus pollincturæ traditum, Ægyptiaco & veteri Hebræorum, an potiùs recentiori? dicendum, recentiori Hebræorum more, quia Hebræus ab Hebræis, legum & bonarum consuetudinum studiosis, & in præcipua Iudææ regione curatus, vt adducendus Euangelista Ioannes manifestè indicat; verùm illo omnino nobiliori, vt sepeliendi Christi dignitas, sepelientium conditio, & ipse Euangelista persuadent. Nec enim mihi satis rationi consonum videtur, opinari, omnium omnino Iudæorum corpora, diuitum & pauperum, Principum vel Sacerdotum, & communis vulgi æqualibus officiis tractata fuisse, sed cum aliquo discrimine; vt simplex pauperibus communibusque hominibus lotio sufficeret, diuites verò & præcipui etiam vnguenta adhiberent; quemadmodum antiquitus, tum apud Ægyptios cùm apud Hebræos obseruatum fuisse notauimus? nec facilè pro pauperibus inungendis ob inopiam aromata inueniri potuissent.

Nec obstat sancitum, vel consultum fuisse, vt in pollinctura nulla sepeliendorum ratio haberetur; quia id factum ad tollendos funerum abusus nimiosque sumptus: & in legum institutione rigiditas pro introductione & obseruantia exercetur, vt paulatim ad æquitatem redigantur; ac præterea, non absolutè interdictum, haud habendam ratione in pollinctura ordinis & dignitatis humandorum; sed prohibitus excessus & nimius sumptus. Et ratio dictat, cui prudens Gamaliel refragari non potuit: vnde vt Sacerdotes & Principes communè vulgum dignitate atque auctoritate excellunt; ita in funere eosdem superare conueniens est. Et sanè nostri Saluatoris corpus, vt summi Sacerdotis & Regis, à nobilibus, diuitibus atque sapientibus viris, Iosepho ab Arimathæa & Nicodemo, dilectis Christi discipulis, non ampliùs occultis, sed manifestis, eximio honore tractatum pro dignitate fuit, eaque præstita quæ Magistri expostulabat dignitas. Audi Ioannem: *Post hæc autem rogauit Pilatum Ioseph ab Arimathæa (eò quòd esset discipulus Iesu, occultus autem propter metum Iudæorum) vt tolleret corpus Iesu. Et permisit Pilatus. Venit ergo, & tulit corpus Iesu. Venit autẽ & Nicodemus, qui venerat ad Iesum nocte primùm, ferens mixturam myrrhæ & aloës, quasi libras centum. Acceperunt ergo corpus Iesu, & ligauerunt illud linteis cum aromatibus, sicut mos est Iudæis sepelire*, &c. sepelire inquam grandium cadauera magnificè, inquit sanctus Chrysostomus. Si enim idem mos fuisset circa omnes obseruatus, satis fuisset Euangelistæ dixisse, Iosephum & Nicodemum accepisse corpus Iesu, & sepelisse secundùm morem Iudæorum. Sed indicata explicemus, & ad intentum aptemus. Ioan. 19. 38.

Modus pollincturæ Christi explicatur.

Depositio de cruce sacro Christi corpore, è capiteque detracta spinea corona, sed relicto velo quo pudenda obtecta erant, in munda sindone, quam mercatus fuerat Ioseph, quæ vel strata fuit super tabulam ligneam, vel supra nudam extensa, positum fuit corpus Iesu, ac deinde à capitis vertice vsque ad pedes reiecta, ita vt ad decorem & reuerentiam totum corpus velaret; & in hunc modum accommodatum à monte Caluariæ detulerunt dilecti illi Christi discipuli non ad Sepulchrum, sed ad alterum non procul à Sepulchro locum, in quo omnia parata erant ad pollincturam necessaria: qui locus ab inuncto Christi corpore *Petra vnctionis* appellatur, vt superiùs de illo agentes diximus. Non perfecerunt verò circa Christi corpus quæ excogitauerant in ipso Caluariæ monte, quantum opinor, haud propter metum Iudæorum, propter quem anteà occulti erant discipuli, nam Sanguinis Christi virtus addidit illis charitatem, quæ foras mittit timorem, & ex occultis publicos manifestosque fecit discipulos; vnde Iosephus non timidè, sed *audaciter introiuit ad Pilatum, & petiit corpus Iesu*, & obtinuit; & emptis aromatibus adhæsit illi Nicodemus, & vnanimes, omni excusso timore, accesserunt ad Christum de cruce deponen- Marc. 15. 43.

nendum; sed inferiùs descenderunt, vt quietiùs, commodiùs atque honorificentiùs exequerentur circa dilécti Magistri corpus debita pietatis officia; vt posteà in Sepulchro poneretur.

Oculi Christi à Matre clausi.

Igitur de primo in nostri Principis pollinctura obseruando, oculos videlicet defuncto claudere, vnaque maxillam inferiorem, quæ sola mobilis est, ne hiaret stringere, tenui fascia ad verticem alligata (vnde de Lazaro dicitur, quòd *facies illius sudario erat ligata*) à beatissima Virgine Matre id muneris præstitum creditur; quia tale officium à matribus olim filiis exhiberi solitum fuit. Polynices ad matrem apud Euripidem in Phœniss.

Ioan. 11, 44.

Iam claude mihi palpebras manu tua mater.

Et extant querelæ matris Eurialæ apud Maronem, quòd filius ea muneris parte caruisset:

9. Æneid.

——— *Nec te tua funerâ mater*
Produxi, presſive oculos, aut vulnera lavi.

Et sancta Birgitta lib. 4. suarum Reuelationum in persona Virginis ita docet: *Corpus eius de cruce depositum contingere potui, & vulnera explorare, & extergere sanguinem; deinde os eius digiti mei clauserunt, & oculos pariter composui, brachia verò rigentia flectere non potui, vt se supra pectus componerent, sed super ventrem.*

An verò hoc officium præstiterit sancta Deipara inferiùs, vbi alia præstanda erant, an potiùs superiùs in monte, statim ac fuit de cruce depositum sacrum corpus, est incompertum: hoc tamen mihi probabilius, vt alia inferiùs præstitisse ratio persuadet.

Christum inuncsum sepultum.

De secundo, capillorum videlicet incisione: ab ea abstinebant Iudæi in damnatis ad mortem, vt notauit citatus Baronius, *quòd maledictioni legis obnoxij essent*; ideò capite intonso sepultus fuit Saluator, quòd à perfidis illis sententiam esset passus: & ita illius in sindonibus ab ipso relicta indicat imago.

Corpus Christi ablutum.

De tertio, id est, corporis ablutione: hæc vulgaris fuit apud priscos, vt non sit de illa dubitandi ratio; ad maiorem tamen euidentiam, vnum & alterum profero exemplum. De Dorcade discipula, Thabita nomine, quam apud Ioppen à mortuis excitauit Apostolus Petrus, dixit S. Lucas: *Quam cùm lauissent, posuerunt eam in cœnaculo*, Act. 9, 37. Simile officium præstitum fuisse exanimi corpori sanctissimæ Virginis Deiparæ, hisce verbis testatur sanctus Ioannes Damascenus Orat. de Dormitione Deiparæ Virginis: *Sed neque aqua natura erat expers benedictionis: lauatur enim aqua pura, quæ non eam mundabat, imò verò ipsa sanctificabatur.*

Hoc ipsum officium præstitum fuisse Christi corpori præter consuetudinem, & quòd fuerit inunctum, indicat etiam sanctus Ioannes Chrysostomus in cap. 19. Ioan. Homil. 84. Tom. 3. ita dicens: *Mihi videtur nobilissimum fuisse Ioseph: quod ex Sepulchro constat; & Pilato erat notus: quare impetrauit, & sepeliuit Iesum non vt reum, sed magnificè, secundùm Iudæorum consuetudinem, tamquam magnum aliquem & admirabilem. Cùm autem tempore vrgerentur; nona enim hora mortuus erat: & dum peteret eum à Pilato, & dum lauarent, iam vespera aduentarat*, &c. Alluſit eódem Epiphanius Homilia de Sepultura Domini, vbi Iosephum ab Arimathæa hunc in modum alloquitur: *Anne aqua Dei illius corpus abluit, qui omnes à peccatis ablnit & expiauit, omnibusq; puritatem tribuit?* idem ex recentioribus docet Salmeron Tom. 10. vbi de Sepultura Christi; & Lorinus in Act. 9. ait: *Fertur, Balduinum Ierosolymorum Regem ad Flandros suos ex Palæstina misisse pretiosas ac mundas sordes, ex abluto corpore mortui Christi existentes, per Abbatem sancti Bertini.* Ex Chrysostomo & Epiphanio habemus, Iosephum & Nicodemum lauisse Dominicum corpus. Et ratio persuadet; nam, vt ex antè citatis Rabbinis prodidit Baronius, viri virorum, & feminæ feminarum consueuerunt curare cadauera: quare cùm præstantes illi viri curam sumpserint corporis Christi honorificè humandi, idem lauare debuerunt.

Aquâ, quâ ablutum fuit corpus Christi, ad Flandros delata.

Cùm sanctus Germanus & Metaphrastes scribunt, B. Virginem Deiparam lacrymis plagas emundasse, indicare voluerunt eximium Virginis dólorem, & copiam lacrymarum quas fudit supra dilectum Filium, & non quòd ipsum lauerit, vt Sepulturæ daretur: verùm quòd & ipsa iuuerit, mihi satis probabile videtur, materno amore considerato.

S. Germanus in suo Theoriæ fragmento. 15. Augusti.

De quarto. Post lotionem secuta est vnctio siue conditura; in qua aliter Ægyptij aliter Iudæi: illi corpore exenterato, & cerebro per nares extracto, intrinsecus condimenta adhibere soliti, vt est apud Herodotum; hi verò, Iudæi inquam, aromata & vnguenta exteriùs applicabant. & isto modo fuit corpus Christi inunctum. Prædixerat Christus, cùm Maria, accepta vnguenti pistici pretiosi libra, vnxisset pedes eius, dicens: *Sinite illam, vt in diem sepulturæ meæ seruet illud*, Ioan. 12, 7. & ipsa aliæque piæ feminæ ad hanc *emerunt aromata, vt venientes vngerent Iesum*, Marc. 16, 1. Et quod istæ non perfecerunt, egregiè præstiterunt Ioseph & Nicodemus, vt indicauit Ioannes 19, 39. dicens, Nicodemum detu-

Corpus Christi inunctum.

lisse

liſſe myrrhæ & aloës quaſi libras centum. Conſidera qualitatem ac multitudinem vnguenti, quæ belle indicant nobilem diuinamq́ue noſtri Principis conditionem. Suffeciſſet profectò minoris pretij vnguentũ & alterius conditionis ad quodlibet aliud inungendum corpus; ſed quia ex prodigiis quæ in Chriſti morte acciderunt, clare verum naturalemq́ue Dei Filium cognouerunt, vt bonus Latro & Centurio ore confeſſi fuerunt, iſti operibus talem demonſtrauerunt: etenim ex myrrha thymiama conficiebatur aliis concurrentibus, & ſolum Deo adolebatur, vt in Exodo habetur: & in Dei muneribus neque metas ponere neq; auari eſſe debemus; ſed ſunt omnia noſtra in illius obſequium expendenda: igitur ex conditione & copia vnguenti, quod ex myrrha & aloë quaſi libræ centum, in quod totum ſacrum corpus immerſum fuit, indicauerunt, Chriſtum non eſſe pũrum & communem hominem & Prophetam, ſed plus quàm Prophetam, & hominem ſimul & Deum, qui de cælo deſcendit, cui talia officia debebantur.

Quintò, delibutum cadauer inuoluebatur linteis: quæ pars ritus contineri videtur illo Eccleſiaſtici præcepto: *Fili, in mortuum produc lacrymas, & quaſi dira paſſus, incipe plorare, & ſecundùm iudicium contege corpus illius, & non deſpicias ſepulturam illius; & fac luctum ſecundùm meritum eius.* Illa verba, *ſecundùm iudicium contege corpus*, explico, iuxta morem funebrem obuolue linteis. Linteamina adhiberi ſolita in cadaueribus Hebræorum, ſuſcitatus à Chriſto Lazarus demonſtrauit; & iſto ritu ſecundùm Iudæorum conſuetudinem fuit Chriſti corpus poſt conditũram inuolutum, vt ante adducta Ioannis verba oſtendunt alij etiam Euangeliſtæ: Matthæus 27, 59. *Et accepto corpore, Ioſeph inuoluit illud in ſindone munda*, &c. Marcus 15, 46. *Ioſeph autem mercatus ſindonem, & deponens eum inuoluit ſindone*, &c. Lucas 23, 53. *Et depoſitum inuoluit ſindone*, &c. & idipſum poſtea indicant de Chriſti Reſurrectione, vt inferiùs nos ampliùs explicabimus.

Ecclı. 38, 16.

Et plura fuerunt abſque dubio linteamina quibus fuit ſacrum corpus inuolutum; vnde & in plurali, & diuerſis nominibus appellantur ab Euangeliſtis, vt poſteà videbimus; ſed quot fuerint, quomodoq́ue in eis Chriſti corpus inuolutum, non eſt adeò manifeſtum. Hoc certum, fuiſſe ſindonem, hoc eſt vnum aut plura linteamina, quæ totum corpus à capitis vertice ad pedes vſque obtegerent; ac deinde inſtitas, quibus linteamina, ne delaberentur, ſtringebantur: & decentia & honeſtas id exigebat; nec enim commodè atque honeſtè ſolis inſtitis vel ſola ſindone velari poterat corpus. Adde, quòd pleræque Gentes, ac nominatim Ægyptij, Herodoto teſte, totum cadauer ſindone ac linteis omni ex parte conueſtiebant: & idipſum præſtitiſſe Iudæos cum Ægyptiis diu verſatos, non eſt ambigendum; præſertim quòd inſtitæ excogitatæ potiùs videantur ad linteamina totum corpus obtegentia coërcenda, quàm ad corpus ipſum operiendum.

Poſſumus verò ita fuiſſe præſtitum opinari: corpus Seruatoris fuiſſe ſindone inuolutum, & faſciis ligatum, in eum modum quo paruuli faſciantur infantes, cum hoc diſcrimine, quòd non fuit relictum apertum caput, vt ſolet paruulis relinqui, ſed totum cum corpore velatum, ita vt nulla illius pars nuda appareret. Et hoc potuit fieri tripliciter. Primò, quòd vnica appoſita fuerit ſindon ſupra ſupinum Chriſti corpus longa & lata adeò, vt potuerit totum illud operire, ipſam ducendo à capite ad pedes vſque, ac deinde ex lateribus ſuppoſita, ita vt nedum ſuperiorem ſed etiam inferiorem operuerit corporis partem. Secundò, quòd accepta fuerit longior ſindon, & vna illius pars ſtrata extenſaq́ue vel humi vel in præparata lignea tabula, vt anteà dictum; ac deinde, quòd appoſitum fuerit ſudarium ſupra caput, & illud forte, de quo nunc dictum eſt, anteriori parti corporis appoſitum; poſteà altera oblongæ ſindonis pars à capite ad calces vſque reiecta, totoq́ue corpori accommodata. Vel tertiò, quòd ſola oblonga ſindon, abſque illo alio ſudario totum corpus tegente, aptata fuerit corpori, vel ſimul breuius ſudarium capiti admotum, ac deinde faſciis à capite vſque ad pedes ligatum, ſicut in Lazaro factum fuiſſe indicauit Ioannes; & ita ſacratiſſimum illud corpus honorificentiſſimè accommodatum à ſanctis illis ac nobilibus pollinctoribus, Ioſepho & Nicodemo, aliis etiam inſeruientibus ac comitantibus, Maria matre, Ioanne diſcipulo, dilecta Magdalena, cum aliis Chriſti amicis, delatum fuit ad nouum ei præparatum Sepulchrum in rupe exciſum, & introductum in capellulam, & in ſarcophago in eadem exciſo honorificè ac reuerenter collocatum. & hæc mihi videntur indicare verba ſancti Ioannis antè relata. Quomodo verò illatum fuerit, capite an pedibus præmiſſis, & in ſarcophago repoſitum, mihi eſt incõpertum; creditur tamen communiter, quòd capite ad Orientem verſo. Alia pro maiori dictorum intelligentia

Chriſtus quomodo ſua linteamina inuolutum.

dein-

deinceps explicabimus. Sed priùs clarè atque ad oculum contemplare conditionem funeris Seruatoris nostri, & antiquam eiusdem Sepulchri formam, quoquo modo in sequenti imagine delineatam.

Acceperunt corpus Iesv, et ligauerunt illud linteis cum aromatibus, sicut mos est Iudæis sepelire. Ioan. 19.

§. III.

De variis linteaminibus, quibus sacratissimum Seruatoris nostri corpus de cruce depositum, inuolutum & sepulturæ mandatum fuit; quibusque in Sepulchro relictis, gloriosus resurrexit.

VAria sudaria circa defunctum Christi corpus à suis dilectis discipulis adhibita fuere, tum vt de cruce honorificè deponeretur, tum vt honestè ac reuerenter in Sepulchrum inferretur; quæ etiam peculiaribus nominibus appellata fuere, sindones ac sudaria. Ergo vti anteà de sacris sudariis viuenti Saluatori adhibitis, & sacræ faciei suæ imagine condecoratis, de Abagari, Veronicæ ac montis Oliueti sudariis Lib. IV. egimus, & Libro hoc de velo, quo sacræ illius coxæ fuerunt in cruce obtectæ; rationi consonum est, vt de sudariis vel linteis circa idem Saluatoris extinctum corpus, vt sepulturæ traderetur, mentionem faciamus, præsertim cùm de eiusdem sepultura, vt par est, pluribus agamus. Sed præmittendum priùs, quòd quamuis geminæ istæ voces, *sindon* & *sudarium*, strictè consideratæ diuersas habeant significationes, tamen promiscuè accipiuntur ab Euangelistis & aliis Scriptoribus de Christi sepultura agentibus; quæ etiam communi vocabulo nominant linteamina, quia ex lino contexta fuerunt; & nos de his agentes in promiscua & communi significatione illa accipiemus: & hìc proponemus primò, quæ de his sacri Euangelistæ, secundò, quæ alij de superstitibus sudariis dixerunt.

Plura linteamina absque dubio adhibita fuere in Christi funere, vt ex modo loquendi Euangelistarum, ex eisdem quæ etiamnum in diuersis locis honorificè asseruantur à Christi fidelibus, & ex ipsa ratione edocemur. Euangelistæ ita loquuntur; Matthæus in primis, dum dicit: *Cùm autem serò factum esset, venit quidam homo diues ab Arimathæa, nomine Ioseph, qui & ipse discipulus erat Iesu. hic accessit ad Pilatum, & petiit corpus Iesu. Tunc Pilatus iussit reddi corpus. Et accepto corpore, Ioseph inuoluit illud in sindone munda, & posuit illud in monumento suo nouo*, &c. Marcus verò sic habet: *Ioseph autem mercatus sindonem, & deponèns eum inuoluit sindone, & posuit eum in monumento*, &c. Lucas de eodem Iosepho loquens inquit: *Et depositum corpus Iesu* Matth. 27. 57. Marc. 15. 46. Luc. 23. 53.

Iesu inuoluit sindone, & posuit eum in monumento excisso, in quo nondum quisquam positus fuerat. Ioannes verò de Ioseph & Nicodemo in hunc modum loquitur: *Acceperunt corpus Iesu, & liguerunt illud linteis cum aromatibus, sicut mos est Iudæis sepelire.* Probabile mihi, tres priores Euangelistas sindonis appellatione significare voluisse lintea omnia circa corpus Christi de cruce depositum adhibita, etsi partem præcipuam dumtaxat expresserint: quod clariùs Ioannes, qui communi *linteorum* vocabulo ac more Iudæorum adducto, etiam institas indicauit: nam huiusce modi ad sudaria circumliganda necessarias, cum ratione suprà indicauimus: & fuisse præter sindonem, institas, siue fascias, in vsu in funeribus Hebræorum, ex resuscitato Lazaro indicauit idem Ioannes, dicens: *Et statim prodiit qui fuerat mortuus, ligatus pedes & manus institis, & facies illius sudario erat ligata.* & easdem fuisse in Christi pollinctura adhibitas, verbo illo *liguerunt* significauit idem Ioannes. Ergo cùm more Hebræorum fuerit Christi corpus sepulturæ mandatum, præter sudarium, etiam institæ adhibitæ fuerunt, & consequenter plura linteamina.

Ioan. 19, 40.

Ioan. 11, 44.

Sed adhuc manifestius idem Ioannes hoc ipsum indicauit, loquens de Petri & suo ad monumentum accessu post Christi Resurrectionem, relictis in Sepulchro lin-
Ioan. 20, 3. teis, dum ait: *Exiit ergo Petrus, & ille alius discipulus, de se loquitur, & venerunt ad monumentum. Currebant autem duo simul, & ille alius discipulus præcucurrit citiùs Petro, & venit primus ad monumentum. Et cùm se inclinasset, vidit posita linteamina, non tamen introiuit. Venit ergo Simon Petrus sequens eum, & introiuit in monumentum, & vidit linteamina posita, & sudarium, quod fuerat super caput eius, non cum linteaminibus positum, sed separatim inuolutum in vnum locum. Tunc ergo introiuit & ille discipulus, qui venerat primus ad monumentum: & vidit, & credidit.* Ecce quomodo plura fuerunt velamina, quibus obtectum fuit Christi corpus: sudarium videlicet, quod positum fuerat super caput, & alia linteamina. Quid verò per hæc intelligat Ioannes, num aliam sindonem, vt illam cum qua fuit corpus de cruce depositum, vel velùm aliud institáve, non omnino compertum arbitror: ex dicendis nihilominùs ex parte difficultas enucleabitur. De his omnibus credo locutum fuisse Lu-
Luc. 24, 12. cam, dum indeterminatè dixit: *Petrus autem surgens cucurrit ad monumentum: & procumbens vidit linteamina sola posita, & abiit secum mirans quod factum fuerat.*

Et obiectioni quæ fieri posset, quòd vnius dumtaxat sindonis à Iosepho emptæ meminerunt tres priores Euangelistæ, sanctus Augustinus lib. 3. de Consentu Euang. c. 23. hisce verbis respondet: *Neque hîc aliquid repugnat rectè intelligentibus: neque enim illi* (Matthæus, Marcus & Lucas) *qui de Nicodemo tacuerunt, affirmauerunt à solo Ioseph Dominum sepultum, quamuis solius commemorationem fecerint; aut quia illi vna sindone à Ioseph inuolutum dixerunt, propterèà prohibuerunt intelligi, & alia lintea potuisse adferri à Nicodemo & superaddi; vt verum narraret Ioannes, quòd non vno lintee, sed linteis inuolutus sit: quamuis & propter sudarium, quod capiti adhibebatur, & institas, quibus totum corpus alligatum est, quia omnia de lino erant, etiamsi vna sindon ibi fuit, verissimè dici potuit, liguerunt eum linteis. Lintea quippe generaliter dicuntur, quæ lino texuntur.* Hæc S. Augustinus pro linteorum pluralitate.

Posset etiam addi, Iosephum ipsum necessaria linteamina attulisse, & tres Euangelistas priores vsos fuisse numero singulari pro plurali, vt aliàs sæpè fieri consueuit in sacris & profanis litteris (quæ vt verè plura erant, post illos numerò multitudinis expressit Ioannes) vel vnum ex illis sanctam Deiparam exhibuisse. Non est tamen vsquequaque exploratum, quot numero fuerint sudaria corpori Seruatoris adhibita; vel quando exceptum fuit, de cruce depositum; vel quando ablatum, & vnguentis delibutum, fuit inuolutum, & sepulturæ mandatum. Hoc mihi tamen compertum videtur, sindonem vnam fuisse, in qua exceptum fuit corpus Christi, quando de cruce depositum; item, in qua inuolutum fuit sepulturæ tradendum, eadem vel altera; item sudarium positum super caput: & hæc quidem videntur indicare Euangelistæ & citatus Augustinus.

De sudario verò capitis hæc addo ex venerabili Beda: *Sudarium capitis Domini, post Resurrectionem eius, mox Christianissimus quidam Iudæus furatus, vsque ad obitum diuitiis sibi affluentibus habuit: qui moriturus interrogat filios, qui Domini sudarium, qui ceteras patris velit accipere diuitias. Maior thesauros rerum, minor elegit sudarium: & mox illi decrescunt opes vsque ad paupertatem; fratri autem cum fide crescunt & opes: quod vsque ad quintam generationem fideles tenuere. Hinc ad impios perueniens, diuitias tantum auxit vt Iudæis, & hoc multo tempore, donec post longa lustra, quibus Christiani Iudæi se Christi, infideles verò se patrum suorum affirmabant heredes; Mauuias Saracenorum Rex, qui nostra ætate fuit,*

index

Digitized by Google

iudex poſtulatur: qui, accenſa grandi pyra, Chriſtum Iudicem precatur, qui hoc pro ſuorum ſalute ſuper caput habere dignatus eſt. Miſſum ergo in ignem ſudarium, veloci raptu effugiens euolat, & ſummo in aëre diutiſſimè quaſi ludendo volitans; ad vltimum, cunctis vtrimque intuentibus, ſeſe leniter in cuiuſdam de Chriſtiana plebe ſinum depoſuit: quod manè mox totus populus ſumma veneratione ſalutabat, & oſculabatur. Habebat autem longitudinis pedes octo. Hæc Beda.

De faſciis verò, quibus Chriſti corpus linteis inuolutum à capite ad pedes vſque circumligatum fuit, præter dicta hæc accipe. Nonnus Poëta Græcus de Chriſto Domino:

Tenuibus linteis circumdederunt mortui corpus,
Multiplici circumuolutionum fragrante vinculo,
Vt mos eſt Iudæis ſepulchrales ritus ſeruare.

Nicephorus etiam Calliſtus l. 14. cap. 2. tradit, Pulcheriam Auguſtam faſcias illas Chriſti Domini, quas reſurgens reliquit in monumento, ſedulò à fidelibus conſeruatas collocaſſe vnà cum tumulo Domini (aliquam inquam partem, nam ipſum Dominicum monumentum ſolo hærens adhuc Ieroſolymis religiosè cuſtoditur & inuiſitur, vt anteà oſtenſum fuit) in templo Sapientiæ à ſe extructo. ſic enim habet: *Pulcheriæ opus eſt factum Dei Genitricu templum, quod Blacherne dicitur; dignum illa ipſa Verbi Matre, quod inhabitaret, indicatum domicilium; ſicuti Filio eius, quod Sapientia vocatur: cuius diuinum tumulum, & ſepulchrales faſcias inuentas, tùm veneratione maxima ibi repoſuit.* Ita Nicephorus. Præter dicta ſudaria, quæ vel integra, vel pro maiori parte in aliquibus locis aſſeruantur, etiam aliquæ eorumdem particulæ, vel ipſorum ectypa miraculosè, vel naturaliter efformata, in diuerſis aliis mundi partibus, ad quas religioſo cultu ſunt delata, veneration habentur, vt notauit P. Gretſerus: & ex hoc de facili dilui poſſunt difficultates quæ moueri poſſent & hæreticorum calumniæ, quòd Catholici plura quàm verè fuerint ſudaria venerentur. Quamobrem non mirum, inquit Tom. 1. l. 1. c. 85. ſi pluribus in locis plura inueniri dicantur, cùm reuera plura fuerint. & hæc non omnia eiuſdem conditionis: alia enim ſunt pura & candida, alia imagine Chriſti Domini inſignita miraculosè vel artificiosè. Et huiuſmodi ſacra pignora & lypſana, inquit citatus Gretſerus, ex imitatione aucta, & ex prototypo ſæpiùs expreſſa, occaſionem dediſſe poſteris, vt ſibi perſuaderent, ſe verum exemplar poſſidere; cùm non niſi imaginem ex primo ſudario vel ſindone effigiatam haberent: qui error omni culpa caret, cùm & in primis illis, & in his quæ ad imitationem illorum adumbrata ſunt, vnus Deus Redemptor noſter honoretur.

§. IV.

De variis linteis & ſudariis corpori Reparatoris noſtri poſt illius mortem adhibitis in ſpecie ac nominatim diſſeritur.

DE ſacris Saluatoris noſtri ſudariis ac linteis plures ex profeſſo ſcripſerunt auctores; & inter alios Paleotus, Michaël Mallonius in Sindonem Paleoti, Pingonius, & nouiſſimè, quòd ſciam, Io. Iacobus Chiffletius in ſua Criſi hiſtorica. Qui omnes indicant, illa multiplicia fuiſſe: & alia quidem effigie Saluatoris condecorata, alia non item; & ex illis quædam diuinitus contactu ſacri corporis, alia ex linteorum ad illa applicatione, vel penicillo arte pictoris delineata, vt iam indicauimus. Et nos aliqua ex accuratè collectis à Chiffletio hîc ſubijciemus, cum difficultate quæ exoritur circa ſindonem Taurinenſem & ſudarium Veſontinum. Lintea primigenia, quæ Dominico corpori inſeruierunt, quatuor inuenio: primum eſt ſindon Taurinenſis; ſecundum, ſudarium Veſontinum; tertium, ſindon Compendienſis; quartum, ſudarium Moguntinum. Illa celebriora Chriſti imagine miraculosè notata, non ſimiliter alia.

Lintea Chriſti primigenia quatuor, Taurinenſe, Veſontinum, Compendienſe & Moguntinum.

Chiffletius cap. 30. tum aliorum labore, tum ſua adhibita diligentia, oſtendit, ſe ſtudiosè obſeruaſſe conditionem ſindonis Taurinenſis ſiue Allobrogicæ, & ſudarij Venſontini. Et antequam deſcriptionem illorum referat, duo præmittit Notabilia.

ALTERVM. Quæcumque dextra ſunt in ſacris linteis, ſiniſtra fuiſſe in Chriſti corpore; & viciſſim, hîc dextra, quæ illic ſiniſtra, planè vt in ſpeculis: ex quo non difficulter agnoſcas, qua parte ſudarium Veſontinum, alioquin anceps, & vtrimque ferè ex æquo tinctum, corpori Chriſti adhæſerit; nempe ex ea quæ vulnus lateris (dextri vtique, vt certa fert traditio) ad ſiniſtram exhibet. In qua quidem facie etſi minus rubeſcunt vulnera (quod mirere) quàm in oppoſita; diſtinctiora ſunt tamen corporis totius lineamenta: ſatisque appareat, ex ſacri panni textura geminaque facie, eam partem, quæ vulnus lateris ad ſiniſtram habet, quippe concinniorem ac ſpectabiliorem, ad ſacrum corpus fuiſſe applicitam. Sed quomodo, inquies, in auer-

ſa ſudarij parte luculentiora vulnera? aut quî id fieri vel potuit vel decuit? Decuit ſanè, vt vulnerum locus ac ratio in ea parte, non vt in ſpeculo, dextris in ſiniſtra mutatis, ſed ordine recto, tamquam in imagine appareret. Id verò etiam facilè fieri potuit, vt manans è vulneribus cruor, traiecto ſudario, in auerſa eius parte cumularetur conſideretque, vnde magè ſaturum ruborem oſtenderet.

ALTERVM NOTANDVM. Inquit, Taurinenſem ſindonem notatam fuiſſe ante pollinctura, ſudarium verò Veſontinum in Sepulchro: itaque refert illa Chriſti corpus cruentum, & recens à cruce refixum; hoc verò idem ipſum iam lotum ac perunctum, & in crypta compoſitum. Hinc nullo negotio diſcernes, quæ ſimilia in vtraque imagine, quæ diſſimilia. Veſontinum ſudarium longum eſt pedes octo, quatuor ferè latum; ſindon autem Taurinenſis, ex Paleoto, longitudinem habet pedum circiter duodecim, latitudinem trium: alij dicunt eſſe latam pedes minimùm quatuor, longam ferè tredecim: illud aduerſum tantum corpus exhibet, hæc etiam auerſum. Tam in hac quàm in illo ſpecto primò ſtaturam & ſymmetriam corporis Chriſti, poſteà ſitum eiuſdem & collocationem; ab hac, vulnera quinque præcipua, alias deinde minutiores cicatrices, & cruorem toto corpore ſparſum: hinc velum ad coxas, tum colorem, ſacræ denique picturæ rationem ac modum, ſueritne is naturalis, an ſupra naturam. Singula ſtrictim perſequor. Cap. 2.

Statura corporis Chriſti. Staturam corporis Chriſti, à vertice ad calcem vſque, in ſudario Veſontino reperi ſex pedum Geometricorum, tribus digitis minùs; ſeu, quod eódem recidit, quinque pedum & trium quartarum vnius pedis, (duodenûm enim digitorum, vt ſolet, pedem Mathematicum facio.) Hoc obſeruato, menſuras eaſdem applicui longitudini imaginis Taurinenſis, quam domi habebam, & parem omnino deprehendi, magno meo ſolatio: quippe ferebatur à quibuſdam malè monitis, longiorem eſſe Chriſti effigiem in ſudario Veſontino quàm in Allobrogica ſindone: cui, opinor, errori occaſionem dederat, quòd ſtatura Chriſti, à vertice ad calcem & imos talos in ſindone Taurinenſi accepta, longitudini Veſontinæ imaginis à vertice ad extremos vſque pedum digitos comparata fuerat, perperàm vtique; ſic enim longa eſt ſex pedes, & quinque digitos. Vera porrò longitudo vtriuſque imaginis, quæ à vertice incipiens ad calcem deſinit, vtrobique eſt omnino eadem; nempe, vt dixi, ſenûm pedum, tribus digitis minùs: quò recidit menſura Alphonſi Paleoti, qui corporis figuram in ſindone Taurinenſi impreſſam, in anteriore parte ad quinque pedum, in poſteriore ad quatuor pedum & vnciarum decem menſuram porrigi dicit: nam, vt benè notat ibidem Mallonius, vtitur Paleotus pede Bononienſi, duodecim conſtante vncijs, qui Mathematicum pedem duabus vncijs, hoc eſt, ſexta ſui parte, excedit. Nec abeſſe dicet ab his menſuris Nicephorum, cùm ſtaturam corporis Chriſti ſeptem palmorum fuiſſe dicit, qui ad maximam pro variis locis ac temporibus menſurarum varietatem attendet.

Præter ſtaturam, apparet in ſacris linteis tota Chriſti externa facies & conformatio corporis, ſi vnum colorem excipias. Latitudo humerorum vnius pedis, duorum digitorum ſeſqui: cæſaries prolixior, non admodum denſa, leniter ad criſpos declinans, & iuxta morem Nazaræorum in vertice diſcriminata: barba mediocriter promiſſa, & in medio bifurcata: frons plana & ſerena: naſus leni & modico tractu diffuſus; recta brachia & crura: omnia demum, quæ ſpecioſum forma præ filiis hominum deceant. nec aliena ab iis, quæ de Chriſti ſpecie ſcripta reliquit Nicephorus ac Lentulus, Romanus in Iudæa Præſes, apud Eutropium in Annalibus.

Situs in vtraque imagine eſt iacentis; vixque vllius momenti diſcrimen inuenio, niſi in manuum decuſſatione: nam etſi vtrobique ſiniſtra iconis manus, quæ dextræ Chriſti reſpondet, alteri ſuperpoſita eſt; tamen in Veſontino linteo carpus carpo inſiſtit, in Taurinenſi metacarpus metacarpo. Itaque in Veſontino conſpicua ſunt vtriuſque manus vulnera; in Taurinenſi, manus altera vulnus alterius tegit. Addiderim inſuper, quoad partium collocationem, diſſipatiores videri pedum articulos in Veſontina effigie: nimirum pedes anteà rigidos, lotiones ac largè affuſa vnguenta laxauerant. Crura item paulò diſtractiora à ſe inuicem apparent in Taurinenſi imagine quàm in Veſontina. Hæc quidem ex Chiffletio: poſt quæ & alia plura ſubdit; ſed tantùm pauca quæ ſequuntur ex eodem adiungo. Cap. 3.

Extra præcipuorum quinque Vulnerum cicatrices, nullæ apparent ſoluti continui notæ in ſudario Veſontino, præterquam in fronte, vbi diſtinguere eſt ſpinarum veſtigia aliquot ſatis confuſa. Taurinenſis autem ſindon, quippe quæ ſacroſanctum Chriſti corpus cruentum ante pollinctura excepit, & manantem è vulneribus ſanguinem, atque ad cutem concretum repræſentat; & minutiſſi-

minutiſſimas quaſque verberum vibices, quæ deinde vnguentis obliteratæ oppletæque ſunt, diſtinctiſſimè refert. Fronſtem igitur exhibet cruore conſperſam è ſpinea corona manante: liuidum vultum, genas tumidas, nempe ex colaphis, præcipue dextram, quæ ſiniſtræ Chriſti reſpondet: cæſariem barbamque aut carptim vellicatam, aut concreto ſanguine deformatam, ceruicem ſpinis confixam & conuulneratam: largum cruorem è manuum pedumque ac lateris vulneribus emiſſum: humeros quà flagris quà crucis geſtatione conſciſſos afflictosque: collum fœdè intumeſcens ex funibus catenisque, quibus vinctus ac raptatus: crura, brachia, lumbos, pectus, totum corpus, vel diris ictibus contuſum, vel flagellorum vibicibus confertim decuſſatis diſſectum, vel ſanguineis guttis vi verberum excuſſis fœde maculatum; vt meritò de Chriſto patiente exclamarit Euangelicus Vates: *A planta pedis vſque ad verticem, non eſt in eo ſanitas.* Hæc ille. Iſa. 1, 6.

Præter duo memorata lintea Chriſti Dòmini non manufacta effigie condecorata, duo alia haud effigiata recenſentur, de quibus pauca: ergo tertium ſudarium, vel linteum, ſit ſindon Compendienſis. In Picardia, Galliæ prouincia, ſeruant Compendienſes in Eccleſia S. Cornelij linteum imagine Domini minimè ſignatum, ſed candidum, ad inſtar ſerici aërij, tenue, quod *Chriſti Domini ſindonem* vocant: eò loci per Carolum Caluum tranſlatum ab Aquiſgrano, vbi priùs habebatur, munere Caroli Magni Imperatoris. Hoc manuſcripti Codices docent, inquit Chiffletius, qui & arbitratur, ſindonem toti corpori Seruatoris intra monumenti ſepta extrinſecus circumuolutam ſupra inſtitas, &c. Chiffletius cap. 16.

Cap. 17. Quartum ſudarium eſt Moguntinum, de quo Seratius in rebus Moguntiacis ex M. S. veteri narrat, S. Bilhildem accepiſſe à Kunegunde, Principe femina, *ſudarium quo Chriſti Domini caput & facies in Sepulchro tecta fuiſſent*; eiuſque partem alibi notat ſeruari Moguntiæ in alto Virginum Monaſterio, & quotannis poſtridie Paſchatis, ex ambone quodam, facibus prælucentibus explicari, & populo monſtrari. Hoc arbitratur Chiffletius fuiſſe breuius aliquod linteum, ſeu mantile ſoli capiti Chriſti velando vltimò omnium & extrinſecus adhibitum. Cap. 8.

Præter nunc recenſita ſudatia, refert citatus auctor, Petrocorij in Monaſterio Caduhio, Diœceſis Cadurcenſis, linteum quoddam tenue pro Chriſti ſudario ſeruari, &c. Item, Balduinum Imperatorem conceſſiſſe Ludouico Francorum Regi *partem ſudarij, quo inuolutum fuit corpus Chriſti in Sepulchro*. Item, Ludouicum Pium Imperatorem poſuiſſe in Monaſterio ſancti Cornelij, mille paſſibus Grani aquis diſſito, *ſindonem mundam, qua Ioſeph inuoluit corpus Domini, & partem ſudarij, quod fuerat ſuper caput eius*. Hanc Compendienſem opinatur Chiffletius. Similia alibi eſſe circumferuntur, quæ erunt vel partes vel ectypa primigeniorum linteorum, vt anteà notauimus. Et priùs citati Auctores tradunt, ex ſudario Taurinenſi ac Veſontino alia exemplaria excerpta fuiſſe, quæ in magna æſtimatione, vt par eſt, habentur, cùm Chriſtum Dominum referant: & ex Taurinenſi ectypon ſeruari Vlyſſipone, primaria Luſitaniæ vrbe, extra muros, in Monaſterio Virginum *Matris Dei de Enxobregas*, quod oſtenditur die Iouis Hebdomadæ ſanctæ. De miraculis ſacrorum ſudariorum, tranſlatione, acquiſitione & oſtenſione, pluribus agunt memorati Auctores. Cap. 17.

Sindon Taurinensis refert corpus Christi crucifixum, et recens de Cruce depositum; Sudarium vero Bisontinum exhibet illud idem iam lotum ac pressum, et in sepulchro compositum.



S. Sudarium Bisontinum.



S. Sindon Taurinensis.

Digitized by Google

§. V.

Imagine Taurinensis ac Vesontinæ sindonis præmissa, rationes pro vtraque adducuntur, & expenduntur; atque Auctoris opinio & difficultas explicatur.

ATentè considerata vtraque præmissa imagine, faciliùs dicta & dicenda de sindone Taurinensi & Vesontina intelligentur. Conceditur ab omnibus, Camberiense, siue Táurinense sacrum linteum, esse mundam illam sindonem quam emit Ioseph ab Arimathæa, quæ primò Domini de cruce depositum corpus excepit; sed dubitatur, an eadem fuerit idem Seruatoris corpus post condituram inuolutum ac sepulturæ traditum, fueritque sudarium, quod Ioannes dicit positum fuisse super caput Iesu, & de quo antè relatus Beda loquitur, an hoc potiùs sit Vesontinum.

Chifflerius in sua Crisi historica de Linteis sepulchralibus Christi, pluribus in locis tradit, sindonem Taurinensem haud fuisse dictum sudarium capitis, nec cum ea fuisse sepultum Dominum, vt sentiunt Paleotus, Mallonius, & alij, sed illam fuisse sudarium Vesontinum.

Exap. 6. Probat suum intentum hisce fermè rationibus. In primis, sudarium capitis Iesu est illud de quo Beda, secundùm omnes: sed quæ de illo enuntiat Beda minimè conueniunt Taurinensi, sed optimè Vesontino: ergo hoc illud erit. Minor probatur; quia Beda docet, sudarium capitis Iesu longum fuisse pedes octo, vt etiam Sepulchrum, & totidem longum est Vesontinum: sed longitudo Taurinensis est pedum duodecim, ergo cum illo non conuenit. Neque enim octo pedes, etiam Anglicani (de quibus fortasse locutus videri possit Beda) æquare possunt longitudinem sindonis Taurinensis, quamuis ea tantùm esset duodecim pedum communium.

Exap. 25. Secundò, quòd in Taurinensi linteo cruenti corporis existunt vestigia, sparso in brachiis, vultu, pectore, humeris aliisque corporis partibus, & coagulato sanguine, iis ipsis locis, quibus hærere debuit, pro situ & membrorum positione, quam Christus è cruce pendens habuit. Illum autem concretum sanguinem lotione atque vnctione detersum, dubitari nequit, cùm neque vlla eius appareant vestigia in Vesontino sudario; quod curato iam corpori appressum, retulit tantùm notas sanguineas quinque Vulnerum grandiorum. Igitur sindon Taurinensis non in Sepulchro, sed ante pollincturam diuino corpori adhæsit, & diffuso circumquaque redemptionis sanguine liberaliter infecta est.

Tertiò, quia in vtraque parte sindonis Taurinensis distinctissimè cernuntur vestigia veli, quo Christi crucifixi pudenda obtecta fuerunt: vnde etiam probat Salmeron To. 10. Tract. 35. Christum cruci affixum iis partibus tectum fuisse. Illud autem nemo iure dicet in Sepulchro relictum, cùm nullum eius vestigium extet in Vesontino sudario, neq; sic obtectas vmquam mortuorum partes, ratione vlla vel auctoritate probari possit, &c. Sentit itaque Chifflerius, stratam fuisse sindonem Taurinensem, & supra ipsam supinum positum fuisse corpus Saluatoris, statim ac de cruce cruentum depositum fuit; ac deinde à vertice ad pedes reiectam, vtrique corporis faciei adhæsisse; sic obductum, delatum esse ad pollincturæ locum, non procul à Sepulchro; vbi ritè perfusum inunctumque, aliis pannis, & nominatim sudario Vesontino, inuolutú fuerit. Sindonem enim, qua recèns è cruce exceptum fuerat, quippe vndique cruentatam, perluto perpurgatoque corpori iterùm admoueri non decuit. Illud igitur linteum, quo tectum Christi corpus à cruce ad pollincturæ locum deportatum est, sindon est Taurinensis; quo verò inunctum corpus inuolutum & Sepulchro traditum, est sudarium Vesontinum, secundùm Chifflerium.

Sed vndenam sudarium hoc accepit Ioseph? nam non est sindon munda quam Ioseph mercatus fuit, quia illa est Taurinensis. Respondet probabiliter, à sanctissima Virgine accepisse, & hoc ex Metaphraste, cuius verba superiùs retulimus: deposito namque Christi corpore, *Iosepho in manus tradens sudarium, ait: Tibi autem deinceps curæ erit, vt sepulturæ tradens, hoc cum honestè componas, myrrha condias, & ei iusta facias.* Sentit etiam, ipsam Deiparam sudarium illud operatam fuisse. Cap. 6.

Qui è contrà tenent, Allobrogicam, siue Taurinensem sindonem, esse illam, in qua Ioseph nedum excepit cruentum corpus Seruatoris de cruce, sed etiam lotum & vnguentis delibutum tradidit sepulturæ, atque esse sudarium positum super caput Iesu, de quo Ioannes & Beda, sequentia pro sua sententia mihi adducere posse videntur. Primò, quòd in ea inuolutum corpus sepulturæ fuerit mandatum, indicant iam citati Euangelistæ, dum aiunt: *Et accepto corpore, Ioseph inuoluit illud in sindone munda. Et posuit illud in monumento suo nouo, quod excidérat in petra.* Accepit inquam de cruce, vt etiam Chifflerius & alij Matth. 27. 59.

contrariæ ſententiæ concedunt, ac deinde in monumento repoſuit. ſtatim enim hoc explicat; igitur intentum.

Secundò, accedit communis traditio, confirmata à ſummo Pontifice Iulio II. in Bulla data anno M. D. VI. vbi dicit, ſindonem Cauberienſem eam eſſe, *in qua Dominus noſter Ieſus Chriſtus in monumento poſitus involutus fuit.*

Tertiò, quòd illud fuerit, de quo Euangeliſta & Beda dixerunt, poſitum fuiſſe ſuper caput Ieſu, præter plurium grauium Auctorum ſententiam ac traditionem, fauet ratio: nam verè eo obuolutum fuit totum caput Seruatoris; & quamuis eodem etiam corpus totum velatum fuerit, tamen à capite, eius præcipua parte, accepit denominationem, ſecundùm ſacræ Scripturæ & aliorum Auctorum dicendi phraſim: de qua nos ſuprà, & Chiffletius in ſua Criſi cap. 8.

In propoſita difficultate non auſim aliquid pro alterutra parte ponere; tum quia mei muneris non eſt, tum quia res ambigua, & quæ pro vna ſententia contra alteram afferuntur, non mihi videntur efficaciter intentum probare, ita vt oppoſitum teneri non poſſit, vt de facto tenetur, quemadmodum ſtatim explicabo: dicam tamen aliqua partim abſolutè vera, partim probabilia, rationi ac pietati conſentanea.

Primum ſit: Tam Sindon Taurinenſis quàm ſudarium Veſontinum ſunt lintea circa defunctum corpus Saluatoris adhibita, & tamquam ſacra pignora & lipſana in veneratione habenda. Hoc apparet ex veteri traditione ſcriptis conſignata, pluribus, illiſque illoſtribus, miraculis à Deo confirmata; & Pontificum auctoritas populiſque conſenſus ſuffragatur.

Secundum dictum ſit: Non poteſt determinatè & infallibiliter ſciri, vtrùm ſindon Taurinenſis, an potiùs ſudarium Veſontinum, fuerit ſudarium poſitum ſuper caput Ieſu, de quo Ioannes Euangeliſta; neque etiam negari, Taurinenſem ſindonem in Sepulchro cum Chriſti corpore fuiſſe. Probatur dupliciter. Primò; quia eadem numero non poſſunt verè de pluribus numero diſtinctis enuntiari; ſed in propoſito, quæ Veſontini affirmant de ſuo ſudario, negant de altero, & è contrà Taurinenſes: at hoc non fieret, ſi certò ac manifeſtè conſtaret, quodnam ex dictis linteis fuerit ſudarium poſitum ſuper caput Ieſu, de quo Ioannes. Secundò, quia ſi infallibiliter ſciri poſſet, hoc eſſet, vel propter ſacræ Scripturæ auctoritatem, Eccleſiaſticámve traditionem, cui, ſicut nec Scripturæ, falſum ſubeſſe non poteſt, vel propter rationes pro alterutra opinione adductas. Non propter primum, vt ſatis conſtat; quia huiuſcemodi ſcriptura vel traditio non eſt de individuo ſignato, ſed vago, ſicut aliæ res fidei: quare etſi de fide ſit, aliquod ſudarium poſitum fuiſſe ſuper caput Ieſu, quia hoc dicit Ioannes; non tamen hoc, vel illud, vt Lib. III. Cap. XXXVI. notaui. Nec propter ſecundum: etenim nec rationes pro Veſontino nec pro Taurinenſi euidenter conuincunt, nec illæ.

Et de prima explico: Illa nititur menſura à Beda aſſignata; ſed dico ipſam non concludere; quia licet ex illa probetur non eſſe Taurinenſem ſindonem, non tamen colligitur exinde eſſe Veſontinum ſudarium: tum quia oporteret præcisè ſcire de quibus pedibus loquatur Beda, & deinde aptare Veſontino linteo: tum etiam, quia non conſtat, ſindonem illam Bedæ non variatam ad nos peruenisſe; nam fatetur ipſe Chiffletius, in variis partibus aliquas partes ſacri ſudarij reperiri: tum quia non eſt adeò exploratum, linteum, quod poſitum fuiſſe ſuper caput Ieſu aſſeruit Ioannes, eſſe illud de quo Beda, vt in tertio dicto apparebit.

Secunda & tertia ratio, quæ ſupponunt naturaliter à corpore Chriſti relictas fuiſſe ſacras imagines, non concludunt. Ad illud de imagine veli, quo tectæ fuerunt partes corporis, quæ apparet in anteriori & poſteriori parte ſindonis Taurinenſis, reſpondent Paleotus & Mallonius, non eſſe veli imaginem, ſed horribilis plagæ in lumbis Domini factæ, ſiue ex catenis, quibus conſtrictus, ſiue ex verberum in eadem parte crebrò repetitis ictibus. Verùm, ait Chiffletius, illam ipſam quam proponunt imaginem littera C. diligenter inſpicienti, ſatis apparet lintei cuiuſpiam circà Chriſti lumbos religati plicaturas in ea potiùs quàm vulnus aliquod repræſentari: neque ater & ſanguineus color facit pro vulnere; non enim potuit velum illud non eſſe conſperſum manante cruore è capitis, manuum, lateris, humerorum ac totius thoracis, præcipuè verò lumborum crudis adhuc & recentiſſimis vulneribus. Quare dicta ſindon non latum vulnus ad lumbos exhibet, ſed velum cruentum lumbis circumligatum. Cap. 3.

Aliter ergo dicendum: Quòd ſi aliquid concludunt, hoc tantùm, in Taurinenſi efformatam fuiſſe ſacram imaginem priùs quàm corpus ſepulturæ mandaretur; ſed non exinde licet colligere, non fuiſſe vel in eodem inuolutum corpus & ſepultum. Cùm dicitur, non decuiſſe linteum cruentatum admoueri loco & condito corpori; dici poteſt, non decuiſſe cum illo ſolo, benè

nè cum aliis linteis mundis, vel ſepeliri ſimul potuiſſe, quamuis non circa corpus inuolutum: quia licet non fuerit mortis inſtrumentum, tamen cùm corpus defunctum tetigerit, conueniens fuit vnà cum corpore tumulari.

Ad illud quod ex Metaphraſte dicitur, poſſet probabiliter reſponderi, velum illud fuiſſe emptum à Ioſepho, quod beata Virgo ſeruauit, dum Filius eius de cruce deponeretur, & depoſito ad inuoluendum tradidiſſe; præſertim quòd Euangeliſtæ ſemper ſindonis Ioſeph mentionem faciant, & non Virginis. Auguſtinus antè relatus alicuius etiam lintei a Nicodemo allati meminit.

Neque etiam euidenter concludunt quæ pro Taurinenſi adducuntur ſindone. Non verba Euangeliſtæ; nam illa non ſic ſunt accipienda, quòd ſtatim ac Ioſeph in munda ſindone corpus Domini inuoluit, quòd etiam ſtatim cum eadem poſuerit in monumento; tunc enim nec lauiſſet, nec vnxiſſet, quòd falſum eſt: ſed debent illa congruè & ex aliis intelligi, vt primò, depoſitum de cruce inuoluerit ſindone; deinde, lauerit ac condierit; ac denique ſindone inuolutum, hæc vel illa fuerit, in monumentum intulerit.

Ad Pontificis auctoritatem reſpondetur, ipſum decretum non ſancire, ſed ex vulgi ſententia locutum: Vulgus verò [illegible]d intellectum fuit de linteo, quo ſanc[illegible]n corpus fuit inuolutum, potuit intelligere de capitis ſudario, & de eo in quo fuit ſepulturæ mandatum.

Ad tertium dicendum, poſſe quidem velum totius corporis à capite, præcipua parte, denominari, ſi adſit ratio; quam non agnoſco in propoſito, vt ſtatim dicam.

Tertium dictum ſit: Sudarium poſitum ſuper caput Ieſu, de quo loquitur Ioannes, & primò vidit Petrus ſeparatum ab aliis linteaminibus in Sepulchro, non puto eſſe Sindonem Taurinenſem, vel ſudarium Veſontinum, ſed aliud, nempe Moguntinum, de quo diximus §. IV. Ratio eſt; quia, præter linteum, quo totum Domini corpus fuit inuolutum, erat etiam ſudarium ſingulariter poſitum ſuper caput, breuius, vt mantile; & ipſe Chiffletius cap. 8. concedit. Et cùm haud ſit neceſſaria ratio, quare ſudarij capitis appellatione, non intelligamus breuius aliquod linteum faciei ſiue capiti, vt fieri ſolet, aptandum. Ad tale alluſiſſe Ioannem mihi probabilius eſt; præſertim quòd quæ pro linteis Taurinenſi ac Veſontino adducuntur, aliud non concludant, niſi quòd capitis appellatione poteſt totum corpus intelligi: verùm, quòd ita intellexerit Ioannes, erat probandum; ſed oppoſitum potiùs probari videtur, dum contra communia totius corporis lintea ſudarium capitis diſtinguit, & illa, longitudine illorum ſpectata, potiùs corporis quàm capitis Domini ſudaria dici merentur.

Quartum dictum ſit, vt concilientur indicatæ inter ſe diſſentientes ſententiæ; poſſet non improbabiliter dici, cum omnibus prædictis velis mandatum fuiſſe ſepulturæ corpus Seruatoris: etſi non ſatis compertum, an omnibus fuerit inuolutum, & quomodo; vel quòd vnum ex ipſis in Sepulchro fuerit ſimpliciter repoſitum, tamquam anteà defuncto corpori accommodatum, ſed quod fuerit Chriſti Sanguine cruentatum, minùs ad lotum & inunctum corpus inuoluendum aptum. Suprà §. 2. triplicem propoſui modum, quo potuit conditum Reparatoris corpus ſepulturæ tradendum inuolui: nunc duplicem alium adiungo pro aliquali conciliatione diſſentientium opinionum.

Primus ſit, quòd primò ſtrata fuerit corpori ſancto pars ſindonis Taurinenſis, deinde ſupra ſupinum corpus extenſa Veſontina, poſteà altera pars Taurinenſis, dein ſupra caput poſitum paruum ſudarium Moguntinum, & totum pòſt à capite ad pedes vſque ligatum; poſtremò in ſindone Compendienſi poſitum, cum eadem in Sepulchro conditum, vt etiam de iſta hoc notauit Chiffletius.

Secundus modus ſit, quòd ratione adducta minimè fuerit inuolutum Chriſti corpus in Taurinenſi ſindone, quòd Veſontina poſita ſupra ſupinum Chriſti corpus, & ex vtroque corporis latere ſuppoſita, ita vt ſuperiùs & inferiùs totum velaret; deinde Moguntinum poſitum, ſi non immediatè ſupra faciem, quia ſignatum non eſt, eidem admotum poſt Veſontinum, ac denique ligatum inſtitis, ſindone Compendienſi ſuppoſita, Sepulchro traditum, & in eodem cum Taurinenſi repoſitum; cuius Sepulchri os lapide magno clauſum.

Pro huius argumenti concluſione, duplex argumentum hæreticorum proponendum eſt, quo veritatem ſacrarum ſindonum ac diuinorum pignorum refellere contendunt; ac diluendum, vt illorum veritas ſtabilis remaneat, & ad illa fidelis populi deuotio & pietas non tepeſcat, ſed in dies accendatur magis.

Primò Caluinus de ſindone ſiue ſudario Chriſti ita loquitur: *Ex hoc modo* (ſepulturæ Iudaicæ) *luce clariores ſunt impoſturæ Papiſtarum: oſtendunt enim linteum, in quo effigies integri hominis vnà cum capite impreſſa apparet; at ſindon, tegumentum corporis,*

vis, solum corpus Christi tegebat vsque ad caput. Vnde ergo, vel à quo effigies illa cum capite, cùm Christi caput non hac sindone, sed sudario fuerit velatum? Ita Caluinus.

Secundò, alij hæretici refragantur; quòd in sindonibus institarum signa non appareant, quæ in ipsis repræsentari debuerunt; quippe quòd Iudæi soliti sint mortuorum manus ac pedes tæniis quibusdam ac fasciolis siue institis religare, vt clarè exprimitur in Lazari sepultura Ioan. 11, 44. *Et statim prodiit qui fuerat mortuus, ligatus manus & pedes institis, & facies illius sudario erat ligata.*

Pro Allobrogica sindone respondent Pingonius & Paleotus, ideò in illa non apparere institarum vestigia; quòd ea sacrosanctum Christi corpus non in Sepulchro ipso iam locum vnctumque ac institis ligatum complexa sit, sed cruentum, & recèns è cruce depositum exceperit, fasciis haud ligatum.

Etsi ista solutio possit satisfacere pro Allobrogica sindone, non similiter pro Vesontina, vt arbitrari videtur Chiffletius cap. 7. quoniam ea infasciatum & traditum fuisse sepulturæ nostri Reparatoris corpus credit: quare vt satisfaciat, adnititur explicare, quomodo rationabiliter caput simul cum reliquo corpore exhibeat, nullas autem ostendat institas, quibus manus pedesque reuincti sunt; & primò adducit responsionem P. Gretseri in suo accurato Opere de sancta Cruce, qua ad miraculum recurrit. sic enim ait: Sed demus id, quod Caluinus tamquam certum sumit, sindonem, seu corporis inuolucrum, ad solum vsque caput pertinuisse, solumque sudarium totius capitis tegumentum fuisse; de quo fortassis aliquis non immeritò dubitet; sed tamen demus hoc: An putat Caluinus, Christum vel resurgentem, vel in Sepulchro iacentem, tantæ non fuisse potentiæ, vt sindoni totam suam effigiem imprimeret, licet totum corpus sindon non complecteretur? Fortè Caluinus, crassa quadam cogitatione ductus, sibi persuadebat, Christum esse similem plastis & fictoribus, qui vt ceram imagine alicuius insigniant, necesse habent totum exemplar ceræ applicare; vel pueris, qui totam corporis speciem dum in niue effigiare volunt, totum quoque corpus niui superiniiciunt. Hæc ille.

Tom. 1. lib. 1. c. 97.

Chiffletius partim approbat, & partim improbat hanc solutionem. Approbat; quia modulo nostro non est metienda diuina virtus: & cùm certum sit, aliquid miraculi interueniisse in illa sacrorum linteorum ad totius corporis similitudinem delineatione; tam facile Christo fuit plura simul edere miracula quàm vnicum. Improbat; quia in rebus fidei ac religionis, non sunt nisi ex necessitate inuehenda miracula, maximè vt illorum imbecillitati consulatur, qui sunt *tardi corde ad credendum*, etiam in mysteriis ad salutem necessariis: quæ tamen necessitas non videtur in proposito recurrendi ad illud Gretseri miraculum, vt cauillo Caluini respondeatur, cùm sit alius planus ac naturalis modus satisfaciendi. Luc. 14. 25.

Igitur vt hæreticorum fannis respondeat Chiffletius, duo explicanda assumit. Alterum, institas, siue fascias sepulchrales, in sepultura Iudæorum non extremis manibus dumtaxat & pedibus religatas fuisse funiculorum instar, sed totum cadauer, vno capite excepto, complecti solitas, & circum illud inuolui, sicut fasciæ infanti in cunis iacenti circumduci solent; & ita factum fuisse cum corpore Saluatoris, præ se ferunt illa D. Ioannis verba: *Acceperunt ergo corpus Iesu, & liguerunt illud linteis cum aromatibus, sicut mos est Iudæis sepelire.* Ecce non pedes tantùm aut manus, sed corpus ligatum dicit; & quidem non angustis tæniis, & quasi funiculis, sed linteis, nempe fasciis sepulchralibus iustæ latitudinis, seu linea tela in longum recto filo abscissa. Firmat Augustinus lib. 3. de Consen. Euang. c. 23. dicens: *Propter sudarium, quod capiti adhibebatur, & institas, quibus totum corpus alligatum est.* Hoc ipsum fuisse in Lazari pollinctura obseruatum, notauit Nonnus vetustus Auctor de illo sic loquens: *Et à pede ad caput vsque habebat totum corpus constrictum nexilibus institis, seu fasciis sepulchralibus.* Nec obstat, quòd Ioannes dumtaxat dixerit ipsum à mortuis à Christo excitatum, *statim prodiisse ligatum manus & pedes institis:* hoc enim loquendi modo singulare miraculum indicare voluit, quòd ligatus manus & pedes exiuerit de sepulchro. vnde Euthymius: *O maximum ac duplum miraculum! non solùm qui iam olebat resurrexit, sed etiam qui vinctum erat exiuit de monumento.* Alias tamen vnà cum toto corpore intra lintea manus & pedes simul ligati erant modo explicato. Quare non solæ manus cum pedibus, sed totum corpus sindone inuolutum, fasciis modo explicato ligari consueuerat. Ioan. 19. 40. Nonnus in Ioan. c. 11.

Alterum, quod Chiffletius c. 8. explicandum assumit, est, sudarium capitis, ex ritu funeris Iudaici, totam anteriorem corporis partem obtexuisse. In huius explicatione non immoror; nam hoc certum, sudarium totum cadauer obuelare debuisse: quod verò illud diceretur sudarium capitis, in præsentia parum refert explicare; addo tantùm,

tùm, verè obuelatam fuisse etiam faciem, quemadmodum hisce carminibus Iuuencus Poëta lib. de Fasciis de Lazaro indicauit:

Nec mora, connexis manibus pedibusq; repentè
Procedit tumulo, vultum cui linea texit,
Et totum gracilis connectit fascia corpus.

Respondet igitur, post præmissa notata, ad id quod contra Vesontinum sudarium adducebatur, negando, instituas in eo notari debuisse, aut etiam absque nouo miraculo potuisse; cùm nec solos, nec nudos pedes extremos manúsve adstrinxerint, sed toti corpori, quibusdam iam vtrimque linteis obtecto, circumuolutæ sint. Ita ex illo.

Ego, vt respondeam, duo præsuppono: alterum iam explicatum, totum Christi corpus à capite ad pedes vsque inclusiuè fuisse sindone inuolutum in Taurinensi primò absque fasciis, secundò in ista, vel sanè in Vesontina, & circumligatum à capite exclusiuè vsque ad pedes. Alterum est, imagines linteis illis impressas partim naturaliter partim supernaturaliter ac miraculosè appictas. Ratio est; quia, secundùm receptam Theologorum doctrinam, non sunt absque necessitate facienda vel augenda miracula: & in Dei mirabilibus, vbi agnosci potest naturæ opus, illud agnoscendum est; & quod illa perficere nequit, diuino opifici adscribendum; vt pluries facto ostendit Seruator noster: in primis, quando semel & iterùm in montibus Galilææ ex paucis panibus & piscibus copiosam hominum multitudinem pauit. Secundò, in nuptiis Canæ Galilææ, quando, deficiente vino, illud ex aqua factum suppeditauit, vt patet in Euangelio. In his considera, noluisse Christum ex nihilo panes & pisces sufficientes & vinum creare, quod maius fuisset miraculum, sed honorauit naturam, relinquens ipsam quod habebat suppeditare, paucos panes, & pisces, & aquam: at quia non potuit illos multiplicare pro tot hominum millibus, nec aquam vinum facere, ipse minori miraculo suppleuit, panes inquam & pisces multiplicando, & aquam in vinum transmutando.

Miracula non sunt sine necessitate multiplicanda.

Tertiò, etiam Lazarum quatriduanum in monumento ipse ad vitam diuina virtute reuocauit, & ligatum manus & pedes institis, fecit exire de monumento & ambulare, quod natura non poterat; sed voluit, vt homines auferrent ab ore monumenti lapidem, & rediuiuum soluerent, quia poterant, Ioan. 11. Et, aliis omissis, Christus diuina Patris virtute fuit à morte ad vitam suscitatus; & ipse propria virtute ex clauso Sepulchro glorioſus exiuit, quod natura non poterat; sed quod poterat, auferre videlicet magnum lapidem ab ostio monumenti, vt possent Discipuli sanctæque mulieres videre Christum ibi non esse, sed à mortuis ad vitam redijsse, per Angelum exequi voluit, Matth. 28, 2.

Idem dico in proposito; quia naturaliter ex cruento Christi corpore potuit vestigium eius relinqui in linteis, illud reliquisse dicendum est; sed quia non potuit perfecta relinqui imago, suppleuit Deus miraculo. Illud patet primò in vtroque sudario, Taurinensi ac Vesontino: etenim sancti illi discipuli ac nobiles pollinctores, quando corpus Magistri deposuerunt, & sudariis inuoluerunt, non intenderunt facere vt fictores; qui vt ceram imagine alicuius insigniant, necesse habent totum exemplar ceræ applicare, vt dixit benè Gretserus; sed tantummodò Christum honestè inuoluere ac sepelire: & si illud attentassent, certè intentum assequi non potuissent, vt inquam perfectè in linteis illis appareret sacri corporis imago, vt verè apparet cum suis lineamentis ac extremitatibus, vt satis constat; igitur miraculo fuit supplendum. Confirmatur: Si namque vultus ex naturali dumtaxat genarum attractu colorem contraxisset, latior multò esset, quàm qui homini in plana tabula ex arte depicto conuenit, vt experiri licet in larua, aut mappa vultui admota, qua totus tegitur vultus: quam si posteà in planum extendas, sanè multò latior excurret, & vltra naturalis symmetriæ leges; & quod de vultu, similiter de aliis partibus corporis philosophandum est: sed in sacris illis linteis sunt figuræ vultus & corporis totius perfectè repræsentatæ; igitur non nisi aliquo intercedente miraculo.

Secundò, singulariter de Vesontino sudario idipsum explico: etenim cùm illud supra supinum corpus Seruatoris positum quidem primò fuerit, ac deinde illius extremitatibus totum corpus circumuelatum, tamen anterioris dumtaxat partis hausit lineamenta; ergo aliquo interueniente miraculo: quia aliter, non videtur ratio, quòd magis appareret imago anterior corporis quàm aliarum partium, cùm totum percussum ac cruentatum fuerit. Igitur partim naturaliter partim miraculosè imagines illæ efformatæ fuerunt in diuini amoris testimonium, & piorum fidelium solatium. Ex his, quid respondendum sit ad hæreticorum calumnias, apparet.

Et primò ad illam Caluini: is enim supponit falsum, sudarium inquam caput Seruatoris non operuisse. Et quando eo non fuisset velata facies, quod illi concedendum non est, non exinde haberet intentum. Et

cùm

cùm quærit, Vnde ergo, vel à quo effigies illa cum capite, &c? in casu responderem, à Deo mirabiliter operante, sicut etiam dixit Gretserus.

Ad alteram calumniam, negatur consequentia: nullo namque modo apparere debuerunt signa institarum in sindonibus, nisi ad simplex miraculum recurratur; patet, quia institæ mundæ positæ supra sindones non potuerunt illas signare, sed signa ex cruento & inuncto corpore relicta fuerunt. Quòd si aliquod signum reliquissent, fuisset dumtaxat plicarum; si tamen velut funibus strictè religatum fuit sacrum illud corpus, ne fugeret; quæ etiam posteà successu temporis & attrectatione auferri potuerunt. Et præterea, miraculosè voluit Deus illas imprimi imagines, in suæ passionis & eximiæ charitatis argumentum; at hoc præstitum abundè fuit, relinquendo totius saucij corporis cum quinque maioribus vulneribus imaginem, ad quod institarum signa non deseruissent. Hæc satis de sacris Reparatoris nostri sepulchralibus linteis; reliqua, quæ nostri Regis funus commendabile atque illustre reddunt, prosequamur.

§. VI.

Quid Dominico Sepulchro factum, postquam in eo fuit sacrum Christi corpus honorificè reconditum.

EXplicatis his quæ circa sacratissimum Saluatoris nostri corpus acta fuerunt, priusquam Sepulturæ mandaretur, reliquum est, vt, ad magis explicandam gloriam funeris nostri Principis, manifestemus quid circa illam factum fuerit, postquam sacrum pignus excepit. Duo acta fuere, alterum præstitit Ioseph, alterum Iudæi perfecerunt. Egressis de antrò discipulis illis, corpore magni Principis sepulto, Ioseph, auxiliantibus Nicodemo, Ioanne & aliis qui aderant ministris, magnum lapidem admouit ad ostium sacelli. *Et adoluit* (id est Ioseph, inquit Matthæus 27,60.) *saxum magnum ad ostium monumenti, & abiit.*

Sed quid præstiterunt Iudæi circa idem Dominicum Sepulchrum? D. Matthæus sequentibus verbis expressit: *Altera autem die, quæ est post Parascenen, conuenerunt Principes Sacerdotum & Pharisæi ad Pilatum, dicentes: Domine, recordati sumus, quia seductor ille dixit adhuc viuens: Post tres dies resurgam. Iube ergo custodiri Sepulchrum usque in diem tertium: ne fortè veniant discipuli eius, & furentur eum, & dicant plebi: Surrexit à mortuis. & erit nouissimus error peior priore. Ait illis Pilatus: Habetis custodiam, ite, custodite sicut scitis. Illi autem abeuntes, munierunt Sepulchrum, signantes lapidem, cum custodibus.*

Matth. 27, 62.

Sepulchri custodia qualis & quare adhibita.

Et quomodo ex his colligemus gloriam Dominici Sepulchri? Ex consideratione vtique finis custodientium & munientium Sepulchrum: quæ consideratio duplex, Dei & hominum; horum verò, vel discipulorum Christi, vel Iudæorum. Discipulorum Christi mens fuit, ne bestiæ dilaniarent sacrum corpus; & ipsi Christi hostes ipsismet bestiis erant crudeliores: cùm enim vidissent sæuisse in exanime corpus, quando vnus militum lancea latus eius aperuit, credere potuerunt, ipsos dilaniaturos & in frusta redacturos sacrum corpus, & feris & auibus tradituros deuorandum. Quondam iniquus Euilmerodach, Imperatoris Nabuchodonosor filius (referente Glossa in illud Isaiæ 14. *Tu autem proiectus es de sepulchro tuo*, &c.) mortuo Nabuchodonosor parente suo, hæc apud se cogitans, Pater meus, cùm ab omnibus mortuus crederetur, quando in belluam conuersus est, & in siluis & nemoribus morabatur, tamen posteà quasi reuixit, & regno suo restitutus est; nonc autem, ne idem contingat, dilacerabo corpus eius, & auibus cæli deuorandum tradam. Dilacerauit igitur eius corpus, & in frusta minutissima concidit, & tercentis auibus, quas ad hoc collegit, deuorandum dedit. Similia cogitasse & Iudæos de Christo, existimare potuerunt sancti illi discipuli, quòd resurrecturus esset, vt prædixerat, & regnaturus super illos; hocque timuisse, verba illorum ad Pilatum præ se ferunt: *Seductor ille*, &c.

Igitur ne malum inferrent ampliùs sacro pignori Iudæi, Ioseph petiit illud à Pilato: qui postquam sepeliuit, aduoluit saxum magnum ad ostium monumenti, & abiit. Muniuit monumentum, & abiit, ne quis criminaretur eum suffuratum fuisse corpus Christi; hostibus enim ipsius custodiendum reliquit.

A militibus custoditum fuit Sepulchrum, & annulo sigilloque aliquo munitum, & non ab ipsis dumtaxat, sed etiam à Principibus Sacerdotum & Pharisæis, qui custodiri Sepulchrum petierant à Pilato; quibus annuens dixit: *Habetis custodiam, ite, custodite sicut scitis.* & subiungit Euangelista: *Illi autem abeuntes, munierunt Sepulchrum, signantes lapidem, cum custodibus.* Ita in hunc locum obseruauit Euthymius: Meritò hoc præcepit Pilatus, Deo ordinante, ne post resurrectionem dicere possent, cùm soli

Matth. 27, 65.

Digitized by Google

soli milites Sepulchrum muniuissent, Tradiderunt corpus discipulis ab eisdem pecunia corruptis.

Creditur verò in ea custodia fuisse illorum consilium: cùm enim optimè nossent, Christum dixisse, se tertia die surrecturum; & ita dixerunt Pilato: ne quis furaretur corpus eius, & posteà diceretur quòd surrexit, custodierunt, volentes ipsum tertia vel quarta die populo ostendere, eique persuadere, quòd non verax esset magister, sed seductor mendax.

Nec prima die combusserunt; quia adhuc dici potuisset, tertia die surrexisse. Prima etiam, vel altera die, quoniam festum erat, ostendere populo non potuerunt; sed benè tertia, de Sepulchro eductum potuissent omnibus illud palàm facere.

Adhæc, alij suspicantur, ideò Sepulchrum custodisse, vt si reuixisset, in eo illum rursus interficerent; & si compareret, eorum manus non euaderet: quemadmodum & Lazarum rediuiuum cogitauerunt interficere. Sed dissipauit Deus cogitationes eorum, quoniam vanæ erant; & quæ moliebantur illi in dedecus Christi, conuertit Deus in eiusdem decus & gloriam; sicut & consilium fratrum Ioseph, qui ipsum proiecerunt in cisternam, vt somnium irritum redderent: eduxit illum Deus, & glorioſum fecit super eos regnare. *Non enim* Is. 55. 8. 9 *cogitationes meæ, cogitationes vestræ: neque viæ vestræ viæ meæ*, dicit per Isaiam Dominus: *quia sicut exaltantur cæli à terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ à viis vestris, & cogitationes meæ à cogitationibus vestris.* Et idem Isaias de his agens, dixit: *Et dabit impios pro sepultura, & diuitem pro morte sua; eò quòd iniquitatem non fecerit.* quæ verba tum Augustinus tum alij interpretantur de malis ministris datis ad custodiendum Sepulchrum Dominicum; & de Iosepho & aliis iustis datis ab eodem pro morte & funere eiusdem Domini. ex quibus omnibus magna gloria Dominico Sepulchro proueniebat. Is. 53. 9. D August. Homil. 36. super illud, *Ascendit sicut virgultum*, Tom. 10.

Ab amicis & inimicis Christi corpus meritò custoditum.

Voluit Deus ab amicis & inimicis muniri & custodiri Sepulchrum Christi, ne aliqua irrogaretur iniuria Filio suo. Quemadmodum enim olim Darius annulo suo obsignauit lacum leonum, in quem Daniel missus fuerat, ne quid fieret contra Danielem, vt dicitur Daniel. 6. ne alij in lacum intrarent, & occiderent; & à leonibus occisum euulgarent: ita sanciuit Dominus, vt Sepulchrum illud, in quo Christi corpus positum, sigillo & custodia munitum esset, ne iidem Iudæi corpus furarentur, & à mortuis excitatum, dicerent, Christi discipulos corpus eius fuisse furatos: sicut post illius resurrectionem persuaserunt Iudæi militibus pecunia corruptis, vt dicerent, ipsis dormientibus venisse discipulos, & Magistri sui corpus fuisse suffuratos: talis itaque excusatio illis auferebatur, dum iidem sigillo & præsentia militari Sepulchrum custodiunt.

Hoc etiam pacto Christi resurrectio illustrior reddebatur, & ab iisdemmet hostibus testimonium accipiebat; iique eam iustè negare non potuerunt: & profectò gesta circa Sepulchrum nuntiauerunt milites, licet, pecunia corrupti, apud alios mentiti fuerint, vt dicitur Matthæi 28. Et Gregorius Turonensis Hist. lib. 1. cap. 21. exactis Pilati ad Tiberium Romam transmissis, docet, cùm Pontifices militibus exprobrarent, & sanctum corpus ab iisdem constanter requirerent; dicunt eis milites: Reddite vos Ioseph, & nos reddimus Christum; sed vt verum cognouimus, nec vos benefactorem Dei, nec nos Filium Dei reddere nunc valemus. Tunc illis confutatis, milites ab hac accusatione liberantur. Iudæi enim incluserunt Iosephum in cellam; & ab ipsis Sacerdotum Pontificibus custodiebatur, eò quòd honorificè Christum sepeliisset; qui fuit & ipse liberatus ab Angelo, vt ante præmissa verba dicit idem Gregorius. Quare optimè Athanasius Sermone in sanctam Parasceuen: *Miser & infelix Iudæe, qui mortis vincula dissoluit, non solucit Sepulchri sigilla? qui spoliauit infernum, timebit monumenti signacula? Muni Sepulchrum, signa lapidem, statue milites, obside monumentum custodibus; isto modo egregium opus maius efficis: statuis enim spectatores ac testes resurrectionis, meorumq; miraculorum præcones ministros tu præparas.* Hæc magnus ille Pater, quibus alij similia dixerunt.

Angeli Sepulchri custodiunt.

Sed nec defuerunt Angeli, qui, sicut milites illi custodiebant lectulum mystici illius Salomonis; ita isti circumdabant lectulum veri Salomonis, id est Christi Domini, Sepulchrum eius in quo quieuit; vnde D. Chrysostomus in Comment. Psal. 2. dixit, Angelos ideò visos in Sepulchro, vt ostenderetur ibi Deum esse sepultum cui Angeli seruiebant: & hæc quidem tunc acciderunt in Christi glorioso funere.

CAPVT XVIII.

Cærimonia explicatur, quâ singulis annis repræsentatur funus glorioſum Saluatoris; & ab eam impugnantibus defenditur.

VT gloria hæc sanctissimi Sepulchri ex funere Christi magis effulgeat, & hominum

minum mentibus magis commendetur, & ad ampliùs excitandum affectum erga illum qui pro nobis mori & sepeliri voluit, singulis quoque annis, tum alibi, tum præsertim in templo sacratissimi Sepulchri ante omnium conspectum proponitur sacrum illud funus, quod in hunc modum peragitur.

Ministri in sacrario vestimentis nigri coloris induti, Sacerdos & duo Diaconi cum vasis plenis odoramentorum & aromatum ad inungendum corpus Christi, & linteo ad inuoluendum, cum aliis superpelliceo indutis, quorum aliquibus demandatum est deferre in linteo corpus Dominicum ex Caluario monte ad Petram vnctionis, & ceteris omnibus fratribus & peregrinis processionaliter cum cereis & facibus accensis, accedunt ad Caluariæ sacrum montem: quò cùm peruenerint, omnibus extinctis luminibus, Præsul, vel alius de ipsius mandato, graui & pio sermone de passione ac morte Domini loquitur, mysterium ibi pro totius mundi salute consummatum ante oculos ponit, vt omnes illud meditentur, eiq; compatiantur, pro quibus ad mortem vsque crucis passus est. Quo expleto, & facta disciplina, lumina omnia iterùm accenduntur, & de cruce Christus à ministris illis nigro colore indutis, qui Ioſephum & Nicodemum repræsentant, deponitur; positusque in pulcherrimo linteo, à quatuor hinc inde initiis à quatuor aliis ministris attollitur, & in processione ad locum, vbi olim vnctus fuerat, defertur, qui *Petra vnctionis*, vt iam diximus, appellatur: ibique vngitur aromatibus Christus, & inde in linteo ad sanctissimum Sepulchrum portatur, vbi honorificè collocatur, & vsque in sequentem Sabbati diem asseruatur.

Idipsum, nonnullis tamen prætermissis, aliis in partibus cum spirituali prouentu obseruatum vidi, & audiui; quamuis non desint, qui huiusmodi pium opus reprehendant. Audi quid de his scribat doctus & pius P. Alphonsus Salmeron Tomo 10. Tract. 49. Intelligo in quibusdam prouinciis, hanc Christi de cruce depositionem magna hominum frequentia in die Sabbati sancti publicè repræsentari, quo videlicet populus Christianus ad deuotionem & lacrymas illa sensibili repræsentatione commoueatur. Sed profectò, vt sententiam meam non dissimulem; quia res hæc non habet exemplum antiquitatis, & repræsentantes huiusmodi actiones lucro suo inhiant, atque sub prætextu religionis, multi viri ac mulieres confluunt ad tale spectaculum, & ex tali concursu magna plerumque peccata carnis aut fiant aut designentur, quibus potiùs Christus denuò crucifigitur, non deponitur de cruce, & potiùs irridetur quàm plangatur; consultius foret, vt Episcopi edicto cauerent ac prohiberent huiusmodi sensibiles actiones ac repræsentationes, cùm potiùs histrionicæ confictæque videantur quàm res sacrosanctæ, quales illæ Christi esse deberent. Non nego tamen, si hæc per viros spirituales ac graues agerentur, atque occasiones peccandi de medio tollerentur, posse cum fructu aliquo repræsentari; sed quoniam nos natura sumus procliues ad malum, optima quæque ac sanctissima in carnales & obscœnos vsus nouimus conuertere, præstat ab illa abstinere. Vna est repræsentatio mortis Christi ab ipso Domino indicta, quæ in sacrificio Missæ fit; illaque debemus esse contenti, atque aliis quibus Catholica Ecclesia per Hebdomadam sanctam, ad suorum fidelium ædificationem, vti consueuit. Hactenus bonus ille Pater.

Salmeron carimonia funus gloriosum Salmatoris repræsentanti refragatur.

In huius viri dictis duo principaliter asseruntur: alterum, abstinendum esse ab illa repræsentatione, propter tria. Primò, quia non habet exemplum antiquitatis. Secundò, quia fieri videtur propter lucrum. Tertiò, quia ex ea vel sequuntur vel designantur multa peccata carnis, quibus non honoratur, sed offenditur Deus, &c. Alterum, posse fieri cum fructu, si peragatur per viros spirituales ac graues, ablatis peccati occasionibus, sed melius esse, omnino abstinere, contenti his quæ à Christo & Ecclesia tradita sunt, &c.

Sed non acquiesco huic sententiæ, nec iudico eam præferendam esse oppositæ quam pij & docti viri amplectuntur; quique eam repræsentationem vt fructuosam & valdè vtilem æstimant; sicut ei persimiles, in quibus incommoda allata à Salmerone euenire possunt, non prætermittit Ecclesia.

Respon ad Salmeronem.

Dico itaque duo: alterum, sententiam huius viri non refragari iis qui Ierosolymis mysterium funeris Christi modo dicto repræsentant, &, vt credo, ab antiquo fieri solito, secluſa spe temporalis lucri; imò aliquid in ea repræsentatione expendendum est: & non adsunt occasiones peccandi, quia non est tantus concursus virorum & mulierum, ex quo scandalum oriri possit, sed paucorum fidelium; & pij graues que viri, Guardianus & Religiosi mysterium illud repræsentant. Et præterea aliquid loco illi deferendum est, quare crederem, Auctorem istum laudaturum potiùs consuetudinem illam in sanctissimo loco quàm id detracturum.

Alterum quod affero est, in aliis prouinciis,

Digitized by G

ciis, vbi eadem actio repræsentatur, non esse ab ea abstinendum, propter illius rationes: non propter primam, quòd non sit ab vniuersali Ecclesia introducta (ab aliquibus tamen particularibus nouimus obseruatam) &, vt credo, ab antiquo introducta, vtpote rei antiquæ optima repræsentatio: accedit, quod quæ in Ecclesia sunt introducta, vel omnia antiqua non sunt, vel aliquando antiqua non fuerunt; sed non ideò contemnenda. Ecclesia enim Spiritu sancto edocta in dies proficit; & quod heri non obseruabat, iusta de causa hodie rationabiliter exequitur. Hoc vnum sufficiat exemplum. Ante annum Domini 1263. solemni processione non honorabatur augustissimum Eucharistiæ Sacramentum; sed ab eo tempore, iustissimis de causis, Vrbanus IV. felicis recordationis, vigilantissimus Ecclesiæ Pastor, ad omnia orbis Christiani Regna & Prouincias Apostolicum diploma & motum proprium expediuit, quo diem festum publicis lætitiæ signis in honorem huius Sacramenti celebrari præcepit. Et Concilium Tridentinum Sess. 13. can. 6. hæreticos esse declarauit, qui vsum processionum, quibus Ecclesia Catholica hoc Sacramentum colit, & adorat, condemnarent. Ita in proposito dicendum est; licet ab antiquo processio illâ haud sit introducta, non ideò deserenda, vel aspernanda.

Nec aliæ duæ posteriores rationes officiunt: etenim si, ob defectus & scandala, quæ sequi possunt in sanctis actionibus, essent istæ prætermittendæ, omnes, etsi sanctissimæ, relinquendæ essent; & in primis, solemnissima illa Corporis Christi processio, ad quam magno concursu vndiq; viri & mulieres confluunt; & aliæ, in quibus sacræ Reliquiæ deferuntur, & in vniuersum, omnes spirituales actiones, in quibus spes præmij temporalis esse potest: quas tamen non diceret prætermittendas Salmeron, nec quiuis alius rectè sentiens.

Dicam quòd in simili argumento inquit sanctus Augustinus relatus ab Augustino Triumpho de Potest. Eccles. iust. quæst. 86. art. 4. *Hæreticæ professionis est ista contradictio calumniosa, quæ de bonis præscribit, vt asserat mala. Amanda enim sunt feminæ inter sacra solemnia, & odio habenda in communione priuata. In Ecclesiis namque impugnationes nihil possunt, vbi etiam ipsi dæmones cedunt, & nulla sexus alicuius permittitur considerari distantia. Ibi enim spiritus dominatur, & caro ancillam semetipsam cognoscens, sicut perdit suæ voluntatis vsum, sic perdit & luxum.*

Mulieres in sacris solemniis diligenda, & in communione priuata odienda.

Et præterea, nescio quodnam magnum lucrum ex illa repræsentatione prouenire possit, quo maius ex pluribus aliis actionibus cum laude fieri solitis in Dei Ecclesia non sequatur. Accedit, quod eo tempore maiores occurrunt causæ, id est, magis mouentes non offendendi Deum; quia tunc sunt dies sancti & passionis, omnes sacramentalem peccatorum confessionem faciunt, omnes se disponunt ad recipiendum in Paschate diuinissimum Eucharistiæ Sacramentum: quæ sanè causæ multùm valent ad reprimendum petulantis carnis lasciuiam. Supponimus verò, illam repræsentationem peragendam esse à piis ac timoratis viris, Sacerdotibus præsertim, funus comitantibus, viris & mulieribus ab inuicem distinctis, vt in aliis processionibus faciendum; vtque, quantum fieri potest, omnia Dominum offendendi scandala auferantur. O vtinam qui tumulum illum condecorauit intra sepulchrum cordis nostri, nouum per innocentiam ex lapide propter constantiam in tribulationibus & fide Christi piè reciperemus, omniq́ue cum diligentia & vigilantia custoditemus, vt in præsenti per gratiam & altera vita per gloriam esset glorioſum.

CAPVT XIX.

De gloria Dominici Sepulchri ex multiplici fructu ab eodem procedente.

Regio alia vnde æstimetur.

REgio illa plurimùm æstimatur, terra illa ab omnibus pluris fit, quam benigno & placido vultu cælum respicit, in quam suos opportuno tẽpore influit influxus, aquis defluentibus & permanentibus, sicut Paradisus Domini alluitur & fecundatur, profert affluenter flores & fructus ad hominum oblectamentum & commodum: & amplius, thesaurum suis visceribus inclusum cõtinet, montibus diues, ex quibus cuiusuis generis metalla fodiuntur ad quamlibet subleuandam necessitatem. hisce rationibus tum vt nos alibi monuimus, tum præsertim Deut. cap. 8. à vers. 7. vsque ad 10. Terra promissionis à Moyse illis verbis ad populum Israël commendatur: *Dominus Deus tuus introducet te in terram bonam, terram riuorum aquarumq́; & fontium: in cuius campis & fontibus erumpunt fluuiorum abyssi: terram frumenti, hordei, ac vinearum, in qua ficus, & malogranata, & oliueta nascuntur: terram olei ac mellis. Vbi absque vlla penuria comedes panem tuum, & rerum omnium abundantia perfruêris: cuius lapides ferrum sunt, & de montibus eius aris metalla fodiuntur.* Ob easdem rationes, vt Genes. 13. memoriæ proditum est, Lot elegit regionem illam

Digitized by Google

circa Iordanem, quæ vniuerſa irrigabatur, antequam ſubuerteret Dominus Sodomam & Gomorrham, & erat ſicut Paradiſus Domini, & ſicut Ægyptus venientibus in Segor. Et mercator ille Euangelicus theſaurum abſconditum in agro inuentum abſcondit, & præ gaudio illius, abiit & vendidit vniuerſa quæ habebat, & emit agrum illum.

At non minùs æſtimanda eſt tei ..., vbi eſt ſacratiſſimum Sepulchrum, hortus ille deliciis affluens, vbi iacet Reparatoris noſtri tumulus; quam cælum propitio reſpicit vultu, Dominus ſemper inuiſit, imbribus cæleſtium chariſmatum irrigat, & aquis ſpiritualium gratiarum aliorumque bonorum ſuper omnes mundi regiones fecundat: eſt ager vitæ, cæli terræque theſaurum continens. Et quemadmodum ſacer Caluariæ mons appellatur à Ieremia, ſecundùm Doctores, regio mortis, quoniam in eo Chriſtus cum aliis, morte dignus iudicatus, mortem obiit: ita hortus ſacratiſſimi Sepulchri, regio vitæ, & terra viuentium meretur appellari; quoniam Chriſtus, deuicta morte, victor ſurrexit ad immortalem vitam, & reſurrectionis omnium extitit cauſa. Soli amplitudine à pleriſque ſuperatur locis; at omnes opulentia, gratia & gloria longo ſuperat interuallo. *Et locus quidem*, vt Chryſoſtomi aureis verbis vtar, *quo corpus hoc poſitum, brevis erat & valde anguſtus; anguſtior tamen & venerabilior mille Regum palatiis, imò etiam Regibus ipſis: & erit requies eius honor.* Cuius gloriam & excellentiam nos adhuc conſiderabimus, & ex nonnullis fructibus ſibi & nobis poſt Chriſti mortem & ſepulturam prouenientibus expendemus.

Sepulchrum Chriſti regio vitæ.

Chryſoſt. aduerſus Gentiles, demonſt. Quòd Chriſtus ſit Deus.

Gratiam & gloriam mundo peperit Dominicum Sepulchrum. Expectantur ex arbore frondes, flores & fructus: frondes floreſque priùs, & poſteriùs fructus; & Chriſtus Dominus, qui eſt *lignum vitæ afferens fructus duodecim, per menſes ſingulos reddens fructum ſuum, & folia ligni ad ſanitatem gentium*, vt dicitur Apocalyp. 22, 2. vt communiter docent interpretes, Beda, Pannon. Ansber. Rupert. Richard. Vict. Haymo, Ioachimus, affert fructus duodecim, id eſt, continuò in electis fructificat; & primò quidem in hac vita per gratiam, & in altera per gloriam & conſummatum gaudium. Et folia, id eſt, eius verba & doctrina, Gentibus ipſis ſalutem attulerunt.

Fructus Sepulchri, gratia & gloria.

Appoſitè quidem hæc ſemper dici poſſent de Chriſto, & de quouis myſterio, quo noſtram ſalutem operatus eſt; at ſingulariter de vltimo, quando prodiit glorioſus ex Sepulchro. Fructus eſt vltimum quod expectatur de arbore, vt docent Philoſophi & Theologi; & vltimum quod natura intellectualis expectat à Deo, eſt beatitudo; quam à fructu, quia vltimus eſt finis intellectualis naturæ, ſubtiliores Theologi cum D. Auguſtino fruitionem appellant; nullum ſtatuentes diſcrimen inter beatitudinem & fruitionem: & hæc diſtingui ſolet in inchoatam, & conſummatam: illam, quæ habetur in præſenti ſæculo, id eſt gratia; iſtam, quæ expectatur, & in altero poſſidebitur, id eſt gloria. Hunc fructum attulit nobis per aduentum ſuum Filius Dei, vt ipſe illis verbis Ioan. 10, 10. videtur indicaſſe; *Ego veni vt vitam habeant, & abundantius habeant*; viuant in præſenti ſæculo vita gratiæ, & in futuro abundantiùs vita gloriæ, accipiant fructum centuplum in hac vita, & in altera vitam æternam poſſideant. Vnde quemadmodum arboris flores ad fructus procreationem, & frondes ad eorumdem conſeruationem ordinantur; ita opera, miracula, & mors Chriſti flores, & eius prædicatio velut frondes, ad gratiam & gloriam electorum acquirendam & conſeruandam diriguntur. Et ſicut non proſunt frondes & flores, niſi ad maturitatem fructus perueniant; ita ſi Chriſtus per ſuam reſurrectionem nobis non comparaſſet gratiam & gloriam, quid nobis profuiſſent incarnatio, natiuitas, vita miraculoſa, ipſa denique mors & æterni Regni prædicatio? Naſci enim non profuit, niſi redimi profuiſſet, vt cantat Eccleſia; & Doctor Gentium Paulus ad Corinthios ſcribens dixit: *Si autem Chriſtus non reſurrexit, inanis eſt ergo prædicatio noſtra, inanis eſt fides veſtra*; quia videlicet Euangelij & Chriſti crucifixi prædicatio, expectatum gratiæ & gloriæ fructum non protuliſſet, niſi reſurrexiſſet Chriſtus. Reſurrectio enim Chriſti ex glorioſo Sepulchro, ſuauiſſimum hunc fructum protulit, vt idem Apoſtolus Romanis ſcribens apertiſſimè teſtatur: *Chriſtus traditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram.* Quare Petrus Apoſtolorum Princeps, eiuſque coapoſtolus Paulus, in ſuis prædicationibus frequentiſſimè Dominicæ reſurrectionis mentionem faciebant, noſtræ fidei ſigillum in audientium mentibus inculcantes: & huius fructus particeps factum fuit primò Sepulchrum, ex quo ſurrexit Dominus, eo modo quo gloriæ capax fuit. *Et erit Sepulchrum eius glorioſum*; & deinde totus mundus.

1. Cor. 15, 14.

Rom. 4, 25.

Iſa. 11, 10.

Gloria Sepulchri illa eſt, quæ loco honeſto debetur, & duplex eſſe poteſt, cæleſtis altera, altera humana; & vtraque ei excellen-

Cæleſtis & humana gloria ipſius Sepulchri.

cellentiſſimè conuenit: de priori priùs, de poſteriori poſteà agemus. Cæleſtis in primis gloria, quæ cælo conuenit, ab iſto non remouetur Sepulchro. Glorioſum appellatur cælum, quia aliqua ſorde non inficitur vt terra; & corpora lucida ac corruptionis expertia continet. Ecce huius gloria Sepulchri, quod à corpore mortuo non fuit infectum, ſed ſanctificatum; & idem mortuum non corrupit, ſed reddidit viuum. Infirmitates, infortunia, & proſperitates, ipſa hominis compoſitio, & omnia quæ videntur aduerſus hominem militant, vt infelicem reddant, & mors, vt illum vita priuet: quare Iob verè dixit, hominis vitam eſſe militiam ſuper terram. Sedenim nihil tam ad vltimum, dicam ad nihilum, redigit hominem quàm terra ſepulchri: cetera quæ militant aduerſus hominem, vel diuitiis, vel valetudine, vel vita ipſa priuant; ſed ſepulchrum in mortuum ſæuit, cadauer quod recipit putrefacit, in cineres vſque redigit, & ad deuorandum vermibus tradit. Quod aduertit ſpeculum illud idem patientiæ Iob vndique oppugnatus, diuitiis, armentis priuatus, filiis orbatus, vlceribus plenus, ab amicis vexatus, à coniuge tentatus, & à dæmone exagitatus; ita vt verè dicere potuerit, *Et pœnæ militant in me*; vndique vallatus ab hoſtibus viſibilibus & inuiſibilibus, erat ei *colluctatio* nedum *aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus principes & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum*. Et Deus ipſe viſus eſt contra Iobum arma ſumpſiſſe, ipſo dicente: *Manus Domini tetigit me: Dominus dedit, Dominus abſtulit*. & ad amicos dicebat: *Quare perſequimini me ſicut Deus?* Verumtamen maiorem omnium pœnam & ſeueritatem ex ſepulchro ſupereſſe ſibi dicebat: *Et ſolùm mihi ſupereſt ſepulchrum*. Verùm non tale fuit Chriſto ſuum Sepulchrum; at mortuum quod recepit corpus, nedum viuũ, ſed impaſſibile ac glorioſum reddidit, quemadmodum fuerat à Dauide pronuntiatum Pſal. 15, 10. *Nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem*; ſiue, vt alij clariùs ex Hebræo, *foueam corruptionis*; quia corpus Chriſti diuinitati vnitum non corrupit. Vnde Bernardus Serm. 35. in Cant. argutè infert, carnem Chriſti, quæ dici poſſit fœnum, ideò non corruptam vt fœnum, quia carnis vitio caruit; & idem fœnum erat Verbum, quod manet in æternum, & quia per carnem iſtam viuitur in æternum. Audiamus, quæſo, quid de his ſcribat D. Petrus Chryſologus Serm. 74. *Angelus Domini deſcendit de cælo, & accedens reuoluit lapidem: non dicit, voluit, ſed, reuoluit lapidem; quis adnolutus probauit mortem, & reſurrectionis aſſertor exitit. Beatus lapis, qui Chriſtum velare & reuelare potuit: beatus, qui non minùs corda aperit quàm ſepulchrum: beatus, qui dat reſurrectionis fidem, fideique reſurrectionem. Mutatur hic ordo rerum, mortem, non mortuum deuorat hoc Sepulchrum.*

Iob 7, 1.
Iob 10, 17.
Ephes. 6, 12.
Iob 19, 21.
Iob 1, 21.
Iob 19, 22.
Iob 17, 1.

Dixit aliquando Dominus, antequam morti adiudicaretur, de ſe loquens, *Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet; ſi autem mortuum fuerit, multum fructum affert*, Ioan. 12, 24. Voluit hiſce verbis, ſecundùm omnium Doctorum ſententiam, oſtendere ſuæ mortis neceſſitatem, ex qua ſibi & aliis vberes gloriæ fructus prouenire debebant; quemadmodum ex ſeminis grano terræ mandato & putrefacto plenæ meſſis manipuli colligantur, non item ſi integrum in ſolario maneat. Sed vnum, quod propoſito noſtro deſeruire videtur, non eſt hic ſilentio prætereundum, quare ſeminis corruptionem & putrefactionem mortem appellauit Dominus; impropria enim videtur huiuſcemodi locutio: etenim non moritur qui expers eſt vitæ; at granum caret vita, & ei conuenire non poteſt, quomodo ergo ei oppoſitum, id eſt, mors, conueniet? verſantur enim oppoſita circa idem. Et ſanè Philoſophi, terminum à quo generationis, corruptionis nomine expreſſerunt, dicentes: *Corruptio vnius generatio alterius.* Quare ergo ſimili loquendi phraſi non eſt vſus Saluator noſter, dicendo, *Niſi granum frumenti cadens in terram corruptum fuerit*, &c. ſed maluit dicere, *mortuum fuerit?* Quantum capio, acutè ſatis mirabile quod pertractamus myſterium eo loquendi modo indicare voluit Saluator noſter: quia ipſi, cùm Deus eſſet & homo, mori quidem conueniebat, & animæ à corpore ſeparatio; ceterùm eius benedictum corpus in Sepulchri terra videre non debebat corruptionem, ſicut prædictum fuerat. Etenim, iuxta Dionyſij lib. 1. c. 5. Eccleſ. Hierarch. & Damaſceni cap. 77. lib. 3. c. 26. ſententiam, mors eſt tantùm ſeparatio & diſſolutio vnitorum, non item alterius corruptio: & ideò alibi idem Chriſtus mortem ſuam diſſolutioni templi, vbi verè corruptio non apparet, comparauit, dicens Iudæis: *Soluite templum hoc*, &c. Ioan. 2, 19. Quare, vt ad primam ſententiam Saluatoris reuertamur, arbitror ad id ſingulariter voluiſſe ſimilitudinem reſpexiſſe. Sicut medulla tritici, quoad in cortice incluſa manet, fructum non affert, ipſo exui neceſſe eſt; ita, vt Chriſtus ſalutis optatum fructum afferret, debuit eius anima per mortem corpus ſuum velut corticem & exuuias, relinque-

Paſſionis Chriſti neceſſitas.

Mors Chriſti non dicitur corruptio.

Mors eſt vnitorum diſſolutio.

re. & ita factum est; nam post mortem & resurrectionem Christi, quando eius sanctissima anima fuit corpore exuta, & hoc terræ mandatum, ex ipsaque viuum & glorioſum prodiit, multiplex generatio & proles est secuta. Et quænam proles & generatio ista fuit? non vna, sed multiplex, eius & nostra resurrectio.

Resurrectio Christi & nostra.

Obseruarunt siquidem sacri Doctores, resurrectionem tam Christi quàm nostram in sacris Litteris generationis nomine significari. Christus in resurrectione genitus dicitur à Patre illis verbis Psalm. 2,7. *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Qui locus etsi non me lateat intelligi posse, vt multi sacri intellexerunt Doctores, de æterna & temporali Christi generatione; scio etiam fuisse eumdem de resurrectione Christi à D. Paulo interpretatum Act. 13,32. dicente: *Nos vobis annuntiamus eam, quæ ad patres nostros repromissio facta est: quoniam hanc Deus adimpleuit filiis nostris, resuscitans Iesum, sicut & in Psalmo secundo scriptum est: Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Quam interpretationem secuti sunt diuus Ambrosius lib. 3. de Sacramentis, D. Hilarius & D. Chrysostomus in Psal. 2. Et Apoc. 1, 5. quia Christus primus omnium ad vitam immortalem resurrexit, appellatur ab Archipropheta, *Primogenitus mortuorum*; & eadem ratione appositè satis D. Ambrosius Serm. 48. Christi Sepulchrum vtero Virginis comparauit, dicens: *Vbique beato corpori defertur sanctitas, vbique virginitas: purus illud venter concipit, mundus tumulus includit. Quin potiùs ipsam sepulturam, vulvam dixerim: est enim similitudo non parua. Sicut enim Dominus de matris vulva viuus exiuit, sic de sepultura viuus surrexit; nisi quòd glorioſior ista est, quàm illa natiuitas: illa enim corpus mortale genuit, hac edidit immortale. Post illam natiuitatem ad inferas descenditur; post hanc remeatur ad cælos.* Hucusque ingeniosè satis Ambrosius. Et Matth. 19. cùm Christus discipulis dixit: *In regeneratione, cùm sederit Filius hominis*, &c. hoc est in vniuersali resurrectione.

Resurrectio in generatione designata.

Sepulchrum Christi simile vtero Deiparæ.

Nobis etiam fructum regenerationis comparauit primæ & secundæ; primæ inquam, qua à statu peccati ad statum gratiæ subleuamur: de qua dicitur Apocal. 20,6. *Beatus & sanctus, qui habet partem in resurrectione prima.* Secundæ etiam, qua à corporis morte ad immortalem vitam excitabimur; cuius meminit Oseas 6, 3. dicens: *Viuificabit nos post duos dies: in die tertia suscitabit nos, & viuemus in conspectu eius.* Quem duplicem fructum amisimus ob primi protoplasti peccatum. *Nunc autem Christus resurrexit à mortuis primitiæ dormientium*, inquit Apostolus 1. Cor. 15, 20. *quoniam quidem per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur.* & iterùm, ex Christi resurrectione nostræ desumpsit argumentum, dicens: Si Christus resurrexit, & nos resurgemus. Quod præfiguratum fuit in Eliseo & eius sepulchro: in quod cùm defuncti cadauer fuisset proiectum, corpusque Prophetæ tetigisset, reuixit, 4. Reg. 13, 21.

Resurrectio Christi & nostra spiritualis & corporalis.

Postquam Euangelicus Vates plura disseruisset de Christi passione cap. 53. subiecit, *Generationem eius quis enarrabit?* Sed quid generationis nomine intellexit Propheta, quod adeò mirabile sit vt explicari nequeat? Multæ sunt huius loci Doctorum interpretationes; quas, ne nimis morosus sim, libens prætermitto, vnica contentus, quam verissimam arbitramur. Dico, Prophetam locutum fuisse de iam memorata generatione resurrectionis, quam silentio inuoluisse sanctum Vatem, credendum non est: sed quemadmodum Christus, cùm loquebatur de sua passione, statim de sua resurrectione subijciebat sermonem, vt videre est tum alibi tum Matth. 20, 18. vbi legimus, Christum de his sequentia discipulis suis dixisse: *Ecce ascendimus Ierosolymam, & Filius hominis tradetur principibus Sacerdotum, & Scribis, & condemnabunt eum morte, & tradent eum Gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum, & tertia die resurget.* Ecce quomodo post sermonem passionis statim alterum de resurrectione subrexuit. Ita Isaias, postquam ab initio cap. 53. vsque ad vers. 8. egisset de acerba Christi passione, mox subintulit de eiusdem resurrectione sermonem: *Generationem eius quis enarrabit?* Inenarrabilem non minùs dixerim generationem hanc, quàm illam ex Matre temporalem, & alteram ex Patre æternam, quia illis persimilis: & quod de temporali Matris diximus ex Ambrosio, & iterùm attingemus, & de æterna Patris enuntiatur, dici possunt de ista Sepulchri. Etenim vt in illis Filius Dei glorioſus fuit genitus, & in ista ex Sepulchri vtero gloria & honore coronatus exiuit: vtraque illa incorrupta, & supra naturam, atque inexplicabilis; & hæc supra naturæ ordinem exiuit à corruptione & putrefactione aliena. Adeò admiranda, vt licet discipuli Christi absque difficultate, Christum Dei & Virginis Filium crediderint, & confessi fuerint; sed non nisi multis signis & argumentis adduci potuerunt ad credendum, ipsum à mortuis resurrexisse. Quamobrem in isto articulo resurrectionis persua-

Resurrectio Christi similis eiusdem temporali & æternæ generationi.

perſuadendo, ſcimus Petrum, & coapoſtolum eius Paulum, cum ceteris diſcipulis plurimùm inſudaſſe. Confitentur Mahometiſtæ Chriſtum ex incorrupta Virgine natum, ſed negant interiiſſe, & reuixiſſe; ideò admirabundus Propheta meritò de hac glorioſa Chriſti regeneratione dicere potuit, *Generationem eius quis enarrabit?* Et item de vtraque noſtra à ſtatu peccati ad alterum gratiæ, & à corporali morte ad immortalem vitam (vtraque enim à ſolo Deo eſt) *Gratiam & gloriam dabit Dominus*, inquit Regius Pſaltes: per vtramque fit homo Deo ſimilis & conſors diuinæ naturæ; quod quàm ſtupendum ſit, quis non videt? Quare cùm hæc ex Chriſti Sepulchro prodierint, meritò glorioſum prædicamus. *Et erit Sepulchrum eius glorioſum.*

Pſal. 83, 12.

Moyſi lex euacuata, & Euangelica ſtabilita.

Sed ad hæc alios admirabiles fructus ſubiiciamus. Iſto Dominico Sepulchro lex Moyſi euacuata fuit, & Chriſti ſtabilita, eradicata Synagoga, & plantata Eccleſia, & ſepulturæ Sanctorum benedictum fuit. Hugo Cardinalis iam adducta Iſaiæ verba, *Et erit Sepulchrum eius glorioſum*, ad litteram intelligit de ſepulchro Ioſiæ Regis Iuda, in quo ſepultus fuit: glorioſum; quia, inquit, eo pro tanta fidelitate & amicitia interfecto, fons, iuxta quem occiſus eſt, in campo Mageddo ſiccatus eſt ſtatim, & olea, quæ iuxta fontem erat, ſtatim aruit: 4. Reg. 23. & 2. Paral. 35. hoc etiam ſcribit Abulenſis in 4. Reg. 24. q. 42. & aptat, vt alij, ad Sepulchrum Chriſti; quare Ioſias Chriſti, & illius ſepulchrum, iſtius figura expreſſa extitit. Sed quomodo in Regis Ioſiæ honorem exſiccatio illius fontis vel oleæ ceſſit? an non, ſi ille vel maiores dediſſet aquas, ſicut dedit Siloë in morte Iſaiæ, vel ſaltem ſolitas non retinuiſſet, & olea in ſua viriditate fructus vberes protuliſſet, in maiorem illius honorem ceſſiſſet? An in eo honor penſandus eſt, quòd fons ille exſiccatione & olea illa arefactione defectum piiſſimi Regis & dolorem de eius morte præmonſtrarunt? an potiùs præfigurata fuit defectio Synagogæ legiſq; Moyſaicæ, quæ mortuo Chriſto ſequi debebat?

Is. 11, 10. *Sepulchrũ Ioſiæ figura Sepulchri Domini.*

Eruditiſſimus Salmeron Tom. 10. Tract. 49. inquirit, Quare poſt Chriſti mortem loquens D. Matthæus de Sabbato, quod proximè ſecutum fuit, nomine proprio non appellauit, ſed dixit, *Altera autem die, quæ eſt poſt Paraſceuen*, &c. Reſpondet dupliciter; Primò, periphraſticè deſcripſiſſe diem Sabbati, non ſuo nomine; eò quòd non eſſet Sabbatum, quantum attinet ad Iudæorum inſaniam. Lex enim prohibebat, ne quis die Sabbati ſe loco moueret; iſti autem præuaricatores petrexerunt ad alienigenam Pilatum. Secundò, quod propoſito noſtro deſeruit, quia iam Sabbatum cum legalibus omnibus extinctum fuerat per Chriſti necem, &, vt dixit Apoſtolus Romanis ſcribens, *mortificati ſumus legi per corpus Chriſti: vt ſimus alterius, qui ex mortuis reſurrexit, vt fructificemus Deo. Cùm enim eſſemus in carne, paſſiones peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris noſtris, vt fructificarent morti. nunc autem ſoluti ſumus à lege mortis, in qua detinebamur, ita vt ſeruiamus in nouitate ſpiritus, & non in vetuſtate litteræ.*

Rom. 7, 4. 5, 6.

Doctrina Euangelica & Eccleſiaſtica Sacramenta ex Chriſti Sepulchro.

Sed enim ex altera parte glorioſior Chriſti tumulus illo Ioſiæ; quoniam ex eo, ſicut oliua fructifera in domo Dei, floruit Chriſtus reſurgendo, & fluenta gratiæ Euangelicæque doctrinæ omnibus fluxerunt, quibus ſancta Catholica Eccleſia ſtabilita & irrigata fuit.

Loquens Moyſes de abundantia, quam in Terra promiſſionis inuenire debebat Iſraëliticus populus, inter alia dicit: *Vt ſugeret mel de petra, oleumq; de ſaxo duriſſimo.* Hoc eſt, ſecundùm alteram Abulenſ. expoſitionem in cap. 32. Deut. quæſt. 4. Iſraëlitæ comedere debebant omnia quæ poſſederant populi Terræ promiſſionis, qui conditum habebant mel in vaſis de petra, &c. idem dic de lapideis vaſis, in quibus oleum iidem populi conſeruare debuerunt. Si hæc ad allegoriam trahere licet, dicere poſſemus, Primò, vaſis illis lapideis melle & oleo redundantibus, ſignificata fuiſſe ſacroſancta myſticæ Terræ promiſſionis, Catholicæ Eccleſiæ Sacramenta, ex quibus veri Iſraëlitæ, credentes videlicet Chriſtiani, mel & oleum gratiæ & meritorum hauriunt: etenim ſancti Patres Eccleſiæ noſtræ Sacramenta, vaſa gratiæ & meritorum Chriſti appellarunt; quorum tamen virtus ex ſacratiſſimo Sepulchro auctoritatem & firmitatem habuit: non enim profuiſſent, niſi Chriſtus ex Sepulchro glorioſus prodiiſſet, vt ſuperiùs diximus.

Deut. 32, 13.

Chriſti & Sanctorum ſepulchra, & eorundem virtus præfigurata.

Virtus ineſt Sanctorum corporibus & ſepulchris.

Sed ſecundò, propiùs accedentes, lapidea illa vaſa melle & oleo referta, ſignificaſſe arbitramur Sanctorum & in primis Sancti ſanctorum mauſolea: ex quorum aliquibus fluit verum & materiale oleum, viuificum manna, ſaluberrimus liquor, ad varias corporis ſanandas infirmitates; qualem alias fluxiſſe ex ſepulchro ſanctæ Catharinæ virginis & martyris legimus, & olim fluxiſſe & in præſentia fluere miraculoſum manna ex mauſoleo ſancti Antiſtitis Nicolai apud Barium in Apulia: & in hac ipſa Prouincia in ciuitate Melphi ſimile fluit ex altero ſancti Mathiæ Apoſtoli, ad varias infirmitates proficuum. Sed ex om-

nibus, inuisibili operante virtute, sanitates animabus & corporibus prouenire, variæ prodiderunt Historiæ: quare ad ea frequens est fidelium peregrinatio, & omnium veneratio.

S. Cyrillus Ierosolymitanus Catech. 18. quærens, cur mortuus Eliseus tactu ossium corpus exangue suscitauit, cùm seipsum non suscitauerit; Respondet, voluisse Deum, vt eo facto intelligeremus virtutem inesse Sanctorum corporibus, etiam luce cassis. *Quare*, ait, *exhibens alteri vitam, ipse nihilominùs mortuus Eliseus permansit? ne, si resurrexisset Eliseus, factum id soli animæ adscriberetur; & vt demonstraretur, quòd absente etiam anima, ineſt virtus quædam in corporibus Sanctorum, propter tot annos inhabitantes in illis animas, quæ eorum fideli ministerio vsa sunt*, &c.

Sanctus Chrysostomus de Vita Babylæ martyris: *Ea est*, inquit, *Sanctorum potestas, vt illorum superstitum dæmones ne vmbras quidem aut vestes ferre possint, vita autem functorum & loculos quoque reformident.*

Idem Sanctus Homil. 66. ad populum Antiochenum: *Pleroſque*, ait, *Principes auditis miraculis, quæ ad Sanctorum sepulchra patrabantur, contemptis aulis, insistere vt sua corpora ad Petri piscatoris & Pauli scenofactoris humarentur.* Et sanè Constantinus Imperator ad fores sacelli D. Petri tamquam ianitor sepeliri voluit. *Sanctorum enim ossa*, inquit Chrysostomus, *dæmones sistunt & torquent; corpore induti, incorporeas opprimunt potestates. Cineres & fadilla inuisibiles illas potestates dilaniant & nemo peregrinatus est, vt videat regias aulas; Reges verò, plerumque huius spectaculi gratia peregrinati sunt.* Idem Homil. vltima super Epist. ad Rom. ardenter cupit ad sepulchra Apostolorum prouolui. Similia alij sancti Patres dixerunt de virtute sepulchrorum Sanctorum.

At inter omnia præcipuum, & cuius gratia cetera honorantur æstimanturque, nostrum Dominicum dicimus Sepulchrum; sicut propter Dominum honorantur serui: quare iure merito sanctus Augustinus, ad huiusmodi fructus respiciens, in Serm. 59. cap. 6. ait: *Sepultus est* (Christus) *vt sepultura Sanctorum benediceret, & vt nos sibi vitiis & concupiscentiis sepeliret.* Atque hinc est, quod Baptismus, in quo fidelibus remissio peccatorum datur, censetur à D. Paulo spiritualis sepultura: *Consepulti sumus*, inquit, *cum illo per Baptismum in mortem.* Quæ verba elucidans idem D. Augustinus Ser. 48. ait: *Magna igitur sepultura huius*, id est Baptismi, *est gratia, in qua nobis & vtilis mors infertur, & vtilior condonatur: magna inquam sepultura huius gratia, quæ & purificat peccatorem, & viuificat morientem.*

Sepeliretur voluerit Christus.

Rom. 6, 4.

Ex ista petra, ex isto durissimo lapide educitur dulcissimum mel oleumque odoriferum & salubertimum; mel inquam gloriæ Christo, & oleum gratiæ nobis; mel diuinitatis, quo omnes glorificantur, & oleum salutis, quo omnes viuificantur: mel & oleum deuotionis ex recordatione mortis & resurrectionis Christi, quam hoc Sepulchrum inter alia sancta loca ob oculos ponit, vt iam ex D. Bernardo attigimus. O vtinam veri simus Israëlitæ, vt de hac viuifica & salutari petra mel & oleum spiritualium cælestiumque charismatum educere possimus, quibus animæ corporisque salus comparetur; & quemadmodum magna illa Paula Romana, diuo referente Hieronymo Epist. 27. ingressa Sepulchrum Domini, osculabatur lapidem, & ipsum corporis locum, in quo Christus iacuerat, quasi sitiens desideratas aquas fideli ore lambebat: nos idem, si non ibi, alibi saltem pio feruidoque affectu præstemus.

CAPVT XX.

Christi Domini Sepulchrum glorioſum ex eo, quòd amictum vndique gloria Dominum contmuerit.

ET erit Sepulchrum eius glorioſum; quia glorioſum ſuppoſitum continuit. Attende, cælum empyreum, regnum & requies Sanctorum non dicitur à ſitu eminenti, vel ædificij pulchritudine, & ſimilibus, quæ ipſa natura intellectuali inferiora ſunt: tantum abeſt, vt eam beatificare poſſint; neque ex ſimplici præſentia Dei, quia tunc nedum viatores in hac valle lacrymarum, ſed damnati ipſi in regione vmbræ mortis, vbi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat, æterna requie & gloria perfruerentur; quoniam omnibus vbique præſens eſt Deus: quod tamen adeò falſum eſt, vt experientia omnem reiiciat probationem. Quid ergo erit quietis & gloriæ cauſa? Deus clarè viſus & feruidè dilectus, cui mens ſuper omnia hæreat intellectu & voluntate, in eoque, omnem noſtram vacuitatem & appetitum implente, perfectè quieſcat; ſit natura quæ beatificatur in cælo, vel in terra ſiue in inferno, vt pluribus probare poſſemus, niſi pluſquam manifeſtum hoc eſſet. Hac ipſa ratione dicimus nos, ſacratiſſimum Saluatoris Sepulchrum glorioſum; quoniam Deus optimus maximus in ratione obiecti beatifici oſtendit ſe animæ Chriſti, & Angelis Chriſto exhibentibus famulatum.

Deus clarè viſus & dilectus gloria cauſa.

Audeo

Sepulchrũ Christi magis beatum quàm empyreum cælum.

Audeo dicere, Sepulchrum illud, & singulariter tempore quo Christum continuit, glorioſius extitiſſe, quàm vmquam anteà fuerit ipſum empyreum cælum: nec hoc paradoxum, vel à veritate alienum iudicabitur, ſi ad beatitudinis naturam & eius gradus attendamus. Beatitudo duplex eſt, increata & creata; illa ſoli Deo, iſta competit creaturæ; quæ beatitudo adhuc diſtinguitur in eſſentialem & accidentalem; eſſentialis conſiſtit in Dei viſione & fruitione, accidentalis verò in aliis: ſi ad hanc non reducas quæ conuenit corpori, dices, beatitudinem aliam conuenire naturæ Angelicæ & alteram humanæ, non ſolùm ratione animæ, quæ conuenit cum Angelica, ſed etiam ratione corporis; cui quatuor dotes conueniunt, claritas, impaſſibilitas, agilitas, & ſubtilitas, vt Theologi docent. Iis addendum eſt, quòd, ſicut iidem docent Theologi, maius bonum eſt, & extenſiuè, etſi non intenſiuè, Deus cum omnibus creaturis, quàm ſolus Deus: ita extenſiuè, maior gloria erit increata & creata gloria, quàm ſola increata; & maior item ſimpliciter ſumma creata ſpiritualis, eſſentialis, accidentalis & corporalis, quàm ſola creata ſpiritualis, quæuis illa ſit: & conſequenter, locus ille, in quo erit maior gloria intenſiuè vel extenſiuè, magis altero glorioſus, vbi talis non erit, dicendus profectò erit. Atqui talem inuenio gloriam in Dominico Sepulchro, quando Chriſtus in eo poſitus, ex eoque glorioſus exiuit, quam non inuenio in empyreo cælo, antequam illuc aſcenderet Deus homo; igitur ipſo empyreo cælo glorioſius fuit Dominicum Sepulchrum. Tota vis argumenti conſiſtit in probatione & explicatione: ſed abſque difficultate probo & explico.

In triduo mortis Chriſti, quo corpus ſanctiſſimum iacuit in Sepulchro, glorioſum fuit propter gloriam eſſentialem; quia illi corpori vnitum erat Verbum diuinum gloria increata beatum: numquam enim Verbum Dei, quod eſſentialiter beatum eſt, ſacrum illud corpus reliquit, vt de fide tenendum eſſe docent Doctores. Quando verò tertia die Chriſti anima ſumme beata, magis quàm ipſi Seraphim, venit ad Sepulchrum, & diuina virtute fuit ſuo corpori vnita, effecitque illud glorioſum, & in eo præterea fuit glorioſa Chriſti humanitas; quæ, poſt eſſentiam diuinam, præcipuum beatitudinis obiectum eſt, vt docent Cyprianus Ser. de Natiuitate, & Auguſtinus de Spiritu & anima cap. 4. ac conſequenter, ibi fuit quidquid ad ſummam beatitudinem deſiderari potuit. An ergo non dices, ob iſta glorioſum magis quàm ipſum empyreum cælum extitiſſe Dominicum Sepulchrum? ſiquidem omnis gloria intus apparuit Dei, & creaturæ non humanæ modò, ſed etiam Angelicæ: quia Angeli in fulgentibus albis veſtibus in iuuenili aſpectu & in dextera apparuerunt; & vt corporalem Chriſti gloriam & propriam ſpiritualem ibi non deeſſe ſignificarent, & in obſequium ſtare Redemptoris, & omnium Creatoris Chriſti Ieſu.

Et ſi Beatorum multitudo auget beatitudinem ſaltem accidentalem; & hæc illi non defuit Sepulchro: etenim ibi fuit multitudo Angelorum (qui tamquam in cælo manebant, vt inquit Chryſoſtomus in Pſal. 2. quorum aliqui apparuerunt) & multitudo ſanctorum hominum, quos eduxit Dominus de lacu, captiuam ſecum ducens captiuitatem; tuncque multa corpora, quæ dormierant, ſurrexerunt. Et profectò agmina ſanctorum hominum & Angelorum ſuum glorioſum Ducem circumſtare debebant, & coronas de eorum capitibus ablatas ad eius pedes vt Victori offerre, quòd fecerit illos glorioſos Reges.

Sapientiſſimus ille Salomon, ſanctiſſimi Regis filius, ferculum & lectulum profectò ſingularem, vt eius decebat regiam magnificentiam, habuiſſe fertur: vtriuſque cæleſtis illa ſponſa meminit; ferculi illis verbis: *Ferculum ſibi fecit Rex Salomon de ligno Libani: columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, aſcenſum purpureum: media charitate conſtrauit propter filias Ieruſalem*, Cant. 3, 9. lectuli verò parum ante præmiſſa verba, dicens: *En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſſimis Iſraël: omnes tenentes gladios, & ad bella doctiſſimi: vniuſcuiuſque enſis ſuper femur ſuum propter timores nocturnos.* Illud in horum deſcriptione obſeruatione dignum eſt, cæleſtem ſponſam non ferculum, ſed lectulum multis cuſtodibus ſtipatum deſcribere; cùm tamen è contra res ſe habere deberet: etenim Reges cùm regali domo ſua egrediuntur, magno cum cuſtodum comitatu arma in manibus tenentium, quaſi ad defenſionem promptiſſimi & paratiſſimi ſint, incedere ſolent; dormientes verò minimè hac tanta cuſtodia muniri neceſſe eſt.

Crux Chriſti in ferculo Salomonis, & in lectulo Sepulchrum præfiguratum.

Aliis omiſſis, libenter dicerem: quòd quemadmodum Salomon ille Dauidis filius, ſecundùm omnes, Chriſtum Æterni Patris Filium ſignificabat; ita quæ Salomonis erant, & inter cetera, ferculum & lectulum eius, aliqua quæ Chriſto deſeruierunt repræſentaſſe. Et quid hæc? an ferculum ſanctam eius crucem, & lectulus ſanctiſſimum Sepulchrum? Appoſitè in ferculo præ-

Digitized by Google

præfiguratam fuisse dices sanctam Crucem, in qua fuit velut in ferculo delatus, eleuatus & exaltatus. Factum erat illud de lignis Libani imputribilibus; & hæc diuina virtute præseruata fuit à carie, igne & putrefactione. Illius ascensus erat purpureus; & sanguine Saluatoris non dices purpuratam sanctam Crucem? ideò appositè Glossa ordinaria: *Ipse Christus est ascensus, per quem in Ecclesiam & in cælum intratur: purpureus, quia lauit nos in sanguine suo. Et nullus ingreditur Ecclesiam, nisi Sacramento Dominicæ crucis.* In illo propter filias Ierusalem se reclinauit Salomon; & in ista ex charitate propter fidelium animarum salutem se reclinauit Christus. Salomonis ferculo ad defensionem custodes milites non describuntur, quoniam Christus in cruce erat ab omnibus derelinquendus, sicut & fuit derelictus; ita vt non esset qui aspiceret.

Lectulum dixi significare sanctissimum Sepulchrum, in quo in triduo mortis, velut in florido lectulo, vt dormiens quieuit in pace; ita vt verè potuerit dicere Saluator, *In pace in idipsum dormiam, & requiescam*, Psalmo 4, 9. &: *Ego dormiui, & soporatus sum*, Psal. 3, 6. & ex ferculo passionis & crucis venit ad quietem lectuli Sepulchri & resurrectionis. Describuntur huic lectulo custodes milites fortissimi & doctissimi: quandoquidem Angeli & homines, pleni diuina sapientia, fortes in bello contra hostes visibiles & inuisibiles, iuxta hoc Sepulchrum ad eius gloriam apparere debebant: & verè Angelorum choros, & cœtus sanctarum mulierum, & Christi discipulorum collegium ibi apparuisse nouimus ex Euangelio. Quare meritò absque militibus ferculum, lectulus eisdem stipatus describitur; quia fuit Christus in cruce ab omnibus derelictus, & in Sepulchro nobili & glorioso cælestium spirituum & sanctorum hominum cœtu circumdatus. Quemadmodum & Iosias in bello derelictus, occubuit in vno ex curribus suis; & in altero, fuit cum honore in Ierusalem delatus & sepultus, 2. Paralip. 35.

Nec mea est hæc interpretatio; eam priùs dederunt veteres Ecclesiæ Patres, Apponius & Philo Carpatius. Ille siquidem per Salomonis ferculum, crucem Saluatoris significari docet: per tria, quæ in ipso ferculo fuisse dicuntur, columnas argenteas, reclinatorium aureum, & ascensum purpureum, tria intelligit quæ in ipsa cruce fuere absque iniuria Deitatis; verum immaculatumq; corpus, instar argenti candescens præ puritate, animam glorioſam, auri fulgore rutilantem, in qua Dei sermo reclinatorium vsque nunc probatur habere, & corporeum regalemque Deitatis sensum coruscantem. Iste verò per lectulum, Sepulchrum Christi intellexit; sed aliter ac nos de custodibus interpretatus est, dicens: *Lectulus Salomonis*, inquit, *Sepulchrum Christi, sexaginta fortes, custodes, quos ad eiusdem custodiam positos legimus in Euangelio*: Glorioſum ergo Dominicum Sepulchrum, quod continuit Christum anima & corpore gloria fulgentem, & fulgentes gloria Angelos & homines ipsum circumdantes.

CAPVT XXI.

Gloria Dominici Sepulchri amplius ostenditur ex collatione ipsius cum vtero purissimo Virginis Mariæ, empyreo cælo & terrestri paradiso.

GLorioſum adhuc prædicamus Dominicum Sepulchrum, ex gloria quæ corpori alicui conuenire potest ab ipso non negata; nec immeritò præferri potest ipsi empyreo cælo. Christi Sepulchrum confertur vtero purissimo Matris Dei à sanctis Patribus & Doctoribus, Augustino Sermone 283. Ambrosio Serm. 48. & aliis; & optima sanè ratione.

Inter cetera encomia quæ de vtero Mariæ Virginis prodiderunt Sancti, celeberrimum illud mihi videtur, quod mulier illa Euangelica exclamans Spiritu sancto afflata protulit, vt dicit Iansenius, quo beatum prædicauit, dicens: *Beatus venter, qui te portauit*, Luc. 11, 27. Sed quare beatus? Respondet Seraphicus noster Bonauentura in Lucam: *Fuit venter Virginis beatus propter tria priuilegia; quia, vt dicit Bernardus, fuit sine corruptione fecunda, sine grauedine grauida, & sine dolore puerpera; vnde dici potest illud Isaiæ: Quis audiuit vnquam tale? & quis vidit huic simile? Fuit etiam beatus propter tria miracula. Primum est, coniunctio infinitè distantium: Deus enim ibi factus est homo, Creator creatura, Immensus paruus, Verbum infans, Aeternus temporalis, secundùm illud Ioannis: Et Verbum caro factum est. Secundum miraculum est: quia qui fecit ventrem, factus est in ventre; vnde in Psalm. dicitur: Gloriosa dicta sunt de te, ciuitas Dei. & pòst: Homo natus est in ea, & ipse fundauit eam Altissimus. Tertium miraculum: quia qui continet omnia, continetur in ventre; & ille ibi capitur, quem totus non capit orbis. vnde cantas Ecclesia: Quia quem cæli capere non poterant, tuo gremio contulisti.* Hucusque piè & doctè Seraphicus Doctor de beatitudine vteri S. Virginis Mariæ. Quæ si attentè considerare volueri-

Isa. 66, 8.

Ioan. 1, 14.

Psal. 86, 3.

Digitized by Google

voluerimus, appositè cognoscemus, enuntiari posse de Sepulchro Domini; & non minùs extollent eius excellentiam: sed à primo priuilegio ordiamur.

Priuilegia veteri virginalu concessa Christi Sepulchro.

Beatus venter Virginis, quia *fuit sine corruptione fecunda*: quoniam quando Filium concepit, absque virili semine nulla ex parte fœdata, sed Spiritu sancto superueniente mirificè fecundata & illustrata: & Dominicum Sepulchrum nouum nulla sorde fuit contaminatum, quando in se Christi corpus recepit; sed præter aromata, quibus fuit delibutum, erat Verbo diuino vnitum, quo ipso cælo purius & illustrius reddebatur. *Vbique beato corpori defertur sanctitas*, inquit D. Augustinus citatus, *vbique virginitas: nouum ille venter concepit, nouus tumulus conclusit.*

Secundum Virginei veteri priuilegium fuit; quòd Filium Dei carne vestitum continuit, & baiulæ Matri oneri non fuit: & ex Christo grauitatem non sensit Sepulchrum hoc, sed quietem. *Et erit requies eius honor. In pace in idipsum dormiam, & requiescam*, Psal. 4,9. Quiescens enim in eo Christus, omnium abstulit labores, & vniuersalis quietis extitit causa.

Tertium veteri Virginei priuilegium, quia absque dolore, illibata virginitate permanente, edidit Saluatorem: quare Cant. 7,2. de illo dicitur: *Venter tuus sicut acerus tritici, vallatus liliis.* Aceruus inquam tritici; quia continuit Dei & hominis Filium, quo totus mundus pascitur & nutritur: sed vallatus liliis, quia semper Virgo. Et ex isto Sepulchro, sigillo & militibus munito, exiuit Christus; fuitque granum incorruptum, vt præmissum fuit, nisi mauis dicere aceruum, propter vbertatem, quam in Sepulchro attulit sibi & aliis. Est vallatum liliis, tum quia illibatum semper permansit; tum quia à myriadibus Angelorum fuit custoditum.

Hic adderem, tunc beatum ventrem Virginis extitisse, quando peperit Filium suum; quia exiuit, ac si corpus fuisset glorioſum, clauso virginitatis sigillo, vt sacri docent Theologi: & dote subtilitatis prodiit è Sepulchro Christus; *In Deo meo*, inquit, *transgrediar murum*; priuilegiumque Matris lapidi non fuit denegatum. Psal. 17,30

Miracula in vtero Virginis operata, Sepulchro Christi haud negata.

Beatus venter Virginis propter tria miracula, & propter totidem glorioſum Christi Sepulchrum. Primum miraculum veteri Virginei est, quòd in eo infinitè distantia vnita fuere, quando *Verbum caro factum est*. In Sepulchro per vnionem animæ ad corpus, totum illud quod in morte cecidit, & dissolutum fuit, diuino verbo fuit suppositum, & homo factus est qui in triduo non fuit, vt in 3. Sentent. dist. 22. communiter docent Doctores; sed aliquid amplius factum est, quia non paruulus & mortalis, sed magnus, glorioſus & immortalis.

Secundum miraculum veteri Virginei est; quòd *qui fecit ventrem, factus est in ventre*; & Deus ille, qui hoc condidit Sepulchrum, in eo factus fuit Christus glorioſus: quare hîc aptari meritò possunt illa Dauidica verba: *Dominus regnauit, decorem indutus est: indutus est Dominus fortitudinem, & præcinxit se.* Et quemnam decorem induit Dei Filius? *Decorem humanitatis*, ait D. Epiphanius Hæres. 69. Et profectò meliùs decorem hunc interpretari possumus de glorioſa humanitate, qua ex Sepulchro exiuit, palàm triumphans in semetipso, debellatis tartareis potestatibus, quàm de eadem, qua paruulus passionibus obnoxius ex vtero Virginis Mariæ prodiit. Psal. 92, 1

Tertium denique miraculum Virginei veteri est; quòd *qui continet omnia, continetur in ventre*: & nónne, in isto sanctissimo Sepulchro clausus, non mansit ille idem, in quo sunt & per quem facta sunt omnia? *Ille qui clausus lapide, custoditur sub milite*, &c.

D. Bernardus Serm. 2. de Pentecost. illud Psalm. 73, 12. *Operatus est salutem in medio terræ*, de Virginis vtero interpretatur: *Operabatur*, inquit, *Christus salutem nostram in medio terræ, in vtero videlicet Virginis Mariæ; qui mirabili proprietate terræ medium appellatur. Ad illam enim sicut ad medium, sicut ad arcam Dei, sicut ad rerum causam, sicut ad negotium sæculorum, respiciunt, & qui in cælo habitant, & qui in inferno, & qui nos præcesserunt, & nos qui sumus, & qui sequentur, & nati natorum, & qui nascentur ab illis. Illi qui sunt in cælo, vt reſarciantur; qui in inferno*, id est purgatorio, *vt eripiantur; qui præcesserunt, vt Prophetæ fideles inueniantur; qui sequuntur, vt glorificentur*, &c.

At non minori ratione, imò maiori, possumus illud ipsum intelligere de sanctissimo nostro Sepulchro; dicemusque: Non modò operabatur Christus, vt dixit Bernardus de eodem, dum erat in Virginis vtero, sed verè operatus est, quia completiuè, quod imitatiuè fecit in vtero Virginis: in Sepulchro enim fuit nostra salus consummata, & alibi cœpta. Et hoc in medio nôdum Terræ sanctæ est, sed etiam totius mundi, vt ex aliàs dictis liquidò constat. Et nónne ad sanctissimum Sepulchrum, sicut ad arcam Dei, sicut ad rerum causam, sicut ad negotium sæculorum, respiciunt & qui in cælo habitant Angeli, dum ad ipsum veniunt, vel ad regias exequias cele-

Digitized by Google

celebrandas, vel ad nuntiandam Christi resurrectionem, vel ad ipsum denique venerandum; & vt quondam Cherubim erant supra arcam testimonij, ita Angeli apparuerunt super arcam Sepulchri, ad caput & pedes vbi positum fuerat corpus Iesu, vt testantur Euangelistæ. Et vt iidem Cherubim custodiebant terrestrem paradisum, & Angeli Dominicum Sepulchrum, ad ipsum respiciunt qui in inferno fuerunt sancti Patres; quoniam ex Christi resurrectione in Sepulchro isto operata suam expectabant: & educti è limbo, animam liberatoris Christi ad illum vsque sacrum tumulum comitati fuere. Et omnes denique qui sunt, præcesserunt, & sequentur, ad hoc Sepulchrum oculos conijciunt, salutem commodumque ob Christi resurrectionem exspectantes.

Isaiæ cap. 53, 2. sunt hæc litteris consignata: *Ascendet sicut virgultum, & sicut radix de terra sitienti & inuia.* Sed quisnam est, qui ascendit sicut virgultum de terra sitienti & inuia? & quænam est hæc terra ex qua ascendit? Communiter respondent Catholici scriptores, virgultum, Christum Dominum, esse radicem omnium bonorum; terram verò sanctissimam, Virginem Mariam, ex qua ille ortus est nullo humano irrigata opere: qua etiam ratione flos campi dicitur Christus, non horti, qui humano opere excolitur & irrigatur. Sed campus de cælo expectat irrigari & fecundari; & Christus ex campo vteri virginalis, non hominis, sed Spiritus sancti superueniente virtute conceptus & natus prodiit. Non dissimili ratione hæc dici possunt de eodem Christo & eius sanctissimo Sepulchro: in eo siquidem velut granum mortuum positus fuit, & non naturali quidem, sed supernaturali virtute prodiit fructus. *Ego dormiui*, inquit eius nomine Propheta Regius Psal. 3,6. *& soporatus sum, & exurrexi, quia Dominus suscepit me.* Terra inuia Sepulchrum Domini; quia nondum quisquam in eo positus fuit, vt ait Ioannes 19. nec posteà alterius extitit sepultura: vnde eleganter Augustinus: *Sicut*, inquit, *in Maria Virginis vtero nemo ante illum, nemo post illum conceptus est; ita in hoc monumento nemo ante illum, nemo post illum sepultus est*, &c. & iis pleraque alia aptari possent, quæ de sacratissimo Virginis Mariæ vtero sancti Patres dixerunt, vnde magis ac magis fulget gloria sancti Sepulchri Domini nostri.

Christi Sepulchrum cælo simile:

Cæli incorruptibiles dicuntur; tum quia incorruptibiles spiritus & corpora ipsa beatorum à corruptione aliena conseruant; tum quia taliter à Deo conditi sunt, quòd intrinsecè minimè corruptibiles sunt, & extrinsecè non corrumpentur: ideò illos solidissimos, quasi ære fusos apud Iobum appellauit Dominus. Et hoc Sepulchrum hac ferme duplici ratione cælum incorruptibile dici meretur: siquidem continuit in se, vt iam diximus, nedum incorruptibilitatis expertes Angelos, sed & ipsum Deum & hominem glorioſum. Et quemadmodum Christus in die ascensionis suæ penetrauit cælos absque illorum diuisione; ita priùs exiuit de Sepulchro absque illius nocumento. Et quamuis hîc in terra habeat Sepulchrum corruptiuum extrinsecum, quod cælum non habet; diuina tamen virtute factum est, vt adhuc incorruptum maneat apud ipsos Christi hostes: qui licet sæpiùs tentarint illud penitus destruere & demolire, occulta tamen vi & diuina prouidentia prohibiti semper fuere, vt alibi dictum fuit; & quasi incorruptibile cælum adhuc inter ipsos infideles glorioſum perseuerat. Et quamuis non me lateat, quòd quemadmodum, ob pietatem fidelium, vt ab aliis locis sanctis, & ab ipsa Dominica Cruce variæ particulæ abrasæ fuerunt, ita & à Dominico Sepulchro; at hoc cessit ad maiorem eius gloriam: vt sicut cælum vbique terrarum se extendit, ita vbique terrarum fulgeret gloria sanctissimi Sepulchri. Ideò eleganter & verè S. Athanasius Orat. in sanctam Parasceuen dixit: *Monumentum illud vocatur immortalitatis locus, officina resurrectionis, sepulchrorum dissolutio: in quo mors desinit esse mors; in quo vita seritur, finem non habitura.* Hæc ille.

Lib. hoc Cap. v. 1. Pereg. & Cap. xvi. Pereg. 11.

Condidit olim Deus terrestrem Paradisum, hortum deliciarum; qui continens mirabiles illas arbores, & inter alias alteram scientiæ boni & mali, alteram vitæ: & expressa extitit figura & typus cælestis paradisi, vbi in Deo omnia cognoscuntur, & vita viuunt immortali: qui si aquis diluuij aliáve ratione demolitus sit, vt quidam opinati fuere, ne talis typus deesset, hoc voluit extitisse Sepulchrum, in quo fuit lignum vitæ, & scientiæ boni & vitæ Christi Domini; quòd si ille adhuc extat, à cognitione hominum remotissimus est: at hoc Sepulchrum omnibus volentibus monstratur; propter quæ & alia, nedum glorioſum dixit Isaias, sed ipsam gloriam appellauit, sicut quidam ex Hebræo legunt, *Mansio eius erit in gloria.*

in terrestri paradiso præfiguratum.

CA-

Digitized by Google

CAPVT XXII.

Humana temporaliq́ue gloria celebre ſacratiſſimum Domini noſtri Ieſu Chriſti Sepulchrum.

QVamuis humanæ gloriæ ſplendor, maieſtas, temporalisq́ue eiuſque rei conditio non magni facienda ſit, vtpote corruptibilis & tranſitoria; non tamen contemnenda, cùm præſertim ſolidum habeat fundamentum, ſpiritualem, veram, eamq́ue perennem. Et, vt alia prætereamus, ſummi Regis filiæ gloriam non tantùm ab intus prædicauit regius Vates Pſalmo 44, 14. *Omnis gloria eius filiæ Regis ab intus*; verùm etiam eam extollit, dum alteram externam, humanam temporariamq́ue ei non defuiſſe ſubdit, *In fimbriis aureis, & in veſtitu deaurato, circumdata varietate*. Ita in propoſito, licet quæ dicturi ſumus præſenti Capite de ſanctiſſimo Chriſti Sepulchro reſpiciant eiuſdem humanam temporalemq́ue gloriam, non tamen prætermittenda, cùm abundanter habeat, vnde ſupra cælos extollatur ſpiritualibus ſupernaturalibusq́ue beneficiis; & quia Chriſto, cui dicatum fuit, omnis honor & gloria debetur. Quare cùm ad illius honorem pauca pro tenuitate noſtra dixerimus in præcedentibus, quæ illius ſpiritualem maieſtatem & gloriam reſpiciunt, conſequens eſt vt alia ſubijciamus, quibus illius humana gloria illuſtretur, & ex omni capite glorioſum demonſtretur.

Et quidem ex hac parte, vt alia, ita & ædificia ex multiplici capite laudari poſſunt; vel abſolutè, & in ſe, vel comparatiuè, reſpectuq́ue ad alia, ab intrinſeco vel ab extrinſeco. Ab intrinſeco ex tribus laudari conſueuerunt; ab altitudine primum, deinde ab amplitudine, poſtremò ab ornamentis ac decore, qui varius eſt, materia, eiusq́ue pretio, artificio, ſymmetria, & ſi quid aliud elegantia aut peritia amat; ex his vrbs Roma & ampliùs Salomonicum templum laudatur à ſcriptoribus. Ab extrinſeco, ex nobili auctore; quod quæ extra illius eſſe continet, ponderis & virtutis ſunt, vt theſauri, & quæ multùm æſtimantur, frequentiq́ue populorum concurſu inuiſuntur; quo pacto celebris extitit Ieroſolyma, Palæſtina, Dauidicum ſepulchrum, aliaq́ue Patriarcharum Sanctorumq́; veteris & noui Teſtamenti mauſolea.

Non in ſe laudamus & intrinſecè Dominicum Sepulchrum, ipſum præferendo ſeptem mundi miraculis ſiue mirabilibus, non vrbi Romæ, templo Salomonis, Dauidis aliorumq́ue Regum ſepulchris: ex aliàs enim dictis & conſideratis, quæ à fide dignis ſcriptoribus aſſeruntur de mundi miraculis, &c. longè illa antecellunt ſtructuram ſanctiſſimi Sepulchri; aliàs tamen nobile & illuſtre, in rupe exciſum, diſtincta habens loca, veſtibulum, cellulam, & in cellula locum vbi poſitum fuit corpus Ieſu; quóve decore & elegantia pòſt fuerit ornatum, aliàs monſtrauimus. Etenim licet Dominus honorifica ſepultura donari voluerit; ceterùm humilitatis, quam ſemper coluit & docuit, poſt mortem exemplum relinquere voluit, dum in alieno Sepulchro, etſi viri nobilis, non tamen Regis, ſepeliri voluit; vt hoc pacto iactantiam terrenorum Principum & ſuperbiam damnaret, ſeq́; non eſſe, vt iam Pilato dixerat, Regem de hoc mundo, nec eius gloriam à tumuli interna magnificentia affectare, atque caducis his inhærendum non eſſe, omnibus exemplum relinqueret: verùm licet altitudine, amplitudine, ornamentis, decore vario, materiæ pretio & artificio ſuperetur à memoratis & pleriſque aliis ædificiis & mauſoleis, omnia tamen mundi ſuperat longo interuallo.

Omitto dicere (quod non parum Dominici Sepulchri gloriam extollit) à nobili Decurione ciuitatis Ieruſalem pioq́ue viro fuiſſe in petra exciſum, vt docet Matthæus. Præcellit in primis cetera ſepulchra ex in eo contentis. Quid alia continent ſepulchra? omnia, etſi affabrè elaborata illuſtriaq́ue, cadauera, ſanies, vermes, cineres. Sint illa iuuenum vel ſenum, pauperum vel diuitum, ſint doctiſſimorum virorum litteris ac conſcriptis Voluminibus celebrium, ſint animi ac corporis fortitudine heroicisq́; facinoribus præſtantium, ſint Pontificum, Imperatorum & Regum, ac denique ſint mauſolea virorum quacumque Eccleſiaſtica vel ſæculari dignitate fulgentium, ſint illa magnis ſumptibus & multa artis peritia & labore conſtructa, obeliſcis, pyramidibus, trophæis ſimilibusq́ue exornata operibus; ſi nihilominùs interiùs aſpicias, aliud non videbis quàm fœtentia cadauera, ſanies, vermes, cineres & oſſa arida; verè tamen clamantia: Ego putredinis filius & frater vermium; hæc ſtirps mea: nomen meum ne quære, euanuit cum vita, quam poſt lacrymas & curas, in armis & libris conſumpſi, quos pæne ſimul cum vita claſi. Humana cuncta fumus, vmbra, vanitas, & ſcenæ imago, &, verbo vt abſoluam, NIHIL; hæc & ſimilia mutis vocibus loquuntur ſepulchris inſculpta elogia & epitaphia. Ad quæ alludens Dominus dixit: *Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ: quia ſimiles eſtis ſepulchris dealbatis, quæ à foris parent hominibus ſpecioſa, intus verò plena ſunt oſſibus* Matth. 23. 27.

ossibus mortuorum, & omni spurcitia, &c. Sed non similia de nostro Dominico Sepulchro, quod Deum & hominem immortalem continuit, vbique terrarum celebrem & gloriosum: non illi affigitur pro epitaphio, *Hic iacet*, &c. hoc est, Hic tumulata sunt ossa & cineres; sed illustrissimum ab Euangelico Vate, *Et erit sepulchrum eius gloriosum*; ab Angelis autē, *Surrexit, non est hic*. hoc est: Non continet hoc Sepulchrum putridum cadauer, sed exanime & vita functum corpus viuum ac gloriosum reddidit.

In sepulchris nonnullis recondebant aliquando veteres ditissimos thesauros, quorum gratia non parum æstimabantur, vt alibi, de Dauidis sepulchrō agentes, ostendimus. At nostrum Dominicum continuit liberum à corruptione corpus, & gloriosum reddidit; totius mundi thesaurum, illum, in quo sunt omnes thesauri scientiæ & sapientiæ Dei, & omnia bona cælestia & terrestria. De cælestibus iam in præcedentibus vidimus, nunc de terrenis idipsum explicandum, quæ ad illa sequuntur, iuxta sententiam Saluatoris Matth. 6, 33. *Quærite primùm regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis.* Continuit hic tumulus Æterni Patris Verbum, in quo omnia, ex quo omnia, per quem omnia facta sunt, & in Christo instaurata sunt omnia quæ in cælis & quæ in terra sunt, vt ad Ephesios dicitur, & profectò nedum id confitentur fideles, sed & infideles ipsi factis testantur. Ioseph ab Arimathæa corpus Iesu audacter petiit à Pilato, & pretio emit, vt rem valdè pretiosam; & Pilatus iussit reddi corpus Iesu ipsi Ioseph: & magni muneris loco fuisse illam donationem, interpretatur Theophylactus in Matth. 27. ac subdit: *Nam cùm vt sedi tiosus esset occisus, reliquum erat vt insepultus abiceretur: verum cùm Ioseph dives esset, verisimile est, quòd Pilato aurum dederit.* Si verum est quod scribit Lodulphus, quem refert & sequitur Daniel Mallon. de sacra Sindone cap. 1. quòd Ioseph quinque annis seruierit Pilato non humili, sed vt Decurio, nobili obsequio, vt obseruauit Petrus Comestor in Hist. Euang. cap. 180. & pro tota mercede, quæ illi debebatur, petierit sibi donari corpus Iesu ad sepeliendū: ecce quomodo temporale bonum non Ioseph, modò, sed ipsemet Pilatus corpus Christi credidit, cùm pro temporali mercede illud dederit Iosepho. & Mariam Magdalenam ideò dicunt quidam, quem hortulanum arbitrabatur, Dominum appellasse Ioan. 20, 15. dum dixit ad illum: *Domine, si tu sustulisti eum*, &c. quia credebat ipsum habuisse Christum Dominum cæli terræque thesaurum, qui possidentes dominos facit.

Sepulchra Christi thesauri vena.

Sed quid dico thesaurum? dicam potiùs, thesauri venam esse Sepulchrum Christi, etiam ipsorum infidelium testimonio, qui ex Christi Sepulchro magnos continuò & à venientibus peregrinis, & multò magis ab ibidem permanentibus Christianis, exigunt prouentus. Et cùm ipsi fœnori dant illis pecunias, rogati, an timeant illas deperdere, respondent, minimè timere, dum vident Sepulchrum illud aliáve loca sancta manere, ea auri argentique fodinas arbitrantes; atque ideò de illis verè enuntiari posse, etsi forte in allegorico sensu, quæ Deut. 8, 9. de lapidibus & montibus Terræ promissionis dixit Moyses: *Cuius lapides ferrum sunt, & de montibus eius æris metalla fodiuntur.* Et habitantes ibi Franciscani Fratres, aliqui fideles, & aduenientes peregrini, Sepulchri huius aliorumque sanctorum locorum beneficio sustentantur. Et hæc profectò de nullo cuiusuis Principis sepulchro enuntiari poterunt: quare illius gloria ex hoc capite supra cetera mausolea longè extollitur.

Sepulchra Christi thesauri.

Et quamuis in præsentia nullum contineat corpus; honoratur tamen, quòd anteà continuerit sanctum, & nunc temporis quodlibet aliud respuat. Regio currui, equóve, cui aliquando ipse Rex insedit, tantum defertur, vt nemini in eo sedere permittatur: hinc aliquando diuinitus factum fuit, vt quidam equus aliàs mansuetus, quo aliquando vsus fuit sanctus Ioannes Papa, cùm super eum postea illius domina sedere vellet, ferox euaserit, & fremitu, & totius corporis agitatione, illam semper expulerit, tamquam indignaretur, mulierem recipere, ex quo sedisset in eo Iesu Christi Vicarius: quamobrem equus Pontifici donatus fuit, vt illi soli inseruiret. Et huic Sepulchro, quod modico tempore continuit summum Regem gloriæ Christum, tantum tributum fuit, vt alterius corporis non extiterit sepultura; honori tantum & ad gloriam Reparatoris seruatur; sicut vterus Virginis post Christum Dominum alium non concepit, vt egregiè adnotauit Origenes in Homil. illa, *Cum esset desponsata Mater Iesu Maria:* & nos superius attigimus ex Augustino.

Non fœtet, vt cetera sepulchra, nostrum hoc Dominicum, sed admirabilem efflat odorem, non tantum propter myrrham, & aloën, vnguentaque pretiosa, quibus delibutum fuit corpus Iesu, sed propter suauissimum odorem, quem in se ex corpore beato accepit, cuius augmentum vnguenta illa extinxerunt.

Et

Omnes ad se trahit.

Et ex hoc ad aliud accedo, quod perbellè amplificat gloriam sanctissimi Sepulchri; quòd omnes ad se trahat. Quod vt probemus, obseruandum est, glorioſa corpora miro odore fragrare: scribit enim sanctus Vincentius Ferrerius, quòd cùm Christus, teste Ioanne, *insufflauit, & dixit, Accipite Spiritum sanctum*, propria respiratione suauissimum communicasse odorem, qui virtutem attractiuam habet. Hinc D. Thomas in cap. 40. Iob Lect. 3. aduertit, cetо marino famescente suauem adeò emittere odorem, vt ab illo pisces attracti, tam propè accedant, vt cetus illos deuorare possit, & fami suæ plenè satisfacere: non dissimiliter mihi de Sepulchro isto dicendum videtur, in quo fuit Christus velut in ventre ceti, sicut ipse prædixerat Matth. 12. talem ac tantum in eo gloriæ suæ reliquisse odorem, vt omnes propinquos & remotos ad se trahat. Hinc mulieres illæ, quæ obseruarunt vbi positum fuerat corpus Iesu, post Sabbatum cum aromatibus venerunt ad monumentum, vt vngerent corpus Iesu, in odorem currentes vnguentorum eius. Et deinde, eodem illecti odore, ex omnibus mundi partibus, spretis omnibus periculis, non diuitiarum modò, sed etiam ipsiusmet vitæ dispendio, cuiusque generis homines ac mulieres ad illud Sepulchrum, etsi vacuum glorioso corpore, currunt. Qua ratione arbitratur Lyra, prædicatum fuisse glorioſum à Propheta; quia fideles per orbem existentes, etiam magni & nobiles, vadunt ad eius Sepulchrum venerandum. & Gloſſa interlinearis, quòd Sepulturæ Domini locus esset ab omnibus honorandus: idem Hieronymus in litteris ad Marcellam missis nomine Paulæ & Eustochij, & alij. Gaudent insuper vehementer fideles, cùm inuenerint Sepulchrum.

Hieron. Epist. 17.

Trahunt ad se odore suo cadauera aquilas & vultures; hinc prouerbium illud inoleuit apud Hebræos, cuius meminit Iob 39, v. 30. *Vbicumque cadauer fuerit, statim adest aquila.* Et nedum Christi corpus ad se omnia traxit, vt iam diximus, secundùm illud Matth. 24, 28. *Vbicumque fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ*; sed & ipsius gloriæ odor, odoriferum inquam Sepulchrum, traxit, trahit & trahet semper ex omnibus mundi plagis ad ipsum venerandum fideles. Quemadmodum cæcutiens Isaac non quidem primogeniti Esau præsentia, sed odore vestimentorum eius oblectatus est; ita fidelis quilibet non præsentia quidem corporis primogeniti Dei, sed illius odore, qui est odor agri pleni cui benedixit Deus, voluptatem capit; & omnes currunt in odorem vnguentorum eius, vt benedicantur benedictionibus cæli desuper, & benedictionibus abyssi iacentis deorsum.

Sepulchrum glorioſum, quia glorioſos facit habentes; quia ex eo processit gloria nominis Christiani: & quia voluit Deus vt semper esset apud Christianos; ab eisdemque singulariter custoditum, vt statim explicabimus.

Glorioſos habentes facit.

Denique Sepulchrum Christi glorioſum prædicamus, quia imitatur immortalitatem, non eius perit memoria, nec honor, etsi, quod mirabile est, in medio nationis prauæ atque perversæ in terra hostium Christi positum sit; quod de quorumcumque, etsi regia dignitate fulgentium sepulchris, dicere non possumus: hinc Dauid Psal. 48, 18. loquens de morte diuitum, Principum & Regum huius sæculi, ait: *Cùm interierit, non sumet omnia: neque descendet cum eo gloria eius*; sed benè cum Christo in suum Sepulchrum gloria eius descendit. vnde eruditissimus Salmeron, Ceterorum hominum, inquit, etsi illustrium & clarorum sepulchra magnis sint sumptibus constructa, magnificeque exornata, temporis processu tamen indecora & obsoleta sunt reddita; quia defunctorum cadauera vermibus tabeque consumpta continent, & eorum nomina obscurata sunt; nam, vt ille dixit,

Immortalitatem imitatur.

Mors etiam fauxit nominibus, & venit. Auſon.

At Christi Sepulchrum, cùm illum Deum & immortalem hominem declarauit, eius nomen & gloriam maximè illustrauit, & in hodiernum vsque diem illustre remansit & glorioſum. Sepulchrum enim Moysis vsque modò ignotum est, vt in Deuteronomio perhibetur; Iouis quoque monumentum, qui summum numen dicebatur, nec non aliorum, qui dij falsò nuncupantur, sepulchra, quæ in Creta & in Græcia visebantur, falsos fuisse deos & diuinitatis vsurpatores testantur; quia eorum cadauera æquè perierint ac mortales omnes consueuerunt corrumpi. Solum ergo Christi Sepulchrum spectabile est & illustre; quia etsi illum mortalem ostenderit, simul tamen illum esse immortalem docuit, dum incorruptum & glorioſum post triduum sempiternæ vitæ restituit. Hactenus ille.

A fidelibus & infidelibus custoditum.

Quemadmodum quo tempore iacuit Christus in Sepulchro, ad eius honorem & gloriam deputati fuerunt Pilati Præsidis milites, & sanctorum virorum Angelorumque custodia non defuit; ita nunc, postquam inde glorioſus exiuit, ad perennem illius gloriam à ministris Præsidis ciuitatis Ierusalem custoditur: ipsi templum Sepulchri Domini sigillo munitum seruant & custodiunt; & pij Franciſcani Fratres

velut fortissimi milites, & ad bella doctissimi, gladio mortificationis & orationis semper illius in custodia, & ad illius gloriam vigilant. Et quid dico Turcas, vel Franciscanos Fratres? ipsæ schismaticæ Orientales nationes in sacratissimo Sepulchro ad hunc finem habitant, ne ipsi aliquid damni inferatur: hinc, præter Catholicos, ex vna parte Græci, ex alia Armeni, Gophiti etiam, Iacobitæ & Abyssini illud circumdantes die noctuque vigilantissimè custodiunt: quod obsequium, & custodiam certissimè non dicam in sepulchris Principum, sed nec in aulis ipsorum pro tutela invenias.

O vtinam in Dominico gloriemur Sepulchro, in eo sit mens & cogitatio nostra, ad ipsum vniuersæ dirigantur operationes nostræ, vt salutis & gloriæ fructus colligamus. In sepulchris olim thesauri condebantur; & noster ibi sit cum corde thesaurus, &, iuxta sententiam Saluatoris, *vbi thesaurus noster est, ibi sit & cor nostrum.* A fide dignis proditum est, in veterum sepulchris cor insculpi solitum, vt superstites testificarentur suorum hærere memoriam in corde, tametsi sepulchro illi essent inclusi; hoc nimirum monumento testificari volentes, se à communi obliuionis vitio aduersus mortuos longiùs abesse, & illorum memoriam in eorum corde perpetuò versari: pari modo & cor nostrum inhæreat semper Christi Sepulchro. Etenim cùm illud ob eius angustiam omnes capere nequeat, Christus pro infinita sua sapientia ac virtute modum reperit, quo secum omnes crucifigi, commori ac sepeliri possemus; nec tamen vllam crucis, aut mortis, aut sepulturæ iniuriam sentimus, sed tantùm illius virtutem per Baptismum participamus, in quo peccato morimur ac sepelimur, & ad vitam & iustitiam æternã excitamur. Sepulchrum enim Christi etsi vacet Dominicis membris, vt inquit Bernardus Serm. ad Milites templi cap. 2. nostris tamen est plenum, quæ illa sua virtute seruat. Quare cùm Christus dederit pro nobis animam suam, & corpus in illo ad gloriam nostram sepeliri voluerit, ne gratiam tanti fideiussoris obliuisci videamur, cor nostrum in eo sit, & ipsum à mente nostra non discedat. Hîc aptari posse video pro fine & coronide huius materiæ quæ M. Gregorius adnotauit lib. 6. Moral. in ea verba Iob 5. *Ingredieris in abundantia sepulchrum*, &c. *Quid enim sepulchri nomine, nisi contemplatiua vita signatur; qua nos quasi ab hoc mundo mortuos sepelit, dum à terrenis desideriis susceptos in intimis abscondit? Ab exteriori quippe vita, mortui etiam sepulti per contemplationem fuerant, quibus Paulus dicebat: Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Actiua quoque vita sepulchrum est, quia à prauis nos operibus mortuos tegit; sed contemplatiua perfectius sepelit, quia à cunctis mundi actionibus funditus diuidit. Quisquis ergo iam in se contumelias carnis edomuit, superest, vt mentem per studia sancta operationis exerceat; & quisquis iam mentem per sancta opera dilatat, superest, vt hanc vsque ad secreta intima contemplationis studia extendat.* Sit Sepulchrum hoc sacrosanctum nostræ contemplationis & actionis obiectum, & eiusdem medium & adminiculum; simus vitiis in eo cum Christo sepulti, vt cum ipso in regeneratione ad æternam gloriam resurgamus.

Matth. 6. 21.

Cor in sepulchris insculpi solitum.

CAPVT XXIII.

De igne, quem in Sabbato sancto Orientales schismatici intra sacellum sanctißimi Sepulchri accendunt, quem sanctum appellant; quoniam diuinitus de cælo missum, persuasum volunt.

EX quo nationes istæ Orientales recesserunt & apostatarunt à fide Catholica, & ab obedientia Romanæ Ecclesiæ, quæ est Magistra veritatis, proprium spiritum sequentes, per abrupta & inuia gradientes, in varios impegerunt errores, & velut cæci lucé nescientes, palpant in ipsa meridiana luce; & facti cæcorum duces, quotquot ducunt & instruunt, omnes in foueam erroris & æternæ damnationis præcipites dant: quorum quidem errores nonnulli sunt adeò absurdi, & ab apparenti ratione alieni, vt illos refellere absurdum videatur; quoniam per se propriam detegunt absurditatem, & falsitatem manifestant. Verùm expedit aliquando eos proponere & refellere; & ne illi supercilium erigant, arbitrantes veritatem continere, quòd illorum falsitatem nullus refellat: & quoniam aliqui illis adeò adhærent, ac si essent fidei articuli à Deo cælitus reuelati. Et hoc præsertim conuenit Catholicis, & in primis illis, qui debent esse velut lucernæ ardentes in caliginoso loco, parati in mysteriis fidei aliisque arcanis diuinis omnibus poscentibus rationem reddere, ostendendo rei veritatem quæ tractatur, vel eiusdem etiam veritatis defectum, humiliúque ac sapienti ratiocinatione occludere intipientium ac malignantium ora (cum huiusmodi enim non semel sese offert in hisce partibus tractandi occasio, vel etiam necessitas) vt isti

ho-

homines, cùm sint rationis, veritatis & diuini Spiritus capaces, diuina assistente gratia, ratione victi veritatem agnoscant & confiteantur. Verè enim & sapienter dixit sanctus Paulus Tit. 1, 9. *Qui in Episcopatu est*, vel qui aliquo Episcopi munere fungitur, vt concionator, magister, & qui alio modo animarum curam habet, inter alia, *amplecti debet eum qui secundùm doctrinam est, fidelem sermonem; vt potens sit exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere.* Et tantò magis hoc præstare debent in his partibus commorantes Catholici Religiosi, cùm videant Præsules istos schismaticos, qui esse deberent sal terræ & lux mundi doctrinæ veritate & solida sanctitate, sint tenebræ erroris & malitiæ, sal infatuatum. Et quamuis non mei sit instituti de omnibus illorum erroribus sermonem texere; alij enim qui fidei controuersias aduersus hæreticos conscripserunt, pro dignitate id præstiterunt: tamen fieri non potuit, quin vnum communissimum & absurdissimum, & à paucissimis, quòd sciam, tractatum hîc proponerem, explicarem & refellerem; circa ignem, inquam, quem sanctum isti schismatici vocant, vt ex à nobis dicendis apparebit; quidque ad illos in hac materia dicendum sit, & quid de illo sentire debeamus, fiet manifestum.

Vt verò quod propositum est, clarè & distinctè exequamur, tria explicabimus. Primò, quomodo ignis ille accendatur ac dispensetur, cuiusque naturæ sit. Secundò, reiciemus modum illum, quo accendi dictum ignem affirmant schismatici. Tertiò, vnde originem error ille traxerit.

§. I.

Quomodo schismatici suum sacrum accendant ac dispensent ignem; & de illius conditione.

QVantum ad primum, dicunt schismatici Orientales, in sero Sabbati sancti, quando de more suum faciunt officium, cælestem ac sanctum ignem descendere super sanctissimum Domini nostri Iesu Christi Sepulchrum; vel, vt alij somniant, ex ipsomet Sepulchro exire affirmant. Res autem in hunc modum se habet: Extinctis omnibus lampadibus, quæ continuò ardent in sanctissimo Sepulchro, duo Sacerdotes, siue Sacerdos cum Diacono, Æthiopes Abyssini accipiunt (illis enim hoc conuenit, estque illorum priuilegium) sanctum & cælestem, potiùs dicam, profanum, deceptorium & excutiendum ignem, & hoc fortasse, quia hi deuotiores inter Orientales habentur, vt air Brocardus Monachus in Descriptione Terræ sanctæ de illius habitatoribus agens. Vel etiam, vt alij aiunt, quia cùm Nilus fluuius è regione Abyssinorum ad alluendum Ægyptum fluat, & in illorum potestate sit illum in Mare rubrum deriuare, & ne in Ægyptum descendat, ipsamque fecundet efficere; Turcarum Sultanum, cui subest Ægyptus, ex qua vberrimos colligit Nili beneficio fructus & prouentus, Abyssinos plurimis gratiis donare, vt ipsis in Terram sanctam religionis ergò venientibus leuiora quàm aliis Christianis imperet tributa, vt tradit Maluenda de Paradiso cap. 35. ex Laurentio Ananio in Fabric. mundi Tractat. 3. Imò, nulla soluere tributa in locis Turcarum, per quæ transeunt, ego accepi, & vidi; idque hac insuper ratione, vt iidem possint efficere ac aliis tradere sanctum ignem. Vtcumque sit, congregatis in sacro Dominicæ Resurrectionis templo schismaticis nationibus, tribus vicibus processionaliter sanctum circumdant Sepulchrum; postea Abyssini ingrediuntur antrum siue sacellum dicti Sepulchri cum instrumentis pro excutiendo igne aptatis, & clauso deforis ostio à Turcisque custodito, ne, quamdiu in eo sunt, aliis ingredi liceat: ibique spatio dimidiæ horæ, plus minúsve, velut orantes manent, vt Deus mittat de cælo sanctum ignem super sanctissimum Sepulchrum; & extinctas aptataque faces accendat. Interim verò deforis tumultuatur & strepit populus, & velut choreas ducit circa sanctum Sepulchrum. Dum vident columbas circa templum nidificantes desuper volantes, dicunt esse Spiritum sanctum, ignem sanctum de cælo portantem: atque cùm non videant quid intus agatur, egressi illi Æthiopes de sacro antro cum accenso ab ipsis igne, credunt diuinitus fuisse accensum; sed falluntur omnino: etenim duo illi Æthiopes, vel ex pruna in vasculo æneo nonnullis spiraculis perforata inclusa, vel ferro ex silice accendunt. Non possunt verò extrà percussiones ferrique cum silice collisionem audire, propter magnum strepitum cymbalorum, tibiarum, tympanorum, &c. quem faciunt nationes illæ. Quare quemadmodum olim patres non sentiebant lamentabiles voces & gemitus paruulorum quos idolo Moloch immolabant in valle Gehennon propter sonitum Sacerdotum sacrificantium, vt Lib. IV. Cap. XVII. VII. Peregrinat. dictum fuit, & propriis orbati filis remanebant; ita nunc isti propter nimium tumultum, sonum & strepitum, non aduertunt quomodo

do ignis accendatur, & tenebris erroris circumuoluti remanent.

Naturaliter ignis accenditur.

Eos verò naturali modo accendere ignem ostenditur multipliciter. Primò, quia id affirmant, qui adhibita diligentia viderunt. Secundò, quia anno Dom. 1615. instrumentis ad excutiendum ignem non rectè aptatis, cùm plus solito illi in sancto Sepulchro manerent, nec ignem deferrent, nec deferre possent, Turcæ, moræ impatientes, aperto Sepulchri ostio illos fustibus ceciderunt, at statim ingressus Græcus adolescens, ipsum è petra excussit. Cùm id contigisset, illi se excusantes dicebant, Deum ideò è cælo sanctum ignem non misisse propter mulieres menstruatas in sancto templo tunc existentes. Tertiò, secunda vice qua hunc ignem vidi, postquam è sancto Sepulchro egressi fuissent Abyssini illi cum igne, quidam Catholicus, persoluto Turcis pretio, statim ante alios sacellum ingressus, sulfureos ligniculos detulit, quibus illi ignem accenderant; & quatuor antè annis idem visum fuit. Venerunt tres Angli Ierosolymam ad festum Paschæ, vt viderent hunc ignem, præsertim quòd vnus ex illis verum eum esse crederet. Dedit ille quinquaginta argenteos Turcis tunc custodientibus Sepulchrũ, vt statim igne accenso posset ingredi, & videre quid esset: ingressus, inuenit Abyssinos custodientes chalybem, escam, silicem, &c. & cognito errore, illusum & deceptum se agnouit. Quartò, iidem illi qui ignem excutiunt vel rationibus victi, vel ob familiaritatem cum Catholicis contractam; rem ita se habere, vt diximus, confessi sunt. Quintò, idipsum ego ex aliis nationibus accepi. Cùm essem Aleppi, præcipua Syriæ ciuitate, & cùm de hac re locutus fuissem cum Episcopo quodam Græcorum magnæ apud illos auctoritatis, quòd creditus sit vir prudens & doctus, non dubitauit dicere, dicta de illo igne fabellam esse; addiditque, Patriarcham Alexandrinum inter Græcos doctum, in pluribus scientiis versatum, dixisse illum ignem falsum & deceptorium esse, nec aliter accendi ac quilibet alius naturalis accenditur, & naturalem esse: quæ fuit causa, vt simplices istæ nationes illum occidere voluerint. Dixit hoc idem Archiepiscopus Eteſiæ, & Doctor insignis inter Armenos: qui etiam scandalum passus, quando quæ in illius excussione & donatione agebantur, vidit, etsi timens sibi nil dixerit; asserüit tamen, se ad illum accipiendum Ierosolymam non ampliùs profecturum, nec quo tempore traditur, arbitratus magnum illud periculum esse non solùm facientibus, sed etiam consentientibus. Idipsum sentiunt Turcæ: & quotquot pollent vsu rationis, nouerunt deceptionem esse.

Cùm verò illis maioribus dicitur: Si res ita se habet vt dicitis, quare facto oppositum docetis, & tot populos in tam aperto & absurdo errore detinetis? quare non illis aperitis veritatem? respondent, Ne impediant peregrinationem Ierosolymorum, cessent eleëmosynæ, priuemurque subsidio; nec habeamus vnde tributa, & auanias, vt vocant iniustas exactiones, soluamus Turcis: nam propter hunc ignem veniunt viri & mulieres Ierosolymam ex Græcia, Persida, Armenia, &c. Et Turcæ ipsi, qui hunc ignem fabulosum credunt, & credentes verum, irrident; volunt tamen vt ab ipsis accendatur, propter magnum ex illo prouentum.

Hinc contemplare, in quantam miseriam & cæcitatem deuenerint infideles illi, ex quo à Catholica Ecclesia recesserunt; qui non tantos labores subeunt peregrinationis, non tot faciunt expensas propter sanctissimum Sepulchrum, sacrum Caluariæ montem, Sion, Olueti, & alia sancta loca verè veneratione dignissima, Christi & Sanctorum præsentia consecrata, de quorum veritate non remanet dubitandi locus, vt propter mentitum & falsum illum ignem, nulla ratione vel auctoritate comprobatum, at omni ratione, auctoritate & sensu reprobatum; qui potiùs, propter nimiam eius absurditatem, improbabilis est: & illi plus mendacibus hominibus quàm Deo credunt; Catholicosque damnant, Quoniam, inquiunt, Deus illis talem ignem non mittit, arbitrantes, illo religionem suam probari; sed decepti non viderunt solem.

Sed cuiusnam naturæ & conditionis faciunt ignem illum? Respondent, cælestem & diuinum illum esse, illuminare, sed non comburere; adeò vt de illo dici possit, quod de supracælesti Spiritus sancti igne dicitur: *Aduenit ignis diuinus non comburens, sed illuminans.* Noui quosdam ex illis Orientalibus in Catholica religione Neophytos (si tales tamen verè fuerunt; nam simulantes potiùs religionem quàm profitentes à prudentibus & expertis habiti fuere, vt factis posteà tales se prodiderunt) ne errorem hunc manifestè damnarent, sed occultè confiterentur, & tuerentur, inquisiuisse, an ille ignis sit elementaris: si è cælo; cuiusnam materiæ? & post multas in hac materia impertinentes propositas quæstiones, re inuoluta, & veritate haud confessa, obmutuisse. An sit è cælo vel terra, ex hac vel illa materia, ex qua ignis verus est, cuius natura & proprietas est ignire & comburo-

re,

re, nisi impediatur, dubitabunt affirmare illum comburere? An non cælestis fuit ignis qui descendit super holocausta Abelis, Salomonis, Eliæ, &c.? & tamen illa combussit & vorauit. Nónne fuit è cælo ignis qui ad preces Eliæ venit supra quinquagenarios milites, & illos deuorauit? An non experiuntur in illo omnes alterius ignis proprietates? quare ergo vel alterius naturæ ipsum confingunt, vel oppositos affectus illi assignant?

Ignis sancti dispensatio.

Sed attende, quæso, quomodo illum ignem dispensent, & probent non comburere, etsi sensu combustionem experiantur. Accenso illo igne in sancto Sepulchro modo explicato, apertis foribus sacelli, egrediuntur Æthiopes illi ignem deferentes, quibus statim obuiàm facti Episcopus, vel Patriarcha Græcorum, & Episcopus Armenorum, cereorum fasciculos, quos manibus ligatos tenent, accendunt, & deinde singuli suos accendunt cereos; & qui priores, maiorem pecuniæ quantitatem Turcis persoluunt. Ascendit verò Græcus ille Prælul, qui prior accepit ignem, lapideum altare, quod est ante vestibulum sacelli sanctissimi Sepulchri, iuxta chorum Græcorum; &, brachiis extensis, alij ab ipso ignem accipiunt nulla super ipsum benedictione facta; statimque tot luminibus sancta ista repletur Ecclesia, vt tota ardere videatur.

Illum verò ignem non comburere tali modo ostendunt: eum leniter admouent & applicant brachiis, pectori, barbæ & aliis corporis partibus; & statim amouent, ne tempore suam naturalem experiantur actionem; at nonnulli inuiti, cum illorum dedecore & damno, ab aliis experti sunt, an verè comburat. Et profectò essent huiusmodi illi igni exponendi, & in eo, quoad veritatem confiterentur, & falsitatem tam manifestã detestarentur, relinquendi. Puer quidam Græcus voluit in se periculum facere, an ille ignis comburet; &, admota ad illum manu, combustus fuit: qui veniens ad Medicum vt illi mederetur, me præsente, & coram omnibus, ignem illum non sanctum, sed maledictum, diabolicum & comburentem dixit. Sed quid plura? nónne experiuntur & oculis clarè vident, omnino eiusdem esse naturæ cum quolibet alio naturali, eumdem effectum facere vt alius communis? nutritur enim ex eadem materia, cereis videlicet, quos & consumit. Quidam tam euidens experimentum haud negare valentes, isto se muniunt subterfugio, ignem illum post quinque horæ minuta habere vim vrendi, non ante illud modicum spatium: sed decipiuntur & mentiuntur isti, & similiter reijciendi vt alij, qui absolutè negant illum comburere: etenim à principio statim comburere deprehenditur; nec originem tam subitaneæ mutationis assignare poterunt. Huius ignis fraus magis ex dicendis apparebit.

Tanta verò illi profano igni afficiuntur deuotione, vt eo leniter pannos liniant, illos præsertim quibus in morte inuoluendi sunt, charosque habeant; & vt pretiosas reliquias ad proprias deferunt prouincias, sperantes illorum interuentu maximam à Deo gratiam consecuturos.

Sed & quæ occurrunt in sero illo Sabbati; quot tumultus; quot vlulatus, quæ irrisiones & strepitus, non modò explicari, sed ne quidem excogitari posse arbitror; solùm qui videt, infidelium illorum vecordiam & insaniam diiudicare potest.

§. II.

Ignem sanctum schismaticorum non miraculosè, sed naturaliter accendi.

OMnes quidem errantes illi schismatici in hac materia reprehensione digni sunt; sed in primis Abyssini illi talem ignem accendentes, de quibus singulariter D. Paulus vaticinatus fuisse videtur in ea quam ad Titum scripsit Epistola, illis verbis: *Sunt enim multi etiam inobedientes, vaniloqui, & seductores, maximè qui de circumcisione sunt: quos oportet redargui: qui vniuersas domos subuertunt, docentes quæ non oportet, turpis lucri gratia.* Tit. 1, 10. *Inobedientes* illi; quia à sanctæ Catholicæ Romanæ Ecclesiæ obedientia recesserunt: *vaniloqui*, vana, inutilia, falsa & pernicioſa mentientes; & *seductores*, quia simplices decipiunt, *maximè qui de circumcisione sunt*. Abyssini, inquam, qui non solùm aqua baptizantur vt Christiani, sed & in fronte igne inuruntur; quoniam in igne super Apostolos venit Spiritus sanctus: & more Hebræorum circumciduntur, quia & Christus fuit circumcisus. *Vniuersas domos subuertunt*, Orientem videlicet, *docentes quæ non oportet*, illum naturalem ignem, quem ipsi faciunt, esse diuinum, de cælo venientem; *turpis lucri gratia*, ob prouentum ex illo igne prouenientem.

Redarguuntur verò isti, præter iam dicta, in hunc modum: & primò, nihil excedens naturalem ordinem rerum asserendum est, nisi in Scriptura sacra, Conciliis, vel veteribus recentioribusque fide dignis auctoribus inueniatur; at nihil de isto igne modo antè expositio inuenitur in Scriptura, &c. igitur non est admittendus, sed tamquam fabulosus reijciendus. Maior pa-

ret: minor ex dictis & dicendis manifesta euadet.

Secundò, quòd ignis è cælo descendat modo ab illis Orientalibus assignato, magnum miraculum est: sed miracula non facit Deus, nisi magna existente necessitate, præsertim pro magis stabilienda & dilatanda Ecclesia, qualis non est nostris temporibus, ipsa benè fundata & dilatata: igitur nec hoc nunc faciet miraculum, mittendo de cælo ignem, &c.

Tertiò, de more signa dantur non fidelibus, sed infidelibus, vt dixit Magnus Gregorius Hom. 10. in Euang. ex Paulo, vt fideles euadant. Dicant ergo nunc isti accendentes ignem, sintne fideles an infideles? Si fideles, ipsi non indigent, & per consequens non dabit illa Dominus. Si infideles, vt reuerà sunt, feciſſet aliquando Deus illud miraculum, vel simile, si fuisset necessarium pro illorum conuersione: quod, ipsis conuersis, tamquam non necessarium, desiisset. Vel si increduli remanserunt; tunc propter incredulitatẽ facti sunt indigni; & à tali miraculo patrando desiisset Dominus. Quemadmodum etiam dixit Marcus, Christum non potuisse facere miracula in sua ciuitate Nazareth propter inhabitantium incredulitatem; ita nec, propter horum Orientalium incredulitatem, mittet aliquando Deus miraculosum ignem. Et sicut non exaudiuit incredulos illos, qui ab eo signum de cælo quærebant; ita non exaudiet illorum infidelium, incredulorum & inobedientium clamorem, sanctum cælestemque expostulantium ignem.

Quartò, illud affirmando miraculum, videtur quodam modo cogi Deus ad illud faciendum; cùm perpetuò singulis annis determinato loco & tempore fieri perhibeatur: sed illud affirmare absurdum est; quoniam à nemine cogitur vel potest cogi Deus. Dicent fortasse: Non cogitur, sed liberè illum mittit; sicut libere descendit Christus de cælo in altaris Sacrificio, post prolata verba consecrationis super debitam materiam à Sacerdote: sed dispar est ratio de corpore Domini eo descendente de cælo in altaris Sacrificium, & de igne descendente super sanctissimum Sepulchrum; ibi enim est Sacramentum, & diuina promissio, non item hîc. Numquam enim ostendent Orientales isti, statuisse Deum singulis annis se ignem de cælo missurum in sero Sabbati sancti ad illorum preces super sanctissimum Christi Domini Sepulchrum.

Quintò: Si diuinus est ille ignis, vt ab aliter suspicando populos liberent, & quòd non educatur arte & silice, vel accendatur ex pruna, orent publicè cum populo vel cum pluribus in sanctissimo Sepulchro; ostio illius aperto; est enim illa oratio publica: quod fecit Elias, quando super paratum sacrificium ignem fecit descendere; publicè enim & coram omnibus orauit: & sancti Christi discipuli, vnanimiter perseuerantes in oratione cum mulieribus & Maria Matre Iesu, quando in linguis igneis venit super eos Spiritus sanctus. Sed in proposito, quando isti Orientales ignem sanctum de cælo expectant, duo dumtaxat Abyssini ingrediuntur sacellum sacratissimi Sepulchri, & claudunt ostium, & populus deforis strepit: quare meritò suspicari quilibet poterit, ignem pòst ab istis delatum non desuper missum, sed inferiùs abscondità accensum. Et sanè, si duo illi seorsim de facto interrogarentur; non minùs mendaces ac fraudulenti deprehendentur, ac impudici illi duo senes, qui contra castissimam Susannam insidias machinati fuerant, quando seorsum à Daniele Vate sanctissimo examinati fuerunt.

Sextò: Si causas, propter quas consueuit Deus ignem de cælo mittere, considerabimus; de facili inueniemus, propter illarum nullam nunc mittere talem ignem super Domini Sepulchrum: quatuor verò esse, ex diuina Scriptura colligo. Prima, vt declararet Deus, quæ sibi offerebantur sacrificia, esse accepta, vt docuerunt D. Hieronymus, Procopius, Cyrillus, Chrysostomus, Theophylactus, & alij: & ita in lege naturæ misit Deus ignem super Abelis sacrificium, Genes. 4. in lege verò scripta inflammauit sacrificium Gedeonis, Iudic. 6. Manue patris Samsonis, Iudic. 13. Aaronis, Leuit. 9. Eliæ, 3. Reg. 18. Dauidis, 1. Paralip. 12. Salomonis, 2. Paralip. 7. Neemiæ, 2. Machab. 1.

Secunda causa missionis ignis de cælo fuit, in signum vltionis diuinæ, vt testatur ignis qui venit super Sodomam, Gomorrham, & finitimas ciuitates, Genes. 19. & qui combussit quinquagenarios illos, qui iuerunt ad comprehendendum Eliam, 4. Reg. 1.

Tertia causa descensus ignis fuit, ad indicandum munus aliquod & officium; & ideò in die sancto Pentecostes Spiritus sanctus in linguis igneis descendit super Apostolos, Act. 2. & ad manifestandum munus Apostolicum; in cuius executione charitatem cum facundia associatam, quam igneæ linguæ præfigurabant, habere debebant.

Quarta denique causa fuit, ad significandam diuinam iustificantem gratiam, & Spiritum sanctum venientem super baptizatos: huiusmodi enim gratiam designabat ignis aduenies. Et sic frequenter in primi-

primitiua Ecclesia super baptizatos ignis descendebat, vt in Actibus Apostolorum legimus.

Sed non debent illi ignem expectare de cælo propter aliquam ex prædictis causis, nisi propter secundam, ad vlciscendum illorum incredulitatem & deceptionem; sed ad maius supplicium reseruantur, nisi resipiscant. Interim Patri misericordiarum, benignitati & humanitati Saluatoris nostri Dei gratias agant, qui eos ad pœnitentiam expectat: quam si contemnant, absorbebit eos terra, & cum apostatis angelis flammis tradentur æternis.

An expectabunt propter primam? non inquam; quoniam tunc ibi nullum fit sacrificium, & præcedit faciendum: nec etiam propter tertiam; quia nullus ibi ad officium aliquod vel dignitatem eligitur, vel ordinatur: nec denique propter quartam, quia nemo tunc temporis baptizatur: & si quis ibi baptizaretur, non ideò esset desuper visibilis ignis expectandus, sicut nec aliàs in Baptismate descendit. Non enim indiget Ecclesia nunc visibili igne in fide stabilita & fundata. Ex his igitur relinquitur probatum, ignem illum, non de supernis, sed de deorsum esse.

Quod septimò & vltimò ampliùs probatur: Si de cælo descenderet ille ignis, externa materia non indigeret ad hoc vt accenderetur & conseruaretur; sed sine cereis vel lampadibus non accenditur, & conseruatur ignis iste, vt manifestum est, igitur non est de cælo. Admitterent fortasse isti externa materia non indigere, sed non obstare, quin appositam non absumat, & accendat; quemadmodum & ignis qui cælitus venit super sacrificia Abelis, & aliorum, externam materiam accendit & consumpsit.

Sed si non est materia necessaria, non apponant: quæ enim æquè benè possunt fieri per pauciora, non debent fieri per plura, vt docet Philosophia, & Theologia non respuit; at hic non modò æquè benè esset, si accenderetur, & conseruaretur ille ignis sine apposita quàm cum apposita materia, sed multò meliùs prius; etenim magis opus Dei miraculosum eluceret: verùm, si non apponant, non accendetur; & eorum precibus numquam, nisi ignem consumentem eos, impetrabunt.

§. III.

Vnde memorati ignis relatio originem habere potuerit.

ET vt ad tertium accedamus anteà propositum; si præmissa ita se habent, vt diximus, quomodo fieri potest, vt tot homines, tot populi & nationes credant tam absurdo & manifesto errori? An non falsitatem vel saltem veritatis speciem non præ se ferens abhorret intellectus, & non nisi iis quæ scientia, fide vel vera traditione asseruntur, sensúve percipiuntur, adhæret? sed ista in præsentia iis percepta non sunt, vt ex dictis satis apparet. Et quod maiorem admirationem parit, quòd Orientales illi pro isto igne longas faciunt peregrinationes, multis se periculis exponunt; multam rerum temporalium faciunt iacturam, vt possint illum ignem videre, & accendere. Quid ad hoc potuit illos mouere? vnde traxit originem tantus error?

Sæpiùs mecum ipse cogitaui super hac materia, & super eadem alios consului, vt scire possem aliquo modo, quare illum ignem cælestem & sanctum appellent; & an aliquis probatus Auctor de hac re scripserit. Quare excogitata & apud alios inuenta hîc subiiciam.

An ideò Orientales illi crediderunt, ignem in Sabbato sancto descendere super sanctissimum Christi Domini Sepulchrum, quoniam Catechumeni, qui tali die Christi Baptismum suscipiunt, ignem Spiritus sancti inuisibilem, sicut ab initio etiam visibilem recipiant? præsertim, quòd homines dicuntur baptizari non solùm aqua & Spiritu sancto, Ioan. 3. sed & igne, vt dicitur Matth. 3. & Luc. 3. dici verò singulariter illum descendere super sanctissimum Christi Domini Sepulchrum, quoniam est figura nostri Baptismi; & baptizati dicuntur consepulti cum Christo per Baptismum, Rom. 6. & Coloss. 2. Ratio verò esse potest; quoniam sicut in sepulchrum missus fuit Christus, ita in aquam mergitur baptizandus: & sicut in Sepulchro per resurrectionem Christus nostram salutem operatus est, *Traditus est* enim *propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram*, vt dixit sanctus Paulus Rom. 4, 25. ita in Baptismate nobis gratia applicatur, & ab omni macula & labe peccati mundamur supra niuem dealbati.

Sed enim hæc consideratio non satisfacit; tum quia, vt iam dictum fuit, nullus ibi baptizatur, & si baptizaretur, similem gratiam reciperet & inuisibilem Spiritus sancti ignem, sicut si alibi & alio tempore baptizaretur æquali existente dispositione. Nec est necessarius descensus cælestis visibilis ignis, vt intelligamus aduentum inuisibilis; nam hunc firmius, ex fide inquam & scripturis credimus. Præterea tunc ignis visibilis deberet descendere super baptizatum; nam inuisibilis ignis, & effectus Baptismi

ptiſmi non in Sepulchro, ſed in baptizato recipitur.

Nec quod ex Matth. 3. & Luc. 3. adducitur aliquid facit pro illâ ſententia: noluerunt enim dicere ſancti Euangeliſtæ, Baptiſmum conficiendum fore Spiritu ſancto & igne viſibili; tunc enim ſolùm Abyſſini adhibentes in ſuo baptiſmate ignem, eſſent baptizati; ſed oppoſitum eſt verum: ſola enim elementaris aqua pro materia eſt neceſſaria, vt Chriſtus docuit, & cum Apoſtolis ſemper vſa fuit Eccleſia, nulla facta mentione ignis elementaris, vel Sepulchri Domini. At non viſibili igne baptizari aliquem, ex his quæ cap. 10, 44. Act. Apoſt. legimus confirmari poteſt. Prædicante Petro myſteria fidei in domo Cornelij, *cecidit Spiritus ſanctus ſuper omnes qui audiebant verbum*, & loquebantur *linguis magnificantes Deum. Tunc reſpondit Petrus: Numquid aquam quis prohibere poteſt, vt non baptizentur hi, qui Spiritum ſanctum acceperunt ſicut & nos? Et iuſſit eos baptizari in nomine Domini Ieſu Chriſti.* At non quæſiſſet aquam Petrus, nec iuſſiſſet illos ea baptizari, ſi iam illô igne, quipriùs ſuperuenerat, baptizati fuiſſent. Quare non in igne, ſed in aqua conficitur Baptiſmus.

Et Matthæus 3. & Lucas 3. dicendo, qui baptizati erant Chriſti baptiſmate, baptizandos fore Spiritu ſancto & igne, tantum abeſt à propoſito, vt, ſecundùm varia Doctorum placita, quodlibet aliud voluerint ſignificare. Primò, ignem Purgatorij ſignificare voluiſſe ſanctos Euangeliſtas, docent D. Hieronymus in cap. 3. Matth. Beda in cap. 3. Luc. & ibidem Gloſſa interlinearis & Matth. 3. & hîc etiam ordinaria, ſi videlicet remaneret macula aliqua in hac vita, igne Purgatorij purgabitur. Secundò, ignem Domini in iudicio, exponit Hilarius can. 2. in Matth. Tertiò, purgationem ſanctificationis, dicit interlinearis Luc. 3. Quartò, ignem tribulationis in hac vita; qui nulli baptizato deeſt in hac vita, vt interpretatur Auctor Operis imperfecti in Matth. cap. 3. & interlinearis Luc. 3. Quintò denique, ignis, qui in die Pentecoſtes deſcendit ſuper Apoſtolos, &, ſecundùm Lyram, ignis qui ſimiliter in primitiua Eccleſia frequenter apparebat ſuper baptizatos, vt videre eſt Act. 11. ideò apparebat, vt illo viſibili ſigno illis innoteſceret Spiritus ſanctus; cuius illi nullam cognitionem habebant; vt dicitur Act. 19. ſed ille ignis erat ſpiritualis & diuinus: quod vt ſignificarent ſancti Euangeliſtæ, duo nomina id exprimentia ſimul copularunt, *Spiritu ſancto, & igne*; ignis verò, quem è Sepulchro deferunt illi Æthiopes, corporeus omnino eſt, vt quilibet alius naturalis.

Quòd verò in reſurrectione & Sepulchro Chriſti, noſter Baptiſmus & noſtra ſpiritualis reſurrectio à ſtatu peccati ad ſtatum gratiæ repræſentetur, in hoc nihil eis ſuffragatur, vt conſideranti ſatis patere poteſt.

An dici poteſt ignis ille cæleſtis, quia ſolis radiis accenditur? Ignis enim, qui in principio Officij Sabbati ſancti, veteri extincto, nouus accenditur, duplici modo accendi poteſt; vel ſilice, chalybe percuſſo; vel cryſtallo ſoli obiecta; qui ſarmentis fouetur. Si qui, ex ſilice terreſtrem, & qui ex cryſtallo & ſole, cæleſtem dicere vellent, cum illis non contenderemus; ſed tunc non diceretur miraculosè deſcendere ſuper ſanctiſſimum Domini Sepulchrum: nam ſimili modo alibi accendi poſſet; nec ſic accendendo magnum quid facerent, vt peculiarem pro illo impetrando orationem facere deberent, nec differret ab igne, quem ſilice accendunt Catholici: nec propter talem ignem ex remotiſſimis regionibus cum magno pecuniarum diſpendio & vitæ periculis Heroſolymam venirent, vt veniunt; quia & ipſi in ſuis domibus eodem modo poſſent accendere. At hoc nolunt intelligere; nec tali modo poſſent intra Sepulchrum, vbi ſolis radij ingredi prohibentur, ignem accendere. Quomodo ergo tam communis fama apud tot inualuit, cui non aſſentire, videtur abſurdum, & nos eidem refragamur, & eam ſapientes irridemus?

Sed an multi imperiti in vnû conuenientes faciunt communem famam, cui nefas ſit ſe illi opponere? an potiùs, cùm ſine ratione & ſolido fundamento loquantur, etſi multi, quia *ſtultorum infinitus eſt numerus*, Eccle. 1, 15. vt dixit Sapiens; communem potiùs errorem reiiciendum, quàm communem famam & opinionem amplectendam facient? Communis potiùs fama & opinio dicenda eſt oppoſita ſententia Catholicæ Eccleſiæ, in qua ſunt ſapientes, & omni virtutum genere innumeri prædicti homines; qui ſeriò loquentes, rationibus & ſenſu oſtendunt, ignem illum origine & natura ſimilem eſſe cuilibet alteri naturali. Quòd ſi quidam ex his inueniantur illum confeſſum fuiſſe, vel non reiecisſe, credendum eſt locutos ſecundùm vulgi opinionem, non propriam; quia, vt dixit Philoſophus, loquimur ſecundùm plures, ſcimus ſecundùm paucos. Dicendum igitur, excæcauiſſe eos malitiam eorum, deluſoſque à dæmone; quî vitam à vero, ſupercæleſti ac Spiritu diuino, ſancto igne illuminentur, vt hunc & alios cognoſcentes & deteſtantes errores, veritatem amplectantur, Catholicæ

Eccle-

Ecclesiæ & illius Capiti Romano Pontifici obediant, ne diuinum iudicij ignem in altera vita experiantur, sed cum veris fidelibus, cælesti charitatis igne in beata illa Sanctorum patria inflammentur.

Dicam modò quæ apud alios inuenire potui, ex quibus fortè memoratus error processit. Bonifacius libro 1. de Perenni cultu Terræ sanctæ, quem hîc suismet verbis subiiciam, quibus quod geritur, vel olim gerebatur, aperit, & quæstioni consequenter respondet; sic verò ait: Ipsi enim, scilicet Orientales schismatici, silice excudunt ignem, quem absque vlla benedictione populo tradunt, asserentes, & docentes, ipsum de cælo descendisse; in hanc impietatem ipsi descendentes, vt faciant colere ignem materialem pro flamma cælesti. Dico ad ædificationem fidelium, quòd à quingentis annis citrà, ab ipso principio nascentis Ecclesiæ, descendebat manè circa horam sextam flamma de cælo, & accendebat lampadem vnam vel plures in Dominico Sepulchro; & hoc fiebat, quando congregatus Clerus & populus in Ecclesia erat: tunc accendebantur luminaria altaris ex flamma de cælo ad locum sanctum missa. & Patriarcha cum Clero, Rege & populo procedebant omnes cum luminaribus ad Dominicum Sepulchrum processionaliter; quo deuotissimè deosculato, & ter circumdato, procedunt ad maiorem Missam cum gaudio & lætitia, gratias agentes Patri luminum & Filio lucis, candori æterno, & Spiritui sancto, qui in linguis igneis descendit in monte Sion sancto in discipulos, & eos qui cum ipsis erant. Ordo expectandi luminis è cælo & illius tradendi hîc seruabatur. Congregabantur ad Ecclesiam Resurrectionis Patriarcha, Rex, Clerus & populus à summo manè vsque ad horam, quæ communiter erat sexta, in qua dignabatur Dominus flammam ad locum sanctum mittere; & post longam orationem, mittebatur vnus ex Prælatis montis Sion, vel montis Oliueti, aut Bethlehem, aut Hebron, aut S. Habacuc, aut S. Ioannis, & Saluatoris ad ripam Iordanis, aut Nazareth, aut montis Thabor, aut montis Carmeli, aut S. Ioannis Baptistæ in Sebasten, aut aliorum locorum: qui enim sanctior inter eos reputabatur, vt esset primus ad lumen accipiendum, mittebatur. Et si nondum acceptas lampades inueniret, reuertebatur ad Patriarcham, Regem, Clerum, & populum, dicens alta voce, Nondum in lumine visitauit nos Dominus è cælo: tunc augebatur oratio, ploratus & vlulatus, vt Dominus eos, sicut consueuerat, visitaret. Aucta verò oratione cum lacrymis, mittebatur alius; & sic fiebat, vsquequo Dominus de cælo eis mitteret ignem, siue donum flammæ: quæ per quemcumque inuenta esset, accendebatur lumen in lætitia spiritus. Et primò Patriarchæ, Diacono & Subdiacono, ipsi verò primò Regi, deinde omnibus qui in choro adstabant, istud sanctum lumen tradebatur. Minoris ordinis ministri populo porrigebant cum gaudio hanc flammam sanctam. Iste locus & descendendi & tradendi luminis erat; & seruabatur modus, quem nunc schismatici & hæretici seruant, ille qui à profundo prodiit inferni, sicut & alij eorum errores. Ipsi enim suadent populis, quòd ille idem ignis, qui antiquitus descendebat, quòd nunc etiam descendit, sed mentiuntur, vt in multis alijs quæ ad salutem pertinent. Ipsi die Veneris sancti procurant Græci, & Armeni præcipuè, vt infideles claudant ostium Sepulchri, & sigillo suo muniant; & magno die illo Sabbati componunt cum Sangiacho, Hemino & primis Turcarum, copiosa pecunia ementes, quis prior ingredi debeat Sepulchrum, & ignem silice excussum populo vendere pro flamma cæli: quæ impietas maximo scandalo tam Catholicorum quàm Mahumetanorum exequitur. Ipsi enim infideles irridentes fidem illorum, digito protendentes, ostendunt præfatos hæreticos, dicentes: Videte qualis est fides istorum, credunt ignem, qui comburit, vorat, deficit, descendere de cælo: ignis è cælo missus illuminat, sed non comburit. Ista & multa alia blasphemantes & irridentes in hæreticos iuste coniiciunt: Latinos multùm laudant, qui cum illis in hanc impietatem & idololatriam non descendunt. Iste modus seruatur, vel potius confusio nutritur in tradendo igne inter Orientales hæreticos. Semel ego in Dominico Sepulchro vocaui ad prandium Græcorum Patriarcham, & interrogaui ipsum, quare sic impiè agunt, & persuadent populis id quod hæresim, impietatem & idololatriam sapit? Respondit mihi, quòd aliter viuere non possunt. Vestri enim, inquit, Latini ob deuotionem Sepulchri aliorumque sacrorum locorum veniunt, nostri verò Græci veniunt vt habeant ignem: quem etsi nos silice excudimus, scimus certè ipsum è cælo non descendere; tamen ex supradicta causa, & ne obliuioni detur Terra sancta, suademus populis, quòd de cælo descendit. Respondi illi, Non sunt facienda mala, vt eueniant bona. Ad quid enim iustitiam Dei destruitis, veritatem conculcatis, & lumen sub modio ponitis, & vestram statuitis impietatem? Ad hoc nihil respondit ipse Græcorum Patriar-

triarcha, nec Episcopus Armenorum, quando cum eo de hac impietate, quam committunt, locutus sum. dicunt enim, sed nihil ad rem: Vos Latini habetis Papam, Imperatorem, & multos Reges, qui vos alunt, & necessaria vitæ subministrant; nos verò à multis retrò annis in hac captiuitate constituti, vt possumus, & scimus, viuimus. ad hanc ego: Tutum non est, nec viros Christianos decet sceleratam & immanem committere & plebi suadere idololatriam propter victum acquirendum; sed ego scio, & probè noui, quòd omnia quæ facitis, propter auaritiam facitis: & sicut omnia Sacramenta Ecclesiæ venalia apud vos sunt; ita statuitis pro flamma cælesti vendere materialem ignem. Ad istos & alios errores, quos ipsi habent, neque sciunt neque possunt respondere, vnde res se habet; nec quis auctor eorum fuerit, nisi ille malus, qui super triticum purum superseminauit zizaniam. Vnde cum ipsis quando aliquis de fide loquitur, nec ratione nec auctoritate ipsi vtuntur, sed mala consuetudine & traditione hæretica. Reuertamur vnde digressi sumus, videlicet ad flammam cælestem, quæ olim & nunc Arabicè *nuur* vocatur; ignem verò, quem ipsi nunc populo tradunt, Arabes & alij Pagani *nuur* vocant, dicentes: Quid sibi vult amplius, non descendit *nuur*, quod est flamma cæli? sed Græcorum & Armenorum hæreticorum & schismaticorum Episcopi excudunt silice *nuur*, quod est ignis materialis, & sic, vt prædiximus, irrident fidem Christianorum Orientalium, putantes omnia falsa esse quæ credunt; sicut & istud falsum est. Et hæc de igne Orientalium, quem Sabbato sancto ipsi populo porrigunt, sufficiant. Hactenus fuere Bonifacij verba.

Præter nunc relata ex Bonifacio, alia ex antiquorum subijciam; ex quibus apparebit magis, vnde memoratus schismaticorum ignis potuerit habere originem (quamuis recte considerata, in nullo suffragabuntur modo, quo in præsentia schismatici illi indicatum ignem conficiunt, & tradunt) esseque horum ignem diminutam atque simulatam imaginem illius ignis, quem antiquis temporibus Deus de cælo mittebat, vt considerantibus non obscurè apparebit. Plura suppetunt ex S. Gregorio Turonensi Episcopo lib. 1. Miracul. cap. 5. ex quibus sequentia accipe: *Crux Dominica, quæ ab Helena Augusta reperta est Ierosolymis, ita quarta & sexta Feria adoratur. Huius Reliquias & merito & fide Helena comparanda Regina Radegundis expetiit, ac deuotè in monasterium Pictauense, quod suo studio constituit, collocauit; missisq; pueris iterùm Ierosolymam, ac per totam Orientis plagam, qui circumeuntes sepulchra Sanctorum Martyrum Confessorumq;, cunctorum Reliquias detulerunt: quibus in arca argentea cum ipsa Cruce sancta locatis, multa exinde miracula conspicere meruit. de quibus illud primum exponam, quod ibidem Dominus in diebus passionis sua dignatus est reuelare. Sexta Feria ante sanctum Pascha, cùm in vigilijs sine lumine pernoctarent, circa horam tertiam noctis apparuit ante altare lumen parualum in modum scintilla; deinde ampliatum, huc illucq; comas fulgoris spargens, capit gradatim in altum conscendere; effectaq; pharus magna, obscura nocti vigilantiq; plebecula lumen præbuit supplicanti: illucescente quoque cælo paulatim deficiens, data terris luce, ab oculis mirantium exuuit. Ego autem audiebam sæpiùs, quòd etiam lychni, qui accendebantur ante hæc pignora, ebullientes virtute diuina in tantum exundarent oleum, vt vas suppositum plerumque replerent; & tamen, iuxta stultitiam mentis duræ, numquam ad hæc credenda mouebar, donec brutam segnitiem ipsa ad præsens, qua ostensa est, virtus argueret: ideoq; quæ oculis propriis viderim explicabo. Causa deuotionis extitit, vt sepulchrum sancti Hilarij visitans huius Reginæ adirem colloquia; ingressusq; monasterium, consalutata Regina, coram adoranda Cruce ac sacris Beatorum prosternor pignoribus; denique oratione facta surrexi. Erat enim ad dextram lychnus accensus; quem cùm stillis frequentibus defluere conspexissem, testor Deum, quia putaui quasi vas esset effractum, quia erat ei concha supposita, in quam oleum defluens decidebat. Tunc conuersus ad Abbatissam: Tantáne te retinet mentis ignauia, vt integrum cicindile laborare non possu, in quo oleum accendatur, nisi effractum, quod defluat, ponas? & illa: Nec est ita, Domine mi, sed virtus est Crucis sanctæ quam cernis. Tunc ergo ad me reuersus, & ad memoriam reuocans quæ priùs audieram, conuersus ad lychnum, video in modum ollæ fernentis magnis fluctibus exundare, ac per oram ipsam vndis intumescentibus superfluere; &, credo, ad incredulitatem meam arguendam, magis ac magis augeri; ita vt in vnius horæ spatio plusquam vnum sextarium redderet vasculum, quod quartarium non tenebat: admiratusq; filui, ac virtutem adorandæ Crucis deinceps prædicaui.* Hæc vbi suprà Gregorius Turonensis. & ibidem inferiùs cap. 9. loquens de quadam Basilica ad honorem B. Mariæ Virginis in ciuitate Galateæ dicata & exornata ab Imperatore Constantino, hæc scribit: *Adueniente verò hac festiuitate*, id est illius Basilicæ, *ego ad celebrandas vigilias ad eam accessi; cumq; per obscuram noctem*

Eram properarem ad oratorium, ſuſpicio à longè per feneſtras ita immenſam claritatem effulgere, vt putaretur ibi multitudo lychnorum ac cereorum eſſe accenſa: credens igitur, quòd aliqui deuotorum iam nos ad celebrandas vigilias præceſſiſſent, accedo ad oſtium, pulſo, nec quemquam inuenio; repertumq; oſtium clauè munitum, cuncta ſilentio data deprehendo. Quid plura? tranſmittimus ad cuſtodem, cui tunc erat obſeruandi cura, vt ſcilicet oſtium clauè exhibita reſeraret: dum autem ille venit, nos accendimus à foris cereum; interèà aperitur ſponte & oſtium: ingreſſiſq; nobis, credo à caligine peccatorum meorum, claritas, quam admirabamur à foris, apparente cereo noſtro diſceſſit; nihil tamen præter virtutem glorioſæ Virginis aliud penitus videre potuimus, vnde claritas illa fuiſſet exorta. Denique non credo abhorrere ab iſto propoſito, quæ idem Auctor commemorat citato loco cap. 13. de mirabilibus viſis in liberatione vrbis Vaſatenſis, & cap. 57. de cereo diuinitus accenſo, & quod Beda lib. de Locis ſanctis cap. 7. ſcribit de flamma è cælo mirabiliter deſcendente ſuper montem Oliueti, peracta Miſſa in die Aſcenſionis Domini, omnesque in ea exiſtentes ad terram proſternente.

Sed propiùs ad ea quæ magis deſeruire poſſunt accedamus, ad lumen videlicet & ignem, qui verè antiquis temporibus deſcendebat è cælo in Hebdomada ſancta in templum ſanctiſſimi Sepulchri, vt plures fide digni retulerunt Auctores; quorum aliqui inueniuntur in Opere, cuius titulus eſt, Geſta Dei per Francos, non ſemel dicti ignis mentionem facientes. Nos, quæ ex aliis accuratè collegit P. Iacobus Greſerus Tomo 3. lib. 2. cap. 11. ſui egregij Operis de S. Cruce, hîc ſubijciemus. ſic verò ait:

Nec ſilentio prætereunt debemus miraculum vetus, quia iam pridem vſitatum; nouum, quia tunc præter ſolitum, dilatum; anno Domini M.CI. populo Dei oſtenſum in Vigilia Paſchæ: quod ex relatione Herimanni Presbyteri in litteras miſit Vrſpergenſis: *Die ſacratiſſimi Sabbati, quo, ſecundùm antiquæ miſericordiæ Domini οἰκονομίαν, Baptiſmate iam conſecrato, lumen de cælo nobis miniſtrari deuoti nimiùm exſpectabamus, vſque ad veſperam orationibus ſolitis inſtitimus; tuncq;, propter peccata noſtra, deſiderato dono cæleſti, quod etiam in conſpectu gentium olim Chriſtiani ante nos ſemper ſuſcipere ſolebant, omnimodò fruſtrati, abſque omni feſtiuæ ſynaxis officio, noctem illam Dominicæ reſurrectionis lugendo tantùm & mœrendo tranſegimus: ſummo autem manè cum Litaniis à Sepulchro Domini nudipedes proceſſimus; ingreſſiq; ante templum Domini, quo ſcilicet loco, id eſt, in monte Moria, in area, Dauidem in maxima tribulatione exauditum, cunctosq; exaudiendos, qui idem corde deuoto orauerunt, Salomoni promiſſum legimus: mox poſt preces lacrymaſq;, ne nos deſerendo Chriſtum nomini ſuo blaſphemiam inter gentes præpararet, fuſas, necdum atrium illud famoſum egredimur, & ecce concrepantia ſigna, laudes altiſonas in occurſum nobis, ab his qui remanſerant, reboantes audiuimus; intrantes verò Eccleſiam prænominatam (Sepulchri Domini) lampades duas cælitus incenſas immenſo gaudio repleti conſpeximus. Quid plura? A Baptiſmi officio, quo pridie ceſſaueramus, incipientes, totum ſeruitutis noſtræ penſum, Domino dudum ſubtractum, vſque ad Miſſæ completionem latiſſima deuotione perſoluimus: nobis quoque egreſſis, inter Miſſam Syrorum, qui ſemper poſt noſtrum egreſſum eodem pſallere choro ſolent, lampades aliæ diuinitus accenduntur; ante Veſperas verò, & inter ipſas veſpertinas Laudes, vſque ad ſedecim huiuſmodi lumina viſibiliter ampliantur, ſicq; contigit, vt pauci intra Ieruſalem ſeu Chriſtiani ſeu pagani reperirentur, qui tam euidentem Chriſti potentiam ſe non vidiſſe teſtarentur.*

Eiuſdem annui miraculi nonnihil dilati meminit VVilhelmus Malmesburienſis, ſed malè initio templum Sepulchri, in quo accidebat, confundere videtur cum templo Domini eo loci extructo, vbi erat olim templum Salomonis; quodque Mahometana ſuperſtitio ſuis vſibus deſtinarat, & à cuius aditu quiuis Chriſtianus arcebatur: poſteà tamen diſtinguit.

De origine & antiquitate huius miraculi quo quotannis in Vigilia Paſchæ lampades ante Sepulchrum Domini perpetim ardere & lucere ſolitæ diuinitus accendebantur, hæc idem Scriptor: *Quod miraculum quando cæperit, vel ſi ante tempora Sarracenorum fuerit, nullius hiſtoriæ cognitione diſcernitur.* Tempore Sarracenorum, antequam inclytus Dux Godefridus Ieroſolymam occuparet, miraculum hoc viguiſſe manifeſtum fit ex iam iam audita relatione Herimanni Presbyteri. Addit Malmesburienſis: *Legi ego in ſcripto Bernardi monachi, quòd abhinc annis ducentis quinquaginta, id eſt, anno Incarnationis octingenteſimo ſeptuageſimo, idem Ieroſolymam profectus ignem illum viderit, hoſpitatusq; fuerit in xenodochio, quod idem glorioſiſſimus Carolus Magnus conſtrui iuſſerat, vbi & bibliothecam ingentis expenſæ compegerat.* Hæc ille de igne cælitus miſſo; qui & incolis & peregrinis magno in honore ſemper fuit. Malmeſburienſis de VVilhelmo Comite Pictauienſi aliiſque Principibus: *Benigne apud Lop-*

pen hoſpitio excepti, Ieroſolymam proximo Paſcha contenderunt, vbi ſacroſanctum ignem lætis hauſerunt oculis, deuotis adorarunt animis.

Idem miraculum perdurauit etiam, poſtquam, eiectis Chriſtianis, vrbs Ieroſolymitana in poteſtatem Mahometanorum rediit. Id liquet ex Ioanne Cantacuzeno Apologia tertia contra Mahometanos, vbi infideles hoc anniuerſario diuinitus accenſi luminis miraculo vrget, & ad fidem Chriſtianam complectendam inducere conatur hunc in modum: *Miraculo, quod annuatim Ieroſolymis iuxta Chriſti Sepulchrum tempore reſurrectionis illius contingit, vt ipſe nouiſti, numquid contradicere potes? Non ignoras enim, quòd Dei ſic permittente iudicio, loco illi ſancto Muſulmani dominantur, & circa tempus Reſurrectionis Chriſti multam magnamq; curam adhibent & diligentiam, ne vllum aliquod lumen ardens conſpiciatur. Fit igitur hoc ſine omni controuerſia diligentiſſimè. Eo autem temporis articulo, quo Chriſtiani, qui illic agunt, hymnum de Chriſti reſurrectione compoſitum decantant, lumen cælo delabitur, vidente hoc Muſulmanorum Principe, qui intereà temporis ibi commoratur, incendens tres illas, quæ Chriſti Sepulchro adſtant, lampades. Quid igitur tibi videtur? Num falsò dixit Chriſtus ſe Deum eſſe, & Dei Filium? Falsone hoc Chriſtiani credunt? Quomodo igitur eadem hora, qua illi Chriſtum, vt diximus, Deum & Dei Filium decantant, & Creatorem omnis creaturæ, in copioſiorem nimirum miraculi aſſertionem expoſitionemq;, teſtante ſimul Deo, hoc verum eſſe lumen cælitus delapſum, lampades, vt dictum eſt, circa Chriſti Sepulchrum adſtantes incendit? Quemadmodum enim in Iordane, cùm Chriſtus baptizaretur, vox cælitus deſcendit, dicens, Hic eſt Filius meus dilectus, Chriſtum denotans; ſic tempore ſuprà memorato lumen cælitus delabitur, aſſerens & teſtificans omnibus tam fidelibus quàm infidelibus, quòd ipſe ſit Chriſtus Filius & Verbum Dei, verus Deus & homo.*

Expectabatur auidiſſimè ea die & hora, qua quotannis cælo demitti ſolet, magno populi adſtantis, & miraculum præſtolantis, & cereos geſtantis accurſu, inter quos adfuit quadam vice etiam Odolricus Aurelianorum Præſul: ex cuius oculati teſtis relatione hæc litteris mandauit Rudolphus magnus: *Illius Sabbati, quo ignis mirabili Dei potentia veniens ab vniuerſo populo præſtolatur, ibi cum ceteris idem Præſul adſtabat; iamq; dies ipſa in veſperum tranſiens, repente penes horam, qua ſperabatur ignis affuturus, vnus Sarracenorum ſcurra impudentiſſimus ex plurima illorum multitudine, quæ annuatim ſemper cum Chriſtianis adeſſe ſolet, exclamauit, vt Chriſtianis mos eſt, cùm primùm videtur, Aios, Kyrie eleiſon, cauillanter cachinnum emiſit: extenſaq; manu, arripuit cereum de manu cuiuſdam Chriſtiani aufugere tentans.* Videtur locus corruptus; itaque legendus, *Hagios ſancte, Kyrie eleiſon, & cauillanter*, &c. vt ſenſus ſit, Sarracenum illum ludibrij gratia, Chriſtianos *Hagios Kyrie eleiſon* igne viſo clamare ſolitos, imitari voluiſſe, non ſine cachinnis.

Rudolph. lib. 4. Hiſt.

Pergit Rudolphus: *Qui illicò arreptus à damone, turpiter inimicum vexare cœpit: quem proſequens Chriſtianus, cereum abſtulit: ille verò tortus acerrimè, protinus inter Sarracenorum manus expiranit. Quod factum omnibus in commune terrorem immiſit; Chriſticolis tamen gaudium & exultationem præbuit. Statim verò, vt aſſolet, Dei virtute erumpens ignis ex vna lampadum, quæ ſeptem ibidem pendere cernuntur* (plures ponit Vrſpergenſis) *curſim eructando ceteras inflammauit: quam* (lampadem) *cum ſuo oleo præfatus Epiſcopus emens auri libra à Iordane qui tunc præerat Patriarcha, ſecum detulit, atque in ſede propria reponens, plurima infirmis contulit beneficia.* Hæc Rudolphus de lampadibus in templo Dominici Sepulchri quotannis pridie Paſchæ accendi conſuetis. *In nocte Dominicæ Reſurrectionis ignis ſacer deſcendit de ſupernis*, inquit Vitriacus loquens de Sepulchro Dominico. Mittebatur ergo cæleſte hoc lumen, quando iam noctescebat. Ita ex Gretſero de S. Cruce: & eiuſdem ignis, ſiue cæleſtis luminis cælitus demiſſi, etiam poſtquam vltimò Terra ſancta ſubacta fuit ab infidelibus, meminit lib. 1. de Sacris peregrinationibus cap. 7. ex Petro Cluniacenſi lib. 2. contra Iudæos. Videndus etiam Fulcherius Carnotenſis anno Domini 1101. cap. 24. & de Expugnatione Ieruſalem capite 38. & 39.

In Opere inſcripto, Geſta Dei per Franc. pag. 407. & 581.

Denique, pro antiqui miraculi demiſſi cælitus ignis confirmatione, ſit teſtimonium omni acceptione maius ſanctiſſimi pariterque doctiſſimi Pontificis Vrbani II. qui de illo in quodam Sermone in Concilio Claramontenſi habito pro expeditione in Terram ſanctam ita habet: *Et tamen in illo loco*, templo videlicet ſanctiſſimi Sepulchri, *non ignara loquor, requieuit Deus: ibi pro nobis mortuus eſt, ibi ſepultus eſt. Neque equidem ibi Deus hoc annuatim prætermittit facere miraculum, cùm in diebus paſſionis ſuæ, extinctis omnibus & in Sepulchro & in Eccleſia circumcircà luminibus, inbare diuino lampades extincta reaccenduntur: cuius fectus, ſilicinum factum, tantum miraculum non emollit?*

emollias? Ita refert Annalium Eccleſiaſticorum illuſtriſſimus Scriptor Cardinalis Baronius Tom. 11. anno Chriſti 105. Papæ Vrbani 8.

Sedenim pro antiqui illius ſacri ignis miráculo adducta nullo modo ſuffragantur igni quem hiſce temporibus, non è cælo, non manibus Angelorum, vt olim, ſed è terra & manibus ſchiſmaticorum accenditur: nam ille non in ſecreto, ſed publicè apparebat, non elauſis in ſepulchro Æthiopibus ſchiſmaticis, ſed, palàm orantibus & publicè illum expectantibus fidelibus, deſcendebat: vnde vt tunc ignis ille erat ab omni ſuſpicione alienus; ita iſte, qui modò traditur, omni ex parte ſuſpectus eſt. Denique antiquitus, iuſta aliqua exiſtente cauſa, illum ignem Deus cælitus demittebat; qua in præſentia ceſſante, illum mittere deſiit. Quare ignis, qui modò Ieroſolymis in ſero Sabbati ſancti traditur, non è cælo, ſed è terra venit; non ab Angelis delatus, ſed ab hominibus naturali modo accenſus, & vt talis ab omnibus habendus. Et hæc de memorato igne ſatis.

CAPVT XXIV.

De loco vbi Chriſtus Dominus poſt ſuam Reſurrectionem in hortulani habitu apparuit Mariæ Magdalenæ, quinto loco ſecundæ Peregrinationis.

DEbito cultu exhibito Chriſto Domino noſtro à morte ad immortalem vitam reuocato in eius ſacratiſſimo Sepulcro; inde egreſſi, ad alterum ſanctum locum venerandum accedimus, glorioſa præſentia eiuſdem Domini noſtri Ieſu Chriſti conſecratum: is verò eſt, in quo ipſe Dominus, poſtquam reſuſcitatus fuit, apparuit primò, poſt eius ſanctiſſimam Matrem, Mariæ Magdalenæ in hortulani habitu; dum illius amore ſaucia, à monumento, in quo Magiſtri corpus repoſitum fuerat, non diſcedebat. Rem geſtam ſequentibus verbis expreſſit Ioannes 20, 11. *Maria autem ſtabat ad monumentum foris, plorans. Dum ergo fleret, inclinauit ſe, & proſpexit in monumentum: & vidit duos Angelos in albis, ſedentes, vnum ad caput, & vnum ad pedes, vbi poſitum fuerat corpus Ieſu. Dicunt ei illi: Mulier, quid ploras? Dicit eis: Quia tulerunt Dominum meum; & neſcio vbi poſuerunt eum. Hæc cùm dixiſſet, conuerſa eſt retrorſum; & vidit Ieſum ſtantem: & non ſciebat quia Ieſus eſſet. Dicit ei Ieſus: Mulier, quid ploras? quem quæris? illa exiſtimans quia hortulanus eſſet, dicit ei: Domine, ſi tu ſuſtuliſti eum, dicito mihi vbi poſuiſti eum, & ego eum tollam. Dicit ei Ieſus: Maria. Conuerſa illa, dicit ei: Rabboni (quod dicitur Magiſter.) Dicit ei Ieſus: Noli me tangere, nondum enim aſcendi ad Patrem meum: Vade autem ad fratres meos, & dic eis: Aſcendo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum; Deum meum, & Deum veſtrum. Venit,* &c.

In loco, vbi fertur Chriſtum ſtetiſſe, quando Mariæ Magdalenæ apparuit, & dixit ei: *Noli me tangere*, &c. eſt lapis cinereus rotundus & planus, cum ipſo Eccleſiæ pauimento æqualis: parum vlteriùs, procedendo ad capellam ſanctæ Mariæ de Apparitione, è regione illius eſt alter omnino illi perſimilis, quo notatur locus, in quo conuerſa Maria Magdalena Dominum vidit, vel cognouit. Diſtat iſte à præcedenti lapide 15. pedibus, à ſanctiſſimo Sepulchro 50. Hæc communi veteriq́ue recepta in partibus iſtis traditione aſſeruntur. Super priori lapide deſuper pendet lampas accenſa; & in proceſſione ſuper vtrumque duo magna cerea, quæ ex ſanctiſſimo Sepulchro deferuntur, accenduntur in illorum venerationem, quæ in proceſſione fit.

Reſtat ſcrupulus proponendus & diluendus, qui contra prædicta fieri poſſet. Non videtur verum, quòd in loco, vbi poſterior lapis eſt, fuerit Magdalena, quando conuerſa vidit Dominum: nam citrà priorem lapidem erat prope monumentum, vt indicant illa verba Euangeliſtæ, *Hæc cùm dixiſſet, conuerſa eſt retrorſum*, &c. *Difficultas explicatur.*

Reſpondeo dupliciter: Primò, tenendo, quòd in loco eo priùs viderit Dominum, & poſteriùs cognouerit: nam conuerſio illa non eſt in puncto & immediatiſſimè accipienda; ita vt ſtatim, poſtquam ad Angelos reſpondiſſet, conuerſa viderit Dominum; ſed paullò pòſt, egreſſa è Sepulchro; paulatim vlteriùs progreſſa: ardens enim deſiderium videndi Magiſtrum, illam huc illucq́ue vertebat; frequenter tamen ad Sepulchrum ipſum oculos coniiciebat: & cùm ibi eſſet conuerſa ad Sepulchrum, non longè vidit Magiſtrum, quem priùs fuit allocuta. Poſteà vertens ſe, vt inquireret Dominum, ab eo proprio nomine vocata, conuerſa cognouit Ieſum, & ad eum cucurrit, &c. quod in poſterioribus verbis dixit Ioannes. Et hoc eſt quod cantatur de ea in Hymno, dum locus iſte honoratur,

Hinc inde currit ſaucia,
Amore Chriſti languidà.

Secundò reſpondeo, quòd cùm bis fuerit conuerſa, & duplicis conuerſionis mentionem faciat Ioannes; vnius, quando vidit, ſed non cognouit, alterius, quando vidit & cognouit: dico, priorem accidiſſe, dum eſſet Magdalena adhuc ad Sepulchrum; de qua

qua inquit Ioannes, *Hæc cùm dixisset, conuersa est*, &c. sed inde egressa post compellatum, at non cognitum Dominum, vlteriùs procedens ad ipsum inquirendum, cùm peruenisset ad locum vbi posterior est lapis, vocata à Iesu, se conuertit, illum vidit, & cognouit. De qua posteriori conuersione videntur intelligenda sequentia illa eiusdem Euangelistæ verba, *Dicit ei Iesus: Maria. Conuersa illa, dicit ei: Rabboni*, &c. & hic modus dicendi mihi magis probatur.

Prope posteriorem illum lapidem, & iuxta ostium sacelli sanctæ Mariæ de Apparitione, est capellula ad honorem sanctæ Mariæ Magdalenæ ædificata: quæ, ne impedimento esset, ibi, & non in loco vbi ipsa & Christus steterit, quando ei apparuit, fuit constructa.

CAPVT XXV.

De Sepulchro Ioſephi ab Arimathea, ſexto loco ſecundæ Peregrinationis.

A Tergo Dominici Sepulchri alterum sepulchrum est in rupe excisum, parùm è solo eleuatum: duplex est, & vtrumque angustum, quia vix humanum corpus capere potest; longitudo est palm. 7. vnc. 6. altitudo palm. 3. vtriusque latitudo palm. 4. vnc. 6. diuidens rupes vnc. 10. Appellatur Sepulchrum Ioſephi ab Arimathæa. sed quare talem obtinuit nomenclaturam? An quia ibi dilecti Christi discipuli corpus, post eius felicem ex hac mortali ad alteram immortalem vitam transitum, fuit tumulatum? Non sanè: etenim, vt ex probatis Auctoribus docet Cardinalis Baronius Tom. 1. Annal. circa annum Domini 35. sæuiente Ierosolymis & in Iudæa tota in Christianos Iudæorum persecutione, Lazarum, Mariam Magdalenam, Martham & Marcellam pedissequam, in quos Iudæi maiori odio exardebant, non tantùm Ierosolymis expulerunt, sed vnà cum Maximino discipulo, naui absque remigio impositos, in certum periculum in mare dimiserunt; qui diuina prouidentia Massiliam appulerunt; comitemque ferunt eiusdem discriminis Ioſephum ab Arimathæa, nobilem Decurionem, quem tradunt ex Gallia in Britanniam nauigasse, ibique diem clausisse extremum, & sui discipulatus & obsequij erga Dominum & Magistrum suum mercedem recepisse.

Ratio nominis ſepulchri Ioſephi ab Arimathæa.

Sed sepulchrum Ioseph ab Arimathæa appellari crediderim, quoniam hic sanctus Christi discipulus illud sibi incidit, post alterum quod Magistro concesserat, vt in eo prope alterum, quod Christo dicauerat, tumularetur. Cùm enim alterum iàm Domino dicatum fuisset, nec erat repetendum vt aliis deseruiret, sed semper in honore habendum, quod cælo ipso & beatorum sedibus illustrius esset; credebat se ex eius vicinia emolumentum consecuturum: vt quemadmodum Adam in Caluariæ monte tumulatus fructum mortis Christi fuit consecutus; ita ipse consequeretur fructum eiusdem resurrectionis, si prope Sepulchrum, ex quo Christus tumulatus & glorioſus exiuit, fuisset sepultus. Ceterùm etsi non fuerit ibi sepultus sanctus Ioseph, propter eius tamen bona opera, fructu exspectato Dominicæ resurrectionis non caruit. Iacobitæ illud custodiunt, & non nisi illorum interuentu videri potest; tamen de facili ad illud videndum admittunt. In processione non colitur.

Iacobitæ custodiunt sepulchrum Ioſephi ab Arimathæa.

CAPVT XXVI.

De Sacello ſanctæ Mariæ Virginis de Apparitione, ſeptimo loco ſecundæ Peregrinationis.

POst venerationem sanctorum locorum sanctissimi templi Dominicæ Resurrectionis numero duodecim, quæ speciali cultu in processione coluntur, tandem ex loco, vbi Christus in hortulani habitu apparuit Mariæ Magdalenæ, ingredimur sacellum sanctæ Mariæ Virginis de Apparitione, vnde primò cum processione discessimus, ipsam sanctissimam Virginem venerantes; eique de omnibus gratias agentes, nos & preces nostras offerentes, vt dilecto Filio suo offerat, semperque nos sub vmbra alarum suarum protegat.

Ratio nominis ſacelli S. Mariæ de Apparitione.

De hoc verò sacello, præter superiùs dicta Cap. x. 1. Peregrinat. alia hic adiicienda sunt, quibus appareat, quare ista nomenclatura sit insignitum. Sacellum hoc ab omnibus nationibus, Catholicis & schismaticis, in partibus istis degentibus, appellatur, & semper appellatum fuit, Sacellum sanctæ Mariæ Virginis de Apparitione, non tantùm quòd ad honorem apparitionis Domini nostri sanctissimæ Matri suæ fuerit erectum; sed quòd piè credatur, in eo loco, vbi postea sacellum fuit ædificatum, Christum Dominum post suam glorioſam resurrectionem sanctissimæ ac dilectissimæ Matri suæ primò apparuisse.

Chriſtum poſt reſurrectionem primò Matri ſuæ apparuit.

Antequam hoc explicemus, præmittendum est, Christum Dominum post suam glorioſam resurrectionem primò apparuisse suæ sanctissimæ Matri. Ita tenet Ecclesia (etsi Euangelistæ id tamquam omnibus fidelibus exploratum silentio præterierint)

&

& communiter Doctores, & singulariter qui meditationes Vitæ & mortis Christi litteris consignarunt, D. Anselmus de Excellentia Virg. cap. 6. Rupertus lib. 7. de Diuinis officiis cap. 25. D. Bonauentura in Vita Christi, D. Birgitta lib. 6. Reuelat. cap. 94. & D. Ambrosius lib. 3. de Virgin. *Vidit*, inquit, *Maria resurrectionem Domini; & prima vidit, & credidit. Vidit & Maria Magdalena, quamuis adhuc ipsa nutaret*, &c.

Et ratio ipsa id persuadet: si enim Mariæ Magdalenæ inter peccatores primò apparuit, vt notauit Marcus 16, 9. quia ceteris in amore feruentior; quantò magis credendum est, ante omnes primò apparuisse suæ sanctissimæ Matri, quæ de morte Filij sui plus omnibus doluit, & in illius dilectione non homines modò, sed ipsosmet Angelos superauit? igitur & primò glorioſa Filij sui præsentia consolari debuit, & quia illius Mater erat.

Dubium nunc est de loco huius apparitionis: quidam in sacro monte Sion factam fuisse arbitrantur, vbi multi Christi discipuli, Virgo Maria, amici & propinqui eiusdem habitabant, vbi aliæ contigerunt apparitiones, & postmodum ipsa Virgo Maria post Filij sui in cælos ascensionem habitauit, & vltimum diem clausit.

Alij in domo, vbi concepta & nata dicitur B. Virgo Maria, nunc in Ecclesiam D. Annæ matri eiusdem Virginis dicatam conuersa.

In domo prope Sepulchrum, Christum Matri apparuisse explicatur.

Denique communis in partibus istis traditio tenet, apparuisse Christum Dominum sanctæ Matri suæ in loco de quo nunc agimus. Quomodo verò id acciderit, in hunc modum explicatur. Fertur in horto, vbi erat Christi monumentum, tempore passionis & resurrectionis Domini fuisse etiam domum Ioſephi ab Arimathæa, nobilis Iudæorum Decurionis; & fieri potuit, cùm & ibi suum excidisset monumentum, quod notanter dixit Matthæus 27, 60. illis verbis, *Posuit illud in monumento suo nouo*, &c. & propriam iuxta ipsum habuisse domum, & hortum in quo hæc fuisse credendum est; quemadmodum & alij nobiles viri in suburbiis habere consueuerunt, quò se, ad voluptatem capessendam, & animum negotiis implicatum alleuandum, recipiant.

Dicunt itaque pij quidam viri in partibus istis, quòd cùm B. Virgo post humatum Filium suum quasi semimortua doloreque oppressa esset, adeò vt vix se posset erigere & sustentare, rogata fuit à Ioſepho, vt in suam proximam sepulchro domum diuerteret, & quiesceret. Cui honestæ petitioni libenter annuit beata Virgo; tum quia iam inclinauerat dies; & ipsa pænè dolore emortua, ad quid in distantem à Sepulchro domum abiret, cùm in proximam amici hospitis se posset recipere? tum, & multò magis, ne vix à Filio suo, etsi defuncto, ad modicum separaretur; præsertim, quòd credebat se breui visuram illum glorioſum, quem paulò antè viderat defunctum: at citiùs ibi quàm alibi vidisset. Huiuscemodi se legisse in antiquissimo libello de locis sanctis, affirmauit mihi in partibus istis pius ac studioſus Ordinis nostri Theologus.

B. Maria post Christi mortem non discessit à Sepulchro.

Huic traditioni sequentia suffragantur: in primis Sophronius Sermone de Assumptione Virginis dicit, *illam non procul à Sepulchro Domini interdum habitasse*. Et quando magis, quàm in triduo mortis Christi? cùm postea in monte Sion habitauerit, vt alibi diximus.

Deinde id mihi alij graues significant Auctores, asserentes Sepulchro immotam permansisse: hi sunt Euthymius in cap. 27. Matthæi, Anonymus Oratione de veneranda ortu & educatione Mariæ, prout habetur in Bibliothecis Sermone de Natiuitate Mariæ. Item Metaphrastes 15. Aug. dicit, *beatam Virginem assedisse Sepulchro, donec rediuiuum vidit Natum*. Sed audiamus eiusdem dignissima verba de Comp. Virginis, quæ intentum egregiè confirmant: *Mater sola*, inquit, *remansit Sepulchro adhærens, minimè dormientibus oculis perseuerans; nam alia quidem tota nocte ad Sepulchrum ingressa sunt, & egressa: quamobrem nec ei contigit videre plana miracula resurrectionis; illa autem, quæ indinulsa assidebat Sepulchro, omnia vidit apertè, & non statim, sed postea protulit in lucem, & renuntiauit. Nam quomodo simul terræmotum, & Angeli in momento temporis descensum, & lapidis reuolutionem, & custodum profundam soporem & expergefactionem, & quorundam in vrbem reuersionem potuissent abeuntes mulieres & rursus reuertentes integrè perspicere? Sed clarum est hoc, fuisse materni & ardentis amoris, quæ perpetuò assidens, & acriori spiritu vigilans, omnia perfectè vidit vt se habebant; quòd ne tantillum quidem, vt diximus, à Sepulchro recesserit, donec ipsam viuificam vidit resurrectionem. Nam lapis quidem reuolutus, & Angelus ei insidens, ab aliis quoque visus est mulieribus: quando autem & quemadmodum hæc facta sunt, ille quidem omnino nesciebant, ipsa verò sola, vt quæ assideret, omnia accuratè prospexit.* Hactenus ille.

Metaphrastis pia consideratio.

Quæ verba in bono sensu, conformi Scripturæ & communi loquendi consuetudini, intelligenda sunt, qua asseritur, aliquem esse & manere in vno loco; non quòd con-

Explicatur Metaphrastes.

Digitized by Google

tinuò in eo immobilis hæreat, ſed quia propè habitat, & vix ab eo ad tempus recedit. Ita Metaphraſtes, cùm aſſerüit, Deiparam non diſceſſiſſe à Sepulchro, donec rediuiuum vidiſſet Filium: ita dixit, quia proximè habitauit, & frequenter ad illud inuiſendum accedebat. Et profectò, cùm Sepulchrum militari cuſtodia cinctum eſſet, non videtur decuiſſe Dei Matris grauitatem, tanto tempore ipſam inter milites manſiſſe, præſertim cùm in honeſto loco, qui Sepulchro proximius eſſet, quieſcere potuerit, & ad beneplacitum Sepulchrum inuiſere: quare Sebaſtianus Barradius Tom. 4. Concord. Euang. l. 7. c. 23. optimè Metaphraſtis dictum illud expendens, appoſitè dixit: *Sed cùm Sepulchrum militibus eſſet cinctum, non videtur id decuiſſe Virginem, niſi fortè in horto illo Ioſephi domus aliqua erat, in qua cum Ioanne & aliis feminis honeſtè manere potuit.*

Et hunc dicendi modum ſequendo, nobis conciliari poſſunt dicentes, Deiparam à Sepulchro in aliquem ſolitarium locum diſceſſiſſe; vt, ab omni humano conſortio ſegregata, dilecti Filij ſui paſſionem liberiùs meditaretur ac plangeret.

Metaphraſti reſpondetur, quatenus refragari videtur.

Et ita tenendo, reſpondere etiam poſſumus poſteriùs ex Metaphraſte adductis, quæ allatæ ſententiæ quoquo modo refragari videntur; dicendo, in primis relata ab Euangeliſtis, ſiue de Chriſti reſurrectione, ſiue de aliis ſalutis noſtræ myſteriis, nos magis ſcire diuina quàm humana Virginis

1. Pet. 1, 21. Mariæ relatione: quoniam *Spiritu ſancto inſpirati, locuti ſunt ſancti Dei homines*, vt dixit Apoſtolorum Princeps. Secundò, ſuppoſito beatam Virginem, vt ſanctæ Eccleſiæ Archimagiſtram ac diuinum inſtrumentum, omnia diſtinctè retuliſſe vt vidit, & Euangeliſtas ex ipſius relatione enarraſſe, nobis non officit: nam potuit in dicta Ioſephi domo habitaſſe, ſed non continuò & immobiliter, at aliquando, ſpiritu & amore perurgente, ad dilectum Filium in Sepulchro iacentem properaſſe, & aliquando milites dormientes, aliquando reuolutum ab oſtio lapidem, &c. obſeruaſſe. Et hæc præſertim obſeruare potuit reſurrectionis tempore inſtante, quam ſciebat non niſi tertia die futuram, ſicut prædixerat Filius ſuus, in quo memorata contigerunt: & tunc præſertim ad Sepulchrum accedere debuit, & fortè ibi ipſum glorioſum vidit; id enim eſſe potuit. Et hic locus, vbi nunc eſt Apparitionis Virginis ſacellum, dici poteſt Ioſephi domus; vel quia verè erat, vel quia prope atque ad eam pertinens: vtrumque enim probabile cenſeo; quia poſteà nobili ſacello, in myſterij perpetuum monimentum, dedicatus fuit.

Amor Deipara in Filium.

Accedit, quòd ſic dicendo, amor Virginis in Filium ſuum, & ipſius in ſanctam Virginem prouidentia magis eluceſcit: amor inquam Virginis in Filium, dum ipſum ſecuta fuit nedum in tempore ſolatij & tribulationis, ſed & in morte ipſa & ſepultura non dereliquit; 2. Reg. 21, 10. factum Reſphæ matris filiorum Saul commendatur; quoniam mortuos in patibulis non dereliquit filios, ſed curam egit. *Tollens*, inquit ſacer Textus, *Reſpha filia Aia cilicium, ſubſtrauit ſibi ſupra petram, ab initio meſſis, donec ſtillaret aqua ſuper eos de cælo: & non dimiſit aues lacerare eos per diem, neque beſtias per noctem.* Et Magdalenæ amor in Chriſtum commendatur; quoniam à Magiſtri Sepulchro diſcedentibus diſcipulis ipſa non diſcedebat: quantò magis credendum eſt, ſanctam Virginem aſſediſſe Sepulchro, ſiue non longè abfuiſſe, donec illum rediuiuum vidit, quæ longo interuallo in amore Filij ſuperauit amorem Reſphæ erga filios ſuos, & Magdalenæ erga Magiſtrum ſuum?

Prouidentia Dei circa Virginem.

Innotuit etiam, ſic dicendo prouidentia diuina in ſanctam Dei Genitricem: etenim ea diſponente factum fuit, vt in loco, vbi Chriſtus fuit crucifixus, eſſet hortus, & in horto monumentum nouum in petra excifum, in quo honorificè Dominicum corpus collocaretur; ita eadem prouidentia factum fuit, vt pium eſt credere, vt ibidem eſſet domus, in quam è Sepulchro ſe honeſtè reciperet dolens ac pænè emortua Mater: quare à Ioanne, Virginis cuſtode, & Ioſepho introducta in eam domum fuit ſanctiſſima Virgo, vbi manſit quoad rediuiuum & glorioſum vidit Filium ſuum. Etenim Chriſtus, qui prædixerat ſuis diſcipulis, ſe poſt ſuam reſurrectionem appariturum, illis & locum indicauit: non eſt dubitandum idem indicaſſe Matri ſuæ.

Diuinus ille libellus Salomonis, qui Cantica canticorum inſcribitur, pro maiori parte tractat de beata Virgine, vt, præter ceteros, docet Rupertus; & Apomius addit, eum eſſe infelicem, qui hoc non credit. In eo ſunt hæc verba Virginis de Filio ſuo: *Ego dilecto meo, & ad me conuerſio eius.* & *Dilectus meus mihi, & ego illi.* hoc eſt, Ego dilectum Filium meum genui, peperi, nutriui, ſemper dilexi, ſemper comitata fui ad ipſam vſque crucem; in qua pendentem iuxta eam contemplabar: ille ad me conuerſus ore ſuo in auribus meis locutus eſt, cùm mihi Ioannem, dilectum ſuum diſcipulum, commendauit, & me ipſi: in corde etiam talia verba locutum

Cant. 7, 10. Cant. 2, 16.

ſenſi,

ſenſi: *Surge, propera amica mea, columba mea, formoſa mea & veni. Iam enim hiems tranſijt, imber abijt, & receſſit. Flores apparuerunt in terra noſtra; tempus putationis aduenit.* ac ſi clariùs dixiſſet: O dilectiſſima & ſuper omnes ab æterno præelecta, & benedicta, columba mea; ex me quidem fecundata, quia Mater mea es, qui columba ſum abſque felle peccati, pennis argenteis humanitatis veſtitus, cuius poſteriora dorſi aurum ſunt propter diuinitatem, veni, & veni mecum, non enim ſola relinquenda es, ſi ſocia paſſionum extitiſti, & conſolationis eris: veni in hortum, in quo quidem ego in ſepulchro ſepeliar, & tertia die, ſolutis doloribus inferni, ex ipſo reſurgam; tu verò, quæ nondum commune debitum mortis exoluiſti, etſi doloribus plena, non longè à ſepulchro meo in domo Ioſephi diſcipuli mei commodè aptata triduo mortis meæ commoraberis: abiit enim hiems paſſionum mearum, omnia iam conſummata ſunt quæ dicta fuerunt per Prophetas de Filio hominis. Mox flores apparebunt multorum Angelorum ac Sanctorum, & ego inter omnes flos pulcherrimus, ex ſicca terra vteri tui, nulla humana virtute, ſed ſuî percæleſti Spiritus ſancti fecundata, genitus, floridus & glorioſus (reflorеſcet enim caro mea) tibi apparebo. Tunc fulcieris floribus, ſtipaberis malis amore languens, repleberisque conſolatione & gaudio, quæ nunc dolores & anguſtias patetis: & quæ fœtorem ſentis ex defunctis corporibus, & alijs Caluariæ montis ſpurcitijs; ex me, tamquam ex paradiſo variis odoramentis & floribus conſito, ſenties ſuauitatem odoris. Iam tempus putationis aduenit; quia iam iam à me omnis amputabitur dolor & paſſio. Vinea hæc animæ meæ proferet beatitudinis vinum; quoniam cum ipſa & corpus beatum erit. Iam iam tempus tuæ putationis aduenit; quoniam quæ nunc mei causâ nigra & deformis propter dolores & paſſiones coram hominibus videris, mox deauratis veſtibus iucunditatis & exultationis induêris. Commorare ergo in foramine petræ, & in cauerna maceriæ, in domo inquam Ioſephi, iuxta petram montis Caluariæ & Sepulchri; & vbi ego ſum, tu quoque ſis.

Quibus tacitis vocibus acquieſcens beata Virgo, in domo Ioſephi ab Arimathæa permanſit tempore mortis Filij; in qua ei à mortuis excitatus, ſecundùm promiſſa, glorioſus apparuit: vbi poſteà pij fideles, in memoriam huius apparitionis, ſacellum ædificarunt, & S. Mariæ de Apparitione appellarunt. Ante altare in icone erat antiqua pictura opere muſaico elaborata apparitionis Chriſti ad Virginem: cui ob veruſtatem demolitæ, alia noua idem myſterium repræſentans ſuperpoſita eſt paucis antè annis. In hoc ſacello communibus priuatisque orationibus, officiis, ſacrificiis die noctuque Deus honoratur cum S. Deipara à Fratribus S. Franciſci in ſanctiſſimo Sepulchro continuò commorantibus, & ab alijs etiam nationibus & venientibus peregrinis. Et antiquitus Patriarcha Ieroſolymitanus, dum Officium celebrabat in ſacratiſſimo templo, quando dicenda erat Antiphona, *Regina cæli lætare, alleluia*, &c. veniebat ad hoc ſacellum cum Clero, ibique in ſignum quòd ea priùs fuerit ab Angelo ſalutata & admonita de Chriſti Reſurrectione, & ipſe Chriſtus illi primò apparuerit, ſolemniter decantabat, &c. ita habet harum partium traditio.

Hic duo obiter obſeruare placet. Alterum, multum à Deo proſperari, qui aliquod pietatis officium & obſequium exhibent ſanctiſſimæ Dei Genitrici. Vt enim olim Ægyptij benè vſi ſunt Abram propter Saram; ita propter ſanctam Virginem beneficijs nos afficit Deus: vt in facto noſtro apparet, vbi domui huic ſalus à Deo facta eſt; quæ in Paradiſum priùs, quando excepit glorioſum Dominum Angelis Sanctiſq; comitatum, & poſteà in nobile ſacellum conuerſa, vbi Deus perpetuò colitur. Alterum eſt, diuina prouidentia in eos qui Chriſtum patientem ſequuntur: quoniam ab eo non derelinquuntur, dum opem in præſenti & prouentum ſuppeditat, vt poſſint ſuſtinere; & in altera vita donat coronam gloriæ: quemadmodum beatam Virginem, quæ ſemper ipſum ſecuta fuit, protexit, & ſe ei glorioſum exhibuit. Vtinam hæc piè & feruidè contemplemur, Chriſtum cum Virgine in paſſionibus ſequamur, gratum eis exhibentes famulatum; vt cum ipſis conſolationibus repleamur. Gen. 12. 18

CAPVT XXVII.

De numero & ordine apparitionum Chriſti Domini poſt ſuam glorioſam Reſurrectionem.

QVandoquidem Cap. præcedenti, tum alibi, ſecundùm opportunitatem, egimus ſeorſim de apparitionibus Chriſti poſt ſuam glorioſam à mortuis reſurrectionem diuerſis piis fidelibus factis; placuit hic in fine huius Peregrinationis de ſingulis ſimul agere, numerum & ordinem earum, quantum libuerit, ex ſacris Doctoribus & coniecturis aſſignare; nec enim hoc alienum eſt ab inſtituto noſtro.

d by Google

Christus Dominus noster, deuicta morte, tenebrarum principe ex hoc mundo expulso, infernoque spoliato, glorioſus ad immortalem vitam reſurrexit; reſurrectionemque ſuam, quæ totius fidei noſtræ futura erat ſigillum & firmamentum, ſine qua inanis & vana eſſet fides noſtra, vt dixit S. Apoſtolus 1. Cor. 15, 14. eam voluit palàm fieri, non omnibus quidem, ſed teſtibus præordinatis à Deo, iis qui ſocij fuerunt Chriſti paſſionum: quare quadraginta dierum curriculo variis ſignis eam demonſtrauit. *Præbuit ſeipſum viuum*, inquit S. Lucas Act. 1,3. *poſt paßionem ſuam in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei.* Apparitionum verò Chriſti meminerunt ſacri Euangeliſtæ, S. Paulus, nec non alij Eccleſiaſtici Doctores, alias etiam addentes recenſitis ab illis, ſed non ſine magna ratione moti; & ordinem, non ita inter ipſas manifeſtum, quoad fieri potuit, obſeruarunt.

Apparitiones Chriſti poſt reſurrectionem, & earum ordo ſecundùm Scripturam.

Prima, Mariæ Magdalenæ facta.

Quæ à Canonicis memorantur Scriptoribus ſequenti ordine accidiſſe, probabile eſt credere. Primò apparuit Chriſtus manè die ſuæ reſurrectionis in hortulani habitu Mariæ Magdalenæ; & huius apparitionis meminit Ioannes 20, 11. & Marcus 16,9. affirmat illam fuiſſe primam: *Surgens autem manè*, prima ſabbati, inquit, *apparuit primò Maria Magdalena, de qua ejecerat ſeptem dæmonia.* de hac nos egimus Capite XXIV. huius Peregrinationis.

Secunda, tribus mulieribus.

Secundò, apparuit tribus mulieribus, vel etiam cum ipſis Mariæ Magdalenæ, ſecundùm varias Doctorum opiniones, quemadmodum Cap. XV. II. Peregrinationis IV. Lib. de loco trium Mariarum agentes retulimus. Huius apparitionis mentionem fecit Matth. 28, 9. hancque ſecundam eſſe, omnes ferè ſacri docent expoſitores, vt loco etiam proximè citato oſtendimus.

Tertiò, D. Petro.

Tertiò, apparuit D. Petro, vt dicitur Luc. 24,34. & 1. Corinth. 15.

Quarto, Iacobo.

Quartò, viſus eſt Iacobo Minori; & huius apparitionis meminit loco nunc citato S. Apoſtolus, hancque præceſſiſſe alias, de quibus ſtatim dicemus, Doctores grauiſſimi docent: nec obſtat, quòd vltimò deſcribatur ab Apoſtolo; nam, vt Auguſtinus lib. 3. de Conſenſ. Euang. cap. 25. Tom. 4. & S. Thomas in Commentariis ſuper Paulum in cap. 15. 1. ad Cor. prima die reſurrectionis fuit exhibita, ſicut etiam illa facta Petro: quia cùm ſingulariter dicatur facta Petro, altera ſingulariter Iacobo, & Chriſtus illo die circa meridiem, imò inclinante die, apparuerit decem Apoſtolis, abſente Thoma, vt poſteà dicemus, oportet aſſerere, hanc Iacobo ſoli & alteram Petro ſoli apparitiones factas, præceſſiſſe illam decem Apoſtolis exhibitam. Quare & Cardinalis Baronius huius ſententiæ ſectator Tomo 1. ſuorum Annal. anno Chriſti 34. num. 179. poſtquam dixiſſet, quomodo Chriſtus primò Matri ſuæ apparuerit, manè videlicet die reſurrectionis, addidit, eodem ferè tempore & Iacobo, qui frater ipſius dictus eſt, apparuiſſe; & probat auctoritate Euangelij Nazaræorum, quo frequenter vtuntur Origenes & D. Hieronymus: adhæſerunt etiam huic ſententiæ, eruditiſſimus Salmeron Tom. 11. Tract. 11. poſt medium, & alij; quamuis non me lateat alios ſenſiſſe, apparitionem Iacobo factam multo pòſt tempore contigiſſe, ſed primum mihi videtur probabilius. Vide quæ de hac apparitione diximus Lib. IV. Cap. X. VII. Peregrinationis.

Quinta, duobus diſcipulis Emmaum proficiſcentibus.

Quintò, apparuit duobus diſcipulis Emmaum proficiſcentibus in peregrini ſpecie. Hanc apparitionem paucis perſtrinxit Marcus cap. 16. & Lucas 24. pluribus explicuit; nos eiuſdem meminimus Cap. I. V. Peregrin. Lib. VI.

Duæ difficultates.

Duæ ſe hîc offerunt diluendæ difficultates: altera eſt, quòd quidam putant, hanc duorum diſcipulorum apparitionem præceſſiſſe aliam Petri, & multò magis alteram Iacobi; quòd fortè ea priùs recenſeatur.

Altera, quòd apparitio facta duobus, cuius mentionem facit Marcus, altera ſit ab illa de qua Lucas. Ita Euthymius, & alij. Illius ratio eſt, quoniam diſcipuli, de quibus loquitur Marcus, nuntiauerunt ceteris ſe vidiſſe Dominum, qui tamen illis non crediderunt: at illi, de quibus loquitur Lucas, inuenerunt diſcipulos credentes, & dicentes, *Surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni*; quando ex Emmaus reuerſi, Chriſti reſurrectionem nuntiarunt. Luc 24. 34.

Solutio.

Verùm communior & probabilior opinio videtur eſſe, quantum ad primam difficultatem, priùs Chriſtum Petro ac Iacobo apparuiſſe quàm diſcipulis illis, ſtatim videlicet poſt factam mulieribus apparitionem: tum quia Petrus & Iacobus ardentiùs amabant, & non vt illi abierunt & fugerunt; ſed Petrus quæſiuit, Iacobus ſolitarius expectabat Chriſtum à mortuis excitatum videre; & non, vt illi, ſimplices diſcipuli, ſed Apoſtoli erant: tum quia, quantum ad Petrum, talis cognitio magis ad eum ſpectabat, futurum Eccleſiæ Paſtorem: tum denique, quia Ambroſius lib. 10. in Luc. cap. 24. & Chryſoſtomus Homil. 38. in priorem Epiſtolam ad Corinthios, paulò poſt

poſt medium, Tom. 4. tenent fuiſſe primam ex apparitionibus factis viris; & diuus Paulus primam inter alias recenſet: hoc dixit etiam Salmeron citatus; & propter eaſdem fermè rationes idem de Iacobi apparitione aſſeruimus. Et quantum ad apparitionem Petri, ex eo comprobatur: quia cùm ceteri Apoſtoli accepiſſent à duobus diſcipulis Chriſtum reſurrexiſſe; certò reſponderunt, & Petro apparuiſſe: & quamuis dici poſſet apparuiſſe Petro, poſtquam euanuit ex illorum oculis; illud tamen videtur probabilius.

Ad alteram difficultatem dicendum, non diſtinctas, ſed vnicam fuiſſe apparitionem ab vtroque Euangeliſta relatam: & ad rationem Euthymij reſpondet ſanctus Auguſtinus lib. 3. de Conſenſu Euang. cap. 25. diſcipulis duobus nuntiantibus ſe vidiſſe Chriſtum, habitam non eſſe fidem à nonnullis ex reliquis diſcipulis, de quibus Marcus eſt intelligendus; ab aliis habitam eſſe fidem, de quibus Lucas loquitur. Erant enim multi congregati; ex quibus quidam credebant, alij non credebant.

Sextò, diſcipulis, Thoma abſente.

Sextò, apparuit diſcipulis in cœnaculo, Thoma abſente, diei vltimo & extremo; cùm ſerò eſſet primo die hebdomadæ quo Dominus reſurrexit; quemadmodum de his agens Ioannes 20, 19. indicat dicens: *Cùm ergo ſerò eſſet die illo, una ſabbatorum*, &c. eiuſdem meminit & diuus Lucas 24, 36.

Hæ ſex apparitiones factæ ſunt ipſamet die reſurrectionis, vt ex dictis liquet: nec obſtat quòd Auguſtinus lib. 3. de Conſenſu Euang. cap. 25. dicat quinquies Chriſtum apparuiſſe; nam non loquitur de omnibus, ſed de illis quæ in Euangelio recenſentur, vt notauit etiam Toletus Annot. 14. in cap. 20. Ioan. & nos totidem aſſeueramus; ſed his altera addita Iacobo facta, ex D. Paulo ſex erunt.

Septima, diſcipulis, Thomæ præſente.

Septimò, diebus octo tranſactis à die reſurrectionis, iiſdem diſcipulis exiſtentibus cum Thoma, iterùm apparuit Dominus; & Thomæ manus & latus contrectare iubet, & incredulitatem deponere, Ioan. 20, 26.

Octaua, ſeptem diſcipulis ad mare.

Octauò, ad mare Tiberiadis ſeptem ex diſcipulis ſuis piſcantibus apparuit, Petro, Thomæ, Nathanaëli, quem Rupertus probabiliter putat fuiſſe Bartholomæum, filiis Zebedæi, & duobus aliis diſcipulis, Ioan. 21.

Nona, diſcipulis, & aliis.

Nonò, manifeſtauit ſe in Galilæa in monte quodam diſcipulis ſuis, & aliis pluribus quingentis. Huius apparitionis meminit Matthæus 28. & D. Paulus 1. Cor. 15. & nos de hac egimus Lib. VII. Cap. 11. IV. Peregrinat. Quidam arbitrantur, hanc apparitionem alteram ad mare Tiberiadis factam præceſſiſſe, ſed neſcio qua efficaci ratione; cùm auctoritas magis oppoſitum perſuadeat: Ioannes enim de illa loquens, dicit: *Hoc iam tertiò manifeſtatus eſt Ieſus diſcipulis ſuis, cùm reſurrexiſſet à mortuis.* ac ſi hanc altera præceſſiſſet, non tertiò, ſed quartò dixiſſet; præceſſit igitur hanc illa ad mare Tiberiadis. Ita ſentit D. Auguſtinus lib. 3. de Conſenſ. Euang. cap. 25. Tom. 4. Euthymius, Salmeron, Baronius, Toletus, Barradius, & alij.

Decima, diſcipulis in die Aſcenſionis.

Decimò, aſcenſurus ad cælum quadrageſimo die à reſurrectione, ſe vndecim manifeſtauit, illisque cùm benedixiſſet, mox in cælum, circumfuſa nube, è monte Oliuarum aſcendit, Marci vltimo, Lucæ 24. & hæc creditur probabiliùs facta non Bethaniæ in domo Marthæ, neque in parte Olireti ad Bethaniam ſpectante, ſub quadam oliuæ arbore, ſed Ieroſolymæ; quia apertè ſcribit Lucas cap. 24. quòd *eduxit eos foras*, id eſt, ex Ieruſalem *in Bethaniam*, & aſcendit ex monte Oliuarum, vt Act. 1. habetur.

Et hanc apparitionem eſſe ab aliis diſtinctam, quarum hactenus meminimus, manifeſtum euadet conſideranti huius & aliarum circumſtantias. Lege Salmeronem Tom. 11. Tract. 34. Cardinalem Baronium Tom. 1. anno Chriſti 34. & alios ſacros Doctores. Et hæ quidem ſunt apparitiones factæ à Chriſto poſtquam à mortuis reſurrexit ſpatio dierum quadraginta, quo in terris glorioſus manſit, à Canonicis ſcriptoribus relatæ. Cùm dicitur, nouies tantùm apparuiſſe, intelligendum de apparitionibus tantùm ab Euangeliſtis enumeratis, & non in vniuerſum de omnibus.

Alia apparitiones ab Eccleſiaſticis ſcriptoribus relata.

Sed & aliàs apparuiſſe, alij docent Eccleſiaſtici ſcriptores, & ipſa die reſurrectionis primò Mariæ Virgini ad eius ſolatium; de qua præter dicta Cap. præcedenti ſequentia citatus ſcribit Baronius: *Vetus traditio per manus maiorum, ac per ſubſequentia ſæcula ad poſteros delapſa teſtatur, eumdem Dominum noſtrum apparuiſſe primum omnium ſanctiſſimæ Genitrici Mariæ: quòd nemo pius, puto, negarit.*

Primò, Mariæ Matri.

Secundò, Nicodemo.

Apparuit deinde circa idem tempus Ioſepho ab Arimathæa, viro iuſto, qui Dominum in horto ac monumento ſuo nouo ſepeliuit: dicitur enim in Euangelio Nazaræorum, quòd cùm Iudæi, eadem veſpera qua Dominum ſepeliuit, eum in quodam cubiculo clauſo ac ſigillato recluſiſſent, alligantes eum primò ad columnam in ipſo carcere, & cogitaſſent poſt ſabbatum eum occidere; ecce ſtatim in ipſa reſurrectionis die, ſuſpenſa domo à quatuor Angelis, Dominus ad eum introiuit, eique latus aperuit, atque

atque illum verbis consolatus est, faciem eius extersit, & osculum dedit; ac deinde saluis sigillis eum educens ac liberans, in domum suam, quam habebat in ciuitate Arimathæa, ipsum adduxit. Huius apparitionis meminit B. Anselmus in libro de Passione, Gregorius Turonensis Histor. lib. 1. cap. 21. Quæ, inquit Salmeron To. 11. Tract. 13. in fine, cùm beneficium contineat Ioseph exhibitum, & in nullo Scripturæ Euangelicæ repugnet, non video, quomodo hæc apparitio non sit recipienda atque amplectenda, &c.

Tertia, Ignatio martyri.

Ignatio etiam martyri apparuit ipsa die resurrectionis in sero, quando discipulis absente Thoma apparuit, vt scribit sanctus Hieronymus de Scriptoribus Ecclesiasticis in Ignatio cap. 16. Et referunt Baronius Tom. 1. an. Christi 34. Salmeron. To. 11. Tract. 33. & hîc alteram dedit apparitionem factam Martiali, vnà ex Christi discipulis, antequam ad cælos Christus euolaret.

Quarta, Martiali discipulo Christi.

Post ascensionem apparuit Paulo.

Et hæ quidem sunt apparitiones, quibus Christus, antequam ad cælos ascenderet, se electis suis manifestauit: post suam verò ascensionem visibiliter etiam D. Paulo apparuit, vt ipsemet testatur illis verbis, *Nouissimè autem omnium tanquam abortiuo, visus est & mihi.* Corinthi semel, & Ierosolymis in templo orante, inquit Salmeron proximè citatus. Omitto apparitiones quibus se in morte iustorum ostendit, vt beatæ Virgini, beato Ioanni Euangelistæ & aliis, de quibus nihil firmiter asseuerare possumus. Et hæc de apparitionibus Christi post resurrectionem, & eorum ordine, pro instituti nostri ratione, dicta sufficiant.

1. Cor. 15. 8.

CAPVT XXVIII.

Distantia locorum sanctorum, quæ singulis diebus post Completorium in supplicationibus visitari consueuerunt à Fratribus habitantibus in templo sanctissimi Sepulchri Domini nostri. Indulgentiæ quæ in ipsis impetrentur: ad quosque de facto pertineat illorum gubernatio; quotque lampades in eisdem appensæ ardeant.

ANtequam ad intentum accedam, aduerte mensuram, qua mensi fuimus distantiam dictorum locorum, esse palmum communẽ duodecim vnciarum, & quatuor ex ipsis gressum vnum vel passum conficiunt: nos per palmos metiemur; & hac mensura habita, altera per passus absque negotio haberi poterit. Loca diuersa de iure ad alios pertinere nouimus ab illis qui actu ea possident, vt ex alibi dictis appareat; verùm illa adscribemus illis, qui actu tenent ipsorum administrationem. Indulgentias assignabimus iuxta dicta Libro 11. Cap. 1v. quæ dicendo vnum *Pater noster* & *Aue Maria* obtinentur. Lampades, quas enumerabimus, licet pro maiori parte ardeant, & semper aliquæ, & in sanctioribus locis præsertim plures, & aliquando quotquot sunt, cum aliis additis; verùm omnes non semper manent accensæ. Istæ lampades ad diuersas spectant nationes, & singulæ suas accendunt, emungunt & custodiunt. In mensurando iter huius supplicationis non fuimus multùm scrupulosi notando vncias, verùm paullò plus minúsve erit eo quod dicemus: in aliis tamen magis exacti fuimus, & semper hac mensura, quam tibi in margine delineauimus, vsi fuimus in mensurandis Sanctuariis.

Itaque à sacello *sanctæ Mariæ Virginis de Apparitione*, vnde inchoantur supplicationes, sanctissimo Sacramento Altaris pio & supremo cultu exhibito, primum Sanctuarium quod inuisitur, est sacellum, in quo *Columna flagellationis Christi Domini* est: inde vsque ad secundum, *Carcer Christi* nuncupatum, sunt palmi 160. in illo est Indulgentia plenaria, in isto septem annorum, & totidem quadragenarum. Illud, cum omnibus in eo contentis, pertinet ad Latinos & Catholicos; istud ad Græcos. In illo ardent sex lampades, quinque ante altare sanctissimi Sacramenti, & ante alia, quæ hinc inde habet, duæ; & vna in medio sacelli, vbi posita sancta Crux fuit, quando inuenta & miraculo cognita; vel, vt aliis placet, vbi erat B. Virgo Maria, quando illi Filius suus apparuit post suam glorioſam Resurrectionem. In isto, id est, Carceris, pendent tres lampades; & ante ipsum deforis duæ.

A *Carcere Christi* retrocedendo vsque ad portam porticus, & deambulatorij siue xysti, per quam proficiscimur ad alia Sanctuaria, sunt palmi 100. ex hac vsq; ad capellam *sancti Longini* sunt palmi 60. est hîc Indulgentia septem annorum,

Tertia. Palmus 12. vnciarum. Vnciæ.

rum,& totidem quadragenarum. Pertinet hæc ad Abyſſinos. Lampas vna in ea pendet. Ferè ſemper clauſa: &, vt alibi dixtmus; in ſupplicationibus non viſitur. Ex iſta, vſque ad aliam *Diuiſionis veſtimentorum Chriſti*, quæ tertio loco veneratur, ſunt palm. 30. Sunt in ea Indulgentiæ ſeptem annorum,& totidem quadragenarum; lampades tres pertinent ad Armenos.

A capella *Diuiſionis veſtimentorum* vſque ad portam, per quam deſcendimus ad locum *Inuentionis ſanctæ Crucis*, ſunt palmi 20. ex hac vſque ad altare *Inuentionis* rectà metiendo, ſunt palmi 140. in quibus ſunt duæ ſcalæ, de quibus ſtatim. Hic eſt Indulgentia plenaria: & ſanctus locus pertinet ad Catholicos; licet partem in eo habeant & Græci. Ardent ibi lampades nouem: pro Catholicis quinque, pro Græcis quatuor.

A ſacroſanctæ *Crucis Inuentionis* loco & altari vſque ad gradus ſcalæ, ſunt palmi 30. Scala eſt in ipſa rupe Caluariæ montis exciſa, latitud. palm. 7. gradus habet 11. altitudo palm. 1. latitud. palm. 2. A ſummitate ſcalæ vſque ad oſtium ſacelli *ſanctæ Helenæ* palm. 20. & hinc vſque ad altare eiuſdem Sanctæ palm. 20. In hoc ſacello eſt Indulgentia plenaria: curam eius habent Armeni. In toto ſacello ſunt lampades duodecim.

Ab oſtio ſacelli vſque ad alteram ſcalam ſuperiorem, per quam anteà deſcendimus, ſunt palm. 30. gradus ſcalæ, limine ſuperiori excepto, ſunt 29. eorum altitudo vnc. 6. latitud. palm. 1. vnc. 8. ex marmore elaborati ſunt & dolati. A ſupremo gradu ſcalæ, per quam deſcenderamus vſq; ad capellam *Improperiorum Chriſti*, quam ſextò viſitamus, eſt diſtantia palm. 30. Eſt hic Indulgentia ſeptem annorum & quadragenarum. Pertinet ad Abyſſinos. Ex ea pendent tres lampades.

A capella *Improperiorum* vſque ad ſcalam montis Caluariæ palm. 50. Scala ſacri montis eſt 18. graduum: non ſunt omnes æquales; verùm omnium ferè altitudo eſt vnciarum 10. aſcenſus eſt longitudinis palmorum 20. E ſupremo gradu vſque ad gradum capellæ *Crucifixionis Domini* palm. 20. & ex iſto vſque ad altare totidem. In ſacratiſſimo iſto ſacello, quod ſeptimo loco veneramur, eſt Indulgentia plenaria: curam eius habent Latini & Catholici: ardent ibi lampades triginta quatuor.

Ex loco *Crucifixionis* reuertentes, & accedentes ad *Cauum* vbi fuit plantata & eleuata ſancta Crux, quod octauo loco veneramur, per ſpatium incedimus palm. 40. Hic eſt Indulgentia plenaria. Græci ſacrum locum gubernant. Pendent ibi lampades 40.

A *Cauo ſanctæ Crucis* vſque ad vltimum ſcalæ memoratæ gradum, palm. 40. Ex iſto, (ſacellum Adæ tranſeundo, quod ad Græcos pertinet, & in quo ardent lampades tres) vſque ad *Petram vnctionis Domini*, quam nono loco inuiſimus, palm. 40. longa eſt palm. 8. vnc. 8. Eſt hîc Indulgentia plenaria. Pertinet ad Catholicos. Pendent ſuper eam lampades octo diuerſarum nationum.

A Petra vnctionis vſque ad locum *vbi ſtabant noti Chriſti à longè*, dum crucifigeretur, vel mulieres, dum vngeretur exanime corpus Saluatoris, palm. 40. eſt Indulgentia ſeptem annorum & quadragenarum. Pertinet ad Armenos. Pendent ſuper eum lampades tres. Ex iſto loco vſq; ad ſacellum ſanctiſſimi *Sepulchri Domini noſtri*, quod decimo loco veneramur, ſunt palm. 50. Hic eſt Indulgentia plenaria. Hoc eſt Catholicorum. Intra antrum, vbi eſt locus vbi poſitum fuit corpus Ieſu, ardent lampades quadragintaquatuor; in capella Angeli, octodecim: exteriùs circa totum Sanctuarium pendent nouemdecim. Latinorum ſunt triginta, aliæ aliarum nationum.

A *ſanctiſſimo Sepulchro* vſque ad locum *vbi Chriſtus* ſtans poſt ſuam Reſurrectionem in hortulani habitu *apparuit Mariæ Magdalenæ*, quem vndecimo loco veneramur, palm. 40. Eſt Indulgentia ſeptem annorum & quadragenarum. Pertinet ad Catholicos. Supra ipſum pendet lampas vna, altera ſupra locum proximum vbi erat Maria Magdalena: & tres ſunt in ſacello proximo, huic Sanctæ dicato.

A præcedenti Chriſti loco vſque ad capellam & altare *ſanctæ Mariæ Virginis de Apparitione*, quod duodecimo & poſtremo loco in his ſacris ſupplicationibus veneramur, ſunt palm. 40. Eſt Indulgentia plenaria.

Multò plures aliæ lampades ſunt, quæ circa ſanctiſſimum templum accenduntur in maioribus ſolemnitatibus, vt in choro & Eccleſia Græcorum, ſuprà in porticibus noſtris, & in ſuperiori loco Armenorum, & quædam aliæ, ſed ſingulariter placuit illas recenſere, quæ pro maiori temporis parte ardent. Iſtæ in ſumma ſunt 218. alias non enumeraui; nam & variantur. Spatium totum, quod deambulatur in proceſſione, erit palm. 980. & graduum 2. palmorum 490. circiter.

PEREGRINATIO III. *in qua recenſentur & elucidantur quatuor memorabilia loca, quæ circa templum Dominicæ Reſurrectionis extrà viſuntur.* I. *Platea Eccleſiæ ſanctiſſimi Sepulchri Domini noſtri.* II. *vbi Melchiſedech occurrit Abrahæ, & obtulit panem & vinum.* III. *vbi Abraham voluit Iſaac filium ſuum ſacrificare.* IV. *Arbor, vbi erat aries, quem Abraham pro Iſaac ſacrificauit.*

CAPVT PRIMVM.

De platea Eccleſiæ ſanctiſſimi Sepulchri & locis in ea contentis, quæ primò occurrunt in tertia Peregrinatione.

EGreſſi pij fideles ex Eccleſia ſanctiſſimi Sepulchri Domini noſtri, vel aliàs, maiorem nacti opportunitatem, viſitant & alia loca quæ circa ipſam aliqua illuſtri memoriá conſignata perhibentur, vel quouis titulo veneratione digna; omnia enim ibi ſancta & digniſſima. Et quod primò occurrit, eſt platea Eccleſiæ ſancti Sepulchri, cum nonnullis circa ipſam extructis ſacellis aliiſve locis.

Platea ſancti templi forma, & in ea contenta.

Platea hæc, quantum ad ſitum, eſt ante fores & plagam Meridionalem Eccleſiæ; pulchra eſt & ſpatioſa, tota planis, dolatis albisque marmoribus delapidata: eſt longitudinis 46. latitudinis 20. circiter greſſus. Ad dexteram partem & Occidentem prope portam Eccleſiæ eſt turris, ſiue campanile pulchrum ſatis, eleganter & affabrè conſtructum ex elaboratis marmoribus; etſi ſatis etiam demolitum infidelium & temporis iniuriâ: eſt ſine campanis; ſuperioribus tamen annis fuiſſe in eo campanas, etſi fractas, poſtquam vltimò capta fuit Ieroſolyma per Saladinum, oculatus teſtis fide digniſſimus ſanctus Antoninus teſtatur 2. p. Hiſt. tit. 17. cap. 9. §. 5. *Capta Ieroſolyma, omnes Eccleſiarum campanas, malleis*, inquit, *confringi fecit. Vidi ego in campanili ſancti Sepulchri adhuc campanas confractas; quas vſque in diem hodiernum, in vituperium Chriſtianorum, Saraceni ſuſpenſas tenent.* Hæc ille. Ex hac eadem parte, & prope campanile, altera eſt Eccleſia ſanctæ Mariæ Magdalenæ; in qua hinc inde ſunt altaria ad honorem ſanctorum Nicolai & Andreæ erecta. Fuit quorumdam opinio, ſanctum Iacobum, primum Ieroſolymorum Epiſcopum, fratrem Domini appellatum, ibi Miſſam celebraſſe, & in Epiſcopum conſecratum; ceterùm id potiùs in monte Sion contigiſſe, alibi de eo agentes, probabiliter diximus.

Ex altera parte plateæ, & læua portæ Eccleſiæ ſancti Sepulchri, & ad murum eius, eſt ſcalà, per quam olim ad Caluariæ montem & Eccleſiam ipſam aſcendebatur: vbi eſt capella illa in loco ædificata, vbi manebant beata Virgo & D. Ioannes dum Chriſtus crucifigebatur, cuius Cap. XXXVII. primæ Peregrinationis mentionem fecimus. Dicitur, tempore quo Chriſtiani Terram ſanctam poſſidebant, per ipſam ad templum tranſiſſe vel ex eo exiſſe peregrinos, ne dationem templi fraudarent: tunc enim peregrini pro illius templi ingreſſu quamdam pecuniæ quantitatem ſoluebant, vt in præſentia ſoluunt Turcis ingredi volentes, nunc illius ianua clauſa eſt; & ex vna & maiori dumtaxat porta Meridionali, cuius claues tenent Turcæ, eſt in ſanctam Eccleſiam introitus. Subtus hoc, ſacellum alterum eſt huic perſimile, ſed renouatum & dealbatum: Sancta Maria Golgotha appellatur; quoniam eo loco manſit, vt iam dixi, beata Virgo, dum in Golgotha vidit Filium ſuum crucifigi: quare hoc cum ſuperiori pro vno computari poteſt. Interioris curam habent Abyſſini Æthiopes.

Sacellum S. Mariæ in Golgotha.

A latere huius ſacelli & angulo plateæ, eſt ſacellum alterum D. Michaëli Archangelo, ſiue ſanctis Angelis, dicatum.

Sanctorum Angelorum.

Alterum inſuper D. Ioanni Baptiſtæ ſanctatum. Hæc veteri communi traditione recepta, legi etiam in veteſto manuſcripto libello de locis Terræ ſanctæ. Ex hac ipſa parte ſunt ampla ædificia; quæ arbitror eſſe Monaſterium vnum ex illis quorum meminit Guiliel. Tyrius lib. 18. de Bello ſacro c. 4. & 5. & Antoninus 2. p. Hiſt. tit. 17. c. 9. §. 2. alterum verò, vbi dicitur communiter eſſe domus Simonis Phariſæi. & ex iſtis Auctoribus hæc accipe. Eo tempore quo infideles detinebant Regnum Ieroſolymitanum, antequam caperetur à Chriſtianis Duce Godefrido Bullonio, non defuerunt de Occidentalibus partibus, qui deuotionis aut commerciorum gratia loca ſancta aliquando viſitarent; inter quos fuerunt Amalphitani, oriundi à Malphia, Apuliæ ciuitate in Italia: hi cùm primi merces vtiles & peregrinas, quas Oriens priùs non nouerat, ad partes Syriæ, lucri faciendi gratia, de-

S. Ioannis Baptiſtæ.

Digitized by Google

Ancient Egypt
Ancient Greece
Ancient Rome
Ancient China
Ancient Japan
Ancient Mesopotamia
Ancient Persia
Ancient India
Ancient Aztec
Ancient Inca
Ancient Maya
Ancient Celts
Ancient Vikings
Ancient Britain
Ancient Africa
Ancient Phoenicia
Ancient Sparta
Ancient Athens
Ancient Babylon
Ancient Assyria
Ancient Sumeria
Ancient Carthage
Ancient Etruscans
Ancient Minoans
Ancient Mycenaeans
Ancient Hittites
Ancient Olmecs
Ancient Toltecs
Ancient Zapotecs
Ancient Mixtecs
Ancient Moche
Ancient Chavin
Ancient Nazca
Ancient Tiwanaku
Ancient Wari
Ancient Chimu
Ancient Muisca
Ancient Tairona
Ancient Quimbaya
Ancient Calima
Ancient Tumaco-La Tolita
Ancient Valdivia
Ancient Machalilla
Ancient Chorrera
Ancient Jama-Coaque
Ancient Bahia
Ancient Guangala
Ancient Manteno
Ancient Huancavilca
Ancient Puruha
Ancient Cañari
Ancient Palta
Ancient Malacatos-Valladolid
Ancient Catacocha
Ancient Paltas
Ancient Saraguro
Ancient Tacunga
Ancient Panzaleo
Ancient Quitu-Cara
Ancient Caranqui
Ancient Cayambe-Caranqui
Ancient Otavalo
Ancient Natabuela
Ancient Pasto
Ancient Quillacinga
Ancient Awa
Ancient Cofán
Ancient Siona-Secoya
Ancient Huaorani
Ancient Shuar
Ancient Achuar
Ancient Zaparo
Ancient Andoa
Ancient Canelos Quichua
Ancient Pastaza Quichua
Ancient Napo Quichua
Ancient Tena Quichua
Ancient Archidona Quichua
Ancient Loreto Quichua
Ancient Coca Quichua
Ancient Lago Agrio Quichua
Ancient Sucumbíos Quichua
Ancient Orellana Quichua
Ancient Francisco de Orellana Quichua
Ancient La Joya de los Sachas Quichua
Ancient Shushufindi Quichua
Ancient Aguarico Quichua
Ancient Cuyabeno Quichua
Ancient Gonzalo Pizarro Quichua
Ancient Putumayo Quichua
Ancient Sucumbíos Quichua
Ancient Orellana Quichua
Ancient Francisco de Orellana Quichua
Ancient La Joya de los Sachas Quichua
Ancient Shushufindi Quichua
Ancient Aguarico Quichua
Ancient Cuyabeno Quichua
Ancient Gonzalo Pizarro Quichua
Ancient Putumayo Quichua

deportassent, apud illius regionis dominum gratiam meruerunt; cumque isti adverterent, venientes ad loca sancta orationis causà non habere intra sanctam Ciuitatem domicilium vbi moram facerent, facultatem à Calipha, Rege Ægypti & Ierusalem, ædificandi oratorium & locum prouenientibus Christianis obtinuerunt. Fuit prope Dominicum Sepulchrum assignatus situs.

Itaque, sumpta à Mercatoribus pecunia, ante ianuam Ecclesiæ Dominicæ Resurrectionis Monasterium erexerunt in honorem S. Mariæ Virginis Dei Genitricis. Et quoniam Latini & Itali locum illum fundauerunt, Monasterium Italorum & S. Mariæ de Latina longo tempore fuit appellatum: quo facto, de partibus suis tam Monachos quàm Abbatem adducentes, locum regulariter instruxerunt. Confluentibus autem ex partibus Occidentalibus ad loca venerabilia Ierusalem visitanda, maximè iis quibus ad victualia procuranda de proprio expensæ non suppetebant, de prædicto Monasterio vtcumque fraternaliter ministrabatur. Erexerunt autem in dicto loco altare in honorem B. Ioannis Ἐλεημονός. Hic fuit Patriarcha Alexandrinus; cuius pia studia & liberales eleëmosynas enarrat omnis Ecclesia Sanctorum; vnde à sanctis Patribus vocatus est Ioannes Ἐλεήμονός, quod interpretatur misericors. Huic loco venerabili, qui se ita charitatiuè ad omnes extendebat, neque reditus erant, neque possessiones; sed prædicti ciues Amalphitani, collectam inter se pecuniam, quasi per symbolum, per eos qui ad partes illas nauigabant, Abbati pro tempore existenti offerebant. Ita ergo per multorum annorum curricula, quousque placuit summo rerum Opifici Deo ciuitatem ibi amabilem à cultu purgare Gentilium, & suo cultori restituere populo, prædicto modo mansit locus ille.

Ædificatum etiam fuit à Deum timentibus non longè à dicta Ecclesia S. Mariæ in Latina Monasterium feminarum in honorem S. Mariæ Magdalenæ; & sorores sub certo numero positæ, ad obsequium fuerunt aduenientium mulierum; de quo nos alibi. In quo Monasterio, tempore quo capta fuit à Christianis sancta Ciuitas, reperta fuit Abbatissa quædam nomine Agnes, natione Romana, sanguine & sanctitate illustris; quæ multos etiam annos vixit post captam ciuitatem: in altero item virorum Monasterio & hospitali inuentus fuit vir quidam sanctissimæ conuersationis & eximiæ charitatis Gerardus nominatus, qui ex Abbatis præcepto hostium infidelium tempore Monachis inseruiebat. Nam in istis locis, si tamen ea sunt de quibus citati Auctores, non hospitales & Catholici manent; sed in priori schismatici Armeni & Æthiopes, in posteriori Turcæ. Fieri etiam potuit vt prius Monasterium fuerit vltra carcerem D. Petri, vbi sunt ruinæ præexistentis ædificij; quæ Ecclesia hospitaleque sancti Ioannis appellantur.

Post meum primum è Terra sancta discessum legi apud quemdam Auctorem, in medio huius plateæ esse petram paruam scissam, in cuius medio est sculpta sancta Crux; quòd ibi Christus, dum crucem ad montem portabat, cecidit defessus. Insuper, quòd ibi Heraclio Imperatori, post comparatam de Persis & Chosroë victoriam, & conquisitam Dominicam Crucem, volenti cum pompa ipsam deferre ad locum vbi plantata fuerat priùs, clausis miraculosè foribus Ecclesiæ, illam ingredi prohibitus fuit: dictumque ei ab Angelo, non ea pompa Christum Dominum montem illum ascendisse; quare nec sibi permittendum fore, &c.

Sedenim, nisi mea me fallit opinio, vtrumque falsum videtur, & sine fundamento dictum: illud quidem, quoniam, secundùm probabiliorem sententiam, postquam Simon Cyrenæus angariatus fuit ferre crucem post Iesum, quod fuit multò antequàm huc Iesus perueniret, vt alibi visum est, non amplius eam portauit Reparator noster; & consequenter nec sub ea potuit defessus, notato prope Caluariam loco, cecidisse. Fateor etiam, me illam crucem Ierosolymis non vidisse, nec ostensam fuisse. Aliud etiam multò improbabilius videtur: etenim non hìc prohibitus fuit Heraclius templum ingredi, sed extra ciuitatem; & ab Episcopo Ierosolymorum admonitus, si vellet ingredi, regium apparatum deponeret, & vile indumentum assumeret. Ita enim dicit Ecclesia in festo Exaltationis sanctæ Crucis, post alia: *Heraclius, vt erat auro & gemmis ornatus, insistere coactus est in porta, qua ad Caluariæ montem ducebat. Quò enim magis progredi conabatur, eò magis retineri videbatur. Cumque ea re & ipse Heraclius & reliqui omnes obstupescerent: Zacharias Ierosolymorum Antistes, Vide, inquit, Imperator, ne isto triumphali ornatu, in cruce ferenda parum Iesu Christi paupertatem & humilitatem imitere. Tum Heraclius, abiecto ampliſsimo vestitu, detractisq; calceis, ac plebeio amictu indutus, reliquum viæ facile confecit, & in eodem Caluariæ loco crucem statuit, vnde fuerat à Persis asportata.* Et hæc de platea Ecclesiæ sancti Sepulchri & eius interioribus locis.

CAPVT II.

De loco vbi Melchiſedech occurrit Abrahæ, & obtulit panem & vinum, qui ſecundò inuiſitur in tertia Peregrinatione.

POſt venerationem locorum quæ inferiùs circa plateam Eccleſiæ ſanctiſſimi Sepulchri viſitari conſueuerunt, aſcendimus ſuperiùs ex porta quæ eſt in eius Orientali parte, & ferè in principio illius, ad veneranda alia tria loca quæ ad Eccleſiam Dominicæ Reſurrectionis pertinent, etſi extra illius circuitum ſint; non tamen ab ea diſſita, ſed in ipſomet Caluariæ monte ſituata; de quibus præſenti ex duobus ſequentibus Capitibus ſeorſim mentionem faciemus; & ſunt quæ ſequuntur. Locus alter, in quo erat aries, quem pro Iſaac obtulit S. Abraham: alter, vbi S. Patriarcha extendit manum ſuam ſuper puerum, vt illum Domino immolaret. Tertius, vbi Melchiſedech Abrahæ occurrit, & ei benedixit. Sunt omnia proxima & contigua; & iſto ordine inueniuntur quo enumerata ſunt, dum ex iam dicta porta ad ſcalas & alia habitacula accedimus; verùm conuerſo ordine de ipſis nos agemus, vt ordinem hiſtoriæ ſequamur, agendo primò de iis quæ priùs contigerunt.

Igitur agentes nunc de loco, vbi Melchiſedech occurrit Abrahæ reuertenti de cæde & victoria quatuor Regum, eiſque benedixit, &c. tria inuenio facta in illo occurſu Melchiſedech & Abrahæ; duo à Melchiſedech, ab Abraham alterum. Melchiſedech in primis, cùm eſſet Sacerdos & Rex, vt dicitur Gen. 14. & ad Hebr. 7. & docet Philo in libro de Abraham, in libro de Congreſſu quærendæ eruditionis gratia, & in lib. 2. Allegor. legis, & Ioſephus lib. 1. Antiquit. omnium conſenſum eſſe dicit, vt Sacerdotem obtuliſſe ſacrificium Deo, & benedixiſſe Abrahæ; deinde vt Regem eidem Abrahæ & ſociis eius ſplendidum præparaſſe conuiuium. Abraham verò alterum præſtitit; vt enim ſe illi gratum oſtenderet, Sacerdotem & Regem agnoſceret, dedit ei decimas ex omnibus. De hoc & primo à Melchiſedech præſtito hæc accipe ex Geneſi, citato loco: *At verò Melchiſedech Rex Salem, proferens panem & vinum, erat enim Sacerdos Dei altiſſimi, benedixit ei, & ait: Benedictus Abram Deo excelſo, qui creauit cælum & terram: & benedictus Deus excelſus, quo protegente, hoſtes in manibus tuis ſunt. Et dedit ei decimas ex omnibus.* idem Hebr. 7. De altero verò, id eſt, de parato conuiuio, ſic ſcribit Philo libro de Abraham, poſtquam de cæde illorum quatuor Regum egiſſet: *Nec priùs, inquit, reuerſus eſt Abraham quàm, hoſtibus Regum copiis deletis, reduxit patris filium; adeptus egregiam victoriam, auctuſq; ingenti equorum & inmentorum numero prædaq; opulentiſſima. Eum verò redeuntem conſpicatus magnus ille Dei maximi Pontifex* (Melchiſedech) *reducentemq; ſuos omnes ad vnum incolumes & victores; attonitus tanti facinoris magnitudine, & id, quod verum erat, cogitans, præſentem ei opem diuinam adfuiſſe, manus ad cælum tendens, fauſta illi precatus eſt; mactatisq; victimis, ſplendidum epulum ſociis omnibus dedit gratulabundus, non minùs lætus, quàm ſi eius propria fuiſſet victoria. Nec ſanè fuerat aliena, ſi rem verè æſtimas. Amicorum omnia eſſe communia, proverbio credimus; præſertim autem bonorum virorum, quibus nihil magis cordi eſt, quàm vt Deo placeant.* Eadem de benedictione, gratiarum actione, & decimis Abrahæ Melchiſedech oblatis habet Ioſephus lib. 1. Antiq.

Melchiſedech Deo ſacrificium obtulit, & Abrahæ conuiuium paranit.

Abraham & omnibus dat decimas Melchiſedech.

Aduerte in eo quod dicit Philo, Melchiſedech mactaſſe victimas, per victimas non ſacrificium animalium, ſed ſacrificium panis & vini intelligendum eſſe; nam non aliud ſacrificium obtuliſſe, certè ſcimus ex Moyſe & D. Paulo.

Verùm vbi memorata contigerint, non omnium eadem eſt ſententia, ſed triplex. Prima eſt Ioſephi loco nunc citato, qui dicit contigiſſe in loco quem *campum Regis* vocant. Hic eſt connallis illuſtris, quam in dimidia tribu Manaſſe I. deſcripſit Adrichomius num. 24. *Connallis illuſtris*, inquit, *quæ & vallis Saue, & vallis Regis, Ioſepho campus Regius dictus, propter ſui fertilitatem & amœnitatem. Hodie Aulonem Palæſtini nominant, Septuaginta tranſtulerunt pro valle campum. Incipit à mari Galilæa à Bethſan, & extenditur per totum deſertum Iordanis vſque ad mare Mortuum; eratq; illuſtriſſima, priuſquam Dominus ſubuerteret Sodomam & Gomorrham, quæ medio Iordane irrigabantur ſicut Paradiſus Domini, & ſicut Aegyptus.* Et D. Hieronymus in Epiſtola quam ſcripſit ad Euagrium, dicit ex ſententia Hebræorum, in hac valle & Melchiſedech & Regem Sodomorum occurriſſe Abrahæ.

De loco occurſus Melchiſedech Abrahæ ſententiæ tres.

Prima, in valle Regis.

Secunda eſt Brocardi 1. Part. cap. 6. qui non hic, ſed ad radicem montis Thabor euenisſe ait: in cuius montis faſtigio contigit Transfiguratio Domini; & hanc dicit eſſe generalem traditionem in illa regione, & ita credi ab omnibus. Et ibidem deſcribit locum Adrichomius in Deſcriptione tribus Iſſachar num. 28. dicens ex Nicephoro

Secunda, ad radicem montis Thabor.

phoro lib.8.Hist.Eccles. cap.30. *Hîc Abraha à cade hostium reuertenti, & liberato Lot fratris sui filio, occurrit Melchisedech cum pane & vino: vbi adhuc mensa Melchisedech ostenditur, Gen.14. Brocard. Breid. Fret. Salig. To.2. c.8.* An mensa hæc illa est quæ ostenditur ibi Christus satiauit 4000. hominum, & mensa Christi appellatur? hæc est in via veniendo ex mari Galileæ ad Thabor.

Verùm si hæc sententia tempore Brocardi erat communis in istis partibus, certè non ante Brocardum, nec nostro. Nec quid tale audiui in partibus istis: cumque illac pertransissem, non fuit talis locus indicatus vel insinuatus, etsi curiosè plura inquisissem. Fortè, dicet aliquis: Non fuit qui ostenderet.

Tertia, in monte Calvaria.

Quare sit tertia & postrema sententia, diebus nostris in partibus istis communi traditione diffamata, in monte Moria & Caluariæ, qui illius pars est, Abraham habuisse Melchisedech obuium, &c. Nec noua est hæc sententia, sed antiquissima. Eupolemus enim antiquissimus apud Eusebium lib. 9. de Præparatione Euang. cap. 4. tradit, Abram reuertentem ex hostium cæde acceptum esse liberaliter à Melchisedech in vrbe Agariza: quæ vox Latinè sonat montem Altissimi, & sine dubio significatur vrbs Ierusalem in altissimo monte, qui singulariter Deo dicatus erat, ædificata. Et tantò probabilior erit hæc sententia, si secundùm communiorem & probabiliorem dicatur, Melchisedech fuisse Regem Ierusalem.

Ad huius opinionis & traditionis confirmationem liceat & hanc congruentiam adducere. Melchisedech Rex & Sacerdos fuit expressa figura Christi Domini; qui Rex pacificus & Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech in sacris Litteris appellatur; & singulariter Hebr.7. docet S. Paulus. Igitur si dicamus, Ierosolymis in monte Moria & Caluariæ Melchisedech Abrahæ occurrisse, & sacrificium obtulisse, bellè præfiguratum in illo habemus sacrificium, quod verus Rex & Sacerdos Christus Dominus sui corporis & Sanguinis in ara crucis & in hoc Caluariæ monte Æterno Patri pro totius mundi salute obtulit. Et quoniam illud credidit antiquitas; ibi, in illius facti memoriam, sacellum extruxit, quod vsque in præsentem diem à Christianis eo intuitu inuisitur, & colitur.

Nec Iosephi sententia nobis refragatur, si dicamus, vallem Regis esse vallem Hennon, quæ adiacet Ierosolymis ex parte Orientali, vt ex ipsomet Iosepho & Scriptura sacra probat Villalpandus Tom. 3. in Apparatu vrbis & templi Par.1. de vrbe lib.1. cap. 14. vbi etiam probabili ratione ostendit, ibi Abrahamum conuenisse Melchisedechum: non, inquam, refragatur nostræ sententiæ illa Iosephi, quoniam non distat hæc vallis à Caluariæ monte. Et fieri potest, vt in valle Saue, siue Regis, Melchisedech obuium habuerit Abrahamum, & in memorato Caluariæ montis loco decimas acceperit, & sacrificium obtulerit. Fortè erat hîc templum, quod sibi Melchisedech ædificauerat, vt testis est Iosephus lib.1. Bell. cap.18. Et si hoc verum esset, cùm in templo offerantur sacrificia, & tunc obtulerit quando Abrahæ occurrit, consequens est, eum Ierosolymis obtulisse, & non in loco assignato à Brocardo, vel alibi.

CAPVT III.

De loco vbi Abraham voluit Isaac filium suum sacrificare, qui tertiò honoratur in tertia Peregrinatione.

PRæcedenti sacello sacrificij Melchisedech proximum est alterum ad illius læuam partem (hoc enim primò occurrit, & ex isto in illud intramus) à fidelibus ædificatum in honorem Abrahæ Patriarchæ: quòd, secundùm veterem traditionem, credatur ibi iussu Domini S. Patriarcham voluisse vnigenitum filium suum Isaac sacrificare, sed ab eodem Deo prohibitum, eius loco arietem ex proximo loco acceptum sacrificasse. Hinc fideles, vt tantæ obedientiæ illustrissimique facinoris conseruaretur memoria, ad honorem tanti Patriarchæ dictum sacellum ædificarunt. In marmore pauimenti incisus est Abraham cum extenso gladio super filium Isaac, cum Angelo ipsum, ne filium occideret, prohibente. Rem gestam sequentibus verbis descripsit Moyses Gen.22, 9. *Et venerunt ad locum, Abraham ac Isaac, quem ostenderat ei Deus, in quo ædificauit altare, & desuper ligna composuit: cumq; alligasset Isaac filium suum, posuit eum in altare super struem lignorum. Extenditq; manum, & arripuit gladium, vt immolaret filium suum. Et ecce Angelus Domini de cælo clamauit, dicens: Abraham, Abraham. Qui respondit: Adsum. Dixitq; ei: Non extendas manum tuam super puerum, neq; facias illi quidquam: nunc cognoui quòd times Deum, & non pepercisti vnigenito filio tuo propter me. Leuauit Abraham oculos suos, viditq; post tergum arietem inter vepres, hærentem cornibus, quem assumens obtulit holocaustum pro filio. Appellauitq; nomen loci illius, Dominus videt. Vnde vsque hodie dicitur: In monte Dominus videbit.*

Caluariæ mons locus immolationis Isaac, & arietis pro eo.

Locum verò esse Caluariæ montem, non modò communi fama asseritur in par-

tibus iſtis, ſed & maiorum traditione per generationes ſingulas ad poſteros dilapſa, veteres nonnulli Patres tradidetunt: at vnum vel alterum audiamus. D. Auguſtinus Serm. 71. de Tempore: *Hieronymus Presbyter*, inquit, *ſcripſit, ab antiquis & ſenioribus Iudæis ſe certiſſimè cognouiſſe, quòd ibi immolatus ſit Iſaac, vbi poſteà Chriſtus crucifixus eſt. Denique ab eo loco vnde B. Abraham iuſſus eſt proficiſci, tertio die ad locum, vbi Chriſtus crucifixus eſt, perueniturr.* Hactenus ex Hieronymo Auguſtinus.

Si quis dicat, id non inueniri in Operibus D. Hieronymi, niſi in Commentariis in Marc. cap. 15. qui falsò Hieronymo adſcribuntur; Reſpondeo, hoc non officere: nam etſi nobis non ſuffragaretur eius auctoritas, ſi illud tantùm inueniturin Commentariis eius in Marcum, & illi verè illius non ſint, ſuffragabitur ſaltem auctoritas antiquiſſimi & probatiſſimi Scriptoris, cuius Opera tanti fiunt, vt inter alia Hieronymi fuerint adſcripta; & Hebræorum veterum traditio, quæ ibi refertur hiſce verbis: *Et perducunt eum in Golgotha, quod interpretatur Caluaria. Tradunt Iudæi, quòd in hoc montis loco immolatus eſt aries pro Iſaac: vt ibi decolletur, id eſt, Chriſtus à carne ſua carnali, videlicet Iudæa, ſeparetur.* Hactenus ibi.

Vel dicatur, credendum eſſe, S. Hieronymum verè dixiſſe, ſi credere debemus, vt par eſt, D. Auguſtino, qui aſſerit, illud Hieronymum ſcripſiſſe: quòd ſi in eius Operibus non inuenitur, illa ſcriptura vel Epiſtola ad Auguſtinum directa periit.

De hoc ipſo loco videntur intelligenda verba D. Auguſtini, quæ immediatè iam adductis ſubiecit: *Etiam hoc*, inquit, *antiquorum relatione refertur, quòd & Adam primus homo in ipſo loco, vbi crux fixa eſt, fuerit aliquando ſepultus; & ideò Caluaria locum dictum eſſe, quia caput humani generis ibi dicitur eſſe ſepultum. Et verè, fratres, non incongruè creditur, quia ibi erectus ſit Medicus, vbi iacebat agrotus. Et dignum erat, vt vbi occiderat humana ſuperbia, ibi ſe inclinaret diuina miſericordia: & Sanguis ille pretioſus, etiam corporaliter paluerem antiqui peccatoris dum dignatur ſtillando contingere, redemiſſe credatur.* Hactenus Auguſtinus.

In eo eleëmoſyna colliguntur.

Et Beda de Locis ſanctis cap. 2. hæc in eamdem ſententiam ſcribit: *In loco autem illo, quo Abraham altare ad immolandum filium conſtruxit, menſa eſt lignea non parua, in qua pauperum eleëmoſynæ ſolent à populo deferri.* Etiam in præſentia ibi pauperum colliguntur eleëmoſynæ, ſecundùm veterem conſuetudinem.

Valet ad dicta congruentia adducta in fine Capitis præcedentis. Et profectò, vt cum figurato eſſet antiquæ figuræ memoria, duo hæc ſacella à piis fidelibus conſtructa fuêre. Solo pariete ſeiunguntur à loco vbi Chriſtus fuit crucifixus, & in cruce exaltatus. Lege Adrichomium in Deſcriptione Ieruſalem num. 53. & Barradium, qui huius eſt ſententiæ, Tom. 2. Concord. Euang. lib. 3. cap. 11. & lib. 4. cap. 10.

Quæ ſi vera ſunt, manifeſtè apparet, quàm verè & propriè, imò veriſſimè & propriiſſime dixerimus Cap. xxxiv. 1. Peregrin. huius Lib. Caluariæ montem *Moria* appellari in veteri Teſtamento. *Moria* enim nomen olim inditum erat toti regioni montoſæ, id eſt, Iudææ, & non monti alicui particulari; ſed poſteà, ex facto Abrahæ, appropriatum fuit monti in quo voluit Abraham filium ſuum ſacrificare. Et Villalpandus Tom. 3. in Ezech. lib. 1. cap. 8. dum agit de monte Moria, hoc probat ex verbis illis Domini ad Abraham: *Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis, Iſaac, & vade in terram viſionis* (Hebr. *Moria*) *atque ibi offeres eum in holocauſtum ſuper vnum montium quem monſtrauero tibi.* Si enim nomen regionis non fuiſſet notum, fruſtrà dixiſſet, *in terram Moria*, ſiue *viſionis*: cùm non ſolùm mons in regione, ſed regio & mons ipſe demonſtrandus eſſet. Quòd ſi montis alicuius nomen eſſet proprium Moria, non dixiſſet Dominus, *ſuper vnum montium, quem monſtrauero tibi*; ſed ſatis fuiſſet dixiſſe, Ibi offeres illum. Quare cùm montem ſe demonſtraturum Abrahamo polliceatur Deus, non regionem; clarè patet, regionem ex nomine cognitam illi fuiſſe, montem verò ex diuina demonſtratione notum futurum. At poſteaquam filij oblationem, ſuffecto ariete in locum Iſaaci, acceptauit Deus, eoque facto libertatem generis humani Ieſu Chriſti Domini ac Saluatoris morte parandam cognouit Abrahamus, in memoriam tantorum mirabilium, nomen, quod commune regioni fuerat, peculiari quadam ratione monti indidit. ac ſi diceret: Iam non ampliùs regio hæc Moria vocabitur, ſed hic tantùm mons dicetur Moria. quod apertè teſtatur Hiſtoricus ſacer ſubdens: *Appellanitq; nomen loci illius, Dominus videt. Vnde vſque hodie dicitur: In monte Dominus videbit.* Quale autem fuerit hoc montis nomen, indicat Auctor libri Paralip. ſic ſcribens: *Et cœpit Salomon ædificare domum Domini in Ieruſalem in monte Moria, qui demonſtratus fuerat Danidi patri eius.* Ex quorum collatione locorum id certè intelligendum videtur, eiuſdem ſignificationis eſſe nomen Moria, & illud alterum, quod interpretatur, *Dominus videbit.* Hactenus ex Villalpando. Et ita

Digitized by Google

the Queen's name. That a prayer for the Queen's majesty be inserted in the Litany, next after the prayer for the King's majesty. That the Collect, Epistle, and Gospel, appointed for the day of the Queen's nativity, be used on the day of her birth. That the Collect, Epistle, and Gospel, appointed for the day of the Queen's coronation, be used on the day of her coronation.

Provided, that no prayer, collect, or thanksgiving, be used in the Queen's name, but such as shall be approved by the King's majesty.

Prayer for the Royal Family.

The Rubric before the Litany shall be altered, and instead thereof shall be inserted, that after the Collect, Epistle, and Gospel, appointed for the day, shall be said the Litany and Suffrages following, which shall be sung or said in all churches, after the accustomed manner, kneeling upon their knees, the people making answer in those places where they have been accustomed to answer.

After the Litany, the Collect, Epistle, and Gospel, appointed for the day of the Queen's nativity, shall be used on the day of her birth. That the Collect, Epistle, and Gospel, appointed for the day of the Queen's coronation, be used on the day of her coronation.

Provided, that no prayer, collect, or thanksgiving, be used in the Queen's name, but such as shall be approved by the King's majesty.

Prayer for the Royal Family.

The Rubric before the Litany shall be altered, and instead thereof shall be inserted, that after the Collect, Epistle, and Gospel, appointed for the day, shall be said the Litany and Suffrages following, which shall be sung or said in all churches, after the accustomed manner, kneeling upon their knees, the people making answer in those places where they have been accustomed to answer.

Deus prouidebit sibi victimam holocausti, fili mi: Coram Deo, inquit, *reuelabitur sibi Agnus in holocaustum. fili mi.* Agnus siquidem, ob mansuetudinem, simplicitatem & puritatem, expressior est Christi Domini figura; quare & frequenter hoc nomine appellatur in sacris Litteris, vt Isa. 26. & 53. Ierem. 11. & 51. Ioan. 1. & in Apocal. frequentissimè 5. 6. 7. &c. Arbor ista pluris fit à Christi fidelibus: & qui crustulam illius habere possunt, vt sacras Reliquias conseruant. Alia, quæ de sacratissimo isto monte Caluariæ dici possent, libenter nunc omittimus, locum dantes considerationibus.

Quoniam sanctus Adamnanus ex sancto Arculpho plura scripsit de sacro templo Dominicæ Resurrectionis, & de pluribus ad ipsum pertinentibus, placuit hîc ad intentum aliqua exscribere capita ex illius primo libro de Locis sanctis, in quibus de præmissis agit, addendo aliquas obseruationes; ex quibus non obscurè diiudicare quilibet poterit discrimen status templi, quod hodie cernitur, ab illo quo erat tempore Arculphi & Adamnani.

CAPVT V.

Ex lib. 1. Adamnani de Locis sanctis Cap. 11. in quo Auctor agit de Ecclesiæ rotundæ formula super Sepulchrum Domini adificatæ.

DE quibus diligentiùs interrogauimus sanctum Arculfum, præcipuè de Sepulchro Domini, & Ecclesia super illud constructa; cuius mihi formam in tabula cerata ipse depinxit. Quæ vtique grandis Ecclesia tota lapidea, mira rotunditate ex omni parte collocata à fundamentis, consurgens [1] in tribus parietibus; inter vnumquemque parietem & alterum latum habens spatium viæ, [2] tria quoq; altaria in tribus locis parietis medij * artificiosè fabricatis. Hanc rotundam & summam Ecclesiam suprà memorata habentem altaria, vnum ad Meridiem respiciens, alterum ad Aquilonem, tertium versus Occasum, duodecim mira magnitudinis lapidea sustentant columnæ. Hac [3] bis quaternales portas habet, hoc est introitus, per tres è regione interiectis viarum spatiis stabilitos parietes; ex quibus quatuor exitus ad Vulturnum spectant, qui & * Caicias dicitur ventus; alij verò ad Eurum respiciunt.

In medio spatio huius interioris rotundæ domus rotundum inest in vna eademq; petra excisum * tegurium; in quo possunt ter terni homines stantes orare: & à vertice alicuius non breuis staturæ hominis stantis vsque ad illius domuncula cameram pes & semipes mensura in altum extenditur. Huius tugurioli introitus ad Orientem respicit, [4] quod totum extrinsecus electo tegitur marmore; cuius exterius summum culmen auro ornatum, anyeam non paruam sustentat crucem. In huius tugurij * Aquilonari parte Sepulchrum Domini in eadem petra excisum habetur interiùs. Sed eiusdem tugurij pauimentum humilius est loco Sepulchri: nam à pauimento eius ad Sepulchri marginem lateris, quasi trium mensura altitudinis palmorum haberi dignoscitur. Sic mihi Arculfus, qui sæpè Sepulchrum Domini frequentabat, indubitanter emensus pronuntiabat.

Hoc in loco discrepantia nominum notanda [5] inter monumentum & Sepulchrum: nam illud supra sæpè memoratum rotundum tegurium, alio nomine Euangelista monumentum vocant; ad cuius ostium aduolutum, & ab eius ostio reuolutum lapidem Domino resurgente pronuntiant: Sepulchrum verò dicitur ille locus in tugurio, hoc est, in Aquilonari parte monumenti, in quo Dominicum corpus linteaminibus inuolutum conditum quieuit. Cuius longitudinem Arculphus in septem pedum mensura propria mensus est manu. Quod videlicet Sepulchrum, non, vt quidam falsò opinantur, [6] duplex est, & quandam de ipsa maceriola petram habens excisam, duo crura, & femora duo, intercedentem & * separantem: sed totum simplex à vertice vsque ad plantas, lectum vnius hominis capacem supra dorsum iacentis prabens in modum spelunca, introitum à latere habens ad Australem monumenti partem è regione respicientem culmenq; humile desuper eminens fabrefactum. In quo vtique Sepulchro duodena lampades, iuxta nomina duodecim sanctorum Apostolorum, * semisx die ac nocte ardentes lucent: ex quibus quatuor in imo illius lectuli sepulchralis loco inferiùs posita, alia verò bis quaternales super marginem eius superiùs collocatæ, ad latum dextrum oleo nutriente prafulgent.

Sed & hoc notandum esse videtur, quòd mausoleum Saluatoris, hoc est, sæpè suprà memoratum tegurium, siue tegurij spelæum (siue spelunca rectè vocari possit) de quo videlicet Domino Iesu in eo Sepulchro Propheta vaticinatur, dicens: Hic habitauit in excelsa spelunca petræ fortissimæ. Et paulò pòst de ipsius Domini resurrectione ad Apostolos lætificatos subinfertur, Regem cum gloria videbitis.

Supradicta igitur rotunda Ecclesia formulam, cum rotundo tegurio in medio eius collocato, in cuius Aquilonari parte Sepulchrum Dominicum habetur, subiecta declarat pictura, nec non [7] & trium aliarum figuras Ecclesiarum, de quibus inferius intimabitur. * In eadem

C.M. Aquilona.

Matth. 28. Marc. 16.

* M.S. separamen. videtur locus corruptus, sin minùs, duo ista vocabula, intercedentem & separantem, ad petram referenda sunt.

* Sic M.S. fortè legendum semper.

* Tugurium, quasi tegurium, à tegendo.

* artificiosè

* C. Caicias

* Ex cod. M.S. Belgico hanc figuram ad eam rem non addimus, nam in eo duobus Bedę deest.

Digitized by Google

eadem Ecclesia quadam in petra habetur excisa spelunca infra locum Dominicæ Crucis; vbi super altare pro quorumdam honoratorum animabus offertur; quorum corpora interim in platea iacentia ponuntur ante ianuam eiusdem Golgothana Ecclesiæ, vsquequò finiantur illa pro ipsis defunctis sacrosancta mysteria. Hæ itaque quaternalium figuræ Ecclesiarum, iuxta exemplar, quod, vt superiùs dictum est, sanctus Arculphus in paginula figuranit, cerata depinximus, non quòd possit eorum similitudo formari in pictura, sed vt Dominicum monumentum tali, licet vili figuratione, in medietate rotundæ Ecclesiæ constitutum monstretur; & huic proprior Ecclesia, vel qua eminus est posita, declaretur.

Notæ in præmissum Caput Adamnani.

Circa ea quæ scripsit Adamnanus ex ore Arculfi lib. 1. de Locis sanctis cap. 2. de his quæ spectant ad intelligentiam Historiæ templi Dominicæ Resurrectionis; placet aliqua adnotare: ex quibus cognoscet Lector, differentiam status, vel sane varietatem historiæ præmissi templi à tempore Arculphi & Adamnani; & nostri. Sed priùs considerandа est admonitio P. Iacobi Gretseri, quam facit in calce libelli Adamnani. Extant, inquit, plurima itineraria Ierosolymitana, cum quibus quæ Adamnanus scribit comparari potuerunt; sed hac lege, vt si quid diuersum à recentioribus traditur, fides potiùs Adamnano, vtpote nucleo antiquiori, habeatur. Nec mente excidat, tempus edax & longinquam vetustatem omnia vel absumere, vel saltem admodum immutare consueuisse. Hæc ille: & optimè quidem in his quæ vel antiquioribus sensui vel rationi non aduersantur: non quidem quòd contra hæc scribat Adamnanus; sed quia diebus vel mensibus aliquibus non potuit Arculphus, dum esset in Terra sancta peregrinus, tot obseruare, & ea diligentia, qua alij obseruarunt in eadem incolæ, non dierum & mensium tantùm, sed etiam annorum spatio, collatione facta cum his quæ videntur, & ea quæ dixerunt, Adamnanus ex Arculpho, sed ipso antiquiores & recentiores. Spretur igitur rationi; & esto, verè optimeque scripserit, sed breuiter, Adamnanus, liceat aliis aliqua addere, ex quibus saltem diiudicetur, quomodo olim & quomodo hodie se habeat structura fabricæ sanctissimi templi Dominicæ Resurrectionis.

1. *In tribus parietibus.* Igitur quod de Ecclesia rotunda circumdante Dominicum Sepulchrum primò dicit, illam in tribus parietibus consurgere, atque inter vnumquemque parietem & alterum, latum esse spatium viæ: in præsentia nulli cernuntur intra dictam Ecclesiam parietes vias Ecclesiæ diuidentes; nec illorum meminit Eusebius Cæsarienſis in descriptione huius templi, & notauimus suprà Libro hoc Peregrinat. 1. Cap. v. & VII. An post Eusebium fuerunt illi additi, & erant quando loca sancta inuisit sanctus Arculphus, & post ipsum ablati; præsertim, quòd pluries fuerit posteà ab infidelibus sacrum templum demolitum? An nomine consurgentium parietum intelligit Adamnanus lignea consurgentia tabulata, quæ fortè tempore Arculphi erant; quæ parietes nominauit; quoniam ad instar parietum deseruiebant: quemadmodum erant antiquitus; & modò etiam in aliquibus Ecclesiis, quibus distinguuntur loca virorum ab aliis mulierum, vt [illegible] citato loco Cap. VIII. notauimus? [illegible] hoc mihi probabile; quia locutus est Adamnanus secundùm patriæ suæ morem. Retulit enim mihi Pater Hugo Vardeus Hibernus, Theologus Minorita, & in his apprimè versatus, veteres Scotos, siue Hibernos; ex quibus oriundus fuit Adamnanus; Ecclesias, & quæ ad illarum structuram pertinebant, ex tabulis & trabibus communiter erigere consueuisse: & quoniam illarum tabulata ad instar murorum lapideorum inseruiebant, illa muros appellabant. Quem morem, præter alios quamplures, sanctus Bernardus Adamnano posterior in Vita sancti Malachiæ testatur, adhuc suo tempore viguisse in Hibernia, præsertim in Ecclesiis monasticis seu Monastetiorum: dum enim Hibernos increpantes sanctum Malachiam Primatem & Apostolicum Hiberniæ Legatum, tuncque Benchorensis archicœnobij rudera reliquiasque instaurantem, atque Ecclesiam lapideam inibi extructurum, inducit loquentes, id luculentissimis aperit verbis: *Nos*, dicebant; *Scoti sumus, non Galli; vt quid leuitas hæc?* Nimirum nouitas, & in ea saltem Vltoniæ regione inconsueta introductio ædificiorum lapideorum in Ecclesiis, quas plerumque anteà ex tabulis trabibusque *opere scolico & pulchro satis*, vt sanctus Bernardus loquitur, extruere consueuerunt. Idem deducitur ex Vita sanctæ Dotercæ virginis Hibernæ in veteri manuscripto; quamuis nonnullas subinde iamdudum ex lapide sanctus Patricius, aliique discipuli eius, erexerint, quæ etiamnum extantes. In Britanniam item egregios huius operis artifices ad templa ædificanda euocari solere, etiam Copgrauius testatur in Vitis huius gentis & Hiberniæ Sanctorum: neque inter Pictos & Scotos Septemtrionalis Britan-

Extat Antuerpiæ apud Patres Soc. Iesu.

tanniæ incolas, alia plurium basilicarum materia fuit aut structura circa Adamnani tempora; quare benè potuit sanctus hic vir, tignata aut tabulata templi sanctissimi Sepulchri, secundùm suæ patriæ consuetudinem & morem, muros appellare.

Quòd si quis obiiciat, fuisse superiùs loca pro mulieribus in porticibus templi: dici posset, illa in præcipuis solemnitatibus deseruisse, quando maior erat fidelium concursus. Sed vtcumque fuerit, profectò in præsentia nec muri nec tabulata diuidentia vias eorúmve signa cernuntur: tantùm columnæ sunt structuram templi sustentantes, ex quibus & vlteriori templi muro consurgunt xysti siue porticus, nunc tabulis ligneis pro habitaculis accommodati.

2. *Tria quoque Altaria.* Quod secundò dicit de tribus altaribus erectis in tribus partibus huius templi, Meridionali, Aquilonari & Occidentali: si altaris nomine intelligit Adamnanus aram, in qua sacrosanctum Eucharistiæ offertur Sacrificium, profectò in præsentia non sunt, & fuisse antiquitus, non mihi satis probabile: non quidem, quia illorum nullam fecerit mentionem Eusebius; quoniam dici posset, ipsum descripsisse dumtaxat præcipuas templi partes; sed quia vt in præsentia, ita antiquitus, & multò magis in Oriente, altaria omnia sunt in Orientali plaga templi; versus quam consueuerunt fideles orare, & Sacerdotes Missæ sacrificium offerre, non similiter versus alias partes. Si autem altaris nomine intelligit repositorium, in quo Euangelium aliive sacri codices vel sacræ vestes reponerentur, quod ad formam altaris factum sit; esse illa poterant, sed huiusmodi structuræ templi prorsus accidentariæ sunt. Vel aliter, si propriè altaria erant, potest dici fuisse quidem Meridionale alterum, alterum Aquilonare, & tertium Occidentale, si ad se inuicem conferantur, & in ordine ad templum: verùm, respectu orantium & sacrificantium, possent omnia dici Orientalia; quia poterant illi, versa ad Orientem facie, ad eadem orare, & in eisdem sacrificare, vt satis constat. Vtcumque res se habuerit, in præsentia illa non sunt.

Altaria dualia, quæ ponit in delineatione templi, alterum intra, alterum iuxta tegurium Orientem respicientia, in præsentia nulla sunt; vnum dumtaxat ante sacellum Sepulchri & in ingressu alterius proximi templi, de quo posteà. De columnis huius templi iam diximus ex Eusebio.

3. *Nec bis quaternales.* Quod tertiò asserit Adamnanus de octo huius templi portis, &c. quarum quatuor Eurum, quatuor aliæ Vulturnum respiciunt, tales in præsentia non sunt, nec talium meminit Eusebius: quæ portæ sint in præsentia in proximo Golgothano templo, iam diximus. Vulturnus etiam & Eurus, si acciperentur vt modò accipiuntur à Geographis, non benè accommodarentur descriptioni factæ templi.

4. *Quod totum extrinsecus.* Quòd ait de exteriori ornamento, dico, non apparere aurum nec auream crucem. Summitas strata est mixtura ex calce & cinere: parietes vestiuntur marmoreis tabulis & columnellis, modo aliàs explicato.

5. *Inter monumentum.* Aduerte, quomodo ex Euangelistis colligit Adamnanus duorum locorum distinctionem in rotundo sacello Sepulchri; sacellum ipsum, & vrnam in illo excisam, immediatum locum Dominici corporis: illud inquit vocari ab Euangelistis monumentum, hanc verò Sepulchrum.

6. *Duplex est.* Notat etiam verè simplex esse hoc Sepulchrum in petra excisum, vt dicit Euangelista. Quomodo sint in præsentia lampades in monumento, iam explicatum fuit: nota verò, quòd dicit Adamnanus, quatuor lampades fuisse in imo lectuli sepulchralis, id est, vrnæ & Sepulchri; quia ex hoc colligitur, locum Dominici corporis non fuisse simplicem eleuatam rupem, vt Zuillardus arbitratus fuit, sed excauatam ad instar vrnæ, alias Adamnanus in ea non assignasset imum inferius & superius.

7. *Et trium aliarum.* Aduerte denique, præter templi memorati trium aliorum mentionem facere Adamnanum, Golgothani, Constantiniani, & sanctæ Mariæ; quæ eodem tecto, id est, continuato, operiuntur, & muro clauduntur: Eusebius tamen de his agens, trium dumtaxat meminit, Resurrectionis, Passionis & sanctæ Crucis. Sed non officit; etenim Eusebius fortasse tantùm præcipua enumerauit quæ extruxit Constantinus siue Helena, ob tria præcipua mysteria, Resurrectionis Domini, Passionis eiusdem, & Inuentionis sanctæ Crucis: at Adamnanus recensuit alia peculiaria, vel post Constantinum addita; vel si huius tempore extructa, non pro templis peculiaribus, sed pro templorum officinis, vel sacellis.

1. Fontana delle Tartarughe
2. Fontana del Moro
3. Fontana del Nettuno
4. Fontana dei Quattro Fiumi
5. Obelisco
6. Chiesa di S. Agnese in Agone
7. Palazzo Pamphili
8. Palazzo Braschi
9. Palazzo Altieri
10. Palazzo Massimo alle Colonne
11. Palazzo della Cancelleria
12. Palazzo Farnese
13. Palazzo Spada
14. Palazzo Lancellotti
15. Palazzo Madama
16. Palazzo Giustiniani
17. Palazzo Borromini
18. Palazzo Doria Pamphili
19. Palazzo Sciarra
20. Palazzo Chigi
21. Palazzo Montecitorio
22. Palazzo Ruspoli
23. Palazzo Sforza Cesarini
24. Palazzo Venezia
25. Palazzo Torlonia
26. Palazzo Colonna
27. Palazzo Odescalchi
28. Palazzo Wedekind
29. Palazzo Piombino
30. Palazzo Sciarra Colonna
31. Palazzo Verospi
32. Palazzo Fiano
33. Palazzo Salviati
34. Palazzo Grazioli
35. Palazzo Aldobrandini
36. Palazzo Rospigliosi
37. Palazzo Pallavicini
38. Palazzo Barberini
39. Palazzo Sacchetti
40. Palazzo Mattei di Giove
41. Palazzo Mattei di Paganica
42. Palazzo Costaguti
43. Palazzo Bonaparte
44. Palazzo Gabrielli
45. Palazzo Caetani
46. Palazzo Ceci
47. Palazzo Boccapaduli
48. Palazzo Orsini
49. Palazzo Taverna
50. Palazzo Cenci
51. Palazzo Ricci
52. Palazzo Capizucchi
53. Palazzo Piccolomini
54. Palazzo Muti Papazzurri
55. Palazzo Frangipane
56. Palazzo Santacroce
57. Palazzo Cenci Bolognetti
58. Palazzo Sora
59. Palazzo Lante
60. Palazzo Vidoni Caffarelli
61. Palazzo Cafarelli
62. Palazzo Stati Maccarani
63. Palazzo Massimo
64. Palazzo Pio
65. Palazzo Righetti
66. Palazzo Specchi
67. Palazzo Pierleoni
68. Palazzo Cenci Bolognetti
69. Palazzo Orsini
70. Palazzo Gabrielli
71. Palazzo Caetani
72. Palazzo Ceci
73. Palazzo Boccapaduli
74. Palazzo Orsini
75. Palazzo Taverna
76. Palazzo Cenci
77. Palazzo Ricci
78. Palazzo Capizucchi
79. Palazzo Piccolomini
80. Palazzo Muti Papazzurri
81. Palazzo Frangipane
82. Palazzo Santacroce
83. Palazzo Cenci Bolognetti
84. Palazzo Sora
85. Palazzo Lante
86. Palazzo Vidoni Caffarelli
87. Palazzo Cafarelli
88. Palazzo Stati Maccarani
89. Palazzo Massimo
90. Palazzo Pio
91. Palazzo Righetti
92. Palazzo Specchi
93. Palazzo Pierleoni

Notæ in præmissum Adamnani Caput.

1. *De illo lapide.* S. Cyrillus Episcopus Ieroſolymitanus Catech. 14. Cap. x. præcedentis Peregrinationis relatus, de magno lapide admoto ad ostium Dominici monumenti ita quærit, & respondet: *Sed vbi est petra quæ habuit vestibulum? Num in his quæ sunt circa ciuitatem posita, aut circa muros, aut circa monumentum? & vtrùm in antiquis muris est, aut in his quæ posteriùs facta sunt antemuralibus?* Si hoc verum; quomodo potuit posteà diuisus collocari in altaribus in templo Dominicæ resurrectionis? Dicendum, potuisse illius fideles conseruasse memoriam, vt & plerorumq; aliorum sacrorum: vel ab habitantibus in sancta Ciuitate, vel à longè absentibus, &, cessante infidelium persecutione, nacta opportunitate, vt alia sacra reperta, debito in loco venerationis ergô reposita fuere; ita de lapide isto factum fuit. Et cùm esset magnus valdè, vt sacer loquitur Euangelista, potuit vel ab infidelibus diuidi, vt commodiùs illum in structura murorum ciuitatis disponerent: vel integer inuentus, potuit ab ipsis fidelibus diuidi, vt posset pro mensa duorum altarium deseruire.

Sed vbi prior & minor pars? An quæ supra altare ante sacellum sacratissimi Sepulchri, & posterior & maior in Choro Græcorum? Nisi hanc mauis dicere illam, quæ in præsentia seruatur in monte Sion, alterâ maior, vt dicunt Adamnanus & Beda: quemadmodum ibi esse dictum lapidem ex communi traditione diximus suprà Capite XII. præcedentis Peregrinationis; quod posteà vidi adnotasse prius Sanutum.

2. *Monumenti tegurium.* Indicat vlteriùs Adamnanus, tacellum & vrnam sancti Sepulchri esse eiusdem & vnius rupis; & tempore quo S. Arnulphus inuisit loca sancta, non fuisse illud interiùs aliquo ornamento exornatum: sed in præsentia totum interiùs & exteriùs tectum est marmoreis tabulis, vt suo loco diximus.

CAPVT VII.

Sequitur Caput IV. Adamnani: in quo agit de Ecclesia S. Mariæ, quæ rotundæ coheret Ecclesiæ.

CEterùm de Sanctorum structuris locorum panca sunt; addenda aliqua. Illi rotundæ Ecclesiæ suprà sæpiùs memoratæ, quæ & Anastasis, hoc est, Resurrectio vocitatur, eò quòd in loco Dominicæ Resurrectionis fabricata est, à dextra coheret parte [1] S. Mariæ Matris Domini quadrangulata Ecclesia; infra quam [2] magna argentea crux infixa statuta est eodem in loco, vbi quondam lignea crux, in qua passus est humani generis Saluatoris Agnus, infixa fuerat.

[3] Alia verò prægrandis Ecclesia Orientem versus in illo fabricata est loco, qui Hebraicè Golgotha vocitatur; cuius in superioribus grandis quædam area cum lampadibus rota in funibus pendet. Huic Ecclesiæ in loco Caluariæ quadrangulata fabricata structura, lapidea illa vicina Orientali in parte coheret Basilica [4] magno cultu à Rege Constantino constructa, quæ & Martyrium appellatur: in eo, vt fertur, fabricata loco, vbi crux Domini cum aliis latronum binis crucibus sub terra abscondita, post ducentorum triginta trium cyclos annorum, ipso Domino donante, reperta est.

[5] Inter has itaque duales Ecclesias ille famosus occurrit locus, in quo Abraham Patriarcha altare composuit, super illud imponens lignorum struem, & vt Isaac immolaret filium suum, euaginatum arripuit gladium; vbi nunc mensa habetur lignea & parua, super quam pauperum eleëmosynæ à populo offeruntur: sed & hoc mihi diligentiùs interroganti sanctus Arnulphus addidit, dicens: Inter Anastasin, hoc est Ecclesiam suprà memoratam, & Basilicam Constantini, quadam patet [6] plateola vsque ad Ecclesiam Golgothanam: in qua plateola die ac nocte semper lampades ardent.

Inter illam quoque Golgothanam Ecclesiam & Martyrium, quadam inest exedra, in qua est calix Domini, quem à se benedictum propria manu in cœna pridie quàm pateretur, ipse conuiua Apostolis tradidit conuiuantibus. Qui argenteus calix sextarij Gallici mensuram habet; duasq; ansulas in se ex vtraque parte altrinsecus continet compositas. In quo vtique calice inest spongia, quam aceto plenam hyssopo circumponentes, Dominum crucifigentes obtulerunt ori eius. De hoc eodem calice, vt fertur, Dominus post Resurrectionem cum Apostolis conuiuans bibit. Quem S. Arnulphus vidit, & illius scrinioli, vbi reconditus habetur, operculi foramen pertusi, manu tetigit propria, osculatus. Quem videlicet calicem vniuersus ciuitatis populus cum ingenti veneratione frequentat.

Notæ in præmissum Adamnani Caput.

1. *Sancta Maria.* Ecclesia S. Mariæ, cuius hîc mentionem facit Adamnanus, iuxta descriptionem quam facit, mihi videtur esse illa, quæ sanctæ Mariæ de Apparitione appellatur, de qua iam egimus Cap. x. 1. Peregrin. & Cap. XXIX. 11. Peregrinat. huius Libri. Est enim quadrata & sita ad dexteram partem Ecclesiæ Sepulchri Domini: etsi

etsi cohærere minimè videatur cum delineatione, in qua ferè è regione illius delineata est.

2. *Magna argentea Crux.* Quòd dicit de magna argentea Cruce, in præsentia verè non est; nec temporis conditio illam admittit: nihilominùs in pauimento huius Ecclesiæ est marmoreus circulus; in loco vbi positam fuisse Crucem Saluatoris post illius inuentionem traditio est.

3. *Alia verò.* Grandem istam Ecclesiam, credo esse illam, quam Eusebius Basilicam Constantinianam appellat: verè Orientalis est respectu rotundæ, & Sepulchri Domini. In ea pendet rota ærea cum lampadibus, quæ in solemnitatibus accenduntur.

4. *Basilica.* Quòd dicit de altera Basilica Martyrum appellata, ædificata in loco Inuentionis sanctæ Crucis, ideò ita dicit, quia iuxta illum constructa est; aliàs tamen altèra in eo loco ædificata fuit ab eodem Constantino & Helena, vt iam vidimus.

5. *Inter has.* Locum vbi Abraham voluit Isaac filium suum sacrificare, situm dicit inter has duales Ecclesias, hoc intelligendum, superiùs & deforis est ad illum accessus, vt iam vidimus.

6. *Plateola.* Plateolam credo esse locum vbi est Petra vnctionis, supra quam die noctuque omnium nationum in sacratissimo Dominicæ Resurrectionis templo habitantium lampades ardent, vt superiùs vidimus: nam simili cultu, vt modò, antiquitus honoratum fuisse sanctum locum, non videtur rationabiliter posse in dubium verti. Et hæc satis ex sancto Adamnano: pauca alia ex antiquis aliis Scriptoribus subnectamus.

CAPVT VIII.

Instructio siue enarratio quædam locorum Terræ sanctæ, eorum præsertim quæ in templo sancti Sepulchri visuntur, ex antiquo manuscripto accepta.

PAter Iacobus Gretserus Tomo 3. de sancta Cruce 4. p. horti S. Crucis c. 29. & 30. quædam interiit ad loca Terræ sanctæ spectantia antea, vt ipse ait, non publicata, ab eodem inuenta in codice manuscripto in Bauarica Bibliotheca: vbi inter alia collectanea, quæ præsenti & duobus proximè sequentibus Capitibus scribemus, continentur; addemusque Notas aliquas, sicut anteà fecimus ad capita ex sancto Adamnano exscripta. Hæc autem hic adnotare placuit; non quòd hactenus explicata non sint multò fusiùs & clariùs, & in sequentibus quæ supersunt explicanda similiter explicabuntur: sed vt omnibus innotescat, quas in præsentia habemus de locis sanctis traditiones, non esse nouiter inuentas, & ideò minùs credendas; sed antiquas, ideoque vt veras, & à fide dignis posteris relictas retinendas esse. Et Capite isto institutionem de locis sanctis, & illorum singulariter quæ in sacro Dominicæ Resurrectionis templo veneratione habentur, describemus. & sic habet:

[1] *Omnibus volentibus visitare Sepulchrum Domini, occurrunt loca ista: In Nazareth beata Virgo concepit Dominum per Gabrielem nuntium.* [2] *In introitu portæ ciuitatis Ierusalem est locus vbi lapidatus est Stephanus.* [3] *Deinde in introitu Ecclesiæ sancti Sepulchri in dextra parte est locus vbi beatam Virginem Ioanni commendans, ait: Mulier ecce filius tuus. Inde peruenies ad Caluariam, vbi Dominus noster crucifixus est.* [4] *Ibi videbis petram scissam de morte eius.* [5] *Ibi subtus est Golgotha, vbi Sanguis Domini per petram cecidit super caput Adam.* [6] *Deinde ad columnam, ad quam Dominus ligatus fuit. Inde ad locum Inuentionis sanctæ Crucis. Deinde ad locum* [7] *vbi Christus ligatus fuit, donec præparata fieret sancta Crux in Caluaria.* [8] *Deinde ad medium chorum Canonicorum, vbi assignatur locus, in quo Iesus positus fuit, quando acceptus est de Cruce; vbi fuit lotus de Sanguine, & inuolutus in sindone munda: & de illo loco portatus est ad Sepulchrum. fertur etiam, quòd ibi sit medietas mundi.* [9] *In introitu Sepulchri primò inuenies lapidem, super quem sedit Angelus.* [10] *Superiùs respice in Sepulchro, & videbis lapidem, quem habebat ad caput in monumento. In exitu Ecclesiæ Sepulchri ex alia parte est imago beatæ Mariæ, quæ fuit locuta beatæ Mariæ Aegyptiacæ. Inde peruenies ad* [11] *sanctum Kariotb; deinde ad* [12] *sanctum Sabba. Ibi etiam est scapula sancti Martini, & caput sancti Stephani, & manus sancti Ioannis* * *Auriboli, Reliquiæ sancti Demetrij.* [13] *Inde ibis ad montem Sion, vbi beata Virgo migrauit. Ibi sunt sepulchra Regum, Dauid, Salomonis, & aliorum. Ibi contrà sepultus fuit Stephanus. Inde ibis ad cœnaculum, vbi Dominus cum discipulis suis cœnauit: vbi primò corpus suum consecrauit, & ad consecrandum instituit. Ibi Apostolis post resurrectionem apparuit ianuis clausis: & ibi apparuit Thomæ, & misit Apostolis Spiritum sanctum. Mathias electus est ibi in locum Iudæ, qui tradidit Dominum. Stephanus promotus est in Diaconatum cum sex aliis. Et ibi parum inferiùs est locus, vbi lauit discipulorum pedes. Inde venies ad* [14] *Prætorium, vbi coronatus est Dominus spinis, flagellatus, conspuitus, illusus, alapis cæsus pro nobis*

* Videtur leg. manus S. Ioannis, Aureolæ, Reliquiæ, &c.

nobis fuit. Inde venies ad locum, [11] *vbi Petrus, postquam Christum negauit, se abscondit. Inde ad fontem Siloë, vbi cæcus oculos lauit, & vidit. Inde ad puteum Iacob: deinde ad Acheldamach, quod interpretatur, ager sanguinis; eò quòd emptus fuerit triginta denariis, quibus venditus fuit Dominus. Deinde ad* [16] *templum Domini, in quo Christus præsentatus fuit, à Simeone sene receptus. Ibi videtur lapis, super quem stetit Arca fœderis Domini, vnde Reges & Prophetæ inungebantur. Inde ad Probaticam piscinam. Inde ad sanctam Annam. Inde* [17] *ad Vallem Iosaphat. Ibi reperies sepulchrum beatæ Virginis: nam ibi ab Apostolis sepulta est. Ibi propè est Gethsemani, vbi primò captus & ligatus fuit Iesus. Ibi propè est locus, vbi orauit cum sudore sanguineo. Deinde ad* [18] *montem Oliueti: ibi inuenies locum vbi ascendit in cælum; & ibi propè discipulis prædixit primò Dominicam Orationem. Inde Bethphagé. Inde Bethaniam, vbi Lazarum suscitauit. Inde ad domum Marthæ & Mariæ Magdalenæ. Ibi reperies lapidem, super quem Dominus sedit, quando ei Martha occurrit. Inde ad quarentanam. In reditu ibis Bethlehem: ibi reperies locum, vbi Dominus natus est: ibi est præsepe in quo reclinatus est. Inde ad locum vbi Angelus gaudium nuntiauit pastoribus. Inde ad* [19] *sanctum Abraham Patriarcham. Inde vbi* [20] *Crux sancta Domini crenit. Inde vbi natus est sanctus Ioannes Baptista.* Hactenus dicta Instructio.

Notæ ad præmissam Instructionem.

1. *Omnibus volentibus.* Nota, neque nostris neque antiquioribus temporibus consueuisse communiter Terræ sanctæ peregrinos primò adire Nazareth: nam opportunior & propinquior portus sanctæ Ciuitatis & Iudææ est Ioppen; ad quem, nisi fortuna vel alius peculiaris casus adsit, ordinariè soluunt peregrini iter maritimum conficientes. Ita docent ferè omnia euulgata Terræ sanctæ itineraria. Illud fortasse dixit notatæ Instructionis Scriptor, de illis qui terrestri itinere per Syriam & Galilæam vadunt Ierosolymam: vel si de maritimo, de illis qui aliqua occasione primò soluunt Aconem, vel ad alium portum Nazareth quàm Ierosolymis proximiorem. Aduerte etiam, in dicta Instructione non seruari ordinem quem loca ipsa inter se habent, quique à peregrinis in illarum visitatione obseruatur, vel à nobis in iam recensitis seruatus est, & seruabitur in inferiùs recensendis.

2. *In introitu.* Locus vbi lapidatus est sanctus Stephanus parum quidem abest à porta S. Stephani appellata, per quam fortè instructor fuit introductus; verum communiter in præsentia aliter euenit: nam venientes Ierosolymam per Galilæam & Samariam, introducuntur in ciuitatem per portam Damasci, proximam portæ S. Stephani; qui verò ex Ioppen & Rama, per portam Ramæ & Castelli.

3. *Deinde in introitu.* Hîc videtur instructor sequi opinionem illorum qui credunt stetisse Virginem cum Ioanne ad læuam Christi quando pendebat in cruce; vbi est sacellum à corpore Ecclesiæ prominens proximo alteri Crucifixionis: quam opinionem suo loco reiecimus; & picturæ omnes aliter ostendunt: & ad aliud mysterium fuit sacellum illud erectum, vt de illo agentes notauimus.

4. *Ibi videbis.* Et vbi fuit in cruce eleuatus, & emisit spiritum: locus est omnium dignissimus.

5. *Ibi subtus.* Golgotham appellat inferiorem partem Caluariæ, à capite Adæ ibi posito.

6. *Deinde ad columnam.* Columna, ad quam Christus fuit ligatus & flagellatus ex Iudicis sententia, longiùs distat; quia est in sacello Apparitionis B. Mariæ Virginis: loquitur ergo de altera, quæ columna Improperiorum nuncupatur, quæ primò occurrit post descensum montis Caluariæ, Orientem versus eundo: de qua inferiùs ex eodem citato manuscripto, dixit tamen fuisse ad eam ligatum Christum; quia ipse super eam sedens manibus ligatus, opprobriis fatigatus fuit.

7. *Vbi Christus.* Hic est locus dictus Carcer Christi.

8. *Deinde ad medium chorum.* Locus vnctionis Christi est ad Meridiem templi è regione loci, qui medium mundi à Græcis dicitur: & cùm ille non sit in choro, credo, instructorem chori appellatione intellexisse spatium illud quod est à medio mundi vs[illegible] ad locum vnctionis, quia choro proximus. Ex eo quòd hîc fit mentio Canonicorum Ierosolymitanorum, deducit Gretserus, hanc instructionem conscriptam fuisse, quando Ierosolyma à Christianis possidebatur.

9. *In introitu Sepulchri.* Non sedit Angelus super illum immobilem hærentemq; solo lapidem, qui etiamnum lapis Angeli nuncupatur; sed super alterum mobilem, priùs aduolutum ad ostium monumenti, vt in Euangelio legitur: sed dixit sedisse super eum, mediate videlicet, quia supra alterum supra hunc aduolutum.

10. *Superiùs respice.* Lapidem illum non obseruaui, nec aliquam fieri mentionem

d by Google

nem vmquam intellexi. Et hæc ad ſacrum Dominici Sepulchri templum pertinent.

11. *Sanctum Kariot.* Quinam ſit locus ſanctus Kariot dictus, me latet. Locorum, temporum & hominum mutatione ſæpè mutantur, imò depereunt frequenter & vetuſta nomina.

12. *Sanctum Sabba.* Diſtat S. Saba ab Ieroſolymis circa 12. milliaria. De illis reliquiis nihil audiui, ſed nec quæſiui.

13. *Inde ibis.* Reuertitur Ieroſolymam. & ad loca montis Sion. Quòd dicit, ibi fuiſſe ſepultum S. Stephanum, intellige, non ſtatim poſt eius martyrium, ſed poſteà, quando ex Caphargamala, Gamalielis villa, fuit ſacrum illius corpus ad montem Sion tranſlatum, vt ſuo loco declarauimus.

14. *Ad prætorium.* Prætorij appellatione intelligo loca iuſtitiæ, quæ proxima Prætorio erant; in quibus acciderunt quæ hîc referuntur, & non in ipſo Iudicis Prætorio & iudicij loco, vt ſuppono: ſed illa Prætorium nuncupauit à nobiliori parte, & quia ex Prætorio ſententia, vt indicata opprobria contra Chriſtum exequerentur, proceſſit.

15. *Vbi Petrus.* Egreditur ciuitate; vbi ſunt quatuor memorata loca. Fontis Iacob nomine abſque dubio intelligit fontem Draconis, ſiue B. Mariæ Virginis in præſentia appellatum, proximum fonti Siloë. An ſit facta nominis mutatio, an potiùs ſit calami lapſus, vt pro fonte Draconis vel B. Mariæ ſcriptum ſit, neſcio: hoc ſcio, in præſentia Ieroſolymis nullum Iacob fontem appellari, tantùm iſto gaudet nomine puteus Samaritanæ prope Sichar in Samaria; ad quem alluſiſſe inſtructorem non ſuſpicor.

16. *Ad templum Domini.* Reuertitur in ciuitatem. Si per lapidem, in quo dicitur ſtetiſſe Arca fœderis Domini, non intelligat aream, in qua fuit ædificatum Salomonis templum, in quo fuit Arca Domini collocata, & nunc eſt templum, antiquitus templum Domini, in præſentia Meſquita Turcarum, & Salomonis templum, neſcio quid intelligat.

17. *In Vallem Ioſaphat.* Exit è ſancta Ciuitate.

18. *Ad montem Oliueti.* Nomine montis Oliueti intelligit illius ſummitatem: nam ipſe mons priùs inuentus eſt; ad eius radices Chriſtus orauit, captus fuit, &c. vt ex Euangelio & traditione ſcimus.

19. *Ad ſanctum Abraham.* Num ſanctus Abraham eſt apud Hebron, vbi ſunt aliqua loca illius memoriâ celebria, an potiùs apud montem Caluariæ Ieroſolymis, vbi aſſeritur, ſanctum Patriarcham obuium habuiſſe Melchiſedech, voluiſſe vnigenitum filium ſuum Iſaac ſacrificare, & pro eo acceptum arietem ſacrificaſſe.

20. *Vbi Crux ſancta.* Eſt Conuentus ſanctæ Crucis Monachorum Georgianorum; de quo Libro VI. erit ſermo.

CAPVT IX.

Relatio Bedæ de Sepulchro Domini.

POſt prædictum venerabilium locorum indiculum, ſubiicitur in eodem codice Bauarico hæc de Sepulchro Domini relatio, & quidem Bedæ nomine.

1. *Quia non immeritò monet eos, qui ſimplicia tantùm monumenta noſtrorum vident, quomodo factum ſuit monumentum illud Dominicum, vt tot homines vnà cum Angelis caperet: opportunum putauimus ſimpliciter charitati veſtræ, quæ de illo comperimus, explicare, iuxta relationem eorum, qui noſtra ætate in Ieroſolymis fuerunt; quæq; ibi viderunt, redeuntes nobis ſcripto reliquerunt.*

Domus igitur rotunda exciſa erat in petrâ tantæ altitudinis, vt, qui in medio ſtaret, manu culmen tangere poſſet: habebat autem introitum ab Oriente, vbi lapis ille magnus, de quo Euangeliſta narrauit, appoſitus eſt. Hanc ingredientibus à dextris ille locus, qui ſpecialiter Dominici corporis receptui paratus eſt, occurrit, ſeptem quidem pedes longus, trium verò menſurâ palmorum reliquo pauimento eminentior. 2. *Qui non vulgarium more ſepulchrorum deſuper, ſed à latere Meridiano per totum factus eſt patulus, vnde corpus poſſet imponi. Et hoc eſt quod Euangeliſta* 3. *Marcus dixit; quia introëuntes mulieres monumentum, viderunt iuuenem ſedentem in dextris; quia nimirum Angelus, qui ad locum Dominici corporis ſedebat, intrantibus erat à dextris; ſed & ipſe eidem loco Sepulchri dexter ſedebat. Cuncta autem hæc continuata, & non ab inuicem erant ſeparata, vtpotè in vna eademq; petra exciſa. Talem quidem Dominici monumenti primò poſitionem fuiſſe percepimus.*

At nunc tradunt Eccleſiam ibi eſſe rotundam, eximij operis, triplici pariete diſtinctam, in cuius medio ſit monumentum; & hoc deforis marmorum craſtis vſque ad ſumma culminis tectum; ipſum verò culmen auro veſtitum, auream crucem geſtat non modicam: cuius ad Orientem Eccleſia Golgothana eſt Eccleſia, quæ inter alia ornamenta tali loco congrua, crucem argenteam habet pragrandem: in quo loco Dominus crucifigi pro noſtra eſt ſalute dignatus, pendente magna phara deſuper, id eſt, area rota cum lampadibus, quæ ipſam crucem debita luſu veneratione coronent.

Sed huius ad Orientalem plagam Ecclesiæ proxima est Ecclesia Constantiniana, quæ alio nomine Martyrium vocatur; vbi Crux Domini ab Helena Constantini matre reperta est: & ob id ipse ibidem Ecclesiam magnifico ac regio cultu construxit. His de sanctorum situ locorum, prout discere potuimus, explanatis, libet intueri, adimpletam esse
Isaiæ 11. *prophetiam Isaiæ, quæ de sepultura ac resurrectione Dominica, simul & de nostra fide ac salute prædixit: In die illa radix Iesse, qui stat in signum populorum, ipsum Gentes deprecabuntur; & erit Sepulchrum Domini gloriosum. Radix quippe Iesse Dominus est, natus quidem ex stirpe Iesse secundùm humanitatem, sed conditor ipsius Iesse secundùm Diuinitatem. Qui stat in signum populorum; quia signum salutis, quo credentium populi à callidi hostis malitia muniuntur, ipsius est passione sacratum. Ipsum Gentes deprecabuntur; quia non solùm Iudæos, sed & nos, qui de finibus terræ ad eum clamare nouimus, gratia suæ visitationis aduocauit. Et est Sepulchrum eius gloriosum; quia locum, in quo mortis regnum diruit, palmæ perennis indiciis memorabilem seruauit.*

Quapropter, dilectissimi, tota ad ipsum mente conuersi deprecemur, vt nos signo suæ protectionis ab hostium liberet insidiis; ipse nos & redemptionis nostræ Sacramenta dignè celebrare, & ad beata resurrectionis tribuat gaudia peruenire Iesus Dominus noster, qui viuit & regnat cum Patre in vnitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum, Amen. Hucusque relatio; cuius illa pars de structura Dominici Sepulchri petita est ex Beda in cap. 28. Matthæi in illa verba, *Et posuit eum in monumento nouo*, &c. & in caput 15. Marci in illa verba, *Et posuit eum in monumento*, & Homilia de Passione Domini.

Notæ ad præmissam relationem.

1. *Quia non immeritò.* Ex traditione aliorum scripsit Beda, vt ipse indicat. Ego difficultati aliter responderem ex suprà notatis de conditione totius Dominici Sepulchri. Continet Saluatoris Sepulchrum tria loca continuata in eadem rupe excisa, vestibulum primò, secundò domunculam, & tertiò sarcophagum, vbi fuit immediatè positum corpus Iesu. Tria ista loca Sepulchri nomine appellantur in Euangelio: & sic dicendo, benè poterant plures in Sepulchro videri Angeli & homines; in primo & secundo loco, vestibulo scilicet & cellula; non similiter, si ponatur tantùm cellula & sarcophagus, vt facilè fatebitur, qui ipsam Sepulchri conditionem ab eodem Beda allatam considerabit. Angelus qui sedebat supra lapidem, non erat intra domunculam, sed extra, in vestibulo prope ostium vnde lapis fuit sublatus: etenim lapis erat magnus valdè, & extra cellulam positus fuerat; nec propter magnitudinem fuit introducendus, tum enim prohibuisset ingressum. Prætereà mulieres viderunt à longè reuolutum lapidem, & Angelum super eum sedentem; cui propiores factæ, fuerunt ad ingrediendum inuitatæ: sed non vidissent, si interiùs fuissent. Et hæc patent ex Matthæo & Marco, & ex à nobis aliàs explicatis.

1. *Qui non vulgarium.* Hoc intelligendum, vt aliàs explicuimus loquentes de sancto Sepulchro, quòd non desuper illatum fuerit corpus, vt fit in plerisque aliis sepulchris, quia camera Sepulchri, id est, cellulæ, impediebat: sed introductum per ostium Orientale, & ex vacuo cellulæ Meridionali, in Aquilonarem illi sarcophagum desuper immissum fuit.

3. *Euangelista Marcus.* Diuum Marcum non de interiori tumba, sed de exteriori vestibulo Sepulchri locutum fuisse, ostendimus præcedenti Peregrinatione Cap. x. Alia ex dictis eadem Peregrinatione satis sunt explicata.

CAPVT X.

Relatio alia Othmari Presbyteri de locis sanctis.

IN eodem antè memorato Bauarico codice manuscripto inest alia quædam de locis sanctis relatio, cum hoc titulo, *Visio Othmari Presbyteri. Rem amicorum meorum intima patefacio dilectioni: qua, licet peccator, Dei misericordia, Ierosolyma oculis corporeis inspexi; qua & nihil potest verius dici. Intuitus sum ego, prout quidquam patet visui humano,* 1 *lucem inuisibilem valitus ad Sepulchrum Dominicum visibiliter apparere, & venerà ibi illud lumen visibile manifestè accendere.* * *Propter hoc alia ibi cernebam obstupenda: qua omnia sine cunctatione oportet esse edenda.* 2. *Carcerem conspexi ante Monasterium, in quo seruari debuit corpus Dominicum ea nocte qua traditus est Iudæis; & ibi prope est* 3. *lapis, super quo sedebat, quando imposuerunt sibi spineum serturn, ducentes ad Caluaria locum ad crucifigendum: quo in loco positus est primus homo, scilicet Adam. Et vidi domum Salomonis, in qua erat turris sui patris Dauid Regis, vbi ipse scripsit Psalterium; & sanctæ Mariæ Sepulchrum, de quo assumpta est in cælum: &*

* Prout

montem Oliueti; vbi Christus orationem ad Patrem fundebat; vbi & Pater noster docebat: & perambulaui Iosaphat, & montem Sion, & mensam Domini vidi, vbi cœnauit cum discipulis. Et postquam ea talia loca multa circuiui in Bethlehem, veni Iericho, & in Iordane me laui, & à crimine purgaui. Hæc Presbyter ille.

Notæ ad præmissam relationem.

1. *Luxem inuisibilem.* De isto miraculo cælestis luminis antiquitus fieri solito, cui, præter Othmarum, plures alij graues Auctores testimonium perhibent, plura diximus Cap. XXVI. præcedentis Peregrinationis; & nihil hîc addendum occurrit.

2. *Carcerem.* Adhuc locus ille in sacellum conuersus Carcer Christi appellatur. Si loquitur de illo in quo stetit, quando debuit Christus crucifigi, vt videtur loqui, non fuit ibi positus Christus nocte qua fuit captus, sed manè sequentis diei, vt de illo agentes notauimus Cap. XIII. 1. Peregrinationis huius Libri. Si non de isto loquitur, sed de altero qui est in Caiphæ domo, de quo Lib. IV. Cap. XVII. Viæ captiuitatis; benè fuit ibi velut in carcere detentus, qua nocte fuit captus.

3. *Lapis.* Hic lapis est columna Improperiorum ex palatio Pilati in hoc templum translata, de qua 1. Peregrin. Cap. XXXI. huius Libri. In aliorum locorum relatione non seruat ordinem qui in ipsis est. Et hæc satis de sacratissimo templo Resurrectionis Domini nostri Iesu Christi, cui cum Patre & Spiritu sancto sit honor & gloria nunc & semper. Amen.

Digitized by Google

HISTORICÆ THEOLOGICÆ AC MORALIS ELVCIDATIONIS TERRÆ SANCTÆ LIBER SEXTVS.

ARGVMENTVM.

LIBER *sextus octo Peregrinationes continet: quibus elucidantur quæ obseruatione digna occurrunt euntibus ex Ierusalem ad sanctam ciuitatem Bethlehem, & ad vicina loca, quæ sunt in reditu ad Ierusalem per montana Iudææ; nec non quæ visuntur euntibus ad oppidum Emmaus, Iordanem fluuium, & ciuitatem Hebron.*

PEREGRINATIO I. *in qua recensentur & enucleantur* XIII. *memorabilia loca, quæ sese offerunt consideranda piis fidelibus proficiscentibus ex Ierusalem ad sanctam ciuitatem Bethlehem.* I. *Via ipsa Bethlehemitica.* II. *Porta ciuitatis, qua ex Ierusalem itur Bethlehem.* III. *Piscina Bersabee.* IV. *Vallis Gigantum.* V. *Turris S. Simeonis senis.* VI. *Terebinthus arbor B. Mariæ Virginis.* VII. *Cisterna trium Regum.* VIII. *Monasterium & locus alius Eliæ Prophetæ.* IX. *Vbi Habacuc Propheta fuit è Iudea in Babylonem translatus.* X. *Turris Iacob.* XI. *Sepulchrum Rachel.* XII. *Cisterna Bethlehem, siue Dauid.* XIII. *Denique sancta Bethlehem ciuitas Dauid.*

CAPVT PRIMVM.

De via qua ex sancta Ierusalem ciuitate itur Bethlehem; quæ primo loco occurrit in prima Peregrinatione.

Conditio via Bethlehemitica.

ANtequam agamus de locis viæ Bethlehemiticæ, visum est priùs agere de ipsa via in se, vt, nobili & illustri illius conditione proposita, pij fideles libentiùs eam deambulent; & priùs quid alij dixerint, ac deinde quæ nos ipsi cum aliis sæpiùs obseruauimus, subijciemus.

Guilielmus de Baldensel, illustrissimus Eques Ierosolymitanus, in suo Hodœperico inquit, viam ex Ierusalem ad sanctam Ciuitatem Bethlehem esse multùm delectabilem, & aliquantulùm nemorosam: in ea etiam esse plura Christianorum Monasteria gratiosa. Fortasse talis erat tempore suo, ante annos videlicet trecentos, quando assumpsit sanctam Ierosolymorum peregrinationem; nam ab illo tempore vsque ad præsens magna mutatio facta est, vt videbimus.

Christianus Adrichomius in suo accuratissimo Theatro Terræ sanctæ de Bethlehem verba faciens, de illius via etiam egregia scripsit, quæ hîc tibi ipsius verbis subijcimus: *Iter verò*, inquit, *quod Ierosolymam euntibus Bethlehem est, vsque adeò sui amœnitate, arboribus, hortis, odoratis herbis*

his transeuntes delectat, vt si ad tam praclaram naturæ faciem cælestis aliqua & digna Christiano meditatio accedat, non iam in terris esse sibi videatur, sed in paradiso Christi Natiuitatem & incunabula præsentibus oculis intueri. Hæc ibi Adrichomius. Et in tribu Beniamin num. 119. *Via Bethlehem amœna est valdè, vineis, rosis, herbis odoriferis, & aromatibus consita.* Hæc ille. Et in Descriptione Ierusalem num. 245. addit idem Auctor, Salomonem viam Bethlehemiticam, sicut & alias vias regias, quæ Ierosolymam ducebant, silice strauisse; tum vt vltrò citroque commeantibus esset faciles, tum ad ostendendam hac quoque parte principatus sui magnificentiam. Hoc intellige in locis planis, vbi sternendi necessitas & opportunitas esse poterat; non in rupibus, collibus & montibus. In præsentia non est huiusmodi pauimenti memoria.

Verùm loquentes de naturali huius viæ conditione, sicut ille, & nos loquimur, non comparando eam cum aliis huius regionis viis, sed absolutè eam considerantes; ne sensum negare videamur, cum aliis, qui eam sæpiùs perambularunt, à sententia Adrichomij recedere cogimur. Dicimus ergo, communem Bethlehemiticam viam & publicam, totam ferè montosam esse & saxosam, modica parte excepta, ante eius medium, prope B. Virginis Mariæ terebinthum arborem, & finem eius, quæ plana est & facilis: sed cùm hæc modica pars illius sit, non ab ea tota via appellationem accipere debet, sed à totius viæ conditione; quæ Adrichomij descriptioni maximè repugnat, atque omnino aspera, vt diximus, & laboriosa dici meretur. Fateor esse alteram huic proximam ad illius læuam partem, planiorem; commodiorem & amœniorem, quia per campos & vineas: sed quoniam communis non est, & per eam transire prohibentur viatores, æstiuo præsertim tempore, quando in vineis & viridariis fructus sunt; de ista non fuisse locutum Adrichomium, non est dubio vertendum. Non inficior tamen, communem illam, esse commodiorem & iucundiorem, si pluribus aliis viis comparetur, quæ circa Ierusalem & in Iudæa sunt; quoniam frequentiâ facilis reddita quodammodò est, & agri, oliueta, ficus aliæque plantæ, quæ alicubi ex vtraque parte cernuntur, gratum transeuntibus aspectum reddunt. Eius longitudo est sex milliarium Italorum. Eam ingredimur per portam Occidentalem Ierusalem, & declinamus ad Meridiem: in hac enim plaga est Bethlehem respectu Ierusalem.

Bethlehem sicus respectu Ierusalem.

Modica tamen huius Bethlehemiticæ viæ difficultas, exiguusque labor, pios non retrahit fideles quin eam frequenter deambulent; quia alleuiari vel sustolli potest, imò etiam delectabilis reddi, iis quæ animum, & mentem oblectant & reficiunt: vt illius finis consideratio, perambulantium dignitas, & egregia meditandi mysteria, quorum in via se offerunt argumenta, quibus mens occupatur; omnis corporis laborem & lassitudinem tollunt.

Via Bethlehemitica aspera vnde alleuiatur.

Alleuiatur, inquam, modicus huius viæ labor, vel prorsus aufertur ex consideratione finis ad quem ducit; quia ad locum spiritualium deliciarum, ad Mariæ & Ioseph diuersorium, ad locum Natiuitatis Domini, ad Christi incunabula, ad domum in qua Magi illi Orientalesque Reges in terram prouoluti, depositis coronis, vniuersorum Dominum, mortalitatis nostræ habitu indutum, in sinu & gremio Matris Virginis supplices adorarunt. Et quamuis corporeis oculis non concedatur videre puerum cum Maria Matre eius; conceditur tamen eisdem eumdem videre locum in quo illa mysteria operata fuere, vt viderunt Magi, & fidei mentisque oculis eadem cernere & contemplari, & cum Magis pronos adorare, vbi ipsi adorarunt Regem non modò Iudæorum, sed & Gentium: & videre, quemadmodum insignis illa Paula Romana se ibi videre iurabat (beato Hieronymo in eius Epitaphio referente) *oculis fidei infantem pannis inuolutum: vagientem in præsepi Dominum, Magos adorantes, stellam fulgentem desuper, Matrem Virginem, Nutritium sedulum, Pastores nocte venientes, vt viderent Verbum quod factum erat, & iam tunc Euangelista Ioannis principium dedicarent: In principio erat Verbum, & Verbum caro factum est: Parvulos interfectos, Herodem sæuientem, Ioseph & Mariam fugientes in Aegyptum.* Et Dei auxilio, vt illa, mixtis gaudio lacrymis, dicere: *Salue Bethlehem domus panis, in qua natus est ille panis, qui de cælo descendit*, &c. Et sanè hæc sola consideratio deberet omne fastidium itineris auferre, & spiritum in iubilo eleuare cum illo, qui solo spiritu illa ibi operandæ præuidens, exultans dicebat: *Ecce audiuimus eum in Ephrata, inuenimus eum in campis siluæ.*

Bethlehemitica via finis.

Epist. 27. Tom. 1.

Matth. 2, 16.

Ioan. 1, 1.

Psal. 131, 6

Et idem exequetur amplius, considerando præclarissimos viros & illustrissimas mulieres maximo cum gaudio & fructu hanc perfeciisse viam: vt orientales Magi, qui ex longinquis regionibus venientes, post multos superatos labores, & alium huius viæ subire non dubitarunt. Sed quid dico orientales Magos? Ipsa tenella Virgo, cæli terræ-

Qui viam hanc ambularunt.

terræque Domina, cum Rege regum Filio suo Iesu, sponsoque Ioseph, quadraginta transactis diebus ab eius illibato partu; hoc ipsum absoluit iter, quando ex Bethlehem abiit in Ierusalem, vt offerret Filium suum Domino, faceretque secundùm legem Moysi. Insignis Ecclesiæ Doctor sanctus Hieronymus, venerabilis Paula, cum eius filia, & virgine Eustochio, & alij cuiusque status & sexus hanc perfecerunt peregrinationem, & in dies pij fideles perficiunt gaudenter propter incunabula Saluatoris visenda.

Monumenta memorabilia in ista via.

Ac denique redditur hæc via iucunda & delectabilis, quia in ea plures memoriæ & illustria cernuntur monumenta; circa quæ & oculus libenter occupatur, & mens detinetur, ac proinde corporeus minuitur labor: de illis tota hac Peregrinatione agetur. Huius viæ fit expressa mentio Genes. 35,19. & 48,7.

CAPVT II.

De porta sanctæ Ciuitatis, qua itur Bethlehem, quæ sese offert secundo loco primæ Peregrinationis.

Porta Ierosolymitana qua itur Bethlehem sita.

PRoficiscentibus piis fidelibus & peregrinis ex sancta Ierosolymorum ciuitate ad alteram Deo dilectam Bethlehem Iudæ ciuitatem Dauid, est iter per portam Occidentalem sanctæ vrbis. Occidentalem dixi, quia verè Occidentem respicit & mare Mediterraneum, quod ab Occidente Iudæam cingit. Etsi non immeritò ab aliquibus Australis appelletur, quòd ad Austrum vergat, & ex ipsa iter sit ad loca posita in Australi plaga Ierosolymæ & Iudææ, Hebron, Gazam, Bersabee, & nostram Bethlehem. Appellatur etiam in præsentia porta Castelli, & Ramæ, Castelli: quoniam castello vrbis, quod Pisanum dicitur, proxima est, & ad læuam habet; Ramæ, quia Ramam ducit.

Porta appellatio varia.

Sed quomodo antiquitus nominabatur? Etsi non ista, quia recenter absque dubio fuit ædificata sub Selino Turcarum Imperatore, quando & mœnibus sancta Ciuitas circumdata fuit; sed illa quæ in huius situ antiquitus extructa fuit. Respondeo, non omnium eamdem esse sententiam.

Antiquitus porta Dauid Brocardo.

Brocardus Par. 1. cap. 7. §. 45. Portam Dauid videtur appellasse; quòd turri & ciuitati Dauid proxima esset. De hac enim porta loco indicato fuisse locutum Brocardum, credit Villalpandus loco statim citando. Brocardum secutus est Adrichomius in Descriptione Ierusalem num. 162. qui addit, nedum Dauid, sed & Piscium, & Negotiatorum portam fuisse appellatam. sic enim scribit: *Porta Piscium, quæ iuxta turrim Dauid, inter montem Sion & ciuitatem inferiorem in valle Mello contra Occidentem sita erat: & per adiunctam ei testudinem (quæ vltra voraginem extendebatur) commodum cuius exitum exhibebat ac introitum. Atque Piscium quidem porta ex eo dicebatur, quòd per eam à Ioppe, & aliis maritimis locis, quotidie in vrbem pisces inferebantur. Hæc aliis nominibus etiam porta Dauid, & porta Negotiatorum inscribitur: Dauid quidem, quòd turri Dauidis proxima esset; Negotiatorum verò, quòd per eam variæ negotiatorum merces à Bethlehem, Hebron, Gaza, Aegypto, & Aethiopia inuecherentur: Per hanc portam peregrini Occidentales vrbem ingredi solent.* Hactenus & appositè satis Adrichomius.

Villalpando porta Fontis.

Villalpandus Tom. 3. lib. 3. Apparatus cap. 15. arbitratur in situ huius portæ olim illam fuisse, quæ porta Fontis appellabatur, cuius mentio fit Nehemiæ 3, 15. illis verbis: *Et portam Fontis ædificauit Sellum*, &c. & c. 12, 35. *In porta Fontis*, quia fonti Siloë vicina, vt ex Brocardo, Adrichomio, Beda, Hugone, Nicolao de Lyra, Aria Montano, & aliis docet. Redarguit autem Villalpandus Brocardum & Adrichomium, quòd grauiter peccauerint in describendo portam Fontis è regione istius in Oriente vrbis, cùm sit Occidentalis, quod ex solutione argumenti, quod contra se facit, probatum arbitratur. sic ergo argumentatur: *Fons Siloë, secundùm memoratis Auctores, ad Orientem vrbis fluit: si ergo hæc porta Fontis appellatur, quòd huic fonti proxima sit, vt ipse est Orientalis, & illa; & consequenter in loco à Brocardo & Adrichomio delineato, & non in isto sita erat.*

Refellit Villalpandus Brocardum & Adrichomium.

Respondet, hunc fontem promanare ex parte Occidentali, sine in angulo Occidentali & Meridionali ipsius vrbis Dauidicæ; probatque Iosephi & sacræ Scripturæ auctoritate. Et quia fons Gihon & Siloë idem fons est, vt pluribus probat Toletus in Ioan. cap. 9. Annotat. 7. Gihon verò est in Occidentali plaga vrbis, vt manifestum est; ex isto enim fonte erumpens aqua silentio fluit in Siloë. Quare cùm memorati Auctores, & alij, affirmant fontem Siloë esse ad Orientem vrbis, sicut ad oculum cernimus; non de ipso vnde primò eius originem trahit, sed de eius terminatione vel fluxu locutos fuisse credendum est; aliàs enim eius scaturigo ad Occidentem est. Hæc in sententia Villalpandus. ex quibus improbatam credit sententiam Brocardi & Adrichomij, & suam firmatam, portam hanc Occidentalem non appellari

pellari portam Piscium, hoc est esse vbi antiquis temporibus erat porta Piscium, sed portam Fontis.

Defenditur Brocardus & Adrichomius.

Verùm non esset difficile defendere sententiam Brocardi & Adrichomij (quam, nihil hallucinamur, verè probat argumentum Villalpandi) & respondere simul ad obiecta: & dupliciter. Primò, admisso fontem Gihon & Siloë eumdem fontem esse, modo explicato, quare porta proxima Siloë, id est, loco vbi, secundùm Villalpandum, fluit, & desinit Gihon, non potest appellari porta Fontis, ac illa quæ eiusdem fontis scaturigini proxima est? Imò potiùs illa quàm ista ea nomenclatura est nominanda. Etenim denominatio fit ab eo quod notius est, sit origo vel aliud, quia fit gratia innotescendi. Iordanis fluuius primò fluit à Phiala fonte, & secundò à Ior & Dan fontibus oritur (vt dicetur infrà Peregr. VI. Cap. II.) & tamen non accipit denominationem à Phiala, sed à Ior & Dan, quia notiores. Ita in proposito, cùm Siloë in præsenti notior, & magis frequentatus fons sit quàm Gihon (hîc enim continuò, vt ibi aquæ non sunt) & idem olim fuisse mihi persuadeo, præsertim quòd graues Auctores affirment, Christum ideò misisse cæcum à natiuitate ad Natatoriam Siloë, tamquam ad fontem valdè publicum & patentem, vt in eo oculos luto linitos lauaret, & visum reciperet, vt miraculum & diuina Christi potentia magis vulgaretur. Et sanè scaturigo ipsa terminatione notior non est; quare congruè porta Orientalis Siloë proxima, porta Fontis potuit appellari; & per consequens non grauiter peccauerunt Brocardus & Adrichomius, dum eo nomine eam appellarunt, & aliis nominibus hanc Occidentalem Gihon proximam. Ad hæc, si etiam hæc porta Fontis appellaretur, nullum esset inconueniens, cùm manifestum sit, in Scriptura sacra & aliis Scriptoribus eamdem portam pluribus insignitam esse nominibus, vt Libro IV. Cap. XIII. I. Peregrinationis notauimus.

Denominatio fit à notiori.

Secundò, negamus Gihon & Siloë esse eumdem fontem: ex dictis enim Lib. IV. Cap. XXV. & XXVI. VII. Peregrin. & ex dicendis inferiùs Libro hoc Cap. VIII. IV. Peregrinationis clarum euadet, Gihon fontem, meliùs piscinam distinctam prorsus esse à fonte & Natatoria Siloë: quæ si idem sunt, non nisi modo ibi indicato; & tunc nihil colligi potest contra Brocardum & Adrichomium.

Super hanc portam Adrianus Imperator capta Ierosolyma suem sculpsit, vt tradit Eusebius Hist. lib. 4. c. 6. hisce verbis: *Aelia ab Aelio Adriano condita, & in fronte eius porta, qua Bethlehem egredimur, sus sculptus in marmore, significans Romanæ potestati subiacere Iudæos.* Hæc ille; addens, Imperatorem prohibuisse Iudæos ab illius ingressu & Ierosolymæ aspectu.

Super portam Bethlehem porcum sculpsit Ælius Adrianus.

Cardinalis Baronius Tom. 2. Annal. sub anno Christi 137. alias indicauit rationes huius insculptionis, quas hîc subijcere non erit Lectori inuecundum. inquit ergo: *Num ad designandum Iudæos esse omnium hominum scelestissimos? quippe quòd eiusmodi simulacrum esse soleret hieroglyphicum hominum veritatem spernentium, profanorum, pernicioseorumq;, atque eorum denique qui à Deo penitus essent auersi? An potiùs, quòd porcus videretur ob infractum in bello robur esse Romanorum insigne? Nam & tradit Festus, quintum signum militare fuisse porci imagine effigiatum, quod & belli finis, vt tradit, symbolum esset: porcorum imagines in militaribus signis etiam Diocletiani temporibus, imò & Honorij Imperatoris, visas esse, satis liquet. An potiùs, quòd, vt dicemus, eadem via in Bethlehem fuerit ab Adriano erectum templum Adonidi, quem aper occidit? cùm alioqui sciamus Plutarchum cultum Adonidis, itidemq; Bacchi Iudæis impingere.*

Rationes insculpturæ porci.

Verùm licet hæc omnia rectè dici possint: tamen quod Adrianus nouam illic condidit ciuitatem, quam Aeliam nominauit; cùm sciret olim eiusmodi animal, primum fuisse signum Aeneæ condendæ ciuitatis Laurinj (vt inter alios Virgilius octauo Aeneidum cecinit) existimari potest, eiusdem quoque animalis signum super portam recèns à se extructæ ciuitatis erigi voluisse; vt redderet in eodem opere idem antiquitatis egregium monumentum, quo & numismata eiusdem Adriani expressum vidimus, nempe porcum cum porcellis sugentibus vbera, vt Aeneæ diximus demonstratum.

Ceterùm & illud in dubitationem reuocari minimè debet, Adrianum eo signo Iudæis inter cetera omnia infensissimo, significare voluisse Iudæos, propria ciuitate patrioq; solo esse penitus interdictos: eiusmodi enim animalium genus, ex Iosepho alibi dixi- Iosephus de Bello lib. 5. cap. 1.
mus, Iudæis fuisse nefandum, atque visu etiam execrandum; quamobrem ne istæc signa militaria viserentur in regione Iudæorum, principes ipsorum olim à Vitellio in Arabes Idem lib. 8. Antiq. c. 7.
profecturo deprecati sunt transitum, &c. Hucusque ex Baronio.

CAPVT III.

De Piscina Bersabee, tertio loco primæ Peregrinationis.

EGressi pij fideles portam sanctæ Ciuitatis Occidentalem, Bethlehem profecturi, descendunt per viam, à cuius sinistro latere relinquunt in eminenti situ castrum Pisanum, & à dextro Piscinam quamdam, quæ communiter in partibus istis Piscina Bersabee nominatur: de qua nunc agentes duo videbimus; alterum, quare tali nomine appellata sit, alterum, quænam sit illius conditio.

Piscina Bersabee quare sic dicta.

Et à primo ordientes, Frater Bonifacius lib. 2. de Perenni cultu Terræ sanctæ, loquens de illis quæ in via Bethlehemitica se offerunt consideranda, rationem nominis hisce verbis indicauit: *Primò ad dexteram Meridiem versus progredientibus Piscina est Bersabee, quæ in pomario eius erat; quam ingressa, à Dauide visa & concupita fuit, & mater Salomonis effecta. Dauid (inquit Matthæus) genuit Salomonem ex Bersabee muliere, quæ fuit Vriæ. Ad sinistram in latere montis sunt ruina castri ipsius Dauidis, à quo conspecta & concupita ipsa Bersabee fuit.* Hæc Bonifacius.

Matth. 1, 6.

Aliorum sententia.

Sæpiùs plures accolæ huius regionis super hæc interrogati aliud se nescire responderunt, quàm nunc ex Bonifacio relata, & esse horum Orientalium traditionem: & sanè Bonifacium non ex propria, sed ex horum sententia credimus fuisse locutum, propter ea quæ subiicienda, quæ Bonifacium virum doctum, & in sacris Litteris versatum, non latuisse dubitandum non est.

Reiicitur.

Opinamur ergo dicta nullatenus esse admittenda, quoniam illis plùra refragantur. In primis Scriptura diuina, quæ de his agens 2. Reg. 11, 1. sequentia habet: *Factum est autem, vertente anno, eo tempore quo solent Reges ad bella procedere, misit Dauid Ioab, & seruos suos cum eo, & vniuersum Israël, & vastauerunt filios Ammon, & obsederunt Rabba: Dauid autem remansit in Ierusalem. Dum hæc agerentur, accidit vt surgeret Dauid de strato suo post meridiem, & deambularet in solario domus regiæ: vidit́q; mulierem se lauantem ex aduerso super solarium suum*, &c.

Palæstina tecta quælia.

Ad intellectum horum verborum, & intentum explicandum, tria sunt obseruanda. Primum, tecta domorum in Palæstina esse plana, ita vt in ipsis deambulari possit: & præter sensum, & experientiam quæ nos docet, id indicant sacræ Litteræ, vt Deut. 22, 8. vbi præcipit Deus fieri tectum muri per circuitum; ad prohibendum videlicet casum desuper ambulantibus, vt docent sacri Interpretes. Et Christus Matthæi 24, 17. agens de abominatione desolationis, idem innuit hisce verbis: *Et qui in tecto, non descendat*, &c. super quæ breuè notauit Maldonatus, Iudæos Palæstinæ tectis uænare & ambulare consueuisse: ideoque monet, inquit, Christus, vt si quis forte, cùm futura calamitas ingruerit, super tectum fuerit, non descendat in inferiorem domum, &c. Et ob reuerentiam templi Domini, ne vel quis desuper ambularet, & aues ibi consistere possent, totum eius fastigium fuisse verubus aureis confitum arbitror, quemadmodum tradit Iosephus 6. de Bello cap. 6. dicens: *Desuper verubus aureis acutissimis vndique horrebat, ne ab insidentibus auibus pollueretur.*

Dauid in solario domus sue vidit Bethsabee.

Secundum notandum est, Dauidem fuisse *in solario domus sua*, cùm vidit Bethsabee, id est, *supra tectum*, vt habet lectio Hebr.

Tertium est, mulierem fuisse *ex aduerso se lauantem super solarium suum*, id est, *desuper tecto*, vt habet Hebr. Si ergo mulier se lauit in tecto domus suæ, quomodo se lauit in piscina ista, & in eadem à Dauide visa & concupita?

Bethsabee lauabat se in solario suo, quando à Dauide fuit concupita.

Nec admittendum quòd aliqui dixerunt, illam traditionem defendere volentes, solarij sui nomine intellexisse Scripturam solarium in quo erat Dauid & non Bethsabee; nam illius in proximè præcedentibus verbis mentionem fecit, sed solarium Bethsabee domus: conueniebat enim sacrum Scriptorem describere locum, vbi se lauabat mulier, post descriptionem illius, in quo deambulabat Dauid, quando illam aspexit & concupiuit.

Secundò, falsitas illius traditionis omnino deprehenderetur, si cum aliis diceremus, Bethsabee non se lauisse in solario, sed in priuato domus angulo, vel horto. Quippe nihil magis importunum balneo, quàm locus editus: cùm potiùs balnea vel in cryptis vel in imo domus loco collocari solerent; vel certè in hortis iuxta fontem, vt patet in Susannæ Historia. Et Dauid illam vidit è solario suo, vel per feneſtram domus in qua se lauabat, vt videtur indicasse Vatablus; vel desuper: quoniam inferiores domus vndique patent superiori prospectui. Fauet Iosephus dum scribit, Dauidem deambulantem in tecto domus regiæ prospexisse in vicinis ædibus mulierem frigida lauantem. Quare, &c.

Dan. 14.

Tertiò, quia domus Vriæ, vbi se lauit mulier, erat in monte Sion prope domum Dauid,

Domus Vriæ erat in monte Sion.

Digitized by Google

Dauid, quemadmodum communiter tenetur, ibiq; illam delineauit Adrichomius in Descriptione Ierusalem num. 11. & quodammodò Scriptura ipsa indicat; quæ dicit, eius solarium respicere ex aduerso domum regiam. Atpiscina ista est extra Ierusalem, quòmodo ergo potuit esse in illius pomœrio? Et ex hoc deduco, Adrichomium non esse recipiendum, si, cùm agit de fonte in quo se lauit Bethsabee, hanc piscinam intelligit; nec eidem aliisve asserentibus, Ierosolymis adhuc monstrari fontem in quo se lauit Bethsabee, quando Dauidem ad adulterium pellexit, fidem adhibemus, si in solario domus se lauit.

Adrichom. & alij reiiciuntur.

Quartò, quia post illud factum, probabile est credere, magnam hanc piscinam fuisse ædificatam à Salomone videlicet, vel posterioribus Regibus: nam priores, Saul vel Dauid, talia fecisse non legimus: sed de hoc alibi.

Quintò denique, hæc piscina non fuit alicuius particularis, sed communis in via publica, longa & spatiosa, qualis altera sit, si tamen piscina tunc dicebatur, & erat. Ideò rationi consentaneum non videtur, credere mulierem, non honestam modò & pudicam, sed ne impudicam quidem & meretricem in huiusmodi patenti piscina ciuitati proxima, vbi frequens est virorum concursus, lauasse sordes & immunditias suas.

Veritas nominis Piscina Bersabee.

Breuiter dicerem, locum hunc, piscinam appellari, quia formam & vsum piscinæ habet, vt videbimus; Bersabee verò, quòd proxima fuerit domui Bethsabee vxoris Dauid, & matris Salomonis; vel veriùs, quia secus ipsam est iter in ciuitatem Bersabee, Australem terminum Terræ promissionis: quomodo & porta ciuitatis proxima Ramæ appellatur, quia Ramam ducit, vnde Bersabee piscina, & non Bethsabee dicitur. & propter maximam horum nominum similitudinem, quod dicitur respectu Bersabee ciuitatis, creditum est referri ad Bethsabee vxorem Dauid. Sed de nomine Bethsabee lege Pinedam lib. 1. de Rebus Salomonis cap. 4.

Salomon non fuit nothus, sed legitimus.

Aduerte etiam, quòd quo tempore fuit Bethsabee concupita, & adultere cognita à Dauide, non effecta fuit mater Salomonis, cuius oppositum dixit Bonifacius, sed alterius filij, qui à Deo per mortem fuit sublatus; sed posteà fuit genitus Salomon, vt videre est 2. Reg. 14. Fortasse ita ille dixit, quoniam quidam Mamzerem eum appellarunt, id est, de scorto natum, vt explicatur Deut. 23, 2. spurium vel nothum, non ex legitimo matrimonio. D. Hieronymus in Tradit. Hebraicis in 2. Reg. scribit, Salomonem vocatum Amabilem siue Dilectum Domini, propter Dominum; quia eum diligere dignatus est propter suam misericordiam gratuitam: cùm vtique eius misericordia & dilectione indignus existeret, quem constabat Mamzerem esse. Et in Tradit. Hebraicis initio 2. Paralip. iterùm repetit paraphrasim hanc, in Salomonis persona coptexens: Feciſti cum patre meo misericordiam magnam, & constituisti me Regem pro eo, quia secundùm legem prohibitum erat, me, qui de alterius vxore genetatus sum, introire Ecclesiam Dei. Idem admittit Glossa interlinearis Rabani, & ex aliqua parte Hugo 2. Regum 12. super id, *Vocauit nomen eius, Amabilis Domino.*

Verùm Salomonem legitimum fuisse probatur; quia ex Dauide & eius legitima vxore genitus fuit: sacra enim Scriptura Bethsabee vxorem Dauidis, & non pellicem vocat, 2. Reg. 11, 27. & cap. 12, v. 9. & 24. & quòd de ea dicatur quòd *peperit ei filium*, id est Dauidi: quæ phrasis non nisi de sola vxore enuntiatur. & Matth. 1, 6. *Dauid genuit Salomonem ex ea quæ fuit Vriæ.*

Adulterij magna infamia.

Dicendum itaque, vere Salomonem legitimũ fuisse, nec oppositum dicere voluerunt D. Hieronymus & alij, qui ipsum Mamzerem appellarunt; sed tantùm fuisse genitum ex ea, quæ aliquando scortum & adultera fuit: tantum enim flagitium non adeò deletur, quòd si non vestigium, vt memoria non supersit. Et phrasis Scripturæ est, vt ex legitima genitus, quæ aliquando fuit fornicaria, filius fornicationis dicatur, vt patet Oseæ 1, 2. Ita in proposito, etsi Salomon ex legitima Dauidis vxore genitus fuerit, tamen quia antea pellex eius fuit, Salomon Mamzer appellatus est. Lege Pinedam vbi suprà cap. 5.

Piscina Bersabee quid.

Ad secundum accedens, in quo de huius piscinæ conditione agendum est; Dico, huius piscinæ sub isto nomine nullam me inuenire mentionem in Scriptura sacra, vel Iosepho: si enim fieret, esset 4. Reg. 18, 17. Isaiæ 7, 3. & 36, 2. & Nehemiæ 2, 14. & cap. 3, 15. vbi fit mentio piscinæ superioris, quæ ad Occidentem vrbis posita est, cum ex hac parte ista sita sit; nam silex est in Orientali, & Probatica in Aquilonari, vt de his agentes vidimus, quare aliquam ex istis esse dubitari non potest: sed nec illa est, quia non longè ab illa Bersabee videtur illa Fullonis & superior, siue Gihon; quæ & in præsenti tali gaudet appellatione, eique magis conueniunt quæ leguntur in Scriptura quàm huic: quare altera erit non nominata piscinæ nomine; sunt enim aliæ in Ierusalem & circa, & in aliis Terræ sanctæ

sanctæ partibus, quarum nullam fecit peculiarem mentionem Scriptura sacra, vel alius vetustus Scriptor, qui de rebus Palæstinæ egerit. Verè tamen piscina est: etenim si secundùm Hebræos piscina dicitur locus in quo magna aquarum copia colligitur & congregatur, vel ipsa aquarum copia, secundùm alios, & in ista aquæ congregentur & contineantur, & formam & similitudinem cum aliis piscinis habeat, meritò piscina appellatur. Fortè non fit specialis mentio illius, & Auctoris, quia ferè sic effecta fuit à natura, & ars illi non multùm addidit, vt videbimus.

Piscina quæ dicatur.

Dubij solutio.

Sed numquid sub aliis nominibus mentio illius inuenitur? Respondeo quòd sic, voraginis scilicet, & vallis profundæ; & illam esse crediderim, etsi non totam, cuius ex Brocardo meminit Adrichomius in vrbis Descriptione num. 177. nam & in situ, in quo eam cognoscimus, ipse delineauit. sic verò de ea scribit: *Vorago siue vallis profunda, quæ montem Sion ab Austro cingebat, & versus Aquilonem per totum Occidentale vrbis latus vsque ad portam Ephraim procedens, commodam ciuitati fossam faciebat.* Hæc ille. Dixi, non esse totam voraginem, sed partem, & eam dumtaxat, quæ ab Occidente cingit Sion. Pars quæ se ad Aquilonem ex Occidentali parte protendebat complanata, & terræ repletione factus est campus & vinea, & superior piscinæ murus, & planum per quod commodus est in ciuitatem ingressus. Ex altera similiter parte & extremitate Meridionali eleuatus est murus ex imo voraginis, & pars humo repleta, factum est planum per quod itur ad ciuitatem Bethlehem ex Ierusalem, reliqua voraginis parte se ad Orientem protendente, quæ in vallem Gehennon & Iosaphat terminatur, in suo esse relicta. Ex aliis latetibus, Occidentali videlicet & Orientali, demissis muris cingitur, ita vt vorago illa in rupe à natura efformata modico artis labore magna piscina effecta sit. Eius longitudo est passuum 240. latitudo 105. profunditas est palmorum 50. sed hæc non est vniformis. In superiori Aquilonari parte canales adhuc cernuntur, per quos aquas recipiebat. In posteriori verò Meridionali inferiùs est canalis alter, per quem & piscina purgatur, & aquas demittit in proximam vallem Gehennon. In præsentia ferè semper vacua aquis; & rarò modicas continet. De præmissis arbitror fuisse locutum Brocardum p. 1. cap. 7. §. 45. his verbis: *In illo loco, vbi duæ sunt voragines, à se inuicem separabantur: quarum vna contra Aquilonem, alia extendebat se contra Orientem; eratq; ibi testudo facta vltra voraginem, contra portam, per quam patebat exitus extra ciuitatem.* Hæc ille.

Formâ Piscina Bersabee.

In extremitate piscinæ, vbi est accessus ad viam Bethlehemiticam est fons eleuatus, qui in vas marmoreum aquas fundit, quibus abundè homines & iumenta recreantur. Sed vnde aquas recipit? Dico, nullo modo ex piscina Gihon proxima, vt quibusdam placuit; sensus enim, & omnes huius regionis incolæ refragantur; sed recipit ex diffisto fonte signato per canales longè & circumflexè vsque ad hunc locum & intra ciuitatem aquam deferentes. Et ex illis vnus, cùm ad hanc piscinam attingit, in duo diuiditur brachia: altero dimittit aquas in memoratum fontem, altero vlteriùs defert aquas, circumdans piscinam ab Occidentali, Aquilonari, & partim Orientali latere; & ex illo demittuntur per subterraneos canales aquæ in ciuitatem. Supra memoratum fontem sunt scripta Arabica, & similiter in opposita Aquilonari parte: supra ad Occidentalem partem sunt aliquæ cisternæ, & ædificiorum ruinæ.

Fons in via Bethlehem, & eius origo.

CAPVT LV.

De valle Raphaim siue Gigantum.

IN via Bethlehemitica occurrit celebris vallis Raphaim, cuius frequens mentio fit in sacris Litteris, D. Hieronymo, Eusebio, Iosepho, & aliis; de qua & nos in præsentia duo paucis explicabimus: primum, quidnam sit; secundum, quibus nominibus appelletur.

De primo. Adrichomius in vrbis Ierosolymitanæ Descriptione num. 244. describit vallem Raphidim ad Occidentem vrbis: quæ incipiens à Septemtrione versus Austrum longè lateque se extendit; & amplissima & potentissima cùm esset, optimi tritici, vini, olei ac frugum omnium olim fuit feracissima.

Valle Raphaim condita.

Quantum ad partem situs huius vallis, videtur recedendum ab Adrichomio, dicendo ipsam vna sui parte fuisse propè ipsi vrbi Ierosolymitanæ contiguam ad plagam Occidentalem. Eius initium erat in ipso confinio tribus Iudæ & Beniamin ad Occidentem montis Moriæ, vt ex Iosue colligitur; quæ inde versus Austrum in longum extensa Bethlehem vsque perueniebat, vt ex Iosepho docemur, quem adducit, & sequitur præter alios eruditissimus Salmeron. Ex quo fit, vt tota hæc vallis relinquatur in tribu Iuda, ex hac enim parte erat illius

Situs. Adrichom. reiicitur.

Ios. 15, 8. & c. 18. 16. Ioseph l. 7. Antiq. cap. 10. Salmeron To. 1. Prolegom. 4. tit. 3.

Digitized by Google

illius portio, vt clarè videre est in citato Iosue.

Hîc posset quis obiicere D. Hieronymum, siue Eusebium de locis Hebraicis, qui hanc cognoscit vallem in tribu Beniamin. Responderem ideò ita dixisse, vel quia tribus Beniamin & Iuda ita affines erant, vt ex extremitate partis vnius, alterius pars denominari potuerit; hoc enim insolitum non est: vel quia post diuisionem totius Israelitici Regni in duas & decem tribus sub Roboam, Salomonis filio, duæ tribus Iuda & Beniamin, ex eo quòd adhæserint domui Dauid, pro vna haberi potuerint, & communibus appellari nominibus: vnde quemadmodum Regnum duarum tribuum aliquando Regnum Iuda & Regnum Beniamin, vt alibi ostendi, ita partes eiusdem Regni possunt similibus nominibus appellari; etsi aliàs in sua prima sortitione, vna vni & altera pars alteri tribui fuerit tributa, & ista, vbi est hæc vallis, tribui Iudæ, vt dictum est.

D. Hieron. de locis Hebr. in voce Raphaim, explicatur.

Quod etiam idem Hieronymus vel Eusebius dixit, hanc vallem esse ad Septemtrionalem plagam Ierusalem, cùm tamen sit potiùs ad Occidentalem montis Sion, & vlterius versus Austrum Bethlehem vsque extendatur: ideò ita illum dixisse suspicari licet, quia Septemtrionem respiciebat. Et ex dictis refellitur Adrichomius, qui licet ponat hanc vallem ad Occidentem vrbis, tamen indicat incipere à Septemtrione, & pro maiori parte esse in tribu Beniamin; nisi velit aliquo modo secundùm nunc dicta se explicare. Et hæc de primo.

De secundo, dico hanc vallem multiplici nomine appellari ab Hieronymo & Eusebio adducto. Græcè, Κοιλὰς τῶν Τιτάνων, id est, *Vallis Gigantum*, seu *Allophylorum*, Hebr. *Emec Rephaim*. Septuaginta diuersimodè vertunt, *Vallem Raphaim*, *Vallem Gigantum*, *Vallem Titanum*. D. Hieronymus in nostra versione semper Raphaim vel Gigantum dixit. Eadem & vallis Cedron Iosepho ad Orientem vrbis. Sed hoc credo esse intelligendum respectu alicuius sui partis. De valle Cedron alibi dictum.

Valle nomina.

Sed quænam est ratio prioris & præcipui nominis? Dicerem duo: alterum clarum & certum, alterum non item, sed obscurum & dubium. Clarum & certum, quòd vallis Raphaim vel Gigantum appellatur à Raphaim Gigantibus. Dubium & obscurum, vnde & ex qua occasione id ei nomen inditum fuerit. Num ex eo quòd Dauid in ea contra Philisthæos, quibus erant aliqui permisti gigantes de genere Raphaim, dimicauerit, & diuino fretus auxilio, clade insigni affecerit, & in fugam coniecerit? Sed huic obstare potest, quod multò ante tempora Dauid, & ante ingressum filiorum Israël in Terram repromissionis illud nomen retinebat, vt patet in libro Iosue 15, 8. & c. 18, 16. tuncque fuisse in ea Gigantes retulerunt exploratores missi à Moyse ad explorandam Terram, Numeror. 13, 33, 34.

Dubij solutio.

1. Reg. 5, 19.

An ita nuncupabatur illa ratione, quòd in ea essent Gigantes antequam de illis Dauid illustrem retulerit triumphum, & posteà noua ratione, post illum comparatum, idem nomen firmius & illustrius retinuerit?

CAPVT V.

De turri sancti Simeonis senis, qui in templo Dominum in vlnas suas suscepit, quæ quinto loco occurrit in prima Peregrinatione.

PErtranseuntes piscinam Bersabee, de qua Capite III. & collem ascendentes pij fideles, prosequuntur iter versus Meridiem & Bethlehem, relicto ad læuam partem monte mali consilij, vbi primum consilium tractatum est de morte Domini; atque hîc primò se illis offert consideratione digna turris quædam, quæ turris & domus sancti Simeonis senis, illius cuius laus est in Euangelio, appellatur. Turris dicitur, quia ad modum turris constructa eleuatur; & domus, quia in ea sanctum Senem habitasse traditio harum partium est. Ampla satis & commoda est: & quamuis vetustate satis consumpta & demolita sit; tamen adhuc in ea sunt ad decem cubicula, & cisterna, in qua pluuiales aquæ colliguntur. Distat circa duo milliaria à Ierusalem, & à via Bethlehemitica vnum, ad eius dexteram partem. Præter alios Terræ sanctæ Scriptores, huius turris meminit Bonifacius lib. 2. de Perenni cultu Terræ sanctæ. & nunc dicta communi harum partium traditione firmantur.

Luc. 1, 15.

Conditio turris Simeonis, & nomenclatura eius.

Dictis suffragatur probabilis coniectura: ad cuius intellectum duo notanda præmitto. Alterum, Simeonem illum senem fuisse iustum & Sacerdotem. Fuisse iustum, docet Lucæ Euangelium cap. 2. fuisse verò Sacerdotem, rationibus & sanctorum Patrum auctoritatibus probat ibidem Cardinalis Toletus super cap. 2. Lucæ Annot. 40. & in Sacerdotis officio se exercebat, quando Christus à Virgine Deipara, completis diebus

Simeon iustus ac Sacerdos fuit.

Digitized by Google

bus purificationis ſuæ ſecundùm legem Moyſi, fuit in templo oblatus.

Duo boni Sacerdotis munera. Primum, orare pro populo.

Alterum notandum eſt, inter alia boni Sacerdotis munera duo eſſe præcipua; prius, Dominum pro vniuerſo populo, vel pro particularibus orare, hoſtiaſque offerre. Probatur, & in primis ex vulgata illa Oſeæ ſententia: *Peccata populi mei comedent.* In hoc loco (iuxta expoſitionem Alexandri Pontificis huius nominis I. Epiſtola 2. quæ refertur in Decreto 1.q.1. cap. *Ipſi Sacerdotes.*) dicuntur Sacerdotes populi peccata comedere, quia ſuis precibus veniam à Deo peccatoribus conſequuntur. *Peccata*, inquit, *populi comedent, quia precibus ſuis & orationibus ea delent, atque conſummant.* Quæ expoſitio ex aliis ſacræ Scripturæ locis comprobari poteſt, in quibus verbum *comedere* pro *conſumere* accipitur, vt in Pſalm. 78, 7. *Quia comederunt Iacob, & locum eius deſolauerunt.* & Iere. 10. v. 25. *Quia comederunt Iacob, & deuorauerunt eum, & conſumpſerunt illum.* Et inſuper in pluribus locis Scripturæ conceptis verbis indicatur id eſſe officium Sacerdotis, vt Leuit. & Num. vbi frequenter dicitur, *Orabit pro eo*, vel *pro ea Sacerdos.*

Secundum, ſtudere ac docere.

Poſterius Sacerdotis munus erat, ſcire quæ ad Dei cultum & legem pertinebant, vt poſſet docere populum, & hoc Sacerdotibus dicitur Leuit. 10, 10. *Vt habeatis ſcientiam diſcernendi inter ſanctum & profanum, inter pollutum & mundum; docea-tuq; filios Iſraël omnia legitima mea, quæ locutus eſt Dominus ad eos per manum Moyſi.* Idem Malach. 2, 7. Agg. 2, 11. & alibi. Hinc ignorantibus vel ſcire negligentibus comminatur Dominus Oſe. 4, 6. *Quia tu ſcientiam repuliſti, repellam te, ne ſacerdotio fungaris mihi.*

Loca opportuna Sacerdotibus præſcripta.

Quæ munera, vt diligenter, ſicut & cetera, obire poſſent, diuina prouidentia factum fuit, vt illis obuenerint vrbes non multùm remotæ ab Ieruſalem, vt videre eſt in ſuarum partium aſſignatione; quoniam in Ieruſalem templum conſtruendum erat, cuius ipſi futuri erant præcipui miniſtri; ac ideò non longè ab eo habitare debebant, vt ſemper eſſent ad ſeruiendum parati. Sicut & in ſingulis tribubus Iſraël ciuitates & partes acceperunt, vt omnibus opem ferrent, & doctrinæ pabulum ſuppeditarent. Inſuper & domos extra ciuitatem habebant, & vt, à tumultibus hominum ſegregati, à meditatione ſtudioque ſacrarum Litterarum minimè diſtraherentur: ſed non adeò remoti habitare debebant, vt præſtò eſſent indigentibus, & Deo in templo deſeruirent.

Igitur, vt ex his intentum colligamus, cùm ſenex Simeon fuerit Sacerdos & iuſtus, credendum eſt, vt diligenter poſſet muneri ſuo ſatis facere, habuiſſe quidem domum extra ſanctam Ciuitatem, ſed non longè ab ea diſſitam. Talis eſt de qua loquimur, & omnis antiquitas de ea teſtimonium perhibet, nec ratio vel auctoritas refragatur: quare id ipſum & nos piè credere poſſumus. Quæ domus, vt ſancti Senis, qui Dominum in vlnas ſuas excepit, eſſet perpetuum monumentum, à piis fidelibus aucta & exornata fuit, vt adhuc quæ tempus & vetuſtas reliquit, non obſcurè indicant.

Simeon non fuit cæcus.

Non erit ab inſtituto alienum, nec Lectori iniucundum, ſi aliqua dictis addamus de ſancto iſto Simeone. In primis ſanctus hic Senex non fuit cæcus antequam Ieſum in vlnas recepit, vt quidam dixerunt: quos meritò refellit Baronius Tom. 1. Annalium anno Chriſti 1. num. 30. ex Scriptura ſacra Leuit. 21, 18. vbi ſententiâ Domini declaratum eſt, ne cæcus in templo Domini Sacerdotis munere fungeretur. At tali tunc functum fuiſſe, inſinuat Lucas, & Patres ferè omnes agnoſcunt, & Eccleſia in ſacris imaginibus profitetur. Et non tantùm erat videns oculis corporis, ſed ſpiritus; erat enim Propheta, & inter Prophetas annumeratur ab Epiphanio, & videtur hoc indicare Lucas, illis verbis, *Et Spiritus ſanctus erat in eo.* vbi ſpiritus nomine, ſpiritum prophetiæ interpretantur Euthymius, Ianſenius cum aliis; in quibus loquitur de aduentu eius in templum Domini, quando Virgo Maria obtulit Filium ſuum, dicens, Simeonem veniſſe in ſpiritu in templum: & ipſemet verbis & factis tunc oſtendit.

Fuit Propheta.

Et, omiſſis quæ ab Euangeliſta traduntur, tamquam omnibus manifeſta, audiamus Timotheum Presbyterum Ieroſolymitanum Sermone de Propheta Simeone: *Cùm*, inquit, *Simeon eſſet in templo, vidit quidem multas matres cum ſuis filiis templum ingredientes, ad peragendum ſacrificium purificationis; in quarum medio erat quæ portabat venerandum fetum, & nullis ſordibus contaminatum. Iuſtus autem Simeon, huc & illuc oculos circumferens, poſtquam vidit multas matres in priuato habitu humanitatis, ſolam autem Virginem infinito & diuino lumine circumdatam, ſeparauit reliquas matres, clamans & dicens coram omnibus: Date mihi locum, vt teneam eum, qui deſideratur: vidi eum, qui me præuidit; vnde & meus germinauit ſpiritus. Cur quæ eſtis ancillæ, cum libera & domina concertatis? Cur infantes veſtros ara offertis? huc conuertimini, & eos offerte huc Puero, qui eſt antiquior*

Exultatio Simeonis vtrà Deiparâ cum Filio.

tiquior Abraham, &c. Hæc ille; & piè satis.

Iuxta confessum moriuntur.

De eius vita & obitu Epiphanius de Prophet. vit. & interit. cap. 24. hæc scribit: *Vita functus est Simeon: iste quidem pluribus annis obsitus, benè confectus; nec tamen à Sacerdotibus postremum honorem consecutus, humatus fuit.* Hæc ille. Cur autem id acciderit, nullam affert causam; sed ea putatur, inquit Baronius, quod palàm Christi aduentum annuntians, in se Sacerdotum ceterorum inuidiam & odium concitarit. Multa quidem alia traduntur de Simeone isto, quæ inter apocrypha à doctioribus reijciuntur. Quare hæc de eo & domo eius dicta sufficiant.

CAPVT VI.

De Terebintho arbore B. Mariæ Virginis, quæ sexto loco inuisitur in prima Peregrinatione.

Terebinthi B. Virginis Mariæ situs & celebritas.

ABsoluto ferè medio itinere Bethlehemiticæ viæ, tribus videlicet milliariis confectis, occurrit celebris quædam arbor, quæ ab omnibus huius regionis incolis appellatur Terebinthus B. Mariæ Virginis: est hæc arbor ad læuam viæ plantata, sola, parum inclinata, frondosa, sed infructuosa, non admodum alta, sufficientis tamen crassitiei, quam omnes in veneratione habent. Vt autem rationem nominis, & exhibiti honoris, & quæ memoranda de ea referantur, explicemus: sciendum est, quòd beatissima Dei Genitrix, transactis quadraginta diebus ab immaculato & integerrimo partu Christi Filij sui, & purgationis eius secundùm legem Moysi; etsi purificatione non indigeret, cælo & ipsis Angelicis spiritibus purior; æmula nihilominùs Filij sui, qui non obnoxius legi circumcisionis, tamen circumcidi voluit, puerperarum ceterarum legem, ad quam non tenebatur, implere voluit.

Ratio nominis Terebinthi.

Lex Moysi præcipiebat mulieribus (vt docent sacræ Litteræ) quæ suscepto semine puerum concepissent ac peperissent, abstinere se ab ingressu templi diebus quadraginta à partu: quibus transactis ad templum se conferrent in Ierusalem, cum paruulo, quem Deo offerre debebant, cum agno, si puerpera dives erat; sin verò pauper, offerebat par turturum, vel duos pullos columbarum, pro filio redimendo. Igitur sanctissima & immaculata Deipara, vt huic legi satisfaceret, transactis quadraginta diebus à partu Filij sui (quem non suscepto semine, sed superueniente in eam virtute Spiritus sancti, illibata eius remanente Virginitate concepit, & peperit, ac ideò legi non subiecta) accepit puerum Iesum in vlnas suas, sponso suo Ioseph comitata, tulit in Ierusalem, vt sisteret eum Domino, & cum pauperibus offerret par turturum, aut duos pullos columbarum, vt dicitur Luc. 2, 22.

B. Virgo Maria ex Bethlehem detulit Filium ad templum.

Sed vnde tunc venit B. Virgo Maria? Non vtique ex Nazareth, vt quidam arbitrati fuere; sed ex Bethlehem, vt docet sanctus Ambrosius cum aliis: & hæc est communis omnium traditio, cui ratio ipsa suffragatur.

Lex puerperarum.

Lex præcipiebat, vt mulier à pueri partu ab hominum consortio septem diebus separata maneret; & aliis triginta tribus immediatè sequentibus ab ingressu templi & tactu sacrorum diuisa: atque sic ab ingressu templi, post masculi partum se continebat diebus quadraginta; si verò femellam peperisset, duplicabantur dies, & octoginta è domo non egrediebatur.

Huius legis rationem, quoniam proposito nostro deseruit, adduco ex Iansenio cap. 10. Concord. Euang. *vt videlicet illis diebus reformaretur, & restauraretur corpus eneruatum ex partu.* Igitur si hac ratione puerperæ, diuina lege præcipiente, illis diebus templum non ingrediebantur, è domoque non discedebant, multò minùs eisdem se aliò transferre fuisset concessum. Et consequenter nec Virgini concessum ex Bethlehem, vbi peperit Filium, ire in ciuitatem Nazareth, vnde posteà Filium ad templum deferret, post paucos dies. Et sanè si iuisset, totum tempus in eundo & redeundo consumpsisset: præsertim quòd si ex Bethlehem discessisset, non discessisset nisi post aduentum Magorum; in Bethlehemitica enim spelunca Magi Christum adorauerunt, vt inferiùs Cap. VI. & VII. Peregrinat. II. ex D. Matthæo, Patribus, & communi traditione dicemus. Magi verò non venerunt nisi post tredecim dies ab ortu Saluatoris, vt tenet Ecclesia. Quare non est credendum, sanctam Virginem ex Bethlehem discessisse, & iuisse Nazareth, vt statim Ierosolymam rediret, quæ quatuor dierum itinere à Nazareth distat. Mansit ergo quadraginta illis diebus Bethlehem, vel semper in spelunca vbi Filium peperit, vel partim ibi, & partim fortasse in aliqua domo ciuitatis, in quam potuit se recipere post Magorum aduentum, ex qua Ierosolymam ad templum statuto tempore potuit proficisci.

Maria Virgo quadraginta diebus post partum Bethlehem mansit.

Aduerto tamen, rationem illam purificationis ex Iansenio adductam, non habere locum in beata Virgine; quia nullum corporis detrimentum in partu passa est:

Maria Virgo in partu debilitata non fuit, nec colore mutato.

fuit enim ſine grauedine grauida, & ſine dolore puerpera, vt dixit S. Bernardus. Et S. Birgittæ Bethlehem ad præſepe Domini commoranti reuelatum fuit, beatiſſimam Virginem in partu non fuiſſe immutatam colore vel infirmitate, nec virtutem in ea aliquam corporalem defeciſſe, vt in aliis parentibus deficere ſolet, &c. Tamen ex humilitate voluit per omnia ceteris parturientibus aſſimilari, vt Chriſtus per omnia nobis ſimilis apparuit.

Ex humilitate puerperarum legem ſeruauit.

Factum eſt ergo, vt tenella Virgo è Bethlehem egreſſa, & trium milliarum & ampliùs laborioſæ & ſaxoſæ viæ itinere confecto, cùm ad hanc arborem defeſſa peruenisſet, vt defatigatum corpuſculum recrearet, ſub ea cum puero Ieſu ſe receperit. Arbor verò velut rationis compos, ac ſi Dominum ſuum cognouiſſet, & quæ eum geſtabat Matrem, Filio & Matri quod poterat exhibens miniſterium, ſuper eos ramos expandit, ſe inclinauit, & à ſolis radiis defendit. In quorum memoriam arbor iſta perpetuò conſeruata fuit; quodque in tabulis lapideis non fuit exaratum, in cordibus fidelium fuit perpetuò conſeruatum. Et ex manſione Virginis cum Filio ſub ea, & illius obſequio, Terebinthus B. Mariæ Virginis ſemper fuit appellata.

Tria de Terebintho enuntiata.

Tria de iſta arbore aſſeruntur: alterum, quòd ſub ea quieuit B. Maria, quando ad templum deferebat Filium ſuum; alterum, quòd ſe ad eam inclinauit; & tertium denique, quòd illamet ſit quæ eo tempore id præſtitit obſequium: quæ quoniam apud veterem probatum Scriptorem non legi, ſed ex ſola recepta Orientalium traditione accepi, placet oſtendere aliquibus, quàm ſint pietati & rationi conſentanea.

Primum, quòd ſub ea Deipara cum Puero quieuit.

Et quantum ad primum, quòd ſub ea Deipara quieueruit cum magno puero Ieſu, non eſt miraculum, ſed rationi valdè conſonum, ex dictis. Bonifacius de hac arbore loquens lib. 2. de Perenni cultu Terræ ſanctæ, dictæ ſeſſionis meminit, dicens: *In eadem via*, qua ſcilicet ex Ieruſalem itur Bethlehem, *occurrit illa ingens arbor Terebinthus, ſub qua quieuit Virgo Maria, quando Chriſtum ad templum offerebat, vt eum ſiſteret Domino. Omnes nationes tranſeuntes ſignant ſe ſigno Crucis, & adorant Filium & Matrem, & oſculantes arborem, qua eos ramis & foliis operuit, & laſſis locum quietis dedit.* Hæc ille.

Adrichomius in Beniamin num. 115. eiuſdem arboris meminit, & non ſemel, ſed pluries Virginem ſub ea quieuiſſe: ſed hoc poſterius neſcio vnde acceperit, quoniam beata Virgo non continuò manſit Bethlehem, vel Ieroſolymis, nec potuit hoc iter frequentaſſe. ſic autem ait: *Terebinthus, medio milliario ab Ieruſalem, ſub qua quieſcere ſolebat beata Virgo, vt Auctor eſt Saligniac. Tom. 10. cap. 2. Nominatur & in Regnorum libris, terebinthus iuxta Bethel, 3. Reg. 13. vbi requieſcebat vir Dei, qui maledixerat Ieroboam ſacrificanti idolis.* Hæc Adrichomius.

Nota, non conuenire nobiſcum in ſitu illius: etſi enim milliare, quo in metiendo vtitur Adrichomius, ſit commenſurandum vnius horæ tempore, vt ipſe indicat initio Præfationis in ſuum Terræ ſanctæ Theatrum; adhuc magis diſtat à Ieruſalem, vt priùs indicauimus, niſi de altera terebintho loquatur, de qua, quæ diximus, in iſtis partibus non enuntiantur, nec alia eſt in via iſta.

Recipitur Adrichomij ſententia.

Secundum, illi miraculoſè inclinauit.

Quantum ad ſecundum, quòd hæc Terebinthus miraculosè ſe inclinauerit ſuper Virginem & Filium, non dixerunt citati Auctores. Vtrique tamen dicto, vetus recepta traditio teſtimonium perhibet, cui multum tribuendum eſt, eidem præſertim auctoritate & firma ratione non obſtante; & quòd ſimile aliàs ſacræ illi ſocietati accidiſſe, apud probatos Scriptores legimus.

Sozomenus Hiſt. lib. 5. cap. 21. & Nicephorus ex ipſo, præter alios, lib. 10. cap. 13. ſcribunt, quòd cùm beata Virgo cum Filio ſuo & Ioſeph ſponſo pergeret in Ægyptum, Deus fecerit arborem quamdam maximam in illius gratiam incuruari, & vſque ad ſolum deflecti, cùm Chriſtus cum Virgine appropinquaſſet portæ ciuitatis, quæ dicitur Hermopolis, quemadmodum Deo fauente Lib. VIII. Peregrin. 1. clariùs dicemus. Ita fieri potuit, vt hæc Terebinthus ſe inclinarit Sanctis illis ex Bethlehem pergentibus Ieruſalem, in ſignum reuerentiæ, & diuinæ protectionis.

Æmulorum legis peculiarem curam habet Deus.

Accedit & probabilis coniectura. Conuenit Deum omnium quidem curam habere, ſed illorum præſertim, qui ſuæ legis & voluntatis ſtudioſi ac obſeruantes comprobantur: quod non ſemel miraculis oſtendit. Exod. 13. legimus Deum olim populum ſuum ipſius mandato de Ægypto egreſſum, vt per Arabiæ deſerta iret ad terram Patribus repromiſſam, quadraginta annorum curriculo, in iiſdem deſertis columnâ nubis in die protexiſſe, ne caloris ardore conſumeretur; & columna ignis præceſſiſſe, & viam monſtraſſe in nocte, ne offenderet. Et Ionas diuinus Vates poſtquam Niniuitis prædicaſſet, ſicut præceperat ei Dominus, feciſſetque ſibi vmbraculum, & ſederet ſubter illud in vmbra, *præparauit Dominus Deus hederam*, ait Scriptura diuina, Ion. 4. 6.

uina, *& ascendit super caput Ionæ, vt esset vmbra super caput eius, & protegeret eum, laborauerat enim.* Ita congruum fuit, vt sacratissimæ Deiparæ & Filio eius, diuini mandati zelatoribus, pro illiusque obseruantia defatigatis, prouidus Æternus Pater illud in labore impertiretur solatium, vt illius arboris obsequio à solis radiis obumbrarentur & consolarentur.

Et ad hanc arborem mihi in spirituali sensu aptari posse videntur, quæ de se dicit Æterna Sapientia in libro Ecclesiastici: *Ego quasi terebinthus extendi ramos meos, & rami mei honoris & gratiæ.* Et quid his verbis indicare voluit Æterna Sapientia? An ipsam habere velut terebinthus ramos materiales, quos extendat? Absit hæc de purissimo & increato spiritu excogitare. Crediderim dicere voluisse: Ego Dominus omnium rerum Moderator & Custos; sed illorum præsertim, qui in lege mea meditantur die ac nocte. Feci vt Terebinthus quædam, quæ est in via Bethlehemitica, extenderet ramos suos super me humana carne vestitum, & super Matrem meam, quæ me tali carne vestiuit, itinere defatigatam vmbra sua recrearet, essentque rami eius honoris & gratiæ: honoris, dum super eos se extenderunt, illis tamquam Dominis se inclinantes; gratiæ verò, dum vmbra sua lassis opem tulerunt, pergentibus Ierosolymam pro diuinæ legis obseruantia.

Eccli. 24. 22.

Tertium, præsens Terebinthus eadem est quæ antiquitus.

Quantum ad tertium, quæ nunc extat Terebinthus, eamdem esse quæ obsequium illud Deiparę & Filiō eius præstiterit, & non aliam eius loco plantatam, vt vetus habet traditio, tamquam valdè probabile ratio & exemplum persuadet, secluso miraculo. Ratio, quia vt in libro Iob cap. 14, 7. legitur: *Lignum habet spem: si præcisum fuerit, rursum virescit, & rami eius pullulant. Si senuerit in terra radix eius, & in puluere emortuus fuerit truncus eius, ad odorem aquæ germinabit, & faciet comam, quasi cùm primùm plantatum est.* Et simile huic accidisse arbori, ratione & auctoritate non refraganti, possumus credere: continuò, inquam, viruisse; & vel præcisa, vel antiquitate consumpta cùm esset, ad odorem aquæ radicem eius reuixisse, & truncum & ramos iterùm, vt nunc habet, emisisse.

Terebinthus alia apud Hebron.

Exemplum habemus in alia terebintho, quæ est apud Hebron, de qua scribunt Iosephus & D. Hieronymus, à principio orbis conditi vsque ad sua tempora perduraſſe, & vsque ad nostra creditur perdurare, de qua inferius Cap. VII. VIII. Peregrinat. Ad

Ficus Romulea.

idem spectat quod de ficu Romulea arbore fragiliori terebintho, quæ vsque ad tertium Imperij Neronis annum perdurauit, tradit Tacitus hisce verbis: *Eodem anno*, tertij videlicet Neronis imperij, *ruminalem arborem in comitio, quæ per octingentos & quadraginta antè annos Remi Romulique infantiam texerat, mortuis ramalibus, arescente trunco diminutam, prodigij loco habitum est, donec in nouos fetus reuiuiſceret.* Hæc Tacitus. Et ficum alteram, ad quam Iudas proditor laqueo se suspendit, plurimùm perduraſſe, ad nostra videlicet ferè tempora, notauimus Lib. IV. Cap. XVII. Pereg. VII. Alia ad idem possent adduci exempla; sed dicta sufficiant, vt probabiliter credamus hanc esse veterem Terebinthum, quæ Mariæ Virgini & Filio eius debitū exhibuit honorem.

Annal. lib. 13. in fine.

Denique dictis non modicam facit fidem honor & reuerentia, quam ad hanc arborem habent fideles & infideles. Fideles quippe, qui tanti eam præ ceteris huius regionis arboribus faciunt, quòd ad eam peruenientes, vel ex Ierusalem eundo Bethlehem, vel ex Bethlehem Ierusalem redeundo, proni signo crucis se munientes, Dei Filium cum Deipara venerentur & adorent, eorum ibi protectionem postulantes, quoniam sub ea quieuisse credunt, & super eos eamdem se inclinasse, vt adhuc inclinata manet. Et qui modicam eius partē habere possunt, auro pretiosiorem æstimant, vt sacras reliquias conseruant, & cruces vel coronas conficiunt. Et nisi sacri montis Sion Præsules prudenter excommunicationis sententiam posuissent contra illam absque eorum licentia præscindentes, iam à fidelibus fuisset vsque ad radices præcisa, & nulla ipsius in præsentia extaret memoria.

Terebinthus hæc ab omnibus æstimantur.

Infideles etiam ipsi, non schismatici, & hæretici Orientales modò, sed ipsimet Mauri hanc arborem vt rem sacram, vt olim habuerunt, ita in præsentia veneration habent, eò quòd aliquod circa ipsam prodigium viderint. Referam quod accidit cuidam Mauro paucis abhinc annis, vt ipse plures retulit. Pascebat iste gregem nocte quadam non longè ab ista Terebintho, & ecce ex ea vidit magnum ignem in cælum ascendere. Admiratione plenus, vt alter Moyses ad videndum visionem magnam accessit: quò cùm peruenisset, illæsam & incombustam Terebinthum inuenit. Hinc factum est, quòd licet circa ipsam aliæ non sint plantæ, & non nisi fructiferæ ab ea dissitæ sunt, vt ficus & oleæ, ipsa nihilominùs infructuosa illæsa in via remaneat. Et aliquando ipsi Mauri fratres sub ea orantes lapidibus abegerunt, arbitrati eos velle illius ramos præscindere: & rami & frustula non nisi nocte ab ea præscinduntur. Et hæc omnia veritati consentanea sunt, & pietatem demonstrant.

Visio Mauro facta.

CAPVT VII.

De ciſterna trium Regum, quæ ſeptimo inuiſitur loco in prima Peregrinatione.

PEracto duorum milliarium itinere ab arbore Terebinthi Bethlehem verſus procedendo, occurrit in viæ medio ciſterna quædam, quæ communiter ab huius regionis incolis & peregrinis Ciſterna trium Regum vel Magorum & Stellæ appellatur. Hæc ampla ſatis & pulchra, fere ſemper aquas continens, quibus homines & iumenta recreantur.

Ciſterna Regum ſitus, conditio, & nomini ratio.

Sed vnde illam denominationem obtinuit? Reſpondeo, ex eo quòd ſtella, quæ Sapientes Orientales Reges duxit ad Bethlehem, quæ priùs in via Ieruſalem, &, vt creditur, non longè ab ea ſe illis ſubtraxerat, poſteà in via iſta Bethlehemitica, in loco vbi nunc cernitur commemorata ciſterna, iterùm eiſdem illuxit. Hoc cum communi traditione docet etiam Bonifacius lib. 2. de Perenni cultu Terræ ſanctæ. Et eo intuitu illac tranſeuntes fideles proni Deum venerantur, aduocantes Magos illos beatos, vt preces ad Deum fundant, qui eos illuminet, & ad ipſorum ducat prudentiam.

Vt explicemus propoſita pietati & rationi conſona eſſe, notanda ſunt quæ ſanctus Matthæus ſcribit de aduentu trium Magorum ex Oriente in Bethlehem ad Matth. 2, 1. Chriſtum adorandum. *Cùm*, inquit, *natus eſſet Ieſus in Bethlehem Iuda in diebus Herodis Regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Ieroſolymam, dicentes: Vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum? vidimus enim ſtellam eius in Oriente, & venimus adorare eum. Audiens autem Herodes Rex, turbatus eſt, & omnis Ieroſolyma cum illo. Et congregans omnes Principes Sacerdotum, & Scribas populi, ſciſcitabatur ab eis vbi Chriſtus naſceretur. At illi dixerunt ei: In Bethlehem Iudæ: ſic enim ſcriptum eſt per Prophetam: Et tu Bethlehem terra Iuda, nequaquam minima es in Principibus Iuda: ex te enim exiet Dux, qui regat populum meum Iſraël. Tunc Herodes clàm vocatus Magis diligenter didicit ab eis tempus ſtellæ, quæ apparuit eis: & mittens illos in Bethlehem, dixit: Ite, & interrogate diligenter de puero: & cùm inueneritis, renuntiate mihi, vt & ego veniens adorem eum. Qui cùm audiſſent Regem, abierunt. & ecce ſtella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos, vſquedum veniens ſtaret ſupra, vbi erat puer. Videntes autem ſtellam gauiſi ſunt gaudio magno valdè.* Hucuſque S. Matthæus.

In his Euangeliſtæ verbis duo ſunt obſeruanda: alterum, Magis in Ieruſalem exiſtentibus ſtellam non apparuiſſe: alterum, eamdem eiſdem illuxiſſiſſe poſt arreptum iter verſus Bethlehem. Et vtrumque indicant illa verba: *Qui cùm audiſſent Regem, abierunt. Et ecce ſtella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos.* & illorum ingens gaudium, quòd eos apprehendit poſt diſceſſum ex ſancta Ciuitate in via Bethlehemica, antequam ad locum nati Regis peruenirent; quod non tacuit Matthæus. Et diuina hoc fuit diſpenſatione factum, vt & abſconſione ſtellæ Magi Ieroſolymis firmiore Prophetico ſermone inſtruerentur, eorum fides & conſtantia probaretur, eaque probata, iterùm cæleſti duce conſolarentur; vt poſſent cum gaudio reliquum itineris perficere, & experiri Deum facere cum tentatione prouentum, vt poſſimus ſuſtinere. Debuerunt etiam, antequam ad Bethlehem peruenirent, à cæleſti ſidere duci ad locum determinatum Natiuitatis Domini, ne Bethlehem ingreſſi, & quæſito loco nati Regis, & inuento, malignus aliquis illum Herodi proderet.

Stella quando Magis illuxit in via Bethlehemica.

His tamquam indubitatis præmiſſis, inueſtigandum eſt modò, an ſtella ſplenduerit Magis, ſtatim ac egreſſi fuerunt à ſancta Ciuitate, an potiùs poſt peractum aliquod Bethlehemiticæ viæ iter? Et videtur quod non ſtatim ac egreſſi fuerunt; tum vt magis eluceret illorum fides, eos ire Bethlehem propter Prophetæ Vaticinium, & non tantùm propter lucentem ſtellam ducentem: tum quia, ſi ſtella ſtatim apparuiſſet, potuiſſet ab Herode & tota Ieroſolyma cognoſci; quia ſplendore ſuo ſolem ipſum ſuperabat, Eccleſia de ea dicente:

Quem ſtella, quæ ſolis rotam
Vincit decore ac lumine.

Et certiores effecti eorum quæ audierunt à Magis, eos præueniſſent, non ad adorandum, ſed ad perdendum Puerum ante tempus; vt ſubſecuta Innocentium puerorum mors manifeſtè indicat. Nec debuit illius apparitio vſque ad finem itineris differri, ne à cæleſti comite & duce prorſus deſeri viderentur. Igitur pietati & rationi conſonum videtur dicere, ſtellam Magis apparuiſſe peracto vnius circiter horæ itinere viæ huius Bethlehemicæ, & in loco memorato ciſternæ, quemadmodum ſemper docuit pia antiquitas, & non priùs & alibi ante locum iſtum.

A Scriptura, creatura & Creatore Magi ad Chriſtum ducti fuere.

Hinc itaque Magi & Scriptura, & Stella, & vtriuſque auctore Deo ducente, cum ingenti gaudio ad locum vſque vbi erat Puer peruenerunt. Optimè itaque dixit Iſidorus Peluſiota lib. 1. Epiſt. 378. *Hoc quod in diuino Libro de ſtella habetur; Veniens, ſtetit ſupra*

ſupra vbi erat puer; perſpicuè tibi oſtendet, ſtellam illam, qua lætum diuini partus nuntium afferebat, iter illud quod aſtris conſuetum atque vſitatum eſt, non tenuiſſe. Neque enim altitudinis diſtantia id afferebat, vt facilè inueniri poſſet, quod quærebatur: verùm nouus atque inuſitatus curſus, tum antrum illud, tum Dominiferum ac venerandum Præſepe, quod in eo ſitum erat, tamquam digito demonſtrabat. Hæc ille. Ex his manifeſtè apparet, quàm rationabiliter credamus cum communi traditione, ſtellam eo loco primò Magis apparuiſſe poſt ipſorum è Ieruſalem diſceſſum; ac proinde illo intuitu fideles locum illum venerari.

CAPVT VIII.

De loco & monaſterio ſancti Eliæ Prophetæ, quod octauo ſe offert in prima Peregrinatione.

Elia effigies vpi impreſſa.

NOn longè à ciſterna trium Regum, in medio viæ Bethlehem, eſt obuius locus parum montoſus memorandaque rupes; in qua quieſcentis hominis effigies velut in molli cera impreſſa cernitur, quam eſſe ſancti Eliæ Prophetæ, autumant huius regionis incolæ. Inquiunt enim hunc ſanctum Propheram hac tranſeuntem inibi dormiuiſſe, & ſui corporis effigiem in ea miraculosè impreſſam reliquiſſe. Et hac ratione iſte locus *ſanctus Elias* nominatur. Cùm primò locum hunc vidi, eleganter expreſſam quieſcentis hominis figuram referebat; ſed, pietate neſcio, an impietate, ob particulas ex ea à Chriſticolis abraſas, poſteà eamdem ferè demolitam iterùm intuitus ſum.

Elia monaſterium quare ſic dictum.

Non longè à via ad læuam partem, è regione huius rupis, eſt non ignobile monaſterium & templum Græcorum nomine ſancti Eliæ nuncupatum. Quare verò ſic appellatum ſit, non omnium eadem eſt ſententia.

Falſa ſententia reijciuntur.

Quidam dixerunt, monaſterium & templum nominatum fuiſſe *ſanctum Eliam*; quoniam eo loco natus fuit ſanctus Propheta. Sed toto cælo aberrant iſti; quoniam locus vbi eſt hoc monaſterium & templum, pertinet ad tribum Iuda, ſicut & proxima ciuitas Bethlehem in Ephrata: Elias verò Propheta natus eſt in ciuitate Thesba ſiue Thesbe regionis Galaad, quæ pertinet ad tribum Gad, vnde Elias Thesbites appellatus eſt 3. Reg. 17, 1. & docent Ioſephus lib. 8. Antiquit. cap. 33. & D. Hieronymus de locis Hebraicis.

Alij non minùs ineptè dixerunt, & ſcriptis conſignarunt, locum illum dici, *ſanctum Eliam*; quoniam ibi erat in deſerto ſub iunipero, quando fugiens Iezabelis perſecutionem, ab Angelo pane & aqua paſtus fuit, vt dicitur 3. Reg. 19, 3. Hoc, inquam, ineptè dictum eſt, quia locus vbi ſub iunipero quieuit ſanctus Propheta, diſtat vnius diei itinere à Berſabee Auſtrali termino Terræ ſanctæ, in tribu Simeon, vt in Terræ ſanctæ deſcriptione videre eſt. At multo amplius diſtat à Berſabee locus vbi eſt templum S. Eliæ in tribu Iuda, vt clariſſimum eſt. *Adrichomius in Simeon num. 52.*

Affirmarunt alij, hunc locum dici *ſanctum Eliam*; quoniam in eo erat Propheta Domini, cum è terra in cælum fuit igneo curru tranſlatus. Sed iis Scriptura ſacra manifeſtè refragatur, quæ 4. Reg. 2, 6. docet, Eliam poſtquam è Iericho miſſet ad Iordanem, huncque ſiccis pedibus cum diſcipulo ſuo Eliſeo pertranſiſſet, fuiſſe in cælum tranſlatum. Et locus tranſlationis pertinet ad tribum Ruben, vt in huius tribus explicatione docet Adrichomius num. 53. Quomodo ergo ex loco iſto tribus Iudæ, ab illo diſſito circa 25. vel 30. milliaria, poſſit Elias in cælum deferri?

Probabilior nominis ratio.

Quid ergo dicendum? An dicitur Eccleſia ſancti Eliæ à rupe proximâ, in qua ſanctus Vates ſui corporis reliquit impreſſam effigiem, ſi illi traditioni fidem placet adhibere? Et non ædificata vbi rupes eſt, quia locus non opportunus, & eſt in medio viæ Bethlehemiticæ. An, ſi quis tulit fidem illi miraculo præſtare, quia non videtur neceſſitas vel ratio illud confitendi, ſed nec illud negandi; nam ſimilia alibi facta ex Hiſtoriis alibi notamus: an, inquam, eo nomine fuit inſignita, quia aliquando hac tranſiuit ſanctus Elias? vel denique, quod vero ſimilius arbitror, quoniam à piis fidelibus, ob ſingularem erga illum Prophetam pietatem ac deuotionem, Eccleſia illa fuit eius nomini dicata; etſi peculiare aliquod myſterium non fuerit ibi à Propheta operatum? Nam ob ſolam hanc rationem, nouimus in pluribus mundi partibus varias fuiſſe conſtructas Eccleſias in honorem ſanctæ Mariæ Virginis, ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & aliorum Sanctorum. Qui ſcripſerunt de Locis ſanctis, pauci, quod ſciam, illius rupis & Eccleſiæ mentionem fecerunt. Bonifacius lib. 2. de Perenni cultu Terræ ſanctæ, agens de hac via Bethlehemitica, ſequentia ſcripſit, ſecutus harum partium traditionem: *Ad lauam eſt Eccleſia ſancti Eliæ, & forma corporis eius lapidi impreſſa, nobis cernentibus monſtratur non longè ab ea.*

CAPVT IX.

De loco translationis Habacuc Prophetæ ex Iudea in Babyloniam, qui nono se offert in prima Peregrinatione.

NOn longè à rupe S. Eliæ, de qua Capite præcedenti, ad eius dexteram partem in colle siue monticulo parum à via dissito, est quædam Ecclesia satis vetustate demolita; in qua tamen aliquæ cernuntur picturæ, etsi ferè consumptæ.

Ecclesia Habacuc Prophetæ & nominis ratio.

Ab huius regionis incolis appellatur communiter, *Ecclesia & locus Habacuc Prophetæ*: quoniam ex isto loco creditur, veteri traditione docente, sanctum Habacuc, cum prandio quod messoribus ferebat, fuisse ab Angelo Domini cincinno capitis sui delatum in Babylonem, ad pascendum Danielem existentem in lacu leonum, & ex Babylone ad hunc eumdem locum restitutum, vt dicitur Dan. 14,32. in cuius miraculi memoriam fuit à pia antiquitate Ecclesia ista ædificata.

Quæstiones duæ de persona Habacuc, & loco translationis.

Pro clariori huius facti intelligentia, & maiori elucidatione eorum quæ de isto loco asseruntur, duæ sunt proponendæ & explicandæ difficultates: altera quæ personam Habacuc, altera quæ locum respicit ipsius translationis in Babylonem.

Prior est, num is Habacuc, de quo loquimur, sit ille, qui in numero duodecim minorum Prophetarum numeratur, & in ordine est octauus, an potiùs alius simili vocabulo & dignitate insignitus?

Prima, num fuerit vnus ex duodecim Prophetis.

Posterior, num ex suburbiis Ierusalem, locóve eidem proximo, alióve Palæstinæ, an ex isto, de quo loquimur, Bethlehem proximiori fuerit translatus sanctus Propheta?

In Scriptura plures eiusdem nominis Prophetæ.

Ratio prioris difficultatis est; quia Genebrardus in sua Chronographia, & alij affirmant fuisse duos Prophetas huius nominis: quin illi qui dicunt, illum qui prandium detulit Danieli non esse illum qui inter duodecim minores Prophetas numeratur, necessarium esse, duos Habacuc Prophetas ponere, asseuerant. Nec id dicere est inconueniens: nam & duo Abdiæ Prophetæ fuerunt; ita Ribera in Minores Prophetas ostendit Prælud. 2. num. 9. & inde, duo Michææ, alter filius Iemla, de quo 3. Regum cap. vlt. num. 8. alter qui est vnus de duodecim, & vterque Propheta, imò & tertius Michæas, de quo 2. Paralip. 17,7. quem Eusebius Prophetam appellauit: ita duplicem ponit Habacuc Prophetam; alter est cuius fit mentio apud Danielem capite 14. alter qui inter duodecim Prophetas octauus est.

Duas in proposita difficultate inuenio Doctorum sententias: prior asserit, Habacuc Prophetam, qui prandium detulit Danieli, cuius fit mentio apud ipsum Danielem, alium non esse ab illo qui in numero duodecim Prophetarum inuenitur octauus. Nititur hæc sententia auctoritate Dorothei in Synopsi, Epiphanij in libro de Vita & interitu Prophetarum, D. Hieronymi in Prologo Commentariorum huius Prophetæ.

Sententia duæ. Prima affirmat, secunda negat.

Posterior sententia affirmat, Habacuc, qui prandium detulit Danieli, esse alterum ab illo qui ponitur inter duodecim Prophetas. Hanc sequuntur ex recentioribus, Ribera in hunc Prophetam, Torniellus Tomo 2. suorum Annalium anno mundi 3351. num. 1. & alij: quam & nos altera probabiliorem existimamus.

Negans sententia probatur.

Nititur hæc sententia præcipuè in temporum computatione. Pro cuius declaratione & confirmatione duo sunt obseruanda: alterum, Habacuc vnum ex duodecim prophetasse ante captiuitatem duarum tribuum per Chaldæos sub Manasse Rege filio Ezechiæ, qui fuit ante Amon & Iosiam, anno circiter decimo quarto regni eius, vt arbitratur Torniellus vbi suprà. Ec docent Hebræi in libro Sederholam, Epiphanius in libro de Vita & interitu Prophetarum. Auctor Chronologiæ maioris Hebræorum cap. 20. ait, prædictum Habacuc prophetasse temporibus Regis Manasse; sed illius nomen initio suæ Prophetiæ subticuisse, quia erat improbus valdè. Quibus verbis videtur indicare, inquit Torniellus, quòd Habacuc prophetauerit antequam Manasses Rex captiuus duceretur in Babyloniam, conuersusque esset ad Dominum: & satis Probabile videtur, quòd paulò ante captiuitatem dicti Regis Habacuc ediderit suam Prophetiam; alioqui si peruenisset ad aures Regis, facilè cum aliis Prophetis hunc quoque Manasses interfici curasset.

Habacuc vnus ex duodecim quo tempore prophetauit.

Huic opinioni valdè arrident verba illa ipsius Habacuc cap. 1,4. *Lacerata est lex, & non pernenit vsque ad finem iudicium: quia impius* (subaudi Manasses) *praualet aduersus iustum*, (hoc est iustos, vsurpatur enim singulare pro plurali) *propterea egreditur iudicium peruersum*, &c. Hanc sententiam plurimi sequuntur; etsi alij oppositum sentiant, prophetasse videlicet hunc Habacuc post captiuitatem duarum tribuum, & antequam inciperet regnare Nabuchodonosor, sub quo fuit Daniel in leonum lacum coniectus: verùm illud probabilius, & verbis Domini conformius videtur, per hunc Prophetam dicentis eodem cap. vers. 6. & 7.

& 7. *Quia ecce ego ſuſcitabo*, inquit Dominus, *Chaldæos, gentem amaram & velocem, ambulantem ſuper latitudinem terræ, vt poſſideat tabernacula non ſua. Horribilis & terribilis eſt: ex ſemetipſa iudicium, & onus eius egrdietur*, &c. His verbis prædicit futuram Nabuchodonoſor & Chaldæorum potentiam: qui Aſſyrios omnium potentiſſimos debellaturi erant, & alias multas nationes, & denique Iudæos, & Ieruſalem. Quæ verba, ſi prolata intelligantur poſt captiuitatem duarum tribuum, non videntur benè cohærere: etenim prædicit euentum, & quod faciendum erat, vt patet: ac præterea ſi futurum pro præterito eſſet intelligendum, Habacuc hiſtoricus potiùs dicendus eſſet, cuius munus eſt, præterita, præſentia & manifeſta narrare, quàm Propheta, ad quem præcipuè ſpectat, occulta & futura indicare.

Obiectio. Si dicatur (& eſt obiectio D. Hieronymi) Prophetat Habacuc aduerſus Imperium Chaldæorum, in conſolationem duarum tribuum, cap. 2. igitur iam captiuæ erant, & mœrore confectæ; cùm vt conſolarentur, *Solutio.* taliter prophetauerit? Geterùm hoc non impedit: potuit namque ante captiuitatem vtrumque prædicere, & tribulationem, propter eorum futuram captiuitatem, & conſolationem, ne deſperarent inimicorum punitionem, & ipſorum liberationem; illud priùs, hoc poſteriùs exequendum. Sicut Nahum Propheta prædixit aduentum Sennacherib in Iudæam, & vt conſolaretur duas tribus, prænuntiauit eius reditum in patriam ſuam, eumque in domo Dei ſui fore interficiendum. Et optima ratione vtrumque copulauit Propheta, captiuitatem ſcilicet, & liberationem; vt videntes Iudæi prius adimpletum, certò crederent poſterius exequendum, quod in magnum ipſorum ſolatium cedebat. Quòd ſi D. Hieronymus videtur aliter dicere, id fuit, quia duorum Habacuc diſtinctionem non poſuit: vel opinando, an non ſuam, ſed aliorum ſecutus eſt ſententiam, quod non ſemel facere conſueuit?

Quomodo Propheta in ſuis dictis ſibi fidem conciliat.

Habacuc qui prandium detulit Danieli, vixit tempore Cyri.

Alterum adnotandum eſt, quòd Habacuc, qui fuit Danieli contemporaneus, eique iuſſu Domini in Babylonem prandium detulit, vixit regnante Cyro apud Babylonios; illa enim Hiſtoria Danielis tunc temporis contigit, vt patet ex capite 13. verſ. vltimo eiuſdem Danielis. Inter Manaſſem verò & Ezechiam, ſub quibus diximus prophetaſſe Habacuc qui fuit vnus ex duodecim, & Cyrum, ſub quo fuit alter Habacuc qui prandium detulit Danieli, interceſſerunt anni ferè centum quinquaginta, ſecundùm computationem Tornielli vbi ſuprà num. 2. Quando verò incepit prophetare, debuit eſſe perfectæ ætatis; & probabiliter triginta annorum: in tali enim communiter dabatur à Deo ſpiritus prophetandi, vt videre eſt apud D. Gregorium Hom. 2. in Ezech. in tali tempore factum eſt verbum Domini ſuper Ioannem Præcurſorem Domini, & ipſe Dominus Ieſus verbum Domini hominibus propoſuit; vt ſacræ Litteræ docent.

Prophetiæ ſpiritus communiter anno 30. vita dabatur.

Luc. 3. 23.

Igitur ad intentum accedentes, ſi Habacuc, qui prandium, quod portabat meſſoribus, detulit Danieli; eſt ille qui inter duodecim numeratur, tunc excedebat centeſimum octogeſimum annum ad minus; at tunc temporis non tantum viuebant homines, tot præſertim calamitatibus oppreſſi. Et ſi ad illud vſque tempus peruenisſet, non eſt ex altera parte veriſimile, hominem decrepitæ ætatis, cui alij ſeruire debebant, ipſum aliis famulatum exhibuiſſe, coxiſſe pulmentum, panes intriuiſſe in alueolo, & propriis humeris prandium detuliſſe meſſoribus. Quare Habacuc, qui prandium Danieli detulit, alterum fuiſſe ab illo qui inter duodecim Prophetas numeratur octauus, probabile eſt credere. Et quemadmodum ille priùs prædixit captiuitatem duarum tribuum, & earumdem liberationem: ita iſte poſt captiuitatem Danieli Babylone in lacu leonum exiſtenti, ex Iudæa iam per Chaldæos vaſtata prandium detulit. Et hic ab alio alter creditus non fuit; quoniam propter illius Prophetiam in ſacro Canone deſcriptam; illius etiam apud Scriptores mentio fit, & propter temporis inter vtrumque vicinitatem; etſi verè credatur à pluribus, duos fuiſſe viros Habacuc, & Prophetæ nomine & ſpiritu inſignitos: & ille, cuius memoria in commemorata Eccleſia conſeruatur, non eſt vnus ex duodecim Prophetis minoribus, ſed ille qui Danieli prandium portauit; & cuius apud eumdem Danielem cap. 14. verſ. 25. mentio fit. Et hæc de priori difficultate ſufficiant, quam fuſiùs explicatam habes apud Riberam Prælud. 2. n. 15. & in expoſitione Habacuc, qui eſt inter minores octauus.

Quantum ad poſteriorem difficultatem quæ erat de loco tranſlationis huius Prophetæ, an fuerit ex aſſignato loco Bethlehem proximo, an ex ſuburbiis Ieruſalem vel aliunde, dubium eſſe poteſt; quia Scriptura diuina loci quidem communis meminit, ſcilicet Iudææ, ſed non peculiaris: & ideò in iſto non omnium vna eſt ſententia, & triplicem inuenio. Chriſtiani Adrichomij prima: is enim, qui in explicandis geographiceque delineandis locis Terræ ſanctæ

Quæſtio ſecunda, vnde fuerit Habacuc tranſlatus.

Tres ſententiæ. Prima, ex ſuburbiis Ieruſalem.

ctæ diligentiſſimus fuit, locum tranſlationis Habacuc in ſuburbiis Ieruſalem & plaga Auſtrali delineauit, vt apparet in illius
Relicitur. deſcriptione num. 215. verùm in eius explicatione nihil dicit, quod illius deſcriptioni fidem facere poſſit; quare nec mirandum, ſi illius ſententiam non ſequamur.

Secunda, ex Accaron. Secunda ſententia eſt, ex Accaron fuiſſe tranſlatum ſanctum Vatem. *Acharon eſt vna de ciuitatibus Philiſthinorum*, inquit Anſelmus Minorita in ſua deſcriptione Terræ ſanctæ, *non longè ab Azoto, vbi nunc eſt Eccleſia, in qua Angelus Domini inueniens Habacuc parantem prandium meſſorum tulit capillo capitis in Babyloniam, vbi nunc eſt Cairus, ſupra lacum leonum vbi erat Daniel, nunc verò eſt paruum caſale.* Hæc ille.

Tertia, ex loco prope Bethlehem. Tertia communis ſententia, conſenſu omnium & harum partium traditione ſtabilita eſt, locum tranſlationis Habacuc eſſe prope viam Bethlehem in aſſignato loco perpetuis monimentis conſignato; quæ vnius auctoritati videtur præferenda, ſi a-
Probatur. liud non eſſet. Et Bonifacius multo tempore & experientia in his partibus verſatus, & de earumdem traditionibus optimè inſtructus, loquens de his quæ obſeruatione digna occurrunt in via Bethlehemitica, ad intentum hæc ſcribit: *Ad dexteram*, viæ Bethlehemiticæ, *in monte eſt quedam Eccleſia tota diruta: & vocatur domus & Eccleſia ſancti Habacuc Prophetæ. Ab iſto loco ſanctus vir delatus fuit per Angelum in Babylonem ad Danielem ſeruum Dei. Olim hîc fuit maximus Conuentus Fratrum; nunc autem, vt cernis, nec ſpecimen domus nec Eccleſia habet.* Hæc ille.

Sed videamus, an vltra communem traditionem, etiam Scriptura ſacra eidem ſententiæ magis quàm aliis ſuffragetur. Poſtquam Dan. 14. enarratum eſſet, quomodo ſanctus Daniel, quòd impio præcepto Regis obtemperare noluerit, miſſus ſit in lacum leonum, & fuerit ibi diebus ſex; *Porrò in lacu erant leones ſeptem, & dabantur eis duo corpora quotidie, & duæ oues: & tunc non data ſunt eis, vt deuorarent Danielem*; ſequentia de noſtro Habacuc ſubiiciuntur:
Dan. 14. 32. *Erat autem Habacuc Propheta in Iudæa, & ipſe coxerat pulmentum, & intriuerat panes in alueolo: & ibat in campum vt ferret meſſoribus. Dixitq; Angelus Domini ad Habacuc: Fer prandium, quod habes, in Babylonem Danieli, qui eſt in lacu leonum. Et dixit Habacuc: Domine, Babylonem non vidi, & lacum neſcio. Et apprehendit eum Angelus Domini in vertice eius, & portauit eum capillo capitis ſui, poſuitq; eum in Babylone ſupra lacum in impetu ſpiritus ſui. Et clamauit Habacuc, dicens: Daniel ſerue Dei, tolle prandium, quod miſit tibi Deus. Et ait Daniel: Recordatus es mei Deus, & non dereliquiſti diligentes te. Surgensq; Daniel comedit. Porrò Angelum Domini reſtituit Habacuc confeſtim in loco ſuo.* Hæc ibi.

Et quid Iudææ nomine intellexit Propheta in præmiſſis verbis? Dico, Iudææ nomen dici multipliciter in Scriptura, vt * alibi notauimus. Primò enim dicitur de Iudæa, quæ eſt vna ex quatuor Palæſtinæ prouinciis, in qua ſunt Ieruſalem & Bethlehẽ cum eorum ſuburbiis & locis. Secundò dicitur de tota Palæſtina, præſertim poſt reditum filiorum Iſraël è Babylonica captiuitate ad patrium ſolum. Et tertiò enuntiatur de parte illa Terræ promiſſionis, quæ tribui Iudæ obtigit. Si accipiatur Iudæa primo modo, ex prophetia Danielis nihil colligere poſſumus in gratiam primæ vel tertiæ ſententiæ; quia tam locus prope Ieruſalem, quàm prope Bethlehem eſt in Iudæa prouincia, vna ex quatuor Terræ ſanctæ: ex illa tamen haberetur aliquid contra ſecundam ſententiam, quoniam Accaron non eſt in Iudæa prouincia, ſed extra in regione Palæſtinorum, vt videre eſt in tabulis, & nos ſuo loco dicemus. Si verò accipiatur Iudæa ſecundo modo, Prophetæ verba ex æquo ſuffragantur cuicumque ſententiæ; quia tam locus prope Ieruſalem & Bethlehem, quàm Accaron, ſunt in ambitu totius Terræ promiſſæ. Si denique tertio modo accipiatur Iudæa, militaret ſingulariter contra ſecundam opinionem, quia Accaron non eſt in Iudæa prouincia, vt dictum: non ſuffragaretur magis primæ quàm tertiæ ſententiæ, quoniam non tantùm Bethlehemitica regio pertinet ad tribum Iuda, ſed etiam pars Ieroſolymitanæ, & Auſtralis, vbi locum tranſlationis delineauit Adrichomius, vt deduci poteſt ex cap. 15. & 18. Ioſue. Refragatur tamen Adrichomio, quia ponit totam Ieruſalem cum memorato loco in tribu Beniamin: etſi non benè, & contra adducta Scripturæ loca. Sedenim Prophetæ verba rationabiliùs eſſe interpretanda de Iudæa ſecundùm primam vel tertiam acceptionem, & ſingulariter pro regione quæ poſt diuiſionem totius Iſraëlitici populi ſub Roboam adhæſit domui Dauid, Iuda videlicet & Beniamin, mihi hac ratione perſuadeo; quia poſt dictam diuiſionem in regnum Iuda & Iſraël, non fuit Iudæorum regio abſolutè vocata Iudæa, ſed poſt reditum filiorum Iſraël à Babylonica captiuitate in ſolum patrium: qui reditus ſucceſſit poſt conſcriptam prædictam à Daniele prophetiam, vt manifeſtum eſt. Daniel enim fuit vnus ex captiuis filiorum Iſraël. Et ex hoc amplius probo,

Iudæa nomen in quo ſenſu intelligendũ in Propheticis verbis.
* Lib. 1. Cap. 11.

Lib. VII. Cap. V. VIII. Peregrin.

probo, Iudææ nomen in ſententia Prophetæ accipi debere in prima vel ſecunda ſignificatione. Habacuc Propheta erat oriundus ex Thecua ciuitate ſortis Iudæ, vt poſteà dicemus: & in ea habebat domicilium, vt docet Guilielmus Tyrius lib. 8. Belli ſacri cap. 1. & lib. 6. cap. 21. & Thecua proximior eſt Bethlehem, & aſſignato loco, quàm Ieruſalem & Azoto, vt nouerunt qui in partibus iſtis habitarunt; & docet D. Hieronymus dum dicit, Thecuam eſſe in nono ab Ælia milliario contra Meridionalem plagam; & à Bethlehem duobus milliaribus diſtare; ipſo etiam Adrichomio referente: vel ſaltem minus diſtat, quàm ab Ieruſalem; quia inter Ieruſalem & Thecuam eſt Bethlehem. Si itaque hæc ita ſe habent, iudicandum eſt, ex proximiori loco habitationi ſuæ, quàm remotiori, fuiſſe ſanctum Vatem tranſlatum, & ita ex iſto ſortis ſuæ, quæ & ſuum nominat Prophera, & non ex altero remotiori ſortis Beniamin, vt volebat Adrichomius, vel Accaron longè diſtantiori, vt Anſelmus. Et hic in eo etiam lapſus eſt, quòd Accaron vicinam fecerit Azoto, niſi pro Accaron Aſcalon dicere voluit, ex Ioſue 13, 3. & quòd dixerit Babyloniam, ad quam fuit delatus Habacuc, eſſe Cairum: quoniam licet Cairus etiam Babylonia appelletur, non eſt tamen illa in qua erat Daniel, quia iſta erat in Chaldæa, in quam cum aliis Hebræis ductus ille fuit in captiuitatem; ſed iſta, id eſt Cairus, eſt in Ægypto longè à Chaldæa diſſita.

Obiectio. Secunda ſententia reiicitur.

Poſſet quis inſurgere contra dicta in ſolutione ſecundæ difficultatis, dicendo, nullatenus ex Iudæa prouincia fuiſſe tranſlatum ſanctum Prophetam in Babylonem: quoniam tempore tranſlationis iam deſolata erat Ieruſalem, & Iudæa cum proximis locis, habitatoribus partim cæſis partim captiuis abductis in Babylonem; vt alterius Habacuc verba præ ſe ferunt. *Habac. 1, 6* *Ecce ego*, inquit Dominus per Prophetam, *ſuſcitabo Chaldæos, gentem amaram & velocem, ambulantem ſuper latitudinem terræ, vt poſſideant tabernacula non ſua.* & quæ ſequuntur cap. 1. indicans venturos Chaldæos cum tanta multitudine, vt totam implerent terram, id eſt, Iudæam, ad poſſidendum vrbes non ſuas; neque vrbes tantùm, ſed etiam tabernacula paſtorum, quæ multa ſunt in Arabia & Palæſtina, vt cum experientia boni tradunt Auctores. Et quos non occiderunt, captiuos duxerunt in Babylonem, relicta terra deſerta, quemadmodum 4. Regum manifeſtè videre eſt. Quomodo ergo tunc potuit eſſe in Iudæa Habacuc & agriculturæ vacare?

Solutio.

Reſpondetur dupliciter: Primò ex Scriptura ſacra; dicendo Regem Chaldæorum, ita pleroſque Iudæos aut interfeciſſe, aut captiuos duxiſſe in Babylonem, vt tamen non paucos de pauperibus terræ agricolis & vinitoribus inibi reliquerit, vt extremo cap. 4. Reg. videre eſt: ex quorum numero & hunc Habacuc Prophetam fuiſſe, credendum eſt. Amplius, non fuiſſe omnes Iudæos cæſos, vel ductos in captiuitatem, habemus apud Ieremiam cap. 52, 30. vbi legimus Nabuzardan Magiſtrum militiæ Nabuchodonoſor Regis in anno vigeſimo tertio regni eius, quarto vel quinto anno poſt excidium Ieruſalem, & captiuitatem Iudæorum, tranſtuliſſe ex Iudæa ſeptingentos quadraginta quinque Iudæos.

Si dicatur, poſt necem Godoliæ, quæ ſeptimo menſe poſt captiuitatem facta eſt, omnes Iudæos à primo vſque ad magnum, relicta Iudæa, fugiſſe in Ægyptum, vt dicitur loco proxime citato Regum: Reſpondendum, ex illis, quoſdam reuerſos fuiſſe in Iudæam; in quorum numero fuit & Habacuc, vt docet Comeſtor in Hiſtoria Scholaſtica. *4. Reg. 25, 26.*

Secundò reſpondetur, ſigno illo vniuerſali non ſignificari omnes omnino Iudæos fuiſſe interfectos, vel in captiuitatem ductos, ſed pro maiori parte, ſecundùm Scripturæ & communem loquendi conſuetudinem. Et ita oportet neceſſariò dicere in caſu noſtro. Aliter nullum poſteà duxiſſet Nabuzardan in Babylonem, nec aliquis ex Ægypto in Iudæam rediiſſet.

Dorothei & Epiphanij de Habacuc dicta conſiderantur.

Sed ex quo in hunc Habacuc incidimus, placet hîc quædam ſubiicere ex Dorotheo in Synopſi & Epiphanio in libro de Vita & Interitu Prophetarum. Cùm Nabuchodonoſor, inquiunt, poſtremùm venit Ieruſalem cum exercitu oppugnaturus, Habacuc fugit in terram Iſmaëlitarum; poſteà verò reuerſus eſt in terram ſuam. Et cùm aliquando meſſoribus ſuis pulmentum præparaſſet, apud ſuos prophetauit, dicens: *Proficiſcor in terram longinquam, ac citò reuertar; ſi autem tardauero, ferte meſſoribus.* Cùm autem Babylone fuiſſet, & prandium dediſſet Danieli; adſtitit meſſoribus veſcentibus, nec quidquam dixit eorum quæ ipſi contigerant. Sciebat autem populum breui reuerſurum Babylone: & biennio priuſquam populus reuerteretur, mortuus eſt, ac ſepultus in agro ſuo. Hæc ab illis de Habacuc Propheta.

Sed conſidera; an dictis ex Scriptura conueniant. Si verum eſt, ſuis dixiſſe, *Proficiſcor*, &c. igitur nouit ſibi abeundum, & non tunc deciliſſe pulmentum meſſoribus; quia ordinauit, ſi à reditu tardaret, vt illi para-

parārent. Sed non conuenit, clarè enim loquitur Scriptura, tunc portasse prandium messoribus, quando translatus fuit in Babylonem. Nec etiam nouit quò sibi eundum esset, nisi ad messores; Angelo enim sibi præcipienti vt in Babylonem prandium Danieli deferret, dixit: *Domine, Babylonem non vidi*, &c. Sed an vnum sciuit, sibi esse eundum, & ignorauit alterum, quò eundum esset, & quando redeundum? at priùs dicta videntur refragari. Et hæc de Habacuc Propheta, & loco suæ translationis.

CAPVT X.

De turri, vel domo Iacob, quæ decimo occurrit loco in prima Peregrinatione.

VNius milliarij itinere peracto, à loco sancti Habacuc Prophetæ, de quo Capite præcedenti, versus Bethlehem, occurrit non longè à via, & ad eius dexteram partem in parum eminenti loco, residuum & pars quædam vetustissimæ turris pænè dirutæ; vnica enim muri pars erecta manet. Inferiùs & circà, ædificiorum veterum fundamenta & reliquiæ cernũtur. Interrogauimus harum partium habitatores, quidnam illa sint, quidve significent; respondent, residuum illius turris esse partem turris vel domus Iacob Patriarchæ, ac ob id appellari turrim Iacob, & ab antiquis ad eos vsque hanc peruenisse traditionem, quam & ego in vetusto quodam manuscripto libello de Locis Terræ sanctæ legi. Illas verò ædificiorum ruinas & fundamenta esse reliquias quondam celebertimæ magnæque ciuitatis, quæ Rama vel Ramatha dicebatur, & adhuc circumiacentem regionem Ramulam vocari.

Turris Iacob & circumiacentis ruinæ quid sint.

Aliquorum sententia.

Prophetæ auctoritate probatur.

Et ex istis quidam arbitrantur, quæ de hac Rama enuntiantur, habere fundamentum ex Ieremia, cuius Matthæus meminit. Hîc enim loquens de infantibus, quos impius Herodes occidit in Bethlehem & finibus eius, & illorum matrumque gemitu & vlulatu, dixit, tunc impletum fuisse quod dixit Ieremias Propheta: *Vox in Rama audita est, ploratus & vlulatus multus: Rachel plorans filios suos, & noluit consolari, quia non sunt.* Et quoniam in hac parte sepulta est Rachel, vt Capite sequenti dicemus, arbitrantur regionem istam Ramam vel Ramulam appellari, in qua Rachel velut pia mater infantulos illos interfectos plorat.

Ier. 31, 15. Matth. 2, 18.

Reiicitur.

Verùm, ni ego decipior, allucinantur isti tam in illis quæ de turri Iacob, quàm in his quæ de proxima regione afferebant, sacram Scripturam non vt decet considerantes, vt videbimus. Et quòd residuum illius turris, non sit turris vel domus Iacob Patriarchæ, probatur in hunc modum.

Turrim Iacob non fuisse domum Iacob probatur.

Moyses, qui in Genesi mansionem, peregrinationem, & totam vitam Iacob Patriarchæ descripsit, numquam indicat in isto loco habitasse; nec, quòd sciam, alius qui facta huius Patriarchæ conscripsit, id dixit: igitur nec nos dicere debemus, ratione præsertim non existente. Antecedens probatur, cùm consecutio manifesta sit. Habitauit enim Iacob primò in Gerara, deinde Bersabee cum parentibus suis, Genes. 26, 5, 6, 17. Posteà peregrinatus est in Mesopotamiam, & mansit in ciuitate Haran apud Laban auunculum suum annis viginti, cap. 28, 10. & 29, 9. & 30. inde reuersus, venit per Samariam, & mansit in ciuitate Sichem, cap. 33, 18. Ac denique vt hic Hebron, venit iuxta Bethlehem, vbi sepeliuit Rachelem dilectam coniugem suam, in partu Beniamin, in via expirantem animam, cap. 35, 19. Et quidem ex hoc loco dumtaxat posset colligi hîc quieuisse & habitasse sanctum Patriarcham. Sed contrarium potiùs inuenimus; nam post commemorata, ait sacer Textus: *Egressus inde,* Gen. 35. Iacob, *fixit tabernaculum trans turrem gregis.* & hæc distat à loco isto & sepulchro Rachelis duo milliaria & ampliùs, estque supra Bethlehem, vt de Ader & loco pastorum agentes inferiùs dicemus Cap. v. Peregrinat. III. At locus iste, turris & Rachelis sepulchrum sunt citra Bethlehem. Quare adducta illa ratione, huius turris residuum, turris vel domus Iacob Patriarchæ minimè appellanda est.

Peregrinatio & habitatio Iacob.

Quid ergo ad veteremtraditionem dicemus? Bonifacius loco pluries in præcedentibus citato inquit: *Prope eam* (Ecclesiam, vel rupem sancti Eliæ) *est domus Iacob Patriarchæ, in qua Rachel ei mortua fuit, & in ea Helena sancta, ob sanctitatem viri, magnam Ecclesiam & Monasterium circa ipsam ædificauit, miro tabulatu lapideo enim magnificentiam ipsa ruina docet.* Hæc Bonifacius.

Bonifacii sententia.

Sed inoleuitne consuetudo, vt domus oliuæ locúsve, per quem aliquando quis transiuit, vel hospitatus fuit, illius esse dicatur? Igitur & domus Petri, Matthæi, Zachæi, Marthæ, & aliorum apud quos diuertit, & hospitio exceptus fuit Christus Dominus, ædes Christi Domini dicentur, quòd non est verum.

Falsa.

Responderi posset, etsi illud semper non obseruetur, aliquando tamen hoc fieri, tunc

tunc præsertim quando transiens est magnæ auctoritatis, & domum non est speciali nomine dedicata: quemadmodum passim obseruari videmus de locis in quibus Princeps vel Rex aliquis hospitatus fuit. Domus autem Petri, Matthæi, &c. non dicuntur esse Christi Domini, vel ad indicandam eius magnam paupertatem, qui nec nomine habuit vbi suum reclinaret caput: vel ideò hospitantium appellantur, quia in ipsis, & in illorum gratiam Deus contulit beneficia; vel vt intelligeremus nomen virorum misericordiæ in sæculum sæculi permanere: vel denique; quoniam in pluribus aliis locis specialis memoria Christi Domini celebratur, non item illorum. Aliàs tamen non est inconueniens, domum vel locum alium ab infigni hospite denominationem accipere.

Duplex alia turris Iacob nominis ratio.

Posset secundò dici, turrem hanc esse sepulchrum Rachelis à Iacob honorificè & ad modum turris ædificatum, vt Capite sequenti dicemus. Accidit enim idem secundùm diuersam considerationem pluribus nominibus appellari, vt manifestum est. Sepulchrum Christi dicitur Ioseph ab Arimathæa, quòd ipse illud in petra excidit; & Christi, quoniam fuit in eo sepultus Christus. Ita turris ista Iacob dicatur, quia ipse eam ædificauit; & sepulchrum Rachelis, quòd in eo Rachel fuerit tumulata: & sepulchrum inferius, quod Rachelis nominatur, sit mesquita Turcarum cum aliis sepulchris: quod quidam non aduertentes, diuersis ædificiis diuersa imposuerunt nomina, quæ vni debebantur. Sed melior responsio prior, quia hac transiuit Iacob, vt dixit Bonifacius: nec traditio sepulchri Rachelis, quæ in Scriptura celebratur, & semper ab antiquitate conseruata, auferenda est.

Tertiò denique, an dicatur turris & domus Iacob, non quidem illius Patriarchæ, sed alterius celebris viri simili nomine nuncupati; & an Iacob patris Ioseph, sponsi sanctissimæ Dei Genitricis, cuius mentio fit apud Matthæum cap. 1, 16. præsertim cùm Bethlehem vetus patria Ioseph vocetur à Iustino Martyre, vt dicemus de Nazareth verba facientes. Et locus iste non longè est à Bethlehem, & in tribu Iuda, ex qua Iacob iste erat oriundus. Quare non videtur à probabilitate alienum, asserere hic habitationem à suo nomine appellatam, vel à posteris ad eius conseruandam memoriam ædificatam.

Posteriores verò, præsertim propter variam istarum partium mutationem, non aduertentes distinctionem inter vtrumque Iacob, patruum Virginis, & maritum Rachelis, turris & domus, quæ fortè ab illo debuit nominari, ab isto accepit denominationem. Et hæc de turri Iacob opinando sint dicta. Cetera quæ de ruinis circumiacentibus dicebantur, disquiramus.

Alia fundamenta non sunt vrbis Ramatha.

Sed & minùs probabilia videntur quæ de fundamentis & ruinis, quæ circa illam turrim extant, & Ramatha, enuntiantur. Hoc multipliciter ostendo: Primò, quia magnæ & populosæ ciuitates non proximè ædificari consueuerunt; se enim mutuò impedirent in agendis: sed hæc Rama ciuitas magna ferè contigua fuisset Bethlehem, & proxima Ierusalem ciuitati regiæ.

Secundò, quia regio ista circa Bethlehem, Ephrata dicitur, vt statim monstrabimus, à Bethlehem, quæ & Ephrata nuncupatur, quæ modica ciuitas semper fuit, vt extremo Capite huius Peregrinationis de ea agentes ostendemus. At si hæc ciuitas Rama extitisset, ab ea potiùs circumiacens regio nomenclaturam accepisset, Ramatha, & non à Bethlehem Ephrata; sed accepisse numquam ostendent.

Tertiò, si in illo loco fuisset insignis ciuitas, loquens Iacob de sepultura, quam dedit Racheli, non dixisset quod legitur Gen. 48, 7. se Rachelem sepelisse *iuxta viam Ephrata, quæ alio nomine appellatur Bethlehem.* Sed in Rama vel circa, quia à digniori denominatio fieri consueuit.

Loca multa Rama nomine appellata.

Quartò denique & efficacius, in sacris Litteris multa loca appellata inueniuntur Rama, vel Ramatha, Ramula, Ramathaim, Arimathæa, vel Arimathia; idem enim significant hæc nomina: sed non est aliquis ex his locis, nec alius inuenitur in ista regione, qui Rama nominetur; igitur, &c.

In primis non est ciuitas Rama, cuius mentio fit Ios. 18, 26. nam ista pertinet ad tribum Beniamin, & ista, de qua loquimur, regio est in tribu Iuda, vt docet D. Hieronymus in cap. 2. Matthæi; & *terra Iuda* appellatur ab Euangelista. Nec est illa, quæ ponitur in tribu Asser, de qua idem Hieronymus in locis Hebraicis lit. R. Nec est Ramatha Sophim ciuitas separata Leuitis, sita in Sophim monte Ephraim, quæ est confinium tribuum Ephraim, Beniamin & Dan. Et cùm alia ciuitas, locusque non inueniatur tali nomine insignitus, non est dicendum hîc fuisse opulentam ciuitatem, & circumiacentem regionem, Rama nominatam. Lege Adrichomium in Descriptione tribus Beniamin n. 100. & Ephraim n. 79.

Responsio ad Prophetæ auctoritatem.

Quid ergo dicendum ad Prophetæ Euangelistæque auctoritatem, cui opinio, propolita inniti videtur? Respondeo, illam nullo modo ei suffragari, nec in litterali, nec in mystico sensu, prout à sacris declaratur Interpretibus. Non in litterali quidem, quoniam

quoniam Ieremias illis verbis vel voluit significare fletum mulierum Beniamitarum, in Rama ciuitate Beniamin præfiguratarum, vel melùs in Rachele matre Beniamin, propter captiuitatem decem tribuum, cuius fit mentio in Ieremia. Vel, vt alij dicunt, Rachel vitâ functâ, figuratè lamentari dicitur filios suos, id est, decem tribus abeuntes in captiuitatem, quæ Ephraim nomine significantur: quia primus eorum Rex Ieroboam è tribu Ephraim fuit oriundus; Rachel autem Ephraim auia erat, siquidem mater erat Ioseph patris Ephraim. Nec nomen illud Rama officit: etenim, vt notauit Lyranus in cap. 31. Ieremiæ, ex quo Matthæus illam allegauit auctoritatem, Rama nomen est æquiuocum, quia vno modo significat nomen loci iuxta Gabaa, alio modo est nomen appellatiuum, & sic significat excelsum. Apud Prophetam, non potest accipi, vt est nomen proprium loci; quia Rama non est prope Bethlehem, sed benè distans, & per Ierusalem intermediam. Quare optimè Vulgata Lectio apud Ieremiam habet, *Vox in excelso audita est.* Et D. Hieronymus similiter legit in Matthæum.

Rama nomen multiplex.

Sententia Hebræorum refellitur.

Hinc deprehenditur falsitas relationis quorumdam Hebræorum, qui dicebant, Lyrano referente, quòd cùm Iudæi captiui ducerentur in Babylonem, & transirent iuxta sepulchrum Rachel, vox de sepulchro miraculosè prodiens fuit audita, implorans Dei pietatem pro illis qui captiui ducebantur. Hoc, inquam, non consonat; quia Rachel non personaliter pro illa Rachele accipitur, sed pro mulierum multitudine. Fictitium hoc videtur, inquit Lyranus, tum quia dissonat à dicto Euangelistæ, quia ipse arbitratur, Prophetæ dictum ad litteram intelligendum esse de lamentatione mulierum Bethlehemitarum pro interfectione suorum infantium ab Herode; tum quia non est verisimile, quin tantum miraculum fuisset 4. Reg. vel 2. Paralipom. vel in fine huius Libri exaratum; in quibus locis describitur deductio illorum captiuorum; quia Iudæi fuerunt valdè solliciti scribere ea, quæ erant ad honorem ipsorum.

Nec eadem Ieremiæ & Matthæi sententia illis suffragatur mysticè explicata, pro fletu & lamentatione mulierum Bethlehemitarum propter cædem suorum infantium; in quem sensum accepit Euangelista, vt Prophetæ pro fletu mulierum Beniamitarum vel Ephraimitarum, nisi & hunc velis dicere litteralem sensum. Etenim Ramæ nomine non fit allusio ad aliquam ciuitatem tali nomine appellatam, vt diximus, sed ad clamoris magnitudinem: *Vox in Rama audita est*, id est, in excelso. Et hoc potest dupliciter intelligi, vel quantum ad situm loci, quòd videlicet in eminenti loco auditæ sint voces paruulorum, eorumque matrum; vel quia illorum clamor ad Altissimum vsque euolauit. Priorem sensum secutus est D. Hieronymus, inquiens: *Quod autem dicit in Rama, nomen puto loci non esse, quæ est iuxta Gabaa; sed Rama excelsum interpretatur, vt sit sensus: Vox in excelso audita est, id est, longè lateq; dispersa.* Hæc sanctus Doctor in cap. 2. Matthæi, cui adhæret Iansenius cap. 11. Concord. Euang. Tam crudelis enim fuit occisio paruulorum atque execrabilis, vt in excelso lamentum auditum sit, nec esset consolationis locus. Vnde Basilius Seleuciæ Episcopus, quem citat Metaphrastes, dicit, in tota ciuitate Bethlehem, durante cæde paruulorum, nec verbum quod dicebatur intelligi potuisse & percipi, propter magnam confusionem & strepitum. Vlulabant enim matres, & flebant filij, omnesque confusione repleti erant.

Vox in Rama audita, quid significet.

Infantium quantum crudelis cæsio.

Posteriorem sensum secutus est Auctor Operis imperfecti in Matth. c. 2. Homil. 2. dum dicit: *Vox in Rama, id est, in Excelso audita est: quoniam de morte innocentium mittebatur ad cælum, ideò audiebatur in excelso; sic enim ait Salomon: Vox pauperis penetrat nubes, & non discedit donec audiatur. Sic & pauper quando violentiam patitur à potente, etsi non est visus vociferari, sed latenter lacrymatur, tacitus clamor eius in excelso auditur; quia non magnus clamor à Deo auditur, sed iustus.* Hæc ille.

Denique si quis vellet mordicus contendere, nomen Rama apud sacros Scriptores accipi debere non appellatiuè, sed propriè, pro nomine alicuius ciuitatis vel loci. Dicatur non significare locum aliquem Iudææ, sed ciuitatem, quæ est in Arabia, Ramam nuncupatam; quemadmodum intellexit Iustinus Martyr differens cum Triphone Dialogo de Christianæ Religionis veritate.

Adeò enim longè lateque fama occisionis infantium percrebuit, vt non tantùm Ramam, sed Romam perlata fuerit, & vsque ad aures Imperatoris peruenerit, quod Macrobius Ethnicus scriptor 2. Saturnal. cap. 4. agens de Augusto testatur his verbis: *Cùm audisset inter eos, quos in Syria Herodes Rex Iudæorum inter bimatum iussit interfici, filium quoque eius occisum, ait: Melius est Herodis porcum esse, quàm filium.* Hæc Macrobius. Quòd scilicet qui filios occideret, abstineret à cæde porcorum, vt Iudæus. Iudæi enim etiam ab ipsa porcorum nominatione abstinere solebant, eos

Augusti dictum de Herode interfectore infantium.

nefanda

nefanda animalia nominantes, vt Auctor eſt Ioſephus de Bello Iudaico lib. 5. cap. 1.

Rachelis mater quam falſa a Prophetis.

Sed ad quid nominati Scriptores Rachelis meminerunt? Iam aliquid dictum, cui ſequentia adijcimus ex D. Hieronymo adducto: *Quia Rachel*, inquit, *ſepulta eſt iuxta Bethlehem in Ephrata, & ex materno corpuſculi hoſpitio matris nomẽ acceperit. Sine quoniam Iuda & Beniamin duæ tribus iunctæ erant; & Herodes præceperat, non ſolùm in Bethlehem interfici pueros, ſed & in omnibus finibus eius. Per occiſionem Bethlehem intelligimus multos etiam de Beniamin fuiſſe cæſos.* Quos Rachel velut ſuos fleuit, vt idem ait in cap. 31. Ieremiæ. Poſteriorem expoſitionem docuit etiam Chryſoſtomus Homil. 9. in cap. 2. Matth. & quia Rachel eo loco peperit Beniamin caput tribus Beniamiticæ.

Non iniucunda mihi videtur Lyrani expoſitio in cap. 31. Ieremiæ, ac ideò hanc hîc ſubijcimus: Rachel, inquit, ideò dicebatur mater ciuitatis Bethlehem & totius territorij; ſicut apud nos Sancti, quorum corpora requieſcunt in Eccleſiis, dicuntur Patroni non ſolùm illarum Eccleſiarum, ſed etiam ciuitatum & territorij adiacentis: & ſic dicitur plorare in filiabus ſuis, id eſt, in matribus puerorum, ſicut & Sancti dicuntur compati afflictis quorum ſunt Patroni. Hæc ipſe.

Etiam ſcitu dignum eſt quòd Mariana in memoratum Ierem. cap. notauit his verbis: *Ganiſonus ex Iudaiſmo noſter, vir grauis, cùm Bethlehem eſſet, in ſchedis veteribus ſic hunc locum legiſſe mihi dixit: Vox in Rama (ſine in excelſo, in cælo) audita eſt, Maria plorans Filium ſuum: & noluit conſolari, quia non eſt, vt ſcilicet Hebraicè legitur. Porrò pro Rachele Mariam ſubſtitui, non eſt abſonum.* Ita Mariana. Et an hoc propter ea quæ dicemus infrà Cap. XII. huius Peregrin. de varia appellatione nominis Bethlehem, habito reſpectu ad Mariam ſororem Moyſi; an propter Matrem Domini? Ex his omnibus liquidò conſtat, prædictam auctoritatem nullo modo fauere dicentibus, memorato loco fuiſſe magnam ciuitatem, & regionem, quæ Rama appellata ſit.

Lege Origen. Hom. 3. in diuerſ.

Sed quid præ ſe ferunt fundamenta & ruinæ illæ? An quod dixit Bonifacius, vel quòd ibi erat villula, vel caſtrum aliquod? Et hæc de turri Iacob & circumiacentibus ruinis ſatis.

CAPVT XI.

De ſepulchro Rachelis vxoris Iacob Patriarchæ, quod vndecimo loco ſe offert in prima Peregrinatione.

NOn longè à turri Iacob procedendo verſus Bethlehem ſecus viam ad dexteram partem eſt ſepulchrum magnum capella incluſum, ſemper ab antiquo vſque ad præſens tempus, *Sepulchrum Rachelis* dilectiſſimæ coniugis Iacob Patriarchæ appellatum. Ratio eſt, quia creditur ibi fuiſſe ſepultam Rachelem. Semper eius memoria conſeruata fuit: licet enim ſacellum fuerit aliquando collapſum & demolitum, fuit continuò reſtauratum, ob inſignis illius mulieris memoriam, vt ab antiquioribus harum partium accepi, & ex parte vidi; atque adeò ſemper aliquem decorem conſeruauit. In facie ſacelli verſus viam ſunt quædam litteræ in lapide inciſæ, ſed cuiuſnam idiomatis ex Orientalibus, non potui dijudicare. Hîc eſt ciſterna proxima, & circumcirca multa Maurorum ſepulchra: locum enim hunc non ſolùm Chriſtiani & Hebræi obſeruant, ſed & ipſi Mauri & Turcæ veneration habent.

Nomine ſepulchri Rachelis tacto.

Eiuſdem deſcriptio.

Huic traditioni ſacræ Geneſeos Scriptura cap. 35, 16. euidens perhibet teſtimonium, dum cauſam mortis Rachelis, & ſepulturam eius deſcribit ſequentibus verbis: *Egreſſus autem* Iacob *inde, venit verno tempore ad terram quæ ducit Ephratam: in qua cùm parturiret Rachel, ob difficultatem partus periclitari cœpit. Dixitq; ei obſtetrix: Noli timere, quia & hunc habebis filium. Egrediente autem anima præ dolore, & imminente iam morte, vocauit nomen filij ſui Benoni, id eſt, filius doloris mei: pater verò appellauit eum Beniamin, id eſt, filius dextræ. Mortua eſt ergo Rachel, & ſepulta eſt in via quæ ducit Ephratam, hæc eſt Bethlehem. Erexitq; Iacob titulum ſuper ſepulchrum eius: Hic eſt titulus monumenti Rachel, vſque in præſentem diem.* Hæc ibi ad intentum.

Ex his etiam verbis habemus honorificum fuiſſe hoc ſepulchrum; & ita videtur indicare Lyranus ad prædicta verba, dum aſſerit, antiquos fuiſſe ſollicitos de honorifica ſepultura: & manifeſtum eſt hoc nedum ex Scriptura, ſed etiam ex multis illuſtriſſimis ſepulchris, quæ circa Ieruſalem & in aliis Terræ ſanctæ partibus cernuntur; vt omittam pyramides Ægypti pro ſepulchris ab antiquis ædificatas, & alia pretioſa regiaque mauſolea: ſed de hoc egimus Lib. IV. Et quis dubitabit, Iacob valdè dilitem, quique vnicè Rachelem diligebat,

Honorificum fuit illud ſepulchrum.

ſuæ erga eam dilectionis teſtimonium non oſtendiſſe in erectione nobilis ſepulchri? vt eſſet apud viuos in memoria, & pro ea Deum deprecarentur. Huius ſepulchri meminit Samuel 1. Reg. 10, 2. tuncque, ſicut poſteà tempore D. Hieronymi, cernebatur, vt ipſemet docet.

Tituli formam ſuper ipſum erecti explicuit Adamnanus ex S. Arculpho, dicens: *De qua via*, id eſt, Bethlehemitica, *Arculphus mihi percunctanti reſpondens, ait: Eſt quædam via regia, qua ab Aelia contra Meridianam plagam Hebron ducit: cui via Bethlehem vicina, ſex millibus diſtans ab Ieroſolyma, ab Orientali plaga adhæret. Sepulchrum verò Rachel in eadem via extremitate & Occidentali parte, hoc eſt, in dextro latere habetur pergentibus Hebron, cohærens, vili operatione collocatum, & nullam habens adornationem, lapidea circumdatum pyramide; ibidem & nominis eius titulus hodieq; monſtratur, quem Iacob maritus ſuper illud erexit.* Hæc ille.

Lib. 2. de Locis ſanctis cap. 6.

Situs ſepulchri.

Brocardus, qui poſt aliquot ſæcula à ſancto Arculpho & Adamnano floruit, & loca ſancta inuiſit, paulò aliter deſcripſit eiuſdem ſepulchri ac tituli formam, pauloque nobiliorem facit, dum dicit, ſuper ſepulchro Rachelis erexiſſe Iacob pyramidem pulchram nimis; & in eius baſi duodecim diſpoſuiſſe prægrandes lapides, ſecundùm numerum filiorum ipſius Iacob. Iſti lapides erant vſque ad tempora Breidenbachij & Guilielmi Baldenſel, vt iſte indicat in ſuo Hodœporico. Lege Adrichomium in Beniamin num. 101.

Antiqua ſepulchri forma.

At non ſtatim id feciſſe poſt mortem Rachelis arbitrandum eſt, quoniam non ibi manſit, ſed tranſiit Iacob; ſed poſteà conceſſa facultate, vel ipſe, vel alij ex poſteris eius id præſtare potuerunt, vt rudibus & impolitis lapidibus ablatis quos Iacob poſuerat, expolitos poſuerint.

Locum, in quo ſepulta fuit Rachel, ſanctus Ioannes Chryſoſtomus in cap. 2. Matthæi Hom. 9. vocat Hippodromum, dicens: *Rachel mater fuit Beniamin, quam defunctam ſepelierunt in Hippodromo, qui eſt iuxta Bethlehem.*

D. Hieronymus in Quæſt. Hebraicis ſuper Geneſin videtur reſpuere hanc diſtinctionem Hippodromi ad Ephrata, dicens: *Neſcio quid volentes Hippodromum Septuaginta Interpretes tranſtulerunt: & ſtatim ibi, vbi in Hebræo dicitur, Et ſepelierunt eam in via Ephrata, hæc eſt Bethlehem, rurſum Septuaginta poſuerunt Hippodromum: cùm vtique ſi Chabrata Hippodromus eſt, Ephrata Hippodromus eſſe non poſſit.* Ideò paulò pòſt ipſe ſuam ponit ſententiam, dicens: *Sed melius eſt, ſi tranferatur in electo terræ tempore, cùm introiret Ephràta. Porrò vernum tempus ſignificat, cùm in florem cuncta rumpuntur, & anni tempus electum eſt.* Mariana in Geneſ. cap. 48. verſ. 7. ſic ſcribit: *Eratq; vernum tempus* כברת ארץ *Chebrath arez, cùm adhuc eſſet milliare terræ vſque ad Ephrata. Hebræi ita intelligunt, & confirmant; quoniam Rachelis ſepulchrum non amplius ab Ephrata diſtat, ſeu Bethlehem. Chal. Morma eſt Rachel in terra Chanaan, in via, cùm adhuc eſſet ſpatium terræ, vt ingrederetur Ephratam.* Et hæc bellè explicant ſitum huius ſepulchri, diſtantiamq; eius à Bethlehem, & receptæ traditioni fidem mirificè faciunt.

CAPVT XII.

De ciſterna Bethlehem, quæ & Dauid nuncupatur, quæ duodecimo loco in prima Peregrinatione inuiſitur.

Situs & forma ciſternæ Dauid.

A Sepulchro Rachelis procedendo Bethlehem verſus, poſt medium milliaris, ad lævam partem, oſtenditur pulchra quædam & profunda ciſterna, quæ ferè ſemper aquis abundat, lapidibus olim in quadro diſpoſitis circumdata, ex cuius triplici ore aqua hauriri poteſt: diſtat à Bethlehem circa alterum medium milliaris; appellantque eam huius regionis incolæ Ciſternam Dauid, & volunt fuiſſe à Dauide appellatam ciſternam Bethlehem.

Nominis ratio.

Ratio huius nominis eſt; quia illam eſſe arbitrantur, cuius aquam ſitiuit Dauid exiſtens in præſidio in ſpelunca Odollam, obſidente ex altera parte ſtatione Philiſthinorum Bethlehem. Cuius deſiderium & ſitim aduertentes tres fortiſſimi milites exercitus Dauid, caſtra hoſtium irrumpentes, peruenerunt ad ciſternam hanc, & aquam hauſtam Dauidi detulerunt; quam bibere nolens, libauit eam Domino, dicens: *Propitius ſit mihi Dominus, ne faciam hoc: nam ſanguinem hominum iſtorum, qui profecti ſunt, & animarum periculum bibam?* vt dicitur 2. Reg. 23, 17. & 1. Paralip. 11, 19. & ob trium fortiſſimorum militum memoriam, tria fuiſſe in ea exciſa ora ſiue foramina.

Oblatio duplex.

Sedenim duo obſtare videntur adductæ traditioni, Scriptura ſacra, & ratio in eadem fundata. Scriptura quidem, quæ in duobus adductis locis docet, ciſternam, cuius aquam ſitiuit Dauid, fuiſſe in Bethlehem: at iſta diſtat, vt diximus, circa medium milliaris. In priori loco 2. Reg. explicans Scriptura aquæ ciſternæ Bethlehemiticæ

Prima.

1.Reg. 23. 15. miticæ deſiderium, ait: *O ſi quis mihi daret potum aquæ de ciſterna quæ eſt in Bethlehem iuxta portam!* &c. in poſteriori verò 1.Paral. 11. 17. loco 1.Paral. ſic legitur: *O ſi quis daret mihi aquam de ciſterna Bethlehem, quæ eſt in porta!* Sed quæ dimidium milliaris diſtat à Bethlehem, non eſt in Bethlehem iuxta portam vel in porta.

Reſponſio. Reſpondebit fortaſſe aliquis, hanc ciſternam tempore Dauidis fuiſſe iuxta Bethlehem, vel in porta, vel prope eam. Nec officit Scriptura: ad eius enim veritatem ſufficit non longè eſſe à Bethlehem; etenim aliquid dicitur eſſe in aliquo loco quod ab eo non diſtat. Et probatur in ſimili 4.Regum 23, 13. loquens Scriptura de monte in quo Salomon ædificauit excelſa concubinis ſuis; dicit fuiſſe in Ieruſalem; in 3. verò Reg. 11, 7. de eodem aſſerit eſſe contra Ieruſalem; quia parum videlicet diſtat ab Ieruſalem, vt in 4. Reg. dicit Gloſſa Ordinaria: & quod parum diſtat, nihil diſtare videtur.

Poſſet ſecundò dici, tempore Dauidis ciuitatem Bethlehem ampliorem fuiſſe, ſeque extendiſſe vſque ad hanc ciſternam: & ita tradit F. Bonifacius lib. 2. de Perenni cultu Terræ ſanctæ, qui ſequens harum partium traditionem, de ea ſic loquitur: *In hac via, non longè à ſepulchro Rachel, eſt ciſterna quæ erat ante portam Bethlehem, de qua ſitiens Dauid, dum eſſet in bello contra Philiſthæos, cupiebat bibere, dicens, &c.*

Reijcitur. Sed vtraque reſponſio facilè impugnari poſſet. Prima, quoniam ſemper diſtinctiſſimè loquitur Scriptura, fuiſſe illam ciſternam in porta vel iuxta portam Bethlehem: & cùm altera Scriptura, ratio efficaxque auctoritas aliter non perſuadeat, in illius plano intellectu ſtare debemus.

Minùs ſatisfacit ſecunda; quia Bethlehem ſemper parua ciuitas fuit, vt inferiùs de ea agentes extremo Capite huius Peregrinationis videbimus. Quòd ſi quis contendat, tempore Dauidis maiorem fuiſſe quàm poſteà fuerit, ac ideò potuiſſe pertingere vſque ad hanc ciſternam: Dico hoc eſſe voluntariè & ſine ratione dictum, & contra Scripturam quam citato Capite adducemus. Quòd ſi etiam illud admitteretur, non proinde haberetur intentum; quia eius magnitudo non verſus ciſternam, ſed vltra ſe extendiſſet: tum quia ex hac parte non videntur fundamenta ciuitatis, vt aliqua cernuntur veteris Ieruſalem prope Ieruſalem; tum quia inter hanc ciſternam & Bethlehem eſt magna & profunda vallis, vbi ſunt vineæ, ficus & oliueta.

Secunda ratio. Secundò, & eſt ratio ex Scriptura habens fundamentum. Si hæc ciſterna illa eſt, ex qua tres fortiſſimi illi milites hauſtam aquam detulerunt ad Dauid, non magnum quid feciſſent; nec ſe tanto vitæ diſcrimini expoſuiſſent, vt noluerit Dauid illam bibere, ſed libauerit Domino. Et hoc clarè apparebit, poſtquam obſeruauerimus, vbi eſſet Dauid quando huius ciſternæ aquam ſitiit, & vbi caſtra & ſtatio Philiſthinorum. Dauid erat in præſidio in ſpeluca Odolla: Philiſthijm milites erant in duas partes diſtributi; quidam erant in valle Gigantum, alio nomine Raphidim, & quidam erant in præſidio in Bethlehem, vt patet in iam adductis ſacræ Scripturæ locis 2. Reg. 23, 16. & 1. Paralip. 11, 17. Modò vallis Gigantum eſt in Occidentali plaga vrbis Ieruſalem, & iuxta eam, incipiens à Septemtrione, & verſus Auſtrum longè lateque ſe extendens, vt videre eſt in Adrichomio in Deſcriptione Ieruſalem num. 244. Bethlehem verò ſita eſt in parte Meridionali Ieruſalem, diſtans ſex milliaribus, vt ſuprà diximus Capite 1. huius Peregrinationis. Odolla eſt ad Orientem Eleutheropoleos, vt docet D. Hieronymus de locis Hebraicis: Eleutheropolis verò videtur poſita in Deſcriptione Geographica Terræ ſanctæ, ab Adrichomio delineata, in plaga Orientali reſpectu Bethlehem, & Occidentali reſpectu Eleutheropolis, ſiue etiam ſit in Occidentali Bethlehem, vt videtur eam ponere Bonifacius lib. 2. de Perenni cultu Terræ ſanctæ, dicens: *Ad dextram*, viæ ſcilicet qua itur Hebron, *relinquimus illam ſpeluncam Odollam nomine*, &c. parum refert. His ſic ſtantibus, non videntur tres illi milites magnum quid feciſſe, nec periculo vitæ ſe expoſuiſſe, vt dixi, irrumpendo caſtra Philiſthijm, vt irruperunt, ſi in ea parte Meridionali vel Orientali Bethlehem fuit ciſterna Bethlehemitica: etenim ex Odolla non fuit illis neceſſe tranſire per caſtra Philiſthijm, qui erant in valle Gigantum, vt manifeſtum eſt; quia longè diſtabat à Bethlehem. Nec per illos milites, qui in ciuitate Bethlehem caſtrametati erant; quia, illis relictis, ad læuam vel ad dexteram partem ire poterant ad ciſternam iſtam.

Dauid, quando ſitiuit huius ciſternæ aquam, erat in ſpelunca Odolla.

Philiſthijm erant in Raphidim & Bethlehem.

Alia ſententia de ciſterna Bethlehem. Quid ergo de illa ciſterna dicendum? Si in propoſita difficultate meam licet proponere ſententiam, aſſignarem Dauidis & Bethlehemiticam ciſternam in Occidentali parte Odollæ in porta Bethlehem, quæ Odolla ad Orientem reſpicit, ſecundùm Adrichomium, vel, ſecundùm Bonifacium, ſupra Bethlehem in altera parte: nam in hac parte vrbis Orientali, in cuius extremitate eſt ſpelunca in qua Saluator noſter natus eſt, iuxta muros ciuitatis eſt eius por-

ta, vt inferiùs dicetur: credetemque, non sine probabili ratione locutum fuisse Dauidem de aliqua ex cisternis quæ sunt ante templum sanctæ Mariæ Bethlehem, in eius videlicet platea, vel de iis quæ sunt in templo S. Mariæ, vel S. Catharinæ, de quibus infrà; sunt enim proximæ ciuitati & speluncæ Natiuitatis Domini, etenim eò vsque Bethlehem se extendebat, vt ex ruinis dijudicari potest. Et Dauid ad eum præsertim sacratissimum locum respiciebat, vbi Verbum Patris caro factum apparere debebat, fons aquæ salientis in vitam æternam; vt plures asserunt sacti Doctores. Et meritò: nam non deesse debebant aliæ aquæ, si non in spelunca, saltem in ciuitate Odolla, vel in circumiacentibus locis, quibus corporalem sitim explere poterat, sed non spiritualem extinguere qua æstuabat.

Hæc proposui inquirendæ veritatis gratiâ: nec enim reijcere intendo priorem sententiam, quam viri docti aliqui non minùs credunt, quàm traditionem de loco Dominicæ Natiuitatis, propter non minùs communem de hac cisterna quàm de illo traditionem. Quam qui sequi vult, respondere poterit ad obiecta in hunc modum.

Responsio ad primam obiectionem.

Ad sacræ Scripturæ 2. Reg. & 1. Paral. auctoritates dicendum, in istis locis præpositionem *in* significare coram vel contra, & non determinatè positionem cisternæ in ipsa Bethlehemitica porta. Et ad huius & aliarum difficultatum, quæ in materia locorum Sanctorum & Scripturæ oriri possent, solutionem, obseruandum est, præpositionem *in* in sacris Litteris multiplicem habere significationem; & vsque ad duodecim collectas inueni apud Pererium in cap. 32. Genes. vers. 10.

In præpositionis duodecim significationes.

Primò, *in* sæpè ponitur pro *cum*, & significat instrumentum quo aliquid fit; vt cùm dicitur, percutere *in gladio*, vel *in ore gladij*. & illud in Cantico Zachariæ: *Seruiamus ei in sanctitate & iustitia.* & Gen. 32, 10. quod dixit Iacob: *In baculo meo transiui Iordanem istum*; id est, cum baculo meo. Secundò, *in* sumitur pro *per*; vt Psal. 62, 12. *Laudabuntur omnes qui iurant in eo*, id est, per eum. & in Psalm. 88. *Iurani in Sancto meo*, id est, per Sanctum meum. Tertiò, *in* pro *per*, denotando tamen potestatem & opem; vt Psalm. 17, 30. *In te eripiar à tentatione, & in Deo meo transgrediar murum:* id est, per Deum meum & eius potestate adiutus. & apud Paulum Philip. 4, 13. *Omnia possum in eo qui me confortat.* & Actor. 17, 28. *In ipso viuimus, mouemur & sumus.* Quartò, *in* pro *vt*, vel *ad*; vt Psalmo 135, 8. *Fecit solem in potestatem diei, lunam & stellas in potestatem noctis:* id est, vt ille præesset diei, & hæ nocti; & illum fecit ad illuminandum diem, hanc verò ad discutiendas noctis tenebras. Quintò, *in* pro *propter* vel *pro*; vt Psal. 30, 2. *In iustitia tua libera me:* id est, propter iustitiam tuam. Vox autem Hebræa, quæ ibi Latinè redditur *iustitia*, significat bonitatem, & benignitatem, & misericordiam. Et apud Oseam cap. 5, 5. *Ruent in iniquitate sua*, id est, propter iniquitatem suam: & c. 12, v. 12. dicitur *Iacob seruisse in vxore*, id est, pro vxore. Sextò, *esse in aliquid*, vel *in aliquem*, pro *esse illud*, vel *loco & vice illius*; vt Psalmo 30, 3. *Esto mihi in Deum protectorem, & in domum refugij*, id est, Deus protector, & tamquam domus refugij. & 2. Reg. 7, 14. *Ego ero ei in patrem, & ipse erit mihi in filium.* Septimò, *in* pro *inter*; vt Ioan. 1, 14. *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis*, pro *inter nos.* Octauò, pro *ex*; vt Mich. 3, 10. *Qui ædificant Sion in sanguinibus*, id est, ex sanguinibus; hoc autem est, ex rapinis pauperum: vnde sequitur eorum mors præ paupertate & miseria. Nonò, *in* pro *sub*; vt Psalm. 90, 1. *Qui habitat in adiutorio Altissimi, in protectione Dei cæli commorabitur*; id est, sub adiutorio, sub protectione. Decimò, *in* pro *contra*; vt Psal. 43, 6. *In nomine tuo spernemus insurgentes in nobis*, id est, contra nos. Vndecimò, *in* pro *apud*; vt 1. Petr. 5, 2. *Pascite qui in vobis est gregem Dei*, pro apud vos, vel curæ vestræ commissum. Duodecimò denique *in* accipitur pro *coram* vel *ante*, vt *in manibus, in oculis*, id est, coràm; Philip. 2, 10. *In nomine Iesu omne genu flectatur*, id est, ante, vel coram. & 1. Mach. 2, 23. *In omnium oculis*, id est coram oculis. & Genes. 50, 22. *Filij quoque Machir filij Manasse nati sunt in genibus Ioseph*, id est coram vel apud Ioseph, vt interpretatur Vatablus. Ita in proposito, qui vellet sequi veterem illam traditionem, cisternam videlicet commemoratam, quæ spatio dimidij milliarij distat à Bethlehem, esse illam cuius aquam sitiuit Dauid dum esset in spelunca Odolla, dicere posset ad loca Scripturæ, quæ asserunt, ipsam fuisse in Bethlehem, & in porta eius, non aliud significare velle, nisi coram vel ante, & apud Bethlehem, & portam, secundùm duplicem significationem præpositionis *in* postremo loco nunc assignatam.

Responsio ad secundam obiectionem.

Ad rationem desumptam ex dispositione situque locorum dupliciter occurri posset: Primò dicendo, milites illos magnam animi virtutem affectumque in Dauidem ostendisse, dum ad hanc accesserunt cisternam vt aquam haurirent, non pertimescentes

tes

tes hostium excursiones, quæ belli tempore ab hostibus fieri consueuerunt, relicta Bethlehem à dextra vel sinistra, vel etiam rectà, timorem omnem paruipendentes, irruperunt castra Philisthinorum; hoc est, per ea transierunt, vel etiam in ea impegerunt, & virili fortitudine resistentes, victores effecti, aquam è cisterna haustam ad Dauidem in Odollam detulerunt.

Vel secundò dici potest, vallem Gigantum non tantum distare à Bethlehem, vt suppositum fuit: vt enim superiùs de ea loquentes notauimus, incipit ab Ierusalem, & Bethlehem vsque protenditur. Et ex hîc adducto argumento magis sententia illa confirmatur. Quare si in ea castrametati erant Saul milites, difficultatem in eos irrumpendi habuerunt milites Dauid profecti ad hauriendum ex ista cisterna aquam. Et hæc sufficiant de cisterna Dauid.

Supra Capite 17.

CAPVT XIII.

De Bethlehem Iudæ ciuitate Dauid, decimotertio loco primæ Peregrinationis.

PEracto sex milliarium itinere ab Ierusalem, pertransitisque iam commemoratis locis æterna memoria celebrandis, peruenitur tandem ad Deo dilectam & electam ciuitatem Bethlehem: tantum enim distat ab Ierusalem, vt iam diximus, vel ad plus septem milliaribus, vt sentit Glossa ordinaria in 1. Paral. 2. De qua illustrissima & numquam satis laudata ciuitate, nonnulla à nobis pro ingenij nostri tenuitate dicenda sunt, quæ ipsi vidimus, & ex aliis collegimus in illius commendationem. Et hæc quædam naturalia, quædam supernaturalia erunt: ex his enim insignis & commendabilis est nostra Bethlehem. Et à naturalibus incipientes, agemus de multiplici eius nomine & significatione, de quantitate, situ & fecunditate. Ex his etenim eluceſcet non parum eius excellentia.

Nomina Bethlehem.

Multiplici appellatur nomine sancta hæc ciuitas: 1. *Bethlehem*, 2. *Lehem*, vel *Lahem*, 3. *Bethlehem Iuda*, 4. *Ephrata*, 5. *Ciuitas Dauid*, 6. *Castellum Dauid*. De hac Adrichomius in Iuda num. 58. Antequam verò ad horum explicationem veniamus, notandum est cum D. Hieronymo in cap. 2. Matthæi, & 5. Mich. & in libro de Locis Hebraicis lit. B. duplicem esse in Palæstina ciuitatem Bethlehem nomine appellatam, alteram in Galilæa, in tribu Zabulon, de qua Ios. 19, 15. & D. Hieronymus de Locis Hebraicis: alteram in Iudæa & tribu Iuda, cuius fit mentio Genes. 35, 19. & 48, 7. quæ Bethlehem Iuda ad illius distinctionem nominatur: quam distinctionem ex Matthæo & Michæa locis adductis desumpsit sanctus Doctor. dicunt enim: *Et tu Bethlehem terra Iuda. Iuda* addiderunt, ad distinctionem Bethlehem Galilææ. Et sancta Ecclesia maiorem Bethlehem hanc nostram nominauit, dicens:

Bethlehem duplex: altera in Galilæa, altera in Iudæa.

Matth. 2, 6
Mich. 5, 2

O sola magnarum vrbium
Maior Bethlem, cui contigit
Ducem salutis cælitus
Incorporatum gignere.

Ecclesia in Hymno Epiphaniæ.

Sanctus tamen Bernardus alia ratione arbitratur additum fuisse *Iuda*; propter factam videlicet ad Patres repromissionem, nasciturum videlicet Messiam ex tribu Iuda in ciuitate Bethlehem. sic enim scribit Sermone primo in Vigilia Natiuitatis Domini, expendens ea verba quibus Ecclesia pronuntiat Christi Natiuitatem: *Iesus Christus Filius Dei nascitur in Bethlehem Iuda. Nec otiosum quod additur Iudæ; siquidem admonet nos, eiusq; ad Patres facta est repromissio: Non auferetur, inquit, sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio Gentium. Salus quippe ex Iudæis est, & salus vsque ad fines terræ. Iuda, ait, te laudabunt fratres tui, manus tua in ceruicibus inimicorum tuorum, & cetera quæ de Iuda illo nasquam legimus, sed in Christo videmus impleta. Ipse est enim leo de tribu Iuda, de quo & additur: Catulus leonis Iuda: ad prædam, inquit, fili mi, ascendisti. Magnus prædator Christus, qui priusquam sciat puer vocare patrem aut matrem, spolia Samariæ diripuit. Magnus prædator Christus, qui ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatem; nec tamen abstulit quidquam, sed magis ipse dedit dona hominibus. Has itaque & similes prophetias impletas in Christo (de eo siquidem & prædictas) ad mentem reuocat quod dicitur Bethlehem Iuda: nec omnino quærere est, vtrùm à Bethlehem possit aliquid boni esse.* Hæc mellitissimus Bernardus; & ante Bernardum eadem ferè dixit sanctus Ioannes Chrysostomus Homil. 6. in caput 2. Matth. in ea verba, *In Bethlehem Iuda.* Et nos de ista Bethlehem loquimur in præsentia.

Bethlehem Iudæ Iuda dicitur duplici ratione.

Gen. 49, 10.
Gen. 49, 8.
Isa. 8, 4.
Ephes. 4, 8.

Et quare hæc nostra ciuitas dicta est Bethlehem, & Ephrata, vt à principaliori communioriq; nomine ordiamur? Glossa ordinaria in cap. 2. Matthæi dicit, quòd antiquitus Ephrata, postea Bethlehem dicta est. Similiter Petrus Comestor, Auctor Historiæ Scholasticæ, in historia Ruth, loquens de reditu Nohemi in terram suam Bethlehem, fatetur priùs dictam fuisse Ephratam, ab vxore Galeph: hæc fuit Maria

De nomine Bethlehem & Ephratæ quadruplex sententia.

Prima.

ria soror Moysi, secundùm quosdam Hebræos, translata de eremo: quæ postquam percussa est lepra, agnominata est Ephrata, id est, furorem vidit, quod est, experimento iram Dei cognouit. Vel interpretatur speculum; quia plaga eius omnibus est posita in exemplum. Sed tunc primò propter incredibilem vbertatem sibi redditam, cœpit vocari Bethlehem, quod est domus panis: fuit autem domus panis tempore quo illuc iuit Noëmi, in diebus vnius Iudicis.

Nicolaus de Lyra in cap. 25. Genes. & 2. Matth. concordat cum Auctore Scholasticæ Historiæ in eo quòd dicit, Bethlehem priùs Ephratam fuisse dictam ab vxore Caleph; & alij idem: sed ab illo dissentit in eo quòd ait Ephratam fuisse Mariam sororem Moysi, probatque esse falsum ex 1. Paralip. 2. & præterea Maria mortua est in deserto, non autem Caleph.

Refellitur. Verùm ciuitatem hanc non fuisse mutatam nomen ab vxore Caleph, dictamque Ephratam primò, ac deinde propter magnã eius fecunditatem à Deo illi concessam tempore Booz & Ruth, dictam fuisse Bethlehem, quod domum panis significat; facilè intelliget, si aduertat Genes. locis infrà citandis mentionem fieri Ephratæ & Bethlehem: igitur hæc nomina multò antiquiora fuerunt vxore Caleph, vt constat; & multò ante Booz & Ruth originem habuerunt, quia hæc ciuitas dicebatur Ephrata & Bethlehem tempore Iacob Patriarchæ, ex citandis locis Genes. ille verò vixit circa annum à creatione mundi 2199. Booz verò & Ruth multò pòst, scilicet circa annum 2493. Si igitur Iacob tempore antequam intraret Ægyptum, dicebatur Ephrata, & Bethlehem, quomodo verum erit, fuisse talibus nominibus nominatam tantùm post ingressum filiorum Israël in Terram promissionis? Et hoc ita esse constat ex Iacob verbis, quæ morti proximus dixit ad Ioseph filium suum Genes. 48,7. *Mihi enim*, inquit, *quando veniebam de Mesopotamiâ, mortua est Rachel in terra Chanaan in ipso itinere, eratq; vernum tempus: & ingrediebar Ephratam, & sepelini eam iuxta viam Ephratæ, quæ alio nomine appellatur Bethlehem.* Et Moyses, qui Caleb præcessit, & eius vxorem, antequam isti Terram promissionis ingrederentur, & possent imponere nomen Ephrata isti ciuitati, & postea Bethlehem, talibus nominibus eam appellauit Genes. 35, 19. locutus de morte & sepultura Rachelis: quare nedum Moysis, sed etiam Iacob tempore illis nominibus appellabatur, & consequenter non eisdem primò posterioribus temporibus nominata fuit. Et ex his refellitur sententia dicentium, Bethlehem Ephrata recentius nomen inditum fuisse à Bethlehem filio viri Ephratæ, cuius fit mentio 1. Paralip. 2, 19. & cap. 4, 4. *Secunda sententia refellitur.*

Postquam hanc rationem contra Lyranum scripsissem, eamdem, & fusiùs, ni fallor, explicatam inueni ex Abulensi apud Pererium in cap. 35. Genes. disputat. 4. ad vers. 19. & 20. qui etiam pro Lyrano sic respondet. Cuius, scilicet Abulensis argumentatio, non admodum valida est. Potest enim fieri, vt nomen Bethlehem multo post mortem Moysis tempore impositum sit ei vrbi: eius autem commemoratio, quæ hîc ponitur, non est à Moyse tradita, vt illa dicunt verba: *Hæc est Bethlehem*, Genes. 35. v. 19. & item infrà Gen. 48. v. 7. *Iuxta viam Ephrata, quæ alio nomine appellatur Bethlehem*: sed adiuncta sit à Sapientibus Synagogæ, qui auctoritate ipsius & diuino afflatu pleni, libros Moysis concinnarunt, expositis quibusdam quæ propter vetustatem iam erant obsoleta, & in alia nomina iam fuerant commutata: qua de re memini non semel in superioribus Tomis in Genesin me monuisse Lectorem. In superiore loco, id est, cap. 2. prioris libri Paralipomenon, nominatur quidam Salma pater Bethlehem; & Caleb nepos prioris Caleb, de quo paulò antè diximus: hic Terram promissionis intrauit, & potuit ex nomine auiæ suæ Ephrata simile nomen imponere vrbi, quæ dicta est Bethlehem; istius enim Caleb, etiam in octogenaria ætate, propemodum incredibile robur corporis & vigor animi memoratur in libro Iosue cap. 17. Hucusque Benedictus Pererius. *Responsio Pererij.*

Verùm non plenè satisfacere videtur hæc Pereri responsio; etsi enim concedamus, licuisse Sapientibus Synagogæ quædam addere libris sacræ Scripturæ ad illius maiorem declarationem; sed quòd in suprà adductis locis aliquid addiderint pro sententia Lyrani, non video, nec probauit Pererius. Præterea verba illa, *Hæc est Bethlehem*, si addita sunt, vt putat Pererius, explicant ciuitatem priùs alio nomine nominatam, id est, Ephratam: igitur ex hoc saltem habemus, Ephratæ nomen non fuisse illi impositum à Caleb post ingressum Terræ promissionis, ex nomine auiæ suæ Ephratæ. Alia etiam verba, *Iuxta viam Ephrata, quæ alio nomine appellatur Bethlehem*, non nisi post mortem Moysis, tempore Booz & Ruth; fieri enim potest, vt multò antè tale nomen possideret, & vtrumque ante Iacob tempora, vt arbitratur Abulensis. Et ex illa explicatione non cogimur ad oppo- *Reiicitur.*

situm

ſitum ſentiendum illius quod in ratiocinatione oſtenſum eſt.

Præterea ſi nomen Bethlehem ponitur ad internoſcendum Ephrata, igitur Ephratæ nomine notius, etſi non antiquius, ſaltem non recentius: ſicut cùm appellatur Ciuitas Dauid, Luc. 2. ad internoſcendum additur Bethlehem, antiquior & notior appellatio.

Nec à fertilitate, quæ fuerit tempore Booz & Ruth, Bethlehem dicta eſt.

Sed quòd nec à nimia fertilitate, quæ in hac ciuitate fuit tempore Booz & Ruth, dicta ſit Bethlehem, præter dicta quæ hoc oſtendunt, ampliùs id probatur; tum ex eo, quod, vt ſtatim dicam, non maiorem ſignificat vbertatem Bethlehem quàm Ephrata, imò minorem: nam ſi Bethlehem domus panis, Ephrata ipſam vbertatem ſignificat: tum quia ante illam fertilitatem, imò ortum Booz & Ruth, Bethlehem & Bethlehem Iuda nominabatur, vt videre eſt Iudic. 19. v. 12. & 18. & Ruth 1. v. 12. & 19. & in his locis non habet locum reſponſio antè adducta Pererij de additione poſita gratia internoſcendi, vt patere poteſt cuilibet ea legenti. Denique quomodo terra ſterilis, poſteà ad tempus aliquod fertilis, ex modici temporis accidentalique fertilitate nomenclaturam priori repugnantem per ſe accipiet?

Tertia ſententia à naturali regionis fœcunditate.

Si quod ſentio fari licet, dicerem (ſaluo ſemper meliori iudicio) ciuitatem Bethlehem nomen accepiſſe ex eius naturali ſitu & conditione; & nomina quibus nuncupatur, quid ipſa ſit indicare: etenim proprium eſt nominum rectè impoſitorum, rei naturam & conditionem ſignificare, vt illa ſignificabant quæ animalibus impoſuit Adam: *Omne enim quod vocauit Adam anima viuentis, ipſum eſt nomen eius*; vt dicitur Geneſ. 2. v. 19. Igitur quemadmodum multæ ciuitates in excelſo poſitæ *Rama* nominantur, quod interpretatur in montibus, vt ſuperiùs dixi: ita, vt alia exempla præteream, cùm noſtra Bethlehem cum circumiacenti regione admodum fertilis ſit, non fœcunditate inferior pluribus aliis Palæſtinæ terris, vt ſtatim indicabo, meritò Ephrata & Bethlehem dicta fuit.

Ephrata vbertatem, Bethlehem domum panis ſignificant.

Ephrata nomen Hebraicum, quod idem ſignificat quod vbertas ſiue frugifera; *Bethlehem* compoſitum ex duobus nominibus Hebraicis, *Beth*, quod domum, & *Lehem*, quod panem ſignificat, quaſi domus panis, propter huius abundantiam: ex hac enim præcipuè regionis alicuius fertilitas attenditur. Domus panis, id eſt, locus panis; quoniam, ſecundùm Hebræos, locus vbi aliquid recipitur, domus vocatur, vt in cap. 5. Ioan. Annot. 2. aduertit Toletus; & idioticiſmum Chaldaicæ linguæ, inquit Ianſenius cap. 36. Concord. Euang. loca domos vocare: ſic agrum vocant domum ſeminis.

Lotus domus apud Hebræos dicitur.

Vel etiam, vt mentem altiùs eleuemus, meliusque dicamus, Bethlehem nomen diuino conſilio inditum fuiſſe noſtræ huic ciuitati, vt ex ipſo nomine omnibus daretur intelligi, quid in ea aliquando futurum erat; quòd videlicet eſſe deberet domus illius panis qui de cælo deſcendit, qui alere & confirmare debebat hominum corda. Quod inter alios aduertit D. Hieronymus in quæſt. Hebr. in Gen. cap. 35. dicens: *Ephrata & Bethlehem vnius vrbis duo ſunt vocabula, ſub diuerſa tamen interpretatione: ſiquidem Ephrata interpretatur frugifera; Bethlehem domus panis vertitur, propter eum panem, qui de cælo deſcendiſſe ſe dicit.* Vide etiam eumdem in cap. 5. Mich.

Quarta & allegorica ſignificatio ex Chriſto Bethlehem ſtruendo.

Duplex hæc poſterior intelligentia confirmatur ex S. Ioanne Chryſoſtomo Homil. 49. in cap. 2. Matth. dicente: *Locus autem iſte Bethlehem, vbi Dominus natus eſt, prophetiæ nomen acceperat: Bethlehem enim ex Hebræo in Latinum domus panis interpretatur; quia hic Filium Dei naſci oportebat, qui panis eſt vitæ: ſecundùm quod ipſe in Euangelio ait: Ego ſum panis viuus, qui de cælo deſcendi. Hic locus de quo dicitur alibi à Propheta: Deus à Libano veniet, & Sanctus ille de monte vmbroſo & condenſo.* Hæc Chryſoſtomus. In quibus poſterioribus verbis ſitus & amœnitas etiam naturalis indicatur; ſicut prioribus monſtrat prænuntiatam illius ſingularem electionem, & ſpiritualia Sacramenta. Et hæc de nomine Ephrata & Bethlehem ſatis.

Lehem & Lahem idem.

Ex quibus etiam liquet, quare *Lehem* vel *Lahem* dicatur; idem enim ſignificant, ſolo communi omiſſo nomine, id eſt, Beth, ſiue domus, quod intellectu ſupplendum eſt. *Lahem* etiam Arabicè carnem ſignificat, quod myſterio deſeruit; innuit enim eſſe domum carnis illius qui dixit: *Caro mea verè eſt cibus.*

Lahem carnem ſignificat.

Bethlehem etiam Ciuitas Dauid appellatur apud S. Lucam 2. v. 4. & 11. Aduerte hîc tamen duplicem eſſe ciuitatem, quæ tali nuncupatur nomine: alteram in monte Sion ſitam partem Ieruſalem, de qua 2. Reg. 5, 7. dicitur: *Cæpit Dauid arcem Sion. Habitauit autem Dauid in arce, & vocauit eam Ciuitatem Dauid: & ædificauit per gyrum à Mello, & intrinſecus*, &c. Hæc ſic dicta fuit, quia Rex ille eam ſtrenuè ſibi comparauit, & mirificè exornauit & reſtaurauit: alteram Bethlehem, de qua in præſentia loquimur, dictam Ciuitatem Dauid, quia ex ea fuit oriundus inſignis hic Rex & Propheta, qui ob ſuam excellentiam ſuæ patriæ nomen dare potuit.

Ciuitas Dauid, quia in ea oriundus.

Castellum ob eius exiguitatem.

Dicitur etiam Castellum Dauid, Ioan. 7. v. 42. fortè propter eius exiguitatem: fuit enim parua ciuitas, quemadmodum statim demonstrabimus.

Ex his explodituꝛ Iosephus, dum 8. Antiquit. libro asserit, Bethlehem à Roboam Salomonis filio fuisse ædificatam; nisi ædificationis nomine restaurationem intelligit; quia multo antè tempore constructam fuisse ex iam dictis manifestum est.

De quantitate & qualitate Bethlehem.

Sed quid de quantitate huius ciuitatis, naturali situ & conditione regionis, in qua est sita, dicendum est? Respondeo, Bethlehem paruam semper fuisse ciuitatem; ita enim clarè dicitur Mich. 5, 2. *Et tu Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Iuda*, &c. Quæ sententia de ista Bethlehem à Scribis & Sacerdotibus Iudæorum interpretata fuit, vt legimus Matth. 2, 5. & diuus Hieronymus in Epist. 129. ad Dardanum, *Viculum* Bethlehem appellat; & in altera quam scripsit ad Marcellam, *angustissimum orbis locum*. Et aliqui adeò paruam fuisse credunt, vt suburbia habuisse negent; quod facilè admiserim: etenim & in præsentia non possumus diiudicare quomodo magna esse potuerit, & habere suburbia, cùm ex parte eius Aquilonari sit magna vallis, vbi vineæ & campi; ex Orientali est spelunca Natiuitatis Domini, quæ vt in præsentia, ita & olim erat extra ciuitatem, vt inferiùs ostendemus sequenti Peregrin. Cap. IV. & V. & ex aliis partibus vineæ, campi; & non longè ab vrbe excisa in rupe sepulchra mortuorum, & hæc non intra sed extra ciuitatem: & in loco sterili excidebantur, vt alibi demonstrauimus.

Bethlehem parua ciuitas.

In regione fertili sita.

Regio Bethlehemitica abundat campis, vineis, collibus, vallibus, oliuetis, ficubus; vinoque præsertim & frumento stabilita est: olim in vineis Engaddi, quæ ad Bethlehem pertinebant, erat balsamus. Et sanè talibus bonis affluebat regio Bethlehemitica, vt non facilè fecunditate aliis pluribus Palæstinæ partibus cederet, sicut nec in præsentia cedit; vt meritò Ephrata & Bethlehem nomen ex sua fecunditate sibi comparauerit. Sed quidde his dicat insignis sanctæ Ecclesiæ Doctor S. Hieronymus, visu & experientia 40. annorum edoctus, videamus. In libro de locis Hebraicis hæc habet: *Bethlehem ciuitas est Dauid in sorte tribus Iudæ, in qua Saluator natus est, in sexto milliario ab Aelia*, id est, Ierusalem, *contra Meridianam plagam, iuxta viam quæ ducit Hebron, vbi & sepulchrum Iesse & Dauid ostenditur: & mille circiter passibus procul turris Ader, quæ interpretatur Turris gregis, quodam vaticinio pastores Dominicæ Natiuitatis conscios antè significans. Sed & prope eandem Bethlehem Regis quondam Iudææ Archelai tumulus ostenditur, qui semita ad cellulam nostram à via publica diuertentis principium est. Vocabatur autem Bethlehem & filius Ephrata, id est, Maria, vt in Paralipomenon libro plenius legimus.* Et paucis interpositis addit: *Ephrata est in tribus Iuda; licet plerique malè existiment esse in tribu Beniamin. Est autem iuxta viam, vbi sepulta est Rachel, quinto milliario ab Ierusalem, in eo loco qui à Septuaginta vocatur Hippodromus. Legimus Ephratam in Paralip. lib. sicut supradictum est.* Hactenus sanctus Hieronymus. Quod ait de sepulchro Dauid, intelligendum est de aliquo scenotaphio, vt alibi explicuimus; quia Dauid in monte Sion sepultus fuit, 3. Reg. 2, 1. & 2. Brocardus etiam, qui licet non tantum vt D. Hieronymus, diu tamen mansit in Terra sancta, eius loca diligentissimè perlustrauit, eorumque situm & conditionem descripsit, sequentia, quæ & nos visu edocti fatemur, dixit in Descriptione Terræ sanctæ p. 1. c. 7. §. 5. *Ab Ierusalem duabus leucis contra Austrum, est Bethlehem in monte, non tamen excelso. Mons quidem arctus est, & extendens se in longitudine ab Oriente in Occidentem. Ab Occidente patet ingressus. In fine Orientali sub rupe quadam, existente tunc temporis iuxta parietem vrbis (vt videtur secundùm illarum regionum morem fuisse locus pro stabulo habens præsepe excisum in rupe, vt moris est illic disponere præsepia) ortus est de Virgine Christus. Iuxta rupem prædictam alia est capacior, quatuor tantùm pedibus distans; sub qua excauatum præsepe fuerat, in quo Dominum Virgo reclinauit. Videtur tamen mihi, vtramque rupem vnam fuisse; sed ostio facto diuisa est, per quod in Chorum ex Capella, in qua est Natiuitatis locus, ascenditur.* Hæc Brocardus. 1. Par. 1. *In tribu Iuda.*

Beda in libro de Locis sanctis cap. 8. *Bethlehem*, ait, *in dorso sita est angusto, ex omni parte vallibus circumdato. Ab Occidente in Orientem mille passibus longa, humili fine turribus muro: in cuius Orientali angulo quasi quoddam naturale semiantrum est; cuius exterior Natiuitatis Dominicæ fuisse dicitur locus, interior Domini præsepe nominatur*, &c.

Bethlehem situ laus insignis.

Sed ad alia, quæ nostram Bethlehem magis commendabilem reddunt, accedamus; ad eius, inquam, quos genuit Heroës & præclarissimos viros, qui suis illustrissimis factis illam commendabiliorem reddiderunt, & magis quàm naturalis eius conditio, structura & opulentia.

In primis fuit Bethlehem patria Abessan, viri præclarissimi, ac Iudicis prudentissimi; cuius meminit Scriptura diuina Iudic. 12, 8.

quem-

Patria illustrium virorum.

quemque viuum aluit, posteà mortuum suscepit. Hinc fuit oriundus Elimelech, qui, Ruth 1. vrgente fame, cum Noëmi vxore sua in terram Moabitidem peregrinatus est: ibique moriens duos post se filios reliquit, qui nuptui traditi, vitam cum morte ibidem commutarunt. Deinde Noëmi in patriam reuersa est, cum nuru sua Ruth, quæ ob singularem in socrum amorem & fidem, relicta patria, maritalem domum cum socru repetiit: vbi cum Booz Ruth 4. 13. consanguineo mariti sui nupsisset, homini virtutis & auctoritatis maximæ, diu non fuit cùm concepit & peperit filium cui nomen Obed, patrem Isai, ex quo posteà natus est Dauid, qui ibidem à Samuele ex Dei mandato vnctus est Rex Israël. Atque ita Bethlehem totius Regiæ & Dauidicæ stirpis seminarium fuit, & communis patria. Par enim erat, quæ Regem cælorum editura erat, priùs tot Heroibus decoraretur, vt hominum etiam iudicio digna hæc patria censeretur, quæ, extremo virtutis opere edito, supra Heroas & homines omnes ipsum Dei Filium mundo exhiberet adorandum.

Parentes Ioseph & sponsi eius ex Bethlehem oriundi.

Parentes Ioseph & beatæ Virginis Mariæ, aliique præclarissimi viri & mulieres, ex Bethlehem oriundi erant: & sanctam Annam Dei Genitricis Matrem eiusque sorores Bethlehemitas fuisse, habemus ex Hippolyto martyre sic dicente: *Tres fuere sorores Bethlehemica filia Mathan Sacerdotis, & Maria coniugis eius, sub Cleopatra & Casoparis Persæ Regno, ante Herodis Antipatris filij Regnum. Prima Maria, secunda Soba, tertia Anna nomen erat. Nupsit prima in Bethlehem Maria, & peperit Salomem obstetricem: nupsit quoque secunda itidem in Bethlehem Soba, & genuit Elisabeth: nupsit postremò & tertia Anna in terra Galilæa, & protulit Mariam Dei Genitricem, ex qua nobis natus est Christus.* Hucusque Hippolytus. Hippolyt. Mart. apud Niceph. lib. 2. c. 3.

Probabiliter etiam ab aliquibus creditur, Ioachim patrem sanctæ Dei Genitricis oriundum ex Bethlehem, quoniam ex stirpe Dauid, propter sequentia verba Damasceni: *Ex stirpe Dauid Leui genuit Melchi, & Pantherem, Panther autem genuit Barpantherem, nam ita vocabatur: Barpanther rursum genuit Ioachim, Ioachim denique genuit sanctam Dei Genitricem.* Hæc Damascenus. Sed non video quomodo ex verbis Damasceni intentum colligi possit: nec etiam quòd fuerit ex stirpe Dauid; quia hæc non solùm in Bethlehem, sed & in alias partes fuit diffusa.

Adrichomius in Zabulon num. 88. tradit, Ioachim & Annam natos esse in Sephoro, opulentissima vrbe Galilææ. *Verùm insequendum quod Romanum tradit Breuiarium lect. 4. de Anna*, inquit Barrad. To. 1. Concord. lib. 6. cap. 3. *Anna Gaziri filia ex tribu Iuda in Bethlehem nata, Ioachimi vxor: qui & ipse ex eadem tribu Galilæus erat ex Nazareth; ambo ex stirpe Regia*, &c. Sed vbi in Breuiario id legatur, non inueni.

Simon & Mathias Apostoli, & Euaristus Papa.

Ex Bethlehem etiam & tribu Iuda, ex illustribus & piis parentibus progenitum fuisse sanctum Mathiam Apostolum, scribit Abdias Babyloniæ primus Episcopus ab Apostolis constitutus, in Actis sancti Mathiæ. Scio Baronium in Notis Rom. Martyrolog. ad diem 24. Februarij dicere Acta illa censeri spuria. Hoc non disputo: & illud asserere, ratione vel efficaci auctoritate non refragante, non est inconueniens. Euaristus etiam quartus Papa & Martyr natione Græcus, ex patre Iudæo, nomine Iuda, de ciuitate Bethlehem fuit, vt notatur in Summa Concil. in decretis huius Pontificis.

Bethlehem Natiuitatis sua illustrauit Christum.

Sed ad ampliora & supercælestia beneficia, quibus à Deo donata est nostra hæc ciuitas, mentem eleuemus. In Bethlehem nascitur Iesus Christus Dei & hominis Filius; in Bethlehem fuit circumcisus, & à Magis adoratus: ex his etenim Scriptura sacra & sancti Patres Bethlehem nostram commendarunt. Mich. 5, 2. *Et tu Bethlehem Ephrata parvulus es in millibus Iuda: ex te mihi egredietur qui sit Dominator in Israël.* Cuius vaticinij interpretationem proposito nostro inseruientem attulerunt Scribæ & Sacerdotes Iudæorum Matth. 2, 5. Quòd licet ambitu ciuitas parua esset; magna tamen ex dignitate Saluatoris quem paritura erat. Sic enim rogati à turbato Herode, *vbi Christus nasceretur*, responderunt: *In Bethlehem Iudæ. Sic enim scriptum est per Prophetam: Et tu Bethlehem terra Iuda, nequaquam minima es in Principibus Iuda: ex te enim exiet Dux, qui regat populum meum Israël.* Et ex his non solùm spiritualibus & diuinis, sed etiam temporalibus commendatur, si sequamur interpretationem Caietani in hunc locum, quæ sic habet: *Bethlehem non minima inter Principes: hoc est, in producendo Principes seu Ducet tribus Iuda; quoniam ex illa egredietur ille maximus Dux, qui reget populum Israël.* Et hoc ampliùs videmus ex Patribus sequenti Peregrinatione Cap. IV. dum agemus de sacro antro Dominicæ Natiuitatis.

Bethlehem sita parua, dignitate magna.

Interim vnicum audiamus Bernardum ex Christi Natiuitate Bethlehem laudantem, qui in Sermone primo Vigiliæ Natiuitatis Domini sic habet: *Iesus Christus natus*

natus eſt in Bethlehem Iudæ. Et vide dignationem. Non in Ieruſalem ciuitate regia, ſed in Bethlehem, quæ minima eſt in millibus Iudæ. O Bethlehem parua, ſed iam magnificata à Domino! magnificauit te, qui factus eſt in te, parum ex magno: Lætare Bethlehem, & per omnes vicos tuos feſtiuum hodie Alleluia cantetur. Quæ tibi ciuitas, ſi audiat, non inuideat pretioſiſſimum illud ſtabulum, & illius præſepij gloriam? In vniuerſa ſiquidem terra iam celebre eſt nomen tuum, & beatam te dicunt omnes generationes. Vbique glorioſa dicuntur de te ciuitas Dei; vbique pſallitur, quia homo natus eſt in ea, & ipſe fundauit eam Altiſſimus: vbique, inquam, prædicatur, vbique clamatur, quia Ieſus Chriſtus Filius Dei naſcitur in Bethlehem Iudæ. Hucuſque mellitiſſimus Doctor.

Et quid mirum, ſi ex hoc capite tantum extollitur Bethlehem? Si enim ex Dauide Chriſti figura & vmbra illuſtratur, & ad eius gloriam Ciuitas Dauid appellatur; quantò magis ex Chriſto, lucidiſſimo iuſtitiæ Sole, qui ex ea tamquam ſponſus de thalamo ſuo egreſſus eſt, illuſtrabitur?

Ac denique, vt huic Capiti & Peregrinationi finem imponamus, quid dicere debemus de hac noſtra dilectiſſima Bethlehem? Fateor etiam in præſentia propter Præſepe Domini veterem retinere nobilitatem & ſanctitatem, propter ipſum à toto orbe, à fidelibus & infidelibus ipſis, qui Chriſtum ibi fuiſſe natum agnoſcunt, pluris fieri & æſtimari; at in reliquo deſolata & mœrore confecta iacet. Non cingitur muris, nec munitur turribus, egregiiſve domibus & palatiis decoratur; ſed cuiuſque commodi & ornamenti expers. Paucas habet domos, viles & luteas, e lapidibus & luto conſtructas, partim dirutas, & partim ruinam minitantes, quæ magnam mouent miſerationem, nec ad centum pertingunt: illas pro maiori parte habitant Mauri; pauci fideles Catholici, & hos ſchiſmatici numero multùm excedunt. Vtinam quæ à Chriſto retinet dignitatem, à Chriſtianis & fidelibus ſolis inhabitetur, & naturalibus legitimiſque filiis paterna domus, è qua electi fuêre iuſto Dei iudicio, eiuſdem miſericordia reſtituatur!

In præſentia dignißima quidem ex Præſepi Domini, ſed ſtructurâ & habitatoribus miſerrima.

PEREGRINATIO II. *in qua agitur de ſacro Speu Dominicæ Natiuitatis: & pro huius argumenti perfectiori cognitione, præter alia quæ explicantur, recenſentur & elucidantur tredecim memorabilia loca.* I. *Platea Eccleſiæ S. Mariæ Bethlehem, & Schola S. Hieronymi.* II. *Monaſterium Fratrum Minorum.* III. *Eccleſia S. Catharinæ virginis & Martyris.* IV. *Eccleſia Natiuitatis Domini.* V. *Vbi Chriſtus natus eſt, in Præſepio reclinatus, & à Magis adoratus.* VI. *Vbi fuit circumciſus.* VII. *Eccleſia S. Mariæ Bethlehem.* VIII. *Sacellum S. Ioſeph.* IX. *Sacellum Sanctorum Innocentium.* X. *Oratorium S. Hieronymi.* XI. *Eiuſdem Sancti ſepulchrum.* XII. *Sepulchrum ſanctarum Paulæ & Euſtochij.* XIII. *Denique ſepulchrum ſancti Euſebij Abbatis Cremonenſis.*

CAPVT PRIMVM.

De platea maioris Eccleſiæ ſanctæ Mariæ Bethlehem, & Schola ſancti Hieronymi, primo loco ſecundæ Peregrinationis.

POſtquam pij peregrini & fideles, abſoluto ſex milliarium itinere, ab Ieruſalem peruenerunt ad ſanctam Ciuitatem Bethlehem; quoniam non propter eam præcipuè, ſed propter ſacrum antrum Natiuitatis Domini noſtri Ieſu Chriſti hoc iter aſſumpſerunt, ea ad dexteram partem & Occidentem relicta, ſe vertunt ad Orientalem plagam, in qua reſpectu Bethlehem natus eſt ille, cuius Oriens nomen eius, vt viſitent cunabula Saluatoris. Antequam verò ad ea perueniant, primò ſe illis offert platea magna, quæ eſt ante maiorem Eccleſiam S. Mariæ Bethlehem. Hæc tota eſt marmoribus quadratis delapidata: in eius parte Orientali eſt porta, in Occidentali eſt facies Eccleſiæ cum altera anguſta porta per quam eſt ad ipſam introitus; anteà magna erat. Ex Aquilonari erat magna porticus, quam pulcherrimæ marmoreæ rubeæque perlucidæ columnæ ſulciebant, vt baſes ſuperſtites præ ſe ferunt, nec non alia ædificia: cuius ruinæ & fundamenta eorum excellentiam & magnitudinem demonſtrant. Ex Auſtrali eſt Schola S. Hieronymi, de qua ſtatim, & alia ædificia quæ refecerunt Armeni: & ex omni

Platea Eccleſiæ ſanctæ Mariæ Bethlehem forma.

ni parte est ingressus in eam, præterquam ex ista Australi & Orientali.

Tres in ea cisternæ, & alia loca.

Sunt in ista platea tres cisternæ multis aquis affluentes; ad quas hauriendas aduenæ & Bethlehemitæ accedunt: quarum altera potest esse illa, cuius aquam expetiuit Dauid, cùm propter timorem Philisthinorum esset in spelunca Odolla; si illa non est, cuius mentionem fecimus Cap. XII. præcedentis Peregrinationis.

Si quis obijciat, has multo tempore post Dauidem fuisse ædificatas, quia ab Helena sancta, Paula Romana, vel aliis Christianis, vt communis habet harum partium traditio. Respondeo: Ideò hi dicuntur eas construxisse, vel quia restauratunt, dilatarúntve, vel etiam, quia priori illi Dauidicæ & Bethlehemiticæ alias addiderunt. In præsentia duæ dumtaxat apertæ sunt non longè à porta Ecclesiæ: tertia clausa est proxima portæ plateæ, ad dexteram partem ingredientibus.

Schola sancti Hieronymi quid sit; & quare sic dicta.

Schola S. Hieronymi est locus quidam longitudine & latitudine spatiosus: longitudo est quadraginta duorum gressuum, latitudo sexdecim: est affabrè elaboratus: structura ex dolatis quadratisque lapidibus constructa; & eius camera columnis marmoreis sustentatur. Appellatur autem hic locus studiorum S. Hieronymi; quoniam sanctus hic Doctor, qui maiorem partem vitæ suæ sanctè & laudabiliter apud Bethlehem consumpsit, vel in eo habebat Bibliothecam, vel excipiebat illos, qui ad eum visendum & discendi causa ibant; siue etiam vtrique operi deseruiebat. Ita habet communis harum partium traditio. Pertinet quidem hic locus ex iustitia ad Fratres Franciscanos, verùm à Turcis & Mauris in iumentorum stabulum versus est. Cùm enim isti hac transeunt, & ad Fratres diuertunt, in ea sua iumenta reponunt. Nihilominùs illum etiam fideles visitant, ob sancti Doctoris memoriam.

CAPVT II.

De Monasterio Fratrum Minorum sancti Francisci apud Bethlehem, secundo loco secundæ Peregrinationis.

EX prædicta platea per paruum ostium est ingressus in vestibulum Ecclesiæ S. Mariæ; & ex isto per magnam portam Ecclesiam ingredimur; & ex hac statim egredimur per paruum ostium ad Aquilonē positum, & Monasterium, quod ab antiquo vsq; ad præsens tempus habitant Franciscani Fratres. Olim erat magnum atq; egregium, necessaria habens ad commodam habitationem Monachorum. Claustrum quod olim, & nunc habet, etsi pristinum splendorem non retineat: cetera loca vel destructa, vel multùm demolita sunt, & vetustate consumpta; satisque est, ea vt sunt conseruari posse, Mahometanis, ne reædificentur vel reficiantur, prohibentibus. Vnde pauci possunt in eo commode habitare Religiosi, decem vel quatuordecim circiter, secundùm eorumdem maiorem vel minorem numerum in Terra sancta commorantium. Tempore verò aduentus peregrinorum, & in solemnitatibus quæ in Bethlehem celebrari consueuerunt, quando magnus est hospitum concursus, meliori quo potest fieri modo hospitantur omnes.

Monasterij conditio.

Creditur à nonnullis fuisse hoc Monasterium peregrinorum hospitium, vel vnum ex quatuor Monasteriis, quæ sancta & venerabilis Paula apud Bethlehem ædificauit; & illud probabilius quòd pro viris, in quo S. Hieronymus cum aliis Monachis habitauit. Etenim vsque in hodiernum diem ostenditur in eius plaga Aquilonari magnus locus sub dio, vbi magnum erat pro Religiosis Refectorium; & vt olim, ita & nunc Refectorium sancti Hieronymi appellatur.

A Paula ædificatum.

Intra septa huius Monasterij viridarium est: non caret cisternis, & aliis habitationi Fratrum necessariis. Ex hoc ingredimur Ecclesiam sanctæ Catharinæ virginis & Martyris, cui contigua est.

Ab aliis deserticum, Minoritis concessum.

Datum fuit hoc Monasterium cum Ecclesiis (plures enim sunt, vt postea apparebit) Fratribus S. Francisci; quia non erant Religiosi illius Ordinis, quibus primò eius custodiendi cura demandata fuit. Et secundùm iura, huiusmodi loca sic derelicta, ab alterius Ordinis Religiosis reformari & occupari possunt. Concessaque fuit facultas, & à pluribus Summis Pontificibus confirmata, illud retinendi cum aliis, & noua recipiendi secundùm opportunitatem, prout dictum fuit Lib. I. Capite LXVIII. & Lib. III. Cap. XXI.

CAPVT III.

De Ecclesia sanctæ Catharinæ virginis & Martyris, tertio loco secundæ Peregrinationis.

Apud Bethlehem tres Ecclesiæ.

TRes Ecclesiæ memorabiles sunt apud Bethlehem & Præsepe Domini: altera appellatur S. Catharinæ virginis & martyris; altera Ecclesia Natiuitatis Domini nostri Iesu Christi; & tertia denique S. Mariæ Bethlehem: de quibus singulis proposito ordine distinctisque Capitibus agendum

dum est; & præsenti Capite de priori sanctæ Catharinæ: in hac etenim continuò die noctuq; diuinis laudibus & officiis Deus optimus maximus colitur; in hac venerandum tremendumque Altaris Sacramentum asseruatur; & in hanc denique primò peregrini & hospites introducuntur, vt Deum venerentur, eique pro acceptis beneficiis gratias referant. Et de ista duo videbimus, eius conditionem & rationem nominis.

Prima, sancta Catharina:

Quantum ad primum, Ecclesia hæc sanctæ Catharinæ est intra septa Monasterij Fratrum, & ad Orientalem plagam Bethlehem, sicut & aliæ duæ, vt anteà innuimus: longitudinis est gressuum quadraginta octo, & latitudinis duodecim. Antiquissima est, vt eius structura demonstrat: muri magni & crassi valdè; & vnus qui respicit Meridiem, seruit etiam pro muro maioris Ecclesiæ S. Mariæ. Tota plana est camera ex lapidibus, vt & residuum, & calce incrustata absque antiquis picturis. In introitu, qui est in principio Ecclesiæ, est cisterna optimam continens aquam; è cuius regione in capite est maius altare sanctæ Catharinæ dicatum: à qua etiam cisterna tali appellatur nomine. In medio Ecclesiæ est chorus secundùm morem antiquum: in medio est porta, & extra hinc inde altare: retrocedendo in extremitate huius Ecclesiæ est ostium, per quod & subterraneam scalam descendimus ad Ecclesiam Natiuitatis Domini, & ad alia sancta loca.

illius forma:

In ea cisterna.

Ratio nominis Ecclesiæ.

Quantum ad secundum, quare sit hæc Ecclesia appellata S. Catharinæ virginis & martyris, non omnes conueniunt. Dicunt quidam, quia sancta ista ibi visibiliter fuit à Christo desponsata: inter quos videtur esse Bonifacius, qui sic scribit lib. 1. de Perenni cultu Terræ sanctæ: In eodem loco (Bethlehem) fit festum sanctæ Catharinæ virginis & martyris in Ecclesia eius; & in eodem loco, in quo ipsi visibiliter Christus apparuit, & eam annulo fidei suæ subarrhauit. Ista autem facta fuisse credimus eo tempore, quo ista virgo visitabat mysteria Terræ sanctæ. Hæc ille.

Aliquorum sententia.

Reijcitur.

Verùm non multùm hæc probatur sententia; tum quia, quod de visibili sponsalitio asseritur, quidam dubium habent, & quidam vt apocryphum reijciunt: quod si ita esset, non possemus locum illius assignare. Sed id tamquam verum pietatique consonum admittatur, non tamen aliud, quia Alexandriæ nata, baptizata & Christiana effecta fuit, & statim à Christo desponsata, vt in eius Historia legimus, communisque videtur sententia. Et præterea nescio vbi inueniatur, virginem istam loca sancta visitasse: & oppositum potiùs credendum, ex eius vita mihi persuadeo.

De patria S. Catharinæ duæ sententiæ.

Est tamen & alia sententia, quæ asserit, *Virginem* sanctam virginem Catharinam Salaminæ, *tia.* clarissima Cypri ciuitate, postea Constantia appellata, in lucem fuisse progenitam: quam sententiam probabilem dicit Gretserus lib. 2. de Sacr. Peregrin. cap. 20. vbi de his plura. Quæ postea vel cum parentibus sedem & facultates Alexandriam transferentibus, & ipsa profecta fuit, vel vrbis visendæ, vel potiùs studiorum gratia missa est à parentibus, vt aliæ præstantissimæ mulieres, quæ publica studia cum laude frequentarunt. Et si hæc sententia vera, potuit, quando iuit Alexandriam, priùs inuisere toto orbe celebrem Ierosolymam & illustrissimam Bethlehem, ibique accidere potuerunt quæ opinatur Bonifacius: verùm ista in simplici suspicione fundantur.

Dicendum ergo aliter, sanctæ Catharinæ nomenclaturam obtinuisse hanc Ecclesiam, ob singularem deuotionem, quam habuerunt qui eam ædificauerunt ad hanc sanctam Virginem & Martyrem; sicut simili ratione accidit in aliarum plurium Ecclesiarum fundatione. Nec cogimur in his partibus semper ad particularia mysteria recurrere, quasi non illis licuerit aliqua facere ex sola deuotione, sicut in aliis partibus fit. Et si fuit à Paula vel etiam Helena ædificata, id valdè mihi probabile est; quoniam sancta Catharina communis est virginum & sanctarum mulierum Aduocata.

S. Catharina in Oriente magna in veneratione habetur.

Et præterea in partibus istis ab omnibus in magna veneratione habetur sancta hæc Virgo & Martyr Alexandrina. Et ea præsertim, vt credo, ratione; quia cùm notior esset Græcis, Latinis etiam notissima facta est ob peculiaria patrocinia præstita in expeditione Terræ sanctæ, vt dicitur in Notis Baronij ad Martyrol. Roman. ad diem 25. Decembris. Quare meritò & Latini fideles in his partibus Ecclesias ædificasse sub huius Sanctæ inuocatione, & hanc, de qua loquimur, esse vnam ex illis, credere pium & rationabile est.

CAPVT IV.

De Ecclesia & Specu Natiuitatis Domini nostri Iesu Christi, quarto loco secundæ Peregrinationis.

ILlustrissimus ac totius orbis dignissimus locus est in extrema Orientali parte ciuitatis Bethlehem prope muros extra in rupe, nescio an manibus hominum excisus, an Dei potiùs peculiari ministerio in humil-

Præstabilis loci Natiuitatis Domini.

humillimo ac demisso loco fabricatus, cælum tamen ipsum excellentia & dignitate coæquans: stabulum animalium, at quacumque aula regia dignius & illustrius: agrestis ac pauperrima rupes, sed cæli diuitias ac delicias continens, alter in terris paradisus: vbi nobis, etiam in hac miseriarum valle degentibus, cælestibus æternisque deliciis perfrui licet.

Euprepes scelo simile.

Quid enim in cælo inuenitur vel desiderari potest, quod in angustissimo, sed augustissimo isto loco non inuehiatur? Si in cælo Deus est, & videtur glorioſus, & in loco isto idem Deus est, & videtur gloria
Ioan. 1,14. & honore coronatus. *Et Verbum caro factum est, & habitauit in nobis: & vidimus gloriam eius, gloriam quasi Vnigeniti à Patre, plenum gratia & veritatis:* dixit dilectus Christi discipulus. Si in cælo nascitur ex Deo Patre Deus, & in loco isto ex Deipara Virgine & incorrupta Matre nascitur homo Deus. Si in cælo Deo canunt Angeli, & non cessant quotidie clamare, dicentes: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus sabaoth.* & hic cantant: *Gloria in Altissimis Deo.* Si in cælo Reges, depositis è capitibus suis coronis, proni Deum adorant, vt dixit Ioannes: & hunc locum intrantes Orientales Reges, procidentes eumdem adorauerunt, vt dixit Matthæus. Si in cælo exultat chorus iustorum gloriam Domino decantans; & hic exultant iusti, dicentes: Gloria tibi Domine.

Vnicum verbum sufficeret ad huius celeberrimi & numquam satis laudati loci commendationem, quòd in eo Christus Iesus, Æterni Patris Filius, factus homo de Virgine Maria nasci dignatus est; sed ad maiorem eius declarationem, alia subijcimus, & præsenti Capite tria explicabimus: alterum, locum Natiuitatis Domini fuisse extra muros ciuitatis Bethlehem: alterum, num hic locus antrum vel domus fuerit; & tertium denique, hunc illum esse de quo loqui intendimus, & veneramur: cetera ad eumdem spectantia quinque proximè sequentibus Capitibus expendemus.

De loco Natiuitatis Domini duæ sententiæ.

De primo quæstio est, Num intra vel extra ciuitatem Bethlehem natus sit Christus, aliis intra aliis extra natum affirmantibus.

Prima, fuisse intra Bethlehem.

Et quòd intra, probatur primò oraculo Michææ 5, 2. quod est apud Matthæum cap. 2, 6. vbi dicitur, natum esse Christum in Bethlehem Iudæ; sicque dictum esse per Prophetam. Item Angelus ad pastores dixit, natum esse in ciuitate Dauid, Lucæ 2,11. in ciuitate, non extra.

Tria argumenta. Primum.

Secundum.

Secundò, ad idem facit opinio quæ asserit, Præsepium, vbi Christus fuit reclinatus, fuisse in diuersorio; quoniam hoc erat intra ciuitatem.

Tertium.

Tertiò, Lucæ cap. 2, 4. inquit ascendisse Ioseph de Nazareth, & venisse Bethlehem, vt profiteretur ibi cum Maria desponsata sibi vxore prægnante, ibique peperisse.

Paupercula fuit domus.

De secundo, quòd non spelunca sed domus fuerit, docuit Nicephorus lib. 1. Histor. cap. 12. & paupercula domus Ioseph. Et sanctus Cyprianus de Operibus Cardin. in Natiuit. Christi; *Nullum*, inquit, *arcta domus diuersorium occultabat, nec secreti recessus erant illius casulæ: instrustratum tectum, & soli parietes per circuitum vestiebant.* Eadem pauci alij opinantur.

Secunda sententia & vera.

Verùm opposita communis sententia est, locum Natiuitatis Domini esse extra muros ciuitatis, non pauperculam & rusticanam domum, sed speluncam in rupe habentem præsepe in saxo excisum, quò diuertebant qui vrbem ingredi non poterant, vel in ea hospitari.

Extra Bethlehem in spon.

Probatur.

Et vtrumque videtur deduci posse ex Euangelio, in quo legimus primò, pastores nocte monitos fuisse de Christi natiuitate, ipsumque inueniendum in præsepio: qui festinantes iuerunt, & inuenerunt sicut ad illos dictum fuit. Sed nocte castelli & ciuitatis portæ clausæ manent; ergo extra Christum in præsepio inuenerunt.

Primò.

Secundò.

Secundò, quia, vt posteà indicabimus, Magi in spelunca ista Dominum adorauerunt: & factum ipsorum Herodi vel Bethlehemitis notum non fuit, vt probabiliter creditur; aliter Herodes quod intendebat contra natum Regem obtinuisset. Et diuina ordinatione arbitror factum, vt intra Bethlehem in diuersorio non esset pro Virgine puerpera locus, vt dum extra pareret, malevolis eius prodigiosus partus incognitus esset, & Magorum adoratio: quod non facilè possemus affirmare, si intra vrbem in domo natum & adoratum Christum dicamus. Et verisimilius est, speluncam fuisse extra quàm intra muros.

Tertiò.

Deinde hic videtur esse communis Patrum consensus. Iustinus Martyr, scriptor vetustissimus, Dialogo cum Tryphone hæc habet: *Nato autem tum puero in Bethlehem, quia Ioseph in vico eo non habuit quò diuerteret, in specum quemdam vico proximum concessit.*

Origenes lib. 1. contra Celsum ait: *Quòd autem in Bethlehem sit genitus Iesus, si velit aliquis post Michæa vaticinium & post scriptam in Euangeliis per Iesu discipulos Historiam, & aliunde fieri certior, consideret vt subsequenter in Euangelio, cùm eius Natiuitas enarratur, & in Bethlehem spelunca ostenditur vbi ille sit natus; quod vtique & in illo lo-*

Infideles veritati testimonium perhibent.

cis percelebre est, vt apud eos quidem, qui à fide sunt alieni, fama & nomine circumferatur, eadem in spelunca Iesum quendam, quem Christiani adorent & demirentur, genitum esse. Hæc Origenes.

Eusebius de Demonstr.Euang.lib.7.c.5. ait: *Hodie quoque, qui illum locum incolunt, tamquam à patribus eorum accepta memoria, his qui visendi gratiâ Bethlehem petere consuenerunt testimonium suum afferunt, veritatem fidei facientes, agrumq; demonstrantes, vbi Virgo enixa infantem posuit.* Hæc ille.

Speluncæ huius meminerunt Athanasius Serm. de Natiuit. Christi apud Lipomanum Tom.8. Damascenus in Carmine de Natiuitate Christi. Scholiastes Græcus in cap. 21. Matth. inquit: *Etiam Matrem habuit pauperculam, & in spelunca nascitur, inq; præsepi reponitur.*

Chrysologus Serm. 175. idem indicasse videtur, dum dixit, natum esse Christum in via; pulchram etiam assignans rationem

Christus in via quærendus.

his verbis: *Necessariò via generatur in via. Ego sum, inquit, via: vt omnis aditus excluderetur erroris, & viator tandem iter peteret, qui terreni itineris incassùm diu sordes pertulerat & labores.* Hæc ille, & plures alij idem.

Sed vnum audiamus sanctum Hieronymum testem omni fide dignissimum propter egregiam eius sanctitatem & doctrinam, longamóque moram apud Bethlehem ad Præsepe Domini: hic tum alibi, tum Epist.ad Marcellam hoc docet sequentibus aureis verbis: *Verùm vt ad villam Christi & ad Maria diuersorium veniamus (plus enim laudat vnusquisque quod possidet) quo sermone, qua voce tibi speluncam Saluatoris exponam? Et illud præsepe, in quo Infantulus vagiit, silentio magis quàm infimo sermone honorandum est. Vbi sunt lata porticus? vbi aurata laquearia? vbi domus miserorum pœnis & damnatorum labore vestita? vbi instar palatij opibus priuatorum extructa basilica, vt vile corpusculum hominis pretiosius inambulet; &, quasi mundo quidquam possit esse ornatius, tecta magis sua velint aspicere, quàm cælum? Ecce in hoc parvo terræ foramine calorum Conditor natus est: hîc involutus pannis: hîc visus à pastoribus: hîc demonstratus à stella: hîc adoratus à Magis.*

Bethlehem Româ opportunior Monachis habitatio.

Et hic puto locus sanctior est Tarpeia rupe, quæ de cælo sæpiùs fulminata, ostendit quòd Deo displiceat. Est quidem ibi sancta Ecclesia, sunt trophæa Apostolorum & Martyrum, est Christi vera confessio, est Apostolorum prædicata fides; &, gentilitate calcata, in sublimitate quotidie erigitur vocabulum Christianorum. Sed ambitio, potentia, magnitudo vrbis, videri & videre, salutari & salutare, laudare & detrahere, vel audire vel proloqui, & tantam hominum frequentiam videre, à proposito Monachorum & à quiete aliena sunt: aut enim videmus ad nos venientes, & silentium perdimus; aut si non videmus, superbiæ arguimur. Interdum, vt visitationibus reddamus vices, ad superbas fores pergimus; inter linguas redentium ministrorum postes ingredimur aurates. In Christi verò villa, vt suprà diximus, tota rusticitas est: extra Psalmos silentium est: quocumque te verteris, arator stimulum tenens alleluia decantat: sudans messor se Psalmis anocat: & curua attondens vites falce vinitor, aliquid Dauidicum canit. Hæc sunt in hac prouincia carmina, hæ, vt vulgò dicitur, amatoriæ cantiones. Hucusque fuere verba Hieronymi; quæ vt digna pulchraque repetit in alia Epistola quam nomine Paulæ & Eustochij ad Marcellam scripsit, dum eam cohortatur, vt, Roma relicta, commigret Bethlehem. In Epistola verò ad Paulinum de Institutione Monachi, sequentia ad nostrum propositum habet: *Bethlehem nunc nostram, & angustissimum orbis locum, de quo Psalmista canit, Veritas de terra orta* Psal.84.12 *est, lucus inumbrabat Thamus, id est Adonidis; & in specu, vbi Christus quondam parvulus vagiit, Veneris amasius plangebatur.* Hæc ille.

Hæc sententia illustrari potest ex Isaiæ vaticinio cap. 33, 16. vbi de Christo loquens, ait: *Iste in excelsis habitabit; munimenta saxorum, sublimitas eius.* Quem locum Septuaginta ita legunt: *Hic in excelsa petra fortis spelunca habitabit.*

Denique ita sentit Cardinalis Baronius Tom. 1. Annalium, Brocardus, Beda, quos retulimus extremo Capite præcedentis Peregrinat. & quorquot de locis Terræ sanctæ scripserunt; & communis traditio est.

Locus Natiuitatis Ecclesiâ decoratus est sectus ex Bethlehemitico.

Ex dictis patet, quid respondendum sit ad id quod fuit tertio loco propositum, sacrum antrum Dominicæ Natiuitatis, quod nunc vt tale colimus, & in Ecclesiam conuersum, verè esse illud in quo Saluator noster natus est, in Præsepio reclinatus, & adoratus à Magis. Etenim ita communis docet traditio, nec alius ab isto intra vel extra Bethlehem monstratur Natalis Domini locus, sed semper is fuit habitus nedum à fidelibus & sanctis Patribus, sed & ab ipsismet infidelibus, vt suprà ex Origene fuit indicatum. Hinc factum est, vt quamuis eo tempore, quo Adrianus Romanorum Imperator Iudæam Romanis legibus subiugauit; & sicut alia loca, quæ Christiani singulari cultu prosequebantur, ita & hunc contaminauerit, & illius memoriam de mentibus hominum prorsus auferre nisus fuerit; ob idque supra ipsum erexerit Veneris

Adrianus illum memoriam auferre studuit.

neris & Adonidis idolum, vt suprà relatus Hieronymus, Paulinus ad Seuerum Epistola 11. & alij tradiderunt. Verùm, reddita Ecclesiæ pace, sacro loco expurgato, comminutis idolis quæ ibi à Gentibus colebantur, ad cultum Christianum conuersus est, ibique Ecclesia mirifico opere ædificata fuit, quam Turcæ ipsi ingredientes, qui illibatam Christi ex Virgine Natiuitatem confitentur, locum eius contemplantes, attoniti & stupentes venerantur, vt frequenter à me & aliis fuit obseruatum.

Turcæ ipsi sanctum locum venerantur.

A fidelibus habitatum.

Denique isto intuitu hic semper habitarunt præstantissimi viri & mulieres doctrina & sanctitate celebres, vt D. Hieronymus, eius discipulus Eusebius Cremonensis Abbas, cum aliis sanctis ac piis Monachis, sancta Paula Romana, cum eius filia virgine Eustochio, & aliis sanctis Virginibus Deoque sacratis mulieribus. Et nunc ego, quamuis indignus & miserrimus peccator, Dei peculiari beneficio vitam hic dego cum aliis Fratribus D. Francisci, qui, vt olim, ita & in posterum Dei gratia sacratissimum venerabuntur locum. Et intuitu loci Natiuitatis Domini ex omnibus mundi partibus olim huc confluebant fideles, & ad eumdem venerandum in præsentia venire non desinunt. Nec ratio vel auctoritas, quæ allatæ veritati & traditioni refragetur, inuenitur: & quæ obstare videbantur, nunc dissoluemus.

Responsio ad argumenta primæ sententiæ.

Duo priora primæ difficultatis Euangelistæ loca, quæ videntur indicare Christum natum intra vrbem, quia præpositio *in* id indicare videtur, non obstant; quia illa significationes diuersas habet, & inter alias hanc, vt *apud*, vel *coram*, denotet. Lege quæ præcedenti Peregrin. Cap. xii. notauimus.

Ad primum & secundum.

Et Paulo I.C. teste, Romæ natus dicitur, qui ad vrbem natus est; ita dicendum hîc, idem esse, dicere Saluatorem natum esse ad Bethlehem, & in Bethlehem.

Ad tertium.

Ad tertium dicitur, Ioseph um cum Maria veniisse quidem Bethlehem vt intus morarentur; sed quoniam non fuit pro eis locus, foris manserunt. Præterea, non dicuntur foris fuisse, quia non erant foris, vt essent foris, sed vt describerentur intus, tamquam oriundi ex ciuitate: & propterea erant ibi in ciuitate quantum ad officium professionis, & per se, quamuis per accidens præter intentum morarentur extra muros, vt in cap. 2. Luc. loquitur Caietanus.

Ad aliud de rusticana domo.

Ad auctoritatem Doctorum pro secunda difficultate, Christum natum fuisse non in spelunca & præsepio, sed in rusticana domo; dicendum Primò, antrum hoc proprio nomine non appellasse, speluncæque non meminisse; quoniam pro pauperçula domo pauperibus deseruiebat, atque ab vsu domunculam appellarunt: verè enim pro domo aliquibus diebus Mariæ Virgini, Filio Iesu, & sponso Ioseph deseruiit.

Vel secundò dicatur, illos fuisse locutos secundum Scripturæ consuetudinem, quæ quemlibet locum, vbi aliquid recipitur, domum appellat, vt vltimo Capite præcedentis Peregrinationis monuimus, & dicemus huius Cap. viii. etsi verè spelunca fuerit.

Tertiò, etsi proprie quis contendat fuisse locutos, illis ignoscendum est; quia loca sancta non viderunt, & regionis consuetudinem non cognouerunt, quæ est vt pauperes ad speluncas diuertant: de qua Capite sequenti. Plura de his, & benè, Suarez 2. To. in 3. P. S. Thomæ disp. 13. sect. 3.

CAPVT V.

Præsepe Domini fuerítne locus intra diuersorium, an extra: & aliquid de boue & asino, qui natum Dominum cognouerunt.

Vna sententia.

VIdimus, sacrosanctum quem veneramur Dominicæ Natiuitatis locum, esse specum extra ciuitatem Bethlehem prope muros, & secus viam: nunc inuestigandum est, an fuerit locus separatus ab illo quem sanctus Lucas diuersorium appellat, an potiùs præsepe intra ipsum diuersorium constitutum. Arbitrantur quidam, speluncam esse ipsummet diuersorium in quo erat præsepe, vbi fuit infans reclinatus; & verba Euangelistæ, *Et reclinauit eum in præsepio, quia non erat eis locus in diuersorio*, hunc reddere sensum: Beata Virgo reclinauit Filium suum in Præsepio, quia commodior & aptior locus in spelunca non erat, quæ diuersorium dicta est ab euentu, quia ad eam diuertit B. Maria Filium suum paritura: sicque isti non faciunt eam commune diuersorium, sed particulare, quoniam ex eo quòd eò diuertit Maria, volunt nomen accepisse.

Prima, speluncam fuisse diuersorium vbi erat Præsepe.

Beda. Carthus. Barrad.

Luc. 2, 7.

Lyranus arbitratur præsepe fuisse intra diuersorium, & Ioseph illud construxisse pro boue & asino, quos secum duxerat, in quo Virgo infantem enixa reclinauit, opportuniorem non nacta locum in diuersorio. sic enim ait in ea verba Luc. 2. *Quia non erat eis locus in diuersorio.* Est enim diuersorium, ad quod diuertunt venientes ab extra ad hospitandum: ciuitas autem Bethlehem tunc erat plena populo, qui venerat ad prædictam professionem; & illi, qui erant potentiores, occupauerant loca maiora; & ideò, licet Ioseph erat de nobili genere, vt prædictum est, non

Secunda, Præsepium fuisse in diuersorio, & ita ab eo diuersum.

tamen erat de ditioribus; & ideò ita paruum locum habuit, quòd Saluator natus, in præsepio reclinatus fuerit, &c.

Tertia, Præsepium esse distinctum à diuersorio, nec in isto inclusum.

Aliter dicendum arbitror, diuersorium, de quo loquitur Lucas, esse distinctum locum à præsepio, nec hoc includi in eo vt in communi loco, sed esse prorsus extra illud; quia diuersorium erat in ciuitate, & præsepium extra. Addo tamen, præsepe illud posse dici diuersorium propter diuersores qui ad ipsum se recipiebant, qui in diuersorio ciuitatis hospitari non poterant; quia erat singularis locus, & specus præsepe appellatus; nam, secundùm Isidorum, diuersorium dicitur in quo diuersi conueniunt. & eo nomine ipsum appellauit S. Hieronymus infrà adducendus.

Harum partium consuetudo circa viatorum hospitia.

Ad horum intellectum consideranda est harum partium consuetudo, in oppidis & ciuitatibus esse loca quædam quæ vulgò *Cam* appellantur, vnus vel plures, secundùm illarum magnitudinem, & itinerantium frequentiam; propriè diuersoria, & publica, in quæ viatores & peregrini se recipiunt, vbi cibum coquunt, comedunt, suo pabulo iumenta pascunt, suisque calcitris indormiunt. Et hanc consuetudinem olim etiam viguisse, non videtur dubitandum, cùm ea posita commodè locus aliquis Scripturæ explicetur, & ratio aliter dicendi non obstet. Modò, cùm Bethlehem ciuitas parua fuerit, credendum est, vnicum dumtaxat habuisse diuersorium, cuius singulariter meminit Lucas. Ad hoc se contulit Ioseph cum Maria tempore descriptionis, vt in eo hospitaretur. Verùm quia plenum erat diuersoribus, coactus est discedere, & aliò se transferre. Et quò? in specum, qui præsepe dicebatur, extra ciuitatem: etenim & speluncæ locaque communia reperiuntur extra ciuitates, in quæ se recipere possunt incólæ & aduenæ cum suis iumentis, qui casu aliquo vel ingredi in vrbem non possunt, vel in eadem hospitari; vel quia commodius est extra manere.

Quomodo Maria & Ioseph ad diuersorium ierint, & inde ad præsepium se receperint.

Præsepe extra diuersorium fuisse, probatur.

Et quòd præsepe esset extra diuersorium, videntur indicare verba Euangelistæ: *Et reclinauit eum in præsepio, quia non erat eis locus in diuersorio.* at fuisset locus in diuersorio, si in eo fuisset præsepium vbi fuit Christus reclinatus.

In loco singularis pluribus communis.

Quòd etiam esset præsepium specus singularis & pluribus communis Præsepe appellatus, præter dicta Capite præcedenti ad idem addo sequentia: Primò Luc. 2. pluries, ter videlicet, v. 7, 12, 16. Græca Lectio ingeminat articulum, locum determinans singularem τῇ φάτνῃ: articulus enim τῇ præsepe singulare innuit. Secundò, si Angelus indefinitè præsepe indicasset, perreptandum pastoribus fuisset per omnia circumiacentia loca, & quærendum quis infans cubaret in præsepio.

Ita etiam sentit Caietanus: expendens enim illa verba Angeli ad Pastores, *Et inuenietis infantem pannis inuolutum, & positum in præsepio*, inquit: *Non in cunis. Hic insinuatur, quòd præsepe illud notorium erat, vnicum & commune; alioquin Angelus aliquam particularem conditionem addidisset, ad distinguendum illud præsepe ab aliis: ex eo enim quòd nullam aliam conditionem apposuit, apparet, quod solum erat notorium & commune; alioquin dicendum fuisset, In præsepio talis domus, aut talis Domini; quoniam non est verisimile non fuisse multa præsepia in ciuitate Bethlehem. Et hoc fortè attestatur, quòd hoc erat vnicum publicum iuxta muros notorium, quod velut per antonomasiam appellatur ibidem præsepe seu præsepium; & ideò Angelus more illorum loquens, dixit, In præsepio, absolutè.* Hæc ipse. Quæ si vera sunt, præsepij nomine non esset intelligendus locus immediatus in quo sanctissima Deipara Filium suum reclinauit, sed communis. Luc. 2.

Præsepium esse peculiare, paruum præsepium intelligi potest.

Nihilominùs adhuc valdè probabile mihi videtur, præsepij nomine posse intelligi nedum commune illud antrum, sed etiam præsepium iumentorum vbi positus fuit sanctus infantulus: factum illud fuerit à Ioseph pro boue & asino, vt dixit Lyranus, vel quomodolibet ibidem esset; quoniam dixit illud Angelus pastoribus pro signo, quod nescio an fuisset sufficiens signum, si vltra communem locùm etiam peculiarem non indicasset: quia potuerunt ibi esse aliæ mulieres cum suis infantibus pannis inuolutis. Et potuissent dicere pastores: Angele Dei, in tanta multitudine quæ nunc confluit Bethlehem vt describatur, possunt esse plures mulieres cum suis infantibus; quæ non admissæ in diuersorio, ad præsepe & antrum diuertere potuerunt: cuius ergo erit infans & Redemptor Christus? Tollitur hæc difficultas, si præsepij nomine nedum commune, sed etiam immediatum præsepium intelligamus: optimum profectò signũ, quoniam in fœno & præsepio infantuli recentet nati collocari nõn consueuerunt. Dicere ergo voluit Angelus: Ite, ô pastores, ad Bethlehemiticum præsepium, in quo inuenietis infantem quem Virgo Mater peperit, & in paruo præsepio collocauit, & hic est Saluator mundi. Et omnes picturæ id indicare videntur.

Erant in specu duo animalia quæ Domino obsequia exhibuerunt.

In isto specu & præsepio duo erant animalia, quæ nato infantulo & Domino inseruierunt, vt, præter picturas veteres & recentio-

centiores, omnes ferè Doctores docent, aptantque ad hoc probandum quod dixit Isaias: *Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui*, &c. & Habacuc cap. 3. hic enim, vbi Lectio vulgata habet, *In medio annorum notum facies*, Septuaginta legunt: *In medio duorum animalium cognoscêris*. Et hanc lectionem & interpretationem amplectitur Ecclesia in Officio Natiuitatis & Circumcisionis Domini.

Isa. 1, 3. Lege Cattho hic.

Sanctus Hieronymus Epist. 27. ad Eustochium, loquens de eius sancta Matre quando venit Bethlehem, sequentia ad propositum scribit: *Inde Bethlehem ingressa, specum Saluatoris introiens, postquam vidit sacrum Virginis diuersorium, & stabulum in quo cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui, vt illud impleretur quod in eodem Propheta scriptum est: Beatus qui seminat super aquas, vbi bos & asinus calcant*, &c. Hæc Hieronymus. Idem docent Eucherius in Homil. Gregorius Nazianzenus de Christi Natiuitate, Gregorius Nyssenus de Christi Generatione, Paulinus ad Seuerum Epist. 11. & complures alij. & sancta denique Ecclesia, quæ in Officio Natiuitatis Domini & Epiphaniæ inquit: *O magnum mysterium & admirabile Sacramentum, vt animalia viderent Dominum natum iacentem in præsepio!* Et fortè propter hæc animalia, hoc sacrum antrum stabulum & præsepium appellatum est.

Specus ab animalibus præsepium dictus.

Ecclesia in 4. & 8. Natiuit. & 8. Epiph.

Sed vndenam hæc in isto loco animalia? D. Bonauentura & D. Vincentius aiunt Iosephum in Bethlehem bouem asinumque duxisse. Lyranus adiunxit, asino vectam fuisse Deiparam Virginem, bouem ductum vt venderetur. Historiæ Magister, *Fortè*, inquit, *ibi Ioseph præsepium fecerat boni & asino, quos secum adduxerat, in quo repositus est Iesus*, &c. cui adhæserunt Lyranus & Carthusianus.

Vnde ea adducta animalia; & ad quid.

Chrysostomus Homil. de Natiuitate, putat Ioseph & Virginem iumento caruisse: *Ioseph*, inquit, *& Mater Domini non habebant seruum, non ancillam, de Nazareth soli veniunt, non habebant iumenta*, &c. Quod si verum est, potuerunt iumenta illa esse aliena. vnde Carthusianus Luc. 2. *Ioseph*, inquit, *bouem & asinum secum fertur duxisse, vehens Virginem super asinum, & bouem pro necessariis in itinere vendere volens. Quamuis aliqui putent, animalia illa aut saltem bouem aliunde fuisse adducta.* Hæc ille.

Iosephum duxisse bouem vt venderet, non mihi satis probatur; etenim ob itineris prolixitatem magis incommodum quàm commodum attulisset. Et ante discessum è Nazareth, maritum sedulum necessaria præparasse, probabilius est. Magis probabile, asinum proprium fuisse, & bouem alienum. Sed non credo à vero aberrare dicentes, prædicta iumenta aliorum fuisse qui ad præsepe illud diuerterunt; vt consueuerunt perducere harum regionum pastores & bubuli.

Ex his omnibus constat, antrum Dominicæ Natiuitatis fuisse communem locum extra diuersorium quod erat in ciuitate, in quo non habuit locum beata Virgo Maria: & in illo erant bos & asinus Saluatori obsequium exhibentes. Et hæc de communi loco Natiuitatis Domini; de peculiaribus in eodem contentis, Cap. sequenti.

CAPVT VI.

De locis peculiaribus spelunca Natiuitatis, in quibus Christus natus est, in præsepio reclinatus, & à Magis adoratus, quæ quinto loco honorantur in secunda Peregrinatione.

IN specu sacratissimo & diuinissimo præsepio tria distincta loca tribus peculiaribus mysteriis consignata fideles venerantur, Natiuitatis Christi, eiusdem reclinationis in præsepio, & adorationis Regum. De circumcisione Christi quam in eodem specu accidisse, etsi locus peculiaris illi non assignetur, agemus Capite IX. Pij namque fideles, in horum mysteriorum memoriam, specum in cryptam conuerterunt, & distincta loca in ea designarunt, prout creditur sacra mysteria in illis contigisse.

Tria distincta loca, Natiuitatis, Præsepij, & Adorationis Magorum.

Hæc Basilica posita est sub Ecclesia maiori sanctæ Mariæ, de qua in sequentibus erit sermo. Eius pauimentum & parietes teguntur marmoreis tabulis cinerei coloris, siue albi cum venis nigri intermixtis: camera olim tota opere musaico operiebatur: sed in præsentia totum ferè antiquitate corruit; & ad eius ornatum & decorem, secundùm tempus, alia superinducuntur ornamenta. De eius & locorum particularium quantitate posteà.

Situs & forma Basilicæ Natiuitatis.

In eius superiori parte & Orientali est locus vbi B. Virgo Maria peperit Filium suum vnigenitum, & in terra positum supplex adorauit: in cuius memoriam ibi capellula constructa est. Eius planum siue locus, qui primò natum Redemptorem suscepisse creditur, est circularis figuræ, mediæ sphæræ siue dimidij circuli figuram habens, marmore albo coopertus: in eius medio sculpta est stella, in cuius centro cauum est, & porphyreticus lapis desuper lamina argentea circumdatus, sequentes litteras continens,

Locus Natiuitatis.

Digitized by Google

tinens, ſacrum Dominicæ Natiuitatis peculiarem locum indicantes: HIC DE VIRGINE MARIA IESVS CHRISTVS NATVS EST. Album illud marmor locum operiens, parum fractum eſt: & id fregiſſe fratres, ne ſubriperent Turcæ, intellexi, ſatius exiſtimantes fractum retinere, quàm integro priuari.

Supra hunc ſanctiſſimum locum eſt tabula marmorea alba, ſupra quam Deo incruentum altaris Sacrificium offertur. Supra altare eſt depicta icon myſterium Natiuitatis Chriſti oculis obiiciens, beatam, inquam, Virginem Deiparam complicatis manibus & flexis genibus ante paruulum ſuum in lucem editum abſque obſtetricis vel ancillarum miniſterio, ſponſo Ioſeph myſterium contemplante, Angelis gloriam Deo in altiſſimis decantantibus, boue & aſino halitu vagientẽ in præſepio natum paruulum fouentibus, ac paſtoribus eumdem & Saluatorem mundi adorantibus. Olim erat opere muſaico idem myſterium repræſentatum. Capellula hæc ſericis tapetis & pannis ornatur: locus ſanè ad deuotionem & pietatem promouens; qui frequentiſſimè deoſculatur & precibus honoratur nedum à Catholicis habitantibus vel peregrinantibus, ſed & ab ipſis ſchiſmaticis: & Turcæ ipſi attoniti eumdem demirantur.

Sacrificio honoratur.

Ad ſanctum hunc locum deſcendi poteſt per duo oſtiola hinc inde poſita ex ſuperiori maiori Eccleſia: ſunt optimè elaborata, & æneis portis clauduntur; & communiter non eſt per iſta ingreſſus, ſed per alterum oſtium quod eſt in principio cryptæ & Baſilicæ è regione ſancti huius Dominicæ Natiuitatis loci.

Virginis partus deſcriptio.

Parum recedendo à ſacro loco Natiuitatis, tribuſque gradibus deſcendendo ad dexteram Baſilicæ partem, & læuam altaris, inuenitur ſacratiſſimus locus, in quo ſanctiſſima Virgo Deipara, poſtquam Filium ſuum peperit, & pannis eum inuoluit, reclinauit in præſepio, aptiori huius ſpeluncæ loco; & hîc fuit à paſtoribus adoratus. Tegitur hic locus marmore albo ſubobſcuro: retinet præſepij formam, ſicut ſemper retinuit, vt ait Brocardus, & Præſepium Domini nuncupatur. Eius fornix eſt nuda & impolita rupes ſpeluncæ, abſque alio ſuperinducto tegumento & ornamento, parum eleuata velut ſacellum efficit; non tamen tantum vt ibi poſſit altare erigi & Miſſa celebrari, ideò nec celebratur.

Præſepij locus.

Difficultas hîc oritur circa conditionem & materiam Dominici præſepij; an fuerit in ipſa rupe excisum, an luteum ligneúmve? Brocardus, quem extremo capite præcedentis Peregrinationis adduximus, dicit fuiſſe in ipſa rupe excisum: quæ ſententia mihi vera videtur, conſiderata præſertim harum partium conſuetudine.

Conditio & materia.

Sanctus Ioannes Chryſoſtomus luteum appellat: ſic enim habet in Oratione de Chriſti Natiuitate: *Nos quaſi pro honore tulimus luteum, & poſuimus argenteum; ſed mihi pretioſius eſt quod ablatum eſt*, &c. Sed an luteum dixit, non quod eſſet propriè ex luto compactum, ſed quia vile, opertum tamen argento? cuique gratioſius & iucundius erat ipſum nudum videre & oſculari, quàm argento opertum, quia nudum magis ad deuotionem & pietatem excitabat?

Ligneum fuiſſe, dixerunt Magiſter Hiſtoriæ Scholaſticæ, Lyranus & Carthuſianus. Etſi tale fuit, non tamen credo conſtructum fuiſſe à Ioſeph pro animalibus; ſed ſi ipſe fecit, pro puero Ieſu. Et hoc ligneum præſepium nunc honorificè aſſeruatur Romæ in Eccleſia S. Mariæ Maioris in capella perilluſtri, à Sixto V. Pont. Max. in illius honorem ædificata, in eius medio: vbi die noctuque ſemper quatuor faces ſiue magna cerea ardent. Notauit hoc Cardinalis Baronius Tom. 1. Annalium ante notatum primum Chriſti annum num. 5. Quod ſi verum eſt, non tamen errauit Brocardus, dicendo fuiſſe in rupe excisum, nam rupi addita fuere ligna: nec à vero aberrare crederem, qui diceret fuiſſe partim ſaxeum & partim ligneum, vt ferè omnia.

Loci aduentus Regum.

E regione huius præſepij eſt locus, in quo fertur beatam Virginem fuiſſe cum puero Ieſu, quando eum Magi adorauerunt. Et ad huius myſterij memoriam conſeruandam, altare, quod potuit erigi, erectum fuit, in quo Miſſa celebratur; & ab illo Magorum Regúmve obſequio, Regum & Magorum altare nominatur. In huius altaris icone eſt Virgo Maria cum Saluatore in gremio, quem Orientales Magi proni cum muneribus adorant. Sunt tria memorata loca quaſi in triangulo diſpoſita: in priori angulo & capite Baſilicæ eſt locus vbi Chriſtus natus eſt; à latere & parte Auſtrali eſt alius, vbi fuit à Magis adoratus; & hunc tertius reſpicit in parte Occidentali, vbi fuit in præſepio à Virgine reclinatus, & à paſtoribus adoratus. Suntque ita benè diſpoſita, vt omnia videri & honorari poſſint à ſtantibus in ſuperiori maiori Eccleſia per iam memorata oſtiola: ex Auſtrali enim locus Natiuitatis, ex Aquilonari præſepe & altare Regum cernitur.

Difficultas diuersorum locorum explicatur.

Et quoniam quis ſuſpicari poſſet, iam memorata myſteria in vno & eodem ſpeluncæ loco accidiſſe, ſed à pia antiquitate fuiſſe diſtin-

Digitized by Google

distincta assignata loca vnicuique suum, vt illa distinctius & perfectius repræsentarent: quantum fas est, ostendere placet illa in distinctis sacri antri locis operata fuisse; & probatur multipliciter.

In primis antiquissima traditione omnium consensu firmata, quæ illud semper asserüit, & pia veneratione confessa: cui traditioni nefas est contradicere, ratione præsertim vel auctoritate non existente, quòd sciam, refragante, sed magis suffragante.

Nativitatis & Præsepij.

Secundò, certum est ex dictis, sanctissimam Virginem in specu isto sacratissimo Filium suum peperisse, sed non in præsepio, nam in eo reclinauit postquam illum peperit: at non reclinasset in præsepio, si in eo peperisset; igitur in altero peperit, & in altero reclinauit loco. Et consequenter duorum locorum distinctionem ex duobus mysteriis habemus, Natiuitatis & præsepij. Quam distinctionem indicauit sanctus Lucas illis verbis: *Et peperit* (Deipara Virgo) *Filium suum primogenitum, & pannis eum involuit, & reclinauit eum in præsepio: quia non erat eis locus in diuersorio.* Locum partus, dum dicit, *Et peperit*, &c. reclinationis & præsepij, dum subdit, *Et reclinauit*, &c. Dicere enim mihi voluisse videtur: Postquam sanctissima Dei Mater & Virgo sine dolore, sed cum gaudio, non violata, sed conseruata & decorata virginitate, enixa esset dilectum Filium suum super terram, cùm propter hominum crudelitatem opportuniorem locum non haberet vbi eum reclinaret, reclinauit in præsepio. Ex ratione igitur adducta testimonio Euangelistæ firmata, habemus distinctionem loci Natiuitatis & præsepij.

Luc. 2, 7.

Tertiò, eamdem videtur indicasse sanctus Hieronymus, dum asserit, in ista spelunca ab infidelibus plura idola posita fuisse ad abolendam memoriam Natiuitatis Christi. Et de loco Natiuitatis particulariter intelligenda videntur verba illa superiùs posita: *Bethlehem nunc nostram, & angustissimum orbis locum, de quo Psalmista canit, Veritas de terra orta est, lucus inumbrabat Thamus, id est Adonidis.* de loco reclinationis & præsepio quæ immediatè subiunxit: *Et in specu, vnde quondam Christus paruulus vagiit, Veneris amasius plangebatur.* Et vbi vagiit Christus? In præsepio, respondet Ecclesia:

Psal. 84, 12.

Vagit infans inter arcta
Conditus præsepia.

Ecclesia in Hymno.

Paula Romana ad loca sancta deuotio.

Quartò, sancta Paula Romana intuitu distinctorum mysteriorum prædicta loca distinctè venerata est, eadem dicente (diuo Hieronymo referente) *Et ego misera atque peccatrix digna sum iudicata deosculari præsepe, in quo Dominus paruulus vagiit: orare in spelunca, in qua Virgo puerpera Dominum fudit infantem.*

Distinctio loci adorationis Regum.

Distinctio verò loci adorationis Magorum à præcedentibus, in aliis verbis Hieronymi ad Eustochium in Epitaphio Paulæ matris superiùs adductis monstratur; in quibus, secundùm mysteriorum pluralitatem, & loca distincta assignat. Et quidem fieri potuit, vt piè quidam contemplantur, beatam Virginem in aduentu Regum, quos diuina reuelatione venturos esse sciebat, ex præsepio Filium accepisse, quem in gremio, velut in regio throno sedentem, Magis adorandum exhibuit. Et hoc modo non solùm viderunt Magi Dei Filium humana carne vestitum Regem Iudæorum, sed & illius magnam humilitatem & paupertatem: ad dexteram eorum præsepe, vbi velut in lecto fuit reclinatus; ad læuam nudam terram, in qua natus accepit communem aërem, in eamque similiter factam decidit, vt in libro Sapientiæ scriptum est.

Sap. 7, 3.

Denique tria ista memorata loca fuisse tribus dictis mysteriis, Natiuitatis Christi, reclinationis in præsepio, & adorationis Regum consecrata, reuelatione, didicit sancta Birgitta, vt in eius Reuelationibus legitur lib. 7. cap. 21. 22. & 23.

Digitized by Google

CAPVT VII.

Nodus qui fieri posset contra dicta de loco adorationis trium Regum.

Quòd Christus in domo fuerit adoratus, probatur duplicitèr.

POsset quispiam obijcere contra dicta de loco adorationis trium Regum, quòd videlicet non in memorato speculo, sed in aliqua Bethlehemitica domo sit Christus à Magis adoratus. Et probatur,

Primò.

Primò auctoritate Matthæi, qui locum adorationis domum appellat, dicens: *Et intrantes* (Magi) *domum, inuenerunt puerum cum Maria Matre eius, & procidentes adorauerunt eum. Domum* dixit; sed domus non est spelunca.

Matth. 2, 11.

Secundò.

Secundò, id sentire videntur plures Doctores. D. Epiphanius Hæresi 51. arbitratur, Deiparam Virginem post beatum partum abiisse ex Bethlehem Nazaretham; anno deinde secundo ab ortu Christi cum infante in Bethlehem rediisse: tunc verò non in spelunca, sed in domo alia à Magis fuisse Christum adoratum. Idem indicat Theophylactus Matth. 2. his verbis: *Multa concurrente multitudine vt censeretur, non habebant ad tempus domum, sed in spelunca natus est Christus: deinde, inuenta domo, visus est ibi à Magis Dominus.* Eidem sententiæ adstipulatur Iansenius cap. 8. Concord. Euang. *Quòd*, inquit, *non erat eis locus in diuersorio, magis videtur fuisse propter multitudinem hospitum tunc occasione descriptionis aduentantium: posteà Magi inuenerunt puerum cum Matre in domo*, &c.

Et Cardinalis Caietanus de hoc dubitat: *Incertum*, ait, *est, an Matthæus præsepium appellet domum, an fortè cessauerit hospitum multitudo in illa domo diuersoria; & sic Virgo ex præsepio hospitata fuerit in domo diuersoria, in qua non fuerat ille locus cùm peperit.*

Contrarium verum, in speluncam adoratum.

Cæterùm communis antè proposita sententia retinenda est, quæ asserit, Christum nedum esse in specu natum, sed etiam in eodem à Magis adoratum. Et præter dicta Capite præcedenti in eius probationem, adhuc idem probatur auctoritate & ratione.

Probatur auctoritate.

Auctoritas est sanctorum Patrum, Chrysostomi Homil. 6. & 7. in Matth. Auctoris Operis imperfecti Homil. 2. D. Gregorij Nysseni in Oratione de Christi Natiuitate, Hieronymi Epist. 17. & 18. ad Marcellam, & 28. in fine ad Eustochium in Epitaph. Paulæ, Augustini Serm. 1. de Epiphania, & 30. de Tempore, Fulgentij Serm. 5. Rabani lib. 2. D. Thom. in Matth. Gloss. interlin. Magistri Histor. Euthymij, & aliorum. Et demque D. Bernardus Homil. 1. in Epiphania Domini loquens de Magis sic dicit: *A Regia ciuitate, vbi Regem quærendum coniectabantur, ad Bethlehem villam parualam diriguntur, stabulum inueniunt, inuolutum infantem pannis*, &c. Ecclesia quoque canit in Antiphona Epiphaniæ: *Hodie stella Magos duxit ad præsepium.* Ac denique eiusdem veritatis testes sunt Ecclesiasticæ picturæ.

Ratione, Christus die decimo tertio ab ortu suo adoratus.

Ratio huiusmodi est. Die tertio decimo ab ortu Saluatoris Magi ex Oriente venerunt Bethlehem ad veneranda eius incunabula. Hocque probat antiqua traditio, de qua attestatur Melchior Canus lib. 11. de Locis Theologicis cap. 5. ad 5. & sanctæ Ecclesiæ ritus, quo Epiphaniæ festum die tertio decimo à Christi Natiuitate celebrari solet. Cui etiam adstipulatur communior veterum & recentiorum Doctorum sententia, quæ habet, Magos adorasse puerum Iesum priusquam in templo à parentibus de more præsentatus fuisset. Eidem sententiæ suffragari videtur D. Matthæus 2, 1. dum dicit: *Cùm ergo natus esset Iesus in Bethlehem Iuda in diebus Herodis regis, ecce Magi ab Oriente venerunt*, &c. Proculdubio illud *ecce* ibi insinuat, quòd iam tunc recèns natus esset Iesus, non autem biennio antè, vt sanctus Epiphanius & alij putarunt.

Ante Virginis purificationem.

Deinde ex eodem Matthæo certum est, Magos inuenisse in Bethlehem puerum cum Maria Matre eius; ergo ante diem purificationis Mariæ: nam post ipsam ex Lucæ Euangelio cap. 2. constat: *Et vt perfecerunt omnia secundùm legem Domini, reuersi sunt in Galilæam in ciuitatem suam Nazareth.* Et deinde nusquam legimus, eos rediisse in Bethlehem. Neque verisimile est credere quòd redierint: ad quid enim eos eodem reuerti quo primùm coacti venerunt, non vt morarentur, sed dumtaxat vt profiterentur? quamuis posteà occasione partus Mariæ oportuerit ibi moram trahere, donec iuxta legem Leuit. 12. puerperæ dies purificationis implerentur: de qua præcedenti Peregrinatione Cap. VI.

Obiectionis solutio.

Nec valet dicere, occasione cuiusdam festi fuisse ex Nazareth reuersos Bethlehem, & tunc venisse Magos: non, inquam, valet; nam monstretur quodnam erat illud festum, inquit Baronius. Si aliquod fuit ex legalibus, Ierosolymam & non Bethlehem eundum erat. Nec rediit Virgo Maria, quòd aliquod spectaculum ederetur: etenim nec extremum pedem hac causa extra domus limen integerrima Virgo produxisset. Quare B. Virgo ante diem purificationis & præsentationis Filij sui in templo, qui fuit quadragesimus ab eius immacu-

lato

lato partu, à ſpecu non diſceſſit, ne contra legem facere videretur: tum etiam quia optimè nouerat, antrum illud longè Regum palatiis præcellere, natiuitate Saluatoris decoratum. Intra quos dies, certum eſt ex dictis, veniſſe Magos: qui intrantes domum, inuenerunt puerum cum Maria Matre eius, & procidentes adorauerunt eum. Et apertis theſauris ſuis, obtulerunt ei munera, aurum, thus & myrrham.

Tria argumenta cum ſolutionibus.

Primum.

Sed poſſet quis contra explicatam veritatem argumentari tripliciter: & Primò, ſi intra illos quadraginta purificationis dies Magi Chriſtum adorauerunt, & munera regia obtulerunt, eius parentes ex illis muneribus agnum, & non par turturum, aut duos pullos columbarum obtuliſſent. Reſpondetur multipliciter: Primò, ex illa oblatione agnum non obtuliſſe, qui erat diuitum oblatio, ne viderentur humilem & pauperem ſui ſtatus conditionem excedere; ſed humilitatis & paupertatis ſectatores, oblationem pauperum, par turturum, aut duos pullos columbarum obtuliſſe. Secundò, munera illa pauperibus diſtribuiſſe. Vel tertiò, fortè à Spiritu ſancto edocti, munera à Magis accepta pro peregrinatione Ægyptiaca reſeruare maluerunt.

Secundum.

Secundò quis argumentari poſſet: Herodes iuſſit occidi pueros à bimatu, & infra, ſecundùm tempus quod exquiſierat à Magis, vt docet Euangeliſta. Etad quid bimulos occidere pueros, & infra, ſi Magi tertio decimo die, & nō potiùs poſt duos annos venerunt? Sed perſimilis obiectio fieri poſſet contra alterius ſententiæ ſectatores: Ad quid tot occidere, id eſt, omnes à bimatu & infra, vt occideret cum eis natum Regem ſtellâ monſtratum? etenim ſat eſſe debebat Herodi interficere illos qui nati fuerunt, quando ſtella apparuit; in illis enim continebatur Rex Iudæorum, quem perſequebatur.

Aliquorum reſponſio.

Reſpondent aliqui, Herodem occidiſſe pueros, non quidem ſtatim poſt diſceſſum Magorum, ſed poſt duos annos. Cauſam verò quare tam diu cædem illam diſtulit, eſſe, quia Romam ſe contulit poſt Magorum aduentum; eoque itinere & occupatione diſtentus, à Chriſto perſequendo tam diu abſtinuit.

Reiicitur.

Sed non probatur iſta reſponſio: etenim Romam quidem petiit Herodes ex Iudæa, & filios duos, Alexandrum atque Ariſtobulum, apud Cæſarem tentati parricidij accuſauit, vt tradit Ioſephus lib. 16. Antiquitat. cap. 7. at ex cap. 9. eiuſdem libri colligitur rediiſſe ex vrbe circiter annum Regni 28. at Chriſtus natus eſt anno 32. quare huiuſmodi profectio Romam, quæ contigit ante Chriſtum natum, non potuit eſſe cauſa tantæ moræ cædis infantium. Nec etiam probabile eſt, poſt Chriſti ortum citatum fuiſſe Herodem ad curiam Romanam, ad petitionem filiorum ſuorum ipſum accuſantium; etenim ex Ioſepho conſtat ipſum, ſponte Romam petiiſſe, & filios accuſaſſe.

Itaque hac omiſſa reſponſione, duplex alia occurrit; altera S. Ioannis Chryſoſtomi Homil. 7. in Matth. quæ ſic habet: *Quòd Herodes à biennio & infra pueros interfici iuſſit, non mireris* (inquit) *ſiquidem commouit in eum tyrannum pauor & furor: pro abundantia cautionis maius tempus incluſit, ne quis vel proximæ ætatis effugeret.* Hæc optimè Chryſoſtomus. Sicut & hac ratione iuſſit occidi pueros, non tantùm in Bethlehem natos, vbi ex Principibus Sacerdotum & Scribis didicerat Chriſtum oriundum, ſed in omnibus finibus eius.

Alia reſponſio.

Quando ergo ſecuta eſt infantium cædes? Conſtans communis tam veterum quàm recentiorum ſententia eſt, crudeliſſimam illam cædem perpetratam poſt Deiparæ purificationem & fugam in Ægyptum.

Dubij ſolutio.

Sed quid interim agebat Herodes? Cur intra illos dies vel menſes non eſt Chriſtum inſecutus? Reſpondet optimè Auguſtinus lib. 2. de Conſen. Euangeliſt. cap. 11. hiſce verbis: *Omitto dicere, quot & quantis occupationibus regia cura diſtendi potuit, & per plurimos dies ab illa intentione vel auerti omnino vel impediri. Illud dico, poſteaquam nihil Herodi Magi renuntiauerunt, eum credere potuiſſe illos fallaci ſtellæ viſione deceptos, poſteaquam non inuenerunt quem natum putauerant, erubuiſſe ad ſe redire; atque ita eum, timore depulſo, ab inquirendo ac perſequendo puero quieuiſſe. Deinde vulgatis rebus quæ in templo facta dictaq; fuerant* (id eſt, à Simeone & Anna Prophetiſſa, quando puer fuit in templo præſentatus) *Herodes ſe à Magis ſenſit illuſum; ac deinde ad Chriſti mortem cupiens peruenire, multos infantes, ſicut Matthæus narrat, occidit.* Hactenus Auguſtinus: eadem Beda, & alij in caput 2. Matthæi.

Altera reſponſio eſt Abulenſis citato cap. Matth. quæſt. 71. Euthymij, Ianſenij, Baronij Tom. 1. Annal. & aliorum: quòd cùm dicitur Herodem mandaſſe occidi omnes pueros à bimatu, & infra, ſecundùm tempus quod exquiſierat à Magis; illud *ſecundùm tempus*, non eſſe referendum ad id quod dixerat, *à bimatu*, ſed ad illud potiùs quod ſubdit, *& infra.* ſicque Euangeliſtam ſignificare voluiſſe eo cædis edicto, non includendos eos qui geniti eſſent poſt Chriſtum natum, & ſtellam viſam à Magis, quorum nulla poſſet eſſe ſuſpicio; atque

ita

ita voluiſſe cædendorum puerorum terminum eſſe, ſecundùm tempus quod exquiſierat à Magis. Atque hoc pacto ſatisfactum videtur difficultati factæ de occiſione infantium à bimatu & infra. Plura habes apud ſacros Interpretes; ſed hæc ex ipſis ſufficiant pro iſta difficultate.

Tertium argumentum.

Tertiò adhuc contra indicatam veritatem & traditionem ſic argumentatur: Non potuerunt Magi intra tredecim dies, in quorum primo natus eſt Chriſtus, & Magis ſtella illuxit, & tertio decimo, in quo ab eiſdem Chriſtus adoratus aſſeritur, veniſſe ex Orientalibus regionibus Ieroſolymam & Bethlehem, vbi natus erat Rex Iudæorum: & conſequenter non adorauerunt illum in ſacro antro.

Reſpuſio. Orientis nomine quæ regio intelligatur.

Reſpondetur, Orientis nomine in ſacris Litteris non ſemper ſignificari partem orbis propriè Orientalem ab aliis remotam; ſed accipitur etiam pro proxima, vt patet Geneſ. 13, 11. vbi de Lot dicitur, quod elegit ſibi regionem circa Iordanem, & receſſit ab Oriente. & Num. 23, 7. Balaam dicebat: *De Aram adduxit me Balac rex Moabitarum de montibus Orientis.* Vnde ſi de eiſdem montibus, id eſt, de Arabia Iudææ adiacenti venerunt Magi, vt ſentiunt ſancti Patres, Chryſoſtomus in Matth. 2. Homil. 6. & 7. Auguſtinus Serm. 2. de Epiphan. Hieronymus Epiſt. 14. 17. 18. & 27. Ambroſius, & alij; multò etiam minori tempore tredecim dierum venire potuerunt in Ieruſalem & Bethlehem: præſertim ſi in itinere dromedariis vſi fuerunt, vt prædixerat Iſaias cap. 60, 6. quos equis Niſſæis velociores tradit Ariſtoteles lib. 9. Hiſt. animalium cap. vlt. quibus regiones illæ abundant: & ita tenent Patres & Eccleſia, & picturæ idipſum repræſentant.

Reſponſio ad argumenta primæ ſententiæ. Ad primum.

Supereſt vt reſpondeamus his quæ initio adduximus pro oppoſita ſententia: & ad Euangeliſtam dicimus, domus nomine non propriè domum, ſed habitationem intelligere voluiſſe, cuiuſuis conditionis illa ſit, ſecundùm ſacræ Scripturæ phraſim, vt ſuprà notauimus Capite vltimo præcedentis Peregrinationis, & Cap. IV. præſentis. Vnde D. Gregorius in primum Regum inquit: *Domus deſignat habitationem.* Et nidum avium Scriptura domum appellat Pſ. 103, 18 *Herodij domus dux eſt eorum.* Ita in propoſito cum dixit Matthæus, *Et Magi intrantes domum*, &c. domus appellatione antrum hoc intelligere voluit, quod pro domo deſeruiuit ſanctiſſimæ Virgini, magno puero Ieſu & ſponſo Ioſeph. Ideò Euthymius in illum Matthæi locum optimè dixit: Locum, tugurium domum appellat. & ita docent communiter Doctores: & eſt communis traditio; & ideò, retinenda.

Ad ſecundum.

Ad auctoritatem Epiphanij, & aliorum paucorum, dicimus illam non eſſe præferendam rationi, traditioni & communi Patrum ſententiæ. Nec credendum, Epiphanium, aliúmve Doctorem, etſi grauiſſimum, in his & ſimilibus tanti facere ſuam auctoritatem: præſertim cùm non illicò cuiuſuis Sancti dicta tamquam indubitata recipienda ſunt; ſed expendenda, & cum dictis aliorum Sanctorum & ratione conferenda: quandoquidem certum ſit, Deum non omnia ſingulis Sanctis aperuiſſe. Nec ex dictis aliquorum Sanctorum argumentum neceſſarium habemus, vt docet S. Thomas 1. Part. quæſt. 1. artic. 8. & D. Auguſtinus in Epiſtola ad Vincentium Donatiſtam, qui arguebat contra ipſum de dictis S. Hilarij. Ad quem reſpondens, ait: *Hoc genus litterarum ab auctoritate Canonis diſtinguendum eſt: non enim ſic leguntur, tamquam inde ex eis teſtimonia proferantur, vt contrà ſentire non liceat*, &c. Et multò magis id præſtare conuenit in caſu noſtro, vbi S. Epiphanio & paucis aliis tot alij refragantur Doctores, vt vidimus.

Ex aliquorum Doctorum auctoritate argumentum neceſſarium non deſumitur.

In loco adorationis ſtella apparuit, & diſparuit.

In hoc ipſo loco adorationis Magorum apparuit ſupra puerum ſtella, & in ipſo diſparuit, poſtquam Chriſtum iuſtitiæ Solem Magis monſtrauit, nec antè receſſit, id eſt, ex loco vbi adorauerunt Magi ad ingreſſum ſpeluncæ, qui hodie monſtratur non longè à loco adorationis Regum, vt quidam arbitrati fuere; his enim manifeſtè aduerſatur Scriptura, quæ dicit: *Et ecce ſtella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos, vſquedum veniens ſtaret ſuprà vbi erat puer.* Lege Suarez Tom. 2. diſp. 14. ſect. 3. & 4. in 3. Part. S. Thomæ. Matth. 2.

CAPVT VIII.

De antiquiſſimo templo beatæ Virginis Mariæ Filium ſuum in vlnis geſtantis, ædificato ab vno ex tribus Regibus, vel à præcipuo illorum ſocio.

ARbitror non fore iniucundum Lectori, ſi agentes de tribus illis Regibus, qui primi inter gentiles Chriſtum adorauerunt, quoddam valdè notabile hîc ſubijciamus ex doctiſſimo Nauarro de Orat. & Horis Canon. cap. 21. num. 18. quod ipſe accepiſſe tradit ab eruditiſſimo & Reuerendiſſimo ſcriptore Hieronymo Oroſio in Vita glorioſiſſimi Luſitaniæ Regis Emanuëlis, oſtenſum fuiſſe Duci eius precellenti, eidemque Comiti, & Admiraldo Illuſtriſſi-

ſtriſſimo Gamæ in Indiam cum claſſe natium miſſo, ſacellum intra magnum quoddam templum ſub nomine *Mariæ*, religioſiſſimè ab antiquiſſimo tempore à paganis cultum. *Quin & mihi hæc ſcribenti*, addit, *verbo aſſeruit, ſe poſteaquam illa ſcripſit, & typis excudi fecit, accepiſſe à viro erudito & fide digno ab India reuertenti, quòd in vetuſtiſſimis Calicutij Regni Annalibus inuenitur, Regem Calicutij fuiſſe vnum, aut certè primarium ſocium trium Regum Magorum, quos ad adorandum Chriſtum ab Oriente ſtella ductos fuiſſe, Matth. 2. teſtatur: qui reuerſus in ſuum Calicutium, præfatum templum, quod nunc viſitur, extruxit, & intra illud præfatum ſacellum, & in eo aram, ad quam per multos gradus aſcenditur, in quam nullis aliis quàm aditus eſt aditus, & in qua eſt ſculpta imago auguſtiſſimæ Virginis Matris Mariæ, ſuum Filium vlnis ſuis amplectentis, & ſumma religione à paganis culta.* Hactenus ille.

Quæ ſi vera ſunt, explicanda erunt quæ ſcribit Calliſtus Pontifex in Hiſtoria de Miraculis B. Iacobi, cum aliis Scriptoribus qui regia Hiſpaniæ monumenta ſcriptis conſignarunt, quos adducit Valdeſius de Dignitate Regum Regnorumque Hiſpaniæ cap. 6. num. 7. & 21. In Hiſpania videlicet, cùm ſanctus Iacobus in littore ingentis & celebris Iberi fluminis Cæſaraugustæ cum ſociis [illegible]eret nocte quadam ſollicitus, & quodam modo ſibi ſuccenſus, eò quòd ex Hiſpanis exiguas oues ad ouile Chriſti & Ieroſolymam reportaret; ad leuandam mœſtitiam eius, beatiſſima Virgo Maria adhuc in carne viuens ei apparuit, innumeris Angelis circumdata in quadam columna exiſtens, præcepitque conſobrino Iacobo, eo loco in memoriam & honorem eius templum ei dicatum conſtruere; promittens ſub clientela & patrocinio eius fideles Hiſpanos ſe recipere, numerumq; fidelium in dies auctum iri, ita vt omnes futuri ſint fideles Hiſpani & in fide firmiores, ſemperque eo in Regno fidem Catholicam permanſuram. Quo beneficio & aduentu lætitia ſumma affectus Iacobus, ceteriſque gaudio ingenti imbuti, baſilicam in eo littore & loco ædificarunt, columna ibidem conſtituta, cum imagine Deiparæ Virginis in eadem collocata, vt ſit ea columna fidei & petra ſuper quam ædificata eſt Eccleſia huius Regni, cùm fundamentum eius adeò ſecurum & firmum ſit B. Virgo: hæcque prima * Eccleſia habetur orbis. Ieroſolymis enim nondum Eccleſiæ ædificatæ erant, ſed manualia altaria portabantur, &c. Hæc, inquam, explicatione indigent, quoniam in Calicutio priùs ante Chriſti mortem & Euangelij prædicationem inter Gentes fuit Eccleſia in ipſius Deiparæ honorem conſtructa. Ampliùs, & antè ortum Virginis dedicarunt ei Carnuti (quæ Galliæ Lugdunenſis ciuitas celebris eſt) Druides ſapientiſſimi aram ſub terra profundè cauatam, cum hoc titulo, VIRGINI PARITVRÆ. quem locum poſtea fideles magnificentiſſimè ampliatum ſub terra & ſuper terram in amplißimam Eccleſiam Cathedralem erexerunt. Ita tradit loco indicato Nauarrus. Quare Eccleſia erecta in Hiſpania prima dicetur non abſolutè, ſed vel ex ædificatis ab Apoſtolis poſt Domini in cælos Aſcenſionem, vel ex his in quibus incruentum Deo offertur ſacrificium; cùm fortè Ieroſolymis in priuatis, electis tamen domibus, & ab humanis vſibus ſeparatis illud offerretur initio naſcentis Eccleſiæ, prohibente Iudæorum & aliorum infidelium perſecutione Eccleſias ædificare, durante præſertim templo Ieroſolymitano.

De hac Hiſtoria Calixtus de Maria Vir. lib. 3. c. 21.

B. Virgo apparet B. Iacobo Apoſtolo in Hiſpania; & in ea Catholicum cultum augendum præcipit.

Eccleſia Deiparæ adhuc viuenti in Hiſpania dicata.

* Hæc Eccleſia ab Hiſpanis appellatur, *Nueſtra Señora del Pilar.*

Sed quæ ſcribit Nauarrus ſi vera eſſent, *Obiectio* facerent difficultatem contra iam allatam *ſolutio.* traditionem de adoratione Regum in ſpecu ſacratiſſimo, & die decimo tertio poſt Chriſtum natum, vt anteà diximus. Reſpondendum primò, auctoritatem Eccleſiæ & Patrum eſſe illi relationi præferendam. Vel ſecundò, ſi ex Calicutij Regno venerunt, fuiſſe à ſtella admonitos ante Chriſtum natum, & fortè ſtatim poſt illius conceptionem; ſtatimq; itineri ſe accinxiſſe: & quando Ieruſalem peruenerunt, tunc Chriſtus agebat decimum tertium diem. vel Calicutij Regem, ex relatione orti Regis ex Virgine Deipara, ei ſacellum illud ædificaſſe.

De aliis Ecclefiis erectis ſanctiſſimæ Dei Genitrici, & aliquibus Apoſtolis adhuc viuentibus, agit Thomas Maluenda de Antichriſto lib. 2. cap. 3.

CAPVT IX.

De loco vbi Chriſtus Dominus fuit circumciſus, qui ſexto ſeſe offert conſiderandus in ſecunda Peregrinatione.

De loco circumciſionis Domini quinque ſententiæ.

DE loco circumciſionis Chriſti Domini quæſtio eſt, & quintuplicem inuenio ſententiam. Prima eſt D. Hilarij initio Pſalmi 118. fuiſſe Chriſtum Ieroſolymis in templo circumciſum. ſic enim ait: *In hoc octo dierum numero, cùm Chriſtus circumciſione non egeret, oblatus in templo eſt, vt in corpore eius humanæ carnis recideretur infirmitas.* Hæc S. Hilarius. *Prima, in templo.*

Secunda aliorum eſt, qui arbitrati ſunt, fuiſſe Bethlehem in aliqua ſynagoga circumciſum, quemadmodum & nunc He- *Secunda, in ſynagoga Bethlehemitica.*

brai

bræi ſuos pueros in ſynagogis circumcidunt.

Tertia, ſupra locum Natiuitatis. Tertia quorumdam eſt in his partibus, qui affirmant fuiſſe quidem Bethlehem circumciſum Dominum, ſed non in ſynagoga, ſed extra ſupra ſacrum Natiuitatis antrum in eius Auſtrali plaga: qui locus intra maiorem Eccleſiam S. Mariæ incluſus altaris erectione dedicatus eſt; in quo eſt cauum, vel fornix, & in pauimento eſt in marmore cinereo crux ſculpta, ſignum & memoria locî Dominicæ circumcitionis: & huius intuitu Armeni, & pauci alij, altare circumcitionis Domini appellant.

Quarta, in domo Ioſeph. Quarta, Nicephori lib. 1. Hiſt. cap. 12. in domo Ioſeph fuiſſe circumciſum.

Quinta probabilior, in antro Natiuitatis Quinta denique ſententia docet, intra ſacrum Natiuitatis antrum fuiſſe Chriſtum circumciſum, & vocatum nomen eius Ieſum, vt inquit S. Lucas. Ita ſanctus Epiphanius in Pandect. lib. 1. tit. 1. circa finem, & Hæreſ. 20. contra Herodianos cap. de Præſent. Chriſti: *Chriſtus*, inquit, *natus eſt in Bethlehem, circumciſus in ſpelunca, oblatus in Ieruſalem*, &c. quam plures alij ſequuntur. Et Collector priuilegiorum Terræ ſanctæ in cognitione locorum ſanctorum verſatiſſimus, cuius alibi mentionem fecimus, aſſerit eſſe communem aſſertionem.

Probatur auctoritate. Hæc ſententia videtur tamquam probabilior retinenda; tum quia nititur auctoritate Epiphanij: cui, ſi in aliis, multò magis in his deferendum eſt; quoniam Ieroſolymis ſæpè verſatus, vt ait D. Hieronymus ad Pammachium Epiſt. 61. potuit adhuc recentem illarum partum traditionem de myſteriis fidei optimè noſcere.

Ratione. Tum quia non inefficax ratio ei ſuffragatur; etenim nec puerpera nec infans à loco natiuitatis egrediebantur, niſi tranſactis à partu quadraginta diebus, ſecundùm legem, quæ habetur Leuit. 12. 4. & explicant Doctores. Sanctiſſima autem Deipara, quæ fuit diligentiſſima Legis obſeruatrix, illis diebus à ſacratiſſimo ſpecu non exiuit: cumque Filij ſui circumciſioni interfuerit, vt docent Patres, & fortè ipſa cum ſponſo Ioſeph illum circumcidit, vt Capite ſequenti dicemus; conſequens eſt vt in ſacro Natiuitatis antro circumciſus ſit Ieſus. Tum quia communior videtur, & fortè fuit in ipſo præſepio, vbi fuit priùs à Matre reclinatus, vel vbi fuit à Magis adoratus, vt probabiliter in his partibus habitantes Catholici opinantur.

Reſponſio ad aliarum opinionum fundamenta. Tum denique, quia quæ pro aliis ſententiis adducuntur non obſtant: non quod pro prima; etenim nulla lex erat Iudæis qua adſtringerentur ad deferendum filios ſuos *Ad primum.* ad templum ad eos circumcidendos; fuiſſet enim inobſeruabilis: nam intra octo dies non poterant infantes ex omnibus locis, in quibus erant Iudæi, ad templum peruenire; quin raro peruenirent, quia ante aduentum facilè è vita deceſſiſſent: valdè enim eo tempore tenelli ſunt, & labores & incommoda itineris, etſi exigua, multùm illis obfuiſſent.

Ad ſecundam. Nec, vt ſecundæ ſententiæ ſectatoribus reſpondeamus, tunc vt modò in ſynagogis circumcidebantur infantes, ſed in propriis domibus, vt pluribus probat Cardinalis Toletus in cap. 1. Lucæ Annotatione 137. & ex hoc alterum ſumitur argumentum pro poſteriori ſententia: cùm ſpelunca ſacratiſſima deſeruierit pro domo B. Mariæ Virginis tempore partus, ac ideò ſanctus Matthæus eam domum appellet, conſequens eſt in ea fuiſſe Chriſtum circumciſum.

Ad tertium. Et quamnam, quæſo, probabilitatem habet tertia opinio? Ad quid enim magno vigente frigore exire ex ſpelunca, & ſub dio puerum circumcidere, cùm commodiùs ſub ſpeluncæ tecto poſſet circumcidi? Scio Chriſtum vt alias paſſiones & frigus pati voluiſſe; at paſſus iam fuerat, & multum continuè patiebatur: verùm pijſſimæ Matris & ſedulæ nutricis munus erat, omni qua poterat diligentia à frigore aliiſque paſſionibus cuſtodire & defendere. Et vt hac ratione in lucem editum in præſepio meliori ſpeluncæ loco reclinauit; ita quando circumcidi debuit, quo tempore maximo dolori & periculo exponuntur infantes, debuit in congruo & non incongruo loco collocare: at non erat ſpelunca ibi magis congruus locus.

Nec officit quod dicitur de altari illo circumciſionis: tum quia pauci dumtaxat ex ſchiſmaticis illud eo intuitu venerantur; tum quia potuit erigi in honorem circumciſionis, etſi non ibi factæ; vel melius, quia non longè ab eo perfecta fuit. Et quia fortè non fuit conſideratum, intra ſpecum fuiſſe Dominum circumciſum, vel quia ignotus fuit locus determinatus; nec facilè potuit intra in illius memoriam altare erigi, parum extra erectum fuit. Ac denique quia ibi fuit particula præputij circumciſionis Chriſti, vt dixit Sanutus Capite 11. huius Peregrinationis adducendus.

Ad quartum. De quarta; Cauendus eſt lapſus Nicephori lib. 1. Hiſtor. cap. 12. dicentis, Chriſtum fuiſſe circumciſum in domo Ioſeph, inquit Suarez Tom. 2. in 3. Part. S. Thomæ diſp. 15. ſect. 1. in quo nec ſibi conſtat, cùm ſtatim capite ſequenti dicat, Chriſtum inuentum eſſe à Magis in ſpelunca & præſepi: nec verum dicit, quia certum eſt, B. Virginem

ginem vsque ad diem Purificationis à loco Natiuitatis Christi non discessisse : fuit ergo in eodem diuersorio circumcisus, vt rectè notauit Epiphanius lib. Contra hæreses Tom. 1. cap. 8. post hæretim 20. Hæc ille.

CAPVT X.

Tres examinantur difficultates, pro maiori elucidatione eorum quæ asseruntur de specu siue basilica Dominicæ Natiuitatis.

QVoniam profitemur veritatem aperire in enucleandis his quæ de locis sanctis Palæstinæ dicuntur, & quæ aliena videntur à veritate refellere; præsertim si veritatis & auctoritatis speciem præ se ferant, qua nihilominùs carent; cùm aliqua huiusmodi in præsentia occurrant, illa proponenda & discutienda sunt.

Prima difficultas: Num à loco Natiuitatis fons fluxerit.

Tres occurrunt difficultates: prima respicit locum Natiuitatis Domini. Quòd de petra speluncæ fluxit aqua, qua primùm ablutum fuit corpusculum sacratissimum Saluatoris, quæ etiam fluebat tempore Bedæ in memoriam Christi Natiuitatis, vt legit in Adamnano l. 2. de Locis sanctis c. 3. & Adamnanus intellexit à sanctissimo Episcopo Arculpho, qui aquam fluentem vidit. sic enim ille scribit de Locis sanctis cap. 8. *Hæc spelunca tota interiùs speciosо marmore tecta, supra ipsum locum, vbi Dominus natus specialiter traditur, sanctæ Mariæ grandem gestat Ecclesiam: petra iuxta murum cauata, primum Dominici corporis lauacrum de muro missum suscipiens hactenus seruat: quæ si qua fortè occasione vel industria fuerit exhausta, nihilominùs continuò, dum respicit, sicut antè fuerat, plena redundat.* Hæc Beda: quem alij adducunt loquentes de Christi Natiuitate.

Qui affirmant.

Reijciuntur

Sed hæc numquam mihi probari potuerunt: tum quia his à me lectis & consideratis, diligenter quæsiui, an in memorato pariete esset huiuscemodi petra dans aquas vel fontis signum; & horum nullum argumentum & memoriam inueni. Quæsiui vlteriùs à senibus Bethlehemitis, qui rerum traditionumque harum partium optimam habent cognitionem, an vel dictum fontem viderint, vel aliquando fuisse intellexerint à suis prædecessoribus. Qui responderunt, se numquam talia vidisse vel audiuisse: addentes tantùm (quod verum est) supra antrum Dominicæ Natiuitatis nunc ad Aquilonem maioris Ecclesiæ esse cisternam, quæ dicitur Magorum; quoniam est prope locum & altare, in quo Magi se præparauerunt, cùm antrum ad adorandum Christum ingredi voluerunt, vt docet harum partium traditio. Videtur & ad præsens hæc cisterna, sed sicca; qùia clausus est eius aquæductus: olim tamen frequens erat ad eam concursus propter aquarum copiam, vt conijci potest ex illius ore multum funibus attrito.

Cisterna in Ecclesia S. Mariæ Magorum dicta.

Tum quia, si vera essent quæ à Beda referuntur, sequeretur veram esse illorum sententiam, qui dicunt, Christum Dominum exisse cum secundinis, sanguinis fluxu sordibusque; de sacratissimo purissimæ Virginis vtero. At multò verior & communior est opposita sententia, sine secundinis & sordibus vt solem lucidissimum exisse de thalamo vteri virginalis: vt enim miraculosè conceptus, ita & in lucem editus. *Vnde sordes in Virgine Matre* (inquit S. Augustinus lib. 2. de Hæres. cap. 5.) *vbi non est concubitus cum homine patre?*

Sine secundinis & sordibus, sed purissimus Christus natus.

Quare nec obstetrice nec ancillarum ministerio pro se vel pro Filio indiguit, vt pulchrè expressit S. Martyr Cyprianus Sermone de Natiuitat. Domini: *Sacra Virgo Genitrix est*, inquit, *& obstetrix, & denotatam dilecta soboli exhibet clientelam: attrectat, amplectitur, iungit oscula, porrigit mammam; totum negotium plenum gaudio, nullus dolor, nulla naturæ contumelia in puerperio. Pedissequæ substantia familiarij non patitur; mancipiorum obsequia sumptus tenuis & inops mensa excludit. Nec locus ibi erat lauacris, quæ solent puerperis præparari; quippe nec aliqua natura iniuria Matrem Domini læserat: quoniam sine tormento peperit, quæ in conceptione caruit voluptate; & tamen consuetudinem sequens, vt legi satisfaceret, quasi cum aliis mulieribus esset ei in hoc opere ratio similis, diebus designatis recubuit, & depositi oneris lassitudinem professa, oblata quieti paruit: & in diebus separationis non se à thoro Ioseph qui eam numquam tetigit, sed ab ingressu templi, & ceteris quæ lex prohibebat, continuit.* Hæc verissimè S. Cyprianus.

Nulla obstetrix nec lauacrum in Virginis puerperio.

Hæc eadem non obscurè indicauit sanctus Lucas dicens de Virgine: *Peperit Filium suum primogenitum, & pannis eum involuit, & reclinauit eum in præsepio.* Luc. 2. Hisce verbis indicauit, nullam ablutionem extitisse in puerperio Deiparæ, ac ipsam solam nullam in eo debilitatem passam, enixo Filio ministrasse, vt contra Heluidium adnotauit S. Hieronymus, D. Thomas 3. Par. quæst. 35. art. 6. ad 3. & Caietanus.

Et diuino consilio arbitror factum, vt partus sacratissimi tempore non esset puerperæ Virgini locus ad pariendum in ciuitate, sed extra ab hominum conuersatione aliena, in stabuloque peperit Saluatorem; vt omnes intelligerent, in Virginis puerperio

rio nullum humanum interceſſiſſe obſequium ab eiuſdem Virginis officio.

Plura in hoc argumentum videri poſſunt apud Suarez Tom. 2. in 3. Par. S. Thomæ quæſt. 35. diſput. 13. ſect. 2. Carthag. Tomo 1. Homil. Cathol. lib. 3. Homil. 3. & in Auctoribus ab iſtis citatis. Et hîc tantùm adnotare ſufficiat, quæ ſancti Patres in Conſtantinopolitano Concilio VI. Generali de his decreuerunt Can. 79. *Abſque vllo dolore Virginis partum eſſe confitentes (vt qui ſine ſemine conſtitutus ſit) eos qui propter ignorantiam aliquid indecens faciunt, correctioni ſubijcimus. Vnde quando aliqui poſt diem Natalis Chriſti Dei noſtri reperiuntur coquentes ſimilam, & ſe hac mutuò donantes, prætextu ſcilicet ſecundinarum impolluta Virginis Matris, ſtatuimus, vt deinceps nihil tale fiat à fidelibus: nec enim hoc honor eſt Virginis, quæ ſupra mentem & ſermonem quod comprehendi non poteſt Verbum peperit carne, ex communibus, & iis quæ in nobis fiunt, inenarrabilem eius partum metiri ac deſcribere. Si quis hoc fecerit Clericus, deponatur; laicus ſegregetur.* Hæc Concilium.

Confutando qua honori Virginis derogatur, à Concilio prohibita.

Quæ cùm ita ſe habeant, non fuit neceſſarium vt fons miraculosè oriretur ex ſpelunca, vt mundiſſimum corpus Saluatoris ablueretur.

Et propter dicta nullo modo probare poſſumus quaſdam, præſertim Græcorum, picturas tam veteres quàm recentes, quas tum alibi tum Ieroſolymis vidi, in quibus repræſentatur Chriſti Natiuitas ex Virgine: depingunt enim Virginem in lecto cubantem, quaſi dolores & deliquium paſſam in ſacratiſſimo ſuo partu, vt aliæ puerperæ patiuntur in ſuis; & non ſit verum quod Patres tenent, & cantat Eccleſia, quòd *fuit ſine grauedine grauida, & ſine dolore puerpera.* & : *Neſciens Mater Virgo virum peperit ſine dolore Saluatorem ſæculorum.* & inſuper depingentes Dei Filium in vaſe cum aqua, & muliere altero vaſe aquam ſuper ipſum infundente: quaſi, vt alij infantes ſordidi de vteris ſuarum matrum egrediuntur, ita ipſe ſordidus & cruentatus de puriſſimo Virginis vtero prodierit. Et cùm plures ſint huiuſcemodi picturæ, auferendæ eſſent, ne ſimplicibus ſcandalo ſint. Lege Ioannem Molanum de Hiſtoria ſacrarum imaginum lib. 2. cap. 27. & lib. 3. cap. 57.

Quædam Græcorum picturæ corrigenda.

Eccleſia in Officio Circumciſionis.

In Concil. Trident. Seſſ. 25.

Ad relata à Beda dicendum, fontem illum alium fortè fuiſſe, & ad alium vſum deputatum: vel ſi miraculum illud contigit tempore Natiuitatis Chriſti, fuit neceſſarium ad alios humanos vſus; & alia aqua non facilè ad manus erat, in ſignum illius qui eſt fons aquæ ſalientis in vitam æternam. Qui fons poſteà permultum temporis durauit, quoad fuit ſtabilita fides & memoria Natiuitatis Domini in partibus iſtis qua ſtabilita, deſiit, & illius memoria prorſus euanuit. Quemadmodum olim Dei beneficio ex petra filiis Iſraël fluxerunt aquæ, & poſteà hominum peccatis aruerunt; ſicut ob hominum peccata ſimile alibi contigiſſe nouimus. Hæc quidem eſſe poſſunt, ſed firmam rationem, qua ſtabiliantur, non video. Lege, ſi placet, P. Iacobum Greteſerum in Prolegom. ad libellum Adamnani & Bedæ de Locis ſanctis cap. 4.

Reſponſio ad teſtimonium Bedæ.

Secunda difficultas eſt circa ſtellam quæ duxit Magos ad Chriſtum adorandum. Dicunt enim aliqui ſimplices in his partibus, ſtellam illam; poſtquam duxit Magos ad Chriſtum, completo munere ſuo, ceciſſe ibi in paruum foramen; quod nunc in angulo iſtius Baſilicæ à latere oſtij oſtenditur. Scribit & hoc ipſum, vel certè ſimile, & alia addit Aymon egregius ſcriptor Serm. de Epiphania ex Gregorio Turonenſi, quòd ſuo peracto munere ſtella ceciderit in puteum iuxta Bethlehem; vbi tunc omnes, qui virgines erant, in illud vſque tempus illam conſpiciebant. Aliquando tres illuc iuiſſe homines ait, vnum virginem, duos non virgines; qui virgo erat, vidiſſe ſtellam, reliquos non vidiſſe.

Secunda difficultas.

Quid de ſtella Magorũ explete munere factum.

Aliquorum dicta.

Gregorius lib. 1. de Gloria Martyrum cap. 1. ſic habet: *Eſt autem in Bethlehem puteus magnus, de quo Maria glorioſa aquam fertur hauſiſſe: vbi ſapiùs aſpicientibus deuotis, ac recumbentibus ſuper os putei, operiuntur linteo capita eorum. Tunc ille cuius meritum obtinuerit, videt ſtellam ab vno pariete putei ſuper aquas tranſmigrare ad alium, in illo modo quo ſolent ſuper calorum circulo ſtella transferri. Et cùm multi aſpiciant, ab illis tantùm videtur, quibus eſt mens ſanior. Nonnullos vidi, qui eam aſſerebant ſe vidiſſe. Nuper autem Diaconus noſter retulit, quòd cum quinque viris aſpexit, ſed duobus tantùm apparuit.* Hucuſque fuere S. Gregorij verba.

Alij in partibus iſtis dicunt, in memorato foramine fuiſſe palmam, cui innixa beato Virgo Maria dedit dactylos: & ſapientes quidam Turcarum ſe in ſuis Codicibus legiſſe affirmant.

Alij denique dicunt, fuiſſe ibi proiectam aquam, qua fuit ablutus Ieſus, cum ſordibus puerperij; creduntque Armeni, fuiſſe ſacrum Chriſti corpuſculum inunctum herba quam appellant Arabes *as*, Latinè *myrtum*, & ſale ſimiliter, vt de ſuis filiis faciunt harum partium puerperæ, quæ pue-

Mos puerum inungendi.

rulos oleo aliquo pretioſo, ſi facultas ſuppetit, vel communi inungunt; & deinde ſuperponunt dictam herbam in puluerem redactam. Verùm, vt adnotauit ſanctus Anſelmus, huiuſmodi fabularum figmenta redolent. An ibi proiciatur aqua, qua abluitur lacellum, vel cuius myſterij gratiâ ibi verè factum fuerit, me latet: & potuit quidem, in memoriam prædictorum, fuiſſe factum ab illis qui fidem dictis præſtabant.

Reijcitur.

Pulueres ſanctorum ſepulchrorum reuerenter ſeruati.

Fortaſſe non erit à veritate alienum quod modò ſubiiciam. Obſeruaui ego in aliquibus Eccleſiis Neſtorianorum, in quibus Sanctorum corpora aſſeruari perhibentur, in illarum angulis eſſe foramina, in quæ reconduntur pulueres qui decidunt ex illorum ſepulchris, & fimeta Eccleſiarum quando euerruntur: & ſingulariter id obſeruaui in Meſopotamia in Monaſterio ſancti *Eughen*, in monte extructo ſupra Niſibim ciuitatem circa decem milliaria; & in altero, vbi reſidet Patriarcha Babylonis, quod dicitur *Mar Hermes*, ſupra Niniuen ſiue Mazal, vltra Tigrim fluuium circa iter vnius diei. Ita dicerem in propoſito, ne pulueres, qui in purgatione ſacratiſſimorum locorum Baſilicæ Natiuitatis Domini, diſpergerentur & pedibus conculcarentur, pij fideles in illius angulo cauum illud fecerunt in quod illi proiicerentur, ac deinde piis hominibus ob pietatem diſtribuerentur.

Tertia difficultas.

Tertia difficultas eſt, quis Chriſtum circumciderit. Arbitrabitur fortaſſe aliquis fuiſſe Sacerdotem: cùm enim circumciſio fuerit præſtantiſſimum veteris legis Sacramentum, illius etiam miniſtrum nobilem & præſtantem fuiſſe credendum eſt, qualis eſt Sacerdos.

Quis Chriſtum circumciderit.

Reſpondetur, præmittendo ex Abulenſi in Ioſue c. 5. Circumciſionis miniſtrum non fuiſſe certum, ſicut infertur ex c. 4. Exod. & ex c. 1. lib. 1. Machab. vbi legimus, à multis matribus proprios fuiſſe impunè circúciſos filios. Et nullus Scripturæ locus cogit nos aſſerere, fuiſſe Sacerdotem vel alium determinatè. Et quamuis fuerit veteris legis præſtantiſſimum Sacramentum, erat etiam valdè neceſſarium. Quare ſicut in lege gratiæ, propter magnam Baptiſmi neceſſitatem, quilibet pollens vſu rationis vir vel femina poteſt eſſe illius miniſter; ita propter ſimilem circumciſionis neceſſitatem in lege veteri arbitror nullum fuiſſe determinatum miniſtrum: ac conſequenter poterat impunè quilibet, vir vel femina, infantes circumcidere. Et ideò ad propoſitam difficultatem non omnium eadem eſt ſententia.

Circumciſionis miniſter nullus determinatus.

D. Hieronymus in paruulo quodam Tractatu & doctiſſimus Optatus Maximus arbitrantur, à Ioſepho Chriſtum fuiſſe circumciſum.

Quidam S. Ioſeph.

D. Bernardus, ab ipſamet ſanctiſſima Virgine: ita enim quidam intelligunt verba illius Serm. de Circumciſione: *Virgo Chriſtum genuit, lactauit, & octaua die circumcidit.* Quare ſicut olim Sephora non timuit filium ſuum circumcidere, quemadmodum in Exodo narratur, vt præcepto Dei ſatisfaceret; ſic B. Virgo multò minùs exhorruit Filium ſuum circumcidere, quem etiam ſacrificare non dubitaſſet, ſi Deus id ei, vt olim Abrahamo, præcepiſſet. Tantoque magis id probabile efficitur, ſi verum eſt quod quidam Auctores opinantur, matres pro maiori parte ſolitas filios circumcidere; quoniam cùm natura piæ & animo ſint teneriores, circumciſionem quò blandiùs & ſuauiùs poterant, adminiſtrabant, reſecantes tàntulam particulam, quantula ſatis eſſet ad ritus & legis ſatisfactionem. Id autem certum creditur, ſanctiſſimam Virginem particulam præputij Filij vt pretioſiſſimas reliquias ſemper apud ſe aſſeruaſſe; & notauimus Lib. III. Cap. XLIII. Et hæc de ſpecu & Baſilica Natiuitatis Domini & eius præcipuis locis ſatis.

alij S. Deiparam Chriſtum circumciſſe probabiliùs dicunt.

CAPVT XI.

De maiori Eccleſia ſanctæ Mariæ Bethlehem, prout ab aliis deſcripta, ſeptimo loco ſecundæ Peregrinationis.

SVpra ſpeluncam & Baſilicam Natiuitatis Domini, de qua ſuperiùs Cap. IV. & V. præſentis Peregrinationis, conſtructa eſt grandis illuſtriſque Eccleſia; de cuius magnificentia & conditione in præſentia loquendum eſt. Primoque aliqua ex aliis relata, deinde à nobis & aliis oculatis teſtibus diligenter adnotata explicabimus.

Eccleſia tertia Bethlehem.

Sanutus de ea ſic ſcribit: *Vix in orbe terrarum pulchrior Eccleſia, vel aquè deuota poterit inueniri: ſunt enim in ea columnæ marmoreæ nobiliſſimæ per quatuor ordines diſpoſitæ, non ſolùm multitudine, ſed etiam magnitudine ſtupendæ. Praterea nauis ipſa Eccleſiæ deſuper columnas vſque ad trabes facta eſt de opere muſaico pulcherrimo & nobiliſſimo; ſuntq; ibi depictæ cunctæ Hiſtoriæ à mundi creatione vſque ad Chriſti aduentum ad iudicium: totum etiam pauimentum Eccleſiæ ſtratum eſt marmore diuerſorum colorum, quod mira varietate pictura decorat. In hac quoque* Eccleſia ſanctæ Mariæ Bethlehem, *in pariete ex parte ſiniſtra, eſt locus vbi poſitus fuit vmbilicus & circumciſio Domini: & ex parte dextera Chori verſus An-*

Deſcriptio Sanut.

Auſtrum, eſt locus vbi ſepulti fuerunt ſanctí Innocentes, vbi & altare conſtructum eſt: maior verò pars eorum contra Meridiem tertio milliario ſepulta eſt. Huius venerabilis Eccleſiæ pretioſas tabulas & columnas præcepit Soldanus quidam pro conſtruendo ſibi palatio in Babylonem deferri: & cùm acceſſiſſent in Soldani præſentia cum ſuis inſtrumentis artifices, & iuſſa perficerent, de ſano & integro pariete, vnde nec acus poſſet educi, exiuit ſerpens mirę magnitudinis, primæq; tabulæ quæ occurrit morſum dedit; & tabula continuò tranſuerſaliter ſciſſa eſt. Ad ſecundam verò accedens fecit ſimiliter, & ad alias conſequenter vſque ad XL. *Cunctis verò aſtantibus ſtupore ſuſpenſis, Soldano quoque mutante propoſitum, ſerpens diſparuit: remanſit proinde Eccleſia & remanet vſque hodie ſicut priùs. Saraceni quidem omnes Eccleſias beatæ & glorioſæ Virginis, ſed hanc præcipuè venerantur: apparet autem vſque nunc veſtigium tranſeuntis ſerpentis in ſingulis tabulis, quaſi combuſtio quædam ignis. Et inter cetera ſtupendum, qualiter ſerpens per tranſuerſum tranſire poterat, cùm paries eſſet planiſſimus & politiſſimus ſicut vitrum.* Hæc ille.

Brocardi de monte Sion.

Fr. Brocardus de monte Sion in ſua Terræ ſanctæ Deſcriptione de iſta Eccleſia ſic loquitur: Non vidi ego, nec alium audiui, qui dixerit ſe vidiſſe in toto orbe terrarum Eccleſiam ita deuotam ſicut Bethlehemitanam: ſunt enim in ea columnæ nobiliſſimæ, & pulchritudine, & multitudine, & magnitudine ſtupendæ. Præterea ſtructura Eccleſiæ deſuper columnas vſque ad tectum tota eſt facta opere muſiuo, & nobiliſſimo & pulcherrimo. Totum pauimentum Eccleſiæ ſtratum eſt marmore diuerſorum colorum & generum: parietes ex omni parte tecti ſunt tabulis marmoreis; quarum pretium in opinione non poſſet æſtimari. Incredibilia dici poſſent & ſcribi de Eccleſia iſta. Capella etiam, in qua eſt Præſepe, tota facta eſt opere muſiuo, & ſtrata marmore. Saraceni in veneratione habent Eccleſiam iſtam præ ceteris Eccleſiis B. Virginis, &c.

Guilielmi de Baldenſel.

Guilielmus de Baldenſel in ſuo Hodœporico ſequentia litteris conſignauit: In loco Natiuitatis Solis iuſtitiæ Chriſti Dei noſtri ibidem orti, deuotiſſima & pulcherrima Eccleſia conſtructa eſt ſatis magna, plumbo cooperta, marmoribus & picturis Genealogiam Chriſti exprimentibus egregiè ordinata. Apparet mihi quòd numquam magis generoſam Eccleſiam viderim in hoc mundo. Erat bene turribus, muris ac propugnaculis communita. In ipſa Eccleſia prope chorum à dextris deſcenditur per paucos gradus, vbi eſt locus Præſepij, artis miniſterio marmoribus & opere muſaico pulcherrimè decoratus, &c.

Adamnani & Bedæ.

Adamnanus & Beda pauca de ea dixerunt, etſi egregia.

Chriſtiani Adrichomij.

Chriſtianus Adrichomius in ſuo Theatro Terræ ſanctæ in deſcriptione tribus Iudæ num. 58. de Bethlehem verba faciens, diſtinctè magis iſtam Eccleſiam deſcripſit, vt ſequitur: Cuius quidem ædificij ea magnificentia eſt, ſplendor & elegantia, vt quod huic compares toto terrarum orbe non inuenias. Videlicet eſt excelſum cumprimis & ampliſſimum: cuius tota ſuperior concameratio quatuor ex marmore columnarum ordinibus diſtinguitur; quarum non modò multitudo miraculum, ſed etiam magnitudo admirationem excitat; habet enim ordo quilibet quinquaginta columnas ſingulari artificio & ſumptu, cùm vel ipſa materia ſui pretio cuiuſuis æſtimationem vincat. Super ipſas columnas nauis Eccleſiæ oſtenditur opere vermiculato, quæ omnes veteris Teſtamenti exhibet Hiſtorias, ab exordio mundi vſque ad Chriſti ortum mirando artificio & colorum varietate diſtinctas. Parietes tabulis ex alabaſtro pretioſiſſimis ſunt incruſtati: quarum ea opulentia eſt & pulchritudo, vt ipſe aliquando Sultanus harum forma & pretio captus, ſacratiſſimo templo manus ſacrilegas admouerit, iubens latomis vt è parietibus leuiter ſubmouerent, & pro palatio ſuo in Babyloniam tranſportarent. Sed illi vt acceſſerunt tabulas amoturi, ex ſolido pariete mirę magnitudinis ſerpens prodiit, & primam tabulam momordit; ſtatimque crepuit, & in hunc modum reliquæ morſæ à ſerpente crepuerunt numero quadraginta. Quo viſo Soltanus, timens vltricem Dei iram, iuſſum reuocauit, & de templo exiit turbatus & plenus formidine; ſimulque ſerpens diſparuit. Viſuntur etiamnum ſerpentis ibi veſtigia, & fiſſuræ tabularum. Quam Hiſtoriam relatam ait in Annales Scriptorum Saligniac. adeò vt Turcæ etiam & Saraceni reuerenter hoc templum frequentent. Pauimentum huius templi totum ſtratum eſt marmore: ſed & ipſa concameratio eſt ex marmore; teſtudines & colore & pulchritudine admirandæ. In ſuperiore templi huius parte verſus Orientem altare erectum eſt eo loco, vbi Magi, relictis dromedariis, cum muneribus Ieſum Dei Filium adorauerunt. Ad locum autem dulciſſimæ Natiuitatis deſcenditur ab Eccleſia in capellam decem gradibus, locum vel ipſo cælo auguſtiorem, æterna memoria omnibus fidelibus honorandum: in quo medio noctis ſilentio, Virgo ſacroſancto partu grauida,

da, caſtis viſceribus & illibato pudore edidit Saluatorem, tenellum infantulum in commune exponens, duûm animalium medio. Hic locus tegitur menſa marmorea & candida, in qua & ſacrum peragitur; & qui eò veniunt peregrini, oſculo deuotionem conteſtantur. Ceterùm lapidis illa pars ſuper qua Chriſtus dicitur natus, & Præſepij pars in quam fuit reclinatus, non veſtiuntur marmore; ſed nudæ patent, vt erant tempore Natiuitatis. Lapis in quem reclinauit Maria, & cui flexis genibus inſedit, ſimilitudinem ſtellæ habet. Eſt autem tota hæc capella ſumptuoſo opere ex marmore & auro exornata. Hucuſque Adrichomius de maiori Eccleſia ſanctæ Mariæ Bethlehem, & Baſilica Dominicæ Natiuitatis.

Reijcitur. Verumtamen hæc non cohærere cum his quæ nunc cernuntur, quæ abſque dubio erant quando de illis ſcripſit Adrichomius, & in perfectiori ſtatu, cæcutienti patere poteſt: & quantum ad aliqua quæ dixit de Baſilica Dominicæ Natiuitatis, ex dictis ſuprà cap. 4. & 5. quantum verò ad alia quæ aſſerit de maiori Eccleſia, ſtatim apparebit, & ampliùs duobus proximè ſequentibus Capitibus manifeſtabitur. Ignoſcendum tamen Adrichomio, quia non vidit: non enim fuit in Terra ſancta, vt ipſe indicat; & quæ ſcripſit, ex aliis aliàs fide dignis accepit.

Et quod ait in primis, Eccleſiam iſtam magnificentia, ſplendore & elegantia præditam eſſe (etſi veruſtate & infidelium odio priſtinum ſplendorem amiſiſſe videatur) non negamus: ſed quòd toto orbe terrarum illi compares Eccleſiæ non inueniantur (vt ille dicit) neſcio qua ratione defendat. Et quidem ſi hoc dicit propter Natiuitatem Saluatoris, ambabus manibus concedimus; quin eius intuitu, non ſolùm compares non habere Eccleſias manibus hominum conſtructas, ſed nec vmquam habituram conſtantiſſimè aſſeueramus: nam ipſo empyreo cælo operibusque manuum Dei aſſimilari poteſt. At manifeſtum eſt, non ex iſto ſupernaturali beneficio, ſed ex. materiali opificio magnificentiam & ſplendorem eius commendare, vt patet ex eius adducta deſcriptione. Sed ex hoc capite non ſolum compares habet in toto orbe terrarum Eccleſias, ſed multas in multis prouinciis, etiam ſplendore, elegantia, ſumptibus & diuitiis ſuperiores, vt qui hanc & illas viderunt, teſtati ſunt.

Inſuper hæc quidem Eccleſia ampliſſima eſt, vt dicit Adrichomius; ſed quòd tota ſuperior concameratio quatuor ex marmore columnarũ órdinibus diſtinguatur, quorum quilibet quinquaginta columnas habeat, longè à veritate abeſt: in vniuerſum enim omnes ſunt numero quinquaginta. Et quòd ſuper columnas nauis Eccleſiæ oſtendantur Hiſtoriæ veteris Teſtamenti ab exordio mundi vſque ad Chriſti ortum, ſi ego non fallor, ipſe prorſus fallitur, vt infrà Capite XIII. manifeſtè apparebit. Parietes eſſe incruſtatos ex pretioſiſſimis tabulis alabaſtri, non videtur verum: nam etſi tota ſit tabulis marmoreis, quibus olim veſtiebatur, ſpoliata; vbi tamen in eminenti loco operta ex parte cernitur, non ex alabaſtro, ſed ex tabulis marmoreis coloris cinerei, cum venis quibuſdam nigris: cuiuſmodi fuerunt & illæ, quibus olim ornabantur parietes templi Reſurrectionis & Aſcenſionis Domini, & nunc adhuc veſtiti ſunt alij Baſilicæ Natiuitatis Domini cum eius ſolo. Quòd Sultanus Babyloniæ, id eſt Cairi, voluerit hanc Eccleſiam dictis tabulis ſpoliare, vt palatium ſuum veſtiret, credendum eſt: tum quia Turcæ in odium Chriſtianorum libenter eorum templa demoliuntur; tum quia cupidiſſimi ſunt, & libentiſſimè ex alienis ſe accommodant. In præſentia ſignum illius ſerpentis non videtur; quia nec tabulæ marmoreæ ſunt.

Pauimentum eſſe ex lapide ſtratum, non video, niſi ſuperiorem Eccleſiæ partem, vbi eſt chorus & altare maius; ſed reſiduum Eccleſiæ eſt delapidatum mixtura quadam punicei, id eſt rubei ſeu ſpadicei coloris. Potuit quidem hoc pauimentum fuiſſe ſtratum marmoreis tabulis (vt quidam opinati fuerunt) quibus à Turcis ſublatis, vt maiorem ſuam Meſquitam Ieroſolymis accommodarent, fuit poſteà à Chriſtianis, vt nunc eſt, delapidatum. Verùm hoc incertum eſt, nec aliqua (quòd ſciam) iſtarum partium traditione firmatum. At multò minorem probabilitatem illud habet, quòd huius Eccleſiæ concameratio ſit marmore tecta: nam nec tale tegumentum fieri conſueuit, etſi aliæ ædificij partes ex marmore ſint; nimiùm enim ponderaret: & denique nec huiuſmodi operimentum vel ſigna aliqua cernuntur talis ſtructuræ. Et ex dicendis proximè ſequentibus duobus Capitibus magis refellentur dicta ex Adrichomio, & nonnulla ex aliis adducta; & veritas magis eluceſcet.

CA-

CAPVT XII.

Quæ Auctor cum aliis obseruauit in structura Ecclesiæ sanctæ Mariæ Bethlehem.

DE structura & ornamentis huius Ecclesiæ agam, vt ego cum aliis oculatis inspectoribus curiose obseruaui: de ornamentis sequenti Capite, de structura præsenti. Hæc Ecclesia appellatur sanctæ Mariæ; quod etiam docuit Beda de Locis sanctis cap. 8. Illius structura pulcherrima ac dignissima est; tum propter materiam, tum propter artificium, amplitudinem & mirabilem eius dispositionem; tum denique propter superinducta ornamenta quibus olim decorata fuit. Et talem profectò esse decebat, quæ ad honorem sacratissimæ Virginis & eius sanctissimi purissimiq; partus memoriam ædificata fuit.

Forma Ecclesiæ.

Ad Orientem est ædificata secundùm laudabilem & obseruatam harum Orientalium partium consuetudinem in altaribus & Ecclesiis constructis, in formam crucis, qua veteres Ecclesias communiter ædificabant, vt Libro IV. adnotauimus. Superior pars & caput Orientē, brachium verò, quod in dextera Aquilonem, & quod in læua Meridiem; & extrema pars, vbi est introitus, respicit Occidentem. Parietes ex quadratis lapidibus sunt erecti; testudines, concamerata & laquearia, ex cedro vel cypresso; columnæ, cum basibus quæ has sustinent, ex marmore rubeo ad album aliquantulùm vergente satis perfecto & lucido sunt; capitella verò sunt albi marmoris opere Corinthio elaborata. Sunt quatuor ordines columnarum, quibus quinque sustentantur concamerata, & totidem conspiciuntur naues: quarum quæ in medio Ecclesiæ, vt decet, maior ceteris est; & illæ inter se æquales. Duo ordines columnarum sunt ex vtraque parte maioris nauis, vigintiquinque ex vna, & totidem ex altera parte; quare numerum quinquagesimum non excedunt. Lateralia concamerata plana sunt, parum excedentia altitudinem columnarum, id est, quantum est trabis crassities. Sed media aliis duplo & ampliùs eleuatur: etenim supra columnas & trabes murus eleuatur, & supra murum sunt fenestræ satis amplæ, vndecim in vtraque parte; quibus adeò illuminatur Ecclesia, vt sub dio esse videatur; supra verò nectitur testudo angularis & acuta. Laterales parietes Ecclesiæ, vbi picturæ non erant, olim vestiebantur tabulis marmoreis albi vel cinerei coloris, vt nunc exornatur Basilica Natiuitatis Domini, & olim aliæ harum partium Ecclesiæ vestiebantur, vt adhuc aliquæ quæ superfuerunt in superiori parte, & claui quibus nectebantur, eorúmve existentia signa indicant cum veteri traditione. Pauimentum maioris & superioris capellæ similibus tabulis stratum est: tota verò Ecclesia delapidata est ex quadam mixtura ex attritis latèribus calceq; compacta; estq; punicei coloris.

Ad Orientem ædificata:

& in formam crucis.

Meridie.

Quatuor habet columnarum ordines:

Fenestræ viginti duæ.

Pauimentum variũm.

Vnicum habet ostium satis spatiosum cum suis foribus affabrè elaboratis, quas ferè consumpsit inuida vetustas: referunt incisas in ligno cruces & alia ornamenta cum litteris Arabicis & Armenis, vt sequenti Capite dicemus. Ante ostium vestibulum est longitudinis passuum 24. & 10. latitudinis. In eius Meridionali parte est ostiolum per quod intratur ad habitacula Armenorum. In Aquilonari patebat aditus ad sacellum sancti Nicolai, inquiunt harum partium veteres incolæ; nunc clausus. In Occidentali huius vestibuli parte è regione ostij maioris sanctæ Ecclesiæ est ostiolum per quod ex platea intramus, vt supra Cap. I. indicauimus.

Ostium vnicum magnum.

Vestibulum.

Intra Ecclesiam non longè ab ostio ad Aquilonem est ostiolum per quod ingredimur Monasterium. Ad Meridiem in altera parte prope murum est Baptisterium, id est, vas in quo sacro Baptismatis fonte abluebantur fideles: vas pulchrum, eiusdem materiæ cum columnis, octogenæ formæ: longitudo cuiuslibet lateris est duorum palmorum cum dimidio, distantia extremitatum est 6. palm. & dimidium 4. intus est in forma crucis & rosæ, continetq; alterum marmoreum vas album; circa sunt cruces & litteræ: totum integrum, altera parte excepta, quam Mauri fregerunt: distat ab ostio Ecclesiæ gressus quindecim. Ex hoc diiudicamus, Ecclesiam hanc fuisse parochialem, imò Archiepiscopalem, ex Tyrio de Bello sacro; & adhuc sedes est Episcopi Græcorum.

Baptisterium.

Tria præcipua continet altaria in superiore parte: maius in medio est spatiosum, & pulcherrimo cinereo albóve marmore opertum, ad quod sex gradibus ascenditur; tot enim eminet à pauimento Ecclesiæ. In capite iuxta murum est marmorea sedes Patriarchæ: hìc chorus esse debebat; & nunc etiam locus nouo muro deforis cinctus est, in quo aliquando Græci Officium faciunt: & Sacerdos, dum celebrat, stat supra locum Dominicæ Natiuitatis. Hinc inde in brachiis Ecclesiæ sunt alia altaria: quod in Aquilonari, appellatur altare Regum; quoniam ibi Orientales Reges, relictis iumentis, se præparárunt ad ingredien-

Tria altaria. Maius.

Regum.

Digitized by Google

dum locum Natiuitatis: & hîc proxima eſt ciſterna, etſi ſine aqua; quæ hac ipſa ratione ciſterna Regum nominatur. Quod in Meridionali brachio eſt, altare Circumciſionis dicitur: intus eſt fornix, & in plano marmorea tabula, in qua ſculpta eſt ſancta Crux ad hanc formam, quòd aliqui credant Chriſtum Dominum ibi fuiſſe circumciſum: ſed de hoc diximus Capite 1x. huius Peregrinationis.

Circumciſionis.

Ex hac Eccleſia deſcenditur ad Baſilicam Natiuitatis.

Ex hac Eccleſia, & his propè locis, per ſcalas deſcenditur ad antrum & Baſilicam Dominicæ Natiuitatis: quæ in Aquilonari 16. & in Meridionali 13. gradus habet: oſtiola affabrè elaborata, & eorum poſtes ex ære exciſæ & ornatæ. Ab his non longè fuiſſe ſuprà ferreos cancellos ſigna demonſtrant.

Campanile.

Ex hac parte ad Auſtrum eſt fortiſſima & magna turris ſiue campanile: vbi ſacrarium ſacellúmve & plures habitationes & ciſternæ ad vſum Græcorum. Tota hæc Eccleſia plumbo tegitur.

Plumbo tecta Eccleſia.

Longitudo & latitudo eius.

De longitudine & latitudine huius Eccleſiæ nunc agendum eſt: & incipiendo à parte ſuperiori & capite, quadrum maioris capellæ eſt palm. 31. ſequitur deinde fornix dimidij circuli formam retinens. Longitudo tituli ſecundæ nauis palm. 76. primus angulus tituli palm. 14. pars quæ ſequitur palm. 27. ſequitur deinde fornix latitudinis palm. 72. cum dimidio. Latitudo corporis, ſiue maioris nauis Eccleſiæ, eſt palm. 35. & 3. vnc. latitudo primæ alæ, ſiue vnius minoris nauis, eſt palm. 12. cum dimidio: eadem eſt ſecundæ latitudo, & aliarum quæ ſunt in altera parte. Diſtantia vnius columnæ ab altera in longitudine eſt pal. 7. baſis cuiuſlibet columnæ eſt latitudinis palm. 3. & 6. vnc. Columnæ diameter eſt palm. 2. & 6. vnc. circuitus ſiue tota craſſities, pal. 6. & 6. vnc. longitudo columnæ eſt 7. palm. &, quantum ad hoc, operis Ionici, ſed capitellum Corinthij: vas & capitellum proportionatæ altitudinis. Longitudo nauis & corporis Eccleſiæ eſt palm. 128. latitudo 100. Omnes baſes Chriſtiani nominis hoſtes ex parte fregerunt. Prima columna, quæ eſt in dextera parte introitus Eccleſiæ, fracta in parte inferiori; & niſi miraculo deterriti fuiſſent demolientes, vt traditur, omnes fregiſſent, vt ſtructura tota corrueret.

Hîc inſerenda Ichnographia Eccleſiæ & Conuentus ſanctæ Mariæ Bethlehem.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT XIII.

De picturis & scripturis quæ adhuc cernuntur in Ecclesia sanctæ Mariæ Bethlehem.

SAcratissima hæc Ecclesia olim pulcherrimis picturis & scripturis exornabatur, quas pro maiori parte edax vorauit tempus, & infidelium barbaries & iniuria consumpsit. De reliquiis agemus in præsentia quæ in muro sunt: intra fenestras Ecclesiæ sunt opere musaico exaratæ, quæ in columnis & inter fenestras communi pictura sunt depictæ. De singulis erit sermo: de illis prius, posterius de istis: eas collegimus anno 1626. ab ortu Saluatoris nostri.

Scriptura in postibus Ecclesiæ. In ostiis Ecclesiæ duæ scripturæ leguntur; quarum vna Arabicis, altera Armenis verbis & characteribus exarata est: illa in parte est dextera & Aquilonari, in qua legitur Euangelium in Missa; quæ Latinè reddita, hunc facit sensum:

Arabica. *Completa fuit hæc porta Dei auxilio diebus Domini nostri Regis omnipotentis & magnifici in vigesimo primi mensis anni 624.*

Hæc in læua & Meridionali parte, vbi in Missa Epistola legitur; quæ Latinè reddita, hunc facit sensum:

Armena. *Anno 676. accommodata fuit porta sanctæ Mariæ opera patris Abraham & patris Aracheli, sub Regno Erman filij Etum Constantini: Christus Deus auxilietur animabus ipsorum. Amen.*

Supra portam Ecclesiæ. Templum ingressi, supra portam deprehendimus fuisse effigiatam arborem; in eius ramis Prophetæ cum suis de Christo prophetiis. Et in primis videtur figura Prophetæ manus suas tabellis imponere, in quibus hæc dicta:

Isai. 3, 18. IN ILLA DYE
STILLABV
MONTES
DVLCEDI
NE M COL
ES FLVEN
IAC IIN EL

Amos 8, 9. IN DIEBVS
OCCIDET
SOL ME
RIDIE ET
TENEBRE
ERVNT IN
DIE LV
MINIS

Ac deinde alterius Prophetæ figura tenens schedulam cum hac inscriptione:

ECCE SVP MONTES Nahum 1, 15.
PEDES EVANGELIZANTIS
ET ANNVNTIANTIS PACE.

Ad caput huius sententiæ videtur suprà caput, infrà verò pes alicuius Prophetæ: superiùs ad caput legitur hoc nomen EZECHIEL. Inferiùs ad pedem, illud, IHEASPPHA. sequitur deinde hoc dictum:

ORIETVR STELLA Num. 24, 17.
EX IACOB ET
GEPHDI.

Posita est hæc sententia iuxta figuram Balaam.

Altera est tabella, in qua hocce dictum:

EX ERV Michæ 5, 2.
BLEEP
FRAAEG
DIE CON
TORIS
ET EGSS
EI° AB INI
TIO ETER.
NITATIS.
E CELO REX
ADVENIET
P··· SECLA
···RVS.

In antiquo Baptisterio. In antiquo Baptisterio, quod est in parte Australi, Græca hæc habetur inscriptio:

+ ΥΠΕΡ ΜΝΗΜΗC ΚΑΙΑ.
ΝΑΠΑΥCΕΩC ΚΑΙ ΑΦΕ
CEΩC

Digitized by Google

* Tres istæ litteræ videntur significare nomina propria.

CEШE AMAPTIШN Ш.N.I.

KE ΓHNOLKITA ONOMATA.

* ΓΗΝΟΣΚΕΙΤΑ

Latinè reddita sic se habet:

✠ *Pro memoria, & quiete, & remissione peccatorum O. N. I.*

Dominus novit nomina.

Supra columnas Ecclesiæ imagines parentum Christi secundùm carnem.

Ex vtroque latere maioris nauis Ecclesiæ, quæ statim subijcimus, cernuntur infra iam memoratas fenestras. Immediatè supra columnas circa trabes, incipiendo à principio Ecclesiæ, & vsque ad extremitatem nauis continuando, sunt figuræ Regum Iudaici populi celebriumque virorum, ex quibus Saluator noster secundùm carnem descendit, quorum in Euangelio SS. Matthæi & Lucæ fit mentio, depictæ à capite vsque ad pectus. Præter Regum coronas, quas Reges tenent in capite, habent etiam diademata, siue scuta quibus sancta Ecclesia Sanctos condecorare solet, etsi perditorum hominum sint figuræ, quemadmodum Libro v. adducta ratione huius picturæ notaui: illorum leguntur nomina; & figuræ sunt satis integræ.

Supra imagines ex Aquilonari parte sunt appicta falditoria cum libro, thuribulo, candelabro & cruce.

Supra has figuras vsque ad fenestras ex parte Aquilonari sunt in quadratis spatiis figurati arcus, siue faldistoria: sub quorum quolibet est appictum pulpitum cum libro, & ex illius altera parte thuribulum; ex altera verò candelabrum & crux.

Supra hæc quorumdam Conciliorum argumenta.

Supra hæc sunt Græcæ scripturæ exprimentes argumenta quorumdam Conciliorum, cum numero Episcoporum qui eisdem interfuerunt; quas referemus cum earumdem versione Latina & compendiaria explicatione. Et ex his deducitur, quòd prædicti arcus, vel faldistoria, repræsentent ciuitates & loca, in quibus celebrata fuerunt indicata Concilia: nam & alicubi describuntur nomina ciuitatum in quibus congregata fuere, vt ANTIOCHIA, SARDICA, &c. vt sequitur: & primò ex parte Aquilonari & dextra ingressus Ecclesiæ in qua legitur Euangelium.

Scriptura ac pictura in Aquilonari parte.

✠ HAΓIA CYNOΔOC HЄN
ANKYPAΘHC ΓAΛATIAC T̄ΩN
IB. ЄПICKOПΩN ПPOΘHCEN
NICAIA. OIK ȣMЄNIKHC CYN
CΔOYΓЄГONEN XPIN T̄ΩЄN
T̄Ω ΔIOГMΩ KATЄKHN ΩS

POYKAHHK ω NIЄPHTȣЄI

OΦЄA		ПЄПAY
ONΔЄ		ÇΘAIΔ
XΘHN	*Hîc pulpitum cum libro; ex vna parte thuribulum, ex alia candelabrum & crux.*	ЄAYT̄
AISП		YCПA
ωCω		CYCTH
PIGЄN		CIЄPA
HCYN		HKIOA
OΔOG		ITȣPΓ
		IAC.

Sancta Synodus Ancyrana.

✠ *Sancta Synodus duodecim Episcoporum coacta Ancyræ, Galatiæ vrbe, ante Oecumenicam Synodum Nicænam celebrata est propter Sacerdotes & Clericos, qui in persecutione*

* . . . . . *Vtrùm deberent suscipi: & ita diffiniuit Synodus; sed iussit eos ab omni Sacerdotali Officio cessare.*

* Videtur supplendum, *Defecerunt à fide, & idolis immolarunt.*

DECLARATIO.

Vide Bellarmin de Conciliis lib. 1. c. 4.

Antequam ad nostrarum Conciliorum scripturarum explicationem accedam, vnum præmitto, Concilia in genere esse in duplici ordine, quædam generalia, quædam particularia.

Concilia in genere, alia vniuersalia, alia particularia.

Generalia dicuntur illa, quibus interesse possunt & debent Episcopi totius orbis, nisi legitimè impediantur; & quibus nemo recte præsidet nisi summus Pontifex, aut alius eius nomine: inde enim dicuntur Oecumenica, id est, orbis terræ totius Concilia.

Particularia multiplicia.

Particularia sunt, in quibus non totius Orbis Episcopi interesse debent, nec Papa, vel alius suo nomine præesse, sed tantùm aliqui: vt si Archiepiscopi & Episcopi alicuius Regni vel nationis, quibus præest aliquis Patriarcha, & tunc proprio nomine Nationalia nuncupantur, & nonnumquam etiam Generalia. Vel conueniunt tantùm Episcopi vnius Prouinciæ, quibus præest Archiepiscopus siue Metropolita; & talia Prouincialia dicuntur. Vel conueniunt tantùm Presbyteri vnius Episcopatus, quibus ipse præest Episcopus; & Diœcesana dicuntur.

Approbata vel reprobata.

Et tam generalia quàm particularia Concilia sunt vel approbata vel reprobata ab Apostolica Sede in toto vel in parte; in his quæ fidei sunt, vel etiam in aliis. Nostræ scripturæ referunt aliqua Concilia vtriusque ordinis, & in his quæ fide sunt approbata: generalia, quæ in Australi Ecclesiæ parte;

Digitized by Google

parte; particularia, quæ in Aquilonari. Et nos ab his ordiamur declarationem, & ab Ancyrano primò.

Ancyra triplex.

Ancyra multiplex inuenitur: altera in Phrygia maiori Plinio & Ptolemæo; altera circa Macedoniam aut Illyricum Liuio 43. & tertia est Ancyra ciuitas in Galatiæ prouincia: sic appellata secundùm Plinium libro 5. cap. vlt. ab anchoris nauium captarum à Mithridate, quas Ptolemæus Ægypti Rex suppetias Galatis siue Gallo-Græcis miserat, cuius meminit Ptolemæus l. 5. c. 4.

Hic de Ancyra Galatis est sermo.

De ista Ancyrà hìc sermo est. In ea diuersis temporibus duo celebrata fuere Concilia Prouincialia: Catholicum alterum, alterum Semiarianum: de vtroque aliqua dicenda.

Duo in ea Prouincialia celebrata Concilia.

Semiarianum alterum.

Ancyranum Concilium Semiarianum celebratum fuit anno Domini 358. sub Liberio Romano Pontifice. Ad huius intellectum sciendum, quòd cùm Sirmij Concilium, siue potiùs conciliabulum, collectum fuisset, in eoque factæ fuissent duæ fidei confessiones; altera Catholica, simulatoria tamen, & cum Ario communicans, in qua Photinus damnatus est; quoniam Christi Diuinitatem inficiabatur: determinatumque fuit, Christum Dei Filium esse eiusdem substantiæ cum Patre. Altera fidei confessio prorsus hæretica Ariana fuit; quia in ea *substantiæ* & ὁμοίου nomen prorsus abdicatum fuit, quoniam horum nominum nulla mentio fit in Scriptura; consequenter indicare volentes illius assertores cum Ario, Dei Filium haud cum Patre eiusdem esse substantiæ ac naturæ.

Orientales Episcopi perfidam hanc secundam fidei confessionem detestantes, à Firmio recedentes, in Asiam migrarunt: vbi in Ancyra, illius prouinciæ ciuitate, anno Domini 358. conuenientes, ibi ablegatum à Dei Filio *substantiæ* nomen restituerunt, impia statuta secundæ confessionis & formulæ planè condemnarunt, Filiumque Dei secundùm substantiam Patri per omnia similem & coæqualem, duodecim appositis diffinitionibus, statuerunt. Et meritò: quia etsi Dei Filius nomine talis in sacra Scriptura non inueniretur, re tamen talis exprimitur, ipsomet Filio Dei dicente: *Ego & Pater vnum sumus*. non quidem persona qua distinguitur realiter à Patre, sed natura & substantia qua numero idem cum eo est; & ideò Dei Filius rationabiliter potuit hoc substantiæ vel naturæ nomine idem cum Patre explicari & appellari.

Semiarianum dictum ex Patribus qui in eo conuenerunt.

Verùm Semiarianum diximus hoc Concilium, propter Patres qui ad illud conuenerunt; quoniam licet Arij nomen detestati, Diuinam in Filio Dei substantiam vtcumque spectantes confessi fuerint; nihilominùs quia nomen *consubstantialitatis* non recipiebant, Nicænamque Synodum explodebant, vt Semiariani appellari meruerunt, & ab ipsis Semiarianum Concilium. Ita Baronius in Annal. an. 357. F. Franciscus Longus à Coriolano in Summ. Concil. pag. 264. & 266. Bellarminus tamen lib. 1. de Conciliis cap. 7. Oecumenicum fuisse tradit. De isto Concilio non est hìc sermo.

Alterum Catholicum Concilium.

Concilium alterum Ancyranum & Catholicum, atque antè præmissum, ac etiam Oecumenicum Nicænum primum celebratum fuit anno Domini 314. sub Siluestro I. summo Pontifice, suique Pontificatus anno primo, & nono Constantini Imperatoris.

Illius causa

Huius Concilij celebrandi causa fuit, quòd, vigente Maximini persecutione, multi Christiani minis tormentorum Christianæ fidei renuntiantes, etiam idolis sacrificabant, non solùm ex communi hominum vulgo, sed ex singulari Ecclesiastico, Diacon, Sacerdotes & ipsi Episcopi. Sed, Tyranno extincto, respirare cœpit Ecclesia, metuque propulsato, lapsi ad cor redeuntes, pij Præsules de ipsorum salute cogitare cœperunt. Itaque Orientales Episcopi hac pacis occasione freti, profugas oues ad Ecclesiæ ouile reuocare studuerunt; ipsis maximè lapsis, vt restituerentur, instantibus.

Montani hæresis, lapsos non esse ab Ecclesia reciprandos.

Et tantò magis, quòd antèà Montanus pernicioſissimam hæresim docuerit, hæreticos & lapsos haud Ecclesiæ reconciliandos esse, consequenter communem illis ad salutem aditum præcludens. Vnde sanctus Hieronymus in Epistola 54. ad Marcellam de erroribus Montanistarum ita loquitur: *Illi ad omne penè delictum Ecclesiæ obserant fores; nos quotidie legimus: Malo pœnitentiam peccatoris, quàm mortem.* Quam

Euulgata in Ecclesiis à Nouato.

hæresim postea in omnibus Ecclesiis euulgauit impius Nouatus, vt infrà de Concilio Carthaginensi verba facientes explicabimus. Igitur vt tam pernicioſus error euerteretur, & periclitantibus lapsis Christianis pœnitentibus subueniretur, auctore Vitali

Ancyra in Minoris Asiæ mediterraneis posita.

Antiocheno Episcopo, vt probabile est, conuocati alij Episcopi Ancyræ conuenerunt; quoniam ea vrbs in regionis meditullio sita erat, & minoris Asiæ Episcopi, Cappadoces, Pontici, Armeni & Cilices, & Syri facilè conuenire poterant. Eò itaque cùm conuenissent, Concilium fecerunt, vt antè elapsis scandalis opportunè occurrerent. Et hoc est Concilium de quo loquitur Bethlehemitica nostra scriptura.

De isto Concilio loquitur scriptura Bethlehemitica.

Probatur tripliciter: Primò ex tempore quo

quo celebratum fuit; quia vt ex illius historia, ita ex nostra scriptura habetur ante Nicænum celebratum fuisse; alterum verò Ancyranum Semiarianum post, & vt eidem Nicæno refragaretur collectum. Secundò, ex numero Episcoporum qui ad illud conuenerunt; ac tertiò, ex in eo determinatis.

Obiectionis solutio.

Et quot fuerunt Episcopi, & quæ fuerunt in eo determinata? vtrumque indicatur in scriptura nostra, & in Concilio explicatur. Et quantum ad primum de numero Episcoporum, duodecim fuisse in scripturâ asserit; sed decem & octo fuisse dicitur in huius Concilij historia. Verùm hoc non obstat, nam duodecim ibi tantùm enumerantur; quia vel tot tantummodò erant in illius principio vel in fine, alij vel morte vel alio præpediti impedimento abfuerunt: sed historia Concilij quotquot ad illud quomodolibet conuenerunt, fortasse recensuit, scilicet decem & octo.

Tria notanda pro quarundam contradictionum conciliatione.

Et quoniam similis difficultas in aliarum scripturarum explicatione occurret; quandoquidem, vt videbimus, pluries discordabit numerus Episcoporum qui ad Concilia conuenerunt, positus in nostris Bethlehemiticis monumentis, ab illo qui in eorumdem Conciliorum historia vel confirmatione reperitur; vt quoquo modo diuersitas ad aliqualem vnitatem redigatur, in primæ huius scripturæ explicatione, vbi primò difficultas exorta est, tria placet adnotare.

Quatuor hominum genera ad Concilia conueniunt, decidentes, consulentes, ministrantes, protegentes.

Primum notandum sit, quatuor hominum genera ad Concilia conuocari: alij vt iudices, qui dicuntur habere suffragium decisiuum: alij vt disputando examinent difficultates, qui dicuntur habere suffragium consultiuum, & isti sunt viri docti, cuiusuis existant conditionis, Episcopi vel non Episcopi sint: alij aduocantur vt ministrent, quales sunt Notarij & Custodes: ac denique conueniunt vt Concilium defendant, dent operam vt intus & extrà omnia sint pacata, conscij ac testes decretorum Concilij, vt posteà transgressores & contumaces pœnis corporalibus puniant; & isti sunt sæculares Principes.

Loquendo nunc de primi generis hominibus, dico illos esse in duplici differentia: quidam enim habent in quibusuis Conciliis Generalibus & Prouincialibus ius suffragij decisiui ordinariè, & isti sunt soli Prælati, maiores Episcopi videlicet: quidam verò habent idem ius ex priuilegio & consuetudine, vt Cardinales, Abbates & Generales Ordinum, licet Episcopi non sint. Ita constat tum ex personis quæ in Cõcilio Tridentino interfuerunt, tum ex Turrecremata l. 3. c. 12. & 15. tum ex aliis Auctoribus.

Secundum notandum sit, in primitiua Ecclesia & tempore Apostolorum nomina illa, Episcopus & Presbyter, cõmunia fuisse omnibus Sacerdotibus tam maioribus, quos nunc Episcopos dicimus, quàm minoribus, quos Presbyteros appellamus, licet res ipsæ & potestates distinctæ essent: tum quia plerumque minores Sacerdotes aliqua munera propria Episcoporum in horum absentia ipsi ex priuilegio exercebant; vt minores Ordines & Confirmationis Sacramentum conferre, vt simplices Ægypti Sacerdotes contulisse tradit S. Ambrosius: & propter magnam inter vtrosque conuenientiam, cùm in ordine ad Eucharisticum Sacramentum æquales sint. ita docent S. Chrysostomus & alij in Commentario illorum verborum D. Pauli ad Philippenses 1. *Paulus & Timotheus, serui Iesu Christi, omnibus Sanctis in Christo Iesu, qui sunt Philippis, cum Episcopis & Diaconibus.* In isto enim loco, sicut etiam alibi, Episcopi appellatione maiores Sacerdotes & Episcopos propriè non intellexit, quia tales in vna vrbe, ad quam scribebat S. Apostolus, multi esse non solent: & præterea si Episcopi appellatione, Episcopum propriè intellexisset; cum Episcopo, Presbyteris & Diacombus, dixisset: nam Presbyteri non debuerunt omitti, Diaconibus præsertim minoribus ministris non prætermissis: quare verè dictum, Episcopi nomen antiquitus non tantùm de Episcopis propriè, sed etiam de Presbyteris dici consueuisse.

Episcopi & Presbyteri nomina in primitiua Ecclesia, Episcopis & simplicibus Sacerdotibus communia.

In Comment. c. 4. Epist. ad Ephes.

Lege Bellarmin. de Clericis lib. 1. c. 14. & 15.

Tertium notandum sit, Episcopos propriè dictos esse in duplici differentia: quidam sunt Ordinarij alicuiqúe Ecclesiæ propriæ addicti; alij non item, qui Titulares & Suffraganei: & in Concilio Antiocheno & Damaso Correpiscopi appellantur, Bellarmino referente. Et isti qui in Conciliis interfuisse memorantur, non semper æqualiter omnes, sed aliquando plures, aliquando pauciores, propter diuersos euentus, vt propter festinatum vel remoratum aduentum, aliquorum tempestiuum discessum, infirmitatem & moram; & quia non semper omnes qui Conciliis interfuerunt, in eisdem statutis se subscripserunt: ac propter similes causas, ad quas, qui de illorum numero scripserunt, diuersimodè respicientes, diuersimodè etiam illorum numerum posuerunt. Et ex his mihi probabiliter videtur, ad concordiam aliquando reduci posse dissentientes inter se sententias de numero Patrum vel Episcoporum, qui Conciliis interfuisse dicuntur.

Episcopi duplices, Ordinarij alij, alij Titulares.

Vbi suprà cap. 17.

Quantum ad secundum quæsitum, quænam in isto Concilio determinata fuerint: Dico plura; sed ego vnum dumtaxat tangam

gam ad propositum, & cuius gratia in primis fuit collectum Concilium, & tangitur in nostra scriptura. Quæsitum fuit, *Num Sacerdotes & Clerici qui in persecutione,* supplendum est, *defecerunt à fide, & idolis immolauerunt, essent ad Ecclesiam recipiendi?* Hoc enim ex responsione deducitur.

Separati ab Ecclesia respiscêtes, ac satisfacere parati, ab Ecclesia recipiendi sunt.

Memorati Episcopi in Spiritu sancto congregati, Diuino honori animarumque saluti consulentes, cælitus edocti, illud idem constituerunt, quod sub Deciani persecutione Romæ Cornelius, Carthagine Cyprianus, in Ponto Gregorius, & demum sub Diocletiani tyrannide Petrus Alexandrinus Episcopus in Ægypto, Episcopi Hispaniæ Eliberi, vnanimi consensu, quantumuis loco & tempore separati fuerint, piè ac sanctè decreuerunt, ne scilicet quispiam lapsorum ad Ecclesiæ communionem admitteretur, qui non antè pœnitentiam delicto conuenientem egisset, & pro crimine debitè satisfeciisset. In quem finem 24. Canones ediderunt; sed octo priores singulariter ad propositum faciunt argumentum. In his, secundùm culparum varietatem, & pœnæ taxantur, in aliis alia salubria statuuntur, decreta: duos tamen posteriores à Damaso Papa fuisse additos, aliqui opinantur.

Ancyranum Catholicum præponitur Nicæno primo Generali, quia primò celebratum.

Hoc Ancyranum Concilium Generale quidem non fuit vt Nicænum, sed prouinciale; ei tamen ordine præfertur, quia origine prius extitit: Fuit à summo Pontifice Leone IV. approbatum, vt patet dist. 2. cap. De libellis, & prius in ipsa Vniuersali Nicæna Synodo; vt constat Act. 4. Concilij Florentini; ideò meritò illius memoria in nostra sacra Bethlehemitica Ecclesia conseruata, & in ordine aliorum primo loco positum. Plura de isto Concilio habentur Tomo 1. Conciliorum, apud Baronium anno Domini 314. & Coriolanum: & pro aliis, de quibus posteà, ijdem videri poterunt cum Tomo 2. Concil. Caranza in sua Summa, Bellarmino de Conciliis & Ecclesia lib. 1. & alijs.

H ANTIOXIA

Φ ΑΓΙΑ CΥΝΟΔΟC Η ΕΝ ΑΝΤΙ

Fortè ΚΥΡΙΑΚ ΟΧΕΙΑ ΤΗC. * CΥΡΑC ΤΩΝ ΑΓ. ΕΠΙ

CΚΟΠΩΝ ΠΡΟΤC ΕΝΝΙΚΑΟΙΚΩ

ΜΕΝΙΚΗC CΥΝΟΔΩ ΙΣΓΟΝΕΝΚΑ

ΤΑ ΠΑΥΛΟΥ ΤΟΥ CΑΜΟCΑΤΕΩC

ΨΙΛΑΟ * ΨΗΛΟΝΑΝΟΝ ΤΟΝ ΧΝ ΔΟΓΜΑ

TOMVS II.

ΤΙC ΑΝΟΜ ΤΟΝ Η ΑΓΙΑ CΥΝΟΔC

ΩCΚΑ CAN

ΚΩC *Pulpitum vt supra.* ΤΑΑ

ΦΡ ΠΕΒ

ΟΝΗ ΑΑΑ

ΕΤΟ

ANTIOCHIA.

Sancta Synodus Antiochena.

* *Sancta Synodus triginta trium Episcoporum habita Antiochiæ, vrbe Syriæ, ante Oecumenicam Synodum Nicænam, cœpta est contra Paulum Samosatenum, qui Christum purum hominem fuisse asserebat. Hunc sancta Synodus malè sentientem damnauit.*

DECLARATIO.

Multæ ciuitates Antiochiæ insignitæ nomine; sed Syriæ præcipuæ: de ista hic.

Multas esse ciuitates quæ Antiochiæ appellatione insigniuntur, tradunt Historici & Cosmographi: & nos * alibi explicabimus; sed inter istas præcipua censetur Antiochia Syriæ, metropolis Epiphane, quam Orontes fluuius interfluit; vna ex quatuor insignibus ciuitatibus, quas in Syria fuisse Strabo asserit; vnde & Tetrapolis est dicta. Scribit Nicephorus, Tiberium Cæsarem à bello Persico reuertentem, Antiochiam hanc muro firmo & inexpugnabili cinxisse, porticus extruxisse, columnis æreis, statuis, aliisque ædificiis exornasse. Et propter illius amplitudinem & excellentiam tanti eam fecerunt Christiani, vt quemadmodum ibi hoc glorioſum nomen sibi comparauerunt; ita eamdem Patriarchali Sede ac sacris Comitiis illustrari voluerunt: de ista Antiochia clarè loquitur nostra scriptura.

* Lib. VII. Cap. XVI. VIII. Peleg Lib 16. Lib. 1. cap. 17. Hist. Eccl.

Patriarchali Sede ac Conciliis consecrata.

Decem Concilia Antiochiæ celebrata.

Plura diuersis temporibus & sub diuersis Pontificibus Antiochiæ celebrata fuerunt Concilia: & in vniuersum decem recensentur in Tomis Conciliorum. Primum celebratum fuit anno Domini 57. ab ipsis Apostolis, Apostolorum Principe præsidente, ad sedandas controuersias illic exortas: huius fit mentio in Actis Apostolorum; eidemq; firmissimum exhibet testimonium Concilium Nicænum II. Act. 1. his verbis: *In Antiochena Synodo sanctorum Apostolorum dictum est, saluatos nos debere amplius ab idola aberrare, sed certandum esse ante iconem Dei hominisq; Iesu Christi Domini nostri.*

Tom. 1. Concil. Generat. Baron. an. Christi 57. Coriolan. pag. 147.

Secundum Antiochenum Concilium celebratum fuit anno 266. sub Dionysio:

tertium, anno 272. sub eodem: quartum, anno 340. sub Iulio I. quintum, anno 344. sub eodem: sextum, quod conciliabulum fuit, anno 360. sub Liberio: septimum, anno 363. sub eodem: octauum, anno 377. sub Damaso I. nonum, anno 432. sub Cyrillo: decimum denique, anno 1142. sub Innocentio II. ex his tria priora præcesserunt Oecumenicam Nicænam Synodum I. septem verò posteriora eamdem subsecuta sunt. De his nil dicam, neque de primo illo Apostolorum, quia non faciunt ad nostræ scripturæ intellectum: pauca referabo de secundo & tertio; quia ad intentum faciunt, & celebrata in causa Pauli Samosateni.

De secundo & tertio hic agendum.

Noua hæresis, celebrandi Concilij causa.

Sciendum, quòd inter alias causas, ob quas legitima Concilia celebrari consueuerunt, hæc vna & præcipua solet à Doctoribus adduci, hæresis noua, id est, numquam anteà iudicata. Semper enim Ecclesia tanti fecit periculum nouarum hæresum, vt non putauerit aliter posse resisti, quàm si omnes, aut certè permulti Principes Ecclesiarum, coniunctis viribus & quasi agmine facto irruerent in hostes fidei. Nouam hæresim explicui non ampliùs iudicatam; quandoquidem aliquæ hæreses in suo exordio interierunt absque communi aliqua Ecclesiæ determinatione. Verùm aliquando perditi homines easdem iam ante multa sæcula in inferno sepultas ex eiusdem latebris excitauerunt; vt accidisse ostendemus in hæresi Pauli Samosateni. Et huiusmodi hæreses nouæ appellari possunt: & quia nouiter propositæ, & quia non anteà vindicatæ. Hac ratione congregata fuerunt prima septem Concilia Generalia, & illa quæ depicta sunt in nostra illustri S. Mariæ Ecclesia, vt ordinatè videbimus. Et in præsentia de proposito Antiocheno.

Noua hæresis dicitur non tantùm nouiter inuenta, sed non iudicata, vel nouiter proposita.

Sciendum, in exordio nascentis Ecclesiæ Ebionem & Cherinthum hanc perniciosam suscitasse hæresim, Dei Filium non fuisse verè incarnatum; ac proinde nec Christum esse verè naturalem Dei Filium, & ideò illos S. Ioannes Antichristos appellat, dicens: *Omnis spiritus qui confitetur Iesum Christum in carne venisse, ex Deo est: & omnis spiritus, qui soluit Iesum, ex Deo non est; & hic est Antichristus.* Est autem soluere Iesum, diuidere Verbum à carne ac dicere, Filium Dei non esse factum verè Filium hominis, sed solùm in eo tamquam in templo inhabitasse: vt, Iesum in carne venisse, non est aliud quàm Verbum Dei veram carnem in suæ hypostasis vnitatem assumpsisse, atq; ita factum verũ hominem, ad homines saluandos venisse. Et vt qui hoc confitentur ex Deo nati sunt, & Filij Dei, ita illi, qui idipsum negant, ex diabolo sunt & Antichristi, vt Ebion & Cherinthus.

Filium Dei hominem factum non esse docuerunt Ebion & Cherinthus.

1. Ioan. 4, 2.

Soluit Iesum, qui diuinam negat incarnationem.

Mortuis & in inferno sepultis Ebione & Cherintho cum suis hæretibus, conuocato Concilio ab Ecclesia non iudicatis & damnatis, nouus alius surrexit Antichristus, qui ex inferni sepulchro denuò in lucem illas prodire fecit; & is fuit Paulus Samosatenus Episcopus Antiochenus. hic hæc impia docebat dogmata: Christum purum hominem esse: ante Mariam Virginem non exstitisse: nomen Filij Dei ex bonis & iustis suis operibus accepisse: in Sacramento Ecclesiæ Sanguinem eiusdem Christi corruptibilem esse, vt habent litteræ Dionysij Alexandrini apud Baronium. & hæc breuiter in nostra veteri scriptura indicantur. Quare cùm hisce impiis dogmatibus Samosatenus totius Christianæ Religionis fundamentum euertere conaretur, Dionysius Romanus Pontifex, cui totius Ecclesiæ regimen demandatum tunc erat, aduigilabat, vt exortæ hæreses cum suo auctore penitus proscinderentur.

Eminebat Ebionis hæresis suscitauit Paulus Samosatenus.

Nefaria Samosateni dogmata.

Anno 263. num. 6.

Igitur anno Domini 266. indicto Concilio, plures Antiochiæ conuenerunt Episcopi: Eusebius in Ecclesiast. Historia lib. 7. cap. 22. octo præcipuos numerat, præter quos alios pænè infinitos cum Presbyteris ac Diaconis eius rei gratia Antiochiæ conuenisse affirmat. Hi omnes ante omnia fidei Catholicæ de Filio Dei professionem scripto editam emiserunt, eamque ad Paulum Samosatenum ex Synodo deferri curarunt, cum sedula admonitione, vt de Diuinitate Filij quid sentiat, Patribus Concilij aperiat. Ille metuens ne Sede deijciatur, pœnitentiam dolosè simulans, sententiam mutauit, hæresim abiurauit, & fidem Catholicam professus est. Quo facto, sui de Episcopali Sede ac honore deiectionem deprecatus, Præfecturam illius Antiochenæ Sedis ad tempus continuauit. Ita Synodica Epistola Concilij Antiocheni secunda, quæ extat apud Eusebium lib. 7. cap. 24. Vide Baronium anno Christi 266. num. 2. & seqq. Tom. 1. Concil. & Coriolanum pag. 158. Et hæc de prima Antiochena Synodo contra Paulum Samosatenum coacta.

Indicto Concilio II. Antiochiæ, illius occurrit Dionysius Papa.

Samosatenus timore simulat pœnitentiam.

Optimè quidem Samosatenus à se suscitatam à Patribus admonitus damnauit hæresim; sed perperàm, quia fictè ac dolosè. Et quia conceptum fermentem tenere nullus potest, nec impius iste diu potuit tectam & à se fictè damnatam hæresim abscondere: hinc anno 2. Aureliani Imperatoris, qui est Christi 272. & Dionysij Pontificis 12. inchoatus, Episcopi numero propè infiniti denuò Antiochiam rediere, atque Paulum secundò lapsum de errore & corruptis vitæ moribus simul conuictum ac damnatum,

Ad vanitatem mundi fuus conuertitur. Concilium tertium congregatur, vbi cum erroribus damnatus, & à sede Episcopali deijcitur.

tum, Episcopali throno depositi sunt, atque eius loco Domnum Episcopum substituerunt. Quibus ita peractis, Epistolam de Actis Concilij Synodicam ad Dionysium Romanum Pontificem scripserunt, ac simul de diuina natura Christi Dei Patris naturæ consubstantialis (vt nimirum duorum hæresiarcharum, Samosateni & Sabellij, hæresim de Christi Diuinitate iugularent) insignem fidei professionem (quæ extat Tomo 6. cap. 1. in fine Concilij Ephesini, edit. Pelt.) & Samosatenus Pontificia & Imperatoria auctoritate penitus extruditur. Vide Baronium anno 272. & Coriolanum in Sum. Concil. pag. 159.

Concilia ista prouincialia fuerunt, sed magnæ auctoritatis.

Ista duo Concilia fuerunt quidem prouincialia, maximæ tamen auctoritatis; tum quia summi Romani Pontificis auctoritate roborata; tum quia quæ in istis tamquam Catholica in celebri Nicæna Synodo Patrum 318. confirmata fuerunt: nam Symbolum edidit quod recitatur à Ruffino lib. 10. Hist. cap. 6. & rursum repetitur in Symbolo Constantinopolitano cap. 1. & explicatur ab Athanasio & Cyrillo; & cuius omnes ferè Patres cum honore meminerunt. In eo Symbolo hæc de Filio dicuntur. Primò, quòd sit verus Deus. Secundò, quòd sit ὁμοούσιος Patri, id est, eiusdem essentiæ cum illo. Tertiò, quòd sit æternus. Quartò, quòd sit immutabilis & inuertibilis sicut Pater. Quintò, quòd sit genitus, non factus. Quæ omnia refellunt & damnant apertissimè Paulum Samosatenum, & omnes asserentes, Christum non esse verè Dei naturalem Filium & ante Virginem, sed puram creaturam. Præferuntur hæc duo Concilia Nicæno non perfectionis dignitate, sed ordine originis.

Lege Bellat. de Christo lib. 2. c. 3.

Filium Deum esse eiusdem naturæ cum Patre, æternum & ab eodem genitum, determinatum fuit.

Dubij solutio.

Sed quodnam, ex duobus Conciliis refert nostra Bethlehemitica pictura & scriptura? Respondeo non posse omnino determinari: non ex materia, quia in vtrisque eadem, vt constat, pertractata: neque ex Episcoporum vel Patrum numero; quia in nullo exprimitur, sed propè infiniti perhibentur in vtroque fuisse. Sed quid est quod in nostra scriptura 33. referuntur? Fortasse quia 33. fuerunt præcipui in causa decidenda & hæretico anathematizando. Dicerem nihilominùs probabiliter, vtrumque significari; quoniam pro vno haberi possunt, tum ratione causæ pertractandæ, tum ratione condemnandi hæretici, tum denique ratione loci. Etenim Diuinitas Filij Dei & cum Patre consubstantialitas, in primo Concilio determinata fuit, in secundo confirmata: vtrumque sub eodem Romano Pontifice & ab eisdem ferè Episcopis celebratum,

Duo Concilia pro vno in Bethlehemitica scriptura representantur.

& iù vtroque Antiochiæ damnatus & depositus de officio Samosatenus; etsi sententia in secundo fuerit executioni mandata, propter quæ pro vno haberi possunt: & vtrumque tamquam vnum nostra descriptio repræsentat.

CAPAIKH.

✠ H AΓIA CYNOΔOC H EN CAP
— N
ΔIKH TΩN PM ЄΠICKOΠΩ
ΓЄΓONЄN ΔIA TOYC AΓIOYC AΘ
ANACION TON AΛЄΞANΔPIV MЄ
ΛЄΓITON ANTIOXЄAC ΠAVA KΩNC
TANTINЄ ΠOΛЄOC AΠO ΚΑΤΑ ϚIN ΚΑΤΑΣ-
TA
ЄNΤIC IΔIOIS AVΤ ΘPONOIS HCAN
ΓAP A ARIANЄ
ΘΥI *Pulpitum, &c.* ΞЄΩ
ΤΠO ΘЄN
ΩN TЄC

SARDICA.

✠ *Sancta Synodus 140. Episcoporum habita in vrbe Sardica, celebrata est ad restituendos in suas Sedes sanctos Athanasium Alexandriæ, Meletium Antiochiæ, & Paulum Constantinopoli Antistites, qui ab Arianis expulsi fuerant.*

Sancta Synodus Sardicensis.

DECLARATIO.

Sardica Illyrica est ciuitas, secundùm Ptolemæum lib. 3. cap. 11. in ea duplex celebratum fuit Concilium, siue meliùs, ab ea duplex Concilium Sardicense appellatur: & vtrumque sub Iulio I. Romano Pontifice, diuersis tamen temporibus. Primum Catholicum & legitimum anno Christi 337. secundum particulare & clandestinum conciliabulum post primum celebratum fuit anno eodem, vel sequenti 348. De vtroque aliqua dicenda pro nostræ scripturæ intelligentia. Et de causa primò, ac deinde de illorum conditione.

In Sardica ciuitate duo celebrata Concilia, primum Catholicum, secundum clandestinum.

Primi Concilij causa duplex assignatur: altera, vt Ariani compellerentur adesse; altera, vt Catholici Episcopi de suis expulsi Sedibus, ab Arianis eisdem iuridicè restituerentur. Et quantum ad primam causam, sciendum quòd Iulius Romanus Pontifex, vt ait Sozomenus lib. 3. c. 9. cùm litteris apud Episcopos Orientis, de rebus

Primi Concilij celebrandi duplex causa.

Prima, vt Ariani adesse compellerentur.

Digitized by Google

propter quas scripsisset, nihil proficeret, neque Arianos frequentissimè ad Romana Concilia vocatos ad comparendum inducere posset, Sardicæ vniuersalem Synodum celebrandam indixit: à qua ne Arianis Concilia detrectantibus impunè abesse liceret, Episcopos quosdam ad Constantem Mediolani agentem ablegauit, qui peterent vt Imperator litteris ad fratrem Constantium missis impetraret, ne Ariani, quod hactenus fecerant, iudicium Ecclesiæ & vniuersalis Concilij subterfugerent. Vide Baron. anno 346. n. 3. & 5.

Ne Ariani se à Concilio subtraherent, ad Imperatorem recurritur.

Secunda causa eiusdem indicendi Concilij indicatur in nostra scriptura, vt Athanasius & alij Catholici Episcopi, de suis eiecti Sedibus ab Arianis, ad eadem restituerentur. Hæc ratio explicanda est ex Historia & sacri huius Concilij Canonibus.

Secunda, vt Athanasius & alij Catholici Episcopi suis restituerentur Sedibus.

Sciendum itaque, quòd cùm Athanasius, Marcellus, Asclepius, Paulus, aliique Episcopi Catholici ab Arianis è propriis Sedibus deturbati fuissent, Athanasius ab Eusebianorum Episcoporum sententia ad Romanum Pontificem Iulium I. appellauit: nec immeritò; nam fecit secundum antiquam Ecclesiæ consuetudinem in sacra Oecumenica Nicæna Synodo Can. 6. approbatam; vbi implicitè id, quod iam aliquot anterioribus sæculis obseruatum fuit, constituerat: nimirum vt Episcopis, ab Episcoporum sententia ad Romanum Pontificem appellantibus, non grauatè deferatur. Itaque Athanasius hanc secutus consuetudinem, iniustè Eusebianorum iudicio condemnatus, Romam se contulit, & ad Iulium Romanum Pontificem appellauit.

Athanasius iniustè ab Eusebianis damnatus, iustè ad Romanum Pontificem appellat.

Ariani ægrè hanc appellationem tulerunt, & tamquam iniustam calumniati sunt: quia à Concilio multorum Episcoporum condemnatus, non nisi ad Concilium maioris numeri Episcoporum appellare debuerit; non aduertentes, Romanum Pontificem iure diuino auctoritate præcellere quoscumque Episcopos separatim vel vnà congregatos, ab eoque illorum pendere auctoritatem, vt in sacris Oecumenicis Conciliis sæpiùs definitum est. Pendente itaque causa coram Iulio Romano Pontifice, Eusebiani, non expectata Pontificis sententia, proprium secuti sensum, in locum Athanasij Gregorium Cappadocem intruserunt. Itaque vt his & aliis ocurreretur malis, Romani Pontificis auctoritate Concilio congregato, Episcopi iniustè de suis Sedibus expulsi, iustè ad eadem restituti fuerunt, & Athanasij innocentia magis comprobata, & pro Catholica veritate anteà, vt dictum est, implicita, duobus Canonibus explicata fuit; & sunt in ordine 4. & 7. vt sequitur.

Id ægrè ferunt Ariani. & Athanasium condemnāt.

Baron. ann. 347. n. 99. item 419. n. 70. 88. & 89.

De Episcopis depositis.

Can. 4. Bellar. li. 2. de Rom. Pont. c. 15. Coriolan. in Summa Conc. 264.

Gaudentius Episcopus dixit: Addendum, si placet, huic sententiæ, quam plenam sanctitate protulisti, vt, cùm aliquis Episcopus depositus fuerit eorum Episcoporum iudicio, qui in vicinis locis commorantur, & proclamauerint, agendum sibi negotium in vrbe Roma; alter Episcopus in eius Cathedra, post appellationem eius qui videtur esse depositus, omnino non ordinetur, nisi causa fuerit in iudicio Episcopi Romani determinata.

Aliqua in Concilio determinata.

Appellatio ab Episcopis ad Papam admittenda, & litis pendente nihil innouandum.

De Episcopis accusatis.

Can. 7.

Osius Episcopus dixit: Placuit autem, vt si Episcopus accusatus fuerit, & iudicauerint congregati Episcopi regionis ipsius, & de gradu suo eum deiecerint, si appellauerit qui deiectus est, & confugerit ad Episcopum Romanæ Ecclesiæ, & voluerit se audiri, si iustum putauerit vt renouetur iudicium vel discussionis examen, scribere his Episcopis dignetur, qui in finitima & propinqua Prouincia sunt, vt ipsi diligenter omnino requirant, & iuxta fidem veritatis definiant. Quòd si is qui rogat causam suam iterùm audiri, deprecatione sua mouerit Episcopum Romanum, vt è latere suo Presbyterum mittat, erit in potestate Episcopi, quid velit, & quid æstimet. Et si decreuerit mittendos esse qui præsentes cum Episcopis iudicent, habentes eius auctoritatem à quo destinati sunt, erit in suo arbitrio. Si verò crediderit Episcopos sufficere vt negotio terminum imponant, faciet, quod sapientissimo consilio suo iudicauerint.

Quid remissex in dicta causa vel mittat, vel vicinis Episcopis examen mandet.

Ita Concilij Sardicensis Canones. Et hæc quidem de huius Concilij celebrādi causis.

De illius conditione nunc pauca addenda. Fuitne hoc Concilium Prouinciale vel Nationale, an potiùs Vniuersale? approbatum an reprobatum? Vniuersale omnino fuit; quod ex eo in primis apparet, quia multi ex Oriente & Occidente Antistites ad illud conuenerunt. Et quot illi fuerunt? Respondet Gratianus in Decreto, sexaginta tantùm illi interfuisse Concilio; Summa verò Caranzæ dicit fuisse 121. sed nimis defecerunt: nam Athanasius, qui Concilio ipsi interfuit (Coriolano referente) in Epistola ad Solitarios dixit, conuenisse ex Occidente Antistites numero plus minùs trecentos: & in exordio suæ Apologiæ 2. affirmat, suam innocentiam plus quàm trecentos Episcopos exploratam habuisse & probasse: & paulò infrà ait, huic Synodo subscripsisse in vniuersum trecentos quadraginta quatuor Episcopos. In nostra scriptura dicitur fuisse 140.

Vniuersale fuit.

Dist. 16. Can. 11.

De numero Episcoporum varia opinio.

Sed

Sed fuisse 376. Bellarminus cum bonis Auctoribus asserit, & omnes Catholicos, quorum nomina Tomo primo Conciliorum recensentur.

Conciliantur.

Fortasse pro conciliatione harum dissentientium positionum posset responderi ex superiùs notatis in declaratione Concilij Ancyrani, aliquos enumerare dumtaxat proprios & veros Episcopos, alios Sacerdotes simul & Patres qui ex priuilegio in Conciliis votum habent; & qui Episcopos dumtaxat recensuerunt, aliquos tantùm propriis Ecclesiis addictos, alios verò nedum hos, sed etiam alios Suffraganeos recensuisse: & sic dicendo, singula singulis aptando, si non omnes prædictæ sententiæ, saltem aliquæ conciliari poterunt.

De Conciliis lib. 2. cap. 12.

Secundò, Vniuersale dici potest ratione contentorum in ipso; quia in eo continentur Canones ad totâ Ecclesiam pertinentes, & quibus fides Catholica confirmata fuit.

A summo Pontifice indictum.

Tertiò denique Vniuersale, quia indictum à summo Pontifice; cuius solius est indicere, congregare & approbare Concilia Vniuersalia, vt Bellarminus de Conciliis lib. 1. cap. 12. ostendit. Quòd verò fuerit à R. Pontifice indictum, ex eo probatur in primis, quod Socrates lib. 2. cap. 16. ait, quosdam Episcopos ad hoc Concilium non venisse propter præsentem corporis infirmitatem; alios verò causatos angustiam temporis à Iulio Pontifice præstituti: indixit ergo Pontifex hoc Concilium, cùm Arianis ad illud comparendi certum terminum præfixerit ac definiuerit. Lege Baronium anno 346. n. 3. & 5. Secundò, quia Archidamus & Philoxenus Presbyteri Pontificiæ legationis munere fungentes, teste Athanasio, eidem præsederunt Concilio.

Dubium.

Sed si Oecumenicum Vniuersaleque fuit hoc Concilium, cur ad Vniuersalia Concilia numerum non addit? etenim posteà loquentes Patres de Vniuersalibus aliquibus Conciliis, inter illa hoc non recensetur; & tamen si tale fuisset, non prætermisissent, sed posuissent post Nicænum 1. quia immediatè post hoc celebratum fuit.

Solutio.

Sardicense Concilium inter vniuersalia non numeratur, quia appendix Nicæni primi.

Respondetur, ideò non addere numerum Conciliis Generalibus hoc Sardicense primum; non quia Vniuersale non sit, sed quia vnius illorum, Nicæni videlicet primi appendix: & vnum cum eodem censetur; tum quia vtrique ferè iidem Patres interfuerunt, aliudque nihil quod in aliis Conciliis factum est, constituerunt, quàm quod Nicænam Synodum confirmarunt, illiusque Canones explicauerunt, aut saltem corroborauerunt: tum etiam quòd Canones vtriusque Concilij, Sardicensis nimirum & Nicæni, in Romana Bibliotheca, & in quodam exemplari Concilij Nicæni, quod Dionysius ante mille annos è Græco conuertit, quodque etiamnum Atrebati in Monasterio S. Vedasti extat, ita coniunctim habeantur, quasi vnius Concilij Canones fuerint. Vnde sicut Constantinopolitanum Symbolum passim vocatur Nicænum, quia est explicatio Nicæni: ita tres Canones Sardicensis Concilij, Zosimus, Bonifacius, Cælestinus Pontifices in suis Epistolis, Patresque Concilij Carthaginensis VI. Nicænos appellarunt; propterea maximè, quòd Sardicensis Concilij Canones verè nihil aliud sint quàm Nicænorum Canonum explicatio vel confirmatio. Baronius anno 347. n. 99. & 419. num. 70. 88. & 89. & Bellarminus de Roman. Pont. lib. 2. cap. 25. Coriolanus in Summa Concil. pag. 243.

De huius Concilij approbatione sententia.

Sed hoc Concilium fuitne in toto an in parte dumtaxat approbatum? Bellarminus lib. 1. cap. 7. de Conciliis & Ecclesia in primis scribit, partim confirmatum partim reprobatum esse; quia ex 376. Episcopis Sardicæ congregatis pars maior fidem Catholicam & Orthodoxam Nicæni Concilij confirmauerit, & ea quæ à Nicæna Synodo obscuriùs constituta erant explicauerit; ex iisdem verò septuaginta sex reliqui Orientales Episcopi Arianam fidem scripserint, nouamque, à quatuor anteà positis fidei Formulis diuersam, iterùm ediderint ac promulgauerint.

Secundò, idem Bellarminus lib. 2. cap. 21. & 25. de Romano Pontifice, & post eum Cardinalis Baronius anno 347. num. 62. tradunt, Sardicensia Concilia duo fuisse, vnum legitimum ex Orthodoxis dumtaxat Episcopis 376. congregatum, alterum spurium & illegitimum ab Arianis Philiopoli celebratum, ementito nomine *Sardicense* appellatum. Illud Catholicum vniuersale, totoque orbe iure receptum; hoc autem posterius Arianorum dumtaxat malignantium conuentum, illegitimum, atque ideò merito reprobatum fuisse. Duplicem causam reprobationis huius secundi Concilij refert Coriolanus: nos statim vnam de hoc ipso loquentes adducemus.

Secundum Sardicense mentitum Concilium Semiarianorum contra Catholicos Philippi celebratum.

Celebrato Sardicæ Oecumenico Concilio, & veræ fidei dogmatis explicatis, & Arij sectatoribus iustâ iudicij formâ damnatis, Semiariani id ægrè ferentes, ac de futura victoria nihil sibi pollicentes, Sardicâ per fugam elapsi, in vrbe Philippi, quæ est in Thracia, anno Christi 347. vel saltem 348. seorsim conuenerunt; ibique instar canum petram eam, à qua læsi fuerant, frustrà mordentes, in Iulium Romanum Pontifi-

cem, Osium Cordubensem, Maximum Treuirensem, aliośque Orthodoxæ fidei Episcopos, quòd cum Athanasio, Paulo, Marcello & Asclepa suo iudicio condemnatis communicassent, anathematis sententiam pronunciarunt, eamq́ue subitò per litteras Encyclicas ad diuersos Episcopos scriptas promulgatam denuntiarunt: illarum exemplar extat apud Baronium Tomo 3. anno Christi 347. Et quamuis in Sardica haud celebratum fuerit; Sardicensis nihilominùs Concilij nomine condecorarunt, vt fides præstaretur: atque patrocinio Constantij Imperatoris, velut vnum ac legitimum Sardicense Concilium, omnibus in locis promulgari curauerunt.

Sardicense vocarunt, vt ei fides præstaretur & promulgaretur.

In eo conciliabulo post quatuor fidei Regulas Antiocheno conuenticulo in encæniis celebrato editas, malignantes illi quintam perfidiæ formulam, ementito Sardicensis Concilij nomine insignitam, fabricarunt, in qua, Arij positionibus quibusdam damnatis (vnde, teste Epiphanio Hæresi 75. Semiariani nominari meruerunt) nomen *Consubstantialitatis* Filij cum Patre omittentes, hoc callidè suo more egerunt, vt instar ludionum in scena, suo vultui alia forma & persona superinducta, Arij hostes & Catholicæ fidei propugnatores viderentur; atque ita vniuersam Ecclesiam deciperent: eosdem intus Arium inclusum habuisse, monstrum illud deforme de negan-da Spiritus sancti Diuinitate iam conceptum, posteà in lucem editum, satis ostendit. Acta huius conuenticuli ex Socrate & Sozomeno refert Coriolanus pag. 251. Quare tum sanctus Augustinus, Alypius, aliique plures Catholici, haud aduertentes duo Concilia Sardicensia appellata fuisse, alterum legitimum, alterum verò illegitimum; vtrumque velut impium detestati fuerunt.

Catholicum Oecumenicum, appendixq́ue Nicæni, approbatum illud est, cuius memoria in nostro Bethlehemitico templo pictura & scriptura seruata fuit: aliud enim vnà cum suo malignantium congressu in inferno sepultum; ac ideò in Catholico templo illius haud seruanda memoria. Et esse Catholicum & approbatum, deduci potest ex numero magno Patrum, & ex tractatis in eo, Athanasij & aliorum Catholicorum Episcoporum iustificatione, & ad suas sedes iuridica restitutione.

Bethlehemitica scriptura Catholici meminit.

ΓΑΝΓΡΑΙC

✠ ΑΓΙΑ CΥΝΟΔΟC Η ΕΝ ΓΑΝ

ΓΡΑΙC ΤΗC ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩC. ΙϚ. C

ΠΙCΚΟΠΩΝ ΓϚΓΟΝΕΝ ΚΑΤΑ ΕΥCΕΒ

ΘΙΑΝ ΚΑΙ ΤΗΡΗΚΥ ΦΑCΚΟΝΤΟC ΜΗ

ΔΥΝΑC ΘΑΙΤΥC ΕΝCΑΜΩΗΚΡΕΟ

ΦΑΓΥΝΤΑC CΩΘΗΝ ΑΙΤΥΤΟΝ

ΩC ΚΑΚΩC ΦΡΟΝΗCΑΝΤΑ ΑΓΙΑ

CΥΝΟΔΟC ΜΑΤΙ

Pulpitum.

ΑΝΕΘΕ CΕΝ

GANGRÆ.

✠ *Sancta Synodus quindecim Episcoporum in Gangrensi Metropoli coacta, celebrata est contra Eustathium hæreticum: qui docebat, eos qui in nuptiis carnem comedebant, saluari non posse. Hunc sancta Synodus vt malè sentientem anathemate percussit.*

Sanctæ Synodi Gangrensis.

DECLARATIO.

Gangra ciuitas duplex est: altera est Arabiæ Felicis Ponti apud Nicetam, quam Leuclauius Gangriam vocari ait. Altera Gangra est ciuitas Paphlagoniæ in minori Asia, à Deiotaro Castoris filio iusto Imperio occupata. Vide Strabonem lib. 12. & Plinium lib. 6. cap. 2. In Gangra, Paphlagoniæ vrbe, Concilium vnicum celebratum fuit: & de hac Gangra & Concilio loquitur nostra scriptura. Ad quorum intellectum tria sunt explicanda: 1. causa Concilij. 2. tractata in Concilio, ac 3. eiusdem Concilij conditio.

Gangra ciuitas duplex, Arabiæ altera, altera Paphlagoniæ.

In ea vnicè celebratum Concilium.

Hic de ipso de quo scriptura Bethlehemitica.

De primo. Causa huius congregandi Concilij fuit Eustathius Sebastenus Episcopus in Armenia: hic tantum Monachismo fauit, vt reliquos Christianorum ordines spreuerit; & prætextu quodam sanctitatis Ecclesiam Dei, quæ instar sagenæ omnium piscium genera congregantis cunctos amplectitur, pessumdaret, atque fermè penitus demoliretur: cui malo vt occurreretur, Siluestri Romani Pontificis huius nominis I. auctoritate hæc fuit Synodus congregata: quo verò anno Pontificatus huius Pontificis & Imperij Magni Constantini præcisè, incertum est. Solùm ex præsentia Osij Episcopi Cordubensis, qui Synodo huic interfuisse legitur, certissimè constat, eam sub Siluestri Pontificatu & Constantini Imperio celebratam fuisse, eo nimirum tempore, quo Osius à summo Romano Pontifice Legatus in Orientem missus est, vt omnem labantem Ecclesiarum statum componeret. Multiplices huius

Causa Concilij celebrandi fuit hæresis Eustathij Armeni.

Sub Siluestro I.

Eusta-

Digitized by Google

Eustathij errores referuntur in Epistola Proœmiali Concilij ad Sacerdotes in Armenia constitutos: in qua de causa & ratione agendi Concilij agitur.

Tractata in Concilio. De secundo. Tractata in Concilio, fuerunt errores Eustathij in indicata Epistola positi, & viginti Canonibus damnati. Ego duos tantùm proponam, qui in nostra scriptura indicantur: quorum explicationem ex epistola, & confutationem ex ipsa Synodo subiiciam. Scriptura habet, Eustathium hæreticum docuisse, *eos qui in nuptiis carnem comedebant, salvari non posse.* Verùm hoc expresè non inuenio in Epistola indicata, neque anathematismos in Concilij Canonibus: nec sanè videtur ratio, quare impius ille coniugatis singulariter interdicere voluerit carnium esum. Benè duos alios magis communes inuenio errores in Epistola totidem Canonibus damnatos in duobus Concilij prioribus capitibus.

Duæ hæreses Eustathij:

nuptiæ illicitæ esse. Primus error fuit circa nuptias: *Accusabat enim ille tum alios nuptias; & docebat, quòd nullus in coniugali positus gradu spem habeat apud Deum. Vnde factum est, vt multa mulieres eos secutæ, relictis propriis viris, & viri vxoribus destituti, vinculum coniugale dissoluerent, continentiam profitentes: quam cùm retinere non possent, adulterium commiserunt.*

& esum carnium. Secundus error: *Cibos carnium tamquam illicitos ex illis aliquos reputasse.*

Contra primum errorem sancta Synodus sequentem posuit Canonem: *Si quis vituperat nuptias, & dormientem cum viro suo fidelem ac religiosam detestatur, aut culpabilem æstimat, velut quæ in regnum Dei introire non possit, anathema sit.* Et benè hic notauit Coriolanus contra Gratianum asserentem, Eustathium non absolutè sed Sacerdotum dumtaxat coniugium damnasse; nam absolutè damnasse Epistolæ Canonisque verba manifestè demonstrant.

Nuptiæ licitæ sunt.

Cap. 1. Dist. 31. Si quis vituperat. Dist. 30. Si quis nuptias. Cap. 2. Dist. 30. Si quis carnem. Esus carnium licitus. Bethlehemitica scriptura suppletur. Contra secundum errorem sequentem alium statuit Canonem: *Si quis carnem edentem, præter sanguinem & idolis immolatum, & suffocatum, cum religione & fide condemnat, velut spem propter huiusmodi perceptionem non habentem; anathema sit.* Ita Concilium. Ex præmissis itaque Synodicæ Epistolæ verbis & Concilij Canonibus arbitror, nostræ Bethlehemiticæ scripturæ verba ita esse interpretanda, Eustathium dicentem, eos qui nuptiis detrectabant, ac simul qui in ipsis, sicut & alias, carnes comedebant, salvari non posse, &c.

Fuit Prouinciale Concilium. De tertio, id est, de conditione huius Concilij, dico non fuisse Vniuersale, sed Prouinciale, ad præscindendos particulares errores ab Episcopo Armeno in Armenia disseminatos: & exiguus Episcoporum numerus hoc indicat. Et quot illi fuerunt? *Dubij solutio.* In nostra scriptura quindecim fuisse dicitur, sed in historia huius Concilij sedecim subscripsisse referuntur: sed hoc parum refert; & scriptura fortasse quindenario numero non comprehendit Concilij Præfectum, vel locuta de illis qui in principio venerunt, vel in fine inuenti fuerunt: sed historia Concilij in vniuersum de omnibus locuta fuit. Et quamuis hoc Concilium fuerit Prouinciale, nihilominùs vt legitimum approbatum fuit à Leone IV. Dist. 20. De libellis.

ΛΑΟΔΙΚΕΑ

✠ ΑΓΙΑ CΥΝΟΔΟC Η ΕΝ ΛΑΟΔΙ
ΚΕΙΑ ΤΗC ΦΡΥΓΙΑC ΤΩΝ Κ̄Ε ΕΠΙ
CΚΟΠΩΝ ΤΕΤΩΕΝ ΔΙΑ ΜΟΝΤ ΤΑΤΩΝΟΣ
ΑΝΟΝ ΚΕΚΑΙΛΟΙΠΑC ΕΡΕCΕΙC Γ̄ τέσσ
ΩC ΑΙΡΕΤΙΚΟΥC ΚΑΙ ΕΧΘΡΟC
ΤΗC ΑΛΗΘΕΙΑC Η ΑΓΙΑ CΥΝΟΔΟC
ΑΝΕ Pulpitum. ΘΕΜΑΤΙ
CΕΝ

LAODICEA.

✠ *Sancta Synodus 25. Episcoporum Laodicea vrbe Phrygiæ coacta, celebrata est ob Montanum, & reliquas hæreses. Hos vt hæreticos & veritatis hostes sancta Synodus anathemate feriit.* *Sancta Synodus Laodicena.*

DECLARATIO.

Vnicum Laodicenum Concilium inuenio celebratum, non, vt aliqui senserunt, in Syria sub Theodoro vel Theodosio Episcopo, sed in Phrygia Pacatiana & vrbe Laodicea: ad huius probationem sufficiat iptius Synodi titulus, & nostra scriptura. Titulus Synodi ita habet: *Sancta Synodus, quæ apud Laodiceam Phrygiæ Pacatianæ convenit ex diuersis regionibus Asiæ.* Nostra scriptura clare etiam loquitur de Laodicea non Syriæ, sed Phrygiæ. Creditur celebratum ante Nicænam Synodum circa annum Domini 320. vel 321. in quo, auctore Numechio, Phrygiæ Metropolitano, congregati fuerunt 32. Episcopi & ad mores singulorum fidelium reformandos 59. Canones ediderunt, vt constat apud Gratianum can. 11. dist. 16. Nihilominùs in nostra scri-

Concilium vnicum in Laodicea Phrygiæ Pacatianæ celebratum.

Collatio in Summa Conc. pag. 191.

Ante Nicænum.

Causa Concilij, morum reformatio.

ſcriptura paulò aliter dicitur de cauſa huius Concilij celebrandi, id eſt, ob Montani & aliorum hæreticorum errores.

Quantum ad communes refellendos errores, & conſequenter fidelium reformandos mores, facilè poteſt in adductis Canonibus deprehendi, ſed non quod de Montano ſingulariter aſſeritur. Multæ recenſentur Montani ac ſectatorum eius impietates. In primis, vt Theodoretus lib. 3. de Hæreticis fabul. ſcribit, *Montanus ambitione & primum locum obtinendi cupiditate motus, ſeipſum Paracletum vocauit*, &c? Secundò, in diuinis Trinitatis myſterium inficiabatur; tres, inquam, diuinas Perſonas perfectiſſima in vna ſubſiſtentes infinita natura, æquè æternas & perfectas. Tertiò, negabat item matrimonium eſſe nouæ legis Sacramentum. Quartò, quòd nuptiæ pro voluntate coniugum diſſolui poſſint. Caſtro aduerſus Hæreſes tit. Nuptiæ. Hæreſ. 4. & ſecundas nuptias ibidem Hæreſ. 2. Quintò, damnat Pœnitentiam. Ac denique aſſerebat Prophetas fuiſſe arreptitios, ea quæ dicebant non intelligentes. Apud eumdem Caſtro titulo Prophetia Hæreſi 2. & iſtæ peculiariter in iſto Concilio non damnantur.

Montani errores.

ΚΑΡΤΑΓΕΝΑ

✠ Η. ΑΓΙΑ CΥΝΟΔΟC Η ΕΝ ΚΑΡ

ΤΑΓΕΝΙ ΤΗC ΑΦΡΙΚΗC *ΕΠΙ Τ*

ΑΠΟΥ *ΚΥΠΡΙΑΝ ΤΩΝ. Ν. ΕΠΙCΚΟ

ΠΩΝ *CΥΝΗΘΡΟΙCΘΗ ΕΠΙ *ΚΑΘΑΙΡΕ

ΟΕΙ. ΝΑΥΑΤΟ ΤΟ ΑΜΕΤΑΝΟ ΗΤ

*ΟCΗCΑΤΟC ΤΟΥΤΟ ΝΗ *ΑΓΙCΥΝΟΔΟC

.·.·.· *ΟCΕΡΕΤΙΚΟΝ *ΑΠΕΒΑ .·.·

*ΕΠΙ
*ΚΥΠΡΙΑΝΟΥ
*ΣΥΝΗΘΡΟΙΣΘΗ
*ΚΑΘΑΙΡΕΣΕΙ
*ΟΣΙΗΣΑΝΤΟΣ
*ΑΓΙΑ
*ΟΥΧ ΑΙΡΕΤΙΚΟΝ
*ΑΠΕΒΑΛΕ

CARTHAGO.

Sancta Synodus Carthaginenſis.

✠ *Sancta Synodus quinquaginta Epiſcoporum ſub S. Cypriano Carthagine Aphricæ vrbe celebrata, coacta eſt contra Nouatum, qui pœnitentiæ remedium peccantibus adimebat. Hunc ſancta Synodus vt hæreticum reiecit.*

DECLARATIO.

Carthago inſignis Africæ ciuitas.

Carthago inſignis Africæ vrbs, quæ poſt Troianum bellum, teſte Euſebio, à Didone condita fuit. De ea rectè Saluſtius ait, ſatius eſſe ſilere quàm pauca dicere. Tanta enim eius potentia fuit, vt, auctore Polybio & Strabone, tota Africa cultiore potiretur: in Hiſpania verò ab Herculis columnis ad vſque Pyrenæos montes maximis ciuitatibus imperauerit. Tandem à Romanis funditus euerſa eſt. Porrò cùm diu deſerta permanſiſſet, vt inquit Strabo lib. 17. eodem ferè tempore quo & Corinthus à Cæſare inſtaurata eſt, miſſis eò colonis, quicumque vellent, & ex militibus nonnullis, &c. Vide etiam Plinium lib. 5. cap. 4. Ptolemæum lib. 4. cap. 3. Et quamuis celebris fuerit propter multa Carthaginenſis ciuitas, celebriorem reddidit multiplex in ea Epiſcoporum & ſanctorum Patrum conuentus pro Conciliis celebrandis.

Et quot qualiaque fuerunt Carthagine Concilia celebrata? Septemdecim: & omnia particularia ſiue prouincialia; at non omnia Apoſtolica auctoritate roborata, ſed aliqua vt ſchiſmatica reprobata. I. anno Domini 254. ſub Cornelio Romano Pontifice. II. anno 255. ſub eodem. III. anno 257. ſub Stephano I. IV. V. & VI. anno 258. ſub eodem Pontifice. VII. anno 306. ſub Marcello, & fuit primum ſchiſmaticorum Donatiſtarum. VIII. an. 308. eorumdem ſchiſmaticorum ſecundum ſub eodem Pontifice. IX. anno 397. ſub Cæleſtino. X. anno eodem ſub Siricio. XI. anno 298. ſub Anaſtaſio. XII. eodem anno, & ſub eodem Pontifice. XIII. anno 399. ſub eodem. XIV. anno 416. ſub Innocentio I. XV. anno 418. ſub Zoſimo. XVI. anno 419. tempore Zoſimi, Bonifacij & Cæleſtini. XVII. eodem anno, & ſub iiſdem. Hæc in Tomis & Hiſtoria Conciliorum manifeſta habentur.

Septemdecim in ea celebrata Concilia prouincialia, alia approbata, alia reprobata.

Bethlehemitica noſtra ſcriptura intelligenda eſt de Carthaginenſi Concilio primo loco poſito, quemadmodum ex contentis in ſcriptura, & explicatis in illius Concilij Hiſtoria, & ex Patribus qui ferè iidem vtrobique recenſentur, oſtenditur: & pro illius intellectu, occaſio illius Concilij celebrandi, tractata in Concilio, ac Patrum numerus, indicanda ſunt.

Bethlehemitica ſcriptura loquitur de primo ſub Cornelio Papa celebrato.

Occaſio fuit impium ſæuumque dogma Nouati. Negabat Nouatus, poſt Montanum, non ſolùm Pœnitentiæ Sacramenti rationem, ſed etiam poteſtatem reconciliandi peccatores: & omnem omnino ritum Eccleſiaſticum reconciliandi peccatores ſuſtulit. Neque verò, vt nonnulli exiſtimant; pœnitentiam & ſpem veniæ à Deo obtinendæ omnino è medio tollebat Nouatus; ſed ſolùm ab Eccleſia ſolui ac reconciliari poſſe eos, qui poſt Baptiſmum fuerant lapſi, negabat. Tradit enim Socrates lib. 4. Hiſt. cap. 23. Nouatum ad Eccleſias

Occaſio fuit dogma Nouati precludendi ab eorum ſalutem peccatoribus in Eccleſia.

d by Google

sias omnes scripsisse, vt eos, qui simulacris immolassent, ad mysteria minimè admitterent; sed hortarentur ad pœnitentiam, remissionemq; remitterent Deo, qui potest & habet auctoritatem remittendi peccata.

Cyprianus l. 2. Epist. 4. Ambrosius lib. 1. de Pœnit. c. 2.

Idem ex Cypriano, Ambrosio, & ex ipso Decreto Synodi adducendo colligitur: quare non negabat absolutè hic hæreticus, lapsos veniam impetrare posse; sed Ecclesiastico ministerio per Pœnitentiæ Sacramentum.

Arbitror tamen illos dixisse, Nouatum negare spem salutis lapsis; quia negando Pœnitentiæ Sacramentum, ac Ecclesiasticum ministerium, ex diuina Christi ordinatione ad remittenda peccata in re vel in voto necessarium, consequenter negabat spem reconciliationis cum Deo obtinendæ.

Quia verò post Montanum, huius hæresis auctorem, alij Nouatum, alij Nouatianum vocant; sciendum est, Nouatum Presbyterum Carthaginensem primum fuisse, qui post Montanum hanc hæresim excitauit: ab illo enim seductum fuisse Nouatianum Romanum Presbyterum, qui cum Cornelio in schismate sedit, intelligi potest ex Patiano Epist. 3. ad Sympronianum, & Hieronymo lib. de Viris illustribus in Nouatiano. Quare idem Hieronymus lib. 2. Aduersus Iouinianum, & Augustinus libro de Hæresibus cap. 38. Nouatum auctorem huius hæresis faciunt; Græci tamen hæc nomina confundunt, & vtrumque Nouatum vocant, inquit Bellarminus de Pœnit. lib. 1. c. 9.

Celebratum sub Cornelio Papa, Cypriano auctore.

Itaque vt pernicioſissimus hic error penitus à radicibus euelleretur, anno Domini 254. tempore Cornelij Papæ, post Pascha, Cypriano auctore, Carthagine Concilium conuocatum est. Initio illius, Legati, quos Nouatianus cum litteris ad Africanam Ecclesiam scriptis ablegauerat, à Cypriano excommunicantur; Patres autem in Synodo congregati, litteras eorum, quas ipsi calumniis & mendaciis in sanctum Cornelium plenissimas publicè in Concilio legi vrgebant, schismatis causa ex litteris Cornelij relatione quorumdam Ecclesiæ Episcoporum Romam reuertentium plenè cognita, reijciunt tamquam indignas, quæ in tam sacro Sacerdotum conuentu legantur & audiantur. Cyprianus Epist. 41. 42. & 55. Felicissimus schismatis Africani infelix auctor, & quinque illi Presbyteri Carthaginenses fidei delertores, ac schismatis sectarij, de quibus Cyprianus Epist. 40. iam antè bis excommunicati, in sacro Episcoporum conuentu causam suam acturi adiunt: audiuntur, & demum tertiò excommunicantur. Id apertè constat ex Epistola Cypriani 52. & 55. item ex litteris Synodicis ad Cornelium scriptis: quarum quidem S. Cyprianus Epistola 42. meminit; sed iniuria temporum intercidерunt.

Statutum vt lapsi acta pœnitentia Ecclesiæ vniantur.

Decretum est in hoc Concilio, vt lapsi pœnitentiam agentes, in Ecclesiæ quidem communionem recipiantur, sed non citra vrgentem necessitatem ante satisfactionis tempus impletum admittantur. Sic Cyprianus Epist. 52. ad Antonianum. Coriolanus in Summa Concil. pag. 151. ex Baronio anno 254.

Numerus Episcoporum.

Quantum ad Episcoporum numerum qui sacræ huic interfuerunt Synodo, quadraginta duos fuisse refert Baronius sub anno Christi 255. nostra scriptura quinquaginta exprimit: sed parum refert; & possunt ex dictis inter se conciliari.

Prouinciale & Catholicum.

Hoc Concilium non Vniuersale sed Prouinciale fuit, vt antè monuimus, Catholicam tamen ac verissimam continens doctrinam, à tota Ecclesia approbatam & acceptatam. Vide Coriolanum in Annotatione ad hoc Concilium.

Scriptura Synodorum in Australi parte Bethlehemitana Ecclesia.

Sequuntur ceteræ Synodi ab alia parte Australi, vbi legitur Epistola in Officio Missæ, ad Altare maius.

✠ Η ΑΓΙΑ ΣΥΝΟΔΟϹ Η ΕΝ
ΝΙΚΑΙΑ ΩΝ ΤΙ ΤΡΙΣΙ ΑΓΙΩΝ ΠΡΩΝ ΚΑΤΑ ΑΡΕΙΟΥ ΔΟΓΜΑΤΙΖΑΝΤΟϹ ΚΤΙϹΤΟΝ ΤΟΝ ΥΙΟΝ ΚΑΙ ΛΟΓΟΝ ΤΟΥ Θ̄Ῡ. ϹΥΝΗΘΡΟΙϹ ΘΗΕΠΙ ΚΩΝϹΤΑΝΤΙΝΟΥ ΤΟΥ ΜΕΓΑΛΟΥ ΒΑϹΙΛΕΩϹ ΩΡΙϹΕΝΔΕ Η ΑΓΙΑ ΣΥΝΟΔΟϹ ΚΑΙ ΩΜΟΛΟΓΙϹΕΝ ΜΟΝΟΝ ΕΝΑΙ ΥΙΟΝ ΚΑΙ ΛΟΓΟΝ ΤΟΥ Θ̄Ῡ ΔΙΑ ΤΑ ΠΑΝΤΑ ΓΕΝΕϹ ΣΥΝΑΙΔΙΟΝ ΚΑΙ ΟΜΟΟΥϹΙΟΝ Π̄ΡΙΓΕΝΝΗΘΕΝΤΑ ΟΥΠΟΙΗΘΕΝ ΤΑ ΚΑΙ ΑΝΕΘΕΜΑΤΙϹΕ ΜΑΡϹΙΟΝ.

Sancta Synodus Nicæna I. inter Generalis prima.

✠ *Sancta Synodus* 318. *sanctorum Patrum Nicæa celebrata contra Arium, qui Verbum & Filium Dei creaturam asserebat, &*

Digitized by Google

& acta est tempore magni Constantini Imperatoris. Definiuit autem sancta Synodus, & confessa est, Verbum & Vnigenitum Filium Dei, per quem omnia facta sunt, coæternum & consubstantialem Patri genitum esse, non autem factum. Et anathema in Arium intorsit.

DECLARATIO.

Propositis & explicatis scripturis Conciliorum Prouincialium, quibus condecoratur Septemtrionalis interior pars nostri Bethlehemitici templi, reliquum est, vt in medium proferamus scripturas Generalium Conciliorum, quibus eiusdem templi opposita Australis pars exornatur, cum earumdem breui declaratione.

Diuersa Generalia Concilia celebrata.

Sciendum, quòd in sancta Dei Ecclesia variis emergentibus causis, plura celebrata Concilia Generalia à Catholicis & schismaticis Episcopis; ac proinde non omnia eiusdem ordinis & auctoritatis, sed aliqua omnino approbata, quibus contradicere summum esset piaculum: aliqua partim approbata, partim reprobata; & denique aliqua penitus reprobata, & vt illorum auctores anathematizata.

De Conciliis dumtaxat primi ordinis agam, quorum recensetur memoria in nostro templo. Sunt quidem illa in vniuersum decem & octo, sed ex his septem describuntur in templo Bethlemitano. I. est magnum Nicænum. II. Constantinopolitanum I. III. Ephesinum I. IV. Chalcedonense. V. Constantinopolitanum II. VI. Constantinopolitanum III. VII. Nicænum II.

Septem in Bethlehemitico sancta Maria templo descripta sint.

Et omnia quidem ista Concilia magnæ sunt auctoritatis, quibusque contradicere nefas est: nihilominùs quatuor prioribus, vt ordine & tempore cetera omnia præcedunt, ita nescio quid amplius excellentiæ & auctoritatis semper delatum fuit; paucioresque his quàm aliis refragantur. Hinc Theodosius Cœnobiarcha, qui in Palæstina anno Domini 511. floruit, sanctitate ac miraculis illustris, quique fidem orthodoxam summa fortitudine aduersus quoscumque hæreticos & ipsum Imperatorem Anastatium propugnauit, aliquando templum ingressus, suggestu conscenso, coram vniuerso populo *anathema dixit iis qui quatuor sanctas Synodos non tanti æstimarent quanti quatuor Euangelia*. Ita Baronius anno Christi 511.

Quatuor prima Concilia, Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum & Chalcedonense, plurimùm ab omnibus æstimata.

Iustinianus Imperator anno Dom. 541. inter alia quæ sanctè sanciuit, de quatuor memoratis Synodis primùm decreuit, earum dogmata sicut sacras Scripturas accipi debere, & regulas sicut leges obseruari.

Magnus Gregorius contestatus fuit, ita se quatuor Concilia Vniuersalia venerari sicut sancti Euangelij quatuor libros. Et inter ista à primo maximo Nicæno ordiamur, vt primò occurrit; ac deinde aliorum ordinatè prosequemur explicationem.

Nicæa duplex, Bithyniæ & Thraciæ: hic de prima.

Hic in primis præmittendum est, duplicem Nicæam esse; alteram Asiæ ciuitatem Bithyniæ metropolim, ab Antigono Philippi filio conditam, quæ Antigonia primùm dicta est; postea verò à Lysimacho, nomine eius vxoris Antipatri filiæ, Nicæa appellata. Ita Strabo lib. 12. Plinius lib. 5. cap. 32. & Ptolemæus lib. 5. cap. 1. Altera Nicæa, teste Hilario in post. libro Fragmentorum, ciuitas est Thraciæ, quæ ante *Vstodizo* nominabatur; in qua Ariani sub Constantio Imperatore nouam fidei formulam, *consubstantialis* nomine omisso, & voce *similis* dolosè substituta, ediderunt, eamque Nicænam appellari mandarunt; eo nimirum consilio, vt vera & orthodoxa Nicænæ Catholicæ fidei formula tolleretur, aut saltem dubia & suspecta efficeretur. Vide Socratem lib. 2. cap. 29. & Baronium anno 359. num. 27. Non de ista, sed de altera Nicæa Bithyniæ intelligenda est nostra scriptura.

Nicæna Synodus Arianorum

Duo Generalia Concilia Nicæa celebrata: hic de primo

In ista Nicæa vrbe duo Oecumenica celebrata fuere Concilia; alterum anno Domini 325. sub Siluestro I. alterum an. 787. sub Adriano I. de isto inferiùs, in præsentia de primo.

Causæ duæ præcipuæ, vna de die Paschatis, altera de Christi Diuinitate, quam negabat Arius.

Causæ huius celebrandi Concilij duæ assignantur præcipuæ: vna de die Paschatis, altera de Diuinitate Christi aduersus hæresim Arianorum; & hæ potissimùm controuersiæ in eo determinatæ fuerunt: ita tradunt Eusebius lib. 3. de Vita Constantini, Athanasius libro de Synodis Arimini & Seleuciæ, & Epiphanius Hæresi 70. quæ est Audianorum: & apparet in isto Concilio & eius Historia; & in primis propter Arij hæresim, quæ tangitur in nostra scriptura. Impius ac blasphemus hic hæresiarcha in hominem & Deum iniurius, cuius fœtidum os in cælum posuit, & sacrilega eius lingua transiuit in terra. Oppugnauit namque nedum Alexandrum, qui post Petri & Achillæ obitum Alexandrinam Ecclesiam sanctissimè regebat; sed ampliùs de Dei Filio iactabat in vulgus: *Erat aliquando quando non erat: Ex non extantibus factus est: Non de Patris substantia genitus ex tempore, non ab æterno: Haudquaquam Deus de Deo, sed ex nihilo creatus minor Patre, voluntate naturaq; mutabilis.* Athanasius, Ruffinus, Socrates, &c. Cuius hæresim plurimi secuti fuerunt, non ex vulgaribus modò hominibus, sed ex præcipuis & pastoribus, quos

sua

ſua fœda animi elatione ac ſacrilega lingua in lupos conuertit.

Ad hanc peſtem Arij ab Eccleſia auertendam, antequam Conſtantinus Imperator aduentaſſet, priuatis collationibus Epiſcoporum, impiæ aſſertiones illius aſſiduo tractatu diſcutiebantur; quidve aduerſus eas teneri deberet aut ſtatui, ſumma cum deliberatione quærebatur. Qua in re cùm inter reliquos viros doctiſſimos Athanaſius, Alexandrinæ Eccleſiæ Diaconus, ingenio & differendi peritiâ acutiſſimus ſummoperè laboraſſet, meritoque contendiſſet, ne quid ab eo, quod traditum eſt, innouaretur, ipſe præ ceteris Arij omniumque Arianorum odium atque inuidiam in ſe prouocauit. Ruffinus lib. 1. cap. 5. Sozomenus lib. 1. cap. 8. & 18.

Sub Siluestro, magno Constantino adnuente, celebratum.

Sedenim; vt à radicibus tam peſtifera hæreſis auferretur, ad Concilium Generale deuenire oportuit. Igitur Summi Pontificis Silueſtri, qui tunc temporis totius Eccleſiæ clauum tenebat, hortatu, conſilio & auctoritate, & Conſtantini Imperatoris conſenſu, opera & auxilio congregatũ fuit Concilium hac ratione: Cùm Oſius Cordubenſis ad Eccleſię Orientalis turbas, ſchiſmata & ſeditiones componendas in Orientem ablegatus, hæreticorum pertinaciâ impetitus, parum aut nihil effeciſſet, Alexandri, Oſij aliorumque Epiſcoporum conſilio per Silueſtrum auctoritate Pontificia, ob cauſas prædictas, Concilij Vniuerſalis celebratio decernitur. Sed quia Epiſcoporum multitudo ea quæ ad Oecumenicam Synodum celebrandam requiritur, ſine Imperatoris munificentiſſimi ſubſidio, conſenſu & auxilio neque congregari neque ſuſtentari poterat; Silueſtri Pontificis hortatu, & Alexandri Epiſcopi Epiſtola, Imperator ad conſenſum & impenſas faciendas inductus, litteris ad omnes totius orbis Epiſcopos ſcriptis, locum & tempus habendi Concilij deſignauit: ibique tempore conſtituto, ſinguli vt adſint, rogauit. Hoc eſt quod Ruffinus lib. 10. cap. 1. dicit, Conſtantinum ex ſententia Sacerdotum Concilium indixiſſe; & quod legimus ſexta Synodo Act. 18. Silueſtrum & Conſtantinum magnam Synodum apud Nicæam congregaſſe. Baronius anno 325. num. 13. & Bellarminus lib. 1. de Concil. cap. 13.

Tempus Concilij determinatum, incertum. Vide Cotiolan. in Summa, in illo Concilio.

Non modica controuerſia eſt inter Scriptores de tempore determinato quo fuit hoc Concilium celebratum, & an ante, an poſt mortem Arij: ſed pluribus in his immorari non eſt animus; illud certiſſimum, fuiſſe celebratum tempore Silueſtri & Conſtantini: & ſecuti Baronium dicimus celebratum anno 325. Quantum ad Arij mortem, illud etiam certum illum fœdè obijſſe: nam poſt annos decem ſuæ enulgatæ hæreſis, in latrinis dum aluum purgaret, defunctus eſt: in determinato tempore inquirendo, non videtur expedire tempus conſumere.

Arij finis obitus.

Sed quot Patres huic Concilio interfuerint, variæ ſunt ſententiæ. Euſebius lib. 3. de Vita Conſtantini dicit conueniſſe Epiſcopos ſupra 250. Athanaſius libro de Sententia Nicænæ Synodi aſſerit fuiſſe Epiſcopos plus minùs 300. Euſtachius apud Theodoretum lib. 1. Hiſt. cap. 8. dicit numeratos ſupra 270. Sozomenus lib. 1. c. 16. ponit circiter 310.

Patrum numerus incertus.

Vera & communis ſententia eſt, inquit Bellarminus lib. 1. de Concil. cap. 5. fuiſſe 318. nam Epiphanius Hæreſi 69. ſcribit, vſque ad ſua tempora fuiſſe conſeruata nomina ſingulorum Epiſcoporum, & fuiſſe præciſè 318. quod etiam ipſe Athanaſius qui interfuit, Epiſt. ad Iouinianum Imperatorem, & in Diſputat. aduerſus Arium, profitetur. Hilarius quoque lib. de Synodis, & Ambroſius Præfatione librorum de Fide, myſticum & ſacrum dicunt eſſe numerum Patrum Concilij Nicæni, & multò antè præfiguratum in illis 318. militibus, quibus Abraham victoriam de quinque Regibus reportauit. Hieronymus in Chronico, Sulpitius lib. 2. Hiſt. Theodoretus lib. 1. cap. 7. & omnes alij conſtanter hunc numerum ponunt.

Fuiſſe 318. verùm.

Myſticum horum ſignificatio.

Denique quoties huius Concilij mentio habetur, trecenti octodecim Epiſcopi recenſentur; & ego id in Oriente pluries obſeruaui, & noſtra hæc ſcriptura idipſum manifeſtè indicat: inter quos fuerunt Alexandrinæ & Antiochenæ Eccleſiæ Patriarchæ, & ipſe Romanus Pontifex per ſuos Legatos, qui eidem Concilio vt Vniuerſali nomine Summi Pontificis præerant. Et hi fuerunt, non, vt volunt hæretici, Imperator aut Athanaſius, vel Euſtachius Antiochenus, ſed Oſius Cordubenſis Epiſcopus, Vitus & Vincentius Presbyteri, Romani Pontificis Legati. Hoc apertè aſſeritur quadam Præfatione Concilij Sardicenſis. Hoc idem indicat Athanaſius Epiſtola ad ſolitariam vitam agentes ſcripta, qua dicit, Oſium in hoc Concilio principem fuiſſe. Nomen verò ipſius Olij cum Presbyterorum Viti & Vincentij nominibus ante aliorum Patriarcharum nomina ſubſcriptum, non aliud ſanè indicat, quàm tres primo loco ſubſcriptos eius vicem ac locum in Synodo obtinuiſſe, cui primarius ac ſupremus locus iure meritoque debetur. Idem alij.

Præfuit non Imperator, ſed Papa per Legatos.

Hic vnum non prætereundum quod facit

cit

Euangeliorum codex Christum repræsentans in confessu Patrum in Sede collocari solitum.

cit ad intellectum scripturarum picturarumque sacri nostri Templi, quòd in medio sacri illius venerabilium Patrum consessus sacrosanctus Euangelij codex, qui Dei Iudicis summique Pontificis personam repræsentaret, Sede regia collocatus fuerit; vt eum omnium vultus intuerentur: & non minùs in isto quàm in Ephesino & Chalcedonensi obseruatum; & in huius Concilij 1. sessione dicitur: *In medio Episcoporum super thronum sacrosancta Euangelia collocata fuere*, &c. Baronius anno 325. num. 60.

Hæc nota, pro intelligendis pictis Patrum Collationum.

Et nedum in Concilijs Generalibus, sed etiam prouincialibus, id obseruari solitum mihi persuadeo; tum propter similem rationem, quia Christus in omni consessu generali vel particulari supremus est Iudex & Pontifex; tum quia id repræsentatur in aliis picturis prouincialium Synodorum, vbi in throno liber conspicitur, & sanè Euangeliorum: & quia Christum repræsentat, cui diuinus debetur honor, thuribulum, candelabra, & ipsa crux Præsulum & in vniuersum omnium Christianorum stemma conspicitur.

In Concilio prater alia, consubstantialitas & coæternitas Filij cum Patre determinata fuit.

In sacrosancto isto Concilio multa salubriter pro sanctæ Ecclesiæ stabilimento & instructione sancita fuere: & singulariter contra iam explicatam Arij blasphemiam determinatum fuit, Dei Filium consubstantialem ac coæternum Patri esse, non factum, sed genitum; & Arius excommunicatus. Ita dicitur in nostra scriptura, & in ipso Concilio explicatur: & sequens Symbolum compositum fuit.

SYMBOLVM NICÆNI CONCILII.

Symbolum Nicænum.

Credimus in vnum Deum, Patrem omnipotentem, omnium visibilium & inuisibilium factorem. Et in vnum Dominum Iesum Christum, Filium Dei, ex Patre natum Vnigenitum, id est, ex substantia Patris, Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero, natum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt, & quæ in cælo & quæ in terra. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit, & incarnatus est, & homo factus, passus est, & resurrexit tertia die; & ascendit in cælos: & iterùm venturus est iudicare viuos & mortuos. Et in Spiritum sanctum. Eos autem qui dicunt; Erat aliquando quando non erat, & antequam nasceretur non erat; & quia ex iis quæ non sunt factus est; aut ex alia substantia vel essentia dicunt esse vel creatum, vel mutabilem, vel conuertibilem Filium Dei; anathematizat Catholica & Apostolica Ecclesia.

Lib. 3. c. 19. ad hæc.

Ad hæc, teste Sozomeno, ex instituto huius Concilij ad Hymnum glorificationis hunc, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto*, quem Apostoli instituerunt, hæc quæ sequuntur, *Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum*, addita fuerunt; ideò, quòd Ariani blasphemantes dicerent, Filium à Patre in tempore factum, & fuisse tempus quando non erat, & Dei Filio maiorem gloriam accessisse. De excellentia huius Oecumenicæ Synodi plura tradunt Doctores, sed dicta pro instituto satis.

Hymus Gloria Patri, &c. additum, Sicut erat in principio, &c.

Η ΑΓΙΑ CYNOΔOC Η ΕΝ
ΚΩΝCTANTINOΥΠΟΛΕΙ
ΤΩΝ ΡΝΑ ΓΙΟΝΠΡΩΝ ΚΑΤΑ
ΜΑΚΕΔΟΝΙΟΥ ΤΟΥΠΝ ΕΥΜΑ
ΤΟΜΑΧΟΥ ΤΟΥ ΒΛΑCΦΗΜΗCΑΝ
ΤΟC ΘΕΙCΤΟ ΠΝΑΤΟC ΑΠΟΝΦΑΠΟΛΙ
ΝΑΡΙΟΥ. ΤΟΥ ΕΙΠΟΝΤΟC ΜΗΕΙ
ΛΗΦΕΝΑΙΤΟ ΝΚ ΝΝΟΥΝ ΑΝΘΡΩ
ΠΕΙΝΟΝ CΥΝΗΘΡΟΙC ΘΕΙΠΙ
ΘΕΟΔΟCΙΟΥ ΤΟΥ ΜΕΓΑΛΟΥ
ωΡΙCΕΔΕ Η ΑΓΙΑ CΥΝΟ
ΔOC ΖΩΟΠΟΙΟΥΝΤΟ
ΠΝΑΤΟ ΑΠΟΝΤΟ ΕΚΤΟΥ ΠΡΟC
ΕΚΠΟΡΕΥΟΜΕΝΟΝ ΚΥΡΙΟΝ
ΖΩΟΠΟΙΟΝ ΟΜΟΥCΙΟΝΤΩ
ΠΡΙ ΤΩ ΥΩ CΥΝΠΡΟCΚΥΝΟΥ
ΜΕΝΟΝΤΕ Ζ CΥΝΔΟΞΑ
ΖΟΜΕΝΟΝ Ζ *ΑΝΕΘΕΜΑΘΙCΕ *ΑΝΕΘΕ-ΜΑΤΙΣΕ
Ζ ΑΠΟΛΙΝΑΡΙΟΝ

Sancta Synodus Constantinopolitana 150. sanctorum Patrum contra Macedonium Pneumatomachum, qui blasphemijs suis Spiritus sancti diuinitatem violauit; & contra Apollinarium, qui dixit, mentem humanam non fuisse à Domino assumptam., collecta est sub magno Theodosio. Definiuit autem sancta Synodus & confessa est, Spiritum sanctum procedentem ex Patre Dominum & viuificantem, consubstantialem esse Patri & Filio, &

Sancta Synodus Constantinopolitana secunda Generalis.

cum

cum iis simul adorari, & glorificari; & Apollinarium quoque anathemate percussit.

DECLARATIO.

Constantinopolis nomina & dignitas.

Constantinopolis à magno Constantino primùm nomen accepit, cùm anteà Byzantium diceretur; & etiam noua Roma à Patribus in Conciliis & aliis Scriptoribus nuncupata: in quam vrbem quæ ornamenta contulerit idem Constantinus, partim commemorat Nicephorus lib. 7. Hist. cap. 48. & 49. Ad eius verò reliquam felicitatem accedit, teste Procopio, quòd mare eam pulchriorem situ reddit, circa eam se insinuans quàm maximè, & in pelagus vastum exundans, admodum eam exornat, & tranquillos portus nautis præstat. Duo namque maria, Ægæum & Euxinum, ea parte qua ad Orientem vrbs spectat, confluunt, fluctuumque mutua collisione commoditatem & amœnitatem plurimam ex parte illi afferunt. Et profectò qui diu in ea commorati & probè illius conditionem experti, confessi sunt omni bonorum copia abundare; vt non immeritò, vt olim Christiani Imperij, ita nunc Turcici sedes sit. Eius etiam amplitudo & naturalis fecunditas fuit in causa, vt pluribus spiritualibus exornaretur priuilegiis, Sede videlicet Patriarchali: quin & sancti Patres in prima Synodo Constantinopolitana censuerunt expedire, Episcopum Constantinopolitanum habere Primatus honorem post Romanum Episcopum, eò quòd sit noua Roma, vt nos Lib. v. Cap. VII. Peregrinat. 1. notauimus; & pluribus etiam Synodis illustrior reddita fuerit.

Cap. 5.

Triginta septem Concilia cuiusquè conditionis Constantinopoli celebrata.

Et quot illæ fuerunt? Dico in Historiis ac Conciliorum Tomis recenseri triginta septem, & non omnes eiusdem ordinis; sed aliæ Vniuersales, aliæ particulares, aliæ vt Orthodoxæ ac Catholicæ approbatæ, aliæ vt schismaticorum hæreticorumque conuenticula reprobatæ: ne longior sim, singulas non recenseo, tres dumtaxat Generales approbatas refero, quarum extant monumenta in nostro sacro Mariano templo: quæ etiam ordinem, quo celebratę fuerunt, retinent. Prima Constantinopolitana Synodus, & secunda in ordine omnium Generalium Oecumenicarum, congregata fuit anno Domini 381. sub Damaso Romano Pontifice. Secunda Constantinopolitana Synodus, & quinta in ordine aliarum Oecumenicarum, collecta fuit anno Domini 553. sub Vigilio summo Pontifice. Tertia Constantinopolitana, & in ordine similiter aliarum Generalium sexta, celebrata fuit sub Agathone Pontifice anno salutis 680. De prima nunc agamus.

Tria Generalia approbata.

Secunda Generalis Synodus & prima Constantinopolitana, vt diximus, anno salutis 381. sub Damaso Papa & fauore Senioris Theodosij congregata fuit. Ita indicant Patres sextæ Synodi Act. 18. dum dicunt, Theodosium ac Damasum per secundam Synodum obstitisse Macedonio, sicut Siluester & Constantinus, congregato Nicæno Concilio, Ario obstiterunt. Cùm itaque constet ex præcedenti declaratione, primam Synodum à Siluestro indictam, à Constantino promotam fuisse; concedendum est, hanc quoque secundam Vniuersalem Synodum, auctoritate Sedis Pontificiæ indictam, & auxilio Imperatoris congregatam esse.

Prima celebrata anno Domini 381. sub Damaso Papa, seniore Theodosio fauente.

Suffragatur quod notauit Cardinalis Baronius anno Domini 381. peruetustum Codicem in Vaticana aliisve quibusdam Bibliothecis extare, in quibus hæc scripta leguntur: *Sententiam de damnatione Macedonij & Eunomij Damasus confirmari præcepit etiam in sancta Synodo secunda, quæ præcepto & auctoritate eius apud Constantinopolim celebrata est.*

Patres 150. omnes Orientales.

Quantum ad numerum Patrum omnino conuenit scriptura nostra cum huius Concilij historia, fuisse videlicet 150. ex variis diuersisque prouinciis congregatos; nullus tamen ex Occidentalibus Episcopis interfuit, vt notauit Bellarminus lib. 1. de Concil. cap. 5. inter illos Patriarchæ fuerunt Nectarius Constantinopolitanus, Timotheus Alexandrinus, Meletius Antiochenus, & Cyrillus Ierosolymitanus; & ex istis vnus potuit eidem Synodo præesse.

Causa duplex, hæresis Macedonij Spiritum sancti Diuinitatem peruertens, & Arij Christi humanitatem negantis.

Sed quanam de causa fuit hæc Synodus congregata? Duplex indicatur in nostra Bethlehemitica scriptura; altera, hæresis Macedonij negantis Spiritus sancti Diuinitatem; altera, hæresis Apollinaris negantis Christi humanitatem: negando enim, humanam mentem siue animam rationalem, hominis præcipuam partem, assumptam fuisse à Verbo, consequenter negabat, Verbum hominem factum fuisse.

Dubium.

De prima causa non videtur difficultas: nam hæc adducitur in Historia Concilij, in Canonibus ac Symbolo in ea compositio illa damnatur hæresis, & Spiritus sancti Diuinitas asseritur. De secunda potest esse aliquod dubium, quia ita expressè non deducitur ex ista Synodo.

Solutio.

Respondeo & dico duo. Primum sit: Hæc Synodus ex primaria intentione non fuit congregata ad condemnandam Apollinaris hæresim, sed benè altera Romæ. Huius dicti prima pars apparet ex ipsa Synodo, in qua talis causa præcipuè non adducitur, & meritò, quia hæc hæresis antè damnata

Apollinaris primùs in Concilio Romano damnatus.

nata fuerat. Secunda pars probatur: etenim circa annum Domini 373. in Romano Concilio III. ſub Damaſo Papa fuit ex primaria iſtentione Apollinariſtarum hæreſis damnata. Cauſa namque illius Concilij celebrandi ea adducitur: Cùm Vitalis, Apollinaris diſcipulus, in Chriſto carnem & mentem fuiſſe doloſè confeſſus fuiſſet (per mentem enim Diuinitatem Chriſti intelligebat) in communionem Catholicorum ſuſceptus fuit. Sed cùm fraus & dolus impoſtoris hæretici animaduerſa fuiſſet, *Damaſus*, ait Gregorius Nazianzenus Epiſt. 2. ad Hellen. *cùm poſteà rectiùs edoctus fuiſſet, ſimulq; in priſtinis ipſos expoſitionibus perſtare audiiſſet, eos ab Eccleſia cœtu abdicauit, fideiq; libellum* (oblatum ſcilicet antè Romæ) *cum anathematiſmo deleuit:* Sozomenus lib. 6 cap. 25. de eadem re ita ſcribit: *Hanc quidem Apollinaris hæreſim apud multos ſerpere, Damaſus Epiſcopus Romanus & Petrus Epiſcopus Alexandrinus certiores facti, primi omnium, Concilio Romæ conuocato, eandem alienam eſſe ab Eccleſia Catholica pronuntiarunt.* Ita igitur hoc Concilio cum ipſa hæreti, hæreſis auctor, Apollinaris, Vitalis & Timotheus, eiuſdem diſcipuli ac ſectarij, meritò condemnati.

Inſuper, præter Apollinarem & alios hæreſiarchas, fuit etiam conſequenter damnata Macedoniana hæreſis cum ſuo auctore, vt patet ex Epiſtola Damaſi Papæ ad Paulinum Epiſcopum Antiochenum: in qua profeſſio fidei & anathematiſmi aduerſus Apollinaris, Arij, Sabellij, Macedonij, Eunomij & Photini hæreſes continentur. Sed hos duos dumtaxat ad intentum profero anathematiſmos. primus contra Apollinariſtas ſit: *Anathematizamus eos, qui pro hominis anima rationali & intelligibili dicunt Dei Verbum in humana carne verſatum, cùm ipſe Filius ſit Verbum Dei, & non pro anima rationali & intelligibili in ſuo corpore fuerit, ſed noſtram, id eſt, rationalem & intelligibilem, ſine peccato animam ſuſceperit atque ſaluauerit.*

Duo anathematiſmi

Contra Apollinarem primus.

Secundus contra Macedonianos.

Secundus anathematiſmus contra Macedonianos: *Anathematizamus Macedonianos, qui de Arij ſtirpe venientes, non perfidiam mutauerunt, ſed nomen.*

Secundum dictum ſit. Etſi ex primario intento non fuerit contra Apollinarem hæc Conſtantinopolitana Synodus congregata, fuit tamen in ea damnatus, & Catholica veritas confeſſa. Ad huius dicti intellectum aduerto, Damaſum Epiſcopis Orientalibus per litteras ſignificaſſe, Apollinarem cum Timotheo eius diſcipulo fuiſſe in prædicto Romano Concilio condemnatum, vt Theodoretus lib. 2. cap. 22. refert: inſuper vt ex eiuſdem lib. 5. cap. 9. & 10. tradit Bellarminus lib. 1. Concil. cap. 5. coacta Romæ Synodo, idem Damaſus inuitauit Epiſcopos qui Conſtantinopoli conuenerant, vt eo modo Romæ celebraretur Concilium plenißimum. Sed quia Patres Orientales iuſtis de cauſis Romam venire non potuerunt, accepit Damaſus excuſationem eorum: & animis ac ſententiis duæ illæ Synodi conuenerunt, in his quæ fidei ſunt, ac ſi vna & eadem fuiſſent. Atque propter huiuſmodi conunctionem habita eſt hæc Conſtantinopolitana Synodus vna ex Oecumenicis & legitimis Synodis. Igitur vt Romæ primò contra Apollinarem Synodus congregata fuit, ac conſequenter in eadem Macedonius & alij hæretici damnati; ita Conſtantinopoli in Oecumenica Synodo, Macedonius in primis, ac ſecundariò Apollinaris, & alij hæretici, anathemate percuſſi fuerunt. Hoc ita eſſe primò oſtendo ex 1. & 7. canone huius Synodi. primus ita habet:

Canones duo Synodi Conſtantinopolitanæ.

Cuſtodiendam eſſe fidem 318. Patrum, qui apud Nicæam Bithyniæ conuenerunt, ad anathematizandam omnem hæreſim, ſpecialiter Eunomianorum, & Arianorum, & Macedonianorum, & Photinianorum & Apollinianorum.

Canon 7. ita dicit: *De libello Occidentalium etiam eos ſuſcepimus, qui Antiochiæ vnam Patris & Filij & Spiritus ſancti Deitatem confitentur.* Hanc à Spiritu ſancto auferebat Macedonius; ideò illum non ſuſcipit ſed damnat ſancta Synodus.

Apollinaris hæreſis Conſtantinopolitanæ Symbolo damnata.

Secundò idem confirmo ex Symbolo Conſtantinopolitano quod in Miſſa decantatur, in quo inter alia de Filio Dei ſequentia habentur contra Apollinarem: *Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis: & incarnatus eſt de Spiritu ſancto ex Maria Virgine, & homo factus eſt*, &c. Si homo factus eſt, & hominum ſalutem meruit; igitur nedum corpus, ſed mentem hominis præcipuam & eſſentialem partem ſimul aſſumpſit.

& Mandata eſt.

De Spiritu ſancto contra Macedonium ita habet: *Credimus in Spiritum ſanctum Dominum & viuificantem, ex Patre procedentem, & cum Patre & Filio adorandum & conglorificandum*, &c. Si Spiritus ſanctus eſt Dominus viuificans, & cum Patre & Filio adorandus & conglorificandus; igitur eſt Deus vt Pater & Filius, & eiſdem conſubſtantialis. Et hæc de ſecunda Oecumenica Synodo & prima Conſtantinopolitana ſatis.

✠ Η ΑΓΙΑ CΥΝΟΔΟC Η ΕΝ ЄΦ
CΩ ΤΟ ΠΡΟΤЄΡΟΝ ΤΩΝ C. ΑΓΙ
ΜΗΤΡΟΠΟΤΩΝ ΠΡΩΚΑΤΑ ΣΤΟΡΙΟΥ
ΤΟΥ ΔΙЄΛΟΝΤΟC ΤΟΝ ΝΕCΙCΔΥ
ΟΥΠΟC ΤΑC ЄΙCΖ ΜΗΟΜΟΛΟΓΗ-
CΑΝΤΟC ΤΗΝ ΜΗΡΑ ΤΟΥ ΚΥΘΚΟΝ
CΥΝΗΘΡΟΙCΘΗ ЄΠΙ ΘЄΟΔΟ
CΙΟΥ ΤΟΥ ΜΙΚΡΟΥ
ΩΡΙCΕΔЄ Η ΑΓΙΑ CΥΝΟΔΟC
ΖΩΜΩΔΟΓΗCЄΝ ΤΟΝ ΥΝ ΤΟΥ
ΘΥ ΤΟΝ ΜΟΝΓЄΝΗ ΚΑΤЄΝΤΟΝ
ΤΑ ЄΚΤΩΝΥ ΝΩΝ C ΑΡΚΩΘЄΝ
ΤΑ ЄΚΠΝC ΑΠΑΖ ΜΑΡΙΑC ΗC
ΠΑΡΘЄΝΟΥ ΖЄΝΑΝΘΡΩΠΗ-
CЄΤΙ ΝΚΑΘΥΠΟC ΤΑCΙΝЄΝΩ
ΟΙΝΖ ΤΗΝ ΤЄΚΟΥCΑΝ ΑΥΤΟΝ
ΘΚΟΝ ΖΑΝЄΘЄΜΑΤΙCЄ ΝЄC ΟΡΙ
ΟΝ.

ΜΗΤΡΟΠΟΤ = Metropot
ΖΩΜΩΔΟΓΗCЄΝ = ἐμολόγησεν
ΚΑΤΑ-ΒΟΝΤΑ = καταβάντα
ΑΠΟΤ-ΤΙΚΗ = ἀποστολική

Sancta Synodus Ephesina I. tertia Generalis.

Sancta Synodus Ephesina priùs ducentorum sanctorum Patrum sub Theodosio iuniore, coacta est contra Nestorium, qui Christum in duas personas dividebat, & Matrem Domini Dei parentem non fatebatur. Definiit autem sancta Synodus & confessa est, Vnigenitum Dei de cælis descendisse, & incarnatum fuisse de Spiritu sancto ex Maria Virgine, & humanatum fuisse secundùm vnionem hypostaticam, & eam quæ ipsum peperit Deiparam esse; & Nestorium anathemate percussit.

DECLARATIO.

Ephesus Ioniæ ciuitas, celebris Dianæ templo;

Ephesus, Ioniæ vrbs, alterum Asiæ lumen, secundùm Plinium, ab Amazonibus, auctore eodem Plinio lib. 5. cap. 29. & Iustino lib. 2. condita, multiplici ratione celeberrima; in primis Dianæ amplissimo & incomparabilis structuræ templo, quod inter septem mundi miracula connumerari meruit; quippe quod ducentis viginti annis à tota Asia exædificatum, longitudinem habuit quadringentorum viginti quatuor pedum, latitudinem ducentorum viginti,

De hoc templo non semel in Actis & post. Ptol. lib. 5. cap. 2. Strabo lib. 12. & 14. Pompon. Mela lib. 1. de Ionia.

centum viginti septem columnis exornatum sexaginta pedum altitudine; quarum singulæ de singulis Regibus gloriabantur conditoribus: qua de re legendus est Plinius lib. 36. cap. 14. Celeberrima deinde clarorum virorum frequentiâ. Vnde Ephesus metropolis erat omnium minoris Asiæ Ecclesiarum: & illius Episcopus reliquos dignitate anteibat; vnde ad illum primò suam Epistolam direxit Ioannes, vt patet in Apocal. 2, 1. Propter eius celebritatem moratus fuit in ea Paulus per triennium, vt refertur Actor. 20. Ioannesque Apostolus sui in Asia Patriarchatus Sedem fixit. Non desunt etiam qui affirment, Ioannem primum fuisse Ephesinæ Ecclesiæ Episcopum, cui Timotheus successerit; etsi vero similius quod scribit Eusebius Cæsariensis libro 3. Histor. Eccles. cap. 4. primum Ephesi Episcopum fuisse Timotheum, quem Paulum in Episcopum consecrasse perspicuum est ex 2. ad Timotheum 1. Ephesique reliquisse, ex 1. ad eumdem. Verius etiam censetur, Ioannem Ephesi Euangelium suum scripsisse post scriptam Apocalypsin & reditum ab exilio. Ita Epiphanius Hæres. 51. Beda lib. de Sex ætatibus mundi, & in Præfat. in Euang. Ioannis, D. Hieronymus lib. de Viris illustribus in Ioanne, & alij. Celeberrima propter sanctissimæ Deiparæ cum Ioanne mansionem, vt alibi notauimus: & posterioribus temporibus, propter plurimorum sanctorum Patrum conuentum atque Oecumenica comitia illustrissima. Sed quot fuerunt in hac ciuitate celebrata Concilia?

frequentiâ celebrium virorum,

& Concilijs.

Tria: Primum anno Domini 431. sub Cælestino; & fuit vnum ex quatuor principalibus Generalibus. Secundum anno 432. sub eodem, sed schismaticorum primum conciliabulum. Tertium, & secundum conciliabulum, anno 449. sub Leone I. In præsentia de primo, de quo loquitur nostra Bethlehemitica scriptura, tractandum est.

Tria fuerunt, primum Catholicum, alia schismaticorum.

Concilium hoc Ephesinum fuit tertium ex quatuor præcipuis Generalibus, coactum Theodosio iuniore Imperatore & Cælestino I. Summo Pontifice. Conuenerunt in eo 200. Episcopi, vt in huius Concilij Historia habetur, & omnes tradunt ex quibus Patriarchæ fuerunt, Cyrillus Alexandrinus, qui locum etiam Romani Pontificis obtinebat, Ioannes Antiochenus & Iuuenalis Ierosolymitanus; quamquam Ioannes, quia se adhuc in itinere constituto Concilij decretum factum fuerat, initio dissentire cœpit à Cyrillo; postea tamen reconciliati sunt, atque idem senserunt.

Primum indictum à Cælestino Papa, Theodosio Iuniore fauente.

Ducenti in eo Episcopi.

Sed si 200. fuerunt absolutè Episcopi; quare in scriptura nostra ponitur *priùs du-*

Dubij solutio.

centorum Patrum? an quia prius tot erant, & postea eorum dem auctus sit numerus? an potius, quoniam tot verè fuerunt in Concilio; qui omnes tamen noluerunt condemnare Nestorium; qui à prædicto numero detrahi meruerunt, & detraxit eâ loquendi formâ nostra scriptura? Ita mihi probabiliter dicendum videtur, quoniam, vt notauit Coriolanus ad 1. cap. Canonum prædictorum ducentorum Patrum, vbi deponuntur qui cum Cælestio aut complicibus sentiunt, à Synodo Ephesina recesserunt quidam numero circiter triginta, qui deprehensi sunt Nestorij atque Cælestij sensa tenere. Fugerunt autem, nolentes vna cum Patribus Nestorium condemnare: quos sancta Synodus omni Ecclesiastica communione priuauit, & Sacerdotij omne munus ademit, vt in eo Canone indicatur.

Episcopi Nestorij fautores recedentes à Concilio Ecclesiastica priuantur dignitate.

Causa Concilij fuit Nestorij hæresis, negans Christum Dei Filium, & Virginem esse Dei Matrem.

Causa huius Concilij celebrandi fuit Nestorius, qui Christum in duas personas diuidebat, & Filium Virginis Deum, & ipsam Virginem Dei Matrem negabat. Has impissimas hæreses nedum in Oriente disseminauit, sed etiam in Occidentem spargere studuit, dum suas conciones eisdem repletas, quas Constantinopoli habuit, ad Romanum Pontificem per Antiochum virum illustrem misit. Quibus perspectis, statim coacta Romæ multorum Episcoporum Synodo, cùm nefarij hominis mentem sensumque solerter inspexisset, sacro approbante Concilio, exitialem hæresim damnat. Et vt à radicibus tam pernicioſi euelleretur errores, per Cyrillum, cui Pontifex suas partes commiserat, Oecumenicam Synodum in Oriente congregari curauit. Congregata fuit, & ad finem feliciter perducta: in qua nefaria acta & dogmata Nestorij damnata fuere, & debitus Christo & eius Genitrici honor redditus est. Nam multis Canonibus pronuntiatum & explicatum fuit, Christum esse verum Dei & hominis Filium, & sanctissimam Virginem Mariam esse vere Theotocon, veramque Dei Matrem; & oppositum sentientes, cum impio Nestorio, anathemate percussit. Ex multis hunc duntaxat subijcio Canonem:

Præsidet Pontifex per Cyrillum.

Canon Concilij.

Si quis non confitetur Deum esse veraciter Emmanuel, & propterea Dei Genitricem sanctam Virginem (peperit enim secundùm carnem, carnem factum Dei Verbum, secundum quod scriptum est, Verbum caro factum est) anathema sit.

Cap. 1.

Prostrata in sacro Concilio Nestoriana hæresi, Patres ipsius Concilij cum Imperatore & Maximiano, cui propter eius notissimam pietatem Constantinopolitana Sedes recèns commendata fuerat, à qua, propter summam impietatem, Nestorius deiectus fuit, Cælestino Pontifici, tamquam prostratæ hæresis auctori, per Legationem deputatam plurimum gratulati fuerunt. Et tunc Salutatio Angelica hoc additamentum, *Sancta Maria Mater Dei, ora pro nobis*, &c. accepisse creditur. Pulcheria verò Augusta templum insigne ad littus maris in honorem Dei Genitricis extruxit; sicque Augustissima illa Virgo, cui draco terribilis debitas inuidebat, amplioribus postmodum vocibus celebrata fuit. Prolixa est huius sacri Oecumenici Concilij historia; sed hæc pauca pro instituto satis.

Occisus est Nestorius hæresis magnus Dæmon exaltatus.

Nicephor. lib. 14. c. 2.

✣ Η ΑΓΙΑ CΥΝΟΔΟC Η ΕΝ ΧΑΛΚΗΔΟΝΙ ΤΩΝ ΧΑ· ΚΑ ΤΑ ΕΥΤΥΧΟΥC ΔΙΟCΚΟΡΟ ΥΩΝΑΡΝΗCΑΜΕΝΟΝCΙΝΕΔΥ Ο ΦΥCΕCΘΕΝ ΤΟΧΟ-ΦΝΤC θει ΑΝΔ ΑΝΙΝ-Ν. CΥΝΗΘΡΟΙCΘΗ ΠΙΜΑΡΚΙΑΝ ΟΥΚ ΕΠΟΥΑ ΧΡΙΑC ΩΡΙCΕΝΑC ΗΑΓΙ CΥΝΟ ΔΟC Δ ΩΜΟΛΟΓΗC ΕΝΑΥ ΟΦΥCΕΙCΕΝ Σ ΧΩΘΕΙΑΝ ΤΕΔΑΝΘΡΩΠΙΝΗΝ ΝΜΙΑ ΥΠΟCΤΑCΕΙΑCΥΝΧΥΤΩC ΔΑΔΙΑΙΡΕΤΩC ΚΑΙ ΑΝ·ΕΘΕΝΑ ΤΙCΕΝ ΙΥΤΥΧΗ ΚΑΙ ΑΙ ΟCΚΟΡΟΝ.

Exortus

✣ *Sancta Synodus Chalcedonensis 601. Patrum contra Eutychem & Dioscorum, qui negabant duas naturas esse in Christo, Diuinam videlicet & humanam, coacta est sub Marciano & Pulcheria. Definiuit autem sancta Synodus, & confessa est duas naturas in Christo, Diuinam scilicet & humanam in vna persona sine confusione ac diuisione, & anathemate feriit Eutychem & Dioscorum.*

Sanctæ Synodus Chalcedonensis quæstio Græcis.

DECLARATIO.

Chalcedon Phrygiæ Asiæ Pontis Euxini ciuitas.

Chalcedon Phrygiæ Asiæ Pontique vrbs, in Ponti Euxini ora sita, ab ea parte qua coëun-

coëuntibus terris angustum mare reddit, *Proceraſtis* antè dicta, deiu *Compuſa*, posteà *Cæcorum oppidum*, quod locum eligere nescissent eius conditores, septem stadia distans à Byzantio, tantò feliciore omnibus modis sede, vt inquit Plinius lib. 5. cap. 32. Meminit eius Ptolemæus lib. 5. cap. 1. Strabo lib. 12. qui eam dicit à Magarensibus conditam, atque Antoninus in suo Itinerario; celebris tamen ob in ea sanctorum Patrum celebrata Concilia. Et quot qualiaque illa fuerunt? Dico vnicum, sed omnino singulare, & quartum ex quatuor præcipuis Oecumenicis: & propter multitudinem Episcoporum, omnium maximum appellat Bellarminus de Incarnatione lib. 3. cap. 3. celebratumque fuit anno Domini 451. sub Leone I. Romano Pontifice.

Vnicum in ea celebratum Concilium anno salutis 451

Patrum numerus.

Patres, qui ad hoc Oecumenicum conuenere Concilium, communiter in Conciliorum Codicibus & Ecclesiasticis Historicis 630. recensentur, sed in nostra scriptura 301. dumtaxat. An ad initium vel finem Concilij hæc respexit, & scriptores alij ad corpus ipsius Concilij, quando omnes expectati aderant, respexerunt? Ex illis Episcopis erant Patriarchæ, Dioscorus Alexandrinus; in eodem tamen mox electus & condemnatus; Anatholius Constantinopolitanus, & Iuuenalis Ierosolymitanus: & insuper Apostolicæ Sedis Legati Romani Pontificis locum tenentes, vt dicemus.

Legatus Papæ præsidet.

Papa Leonis I. mandato, & Marciani & Pulcheriæ Imperatorum hortatu conuentum.

Sed quanam de causa, cuius consilio & mandato tot sanctorum Patrum cœtus Chalcedone conuenit? Respondeo, causam fuisse impiam hæresim Eutychetis & Dioscori, hortatu Marciani & Pulcheriæ, & Magni Leonis mandato.

Causa, Eutychetis & Dioscori hæreses.

Ad horum intellectum sciendum, mortuo Theodosio Imperatore, voluntate sanctæ Pulcheriæ, ex Senatusconsulto delatum est Imperium Marciano. Cùm enim nullum præcessisset exemplum, vt Augusta sola moderaretur habenas Imperij, ipsaque Deo virginitatem vouisset, iamque ætate grandior esset, vtpote quæ annum quinquagesimum primum vitæ suæ ageret; salubre illud iniit consilium, vt coniugij titulo eucheret in Imperium virum ætate maturum, consilio grauem, continentia probatum, atque militari virtute vbique spectatum; sicque optimo Imperij regimini opportunè consuleret, vt tamen deuotæ Deo virginitatis integritati omnino prospectum esset. Nutu igitur ac voluntate diuina electus Imperator Marcianus, ipse & sua purissima pissimaque Augusta Dei honorem zelantes, quem non parum labefactari cernebant propter exortas hæreses, maximè indicatas Eutychetis & Dioscori, hortantur per Epistolas Pontificem, vt ad hæreses propulsandas, locum, tempus & modum congregandi Concilij præscribat. Annuit iustæ ac piæ petitioni sanctus Pontifex, vt constat ex illius Epistolis ad Augustos scriptis. Cumque per se ipse interesse non posset, interfuit per Legatos ad Imperatorem missos ac commendatos.

Nihil S. Pulcheria Marcianum absq; illius virginitatis voti præiudicio.

Marciani & Pulcheriæ ad Leonem epistolæ extant inter præambulares Concilij Chalcedonensis.

Iis intellectis, pissimus Imperator publicam edidit sanctionem de Synodo Oecumenica Niceæ Bithyniæ Kalendis Septemb. celebranda. Optabat enim ibi contra hæresim Eutychetis Vniuersale Concilium celebrari, vbi primùm Ariana impietas damnata fuit. Concilij Præsides & Episcopi ad præfinitum tempus Nicææ peruenerunt: & pluribus diebus ibi expectato Imperatore interesse volente; cumque iustis de causis fuerit præpeditus, scripserunt ad Imperatorem Episcopi, vt (quia ipsorum plures, ob difficultatem & laborem itineris infirmitatibus aliisque angustiis affligerentur) conuentus ex more agi permitteret.

Est inter præambulas Concilij.

Ad hoc Marcianus Augustus rescripsit, visum esse Apostolicæ Sedis Legatis, ne absque Imperatoris sententia Synodus ageretur, seque propediem affuturum pollicitus est: sin autem aduentum maturare non liceret, hortatus est eosdem, vt se Chalcedonem conferrent. Cùm interea Illyricum, ob metum imminentis barbaricæ inuasionis, perturbari audiuisset, adeoque non videretur esse tutum ob bellicas expeditiones Constantinopoli longè recedere, decima Kalend. Octobris Patres Nicææ congregatos, iteratis litteris, Chalcedonem Constantinopoli propinquiorem conuocauit. Et ita liquet, ob hæreses, & singulariter Eutychetis & Dioscori, hortatu Marciani & Pulcheriæ Imperatorum, & Pontificis iussu & auctoritate fuisse hoc Concilium congregatum.

Causa collectæ Synodi Chalcedonæ.

Chalcedone ergo in glorioſissimæ Virginis Mariæ Ecclesia congregatis Augustis, & Patribus secundùm ordinem dispositis, præsidentibus Paschasio & Lucentio Episcopis, Bonifacio & Basilio Presbyteris, summi Pontificis Legatis; isti denuntiauerunt, Dioscorum, quòd sine auctoritate & consensu Pontificis Vniuersale Concilium congregasset, eique contra omnem antiquitatem & consuetudinem præsedisset, Decreto Concilij & Patrum consensu amouendum à dextro honorifico, quem vt Alexandrinus Patriarcha occupabat, loco: & velut reus diiudicandus, iussus est in medio sedere: qui posteà per eosdem Legatos Episcopali dignitate nudatus, & ab omni Sacerdotali

Sess. 1.

Dioscorus honore ac dignitate priuatur.

opere factus extorris, vt habetur Act. 3. huius Synodi.

& vnà cum Eutyche & sua hæresi damnatus.

In isto Concilio Eutyches & Dioscorus cum sua hæresi in Christum Dominum damnati fuerunt. Dicebant isti primò, in Christo post Incarnationem vnam tantùm fuisse & esse naturam : non enim putabant posse aliter defendi contra Nestorium, esse vnum Christum, & non duos.

Dioscori & Eutychis hæresis.

Deinde dicebat Eutyches, vnam esse factam naturam ex Diuinitate & carne; idque ex conuersione Diuinitatis in carnem, quia scriptum est Ioan. 1. *Verbum caro factum est.* Tertiò asserebat ex præcedenti dicto, Verbi naturam passam, mortuam, sepultam fuisse : & hoc ideò ; quia non putabat aliter posse refelli Nestorium, qui Christum Deum natum & passum negabat, nisi Diuinitas Christi nata & passa ostenderetur. Quartò asserebat, Christi carnem non esse eiusdem naturæ cum nostra, neque Verbum in veram carnem esse conuersum, sed in carnem quamdam apparentem & fantasticam; ita vt Verbum potiùs simulauerit se hominem & natum & mortuum esse, quàm reuerà fuerit. Ratio eius est, quia videtur indignum Deo, quòd vera caro fuerit, & verè natus, passus & mortuus sit.

Aduertit Cardinalis Bellarminus lib. 3. de Christo cap. 2. 3. & 4. qui pluribus hanc hæresim explicat & refellit, hanc hæresim fuisse ante tempora Eutychetis; nam idem anteà docuerat Apollinaris, vt testatur Epiphanius Hæresi 77. Augustinus Hæresi 55. & Vincentius Lirinensis in suo Commentario. Eamdem quoque hæresim refellunt sine nomine auctoris Athanasius Epist. ad Epictetum, Ambrosius lib. de Incarnat. Dom. myst. cap. 6. & Cyrillus lib. de Recta fide ad Theod. qui omnes mortui erant quando Eutyches exortus est. Adscribitur tamen Eutycheti, quòd illius præcipuus propugnator fuit cum Dioscoro.

In Christo duæ perfectæ ac distinctæ naturæ, in vna Verbi persona subsistentes.

Igitur cum Catholica fides semper docuerit, in Christo post Incarnationem duas integras & perfectas naturas, Diuinam & humanam, quæ quidem sine vlla confusione vel permixtione in vna persona Verbi subsistant; item naturam Diuinam neque natam neque passam esse, sed solùm humanam, ac demum illam humanam esse ac fuisse eiusdem speciei cum nostra; quod indicauit Ioannes 1, 14. dum dixit, *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis.* non factum est, vt aqua facta est vinum, sed, vt Aaron à Deo factus fuit Sacerdos, & Dauid Rex; &, carne sibi hypostaticè vnita, in eâ habitare dignatus est. Oecumenica Synodus contrariam hæresim cum suis auctoribus ac propugnatoribus exclamando

Anathematizantur oppositi dicentes.

damnauit; &, *Anathema ei qui dixit ista, anathema eis qui ista dixerunt.*

Postea Actione 5. Patres in Symbolo posuerunt hoc modo: *Confitemur in nouissimis diebus Filium Dei vnigenitum, in duabus naturis inconfusè, immutabiliter, indiuisè, inseparabiliter agnoscendum, numquam sublata differentia naturarum propter vnionem.* Idem postea in pluribus aliis Conciliis statutum fuit. Et depositio Dioscori, & huius & Eutychetis hæresis, cum aliis quæ fidem respiciunt in Oecumenica Synodo statuta, fuerunt à summo Pontifice Apostolica auctoritate confirmata.

✠ ΗΑΓΙΑ ΠΕΜΠΤΗ CΥ
ΝΟΔΟC ΤΩΝ ΕΚΑΤΟΝΕΞ
ΗΚΟΝΤΑΤΕC ΑΡΩΝΕΠΙΣ
ΚΟΠΩΝ ΗΓΕΝΟΜΕΝΗ ΚΑΤΑ
ΤΩΝ ΟΜΟΦΡΟΝΩΝ ΝΕCΤ
ΟΡΙΟΥ ΕΤΙΤΕ ΚΕΩΡΙΕΝ
ΟΥC ΤΟΥ ΦΗCΑΝΤΟC *ΠΡΟΥ πρου. παρξιν
ΠΑΡΞΗΝ ΚΕΑΠΟΚΑΤΑCΤΑC
ΙΝ ΨΥΧΩΝ CΥΝΗΘΡΟΙCΘΗ
ΕΠΙΙΟΥC ΤΙΝΙΑΝΟ ΤΟ ΜΕΓΑΛΟ
ΕΒΕΒΑΙΩC ΕΔΕ Η ΑΓΙΑ CΥ
ΝΟΔΟC ΚΕ ΕΚΥΡΩCΕ ΤΑC ΠΡ
ΟΑΥΤΗC ΚΕΘ. ΜΟΛΟΓΗCΕ Τ
ΗΝ ΜΗΤΕΡΑ ΤΟΥ ΚΥΡΙΟΥ ΘΕΟΤ
ΟΚΟΝ *ΑΝΤΕΜΑΤΙCΑCΑΝ * ανα-θεματίσασα
ΕCΤΟΡΙΟΝ ΚΕ ΤΟΥCΟΜΟΦ
ΡΟΝ ΑCΑΥΤΩ ΚΕΦΡΙΕΝΗΝ
ΤΟΝ ΕΙΡΗΚΟΤΑ *ΠΡΟΥΠΑΡ * προυπαρξιν
ΞΗΝΚΕ ΑΠΟΚΑΤΑC ΤΑCΙΝ
ΨΥΧΩΝ

✠ *Quinta Synodus 164. Episcoporum, quæ habita est contra sectatores Nestorij, & contra Origenem; qui asseruit, animas hominum existere ante corpora, & omnes postremò saluatum iri. Coacta est sub Magno Iustiniano. Hæc autem sancta Synodus approbauit & confirmauit aliàs Synodos ante ipsam habitas, & confessa est Matrem Domini Dei parentem, atque*

Sancta quinta Synodus Generalis & II. Constantinopolitana.

Digitized by Google

atque anathemate feriit Neſtorium, & qui cum ipſo ſentiunt, & Origenem, qui dixit animas exiſtere ante corpora, & eas poſtremò ſaluatum iri.

DECLARATIO.

Duplex quinta Synodus, particularis & Generalis.

Aduertendum, in 2. Tomo Conciliorum cuiuſdam Synodi mentionem fieri ſub nomine quintæ Synodi, quæ quatuor actionibus continetur, celebrata anno Domini 536. ſub Agapito & Menna. Sed eſt & alia quinta principalior anno Domini 553. ſub Vigilio ſummo Pontifice & Iuſtiniano ſeniore celebrata. Aliqui, propter nominis conuenientiam, & quia vtraque Conſtantinopoli celebrata, arbitrati fuere hanc illam eſſe: ſed non benè, vt notauit Bellarminus lib. 1. de Conciliis cap. 5. nam illa hanc præceſſit; illa particularis, iſta Vniuerſalis. Noſtra Bethlehemitica ſcriptura intelligenda eſt de hac poſteriori Synodo, vt ipſa indicat, & ſtatim amplius apparebit.

Hæc noſtra Generalis.

Hæc Synodus quinta eſt in ordine ad alias Generales, vt illius indicat nomen, ſed ſecunda ex Conſtantinopolitanis. Oecumenicam verò & Vniuerſalem fuiſſe atteſtatur Concilium Nicænum II. Act. 2. his verbis: *Itaque cùm ſancta Vniuerſalis quinta Synodus Conſtantinopoli eſſet congregata, communi & generali anathemate reiecti ſunt Origenes & Theodorus Epiſcopus Mopſueſtia*, &c.

Epiſcoporum numerus.

Conuenerunt ad hanc Synodum, vt illius habet Hiſtoria, 165. Epiſcopi; noſtra ſcriptura 164. recenſet; ſed parum refert: è quibus erant Patriarchæ, Eutychius Conſtantinopolitanus, Apollinaris Alexandrinus, Domninus Antiochenus, & Euſtochius Ieroſolymitanus; qui tamen non per ſe, ſed per Legatos ſuos interfuit. Papa non interfuit nec per ſe nec per Legatos: Synodum tamen per libellum confirmauit, vt Nicephorus ſcribit lib. 17. cap. 27.

Confirmata à Vigilio Romano Pontifice.

Eutychius nomine Pontificis præfuit.

Sed quis illi præfuit? Eutychius Mennæ ſucceſſor, & non ipſe Menna: ille enim, ſcripta ad Vigilium Epiſtola, profeſſus eſt, præſidentiam non ſibi, ſed Vigilio Pontifici iure deberi, ſi Concilio intereſſe vellet. *Petimus*, inquit Eutychius, *præſidente nobis veſtra beatitudine, de tribus capitulis quari & conferri.* Vnde Zonaras in Vita Iuſtiniani; *Sub hoc*, inquit, *quintum Concilium eſt coactum centum ſexaginta quinque Epiſcoporum; quorum princeps fuit Vigilius Papa Romanus.*

Cauſa Concilij, Neſtorij & Origenis hæreſes.

Cauſæ huius congregandi Concilij duæ præcipuæ aſſignantur, hæreſes Neſtorianorum, & hæreſes Origeniſtarum. Sciendum itaque, quòd Imperator limites Imperij ſui prætergreſſus, ad vniendos Eccleſiæ Catholicæ Eutychianos & Acephalos, hortatu Theodori Epiſcopi Cæſareæ Cappadociæ, de trium Capitulorum damnatione edictum promulgarit: ſcilicet, Primò, quòd Synodus Chalcedonenſis laudes ſuſceperit Theodori Mopſueſteni Epiſcopi. Secundò, quòd Epiſtolam Ibæ, quæ per omnia Neſtoriana cognoſcitur, Synodus ipſa iudicio ſuo pronuntiauerit Orthodoxam. Tertiò, de Theodoreto Epiſcopo Cyri in Chalcedonenſi Concilio recepto. Cùm ergo contra hæc tria Capitula Iuſtinianus edictum promulgaſſet, Vigilius verò edicenti obſtitiſſet; vtriuſque conſenſu tandem conſtitutum fuit, vt, ſublato edicto, controuerſiæ deciſio ad Vniuerſalis Concilij congregationem ſuſpenderetur. Quòd cùm Imperator prout conuentum fuerat præſtitiſſet, auctoritate Vigilij hanc Synodum conuocauit.

Originis hæreſes duæ.

Etiam tunc temporis euulgabantur hæreſes Origenis; quæ cum auctore ac ſectatoribus eius damnari debuerunt. Et inter multas Origenis hæreſes duæ in noſtra ſcriptura memorantur: altera, omnes animas exiſtere ante corpora; altera, omnes animas tandem ſaluandas: adde idem ſenſiſſe etiam de dæmonibus; ac proinde infernum prorſus euacuandum. Ita referunt & refellunt Epiphanius Epiſt. ad Ioannem Ieroſolymitanum, Auguſtinus lib. 21. de Ciuit. cap. 17. Hieronymus in cap. 3. Ionæ, & Gregorius lib. 9. Moral. c. 45. & 46. & lib. 34. cap. 12. & 13.

Quantum ad primam cauſam, examinatis illis tribus Capitulis, & Neſtorij erroribus, plurибus habitis collationibus, in octaua & vltima recitata eſt ſententia contra Theodorum Mopſueſtenum, Ibæ Epiſtolam, & Theodoreti ſcripta aduerſus Cyrillum. Ad finem ſententiæ appoſiti ſunt anathematiſmi contra Neſtorij & Eutychetis hæreſes, & aduerſus tria Capitula.

Quantum ad ſecundam cauſam & errores Origenis, dico non peculiarem, ſed tantùm communem fieri in Concilio mentionem, dum ſimul cum aliis hæreticis damnatur. ſic enim habetur in 11. anathematiſmo: *Si quis non anathematizat Arium, Eunomium, Macedonium, Apollinarem, Neſtorium, Eutychem, Origenem, cum impiis eorum conſcriptis, & alios omnes hæreticos, qui condemnati & anathematizati ſunt à ſancta Catholica & Apoſtolica Eccleſia, & à prædictis quatuor Conciliis, & eos qui ſimilia prædictis hæreticis ſapuerunt, vel ſapiunt, & vſque ad mortem in ſua impietate permanſerunt vel permanent, talis anathema ſit.* Cap. 11. *In genere damnantur.*

Verùm etsi particularis mentio errorum Origenis non fiat in ista Synodo, illorum tamen tractatio non fuit omissa, quemadmodum alij prodiderunt Scriptores, Zonaras in Vita Iustiniani, Nicephorus lib. 17. cap. 27. S. Gregorius lib. 1. Epist. 24 Euagrius lib. 4. cap. 38. & alij. Et fortasse scripto consignati non fuerunt Origenis errores, & cum anathematismis particulariter recensiti; tum quia non propter illos præcipuè fuit Synodus congregata; tum quia anteà anno Domini 399. in alio Concilio, Synodo Alexandrina sub Anastasio celebrata, luculenter relati & reiecti fuerunt, vt de eo tradunt illius Scriptores.

Peculiariter etiam condemnati.

De vtroque tamen errore placet vnum verbum subnectere: de primo, illum vt Priscilliani damnatum fuisse in Concilio Bracarensi prouinciali, anno Domini 563. celebrato, vbi Can. 6. dicitur: *Si quis animas humanas dicit priùs in cælesti habitatione peccasse, & pro hoc in corpora humana in terram deiectas, sicut Priscillianus dixit, anathema sit.*

De secundo, dico illum clarè refelli Matthæi 25, 41, & 46. in illa Saluatoris sententia: *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius.* Et ne fortè responderent ignem esse æternum, sed non mansionem in igne, concludit Dominus: *Et ibunt hi in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam.* Vide Augustinum lib. de Fide & operibus cap. 15. Tom. 4. & Apocalyps. 20, 10. *Diabolus, qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis & sulphuris: vbi bestia & pseudopropheta cruciabuntur die ac nocte in sæcula sæculorum.* Et determinatis subsecuta est 165. Episcoporum subscriptio; Conciliumque confirmatum fuit nedum à Vigilio Papa, sed etiam ab aliis eidem in auctoritate succedentibus, Gelasio, Gregorio Magno, Leone II. & Adriano, vt notat Coriolanus in Summa Conciliorum in isto Concilio.

Subscriptū à 165. Patribus, & à Pontificibus multipliciter confirmatum.

Ἡ ἁγία ἕκτη σύνοδος
ἱστορουμένη κατὰ τῶν ἑτῶν
καὶ κύρου τῶν φρονησάν-
των ἓν θέλημα καὶ μίαν ἐν-
έργειαν ἐπὶ Κωνσταντίνου *Θρόνου
τοῦ Χριστοῦ *συνηρμόσθη
τοῦ Χριστοῦ συνηθροίσθη
ἐπὶ Κωνσταντίνου

* ΘΥΣΙΩΝ

* *Tria ista verba videntur abundare.*

ΥΙΟΥ ΗΡΑΚΛΕΙΟΥ
ΕΒΕΒΑΙΩΣ ΕΔΟΞΕ Η ΑΓΙΑ ΣΥΝ
ΟΔΟΣ ΚΕ ΕΚΥΡΩΣΕ ΤΑΣ ΠΡΟ
ΑΥΤΗΣ *ΟΜΟΛΟΓΗΣΑΣΑ ΦΥ * ΟΜΟΛΟΓΗΣΑΣΑ
ΣΙΚΑ ΙΔΙΩ ΜΑΤΑΤΗΣ ΘΕΟΤΗ
ΤΟΣ· ΚΑΙ ΑΝΘΡΩΠΟΤΗΤΟΣ ΤΟΥ
ΧΡΙΣΤΟΥ Η ΓΟΥΝ ΔΥΟΘΕΛΗΜΑ
ΤΑ ΚΕΔΥΘΕΝ ΕΡΓΕΙΑΣ ΚΕΑ
ΝΕΘΕΜΑΤΙΣΕ *ΣΕΡΓΙΟΝ ΣΚΥΡΟΝ. * ΣΕΡΓΙΟΝ

✣ *Sexta sancta Synodus habita contra Sergium & Cyrum, qui vnicam voluntatem & vnam operationem in duabus Christi substantiis inesse sentiebant, collecta est sub Constantino Heraclij nepote. Approbauit autem sancta Synodus, & confirmauit alias Synodos ante ipsam habitas; & confessa est naturalia idiomata Diuinitatis & humanitatis Christi, id est, duas voluntates & duas operationes: atque anathemate percussit Sergium & Cyrum.*

Sancta sexta Generalis Synodus, & tertia Constantinopolitana.

DECLARATIO.

Hæc Synodus, de qua nostra Bethlehemitica scriptura loquitur, est in ordinè ad alias Generales sexta, & tertia Constantinopolitana. Habita namque fuit Constantinopoli in Secretario sacri Palatij, quod cognominatum est Trullus, ideò fortasse, quod ipsum Secretarium eiusmodi Trullo fastigiatum, testudine sursum erecta, sua rotunditate hemisphærium conficeret: nam apud eos qui scripserunt de ædificiis Constantinopolitanæ ciuitatis, item apud Anastasium in Vita Sergij, Trullus, siue Trulla, significat sublimem fornicem desuper in altum porrectum, & in rotundum concameratum, quem Italicè dicimus *Cuppula*, Hemisphærium propriè. Baronius in Annalibus anno 680. n. 41.

Locus Concilij.

Trulli dominus significatio.

Inchoata fuit hæc Synodus anno salutis 680. & sequente absoluta. Auctoritate Agathonis Papæ, hortatu, ope & consilio Constantini Pogonati, Imperatoris piissimi, congregata fuit, vt patet ex eadem sacra ad Dominum Papam scripta; vbi summa obtestatione illum rogat, & monet, vt ad pium hunc conatum promouendum Legatos suos mittere velit. Hæc sunt verba ipsius: *Postquam igitur tempus recipit perfectam congregationem fieri, adhortamur vestram paternam Beatitudinem per præsentem nostram piam sacram dirigere viros vtiles,*

Celebratio auctoritate Agathonis Papæ, & ope Constantini Pogonati.

les, modeſtos, notitiam habentes totius à Deo inſpiratæ doctrinæ, & peritiam irreprehenſibilem habentes dogmatum, indutos perſonam veſtræ Apoſtolicæ Sedis, eiusq. Concilij deferentes & libros quos oportet proferri, & omnem auctoritatem habentes, &c.

Idem aliter vocat Bethlehemitica ſcriptura.

De Conſtantino idem etiam dicunt Paulus Diaconus in Vita Conſtantini IV. & alij. Noſtra ſcriptura idem ſub aliis verbis, Conſtantini videlicet *Heraclij nepotis*, & verè: quia hic Conſtantinus IV. fuit filius Conſtantini III. filij Heraclij Imperatoris. Et meritò mihi videntur indicati illius parentes, cùm ſua virtute illorum fuerit impietatem detexitatus: quandoquidem illi Monothelitæ & Monothelitarum fautores, & iſte pius Catholicus & acerrimus hoſtis hæreſis Monothelitarum, qui labori & ſumptibus non pepercit, vt hac Generali Synodo congregata, funditus cum ſuis ſectatoribus proſtraderetur. Hoc benè aduertit Martinus Polonus in Supputationibus anni 670. num. 10. de iſto Imperatore in hunc modum loquens: *Inſurrexit contra Monotheliras, quos pater & auus protraxerant, ſatagens eorum opinionem delere. Pro quo & ſextam Synodum Vniuerſalem congregauit Conſtantinopoli, in qua fuerunt* * *ducenti octoginta nouem Epiſcopi. Quæ Synodus in vno Domino noſtro Ieſu Chriſto duas naturas, & duas voluntates declarauit.*

Impia patrum veſtigia non eſt ſecutus pius Conſtantinus Pogonatus.

* In alio exemplari eſt 150.

Numerus Epiſcoporum.

Quantum ad numerum Epiſcoporum, nihil dicit noſtra ſcriptura; tamen fuiſſe 289. dixit citatus Paulus Diaconus, vt etiam nunc adductus Martinus Polonus. Verùm hic idem anno 678. num. 10. in Agathone de hac ipſa Synodo agens, dicit fuiſſe 264. Beda, Rhegino, Ado Viennenſis, & Freculphus in Chronico, ſolùm 150. Patres numerant, vt tradit Bellarminus libro 1. de Conciliis cap. 5. Patriarchæ fuerunt duo, Georgius Conſtantinopolitanus, & Macharius Antiochenus: nam Alexandrinæ & Ieroſolymitanæ Eccleſiarum ſolùm Legati quidam adfuerunt. Sanctus quoque Pontifex Agatho per ſuos Legatos interfuit & præſedit.

Agatho præſidet per Legatos.

Cauſa, Sergij hæreſis, vnicam in Chriſto voluntatem pronunciã.

Cauſam huius celebrandi Concilij, in eiuſdem prima ſeſſione, Sedis Apoſtolicæ Legati explicuerunt; nimirum Sergij, eiuſque Succeſſorum in Conſtantinopolitana Sede Epiſcoporum, nouam hæreſim, vnicam in Chriſto eſſe voluntatem & operationem: quam ſecuti fuerunt, præter alios Monothelitas, Cyrus Alexandrinus, & Macarius Antiochenus Epiſcopus. Fuit in Concilio hæc cauſa accuratè diſcuſſa, & inuenta ſacris Oecumenicis & ſanctis Patribus contraria; vnà cum illius ſectatoribus damnata fuit.

Igitur Actione 13. eiuſdem Concilij, aduerſus hæreticos hoſce, Cyrum, Sergium, Pyrrhum, Paulum, & Petrum, nominatim recenſitos, lata eſt ſententia condemnationis. Macarium etiam Antiochenum damnatum & depoſitum fuiſſe, etſi hîc non fiat mentio, ex eo probat Coriolanus, quòd in ſingulis ſequentibus Actionibus Antiochenus Epiſcopus Theophanes recenſetur certè in Marij locum ſuffectus; & deprauatum fuiſſe Conciliorum Codicem arbitratur. Ratio id perſuadet; quia ſi in eadem fuit cum aliis culpa, & in pœna ſocius eſſe debuit.

Damnatur cum ſectatoribus.

Hoc Concilium communi Eccleſiæ ſententia approbatum fuit, & inter alia Oecumenica recenſitum. Vide Coriolanum & alios.

Approbatum communi Eccleſiæ conſenſu.

SCA SYNOD' ΠIENA. II. CCC. LXVII PAT̄R V COΠ̄RA. IMPVG NATORES. SCARV YMAGINV CO GREGATA SUB CONSTANTINO. ET YRENA. MAR̄E EI'. DECREVIT. AN̄T SCA. SYNODVS VT SCOR. YMAGINES OB IPSO R̄E VENERATIONE. HONORENR̄ QVEADMODV SEE CRVCIS SIGNVM ꝓPC CRVCIFIXI RECENTIA RAN̄. ANAΠ̄EMATIZAV. 8o. V COSTANTINS. IMPIISS IM RES. ANASTASIV ETIA. ETO NS. ATQ. NICITIVT·····TINOPOLITA·····CĒSNOIC·····RVYM·····

Sancta ſecunda Nicæna Synodus & ſeptima Generalis.

DECLARATIO.

Hæc ſcriptura vltima eſt ex his, quæ in noſtro Bethlehemitano ſanctæ Mariæ Deiparæ templo referunt ſacras Synodos, exarata, vt patet, non Græcis litteris, vt præcedentes, ſed maioribus Latinis ſatis abbreuiatis, & non parum corroſis ac deficientibus: verumtamen ex ſuperſtitibus perfectè licet cognoſcere argumentum Concilij

Digitized by Google

cilij in ea contentum. Et quodnam illud?

Septimum Nicænum Concilium hortatu Constantini VI. & Irenæ matris Augustorum. & consentiente Adriano Papa congregatum.

Est septimum Generale, & secundum in ciuitate Nicææ Bithyniæ celebratum anno Domini 787. vt alia iussu Romani Pontificis, hortatu & auspiciis Imperatoriis, Adriani videlicet Papæ, & Constantini VI. & Irenæ matris Augustorum. Ita apparet in sacra illa Diuali Epistola, quam Constantinus & Irena ad Adrianum transmiserunt, dicentes inter alia: *Nunc constanter cum mundo corde & vero cultu, quæ ad Deum pertinent, vnà cum omnibus subditis nostris, & his Sacerdotibus doctissimis locuti sumus, & cum Concilio decreuimus, vt fieret Vniuersale Concilium. Et rogamus vestram Paternam Beatitudinem, vt det seipsum*; hoc est, consensum & approbationem; paulò pòst enim subiungunt: *Ascendat hæc in stabilitatem & firmitatem antiquæ traditionis super venerabilibus imaginibus.* & paulò infrà: *Et tamquam verus primus Sacerdos, & is qui in loco & Sede sancti & superlaudabilis Apostoli Petri præsidet, sicut dictum est, ascendat.*

Piæ ac iustæ petitioni gratum exhibuit assensum Pontifex, & ipsius auctoritate Concilium congregatum fuit: & cùm per se interesse nequiuerit, per suos Legatos interfuit, ipseque Concilium approbauit.

Episcoporum numerus.

Conuenerunt in eo Episcopi, si Psello credimus, 350. Cedreno 358. Plures recenset nostra scriptura, scilicet 367. è quibus Patriarcha vnus fuit Tharasius Constantinopolitanus: ceterorum Patriarcharum solùm Legati interfuerunt; & Adrianus per suos Legatos præsedit. Quare benè ex his possumus colligere cum Bellarmino lib. 2. de Imaginibus Sanctorum cap. 12. Concilium hoc Generale legitimum, si aliud fuit, hoc certè fuisse.

Causa, imaginum deuastatio.

Causa huius congregandi Concilij fuit sacrarum imaginum deuastatio, quæ Græco sed vsitato vocabulo Iconomachia dicitur; quæ in Oriente originem traxit. Post Monothelitarum hæresim in sacra sexta Oecumenica Synodo damnatam, prodiit mox Iconomachorum error & furor in sacras imagines: quomodo verò id acciderit, breuiter explicandum. Scribit in Chronicis Sigebertus, Philippicum anno 712. iugulasse Iustinianum Imperatorem, & Imperium ipsius occupasse. Occupato autem Imperio, cùm Monothelita esset, noluit sextam Synodum recipere; sed, vt habet Paulus Diaconus, ad Constantinum Papam praui dogmatis litteras direxit. Hac quoque occasione picturam sanctarum sex Synodorum Vniuersalium, quæ in vrbe Regia habebatur, iussit deleri, & Sanctorum statuas & imagines ex omnibus templis eradi: Cyrum Catholicum Patriarcham ex vrbe eiicit, surrogatque Ioannem Monothelitam & Iconomachum; Anastasium fautorem Catholicæ fidei, & sancti sexti Concilij prædicatorem, regno expulit, oculisque priuauit. Hic verò cum primo Imperij sui euoluto anno classem in Alexandriam contra Saracenos dirigeret, medio itinere ab exercitu deponitur, & ab eodem Theodosius in Imperio coactus successor confirmatur.

Vide Molanum de Picturis lib. 3. c. 2. & 3.

Philippicus iugulato Iustiniano Imperium occupat.

Sex Synodorum imagines demolitur.

Ab exercitu Imperij exuitur.

Theodosius mox vt Regnum accepit, picturam sex Synodorum à Philippico deiectam pristinum in locum erexit. Refert ista Paulus Varnefridus, Diaconus Aquileiensis lib. 6. de Gestis Longobardorum cap. 10. 11. & 12. qui floruit Caroli Magni ætate, & Beda Anglo-Saxo lib. de Temporibus.

Eius loco sufficitur Theodosius & deiectas imagines restituit.

At non diu duranit restituta religio: octauo enim post mense Imperium cogitur abdicare; & Leo Tertius, qui patriam habuit Isauriam, dignitatem Imperij, ait Zonaras, præter dignitatem consequitur. Cum Deo enim pugnat, & contra reuerendas imagines insanit. Terribili rugitu venerandas imagines inuadit, grauissimamque persecutionem excitat, multos detestandæ suæ voluntati aduersos punit, & Martyres facit.

Imperio renuntiat.

Leo Tertius Imperium assumit, qui in venerandas imagines debacchatur.

Vide Paul. Diac. lib. 6. Hist. Longobardicæ cap. 14. Niceph. in Annal. Cõstantinop. l. 21. & alios

Ab isto Leone filius Constantinus Copronymus dictus; quia cùm in sancta aqua mergeretur, excreuit: quia paternæ impietatis æmulus erat, Imperij collega assumitur, & cum patre imperat annis viginti & vno, post patrem verò annis viginticinque. Horum errori Germanus Patriarcha non consentiens, à propria Sede depulsus est; & in eius locum Athanasius Iconomachus intrusus, qui totidem annis sedit Patriarcha quot Leo Imperator, hoc est annis 24.

Mortuo Leone, ei in Imperio & impietate materi filius vnus Constantinus Copronymus succedit.

Moriente Leone, Romanum Imperium vnà cum paterna impietate ignominiosus eius filius Constantinus Copronymus suscepit, qui patris impietatem longo interuallo superare studuit: delectatus est enim magicis maleficiis & luxuriis, cruentisque sacrificiis & dæmonum inuocationibus, similibusque sceleribus: & nedum in Sanctorum imagines, sed etiam in eorumdem venerandas Reliquias debacchatus est. Vide Ioannem Zonaram Tom. 3. & Nicephorum Rerum Romanarum lib. 22.

Post ipsum similia succedit filius Leo IV.

Post Constantinum Imperio potitus est filius eius Leo Quartus, eodem impietatis & crudelitatis morbo laborans quo pater & auus. Lege Zonaram. Et nos quid de hisce scribat hæc nostra sacra Nicæna Synodus Actione 6. referemus.

Eius sanctitas infidelis explicat hac Synodum.

Continuam crudelitatem & ipsi Principes, Duces & falsi Episcopi exercuerunt. Sed quam

nam lingua calamitatem istam poterit exprimere? Nam quot terrores, persecutiones per omnes ciuitates, custodia, Monachorum flagellationes, carceres, multis his annis extitere? Taceo pedicas, catenis ligatos pedes, sacrorum uasorum ablationem, librorum exustionem, sanctorum templorum profanationes, sanctorum Monasteriorum in mundana hospitia & habitacula translationes, quòd scilicet in iis pietatis & religionis studiosi viri habitarent: post raptum substantia & bonorum, transmigrationes in barbaras nationes, existimantium se posse Apostolicè meliorem vitam inter gentes, quàm apud suos, ducere. Et quod omnium grauissimum est, in hunc vsque diem profanatio ista ministeriorum apud quosdam adhuc manet. Et pro sacris hymnis & voce latitiæ, in tabernaculis instorum, cantica meretricia & satanica melodiæ audiuntur: & pro geniculationibus, saltationes theatrales celebrantur. His adjice pericula, turbationes, vexationes, verbera, pœnas, oculorum extritiones, narium amputationes, linguarum abscissiones, inhonestas fugas & exilia piorum, qui per omnem terram dispersi sunt: sanctarum facierum adustiones, barbæ vellicationes adustionesq;, virginum, postquam Christo dedicatæ fuerant, impias & violentas nuptias; & quod vehementissimum est malorum, cædes. Hi sunt fructus horum hominum, qui contra veritatem insurgunt. Hactenus sancta Synodus.

Mortuo Leone fideles respirant

Leone IV. post quadriennium mortuo, Catholici nonnihil respiratunt sub vidua eius Irena & filio eius Constantino pusillimis Augustis: qui vt tot malis occurrerent, vt antè dictum, Oecumenicam fieri Synodum studuerunt. Et tantò magis; quia (vt narratur Act. 1. in Epistola Constantini & Irenæ ad Concilium scripta, & in Apologia Tarasij, quæ extat apud Theophanem & Anastatium in translatione Concilij VII.) cùm Paulus Patriarcha Constantinopolitanus, ob simulatam fidem & iuramento confirmatam perfidiam Iconomachiæ, pœnitentiam acturus thronum reliquisset, vitamque monasticam suscepisset, dixit: *Nisi Synodus Vniuersalis fiat, & error, qui est in medio uestri, corrigatur, salutem non habebitis.* eoque dicto designatum successorem Tarasium adeò commouit, vt nonnisi sub promissione Oecumenici Concilij celebrandi oblatum munus Episcopale acceptare voluerit.

Constantinus VI. Imperij successor cum Matre Irena tot malis Concilio occurrere satagunt.

In eo sanctum, vsum & veneretionem sanctarum imaginum huiusmodi esse.

Congregata itaque Generali Synodo, acerrime disputatum est de licito vsu ac veneratione sacrarum imaginum; & communi consensu sanctum, licitum esse pingere ac venerari sanctas imagines, ad modum & formam venerandæ & viuificantis crucis; è coloribus & tessellis, aut alia quauis materia commode paratas dedicare, & in templis Sanctis Dei collocare, &c. maxime autem imaginem Domini & Dei Seruatoris nostri Iesu Christi, deinde intemeratæ Dominæ nostræ Deiparæ, venerandorum Angelorum, & omnium deinde sanctorum virorum, &c. Contrariumque tenentes, & qui sacras imagines idola appellat, & Christianos illas adorantes vt Deum adorare asserunt, anathemate percussit; & similiter illos qui scienter cum huiusmodi communicat; etsi minoris sint quàm prototypa veneratione habenda. Vide Coriolanum hic in Annotatione.

Approbata fuerunt sex alia Vniuersalia Concilia & hæretici damnati à Synodo Nicæa, quæ similiter Pontificia fuit auctoritate firmata.

Præter illa & alia salubriter ordinata, sancta, magna & Vniuersalis Nicæa Synodus II. primò approbauit sex Vniuersales Synodos; & damnauit omnes hæreticos, quos prædictæ Synodi anteà damnauerant: & hæc in nostra Bethlehemitica inuuntur scriptura. Et fuit hæc Synodus Pontificia auctoritate stabilita, & vt oraculum Spiritus sancti habita.

Pro fine ac coronide explicationis Synodalium picturarum & scripturarum nostri Bethlehemitici templi, placet vnum aduertere; ex quo fortasse dijudicabitur illarum delineationis ratio. Philippico primo Iconomacho imperante, Romanæ Ecclesiæ præfuit Constantinus, qui pro imaginibus primam celebrauit Synodum Romanam: litteras enim, Diacono teste, falsi dogmatis à Philippico directas Apostolicæ Sedis iudicio respuit: picturam quoque sex Synodorum, quam Philippicus iusserat deleri, ipse Romæ in porticu sancti Petri iussit fieri. Hac ipsa ratione credo, pios fideles in Terra hac sancta in sancto hoc Mariano templo curasse accurate ac artificiosè delineari Concilia & eorumdem argumenta præcipua, & Patres: vt quod Constantinopoli deperditum, velut Romæ, ita hic restauraretur, contra omnes Iconomachos, & præsertim Constantinum Copronymum, qui nedum imagines sacras contempsit, sed insuper sacram Oecumenicam Synodum concursum profanorum hominum appellare ausus fuit. Igitur vt hi & similis farinæ homines confunderentur, antiqua & laudabilis consuetudo, quæ semper in Ecclesia floruit circa imaginum cultum & sacrorum Conciliorum celebrationem magis magisq; eluceiceret, nedum Christi Domini, viuificæ Crucis, sacri Euangelij, sanctissimæ Deiparæ, sanctorum Angelorum & aliorum Diuorum imagines, sed ipsorum Conciliorum, cum scripturis ipsis nusiuo nobili opere appictæ fuerunt. Et hæc de his satis cetera prosequamur.

Lib. 6. Hist. Longobar. cap. 11.

Ratio delineationis picturarum sacrarum Synodorum in S. Maria Bethlehem.

In

Picturæ & scripturæ in capite Ecclesiæ.

In capite Ecclesiæ, in fornice capellæ maioris, à dextra parte est Angelus Gabriel salutans Virginem, quæ est in læua parte. Item in ipso arcu sunt imagines Dauid & Abraham cum sequentibus inscriptionibus; omnia tamen ferè demolita.

SCS GABRI

HLIS

Ϯ P. PϮA

AVE MARIA GRATIA PLENA.

∴ ECLE ANCILLA

SCDM VER∴

ABRAHAM.

In dextra eius parte & Aquilonari.

In dextera eiusdem capellæ parte cernuntur Apostoli sedentes, &, vt credo, olim cernebatur visibilis aduentus Spiritus sancti super sanctam Dei Genitricem & sanctos Apostolos in die sancto Pentecostes. Nulla scripta leguntur.

In læua & Meridionali.

In læua & è regione illius, primò videntur Christi Apostoli sanctam Deiparam ad tumulum deferentes in feretro siue loculo, & infrà sequentes litteræ Latinæ:

COMES HOSTIS ET INVETATIS

ET GRECIS IMPERITABAT

HIC ECCLESIAM DOCEBAT

SEFREM FERTVR FECISSE TAVEM

Secundò sequitur Præsentatio Domini: videlicet Virgo Maria offerens Filium suum in templo post suam purificationem secundùm legem: & infrà sequens scriptura Græca:

*ΕΤΕΛΕΙΩΘΗ ΤΟΝ ΠΑΡΟΝΕΡΓΟΝ ΑΙΑΧΣΡΟC

*ΕΓΟΤΟΓΡΑΦΟΤ ΕΦΡΑΙΜ Α *ΗCΤΟΡΙΟΓ ΑΦΒΙ ΜΟΣΑΙΑΤΟΡΟC

ΕΠΙ ΤΗC ΒΑCΙΛΕΙΑC ΜΑΝΟΥΗΛ ΜΕΓΑΛΟΥ

*ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΠΟΡΦΥΡΟ-ΓΕΝΝΗ ΤΟΥ ΤΟΥ ΚΟΜΝΗΝΟΥ

ΚΑΙ ΕΠΙΤΑC ΗΜΕΡAC ΤΟΥ ΜΕΓΑΛΟΥ ΡΗΓΟCΙΣ ΡΟ

ΟΛΥΜΩΝ ΚΥΡΟΥ ΑΜΜΟΡΙ

*ΚΑΙ ΤΟΥ ΤΗC ΑΓΙΑC ΒΗΘΛΕΕΜ ΑΓΙΩΤΑ ΤΟΥ

*Χ. ΧΟΣ ΕΠΙCΚΟΠΟΥ ΚΥΡΟΥ ΡΑΒΔΙΝΕΤΟΣ *Λ. ΧΟΖ

ΙΝΔΙΚΤΙΟΝ Β.

Latinè reddita sic habet:

Memoria temporis quo opus fuit absolutum.

Absolutum est hoc opus per Ephrem pictorem & musiui operis artificem, sub Imperio Emmanuelis magni Imperatoris Porphyrogenitæ Comneni, & in diebus magni Regis Ierosolymorum Domini Ammorij & sanctissimi Episcopi S. Bethlehem Domini Raulineti, A. 677. Indict. 2.

In brachio Aquilonari Ecclesiæ.

In cornu dextro & Aquilonari Ecclesiæ depictum cernitur ingens palatium, siue solium quibusdam columnis innixum: ibi porta vbi Christus & discipuli eius cum Thoma, cui ostendens lateris vulnera dixit vt sequitur:

IANVIS CLAVSIS.

IN GI

FER DI TV

VM

HVC

Sequitur Ascensio Domini; vbi Virgo Maria & discipuli aspicientes in cælum, & sequens scriptura legitur:

ASCENIO.

*VIRI GALILEI QD STIS

ASPICIENTE IN CELVM

HIC IHS Q ASVMPSE SICVE

NIEXQEADMODV VIDSTS EVS.

In brachio Meridionali.

In cornu sinistro & Meridionali Ecclesiæ sunt aliqua non contemnenda fragmenta. Et primò, in fornice Meridiem versus est

eſt Magorum adoratio, Angelus eos ducens per aliam viam in regionem ſuam: item mulier verſans vas aquę ſuper infantem in altero exiſtentem: & credo eſſe Chriſti ortum: ſed non benè, vt Cap. x. huius Peregrinationis monui; quia puriſſimus exiit de immaculato Virginali vtero, neque ablutione indiguit ipſis puriſſimis ſpiritibus purior. Eſt ibi tabula cum hac inſcriptione:

Iſa. 7. 14.

ECCE VRGO
CONCIPIET
ET PARIET FI
LIVM ET VOCA
BITVR NOMEN
EIVS EMO
ANVEL.

In eadem parte.

In hoc ipſo cornu ex parte Orientali primò cernitur Samaritana mulier vas dimittens in puteum, & loquens cum Chriſto, cum ſequenti inſcriptione:

LOQVITVR CV SAMARITANA

IOA
ChI
M.

Suprà effigies collapſa ferè ſedentis ad pulpitum, cui innixus liber. Ad effigiem ſcriptum:

S. IOh. EVVANGELISTA.

In libro:

IN PR
INCI
PIO c.

In gremio ſedentis etiam quaſi intextum videtur:

IN PP. CIP
VE
IO ER

Infrà Chriſti Transfiguratio coram Moyſe & Elia, Petro, Iacobo & Ioanne, depicta eſt cum ſolemni ingreſſu Domini in Ieruſalem in ramis palmarum, cum ſequentibus litteris:

TRANS FIGV RATIO DNI

HE
LIAS
IHS CHS
MOI
SE
S

RAMIS PALMARVM

IHS XPS.

In oppoſitâ Occidentali.

In oppoſita Occidentali parte delineata eſt captura Chriſti in horto; & hæc duo dumtaxat leguntur verba, PETRVS & IVDÆORVM: ſuprà hinc inde alij duo Euangeliſtæ.

In angulo huius partis eſt ſequens ſcriptum, forte pictorem vel auctorem operis indicat:

* NIICβHTI *M
*KβTON: ΔS *KE TΩN ΔOTAΩN*
*AON*COY
*Z AN III.

* Videntur nomina propria.

Memento Domine ſeruorum tuorum. an. III:

Omnes picturæ & ſcripturæ, de quibus hactenus, ſunt opere teſſellato ſiue muſiuo elaboratæ; illæ verò, de quibus ſtatim, ſunt communi pictura delineatæ.

Ex vtraque parte maioris nauis Eccleſiæ.

Ex vtraque parte maioris nauis Eccleſiæ ſupra murum præmiſſis picturis exornatum, intra feneſtras, hoc eſt, in muro illas diuidentes, tot ſunt Angeli magni & ſatis ſimpliciter depicti. Similiter in columnis, quæ ſunt in quatuor ordinibus diſpoſitæ, ſunt aliquæ depictæ Sanctorum imagines cum inſcriptionibus; quas non hic ſubijcio, quoniam ſatis imperfectæ & parum prodeſſe poſſunt.

CAPVT XIV.

De Auctore Eccleſiarum S. Catharinæ, Natiuitatis Domini, & S. Mariæ Bethlehem.

SEd quiſnam commemoratas Eccleſias ædificauit? Hanc excitaui difficultatem propter eos qui arbitrantur, omnes harum partium Eccleſias fuiſſe ab Helena, Magni Conſtantini piiſſima matre, erectas, & conſequenter iſtas. Sed falſum illud; quoniam alij pij fideles ad Dei gloriam & Sanctorum venerationem aliquas ædificarunt, vt ex alibi dictis manifeſtum eſt.

Et quantum ad Eccleſiam ſanctæ Catharinæ, non credo fuiſſe erectam ab Helena ſancta eiúſve filio Conſtantino; quoniam Euſebius Cæſarienſis, qui recenſuit Eccleſias ab illis ædificatas, nullam tamen iſtius fecit mentionem. Quis ergo illius auctor?

An ſanctiſſima Paula Romana? Ad id opinandum adducor, quòd, teſte D. Hiero-

Ecclesiam S. Catharinæ probabiliter Paula vel alij fideles extruxit.

nymo in illius epitaphio, ipsa apud Bethlehem quatuor monasteria ædificauit; tria pro mulieribus, pro viris vnum: & probabile est totidem Ecclesias vel Oratoria erexisse, & vnam ex illis esse hanc S. Catharinæ Ecclesiam. Quòd si id alicui non placet, non displicebit dicere, fuisse ab aliis piis fidelibus ædificatam ob huius sanctæ deuotionem, & maiorem commoditatem in monasterio cum eadem continuò commorantium.

Euseb. Vit. Constant. lib. 3. c. 40. & seq.

Nativitatis Domini & sanctæ Mariæ, Helena & Magnus Constantinus.

Quantum verò ad alias duas, Dominicæ Nativitatis & S. Mariæ, colligimus ex Eusebio fuisse ab Helena & Constantino ædificatas & exornatas; & priorem singulariter ab Helena. loquens enim Eusebius de illius aduentu Ierosolymam, ad intentum hæc scribit: *Illa enim cùm Deo omnium gubernatori debitum pia mentis & affectionis munus impertire in animo haberet, & pro filio suo, tanto & tam praclaro Imperatore, proq; liberis eius Cæsaribus, charissimis suis nepotibus, Deo gratias per preces agendas esse putaret; ætate iam ingrauescente, singulari quodam consilio, & prouida animi cogitatione vereq; regia adducta, properè instar adolescentula venit, tum sacrosanctam terram oculis lustratura, tum gentes Orientem incolentes, plebemq; pariter ac populi multitudinem conspectura. Ac postquam locis, in quibus Saluatoris erant impressa vestigia, debitam venerationem adhibuerat, idq; conuenienter,* Psal. 131,7 *prophetico sermone dicente, Adorabimus in loco, vbi steterunt pedes eius, pietatis suæ monumenta, quibus post se relictis posteris hominibus prodesset, statim fabricare aggreditur. Iam Deo, quem adorauerat, duo dicauit templa: quorum alterum ædificauit in monte vbi ascenderat, alterum ad obscurum illud antrum Nativitatis eius. Etenim nobiscum Deus in terris nasci (locus autem illius Nativitatis proprio nomine apud Hebræos Bethlehem appellatur) pro nobis sustinuit: ac propterea Imperatrix sanctiss.ma Deipara partum eximiis monumentis exornare, & sacrum illud antrum variis cuiusq; generis insignibus illustrare studuit; Imperator autem paulò post eumdem locum ornamentis regalibus ornare & monumentis ex auro & argento variisq; aulæis matris suæ magnificentiam adaugere cæpit*, &c. Hactenus ex Eusebio.

Obiectio.

At verò aliquis obijciat eumdem Eusebium asserentem, non ab Helena, sed à Constantino prædictam Nativitatis Ecclesiam ædificatam cum aliis in Palæstina. sic enim ille scribit: *Eodem tempore cùm alia duo loca, quibus duo abdita & quasi mystica antra multum honoris & dignitatis afferebant, reperisset; ea magnifico apparatu sumptuq; honestare instituit. Ac primùm illud, in quo primùm Saluator noster diuini Numinis virtute in carne apparuit, honoribus decenter affecit; deinde alterum, quod fuit in cælos Ascensionis monimentum in summo montis vertice situm, præclaris ornamentis illustrauit. Atque iste tam splendida detorauit loca, quò matris suæ memoriam, quæ tantum benignitatis hominum vitæ detulisset, immortalitati commendaret.* Hæc Eusebius. quæ & repetit Oratione in laudibus Constantini: postquam enim breui compendio perstrinxisset singulas Basilicas in his partibus ædificatas, hæc addidit: *Tria præterea loca, tribus mysticis nostræ salutis antris nobilitata, amplis & eximiis illustrauit ædificiis: primùm illi antro, in quo Christus mundo primùm apparebat, debitum decus impertiit; deinde ad illius antri memoriam, vbi postremò assumptus est, in montis iugo monumentum præclarum extruxit: ad extremum, antrum illud inter hæc duo interiectum, vbi Saluator totius suæ passionis quasi certamen ebibat, victoriamq; mundo salutarem ab hostibus reportabat, templo extructo, illustre reddidit.* Hucusque Eusebius.

Solutio.

Huic difficultati dupliciter posse responderi arbitror; Primò dicendo, sanctam Helenam ædificasse inferiorem Basilicam in spelunca Nativitatis Domini, quam postea eius filius Magnus Constantinus Imperator auro & argento exornauit. Ad quod existimo respexisse Chrysostomum, dum in cap 2. Lucæ dixit: *O si mihi videre liceret illud Præsepe in quo Dominus iacuit! Nunc nos Christiani quasi pro honore tulimus lateritium, & posuimus argenteum. Sed mihi pretiosius est illud quod oblatum est: argentum autem & aurum meretur gentilitas; Christiana fides meretur illud luteum. Non tamen condemno eos, qui honoris causa fecerunt, neque illos condemno, qui in templo fecerunt vasa aurea; sed admiror Dominum, qui Creator est mundi, & non inter aurum & argentum, sed in luto nascitur.* Hæc S. Chrysostomus. Ac insuper idem Constantinus superiorem alteram sumptuosissimam sanctæ Mariæ nomine matris suæ ædificauit. Itaque cùm Eusebius in priori loco dicit Helenam ad Præsepe Domini Basilicam ædificasse, loquitur de inferiori Dominicæ Nativitatis; cùm verò in posteriori dicit, Constantinum ædificasse, loquitur de superiori S. Mariæ, vel etiam quòd inferiorem ornamentis condecorauit.

Chrysostomi desiderium nudum Præsepe Domini videndi.

Vel secundò dicatur, duas has Ecclesias pro vna computari, & inferiorem esse superioris subterraneum sacellum, ad maiorem sacri antri decorem & maioris Ecclesiæ vtilitatem erectum, vt in pluribus aliis insigni-

insignibus Ecclesiis fieri consueuit. Adscribitur verò aliquando Helenæ, aliquando Constantino, sicut & aliæ; tum quia vtriusque consilio & sumptibus fuit ædificata, tum quia, quod Constantinus præcepit, Helena in Palæstinam veniens, executioni mandari curauit. Quare meritò ab Eusebio & aliis hæc Ecclesia & aliæ ex præceptò Helenæ & Constantini ædificatæ, modò isti modò illi adscribuntur. Aliarum verò Ecclesiarum, quarum ignorantur auctores, & verè non fuerunt Helena vel Constantinus, isti nihilominùs à pluribus auctores appellantur, quoniam pro maiori parte harum partium Ecclesiæ mandato & sumptibus horum Principum extructæ fuerunt.

Helena & Constantinus pro vno auctore Ecclesiarum reputantur.

CAPVT XV.

De sacello sancti Ioseph sponsi sanctæ Dei Genitricis Mariæ, octauo loco secundæ Peregrinationis.

SEd reuertamur iterùm ad sacrum antrum Dominicæ Natiuitatis. Completis in eo orationibus, quæ singulis diebus post Completorium in processione fieri consueuerunt ad tria illa sanctissima loca, Natiuitatis Domini, Præsepij & adorationis Magorum; inde recedentes pij fideles per huius antri & sacræ Basilicæ Occidentalem portam, per quam priùs fuerant ingressi, per eamdem viam reuertentes alia veneran-tur sacra loca: inter quæ primò occurrit sacellum, siue capella sancto Ioseph sponso sanctissimæ Dei Genitricis Virginis Mariæ dicata.

Ad cuius intellectum scire debes, illud non fuisse extructum, vel modò honorari, quòd sanctus vir ibi aliquod peculiare fecerit vel etiam fuerit, vt pro maiori parte similibus de causis in his partibus honorantur Ecclesiæ, & alia sancta loca; quoniam vtrumque incertum est, & primum magis, & nonnisi paucis antè annis Sancto huic dicatum. Sciendum itaque, quòd, gubernante loca sancta P. F. Thoma à Nouaria, loci opportunitate inuenta exigui sacelli, in eo anno Domini 1621. altare erexit, sanctoque Virginis Mariæ Sponso dicauit, vt à piis fidelibus desiderabatur. Et optima ratione; quoniam in his partibus fuit, & tempore immaculàti partus Sponsæ suæ in sancto habitauit antro: & conueniebat, vt hic singulis quoque diebus honoraretur ille, quem tantum Deus honorauit, vt Filiæ suæ sponsum Virginitatis custodem & Filij sui parrem & nutritium credi & esse voluerit. Et qui communi Domino &

S. Ioseph sacellum primùm dicatum, & quare.

omnium Reginæ fidelissimum exhibuit famulatum, à conseruis suis debuit honorari; vt pro honore, suis precibus & meritis gratiam & gloriam largiretur nobis dilectissimus Filius suus.

CAPVT XVI.

De sacello sanctorum Innocentium, nono loco secundæ Peregrinationis.

A Sacello sancti Ioseph immediatè accedimus ad alterum, quod sacellum & sepulchrum sanctorum Innocentium appellatur, solo muro à præcedenti seiunctum. Hoc erat antrum vel ficca cisterna: iuxta parietem est altare, & sub altari modica cauerna, siue sepulchrum interfectorum propter nomen Dei.

Ratio nomenclaturæ duplex assignatur: altera communior, &, vt credo, verior, quam adducit & sequitur F. Bonifacius lib. 2. de Perenni cultu Terræ sanctæ; quia in hunc locum corpora paruulorum pro Christo interfectorum proiecta & tumulata fuere.

Forma & ratio nomina sacelli sanctorum Innocentium.

Altera est, illud nomen obtinuisse, quòd ibi satellites Innocentes interfecerint: etenim Herodis satellites vbicumque infantes inueniebant, ibi occidebant. Cumque matres audissent impium & crudele Regis decretum, de interficiendis omnibus bimulis qui erant in ciuitate Bethlehem & in omnibus finibus eius, & auribus & oculis vidissent absque misericordia executioni mandari, abscondebant illæ pueros, vbi credebant posse à morte liberari; atque etiam in isto loco abscondisse, probabile est credere: qui se vocibus & eiulatibus magis prodentes, inuenti à crudelibus sicariis, gladio trucidati, ibidem sepulti fuerunt. Igitur ob alteram ex his rationibus, vel ob vtramque, locus iste sacellum & sepulchrum sanctorum Innocentium appellatur. Et nos veneramur, Martyrij ipsorum memoriam recolentes in terris, vt ipsorum suffragia mereamur in cælis.

CAPVT XVII.

De Oratorio sancti Hieronymi Ecclesiæ Doctoris, decimo loco secundæ Peregrinationis.

EX sacello sanctorum Innocentium se vertit processio ad læuam partem, ingrediturque cauernosum locum: & à dextera primò relicto mausoleo S. Eusebij Abbatis Cremonensis, & posteà à læua alijs duobus, altero S. Hieronymi, & altero S. Paulæ & Eustochij filiæ suæ, de quibus posteà; iterùm se vertit ad dexteram, &

Oratorij S. Hieronymi forma.

ingreditur facellum ad instar cubiculi: in cuius plaga Orientali altare erectum est, appellaturque Oratorium S. Hieronymi, eximij Ecclesiæ Doctoris: & est sub schola eius, de qua supra Cap. 1. huius Peregrinationis; & eius memoria hîc recolitur.

Ratio nominis. Ratio nominis est; quia, vt tradit communis traditio, & scriptum reliquit F. Bonifacius lib. 2. de Perenni cultu Terræ sanctæ, S. Hieronymus æstiuis temporibus in eo studiis vacabat, & ex Hebræo in Græcum, & è Græco in Latinum transtulit sacra Biblia; vel, vt dicitur in Breuiario, *Vetus Testamentum ex Hebræo conuertit: nouum iussu Damasi Græca fidei reddidit; magna etiam ex parte explicauit.*

Testamentum vetus bis transtulit S. Hieronymus; primò ex Græco, secundò ex Hebræo in Latinum. Ad maiorem huius dicti & traditionis intelligentiam sciendum est, S. Hieronymum bis Testamentum vetus in Latinum conuertisse: primùm ex Græco, id est, ex versione Septuaginta, vt intelligi potest ex libro 2. eiusdem Contra Ruffinum, & ex Epist. 10. Augustini, & sequenti 11. quæ est Hieronymi ad Augustinum, nec non ex Præfatione in Iob: & rursum ex Hebræo, vt ipse idem testatur in libro de Viris illustribus extremò; & in Præfationibus singulorum librorum quos Latinos fecit.

& nouum emendauit. Nouum autem Testamentum non conuertit de Græco in Latinum, sed solùm à multis erroribus purgauit, qui vitio librariorum irrepserant. De quo suo labore sic ipse loquitur libro de Viris illustribus in fine: *Nouum Testamentum Græca fidei reddidi.* & Præfatione Euangeliorum ad Damasum; *Ista*, inquit, *calamo temperauimus, vt iis tantùm, quæ sensum mutare videbantur, correctis, reliqua manere pateremur vt fuerant.*

Obiectionis solutio. Quòd si quis dicat, conuersum fuisse ab eo nouum Testamentum propter sequentia verba D. Augustini Epist. 10. ad Hieron. *Proinde non paruæ Deo gratiæ agimus de opere tuo, quòd Euangelium ex Græco interpretatus es,* &c. audiat Hieronymum dubium hoc soluentem in Epist. ad Augustinum, quæ est 11. inter Epist. Augustini: *Si me*, inquit, *in noui Testamenti emendatione suscipis,* &c.

His sic stantibus, cùm longam moram traxerit apud nostram Bethlehem & Præsepe Domini; ibi & in memorato loco probabile est egregium illud opus fuisse operatum.

CAPVT XVIII.

De sepulchro sancti Hieronymi, quod undecimo honoratur loco in secunda Peregrinatione.

S. Hieronymi sepulchri forma, & nominis ratio. EX oratorio sancti Hieronymi recedentes, reuertimur ad venerandum eius sacrum sepulchrum. Est sepulchrum hoc è solo eleuatum in formam altaris, opertum tabula marmorea (huic similia sunt duo alia, de quibus statim) estque in plaga Occidentali. In eo venerabile corpus honorificè fuit tumulatum, vt docet vetus traditio, cùm primùm sanctus Doctor Bethlehem ad Præsepe Domini ad æternam gloriam, relicto corporis ergastulo, euolauit. Posteà Romam in Basilicam S. Mariæ ad Præsepe translatum est, vt dicitur in Romano Breuiario & Martyrologio die 30. Septembris, & 9. Maij, quando illius Translationis memoria celebratur.

Illius corpus Romam translatum.

CAPVT XIX.

De sepulchro S. Paulæ Romanæ eiusque filiæ Eustochij virginis, quod duodecimo loco in secunda Peregrinatione colitur.

ERegione sepulchri S. Hieronymi & in plaga Orientali sacri antri est alterum, quod S. Paulæ Romanæ & eius filiæ Eustochij virginis appellatur; quoniam harum sanctarum mulierum corpora ibi sepulta fuisse traditio est; & notauit Vincentius Belluacensis in Speculo histor. lib. 31. cap. 65. Bethlehem enim ad Præsepe Domini ex hac mortali vita ad immortalem alteram euolarunt. De Paula sequentia leguntur in Romano Martyrol. die 26. Februarij, quo tempore eius Festum colitur: *Apud Bethlehem Iudæ dormitio sanctæ Paulæ viduæ, matris Eustochij virginis Christi: quæ cùm esset è nobilissimo Senatorum genere, renuntians sæculo, & facultates suas pauperibus distribuens, ad Præsepe Domini se recepit. vbi multis virtutibus prædita, & longo coronata martyrio, ad cælestia regna transiit: cuius vitam virtutibus admirandam sanctus Hieronymus scripsit.*

Sepulchri Paulæ & Eustochij nominis ratio.

De Eustochio verò ibidem die 28. Septembris: *Sanctæ Eustochij virginis, filiæ beatæ Paulæ, quæ ad Præsepe Domini cum aliis virginibus enutrita, præclaris meritis fulgens migrauit ad Dominum.* Plura de his habes in Notis Baronij, & Auctoribus ibi notatis.

Hoc sepulchrum S. Hieronymus in honorem S. Paulæ elegantibus versibus exornauit,

Digitized by Google


ICHNOGRAPHIA ECCLESIÆ ET CON V
32
31
21
23
24
C
D
19
22
13
17
18
20
25
15
16
B
7
8
5
29
26
27
E
30
28
2

...NTVS S. MARIÆ BETHLEHEM



NOTÆ LOCORVM Præsentis Ichnographiæ.

1. Porta jux ingressus ad sanctum Locum.
A. Platea Ecclesiæ.
2. Cisternæ.
3. Schola S. Hieronymi.
4. Vestibulum Ecclesiæ.
5. Cisterna S. Catharinæ.
B. Ecclesia S. Catharinæ Virginis et martyris.
6. Altare S. Catharinæ.
7. Chorus Ecclesiæ.
8. Descensus ad Basilicam Nativitatis Domini.
C. Basilica Nativitatis Domini.
9. Vbi Christus natus est.
10. Vbi reclinatus in præsepio.
11. Vbi adoratus à Magis.
12. Altare S. Josephi.
13. Altare SS. Innocentium.
14. Altare S. Eusebij Abbatis.
15. Vbi S. Hieronymus transtulit Biblia.
16. Sepulchrum sancti Hieronymi.
17. Sepulchrum SS. Paulæ et Eustochij.
18. Ascensus ad Ecclesiam S. Catharinæ.
D. Ecclesia S. Mariæ Bethlehem.
19. Altare majus.
20. Altare trium Regum.
21. Altare Circumcisionis.
22. Cisterna Regum.
23. Descensus ad Basilicam Nativitatis.
24. Baptisterium.
25. Porta Conventus.
E. Conventus.
26. Peristylia Monachorum.
27. Ascensus ad refectorium, et alia loca.
28. Refectorium fratrum S. Hieronymi dictum.
29. Sacristia et alia habitacula.
30. Viridarium.
31. Sacellum Græcorum.
32. Turris Ecclesiæ et alia Græcorum habitacula.
33. Armenorum Domus et loca.

Digitized by Google

Digitized by Google

Illud versibus exornauit sanctus Hieronymus. Caret corporibus & versibus.

nauit, vt in eius epitaphio ad Eustochium virginem indicat idem sanctus Doctor. Verùm in præsentia, vt sacris illis pignoribus spoliatum dicitur, ita epitaphium versusq; non amplius ibi leguntur; quos tamen ex eodem citato Hieronymo hîc subijciam ad honorem sanctissimæ mulieris, & ad deuotionem erga ipsam excitandam.

TITVLVS SEPVLCHRI.

Scipio quam genuit, Pauli fudere parentes,
Gracchorum soboles, Agamemnonis inclyta proles,
Hoc iacet in tumulo, Paulam dixere priores;
Eustochij genitrix, Romani prima senatus,
Pauperiem Christi & Bethlehemitica rura secuta est.

In fronte speluncæ.

Aspicis angustum præcisa rupe sepulchrum?
Hospitium Paula est, cælestia regna tenentis.
Fratrem, cognatos, Romam patriamq; relinquens,
Diuitias, sobolem, Bethlehemiti conditur antro.
Hîc Præsepe tuum Christe, atque hîc mystica Magi
Munera portantes, hominiq; Deoq; dedere.

CAPVT XX.

De sepulchro sancti Eusebij Abbatis Cremonensis, quod decimotertio inuisitur loco in secunda Peregrinatione.

FActa commemoratione sanctæ mulieris Paulæ, & Eustochij virginis eius carnalis & spiritualis filiæ, ad earum sepulchrum; reuertuntur pij fideles ad alterum S. Eusebij Abbatis tumulum, vacuum etiam sacro pignore; vbi Deum & Sanctum, vt in aliis, venerantur: De sancto isto Eusebio aliqua hîc notabo; tum quia non tam celebris est illius memoria vt aliorum Sanctorum quorum in his locis fit commemoratio; tum quia aliqui errauerunt, existimantes ipsum esse vnum ex pluribus Sanctis qui Eusebij nomine in Romano Martyrologio notantur; cùm tamen in eo, quòd sciam, nulla extet commemoratio.

Frater Philippus Ferrarius Alexandrinus, Ordinis Seruorum S. Mariæ, in suo Catalogo Sanctorum Italiæ de isto Eusebio die 5. Martij quæ sequuntur ex grauibus Auctoribus retulit: *Eusebius ciuis Cremonensis, à teneris pietatem colens, relictis parentibus, opibus & patria, in Palæstinam profectus est: vbi factus Monachus sub sancto Hieronymo, eos breui tanto Doctore fecit progressus, vt ab eo Cœnobio Bethlehemitico Abbas præficeretur. Quo in munere præclarè sanctèq; ita se gessit, vt mortuo magistro tres defunctos, cilicio S. Hieronymi illis admoto, reuocarit ad vitam: quo miraculo hæresim eo tempore circa animæ statum post mortem excitatam, multis Episcopis & Abbatibus conuocatis mirabiliter extinxit. Post magistri excessum biennio vixit: cùm vita terminus adesset, febri correptus, sacrum Viaticum sumpsit, saccoq; S. Hieronymi indutus, in terra, fratres ad patientiam & obseruantiam hortatus, triduo iacuit; loquelâ deinde & visu destitutus, palàm cum humani generis hoste conflixit: contra quem hæc verba proferre ab astantibus audiebatur: Non faciam; mentiris. Demum cùm S. Hieronymus aduersus damonum aggressiones ei adfuisset, obdormiuit in Domino. Corpus ad præceptoris sui corpus appositum est (id est, prope ipsum) ad cuius contactum Monachus cæcus, antequam humaretur, visum recepit, & demoniacus liberatus est, ex Pet. in Catalog. Sanctorum lib. 7. cap. 64. Agit & Baron. de S. Eusebio Tom. 5. Annal. Ecclesiast. ad annum Domini 394. quo Eusebium vnà cum Paulino, S. Hieronymi fratre, ad vrbem Sericio Papa venit.* Hæc ille.

Eusebius Ierosolymam peregrinatur: fit Monachus & Abbas.

Tres suscitauit mortuos.

Graui morbo decumbit, & cum hoste pugnat.

Pij obijt, & prope S. Hieronymi sepulchrum tumulatur.

Et in Annotatione quæ sequuntur addit: *Hac die* (scilicet 5. Martij) *S. Eusebius Abbas ab Ecclesia Cremonen. colitur; cùm tamen de eo Pet. in Catalog. loco citato ad diem 14. Augusti agat. Petrum diem obitus ignorasse puto; egisse autem de eo, qua die de alio Eusebio agitur.*

Super hoc sepulchro, & aliis Sanctorum Hieronymi, Paulæ & Eustochij, Missa celebratur, & Officium ad eadem solemniter decantatur in diebus solemnibus horum Sanctorum, confluentibus etiam ad festiuitates Fratribus ex Ierosolymis. Ex isto sepulchro reuertitur processio ad altare maius Ecclesiæ sanctæ Catharinæ, ibiq; fusis precibus terminatur. Et hæc de locis huius secundæ Peregrinationis satis.

Hîc inserenda Ichnographia Ecclesiæ & Conuentus S. Mariæ Bethlehem.

PEREGRINATIO III. *in qua recenſentur & explicantur octo loca, quæ circa Bethlehem & locum Natiuitatis Domini viſuntur.* I. *Antrum S. Mariæ Virginis, & Eccleſia ſancti Nicolai.* II. *Monaſterium ſanctæ Paulæ Romanæ.* III. *Domus ſancti Ioſeph.* IV. *Villa paſtorum.* V. *Vbi Chriſti Natiuitas fuit paſtoribus nuntiata.* VI. *Ciuitas Thecua.* VII. *Laura & Monaſterium ſancti Sabbæ Abbatis.* VIII. *Engaddi denique deſertum, & antrum in quo Dauid delituit.*

CAPVT PRIMVM.

De Antro ſanctæ Mariæ Virginis, & Eccleſia ſancti Nicolai, primo loco tertiæ Peregrinationis.

Antri ſanctæ Mariæ forma.

NOn longè à ſacratiſſimo antro Natiuitatis Domini, & Eccleſia ſanctæ Mariæ Bethlehem, in eius plaga Auſtrali extra Bethlehem eſt quidam locus ſubterraneus, in quo tria cernuntur loca in rupe exciſa, & in medio vnius ex iſtis eſt altare, vbi pietatis ergò Miſſa aliquando celebratur ob memoriam myſterij, de quo ſtatim.

Eccleſia S. Nicolai nuncupatum.

Locus iſte appellatur communiter ab iſtarum partium incolis antrum, vulgò *Grota* beatæ Mariæ Virginis, & Eccleſia ſancti Nicolai. Mentionem huius inueni in quadam Bulla Gregorij XI. in qua conceditur facultas Fratribus ſancti Franciſci ædificandi pro vſu & habitatione eorum locum prope capellam ſancti Nicolai iuxta Bethlehem, cum cœmeterio, campanili, domibus & neceſſariis officinis, non obſtante conſtitutione Bonifacij VIII. & aliis quæ ponuntur in Bullis Apoſtolicis pro locis capiendis. Et in quodam vetuſto manuſcripto locorum Terræ ſanctæ, vbi recenſentur loca quæ circa Bethlehem viſuntur, hæc de iſto leguntur *Item Eccleſia ſancti Nicolai, in qua eſt crypta, in qua fertur latuiſſe beatiſſimam ſemper Virginem Mariam cum puero Ieſu.*

Ratio nominis.

De ratione nominis & myſterio ibidem operato, terræque huius antri virtute, hæc accipe. Appellatur Antrum ſanctæ Mariæ Virginis, quoniam in eo ſanctiſſimam Dei Matrem poſt Filij ſui puriſſimum partum latuiſſe dicitur cum puero Ieſu: ac ibi aliquando ſolitaria contemplationi vacabat: factumque aliquando fuit, vt ibidem ex eius ſacratiſſimis & fecundiſſimis de cælo plenis vberibus lac prodierit, terramque illius aſperſerit, ex quo magnam virtutem accepiſſe contra corporis infirmitates certò creditur, & experientia comprobatur: & ex iſto euentu, terra inde accepta lac beatæ Mariæ Virginis nuncupatur; præſertim quia elaborata, candidiſſimi coagulati lactis ſpeciem retinet. *Terra lac B. Virginis dicta.*

Quomodo elaboretur.

In hunc verò modum perficitur: Excauatur terra ex hoc antro, quæ potiùs rubra eſt quàm alterius coloris, pilâ contunditur, & in minutiſſimum puluerem reducitur; & in vaſe poſita, aquâ abluitur & purgatur, quæ extracta & ſoli expoſita induratur ipſa niue albior, & lacti ſimillima euadit; ac ideò lac beatæ Virginis Mariæ appellatur: quæ deinde in puluerem redacta, propinata in potum mulieribus, lactis præſertim defectum patientibus, & aliis obnoxiis infirmitatibus, Deus benedictus illis lac, iſtis confert ſanitatem, meritis beatæ ſemper Virginis Mariæ. *Virtus & vſus.*

Virtus eius ſupernaturalis.

Nec virtus eius naturalis eſt: ſemper enim operaretur etiam fide & pietate ſecluſa, quod non eſt verum; ergo gratuita & ſupernaturalis. Tantaque eſt illius virtus ex illius pio vſu comprobata, vt nedum fideles, ſed etiam infideles mulieres, Turcæ & Arabes lacte carentes, ex eius ſumptione lactis beneficium conſequantur: iſtæ ſumunt ſimplicem, vt ex antro accipiunt. Et propter tanta quæ continuò ex iſta benedicta terra percipiuntur beneficia, vtque fidelium pietati ſatisfiat, tanta fuit ex antro ablata, & in dies aufertur, vt ex paruo & vnico antro, quale erat antiquitus, vt ab oculatis teſtibus accepi, magnum & triplex effectum ſit: quin, quod diſplicet, tanta terra in vno excauata eſt, vt dum pluit, in ipſum aqua deſcendat, & columnâ eiuſdem fornicem ſuſtentari neceſſe fuerit.

Nec cuiquam impoſſibile videri debet, Deum terræ iſtius interuentu tanta cónferre beneficia; nam & ſimilia fecit in gratiam aliorum Sanctorum terræ alteri illorum contactu ſanctificatæ. Sed ad huius confirmationem vnicum dumtaxat ſatiſque notum beneficium referam conceſſum terræ Melitæ in gratiam D. Pauli, cuius meminit Cardinalis Baronius Tom. 1. Annal. Eccleſ. ſub ann. 158. poſtquam enim locutus eſt de vipera ab Apoſtolo ſine læ- *Terra huic alia meritis S. Pauli Melita ſimilis.*

ſione

sione ab eius manu excussa, de qua Act. 28. sequentia de virtute terræ illi concessæ subiungit: *Vt virtus à se Pauli gratia insula illi concessa magis magisq; innotesceret; nec naturali eius loci proprietati adscriberetur, quod ex eo tempore fuit loco diuinitus impertitum; nimirum vt serpentes omnes venena caverent, & quantumlibet aliquem momorderint, nihil prorsus inferant detrimenti. Si enim olim à natura, sicut aliis locis, id datum fuisset; cur loci incolæ tam certi erant de interitu Pauli? sed & terra ibi contra venena parat antidotum.* Si ergo Deus terræ Melitensi in gratiam Apostoli illam conculit virtutem; quare non credemus, in gratiam Deiparæ Virginis terræ nostræ, benedictæ Christi & eius Matris præsentia, & lacte sanctificatæ Deum similem & multò maiorem concessisse virtutem?

Armenorū de lacte Deiparæ traditio.

Adducta traditio robur accipit etiam ex quadam antiqua Armenorum historia; in qua, vt referunt Gratianus in Vita sancti Ioseph, nec non Castro in Vita Deiparæ Mariæ, quòd dum in parandis necessariis Iosephus moraretur, Deipara in specu latuerit inter Meridiem & Austrum ad iactum lapidum duorum à Bethlehem semota; dumque Deo infanti mamillam porrigeret, lactis guttis in durum speluncæ lapidem effusis, ita eum emollitum ac candidum effectum, vt instar candidissimæ terræ in puluerem tenuissimum conuersus sit: ex qua lota panes paruuli conficiuntur, quibus ad morborum diuersorum sanitatem, præsertim lactis feminarum contractionis, omnes vtuntur; & *Lac Domina nostra* ab eis nominatur: imò etiam saxa illa in puluerem redacta, & in aquam missa pecudibus propinantur, ne lac eis deficiat. Hæc prædicti Auctores, quæ à Græcis & Latinis acceperunt, & ab his, qui de Locis sanctis scripserunt, contestantur.

Supponunt citati Auctores, beatam Mariam Virginem primò ex Bethlehem discessisse quando abiit in Ægyptum; at discessisse primò ex Nazareth, communior probabiliorque habet opinio; & nos sequenti Libro de Nazareth agentes dicemus. Quare memoratum factum contigisse credendum est, vel dum Deipara proficiscens in Ægyptum, & ad sanctissimum locum Dominicæ Natiuitatis diuertens, in ea specu delituit; vel alia occasione, dum morabatur in Bethlehem post suum purissimum partum, antequam in suam ciuitatem Nazareth purificata proficisceretur: ideò dictorum traditio tamquam bona tenenda, sed occatio non similiter vera relinquenda.

Olim supra antrum Ecclesia ædificata erat.

Supra hoc antrum pij fideles ad honorem Deiparæ Monasterium cum Ecclesia ædificarunt, vt fundamenta & ossa mortuorum ibi & circa inuenta ostendunt: & creditur fuisse vnum ex illis quæ sancta Paula Romana ædificauit; in quo Deo consecratæ Virgines & aliæ castissimæ mulieres habitarunt, vt probabilis habet harum partium traditio. Ecclesia supra specum erecta dicebatur sancti Nicolai; & ideò locus iste sacer modò Antrum sanctæ Mariæ Virginis, modò Ecclesia sancti Nicolai appellatur; pro vno enim habentur. Et hæc cùm rationi vel auctoritati non aduersentur, & sint pietati consona, piè etiam credenda sunt.

CAPVT II.

De Monasterio sanctæ Paulæ Romanæ, secundo loco tertiæ Peregrinationis.

EX specu B. Mariæ Virginis vel Monasterio Fratrum Orientem versus procedendo, parum declinando ad Aquilonem, integro milliario confecto, occurrit locus in valle quidem, sed situ parum eleuatus, qui appellatur Monasterium sanctæ Paulæ; dirutum quidem & demolitum. Sunt ibi plures ruinæ & ædificiorum fundamenta, integra cella, siue sacellum cum cisternis: ex quibus non obscurè diiudicatur, illustre & egregium Monasterium olim ibidem extitisse.

Claudij præsens Monasterij S. Paulæ.

Ad nominis huius Monasterij intelligentiam obseruandum est ex D. Hieronymo in Epitaphio Paulæ matris ad Eustochium virginem, Paulam Romanam genere quidem illustrissimam, sed Christiana pietate illustriorem, post viri sui obitum, Roma relicta, mirabili animi constantia, ipsis etiam libens relictis, cum sola Eustochio sibi dilectissima filia venisse in Palæstinam: vbi postquam magna pietate perlustrasset eius loca sancta, se recepit Bethlehem ad Præsepe Domini, vbi tunc morabatur earum spiritualis Pater sanctus Hieronymus: ibique quatuor ædificauit Monasteria; pro viris alterum; & tria alia pro sanctis virginibus aliisque à mundo segregatis mulieribus, quarum ipsa fuit spiritualis mater: ex quibus die tantùm Dominico discedentes ad Domini nostri Præsepe virgines illæ, velut in agmina distributæ, earum matres sequebantur; viuebant verò à viris adeò seperatæ, vt ne spadonibus quidem ad eas liceret accedere: & præ parietum altitudine nullus furtiuus ad eas aditus erat. Alia pleraque scitu dignissima citato loco prosequitur D. Hieronymus. In his Paula & Eustochium, aliæque sanctissimæ Deo sacratæ mulieres, carnis ergastulo soluto, ad

Ratio nominis.

S. Paulæ apud Bethlehem quatuor ædificauit Monasteria.

Virginum Deo apud Bethlehem votarū pietas, & à viris sequestratio.

perennem in cælis gloriam euolarunt. Et quoniam conſtanti communiq́ue traditione creditur, in memorato loco fuiſſe ædificatum vnum ex dictis Monaſteriis, & pro mulieribus, & in quo ſingulariter habitauit ſancta Paula, ab ea Monaſterium ſanctæ Paulæ appellatur: & ob ſingularem in ſanctam iſtam & alias ſanctas mulieres deuotionem, à piis fidelibus inuiſitur & colitur. Nunc à longè cognoſcitur ex ibi plantata ſiliquarum arbore, vulgò *Caroba* nũcupata.

CAPVT III.

De domo S. Ioſeph ſponſi B. Mariæ Virginis, tertio loco tertiæ Peregrinationis.

DIſtat circa medium milliare à Domini Præſepi, ad Orientem verſus Meridiem declinando, ſacellum quoddam dirutum, quod ab harum partium Chriſticolis appellatur domus ſancti Ioſeph, ſponſi ſanctæ Dei Genitricis Mariæ; & ſemper hanc retinuit appellationem.

Ratio nominis domus Ioſeph.

Ratio verò communiter receptæ traditionis domus eſt, quia creditur ſanctum Ioſeph fuiſſe regionis Bethlehemiticæ incolam, & ibi domum ad habitandum habuiſſe. Traditioni duo ſuffragari videntur; alterum, quòd ſanctus Ioſeph erat de tribu Iuda, de ſtirpe & familia Dauid, & ex Bethlehem oriundus, vt docet Gregorius Nyſſenus Oratione de ſancta Chriſti Natiuitate: alterum quod ſcribit Nicephorus lib. 1. Hiſtor. cap. 3. *Parentes Domini rediiſſe Nazareth è Bethlehem poſt Chriſti Natiuitatem, propter eam quæ tunc ibi erat eis ſubſtantiam & poſſeſſionem: Vtrobique enim*, inquit, *habitabant; quòd vtroque loco prouentum aliquem (vt coniicere licet) haberent.* Quæ ſi ita ſe habent, fieri poteſt hanc domum cum aliquo fortè prædiolo ad Ioſeph pertinuiſſe ſorte, vel meliùs hereditate; & conſequenter poſteà in ſacellum conuerſam, eiq́ue à piis fidelibus dicatum, domus ſancti Ioſeph appellatum eſſe. Eius longitudo eſt palm. 47. latitudo 26.

Aſſerunt aliqui, in hac domo admonitum fuiſſe in ſomnis Ioſephum ab Angelo, vt vnà cum puero Ieſu & Matre eius fugeret in Ægyptum, propter futuram Herodis perſecutionem: de quo Matth. 2. Sed hoc non poſſe ſubſiſtere, ex infrà dicendis Libro VII. Peregrin. II. Cap. VI. apparebit.

Tria argumenta contra allatam traditionem.

Primum.

Tria nihilominùs propoſitæ traditioni refragari videntur. Primum, quòd ſanctus Ioſeph pauper erat, quiq́ue arte fabrili laborando victum ſibi comparabat, & ex Nazareth oriundus, vt plures arbitrantur: & dicemus Libro ſequenti de Nazareth agentes.

Secundum.

Secundum, quia non in Bethlehem, ſed in Nazareth habitaſſe conſtat ex Euangelio.

Tertium.

Tertium denique, quia ſi in aſſignato loco domum habuerit, cùm ex Nazareth venit Bethlehem cum ſanctiſſima Virgine, vt deſcriberetur ſub Auguſto Cæſare, ad eam diuertiſſet; præſertim loco in ciuitate non inuento, frigido tempore, & inſtante feliciſſimo optatiſſimoq́ue partu ſuæ dilectiſſimæ ſponſæ Virginis Mariæ; & non ad publicum præſepium & ſtabulum animalium diuertiſſet.

Reſponſio ad argumenta.

Verùm hæc non cogunt, vt communem veteremq́ue commemoratam traditionem relinquamus: non primum; quia

Ad primum.

licet pauper fuerit, non cogimur exinde aſſerere, adeò inopem fuiſſe, vt domunculam prædiolumq́; habere non potuerit, ſed nihilominùs arte fabrili laboraſſe, tum vt honeſtè viuere poſſet, tum ad otium pellendum; tum denique vt haberet vnde tribueret neceſſitatem patienti. Lege Suarez in 3. Part. S. Thom. Tom. 2. q. 37. diſp. 17. ſect. 3.

Ad ſecundum.

Nec obſtat ſecundum: in primis, quia admiſſo ſanctum Ioſephum fuiſſe ex tribu Iuda & familia Dauid, & ex Bethlehem oriundum, & domus huius poſſeſſorem, ipſamq́ue aliquando inhabitaſſe; fieri tamen potuit, vt ipſe neceſſitatè, vel neſciens quod futurum erat, eam à ſe alienarit, vel aliis locarit, & eâ cum patria relictâ, ſe contulerit ad habitandum in Nazareth ciuitatem Galilææ. Quemadmodum antiqui Patres huius præceſſores, neceſſitate vrgente, domos & patriam reliquerunt, vt Abraham, Iſaac & Iacob; & Elimelech cum Noëmi vxore ſua, & duobus filiis, tempore famis, propria ciuitate Bethlehem relicta, profectus eſt in regionem Moabitidis; ita ob ſimilem rationem potuit ſanctus Ioſeph reliquiſſe propriam domum & patriam, atque Nazareth ad habitandum abiiſſe.

Vel dicatur ſecundò cum Nicephoro vbi ſuprà Cap. x. abiiſſe in ciuitatem Galilææ Nazareth ad habitandum, relicta quam habebat in Iudæa domo; quòd Iudææ regio proximis continuis bellis nunc in huius nunc in illius poteſtatem tranſiiſſet.

Ad tertium.

Ex his ad tertium: non mirum ſi ad hanc domum non diuerſit, quando venit Bethlehem vt profiteretur cum Maria Deipara, quia in ea ius habitandi non habebat; habuit tamen aliàs & inhabitauit, ac ideò vt talis honoratur & colitur, & aſſumptas ex ea particulas pro ſacris Reliquiis

quiis conseruant fideles, ibiq́ue sanctæ Dei Genitricis Sponso se commendant.

Ad minus fuit Basilica Deiparæ Sponso dicata.

Denique si hæc non placent, dicatur fuisse Basilicam à piis fidelibus ad honorem sancti Ioseph ædificatam; diciq́ue domum S. Ioseph, more Scripturæ, quæ templa & alia habitacula domos appellat. *Domus mea domus orationis est*, dicitur de ipso Salomonis templo. Et hoc videtur indicare Nicephorus Callistus lib. 8. cap. 30. dum loquens de templis ab Helena ædificatis in Palæstina, inquit: *Sanctis item infantibus, & vbi Angelus pastoribus lætum attulit nuntium, in eis ipsis locis sacras extruxit ades: infantibus videlicet ipsis, & Verbi Puerpera, nec non aliam quoque sponso Ioseph eidem.* Hæc Nicephorus.

CAPVT IV.

De Villa pastorum, quarto loco tertiæ Peregrinationis.

Conditio Villa pastorum, & nominis ratio.

SVpra sanctissimum Domini nostri Iesu Christi Præsepe ad Orientem versus procedendo, peracto itinere dimidij milliaris, occurrit paupercula quædam villa, paucas domunculas, & pauperes abiectosq́ue continens habitatores; quæ vulgò Villa pastorum nuncupatur. Ratio nominis duplex occurrit: altera, quia pastores illi, quibus nuntiatum est natum esse Saluatorem mundi in ciuitate Dauid, ex ista essent oriundi, vel in ea habitarent.

Altera, quoniam proxima est loco, in quo pastores illi custodientes vigilias noctis magnum illud & felix nuntium receperunt, natum esse Christum Dominum.

Ibi Cisterna B. Mariæ Virginis dicta, & quare.

In ista villa est quædam cisterna, quæ nedum ab huius regionis Christianis, sed etiam à circùm habitantibus Mauris & Arabibus appellatur Cisterna beatæ Mariæ Virginis. Rationem hanc reddunt incolæ huius regionis, quòd cùm per villam istam transiret B. Virgo, sitiq́ue æstuans, aquam petiisset à rusticis & villanis illis, eamq́ue denegassent, & ampliùs illusissent, aqua ex se ad os vsque cisternæ saliit: quæ postquam potum sitienti Virgini præbuisset, ad pristinum statum rediit. Addunt́que, ob Deiparæ irrisionem, numquam habitatores illius prosperatos fuisse, sed semper in deterius abiisse. Vnde vt ad præsens paucissimi & pauperrimi sunt, tales & olim semper extitisse, constanter asseuerant senes huius regionis.

An hæc vera an apocrypha sint, mihi non constat: hoc certum est, non esse Scripturæ vel rationi contraria; nouimus enim Deum olim similia & multò maiora fecisse in gratiam populi Israëlitici, & in dies facere in gratiam seruorum suorum: quare & dictum miraculum facere potuit in gratiam suæ sanctissimæ Matris. Lege ad hæc quæ notamus Lib. VIII. Cap. 11. 1. Peregrinationis.

CAPVT V.

De loco vbi ab Angelis fuit Christi Natiuitas pastoribus nuntiata, & Ecclesia ibidem ad honorem sanctorum Angelorum ædificata, quinto loco tertiæ Peregrinationis.

IN ista regione Ephrata, in qua sunt antè memorata loca, est & alius celeberrimus, vt antiquitus, ita & in præsentia communiter *Locus pastorum* nuncupatus est. *Loci pastorum conditio,*
Hic distat à ciuitate Bethlehem circa vnum milliare & ampliùs, in eius plaga Orientali in eminenti situs, spatiosus & pinguis, olitueta campośque vberrimos continens, tam hominibus quàm iumentis pastum gratum exhibens: & nisi mea me fallit opinio, nulli eorum, quæ circa Bethlehem vel Ierusalem sunt, est fecunditate & amœnitate secundus; & qui primas tenere diceret, à veritate non aberraret. Ab Hebræis *Ader* vocatur, vel *Eder*, & *Guder*, quod Latinè *turris gregis* vel *defectus* interpretatur. Turris gregis secundùm Abulensem Gen. 35. quòd in eo turris aliqua fuerit extructa, iuxta quam pastores pecora pascere solerent: *Locus*, inquit, *qui dicitur turris gregis, est apud Bethlehem. Erat enim ibi aliqua turris, apud quam pastores manebant; & ibi, nato Christo, apparuit Angelus pastoribus*, &c. Eius mentio fit in sacris Litteris & apud probatos Scriptores, vt postea videbimus. *nomina, & interpretatio.*

Acta ibidem. Genes. 35. 21.

In isto loco (vt quæ ibi acciderunt referamus) Iacob Patriarcha, reuersus à Mesopotamia, pauit greges suos: eius filius Ruben violauit concubinam patris sui, vt ait Zegerus; &, pastoribus vigilantibus nocte Dominicæ Natiuitatis, fuit eiusdem Christi temporalis Natiuitas nuntiata, Luc. 2, 10. In cuius mysterij memoriam Helena, piissima Magni Constantini mater, locum nobilissimis illustrauit monumentis: ædificauit enim ibi Ecclesiam ad honorem sanctorum Angelorum, vt tradit Nicephorus lib. 8. cap. 38.

Ecclesia ibi ab Helena ædificata, nunc multùm deuastata.

Ecclesia nunc, tota sub terra delitescit, & non nisi ad eam descendendo videri potest: multùm labefactata, tum antiquitate, tum quia non habitatur; tum denique quia Christiani eam visitantes pietatis ergò particulas ex ea auferunt. Non est tamen adeò labefactata, quin adhuc non cognoscatur

tur qualis fuerit; etenim ferè tota integra manet: est longitudinis 46. palmorum, 27. latitudinis, alta secundùm proportionem.

Eius forma.

Nomen, situs, ratio.

Venerabilis Beda lib. 2. de Locis sanctis cap. 8. huius loci & Ecclesiæ meminit hisce verbis: *Porrò ad Orientem*, scilicet Bethlehem, *in turre Ader, id est gregis, mille passus à ciuitate Bethlehem, segregata est Ecclesia trium pastorum diuinæ Natiuitatis consciorum monumenta continens.* Hæc Beda.

In his verbis duo placet obseruare; alterum, non dici hanc Ecclesiam continere monumenta diuinæ Natiuitatis, cuius conscij facti sunt pastores, vnde primò pastoribus dicata sit Ecclesia; sed quia vbi est ædificata, pastoribus fuit nuntiata Natiuitas, Ecclesiam pastorum appellauit Beda. Sed ad honorem præsertim illorum sanctorum Angelorum fuisse ædificatam, & ex ipsis nomen accepisse diximus ex Nicephoro, & tradit F. Bonifacius lib. 2. de Perenni cultu Terræ sanctæ: & ita inuenitur in vetusto manuscripto libello de Locis sanctis, & apud alios qui de ipsis scripserunt.

Tres fuerunt pastores conscij facti Christi Natiuitatis.

Potuit nihilominùs ad ipsorum pastorum honorem ædificari, quoniam à Deo electi & sancti sunt, &, vt dicit Aymo, horum corpora ibi requiescunt.

Alterum obseruandum est, secundùm Bedam, tres fuisse pastores quibus Domini Natiuitas fuit nuntiata. Fuisse olim hîc Monasterium ædificatum, traditio est; & ex fundamentis ædificiorum & ruinis non obscurè diiudicari potest.

Clarè hæc Adamnanus lib. 2. de Locis sanctis cap. 5. dum ait: *De monumentis illorum pastorum, quos nocte Dominica Natiuitatis cælestis circumfulsit claritudo, Arculfus nobis breuem contulit relatiunculam, inquiens: Trium illorum pastorum in Ecclesia tria frequentant monumenta iuxta lapidem grandem humatorum, quæ mille circiter passibus ad Orientalem plagam distat à Bethlehem; quos in eodem loco nascente Domino, hoc est, prope turrem gregis, Angelica lucis claritas circumdedit: in quo eadem Ecclesia est fundata, eorumdem pastorum continens sepulchra.* In præsentia memoratorum sepulchrorum nec cernitur nec recolitur memoria in hisce partibus.

Ibi sepulti fuere.

Locum hunc ipsi Mauri venerantur.

In isto loco adhuc pastores suos pascunt greges; ipsumque Mauri & Arabes in tanta habent veneratione, vt ibi nata arbusta & oleas præcidere, non audeant: Ecclesiam verò adeò venerantur, vt aliquando in ea lampades accendant, & thus adoleant, vt ego non semel cum aliis obseruaui.

Ader vrbs.

Aduerte etiam, esse vrbem *Ader* appellatam, quam expugnauit Iesus Rege illius interfecto, inquit sanctus Hieronymus de Locis Hebraicis.

Aduerto Ios. 12, 14. in versione nostra istam vrbem *Hared* vocari, & Numer. 21. & 33. & Iudic. 1. *Arad* erat in tribu Iuda ad Australes limites, nec valdè procul à mari mortuo: vbique in Hebr. appellatur *Harad*, & apud Septuag. *Arad* vel *Ared*; præterquam Ios. 12. qui locus ab Hieronymo citatur, vbi, elementis transpositis, apud Septuag. *Ader* dicitur.

CAPVT VI.

Sententia D. Hieronymi de loco pastorum proponitur & defenditur.

AD maiorem explicationem & commendationem dignissimi loci pastorum dictis alia placet subiicere. Eius mentio fit Gen. 35. & Mich. 4. meminerunt etiam, præter Bedam & Nicephorum, D. Hieronymus, Glossa ordinaria, Brocardus & alij. Sed nunc quid de eo dicat S. Hieronymus, audiamus. S. hic Doctor Epist. 27. Torsio 1. in Epitaphio Paulæ enarrans eius peregrinationem, sequentia scribit de loco isto: *Haud procul inde descendit*, id est, à Præsepi Domini, *ad turrim Ader, id est gregis, iuxta quam Iacob pauit greges suos; & pastores nocte vigilantes audire meruerunt, Gloria in excelsis Deo, & super terram pax hominibus bonæ voluntatis. dumq; seruant oues, inuenerunt Agnum Dei puro & mundissimo vellere, quod in ariditate totius terræ cælesti rore complutum est; & cuius sanguis tollit peccata mundi, & exterminatorem Aegypti litus in postibus fugauit.* Hæc loco citato sanctus Hieronymus. & in libro de locis Hebraicis; *Mille*, inquit, *circiter passibus procul*, scilicet à Bethlehem, *est turris gregis, quodam vaticinio pastores Dominicæ Natiuitatis conscios antè significans.*

De Ade D. Hieronymi sententia.

Et in hoc ipso loco fuisse ædificatum Salomonis templum, secundùm opinionem Hebræorum, indicat idem sanctus Doctor in lib. Hebraic. quæst. in cap. 35. Genes. & secundùm propriam refellit, de turri Ader in hunc modum scribens: *Hunc locum Hebræi esse volunt, vbi postea templum ædificatum est; & turrim Ader, turrem gregis significari, hoc est congregationis & cœtus, quod Michæas Propheta testatur, dicens: Et tu turris gregis, nebulosa filia Sion, &c. illoq; tempore Iacob trans locum, vbi postea templum ædificatum est, habuisse tentoria. Sed si sequamur ordinem viæ, pastorum iuxta Bethlehem locus est, vbi vel Angelorum grex in ortu Domini decinit, vel Iacob pecora sua pauit, loco nomen imponens: vel, quod verius est, quodam*

Mich. 4. 8.

Vbi Iacob pauit greges suos.

quodam vaticinio futurum iam tunc mysterium monstrabatur. Hæc S. Hieronymus; & mea sententia optimè.

Reiicitur à Villalpando.

Ioannes Baptista Villalpandus Tom. 3. Apparatus vrbis lib. 3. cap. 7. refragatur D. Hieronymo in eo quod dicit Iacob pauisse gregem in isto pastorum loco: eum ipsiusmet verbis hìc tibi subiicio, quæ talia sunt: *Verùm eum non esse turrim gregis, iuxta quam Iacob tabernacula posuerat, vel eò ipso Euangelistæ testimonio comprobari videtur: nam dum natum Dominum iuxta Bethlehem commemorat, subdit: Et pastores erant in regione eadem vigilantes, & custodientes vigilias noctis super gregem suum. Et ecce Angelus Domini stetit iuxta illos; &c. Hinc ego colligo, non eam esse iuxta quam Iacob resedit aliquantulùm atque quieuit: quoniam postquam titulum erexerat in Bethlehemitica regione charissima Racheli vita functa, egressus inde dicitur absque dubio ex illa regione, ne præsentia monumenti dilectissimæ vxoris memoriam refricans dolorem augeret, lacrymasq; extorquere numquam cessaret; fixitq; tabernaculum suum trans turrim gregis, quæ erat sita in Ierosolymitana regione ad radices montis Moria. In hac fuit sententia Benedictus Arias Montanus: Iacobum enim cùm commoratsset, Rachelem dilectam sponsam vita functam sepulchro donasse in terra Bethlehem, subdit: Atque aliquanto itineris spatio progressus, in Iebusæorum agro trans turrim gregis tabernaculum collocauit. Hæc ille. Et quidem montem Moria, cui proxima est porta gregis, aream fuisse Ornan Iebusæi, satis constat ex sacris Litteris: vocat autem eam Moyses prophetico sermone Turrim gregis; nisi malis, quod magis crederem, vallem Iosaphat, seu Hennon, vtpote pascuis vberrimam, à Iacobo habitationi suæ suisq; pascendis pecoribus electam fuisse; & propterea factum, vt turris in eius vallis altero clino erecta diceretur gregis: cuius rei memoriam conseruantes Ierosolymitani habitatores, portam illam, quæ olim à Dauide extructa fuerat, vt suprà probauimus ex Iosepho, gregis portam dixerunt,* &c. Hactenus fuere Villalpandi verba.

Benedictus Arias Mont. lib. de 12. Genibus c. 19.

Sententia D. Hieronymi defenditur, & argumenta Villalpandi refelluntur

Verùm propter hæc, nullo modo relinquendam arbitramur sanctissimi pariterque doctissimi Hieronymi sententiam, quam sequuntur Brocardus, Adrichomius, Pererius in Genes. & alij, & non tàm probabili ratione, vt anteà vidimus: & tantò magis, quia adducta à Villalpando non illi officiunt, sed proficiunt magis, vt videbimus.

Bethlehem & Ierusalem in regione Ephratæa.

In primis Moysis auctoritas non fauet Villalpando, quòd dicat, *Egressus inde*, non ex illa regione absque dubio; alràs oportuisset ipsum recessisse ex Ierusalem, quoniam in eadem regione Ephratæa sunt Ierusalem & Bethlehem, vt diximus ex Genebrardo Lib. IV. Cap. XIV. 1. Peregrin. quod ille negat. Sed admittatur libentissimè quòd in alia regione sit Ierusalem, & in alia Bethlehem, adhuc non habet intentum Villalpandus; quoniam illæ voculæ *Egressus inde* non significant egressum à regione aliqua, sed è loco vbi sepulta fuit Rachel. sic enim ait in eum locum Gen. Abulensis: *Egressus inde, scilicet de loco in quo sepeliuit Rachelem apud Ephratam; quia ibi mansit aliquibus diebus, faciens tumulum illum magnum de lapidibus politis & dispositis in acutiem alta pyramidis.* Hæc ille.

Sed quare in his alijs immoramur, cùm illi sacra Scriptura manifestè aduersetur? in primis dum dicit, *Egressus*, id est, vlteriùs progressus: at si abiisset in Ierusalem, dicendum fuisset, regressus; quoniam è Ierosolyma priùs recessit, quando ex Mesopotamia venit Iacob vsque ad locum vbi mortua & sepulta fuit Rachel: redeùndo enim ex Mesopotamia in Hebron, priùs Ierosolymitana, deinde Ephratæa regio pertranseunda est. Ac deinde post illa verba, *Egressus inde, fixit tabernaculum trans Turrim gregis*, statim subiicit Scriptura; *Cumq; habitaret in illa regione*, &c. Quid clarius?

Ratio Villalpandi fauet D. Hieronymo.

Secundò, ratio pro sententia Villalpandi adducta, magis facit pro altera D. Hieronymi; inde abiisse, ne præsentia monumenti dilectissimæ coniugis dolor illius augeretur: igitur non debuit redire Ierosolymam, ne cogeretur iterùm illac transire, vt iret ad patrem suum in Hebron, vt, viso dilectissimæ sepulchro, à lacrymis se cohibere non posset: est enim monumentum Rachelis iuxta viam euntibus ex Ierusalem ad Hebron, vt indicatum est. Sed si vlteriùs processit ad locum pastorum, de quo loquimur, dissitum à sepulchro Rachel ad duo millia ria, procedendo versus Hebron, & eundo ad patrem suum, relicto sepulchro à tergo liberabat se ab illius aspectu & doloris causa; & materia gaudij appropinquabat, præsentia dilectissimi patris Isaaci, cuius nutu & Dei voluntate abierat in Mesopotamiam, vt dicitur Gen. 31, 3.

Et præterea non multùm valet illa Villalpandi ratio: etenim Iacob vir prudens secundùm Dei beneplacitum se à lacrymis cohibuisset: optimè enim nouerat, luctum mortui septem dierum, & non continuum esse debere. Eccles. 22, 13.

Deinde locus assignatus à Villalpando pascuæ gregum & quieti Iacob, non est trans locum vbi erat Iacob quando sepeliuit Rache-

Rachelem, ſed citra; trans verò & locum hunc & Ieruſalem eſt locus à D. Hieronymo aſſignatus.

Denique tempore Moyſis, qui hanc ſcripſit hiſtoriam, vel ſaltem Iacobi, non erat Ieroſolymis illa turris gregis, ſed ſi fuit, poſteà ædificata à Ieroſolymitanis ciuibus; igitur de illa non potuit loqui Moyſes. Nec iuuat dicere propheticè fuiſſe locutum; tum quia non apparet neceſſitas, tum quia in ea narratione Hiſtorici perſonâ gerit: & ſi alludere voluiſſet ad turrim ædificandam, illius hiſtorica narratio non fuiſſet percepta niſi ædificata turri; quod alienum videtur à mente & munere Hiſtorici.

Locus paſtorum valle Hennon vberrimus.

Nec ſuffragatur Villalpando congruentia illa, quòd Iacob quieuerit in valle Ioſaphat ſeu Hennon paſcuis vberrima: tum propter dicta; tum quia, ſi ex his quæ nunc videntur licet dijudicare quid olim fuerit, longè vberior & paſcuis abundantior eſt locus ille paſtorum, vt ipſa meridiana luce clariùs hunc & illâ nec lynceis oculis conſideranti patere poteſt: ſuffragatur ergo potiùs quàm refragetur ſententiæ D. Hieronymi Villalpandi ratiocinatio. Quare nec illa ſubſiſtit ratio, turrem & portam illam Ieroſolymitanam gregis appellatam fuiſſe, quòd Iacob illis locum proximum elegerit proſuis paſcendis gregibus; ſed potiùs quia oues ſacrificandæ per eam introducebantur, vt tradunt alij: de quo alibi dictum.

Porta gregis Ieruſalem quare ſic appellata.

CAPVT VII.

Difficultas contrà dicta Capite præcedenti; & Michææ vaticinium aptatur loco paſtorum.

Argumentum, in loco paſtorum templum Salomonis adipiſcatur eſſe.

Dictum fuit Capite præcedenti ex ſententia Hebræorum, in aſſignato paſtorum loco fuiſſe Salomonicum templum ædificatum, ſed falſam illam eſſe. Dicet quiſpiam, non tantùm eſſe Hebræorum traditionem, ſed veram Spiritus ſancti & Michææ prædictionem: etenim adducta Mich. 4. 8. Michææ verba, *Et tu turris gregis nebuloſa filia Sion*, &c. diuus Hieronymus & alij Interpretes in hunc Prophetam communiter illa intelligunt vel de templo Ieroſolymitano, vel de ipſa ſancta Ieruſalem ciuitate.

Reſponſio.

Reſpondeo, S. Hieronymum non negare, templum Domini vel Ieruſalem appellari Turrem gregis, ſed illam eſſe cuius fit mentio citato loco Gen. 35. cùm iſta ſit propè Bethlehem, à qua longè diſtat Ieruſalem & templum.

Nomen Turris Ador de tribus enuntiari poteſt.

Proclariori itaque intellectu dicendum, nomen *Turris Ader* ſiue *gregis* de tribus locis enunciari poſſe; primò de templo Ieroſolymitano & Ieruſalem; ſecundò de quadam turri Ieroſolymitana; tertiò denique de loco paſtorum prope Bethlehem.

De templo Salomonico & Ieruſalem primò.

De templo Ieroſolymitano & Ieruſalem in primis loco citato Malachiæ ad litteram enuntiatur Turris gregis, ſecundùm diuum Hieronymum & alios. De templo quidem, quoniam in modum & figuram turris ædificatum fuit; gregis verò, vel quia illuc religionis cauſa cœtus & congregationes Hebræorum in ſimilitudinem gregum ex omnibus partibus conueniebant; vel, quod magis placet, quòd eò ducebantur greges ouium ad immolandum Deo. Gregis quippe nomen nedum de ouibus, ſed etiam de collectis hominibus enuntiatur in Scriptura. ſit ad hoc vnicum teſtimonium Ezech. 36, 37. *Multiplicabo eos ſicut gregem hominum, vt gregem ſanctum, vt gregem Ieruſalem in ſolemnitatibus eius.* hoc eſt, ſicut multiplicantur ſanctarum hoſtiarum greges in ſolemnitatibus Ieruſalem, &c. vbi de hominibus & gregibus eadem vox dicitur. Et ob hanc ipſam rationem idem nomen Turris gregis dicitur de Ieruſalem; & quia in ea templum ædificatum eſt; & quoniam in eminenti & munito loco montibus vallata, turris dici poteſt.

Gregis nomen de ouibus & collectis hominibus dicitur.

Secundò, de quadam Ieroſolymitana turri.

Secundò dicitur de quadam turri ſic appellata, vt Villalpando placet Tom. 3. Apparatus vrbis c. 7. quòd proxima eſſet portæ ciuitatis per quam greges immolandi introducebantur.

Tertiò, de loco paſtorum Bethlehemitano.

Tertiò denique de loco prope Bethlehem, dicitur Turris Ader, id eſt gregis, vt clare ad litteram Geneſ. 35. vt iam ſuperiùs vidimus; in ſenſu verò ſpirituali & per applicationem Mich. 4. In quem ſenſum eam auctoritatem aptaſſe videtur S. Hieronymus; & primò quidem, vt ſuperiùs Capite v. adductam rationem ex Abulenſi pertranſeamus, quia in eminenti loco ſitus eſt, paſcuis ouium vberrimus, aliisque, vt diximus, abundans. Secundò, quia licet ibi Hebræorum templum non fuerit ædificatum, in quo carnes ouium, hircorum & taurorum immolarentur; fuit aliud Chriſtianorum longè auguſtius fundatum, in quo verus ille Agnus, qui tollit peccata mundi (Deo Patri acceptiſſimum ſacrificium) ſæpiſſimè ab Euangelicis Sacerdotibus in Miſſæ incruento ſacrificio oblatus fuit. Et tertiò, quia ibi non cœtus Hebræorum, ſed Angelorum & Chriſti fidelium iam conuenerunt, & modò conueniunt ad Chriſti venerandam Natiuitatem celebrandam.

Si verò quis cum Adrichomio in Deſcri-

ptione

ptione tribus Iudæ num. 144. Baronio in Annal. Eccleſ. Tom. 1. Beda Luc. 2. Haymone & Paulo de Palacio in hunc Prophetam velit hanc ſententiam intelligere ad litteram de loco iſto paſtorum, aduertet à Propheta præmonſtratam fuiſſe illius loci conditionem, & claritatem, quæ in Chriſti Natiuitate apparuit. Etenim pro *nebuloſa*, Hebraica veritas habet *excelſa*, inquit Palacius: videtur porrò tam excelſa fuiſſe, vt ſæpè nubibus fuiſſet obtecta, ideò nebuloſa vocatur. Quia igitur Domino naſcente in Bethlehem claritas diuina in Præſepio reſplenduit, & ad turrem hanc, vbi paſtores cuſtodiebant vigilias noctis, peruenit, ideò Michæas dicit: O tu Turris excelſa filia & ſubdita Sionis, maieſtas & ſplendida gloria Chriſti, quâ primùm in Iudæa ad te veniet, non continebitur in ſola Bethlehem, ad te claritas pertinget. Dicet infrà Propheta, In Bethlehem Chriſtus naſcetur, nunc dicit, Gloria & claritas militiæ cæleſtis, ac ita regnum Chriſti naſcentis, perueniet ad Turrem gregis. Illud verò, *regnum filiæ Ieruſalem*, credo ita intelligi: Ad te veniet regnum Chriſti, inchoatum in Bethlehem, filia Ieruſalem. Dices, Quorſum Propheta tam expreſſam de Turre gregis fecit mentionem? Certè ob eam cauſam, quâ Deus paſtores in ea Turre paſcentes Angelica gloria illuminauit. Qui cauſam intelligit, quare militia cæleſtis ad paſtores venit, intelliget quare de ea Michæas prænuntiauit. Hucuſque fuere Palacij verba: quæ omnia hîc adſcribere volui, quoniam propoſito noſtro deſeruire videntur, ſi ad litteram vèlis Prophetam locutum fuiſſe dè loco paſtorum.

Conditio loci paſtorum à Michæa præmonſtrata.

Sedenim mihi videntur hæc eadem aptiùs & magis ad litteram accommodari Ieruſalem, & templo altiori & eminentiori loco paſtorum, non tamen tantum vt vſque ad nubes ſe eleuet. Nebuloſa, propter illud quod 3. Reg. 8, 11. dicitur: *Nebula impleuit domum Domini, & non poterant ſacerdotes ſtare & miniſtrare propter nebulam: impleuerat enim gloria Domini domum Domini. Tunc ait Salomon: Dominus dixit, vt habitaret in nebula.* Filia Sion, quia eſt in parte ciuitatis ſic appellata, Pſalm. 9, 15. & 72, 28. & Zach. 9, 9. quòd è monte Sion velut filia naſci videbatur. Et quoniam magis intelligitur dilatari claritas Natiuitatis Chriſti, ſi dicatur vſque ad Ieruſalem & templum perueniſſe, quemadmodum conceptis verbis nos docuit Malachias Propheta cap. 3, 2. & Aggæus cap. 2, 6. dum de aduentu Domini ad templum & eius gloria loquuntur.

Turris Ader quare nebuloſa & filia Sion dicta.

Et multò minùs placet, quod interpretans ex Hebr. nebuloſam excelſam, intelligat de naturali conditione loci & Turris, quòd adeò excelſa fuerit, vt ſæpè nubibus tegeretur. Etenim nec ad præſens nec olim fuit tam eminens Turris: mirum enim eſt, ſi fuiſſet, non adhuc extare aliqua illius fundamenta; quodque illius conditio in Scriptura ſacra, vel à Ioſepho aliiſve probatis Scriptoribus non explicetur.

Arbitror nebuloſam dici myſticè, ad indicandum eo loco nuntiandum paſtoribus obſcurum arcanum Natiuitatis temporalis Filij Dei, qui in veteri lege & templo in nebula habitabat; quique non niſi obſcurè cognoſcitur in hac mortali vita, eodem dicente ad Moyſen: *Non videbit me homo, & viuet.* & ℣ Apoſtolus, *Videmus nunc per ſpeculum in enigmate.*

Deus in præſenti vita non niſi obſcurè cognoſcitur.

Exod. 33, 20. 1. Cor. 13, 12.

Hanc interpretationem didici ex Habacuc Propheta cap. 3, 3. vbi loquens de aduentu Filij Dei in mundum, & Natiuitate in Bethlehem, dicit: *Deus ab Auſtro veniet, & Sanctus de monte Pharan.* Septuaginta pro monte Pharan verterunt, *montem condenſum & vmbroſum.* Ac ſi dixiſſet Propheta ſecundùm aliquorum interpretationem: Chriſtus ab Auſtro veniet, id eſt in Bethlehem naſcetur, & viſibilis veniet ad nos: eſt enim Bethlehem in parte Auſtrali Ieruſalem & Terræ promiſſionis: & Sanctus de monte condenſo & vmbroſo, propter occultationem ſuam: quoniam, vt ait Ioannes, *Deum nemo vidit vnquam.* & *Lucem habitat inacceſſibilem.* Propter quod etiam 3. Reg. 8, 12. & 2. Paralip. 6, 2. dicitur, Dominum habitare in nebula & caligine. & Pſalm. 96, 2. *Nubes & caligo in circuitu eius.* ac denique Iſaiæ 45, 15. *Deus abſconditus*; quia nubecula humanitatis velut ſol nube tectus, eo in loco paſtoribus nuntiandus erat.

1. Ioan. 4, 12. 1. Tim. 6, 16.

Locus paſtorum à Brocardo deſcriptus.

Brocardus in Deſcriptione Terræ ſanctæ 1. p. cap. 7. §. 56. de iſto loco ſic ſcripſit: *Contra Orientem Bethlehem eſt Turris Ader, vbi creditur Iacob poſt Rachelis mortem aliquo tempore manſiſſe. Hîc paſtores hora felicißimi ortus Saluatoris audierunt vocem Angeli: Euangelizo vobis gaudium magnum, & Gloria in excelſis Deo. Quod quidem non niſi diuina ſapientia & diſpoſitione actum eſt, vt ille in loco natus Dei Filius annuntiaretur paſtoribus, in quo ſanctus ille paſtor Iacob commoratus fuerat; à quo deſcenderat ſtella ex Iacob, id eſt Virgo, quæ ſuum & noſtrum peperit Redemptorem.* Hæc Brocardus.

& Gloſſa ordinaria.

Gloſſa ordinaria in cap. 2. primi Paralipomenon loquens de Bethlehem & Ader hæc habet: *Bethlehem ciuitas Dauid in tribu Iuda, in qua Dominus natus eſt, in ſepti-*

mo ab Helia milliario contra Meridionalem plagam, iuxta viam quæ ducit Hebron, vbi sepulchrum Ieſſe & Dauid oſtenditur. Et mille circiter paſſibus procul, Turris Ader, id eſt, Turris gregis, quodam vaticinio paſtores Dominicæ Natiuitatis conſcios antè ſignificans. Hucuſque Gloſſa.

Verba Gloſſæ explicantur.

In quibus verbis duo nota, alterum, Prophetæ vaticinium eſſe iam adductum ex Mich. 4. alterum, quòd *vbi ſepulchrum Ieſſe & Dauid oſtenditur*, poteſt referri ad Bethlehem & ad Hebron, etſi ad Bethlehem commodiùs, quoniam de Bethlehem fit principaliter in præcedentibus mentio: & apud Bethlehem eſſe ſepulchrum Dauid, diximus extremo Cap. 1. Peregrinat. huius Lib. Et ſi hic ſenſus retineatur, oporteret videre quomodo ibi fuerit ſepulchrum Ieſſe, & de Dauid explicare, vel ſecundùm alibi dicta, vel ſtatim ſubijcienda. Si verò eadem verba referantur ad Hebron, cuius immediatè meminit Gloſſa, eſt aduertendum, non eſſe ita intelligenda, vt ſignificare velint, Dauidem ſepultum eſſe in Hebron; nam ex 3. Reg. 2, 10. & 1. Paral. 29, 27. & & Act. 2, 29. conſtat ſepultum fuiſſe in Ieruſalem in monte Sion: ſed vel ſic dicere voluiſſe, in Hebron Dauidem ſibi & patri ſuo ſepulchrum ædificaſſe, quando ſeptem annorum curriculo ibi regnauit, vt dicitur loco citato Reg. ſed tranſlato ſolio Regni ſui in Ieruſalem, ibi, vbi & è vita deceſſit, fuiſſe ſepultum. Vel eſſe mendum typographicum, & particulam copulatiuam & abundare, cuius loco altera ſupplenda eſt, patris videlicet; ita vt vbi legitur, *vbi ſepulchrum Ieſſe & Dauid oſtenditur*, legatur, *vbi ſepulchrum Ieſſe patris Dauid oſtenditur*. Secutus Auctor communem Hebronitarum traditionem, Ieſſe in Hebron ſepultum eſſe: de qua inferiùs Cap. v. VIII. Peregrinat. huius Libri agemus.

Lib. 1v. Cap. III. vii. Pereg.

Ex dictis itaque breuiter colligamus, locum iam deſcriptum paſtorum eſſe illum, cuius ad litteram fit mentio Gen. 35. & ſpiritualiter Mich. 4. ac proinde non colligi ex iſto mentem fuiſſe Prophetæ ibi ædificandum templum Salomonis, quod in inferiori parte vrbis & in filia Sion fuit ædificatum, vt manifeſtum eſt. In quo paſtores qua nocte Chriſtus Bethlehem ex Virgine naſci dignatus eſt, dum cuſtodiebant vigilias noctis, feliciſſimum nuntium ab Angelo receperunt, natum eſſe Chriſtum Dominum in ciuitate Dauid: ſupra quos facta eſt cum Angelo multitudo militiæ cæleſtis laudantium Deum, & dicentium:

Luc. 2, 12. *Gloria in Altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Qui, loco relicto, læti & feſtinantes venerunt Bethlehem, & ex Angelico ſigno inuenerunt infantem pannis inuolutum, poſitum in Præſepio, & quæ ſcribit S. Lucas cap. 2. Quare ſemper locus iſte appellatus fuit locus paſtorum, & Angelus ad paſtores. Qui plura adhuc ſcire deſiderat, conſulat ſacros Expoſitores in cap. 2. Luc. 4. Mich. & 35. Gen. Et dicta pro inſtituti noſtri ratione ſufficiant.

CAPVT VIII.

De ciuitate Thecua, ſexto loco tertiæ Peregrinationis.

Thecua conditio & nominis ratio.

THecua vel Thecue vrbs quondam fuit tribus Iudæ in monte ſita, quam Roboam Salomonis filius reædificauit, atque muniuit, vt ſe contra hoſtes ſuos defenderet, & in regno ſtabiliretur, 2. Paralip. 11, 6. Thecua, ſecundùm nominis etymon, idem eſt quod clangens tuba aut fixa, inquit Gloſſa ordinaria. Tempore Ioſephi iam viculus erat, vt ipſe in fine ſuæ Vitæ, & lib. 5. de Bel. Iud. cap. 7. docet, etiam tempore D. Hieronymi: ſcribit enim ipſe de Thecua in principio cap. 6. Ieremiæ, viculum eſſe in monte ſitum, duodecim millibus ab Ieruſalem ſeparatum. Et in Prologo Amos Prophetę: *Fuit de oppido Thecue, quod ſex millibus ad Meridianam plagam abeſt à ſancta Bethlehem, quæ mundi genuit Saluatorem: & vltra nullus eſt viculus, ne agreſtes quidem caſæ & furnorum ſimiles, quas Afri appellant Mapalia. Tanta eſt eremi vaſtitas, quæ vſque ad Mare rubrum, Perſarumq́, & Aethiopum atque Indorum terminos dilatatur. Et quia humo arida atque arenoſa, nihil omnino frugum gignitur; cuncta ſunt plena paſtoribus, vt ſteriliratem terræ cõpenſent pecorum multitudine. Ex hoc numero paſtorum & Amos Propheta fuit imperitus ſermone, ſed non ſcientia*, &c. Hæc S. Hieronymus. Similia Hieronymo dicit Lyranus in cap. 1. Amos.

Diſtantia eius ab Ieruſalem & Bethlehem.

Zieglerij & Calliſti ſententia improbatur.

Ex D. Hieronymo habemus, recedendum eſſe à ſententia Zieglerij & Calliſti, docentiũ Thecuam diſtare tantùm nouem milliaribus ab Ieruſalem; quoniam diſtat duodecim, ſex ab Bethlehem, & totidem à Bethlehem vſque ad Ieruſalem: Bethlehem enim media eſt inter Ieruſalem & Thecuam. Et abſque dubio magis credendum eſt D. Hieronymo in his partibus verſatiſſimo: cui earumdem incolæ, & illi qui frequenter hoc iter peregerunt, teſtimonium perhibent.

Adrichomius in Iuda num. 236. agens de Thecua, ait quidem diſtare duobus milliaribus à Bethlehem, ſed non ideò recedit à ſententia Hieronymi & communi, ſed ſuffragatur;

Digitized by Google

fragatur ; quia loquitur de milliaribus: quæ ſingula vnius horæ itinere commenſuranda ſunt, vt initio Præfationis in ſuum Terræ ſanctæ Theatrum indicat: & ita vnum illius reſpondebit tribus noſtris Italis, & conſequenter, ſecundùm ipſum, diſtat, vt diximus, ſex milliaribus à Bethlehem.

Ex dictis etiam habemus, deceptum fuiſſe S. Epiphanium in Vita Amos Prophetæ (ſi tamen Epiphanius auctor eſt libri de Vita & interitu Prophetarum) dum ponit hanc Thecuam in terra Zabulon; quæ multò amplius aberat ab Ieruſalem & Bethlehem: & quia certum eſt, Roboam nullum habuiſſe oppidum in tribu Zabulon; vtpote qui ſuper duas tantùm tribus Iudæ & Beniamin regnauerit: quomodo ergo hanc Thecuam reædificaſſet, ſi ſui iuris non erat?

A Thecua Thecuites & Thecueni dicuntur habitatores eius; prudentes habiti: vnde Deus, qui non ſemel hominum diſpoſitioni ſe accommodat, ex ea aſſumpſit Amos ad prophetandum contra decem tribus, id eſt, contra Iſraël: nam contra Iſraël præſertim ſuum direxit vaticinium. Hinc D. Hieronymus ad Marcellam nomine Paulæ & Euſtochij proponit Amos Prophetam videndum: *Etiam nunc buccina paſtorali*, inquit, *in ſua conſpicere rupe clangentem.* Ex Thecua etiam fuit mulier illa quam miſit Ioab ad Dauid pro Abſalom liberatione, quam ſua ſapienti & prudenti ſimilitudine à Rege obtinuit, 2. Regum 14,1. In ea habitationem habuit Propheta Habacuc, qui Danieli in Babylonem prandium detulit, vt ſuprà notauimus Cap. IX. 1. Peregrinat. Thecuæ frequens fit mentio in ſacris Litteris, vt (exceptis iam adductis locis) 2. Reg. 23,26. 1. Paral. 2,24. & 4,5. 2. Paral. 20,20. Ier. 6,1. & 1. Mach. 9, 33. Eſt etiam Thecue nomen proprium viri, vt patet 4. Reg. 22, 14. & 1. Eſdr. 10, 15.

Noſtris temporibus non facilè poſſumus Thecuam ire, propter ibi & in via inhabitantes & diſcurrentes Arabes. Olim à Chriſtianis Græcis habitabatur: ſimilis eſt Bethlehem: eſt ibi Eccleſia, olim quidem pulchra, ſed nunc latis demolita, quæ ſanctus Cotonus appellatur: quo nomine etiam terra ipſa nominatur in præſentia. Ab Engâddi & Bethuliæ monte proximo Bethlehem conſpicitur; &, vt coniectari licet, & ex tetrigenarum aliorumque qui eam diligenter ſcrutati fuerunt relatione, vera credimus quæ retulimus.

Ibi Eccleſia S. Cotoni.

In Martyrologio Romano die 28. Maij fit commemoratio ſanctorum Martyrum Monachorum, qui tempore Theodoſij iunioris à Saracenis occiſi ſunt: quorum ſacras Reliquias accolæ colligentes, ſumma veneratione illas habuerunt. Et in Hodœporico ſancti V Villibaldi dicitur, Thecuæ infantes quondam occiſos fuiſſe ab Herode; & ibi eſſe Eccleſiam vbi requieſcit vnus de Prophetis.

& Monachi martyrio coronati.

CAPVT IX.

De Laura & monaſterio S. Sabbæ Abbatis, ſeptimo loco tertiæ Peregrinationis.

IN Orientali plaga tam Ieruſalem quàm etiam Bethlehem eſt inſigne & memorabile monaſterium Græcorum Monachorum Regulam S. Baſilij profitentium, & illuſtre templum S. Sabbæ Abbati dicatum, à quo monaſterium & templum nomenclaturam accepit: ſed & communi quodam nomine apud Eccleſiaſticos Scriptores Laura appellatur.

Vtrumq; S. Sabbas nominatur; quoniam ſanctus hic Abbas vtriuſque Fundator inclytus fuit, & prouidus pater; Laura verò in Martyrologio Romano, & apud alios, propter multitudinem piorum hominum qui religionis gratia illuc confluebant: Lauram enim Neoterici Græci inſignia dicunt monaſteria, propter magnam hominum copiam, quæ deuotionis ergò inſtar aquarum multarum confluunt, inquit Gloſſarius Epiſtolæ Antiochi Monachi apud Cardinalem Baronium: & verè hac ratione illuc innumeros confluxiſſe ſtatim appaſſebit. Ab eiſdem Græcis ego accepi, illa dumtaxat cœnobia, quæ amplius mille Monachos continebant, Lauram appellari; & tale erat hoc S. Sabbæ, vt dicemus.

Laura & S. Sabbæ loci nominis ratio.

Structura tam monaſterij quàm templi mirabilis profectò eſt per omnem modum, non ſine magno labore & ſumptibus ædificata. Tota ædificij ſtructura ſita eſt ſuper alta & præcipita rupe; ad cuius pedem in imo vallis eſt per quam fluit torrens Cedron: qui incipiens à valle Ioſaphat ad radices montis Oliueti hac tranſit, in Mare mortuum tandem fluens. Et quando ab Ieruſalem illuc proficiſcimur, ſemper iuxta torrentem hunc incedimus vſque ad monaſterium. Locus, in quo ſitum eſt, ſterilliſimus eſt ac ſolitarius valdè; quoniam vbique montes ſteriles prorſus arboribus & herbis ad vſum hominum & iumentorum expertes: vnde omnia ad victum neceſſaria ex Ieroſolymis vel aliis partibus illuc deferuntur. E regione tantùm monaſterij modicum ſolum eſt, in quo modica

Loci ſitus & forma.

Sterilitas

olera seminari possunt; & intra in rupe quædam areolæ olerum ex terra illuc aliunde asportata. Monasterium magnum, multas cuiusque conditionis continens habitationes, & olim multò maius erat, vt eius ingentes ruinæ præ se ferunt: & tale credere necesse est, quoniam in illo quatuor & quinque millia Monachorum habitabant, quos summa cum laude rexit S. Sabbas; in præsentia vetustate & multò magis infidelium rabie multum consumptum est.

Duæ turres vbi exemplo.

In hoc monasterio est magna & eminens turris, in qua, propter Arabum frequentes incursiones, vigiles die noctuque inuigilant: eam ædificasse matrem S. Sabbę, ibi habitantes Monachi affirmant. E regione istius, paucis antè annis, Monachi non sine magno labore & sumptibus alteram ædificarunt, vt commodius vndique videre possint furentes Arabes ad depiædandum accedentes.

Duæ Ecclesiæ maior altera, altera minor.

In eodem monasterio sunt duæ Ecclesiæ, maior altera, altera minor. Illa satis pulchra & iucunda, variis picturis exornata, longitudinis gressuum 45. latitudinis 14. circiter, secundùm proportionem alta. Ista minor est præcedenti magnitudine & pulchritudine, & S. Nicolai appellatur; quam S. Sabbas incoluit cum aliis Monachis.

Locus vbi plura sanctorum Martyrum corpora.

Ibidem in cubiculo vel capella, omnino tamen clausa & murata, iacere corpora sexcentorum Monachorum ab infidelibus pro Christi fide interfectorum, narrauerunt mihi ibi habitantes Monachi, quando sanctum locum inuisi; addideruntque, iussu ipsorum Patriarchæ locum sanctum fuisse omnino clausum, ne sacra illa pignora auferrentur, & in alias partes portarentur. Sanè ibi esse plurium Martyrum & aliorum Sanctorum corpora non est dubio vertendum, considerata tot Monachorum olim ibi degentium irreprehensibili & laudabili vita, & plurium infidelium persecutione; vt statim ex quadam Epistola Antiochi Monachi Palæstini, vitæ sanctitate mirifici & doctrinâ celebris, apparebit.

Sepulchrum S. Sabbæ.

Non longè ab hac minori Ecclesia est sacellum rotundum, in quo est sepulchrum in modum altaris, vbi S. Sabbæ corpus tumulatum fuit: verùm nunc Venetias translatum dicitur, vbi magna deuotione à fidelibus honoratur.

Sanctorum Monachorum cellulæ.

Monachi illi etiam in præsentia ostendunt cellulas S. Ioannis Damasceni, Euthymij, Cyrilli Monachi, aliorumque celebrium virorum qui in Laura doctrina & vitæ sanctitate floruerunt.

Nouitiatus.

Non procul à clausura monasterij monstrantur ruinæ quædam, signa eximiæ fabricæ; fertur que antiquis illis temporibus fuisse locum tyrocinij iuuenum: & Nouitiatus Monachorum appellatur.

Fons sancti Sabbæ.

Ex altera parte, descendendo ex rupe est cauernosus quidam locus, in quo est fons dulcissimæ aquæ; qui necessitatis tempore precibus S. Sabbæ scaturiit: qui tum ob deuotionem in Sanctum, tum ob vtilitatem ex eo prouenientem multùm æstimatur, & fons S. Sabbæ appellatur.

Miraculosè suis.

De isto fonte retulerunt mihi Monachi huius monasterij, superioribus paulò antè transactis annis, quando turrim (cuius suprà mentionem fecimus) ædificabant, tanta siti eos æstuasse, tantamque aquæ inopiam passos, vt locum relinquere, alioque se transferre determinauerint: verùm vni illorum incidit consilium bonum, recurrendum esse ad fontem S. Sabbæ, si fortè illius meritis dignaretur Deus dare venam affluentem aquæ viuæ, qua & recreari & necessitati suæ satisfacere possent. Mirabile dictu, æstiuo illo tempore & arescente prorsus regione properarunt ad fontem, ibique aquas largissimas magna cum lætitia inuenerunt: quibus recreati, mutato consilio, in sancto loco permanentes cœptam turrim perfecerunt.

Solitaria loca olim à Monachis habitata.

In rupe vallis, quæ à monasterio vsque ad Mare mortuum protenditur spatio quatuordecim milliarium circiter, erant olim multa antra & cellulæ, quarum aliquæ & in præsentia cernuntur, in quibus decem millia Monachorum solitariam & in pœnitentia magna, sicut alia quatuor millia in congregatione & monasterio, vitam degebant: quorum omnium S. Sabbas Abbas Pater & Patriarcha inclytus fuit. Adhuc in eadem rupe cernuntur ora cisternarum, in quibus pluuiales aquæ colligebantur. Nunc nullus Monachus extra monasterium, sed omnes intra habitant, numero viginti, & aliquando triginta, quadraginta, & amplius: quorum Abbas cum aliquibus Monachis habitat in Ierusalem in ipsorum Conuentu S. Michaëlis: & ex isto victus defertur habitantibus in Laura: &, Abbate absente, manet alter eius vices gerens. Distat sanctus locus ab Ierusalem duodecim, à Bethlehem octo circiter milliaribus: valdè obnoxius est Arabum incursionibus, vnde non semel Monachi illi coacti sunt illum deserere: in quem irrumpentes Arabes non semel demoliti sunt, & consumpserunt. Dignissimus nihilominùs est vt videatur.

Locus Arabum incursionibus obnoxius.

Illustrissimus Princeps Radziuilius in sua Ierosolymitana peregrinatione Epist. 2. agens de monasterio S. Sabbæ, de Monachis ibidem interfectis aliquando loquitur, qui an ijdem sint, an alij ab illis de quibus

prius

priùs locuti fuimus, mihi est incompertum. sic autem scribit: Narrarunt nobis ibidem Monachi (quod ipsum Ierosolymis quoque audieramus anteà, cùm res sit omnibus decantata) quòd tempore Selimi, secundi Turcarum Imperatoris, erant in hoc ipso monasterio mille Monachi: qui omnes miserabili quodam casu sunt trucidati. Nam cùm Sangiacus quidam nouus officium administrationis Ierosolymis adiret, Monachi huius loci, vt eum salutarent, sibique propitium redderent, viritim gallum gallinaceum pro xenio deferentes, illum accesserunt. Cui cùm tantum hominum numerum (erant autem mille) in vno eodemque habitu, quæ res aspectu fuit periucunda, vidisset, quæsiuit per interpretem, quinam essent: responderunt se Anachoritas sancti Sabbæ esse, & salutatum nouum suum Prætidem venisse, fausta illi precantes omnia: cui cùm propter paupertatem, quam profitebantur, ampla munera deferre non possent, hæc exigua vt animo grato susciperet, ipsisque se clementem & benignum præstaret, orabant. Respondit barbarus, se grato quidem animo munus acceptare; sed tantam Gaurorum (sic enim homines Christianos Turcæ canes appellant) multitudinem in vno cumulo congregatam æquis oculis aspicere non posse. vereri se dicebat, ne sub ipsius administratione Christiani, qui tam numerosi essent, aliquid seditionis molirentur. Maturè obuiam discrimini eundum, & Gaurorum multitudinem minuendam esse. Delectis igitur ex omni numero viginti, quos volebat, reliquos omnes in oculis suis per Ianissaros in frusta concidi crudelissimè iussit: cumque de tam ingenti macello ad Selimum perscripsisset, ab eo collaudatus est, quòd in officio suo diligentem & vigilantem se comprobauerit. Hæc ille.

Barbari crudelis facinus.

Alia à memoratis parum diuersa.

Præter nunc memorata ex visu & relatione ibidem habitantium, placet adhuc aliqua subiicere ex probatis Scriptoribus aliquantum à dictis diuersa. Cyrillus Monachus, qui eodem sæculo quo sanctus Sabbas floruit sanctitate, quique eius vitam cum altera sancti Euthymij scripsit, & in Laura duobus annis quieuit, docet Ecclesiam & turrem operâ Iustiniani Imperatoris ædificatas fuisse, Ecclesiamque D. Mariæ Virgini fuisse dicatam; locumque Lauram appellat, in hunc modum scribens: *Imperator ergo* (Iustinianus) *tanto studio affectus erga huius viri* (sancti Sabbæ) *petitiones, per vniuersum orbem terræ mittit decretum. Et statim Episcopis, Antonio Ascalonitano & Zacharia Pellæ, litteris præcepit imperatoriis, vt visant Palæstinæ quæ fuerant exusta à Samaritanis, & habita ratione eorum tributa allenent: visitent autem templa quoque Sanctorum; & quantum ipsa damnum acceperint à scelerata & audaci manu Samaritanorum, per illorum ipsorum facultates aut publicas repararent pecunias, & in sancta Ciuitate extruant Nosocomium, & annuos ei dent reditus mille octingentorum & quinquaginta aureorum. Quin etiam aliam quoque domum, vt in ea habitarent qui procul illuc veniebant, & Deiparæ templum eleganter exstruant & exornent, & præsidium prope Lauram muniant, vt inimicorum insultibus esset tutum Monachis refugium.* Hæc Cyrillus apud Surium Tomo 6.

Claruit S. Sabbas an. Dom. 510. cuius Vitã habes apud Sur. To. 6. die v. Decembris.

Aduertendum, non difficile esse conciliare dicta Cyrilli cum allata traditione: si enim hæc habet, sanctum Sabbam ædificasse monasterium & eius Ecclesiam, intelligendum est consilio & exhortatione; at Iustinianus imperio & sumptibus perfecit. Dicata fuit Ecclesia sanctæ Mariæ; sed fieri potuit, vt post sancti Abbatis obitum totum illud celebre opus ab insigni fundatore nomen obtineret; quia etsi non à fundamentis erexit, aliquid circa illud effecit. Potuit etiam sanctus locus aliquo tempore vtroque nomine appellari, sanctæ Mariæ & sancti Sabbæ; sed postea temporum mutatione, posterius nomen retinuisse, ad distinctionem aliorum locorum siue Ecclesiarum quæ in his partibus titulo sanctæ Mariæ intitulantur. *Conciliatio.*

Sed de mirabili viuendi ratione Monachorum qui in Laura floruerunt sub Heraclio Imperatore, & de quadraginta quatuor à Saracenis ibidem martyrio coronatis, octo diebus antequam à Chosroë Persarum Imperatore vastaretur Syria, & sancta Ierosolyma caperetur, sequentia accipe ex Epistola Antiochi Monachi superiùs commemorati (qui ea floruit tempestate, & fuit in Laura) quam scripsit ad Eustathium: & quoniam eius exordium minùs integrum habetur in Antiocho Latinitate donato, & in lucem edito, defectum ex Vaticano Codice integro suppleuit Cardinalis Baronius Tom. 8. Annal. Eccles. an. Christi 614. illam ergo ex ipso hic subscribimus. Epistolæ huiusmodi titulus præfixus est:

Epistola Antiochi Monachi Laura Sabbæ Abbatis ad Eustathium præpositum monasterio Dataleæ Ancyræ ciuitatis Galatiæ.

Cùm ad me scripseris Eustathi Pater venerande, te magna affici molestia, dum è loco ad locum, & è regione in regionem migrare cogeris, metu vigentis Chaldæorum calami-

tatis, fame etiam & siti laborare, non panis & aquæ, sed, iuxta * Euangelicum dictum, verbi Dei, cùm neque libros circumferre positis, neque ita facilè in locis, in quibus exulatis, quæ vultis inuenire valeatis: cumq; mea præceperis humilitati, vt Epitomen aliquam diuinarum Scripturarum ad te mitterem, quæ neque circumferendo grauis esset præ magnitudine, neque sui tenuitate in ea aliquid eorum, quæ ad vtilitatem & salutem animæ faciunt, desideraretur; obtemperaui libenter tuis mandatis, & quamprimum, quod petis, faciendum curaui. E sacra igitur Scriptura centum quinquaginta excerpsi capita iuncta quidem simul, inuicem tamen ita distincta, vt qui ea legerit, nulla confusione trahatur. Et hæc tuæ misi pietati: quæ cùm acceperis, Deo quam par est gloriam & gratiarum actionem reddas, qui suam virtutem imbecillis impertitur, vt in infirmitate perficiantur. Tu verò contrà tuis Deo gratis precibus nos foueas, vt, quod reliquum est nobis vitæ tempus, iuxta Dei voluntatem peragere possimus. Si verò aliquid (vt facilè fieri potuit) imperfectum offenderis, ignoscas, quæso te, meæ tenuitati; tum etiam temporis angustiæ tribuas, quæ tuis mandatis volui obtemperare.

* Propheticum

Quoniam verò illud præterea scripsisti, vt tibi aliquid diceremus de sanctis Patribus nostræ Lauræ, an vera sint, quæ à nonnullis audisse dicis, de eorum videlicet vita & nece, cùm vix illa credi possint, & sensum omnem superent; necessarium propterea duxi, breuibus tibi priùs aperire quæ ad illos attinent, ea deinceps subiicere quæ diximus sacra Scriptura capitula. De laudabili verò vita eorum in præsentiarum agere, id temporis non postulas, nec mea lingua illa posset facilè percurrere. Illud tantùm dicam, quod reuerà homines erant diuini (si homines tantùm illos oporteat dicere potiùs quàm Angelos, cùm in exercitatione spirituali, & monastica vita, & laboribus, quos pro pietate sustulerunt à iuuentute sua, insenuerint) senes quidem venerandi, & canos capillos habebant, sed mente magis præstabant; & humilitate honesti, modesti, veridici, irreprehensibiles, iusti, pij, ab omni turpitudine & prauitate alieni, omnibus bonis exornati, & diuino repleti amore: nonnulli ipsorum centum excesserunt annos, & quinquaginta sex in quieta & monastica vita cùm peregissent, nec è Laura & Monasterio vnquam recesserunt: nonnulli verò neque ad Ecclesiam processerant, nec ciuitatem amplius viderant, ex quo vitam monasticam semel fuerant amplexati: variis etiam virtutibus emicabant, terrestres scilicet Angeli & cælestes homines: quapropter hunc finem sunt adepti, & victoriæ præmium sunt consecuti.

Miranda viuendi ratio Monachorum Laura.

De horum similium Monachorū Palæstinæ viuendi ratione consule, quæso, Euagrium lib. 1. Hist. Eccl. c. 21.

Cùm enim Ismaëlitæ ad nostrum accessissent monasterium, vna septimana antequam sancta Ciuitas fuisset occupata, & vniuersa Ecclesiæ sacra vasa iam diripuissent, plerique Patres aufugerunt quamprimùm; remanserunt autem in monasterio, qui fortiores Christi fuerant serui, sacrum illum locum deserere nullo pacto volentes. Barbari verò cùm illos comprehendissent, & multos dies illos inhumanè tractassent, & tormentis afflixissent, pecunias hoc pacto se inuenturos putantes, apud quos nihil huius sæculi reperiebatur. Hæc addita sunt ex Codice integro Vaticano: quæ sequuntur, ex versione Tilmani promuntur his verbis:

Affliguntur à Barbaris.

Illi simul atque intellexerunt sua se tandem spe & proposito excidisse, in efferatissimam versi rabiem, ad vnum membratim beatos illos conciderunt. Qui & lætitia incredibili perfusi, ac proinde alacri vultu renidentes, omni cum actione gratiarum animas reddiderunt Domino: quippe non ita pridem in votis habuerant resolui & esse cum Christo. Corpora verò plusquam tragicè cæsa, cùm non paucos dies in humum dissecta sine sepultura beneficio iacuissent, ab Arabia illò vsque adproperauimus. Et quidem eximius Abbas Nicomedes spectaculum illud miserabile cæsorum Patrum contemplatus, deliquio animi concidit, atque illinc relatus mortuus propè est. Modestus præterea & ipse sanctissimus aduentum nostrum cùm auenertisset, & Sanctorum illorum lustrasset priùs habitacula omnia, itidem angore animi contractus, multis se proluit lacrymis, ac sancta quæ eatenus resederant lipsana, hoc est Sanctorum reliquias, circumplexus, in Patrum superiorum deposuit conditorijs.

Truncidantur.

Ex spectaculo Nicomedis Abbatis animi deliquio concidit. Hic Modestus Monachus præfectus fuit sanctæ Ciuitati.

Et post alia de iisdem sanctis Monachis à Saracenis occisis; *Numerus*, inquit, *sanctorum Patrum, quos tyrannica sustulit impressio, est quadraginta quatuor. Horum memoria Maio mense celebratur decima * mensis die.* Hæc de moribus & martyrio illorum Lauræ Monachorum. De his in Romano Martyrologio die 16. Maij. Lege ibi Baronium in Annotationibus. Et hæc de Monasterio & templo sancti Sabbæ. De eisdem Adrichomius in Iuda num. 236. & Hodœporicum sancti VVillibaldi apud Henricum Canisium Tom. 4. Antiquarum lectionum pag. 502.

* decima sexta

CA-

CAPVT X.

De Engaddi deserto, & spelunca in qua Dauid delituit, octauo loco tertiæ Peregrinationis.

PIj & curiosi peregrini qui Ierosolymam veniunt, gratiâ veneranda sancta loca, Natiuitatis, Mortis, Resurrectionis Domini, & alia nostræ salutis mysteriis consecrata, si illis facultas suppetit, & ab his remotiora, in quibus aliquod memorabile fuisse gestum ex diuina Scriptura nouerunt, videre satagunt, vt *Piscinas Salomonis*, *Hebron*, &c. & ex his *desertum Engaddi*. Quare data opportunitate, dum in sancta Ciuitate Bethlehem hospitantur vel habitant, intelligentes non multùm ab ea distare Engaddi speluncam, & desertum, in quo aliquando delituit à Saule persecutus Dauid, vt sacra Regum testatur historia, ad illud videndum ire contendunt: quare vt ex à nobis visis & studio cognitis nonnullam habeant intelligentiam, aliqua de Engaddi dicere decreui, quæ ad quatuor capita reducemus: in primo de nominis etymologia, & de quibus enuntietur, dicemus; in secundo de situ deserti Engaddi; in tertio de eiusdem conditione; & in quarto denique de his quæ in eo gesta fuisse memorantur. 1.Reg.24.

Engaddi nomen multiplex.

Quantum ad primum, Engaddi nomen multiplex est: dicitur namque de ciuitate, de villa, vineis & deserto, vt ex sacris Litteris probatisque Scriptoribus videbimus; & fortasse à ciuitate alia ei proxima nomen mutuarunt. De ciuitate & vineis agit ex aliis Adrichomius in Iuda num. 116. de deserto & spelunca ibidem num. 117.

Etymologia.

Engaddi, siue Ghenghedi, secundùm nominis etymon, vt docent sacri Doctores, idem significat quod hœdi oculus, ciuitati ob eius elegantiam datum. Est enim Engaddi fons siue oculus hœdi vel felicitatis, vel, ex Hebraico vel Syriaco, fons siue oculus scissuræ.

Engaddi ciuitas.

Erat ciuitas Engaddi posita prope Mare mortuum ad Occidentem, prius dicta Asasonthamar, id est, vrbs palmarum, eò quòd palmarum & balsami prouentu dines esset.

Balsama quid.

Sunt autem balsama (nam palmæ notiores sunt) arbusculæ, quas vineas Engaddi Salomon vocat Cant. 1. Hunc hortum, siue vineas balsami, tempore Herodis Magni, Cleopatra, concedente Antonio, inuidens tantam felicitatem Herodi, in Ægyptum transtulit; vbi à fonte paruo iugi perennitate irrigabatur, &c.

Addo hic quod Baronius ex Plinio notauit Tom. 1. Annal. sub ann. Christi 73. num. 6. vbi agens de spoliis Romam allatis è Iudæa vastata à Tito, & de allato balsamo mentionem facit, quod fortè remanserat, vel denuò germinauerat post aliud in Ægyptum transportatum. sic autem scribit: *Demum (vt vno iam verbo rem absolutam) quidquid decorum apud Iudæos potuit inueniri, à Tito sublatum, Romam allatum est; vsque adeò (quod testatur Plinius) vt tunc etiam balsami arbuscula translata fuerit Romam: sed non ipse primus eam attulit; quandoquidem Pompeius olim eadem cum ceteris hostium spoliis ornauerat triumphi pompam. sunt verò hæc verba Plinij: Ostendere arbusculam hanc Imperatores Vespasiani (vterque enim simul pater & filius de Iudæis debellatis triumphum duxere) clarumq; dictum à Pompeio Magno: In triumpho arbores quoque duximus. & paulò pòst: Seuiere in eamdem Iudæi, sicut in vitam quoque suam contrà defendere Romani, & dimicatum pro frutice est. Serit nunc eam fiscus, & numquam fuit numerosior aut procerior. Hæc Plinius. Eadem Solinus de redundantia balsami tempore Vespasiani qui post triumphum de Iudæis exhibitum, Iano clauso, pace vbiq; terrarum composita, construere templum Pacis aggressus est.* Hæc ex Baronio.

Arbusculæ balsami Romam translatæ.

Plin. Hist. nat. lib. 12. cap. 25.

Solinus in Polyhist. c. 38.

Glossa ordinaria in ea verba Cant. 1, 13. *Botrus Cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi*, rationem reddit, quare balsama Engaddi vineæ dicantur, dicens: *Arbores balsami, quæ in Engaddi crescunt, quia in modum vinearum excoluntur, vineas appellat.* Et videtur accepisse ex D. Hieronymo, qui in libro de Locis Hebraicis dicit: *Engaddi in tribu Iuda, vbi absconditus est Dauid in solitudine, quæ est in Aulone, locus est in regione illa campestri, de qua suprà diximus: vocatur vsque hodie vicus pragrandis Iudæorum Engaddi, iuxta Mare mortuum; vnde & opobalsamum venit, quas vineas Engaddi Salomon vocat.*

Balsama Engaddi vineæ cur dicta.

Lyranus eumdem Hieronymum secutus, ad idem in illum locum sic scribit: *Engaddi, locus vbi crescit balsamum prope Mare mortuum, vt apparet in Descriptione Terræ sanctæ: & ibidem crescit arbor aromatica nomine Cyprus, quæ facit grana simul iuncta, sicut in vuis vinea; & inde locus vinea dicitur.* Sed de hac re nihil certi habens, addit, *vt dicunt aliqui.* Additque, *Ideò non est hic Cyprus nomen Insulæ quæ est in Mari mediterraneo, quia ibi non sunt dictæ vineæ.*

De arbore Cypro lege Plin. li. 12. cap. 24.

Non displicet sententia illorum qui dicunt, Cypri nomine Cyprum Insulam Salomonem significasse voluisse, in qua, constat ex Plinio & experientia, generosas & ad miraculum magnas esse vites, feraces

vuarum miræ magnitudinis & pulchritudinis, vnde fiant vina omnibus transmarinis prælata. Quibus cùm proximè accederent vites & vuæ Engaddinæ, ideò sponsus vni vuæ ex vineis Engaddi confertur, quæ simillima sit vni ex vuis insulæ Cypri. quam sententiam videntur indicare Septuaginta Interpretes. Et in istis partibus ita creditur, quòd antiquitus in Engaddina regione essent pulcherrimæ vuarum vineæ, in præsentia nullæ. Qui plura de his scire deliderat, consulat Interpretes in illum locum Canticorum.

De Engaddi villa & nemoribus Abulensis sententia.

De Engaddi villa & aliis Abulensis in 1. Reg. 1. sequentia scribit: Est Engaddi nomen cuiusdam villæ, à qua denominantur isti montes: est locus inclytus propter montes amœnissimos, quales non sunt in tota terra Israël: ibi enim nascitur balsamum. sed iam villa Engaddi bello deleta est. De hoc ait Solinus in Polyhist. cap. de Iudæa: Engadda oppidum infra Helenas fuit, sed scitum est: verùm inclytis nemoribus adhuc durat decus, lucisque palmarum eminentissimis nihil vel bello vel æuo derogatum. Est autem locus iste præcipuè famosus in vineis, vnde vineæ Engaddi laudantur. De hoc Cant. cap. 1. *Botrus Cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi.* De isto loco dicitur in libro de Situ Terræ sanctæ: Engaddi in tribu Iuda, vbi abscondit se Dauid in solitudine illa campestri quæ vocatur Aulon; & vocatus est vicus pergrandis Iudæorum. Computatur etiam Engaddi tamquam vna de ciuitatibus sortis Iudæ, vt patet Ios. cap. 15. Hactenus ex Abulensi.

Ex parte rejicitur.

Non assentimur Abulensi in his quæ dicit de relicta eius fertilitate ex Solino, experientia refragante. Huiusmodi enim fertilitas vel amœnitas in præsentia non ibi cernitur, nec ferè illius vestigium: sit hoc vel inertia & pigritia hominum, vel quia terra inculta & inhabitata, vel ex bellis vel denique diuino Iudicio, me latet.

Situs deserti Engaddi.

Quantum ad secundum, de situ deserti vel speluncæ Engaddi, Dico esse in tribu Iuda citra Mare mortuum: distat à Bethlehem sex, à Mari autem mortuo septem circiter milliaria. In tribu Iuda & iuxta Mare mortuum posuit Adrichomius; sed non in proprio situ mihi videtur delineasse, quia remotius à Bethlehem, & proximius Mari mortuo quàm verè sit: monstrat enim distare à Bethlehem milliaria viginti ad minus, & à Mari mortuo tria dumtaxat. Sed hoc sensus & experientia respuit, quæ docet, Mare mortuum vix distare à Bethlehem quatuordecim milliaria; quin & duodecim conficerentur, si recta linea ex Bethlehem ad Mare mortuum incederemus. Quare multò verius credimus quæ cum aliis diximus. Est in plaga Orientali Bethlehem & Meridionali Ierusalem.

Adrichomius rejicitur.

Quantum ad tertium: Cuiusnam conditionis est istud desertum? Dico esse locum pluribus aliis munitiorem, non arte quidem, sed natura, quia supra altos & præruptos montes, & hominibus est inuius. Indicat hoc Scriptura in primis, dum loquens de antris & locis huius deserti, ea tutissima appellat. *Ascendit ergo Dauid* (inquit 1. Regum 24. 1.) *inde:* id est de deserto Maon, *& habitauit in locis tutissimis Engaddi.* & infrà: *Dauid in deserto est Engaddi.* & denique: *Saul perrexit ad inuestigandum Dauid, & viros eius, etiam super abruptissimas petras, quæ solis ibicibus peruiæ sunt.* Omnes hæ locutiones magnam indicant naturalem huius loci fortitudinem. Et primò, cùm dicitur Dauidem ascendisse de deserto Maon, quò priùs abierat tamquam ad tutissimum asylum, vt declinaret Saulis persecutionem. Sed si in Maon erat velut in tutissimo asylo, quare inde discessit? Aliis omissis responsionibus Abulensis super illum locum quæst. 2. hanc solam ex eodem proposito nostro deseruientem adduco: Quia in deserto Engaddi erat securius quàm in deserto Maon; de quo quæ dicuntur, talia non sunt, quæ tantam illius monstrent fortitudinem, qualia sunt quæ de Engaddi enuntiantur; & probat: nosque statim amplius dicemus.

Conditio.

Natura munitum.

Dubij solutio.

Secundò, naturalis Engaddi fortitudo ex eo probatur, quòd vbi Lectio vulgata habet, *Habitauit in locis fortissimis Engaddi*, legit Hebr. *in castris Engaddi.* Vbi per castra, vt benè notat ibidem Abulensis quæst. 1. intelliguntur non loca murata, oppida arte fabricata, sed loca altissima & inaccessibilia; quæ ita naturaliter sunt tuta, sicut ea quæ humana cura munita sunt: etenim si ista fuissent castra munita, non potuisset Saul ingredi in illa; & tamen dum esset Dauid in his castris, erat in quadam spelunca, & in illam introiuit Saul ad purgandum ventrem. Ergo non erant ista loca murata, sed loca ardua & dura: ideò dixit Vulgata, *in locis tutissimis*, quia ita tuta sunt ista loca sicut si essent murata.

Tertiò denique & principaliter confirmantur dicta, quòd munitissima & fortissima sint loca Engaddi, & magis quàm Maon; quia de illis, quod non de istis dicitur, esse super abruptissimas petras solis ibicibus peruias. *Perrexit*, inquit sacer Textus, *ad inuestigandum Dauid & viros eius, etiam super abruptissimas petras, quæ solis ibici-*

Google

ſpicibus pernix ſunt; id eſt ceruis vel capreis ſilueſtribus, vt explicant alij ex Hebræo: Et ex hoc datur intelligi magna loci arduitas, dum ſolis ſilueſtribus ceruis & capreis ſit acceſſus; quia alia quadrupedia ad loca tam ardua non poſſent aſcendere, vt aduertit Abulenſis quæſt. 3. Igitur difficiliùs exercitus hominum aſcendiſſet: & per conſequens locus naturaliter tutiſſimus.

Antri in quo Dauid delituit conditio.

Supra has abruptiſſimas rupes duo ſunt antra (loquor de viſis à me, quæ communiter oſtenduntur peregrinis) alterius longitudo eſt 52. & latitudo 24. circiter palmorum: in eius extremitate eſt peculiare cauum, in quo fortè latuit Dauid, vt poſteà dicemus: os eius Orientem reſpicit. Alterius verò longitudo eſt 50. latitudo 24. palmorum: os ad Auſtrum. Et ſi verum eſt in priori latuiſſe Dauidem, vt vult communis traditio, vel poſteriori, non fuit tantæ magnitudinis, vt videtur ſentire Abulenſis q. 6. Non longè ab his antris eſt ciſterna, & turris vel alterius ædificij fundamenta.

Obiectio.

Dubitare quis poſſet, Quomodo verum eſt tam arduum eſſe acceſſum ad montes Engaddi, cùm ex Bethlehem non ſine difficultate equitando etiam ad eos accedere poſſimus, & ad memorata antra?

Solutio.

Reſpondent huic difficultati harum partium incolæ, & præſertim ruſtici, varias eſſe vias montium Engaddi, & non omnes æquè difficiles; ſed quæ ex Oriente vel Meridie ſunt, & Meridionales præſertim eſſe difficillimas, vbi ſunt profundæ & anguſtæ valles & prærupti montes: in quibus ſe recipientes Arabes cum familiis & ſupellectilibus ſuis, velut in tutiſſimo aſylo ſe defendunt à perſequentibus Turcis. ad quæ loca & itinera ſe recepit Dauid, & per eadem ipſum Saul eſt inſecutus: & de his ſacra Scriptura loquitur.

Alia in Engaddi.

Ad quartum ſuperius propoſitum accedētes, Quid peculiariter memorat Scriptura in ſpelunca Engaddi accidiſſe? Reſpondetur, quod legitur 1. Reg. 24. Dauidem cum viris, qui eum comitabantur, aſcendiſſe deſertum Engaddi, & in vnam ex memoratis ſpeluncis ſe recepiſſe quaſi in abſconditum & munitum locum, vt Saulis capitale odium & perſecutionem declinaret. Quam eamdem poſteà Saul ingreſſus fuit ad purgandum ventrem, quo tempore Dauid & viri eius in interiori parte ſpeluncæ latebant, vt loquitur Scriptura. Cumque Saul hoc ignoraret, milites Dauid volebant illum occidere; ſed fregit eos ſuis ſermonibus, & non miſerunt manus ſuas in chriſtum Domini. Surrexit tamen Dauid, & acceſſit ad Saul, & præcidit oram chlamydis eius ſilenter, quam fortè à ſe proiecerat quoad ſatisfecit corporis neceſſitati, &c. quæ citato loco leguntur; & ex dicendis magis manifeſta fient.

Duæ quæſtiones.

Pro maiori dictorum declaratione proponendæ ſunt & diluendæ duæ difficultates prout fieri poterit, quas etiam mouet & reſoluit Abulenſis loco citato Reg. quæſt. 6. Altera eſt, Quomodo Dauid cum militibus ſuis ita potuit in ſpelunca illa delitescere, vt Saul in eam ingreſſus nec eos viderit, nec illorum ſermones audierit? Altera, Quomodo Saul non aduertit, cùm Dauid oram chlamydis illius præſcidit?

Prima, Quomodò Saul non viderit in ſpelunca Dauidem & milites eius.

Primò quid ad hæc reſpondeat Abulenſis proponam, deinde quid ego ſentiam aperiam. Affert ille triplicem reſponſionem. Prima eſt quorumdam Hebræorum. Dicunt iſti, quòd Dauid aliquando dixerat Deo, cur creauerit homines ſtultos, & araneas & muſcas; quia iſta tria videntur eſſe ſuperuacua in natura rerum, imò nociua. Deus autem reſpondit, quòd ipſe monſtraret Dauid iſta tria eſſe vtilia ad aliquid, & quòd omnibus his aliquando egeret. De ſtultitia patet; quia profuit ei quòd efficeretur ſtultus coram rege Achis, alioquin captus fuiſſet, & fortè periiſſet, 1. Regum 21. De muſca dicunt, quòd fuit vtilis Dauid: nam cùm ipſe deſcenderet de monte Hachilla in caſtra Saulis, dormientibus vniuerſis, & lanceam acciperet Saulis, dicunt, quòd dormierit Abner apud Saulem, Dauid autem non benè reſpiciens, poſuerit pedem inter crura Abner dormientis & extenti in terram, qui ſtrinxerit pedem Dauid in ſomnijs; Dauid autem non potuerit pedem excutere quin excitaret Abner: ſi autē excitaretur, captus fuiſſet Dauid à viris Saulis; vnde neſcierit Dauid quid ageret: tunc Deus miſit muſcam, vt dicunt, & momordit crura Abner, qui illicò reſoluit vincula pedis Dauid non excitatus à ſopore, & liberatus eſt Dauid. de quo 1. Reg. cap. 26. De aranea dicunt, quòd profuit Dauid hîc, quia araneæ operuerunt os ſpeluncæ telis ſuis, exiſtentibus Dauid & viris ſuis intra: & cùm Saul ingreſſus eſt ſpeluncam, videns ad oſtium telas aranearum; ſatis credidit, quòd nullus intus erat, alioquin introëundo rupiſſet telas aranearum; ideò ſecurè introiuit Saul in ſpeluncam, & non inquiſiuit ibi Dauid, quia non putauit ibi eſſe, nec ex hoc attendit ad voces quæ interiùs formabantur.

Reſponſio Hebræorum.

Reijcitur ab Abulenſi.

Sed iſtæ inſaniæ ſunt, ait Abulenſis, neque ad propoſitum reſpondent: nam dato quòd tela aranearum profuiſſet ad hoc quòd Saul non ſuſpicaretur ibi eſſe Dauid; tamen ſi poſtea audiret interiùs voces, manifeſtè

nisi ſcilicèt cognoſceret ibi aliquem eſſe; & tunc faceret inquiri, an eſſet ibi Dauid: nihil ergo hoc proderat.

Alia reſponſio. Secunda reſponſio, quam ibi ſubijcit, eſt, quòd non audiuit hoc Saul; quia fortè vnus ſolus de ſeruis Dauid locutus eſt ei hoc, & paucis verbis, & nimis ſilenter: ideò, quamquam eſſet Saul prope illos, non audiret.

Reijcitur. Sed hoc non ſtat, ait Abulenſis: nam exiſtente Saule in ſpelunca, multi de ſeruis Dauid dixerunt ei, quòd occideret Saulem; ipſe autem cogitauit hoc facere, ſed poſteà mutauit propoſitum: & cùm ſerui eius vellent inſurgere in Saulem, ipſe increpuit eos verbis ne inſurgerent, vt patet infrà: ſcilicet confregit Dauid eos viros ſermonibus, & non permiſit vt conſurgerent in Saul. Hæc tamen fieri non poterant, quin aliquem verba ſonum ederent: ideò ſi fuiſſet Saul apud Dauid & viros ſuos, audiuiſſet aliqua verba eorum, ſed non audiuit.

Tertia reſponſio Abulenſis. Dicendum eſt igitur, inquit in ſua tertia reſponſione citatus Auctor, quòd quamquam Dauid & viri eius locuti ſunt multa Saule exiſtente in ſpelunca, tamen nihil audiuit Saul eorum quæ dicebantur: hoc autem fuit, quia iſta ſpelunca, in qua latuit Dauid cum viris ſuis, erat valdè magna: quod ſatis apparet, quia ibi erat Dauid cum ſexcentis viris. Et tamen Saul introiens in illam, non ſolùm non audiuit verba, ſed etiam nullum eorum vidit: vidiſſet tamen neceſſariò, ſi iſta ſpelunca fuiſſet parua. Erat etiam opaca nimis in parte interiori; ſolùm autem erat quædam lux in parte exteriori apud introitum: & iſta fuit cauſa quòd Dauid & viri eius viderunt Saulem introëuntem, ipſe autem non vidit eos manentes interiùs; quia ipſi erant in caligine, & Saul erat in loco lucido: vnde non ſolùm Dauid & viri ſui viderunt Saulem introëuntem, ſed etiam cognouerunt quis eſſet: erat tamen ſatis diſtans ab eis propter magnitudinem ſpeluncæ; ideò non potuit audire verba eorum. Hæc autem innuit littera, cùm dicit: *Porrò Dauid & viri eius in interiore parte ſpelunca latebant.* quaſi dicat, quòd ſolùm Saul introiuit apud oſtium ſpeluncæ; Dauid autem & viri eius erant in parte extrema: ideò nec vidit eos nec audiuit. Hactenus ex Abulenſi.

Reijcitur. Ceterùm vt quod ſentio eloquar, mihi non ſatisfacit hæc Abulenſis reſponſio, ſi memoratum antrum illud eſt in quo ſe Dauid abſcondit, vt vetus habet traditio; quoniam non eſt ita magnum vt Abulenſis arbitratur, vt anteà oſtendimus, quòd, aliis ſecluſis, Saul videre & audire non potuerit Dauidem & viros eius in eo exiſtentes & loquentes, quemadmodum Saul viſus fuit à Dauide & viris eius, quamuis ſolum os ſpeluncæ fuerit ingreſſus; præſertim ſi intus fuerunt ſexcenti viri qui Dauidem comitabantur, vt dicitur 1. Reg. 25. 27. & 30. quemadmodum fuiſſe dicit idem Toſtatus. Fieri enim non poteſt, quin tot viros audire vel videre non potuerit, etſi etiam magna fuit ſpelunca; præſertim cùm Scriptura indicet eos contendiſſe & altercatos fuiſſe pro occidendo Saule, & Dauidem enixum fuiſſe ſermonibus ſuis eos prohibere. Nec eſt etiam tam opaca, quòd ex illius ingreſſu vel oſtio, quod vnicum eſt, ſufficienter non illuminetur; præſertim cùm ante ipſum nihil ſit quod lumen prohibeat, vt qui viderunt, fateri poſſunt. Nec interior illius pars intus in rupe excauata tam magna eſt, vt nequiuerit commodè vt reſiduum ſpeluncæ illuminari; vel potuerit Dauidem cum ſexcentis viris capere.

Propoſitis ergò reſponſionibus relictis, *Quarta reſponſio.* arbitror reſpondendum aliter, Dauidem à Deo fuiſſe miraculosè liberatum, vt aliàs ſimiliter fuit ab hoſtibus ſuis liberatus, vt ipſe Abulenſis dicit quæſt. 9. Et potuit accidere dupliciter; primò, dicendo araneas telis ſuis operuiſſe interiorem partem ſpeluncæ vbi latebat Dauid, non quidem cum omnibus ſexcentis viris ſuis, vt dicit prior ſententia, & credit Abulenſis, ſed cum aliquibus tantùm; aliis in altera ſpelunca proxima, vel in aliis latibulis rupibuſque montis & deſerti Engaddi abſconditis: quia cùm propriis viribus non poſſent illi Sauli reſiſtere, qui ter mille viros electos ſecum duxerat; fieri poteſt, eos inuicem conſuluiſſe de fuga & de omni meliori latendi modo, ita vt ſi aliqui inuenirentur & occiderentur, ſaluarentur alij. Vel etiam dicatur, *Dauid araneæ miniſterio à Saule protectus.* os magnæ ſpeluncæ in interiori parte tela aranea opertum fuiſſe; quod videns Saul, ne turparetur, ſpeluncam haud ingreſſus fuit, ſed ſub oſtio ipſo ventrem exonerauit.

Nec hunc modum ſaluandi Dauidem fabuloſum crediderim; nec huius reſpectu relata ex ſententia Hebræorum dici fabulas ab Abulenſi, ſed reſpectu aliorum: tum quia aliqui Doctores Catholici tali modo fuiſſe Dauidem liberatum affirmant; tum quia poſterioribus temporibus tali modo alios ſanctos de manibus perſequentium liberauit Dominus, vt factum fuiſſe cum Felice Martyre Nolano tradit Gregorius Turonenſis lib. de Glor. Martyr. cap. 104. & Eccleſia in Breuiario die 14. Ianuarij: tum denique, quia hoc indicatum videtur Pſalm. 86. in illis verbis: *Clamabo ad Deum altiſſimum: Deum qui benefecit mihi.*

Para-

Paraphraſtes Chaldæus hæc ita ad intentum tranſtulit: *Orabo coram Deo altiſſimo & forti, qui accerſiuit araneam, vt perficeret in ore ſpelunca telam propter me.* Et volunt plerique hiſce verbis fuiſſe alluſum ad hanc liberationem de manibus Saul, cùm eſſet in ſpelunca Engaddi: cuius intetius os, non exterius, per quod Saul fuit ingreſſus, aranea facta tela operuit. Et quoniam hæc liberatio fuit miraculoſa, & deſuper, ſtatim ſubiungit: *Miſit de cælo, & liberauit me.*

Quinta reſponſio.

Secundò dici poteſt, oculos & aures Saulis miraculosè fuiſſe detentas, ne videret & audiret illos; quemadmodum opinatur factum Abulenſis, quando Dauid acceſſit ad Saul, & ſcidit oram illius chlamydis (niſi dederit motui Dauid tantam leuitatem, vt nullo modo potuerit ſentiri) dedit, inquam, Deus ſurditatem in auribus Saulis, vt nō audiret ſtrepitum Dauidis venientis: ſic enim percuſſit cæcitate viros Sodomitas, vt non poſſent videre oſtium domus Lot, Geneſ. 19. ſic etiam percuſſit Deus cæcitate Syrios, vt non cognoſcerent quem inquirebant, quamquam præſens eis eſſet, vt patet 4. Regum 6. percuſſit ergo & nunc Deus Saulem ſurditate. Apparet etiam hoc veriſimile; quia multoties Deus in actibus Dauid contra Saulem operabatur miraculosè: ſic enim factum eſt 1. Reg. 26. quando Saul & viri dormiebant in caſtris, & deſcendit Dauid, & tulit lanceam & ſcyphum aquæ, quæ erant ad caput Saulis; & nullus vidit hoc in caſtris, quia omnes dormiebant: hoc tamen non fuit quaſi ex aliquo accidenti; quia non erat vllatenus veriſimile, quòd in omnibus caſtris nullus vigilaret: Deus tamen miſerat ſuper eos ſoporem, vt nemo videret Dauid, vt patet ibidem: *Et non erat quiſpiam qui videret, & intelligeret, & euigilaret, ſed omnes dormiebant, quia ſopor Domini irruerat ſuper eos.* Ita ergo hîc ſurditas à Deo miſſa ſuper Saulem, vt non ſentiret venientem ad ſe Dauid. Et nos ſubiiciamus ſimiliter in propoſito noſtro, Deum tenuiſſe oculos & aures Saul, ne Dauidem & viros eius videret vel audiret; & liberaretur Dauid de manibus eius.

Deus in Dauidis gratiā multa ſæpe operatus miracula.

Quòd ſi non miraculosè ſed humano modo liberatum fuiſſe quis arbitretur, ad obiecta fortaſſe poſſet in hunc modum reſpondere, Saulem in ſpelunca ad alia fuiſſe intentum: etſi enim ipſe Dauidem quæreret, tamen ibi eſſe non cogitauit, nec de ipſo conſiderauit, ſed de exonerando ventre, & de illo alibi inquirendo. Et quis ſcit an ira percitus non aduerterit? Quemadmodum milites & Iudæi illi, qui iuerunt ad Ieſum in horto vt ipſum comprehenderent; & quamuis longa conuerſatione, prædicatione & illuſtriſſimis miraculis & prodigiis illis cognitus eſſet, verùm factus illis obuius, & interrogans quid quærerent, non illum tamen cognouerunt, ira aliáve paſſione perciti & præpediti: quia, vt verè quidam Sapiens dixit,

Sexta reſponſio.

Impedit ira animum, ne poſſit cernere verum.

Dauid autem & viri eius ſubmiſſa voce & nutibus loqui debebant; & ille ſilenter ad præcidendum oram chlamydis Saul acceſſit: certi, quòd ſi deprehenſi fuiſſent, etſi Saulis euaſiſſent manus, non tamen illorum qui cum ipſo erant. Et hæc ſufficiant pro ſolutione difficultatum propoſitarum cognitionis loci Engaddi, & tertia Peregrinatione.

PEREGRINATIO IV. *in qua recenſentur & enucleantur octo memorabilia loca quæ occurrunt redeuntibus ex Bethlehem Ieroſolymam per Montana Iudæa.* I. *Fons ſancti Philippi.* II. *Montana Iudæa, & Ciuitas in quam Deipara intrauit, cùm ſalutauit Eliſabeth.* III. *Deſertum ſancti Ioannis Baptiſtæ.* IV. *Domus Zachariæ patris Ioannis Baptiſtæ.* V. *Fons beatæ Mariæ Virginis.* VI. *Eccleſia Natiuitatis ſancti Ioannis Baptiſtæ.* VII. *Eccleſia & monaſterium ſanctæ Crucis.* VIII. *Denique Piſcina Gihon.*

CAPVT PRIMVM.

De fonte ſancti Philippi, in quo Eunuchus baptizatus fuit, primo loco quartæ Peregrinationis.

QVemadmodum ſapientes illi Orientales Reges, qui, propriis regionibus relictis, venerunt Ieroſolymam, & ex Ieroſolyma in Bethlehem ad adorandum Regem Iudæorum profecti fuerunt; & poſtquam debitum ei religionis exhibuerunt obſequium, Dei monitu per aliam viam reuerſi ſunt in regionem ſuam, vt dicitur Matth. 2. & ſancta Eccleſia, ad ſanctorum illorum Regum exemplum, Spiritu ſancto docen-

docente, in rogationibus ſiue proceſſionibus, per aliam viam redire ſolet ad Eccleſiam per quam non venit: ita pij Terræ ſanctæ peregrini, qui eodem ducti ſpiritu proprias domos & patrias reliquerunt, vt venientes Ieroſolymam eius ſancta loca inuiſerent; iis viſitatis, incunabula Saluatoris & alia ſancta loca Bethlehem venerari ſatagunt cum ſanctis illis Regibus, & poſtquam ſuorum deſideriorum compotes ſunt effecti, ad eorumdem Regum imitationem per aliam viam reuertuntur Ieroſolymam velut ad proprium hoſpitium. Via autem eſt per Montana Iudææ; in qua & alia inuiſuntur loca cœleſtibus myſteriis conſecrata, & memoriæ commendanda. Et hic mos antiquiſſimus eſt, vt colligere poſſumus ex verbis quibuſdam Cyrilli Hiſtorici in Vita ſancti Theodoſij Cœnobiarchæ apud Metaphraſtem die 11. Ianuarij: vbi poſtquam egiſſet de reditu Magorum per aliam viam in regionem ſuam, hæc addidit: *Sicut etiamnum videmus eos, qui à Bethlehem, vel ab ea quæ eſt circumcirca regione tranſeunt, per hanc proficiſci.*

Antiquus mos in ſanctorum locorum viſitatione, non eadem via ire & redire.

Primus locus maiori dignus obſeruatione qui in via iſta occurrit, dicitur Fons ſancti Philippi. Ratio nominis eſt; quia communi traditione creditur, aquis huius fontis fuiſſe baptizatum à Philippo Eunuchum Reginæ Candacis, de quo Act. 8.

Ratio nominis fontis S. Philippi.

Pro clariori hiſtorica elucidatione huius fontis tria præſtabo: primò agam de eius ſitu & conditione; ſecundò dubia contra dicta proponam & diluam; & tertiò denique duo notanda ſubiiciam.

De ſitu fontis ſententia Bezæ.

Quantum ad primum. Beza in Annotationibus ad locum illum Actorũ 8,36. *Dum irent per viam, venerunt ad quamdam aquam*, inquit: *fortaſſis ad Eleutherum fluuium, neceſſariò in illo tractu, alioqui valdè aride, tranſeundum.*

Refellitur.

Sed toto cælo aberrauit, ſicut in aliis, hæreticus: cùm enim certo certius ſit, Baptiſmum Eunuchi peractum fuiſſe in itinere, quod is Ieroſolymis Gazam habebat, norunt omnes qui vel modicam notitiam habent locorum Terræ ſanctæ, neceſſariò hæc in Auſtrali parte regionis iſtius contigiſſe; Eleutherum verò amnem proximè Libanum eſſe, in Septemtrionali termino longiſſimè diſſitum, vt videre eſt apud Adrichomium in Aſer num. 37. vnde Ptolemæus & alij totius Phœniciæ Aquilonem verſus extremum limitem eum conſtituant. Brocardus in Deſcriptione Terræ ſanctæ fluuium Valaniæ nuncupat (quòd vrbi, quam Βαλανίας dicit Ptolemæus, proximus eſſet) eoque diſtinctum fuiſſe ait regnum Ieroſolymitanũ à Principatu Antiocheno.

Adrichomius in Iuda num. 61. de Bethſur agens, dicit eſſe caſtrum præſidiumque totius Iudææ munitiſſimum, diſtans vno milliario à Ieruſalem, in via publica, quæ ab Ieruſalem ducit Gazam, vt quidam volunt: *Ad cuius radices*, inquit, *fons erat, qui ab eadem, qua gignebatur humo, ſorbebatur: in quo fonte quidam putant Eunuchum Candacis Reginæ à Philippo baptizatum, atque inde nomen accepiſſe, Fons Aethiopis.*

Aliorum ſententia.

Hæc ſi vera ſunt, fons, qui nunc dicitur Fons ſancti Philippi, certè ille non erit, in quo Æthiops dicitur baptizatus; quoniam iſte multò ampliùs ab Ieruſalem diſtat: & ego talem fontem in via Gazæ prope Ieruſalem nec vidi, nec illius memoriam audiui. Et Adrichomius ipſe non in hoc loco indicat fuiſſe memoratum fontem, ſed in torrente Soreth, in tribu Dan: & in huius tribus delineatione num. 4. & non in Iuda myſterium deſcribit Eunuchi; etſi in explicatione ponat prope Ieruſalem, vt antè; & num. 57. ſic ſcribit: *Sorec, Soreth, Zored torrens: huius vineæ & vites erant electæ & optimæ, faciebant fructus pulcherrimos, vberes & perpetuos; quorum vua non habebant acinum, vt teſtantur Hebræi. Vinum eius loci rubens delicatiſſimum: vinum Cos, id eſt, optimi odoris, coloris & ſaporis. Hic habitauit Dalila, quam adamauit Samſon. In hoc* Iud. 16,4. *riuo narrat baptizatum à Philippo Eunuchum Breidenb. interſecat autem Dan & Simeon tribus. Diſtat à Nebeleſcol medio milliari.* Hæc ille. Vnde ne ſibi aduerſari dicamus, dicendum in priori loco locutum fuiſſe ex aliorum ſententia, vt eius verba indicare videntur: *In quo fonte quidam putant*, &c.

Sorec torrens, & eius vinea. Act. 8,38.

Reiicitur.

Verior ſententia D. Hieronymi & communis.

Nos in hac ipſa parte cognoſcimus hunc fontem, id eſt, prope torrentem Soreth. Et in hoc torrente dicitur Æthiops baptizatus; quia vineæ & torrens Soreth ab iſto fonte non diſtant: quin fons iſte cùm aquis abundat, vt ego vidi, fluit in iſtum torrentem. Et cùm ex Bethlehem pergimus ad hunc fontem, vineis & torrente Soreth ad dexteram partem relictis, non longè ad ſiniſtram occurrit fons, de quo loquimur, ab omnibus vt anteà ita in præſentia, *Fons ſancti Philippi appellatus.*

Suffragatur huic ſententiæ ſanctus Hieronymus, ſiue Euſebius, in libro de Locis Hebraicis; ſimulque fontis conditionem hiſce verbis explicuit: *Bethſur in tribu Iuda, ſiue Beniamin: & eſt hodie Bethſoron vicus, euntibus nobis ab Aelia Chebron in vigeſimo lapide; iuxta quem fons ad radicem montis ebulliens, ab eadem, in qua gignitur, ſorbetur humo. Et Apoſtolorum Acta referunt,*

runt, Eunuchum Candacis Reginæ in hoc esse baptizatum à Philippo. Hæc ille.

Ea loqui de eodem fonte, de quo nos cum communi traditione loquimur, patet clariùs ex eiusdem Epistola ad Marcellam nomine Paulæ & Eustochij, dum de Hebron peregrinatione loquens ait: *Videre fontem in quo à Philippo Eunuchus est tinctus.* ad pedem scilicet montis siue collis.

In hoc eodem loco Brocardus mihi videtur hunc fontem cognouisse, dum dicit: *Ad læuam huius vallis* (id est, vnde exploratores missi à Moyse ad explorandam terram portauerunt palmitem cum vua sua; & creditur esse Soreth communiter in his partibus) *per dimidiam leucam descendit riuus, in quo Philippus baptizauit Eunuchum Candacis Reginæ, non longè est à Sicelech.* Hæc ipse.

Bonifacius lib 2. de Perenni cultu Terræ sanctæ loquens de hac peregrinatione per montana Iudææ ad Ierusalem idem sentire videtur, dum de eo loquens ipsis Hieronymi verbis vtitur, dicens: *Hæc quæ frequentantur in montanis Iudææ visitantur. Et primò, contra Meridianum in via veteri vel deserta, quæ descendit ab Ierusalem in Gazam, occurrit aqua vel fons qui dicitur Philippi, in quo virum Aethiopem baptizauit Philippus.* & infrà: *Iste fons est iuxta Bethsur, ad radicem montis ebulliens: qui ab eadem in qua gignitur humo, vt videtis, recipitur.* Hæc Bonifacius.

D. Hieronymus & Adrichomius conciliantur.

Et quamuis concedamus Adrichomio esse in tribu Dan, non ob id aduersamur D. Hieronymo, qui ponit in Iuda: nam cùm tribus Iuda in omnibus tenuerit principatum, interdum ciuitates & loca, quæ in aliis tribubus sita sunt, tribui Iudæ adscribuntur, vt Socoth, Cariathiarim, Lachis, Bethsames, Sicelec, Bersabee, &c. & insuper tribus Dan & Simeon in medio Iudæ habitasse sacra Scriptura docet; & in eo funiculo continentur. S. Hieronymus in Locis Hebraicis lit. B. & nos lib. 1. huius Operis monuimus: quare non mirum, si dicatur hunc fontem esse in tribu Iuda, etsi aliàs fuerit in tribu Dan.

Ex locorum vicinitate, qua ad vnam tribū pertinent, in alia proxima esse dicuntur.

Origo & fluxus huius fontis.

Aqua huius fontis (quantum coniectare potui) venit ex canali subterraneo, ex parum eminenti superiori loco Meridiem respiciente originem trahens; & foras egreditur in via vbi est murus marmoreus affabrè elaboratus, ex cuius paruo canali primò in vas marmoreum subtus positum fluit. Quòd si D. Hieronymus dixit, ab eadem qua gignitur humo sorberi; vel ita esse debebat tempore suo; vel melius, quia ex vase secundo per lapideum canalem in paruam proximam piscinam ad læuam eius partem, & inde in terram fluens irrigat campos, virsea & viridaria, labiturque vlque in torrentem Soreth, & absorbetur. ante fontem sunt signa cancellorum ferreorum. A dextera parte fontis est quoddam ædificium formam Ecclesiæ præ se ferens; creditur que esse Ecclesiam à fidelibus ædificatam in memoriam Baptismi & conuersionis Æthiopis per Philippum. *Ecclesia illustratur.*

Parum supra hunc fontem in læua, supra collem, transacto torrente cernitur villa, quę à fonte isto & S. Philippo Villa sancti Philippi ab omnibus in his partibus appellatur. An hæc est Bethsur? *Villa sancti Philippi.*

Via qua ex Bethlehem ad hunc fontem itur, etsi ex parte montosa, amœna tamen; quia ferè tota vineis consita, longitudinis sex vel septem milliarium & amplius ab Ierusalem distat. Est in huius ciuitatis plaga Australi & Occidentali Bethlehem. Relinquitur tamen aliquando via per hunc fontem & villam breuitatis gratiâ, & per montana Iudææ itur ad alia sancta loca & Ierusalem. *Via ex Bethlehem ad fontem.*

Quantum ad secundum, duplex contra iam dicta sese offert discutienda difficultas. Altera, quòd eundo Gazam & Ierusalem, à qua profectus fuerat Eunuchus, quando ei occurrit Philippus, non est iter per hunc fontem: nam vel assumitur via, qua ex Hebron itur, & tunc transitur prope Bethlehem, à qua distat iste fons ad sex vel septem milliaria, relinquiturque in dextera parte & plaga Occidentali Bethlehem; & ita non videtur fons iste esse in via qua ex Ierusalem itur ad Gazam, quod tamen dicitur Actor. 8, 26. sic enim dixit Angelus ad Philippum: *Surge, & vade contra Meridianum, ad viam quæ descendit ab Ierusalem in Gazam: hæc est deserta.* Si etiam alterum iter ex Ierusalem per Ramam fecerit, & ex Rama Gazam, tunc reliquit hunc fontem à sinistra eius parte, & distantiori situ quàm à Bethlehem: quare assignatus fons non videtur posse esse is in quo Æthiops ille fuit sacro lauacro tinctus à Philippo. *Difficultas duplex.* *Prima.*

Altera difficultas est, quòd iste fons non videtur esse in tali situ, in quo currus incedere possint; quoniam vbique lapides, rupes & montes, & non nisi cum difficultate equi & asini incedere possunt. Æthiopem autem propriè in curru incessisse, ex eo colligitur, quòd simul cum eo ascendit & Philippus, vt patet loco citato Actor. Nec in his partibus curruum vsus est; quoniam regio ferè tota petrosa & montosa: ego fateor me nec vnum vidisse in Iudæa, Samaria & Galilæa. *Secunda.*

Ad primam difficultatem tripliciter responderi potest: Primò dicendo duplicem *Responsio ad primam difficultatē.*

esse viam communem & publicam, & veterem & desertam. In priori non est hic fons, vt dicitur in argumento ; sed in posteriori, & de ista loquitur S. Lucas: ita vt *deserta* in verbis ipsius sit specificatio non Gazæ sed viæ per quam incedebat Eunuchus. Probabilis responsio, quia ei fauet lectio Syriaca : & præterea, si per communem viam incessisset, non fuisset opus tanta verborum specificatione, qua vsus est Angelus in illa explicanda, vt iret contra Meridianum, &c.

Dubij solutio. Quare verò Eunuchus, communi relicta, desertam elegerit, incertum est. Suspicor id fecisse nouæ videndæ regionis causa, sicut communiter faciunt peregrini ad has partes venientes : qui si per vnam commodam viam veniunt, per aliam, etsi difficiliorem, reuertuntur, vt totam lustrent regionem, & plura visitent sanctuaria & memorabilia loca. Vel ductu Spiritus sancti, vt commodiùs suauiusque ipsius operaretur conuersio : solitudo enim & aquæ commoditas multum ad eam conducebat. Deus siquidem animam, quam sibi annulo fidei desponsare decreuit, ducit in solitudinem, & loquitur ad cor eius, vt
Ose. 2, 14. ipse Dominus dicit per quemdam Prophetam.

Secundò dici potest, & fortè melius, desertam referendo non quidem ad viam, sed ad Gazam : hæc enim duplex est, deserta, & destructa, & noua ; & hæc in alio situ à veteri ædificata fuit. Vt enim ait Strabo lib. 16. Gaza vetus distabat à Mari mediterraneo stadiis septem, eratque in confinio Meridionali sortis Iudæ ; Gaza verò noua constructa fuit in littore eiusdem maris : & ad illam fortasse commodiùs proficiscebatur per viam vbi est fons quàm per aliam. Ad illam verò ibat, vel ob antè assignatas causas ; vel quia ex ista ibat Eunuchus in Æthiopiam ; vel, vt inquit Chrysostomus Homil. 19. in Act. Apost. ne terreretur Philippus Iudæorum seditione. Ita Carthusianus in cap. 8. Act. & Caietanus, *Gaza*, inquit, *demonstratur prænomine hac: & ad differentiam Gaza non deserta describitur via illa.* Quod clariùs multò anteà dixerat sequentibus verbis Lyranus : *Gaza enim vetus fuit omnino destructa, & postea alia eiusdem nominis fuit ædificata ; in alio tamen situ. Via autem illa transibat per Gazam desertam, & non per Gazam de nouo ædificatam. Ideò ad differentiam illius dicitur, Hæc est deserta.* Idem docent Beda, Glossa, & alij. Lege Adrichomium in Simeon num. 46.

Tertiò denique dicerem, non iuisse ad Gazam nouam per communem viam, quia eo tempore non erat ædificata ; sed post multum tempus eam M. Constantinus Imperator ædificauit : vnde particulâ illam, *Hæc est deserta*, arbitror fuisse positam non quidem à D. Luca, ad differentiam Gazæ nouæ, quæ nondum ædificata erat ; sed postea additam fuisse ab interprete auctoritatem habente, ad explicandum mentem Historici, quæ aliàs intellecta non fuisset ex constructione nouæ vrbis, eadem appellatione nominatæ qua vetus altera destructa : quæ additio explicans non semel inuenitur in sacris Litteris : hîc verò appositam fuisse constat in primis ex adducta ratione : secundò, quia in versione Syriaca prætermissa est : vbi enim nostra Vulgata habet, *Surge, & vade contra Meridianum, ad viam quæ descendit ab Ierusalem in Gazam : hæc est deserta*, Syriaca legit : *Surge, vade ad Austrum per viam desertam, quæ descendit ab Ouriscbelem ad Gazam.* Audiui etiam ab experto itineris, qui vellet per Gazam ire in Ægyptum ex Ierusalem, breuiori itinere iri per viam vbi est hic fons : quæ si non assumitur in præsentia communiter, erit, vel quia non æquè commoda, vel quia periculosior. Quare prior difficultas non officit dictis à nobis de fonte S. Philippi, secundùm veterem traditionem.

Gaza noua à Constantino Magno ædificata.

Ad secundam difficultatem dicendum, non officere, nunc in his partibus non videri currus, regionique non esse proportionatos : nam licet vbique incedere non possint, alicubi tamen possunt ; & multæ viæ mutatæ sunt, per quas poterant incedere : sicut alibi accidit. Clarum etiam est ex sacris Litteris, antiquitus in hac regione fuisse curruum vsum, vt patet Ios. 11. & 17. cap. in libris Iudicum & Regum : quibus magis credendum est quàm sensui & experientiæ, cui falsum subesse potest, non item illis.

Responsio ad secundam difficultatem.

Denique venit Eunuchus ille in curru secundùm morem patriæ suæ. Quòd si difficulter dicas potuisse venire ad hunc fontem, non abnuo : potuit antè descendere, eoque cum seruis relictò, potuit ad fontem accedere cum Philippo ; & hoc Lucas illis verbis indicasse videtur : *Et iussit stare currum : & descenderunt vterque in aquam Philippus & Eunuchus, & baptizauit eum.* Et præterea maiorem difficultatem habuisset, vel certè non minorem, si incessisset per alias dictas vias Hebron & Ramæ, quàm per hanc incedendo cum curru.

Aliud solutio.

Quantum ad tertium superiùs propositum duo adhuc notanda sunt pro clariori adductæ historiæ cognitione : alterum circa Eunuchum, circa Philippum alterum. Circa Eunuchum, non fuisse Gentilem, vt existi-

Digitized by Google

exiſtimauit Euſebius lib. 2. cap. 1. in fine, nec primò inter Gentiles baptizatum. Non Gentilem, quia eò vſque tempore non erat Gentibus ad Chriſti Eccleſiam aditus reſeratus, vt ex Actis Apoſtolorum videre eſt. Et conſequenter nec primò inter Gentiles baptizatus: primus enim inter Gentiles, qui baptiſmum ſuſcepit & in Chriſti Eccleſiam admiſſus, fuit Cornelius Centurio, cuius mentionem facit D. Lucas Act. 10. & 11. Et ſi fuiſſet Gentilis, non veniſſet ex longinquis partibus ad adorandum ad templum in Ieruſalem. Quid enim Gentibus cum templo Ieroſolymitano? Quinam ergo fuit? Reſpondent omnes fere Scriptores, fuiſſe Proſelytum ex Gentibus ad religionem Iudæorum conuerſum. Iudæi enim per mundum diſperſi, quoſdam Gentilium hinc inde conuerterunt, qui certis temporibus veniebant ad templum in Ieruſalem adorare Deum. Et in Ioanne legimus, quoſdam Gentilium veniſſe ad diem feſtum; & inter huiuſcemodi fuit etiam iſte Eunuchus: vnde & ſtudioſus erat ſcriptorum Iudæorum; etenim dum poſt ſolemnitatem ex Ieruſalem ad patriam rediret, in curru legebat Iſaiam Prophetam, vt patet Act. 8. Ita peculiariter docuit Chryſoſtomus Homil. 19. in Acta Apoſtolorum. Erat inſuper hic Eunuchus vir locuples & potens; quoniam Præfectus omnium diuitiarum Reginæ Candacis: vnde & potens appellatur à D. Luca, & ſuper omnes gazas eius, id eſt, ſupellectiles & diuitias eius. Quare non pedes, ſed in curru venit Ieruſalem, magnam ſecum habens familiam, vt inquit Carthuſianus; cum qua & in curru ad propriam rediit regionem: quæ non præſtitiſſet, niſi diues & potens fuiſſet.

Eunuchus non fuit Gentilis, ſed Proſelytus Iudæorum.

Locuples & potens.

Alterum notandum circa Philippum, qui Eunuchum baptizauit, eſt, ipſum non fuiſſe Chriſti Apoſtolum vnum ex duodecim, vt perperàm quidam arbitrati ſunt, propter nomen forte quo cum altero Philippo Apoſtolo conuenit; ſed fuiſſe Diaconum & Apoſtolorum diſcipulum, qui plurimùm in Samaria ſignis & Euangelica prædicatione profecit. Ita communiter docent Doctores: & facili negotio deduci poteſt ex hiſtoria Actorum Apoſtolorum. Huic, cùm eſſet in Samaria, locutus eſt Angelus Domini vt iret in occurſum huius Eunuchi. Reuertenti itaque Eunucho ex Ieruſalem in regionem ſuam, ſedenti ſuper currum ſuum, legentique Iſaiam Prophetam, occurrit Philippus; qui ex lectione Prophetæ, occaſione arrepta, prædicauit illi Ieſum: in quem cùm credidiſſet Æthiops, ſacro baptiſmatis fonte in Ieſu nomine baptizatus eſt; &, vt piè creditur, in huius fontis aquis. A cuius oculis ſtatim fuit à Spiritu ſublatus Philippus.

Philippus qui Eunuchum baptizauit non Apoſtolus, ſed Apoſtolorum diſcipulus fuit.

Æthiops iam ſacro baptiſmatis lauacro tinctus, & ſuper niuem dealbatus, ſuum iter proſecutus eſt: qui cum in Æthiopiam perueniſſet, palàm Chriſtum prædicauit, vt tradunt Euſebius lib. 2. cap. 1. S. Cyrillus Ieroſolymitanus Cathec. 17. S. Hieronymus in Iſa. 53. & Epiſt. 103. ad Paulinum; & ipſa Æthiopum certa monumenta teſtantur: & denique S. Irenæus lib. 3. cap. 12. Baronio referente Tom. 1. Annal. Eccleſ. anno Chriſti 35. ſequentibus verbis indicat: *Ipſe Eunuchus credens, & ſtatim poſtulans baptizari, dicebat: Credo Filium Dei eſſe Ieſum. Qui & miſſus eſt in regiones Aethiopiæ, prædicaturus hoc quod ipſe crediderat: Deum quidem vnum per Prophetas prædicatum; huius verò Filium feciſſe ſecundùm hominem aduentum, & vt ouem ad victimam ductum, & reliqua quæcumque de eo Propheta dicunt.* Hæc ille.

Eunuchus in Æthiopiam reuerſus Chriſtum prædicat.

Hic denique martyrio gloriosè obito migrauit ad Chriſtum, vt hiſce verbis Dorotheus in Synopſi indicauit: *Eunuchus Candacis Reginæ Aethiopum in Arabia felici, & in inſula Taprobana, inq; vniuerſa Erythra Euangelium Domini noſtri Ieſu Chriſti prædicauit. Ferunt & martyrium gloriosè tuliſſe, ibiq; ſepultum eſſe. Et cœmeterium ipſius munimentum inſuperabile eſt fidelibus, Barbaros ſceleſtos fugans, morbos pellens, & ſanationes operans vſque ad præſentem diem.* Hæc ibi Dorotheus. Et hæc pro huius fontis hiſtorica elucidatione ſatis. Fonte & villa ſancti Philippi ad lævam relictis, iter proſequimur per montana Iudææ ad alia Sanctuaria.

Martyrio coronatus iuit ad Chriſtum.

CAPVT II.

De montanis Iudææ, & in eis poſita ciuitate, vbi erat domus Zachariæ patris S. Ioannis Baptiſtæ, quam ingreſſa fuit B. Virgo Maria, cùm ſalutauit Eliſabeth, ſecundo loco quartæ Peregrinationis.

DE montanis Iudææ nobis nunc ſeſe offert differendi occaſio, & de ciuitate in qua erat domus Zachariæ Sacerdotis, magni Ioannis Baptiſtæ præcurſoris Domini patris; in quam ſanctiſſima ſemper Virgo Maria ſacro fecundata fetu intrauit, cùm ſalutauit cognatam ſuam Eliſabeth, Chriſti præcurſorem in ventre geſtantem. Etenim per montana Iudææ tranſimus, dum ad eam domum accedimus, & ad alia ſancta loca, de quibus poſteà in hac Peregrinatione.

Vlá in ſacris Litteris montanorum Iudæa ſit mentio.

Montanorum Iudææ, ciuitatis Iudæ, nec non domus Zachariæ meminit S. Lucas cap. 1. dum loquens de viſitatione Virginis Mariæ ad Eliſabeth, ait: *Exurgens Maria*, ſcilicet ex Nazareth ciuitate Galilææ, *abiit in montana cum feſtinatione, in ciuitatem Iuda: & intrauit in domum Zachariæ, & ſalutauit Eliſabeth*. & inferiùs eodem capite verſ. 65. verba faciens de prodigiis quæ acciderunt in natiuitate Præcurſoris, ait: *Super omnia montana Iudææ diuulgabantur omnia verba hæc.*

Montana Iudææ arbitror eſſe partem illam Terræ promiſſionis, cuius fit mentio Gen. 22, 2. illis verbis Domini ad Abraham: *Vade in terram viſionis*. Lippomanus enim in Catena in Geneſin opinatur, vocatam eſſe terram viſionis eam partem Iudææ quæ maximè montana eſt. Et ſanè talis eſt iſta de qua loquimur. Et habet probabilitatem, quoniam in iſta, & Ieruſalem in monte Moria, vbi voluit Abraham ex præcepto Domini immolare filium ſuum Iſaac, vt diximus Lib. v. Cap. III. Peregrinat. III. Et fauet verſio Septuaginta Interpretum, quæ habet, *in terram excelſam*. Et non hanc præſertim regionem excelſam dices? Plinius lib. 5. cap. 14. montanam Iudææ regionem in decem Iudææ Toparchiis ponit, & appellat *Orinen*, id eſt montanam; in qua etiam dicit fuiſſe Ieroſolymam.

Adrichomij ſententia reijcitur.

Quare non placet dicere cum Adrichomio in Iuda n. 174. Montana Iudææ, eſſe illam partem montoſam quæ incipit conſurgere iuxta Emaus, & terminatur vnius diei itinere vſque ad Hebron. In iſta quippe deſcriptione videtur includere etiam montana Hebron, quæ, vt videbimus, à montanis Iudææ diſtincta ſunt.

De ciuitate vbi erat domus Zachariæ quinque ſententiæ.

Quænam verò fuerit ciuitas in his montanis ædificata, in qua erat Zachariæ domus, in quam beata Virgo Maria intrauit, quando ſalutauit Eliſabeth, maiorem habet difficultatem; nec omnes, qui de ea ſcripſerunt, conueniunt, illi præſertim qui loca ſancta non viderunt. Et quinque inuenio Auctorum ſententias, quas adducere non grauabor, vt Lector, quam magis rationi conſentaneam iudicauerit, eligat.

Prima, Montanam appellari.

Prima ſententia eſt Euthymij in Commentario Lucæ, aſſerentis dictam ciuitatem Montanam appellari, ita vt Montana in iam primo adducto loco ex Euangeliſta, non ſit nomen commune & appellatiuum, ſed proprium ciuitatis; ac ideò Euangeliſtam abſolutè dixiſſe, *abiit in Montana*. Ea etiam fortaſſe ratione, quia vbi lectio vulgata habet, *abiit in Montana*, Græcus codex legit, *abiit in Montanam*: & ita legitur apud Euthymium. Lyranus in illum locum Lucæ videtur meminiſſe huius opinionis dum dicit: *Montana proprium eſt nomen loci ſecundùm quoſdam: qui locus, in quo manebat Zacharias, erat altior Galilæâ, à qua receſſit Maria.* Hæc ille.

Reijcitur.

Verùm hæc opinio refellitur aliis verbis eiuſdem Euangeliſtæ ſuperiùs ſecundo loco adductis, *Super omnia montana Iudææ diuulgabantur omnia verba hæc.* Et certè alludit ad montana, de quibus priùs dixit, *abijt in montana.* Et hac phraſi loquendi non tuiſſet vſus, ſi *montana* fuiſſet nomen proprium ciuitatis.

Accedit, quòd in enumeratione ciuitatum, earumdemque diſtributione inter tribus, apud Ioſue nuſquam Montanæ ciuitatis mentio fit. Nec Græca lectio nobis officit; *Montanam* enim dicendo, intellexit regionem, vt in cap. 1. Luc. interpretatus eſt Caietanus; quoniam in regione montoſa ſita erat Zachariæ ciuitas & domus.

Secunda, eſſe Ieruſalem.

Secunda ſententia tenet, illam ciuitatem fuiſſe Ieruſalem, quam per antonomaſiam Euangeliſta vocauit ciuitatem; quia omnium ciuitatum, non tantùm Iudææ, ſed etiam totius Palæſtinæ præcipua erat & metropolis. Hanc ſententiam ſequuntur D. Bonauentura, Beda, Hugo in cap. 1. Lucæ, Albertus Magnus ſuper *Miſſus eſt*, Clichtouæus in libello de Viſitatione Virginis cap. 2. Eckius in Serm. de Viſitatione, & alij: quam etiam veriſimilem dicit Ianſenius cap. 4. Concord. Euang. quoniam profectio Mariæ in ciuitatem illam circa ſolemnitatem Paſchalem accidit.

Ianſenij ratio.

Accedit, quòd aliqui ex Chaldæo verterunt, *ad montem in ciuitatem Iudæ:* & cùm Ieruſalem in monte ſit Iudææ, videtur probabilius hanc eſſe intelligendam.

Reijcitur.

Aliqui illorum, quibus hæc ſententia non probatur, dicunt, eam ideò conſiſtere non poſſe: tum Primò, quia Ieruſalem non ad tribum Iuda, ſed Beniamin potiùs ſpectabat, vt patet Ioſ. 18, 28. vbi Ieruſalem apertè ponitur in ſorte Beniamin, vt docet eo loco Abulenſis: ciuitas verò in qua habitabat Zacharias, vocatur à D. Luca ciuitas Iuda, id eſt, ſita in tribu Iuda.

Tum ſecundò, quia Ieruſalem non fuit ciuitas Sacerdotalis ſed Regia: Zacharias autem, cùm eſſet Sacerdos, debuit habitare in ciuitate Sacerdotali. Tribui enim Leuiticæ, ex qua aſſumebantur Sacerdotes, aſſignatæ fuerunt propriæ ciuitates ad habitandum, vt patet Ioſ. 21. in quibus non numeratur Ieruſalem.

Confutatio improbatur

Sedenim non propter has rationes arbitror ſententiam hanc eſſe relinquendam: non propter priorem; tum quia licet Ieruſalem pertineret ad ſortem Beniamin, non tamen

tamen tota, ſed pars, & altera ad tribum Iuda, vt videre eſt Ioſ. 15, 63. vbi hæc habentur: *Iebuſæum autem habitatorem Ieruſalem non potuerunt filij Iuda delere: habitauitq; Iebuſæus cum filiis Iuda in Ieruſalem vſque in præſentem diem.* Hebraicè, pro *non potuerunt filij Iuda delere*, eſt, *non potuerunt filij Iuda hereditare*. Et per filios Iuda non intelliguntur hoc loco in vniuerſum Iudæi, vt ſolet frequenter accipi in ſacris Litteris, ſed illi qui erant ſortis Iudæ: de his enim agitur in illo capite. Idem Ioſue 18, 12. & ibi Lyranus in fine, & alij plures id docent; & nos alibi oſtendimus: & ſic conſtat priorem illam reſponſionem non officere, Ieruſalem nedum ad Beniamin, ſed etiam tribum Iuda ſpectare.

In Ieruſalem etiam ex Leuitica tribu aliqui habitabant.

Nec propter poſteriorem rationem relinquenda eſt illa ſententia: nam etſi Ieruſalem non eſſet ſacerdotalis ciuitas, nec data Leuitis, vt tota ab ipſis habitaretur; potuerunt tamen aliqui ex ipſis habitare, vt de facto habitarunt, vt ex pluribus ſacræ Scripturæ locis deduci poteſt: ex tribu enim Leuitica pro templi continuo miniſterio aſſumebantur ſacerdotes & Leuitæ; alijque templi miniſtri, qui habitationes in ea permanentes habebant, vt nos alibi oſtendimus.

Prætereà ſecundæ huius ſententiæ ſectatores dicere poſſent: quòd licet Zacharias non continuò habitaret Ieroſolymis, habitauit tamen eo tempore quo in domum eius intrauit beata Virgo ſalutatura Eliſabeth, cùm eſſet in ſolemnitate Paſchali, vt inquit Ianſenius.

Alia ſecunda ſententia confutatio.

His itaque rationibus omiſſis, dicimus eam ciuitatem non fuiſſe Ieruſalem: tum propter rationes inferiùs adducendas pro quinta ſententia; tum quia in ſacris vel profanis litteris inuenimus Ieruſalem non niſi nomine proprio appellari; & in Euangeliſtis præſertim: qui cùm clarè vt Hiſtorici loquantur, mentionem facturi huius ciuitatis, non abſolutè ciuitatem Iudæ, ſed Ieruſalem vel Ieroſolymam appellarunt. Tum denique, quia loquens Lucas cap. 1. de miniſterio Zachariæ, quod in Ieruſalem exercuerat, dicit, quòd expleto miniſterij ſui tempore, reuerſus fuit mutus ex Ieruſalem in domum ſuam, igitur extra Ieruſalem erat illius domus & ciuitas.

Reſponſio ad rationes.

Probabilitas etiam illa Ianſenij non concludit: nam etſi, quo tempore B. Virgo Maria ſalutauit Eliſabeth, eſſet ſolemnitas Paſchalis, potuit tamen ad illam non ire; quia ad illam non obligabantur mulieres, ſed viri, vt videre eſt Deut. 16. ſed admiſſo, quòd vt piiſſima erat B. Virgo, & opera ſupererogationis faciebat, & hoc præſtiterit, dici poteſt iuiſſe primò ad templum ad ſolemnitatem, & poſteà ad domum Zachariæ, vt arbitratur Clichtouæus loco antè citato: & crediderim iuiſſe non propter ſolemnitatem Paſchalem modò, ſed etiam vt Deo gratias redderet, quòd ipſam in ſuam Matrem eligere ſibi placuerit.

Nec etiam aliquid concludit illa Chaldaica lectio: etenim aliæ vrbes ſunt in montibus in Iudæa, ſicut Ieruſalem, vt manifeſtum eſt.

Tertiò ſententia, fuiſſe Bethlehem.

Tertia ſententia eſt illorum, qui commemoratam ciuitatem Bethlehem eſſe dixerunt; quam adducit & reijcit Cardinalis Toletus in cap. 1. Lucæ Annotat. 116. his verbis: *Quidam alij affirmant* (loquitur de memorata ciuitate) *eſſe Bethlehem, eò quòd in quodam exemplari Græco, ſe legiſſe teſtantur, in ciuitatem Dauid: quæ lectio, ſi vera eſſet, dubitationi non daretur locus, cùm eo nomine dictam Bethlehem legamus Ioan. 7. Nónne Scriptura dicit, quia de ſemine Dauid, & de caſtello vbi erat Dauid, venit Chriſtus? Cùm verò exemplaria ferè omnia & Græca & Latina habeant ciuitatem Iudæ, ſicq; Doctores antiqui interpretentur, minimè cenſendum eſt ibi ſignificari Bethlehem.* Hæc Toletus.

Reijcitur.

Adderem: Etſi vera eſſet lectio illa, non ideò ſolutâ eſſet quæſtio ſh gratiam huius opinionis, ſed poſſet etiam facere pro ſecunda; quoniam in ſacris Litteris nedum Bethlehem, ſed frequentiùs Ieruſalem, pars præſertim ſuperior & Sion, dicitur ciuitas Dauid, vt extremo Capite primæ Peregrinationis huius Libri notauimus.

Sed ſi Bethlehem erat Zachariæ ciuitas, & in ea domus eius, quare ad eam non diuerſit beatiſſima Virgo tempore ſui ſacratiſſimi partus, quæ anteà in illa manſit tribus menſibus? Denique Bethlehem non deſcribitur in Montanis Iudææ.

Quarta, fuiſſe Hebron.

Quarta ſententia docet illam ciuitatem eſſe Hebron. Hanc adducit & tuetur Cardinalis Baronius in Apparatu ad Annales Eccleſiaſticos, duplici motus ratione: altera eſt, quia ſic dicendo, liberatur Euangeliſta à calumniis Iuliani & Porphyrij dicentium, non benè ſcripſiſſe, dum nomen ciuitatis, ad quam pertexit B. Virgo Maria ſalutatura Eliſabeth, prætermiſit. Antonomaſticè enim, per ciuitatem ſacerdotalem, intelligitur Hebron præcipua inter ciuitates ſacerdotales, atque hoc pacto ex verbis Euangeliſtæ ſufficienter innoteſcit.

Probatur duplici ratione.

Prima.

Altera eſt, quia hæc ciuitas erat ſacerdotalis, in qua Zacharias ſacerdos creditur commoratus. Baronij verba hæc ſunt: *His peractis, ſacratiſſima Virgo exurgens abijt in montana cum feſtinatione in ciuitatem Iu-*

Secunda.

da, & intrauit in domum Zacharie, & ſalutauit Eliſabeth. Nemo, quantumuis ſibi videatur ſapiens inſtar Iuliani atque Porphyrij, diuinum Hiſtoricum ſanctum Lucam Euangeliſtam redarguat oſcitantiæ, quòd nomen ciuitatis quam incolebat Zacharias, ad quam ſanctiſſima Virgo feſtinans acceſſit, non exprimat; nam ſatis expreſſit dum ciuitatem Iuda in montanis poſitam, ibiq; Zachariam habitare ſcribit: ſicq; ob eam cauſam ciuitatem ſacerdotalem fuiſſe demonſtrans, quænam eſſet, cùm de nulla alia ambiguitas poſſit oriri, antonomaſticè ſignificat. Hæc Baronius. Statimque oſtendit, quomodo Hebron fuerit præcipua ciuitas ſacerdotalis inter eas quas Ioſue iuſſu Moyſi diſtribuit tribui Leuiticæ; & in monte poſita eſt. Ioſ.21,11.

Hanc ſententiam tamquam indubitatam videtur amplecti Benedictus Pererius in cap.23.Geneſ.v.3. dum dicit: Proditum à quibuſdam eſt, nec temerè, Hebron fuiſſe patriam ſancti Ioannis Baptiſtæ: conſtat enim ex B. Luca, locum eius natalem fuiſſe in montanis, & in ciuitate Iuda; & quia Zacharias pater eius Sacerdos erat, fuiſſe hanc vrbem ſacerdotalem, id eſt, de numero illarum quadraginta octo, quas aſſignari iuſſit Deus Leuitis ac Sacerdotibus ad habitandum. Hæc autem tria in vrbem Hebron conueniunt: erat enim vrbs ſacerdotalis in tribu Iuda & in monte ſita, duobus & viginti paſſuum millibus diſtans Ieroſolymis. Hæc Pererius. Eamdem ſententiam plerique alij, eiuſdem innixi fundamentis, & vt valdè probabilem amplectuntur.

Quinta communis ſententia.

Quinta denique ſententia, quam veram eſſe exiſtimamus, eſt, Montana Iudææ eſſe partem illam montoſam ad plagam Meridionalem Ieruſalem & Occidentem inclinantem, & Iuda dicitur, quoniam ad tribum Iuda & Regnum eius pertinere videtur: ciuitatem verò eſſe aliquam in his montanis ædificatam, non longe ab Ieroſolymis diſtantem, de qua poſteà.

Quadruplex argumenta probatur.

Primum.

Ad hanc ſequendam ſententiam multiplici adducor ratione: in primis, quoniam antiqua & adhuc recepta traditio harum partium eam abſque dubitatione ſequitur, & docet; in iſtiſque & non in aliis locis oſtenduntur loca Viſitationis B. Mariæ Virginis ad Eliſabeth, & Natiuitatis ſancti Ioannis Baptiſtæ: vbi, & non alibi, in horum myſteriorum memoriam pij fideles Chriſti & Apoſtolorum temporibus viciniores templa ædificarunt. Creduntur autem ædificata ab Helena ſanctiſſima in iſtis locis; quoniam ab incolis huius regionis intellexi in iis fuiſſe domum Zachariæ & Natiuitatis Præcurſoris Domini. Et ſanè antiquiſſima ſunt, & antiquitate pænè diruta & demolita: quæ nihilominùs, vt olim, ita in præſentia viſitantur in memoriam Viſitationis beatæ Mariæ & Natiuitatis ſancti Ioannis, non ſolùm à terrigenis & incolis huius regionis, ſed etiam ab exteris & peregrinis, qui ex omnibus mundi partibus huc veniunt ad loca hæc ſancta veneranda, in dictorum myſteriorum memoriam, non parcentes ſumptibus vel laboribus: quæ loca, vt Ieroſolymis proxima ſunt, ita ab Hebron itinere vnius ferè diei diſtant. Credendumque eſt, qui iſta templa & monumenta ædificarunt eo intuitu, non niſi adhibita diligentia & facta magna inquiſitione veritatis, quæ in ſimilibus haberi poteſt, ædificaſſe. Et ſummi Pontifices conceſſerunt Indulgentias & peccatorum remiſſiones ea viſitantibus, quòd memorata myſteria credant fuiſſe in ipſis operata.

Secundum.

Secundò accedit auctoritas grauium virorum qui in iſtis partibus fuerunt, & diligenti indagine loca ſancta perluſtrarunt, qui quæ commemorauimus ſcriptis conſignarunt: quibus in hac parte abſque dubio magis credendum eſt, quàm illis qui non fuerunt, maiori præſertim ratione vel auctoritate non refragante. Et primò id videtur indicare ſanctus Hieronymus in Epiſtola ad Marcellam poſt principium, & in Epitaphio Paulæ matris ad Euſtochium. *Epiſt.17.& 27. To.1.*

Item Brocardus in Deſcriptione Terræ ſanctæ Part.1. cap.7. §. 68. quem in hunc modum adducit Baronius vbi ſuprà: *Brocardus*, inquit, *domum Zachariæ ſic ponit in montanis Iudeæ, vt tamen ab Hebron ſive Chebron nonem leucis diſtare, eamdemq; non in ciuitate ſed in campeſtribus ſitam dicat.*

Baronij obiectio.

At certè (obiicit Baronius) *auctore Luca Euangeliſta, intra ciuitatem Iudæ poſitam fuiſſe Zachariæ domum, non in campeſtribus, conſtat.*

Reſponſio.

Sed reſpondere quis poſſet pro Brocardo, & multipliciter: Primò, dicendo domum Zachariæ ſitam fuiſſe in campeſtribus; quoniam ſita erat in ciuitate in campeſtribus & montanis poſita, vt ait ſanctus Lucas.

Secundò dici poteſt verè ſitam fuiſſe in campeſtribus; cum hoc tamen poteſt dici ad ciuitatem pertinere, quia ei proxima erat: & quod ciuitati proximum eſt, ad ciuitatem pertinere dicitur: Accedit quod ſuprà Libro hoc Cap. XII. primæ Peregrinationis notauimus, præpoſitionem *in* multiplicem in Scriptura habere ſignificationem, & vnam eſſe, vt tantum valeat, ſicut apud vel ante, & talem habere in propoſito, vt ſit ſenſus: B. Virgo Maria intrauit in domum Zachariæ, quæ erat apud ciuitatem in montanis Iudææ ſitam. vel intrauit

tiit primò in ciuitatem, & deinde ex ciuitate in domum Zachariæ in campestribus ædificatam; si tamen erat extra ciuitatem.

Vel denique tertiò, & fortasse conformius intentioni Brocardi, Brocardum descripsisse quæ suo tempore vidit; & quia suo tempore, sicut & nostro, vidit eam in campestribus, ideò eam in campestribus descripsit. Nec officit dicere fuisse intra ciuitatem eo tempore quo beata Virgo Maria salutauit Elisabeth: nam omnia ferè antiqua ædificia demolita sunt, & plurium nec cernuntur vestigia, versæ opimæ ciuitates in saltum, his exceptis, quas instauratunt Christiani, vel memorias præexistentium ædificiorum conseruarunt; & ita dicendum contigisse ciuitati & domui Zachariæ. Sequentia sunt Brocardi verba: *Zacharia domus sita erat in valle Raphaim, non longè à Ierosolyma finibus, sed tamen in montanis: idem satis ostendit & Nazareth ciuitati & Ierosolymis montes vicinos fuisse.* Hæc ille.

Antonius Aranda Terræ sanctæ diligens explanator cap. 37. huic sententiæ subscribit, dicens: *A Ciuitate sancta milliario vno distat sanctæ Crucis templum, ab hoc templo milliaribus quatuor distat templum alterum; in eo domus est illa in qua Baptista in lucem est editus: ad arcus iactum tertium est templum in domo Zachariæ extructum.* Hæc Aranda. Sed hæc non sunt in Hebron, vel prope: nam, secundùm Abulensem in caput 2. Genes. q. 22. distat Hebron ab Ierosolymis octo leucis. Gagneus milliaribus quatuor ab Ierusalem versùs Austrum & Bethlehem domum Zachariæ distare docet; Adrichomius milliario vno ab oppido Emmaus. Melius tamen de distantia Ierusalem ab Hebron arbitror locutum fuisse Brocardum, qui inter has ciuitates nouem leucas intercedere docuit 1. p. suæ Historiæ dicens: *Ex Hebron tribus leucis contra Aquilonem, parum tamen declinando ad Occidentem, est Nachal Escol, id est Torrens botri, vnde exploratores missi à Moyse tulerunt botrum; à Nachal Escol sex leucis contra Ierusalem est domus Zachariæ.* Et sanè ab Ierusalem vsque ad Hebron est ferè iter quod vno die fieri consueuit, vt optimè in quæstionibus Hebraicis in cap. 22. Genes. explicuit S. Hieronymus.

Distantia Hebron ab Ierosolymis.

Tertium.

Tertiò, sanctus Petrus Episcopus Alexandrinus & Martyr in suis regulis Ecclesiasticis receptis & approbatis à sexta Synodo (quem citat Baronius Tom. 1. Annal. Ecclesiast. dum agit de cæde Innocentium paruulorum) affert rationem, quare Zacharias magni Baptistæ parens fuerit interfectus inter templum & altare; nimirum quòd ad necem quæsitum filium ab Herode subtraxerit. sic verò scribit: *Cum quibus* (infantibus scilicet) *Herodes alium priùs natum infantem cùm interfecturus quæsiuisset, & non inuenisset, patrem eius Zachariam interfecit inter templum & altare, cùm effugisset filius cum matre Elisabeth.* Hactenus sanctus Petrus Episcopus. Ex cuius verbis hanc colligo pro ista sententia rationem: Si Ioannes quæsitus fuit ad mortem ab Herode, non igitur fuit in Hebron; nam filios in Bethlehem & in finibus eius natos iussit occidi, & non illos qui erant vel nati fuerant in Hebron, vt conceptis hisce verbis indicauit S. Matthæus 2. v. 16. *Tunc Herodes videns quoniam illusus esset à Magis, iratus est valdè, & mittens occidit omnes pueros qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus eius, à bimatu & infra, secundum tempus quod exquisierat à Magis.*

Hanc prævidens obiectionem Baronius, respondet: quòd licet Ioannes in domo patris sui in montanis Iudææ & in Hebron natus fuerit & educatus, & non in finibus Bethlehem vel Ierusalem; Herodes tamen suspicione nati Regis Iudæorum vehementer exagitatus fuerit. cùm enim ad aures eius peruenissent admiranda illa quæ in conceptione & natiuitate Ioannis contigerunt, eum Christum esse ratus (sicut postea etiam Iudæi eodem errore lapsi sunt, vt patet Ioan. 1, 20.) ipsum speciali mandato necari iussit, vt se à suspicione liberaret; quo non inuento, patrem occidit.

Baronij responsio.

Verùm hæc non diruunt argumentum: tum quia nec Euangelista nec alius vetustus Auctor huiusmodi asserunt; vnde eadem facilitate qua asseruntur, negari possunt: tum quia aperte loquitur sanctus ille Episcopus, vt noua interpretatione in aliam sententiam trahi nec possit nec debeat. Nec item furor & ira Herodis vsque eò peruenit, vt præter filios in Bethlehem & in finibus eius natos, iusserit occidi & alios. Si enim id attentasset Herodes, non tacuisset Euangelista, vt magis illius furorem exprimeret & exaggeratet, præsertim veritate existente, cùm illud non sit res parui momenti; & mens eius fuerit illius furorem & rabiem quantum potuit exprimere: & ob hanc rationem explicuit locum in quo erant occidendi pueri, *in Bethlehem, & in omnibus finibus eius*; illorum ætatem *à bimatu & infra*. Igitur si & in alios pueros extra Bethlehemiticos fines furor Herodis efferbuit, quare intraistos coarctauit Euangelista, ceteros consequenter alibi natos ab illius furore & rabie eximendo?

Reiicitur.

Edictum etiam illud particulare de interfectione B. Ioannis Baptistæ omissum ab Euangelista ostendat, & illi assentiemur. Oppositum potiùs posset dici, si alibi quàm in montanis natus dicatur: nam si Herodes illis credidit, quos consuluit, vbi Christus nasceretur; eorumdem etiam consilio illam exercuit crudelitatem, sicut multis placet, & deducit sanctus Hieronymus lib. 1. Comment. in cap. 2. Matth. ex illis verbis Angeli ad S. Ioseph: *Surge, & accipe puerum & matrem eius, & vade in terram Israël: defuncti sunt enim qui quærebant animam pueri. Ex hoc loco*, inquit S. Doctor, *intelligimus non solùm Herodem, sed & Sacerdotes & Scribas eodem tempore necem Domini fuisse meditatos.* Potuit etiam per eosdem à suspicione liberari, quòd Ioannes esset Rex Iudæorum; quoniam Rex Iudæorum oriundus erat ex familia Dauid & tribu Iuda, & in Bethlehem; sed Ioannes ex Leuitica & sacerdotali originem traxit, & non in Bethlehem natus.

Suspitio Iudæorum facta Innocentium occisio: & ob eandem Christus quæsitus.

Obiectio. Quòd si dicatur, Herodem suspicione Regno se priuandum ex nato paruulo, etiam proprium filium occidisse, vt Cap. x. 1. Peregrin. huius Libri diximus, etsi non fuerit de tribu Iuda, nec in Bethlehem natus; ita eadem ratione potuisse quærere in Hebron Ioannem ad necem.

Responsio. Respondeo disparem fuisse rationem de filio Herodis, & de Ioanne. Nam de illo potuit esse suspicio: quia etsi Herodes verè Iudæus non fuerit, se tamen esse iactabat ex tribu Iuda, & ex eadem consequenter credebat filium eius: & quamuis non fuerit in Bethlehem natus, potuit nihilominùs suspicari ipsum ablaturum ab eo Regnum, sed talem suspicionem habere non potuit de Ioanne ex Sacerdote genito, & in Hebron nato. Præterea commodiùs potuit quæri Ioannes ad mortem (vt posteà dicemus) si dicatur fuisse natum in montanis Iudææ, & loco de quo agimus, potiùs quàm in Hebron; quo non inuento, fuerit posteà pater eius interfectus.

Quartum argumentum. Quartò denique, ipse Euangelista indicare videtur non Hebron esse illam ciuitatem quam intrauit Virgo Maria, cùm salutauit Elisabeth, sed aliam in montanis Iudææ sitam: Hebron enim est in montanis Hebron; at hæc ciuitas est in montanis Iudææ, vt inquit Euangelista.

Montana plura. Ad cuius rationis intellectum obseruandum est, de pluribus montanis fieri mentionem in sacris Litteris, videlicet Ephraim, Moab, Saraim, Hebron, & Iudææ; sed de duobus posterioribus, quoniam proposito nostro deseruiunt, profero testimonia. De montanis Hebron sic legitur Ios. 11, 21. *In illo tempore venit Iosue, & interfecit Enacim de montanis Hebron.* De montanis Iudææ dicitur Luc. 1, 39. *Exurgens autem Maria, abiit in Montana*, &c. & ibidem 1, 65. *Et super omnia montana Iudæa diuulgabantur omnia verba hæc.* Montana Iudææ dixit, ad distinctionem aliorum, Hebron, Ephraim, &c. Imitatus Lucas Matthæum, qui volens exprimere locum proprium vbi Christus natus est, scilicet Bethlehem; quoniam nouit duo esse loca quæ Bethlehem nomine appellabantur, alterum in Galilæa, in Iudæa alterum, vt diximus extremo Capite 1. Peregrinationis huius Libri, dixit in Bethlehem Iudæ natum fuisse Christum: Iudæ dixit, ad differentiam Bethlehem Galilææ: ita diuus Lucas, vt explicaret proprium locum, vbi contigerunt ea quæ accidisse narrat in conceptione & ortu Ioannis Baptistæ, dixit: *Super omnia montana Iudæa diuulgabantur*, &c. *Iudæa*, ad differentiam montanorum Hebron. Sed in eadem venit beata Virgo Maria; ergo non in Hebron erat domus Zachariæ patris Ioannis Baptistæ; quia Hebron est in montanis Hebron. Et Christianus Adrichomius in sua Descriptione Geographica Terræ sanctæ in distinctis sitibus tamquam duo diuersa delineauit, montana Hebron, & montana Iudææ.

Montana Hebron à montanis Iudæa diuersa. Matth. 2, 1.

Si dicas, Hebron situari in monte Iuda, *Obiectio.* vt patet Iosue 21, 11. Dicendum ibi montem ad hæc montana non comparari, sed absolutè poni pro monte qui est in Iuda, id est, in Regno Iudææ: at cùm sermo fit de montanis cum limitatione Hebron vel Iudææ, ea additione eorumdem distinctio indicatur; sed ponitur, cùm agitur de accessu B. Mariæ in ciuitatem & domum Zachariæ, vt iam visum est. *Solutio.*

Nec, quæ à Baronio in contrarium adducuntur, nobis faciunt difficultatem; non Iuliani & Porphyrij blasphemia & calumnia in sanctum Euangelistam, quòd perfecti Historici munere non fuerit functus, quia nomen ciuitatis, in quam ingressa fuit B. Virgo Maria, prætermisit; quia iniusta est, non ex ratione, sed odio & ignorantia procedens. Aduertere enim isti debebant, quod docuit D. Augustinus lib. 16. de Ciuit. Dei cap. 2. Scripturæ sacræ Auctores (in quorum numero est sanctus Lucas Euangelista) non puros esse Historicos, sed etiam Prophetas; ac proinde non omnia scriptis mandari curasse; sed illa dumtaxat, quæ latens aliquod mysterium continere, & hominum saluti conducere videbantur. Et quia parum hominum saluti conducebat exprimere nomen illius ciuitatis, ideò prætermisit. *Responsio ad rationes quorumdam. Ad primum. Scripturæ sacræ Auctores quæ scripserint.*

Deinde supponamus sanctum Lucam ex-

exactum Hiſtoricum fuiſſe, an inde ſequitur neceſſariò debuiſſe exprimere nomen illius ciuitatis? an perfecti Hiſtorici tenentur omnia cum omnibus circumſtantiis minutatim & diſtinctiſſimè enarrare? Profectò ſi hoc neceſſarium eſſet, nullus vel ſacer vel profanus perfectus Hiſtoricus inueniretur. Nullus enim, quiuis ille ſit, omnium rerum circumſtantias diſtinctiſſimè explicat; nec eſt neceſſarium, vel expediens: tunc enim oporteret in cuiuſlibet facti, etſi exigui, explicatione ſingula conſcribere volumina, & in infinitum procedere. Et quis poteſt etiam maledicorum, & in primis hæreticorum, ſacrilega ora obturare, ne obmurmurent & oblaterent in ſeruos Chriſti, & veritatis æmulatores? Et ſi ſacer Euangeliſta proprio nomine ciuitatem illam nuncupaſſet, adhuc ſubſannatores illi hæretici, & veritatis perpetui hoſtes, in alio illi detraxiſſent, quòd non expreſſit in qua tribu ſit; Regia, an Sacerdotalis; refugij, an non; & in aliis impertinentibus. Optimè tamen ſe geſſit ſanctus Lucas, quoniam exactè expreſſit quod intendebat, & nobis prodeſſe poterat, Virginis Mariæ ſedulitatem, amorem in Deum & proximum; pro quo graues itineris labores non abhorruit, dum dicit, *Exurgens Maria, abiit*, &c. &, quæ in domo Zachariæ contigerunt, commemorat. Quare etſi nomen ciuitatis ſuppreſſit, non ideò mancus fuit, nec oſcitantiæ arguendus eſt: quia non mancus, & conſequenter non reprehendendus eſt ille, qui nihil neceſſarium ad intentum opus omiſit.

Ad ſecundum. Nec aliud ſecundo loco oppoſitum nos terret, quòd Hebron fuit ciuitas Sacerdotalis, nam & aliæ erant ciuitates Sacerdotales præter Hebron in Iuda: in quarum aliqua potuit habitare Zacharias; quoniam non omnes Sacerdotes habitabant in Hebron, vt manifeſtum eſt. Et quamuis Zacharias in Hebron domum habuerit, non in ea habitabat, quando beata Virgo Maria perrexit ad viſitandum Eliſabeth; quia intrauit in domum, quæ erat in montanis Iudææ, & non in montanis Hebron.

Præterea quæ neceſſitas vel efficax ratio perſuadet ad aſſerendum, Zachariam eſſe debuiſſe in Hebron vel alia ciuitate Sacerdotali? An in aliis habitare fuit aliqua lege interdictum Sacerdotibus? Non ſanè, imò in pluribus aliis habitabant, vt omnibus ſpirituale beneficium impertirentur. Ieruſalem Regia, & non Sacerdotalis erat; & tamen ex vtriuſque Teſtamenti paginis habemus ſemper in ea habitaſſe Sacerdotes. Et ex varia temporum mutabilitate, ciuitates aliaque loca initio partitionis Terræ ſanctæ tribubus aſſignata, mutari potuerunt, & de facto mutata fuere, vt Libro 1. notauimus.

Si quis tamen contendere vellet, debuiſſe habitare in ciuitate Sacerdotali, poſſet ei concedi, ſed tunc neganda eſſet conſequentia; igitur in Hebron. Nam potuit in alia Sacerdotali habitare, etſi nomen ſub ſilentio pertranſierit Euangeliſta.

Ex dictis patet quid dicendum ſit ad Peterium. *Ad Peterium.* Et inferiùs Cap. VI. huius Peregrinationis oſtendemus Ioannem Baptiſtam natum eſſe non in Hebron, ſed in montanis Iudææ non longè ab Ieruſalem. Nec illius conſequentia neceſſaria: nam tres illæ conditiones fundamentum ſuæ opinionis, quas Hebron conuenire dicit, & aliis ciuitatibus conueniunt, vt ex dictis & dicendis ex ſacra Scriptura & Deſcriptione Geographica Terræ ſanctæ conſtat; & melius: nam etſi in montibus ſit Hebron, non tamen in montanis Iudææ; quod tamen dicendum eſt, ſequendo Euangeliſtam.

Sed quonam nomine appellabatur illa ciuitas? Reſpondeo, certò & abſque dubitatione ſciri non poſſe, cùm illud tacuerit Euangeliſta. Si tamen coniectura in hac materia vti liceat, non aſſerendo ſed opinando dicerem, *Iether* appellatam fuiſſe ciuitatem illam in qua erat Zachariæ domus, in quam intrauit beata Virgo Maria, cùm Eliſabeth ſalutauit. Eius mentio fit Ioſ. 21, 14. & Deut. 6, 58. Inuitat vt hoc dicamus, quia hæc ciuitas fuit in tribu Iuda, data Leuitis, excellens inter ciuitates Leuiticas vel Sacerdotales, in montanis ſita, vt habetur Ioſ. 15, 48. & non in aliis quàm Iudææ, vbi etiam delineauit illam Adrichomius in Iuda num. 66. Et ſi hoc verum eſſet, Iulianus & Porphyrius haberent ab Euangeliſta expreſſum nomen ciuitatis, vt deſiderabant. Dicendo enim fuiſſe ciuitatem in qua erat domus Zachariæ Sacerdotis, indicant fuiſſe ciuitatem Sacerdotalem; ſed ne quis antonomaſticè intelligeret fuiſſe Hebron, præcipuam inter ciuitates Sacerdotales, addidit fuiſſe in montanis Iudææ. Igitur cùm ciuitas Iether in his montanis ſit præcipua ciuitas Sacerdotalis, hac deſcriptione ea poteſt intelligi.

Sed quonam illius ciuitatis nomen?

An Iether?

An inſignis ciuitas *Aën*, id eſt fons, quæ à Ioſue inter montanas ciuitates tribus Iuda numeratur? ita arbitratus eſt Hieronymus Natalis in Euangelia. Ratio huius opinionis; quia fons præclarus, qui in latere adhuc montis viſitur, & vallem facit ſua irrigatione amœnam in primis & fructuoſam: hic verò fons medius eſt inter duas domos Zachariæ, quæ ſitæ ſunt ad Occidentem. Sed de his poſteà.

An Aën? Ioſ. 15, 32

Sed

Montanorum Iudææ & domus Zachariæ dignitas.

Sed quæcumque sint præmissa, montana Iudææ, ciuitas & domus Zachariæ, illud certissimum & indubitatum, illa plurimùm facienda esse: etenim statim ac sanctissima Virgo Maria, Angelo nuntiante, fuit sacro fecundata fetu; & Mater Dei effecta, relicta ciuitate Nazareth, cum sponso suo Ioseph suæ virginitatis custode, vt communiter creditur, cum festinatione saliit montana Iudææ, vt præcursore Domini cognatam Elisabeth fecundatam inuiseret, & salutaret. Et non solùm illi ista perambularunt, sed simul millia millium & decies centena millia cælestium spirituum, qui semper adstant ante Dominum, per ea incedebant, Dominum suum in vtero Deiparæ velut in regali ferculo comitantes. Etenim si solius lectuli Salomonis tanta erat custodia, vt dicat Scriptura diuina, *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israël*; quæ Angelorum custodia illi lectulo non adhiberetur, in quo verus Salomon & verus pacificus iam quiescebat? Sed hæc & similia, quæ in isto laborioso itinere contigerunt vsque ad ciuitatem & domum Zachariæ, piis mentibus contemplanda relinquamus.

Cant. 3,7.

Hæc longiori fortasse disputatione quàm par erat prosecuti sumus, non altercandi sed inquirendæ veritatis gratiâ, & pro defensione veteris receptæ traditionis, quam à multis, qui in his partibus non fuerunt, impugnatam vidi; si tamen, quam secutus sum sententiam, veritati non aduersatur: nam in hoc, sicut in aliis, saniori iudicio me semper submitto.

CAPVT III.

De deserto S. Ioannis Baptistæ, in quo puerulus latuit, tertio loco quartæ Peregrinationis.

Ioannes Baptista Eremitarum Princeps.

SAnctus Ioannes Baptista, quem sancti veteres Patres, Basilius in Epist. ad Chilonem, Nazianzenus in Apolog. postquam ex fuga rediisset, Chrysostomus Homil. 69. in Matth. Hieronymus partim in Epist. ad Paulinum de Institut. Monachi, partim in Epist. ad Eustoch. de Virginit. Cassianus Collat. 18. cap. 6. Sozomenus lib. 1. Hist. cap. 12. Theophylactus in 1. cap. Luc. Isidorus lib. 2. cap. 15. de Officiis, Eremitarum Principem appellant; plura sua præsentia & pœnitentia sanctificauit deserta, vt ex Scriptura sacra, sancta Ecclesia & Ecclesiasticis Scriptoribus edocemur. In primis D. Lucas 1, 80. de Ioanne loquens, ait: *Puer autem crescebat & confortabatur spiritu: & erat in desertis vsque ad diem ostensionis suæ in Israël. Desertis* dixit, quia Eremitarum magister non vnicum habitauit, sed plura, ieiuniis, orationibus, eremitica vita & Angelica puritate consecrauit.

Plura deserta sanctificauit.

Secundò ex eiusdem Euangelistæ verbis cap. 3, 2. *Factum est verbum Domini super Ioannem, Zachariæ filium, in deserto. Et venit in omnem regionem Iordanis, prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum.* Regio autem Iordanis, in quam venit, desertum erat, vt dicitur Matth. 3, 1. *In diebus illis venit Ioannes Baptista prædicans in deserto Iudææ.* Ergo in pluribus habitasse desertis ex hoc habemus: in altero, in quo factum est super eum verbum Domini; & in altero, vbi prædicauit. Et hoc potest dupliciter intelligi: vno modo, quòd ex deserto citra Iordanem abierit in alterum trans Iordanem; alio modo, de solis desertis trans Iordanem. Etenim duplex fuit in Iudæa desertum, inquit Euthymius in Matthæum, & de his arbitror loqui, vnum interius, quod videlicet nemo, vel rarissimi penetrabant; alterum exterius, vbi non habitabant quidem homines, tamen per illud sæpiùs iter faciebant. Et Ioannes quidem partim in illo interiori, partim in aliis, de quibus posteà, mansit vsque ad annum trigesimum; in postremo verò vitæ suæ anno mansit in deserto exteriori: quod, aliorum respectu, vel saltem illius interioris, non videbatur desertum. Lucas secundo loco adductus, non desertum, sed regionem nominauit; etsi verè desertum esset, vt dixit sanctus Matthæus. Et si aliter non fuisset, & homines per illum non transissent, non fuisset opus Ioanni ex interiori deserto egredi.

Duplex in Iudæa desertum.

Ad idem S. Ecclesia, dum in laudem S. Ioannis cecinit:

Antra deserti teneris sub annis,
Ciuium turmas fugiens, petisti, &c.

Ecclesia in Festo sancti Ioannis Baptistæ.

Accedunt & testimonia Patrum; Eusebij lib. 9. Demonst. Euangel. c. 5. & aliorum qui Principem Eremitarum appellant: sed, omnibus aliis omissis, vnicum audiamus Origenem Homil. 11. in Lucam sic loquentem: *Dignè igitur, qui sic conceptus fuerat & natus, non expectauit vt à patre nutriretur vsquè in diem ostensionis suæ ad Israël; sed recessit, fugiens tumultum vrbium, populi frequentiam, vicinitatum: & abiit in deserta, vbi purior aër erat, & cælum apertius, & familiarior Deus: vt, quia necdum sacramentum Baptismi nec prædicationis tempus aduenerat, vacaret orationibus, & cum Angelis conuersaretur, appellaretq; Dominum, & illum audiret respondentem, atque dicentem, Ecce adsum. Sicut enim Moyses loquebatur, & Deus respondebat ei; sic puto quòd Ioannes locutus fuerit in deserto, & Domi-*

Fugit homines, vacat orationi, cum Angelis conuersatur.

Dominus respondit ei. Hoc arbitror, certa de Scripturis ratione commotus. Si enim maior in natis mulierum Ioanne Baptista fuit nemo, Moysi autem respondit Deus; consequenter respondit & Ioanni, qui maior Moyse fuit, qui est nutritus in eremo: cuius nativitatem idem Archangelus, qui & Domini, nuntiavit: cuius pater, qui eum nasci non credebat, obmutuit. Hæc Origenes.

Quæ deserta incolerint.

Sed quot fuerunt deserta, quæ sanctus Domini præcursor sanctificauit? Respondeo plura fuisse: quædam vltra, quædam citra Iordanem. Illorum duorum alterum nominari interius, alterum exterius, ex Luca, Matthæo & Euthymio priùs vidimus. Ista tria posset fortasse quispiam recensere; alterum in Hebronica regione, in quo puer mansit; locum designauit Adrichomius in Iuda n. 101. alterum in montanis Iudææ: de quo nos in præsentia ex communi omnium traditione agimus. & Fr. Anselmus, dum dicit: *Ab Hebron medium milliare est desertum vbi Ioannes Baptista mansit, postquam egressus est de primo deserto, quod est prope Ierusalem*, &c. & tertium in deserto Quarantanæ; de quo Adrichomius in Beniamin num. 97. Fortè citra Iordanem ponere duo satis esset, & à nobis assignatum, & illud Quarantanæ. Adrichomius ideò alterum circa Hebron designauit locum, quia in illa ciuitate natum credidit, cum Auctoribus quartæ opinionis de ciuitate Zachariæ, quam Capite præcedenti adduximus, & refellimus. Nisi quis dicat, priùs fuisse in isto in montanis Iudææ; & posteà grandiusculum ad alterum apud Hebron profectum fuisse; verùm nullam huius memoriam audiui; & ex his ad alia trans Iordanem, vbi prædicandi munus accepit, & opere consummauit, transisse.

Deserti in montanis Iudææ à fonte sancti Philippi distantia.

Ad desertum citra Iordanem in montanis Iudææ, in quo Ioannes puerulus habitauit, ex fonte S. Philippi perueniunt peregrini, peracto quatuor milliarium itinere per altos & præruptos montes: est in illius plaga Septemtrionali, parum ad Occidentem declinando, in alta & prærupta rupe. Antrum an natura, an hominum ingenio & labore, an potiùs Dei peculiari prouidentia suo præcursori excisum, vt opportuno tempore ei habitaculum esset? Est in forma cubiculi, portam habens per quam ingredimur, & fenestram per quam prospicitur in desertum & proximam regionem.

Forma.

Lapidem S. Ioannis hîsisse.

In capite huius antri, vel speluncæ, supereminet rupes ad formam angustissimi lecticuli: qui lectus S. Ioannis Baptistæ appellatur; quoniam super eum sacer infantulus carnem domans cubabat. Spatiosum est hoc antrum, pulchrum, & solitariis hominibus valdè accommodatum. Crediderim probabiliter, sic fuisse à Christi fidelibus aliisque eremi cultoribus accommodatum: alios enim sanctos & solitarios viros hoc incoluisse desertum contemplationi vacantes, communiter fertur, & credibile est. Antequam illud ingrediamur, est introitus ex vna parte in Ecclesiam supra rupem & antrum ædificatam, S. Ioanni Baptistæ dicatam. Deinde ex ista, per difficilem viam, in sacrum specum descenditur.

Ecclesia S. Ioannis.

Extra specum S. Ioannis, sed prope, est limpidissimus fons aquæ viuentis, quæ ex ipsa rupe oritur: clara, dulcis & optima, æstiuo tempore frigida, non item verno. Post preces in sacro specu fusas, ad eam sub rupe vnde fluit manentes peregrini, ea hausta recreantur, & hilares reliquum itineris vsque Ierusalem perficiunt.

Fons.

Aquæ huius fontis meminisse videtur S. Ecclesia in quodam Hymno S. Ioannis Baptistæ, dum canit:

Cui latex haustum, ——

id est, cui Ioanni aqua huius fontis præbuit potum.

Eiusdem deserti & fontis meminit Bonifacius lib. 2. de Perenni cultu Terræ sanctæ hisce verbis: *Inde consurgentibus*, id est ex fonte S. Philippi, *ascendimus montana Iudææ, & ad quatuor milliaria Septemtrionem versus, ad Occidentem parum declinando, occurret nobis Ioannis Baptistæ desertum, in quo dum puer esset latitabat, & confortabatur spiritu vsque ad diem ostensionis suæ in Israël. Ingredientes antrum, in quo, vt cernis, stillat aqua gutta, Ioanni præbens solatium.*

An ista spelunca illa est; in qua nocte quadam latuerunt Magi, cùm iussi sunt regredi per aliam viam in regionem suam, quam posteà S. Theodosius Cœnobiarcha inhabitauit? de qua Cyrillus fidelis Historicus in illius Vita sic scribit: Quædam fama ab alto à parentibus tradita ad nos vsque peruenit; quæ dicit, fideles illos Magos, qui Bethlehem venerunt ab Oriente, vt Deo, qui ex superna specula in Occidentem huius mundi venerat, aurum, thus & myrrham piè admodum offerrent; cùm ab Angelo responsum accepissent, ne eamdem viam rursus inirent, sed per aliam prorsus redirent in suam regionem; hos, inquam, dicit Magos in hac spelunca in reditu fuisse diuersatos: cumque hîc noctu dormijssent, manè ingressos esse viam quæ ducebat in patriam, &c. Etenim cùm in his partibus nulla spelunca sit ista celebrior, & alibi non latuisse dicantur, probabiliter dici posset, in ista fuisse diuersatos. Nisi malis dicere, se absconEstat Cyrilli Histor. de Vita Theodosij apud Metaph. die 11. Ianuar.

Tres Magos in isto latuisse antro probabile.

abscondisse in illa proxima loco Natiuitatis Domini, quæ nunc appellatur *Antrum B. Mariæ Virginis*: de qua suprà Capite 1. 111. Peregrinationis huius Libri egimus. Sed hæc nimis proxima ciuitati & omnibus peruia.

Tres difficultates.

Sed quo tempore vitæ suæ secessit in desertum S. Ioannes? Quam ob causam? quomodoque in eo vitam transegit?

Prima, quo tempore Ioannes in desertum secesserit.

Circa primam difficultatem, alterum certum, alterum dubium inuenio. Certum, quòd in pueritia tenerisque sub annis secessit in solitudinem. Probatur in primis ex D. Luca, qui de eo sic dicit: *Puer crescebat & confortabatur spiritu: & erat in desertis vsque in diem ostensionis suæ in Israël.* Luc. 1, 80. Ergo vsque ad trigesimum annum vitæ suæ hominibus incognitus fuit, & ab eorũ conuersatione fuit S. Eremita segregatus. Confirmatur ex dubitatione Iudæorum: isti enim Ioan. 1. petunt à Ioanne quis ipse sit, num Elias, an aliquis alius. si enim versatus fuisset in domo parentum, certò sciuissent eum esse Ioannem Zachariæ filium & Elisabeth. At quia per tot annos latuerat, videlicet ab infantia vsque ad annos triginta, nemo erat, qui eum agnosceret; & ideò petunt, *Tu quis es?* & quia videbant eum vestitum habitu eremitico, & quo eximius eremi cultor Elias indui consueuerat, & simul sciebant rediturum Eliam ante Christi aduentum, ideò quærunt, *Elias es tu?*.

In pueritia.

Secundò, docet idem Ecclesia in Hymno prius memorato; & ex statim dicendis, ex secundo dicto, ampliùs apparebit.

Secunda, quo pueritiæ anno.

Secunda difficultas est, quo anno suæ pueritiæ abierit in desertum sanctus puer.

Franciscus de Maironis, Theologus illuminatus, in Sermone de Baptista, ait Ioannem quinto ætatis anno in solitudinem abiisse, trigesimo iussu Domini ad docendum populum exisse, in deserto autem viginti quinque annis traduxisse vitam.

Iacobus Valentinus Episcopus Christopolitanus hæc scribit in Commentariis Cantici Deiparæ Virginis: *Opinio accelerati vsus rationis in Ioanne, habita est tamquam certa, quasi apud omnes Doctores, eò quòd Ioannes in tertio anno iam vtebatur libero arbitrio; quia ingressus est desertum ad pœnitentiam agendam,* &c.

Sed minori tempore quinque vel trium annorum secessisse in desertum, videlicet annum agentem cum dimidio, sentiunt alij. Nicephorus Hist. lib. 1. cap. 14. cùm agit de Herodis infanticidio, hæc scribit: *Seruator quidem ita, vt dictum est, in Ægypto exulabat. Filius autem Zachariæ Ioannes, in cuius natiuitate patris vox soluta est, cùm primùm ab ille Ioannis nomen in tabula fuisset exaratum, alterum cum dimidio annum agebat, & vnà cum matre Elisabeth in spelunca quadam ad regionem montanam saluus conseruabatur, fortasse Herodis sanguinariam effugiens manum: atque inde in solitarijs locis libenter versari solitus, Angelo, duce vsus, in remotiores siluarum recessus secessit.* Hæc Nicephorus. Eadem Cedrenus in Compendio historiæ; qui addit, Elisabeth post dies quadraginta in eadem spelunca obijsse, Ioannis verò curam ab Angelo esse susceptam.

Cum matre Elisabeth in spelunca secessit.

Mortua matre, curam illius Angelus suscepit.

Et quantum ad hoc, quod Cedrenus ait de cura suscepta ab Angelo de Ioanne, licet sit sine certo Auctore relatum, est tamen valdè rationi & pietati consentaneum. Si enim Ismaëlis, quem mater proiecit, cũram suscepit Angelus, & Moysis similiter non est oblitus Dominus cùm fuit in fluuium proiectus; Eliam modò per Angelum, modò per coruum, & Danielem in lacu leonum in Babylone existentem per Habacuc Prophetam Angeli ministerio ad eum cum prandio delatum pauit, vt tradunt sacræ Litteræ; & similia de aliis legimus: quare non possumus piè opinari Dominum sui sanctissimi Præcursoris curam per Angelum suscepisse? Crediderim verò eius curæ præcipuè institisse in illius tenera ætate, cælesti eum pane nutriendo: cui, postquam adoleuit, esca erat locusta, & mel siluestre, in victu & vestitu pauperrimam vitam ducenti. Quare optimè S. Bernardus in Sermone de S. Ioanne Baptista dixit: *Venit Ioannes non manducans, nec bibens, planè nec vestiens. Sicut enim non est locusta cibus nisi aliquorum fortè irrationabilium animalium, sic nec pilus cameli hominum est indumentum.* Hæc S. Bernardus. Et hæc de secunda difficultate.

Gen. 21, 15. Exod. 2, 3. 3. Reg. 19, 5. 3. Reg. 17, 6. Dan. 14, 35. Matth. 3, 4 & c. 11, 18. Marc. 1, 6.

Tertia, quare puer in desertum secesserit.

Quantum ad tertiam, quare S. Domini præcursor in tenella ætate secesserit in desertum, duplex præcipua assignatur causa: altera, Herodis persecutio; altera, studium conseruandæ castitatis & innocentiæ, & vt perfectior euaderet in conspectu Domini.

Ob Herodis persecutionem,

Priorem attulit S. Petrus Episcopus Alexandrinus & Martyr can. 3. Serm. de Pœnitentia, vbi agens de cæde Innocentium, & hæc de Ioanne dixit: *Cum quibus Herodes & alium priùs natum infantem cùm interfecturus quæsiuisset, & non inuenisset, patrem eius Zachariam interfecit inter templum & altare, cùm effugisset cum matre Elisabeth.* Hæc alle. & Nicephorus vbi suprà, & cap. 8. quem adducit Adrichomius in Iudæum. 243.

& virginitatem conseruare.

Posteriorem causam dedit S. Hieronymus in Epist. 4. ad Rusticum, dicens: *Ioannes Baptista sanctam habuit matrem, Pontificisq;*

eisq; filius fuit; & tamen nec patris affectu nec matris opibus vincebatur, vt in domo parentum cum periculo viueret castitatis: viuebat in eremo, & oculis desiderantibus Christum nihil aliud dignabatur aspicere.

Et S. Ecclesia in Hymno S. Ioannis ad idem dixit:

Antra deserti teneris sub annis,
Ciuium turmas fugiens, petisti,
Ne leui posses maculare vitam
Crimine lingua.

Lege Canisium lib. 1. cap. 2. de Corruptelis verbi Dei & Ioanne puero. Et hæc pro nunc satis de sacro specu sancti pueri Ioannis.

CAPVT IV.

De domo Zachariæ patris Ioannis Baptistæ, in quam B. Virgo Maria intrauit ad salutandum Elisabeth, quarto loco quartæ Peregrinationis.

EX antro S. Ioannis Baptistæ progredientes peregrini versus Orientem, per altos præruptosque montes duorum milliarium itinere perueniunt ad domum in pede montis, vel potiùs in colle, ædificata: quæ fuit domus Zachariæ patris magni Ioannis Baptistæ, in quam introiuit beata semper Virgo Maria sacro fecundata fetu, cùm cognatam suam sanctam Elisabeth præcursore Domini præguantem salutauit; vt communis & vetus habet traditio; & ideò vsque in hodiernum diem domus S. Zachariæ appellatur.

Domus Zachariæ in Ecclesiam conuersa: eius forma.

Hæc domus olim à piis fidelibus fuit in Ecclesiam conuersa; estque bipartita, altera inferiùs, altera superiùs ædificata; retenta ferè, vt credo, forma domus, paucis immutatis pro templi structura, ad illius memoriam conseruandam, & distinctorum mysteriorum ibidem operatorum memoriam repræsentandam. Inferior parua est ad sacelli similitudinem: in capite, id est Orientali plaga, est fornix, siue cappella cum suo altari. Ex ista per scalam lapideam, quæ est ad illius latus, etsi ferè demolita, est ad superiorem ascensus. Scala ista illamet esse creditur, per quam B. Virgo ascendit & descendit tempore visitationis, & quoad mansit apud Elisabeth.

Superior Ecclesia pænè tota collapsa & diruta est; solæ ruinæ & aliquid superioris partis apparent: est ad hanc accessus, nedum per scalam, sed ex omni parte per ruinas eius: non ab inferiori dissimilis. Cernuntur in ipsis adhuc picturæ, etsi temporis iniuria admodum consumptæ: circumcirca sunt multæ concauitates & ædificiorum ruinæ.

Prope magnum est ædificium, intra quod est puteus vel cisterna; fertuŕque olim ibi fuisse sanctimonialium monasterium. *Circa ædificia.*

In inferiori Ecclesia, quam primò intrauit B. Virgo Maria, erat Elisabeth, quando fuit à Virgine salutata: ad cuius vocem ipsa cum filio fuit Spiritu sancto repleta; & omnes cælesti gaudio perfusi, exteriùs etiam lætitiæ signa dederunt: & in primis B. Deipara, mente spirituque lætabunda, in laudes Dei se profudit, dicens: *Magnificat anima mea Dominum*, &c. In cuius memoriam huc venientes fideles, accensis luminibus, postquam secretò ad Deum preces fuderunt, alta voce cum iubilo Canticum B. Mariæ, *Magnificat*, &c. decantant. *Vbi Deipara salutauit Elisabeth, & cecinit, Magnificat, &c.* Luc. 1. 47.

In superiori verò, Zacharias iam ex incredulitate mutus, cùm in circumcisione pueri eius domestici innuerent illi quem vellet vocari eum, postulans pugillarem scripsit, dicens: *Ioannes est nomen eius.* Et mentis filij vinculis linguæ eius solutis, prophetauit, & Deo gratias agens, dixit: *Benedictus Dominus Deus Israël*, &c. Quare & hic in horum memoriam idem Canticum *Benedictus*, &c. cantatur. Acta in hac domo enarrat D. Lucas cap. 1. Plures, qui de locis sanctis scripserunt, huius domus meminerunt: Bonifacius tamen & Adrichomius arbitrantur, quæ diximus accidisse in superiori Ecclesia, contigisse in domo, in qua Ioannes fuit in lucem editus; de qua Cap. VI. præsentis Peregrinationis. Nos hæc scripsimus, vt ex veteri traditione didicimus. *Vbi Zachariæ sanatus prophetauit, & dixit, Benedictus, &c.*

Et domus ista dignissima profectò est, & in omni veneratione habenda; tum propter continuos illius sanctos habitatores, Zachariam, Elisabeth & Ioannem; tum propter sanctissimos hospites, Mariam Virginem cum puero suo Iesu, quem gestabat in vtero, & sponsum suum Ioseph, cum innumerabili Angelorum multitudine, qui Domino suo assistebant; tum propter in ea operata mirabilia. Ac ideò meritò, ad hæc respiciens Seraphicus Bonauentura lib. de Vita Christi, exclamauit, dicens: *O qualis domus, qualis camera, qualis lectus, in quo & in qua commorantur tales matres talibus filiis fecundatæ, Maria & Elisabeth, Iesus & Ioannes: sunt autem ibi magnifici senes, Ioseph & Zacharias. Quid, quæso, iucunditatis defuit sancto Ioseph, siue dum nouam coniugem in itinere comitatur, siue dum in obsequio Elisabeth demoratur?* Hæc S. Bonauentura. *Dignitas huius domus.*

Digitized by Google

CAPVT V.

De fonte B. Mariæ Virginis, quinto loco quartæ Peregrinationis.

EDomo Zachariæ egressi pij fideles, proficiscuntur ad locum natiuitatis sancti Ioannis Baptistæ per viam planam & iucundam: à cuius dextera colles, à sinistra horti virentesque campi; vbi rosæ, oleæ & nuces, quæ alibi non cernuntur: est vnius parui milliarij longitudinis.

Locus & conditio fontis. In huius viæ medio, in dextera parte occurrit pulcherrimus fons magnam aquarum copiam largiens: qui per campos vallesque transiens, tandem in mare magnum fluit, vt dicit Adrichomius in Iuda n. 243. fontemque B. Virginis appellat.

Nomen, causa, ratio. Eiusdem fontis meminit Bonifacius libro 2. de Perenni cultu Terræ sanctæ; & appellari dicit fontem S. Ioannis Baptistę, quoniam ipsum ex eo bibisse creditur: vnde peregrini, tum propter Sancti deuotionem, tum propter aquæ bonitatem, ex ea bibunt; & impletis ex ea vasculis, eam ad propria deferunt.

Fortasse tempore Bonifacij fons S. Ioannis appellabatur, verùm nunc communiter appellatur fons S. Mariæ Virginis. Et, ni fallor, potiori ratione quàm S. Ioannis: quantò dignior & nobilior est Maria Ioanne, & denominatio à nobiliori facienda. Dicitur autem fons B. Mariæ; quoniam ex eo sanctissimam Virginem aquam hausisse & bibisse tempore trium mensium, quibus in his partibus mansit apud cognatam suam Elisabeth, traditio est.

Et non ita facilè persuaderi possumus, sanctum Domini præcursorem ad huius fontis aquam hauriendam & bibendam accessisse; quippe qui adhuc infantulus in desertum abiit, & in desertis prouectæ ætatis vitam transegit. Et præterea, vt alius fons, de quo suprà Cap. 111. potest dici S. Ioannis, ita hîc ad illius distinctionem fons B. Mariæ Virginis.

CAPVT VI.

De loco natiuitatis S. Ioannis Baptistæ, qui sexto loco venerationi habetur in quarta Peregrinatione.

Villa & Ecclesia S. Ioannis. RElicto fonte S. Mariæ Virginis, prosequendo iter, intramus quamdam villulam, paucas & pauperculas continentem domunculas, ex lapidibus, lignis & luto pro maiori parte compactas, quas rustici illi Mauri inhabitant. Ab omnibus villa sancti Ioannis Baptistæ appellatur. In ista pulchra est Ecclesia D. Ioanni sacrata; à qua & villa ipsa nomen accepit: fertur enim in loco, vbi constructa est, illum fuisse natum, quo inter natos mulierum non surrexit maior.

Natiuitatis locus. In capite Ecclesiæ, à latere dextro monstratur locus in capellam versus, vbi à sterili vetulaque Elisabeth fuit in lucem editus Ioannes. de ea sic loquitur Bonifacius: *In eadem Ecclesia, in quadam capella in petra excisa, Ioannis cunabula venerantur.*

Forma. Anno Domini 1621. quando sanctus locus purgatus fuit, vt postea dicemus, situs peculiaris natiuitatis deprehensus fuit opertus marmore, & in ejus medio stella sculpta ad similitudinem loci Natiuitatis Domini in Bethlehem; residuum verò pauimenti opere tessellato stratum: & hoc non modicam fidem præstat veteri traditioni de loco natiuitatis S. Ioannis.

Singulis annis in Natiuitate S. Ioannis Baptistæ eò se conferunt Fratres, &, persoluto pretio Arabibus ibi habitantibus, mundato loco, in eo Officium & Missa maiori qua potest pietate & solemnitate à Fratribus decantatur. Quibus completis, Ierusalem, vel Bethlehem, vnde venerunt, reuertuntur.

Veneratio, cultus & dignitas. Omni veneratione dignus est locus iste; quandoquidem nobilitatus fuit nedum præcursoris Domini natiuitate, sed ampliùs illustratus fuit præsentia S. Virginis Mariæ & Filij eius, quem in vtero gestabat. Etenim grauissimorum Doctorum sententia est, & communem appellat Lyranus, S. Dei Genitricem interfuisse partui Elisabeth, primamque suscepisse natum infantem in vlnas suas, & non nisi post illius circumcisionem Nazareth rediisse.

Natiuitati Ioannis interfuit. Deipara. Sed vnicum nunc audiamus grauem pariter & pium Seraphicum Bonauenturam, qui capite 5. Vitæ Christi inquit: *Peperit Elisabeth filium, quem Domina leuauit à terra, & diligenter aptauit, vt expediens erat. Parunlus autem ipsam quasi intelligens aspiciebat; & cùm eum matri porrigere vellet, ad eam caput vertebat, & in ea solùm delectabatur.* & adhuc idem S. Doctor ibidem subiungit: *O felicem infantem, quem calorum Regina natum excepit, si rationis vsu pollebat, quis posset fando explicare, quanta in Deipara gremio, tum Virgini tum Christo maximè coniunctus, lætitia exilierit? Considera*, inquit, *magnificentiam Ioannis, nullus vmquam talem gerulam habuit.* Hactenus sanctus Doctor.

Difficultas. Contra dicta difficultas proponenda est & diluenda, vt præcedentium traditionum veritas

ed by Google

veritas magis eluceſcat, & ſtabiliatur. Videtur ſuperuacaneum tot loca multiplicare, in quibus diuerſa myſteria operata aſſeruntur: nam quæ S. Lucas cap. 1. commemorat de viſitatione beatæ Virginis Mariæ & natiuitate ſancti Ioannis Baptiſtæ, probabile eſt credere in vna & eadem domo contigiſſe; quia ratio & auctoritas oppoſitum non perſuadet: & vnius dumtaxat domus, & non duarum mentionem facit Euangeliſta; at facilè feciſſet ſi plures extitiſſent, vt fecit deferti, & alterius Zachariæ.

Soluio. Reſpondetur, quòd licet ratio vel auctoritas illud non perſuadeat, nec ſit quæ diſſuadeat; traditionem tamen habemus illuſtriſſimis monimentis confirmatam, quæ ineficaci rationi præferenda eſt. Et ratio dubitandi nullius eſt momenti: quia licet fieri poſſit, vt in vna & eadem domo concipiat & pariat mulier, & alia plura operentur; tamen valdè accidentarium eſt, & non rarò contingit, vt in vna fetum ſuſcipiat, & in alia in lucem edat, diuerſis occurrentibus occaſionibus, vt continua docet experien-
Gen. 11, 1. 21, 2. & 35, 18. tia. An non Sara concepit in conualle Mambre Iſaac filium ſuum, & in Geraris peperit? & Rachel non peperit Beniamin in terra Iuda, in via quæ ducit Ephratam, quem conſtat concepiſſe in Meſopotamia? vt alias mulieres miſſas faciam, quæ in vno loco conceperunt, & in alio pepererunt: ita Eliſabeth accidere potuit, vt antè diximus. Quæ diſtincta loca etſi non recenſuerit Euangeliſta, non officit: quoniam illius inſtitutum fuit recenſere mirabilia quæ in domo Zachariæ contigerunt, quando in eam intrauit beata Virgo, & in ea habitauit; minùs verò principalia relinquere: quorum alterum eſt, an Ioannes natus ſit in domo Zachariæ, in qua creditur genitus, & in qua Virgo Maria ſalutauit Eliſabeth, an potiùs in altera. Hæc relinquit patribus, qui per generationes enarrarent filiis ſuis. Et præterea potuit in hac domo, de qua nunc agimus, concipi & naſci Ioannes, & in altera Virginem ſalutaſſe Eliſabeth; & vtriuſque dominus potuit eſſe Zacharias, vt quibuſdam placet.

Probabilis etiam occurrit ratio, vt piè credamus, D. Ioannem, Chriſti futurum præcurſorem, in altera domo fuiſſe conceptum, & in altera in lucem editum; vt ſicut in pleriſque aliis, ita in conceptione & ortu Chriſto aſſimilaretur. Deus optimus maximus ita aliquando diſpoſuit, vt Sancti illi, quos ſibi in vita aſſimilari voluit, ſint & in natiuitate quantum fieri poteſt ſimiles, vt ex ortu, qualis futurus eſſet euentus & finis, quiuis non obſcurè diiudicare poſſet. Hoc ſufficiat exemplũ. Seraphicum Patrem ſanctum Franciſcum, qui in vita Chriſto ſimillimus fuit, vt in eius Conformitatibus clarè videre licet, voluit etiam Chriſtus ſibi in natiuitate aſſimilari. Cùm enim appropinquaret matri tempus ipſum pariendi, nec in domo ſua, vbi fortè fuerat conceptus, parere poſſet; ab Angelo admonita eſt vt ſtabulum ingrederetur, vbi ſine moleſtia pareret; ibidemque, obediens voci Angelicæ, eum peperit. Voluit enim Deus, vt ex ortu Franciſci, in quo Chriſto fuit ſimilis, qui ſimiliter in ſtabulo Bethlehemitico natus fuit, qui conceptus fuerat in Nazareth, intelligeret mundus, ipſum eidem & in vita fore ſimillimum, vt verè fuit. Ita dicendum arbitror de Ioanne Baptiſta, qui in vita Chriſto ſimillimus eſſe debebat, eidem etiam in conceptione & natiuitate aſſimilari voluit.

in innocentia, prædicatione & magiſterio, &c.

Similis quidem in vita, quia vtriuſque innocens & immaculata. Ioannes non prædicauit, niſi poſtquam in deſerto vigiliis & orationibus ſe ad illud munus diſpoſuit: & Chriſtus, antequam Euangelium prædicaret, ieiunauit in deſerto quadraginta diebus & quadraginta noctibus. Ioannes diſcipulos habuit, & Chriſtus habitus eſt, quoniam Chriſto vitam ſimillimam ducebat; & Chriſtus diſcipulos habuit, & verè Chriſtus & Meſſias fuit. Chriſti conceptio fuit per Angelum nuntiata, & miraculosè in Virgine operata; & altera Ioannis fuit per eumdem Angelum illius genitori prædicta, & in ſterili matre, etſi non ſuperueniente Spiritu ſancto in eam ſicut in Virginem, non niſi tamen peculiari Dei auxilio & gratia operata. Et denique, vt alia præteream, ſicut beata Virgo Maria Chriſtum, quem Nazareth in propria domo concepit, in Bethlehem poſteà in aliena peperit: ita Eliſabeth, quæ in propria domo Ioannem concepit, in altera poſteà eumdem peperit; in iſta, inquam, de qua locuti ſumus: quæ nunc, prò dolor! in ſtabulum beſtiarum verſa eſt, ſicut olim fuit locus Natiuitatis Saluatoris.

Fieri ſiquidem potuit, vt B. Eliſabeth partus ſui tempore appropinquante, aliqua de cauſa, vel Spiritus ſancti impulſu, quo repleta erat, propria domo relicta, ad hanc eidem proximam diuerterit: vbi dum eſſet, tempore pariendi accelerato, filium ſuum pepent; qui poſteà ſublatus, in patriam domum delatus cum matre, in eadem circumciſus fuit; & cetera contigerunt, quæ ſanctus Lucas cap. 1. commemorat. Quemadmodum & ſacratiſſima Deipara, lui puriſſimi partus tempore appropinquante, propria habitatione Nazareth relicta, perrexit cum ſponſo ſuo Ioſeph in Bethlehem, vt deſcriberetur in libris Auguſti Cæſaris,

Ioannes tum in alia tum in ortu Chriſto ſimilis.

vbi Christum peperit Saluatorem; quem posteà portauit Nazareth, vbi proprium habebat domicilium.

Dubij solutio.

Quòd si dicas; Si in hac domo peperit Ioannem Elisabeth, in eadem debuit manere quadraginta diebus, secundùm legem parientis masculum, de qua suprà; Dicerem, discedere ex domo partus aliena, & intrare in propriam eidem proximam, non esse facere contra legem: nec enim lex illa debuit in tanto rigore obseruari, illius præsertim causâ considerată.

Cap. VI. 2. Peregrin. & IX. 11. huius Libri.

Si iterùm obiicias, beatam Virginem Mariam mansisse in spelunca Bethlehemitica, vbi peperit Christum, quadraginta diebus, nec in aliam proximam commodiorem domum diuertisse, ne faceret contra legem;

Respondemus, disparem esse rationem de Virgine & Elisabeth: Virgo enim non habebat domum propriam, vel alicuius amici & propinqui in Bethlehem (diuertisset enim ad eam tempore partus) ideò in sacro specu remansit, sed Elisabeth propriam domum habebat proximam loco partus, ideò potuit ad eam se conferre.

Vel dicatur mansisse puerperam in hac natiuitatis domo, in eademque fuisse puerum circumcisum; sed in altera quæsitum fuisse Zachariam de nomine imponendo filio, in qua loquela ei restituta, cecinit, *Benedictus Dominus*, &c. Si etiam credatur in domo natiuitatis Zachariæ fuisse loquelam restitutam, vt placuit Bonifacio & Adrichomio, non haberem pro inconuenienti, & cantari à fidelibus *Benedictus*, &c. ad honorem Zachariæ domini eiusdem domus.

Sæpe locus purgatus, & Christiano cultui restitutus.

Anno Domini 1621. loca sancta moderatus est P. F. Thomas à Nouaria: hic obtinuit sacram ædem natiuitatis sancti Ioannis Baptistæ, non sine magnis sumptibus, laboribus & periculis, à maioribus Turcarum Ierusalem; quam, vt decebat, purgauit, & Christiano cultui restituit: habitabantque in ea Fratres, vt videre est in quadam relatione ab eodem Patre edita, de huius sacri templi recuperatione: verùm non multis pòst mensibus, Magarbinis in seditionem conuersis, qui in eam ius habere contendebant, amicorum persuasione, ad maiora euitanda incommoda, non sine dolore & lacrymis sacrum locum reliquerunt Fratres: qui

Iterùm profanatur.

iterùm in stabulum bestiarum versus est. Et hæc sufficiant pro locis D. Ioanni Baptistæ sacris.

CAPVT VII.

De Ecclesia & Monasterio sanctæ Crucis prope Ierusalem, septimo loco quartæ Peregrinationis.

POst sacram visitationem locorum, tam baptismo Æthiopis, Visitatione beatæ Virginis Mariæ, quàm pœnitentia & ortu Ioannis sacrorum, prosequuntur pij peregrini iter suum ex Ecclesia S. Ioannis per montes & colles versus Ierusalem: in quo adhuc alterum locum veneratione dignum inuisunt, antequam Ierusalem perueniant: templum, inquam, & monasterium sanctæ Crucis; quod quatuor milliaribus à loco natiuitatis sancti Ioannis, & duobus circiter ab Ierusalem distat.

Templum S. Crucis à Helena ædificatum.

Hoc templum cum cœnobio dicitur sanctæ Crucis, ad eiusque honorem ab Helena sancta ædificatum. Ea ratione, quòd ex loco vbi constructum est, vt communi traditione asseritur, præcisa fuit olea, ex qua sacratissima Crux nostri Saluatoris fuit efformata. Locus peculiaris, in quo illud lignum præcisum dicitur, sub maiori aleari Ecclesiæ monstratur, opertus marmore: quem peregrini & alij Christiani exosculantur, & ad honorem Christi Crucifixi venerantur.

Vbi præcisa fuit oliua, ex qua Crux Dominica formata fuit.

Adducta traditio in eo fundatur, quòd sancta Crux Saluatoris efformata creditur ex quatuor lignorum generibus, Palma, Cypresso, Oliua & Cedro, vt tradit Auctor Historiæ Scholasticæ in Euang. cap. 172. D. Bernardus in libro de Passione cap. 46. idem alij. De origine ligni sanctæ Crucis & materia illius plura traduntur à Doctoribus, & ab illis præsertim, qui de sancta Cruce ex professo scripserunt, curiosa potiùs & apocrypha quàm vera. Vide etiam Pinedam lib. 5. de Rebus Salomonis cap. 14. qui quamdam adducit de his relationem, & iudicium facit; & quæ notauimus Lib. V. Cap. XXI. 1. Peregrinationis.

Illius forma.

Ecclesia hæc sanctæ Crucis integra, pulchra & spatiosa est, opere tessellato delapidata, variisque picturis Græcis exornata. Monasterium etiam nunc quidem amplum, munitum & commodum est; sed olim multò magis, vt illius ruinæ demonstrant: multùm obnoxium Arabum incursionibus; frequenter enim illuc diuertunt, & habitantes infestant. Habitatur à Georgianis Monachis Græcis instituti sancti Basilij, & eorum ritu Deum ibidem venerantur. Illius mentionem fecerunt Aranda suprà Cap. III. relatus, Bonifacius li. 2. de Perenni

ennſ cultu Tertæ ſanctæ, Adrichomius in Beniamin num. 120. & alij qui de ſanctis locis ſcripſerunt.

CAPVT VIII.

De Piſcina Gihon, octauo loco quartæ Peregrinationis.

EGreſſi fideles à conuentu ſanctæ Crucis, proſequentes iter verſus ſanctam ciuitatem Ieruſalem, cùm illi appropinquant, cernunt magnam & ſpatioſam piſcinam, quam à læua relinquunt, quæ Piſcina Gihon ab omnibus appellatur; de qua in præſentia ſermo eſt inſtituendus: & duo videbimus, primò, quid de ea & Gihon dixerint alij; ſecundò, quæ nos cum aliis obſeruauimus.

Gihon nomen multiplex, & eius etymon.

Et vt priùs à propoſito ordiamur, *Gihon* nomen, quod pectus & exitus interpretatur, multiplex eſt; de pluribus enim enuntiatur tam in Scriptura ſacra quàm apud alios Scriptores. In primis de fluuio Nilo longè ab Ieruſalem diſſito, qui Gen. 2, 13. & Eccli. 24, 37. vt ex frequentiſſima tum antiquorum Patrum tum recentiorum interpretatione docet Maluenda in ſuo erudito Commentario de Paradiſo c. 18. & 29. aut de flumine alio non longè à Meſopotamia, neque longè à Tigri & Euphrate, niſi ſit ipſe Tigris & Euphrates, aut illorum pars aliqua, vt indicarunt Eugub. Steuchus, & Pererius. & de iſto Gihon nihil ad præſens dicemus.

Dicitur de Nilo fluuio.

De loco Ieroſolymis proximo.

Secundò, dicitur Gihon de loco proximo Ieroſolymis. ſed quidnam eſt? mons, an vallis planities, fons, fluuius vel piſcina? Maluenda vbi ſuprà cap. 29. ſcribit Gihon, de quo 3. Reg. 1, 38. dicitur, *Et adduxerunt eum in Gihon*, fuiſſe fontem prope muros Ieruſalem, ex conſenſu omnium.

Sed obicit Pineda in ſuo erudito opere de Rebus Salomonis lib. 2. cap. 5. §. 2. diſſentire nonnullos. Nam Chriſtianus Adrichomius in ſua Ieruſalem num. 236. ex frequenti Neotericorum ſententia ſcribit, montem fuiſſe appellatum Gihon, in quo vnctus fuit Salomon; atque eumdem ſaxoſum, altum, oblongum, & qui ab Occidente vrbem ambiat, atque verſus portam Iudiciariam ſenſim decreſcat, ex 3. Reg. 1. & Ioſepho 7. Antiq. cap. 15. ſed Ioſephum non montis, ſed fontis meminiſſe aduertit Pineda.

Et idem Auctor hæc conciliando ait, vtrumque non longè diſtare; namque mons Gihon ipſe eſt proximus monti Sion Occidentali: ex cuius radice verſus montem Caluariæ erumpit fons *ſuper Gihon*; cùm tamen paulò inferiùs ad partem Auſtralem erumpat alter fons, qui appellatur *Gihon inferior*, quem Scriptura vocat *fontem Rogel*, Chaldæus verò & Hebræi *fontem fullonis*, iuxta quem Adonias inauguratì in Regem appetiuit, 3. Reg. 1. &c. & conſequenter non diſſentit ab aliis Adrichomius; & ipſe vbi ſuprà de fontibus Gihon agit num. 232. & 233.

Atquè ex his habemus, Gihon dici de monte cingente partem Occidentalem Ieruſalem; & de duplici fonte, qui erumpebat ex monte, vbi erat duplex ſcaturigo, aut duplex eiuſdem primæ ſcaturiginis ducebatur riuulus ſuperior & inferior, ait Pineda, iuxta id quod legitur 2. Paral. 32, 30. *Ipſe eſt Ezechias, qui obturauit ſuperiorem fontem aquarum Gihon, & auertit eas ſubter ad Occidentem Vrbis Dauid.* Adrichomius arbitratur fontem Gihon ſuperiorem emanaſſe à monte Gihon, & parte Occidentali, *Quem*, inquit, *poſteà Ezechias Rex obturauit, & ferro rupem fodiens, direxit aquas eius ſubter ad Occidentem Ciuitatis Dauid, ac ſubterraneis canalibus eas per mediam Ciuitatis introduxit in piſcinam interiorem, ne in obſidione aqua populo deeſſet.* Fontem verò Gihon inferiorem deſcribit inter Meridiem & Occidentem, *Qui oriebatur*, inquit, *in fine Agri fullonis, cuius aquas duxit Ezechias Rex in piſcinam ſuperiorem.*

De monte.

De fonte.

Dicitur de torrente: de quo idem Adrichomius num. 241. ait: *Torrens Gihon, ſiue riuus, quem Achaz Rex à fonte Gihon inferiore per medium terræ in piſcinam ſuperiorem ducere inceperat, quod tandem Ezechias Rex perfecit.*

De torrente.

Et de Siloë natatoria vel piſcina volunt aliqui enuntiari; quoniam vbi 3. Reg. 1, 38. dicitur de Salomone, *Et adduxerunt eum in Gihon*, Chaldæus legit, *Ducite eum in Siloë.* Ita Theodor. 3. Reg. q. 2. Procop. Nicol. Iſidor. Glar. Emanuel Sà, qui & credunt ibi vnctum Salomonem in Regem. Sed ait Pineda, Siloë dici de Gihon tamquam de ſua origine: & ideò dictos alios Auctores dixiſſe ductum fuiſſe Salomonem in Siloë; non inquam ad natatoriam, ſed ad originem & fontem Gihon, vnde aquæ deſcendunt in Siloë natatoriam. Nam ad fontem Gihon prope Ieruſalem vnctum fuiſſe Salomonem, dicit eſſe frequentiſſimam ſententiam Hebræorum, & aliorum Interpretum: & ita habet harum partium traditio.

De Siloë.

Dicitur etiam Gihon de valle, quam inter Meridiem & Occidentem vrbis prope fontem Gihon inferiorem deſcribit Adrichomius, de qua in Deſcriptione vrbis numer. 243. ait: *Vallis fontis Gihon, de qua in lib. Paralipomenon & in Ioſepho legitur.* 2. Paral. 33, 14. Ioſeph. 6. Bell. 13.

De valle.

Digitized by Google

Piſcina Gihon nomina.

Sed numquid dicitur Gihon de Piſcina? Reſpondeo, eo nomine non appellari in Scriptura, benè aliis nominibus; ab aliis tamen, & illo. *Piſcina ſuperior*, 4. Reg. 18, 17. vbi ſermo eſt de nuntiis Regis Aſſyriorum miſſis ad Ezechiam, dicitur: *Qui cùm aſcendiſſent, venerunt Ieruſalem, & ſteterunt iuxta aquæductum piſcinæ ſuperioris, quæ eſt in via Agri fullonis.* item Iſa. 7, 3. & 36, 2. Dicitur etiam *Regia*, & *Gihon. Gihon*, quia in monte Gihon conſtructa, fonti Gihon proxima, & eius aquis diues; *ſuperior* verò *piſcina* ab Hebraica voce *hagbelionah*, inquit Villalpandus Tom. 3. lib. 3. Apparatus capite 15. quam, attenta vi vocis, piſcinam aquæductus licebit interpretari: aut ſaltem piſcinam eam intelligemus, in qua primùm recipiuntur aquæ, fornicibus eò vſque deductæ, vt inde poſteà in alias piſcinas inferiores, ſiue etiam in hortos Regios deriuentur.

Piſcina Regis, 2. Eſdr. 2, 14. in illis verbis Nehemiæ: *Et tranſiui ad portam fontis, & ad aquæductum Regis*, id eſt, Piſcinam, ſiue Natatoriam Regis, vt habet Hebr. & Græc. ſecundùm eumdem Villalpandum. Regius verò dicitur aquæductus, Regia piſcina; & vtriuſque finis in hortum Regis: quaſi dicas confectum aquæductum, & piſcinam, quæ aquas in hortum Regis deduceret. Et Regis nomine Salomonem potentiſſimum & ſapientiſſimum Regem antonomaſticè intelligit (non deſunt tamen qui ab Ezechia ædificatam dicant.) *Piſcinam* autem vocat mox ipſe Nehemias, *quæ grandi opere conſtructa eſt*; quoniam ea maxima quidem & nobiliſſima fuiſſe perhibetur. De ea ſic ſcribit Benedictus Arias: *Fuit & tertia piſcina, quam Nehemias factam appellat in ciuitate Dauid, Inter Occaſum & Aquilonem; quam Hiſtorici altam pedibus quadraginta, latam verò ducentis & quinquaginta deſcribunt.* Hæc ille.

2. Eſdr. 3, 16.

Benedi. Arias Mont. Apparat. 2. de Ieroſol.

Aduerte in textu Nehemiæ non haberi, piſcinam factam fuiſſe in Ciuitate Dauid; nec verè in ea eſt: ſed ideò tali loquendi phraſi vſus eſt Benedictus Arias; quia non multùm diſtita à Ciuitate Dauid, vt poſteà videbimus: & vſus huius piſcinæ hoc indicat.

Piſcinæ Gihon vſus.

De vſu huius piſcinæ iam aliquid dictum eſt, quòd eius aquæ ducebantur per canales & ſubterraneos meatus in alias piſcinas ciuitatis & in hortum Regium: & amplius apparebit ex ſolutione ſequentis difficultatis.

Quomodo huius piſcinæ aquæ deducantur in alias partes, naturali modo & per deſcenſum, an potiùs per aſcenſum?

Artificiosè per aſcenſum fuiſſe delatas, probat Villalpandus loco indicato. Volens enim loqui de iſto aquæductu & piſcina ſuperiore, adducit locum illum 4. Reg. 18. vbi Rabſaces miſſus refertur à Sennacherib Rege Aſſyriorum Ieroſolymam ad exprobrandum Ezechiæ. de quo cum ſociis aduenisse dicitur: *Et ſteterunt iuxta aquæductum piſcinæ ſuperioris, quæ eſt in via Agri fullonis.* Inquit enim, quòd vbi Vulgata noſtra lectio legit *aquæductum*, Hebraicam vocem habere quæ aſcenſum ſignificat. Sed quare aquæductus aſcenſus vocatur? Reſpondet Pererius: Quia à ſuperioribus locis per aquæductus aquæ decurrunt.

Illius aquæ artificiosa per aſcenſum deductæ, ſecundùm Villalpandum.

Per deſcenſum Pererius, ſup. Iſa 7 v. 3.

Reiicitur.

Sed hanc reiicit reſponſionem Villalpandus; quia oppoſitum eius quod probare contendit, magis videtur probare: quia non aſcenſus, ſed deſcenſus aquæductus huiuſmodi dicendus eſſet, per quem aquæ à ſuperioribus locis ad inferiora decurrunt. Et ſuam ſubiicit ſententiam dicens: Quapropter aliam aſſignemus rationem oportet; quod haud difficile omnino videbitur, ſi accuratiùs conſideremus, duplici ratione ac modo aquas deduci iam inde à priſcis illis temporibus ſolitas. Aut enim defoſſis in terra riuulis, ſiue etiam ſubterraneis cuniculis aquæ pondere preſſæ mouentur: aut erectis pilis, conuolutiſque fornicibus, extructiſque deſuper canalibus aquæ ſuſpenduntur, imaque vallium ſuperantur. Vtriuſque exempla non modica Romæ viſuntur. Vtroque igitur aquæductu inter ſe collato, ille qui aquas in ſublime eleuat, aſcendere faciens, ſeu ſublimis atque excelſus meritò dicetur ab Hebræis. Et quidem huius ſublimis aquæductus veſtigia extare Ieroſolymis ab aliquibus oculatis teſtibus accepimus, conſpiciique in via quæ Ieroſolyma Bethlehem ducit. Eiuſdemque meminiſſe credimus Brocardum, &c. Hactenus ex Villalpando.

Defenditur.

Ceterùm, niſi mea me fallit opinio & ſenſus, aliàs doctiſſimus vir nimiùm addictus voci Hebrææ in hoc hallucinatus videtur, & non ſatis benè refellit Pererium. Hic enim doctiſſimus Philoſophus & Theologus ad verum ſenſum verborum reſpiciens, à te ipſa illa eſt interpretatus: cùm enim ad ſenſum pateat, aquas piſcinæ ſuperioris deuehi priori illo indicato modo naturali per deſcenſum, dixit: A ſuperioribus enim locis per aquæductus aquæ decurrunt. Et ea quidem quæ dicit ipſemet Villalpandus, hoc præ ſe ferunt, vt quòd aquæ illæ montis & fontis Gihon deſcendunt in vallem Tyropœon, & ad natatoriam Siloë, quæ eſt in radice montis Sion ad vallem Ioſaphat, in ſatis profundo loco reſpectu Gihon. Et ſi ex monte Gihon vadunt

in

in vallem Ioſaphat, Siloë & hortum Regis; ergo per deſcenſum: hæc enim in imo ſunt, vt manifeſtum eſt. Et aquæ vnde oriuntur deſcendunt; nec dicendum aſcendere artificiosè, & poſteà naturaliter deſcendere: tum quia ſenſus prorſus refragatur; tum quia aſcenſus non poteſt originem excedere. Aquæductus etiam ille, cuius ex Brocardo meminit, non deſeruit pro ducenda aqua fontis vel piſcinæ Gihon, ſed fontis ſignati, vt Cap. 111. Peregrinat. 1. huius Libri notauimus: qui nec ſublimis dicitur reſpectu Gihon, quia eius reſpectu demiſſus eſt, ſed reſpectu voraginis piſcinæ Berſabee & vallium.

Signa aquæductus fontis Hebron.

A latere dextro viæ Bethlehemiticæ in campeſtribus cernuntur quædam ſigna aquæductus, qui in ſublime muris erigitur, quæ nonniſi à veteribus & expertis huius regionis cognoſcuntur: per hunc aquæ ex fonte proximo Hebron ducebantur in Ieruſalem: de quo certè nec Brocardus nec Villalpandus loquuntur; nec aliquid pro huius ſententia facit.

Priorem ſententiam videtur ſequi Pineda vbi ſuprà, dum ait: *Ab hoc ſuperiori Gihon ducebantur aquæ Siloë, quæ dicebantur vadere cum ſilentio, Iſa. 86. id eſt, per occultos & ſecretos canales, ſine magno præterlabentis aquæ murmure.* Sed non cum tali ſilentio ducerentur, ſi modo indicato à Villalpando. Et ſententia Villalpandi ex infrà dicendis magis confutata remanebit.

Aquæductus nominis ſignificatio.

Quare arbitror, planam ſignificationem vocis aquæductus eſſe à ducendis aquis, quomodolibet id contingat, ſiue per aſcenſum ſiue per deſcenſum, rectè vel tortuosè: etſi in propoſito credam ſignificare aquas per aquæductum deſcendere.

Reſponſio ad Villalpandi fundamentum.

Ad ſignificationem vocis *teghalath*, à verbo *ghalagh* deductæ, quod aſcendere ſignificare dicit; reſpondeo ex ipſomet Villalpando: dicit verbi huius varias eſſe ſignificationes: ergo non arctamur ad illam vnam accipiendam, quæ aſcenſum ſignificet; & hic præſertim, cùm nec in tali Pagninus vel Septuaginta, & præcipuè Vulgata, acceperint, nec nos debemus accipere; tum propter hoc, tum quia ſenſus refragatur. Vel dicas aſcenſum appellari, quia aquæ illæ ab Occidentali parte in Orientalem deriuantur.

Situs piſcinæ Gihon.

Sed vbi collocanda eſt hæc piſcina? Non, inquam, in plaga vrbis Meridionali, quemadmodum illam delineauit Adrichomius num. 228. ſed in Occidentali, vbi cernitur.

Ab Antiquis notata.

Quantum ad ſecundum; quid nos de memoratis ſentimus & obſeruauimus; Reſpondeo & dico quatuor: Primum, in plaga Occidentali ſanctæ Ciuitatis eſſe planitiem magnam, vbi ædificia, & ædificiorum ruinæ, & piſcina, quæ Gihon, vt locus in quo eſt, communiter appellatur ab omnibus huius regionis incolis: & mons, qui ab Occidentali parte ambiat ciuitatem, non videtur.

In Occidente vrbis planities & piſcina Gihon.

Si dicatur ergo, Gihon non eſt mons; Reſpondeo, id quidem explicitè non dici in Scriptura, vbi de Gihon eſt ſermo, benè implicitè, Pſalmo videlicet 124. vbi dicitur: *Montes in circuitu eius.* Si ergo montes ſunt in circuitu Ieruſalem, & ex hac Occidentali parte non ſit niſi Gihon, oportet Gihon montem dicere; accedente præſertim Doctorum auctoritate, vt iam vidimus. Nec dicto refragatur, Gihon eſſe planiciem ſpatioſam: nam reſpectu ciuitatis verè planicies eſt, & non mons, cùm ciuitatem non excedat, vt Oliueti mons; ſed bene vlterioris partis: quia veniendo ad Gihon ex valle Terebinthi & monaſterio ſanctæ Crucis, per campos & valles huc aſcendimus; quare harum partium reſpectu Gihon nions dici poteſt: parum etiam eleuatur reſpectu Ieruſalem, etſi ferè inſenſibiliter; quia ex piſcina Gihon verè aquæ in alteram humiliorem piſcinam, quæ eſt intra Ieruſalem, aquæ deſcendunt, vt videbimus. Et in hunc modum Doctores interpretantur, aſſerentes Gihon montem eſſe.

Dubij ſolutio.

Fr. Anſelmus in ſua Deſcriptione Terræ ſanctæ indicat montem Gihon eſſe in parte altera, dum dicit: *Exeundo de Ieruſalem verſus Meridiem ad Bethlehem; ad ſiniſtram partem iuxta Ieruſalem eſt mons Gihon, vbi Salomon fuit coronatus & inunctus; & in vertice illius montis eſt domus mali conſilij, vbi primum conſilium tractatum eſt de nece Domini.* Et ſi hoc verum, ſoluta eſſet difficultas; nam verè mons eſt eminens ciuitati, & reſpicit ex altera parte piſcinam Gihon. Fateor tamen appellari duntaxat in præſentia *Montem mali conſilij*; & ſi illud verum, dici poteſt nouum euentum obſcuraſſe famam prioris nominis. Et poſſet quodammodò dici Occidentem reſpicere, quia quodammodò ad Occidentem declinat. Sed hunc non ſequimur.

Fr. Anſelmus improbatur.

In Gihon nullus fons.

Dico ſecundò: In Gihon, vel circa, nullus cernitur fons, cuius ſcaturientibus aquis piſcinæ aliquæ repleantur, nec ſigna ipſorum vel aquæductuum cernuntur. Et mirum, ſi extitiſſent, non eſſe ipſorum aliqua veſtigia, cùm celebres illi ſint, frequens mentio fiat apud Doctores; quibus & ipſa diuina Scriptura videtur ſuffragari, cùm alia non æquè celebria tempus non conſumpſerit.

Gihon aqua non fluunt in Siloë.

Nec adduci poſſumus ad opinandum (ſtantibus rebus prout ſtant) ex Gihon

fonte fluere aquas in natatoriam Siloë, & inde in hortum Regis; sed iste irrigatur aquis prope piscinam Siloë scaturientibus, vt sensus testatur, & dicitur 2. Esdr. 2, 15. nec dicendum hunc repleri aquis fontis vel piscinæ Gihon per subterraneos aquæductus ad ipsum deductis: tum quia nec horum signum aliquod cernitur; tum quia sicca piscina Gihon, aquæ in Siloë continuò abundant: non ergo Siloë aquis Gihon ditescit. Denique, si fuissent in Gihon duo fontes, vel vnus perennis aquæ, ad quid tot sumptibus veteres confeciſſent aquæductus longissimos, quibus vel ex fonte signato, vel etiam ex Hebron aquæ in Ierusalem ducerentur, cùm commodiùs ex dictis fontibus ciuitati proximis posset ditari ciuitas? vel saltem fons Gihon non erat insignis & magnam aquarum copiam tribuens.

Obiectionis solutio. Dic 3, ideò per longos & circumflexos aquæductus fuisse ex remotis partibus deductas aquas in Ierusalem, quia proximæ memoratorum fontium non sufficiebant. Contrà, quia iis non existentibus, nec Hebronicis, quia vix aliqua extant aquæductus illarum vestigia in agro & via Bethlehemitica, ciuitas aquis abundat, si non desint aliæ fontis signati.

Dubij solutio. Ergo non inuenitur fons & aquæductus Gihon, vt Doctores tradunt & ipsa sacra Scriptura? Respondeo dupliciter, Primò olim extitisse, cum 2. Par. 32. apertè id dicatur; sed vt alia terrena defectui sunt obnoxia, ita hunc illos passos fuisse: & fortasse aquæ fontis, non quidem per apertos aquæductus, sed occultos & subterraneos meatus deuehuntur, vel in Siloë fontem, & inde in hortum Regis, vel in alias partes.

Etiam aqua non scaturiens fons appellatur. Vel secundò, Doctores & Scripturam pro fonte Gihon, non voluisse propriè fontem intelligere, qui aquas viuas & scaturientes continuò & abundanter exhibeat; sed piscinam, quæ, ob aquarum copiam ex variis partibus collectarum, & etiam ex ipso fonticulo Gihon, quam indesinenter concedit haurientibus, fons meritò dici potest. Etenim huiusce modi aquas fontes appellari, non insolens est apud Scriptores. hinc Virgilius 12. Æneid. aquam simpliciter fontem appellat:

——— *Aly fontemq́, ignemq́, ferebant.*

Et Siloë fontem appellant etiam Auctores, qui asserunt ex Gihon fonte aquas recipere.

Aquæductus fontis, id est piscinæ Gihon superioris, qua est extra ciuitatem. Quemadmodum per aquæductum fontis, intelligo aquæductum piscinæ Gihon superioris: & piscinam hanc arbitror illam esse, quæ piscina Fullonis superior, & fons Gihon superior appellatur; & alteram intra ciuitatem, quæ ex ista aquas recipit, dici Piscinam inferiorem & fontem Gihon inferiorem: sed de his statim.

Piscina Gihon forma. Dico tertiò in Gihon planitie esse magnam & spatiosam piscinam: longitudo eius est gressuum centum quadraginta, latitudo nonaginta, profunditas verò triginta duorum palmorum est, tota plana: ex plaga Meridionali est ex vtraque parte in eam per gradus lapideos descensus: integri 13. sunt; & si demoliti supplerentur, essent ex vtraque parte 24. Superiùs duos habet canales, per quos fluentes ex diuersis partibus aquæ recipiuntur; alterum in Meridionali, alterum in Aquilonari parte piscinæ; & vtrumque ab eiusdem Orientali latere distat gressibus 40. In fundo piscinæ ex parte Orientali eiusdem est canalis alter, per quem aquæ piscinæ per eius aquæductum deducuntur in ciuitatem, & in altera piscina recipiuntur; de qua posteà. Distat à porta ciuitatis, quæ Castelli dicitur, alias piscium, gressibus septingentis. Aquæductus non peruenit vsque ad portam ciuitatis, ita vt subter ipsam ducat aquas; sed longè ab ea, passibus circiter 70. se vertit parum ad Aquilonem, & subter murum ciuitatis, subtus terram vsque ad memoratam piscinam defert aquas. Piscinæ & aquæductus istius mentio fit suprà citatis locis, Isa. cap. 7, 3. & c. 36, 2. & 4. Reg. 18, 17. & cap. 20, 20. vbi etiam indicatur, vtriusque auctorem, nisi quis intelligere velit restauratorem, fuisse Ezechiam. sic enim dicitur: *Reliqua autem sermonum Ezechiæ, & omnis fortitudo eius, & quomodo fecerit piscinam & aquæductum, & introduxerit aquas in ciuitatem*, &c.

Aqua eius per canalem in ciuitatem & inferiorem piscinam deducuntur.

Aquæductus non ex coctis lateribus, sed ex lapidibus est. Sed cuiusnam materiæ fuit, & nunc est hic aquæductus? Villalpandus, ex opinione Hebræorum, & congruenti ratione, ex lateribus igne coctis fuisse docet hisce verbis: *Hunc autem aquæductum vocat Nehemias præsenti loco*, id est, Nehem. 2, 14. *quem interpretamur, muros piscinæ Siloë in hortum Regis. Nam vox chomath, quem murum merito vertit vulgatus, id solet frequenter significare, sicut in Exodo: Erat enim aqua quasi murus, à dextrâ eorum & læua. Vim verò vocis attendentes Hebræi, murum ex lateribus igne coctis ea voce significare contendunt. Quòd si admittamus, ex lateritia materia confectum aquæductum, intelligimus quales ferè erant omnes Romanorum antiquissimi. Lateritium enim opus deducendis aquis magis est idoneum; vtpote, quòd perpetuo aquarum humore, qui manserat in lateribus, nimia siccitas temperatur, magisq́, ac magis indies solidatur.* Hæc ille.

De illa vocis Hebrææ *chomath* significatione non contendo, neque disputo, an

meliùs

melius sit, aquæductus esse ex lateritia, quàm lapidea siue marmorea materia. Hoc verè scio ex visu: ex parte enim superiùs detectus fuit hic aquæductus, vt accommodaretur: & esse lapidibus calce compactis & incrustatis confectum, clarè conspicitur: nec olim ex lateritia materia constitisse mihi persuadere possum; nam saltem signa illius extarent. Nec ex Romanis aquæductibus licet dijudicare, quales fuerint Ierosolymitani, præsertim in materia. Etenim Romæ, vbi abundant lateres, non item lapides & marmor, potuerunt facilè ex coctis lateribus confici, sicut & alia ædificia; sed Ierosolymis econtrà, magna lapidum & marmoris copia existente, & laterum inopia, credere possumus, non ex lateribus, sed ex lapidibus fuisse constructum: ex qua materia & alia ædificia constructa noscuntur.

Tres in hac regione aquæductus, & eorum ordo.

His addo, quod oculatus obseruaui, tres me vidisse aquæductus in hac regione: primus est piscinæ Gihon; & est, vt eum descripsimus, ex lapidibus calce compaginatis & incrustatis. Secundus est, quo ex Hebron ducebantur aquæ: & huius prope Bethlehem videtur canalis in lapide siue marmore excisus magnis sumptibus & labore; sed non totus est hic elaboratus: alibi enim coalescit ex lapidibus simul calce agglutinatis. Fortè ante trecentos annos aquæ per illum vehebantur Ierosolymam: nam Guilelmus de Baldensel, qui tunc Ierosolymam peregrinatus fuit, ait in suo Hodœporico: *Conducitur autem aqua in Ierusalem de partibus circa Hebron; & prope viam euntibus in Hebron, ipse conductus aquæ huiusmodi satis patet.* Tertius est, aquæductus fontis signati: & hic quidem demittit aquas per canales aliquos lateritios igne coctos, opertos tamen magnis lapidibus: ita deprehendi prope fontem signatum & citra Bethlehem, vbi ablatus fuit lapis & testa fracta à rusticis, vt inde acciperent aquam. Circuit iste aquæductus, antequam perueniat Ierusalem, triginta circiter milliaria per montes & colles, etsi fons signatus vix decem milliaribus distet ab Ierusalem: sed an totus lateritius sit, periculum non feci; at ita experti huius regionis terrigenæ asserunt.

Piscina inferioris situs, forma & vsus.

Quartò dico, intra ciuitatem esse alteram piscinam celebrem, præter Probaticam, quæ est à latere Occidentali castelli, paruméque ad Aquilonem inclinans; ab eoque distat gressus centum, & à glorioso Christi Sepulchro ducentos circiter; & ab eo communiter piscina S. Sepulchri dicitur. Hæc tota plana est, ad quam per tredecim gradus descenditur: longitudo est centum, latitudo sexaginta gressuum: in extrema eius parte quæ castellum respicit & portam ciuitatis proximam, superiùs est orificium demittens aquas aquæductus piscinæ superioris; non ergo ascendunt, sed descendunt. Inferiùs in fundo est locus vbi purgatur, vel ad balnea ciuitatis in præsentia aquæ deducuntur. An etiam hinc ad Probaticam piscinam vel Siloë deferantur aquæ, me latet; & non deferri facilius crediderim: quoniam ista exhausta, non desunt in Siloë aquæ; & in ea existentibus aquis, sicca aperi Probatica. Et per quos meatus terræ illius aquæ dispergantur, mihi est incompertum.

De hac piscina arbitror loqui Dominum Isa. 22, 9. illis verbis: *Et congregastis aquas piscinæ inferioris.* Ad prouidendum hominibus & iumentis de potu in tempore obsidionis, interpretatur Lyra. Inferior, quia verè inferior respectu alterius superioris. Erat ergo hæc intra ciuitatem; & cùm alia celebrior non cernatur, hanc dices: altera enim templo Salomonis proxima, Probatica dicitur.

Ad eamdem credo fieri allusionem illis verbis 2. Paral. 32, 30. *Ipse est Ezechias, qui obturauit superiorem fontem aquarum Gihon, & auertit eas subter ad Occidentem vrbis Dauid.* Quæ sic intelligo, obturasse quidem fontem Gihon, sicut & alios fontes circa Ierusalem, ne obsidentibus Assyriis aquæ suppeterent, vt initio eiusdem capitis dicitur; sed non ita, vt aliis non prodessent: sed secreto & absconditò modo diuertit illas in hanc piscinam inferiorem, vt obsessis ciuibus prodesset, vt loco citato Isaiæ dictum est. & ita intellexit illa verba Auctor Histor. Scholast. in 4. Reg. cap. 28. Verè enim piscina ista est ad Occidentem vrbis Dauid.

Placet hîc notare quæ de his scripsit Marinus Sanutus Secret. fidel. Cruc. lib. 3. par. 14. cap. 10. ex quibus dicta magis confirmantur, & alia elucidantur. Iuxta Ecclesiam S. Annæ, vbi ostenditur crypta, in qua gloriosa Virgo Maria nata est, vbi fuit domus Ioachim & beatæ Annæ, est piscina grandis, quæ dicebatur *piscina inferior*, quam fecit Ezechias hoc modo: obturauit enim superiorem fontem aquarum Gihon, & auertit aquas eius subter ad Occidentem turris Dauid, incidens petram ferro, sicut dicitur Eccles. 48. & inducens aquas per medium ciuitatis in piscinam istam, vt in obsidione haberet aquam populus ad bibendum, & eas non possent Assyrij prohibere; fontem verò aquarum Gihon duxit in piscinam superiorem, quæ est super natatoria Siloë. Hoc enim Achaz inceperat,

ceperat, ſed non perfecerat. De hac piſcina & de hoc fonte dicitur Iſa. 7, 3. *Egredere iam ad extremum aquæductus piſcinæ ſuperioris, in via Agri fullonis.* Dicitur autem iſta piſcina ſuperior reſpectu natatoriæ Siloë. Eſt & quarta piſcina in ciuitate ad ſiniſtram portæ Vallis, ſicut ſancta Anna eſt ad dexteram, quæ dicitur *Probatica*, iuxta aram Templi, in qua Natinei lauabant hoſtias, & ſiccas Sacerdotibus præſentabant offerendas in Templo. Hæc adhuc quinque porticus habuiſſe oſtenditur, in quibus iacebant infirmi expectantes aquæ motum; nam qui prior poſt aquæ motum deſcendebat, ſanabatur, Ioan. 5. vbi etiam Chriſtus ſanauit tricenum octonemque in grabato. Quidam tamen primam piſcinam, quæ iuxta S. Annam eſt, dicunt Probaticam piſcinam, quod non credo. In Ieruſalem autem, vel circa, piſcinæ aliæ non leguntur. Hæc ille. Eſt Berſabee, de qua ſuprà: quam forſan omiſit, quia non ita memorabilis apud Scriptores, & ſit velut vorago quædam; ideò non dixit non ſunt, ſed *non leguntur*. Et de his propoſita ſufficiant.

PEREGRINATIO V. *in qua recenſentur & enucleantur decem memorabilia loca occurrentia euntibus ex Ieruſalem ad caſtellum Emmaus, & ad eamdem reuertentibus per aliam viam.* I. *Vbi Chriſtus iunxit ſe duobus diſcipulis Emmauntem proficiſcentibus.* II. *Baalaſor villa.* III. *Caſtellum Emmaus.* IV. *Rematha Sophim, & ſepulchrum S. Samuelis.* V. *Fons S. Samuelis.* VI. *Sepulchra Iudicum Iudaici populi.* VII. *Sepulchra Regum Iſraël.* VIII. *Spelunca Ieremiæ Prophetæ.* IX. *Puteus & Carcer Ieremiæ.* X. *Denique Sepulchrum Heleniæ Adiabenorum Reginæ.*

CAPVT PRIMVM.

De loco vbi Chriſtus iunxit ſe duobus diſcipulis euntibus Emmauntem, primo loco quintæ Peregrinationis.

INter alias peregrinationes, quas pij Chriſti fideles Ieroſolymam venientes deuotionis ergò aſſumunt, illam non prætermittunt, quam duo ex diſcipulis Ieſu vnà cum ipſo perfecerunt poſt illius glorioſam reſurrectionem ex ſancta ciuitate Ieruſalem verſus oppidum Emmaus: & de iſta nos nonnulla dicemus. In peregrinatione iſta, quod primò viſitatione & veneratione dignum occurrit, eſt locus ille, in quo Chriſtus Dominus ſub peregrini formâ iunxit ſe duobus diſcipulis Emmauntem petentibus; quibuſque ſe verè à mortuis excitatum oſtendit.

Chriſtus quomodo ſe duobus diſcipulis Emmauntem euntibus aſſociauerit.

Quomodo verò ſe res habuerit, in hunc modum explicatur. Poſtquam Chriſtus Dominus, conſummato opere noſtræ redemptionis, à morte ad immortalem vitam tertia die glorioſus ſurrexiſſet, & primò Deiparæ Virgini ſe oſtendiſſet, vt ſancti Patres cum recepta traditione docent, deinde Mariæ Magdalenæ, vt ait D. Marcus 16, 9, apparuiſſet, & poſteà etiam aliis feminis, & fortaſſe ſtatim poſt has D. Petro & Iacobo, vt Lib. v. Cap. XXVII. 11. Peregrinationis notauimus. Cumque mulieres, vt ipſis fuerat imperatum, Chriſti reſurrectionem diſcipulis nuntiaſſent, & Angelorum viſiones, in illorum conſpectu deliramenta, viſa fuiſſent: tunc duo ex illis, fortè ceteris minùs credentes, & magis diffidentes de Magiſtri ſui promiſſionibus, quòd poſt mortem ſuam tertia die reſurgeret, eisque appareret; necdum tempore promiſſionis expleto, impatientes & deſperantes de Magiſtri reſurrectione, tædio expectationis ſuperati, relicta Ieroſolyma & ceterorum diſcipulorum congregatione, ibant ipſa die in caſtellum Emmaus: cuius Cleophas, qui erat vnus ex illis, erat indigena, vt docet S. Hieronymus de Locis Hebraicis.

Diffidentia & impatientia diſcipulorum.

Eſt caſtellum Emmaus in plaga Occidentali Ieruſalem, diſtans ſpatio ſtadiorum ſexaginta, vt ait Lucas 24, 13. hoc eſt milliaria ſeptem cum dimidio: vel, vt dicit Adrichomius, Emmaus ab Ieruſalem diſtat itinere ſeſquihoræ; trium verò horarum & dimidiæ, vt Siglerus ait. Fateor, mihi longum viſum fuiſſe & laborioſum, quia ſemper ferè per montes & rupes.

Emmaus diſtantia ab Ieruſalem, & ſitus.

Et cùm diſcipuli illi, triſtes de Magiſtri ſui nece, incedentes diſcurrerent de his omnibus quæ acciderant in Ieruſalem illis diebus, & præſertim de Chriſti Ieſu morte & paſſione, ipſe Ieſus appropinquans erat cum illis, vt qui anteà in vita & morte ſanctum in omnibus operibus ſuis ſe oſtendit, fidelem poſt mortem ſe exhiberet in omnibus

Loquentibus de Ieſu, Ieſus adeſt.

Digitized by Google

omnibus verbis ſuis: atque vt promiſerat, ſe tertia die poſt mortem ſuam eis glorioſum à morte excitatum oſtenſurum, talem ſe illis oſtendit, ab illorum cordibus incredulitatem abſtulit, & ſpem amiſſam reſtituit. Primò verò oculi eorum tenebantur, ne eum cognoſcerent, vt inquit Euangeliſta.

Locus, vbi diſcipulis ſe iunxit Ieſus, eſt in medio via.

Locus autem, vbi ſe Saluator noſter diſcipulis aſſociauit, eſt in medio viæ inter Ieruſalem & Emmauntem: in quo, vt magis illius apparitionis perpetuò conſeruaretur memoria, fuit à Chriſti fidelibus magnum & ſumptuoſum templum & monaſterium ædificatum, quod etſi in præſentia deſtructum ſit, eius tamen ingentes ruinæ tale fuiſſe demonſtrant: eſt in læua parte viæ in eminenti loco. Hic propè, in medio viæ, eſt quidam riuulus aquæ viuæ, quem probabiliter illum eſſe crediderim, cuius infrà Capite III. de Emmaus agentes ex Sozomeno mentionem faciemus.

Eccleſiâ inſtauratur.

Ibidem riuulus.

Alia in via.

In iſto igitur loco Chriſtus Dominus, ſub peregrini ſpecie occultatus, dixit duobus illis diſcipulis: *Qui ſunt hi ſermones, quos confertis ad inuicem ambulantes, & eſtis triſtes?* & cetera quæ ſanctus Lucas cap. 24. commemorat, in via illa vſque ad oppidum Emmaus occurrerunt. Quò cùm peruenìſſent, illorum corda Magiſtri ſermonibus accenſa, cùm inclinata eſſet iam dies, quem exiſtimabant longiùs ire velle, coëgerunt, vt apud ipſos diuerteret: quibus annuens, dum ſimul recumberent, in fractione panis, quem illis porrexit, aperti ſunt oculi eorum, & cognouerunt eum, &c.

CAPVT II.

De Baalaſor villa, ſecundo loco quintæ Peregrinationis.

EX præcedenti loco iter proſequendo verſus Emmaum, non longe ſeſe offert villa, ſed deſtructa, & à paucis habitata, & ciſterna, ad læuam partem viæ, iuxta Ephraim, Baalaſor dicta. Traditio harum partium habet, quòd cùm ibi Abſalom filij Dauid oues tonderentur, & vocati fuiſſent filij Regis à fratre Abſalom, eos magnopere perturbauit; quoniam ſerui Abſalom, eius iuſſu, Amnon temulentum vino occiderunt, ob ſtuprum Thamar ſorori ſuæ illatum, vt dicitur 2. Reg. 13, 28. Hieronymus in Locis Hebraicis, Adrichomius in Ephraim num. 22.

Vbi Amnon interfectus.

CAPVT III.

De caſtello Emmaus, tertio loco quintæ Peregrinationis.

ANtequam de caſtello Emmaus, ad quod Chriſtus Dominus cum duobus diſcipulis iuit poſt reſurrectionem, & ad illorum imitationem proficiſcuntur Ieroſolymitani peregrini, agamus; notandum eſt, apud probatos Scriptores duplicis Emmaus mentionem fieri: alterius, quæ eſt in tribu Zabulon, cuius ibi meminit Adrichomius num. 41. vicus non longè à ciuitate Tiberiade: vbi ſunt aquæ calidæ ſanandis corporum vitiis idoneæ, quas Ioſephus aquas etiam Tiberienſes nominat: de quo nos Lib. VII. Cap. V. Peregrinationis verba faciemus. Alterius verò Emmaus, quæ eſt in tribu Iuda, meminit idem Adrichomius in eiuſdem tribus explicatione numer. 112. & de iſta in præſentia agimus.

Emmaus duplex, Galilæa & Iudææ: hic de iſta.

Hæc Emmaus, quæ Ammaus, & Ammaum appellatur, caſtellum olim & ciuitas inſignis: vna ex vndecim Toparchiis ordine ſexta, inquit Adrichomius, quam aliqui collocant in tribu Dan; huiuſque frequentior mentio fit tam in ſacris quàm in profanis litteris, vt Luc. 24. Marc. 16. Hieronymus in Epitaphio Paulæ, in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum, & in Locis Hebraicis, Ioſephus 8. Bell. cap. 2. Euſebius, Nicephorus, Brocardus, & alij. Primò pagus, deinde ciuitas Nicopolis appellata, vt eſt in Hiſtor. Tripart. lib. 3. cap. 24. vbi hæc habentur verba: *Eſt ciuitas Palæſtinæ Nicopolis nomine. Hanc, cùm adhuc pagus eſſet, Euangeliorum ſacer liber Emmaus appellat, quam Romani poſt vaſtationem Ieroſolymorum, Iudaicamq; victoriam, Nicopolim ex euentu vtique victoria vocauerunt*, &c. Nicopolis enim ciuitatem ſignificat victoriæ. Lege Ioſephum lib. 17. Antiquit. cap. 12. & Bedam in Lucam.

Emmaus quid.

Euſebius in Chronicis anno Chriſti 131. ſcribit Nicopolim terræmotu cecidiſſe, & anteà bello Iudaico exuſtam iuſſu Vari Syriæ Præſidis. Pro cuius deinde inſtauratione Iulius Africanus, Eccleſiaſticus Scriptor temporum, Legationem ſuſcepit anno Chriſti biſcentetimo vigeſimo & quarto ſub Imperatore M. Aurelio Antonino, qui Macrino ſucceſſerat.

Cerruit, & combuſta fuit.

Tempore Chriſtianorum, quando occuparunt Terram ſanctam ſub Godefrido, habuit Epiſcopum, qui erat ſub Metropolitano Cæſarienſi: Tyr. 14. Belli ſacr. cap. 12. at noſtro hoc calamitoſo, non ciuitatis, non caſtri formam retinet, ſolo æquata. Eius multi

Chriſtianorũ tempore Epiſcopali Sede donata.

Nunc ſolo æquata.

multi quadrati & elaborati lapides Ieroſolymam delati fuere, quando circa annum Domini 1517. ſub Selimo Turcarum Imperatore, muris cincta & reſtaurata fuit ſancta Ciuitas, vt ab harum partium incolis, qui ea tempeſtate vixerunt, & quorũ aliqui adhuc viuunt, traditum eſt. In præſentia ſolùm fundamenta & ruinæ apparent, quæ nõ obſcurè illius priſtinam fortitudinem & dignitatem oſtendunt, & non in eius dumtaxat ſitu, ſed etiam circa ipſam. Quod magis integrum cernitur, eſt domus, in qua Chriſtus cum duobus diſcipulis hoſpitio exceptus fuit: quæ olim in pulchram verſa Eccleſiam, nunc ferè tota collapſa viſitatur.

Reliquiæ domus Cleophæ.

Geſta in Emmaus.

Plurimùm commendatur Emmaus ex pluribus in ea operatis facinoribus. In primis, apud hanc vrbem Iudas Machabæus fugauit exercitum Antiochi, 1. Machab. 3. Deinde, quod iam attigimus, in ea eſt domus Cleophæ Chriſti diſcipuli, vnius ex illis apud quem ipſe Chriſtus poſt reſurrectionem ſuam diuertit: in qua, vt ad Marcellam ſcribit S. Hieronymus, *in fractione panis cognitus eſt Dominus, Cleopha domum in Eccleſiam dedicauit.*

Sibi probabiliter panem conſecrauit Chriſtus.

Fuit etiam grauium Doctorum ſententia, Redemptorem noſtrum, panem illum quem fregit, conſecraſſe, ſicut anteà in vltima Cœna fecerat, & in corpus ſuum conuertiſſe, dediſſeque illis manducandum: & in verbis, quibus tunc vſus eſt, eiſdem videlicet quibus in menſa, cognouerunt illum. Huius ſententiæ eſt D. Auguſtinus Sermone 140. de Tempore. Et verba quibus vſus eſt Euangeliſta, *in fractione panis*, hoc indicant. Eſt enim phraſis Scripturæ, ad ſignificandam ſanctam Euchariſtiam: nam Actor. 2, 42. eiſdem verbis deſcribitur communicatio Euchariſtiæ: *Erant autem perſeuerantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus.* Hic enim agitur de Euchariſtia, tum quòd coniungatur fractio panis cum doctrina & oratione; tum etiam, quòd vituperatio potiùs quàm laus fuiſſet, de fidelibus commemorare perſeuerantes eos fuiſſe in prandiis & cœnis corporalibus. & ita ea verba intelligunt graues Doctores. Adſtipulatur huic ſententiæ Theophylactus ſuper Lucam dicens: *Inſinuatur autem quòd oculi eorum, qui benedictum panem aſſumunt, aperiuntur, vt agnoſcant Chriſtum*, &c. Et hìc poſtquam cognitus fuit Chriſtus à ſuis diſcipulis, euanuit ab oculis eorum, Luc. 24.

Euchariſtia panis fractione ſignificatur.

Fons memorabilis.

Sozomenus Hiſt. lib. cap. 20. meminit Nicopolis: & dictis ſubiungit de quodam fonte memorabile miraculum; quod, vt alia multa (vt ipſe dicit) ſolis indigenis per traditionem fuit notum, quod ſuiſipſiuſmet verbis ſcribere placuit: *Eſt vrbs*, inquit, *Paleſtinæ, quæ iam Nicopolis dicitur; cuius quidem vt pagi (ſic enim iam tum fuit) diuinus Euangeliorum liber facit mentionem, eamq; Emmaus appellat. At Romani, capta Ieroſolyma, & parta contra Iudæos victoria, eam Nicopolim nuncupabant, nomine ex euentu belli impoſito. Ante hanc vrbem prope triuium, in quo Chriſtus poſt reſurrectionem à mortuis cum Cleopha incedens, ſimulabat ſe ad alterum pagum properè contendere, eſt fons quidam ſalutaris; in quo non homines modò qui ægrotant, loti curantur, verùm etiam animalia, quæ variis morbis laborant. Nam ferunt, Chriſtum vnà cum diſcipulis quodam tempore è via ad fontem illum diuerriſſe, inq; eo laniſſe pedes, & aquam ex eo tempore vim medendi morbis habuiſſe.* Hactenus Sozomenus: eadem Nicephorus lib. 10. cap. 31.

Sanat infirmitates.

Lauit in eo Chriſtus pedes.

Suppoſito, verum eſſe quod de memorato fonte ſcribit Sozomenus, duplex oritur difficultas: altera, an virtus illa fontis fuerit naturalis, an potiùs ſupernaturalis, & miraculoſa. Altera, de loco huius fontis, vbinam determinatè fuerit.

Duplex difficultas.

Prima, miraculoſa an naturalis fuerit fontis virtus.

Priori difficultati reſpondet Cardinalis Baronius Tom. 1. Annal. ad annum Chriſti 34. fuiſſe quidem fontem illum miraculoſum; ſed alias fuiſſe in his partibus aquas virtutem habentes naturalem. ſic verò ſcribit: *At quamquam Ioſephus id naturali aquarum virtuti*, inquit poſt adducta Sozomeni verba, *potiùs quàm miraculo tribuere videatur, dum ait: Ammaus (eſt idem quod Emmaus) ſi quis nomen interpretetur, aqua calida vocantur: ibi enim eiuſmodi fons eſt ſanandis corporum vitiis idoneus. Tamen cùm Plinius teſtetur. Emmauntem pluribus fontibus fuiſſe irriguam, in aliquo ipſorum ab aliis diuerſo, quod ſcribit Sozomenus, contingere facilè potuit.* Hactenus ex Baronio.

Reſponſio Baronij.

Ioſeph. lib. 4. de Bello Iud. c. 4.

Plin. lib. 5. c. 14. Nat. Hiſt.

Verum, pace tanti viri, aliter reſpondendum eſſe arbitramur, Ioſephum videlicet non locutum fuiſſe de fonte, de quo Sozomenus, nec de eadem Emmaunte, ſed de altera, quæ eſt in tribu Zabulon, proxima Tiberiadi; de qua initio Capitis, & de illius aquis: etenim vſque in hodiernum diem fons ille aquarum calidarum cernitur, & balneum pro corporis infirmitatibus ſanandis idoneum: de quo ſequenti Libro Cap. v. v. Peregrin. verba faciemus. Et hæc Emmaus diſtat ab illa, de qua loquitur Sozomenus & Euangelium, ad minus quinque dierum itinere, vt, qui hoc confecerunt, teſtantur. Illa in Galilæa, iſta in Iudæa. Et id luce ipſa clariùs apparebit, ſi attentè legatur Ioſephus lib. 4. Belli c. 1.

Reiicitur.

Nec

Digitized by Google

Nec etiam video, quomodo hæc noſtra Emmaus pluribus fontibus ſit irrigua, & præcipuè aquis calidis, quibus naturalis virtus inſit ad ſananda corporum vitia, quemadmodum arbitratur Baronius propter dicta Ioſephi de altera Emmaunte: etenim hæc noſtra, arida potiùs quàm fontibus irrigua eſt, vt oculati fatentur; & ex ſolutione ad alterani difficultatem magis apparebit. Nec Plinius dicit oppoſitum: etenim lib. 5. c. 14. Nat. hiſt. vnde argumentum deſumptum eſt, non loquitur de aquis huius vel illius Emmauntis, ſed de Ierichuntinis. Non loquitur inquam de aquis illius Emmaus, quoniam hæc eſt in Galilæa ad Mare Tiberiadis: at Plinius loco memorato loquitur de Iudæa, quæ in decem diuiditur Toparchias; inter quas & hanc Emmauntem enumerat, hoc ordine diuidens: *Ierichuntem palmetis conſitam, fontibus irriguam, Emmaum, Lyddam, Iopicam*, &c. Particula enim illa, *fontibus irriguam*, non eſt copulanda cum Emmaunte, vt coniunxit Baronius, ſed cum Ierichunte; nam & talis combinatio commodior videtur, & experientia naturaque loci Ierichuntini hoc indicat: aquis enim affluit, fluuium Iordanem proximum habet, & fontem Eliſei, qui in plures diuiſus partes, totam regionem alluit & fecundat. Quam aquarum abundantiam numquam in noſtra Emmaunte videre licebit: quare nec de illius aquis loquitur eo loco Plinius.

Emmaus Iudææ arida.

Plinij verba explicantur.

Ierichuntina regio aquis abundans.

Poſterioti difficultati, vbi ſit determinatè iſte fons, Reſpondeo: Quid Sozomenus dicat, clarè patet in eius verbis; ego tamen, poſt multam per me & alios factam inquiſitionem in via Emmaus, & in ipſa Emmaus, nullum potui deprehendere fontem. An ille, vel alius, fuerit obſtructus, neſcio. Qui ob longam in partibus iſtis conſuetudinem & moram, optimam diſtinctamque iſtorum locorum habent cognitionem, à me ſuper hac re rogati, alia à dictis non reſponderunt. An ergo erit riuulus, vel fons ille, in medio viæ qua ex Ieruſalem Emmaus venitur, de quo Capite præcedenti, non longiùs fluens quàm iactus ſit lapidis? At ibi triuium non eſt, & multùm diſtat ab Emmaus. An olim erat ibi triuium? ſed difficile creditu, quia nec veſtigium; vbique rupes. An etiam dicitur eſſe ante Emmaus, morali modo loquendo, id eſt, non in ipſa, ſed ante ipſam, & in via? nec erit ciſterna apud Baalaſor villam, quia non idonea ad abluendos pedes. Igitur ſi fons, cuius meminit Sozomenus, non eſt iam dictus; obſtructus erit, & eius aquæ deperditæ, vt aliis contigit circa Ieruſalem, & præſertim tempore belli. Procedendo vltra Emmaus Ramam verſus, poſt duo milliaria eſt fons vel aqua, vt ab oculatis teſtibus accepi, ad quam hauriendam incolæ illarum partium accedunt: ſed hic eſſe non poteſt, quoniam eſt vltra Emmaus.

Secunda difficultas vbi ſit fons ille.

Reſponſio.

Quòd ſi quis vellet talem dicere, deberet reſpondere, quomodo dici poſſit eſſe in via qua Chriſtus cum duobus diſcipulis ex Ieruſalem profectus fuit ad caſtellum Emmaus. In re dubia, iudicet quiuis quod probabilius iudicauerit; ego quæ vidi & audiui, propoſui.

CAPVT IV.

De Apadno.

CHriſtianus Adrichomius in Deſcriptione tribus Iudæ num. 23. non longè ab oppido Emmaus, delineauit locum Apadno appellatum; & de eo, in eius declaratione, ita ſcribit: *Apadno locus eſt iuxta Emmaus. Hic Antichriſtus cum multitudine magna figet tabernaculum ſuum, Dan.* 11. *Hier. ibidem.* Hæc ille.

Apadno dicitur iuxtà Emmaus eſſe, ſed nulla extat memoria.

In præſentia nec apud Emmaus, nec in partibus aliis huius regionis, aliqua eſt Apadno memoria. Num tempore bellóve abolita eſt, ſicut & complura alia loca oblivioni tradita ſunt iiſdem de cauſis, ita vt nec veſtigium extet? nec ruinæ quæ circa Emmaus cernuntur, cuiuſnam antiqui loci ſint, compertum eſt. Et quia ſuperbum illum & omnium ſceleſtorum caput Antichriſtum in Apadno ſeſſurum perhibetur in Daniele; non erit abs re & ab inſtituto noſtro alienum aliqua referate de Apadno: vt, an ſit loci alicuius nomen, an alterius rei? ſi loci, vbinam aſſignandus ſit? ſitne nomen proprium, an appellatiuum? an appellatiuum alicui appropriatum?

De Apadno tractanda.

De Apadno in ſolo Daniele fit mentio cap. 11, 45. hiſce verbis: *Et figet tabernaculum ſuum Apadno inter maria, ſuper montem inclytum & ſanctum*, &c. Ita habet vulgata Editio iuſſu Sixti V. correcta: antiqua habet, *inter duo maria:* quam lectionem ſecuti ſunt omnes ante correctionem; & explicat intentum, vt videbimus.

Situs Apadno.

Porphyrius hæreticus apud D. Hieronymum in hunc Danielis locum, intelligit adducta verba, cum aliis citati capitis, de Antiocho Epiphane, qui filius fuit Magni Antiochi; & poſt Seleucum fratrem, regno Syriæ vndecim annos potitus eſt, maximisque calamitatibus Iudæos afflixit atque contriuit, ſicut in duobus libris Machabæorum diſertiſſimè narratur. Hic itaque Antiochus, ſecundùm Porphyrium, profectus ad compeſcendas Orientis & Aquilo-

nis seditiones, tabernaculum suum posuit in quodam loco, cui nomen erat Apadno, qui inter duo flumina, Tigrim & Euphratem, situs est. Et montem sanctum & inclytum, interpretatur montem qui est in Elymaide prouincia: quæ est vltima Persarum ad Orientem regio. Itaque, secundùm Porphyrium, Apadno nomen proprium est loci, non Palæstinæ, sed Elymaidis Prouinciæ in Persia.

Inter Tigrim & Euphratē, secundùm Porphyriū hæreticum.

Sed refellitur meritò Porphyrius à sacris Interpretibus. In primis, quia non poterit ostendere locum inter Euphratem & Tigrim Apadno appellatum: deinde, quia ridiculum est, quæ vocat Scriptura hoc loco maria, ipsum duo Mesopotamiæ flumina interpretari: & mirabile, si per maria voluisset Propheta duo memorata flumina intelligere, quòd veteres interpretes, qui variè illam transtulerūt sententiam, pro nomine maria flumina non verterint, quod non fecerunt, vt postea videbimus. Ac denique, à ratione & probabilitate alienum videtur, montem Elymaidis, hoc est, gentis superstitiosæ, & idolorum cultricis, nulla sancta & prodigiosa actione aliquando illustratum, vel in posterum illustrandum, sed potiùs superstitionibus & idololatriis profanatum, diuinum Vatem appellare voluisse inclytum & sanctum. Hac itaque falsa relicta interpretatione, ad alia, quæ probabiliora sunt, accedamus.

Doctores Ecclesiastici, & ferè antiqui Patres, memorata intelligenda docent de Antichristo, qui vltimis mundi temporibus futurus est: quamuis & aliqua de Epiphane Antiocho Prophetam vaticinatum fuisse non negent; & in nominis Apadno significatione non vna sit omnium sententia.

De Apadno quinque Catholicorum sententia.

Sancti Patres ante sanctum Hieronymum, & ipse sanctus Doctor, ac post illum Theodoretus, Anselmus Laudunensis, Lyranus, Pintus, Pererius, & alij, vnanimi consensu *Apadno*, vel *Apadnum*, credidérunt nomen esse proprium cuiusdam loci non longè ab Ierosolymis iuxta Emmaus castellum: in eo Antichristus, secundùm hos Doctores, figet thronum imperij & monarchiæ suæ. Sed loco omnium, vnum audiamus Hieronymum in hunc modum loquentem: *Nostri autem extremum visionis huius Danielis capitulum super Antichristo sic exponunt: quòd pugnans contra Aegyptios, Libyasq; & Aethiopias, & tria cornua de decem cornibus conterens, auditurus sit de Aquilonis & de Orientis partibus aduersum se bella consurgere; quòd veniens cum magna multitudine, vt conteret & interficiat plurimos, figat tabernaculum suum in Apadno iuxta Nicopolim, quæ priùs Emmaus vocabatur, vbi incipiunt Iudææ prouinciæ montana consurgere: denique, indè se erigens vsque ad montem Oliueti, quo Ierosolymorum regio ascenditur; & hoc esse quod nunc Scriptura dicit: Et cùm fixerit tabernaculum suum in montana prouinciæ radicibus inter duo maria, mare videlicet quod nunc appellatur Mortuum ab Oriente, & mare magnum, in cuius littore Cæsarea, Ioppe, Ascalon, & Gaza sitæ sunt; tunc veniet vsque ad summitatem montis eius: hoc est, montanæ prouinciæ, id est, verticem montis Oliueti: qui inclytus vocatur, quia ex eo Dominus atque Saluator ascendit ad Patrem.*

Prima, esse nomen proprium loci iuxta Emmaus, vbi Antichristus tabernaculum figet.

Hæc sanctus Hieronymus. Ex his habemus, secundùm horum Doctorum sententiam, Apadno nomen esse proprium loci Palæstinæ proximi Ierosolymis, sed oppido Emmaus proximioris. Sed, an fuerit ciuitas, castellum pagúsve, non video explicatum. & Adrichomius, horum secutus sententiam, signo huiusmodi ⊗, quo alia notat incerta loca, delineauit.

Duo maria, Mortuū & Mediterraneum.

Dubium.

Alij arbitrantur, Apadno non esse nomen proprium loci, sed commune; vt significet palatium, atrium vel thalamum Antichristi.

Secundā, nomen commune loci.

Alij commune similiter, non loci, sed ornamenti; vt papilionis, tentorij regiæ.

Tertia, nomen commune ornamenti.

Thomas Maluenda de Antichristo lib. 5. cap. 22. variis loci huius adductis lectionibus & interpretationibus, suam etiam ponit sententiam, dicens: *Ceterùm, cunctis exactè consideratis, potiùs existimamus Apadno esse proprium nomen palatij, seu regiæ, aut prætorij Antichristi, sic dictum à superbissimo fastu, apparatuq; atque ditissimo ornatu pretiosissimorum aulæorum, stromatum, cortinarum, velorum, tapetum, operimentorum, stragulorum, & id genus aliorum, nimirum à verbo Aphad, cingere, superinducere,* &c. Apadno itaque erit nomen solij Antichristi, quod figet super montem aliquem ex Ierosolymitanis.

Quæritur, nomen proprium regiæ Antichristi.

Placet quidem Maluendæ interpretatio. Si nihilominùs in re obscura & difficili licet aliquid proponere, dicerem, Apadno nomen esse commune, appropriatum tamen, vel Prætorio Antichristi, vel Ierosolymæ ipsi, vbi suum contendet Antichristus stabilire regnum. Et ad ita opinandum hisce moueor. D. Hieronymus in primis, post diuersorum Interpretum versiones & lectiones loci Danielis, quibus illius magnam indicat difficultatem, dicit vocabulum Apadno compositum esse ex voce *Apad*, quæ significat solium, seu thronum, seu palatium, & particula *no*, quæ sonat idem

Quinta, nomen commune appropriatum Palatio vel regiæ ciuitati Antichristi.

ed by Google

ſidem quod ſui. *Et eſt ſenſus*, inquit, *Et figet tabernaculum ſuum, & thronum ſuum inter maria* duo: hoc eſt, Mare mortuum ab Oriente, & Mare magnum ſeu Mediterraneum ad Occidentem: in quorum medio ſita eſt Ieroſolyma. Igitur, ſecundùm nominis explicationem adductam à D. Hieronymo, Apadno commune nomen videtur, ſuperbiſſimo palatio vel regiæ vrbi Antichriſti per antonomaſiam appropriatum: ſicque dicendo, Apadno non ſignificabit locum in Perſia ſitum inter Euphratem & Tigrim, vt volebat Porphyrius, nec alium apud Emmaus, vt ſenſerunt alij; ſed ſolium quod Ieroſolymis collocabit, vel ipſam regiam vrbem Ieroſolymam, in qua regnum ſuum ſtabilire contendet Antichriſtus.

Dubium. Antequam aliis explicemus hanc ſententiam, diluenda eſt difficultas: Si Apadno nomen proprium non eſt, proprium locum ſolij ſui ſignificans, erit defectus & redundantia in Prophetæ verbis: defectus quidem, quia proprium nomen reticuit Daniel ſolij Antichriſti; quod in referenda hiſtoria Antichriſti debuit explicare, ne quis eum oſcitantiæ argueret. Redundantia etiam; quia ea verba ſic intellecta videntur talem reddere ſenſum: *Et figet tabernaculum ſuum Apadno*, ſiue *in Apadno*; id eſt, figet tabernaculum ſuum in ſolio.

Soluio. Reſpondetur, non eſſe defectum in Prophetæ verbis, nec ipſum oſcitantiæ arguendum: tum quia in illa relatione magis Propheta quàm Hiſtoricus eſt, ideò non mirum ſi obſcurus: tum quia, licet nomine proprio locum proprium non indicauerit, communibus tamen proprium circumſcripſit; dicendo, Antichriſtum collocaturum tabernaculum ſuum inter duo maria, Mortuum & Mediterraneum, ſuper montem inclytum & ſanctum, Ieroſolymam, inquam, olim nedum Palæſtinæ, ſed totius Orientis principem & regiam, talemque futuram tempore Antichriſti, inter dicta duo maria verè ædificatam. Et cuinam ex montibus meliùs aptari poterunt nomina illa inclyti & ſancti, quàm alicui ex Ieroſolymitanis? ſancti enim & inclyti ſunt, propter egregia opera in ipſis operata; & Dauidis teſtimonio tales, *Fundamenta eius*, id eſt Ieruſalem, *in montibus ſanctis*. Quod nec de aliquo in prouincia Elimaide vel regione Emmauntina reperiemus dictum. Nec etiam eſt redundantia, ſed poſita ſunt tot verba, ad magis explicandum magnificentiam ſolij Antichriſti. & voluit dicere memoratis verbis Propheta: In regia vrbe illuſtrique palatio Antichriſtus ſuum thronum collocabit.

Montes Ieroſolymitani ſancti.

Pſal. 86, 1.

Deinde, quoniam prædicta interpretatio non eſt à mente Prophetæ aliena, ſed eidem maximè conformis, vt ex euentu aliiſque vaticiniis probatur, quibus indicatur, Antichriſtum initio quidem regnaturum in Babylone, ſed in fine Ieroſolymis: vbi & ipſe cum regno ſuo penitus perdetur, vt indicat idem Propheta.

Antichriſtus in principio Babylonia regnabit.

Regnaturum Antichriſtum Babylone, deducunt Doctores ſacri ex illis Zachariæ verbis cap. 5, 9. *Leuauerunt amphoram inter terram & cælum. Et dixi ad Angelum, qui loquebatur in me: Quò iſta deferunt amphoram? Et dixit ad me: Vt ædificetur ei domus in terra Sennaar, & ſtabiliatur, & ponatur ibi ſuper baſem ſuam.* Quo loco, pro *terra Sennaar*, Septuaginta tranſtulerunt, *in terra Babylonis*. Eſt autem Sennaar, auctore D. Hieronymo, campus Chaldæorum in quo Babylon eſt ædificata, Gen. 10. & 11. Significaturque ea viſione, ſupplicium Iudæorum vſque ad tempora Antichriſti duraturum: quo tempore ædificabitur eis domus Babylone; eò quòd incipiet ibi Antichriſtus regnare, & à Iudæis, vt Meſſias, recipietur; quemadmodum illis Chriſtus prædixit, dicens: *Ego veni in nomine Patris mei, & non accipitis me: ſi alius venerit*, id eſt Antichriſtus, vt communiter intelligitur, *in nomine ſuo, illum accipietis*. Lege Maluen. loco citato cap. 3. & 4. & quod pro nobis facit, Ieroſolymis tandem ſedem ſuam collocaturum Antichriſtum, oſtendit idem Auctor ibidem pluribus cap. 21. Nos breuiter ex Apocalyp. cap. 11, 7. idipſum deducamus. Iſto in loco docet Ioannes, Enoch & Eliam Ieroſolymis ab Antichriſto occidendos. ſic enim de illis ait: *Et cùm finierint teſtimonium ſuum, beſtia quæ aſcendit de abyſſo*, id eſt Antichriſtus, *faciet aduerſum eos bellum, & vincet illos, & occidet eos. Et corpora eorum iacebunt in plateis ciuitatis magnæ, quæ vocatur ſpiritualiter Sodoma & Aegyptus, vbi & Dominus eorum crucifixus eſt.* Poſt quorum mortem & reſurrectionem, breuî finietur vita & regnum Antichriſti, vt apud omnes eſt in confeſſo. Ciuitas illa, ſecundùm communem Doctorum ſententiam, Ieruſalem eſt, & nos notauimus ex D. Hieronymo Lib. 1. Cap. xix. Idem habetur 2. Theſſ. 2. & ex ſtatim ſubijciendis ampliùs apparebit. Igitur ab euentu argumentando, Daniel in adductis verbis loquitur de throno & regia Antichriſti; in qua vltimis diebus vitæ ſuæ ſedebit, à qua & præcipitandus erit. ſed hæc erit Ieroſolyma, vel in ea. Igitur de iſta Propheta locutus eſt.

Sennaar quid.

Iudæi Antichriſtum vt Meſſiam recipient.

Ioan. 5, 43.

Regnabit in fine Ieroſolymis.

Enoch & Elias Ieroſolymis occidendi.

Ieroſolymis ergo figet tabernaculum

In monte figet Antichriſtus ſolium:

ſuum Antichriſtus. Et vbi determinatè? *Super montem inclytum & ſanctum*, inquit Daniel. Sed quinam iſte? ſecundùm omnes, mons Sion, vel Oliueti. Sed S. Hieronymus, ex ſenſu anteriorum Patrum, & recentiorum, quos ſuprà citauimus, montem dicit Oliueti *inclytum & ſanctum*; quia diuinis Chriſti impreſſis veſtigiis conſecratus, cùm ex eo Saluator in cælum aſcendit, vt teſtatur D. Lucas Act. 1, 12.

vel Sion:

Alij in monte Sion; quia Ieroſolymis primariam ſedem regni collocabit, vbi ceteri Iudæorum reges ſuas collocarunt: vt ergo non ab illis diſſimilem ſe oſtendat Iudæis Antichriſtus, ibi figet tabernaculum ſuum. Adhæc, in perſona Meſſiæ dixit Dauid: *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum eius.* Sed Antichriſtus tamquam Meſſiam Iudæis ſe exhibebit: igitur in loco, de quo Dauidem fuiſſe locutum Iudæi credunt, ſedebit; & hic eſt Sion.

Pſal. 2, 6.

Maluenda huius ſententiæ ſectator, ne Patrum & Interpretum auctoritati videatur contradicere, concedit, Antichriſtum habere regiam in monte Oliueti, nihilominùs credit eamdem pariter Ieroſolymis habere, propter locorum nimiam propinquitatem, vt patet Act. 1, 12.

vel in Sion, Moria & Oliueto.

Ego ſic dicerem, Antichriſtum ſeſſurum in vtroque loco, ſed differenter: Primò, in Ieruſalem in monte Sion, vel Moria, & templo à ſe conſtructo, & ibi futuram eius ordinariam ſedem, quoad ibi regnabit. Secundò, ſedebit modico tempore; vel potiùs contendet ſedem ſuam figere extra ſanctam Ciuitatem in monte Oliueti, & loco ex quo Chriſtus aſcendit in cælum, & ad voluptatem capeſſendam, & vt ſe Deum eſſe oſtendat; ſtatim à Domino ibidem perimendus, & in infernum præcipitandus. Et vtriuſque loci videtur facta allusio in adductis Danielis verbis: prioris in illis, *Et figet tabernaculum ſuum Apadno inter maria*; poſterioris, ſequentibus, *ſuper montem inclytum & ſanctum.*

Obiectionis ſolutio.

Nec obſtat, nullam poſitam eſſe inter vtrumque diſiunctionem vel copulam, quoniam videtur intelligenda, ſicut alibi in ſimilibus ſacræ Scripturæ locis accidit; ſed hic vnus manifeſtiſſimus ſufficiat. In Pſal. 132, 3. vbi agitur de vtilitate fraternæ charitatis, hæc habentur: *Sicut ros Hermon, qui deſcendit in montem Sion.* Iſta verba ſi accipiantur in ſenſu, quem prima facie præ ſe ferunt, falſam reddunt intelligentiam; eumdem videlicet numero rorem eſſe, qui deſcendit in montes Hermon & Sion, imò ad hunc per illum; quia dicitur, *Ros Hermon, qui deſcendit in montem Sion.* Falſiſſima hæc, inquam, intelligentia: nullo enim modo poteſt fieri illius ad hunc roris deſcenſus; tum quia valdè ab inuicem diſtiti ſunt, itinere circiter trium dierum, ille in Galilæa, iſte in Iudæa, inter quos multæ valles ſunt: tum quia, vt benè obſeruauit Lyranus in hunc locum, Hermon Sione humilior & decliuior eſt; & ſanè, in regione demiſſiori, quoniam Iudæa, & Ieruſalem præſertim, altior eſt aliis Palæſtinæ prouinciis. Quare, vt verum faciat ſenſum, apponenda eſt copula *&*, vt ait Titelmannus in Paraphraſi illius loci; ita vt ſit ſenſus: Sicut ros qui deſcendit in montem Hermon, & ros qui deſcendit in montem Sion. & in Annotatione ex Hebræo hæc habet: *Atque ob hoc*, id eſt, ſecundùm illum apparentem ſenſum, *relatiuum qui non refert ſecundùm numerum, ſed ſecundùm ſpeciem, vt ſit ſententia Pſalmiſtæ: Sicut ros qui deſcendit in montem Hermon, & ſicut ros qui deſcendit in montem Sion; hoc eſt, qualis etiam deſcendit in montem Sion. Vterque enim montium rore cæli impinguatus profert fructum copioſum.* Hæc ipſe. Ita in propoſito arbitror dicendum de adducta Danielis prophetia, ſenſumque illius eſſe: Antichriſtus figet primò tabernaculum ſuum Apadno inter duo maria, id eſt, in ciuitate Ieruſalem in monte Sion, vel Moria, temploque à ſe ædificato; & ſecundò, idem Antichriſtus ſedem ſuam collocabit in monte inclyto & ſancto Oliueti, &c.

Ros Hermon quomodo in montem Sion deſcendere intelligitur.

Poſterior ſententia probatur.

Hanc explicationem ex Scriptura diuina, ſanctis Patribus & ipſo euentu deduco. Et quantum ad illius primam ſeſſionem in templo, D. Paulus 2. Theſſal. 2, 3. hæc habet: *Niſi venerit diſceſſio primùm, & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui aduerſatur & extollitur ſupra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita vt in templo Dei ſedeat, oſtendens ſe tamquam ſit Deus.* Communis eſt omnium Patrum & Doctorum conſenſus, hæc verba eſſe de Antichriſto intelligenda, qui ante aduentum Domini apparebit: cuius amentiam, impudentiam, ſuperbiam tantam fore dicit Apoſtolus, vt in templo Dei ſeſſurus, & tamquam Deo præcepturus ſit ſibi litari, hoſtiaſque immolari.

Antichriſti ſuperbia.

Templi nomine Ieroſolymitanum intelligitur:

Sed quid templi Dei nomine intelligendum? Communior ſententia, templum Ieroſolymitanum nunc quidem funditus deſolatum, ſed ab Antichriſto, vt rem Iudæis gratam faciat, reædificandum; in eoque tamquam Deus ſedebit. Ita interpretantur D. Cyrillus Ieroſolymitanus Catech. 15. D. Irenæus lib. 5. Aduerſus hæreſes cap. 25. & 30. Hippolytus Martyr in Orat.

Digitized by Google

Orat. de Conſummat. mundi, D. Hieronymus in Epiſt. ad Algaſiam quæſt. 11. diuus Ambroſius in 21. cap. Lucæ, D. Auguſtinus lib. 20. de Ciuitate Dei cap. 26. Seuerus Sulp. lib. 2. de Vita S. Martini, D. Hilarius can. 25. in Matth. D. Ioannes Damaſcenus lib. 4. Fid. orthod. cap. 18. Sedulius in Comment. ſuper 2. Theſſ. 2. & alij recentiores.

Aliis templa Chriſtianorum.

Alij tamen volunt, S. Apoſtolum templi Dei nomine intelligere voluiſſe templa Chriſtianorum, in quibus Antichriſtus ſe faciet adorari. Sic Theodor. D. Chryſoſtomus, Theophylactus & Oecumenius in eum locum Pauli, Pererius lib. 14. in Dan. Verùm Theodoretus ipſe, Chryſoſtomus & Theophylactus, dum aiunt, ſeſſurum in Eccleſiis Chriſtianorum, ſimul affirmant ſeſſurum in templo Ieroſolymitano; nec oppoſitum ex propria ſententia docet ſanctus Hieronymus in Dan. vt patet eum attentè conſideranti. Itaque ſolus Oecumenius, Pererius & pauci alij id negant, duplici moti ratione.

Duplici ratione.

Prima.

Altera, quòd ſola templa Chriſtianorum templa appellari poſſint. Illud enim Iudaicum templum, poſt mortem Domini noſtri omni ſanctitate religioneque priuatum, profanatum, impurum & impium euaſit, ac ideò non Dei templum appellandum.

Secunda.

Altera ratio eſt, quòd Daniel cap. 9, 27. prædixit templi deſtructionem fore irreparabilem: *Vſque ad conſummationem & finem*, inquit, *perſeuerabit deſolatio.* & idem Chriſtus non ſemel prædixit, vt in Euangelio legimus.

Luc. 19, 41. & 23, 6. Matth. 23, 37. & 24, 2. Marc. 13, 2.

Reijcitur.

Sed non difficile erit vtrique rationi reſpondere; & priori primò, negando Chriſtianorum fidelium ve templa dumtaxat eo nomine appellari: etenim vſus loquendi & Scriptura diuina oppoſitum indicat. Vſus, inquam; nam Salomonis templum poſtquam fuit variis idololatriis contaminatum, & à Chaldæis, ab Antiocho aliiſque infidelibus profanatum, ſemper templum Domini, Salomonis, Ieroſolymitanum, vt priùs appellatum fuit. Et in præſentia, meſquita Turcarum Ieroſolymis in ſitu templi Salomonici ædificata, à Tyri Archiepiſcopo frequenter templum Domini, & communiter templum Salomonis nuncupatur.

Reſponſio ad primam.

Verum fidelium, ſed etiam infidelium delubra templa dicuntur.

Etiam Scriptura ſacra, fana idolorum & Gentilium templa vocat, vt 1. Reg. 5. patet, Philiſthæos intuliſſe Arcam Domini in templum Dagon, & Iudith 4, 2. vbi deſcribitur metus Iudæorum propter Holofernem timentium, ne faceret Ieruſalem & templo Domini quod fecerat ceteris ciuitatibus & templis earum. Et aliis pluribus locis omiſſis, ſufficiat hic ex Pſalmo 143. vbi comparans Dauid malorum hominum filias delubro idolorum, hoc templi nomine appellat, dicens: *Filiæ eorum compoſitæ, circumornatæ vt ſimilitudo templi.* Imò Bellarminus de Roman. Pontif. lib. 3. c. 13. qui priùs adductam ſequitur ſententiam, aduertit, in Scriptura noui Teſtamenti per templum Dei numquam intelligi Eccleſias Chriſtianorum, ſed perpetuò templum Ieroſolymitanum; &, quod maius eſt, veteres Patres Latini & Græci per aliquot ſæcula, Chriſtianorum Eccleſias templa non vocauerunt, ſed Oratoria, Eccleſias, Domos orationis, Baſilicas vel Martyria. Vnde Hieronymus in Epiſtola ad Ripariam dicit, Iuhanum Apoſtatam iuſſiſſe, vt baſilicæ Sanctorum aut deſtruerentur, aut in templa verterentur.

Pſ. 143, 12.

In primitiua Eccleſia Chriſtianorum Eccleſia templa non dicebantur.

Cur autem Apoſtoli non vocauerint templa Eccleſias Chriſtianorum, duplicem rationem aſſignat Bellarminus: vna eſt, quia non habebant tunc vlla templa, ſed ſolùm in priuatis domibus loca quædam deſtinabant orationi, concioni & ſacris Miſſarum celebrationibus. Altera ratio eſt, quia adhuc vigebat memoria templi Iudaici, ne viderentur Apoſtoli ſimile aliquid introducere; & vt diſtinguerent Eccleſiam à ſynagoga, abſtinebant à voce templi, &c. Quare loco indicato Apoſtolus templi appellatione Ieroſolymitanum templum intellexit. Denique ſacræ Scripturæ conſuetudo eſt, vt re prioris nominis deperdita, nomen prius retineat: vt Magdalena, poſtquam iuſtificata fuit, peccatrix vocatur; quia aliquando re & nomine peccatrix fuit, quemadmodum notauimus Libro 1 v. Cap. 11. x. Peregrinat. Ita dicendum in propoſito, templum Salomonicum impuro & profano cultu Antichriſti contaminatum, dici à Daniele templum, & templum Dei; quia anteà tale fuit, & eo nomine appellatum.

Reſponſio ad ſecundam.

Poſteriori difficultati reſpondendum cum Blaſio Viegas in cap. 13. Apoc. ſect. 8. num. margin. 2. indicare illa vaticinia, verè non reparandum Salomonicum templum, ſed eius deſolationem vſque ad finem perſeueraturam; quia tantùm in fine mundi ab Antichriſto inſtaurabitur.

Improbatur

Sed admittit ſcrupulum iſta reſponſio, quia non ſtatim poſt aduentum, imò interitum Antichriſti, erit finis mundi, præſertim ſecundùm eumdem ibidem ſect. 15. & nos vt probabile notauimus Lib. 1. Capite c 1. Fortè id aduertit Viegas, ideò aliam addidit reſponſionem:

Alia reſponſio.

Dici poſſe adhuc Antichriſti tempore tem-

templi desolationem duraturam; quia numquam sceleſtiùs, quàm tunc, templum illud profanabitur. Quid enim magis profanum, magisque execrandum, quàm in templo illo, olim celeberrimo & sanctissimo, thura Antichristo adoleri, hostiasque immolari? Hæc ille. Vel dicatur, quòd Antichristus templum ædificabit, quia illius extructionem attentabit; sed vsque in finem perseuerabit desolatio: quoniam aggressum opus, impeditus, consummare non poterit; quare in eo, quoquo modo restaurato, sedebit, & se tamquam Deum faciet adorari. Lege ad idem Maluen. lib. 7. cap. 7. Quare cùm ex sacris & exteris Scriptoribus manifestum sit, templum Dei fuisse in monte Moria ædificatum: qui mons filiæ Sion nominatur, & propter propinquitatem, & quia pars eius Aquilonaris etiam Sion, vt clarissimè habetur 1. Mach. 4, 38. *Ascenderunt in montem Sion, & viderunt sanctificationem desertam, & altare profanatum*, &c. Lege Pinedam de Rebus Salomonis lib. 5. de Sicu templi. In eodem illud reædificare aggredietur Antichristus; & consequenter primò in eo figet solium suum.

Quantum verò ad secundam sessionem Oliueti, vbi fortasse habebit magnificentissimum tentorium seu palatium: in quo vel se recipiet, fugiens à strage suorum exercituum, vt quibusdam placet; vel vt aliis, vt se Deum verumque Messiam ostendat, tamquam in cælum assumptus; vbique repentina morte eius superbia reprimetur, vt eo loco indicat ipse Daniel, dicens: *Et veniet vsque ad summitatem eius*; id est, montis inclyti & sancti, cuius immediatè meminerat: ad cacumen, inquam, & summum verticem montis Oliueti, ad tentorium vel palatium sibi præparatum, vt plerique interpretantur. Et, ni ego fallor, de ista sessione & solio locutus est D. Hieronymus, & non de priori, vt verba eius manifestè indicant, quæ sic habent: *Tunc veniet Antichristus ad summitatem montis eius, hoc est, montana prouincia, id est, verticem montis Oliueti, qui inclytus vocatur; quia ex eo Dominus atque Saluator ascendit ad Patrem; & nullus Antichristo poterit auxiliari, contra se Domino faciente. Et asserunt ibi Antichristum esse perituram, vnde Dominus ascendit ad cælos.* Hæc S. Doctor. Et clariùs Isaias cap. 25, 7. dicens: *Præcipitabit Dominus in monte isto faciem vinculi colligati super omnes populos: & telam quam orditus est super omnes nationes.* S. Hieronymus in 11. cap. Daniel. ad finem de isto loco ex compage translationis Aquilæ, Symmachi & Theodotionis, expressè verba faciens, sic ait: *Quòd autem Antichristus veniat ad summitatem montis sancti & inclyti, & ibi pereat, Isaias plenius loquitur: Præcipitabit Dominus in monte sancto faciem dominatoris tenebrarum super omnes Gentes, & eum qui dominatur cunctis populis, & vnctionem, qua vncta est contra vniuersas nationes.* Hæc S. Hieronymus. qui rursus inquit in Isa. cap. 25. *Dominatorem omnium populorum, siue faciem tenebrarum super omnes populos, & telam, qua ordita est super omnes Gentes. Quidam Antichristum intelligi volunt, qui in monte Oliueti consumendus sit; quòd in Danielis vltima diximus visione.* Ita ipse, & alij; & nos de his aliqua diximus Lib. 1. Et ita patet, Antichristum primò sessurum in sancta Ciuitate & monte Sion & Moria, vbi eius palatium & templum erit; & secundò in monte Oliueti, vbi extremo supplicio perimetur.

In monte Oliueti occidetur Antichristus.

Et dicta si vera sunt, Apadno non erit nomen proprium loci in Elimaide, vel prope Emmaus, sed palatij, vel ipsiusmet Ierosolymæ; vbi illud, tamquam in sua regia & præcipua Imperij sui ciuitate, habebit.

Sed quid dicendum auctoritati tantorum Doctorum, veterum & recentiorum, qui volunt Apadno esse locum prope Emmaus? nec enim tot refragari fas est. Maluenda triplicem adhibet responsionem. Prima, Antichristum duplicem regiam aut duplex palatium habiturum; alterum magnificentissimum Ierosolymis in monte Sion; alterum veluti domum saltus laxandi animi gratiâ iuxta Nicopolim; sicque Danielem per asyntheton esse interpretandum: *Et figet tabernaculum suum Apadno*, seu Nicopoli, *inter maria, & super montem inclytum & sanctum.* *Ad dicta veterum Patrum.*

Secunda, intelligi posse Antichristum tanta laxitate, vt à monte Oliueti ad Nicopolim vsque eius structura pertingat. Tertia est, Antichristum Ierosolymis in sumptuosissimo suo palatio residentem, prætorianas suas cohortes corporisque custodes in Nicopoli excubantes habiturum, &c. Subtiliter quidem & acutè difficili difficultati respondet; sed an insistendo in adducta à se & nobis expositione Danielis possint Prophetæ verba accommodari cum veterum expositione, non video.

An, expugnata Ægypto, veniet ad Ioppen Iudææ portum, & ingressus Iudæam, dirigendo gressus versus Ierusalem, primò figet tentoria iuxta Nicopolim, tamquam possessionem regionis ibi primò acceptus, solium habiturus posteà in Ierusalem? Doctè de hoc Danielis vaticinio differuit Maluenda loco priùs citato, & lib. 10. capite 14. §. 5. Nos hæc diximus occasione Emmaus;

Google

Emmaus; quòd fortaſſe aliquis verè credat, prope ipſum eſſe Apadno locum, ſedem Antichriſti. Et mirabile, ſi eſſet, non fieri illius aliquam mentionem: & ſi futura eſſet regia Antichriſti, non obſcurus & incognitus locus, ſed egregia aliqua ciuitas eſſet. Hæc diſcurrendo potiùs, quàm aliquid aſſeuerando, propoſui.

CAPVT V.

De Ramatha Sophim in monte Ephraim, & ſepulchro Samuelis Prophetæ & Iudicis Iſraël, quarto loco quintæ Peregrinationis.

POſt exhibitam piam venerationem in oppido Emmaus, domo Cleophæ Chriſti diſcipuli, quam ipſe Dominus poſt ſuam Reſurrectionem in Eccleſiam dedicauit, vt iam vidimus; reuertuntur pij fideles Ieroſolymam per aliam viam à qua venerunt, vt noua loca viſitent: nam in Emmaunte alius non eſt ab illo, vbi Chriſtus fuit à duobus diſcipulis hoſpitio exceptus. Retrocedendo igitur, greſſus dirigunt ad læuam partem: & quod illis primò occurrit, ſunt montes Ephraim; in quibus Sophim mons eſt ad læuam partem viæ, ibique ſepulchrum Samuelis, vt ſtatim dicemus.

Rama & Sophim nomina communia quid, & ſignificatio.

Vt autem horum aliquam habeamus notitiam, ſciendum, hæc nomina, *Rama*, *Ramathaim Sophim*, eſſe nomina communia potiùs, ſiue, vt dicunt, appellatiua, quàm propria. *Rama* enim excelſum, *Ramathaim* excelſa, *Sophim* verò reſpicientes, ſicut *Ephraim* frugiferum ſignificant, vt docent ſacri Interpretes in 1. Reg. 1, v. 1. vbi horum fit mentio in hunc modum: *Fuit vir vnus de Ramathaim Sophim, de monte Ephraim, & nomen eius Elcana*, &c. qui fuit pater Samuelis. Verùm communia hæc nomina aliquando appropriantur rebus locíſve peculiaribus, quibus proprietates illis nominibus ſignificatæ plurimùm conuenire noſcuntur. Et ita fortè dicendum eſt in propoſito de loco iſto; quoniam excelſus eſt, de longeque multa proſpici poſſunt: vt collis Gabaa, vbi ſepulchrum eſt Eleazari; vallis, vbi Ioſue contra Gabaonitas bellum geſſit, & in gratiam illius ſol ſtetit contra Gabaon; mons Modin, vbi ſepulti ſunt Machabæi, & alia videntur. Rama, Ramathaim Sophim appellatur, & propter aliquam eius fecunditatem; vel quia in ſorte Ephraim eſt, de monte Ephraim dicitur. Agit de eo Adrichomius in Ephraim numero 79. quæ tamen ibi notat, non ſunt omnia veteri traditioni conformia.

Mons Rama excelſus.

Patria & ſepultura Samuelis.

Fuit hæc Ramatha patria, habitatio & ſepultura ſanctiſſimi viri Samuelis Prophetæ, Sacerdotis & Iudicis Iſraël. Hic æquus Iudex iudicabat populum. Hic etiam erexit altare Domino. Hic congregati filij Iſraël petierunt à Samuele Regem, qui eos præcederet. Huc venit Saul ad quærendum aſinas patris ſui: qui à Samuele de omnibus, quæ deſiderabat, certior factus, ab eodem denique vnctus eſt in Regem ſuper populum Iſraël. Lege 1. Reg. c. 7. 8. 9. & 10.

Ibidem è vita deceſſiſſe, & tumulatum fuiſſe ſanctum hunc virum, habet communis harum partium traditio; locuſque ſepulturę monſtratur, docetque Bonifacius lib. 2. de Perenni cultu Terræ ſanctæ. Et deducitur ex 1. Reg. 25, 1. vbi ſacer Textus habet, ſanctum Vatem ſepultum fuiſſe in domo ſua in Ramatha; & intelligit ſepultum fuiſſe in proprio & domeſtico maioruni ſuorum ſepulchro, vt ait Sà.

Legimus tamen in Itinerario Beniamin p. 48. (quod Arias Montanus Latinum fecit) corpus Samuelis in Ramatha in ſynagoga cuſtoditum fuiſſe; inde autem à Chriſtianis tranſlatum in Silo, magnumque illi templum excitatum, poſitumque Prophetæ ſepulchrum: oppido autem datum eſt nomen *S. Samuel de Silo*. Hæc ibi.

Rabb. Beniamin dictum improbatur.

Verùm probabilius quod priùs dictum eſt, Scripturæ & adhuc perſeueranti traditioni conformius, & docent qui de ſanctis locis ſcripſerunt: & in præſentia in partibus iſtis nulla extat memoria dicti illius Rabbini.

Solemne funus celebratum in Samuelis obitu.

Funus etiam ibi celebratum in obitu ſancti Samuelis, celebre & honeſtum exſtitiſſe, vt Moyſis, Aaronis, Ioſue, & ſimilium Heroum, par eſt credere; & videtur indicare Scriptura illis verbis: *Mortuus eſt autem Samuel, & congregatus eſt vniuerſus Iſraël, & planxerunt eum, & ſepelierunt eum in domo ſua in Ramatha*, loco proximè citato Regum. Et ipſum Regem Saulem tumulum honorare voluiſſe, credendum eſt: vel ne ingratus aduerſus illum videretur, à quo valde olim dilectus fuerat, & in regium thronum ſubuectus; vel vt toti populo gratificaretur, cui Samuel fuerat acceptiſſimus; idque ſentit Lyrenſis in ea verba 1. Reg. 22. *Intellexit Saul*, &c. nec defuiſſe planctum triginta dierum, & lamenta funebria, ſicut in ſimilium funere: Ioſephus enim ait, populum in longum tempus planctum prorogaſſe.

Sepulchrum abſque corpore Samuelis, quod in Thraciam tranſtulit ſacrilegus Arcadius Auguſtus.

In præſentia locus ille ſacro pignore priuatus eſt: vt enim docet S. Hieronymus contra Vigilantium, ſacrilegus Auguſtus Arcadius illius oſſa longò pòſt tempore ex Iudæa tranſtulit in Thraciam. Ex his colli-ge, in ſpelunca plura fuiſſe ſepulchra & conditoria:

ditoria, in quorum vno fuit Prophetæ corpus tumulatum, ad similitudinem sepulchrorum Iudicum & Regum Israël, vt infrà de istis agentes videbimus. Tum quia dicitur sepultum in sepulchro domestico maiorum; tum quia si aliter fuisset, nequiuisset Imperator discernere illius reliquias ab aliis corporibus. Potuit etiam eius sepulchrum honorifico & illustri aliquo epitaphio cohonestari & exornari. Nostris temporibus cernuntur in illius eminenti situ ingentes ruinæ, signa magni præexistentis ædificij. Locum possident Turcæ, estque illorum Mesquita: à cuius ingressu arcentur Christiani; ideò transeuntes ipsum à longè salutant.

CAPVT VI.

De fonte sancti Samuelis, quinto loco quintæ Peregrinationis.

NOn longè à loco, præcedenti Capite commemorato, est fons quidam, qui dicitur fons sancti Samuelis; fortè sic appellatus à loco proximo sancti Samuelis: ad illum pietatis ergô, &, vt defessi ex itinere peregrini se recreent, diuertunt. Quò cùm peruenerint, hausta aqua, sub quadam rupe vel arboribus se recipientes, cibum cum benedictione sumunt, & recreati, cœptum versus Ierusalem prosequuntur iter. Hunc fontem illum esse credo, cuius meminit Adrichomius in Ephraim num. 79. dum de Ramatha loquens ait: *Describitur & fons iuxta Ramatha salubris aqua.*

Apud fontem S. Samuelis peregrini recreantur.

CAPVT VII.

De sepulchris Iudicum populi Iudaici, quæ sexto loco visuntur in quinta Peregrinatione.

IN hoc ipso reditu ex Emmaüs oppido ad sanctam ciuitatem Ierusalem visitantur aliquando memorabilia quædam sepulchra, quæ ab omnibus appellantur *Sepulchra Iudicum Israël.* Ista sunt in Orientali plaga sanctæ Ciuitatis, in colle parumque eleuato loco, in rupe excisa: plura continent conditoria & mansiunculas, in quibus reponebantur defunctorum corpora, magno labore & diligentia in ipso lapide excauata, vt ea ingressi obseruauimus; etsi non illorum numerum, multa tamen sunt.

Situs & forma sepulchrorũ Iudicum Israël.

Sed quare sepulchra Iudicum Israël appellantur? Ego non arbitror hoc nomen obtinuisse, quòd in ipsis tumulata fuerint corpora Iudicum & Principum Israël. Ad cuius assertionis intellectum obseruandum est, quòd post ingressum filiorum Israël in Terram promissionis, à Iosue qui primus Iudaicum populum gubernauit, vsque ad Saul Regem primum eiusdem populi, numerantur quindecim Principes, qui gubernauerunt Israëlem, ab hostibus liberarunt & defenderunt; ac ideò Iudices Israëlitici populi appellati, vt videre est in libro Iudicum. Et horum corpora non fuisse post mortem illata in hæc sepulchra pro maiori parte, ex eodem libro videbimus: & ex his non dissimile iudicium de aliis facere poterimus, ex quibus intentum colligemus, hæc sepulchra non dici Iudicum Israël, quia in ipsis fuerint illorum corpora tumulata.

Nomini ratio.

Iudices Israël quindecim.

Primus Dux & Iudex populi Israëlitici fuit Othoniel, de quo Iudic. 3, 9, & 11. de tribu Iuda, ex 1. Paralip. 4, 13. quadraginta annis regnauit, priùs citato loco. *Primus Iudex Othoniel.*

Secundus fuit Aod, qui fuit ambidexter; hic pænè octoginta annis rexit Israëlem. Iud. 3, 15. *Secundus Aod.*

Tertius fuit Samgar Iudex per aliquot menses, eodem loco v. 31. *Tertius Samgar.*

Præcedentibus quartò successit in Principatu Debbora & Barac, qui populum quadraginta annis iudicarunt. Iudic. 4, 4. & 5, 1. & 32. *Debbora & Barac quartus.*

Quintus Iudex fuit Gedeon de tribu Manasse, Iud. 6, 11. iudicauit Israëlem quadraginta annis: & mortuus, sepultus fuit in Ephra in sepulchro Ioas patris sui, eodem libro cap. 8, 28, & 37. *Quintus Gedeon in Ephra sepultus.*

Sextus fuit Abimelech, qui tribus annis Iudicauit. Iudic. 9, 1, & 22. *Sextus Abimelech.*

Septimus fuit Thola de tribu Issachar: regnauit annis vigintiquatuor. Iud. 10, 3. *Septimus Thola.*

Octauus fuit Iair Galaadites, qui iudicauit annis viginti: & mortuus, sepultus fuit in quodam loco, qui olim dicebatur Camon. Iudic. 10, 3, & 5. *Octauus Iair in Camon sepultus.*

Nonus fuit Iephte Galaadites, qui præfuit Israëli annis sex, Iud. 11, 11. qui mortuus sepultus fuit in ciuitate sua Galaad, ibidem cap. 12, 7. *Nonus Iephte in Galaad sepultus.*

Decimus fuit Abesan de tribu Iuda, Bethlehemites, qui iudicauit Israëlem septem annis: qui è vita sublatus, fuit in Bethlehem tumulatus: Iud. 12, 11. *Decimus Abesan in Bethlehem sepultus.*

Vndecimus Iudex fuit Ahialon, siue Aialon Zabulonites, qui iudicauit Israëlem annis decem: sepultus fuit in Zabulon, eodem cap. v. 11, 12. *Vndecimus Ahialon in Zabulon sepultus.*

Duodecimus Iudex successit Abdon filius Illel Pharathonites, qui per annos octo regnauit: fuit de tribu Iuda, quoniam Pharathon pertinet ad eamdem tribum. Sepultus fuit in Pharathon terræ Ephraim in monte *Duodecimus Abdon sepultus in Pharathon.*

monte qui dicebatur Amalec. Iud.12,13, & 15.

Tertiusdecimus Samſon in Gaza humatus. Tertiusdecimus Iudex fuit Samſon filius Manue de tribu Dan, qui iudicauit annis viginti: mortuus in Gaza Philiſtijm, ibiſque humatus. Iudic.15,20.& 16,31.

Quartusdecimus Heli. Quartusdecimus fuit Heli de tribu Leuitica, qui per annos quadraginta iudicauit Iſraëlem. 1.Reg.4.

Quintusdecimus Samuel ſepultus in Ramatha Sophim. Quintusdecimus, & vltimus Iudex populi Iudaici, fuit ſanctus Propheta & ſummus Pontifex Samuel, dilectus Deo & hominibus, qui annis viginti octo iudicauit populum, qui vnxit Saul in Regem Iſraël, 1.Reg.7,15, & duobus annis ante mortem Saulis obiit, vt ſentiunt Clemens Alexandrinus 1.Stromatum ex Ioſepho lib.6. Antiquit. cap. extremo, Ruffinus, Comeſtor 1.Reg. 27. Abul. & alij. Hic ſepultus fuit in Ramatha Sophim in monte Ephraim, vt Capite v. huius Peregrinationis notauimus.

Ex dictis neminem in his ſepulchris ſepultum legitur. Ex his quindecim Iudicibus Iſraël, octo, quorum ſepulchra recenſuimus, duntaxat mentionem facit diuina Scriptura, aliorum verò minimè: & conſtat ex illis neminem in dictis ſepulchris fuiſſe ſepultum. De aliis nihil poſſumus determinatè affirmare; fieri poteſt, ſi illorum tempore fuerunt exciſa, aliquem ex ipſis fuiſſe in eiſdem ſepultum. Mihi credibilius, fuiſſe tumulatos in locis ſuarum tribuum & familiarum, ſecundùm veterum conſuetudinem.

An ſepulchra Iudicum, quia pro ipſis, vel pro maioribus Iſraël parata. Quid ergo dicendum ad rationem nominis? Reſponderem, ideò appellata fuiſſe Iudicum Iſraël ſepulchra, quoniam illorum intuitu fuerunt exciſa; vel quia præparata fuerunt pro principalioribus & Senatoribus populi, qui Iudic[illegible] Scriptura & vulgò nuncupantur. Et hæc de his ſatis.

CAPVT VIII.

De ſepulchris Regum Iſraël, quæ ſeptimo loco ſe offerunt in quinta Peregrinatione.

IN hoc eodem itinere & reditu ex Emmaus in Ieruſalem, quadam religioſa pietate ducti peregrini, pergunt ad viſendum ſepulchra alia, à præcedentibus Iudicum longè illuſtriora; vtque videantur digniſſima, in his partibus ab omnibus *Sepulchra Regum Iſraël* appellantur: ad quorum hiſtoricam elucidationem duo præſtabimus; primò, ſitum, formam & conditionem illorum aperire contendemus; ſecundò, rationem nominis reddere.

Ieroſolymis, præter Dauidis ſepulchrum, alia fuerunt Regia ſepulchra. Et ad primi intelligentiam ſupponendum eſt, Ieroſolymis, præter Regium Dauidis ſepulchrum, in quo ipſe, filius eius Salomon, & Reges alij ex illo progeniti tumulati fuerunt, & alia Regia fuiſſe ſepulchra. Hoc fundamentum habet ex 2. Paralipomen.28,27. vbi hæc habet Scriptura diuina: *Dormiuitq; Achaz cum patribus ſuis, & ſepelierunt eum in ciuitate Ieruſalem: neque enim receperunt eum in ſepulchra Regum Iſraël.* His verbis manifeſtè datur intelligi, Ieroſolymis alia Regia fuiſſe ſepulchra à Dauidis ſepulchro; vt etiam ex dicendis magis apparebit. Et iſta opinamur fuiſſe ſepulchra, de quibus nunc loqui intendimus.

Sepulchra Iudæorum extra ciuitatem. Hæc ſepulchra non erant intra ciuitatem inferiorem vel ſuperiorem, ſed extra, in ſuburbis: ſiquidem, vt alibi diximus, in ſpeluncis extra ciuitatem conſueuerunt Hebræi ſua fodere ſepulchra; & fauet ſermo diuinus. etenim 2. Paral. 26, 21. vbi agitur de Ozia, qui alio nomine Azarias appellatus, cùm leproſus compertus eſſet, eiectus de templo, imò & extra commune hominum conſortium, habitauit in domo ſeparata, plenus lepra, inquit ſacer Textus. Et locus, vbi ſepultus fuit, appellatus ager Regalium ſepulchrorum, eò quòd eſſet leproſus. Fauet Ioſephus 9. Antiquit. cap. 11. dum de his agens, ait: *Et cùm aliquamdiu priuatus extra vrbem vixiſſet, filio Ioathamo Rempublicam adminiſtrante, mœrore tandem confectus obiit anno ætatis ſexageſimo octauo, Regni quinquageſimo ſecundo, ſepultuq; eſt in ſuis hortis in monumento ſolitario.* quibus valdè conſonant quæ in Gloſſa habentur: In agro, inquit, non in Regalibus ſepulchris, non in Ciuitate Dauid. indeque probat, non minùs quàm Oziam leproſum, *Hæretici à Catholicis ſeparandi.* à Catholicorum conſortio hæreticos atque ſchiſmaticos ſeparandos eſſe.

Adrichomius reiicitur. Quæ ſi vera ſunt, arbitror Adrichomium veritatem non attigiſſe in Deſcriptione locorum montis Sion num. 22. ſi de his ſepulchris loqui intendit, dum ait, *Sepulchrum Dauidis vnà cum agro Regalium ſepulchrorum*, &c. & certè de illis loquitur, vt patet ex Scripturæ locis in margine citatis; & quia ſeorſim de illis alibi non agit, cùm tamen diligentiſſimum ſciamus in quorumcumque memorabilium adnotatione: nec etiam rectè delineauit, dum ſimul cum ſepulchro Dauidis, in Geographica delineatione Ieruſalem, deſcripſit intra vrbem Sion inter Auſtrum & Occidentem in huius vrbis angulo.

Ioannes Baptiſta Villalpandus Tom.3. Apparatus lib. 3. cap. 1. & in ſua antiquæ Ieruſalem Deſcriptione, meliùs extra vrbem, in horto Oza, in media regione Aquilonari vrbis inferioris eadem ſepulchra agnoſcit,

noſcit, & probat, ſimulque eorum formam ex Zuallardo explicat; quem tibi hîc ſuiſmet verbis ſubiicimus: *De aliis verò ſepulchris Regum*, inquit, *quæ in horto Oza extitiſſe diximus, ſic ſcribit Ioannes Zuallardus in libro, quem Italica Lingua Romæ edidit de Peregrinatione Ieroſolymitana: Quod ad ſepulchra Regum Iudæ, de quibus ſuprà meminimus, attinet, antiqua ſunt in monte Sion, partim verò prope portam Ephraim extra Ciuitatem. Horum autem ingreſſus difficilis eſt: intra quamdam enim vineam foramen quoddam eſt, quo patet introitus vix hominem capiens. Intrinſecus autem extat ſatis magnum ſumptuoſumque adificium, quadrato ſchemate, Monachorum peryſtiliis, quæ vocant Clauſtra, perſimile. Octo & quadraginta cellulæ in eo viſuntur: in quibus totidem ſunt pulcherrima ſepulchra variis ſculpturis ornata. Teſtudinatum opus exciſumque candido natiuoque ſaxo, alabaſtro perſimili Valuæ autem cellarum ſingulæ dimidij pedis & eò ampliùs craſſitudine, ex eodem perpetuo ſaxo non aliunde adducto exciſæ, prout ex cardinibus, quibus voluuntur, coniicere licet. Opus verè ſingulare, magnæ induſtriæ, admirabile viſu, dignumque Regiis ſepulchris. Neque verò crediderim huic ſimile, aut vetuſtius toto orbe terrarum reperiri poſſe.* Hæc ille. Iis ſequentia addit:

Situs & forma Regiorũ ſepulchrorum ex Zuallardo apud Villalpandum.

Quibus plenam habemus fidem, vel propterea maximè, quòd ſingularis amici noſtri Dominici Daneſij Politiani, quem ille peregrinationis ſocium, ſcripturæ ducem feliciter ſortitus eſt, teſtimonio nobis maximè confirmantur. Illud tamen annotare non piget, quòd horum ſepulchrorum ſitum confirmare videtur, nempe à Ioſepho ſpeluncas Regias ea vocari, propter rationes initio huius diſputationis à nobis allatas. Is enim tertium murum deſcribens ad Septemtrionem, ad turrim Sephinam eum veniſſe tradit, contra monumentum Helenæ, quæ Adiabenorum Regina fuerit, Izatæ Regis filia, & per ſpeluncas ἀτυλαίων Regias in longum ductus, &c. Quibus verbis perſpicuè tradere videtur, in media regione Aquilonari vrbis inferioris ex aduerſo muri tertij extructa fuiſſe Regia ſepulchra in petra exciſa: id enim propriè ſignificare videtur vox Græca. Hucuſque fuere Villalpandi verba.

Ioſeph. 6. Belli c. 6.

Alia Deſcriptio.

Addam quæ in ea ingreſſus adnotaui. Sepulchra hæc ſunt in naturali collis rupe, tota vi ſcalpelli exciſa: deſuper campus eſt, non Pyramides, quemadmodum illas deſcripſit Vilalpandus; an aliàs fuerint, me latet. Ante ipſam & oſtium, eſt proportionatum veſtibulum in eadem rupe exciſum: exteriùs habet quædam inciſa ornamenta; & huius nulla mentio facta eſt in adducta deſcriptione, nec in delineatione deſcriptum. Habet oſtiolum parum elaboratum, anguſtum quidem & demiſſum; ſed demiſſius etiam, quia ex parte terra oppletum: quare per ipſum & canalem qui ad ſepulchra ducit, non niſi proſtrati & reptando ineedimus. Continet tres, vel ad ſummum, quatuor cellulas; & in ipſis circumcirca prominet rupes; & in medio alueola vbi reponebantur mortuorum corpora. Vidi in illis oſſa: & nobilis Romanus ex ipſis accepit, & ob antiquitatem, credens antiqua eſſe, ſecum tulit. Numerum locorum corporum non aduerti; ſed ſanè non tot, vt notauit Zuallardus, nec tot cellas, ſed vt dixi priùs. Tres portas habet in eadem rupe exciſas, quæ ſuperiùs in ipſa teſtudine oſtiorum, & inferiùs in plano ſe ſuſtentant, & vertunt vnà ad quamlibet cellulam: vna verò nunc fracta eſt. Lapis albus potiùs, & aliquantulùm fuliginoſus; & profectò non alabaſtro ſimilis, ſed communis. Opus ſanè regium & admirabile, aliis mundi mirabilibus non poſtponendum, vt qui hæc & aliqua ex ipſis viderunt, teſtati ſunt; & ſi non demolitum & derelictum eſſet, ſanè illuſtrius appareret.

Regia ſepulchra ſeptem mundi mirabilibus ab aliquibus comparata.

At quòd illius non tam celebris mentio fiat, prouenit, quia pauci veniunt Ieroſolymam: & iſti non omnes vident, vel laborem recuſantes, vel quia incognita, vel ob ingreſſus difficultatem; & quia pluries à ruſticis Arabibus prohibentur ingredi volentes. Sunt in plaga Aquilonari ſanctæ Ciuitatis: & quando ex hac ad illa accedimus, egredimur portam quæ Damaſci appellatur, &, vno abſoluto milliari, ad ea peruenimus. Cùm verò ad ea itur ex reditu ex Emmaus, [illegible] nihil à Ieroſolymitana via deflectere oportet; quod eſt in cauſa, vt ſæpiùs non videantur: & fortè propter hæc dicta non vidit Zuallardus.

Nominis ratio.

Et quantum ad ſecundum, quare ſepulchra Regum Iſraël appellantur? an quia in ipſis corpora Regum Iſraëlitici populi ſepulta fuerunt? Reſpondeo, fieri quidem poſſe, vt hac ratione talem ſortita ſint nomenclaturam; aliàs tamen conſtat, plures Reges Iſraël in nobiliori ſepulchro Dauidis, in monte Sion ædificato, fuiſſe ſepultos; & alios nec in iſto, nec in illis.

Plures Reges in ipſis ſepulchris ſepulti non fuerunt.

Qui ex tribu Iuda & familia Dauid regnauerunt in Ieruſalem, fuerunt numero vigintiduo, vt Libro IV. Cap. XXI. 1. Peregrinationis notauimus. Ex his ſex priores in ſepulchro Dauidis fuiſſe ſepultos, conceptis verbis docet Scriptura. De Dauide 3. Reg. 2, 10. de Salomone eodem libro cap. 11, 43. de Roboam cap. 14, 3. de Abia & Aſa cap. 15, 8. & 25. de Ioſaphat capite

Qui in ſepulchro Dauid ſepulti ſunt.

pite 22, 51. & 2. Paral. 21, 1. Ioram ſeptimus Rex ſepultus quidem fuit in Ciuitate Dauid, ſed non in ſepulchro Regum, 4. Regum 8, 24. & 2. Paral. 21, 20. Ochozias octauus Rex ſepultus fuit in ſepulchro cum patribus ſuis in Ciuitate Dauid, 4. Reg. 9. v. 28. Athalia, quæ Ochoziæ ſucceſſit, gladio occiſa in domo Regis, vt dicitur 4. Regum 11, 20. vbi fuerit ſepulta, non explicatur. Et profectò cùm tyrannicè & impiè vixerit, nec in ſepulchro Dauidis, nec in magnificis ſepulchris, de quibus loquimur; ſepeliri meruit. Ioas decimus Rex Ieruſalem ſepultus fuit cum patribus ſuis in Ciuitate Dauid, 4. Reg. 12, 21. ſimiliter dicitur de ſepultura Amaſiæ vndecimi Regis Ieruſalem, 4. Reg. 14, 20. & 2. Paral. 26, 28. Ozias duodecimus, 4. Reg. 15, 7. quoniam leprosus mortuus eſt, in ſuis hortis in ſepulchro ſolitario ſepultus fuit, vt initio huius Capitis diximus. Et quamuis loco proximè citato Regum dicatur ſepultus fuiſſe cum maioribus ſuis in Ciuitate Dauid, non obſtat; intelligendum eſt enim ſecundùm frequentem Scripturæ conſuetudinem, intra pomœria, vel prope Ciuitatem, vt inquit Villalpandus loco citato. De Ioatham tertiodecimo Rege dicitur 4. Reg. 15, 38. *Et dormiuit Ioatham cum patribus ſuis, ſepultuſq; eſt cum eis in Ciuitate Dauid patris ſui:* idem 2. Paral. 27, 9. Et de Achaz quartodecimo Rege Iuda dicitur eodem libro Regum cap. 16, 20. & 2. Paralip. 28, 27. ſepultum fuiſſe cum patribus ſuis in Ciuitate Dauid, & non in ſepulchris Regum Iſraël. Manaſſes ſextusdecimus ſepultus fuit in horto domus ſuę, in horto Oza, 4. Reg. 21. v. 18. & 2. Paral. 33, 20. & idem dicitur de filio ſuo Amon ſeptimodecimo Rege Iſraël, 4. Reg. 21, 26. Ioſias decimusoctauus Rex honorificè ſepultus eſt in mauſoleo patrum ſuorum, 2. Paral. 25, 24. Ioachaz decimusnonus in Ægypto mortuus eſt; 4. Regum 23, 34. Ioakim vigeſimus, & Ioachim vigeſimusprimus, & denique Sedecias vigeſimusſecundus, ducti fuerunt captiui ex Ieruſalem in Babylonem: vbi & fuiſſe ſepultos credendum eſt, licet expreſsè Scriptura de eorum ſepultura non loquatur, nec de eorum reditu in Ieruſalem; ſed potiùs numquam rediiſſe affirmat, vt locis proximè citatis videre eſt. Ex his manifeſtè colligitur, nullum ex Regibus, qui à Dauide vſque ad Babylonicam captiuitatem Regni gubernacula tenuerunt in ſancta Ciuitate, ſepultum fuiſſe in memoratis ſepulchris, & conſequenter Regia ſepulchra non eſſe appellata, quòd illorum Regum corpora in ſe receperint.

Obiectionis ſolutio.

Forte ita nominata, quia magnificentiâ Regiâ conſtructa, & pro Regibus & Principibus Iſraël; licet ex memoratis aliquem in ſe non recepetint. Fieri tamen poteſt, vt corpora Principum, Sacerdotum, ſimiliumque virorum qui gubernarunt Iſraëlem, in eoſque floruerunt poſt reditum à Babylonica captiuitate vſque ad Chriſtum, in ſe receperint, & ob id nomẽ illud retinuerint.

Regia dicta, quia Regiâ magnificentiâ & pro Regibus excelſa.

CAPVT IX.

De ſpecu Ieremiæ Prophetæ, quinto Peregrinationis octauo loco.

A Sepulchris Regiis vlteriùs Occidentem verſus paſſus centum & ampliùs procedendo, inuiſitur antrum, *Fouea Ieremiæ* nuncupatum, quòd in ea ſanctus Propheta deflenerit miſerandam Ieroſolymæ vaſtationem, atque lamentabilem Iudæorum captiuitatem Babylonicam per Chaldæos, ibique ſuos Threnos ac lacrymabiles Lamentationes compoſuerit. Eſt hoc antrum quadratæ formæ, amplum & ſpatioſum, vnica columna eiuſdem rupis ſuffultum, triginta circiter paſſus per quadrum continens. Adrichomius in Deſcriptione Ieruſalem n. 224. arbitratur de iſta fouea intelligenda eſſe illa Nicephori verba de ſancta Helena Conſtantini Imperatoris matre: *Atque in fouea Ieremiæ, & ad fontem qui Siloë dicitur, mirifica conſtruxit opera.* Cornelius à Lapide in caput 37. Ieremiæ, intelligit de ſtructura facta à Conſtantino apud carcerem, in quem fuit coniectus idem Propheta.

Nicephor. lib. 8. Hiſt. Eccl. c. 30.

Fortè conciliari poſſunt Scriptores iſti, dicendo, facta ab Helena adſcribi etiam Conſtantino, quia de illius conſenſu & ordinatione executioni mandata. Et mirifica opera vtrique loco, ſpecui & carceri, propter vtriuſque vicinitatem, vt aliqui opinantur, aptari poſſunt. Si tamen diſtincta omnino fuere, arbitror potiùs carcerem, quàm dictam ſpecum ſanctam Helenam illuſtri decoraſſe memoria; tum quia in dicta ſpecu nulla extant mirabilium operum monimenta; tum quia carcer paſſionis locus memorabilior eſt ſpecu & ipſius Prophetæ habitatione.

Fouea Ieremiæ illuſtri memoria ab Helena decorata.

Et ſi verum quod ex communi retulimus traditione, dictam foueam eſſe Ieremiæ, & ad vrbis Aquilonarem plagam, non congruè illam delineauit Adrichomius in eiuſdem vrbis parte Meridionali; & illud probabiliùs apparebit ex dicendis Capite ſequenti.

CA-

CAPVT X.

De fouea ſiue carcere Ieremiæ Prophetæ, quinta Peregrinationis nono loco.

NOn longè à fouea Threnorum Ieremiæ, oſtenditur aliquando tamquam quid ſingulare locus quidam ſubterraneus, ad quem per aliquot gradus deſcenditur, vna (ſi malè non recolo) ſuffultus columna, ad inſtar caueæ: lutoſus, propter aquam in eum defluentem: ante quem ſunt plura Turcarum ſepulchra, quæ vnà cum dicta fouea & domo, quæ ibidem eſt, muro clauduntur. Sed quidnam eſt? nonnulli opinantur eſſe locum vbi Ieremias defleuit ruinam Ciuitatis, & Threnos conſcripſit: ſed ineptus locus habitationi: & ſpecum alteram diximus Capite præcedenti ex vulgata veteri traditione.

Probabilius veriuſque reor cum aliis, eſſe carcerem in quem fuit aliquando S. Ieremias conie&us: & ad huius ſententiæ intelle&um notandum eſt, in ſancta Ieruſalem ciuitate, vt Regia Terræque promiſſionis Metropoli, plures fuiſſe carceres intra & extra, vt indicauimus Lib. IV. loquentes de carcere D. Petri: & non omnes eiuſdem conditionis & ſæuitiæ, ſed diuerſæ. Ex his aliqui erant, quibus fontes ſupplicio potiùs afficiebantur, quàm, ne fugerent, cuſtodirentur; vt ſcilicet in eis pœdore, fame ac tabe, lenta morte miſerè conficerentur; & hi lacus appellabantur. Erant in Terra ſancta putei vel ciſternæ, quemadmodum ex illorum frequenti mentione in ſacris Literis conſtat. Et hiſce nonnullis vſi fuerunt Iudæi ad reos puniendos: erant hi cœnoſi, quia patentes ſuperne accipiebant pluuiam, vel aliunde confluentem aquam; quæ mixta cum fundo laci, faciebat lutum & cœnum: erant & profundi; ideò ad illos damnati funibus demittebantur, vel ex eiſdem educebantur. Adeò tetri erant, vt barathri ac inferni typus extiterint. Ad huiuſcemodi puteos alludens Regius Vates dixit: *Poſuerunt me in lacu inferiori: in tenebroſis, & in vmbra mortis*; & iterùm: *Eduxit me de lacu miſeriæ, & de luto fæcis*. Et de Chriſto ſanctos Patres è limbo liberante dixit Zacharias: *Emiſiſti vinctos tuos de lacu in quo non erat aqua*. Ita, præter alios, Abulenſis in Matthæum. Et Dauid in perſona Saluatoris indicare volens, quàm dirè fuerit à Iudæis in ſua paſſione tractatus, in horridumque ac tetrum locum conie&us, dixit: *Infixus ſum in limo profundi: & non eſt ſubſtantia*. Talis lacus creditur fuiſſe vetus illa ciſterna, in quam Ioſeph fuit à fratribus demiſſus, vt ibi moreretur; & carcer, in quem fuit Ieremias à Iudæis conie&us, vt poſteà oſtendemus: qui quoniam iuxta carcerem erat, traduc&us fuit ad reorum cuſtodiam, vel potiùs ſupplicium.

Carceres Ieroſolymitani varij.

Lacuum puteorumq; quorundam vſus.

Pſal. 87,7.

Pſal. 39,3.

Zach. 9,11

Abulenſis in Matth. 27. q. 558.

Pſal. 68,2.

Gen. 37.

Hoc præmiſſo, ſciendum eſt, ſanctum Vatem pro veritate dicenda, gloria Dei, ac ſalute populi ſui, multa paſſum fuiſſe à Iudæis verbera, carceres; ac denique lapidibus obrutum, glorioſum obiuiſſe martyrium; vnde potuit cum Apoſtolo verè dicere: *In laboribus plurimis, in carceribus abundantiùs, in plagis ſupra modum, in mortibus frequenter.* 2. Cor. 11, 23.

Et quòd ad carcerem, dico quater in eum fuiſſe conie&um, quemadmodum ipſe indicat in ſuis Reuelationibus. *Ieremias quater in carcerem miſſus.*

Primò, ſub Sedecia Rege, ad initium, vt creditur, quarti anni Regni ſui. Cùm ſanctus Propheta quadam die multa mala prophetaſſet quæ ventura erant ſuper Ieruſalem, & ſuper vrbes eius: ea cùm audiſſet Phaſſur, filius Emmer, Sacerdos, zelo actus indiſcreto, percuſſit illum, & miſit in carcerem, in domo Domini in porta Beniamin ſuperiori exiſtentem; verumtamen in craſtinum die illuceſcente, eduxit eum ac dimiſit: qui conuerſus ad Phaſſur, iterùm prophetauit contra eamdem Ciuitatem, & omnem Iudam, & contra eumdem Phaſſur, & omnes amicos eius, affirmans, quòd perituri eſſent gladio inimicorum ſuorum, ipſomet inſpectante Phaſſur: & quòd omnis Iuda, cum vniuerſa Ciuitatis ſubſtantia & Regum theſauris, diripienda erat, & transferenda in Babylonem; vbi & ipſe Phaſſur cum omni domo ſua captiuus erat moriturus. Ieremiæ 20. *Primò.*

Secundò, poſteà paucis tranſactis annis, anno videlicet nono Regni eiuſdem Sedeciæ, quando impleri videbantur à ſancto Vate prænuntiata, ſanctaque Ciuitas per Chaldæos obſidebatur. Eo tempore miſit Sedecias Phaſſur filium Melchiæ (ad differentiam illius Phaſſur filij Emmer, qui Ieremiam primò in carcerem intruſerat) & Sophoniam filium Maaſiæ Sacerdotem ad Ieremiam Prophetam, vt interrogaret pro eo Dominum de memoratæ obſidionis exitu; quibus Propheta reſpondit, Ieroſolymam fore vaſtandam peſte, gladio & fame, & Sedeciam Regem, cum reliquis qui euaſiſſent peſtem, gladium & famem in Ciuitate, tradendos eſſe in manus Nabuchodonoſor Regis Babylonis, qui duceret eos in captiuitatem; & neque precibus flecteretur, neque parceret, neque miſereretur eis, ſed & Ciuitatem exureret igne: vnam verò dumtaxat reſtare obſeſſis viam ſalutis, ni- *Secundò.*

minum

mirum si egredientes de Ciuitate, vltrò ad Chaldæos transfugerent, &c. Ierem. 21. Post quæ iterùm, Deo mandante, prædixit Regi, tradendam Ciuitatem in manus Regis Babylonis, illamque igne succendendam; ipsum captiuum in Babylonem deportandum, & viuum ante Regem Nabuchodonosor sistendum, cuius iratum vultum propriis oculis intueri asperaque eius verba audire compelletur. Ierm. 34.

Sedecias talia vaticinia iniocundâ semper audire non sustinens, iussit eum claudi in atrio carceris, qui erat in domo Regis, vt apertè colligitur Ierem. 32. vers. 2. vsque ad 6. vbi clare traditur, quòd Sedecias anno Regni sui decimo iam sanctum Vatem clauserat, nimirum anno præcedenti, in dicto carcere; quoniam ei memoratas prænuntiauerat calamitates, quæ ibidem pænè de verbo ad verbum denuò referuntur. Et hîc fuit secunda Ieremiæ incarceratio.

Verùm cùm Rex Sedecias continuis euentibus deprehendisset Ieremiam verè Prophetam Domini esse, veraque prænuntiasse; cumque ipse in arcto se positum videret, in se reuersus, non multò pòst iussit Prophetam de carcere educi, & liberum dimitti.

Tertiò: Tertiò, circa finem noni anni regni Sedeciæ, cùm sanctus Propheta quadam die ex Ierusalem egredi vellet, vt iret in patriam suam Anathot, sitam in terra Beniamin, & peruenisset ad portam ciuitatis; Iosias portæ custos, suspicatus ipsum transire ad Chaldæos, apprehendit eum ac duxit ad Principes, qui indignati, cæsum miserunt in carcerem: stetitque ibi Ieremias diebus multis. Ierem. 37. vers. 10. vsque ad 16.

Videns Sedecias Rex, quòd quæ prædixerat Ieremias de reditu Chaldæorum ad obsidendam Ierusalem (recesserant enim ad Regis Ægypti aduentum, vt opem ferret afflicto Sedeciæ) ad amussim impleta essent; & è conuerso res ipsa indicaret mendaces fuisse omnes pseudoprophetas, qui eidem Regi populoque oppositum prædixerant; iussit clàm adduci Ieremiam ad [redacted] domum suam, & de exitu belli eum percontatus; ab eo audiuit se tradendum esse in manus Regis Babylonis. Deinde à Propheta rogatus Rex, ne remitteret eum in domum Ioathan Præpositi carceris, ne ibidem moreretur, acquieuit petitioni eius: & fortè omnino liberum dimisisset; sed ne Principibus malè de Ieremia sentientibus aduersari videretur, tenuit eum in vestibulo carceris, assignata ei in dies torta panis, excepto pulmento. Ier. 37. à vers. 10. vsque ad finem capitis.

Ieremia manente in vestibulo carceris, ad eum quilibet de populo accedere poterat: & cuicumque imminentia vrbi mala prædicare non cessabat, quin etiam in verbo Domini asseuerabat, eos qui manere voluerint in ciuitate, gladio, fame ac peste perituros, qui autem ad Chaldæos exire, sospites victuros: quæ cùm audissent quidam de Principibus, retulerunt Regi, exaggerantes quòd ille homo suis prædictionibus dissolueret corda bellantium contra Chaldæos pro ciuitate tuenda, & propterea omnino deberet occidi. Quare, obtenta *Quarto.* regis licentia, submiserunt Ieremiam funibus in lacum, aqua quidem carentem, sed cœno obductum; vbi proculdubio mortuus esset, nisi non multò pòst quidam de seruis Regis nomine Abdemelech, natione Æthiops, misertus Prophetæ; & à Rege impetrata facultate, eum inde funibus extraxisset, & deinceps in vestibulo carceris aluisset. Ierem. 38. vers. 1. vsque ad 14. Qui postea, capta per Chaldæos ciuitate, mandante Nabuchodonosor Rege, à Nabuzardan suæ militiæ duce inoffensus & omnino liber dimissus fuit, vt indicatur Ierem. 39. vers. 11. & 12.

His sic stantibus, atque suppositio, memoratam foueam fuisse carcere sancti Ieremiæ sanctificatam, pro eius historiæ clariori elucidatione inuestigandum est; an pluries vel semel fuerit in eam inclusus foueam, & qua vice ex quatuor indicatis: hoc enim pacto ratio illius nomenclaturæ ac venerationis magis elucesceret. Respondeo, & dico tria; duo certa, & tertium probabile.

Primum certum sit, sanctum Propheram non fuisse in dictam foueam coniectum singulis quatuor indicatis vicibus. Probatur, quia ex vario situ carcerum, ac custodum diuersitate, plures fuisse carceres, in quos fuit Propheta coniectus, deducitur; & hoc ipsemet indicat. Et quòd non fuerit prima vice in illam foueam coniectus, clarè ostendo ex illis Ieremiæ verbis, in quibus de illa est sermo: *Et percussit Phassur Ieremiam Prophetam, & misit eum in nervum, quod erat in porta Beniamin superiori, in domo Domini.* Priora verba huius sententiæ indicant simplicem carcetis alicuius locum, *misit eum in nervum*, id est, in locum quo homines torquentur, cruciantur, constringuntur & examinantur, vt ex Symmacho docet S. Hieronymus, & Lyranus ad idem: *Misit eum in cippum, vt non posset ire ad prædicandum.* Posteriora verò eiusdem sententiæ verba clarè indicant intentum, *quod erat*, &c. Peculiaris hic indicatur nervi & cippi locus. Duplex erat porta Beniamin, superior. Ier. 20, 2. *Porta Beniamin duplex, superior & inferior.*

ſuperior & inferior, ait Lyranus. De inferiori habetur Ierem. 37, 10. & 11. ſita in nouis mœnibus inferioris vrbis verſus montem Moria; vti ex Brocardo, Adrichomio & aliis docet Villalpandus lib. 3. de Templo cap. 24. Porta Beniamin ſuperior, quia erat in ſuperiori vrbe, & loco fere ceteris Ieroſolymæ portis eminebat: Beniamin, quia ex ea ibatur in ſortem Beniamin; vel quia ſita in parte vrbis, quæ ad tribum Beniamin ſpectabat; vt altera, quæ in parte tribus Iuda, porta Iuda dicebatur. Dicitur fuiſſe in domo Domini; vel quia templi porta erat, vel, vt alij probabiliùs, vrbis, puta antiquorum mœnium in Sion, quibus contiguum erat templum: & ex vicinitate, & quia per eam tantùm ibatur ad templum, porta Domus Domini appellata fuit.

Carcer, in quem falſi Prophetæ templiq; miniſtri delinquentes conijciebantur.

Iuxta hanc portam erat carcer, in quem conijciebantur falſi Prophetæ, item templi miniſtri, cùm delictum aliquod commiſiſſent. Suberat enim hic locus templo templiq́ue præfectis. Ita Chald. diuus Thomas, Theodoretus, Hugo, Lyranus. Igitur cùm prima vice Ieremias, tamquam falſus Propheta, coniectus fuerit in hunc carcerem, qui erat intra ciuitatem, & in eius Meridionali plaga, colligitur euidenter non fuiſſe in prædictam coniectum foueam, quæ extra ciuitatem & in eius oppoſita Aquilonari plaga inuiſitur.

Non fuit ſecunda vice in illam foueam coniectus ſanctus Vates, ob adductam nunc rationem, quæ ab ipſomet ſequentibus in-
Ier. 32, 2. dicatur verbis: *Tunc exercitus Regis Babylonis obſidebat Ieruſalem, & Ieremias Propheta erat clauſus in atrio carceris, qui erat in domo Regis Iuda.* Iudæi enim, & præſertim Sedecias Prophetam conſulens, in eum, vtpote Sacerdotem, vſi ſunt aliqua clementia, dederuntq́ue ei laxam cuſtodiam in veſtibulo carcens Regiæ; ſic tamen, vt non poſſet effugere. Ita S. Hieronymus. Sed noſtra foueа eſt extra domum regiam & ciuitatẽ: & ſi in eam fuiſſet coniectus Propheta, ſi tunc erat vt modò cernitur, nec Rex nec Iudæi fuiſſent cum eo, vt Sacerdote, aliqua clementia vſi. Non fuit etiam in eam coniectus ſingulis poſterioribus vicibus, vt ſtatim apparebit; ergo verum, non ſemper fuiſſe in illum locum ſanctum Prophetam coniectum.

Secundum dictum, & verum; Non fuit Ieremias tertiò & quartò in illam coniectus foueam, ſed ſemel tantùm. Probatur, quia tertia vice miſſus fuit in carcerem in domum Iaci & in ergaſtulum quod erat in domo Ieriæ filij Selemiæ, Ierem. 37, 14. & 15. quarta verò proiecerunt in lacum Melchiæ filij Amelech, qui erat in veſtibulo carceris: igitur non fuit his duabus vicibus in hac foueа; quia vna & ad vnum dominum, vel cuſtodem, pertinere debuit.

Tertium probabile dictum ſit: Memorata foueа eſt illa, in quam quarta vice proiectus & per funem demiſſus fuit S. Propheta. Ratio eſt; quia, illius conditione ſpectata, ei multùm conueniunt quæ de quarto carceris loco Propheta dixit: *Tulerunt ergo Ieremiam, Principes, & proiecerunt eum in lacum Melchiæ filij Amelech, qui erat in veſtibulo carceris: & ſubmiſerunt Ieremiam funibus in lacum, in quo non erat aqua, ſed lutum: deſcendit itaque Ieremias in cœnum.* & Ioſephus lib. 10. Antiq. cap. 10. *In cœnoſum*, inquit, *puteum per funem demiſerunt Ieremiam, vt ibi præfocatus moreretur; ille verò vſque ad collum merſus ibi manebat.* Nam verè locus profundus eſt & lutoſus: & quamuis modò ad eum per ſcalam ex porta ſit deſcenſus, & dicatur ibidem Ieremiam funibus eductum fuiſſe de lacu; poſteà fuit aliqualiter immutatus, facta in eo porta & ſcala, vt, ob memoriam Ieremiæ, poſſet à piis fidelibus viſitari locus. Et fortaſſe in teterrimum locum illum vltimò miſerunt, vt moreretur, vt dictum fuit; quia videbant non deſiſtere ab imminentibus ſanctæ Ciuitatis & totius populi calamitatibus prædicendis. Et illius tanta calamitas mouit indicati Æthiopis ſerui viſcera, ad illius ex illo lacu liberationem procurandam: ex quo eductus, manſit in veſtibulo carceris vſque ad diem quo capta eſt Ieruſalem. tunc enim liber omnino à Chaldæis dimiſſus fuit.

Ier. 38, 6.

Ier. 38, 9.

CAPVT XI.

De ſepulchro Helenæ Adiabenorum Reginæ, quod decimo occurrit loco in quinta Peregrinatione.

FAteor me Ieroſolymis nullum vidiſſe veſtigium mauſolei Helenæ Reginæ Adiabenæ, vel aliquam eiuſdem audiuiſſe mentionem fieri, quia, vt pleraque alia temporaria, defectum paſſum eſt; fuit [illegible]n & ſatis celebre ac memorabile, vt videre eſt apud Ioſephum Hebræum pluribus in locis, & vſque ad tempora Euſebij Cæſarienſis ac D. Hieronymi, vt ipſi in ſuis ſcriptis indicauerunt. Placuit nihilominùs aliqua ex his hîc adnotare; quia erat ex hac Boreali vrbis plaga, vbi ſunt etiam aliæ ſpeluncæ Regiæ, de quibus anteà, vt poſteà dicemus; tum quia celebre fuit tum ſtructurâ, tum regijs cineribus: & fuit hæc Helena cum Izate Rege filio ſuo de ſancta Ieroſolymorum ciuitate optimè merita.

Lib. 20. Antiquit. cap. 2. & 3. & 6. Belli. cap. 2. §. 6. & 7. Euſeb. l. 2. Hiſt. Eccl. cap. 11. Hieron. Tom. 1. Epiſt. 27. cap. 5.

Helena

Helena cum Izate filio fit Adiaben.

Helena Regina fuit Adiabenæ gentis vltra Euphratem habitantis, vt tradit Iosephus de Bello Iudaico lib.6.cap.7. Suscepit venerabilis hæc mulier Iudæorum religionem vnà cum filio suo Izate, vt pluribus explicat idem Iosephus lib. 20. Antiquit. cap. 2. Hæc, filio suo Izati Regno comparato, *Videns res Regni pacatas*, inquit Iosephus, *& filium opinione omnium tam domesticorum quàm exterorum beatum, diuina fauente prouidentia, desiderio capta est visendi Ierosolymam, templumq; illud apud omnes mortales famosissimum, vt ibi Deum adoraret, votiuasq; victimas redderet. Et quia facilè commeatum impetrauit à filio, postquam magnus apparatus in eam profectionem fecisset, instructa copioso viatico descendit in Ierosolymitanam vrbem, deducente filio dierum aliquot itinere. Accidit autem peroppportunè eius aduentus ciuibus. Cùm enim per id tempus ciuitas graui fame premeretur, & multi perirent alimentorum inopia, Regina Helena ex suis alios misit Alexandriam comparaturos vim magnam tritici, alios in Cyprum, qui copiam ficuum passarum inde adueherent: quibus omnibus breui reuersis, cibos egenis distribuit; atque hoc beneficio memoriam immortalem sibi apud nostram gentem peperit. Filium quoque eius Izates, comperto quanta fame laboraret ille populus, multum pecuniæ misit Ierosolymitanorum Primatibus. Sed horum Regum beneficia, quibus nostram ciuitatem iuuerunt, dicentur posteà.* Hæc Iosephus.

Migrat Ierosolymam.

Reuenit Ierosolyma fame laboranti.

Izates Rex è viuis decessit ante matrem Helenam: cui in regno successit Monobazus frater, & alter Reginæ filius; & non post multum temporis obiit & Regina. Tunc Rex Monabazus curam habuit, vt matris & fratris Regum ossa honorificè Ierosolymam deferrentur; & in regio mausoleo, à Regina viuente ibi præparato, tumulari curauit, vt post præmissa & alia verba hisce indicauit idem Iosephus, & formam sepulchri delineauit: *Ossa eius & fratris sui misit Monobazus Ierosolymam, condenda in extructis ab ipsa pyramidibus tribus numero, tertio ab vrbe Ierosolymitana stadio distitis, & ad Boreæ tractum*, vt idem tradit de Bello Iud. lib. 6. c. 6. & hoc ipso loco cap. 7. scribit, Monobazum aulam, & Helenam Regiam Ierosolymis habuisse.

Moritur, & illius & filij ossa Ierosolymam delata, in eius tumulo sepeliuntur.

Eusebius de eodem sepulchro lib. 2. Hist. Eccles. cap. 11. ita scribit: Helenæ verò (cuius apud Iosephum fit mentio) columellæ illustres illæ quidem & eximiæ in suburbiis Æliæ ciuitatis cernuntur. Hanc ferunt gentis Adiabenorum Imperium tenuisse.

D. Hieronymus in Epitaphio Paulæ matris de eodem ait: *Ad lænam, mausoleo Helenæ derelicto, qua Adiabenorum Regina in fame populum frumento iuuerat, ingressa est Ierosolymam.* Agit de eodem Adrichomius in Descriptione Ierusalem numero 263. & in illius Aquilonari plaga delineauit. Et hæc de illo & de huius v. Peregrinationis locis satis.

PEREGRINATIO VI. *in qua recensentur & elucidantur tredecim memorabilia loca, quæ occurrunt proficiscentibus ex Ierusalem ad Iordanem fluuium & desertum Christi.* I. *Fons Apostolorum.* II. *Adomim.* III. *Sanctus Moyses.* IV. *Iordanis fluuius.* V. *Ecclesia S. Ioannis Baptistæ iuxta Iordanem.* VI. *Galgala.* VII. *Vasta solitudo, & Monasterium sancti Hieronymi.* VIII. *Domus Zachæi publicani.* IX. *Vrbs Iericho.* X. *Fons Elisæi Prophetæ.* XI. *Mons Quarantanæ & ieiunij Christi Domini.* XII. *Mare mortuum.* XIII. *Vxor denique Lot in salis statuam conuersa.*

CAPVT PRIMVM.

De fonte sanctorum Apostolorum, primo loco sextæ Peregrinationis.

IN peregrinatione, quam ex Ierusalem ad Iordanis fluuium, Iericho & Quarantanæ montem assumunt pij fideles, peracto itinere duorum milliarium stadio vno minus versus Meridiem, inuenitur Bethania (de qua aliàs egimus) qua relicta ad dextram partem, simili ferè itinere confecto, quod primò obseruatione dignum occurrit & veneratione; est fons quidam, qui communiter ab harum partium incolis *fons Apostolorum* appellatur. Fons iste est in descensu viæ ad eius lævam partem: eius aqua ex canali in marmoream vrnam fluit, in qua homines & iumenta commodè bibere possunt. E regione huius ex altera parte viæ, sunt quædam ruinæ & ædificia; in quibus peregrini, ex Iordane Ierosoly-

Fontis Apostolorum forma.

ſolymam regredientes itinere fatigati aliquantulùm quietis capiunt, vel alios tardè incedentes expectant.

Ratio nominis. Ratio nominis eſt, quia ſancti Chriſti Domini Apoſtoli, vel ex Iordane & Iericho aſcendentes Ieroſolymam, vel ex Ieroſolymis ad Iordanem & Iericho deſcendentes, ex illius aqua biberunt, vt & ipſorum Magiſter: ac ideò hauſtam ex eodem fonte aquam pietatis gratiâ bibunt peregrini; qua recreati, hilares cœptum proſequuntur iter.

CAPVT II.

De loco, qui appellatur Adomim, qui ſecundo occurrit in ſexta Peregrinatione.

Adomim locus, & eius ſidem nominis interpretatio. EX Apoſtolorum fonte proſequuntur iter difficile peregrini per rupes & montes; ſed primò occurrit planities & locus, qui vocatur *Adomim*, quod interpretatur ſanguinum; quia multus in eo ſanguis crebris latronum incurſionibus fundebatur, vt in Epitaphio Paulæ docet S. Hieronymus, dicens: *Locus Adomim, quod interpretatur ſanguinum, quia multus in eo ſanguis crebris latronum fundebatur incurſionibus*, &c. Agit de eo idem S. Doctor in libro de Locis Hebraicis, & ponit confinium tribus Iudæ & Beniamin.

Perhibetur, ibi hominem ab Ieruſalem in Iericho deſcendentem ſpoliatum fuiſſe. Quidam in hac parte nituntur aſſignare locum, vbi homo ille, qui deſcendens ab Ieruſalem in Iericho incidit in latrones, cuius apud S. Lucam meminit Saluator noſter. *A Iericho quatuor ſunt leuca*, inquit Broçardus, *verſus Occidentem via, quæ ducit Ieroſolymam ad ſiniſtram Quarantanæ ad caſtrum Adomim; vbi ſcilicet ille, qui deſcendebat de Ieruſalem in Iericho, incidit in latrones: id quod his temporibus adhuc multis contigit; & ob id effuſione ſanguinis frequenti nomen accepit. Eſt locus ipſe viſu horribilis & periculoſus valdè, nec quiſquam eum audet pertranſire ſine conductu.* Hæc Brocardus: quem poſteà ſecuti ſunt Salmeron Tom. 1. Prolegom. 41. Adrichomius in Beniamin num. 6. & alij.

Rejicitur. Sedenim qua ratione iſti aſſignent proprium locum exſpoliationis illius hominis ignoro. Si enim, quod retulit Saluator noſter, eſſet vera hiſtoria, poſſent locum facti illius inueſtigare; ſed parabolam fuiſſe demonſtrant, qui ex profeſſo de parabolis Euangelicis ſcripſerunt: parabolam appellauit Ianſenius cap. 8. Concord. Euang. & quos vidi recentiores, eam vt parabolam interpretantur. Quod facilè comprobari poteſt ex occaſione, qua illam adduxit Saluator noſter, qui ſine parabolis non loquebatur.

Parabola eſt illa relatio, non hiſtoria.

Cauſa qua illam Chriſtus propoſuit. Voluit Chriſtus quemdàm legiſperitum docere, quid ſibi faciendum eſſet, vt vitam æternam conſequeretur, nimirum vt Deum & proximum diligeret. Cumq; ille à Chriſto ſciſcitatus fuiſſet, quiſnam eſſet ipſius proximus, reſpondit, illum qui benefacit, quiuis ille ſit, Iudæus vel Gentilis: quod more ſuo pulchra explicuit parabola hominis cuiuſdam deſcendentis ab Ieruſalem in Iericho, qui incidit in latrones, &c. quam explicatam habes apud D. Lucam cap. 10. Quare ſi communiter cenſetur parabola, non eſt laborandum in inquirendo & aſſignando loco exſpoliationis & vulnerationis hominis illius.

Obiectio. Si dicas, Chriſtum Dominum aſſignaſſe locum, in via videlicet ab Ieruſalem ad Iericho; ergo & ab aliis aſſignari poterit, & conſequenter vera hiſtoria non parabola erit:

Solutio. Reſpondeo, noſtrum Saluatorem illam parabolam in via illa repræſentaſſe, quia per illam magis intentum parabola exprimebat: cùm enim plena eſſet latronũ, facilè potuit indicare hominem per illam tranſeuntem in illos incidiſſe, etſi aliàs verè non inciderit. Non inficior tamen & veram potuiſſe eſſe hiſtoriam; at ſecutus communem Doctorum ſententiam, vt rationi conſonum eſt, parabolam dixi. Nec oppoſitum ſentientes ſciunt verè locum determinare vbi illa contigerint. Et Ianſenius, loco indicato, dicit de iſta parabola, neſciri poſſe vbi & quo tempore illam propoſuerit, ſicut nec de multis aliis. Non itaque laborandum in inquirendo loco illius relationis.

CAPVT III.

De loco, qui S. Moyſes appellatur, tertio occurrente in ſexta Peregrinatione.

NOſtris hiſce temporibus cùm peregrini ex Ieruſalem poſt Paſcha (ſolum enim eo tempore hoc conficitur iter) proficiſcuntur ad Iordanem & Chriſti deſertum, cum Turcarum comitatu, ordinariè moram faciunt vſque ad mediam noctem prope quemdam campum, ſiue diuerſorium, in medio ferè viæ inter Ieruſalem & Iordanem. Ibi meſquita eſt Turcarum, quæ *S. Moyſes* appellatur, quam illi in magna habent veneratione. Illo autem nomine inſignitam eſſe dicunt, quoniam S. Moyſem veteris legis promulgatorem ibi tumulatum credunt; ac ideò ab eo nomen accepiſſe.

Ratio vnius nominis loci S. Moyſis.

Sed

Reijcitur. Sed toto cælo aberrant isti: etenim sanctus Moyses non transiuit Iordanem ex deserto, sed in eo mortuus, & in monte Nebo sepultus; & eius sepulchrum vsque in præsentem diem ignoratur, vt dicitur Deuteron. 34, 6. & nos dicemus Lib. VIII. Capite VI. Peregrinat. V.

Alia ratio. Alia ergo illius nomenclaturæ est excogitanda ratio: vel quia à fidelibus ibi Ecclesia ædificata fuit ad honorem S. Moysis Legislatoris vel alterius Sancti eodem nomine nuncupati; vel quia aliquis Sanctus alius huius nominis ibi pœnitentiam egit, vel etiam sepultus: constat enim ex Sanctorum Historiis, fuisse Martyres & Anachoritas nomine S. Moysis insignitos. Distat locus iste ab Ierusalem quindecim milliaribus, & totidem à Iordane. Hinc discedentes peregrini, per magnam planitiem Iericho ad Iordanem fluuium pergunt. Aduertendum tamen, aliquando non hac transire, sed per aliam viam rectà vsque ad Iericho proficisci.

CAPVT IV.

De Iordanis fluuio, quarto loco sextæ Peregrinationis.

LOqui aggredimur de nobilissimo & celeberrimo Iordanis fluuio, de quo breuiter & compendiosè ex sententia Doctorum quatuor per ordinem videbimus: primò, illius originem; secundò, rationem nominis; tertiò, illius progressum & terminationem; & quartò denique, eiusdem excellentiam aperiemus.

De Iordanis origine, tres sententiæ. Quantum ad primum de origine Iordanis, tres inuenio Auctorum diuersas sententias: prima est illorum, qui asserunt originem trahere à radicibus montis Libani ex gemino fonte, dextro *Dan*, sinistro *Ior*, vno milliario ab inuicem dissitis, & sub monte Gelboë coëuntibus. Atq; ita ex iunctis istorum nominibus, sicut & confluentium duorum illorum fontium aquis, fieri re & nomine Iordanem. Ita Plinius lib. 5. c. 15. Solinus cap. 38. & alij. *Iordanis amnis*, inquit Plinius, *oritur à fonte Paneade.* Solinus in Polyhistore: *Iordanis amnis eximiæ suauitatis, Paneade fonte demissus.* Paneade verò nomine Dan intelligit, qui *Danus, Paneas* & *Punicus* dicitur. Vnius verò fontis nomine duos intellexit, quoniam in vnum confluunt, vt efficiant Iordanem; vel solius Dan meminit, quia principalior.

Prima, à Ior & Dan fontibus originem trahere Iordanem.

Secunda, à Phiala fonte. Altera sententia est Iosephi, qui ortum primò habere dicit ex ipsa Trachonitide, è lacu vel fonte quodam rotundo aquis semper redundante, qui *Phiala* ex figura appellatur: quantumque aquæ ex eius radice manat, tantum per subterraneos ingreditur in Dan & Ior, fontes non procul à se dissitos, prope Cæsaream Philippi ad radices montis Libani: qui in vnum confluentes, ante portam Cæsareæ Philippi fluuium Iordanis incipiunt: & experimento fuit sub Philippo Trachonitidis regionis Tetrarcha comprobatum. *Iordanis fons*, inquit Iosephus lib. 3. de Bello cap. 18. *Panium esse videtur: sed reuerà hinc terra conditus fertur ex ea quæ vocatur Phiala. Hæc autem est, qua in Trachonitidem ascenditur ad centesimum vigesimum stadium à Cæsarea, ad dexteram non longè à via. Et propriè quidem ex rotunditate Phialæ dicitur: locus rotæ speciem præferens, semper autem inter eius labra cohibetur vnda, numquam deficiens vel exuberans. Cumq; diu ignoratum fuisset hoc esse Iordanis principium, à Tetrarcha quondam Trachonitidis Philippo deprehensum est. Is namq; missis in Phialam paleis, inuenit eas apud Panium redditas, vnde antea fluuius nasci credebatur.* Hucusque fuere Iosephi verba de Iordanis origine: & similia habet lib. 15. Antiquit. cap. 13. Idem Hegesippus lib. 3. de Excid. Ierosol. c. 26. & alij.

Iordanis origo quomodo deprehensa.

Sed audiamus Adamnanum veterem Scriptorem ex oculato teste S. Arculpho sequentia referentem: *Arculphus noster & ad illum pervenit locum, in provincia Phœnicis, vbi Iordanis ad Libani radices de duobus vicinis fontibus emergere videtur; quorum vnus nomine Ior & alter Dan vocitatur: qui simul mixti, compositum Iordanis accipiunt nomen. Sed notandum, non esse in * Panio exordium Iordanis, sed in Trachonitide terra, centum & viginti interiectis stadiis vsque ad Cæsaream Philippi, quæ nunc * Panias, à Panio monte tractum nomen accipiens, vocitatur. Est ergo illius fontis nomen, qui est in Trachonitide, Phiala plena aquarum semper, vnde Iordanis subterraneis meatibus derivatur, & in Panio diuersis aquarum effusionibus ebullit; quæ, vt suprà dictum est, Ior & Dan nominari solent: inde quoque emergentes, & interiecto quodam interuallo, in vnum confluentes fluuium coëunt. Qui deinde suum dirigens cursum, centum & viginti stadia sine vlla interfusione vsque ad vrbem, cui nomen Iulias, progreditur; posteà lacum, qui Genesar dicitur, medio transit fluento. Quibus ex locis, plurima circumagatus deserta, Asfaltio suscipitur lacu, atque in eum conditur. Itaque duos lacus videt egressus, in tertio hæret.* De Locis sanctis l. 2. cap. 16. * Paneade * Paneas,

Prima & secunda sententia conciliantur. Possunt tamen vtriusque sententiæ sectatores facilè conciliari, dicendo, eos qui Iordanem ex *Ior* & *Dan* fontibus erumpere dixe-

dixerunt, locutos fuiſſe de illius immediatiori & notiori principio; aliòs verò qui ex Phiala oriri aſſeuerarunt, locutos fuiſſe de remotiori & primaria illius origine: ſicque dicendo, nullum eſt inter eos diſtidium.

Tertia ſententia, à terreſtri Paradiſo Iordanis originem duci.

Tertia denique ſententia non æquè ac præcedentes nota & communis eſt; primariam Iordanis originem eſſe ex terreſtri Paradiſo, Iordanemque eſſe illum fluuium, de quo Moyſes Geneſ. 2,10. dixit: *Et fluuius egrediebatur de loco voluptatis*. Ea mouentur coniectura, quòd Hebraicè pro loco voluptatis eſt *Eden*, & Iordanis Hebraicè dicitur *Iarden*, quaſi fluuius *Eden*; nam *Iear* fluuius Hebr. eſt, ex quo quatuor præcipui orbis fluuij manant, *Phiſon* ſiue *Ganges*, *Geon* ſiue *Nilus*, *Tigris* & *Euphrates*, de quibus loco citato Geneſ. Iordani pertimiles. Vt quemadmodum Iordanis in æſtate tempore meſſis aluei ſui ripas inundabat, Ioſue 3,16. ita fluuij illi in æſtate redundant: & de Nilo nos vidimus magno cum gaudio Ægyptiorum; quoniam ex illius aquarum abundantia & redundantia fecunditas illius regionis prouenit. Et hoc eſt argumentum, huiuſmodi fluuios ex Iordane oriri, cùm illius augmentum & defectum ſequantur. Originem verò accipiunt ſub terra per meatus huiuſmodi Paradiſi fluuij, vt etiam Patrian. in Corinthiac. aſſerit, non deeſſe qui dicant, Euphratem ſub terra conditum erumpere, & Nilum efficere. Ita ſentit Mariana in citatum caput Geneſis.

Improbatur.

Illi, quibus hæc non probatur ſententia, facilè rationi, cui innititur, reſpondere poſſent, dicendo: Quamuis eodem tempore augeantur dicti fluuij, non tamen ex eadem origine, à fluuio Eden, ſiue Iarden, & aquis Paradiſi. Nam arbitrantur non ſine ratione alij, Iordanem non augeri aquis per ſecretos terræ meatus ex Paradiſo in ipſum ingredientibus, ſed exteriùs confluentibus, non quidem è cælo, quia tempore meſſis, quando implentur ripæ Iordanis, non pluit in Palæſtina; & miraculosè tunc temporis Samuel oratione ſua obtinuit è cælo aquas in confirmationem illius quod dixit Iudæis, vt videre eſt 1. Reg. 12. ſed ex liquefactis Libani niuibus. Quia licet in terra plana terræ Chanaan raro niues ſint; in altiſſimis tamen montibus, ob frigoris magnitudinem, maximè qua parte ad Aquilonem vergunt, perpetuò ferè niues apparent: & Libanus ex his vnus eſt, & præcipuus. Vnde à *Lauan* voce Hebræa, quæ albedinem ſignificat, Libano datum eſt nomen; & D. Hieronymus, *Libanus*, ait, *candidatio interpretatur*. Adeoque verum eſt Libanum perpetuis vigeſcere niuibus, vt dixerit Ieremias: *Numquid deficiet de petra agri, nix Libani?* quaſi dicat, Numquam deficiet. Igitur illis æſtiuo tempore reſolutis in Iordanem confluentibus, & non ex ſubterraneis & terreſtri Paradiſo venientibus augetur, & creſcit. Ier. 18,14.

Augetur Iordanis ex Libani liquefactis niuibus.

Meſſis tempore Iordanis exundat.

Id ita eſſe ex ſacra Scriptura mihi confirmari poſſe videtur, quæ narrat ſemel in anno Iordanem ripas ſuas exundare, & hoc menſe primo, ſiue Niſan, noſtro Martio ſeu etiam Aprili reſpondente, vt ſacri docent Doctores: qui & menſis nouarum frugum ſiue meſſis appellatur, quòd tunc granum meteretur, quando magni ſunt calores. & meſſis non incipiebat apud Hebræos niſi poſt primi menſis medietatem, vt ex Scriptura tradit Abulenſis in 1. Paral. cap. 12. quæſt. 10. Iſto inquam tempore alueum ſuum exire Iordanem conſtat tum alibi, tum citato loco Ioſue, tum Eccli. 44,36. vbi dicitur: *Qui multiplicat quaſi Iordanis in tempore meſſis. Tunc enim*, inquit in hæc verba Lyranus, *ex reſolutione niuium inundat ſuper ripas aluei ſui, vt habetur Ioſ. 3.*

Arbitror tamen hodie non ſimiliter creſcere & inundare Iordanem menſibus Martij & Aprilis; quandoquidem ego cum aliis iſto tempore, circa Paſcha inquam Reſurrectionis Domini, non ſemel inuiſi Iordanem, ac prope ipſum ad ripam Miſſam celebraui: & tantum abeſt quòd illius aquæ exundarint, alueumque exierint, quòd nec ipſum impleuerint, quod ex varia temporum mutatione factum reor. Quare opinor (nam ego non vidi) quòd in præſentia augeatur quidem Iordanis tempore meſſis, quæ fit menſe Iunij vel Iulij, & non Martij vel Aprilis. Et tunc liqueſcunt Libani niues.

An alij fluuij memorati ſimiliter vel diſſimiliter creſcant, parum refert hîc inueſtigare; ſatis eſt vidiſſe, non augeri Iordanem aquis Paradiſi.

De Euphrate tamen & Tigri quod obſeruaui hîc aperiam. Menſibus Iunij, Iulij & Auguſti, me exiſtente in Meſopotamia inter Euphratem & Tigrim ſita, obſeruaui hos fluuios eo tempore plus ſolito minores; nam, lato illorum alueo relicto, per anguſtum defluebant, & apud *Bire*, quæ eſt Turcarum ciuitas munitiſſima ad ripam Euphratis ædificata, quam tranſeunt ingredientes Meſopotamiam, propter aquarum paucitatem non niſi cum difficultate naues Euphratem transfretare poterant. Et apud Emidiæ ciuitatem iuxta Tigrim conſtructam, Tigris abſque difficultate equis & aſinis tranſuadabatur, & etiam ſupra

Libanus niuibus abundans.

Emi-

Emidiam: quod aliàs, hiemali præsertim tempore, quando augentur, & suos operiunt alueos, non conceditur. Euidens argumentum, fluuios illos æstate & messis tempore, quale tunc erat, non redundare & crescere, sed magis decrescere solitos, ac consequenter aliud iudicium faciendum esse de horum fluminum augmento & origine, & Iordanis. Et dicendum de primo proposito cum prima & secunda sententia, vt explicatum fuit.

Dicitur fluuius Paradisi, quia Terræ promissionis; & quia à Libano, vbi est locus Eden, originem ducit.

Et quòd Iordanis dicatur fluuius Eden, id est voluptatis, potest esse duplici alia ratione à memorata: vel quia est fluuius Terræ promissionis, quæ erat velut Paradisus Domini, & denominatio fiat à communi nomine; vel quia originem habet à monte Libano, vbi locus est fecundus & deliciosus, Archiepiscopali etiam Sede illustratus, vsque in præsentem diem *Eden* appellatus. Et quemadmodum Terra promissionis dicitur velut Paradisus Domini, & fluere lac & mel, ex aliqua eius nobili & fecunda parte, licet alàs montosa & petrosa sit; ita Iordanis appellatur Iarden, id est fluuius Eden, id est Libani, vbi est amœnissimus locus Eden. Quare absque scrupulo vtraque prior communiorque sententia de Iordanis origine teneri potest, ipsum primò & occultè à Phiala, secundò & manifestè à Dan & Ior fontibus manare.

Iordanis nominis ratio.

Et hinc ad secundum. Vnde hic fluuius nomen sibi comparauit? Talmudici vocabulum Iordanis ita exponunt, quasi dicas, Descensus ex Dan. Nam oppidum Dan, quod antiquitus Lais & Lesem dicebatur, apud Panium extabat, hoc est præcipuum Iordanis fontem; à quo, secundum priorem opinionem, originem trahit.

Clariùs, ex duobus nominibus duorum fontium Ior & Dan, immediatius principium & notius, Iordanem dici, omnes ferè qui de illius origine loquuntur, affirmant. Sed vnicum audiamus Hieronymum, qui in Matth. 16. sic dicit: *Iordanis oritur à radice Libani, & habet duos fontes, vnum nomine Ior, alterum Dan; qui simul mixti Iordanis nomen efficiunt.* In libro verò de Locis Hebraicis, *Iordanis*, inquit, *à loco Dan sortitus est nomen: Ior quippe fluuium sive riuum Hebræi vocant.* Hoc loco putat Iordanem dici fluuium Dan, id est, vbis Dan: Cæsarea enim, iuxta quam oritur, appellatur Dan. Qua ratione & nos suprà diximus dici Iarden ab *Eden*, loco delicioso montis vnde oritur.

Dubij solutio.

Sed quæres, Quare à Phiala non denominatur, cùm suam primam originem ab ea trahat? Respondetur, hoc ideò fieri, vel quia multo tempore incognitum fuit, ipsum à Phiala originem trahere; quoniam id dumtaxat fuit deprehensum sub Philippo Trachonitidis regionis Tetrarcha, vt dictum est: vel quia non ita manifestum est ex Phiala erumpere, sed manifestissimum semper fuit ex Ior & Dan oriri. Et nomina non semper à primaria origine, sed à proximiori vel notiori accipi consueuerunt. Omnes homines à communi parente Adam primò trahunt originem; & tamen non Adamitæ ab eo, sed aliis nominibus, ab immediatioribus & magis cognitis genitoribus petitis, appellantur. Omnes Iudæi & Israëlitæ descenderunt primò tamquam à communi patre ab Abraham, & ideò de hoc gloriabantur, dicentes, *Patrem habemus Abraham.* & tamen non ab eo, sed ab eius nepote, vel pronepote Israël & Iuda, Israëlitæ & Iudæi appellati sunt. Ita in proposito, etsi Iordanis primò à Phiala, & postea à Ior & Dan trahat originem; ab his tamen, tamquam à magis proximis notisque principiis, sumit appellationem.

Denominatio fit à notiori.

Ioan. 8, 33.

Quantum autem ad nominis significationem, secundùm eumdem Hieronymum in Ezech. cap. 47. Iordanis idem significat quod Latinè riuus iudicij, vel, iuxta Syriacam & Hebræam linguam, labes iudicij siue descensio.

Iordanis nominis significatio.

Iordanis hic fluuius, vt ad tertium de eo propositum propiùs accedamus, diuiditur in maiorem & minorem. Pro cuius partitionis intelligentia, & vt aliquid de eius progressu & terminatione dicamus, notandum est, Iordanem fluuium à loco, à quo erumpit prope Cæsaream Philippi, Terræ promissionis termino Aquilonari, per multas præterlabi regiones & prouincias vsque ad Mare mortuum Australis eiusdem Terræ promissionis terminum. *Manifestum*, inquit Iosephus loco citato de Bello Iudaico, *flumen Iordanis ex illo antro incipiens, Samechonitis quidem lacus paludes secat cœnosas: centum autem & viginti aliis præteritis stadiis, post oppidum Iuliada, Genesar lacum medium transmensus, deinde multum per solitudinem in Asphaltitem lacum exit.* Hæc ille. Ex quibus Iosephi verbis liquet, Iordanem alluere tres Terræ sanctæ prouincias, Galilæam, Iudæam, & mediam inter has Samariam; quoniam à termino eius Aquilonari incipiens desinit in Australem. Hic verò Iordanis fluens à Phiala, vel Ior & Dan fontibus vsque ad Mare Galilææ, appellatur Iordanis minor; at idem ab isto mari fluxum continuans ad aliud mare, auctus aquis torrentis Cison ab Occidentali plaga, & ab Orientali aquis Iaboc vbertimis, Iordanis maior deinceps appellatur.

Iordanis in maiorem & minorem diuiditur.

Alluit Galilæam, Iudæam, & Samariam.

Quis vterque.

Digitized by Google

Longitudo. Iordanis vniuerſa longitudo, qua ſub mõnte Libano vſque ad deſertum Pharan, vel Mare mortuum ſe extendit, centum circiter milliaria conficit, vt docet Abulenſis in cap. 13. Geneſ. quæſt. 69. & Adrichomius in tribu Nephtalim num. 59. qui toto hoc decurſu ex vtraque ſui parte, latis, amœnis, argilloſis & vberrimis campis cingitur, & vtrimquè multis & altiſſimis montibus ſibi inuicem ſuccedentibus & cohærentibus circumdatur. Non vbique eodem impetu fluit, neque vbique eiuſdem *Latitudo.* eſt latitudinis. Etenim, quod obſeruaui, verſus Iericho, & ex ea parte, qua in Mare mortuum influit, vbi à peregrinis viſitatur, vbi creditur maiora operata fuiſſe mirabilia, quietè & cum ſilentio fluit: fundum cœnoſum habet, & commodæ & anguſtæ eſt latitudinis, ſed maioris eſt in Galilæa; maiorique impetu præterlabitur per ſaxa & rupes ex ea parte, qua in mare Geneſareth intrat.

De Iordanis terminatione ipſius ſententia. De terminatione Iordanis non idem ſentiunt Auctores. Quidam dixerunt, Iordanem laudatiſſimas ſuas aquas cum fœtidiſſimis aquis lacus Aſphaltitis nequaquam commiſcere, ſed antè ſub terram ſe condere, quaſi tam diram coniunctionem confuſionemque auerſatum.

Prima, ſub terra ſe recludere.

Reiicitur. Ceterùm iſti nedum inſipientes, ſed audaces & temerarij nimis talia dicentes ſe prodiderunt; cùm omnes Hiſtorici, Iudæi, Chriſtiani, Ethnici, quotquot ſcripſerunt de Iordane & Aſphaltite lacu, illis vnanimi conſenſu aduerſentur, aſſerentes Iordanem intrate Aſphaltitem, ibique ſuauitatem aquarum ſuarum, & curſum & nomen amittere. Sed & experientia, factumque & ſcriptura eos falſitatis redarguit. Omnibus enim cernentibus intrat Iordanis in Mare mortuum, & illius peſtilentibus aquis ſe commiſcet. Scriptura ſacra Ioſ. 3, 15. narrans quemadmodum Iordanem, aquis eius vtrimque diuiſis, Hebræi ſiccis veſtigijs tranſierint, ait, ſuperiores Iordanis aquas intumeſcentes inſtar montis ſteriſſe, inferiores verò defluxiſſe in Mare mortuum (quò nempe antea naturali curſu ferebantur) donec omnino deficerent. *Ingreſſisq; eis* (Sacerdotibus) *Iordanem*, inquit ſacer Textus, *& pedibus eorum in parte aquæ tinctis (Iordanis autem ripas aluei ſui tempore meſſis impleuerat) ſteterunt aquæ deſcendentes in loco imo, & ad inſtar montis intumeſcentes apparebant procul, ab vrbe quæ vocatur Adom vſque ad locum Sarthan: quæ autem inferiores erant, in Mare ſolitudinis (quod nunc vocatur mortuum) deſcenderunt, vſquequò omnino deficerent.*

Alij iſta Ioſue auctoritate, & experientia moti, dixerunt, Iordanem ad Mare mortuum terminari. Ita Ioſephus lib. 5. de Bell. Iud. Euſebius, ſanctus Hieronymus, Brocardus, Solinus: & Plinius lib. 5. Nat. Hiſt. cap. 15. inquit, Iordanem velut inuitum, Aſphaltitem lacum dirum natura petere; à quo poſtremò ipſe ebibitur, aquaſque laudatas perdit peſtilentibus mixtas. Idem alij affirmant, maximè qui diligenter obſeruarunt, ipſum ripis ſuis omni ex parte vallatum, & nulla in parte ex ipſis fluere. *Secunda, in Mari mortuo terminari.*

Alij denique, quibus libenter aſſentimur, affirmant, Iordanis aquas, an potiùs Maris mortui, per ſubterraneum hiatum ingredi Mare rubrum, vel Mediterraneum, vel aperto curſu fluere per torrentem ad mare. Cùm enim non redundet augeaturque Mare mortuum ex affluentibus aquis Iordanis, affirmandum eſt, quantum ex Iordane accipit, tantumdem dimittere in mare. vera eſt enim illa Eccleſiaſtæ ſententia: *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat: ad locum, vnde exeunt flumina, reuertuntur, vt iterùm fluant.* Quare ſicut ante ſubuerſionem Sodomæ & Gomorrhæ, quo tempore nullus illic laci locus erat, ſed vallis amœniſſima, quam Iordanis irrigabat, vt docet Moyſes Gen. 13. v. 10. qui deinde vel aperto tendebat ſuper terram curſu, vel in terram abditus, occulto meatu in mare deferebatur: ita poſtquam planities illa, vbi erat Pentapolis, conuerſa eſt in Mare mortuum, cùm Iordanis in illud influat, ſimili modo in aliud mare vel apertè vel clandeſtinè fluere debet. *Tertia, in Mari rubro vel Mediterraneo.* *Eccle. 1, 7.*

Nec præcedentis ſententiæ Auctores ab iſta diſſentire credendum eſt. Dum enim aſſerunt Iordanis aquas terminari in Mari mortuo, in ipſo deſinere, & vlteriùs non fluere; hoc ideò dixerunt, quia naturam aquarum Iordanis amittunt, & vt tales vlteriùs non fluunt: at non negant deinde, aquas Maris mortui non fluere in mare, nec illud Scriptura Ioſue adducta negat.

Sed an Maris mortui aquæ admixtæ aliis Iordanis fluant in Mare rubrum, vel Mediterraneum, vel in vtrumque, omnino non conſtat. Quidam dicunt, manifeſto curſu non pertendere in Mare rubrum: quoniam Hebræi cùm ex Cades verſus torrentem Zared contenderent, & inter Elaniticum ſinum & Aſphaltitem iter facerent, nuſquam tranſiuiſſe memorantur huiuſcemodi aquas Iordanis vel Maris mortui; at ſilentio non pertranſiſſet Scriptura, quæ alia minoris ponderis, quæ euenerunt filiis Iſraël, cùm proficiſcebantur per deſertum ad Terram promiſſionis, explicuit. *Dubium.* *Reſponſio.*

Verùm

Confutatio. Verùm obiectio ista non multùm officere videtur; tum quia locus ab auctoritate negatiuè non tenet. Et admisso, quòd sacra Scriptura aliqua occasione alia retulerit minoris ponderis, non exinde licet inferre necessariò, & alia maioris debuisse enarrare. Tum quia Zared torrentis meminit qui è Mari mortuo egreditur, & Rubrum ingreditur, vt testatur Adrichomius, dum in Ruben num. 70. de Zared loquens, sic dicit: *Zared, siue Zareth, torrens & vallis, quem siccis vestigiis transierunt Israëlitæ, Numeror.* 21. *Deut.* 2. *Hieron. in Locis Hebr.* & clarè in illius Geographica delineatione describit.

Zared torrens & vallis.

Nec officit, Scripturam mentionem non facere aquarum Iordanis, vel Maris mortui, dum loquitur de transitu filiorum Israël per ipsas; nam ex nouo situ nomen nouum sibi comparârunt. Quemadmodum, vt alia exempla præteream, ex aquis Iordanis conficitur mare Galilææ; & tamen hoc non Iordanis, sed mare Galilææ, Tiberiadis, Genesareth, ex diuerso situ, per quem transit, appellatur: ita Iordanis vel Maris mortui aquæ inde egressæ, & vallem vel torrentem Zared ingressæ, priori nomine deperdito, ex nouo quem pertranseunt situ, Zared appellatæ sunt. Atque ex his habemus, quodammodò Scripturam sacram mentionem facere de transitu filiorum Israël in deserto per Iordanis vel Maris mortui aquas: & Mare mortuum non ita septum esse ripis, quin ex eo patenter non fluant aquæ super terram in torrentem Zared, & ex isto in Mare rubrum. Adhuc torrens Arnon, cuius mentio fit Num. 21, 13. influit in idem mare: & vtrumque torrentem transierunt filij Israël in solitudine, quando veniebant ad Terram promissionis, vt nunc citato loco Numerorum dicitur.

Iordanis ex diuerso situ diuersum nomen habere potuit.

Et in isto transitu magnum miraculum contigisse legimus. Cùm enim transitus torrentis Arnon admodum difficilis esset tanto populo, propter multas rupes & scopulos, qui viam arctabant, ac varios in calles, eosdemque tortuosos & asperos, diuidebant; quæ fuit in causa, vt populus timeret plurimùm: quem, vt à tanto timore liberaret Moyses, inter loquendum hac de re cum Principibus populi, reuocauit illis in memoriam quemdam Propheticum sermonem; qui reperiebatur in quodam libro, cuius erat titulus, *Liber bellorum Domini*. in quo, inter cetera, hæc scripta habebatur sententia: *Sicut fecit* (Dominus) *in Mari rubro, sic faciet in torrentibus Arnon. Scopuli torrentium inclinati sunt, vt requiescerent in Ar, & recumberent in finibus Moabitarum.* Quam Prophetiam & miraculum quidam ita interpretantur & explicant: Quemadmodum fecerat Deus Hebræos mirandum in modum, omni difficultate sublata, transire Mare rubrum; ita facturus erat in transitu torrentis Arnon, cuncta mirabiliter obstacula impedimentaque remouendo, & aspera in vias planas faciendo.

Miraculū in indaeum gratiam factū in transitu torrentis Arnon in deserto.

Num. 21, 14.

Miraculum verò, quod tunc contigisse creditur in fauorem Israëlitarum in transitu illius torrentis, fuit; vel quòd illæ rupes subito terræmotu cecidêrunt, viamque satis planam latamque reddiderunt: vel etiam, quod eædem rupes Amorrhæos in insidiis ibidem latitantes oppressêrunt, & cadauera ipsorum à fluuij aquis, sicut olim Ægyptiorum inter vndas Maris rubri, deferri visa fuerunt. vel quid aliud simile euenit: non enim aliquid certi, in re præsertim in sacro Eloquio præterita, affirmare possumus. Adrich. in Ruben nu. 16. & in Gad n. 7.

Dubij solutio.

Nec alienum erit ab instituto nostro in præsentia inquirere, cur, cùm vnus sit torrens Arnon, numero multitudinis dicatur, *torrentibus Arnon?* an positus est numerus pluralis pro singulari; vt aliàs non semel, & è conuerso, fieri solet in sacris Litteris? an potiùs, quia torrens ille plures habebat alueos? an quia ab Arnon rupe prominenti in finibus Amorrhæi, termino Moab diuidente Moabitas & Amorrhæos, vt dicitur loco citato Numer. sumunt denominationem non longè dissiti torrentes? ita vt à rupe Arnon, non tantùm torrens Arnon, sed & alius ipso inferior, id est Zared, nomine communi Arnon appelletur. Simili namque ratione frequenter rerum denominationes fieri in sacris Litteris, manifestum est; &, ni fallor, alibi à me obseruatum.

Quomodo Iordanis aqua, admixta aliis Maris mortui, Mare rubrum ingrediantur.

Moueor verò ad id asseuerandum ex dictis superiùs de Zared ex Adrichomio, qui vult ex Scriptura & D. Hieronymo, ipsum miraculosè, id est siccis pedibus, pertransitum fuisse ab Israëlitico populo. At in locis Scripturæ ab eo adductis, nec in aliis inuenimus Israël miraculosè transisse Zared, si Zared in nomine Arnon non comprehenditur; sed concedetur miraculum, si nomine torrentium Arnon, torrentem Arnon & Zared intelligantur, quos pertransierunt filij Israël. Igitur, vt ad id, vnde parum digressi fuimus, reuertamur, dicere possumus, Iordanis siue potiùs Maris mortui aquas, Iordanis aquis admixtas apertò fluere in torrentem Zared, & ex isto in Mare rubrum. Sicque apparet, secundùm hanc sententiam, quinam sit vltimus terminus Iordanis.

Vel etiam dicatur, si id non placet, Iordanis

vel in Mare mediterraneum.

danis aquas in quadam voragine & hiatu abſorberi, & occultè fluere in Mare rubrum, ſiue in Mediterraneum: & hoc veriſſimum eſſet, ſi verum eſt quod hìc ex relatione fide dignorum, imò communi, ſubiicio. Contigit aliquando, Terræ ſanctæ peregrinum profectum fuiſſe ad Iordanem; cumq; inibi eſſet, ex eius manibus decidiſſe, quem ſecum detulerat, cyathum ligneũ artificiosè elaboratum, in quo nonnullos nummos aureos ſecretò abſconderat. Is rediens in Italiam maritimo itinere venit in ciuitatem Meſſanam, vbi caſu vidit cyathum ſuum anteà in Iordane deperditum; quem alium ex Farro fluuio, qui ex Mari mediterraneo fluit, accepiſſe intellexit: illum emit, &, ſecreto non reſerato, nummos ſuos inuenit; & factum prodidit. Quod ſi verum eſt, dicendum erit aquas Iordanis fluere in Mare mortuum, & ex iſto in Mediterraneum deſcendere; & ſi non totas, dicas partem illarum, & alteram in Mare rubrum fluere.

Caſus quo deprehenſum eſt, Iordanem in mediterraneum Mare fluere.

Alius ſimilis euentus.

Simile memorato euentui ſcribit Seneca libro de Quæſtionibus naturalibus de Alpheo fluuio Siciliæ; qui non in Græcia, vbi primò naſci videtur, ſed in Sicilia originem habet: quod tali deprehenditur experimento; quia ſi paleæ vel virgæ ſupernatantes in Sicilia iaciuntur in Alpheum, in Græcia (per ſubterraneos meatus, quibus abſorptus ille creditur) vbi oriri videtur, inueniuntur. Et hæc ſatis de ortu & terminatione Iordanis.

Iordanis præſtantia.

Ad quartum initio Capitis propoſitum, in quo excellentia & dignitas Iordanis aperienda eſt; Dico, hunc fluuium non modò Palæſtinæ, ſed cunctorum etiam terræ fluminum præſtantiſſimum eſſe, ac ideò non ſolùm in ſacris, ſed etiam in profanis litteris celebratum.

Et multùm quidem celebraretur, ſi vera eſſet tertia illa quam adduximus ſententia de eius origine, quæ eam ponit in terreſtri Paradiſo; & quia ex ipſo fluunt præcipui quatuor Paradiſi fluuij: ſed etſi non illa probetur, non ideò minùs commendabilis: commendatiſſimum enim dicemus propter egregia in eo operata, quæ tam in veteri quàm in nouo Teſtamento commemorantur; quorum quædam hìc perſtringemus, & ab illis quæ in veteri exordiemur.

Operata in Iordane tempore Legis.

Iordanis aquæ mirabiliter diuiſæ fuerunt, eaſque ſiccis pedibus cum Arca Domini tranſierunt Iſraëlitæ, quando ex deſerto venerunt in terram illorum patribus repromiſſam, vt habetur Ioſue 3. & 4. Similiter per Iordanem tranſierunt Elias & Eliſeus, 4. Reg. 2. Ad Iordanem prope torrentem Carith Elias carnibus paſtus fuit à coruo, 3. Reg. 17. & ex eodem igneo curru in cælum tranſlatus fuit, 4. Reg. 2. Et hæc in maiori Iordane operata creduntur. In Iordane eodem Naaman Syrus vir potens, ſed leproſus, lauit ſe ſepties iuſſu Eliſei Prophetæ, & mundatus eſt à lepra, & reſtituta eſt caro eius ſicut caro pueri paruuli, 4. Reg. 5. Luc. 7.

Tempore Euangelij.

At multò digniora in eodem operata fuere tempore Legis gratiæ, prout huius Scriptores ſcriptis prodiderunt. In Iordane Baptiſmus pœnitentiæ, qui ad alterum Chriſti diſponebat, incepit. Ioannes enim Baptiſta confluentes ad ſe Iudæos, ſuaq; peccata confitentes, Baptiſmo pœnitentiæ, in fide eius qui venturus erat, baptizauit, vt dicitur Matth. 3, 5. Marc. 1, 4. Luc. 3, 3. Et, quod potiſſimum eſt, in Iordane à Ioanne Chriſtus baptizari voluit, aquaſq; eius tactu ſuæ mundiſſimæ carnis ſanctificauit, omnibus aquis vim regenerandi hominem ſpiritualiter per Baptiſmum impertiuit, & ſuper ipſum Spiritus ſanctus viſus eſt, & paterna vox audita eſt: *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui*, vt dicitur citatis locis, & Ioan. 1, 26. Quo tempore fuit Chriſtus baptizatus, mirabile ingenſq; prodigium viſum eſt, à Iordanis inquam aquis flammarum incendia conſurgere, vt ſcribit Iuſtinus Martyr. Ex Iordane ductus fuit Ieſus in deſertum à Spiritu, Matthæi 4, 1.

Iuſt. Mar. in Dial. cont. Tryphonem.

In hoc eodem fluuio (quamuis non ſit vſquequaque exploratum) Chriſtus ipſe baptizauit; & multò plures baptizauerunt Diſcipuli eius. Ac ideò in eo duo Sacramenta, quæ mortuorum dicuntur, præfigurata fuerunt, Baptiſmus & Pœnitentia: quibus peccatorum ſordes abluuntur, vt fideles corde mundati, cum Chriſto Ieſu in Ioſue præfigurato, vt veri Iſraëlitæ ad Terram ſanctam, ad Terram viuentium, & Dei viſionem admittantur.

Baptiſmus & Pœnitentia Sacramenta in Iordane præfigurata.

Et Deus optimus maximus harum aquarum beneficio nedum ſpiritualis animæ ſordes lauat, ſed & corporis infirmitates ſanat, dum pia fide illis vtuntur fideles, quemadmodum eam conſecutus fuit Naaman Syrus. Et ideò ſe illis abluunt in eius viſitatione fideles. Et ſanè cùm in præſenti non ſit abbreuiata manus Domini, ſed adhuc ad benefaciendum extenta; credendum eſt, quòd quemadmodum aliàs Deus piè ſe aquis Iordanis lauantibus gratias plures impertiebatur, ſimiles etiam in præſentia impertiturum illis, qui eiſdem ſimili pietate & fide ſe abluunt.

Etiam corporalis infirmitatis in eo ſanantur.

Laudabilis, fructuoſæ antiquæq; huius ſe lauandi conſuetudinis meminit Iacobus Vitria-

Antiqua & fructuoſa conſuetudo ſe lauandi in Iordane.

Digitized by

Vitriacus in Hiſtoria Ieroſolymitana lib. 1. cap. 54. dicens: *Peregrini, & etiam indigenæ, corpora ſua & veſtimenta in aquis Iordanis cum magna deuotione ſoliti ſunt abluere; eò quòd Redemptor noſter à B. Ioanne in flumine illo baptizatus contactu mundiſſimæ carnis ſanctificauit, vim regenerationem conferens vniuerſis aquis.* Et ante Vitriacum Gregorius Turonenſ. de Gloria Martyrum cap. 17. ſequentia ſcribit: *In Iordane habetur locus in quo Dominus baptizatus eſt. In vno etenim reflexu aqua ipſa reuoluitur, in qua nunc leproſi mundantur: cùm enim aduenerint, ſæpiùs lauantur in flumine, donec ab infirmitate purgentur. De publico tamen, cùm ibi commorati fuerint, victum accipiunt; ſanati autem ad propria diſcedunt. Ipſe quoque Iordanis ab eo loco, in quinto milliario mari commixtus Mortuo, nomen amittit:* Hæc ibi Gregorius.

Aqua Leuidæ ſalutaris.

Et cap. 18. ſimile ſcribit de aquis Leuidæ dicens: *Sunt autem & ad Leuidam ciuitatem aqua calidæ, in quibus Ieſus Naue lauare ſolitus erat: vbi ſimiliter leproſi mundantur. eſt autem ab Iericho duodecim milliaribus.*

Fontes.

Et idem Sanctus cap. 19. in dictorum confirmationem inquit: *Vidi ante hoc tempus hominem Ioannem nomine, qui à Gallia leproſus abierat, & in ipſo loco quo diximus baptizatum, aiebat ſe per annum integrum commoratum fuiſſe. Qui aſſiduè abluebatur in amne; ſed redditus priſtinæ incolumitati, reformata in melius cute, ſanatus eſt.* & poſt aliud recenſitum miraculum, ſubiungit *Multos enim vidimus, qui vel in Iordane, vel in aquis Leuidæ vrbis tincti, ab hoc fuerant morbo mundati.* Hactenus ex S. Gregorio Turonenſi.

Aquæ ac lutus Iordanis pium vſum.

Ex luto Iordanis coronæ & Agnus Dei conficiuntur: eius aqua hauritur; quæ etſi turbida, aëri expoſita, perlucida & clariſſima fit; & diu in vaſis incluſa, non putreſcit, ſed longiſſimo tempore conſeruatur. Hanc peregrini in vaſculis reponunt, & tamquam pretioſas reliquias ad propria deferunt. *Albidum in ſuperficie, quaſi lac Iordanem videri*, dixit Adamnanus ex S. Arculpho. Sed cùm turbidum conſpexerimus, credimus albidum appellaſſe, & quaſi lac, Maris mortui comparatione; nam ſubdit: *Cujus talis color mare Salinorum intrans, longo tramite à colore Maris mortui per alueum eius facilè diſcerni poteſt.*

De Locis ſanctis l. 2. cap. 14.

Iordanis color.

Hinc Regius Pſaltes, huius fluminis dignitatem & excellentiam contemplatus, ipſum flumen Dei appellauit Pſ. 64, 10. *Flumen Dei repletum eſt aquis*, id eſt, Iordanis fluuius, vt ibi interpretatur Lyranus, & alij. Eſt autem frequens Scripturæ conſuetudo, vt quæ illuſtria excellentiaque ſunt, ea Dei eſſe dicat, vt Libro IV. de Monte Sion agentes aduertimus. Igitur cùm Iordanem flumen Dei appellauerit Dauid, ſatis ſuperque eius dignitatem & excellentiam indicauit. Alia ad Iordanem pertinentia dicemus duobus proximè ſequentibus Capitibus. Lege Adrichomium in Nephtalim num. 59. de Iordane, & de Phiala, vnde originem trahit, in Manaſſe numero 96.

Deiflumen.

CAPVT V.

De Cæſarea Philippi, & aliquibus quæ in ea acciderunt memorabilibus.

EX quo mentionem fecimus Paneadis, id eſt Cæſareæ Philippi, ex cuius proximo fonte Dan Iordanis erumpit; vt proxima argumento noſtro, memorabilia quædam, quæ in ea contigerunt, hîc recenſere placuit. Et, hic omiſſo, quod apud diuum Matthæum legimus, tamquam omnibus conſpicuo, Paneadem eſſe illam Cæſaream Philippi, Petri Apoſtolorum Principis confeſſione & Domini præconio clariſſimam redditam, de qua D. Hieronymus Matth. 16. hîc alia minùs nota ex probatis Scriptoribus ſubijcio.

Euſebius Cæſarienſis, dum res præclarè geſtas S. Aſterij Romani Senatoris, qui temporibus Valeriani & Gallieni Impp. claruit, deſcribit, hæc inter alia narrat lib. 7. Hiſt. cap. 14. *Huius viri familiares, qui hucuſque vitam produxerunt, cùm alia infinita præclara eius facta memorant, tamen iſtud in primis quod ſequitur, quodq; plenum eſt admirationis: Cæſarea Philippi, quam Phœnices Paneada vocant, ferunt victimam quamdam in fontes, qui illic ex radicibus montis Panei prorumpunt (ex quibus Iordanem profluere dicitur) in quadam dies feſti Gentilium celebritate mactatam conjici, atque eam dæmonis vi ac poteſtate mirandum in modum ab eorum aſpectu euaneſcere, miraculumq; videri præſentibus valdè memorabile: quibus, dum gerebantur, Aſterium quodam tempore fortè interfuiſſe; ac cùm videret tam multos illius rei admiratione obſtupefactos, eorum erroris admodum miſertum eſſe: deinde, ſublatis in cælum oculis, Deum omnium rerum Moderatorem per Chriſtum ſupplicem precatum, vt dæmonium illud, quod populum tanto errore cæcauiſſet, comprimeret; ipſum à fraude & fallaciis, quas hominibus ſolet intendere, coërceret: hoc modo cùm Deum orauiſſet, repentinò victimam fontibus ſupernataſſe; atque ita rem illam, quam tantoperè mirari conſueuerant, in nihilum interijſſe, vſque adeò, vt nullum in poſterum in eo loco ex ea omnino ederetur miraculum.*

Oratione dæmon comprimitur, & populus ab errore liberatur.

Sed

Digitized by Google

Sed quoniam in huius ciuitatis mentionem incidi, operæpretium arbitror, historiam hoc loco recitare, quæ digna planè videtur, quam memoriæ ad posteritatem commendemus: Mulierem illam sanguinis profluuio afflictatam, quam sanctorum Euangeliorum testimonio à Seruatore nostro morbi remedium inuenisse cognouimus, ex ea ciuitate oriundam, illiusq; domum ibi ostendi, & admirabilia quædam Seruatoris in eam beneficij monimenta, & quasi trophæa ad hoc tempus durare memorant: pro foribus enim domus illius æneam mulieris effigiem genibus flexis, & manibus instar supplicantis in anteriorem partem extensis, super editum lapidem collocatam. Huic è regione, viri erectam imaginem ex eadem materia conflatam vestitu ad talos demisso, decenter ornatam, & manum mulieri porrigentem: ad cuius pedes, in ipsa basi peregrinam quamdam & inusitatam herbæ speciem enasci; quam quidem, vbi ad ænei vestitus fimbriam excreuerit, morbi cuiusque generis medicandi vim & facultatem habere. Hanc statuam effigiem Iesu exprimere dicunt: quam ad nostram vsque ætatem manentem, ipsi ad eam ciuitatem profecti oculis cernebamus. Nec planè mirum, eos, qui ex Gentilibus prognati, à Saluatore, dum inter homines viuebant, beneficiis affecti fuissent, ita fecisse; cùm & nos Petri & Pauli Apostolorum, & Christi etiam ipsius imagines in picturis colorum varietate expressas conseruatasq; aspexerimus; idq; propterea, sicut verisimile est, quòd maiores nostri ad Gentilis consuetudinis similitudinem quàm proximè accedentes, eos qui tamquam saluatores illis fuissent, id est, qui illis aliquid salutis & subsidij attulissent, apud se honore ad hunc modum afficere consueuerant. Hactenus fuere Eusebij verba.

Matth. 9. Marc. 5. Luc. 8.

Mulier à fluxu sanguinis à Christo liberata è Cæsarea Philippi oriunda.

Accepti beneficij memor & grata erectionis statua Saluatoris.

Gratias pro gratia dat Christus.

Hanc historiam, præter alios, adducit Gregorius Turonensis lib. 1. Mirac. cap. 21. Baronius Tom. 1. sub anno Christi 31. Adrichomius in Nephthalim num. 37. cui addit ex Sozomeno & Nicephoro, statuas illas duraſſe vsque ad tempora impijssimi Iuliani. Qui, inquit, anno à Virginis partu trecentesimo sexagesimo tertio, deserta Christianorum religione, Gentilium errorem amplexus, hanc Saluatoris nostri statuam deiecit, suamque in eius locum constituit: in quam mox ignis è cælo summa vi delapsus, caput vnà cum collo à pectore auulsum in terram prostrauit, &c.

Nicephor. l. 10. c. 30.

Memoriam Christi dejecit Iulianus Apostata.

CAPVT VI.

De Ecclesia sancti Ioannis Baptistæ, quinto loco sextæ Peregrinationis.

POstquam pij fideles Iordanem visitarunt, illius se aquis abluerunt, in eoq; loco, vel circa, vbi creditur Christum fuisse à Ioanne baptizatum, & alia mirabilia operata, se in oratione & etiam sacrificijs, secundùm temporis opportunitatem, Domino commendarunt, vt suâ misericordiâ aquis gratiæ suæ maculas criminum eorum abluat, animas super niuem dealbet, sitimque ipsorum extinguat, vt in æternum non sitiant: inde parum reuertentibus, ductis à Spiritu sancto, vt cum Iesu ad eius desertum proficiscantur, peracto itinere quartæ partis milliarij circiter, occurrit Ecclesia, quæ S. Ioannis Baptistæ nuncupatur; cui Monachorum monasterium annexum erat, in præsentia tantùm illius ingentes ruinæ cernuntur.

S. Ioannis Ecclesia, quarta parte milliarij à Iordane distans, diruta est.

Sed in cuius mysterij memoriam fuit hæc Ecclesia ædificata? Bonifacius lib. 2. de Perenni cultu Terræ sanctæ, loquens de peregrinatione ex Ierusalem ad Iordanem, Iericho & Quarantanam Domini, dicit, in memoriam baptismi Christi Domini, quem eo loco susceptsse arbitratur. Et quamuis modò aquæ Iordanis non eo vsque fluant; forte tunc temporis vsque ad eum locum pertingebant: etenim flumina non semper in eodem sinu manere, sed extra dilabi, non semel experientia edocemur. sic autem ille scribit: *Inde surgentes*, id est ex Iordane, *pergimus ad Occidentem: ad Meridiem aliquantulùm declinando ad duo milliaria, occurrit nobis Ecclesia ab Helena matre fabricata super ripam Iordanis, super quam Ioannes stabat, quando Christum baptizauit, & monasterium circa ipsam, in quo Zosimus Abbas fuit, sub titulo Saluatoris baptizati & Ioannis Baptistæ celebrata.* Hæc ille.

In memoriam baptismi Christi erecta, secundùm Bonifacium

In cuius Auctoris verbis aduerte, dum dicit, Ecclesiam illam distare à Iordane ad duo milliaria, nolle dicere tantum ab illius ripa distare; quia, vt diximus, vix quartum milliaris ab ea separatur, sed à loco illo Iordanis, à quo ipse cum peregrinis discessit. Vel dicatur respexisse ad tempus quo fuit Christus baptizatus: tunc enim, vt idem dicit lib. 1. eiusdem Opusculi, vbi nunc est Ecclesia, fluebat Iordanis; quem locum postea relinquens, deflexit longiùs ad Orientem. In monasterio etiam illo Zosimum habitasse, mihi valdè probabile videtur: nam in monasterio Palæstinæ circa & citra Iordanem habitauit; quemadmodum vltra in pœnitentia vixit pœnitens illa Ægyptiaca Maria, quæ aliquando hunc Abbatem allocuta est, vt patet ex his quæ Sophronius in eius Vita scribit, dum roganti Mariæ, quo in statu esset Dei Ecclesia, fugatâ discordiâ, pacem fuisse redditam affirmauit. Sed Nicephorum hæc clarè enarrantem

In Palæstina monasterio Zosimus Abbas habitauit; & probabile in isto S. Ioannis.

Sigib. de Script. Eccles. c. 69.

Niceph. lib. 17. c. 5.

rantem lib. 17. cap. 5. Eccleſ. hiſt. audiamus; ad intentum enim faciunt. Hic poſtquam alterius Zozimi Phœnicis meminit, huius hiſtoriam ſubiecit his verbis: *Alter quo[illegible] enituit Zozimus, non ille quidem ſolitarium degens vitam, ſed in quodam Paleſtinæ cœnobio inter Monachos commune certamen proſequens. Quem ſacerdotio fungentem rem diuinam arcanorum myſteriorum Aegyptiacæ illi feciſſe aiunt; illi, inquam, Aegyptiacæ, quæ tantoperè primùm carnis voluptate defluxiſſe dicitur, vt nihil prorſus carnalis petulantiæ intentatum reliquerit; eoq; vitioſæ libidinis peruenerit, vt eam eloqui verbis nemo poſsit: deinde ad ſummam virtutem ita euaſiſſe, vt altera ab altera illuſtraretur. Sed enim illa vt in Aegypto prognata, & quo vitæ genere vſa, multos libidinis magnitudine in poteſtatem ſuam ceu mancipia redegerit; &, vt diuino nutu ad ſacroſanctum lignum Crucis venerandum excitata, in viam ſe dederit, & inde diuertens Iordanis quoque flumen tranſierit, & in interiorem ſolitudinem ſeſe abdiderit, neque cum quopiam homine, præterquam vno Zozimo, hæc verba contulerit, vitamq; hanc finierit, & in diuina communione participauerit, nec non vt illi leo ſepulchrum effoſſum foraueritit, & vita ipſa exemplum pœnitentiam agere volentibus commodiſsimum reliquerit, Sophronio, qui olim Ieroſolymitanam ſedem Antiſtes exornauit, memorandum reliquimus: qui eleganter ſanctæ eius feminæ & Zozimi vitam deſcripſit.* Hucuſque fuere Nicephori verba: ex quibus probabiliter conijci poteſt, dictum Zozimum in eo monaſterio vitam duxiſſe, vt dixit Bonifacius.

Maria Ægyptiaca impuritas & pœnitentia.

Leo ſepulchrum fodit pro illius humando corpore.

Beda de Locis ſanctis lib. 2. cap. 13. non intuitu baptiſmi Chriſti arbitratur eam Eccleſiam conſtructam fuiſſe, vt diximus ex Bonifacio; quoniam trans Iordanem, hoc eſt, in eius vlteriori ripa, cenſet Chriſtum fuiſſe baptizatum: & quamuis illius mentionem faciat, tamen rationem myſterij, vel nomenclaturæ, non indicat. ſic verò ſcribit: *In loco, in quo Dominus baptizatus eſt, crux lignea ſtat vſque ad collum alta; quæ aliquoties aqua tranſcendente abſconditur: à quo loco ripa vlterior, id eſt, Orientalis, in tactu fundæ eſt. Superior verò ripa, in ſupercilio monticuli, grande monaſterium geſtat, B. Ioannis Baptiſtæ Eccleſiâ clarum: de quo per pontem arcubus ſuffultum ſolent adſcendere ad illam crucem, & orare. In extrema fluminis parte quadrata Eccleſia, quatuor lapideis cancris ſuperpoſita eſt, cœlili creta deſuper tecta; vbi veſtimenta Domini, cùm baptizaretur, ſeruata eſſe dicuntur. Hanc non homines intrare, ſed vndique cingere ac petrare ſolent.* Hucuſque Beda ex Adamnano & S. Arculpho.

De ſancto Epiſcopo VVillibaldo, qui nec vno ſæculo poſt S. Arculphum, Adamnanum & Bedam floruit, & viſitauit cum alijs loca ſancta, Auctor illius Hodœporici ſimilia dictis à Beda ſcribit: *Vnam noctem manebant*, inquit, *ad monaſterium ſancti Ioannis Baptiſtæ: & inde ibant ſuper vnum milliarium ad Iordanem, vbi Dominus fuit baptizatus; ibi nunc eſt Eccleſia in columnis lapideis ſurſum eleuata, & ſubtus Eccleſiam eſt nunc arida terra, vbi Dominus baptizatus fuit; in ipſo loco & ibi nunc baptizant. Ibi ſtat crux lignea in medio, & parua derivatio aquæ ſtat illic. Et vnus funiculus extenſus ſuper Iordanem hinc & inde firmatur. Tunc in ſolemnitate Epiphaniæ infirmi & ægroti venientes habebant ſe cum funiculo, & ſic demerguntur in aquam. Sed & mulieres, quæ ſunt ſteriles, venientes ibi gratiam Domini merentur.* Hactenus ibi.

Chriſtum in vlteriori Iordanis ripa baptizatum fuiſſe probatur.

Venerabilis Bedæ ac VVillibaldi ſententia de loco baptiſmi Chriſti mihi admodum probatur; quoniam ex Euangelio firmitatem videtur accipere. Ioannes enim trans Iordanem baptizabat in *Bethania*, ſeu, vt alij legunt, *Bethabara*, in loco tamen conuenientes, trans Iordanem. *Hæc in Bethania facta ſunt trans Iordanem, vbi erat Ioannes baptizans*, dicitur Ioan. 1. & cap. 10. mentio fit eiuſdem loci. Addidit autem, *trans Iordanem*, ad diſtinguendam illam Bethaniam ab altera, quæ eſt citra Iordanem, prope Ieruſalem & caſtellum Marthæ & Mariæ ſororis eius. Et locus ille publicus erat, vbi erat Iordanis tranſitus. Bethania enim, ſecundùm nominis etymon, ſignificat locum vel domum tranſitus, ſiue, vt alij dicunt, & in[illegible]em recidit, locum nauis, id eſt, locus vbi nauis eſt quâ tranſitur fluuius. Modò ad Ioannem venit Chriſtus ex Galilæa vt baptizaretur, vt legitur Matth. 3.

Nominis Bethaniæ etymon.

Adſtipulatur huic ſententiæ Simon Caſſianus de Proceſſu præcurſoris lib. 2. dum expendens verba illa Ioan. 3. *Erat autem & Ioannes baptizans in Aennon iuxta Salim*, inquit: *Solertiùs etiam locum Euangeliſta diſſeruit, qui iuxta Salim erat oppidum, & trans Iordanem, vbi Melchiſedech Sacerdos Dei ſummi longè antè regnauerat; qui panem & vinum Abrahæ à cæde Regum reuertenti obtulit, & ab ipſo decimas oblatas accepit, vt ſacramenta in vnum conueniſſe credantur, & expedire omnia in ſalutem, & veteres figura, delectaq; veritates ad ſe inuicem verſa vice conueniant.* Hæc ille.

Et Doctores aliqui opinantur, Hebræos ex Ægypto deſertoque venientes ad terram pro-

Vbi Israëlita siccis pedibus Iordanem transiuerunt.

promiſſionis eo loco tranſiſſe Iordanem, quo Chriſtus fuit baptizatus: volentes eo facto Spiritum ſanctum indicaſſe, vt vbi noſter baptiſmus Chriſti baptiſmate fuit conſecratus, eumdem præfiguratum fuiſſe eodem loco, quo Iudæi ſiccis pedibus, aquis conſiſtentibus, mirabiliter tranſierunt.

Locus baptiſmi præfiguratus.

Quantum autem ad illud quod Beda dicit de illa cruce, & de ponte quo ad illam proficiſcebatur, deque Eccleſia ſuper cancros erecta, ad illorum myſteriorum memoriam conſeruandam, nulla nunc, quòd ſciam, ex viſu & auditu, diligenti inquiſitione facta, extat memoria: omnia fortaſſe antiquitate & aquis Iordanis demolita ac conſumpta fuere. Solùm fundamenta & ruinæ Eccleſiæ & monaſterij S. Ioannis remanſerunt, quia diſtat à Iordane, in loco eminenti conſtructa; & quoniam maius & firmius ædificium fuit.

Alij ideò dicunt illam Eccleſiam dicatam fuiſſe D. Ioanni Baptiſtæ; quia in illis partibus prædicauit baptiſmum pœnitentiæ.

Ego in re dubia non aſſeuerando, ſed opinando dicerem, hanc Eccleſiam dicatam fuiſſe D. Ioanni Baptiſtæ; quoniam è regione eius loci eſt, vbi in Iordane & prædicabat, & baptizabat: & quia in flumine commodè ædificari non potuit, prope ipſum ædificata fuit: & in eo potiùs, quàm in altero loco circa fluuium; quoniam ad hunc arbitror, Chriſtum, poſt ſuſceptum à Ioanne baptiſmum, egreſſum de aqua, eum locum aſcendiſſe, ibique à Patre cæleſti voce dilectum Filium ſuum declaratum fuiſſe, & Spiritum ſanctum ſuper eumdem apparuiſſe. Hoc videtur indicare diuus Matthæus cap. 3. 16. dum dicit: *Baptizatus autem Ieſus, confeſtim aſcendit de aqua. Et ecce aperti ſunt ei cæli: & vidit* (Ioannes) *Spiritum Dei deſcendentem ſicut columbam, & venientem ſuper ſe. Et ecce vox de cælis dicens: Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Pondera verba, *Aſcendit de aqua*, quæ in humiliori loco erat, ad collem illum, vbi nunc eſt dicta Eccleſia; & quæ ſcripta ſunt, contigerunt.

Vbi ſpiritus ſanctus in columbæ ſpecie ſuper Chriſtum apparuit.

Non in Iordane, ſed extra.

Hæcque extra Iordanem accidiſſe manifeſtè indicant verba Euangelij. Et ampliùs; quia poſt illa *ductus fuit Ieſus in deſertum à Spiritu, vt tentaretur à diabolo*, vt inquiunt Euangeliſtæ: ſed deſertum pœnitentiæ Chriſti eſt citra Iordanem, & dicta Eccleſia eſt in via ad ipſum. Et ita ſentit Abulenſis in Matth. ad illa citata verba, *Et ecce aperti ſunt ei cæli: Scilicet, priùs exiuit de aqua*, inquit, *quàm aperirentur cæli. Sic dicitur Marc. 1. ſcilicet, Et ſtatim aſcendens de aqua, vidit apertos cælos. Et ſic deſcenſio Spiritus ſancti & vox non fuerunt, dum Chriſtus baptizaretur, ſed poſteà; ſcilicet mox vt exiuit de aqua.* Et ante Abulenſem Euſebius lib. 9. Demonſt. Euangel. cap. 6. [illegible] illa Iſaiæ verba, *Videbit populus meus gloriam Domini*, idipſum confirmare videtur, dum ait: *Tunc viſa eſt Saluatoris noſtri gloria, quando baptizatus in Iordane, aſcendit ex aqua, & aperti ſunt cæli; & vidit chorus Apoſtolorum & diſcipulorum, & omnis multitudo, quæ ibi aderat, Spiritum Dei deſcendentem vt columbam, & manentem ſuper eum, & quando vox audita eſt illa, Hic eſt Filius meus dilectus*, &c. Ecce quomodo prædicta accidiſſe memorat, poſtquam Chriſtus baptizatus aſcendit de aqua.

ſuper Chriſtum apparuit.

Iſaiæ 35. 2. ſecundùm Septuag.

Et optima quidem ratione, poſt baptiſmum & Chriſti exitum de aqua, aperti ſunt cæli, & apparuit ſuper ipſum Spiritus ſanctus in columbæ ſpecie, & paterna voce naturalis dilectuſque Filius cæleſtis Patris declaratus fuit; vt daretur intelligi, cæleſtis gloriæ poſſeſſionem ac plenitudinem Spiritus ſancti, naturalemque Patris filiationem non ei adueniſſe ex Ioannis baptiſmo, ſed illi fuiſſe connaturalem: ad hæc, Ioannis baptiſmum non deleuiſſe peccata, non contuliſſe gratiam & gloriam, ſed hæc ſeruata eſſe Chriſto Domino, Dauide dicente: *Gratiam & gloriam dabit Dominus.* Et ipſe præcurſor Chriſti Ioannes dixit: *Et de plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia: quia lex per Moyſen data eſt, gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt. Deum nemo vidit vnquam: Vnigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit.*

Pſal. 83. 12.

Ioan. 1. 16.

Baptiſma Ioannis gratiam non conferebat, ſed ad eam diſponebat.

Nec ideò Ioannis baptiſma malum & inutile, quia hæc non conferebat; ſed bonum ac ſalutare, quoniam ſuſcipientem ad omnia illa diſponebat. Declarabatur inſuper illa Spiritus ſancti in ſpecie columbæ apparitione, illum, ſupra quem facta fuit apparitio, duci à Spiritu ſancto in deſertum, & ad alia opera facienda, baptizaturumque in Spiritu ſancto & igne, vt idem Ioannes prædixerat: & ſic meliùs Chriſtus à Ioanne diſtingui & cognoſci potuit.

Obiectionis ſolutio.

Et quando Doctores dicunt, & veteres & recentes picturæ indicant, in Iordane, quando Chriſtus fuit baptizatus, memorata contigiſſe; ideò eſt, quia prope Iordanem, & ſtatim ac fuit baptizatus, contigerunt: & propter horum myſteriorum locorumque propinquitatem moraliter dici poteſt, omnia ſimul & in eodem loco, id eſt, Iordane operata fuiſſe; & præſertim ſi ſecus locum, vbi nunc eſt Eccleſia, quando Chriſtus fuit baptizatus, fluebat Iordanis, vt anteà ex Bonifacio diximus.

Spiritus ſanctus quare poſt baptiſmum

Cùm

In illius memoriam Eccleſia dicata.

Cùm itaque extra Iordanem non demonſtretur locus alius ab iſto memorabilis, & monimento conſecratus; hunc probabile eſt credere illùm eſſe, qui præſentia Filij, manifeſtatione Spiritus ſancti, & voce Patris fuit conſecratus, & poſteà nobilis Eccleſiæ erectione condecoratus, ac ideò omni veneratione digniſſimus.

Meminit huius loci & ædificij Adrichomius in Beniamin num. 121. & delignato loco proximo Iordani & Mari mortuo, ait: *Hîc Chriſtus à Ioanne baptizatus eſt: qui locus ruinoſo ædificio nunc inſignis eſt, atque ibidem peregrini, in memoriam baptiſmi Filij Dei, ſeſe abluere ſolent, cum oratione ad Deum, vt pro ſua ille miſericordia & Chriſti meritis, peccatorum omnium ſordes abſtergat, & eluat. Atque hîc poſteà ſacellum extructum eſt in honorem Ioannis Baptiſtæ. Alij contra Salim volunt baptizatum Dominum, quibus contradicit ſolemnitas Eccleſiæ.* Hæc ille: quem explica ex dictis. Locum baptiſmi Saluatoris diximus ſuprà Cap. IV. diſtare à Mari mortuo quinque milliarium itinere; & à Iericho duabus leucis, inquit Brocardus 1. Part. cap. 1. §. 30.

Cùm adhuc ſimus apud Iordanem, Chriſtum & Baptiſtam conſiderantes, aliquid de vtroque adhuc hîc placet ſubijcere, de quodam, inquam, loco extra Iordanem vtriuſque memoria conſecrato, qui poſt aliqua tempora fidelibus innotuit; de quo ſequentia ſcribit Sophronius: Erat ſenex quidam habitans in monaſterio Abbatis Euſtorgij, Ioannes nomine, quem ſanctus Elias Epiſcopus Ieroſolymorum voluit ducem monaſterij conſtituere; ille verò non acquieſcebat, dicens: In montem Sina, orationis gratiâ, pergere volo. Archiepiſcopus autem cogebat eum, vt priùs Abbas fieret, & poſteà pergeret quò vellet. Cùm verò ſenex non acquieſceret, dimiſit eum, ſpondentem ſe, poſtquam reuerſus eſſet, ſuſcepturum regiminis curam. Et ita, ſalutato Archiepiſcopo, iter arripuit, vt ad Sina montem proficiſceretur, aſſumpto ſecum & diſcipulo ſuo: tranſuadatoque Iordane fluuio, cùm vix vno lapide proceſſiſſet, cœpit ſenior rigore detineri, ac poſt paululum inuaſit eum febris. Cùm verò in tantùm excreſceret ardor febris, vt ambulare non poſſet, inuenerunt ſpeluncam paruulam, in quam ingreſſi ſunt, vt requieſcerent. Cùm verò febris ita inualuiſſet, vt ſe vix mouere poſſet, in ipſa ſpelunca tres dies commorati ſunt. Tunc ſenex in ſomnis aſpexit quemdam adſtantem ſibi & dicentem: Dic ſenex, quò ire vis? Reſpondit: In montem Sina. Dicit ei: Ne, quæſo, recedas hinc. Cùm verò ſeni id perſuadere non poſſet, abſcedit; febris verò ſeni acriùs infeſta erat. Rurſùs nocte ſequenti idem ſeni adſtitit eodem habitu, & ait: Quid ſenior affligi vis? Audi me, & nuſquam hinc proficiſcaris. Ait illi ſenex: Tu quiſnam es? Reſpondit is qui apparuerat: Ego ſum Ioannes Baptiſta, & ideò tibi iubeo, vt nuſquam recedas; nam ſpelunca iſta breuis maior eſt monte Sina: quippe in hâc ſæpiùs Dominus noſter Ieſus, cùm me viſitaret, ingreſſus eſt. Pollicere mihi quòd hîc habitabis; & ego mox tibi ſanitatem reſtituo. Quod ſenex audiens, libenter reſpondit, ſe in eadem ſpelunca permanſurum. & continuò ſanus effectus, perſeuerauit ibidem toto vitæ ſuæ tempore: ſpeluncam verò illam fecit Eccleſiam, congregauitque Fratres. Appellatur locus ille Saphas. Fuit in eodem loco Sapſas commorans in ſpelæo ſenex alius tantæ virtutis, vt leones ſecum in eadem ſpelunca ſuſciperet, atque cibum in ſinu ſuo ipſis præberet. Hactenus Sophronius.

Exemplum.

Infirmitate ac viſione peregrinatio ad montem Sinai diſſuadetur, propter manſionem in loco Chriſti præſentiâ decorato.

Spelunca Chriſti & Ioannis præſentiâ ſanctiſicata, monte Sinai digniori.

Hanc ſpeluncam illam eſſe arbitror, in qua Ioannes tempore ſuæ prædicationis habitabat, & ad Iordanem veniebat, vt baptizaret. Et ibidem Chriſtum conueniſſe Ioannem, mihi perſuadeo ex quibuſdam verbis diſcipulorum Ioannis ad ipſum. dixerunt enim ei de Chriſto, vt habetur Ioan. 3,26. *Rabbi, qui erat tecum trans Iordanem, cui tu teſtimonium perhibuiſti, ecce hic baptizat. Qui erat*, inquiunt, *tecum trans Iordanem*; quoniam poſt Chriſti baptiſmum, & quadraginta dierum ieiunium, rediit Ieſus ad Ioannem trans Iordanem, vt ei teſtimonium perhiberet; vt in eum locum obſeruauit Caietanus. Et antequam Chriſtus baptizaretur, ex Galilæa & Nazareth ad eumdem iuit trans Iordanem, vt ſuperiùs etiam indicauimus. Cùm verò alius locus ab iſto reuelatione monſtratus particularis non aſſignetur, in quo ſimul Chriſtus cum Ioanne ſteterit, nec ratio vel auctoritas aliqua refragetur, illam eum eſſe, probabile eſt credere.

Adhuc, Adamnanus de Locis ſanctis l. 2. cap. 19. ex S. Arculpho meminit cuiuſdam fontis ex quo bibebat Ioannes; & mihi probabilius, eſſe alterum ab illo, cuius anteà meminimus, & in iſto deſerto Iordanis: nam quæ de ipſo tradit, & de cibo quo veſcebatur Ioannes, hoc præ ſe ferunt. de fonte ita loquitur: *Arculphus ſæpè memoratus, quendam in deſerto lucidum aſpexit fonticulum, de quo, quemadmodum traditur, ſanctus Ioannes bibebat baptizator, lapideo protectum tecto, calce perlito.* Ita ille. Pondera verbum illud, *bibebat baptizator.* Baptizator erat Ioannes, non in deſerto eis Iordanem,

Fons ex quo bibebat Ioannes.

danem, vbi habitauit puerulus; ſed in altero trans Iordanem, vbi iuuenis & vir pœnitentiam egit.

Cibus Ioannis.

Confirmatur ex eo quod ſtatim addit de cibo illius, id eſt, locuſta & melle ſilueſtri: iſto cibo veſcebatur Ioannes, poſtquam adoleuit, vt patet ex Matthæo: *Ipſe autem Ioannes*, prædicans videlicet pœnitentiam in deſerto Iudææ, *habebat veſtimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos ſuos: eſca autem eius erat locuſta, & mel ſilueſtre.* Idem habet Marc. 1,6. nam infantulus in alio deſerto Angelico veſcebatur cibo, vt ſuperiùs ex Sozomeno notauimus.

Matth 3,4

De locuſtis & melle ſilueſtri Adamnani & Bedæ ſententia.

Sed quidnam eſt locuſta & mel ſilueſtre? Non omnes conueniunt, Adamnanus c. 20. ex ſancto memorato Arculpho ita reſpondet: *De eodem namque Ioanne Euangeliſtæ ſcribunt: Erat autem eius eſca locuſta & mel ſilueſtre. Idem autem noſter Arculphus in illa ſolitudine, vbi Ioannes habitabat, quoddam locuſtarum vidit minimum genus: quarum corpuſcula in modum digiti manus exilia & breuia ſunt; & quia earum breuis eſt volatus, ſimilis leuium in ſaltibus ranarum, facilè in herbis capiuntur; & cocta per oleum pauperem præbent victum.*

De melle verò ſilueſtri hanc ab Arculpho experientiam didicimus, ita dicente: In eodem deſerto quaſdam videram arbores, quarum folia lata & rotunda ſunt, lactei coloris, & ſaporis mellei. Quorum vtique foliorum natura fragilis eſt valdè; & qui ea in eſcam ſumere cupiunt, primùm manibus confricant, deinde comedunt, hoc eſt, mel in ſiluis ſic repertum. Hæc Adamnanus: eadem Beda cap. 14. confirmat hæc ipſa ex aliis Cardinalis Baronius.

Alia Iſidori Peluſiota

Verùm his aduerſatur Iſidorus Peluſiota, inquit idem Baronius anno Chriſti 31. num. 14. & 15. qui & ipſe monaſticam vitam cùm diutiùs excoluerit, ea quæ ſcribit, potuit à Palæſtinæ monachis didiciſſe: ſic enim ait ad Timotheum lectorem ſcribens Epiſt. 132. lib. 1. *Locuſtæ, quibus Ioannes alebatur, non animantia ſunt (vt quidam imperitè putant) ſcarabæis ſimilia, abſit; verùm herbarum ac plantarum ſummitates. Eodemq; modo rurſum, non herba quædam eſt mel ſilueſtre, verùm mel montanum, quod ab agreſtibus apibus conficitur; ſummeq; amarum eſt, & guſtatui omni infeſtum atque inimicum. Quibus ex rebus ſingularem quandam & pænè incredibilem corporis afflictationem Ioannes præ ſe ferebat: vt qui non inedia duntaxat, verùm etiam victus aſperitate omnem corporis appetitionem amaram redderet.* Hucuſque Iſidorus ad Timotheum. Ad Nilum item ſcribens lib. 1. Epiſt. 5. eadem quoque habet; additque: *Quocirca ſic eibos & veſtitum monaſticæ vitæ, iuxta Deum perfectæ omnibusq; numeris abſolutæ, in Ioanne Baptiſta didicimus.*

Addit Baronius: *Hæc cùm ſcribat Iſidorus, & non niſi Maiorum auctoritate; quid de his ſentiendum ſit, definiendum nobis non eſt, ſed totum relinquimus lectoris arbitrio. Nam conſtat, Græcam dictionem ἀκρίδας, & locuſtam inſecti genus infirmas habens alas ad volandũ, & ſummitates herbarum ſignificare.*

Cardinalis Vitriacus in Hiſtor. Ieroſol. cap. 53. loquens de viris ſolitariis qui in Iordanis ſolitudine habitabant, aliqua dixit de locuſtis & melle ſilueſtri, vt ſequitur: *In hac autem eremi ſolitudine non niſi locuſtas cum melle B. Ioannes edebat. Eſt autem in partibus Syriæ pleriſque conſuetudo, adueniente locuſtarum multitudine, eas colligendo & congregando ad victum reſeruare. Mellis autem ex calamellis maximam in partibus illis vidimus abundantiam. Sunt enim calamelli calami pleni melle, id eſt, ſucco dulciſſimo: ex quo quaſi in torculari compreſſo, & ad ignem condenſato, priùs quaſi mel, poſt hæc quaſi zanara efficitur. Vocantur autem alio nomine canamelles: quod nomen ex canna & melle componitur, eò quòd cannis ſiue arundinibus huiuſmodi calami ſunt ſimiles. Quantam autem verisimile mihi non videtur, quòd beatus Chriſti Baptiſta carnes manducaret, qui panè etiam veſci rennebat, quaſimi diligenter à quodam Surianorum Monacho, cuius cœnobium in partibus illis erat, habens maximam Monachorum multitudinem, ſub vno Abbate vitam arctiſſimam ducentium, cuiuſmodi eſſent locuſtæ quas in ſolitudine illa Iordanica beatus Ioannes manducaſſe perhibetur. Qui mihi ſtatim reſpondit, quòd frequenter in refectorio ſuo quædam herba Monachis ad edendum apponebatur, quam ipſi languſtam, id eſt, locuſtam nominabant; cuius circa monaſterium ſuum magna habebatur copia: adiungens, quòd illa eſſet, quam edebat B. Ioannes. Sed & de melle ſilueſtri ex apibus in deſerto illo frequenter copiosè reperiebant.* Hæc Vitriacus: quæ poſteà repetiit etiam Sanutus Secret. fidel. Cruc. lib. 3. par. 7. cap. 3.

Sententia Vitriaci.

Ego prædictorum nullum experimentum feci, aliquidve in his partibus intellexi; ideò alia non addo. Cùm tamen, vt dixit Baronius, nomen Græcum & inſecti generis animal & herbarum ſignificet ſummitates, & non exprimatur in Euangelio quibus fuerit vſus Ioannes, nec certò à nobis ſtatui poteſt; ſed tantùm probabiliter opinandum id ad quod magis ratio inducit, nimirum quòd herbæ, teſte Vitriaco, ſint magis communis ac proportionatus eremitarum cibus, & etiam magis ad manus; probabiliter credi poteſt, locuſtas, quibus

Digitized by

bus eremi cultor & Eremitarum princeps Ioannes Baptiſta veſcebatur, fuiſſe herbarum ſummitates.

Vitra Iordanem habitatio Ægyptiaca & alij ſancti viri habitarunt.

Trans Iordanem, præter Domini Præcurſorem, habitarunt in deſerto Maria illa Ægyptiaca, vbi Eccleſia & Monaſterium ſub eius nomine ædificatum dicitur, & alij ſancti viri. Sunt Eccleſiæ, & ciuitates, aliaque loca, ad quæ propter Arabes & latrones acceſſus non patet. Ibique plura memorabilia contigiſſe, manifeſtum apparet ex ſacra Scriptura: quæ nos ex parte attigimus Lib. 1.

CAPVT VII.

De Galgala, ſexto loco ſextæ Peregrinationis.

QVamuis, quod ſciam, nulla, vel ſanè modica fiat *Galgalæ* mentio noſtris temporibus in partibus iſtis, vel ob rarum ad eam acceſſum, vel ob variam nominis cum tempore mutationem: tamen quoniam adhuc ſitus Galgalæ eſt, & per ipſum tranſeunt peregrini Paſchatis tempore, quando ex Ieroſolymis proficiſcuntur ad Iordanem fluuium, ad vrbem Iericho, & ad montem Quarantanæ Chriſti, & quoniam frequens mentio illius fit in ſacris Literis & Eccleſiaſticis Scriptoribus, accommodatum erit inſtituto noſtro ex eiſdem aliqua proponere, poſtquam de Iordane nonnulla locuti fuimus. Et tria illa erunt: Primò, multiplicem Galgalæ nomenclaturam & ſignificationem aperiemus; & quidnam illa ſit, de qua loqui intendimus, proponemus. Secundò, vbinam ſit. Tertiò denique memorabilia, quæ ibi acciderunt, aperiemus.

Galgal nomen multiplex.

Et de primo: In noſtra Bibliorum vulgata editione appellatur nunc *Galgal*, vt Oſe. 9, 15. nunc *Galgala* neutro genere, vt Oſe. 4, 15. nunc feminino, vt Ioſ. 9, 6. *Morabantur in caſtris Galgalæ.* Adrichomius in Benamin num. 71. ait: *Galgala, quæ & Gilgal, Galgal, & Galgalis, Hieronymo Golgol.* Et nomen hoc multiplex eſt, vt hic Scriptor indicat: dicitur enim primò de ciuitate quæ eſt inter Iordanem & Iericho, de qua notato loco: & quoſdam aliam Galgalam iuxta Bethel ſuſpicari dicit.

Secundò, dicitur de alia vrbe quæ eſt in Manaſſe: de qua idem Adrichomius in huius tribus explicatione num. 34: ita loquitur: *Galgal vrbs Regalis, Hieronymo dicta Gelgel; in qua habitabant Goim, hoc eſt, Gentes: cuius Regem occidit Ioſue, vrbémque cepit. Tempore Hieronymi oſtendebatur villula nomine Galgulis, ab Antipatride in ſexto milliario contra Septentrionem.*

Ioſ. 12, 23. Hieron. in Locis Heb.

Tertiò, dicitur de oppido tribus Nephtalin, de quo 1. Machab. 9. & Adrichomius in ilta tribu num. 49.

Quartò denique apud eumdem in Beniamin num. 117. dicitur de loco, in quo Iſraëlitæ, tranſito Iordane, duodecim lapides ſtatuerunt. D. Hieronymus in Locis Hebraicis. Nos de Galgala verba faciemus, vt accipitur à Doctoribus in prima & etiam poſtrema ſignificatione.

Galgal Iudææ vrbs quid.

Et quid eſt Galgal in prima acceptum ſignificatione? Reſpondent plerique non ignobiles Scriptores eſſe vrbem, & id arbitrantur ex Scriptura ſacra probari. Hieronymus Pradus Tom. 1. in Ezechielem cap. 16. num. margin. 1111. inquit, Galgala eſſe nomen vrbis inter Iordanem & Iericho ſitæ, & hoc patere ex Ioſue 5. v. 9. Mariana in Scholiis ſuis ad cap. 9. Oſe. v. 15. expendens illa verba, *Omnis nequitia eorum in Galgal*, ait: Galgal ciuitas prope Iericho in tribu Beniamin. Ioſ. 4. v. 20. &c. Idem Gloſſa Theophylacti Oſe. 4. ac multi alij.

Doctorum placita.

Quòd fuerit præcipua ciuitas Mendoza ratio.

Adrichomius loco priùs notato dicit fuiſſe nedum ciuitatẽ, ſed inclytam. P. Franciſcus de Mendoza in 1. Reg. cap. 6. nu. 16. vrbem præcipuam Iſraëlis fuiſſe docet; commendans in hoc ſollicitudinem vigilantiſſimi Samuelis Principis Iudæorum, quòd per ſingulos annos circuiret Bethel, Galgala, & Maſphath, præcipuas vrbes Iſraëlis. Eadem alij.

Quamuis non intendam me prædictorum Doctorum auctoritati opponere; non tamen erit interdictum proponere, quid circa propoſitam difficultatem mihi occurrat. Tria itaque dico. Primum ſit: Ante vel poſt ingreſſum filiorum Iſraël in terram Patribus promiſſam, inter Iordanem & Iericho nulla fuit ciuitas Galgala nuncupata. Probatur in primis ex eo, quòd ciuitas, quam primò ceperunt filij Iſraël, tranſuadato Iordane, & in Terram ſanctam ingreſſi, fuit Iericho, vt videre eſt in libro Ioſue: & tamen ex eodem certum, quòd è Iordane egreſſi, ſtatim abſque pugna caſtrametati fuerunt in Galgalis; & abſque difficultate fecerunt, quæ poſteà ſubiiciemus. Et quî fieri poteſt, vt ſi tunc Galgala fuit ciuitas inclyta & præcipua terræ Chanaan, in eam fuerint Iſraëlitæ ingreſſi abſque pugna cum illius habitatoribus; cùm manifeſtum ſit, Chananæos ſemper reſtitiſſe Iudæis, hoſque non niſi vi & armis illorum vrbes occupaſſe, & præcipuè in exordio introitus ipſorum? Igitur ſi vrbem tunc non fuerunt ingreſſi, nec fuit quæ Galgal diceretur, vel poſteà dicta ſit.

Tria dicta.

Primum.

Ante ingreſſum Iſraëlitarum in Terram ſanctam nulla in eâ ciuitas Galgal.

gitized by Google

Rationemitio Galgal.

Confirmatur; quoniam nomen *Galgal* non fuit illi loco inditum, niſi poſtquam Iſraëlitæ ad illum acceſſerunt, vt patet Ioſue 5. vbi ratio impoſitionis huius nominis aſſignatur, dum dicitur: *Dixitq; Dominus ad Ioſue: Hodie abſtuli opprobrium Aegypti à vobis. Vocatumq; eſt nomen loci illius Galgala.* à verbo videlicet Galgal, quod eſt, auferre: quia verè tunc ab Ægyptiorum opprobrio liberati fuere. Vel ſic dictus locus à circumciſione ibi peracta, vt ibi docet Lyrenſis: *Galgala*, inquit, *interpretatur rota, vel circulatio; quia pellicula, quæ per circumciſionem abſcinditur, habet figuram circularem.*

Obiectio.

Dices fortaſſe, anteà hunc locum hoc nomen tenuiſſe, quoniam Ioſue 4,19. dicitur: *Populus autem aſcendit de Iordane, decimo die menſis primi, & caſtrametati ſunt in Galgalis contra Orientalem plagam vrbis Iericho.*

Solutio.

Reſpondet hîc Lyranus, hoc nomen hîc poni per anticipationem; quia poſtcà impoſitum fuit illi loco, vt habetur capite 5. Ioſue adducto.

Secundò: Si fuiſſet ciuitas, & maximè ſi præcipua huius regionis, ſaltem aliquando eo nomine in Scriptura nuncuparetur, præſertim quòd illius mentio frequenter fiat; at nulla fit, vt patet eam legenti. Et D. Hieronymus & Lyranus in Prophetis, vbi de Galgala ſermo eſt, niſi me fallit memoria, numquam vrbem, ſed locum tantùm appellant, quòd & alij graues Auctores obſeruarunt.

Secundum dictum.

Secundum dictum. Dicerem probabiliter, quando filij Iſraël ad eum locum ingreſſi fuerunt, fuiſſe quamdam latam planitiem, in qua multus ille Iſraëliticus populus quieſcere potuit, & ſua exequi negotia. Probatur ex modo loquendi Scripturæ; ait enim non ſemel, filios Iſraël caſtrametaſſe in Galgalis. Et hic loquendi modus indicat, non vrbem, ſed planitiem fuiſſe: caſtrametari enim idem eſt, quòd tentoria figere in quibus milites diuertuntur; ſed tentoria in campeſtribus figuntur. Ad hæc, dicitur de populo caſtrametatum fuiſſe in Galgalis, ibidem circumciſum, & Paſcha celebraſſe, Et, quomodo, quæſo, vrbs vna tantum populum capere potuiſſet, non eiectis præſertim naturalibus habitatoribus; qui ſi fuiſſent, reſtitiſſent? & ſi ſuperati fuiſſent ab Hebræis, non tacuiſſet Scriptura, ſicut nec alia ſimilia.

Ad introitū Iſraëlitarum erat magna planities.

Caſtrametari quid.

Tertium dictum.

Tertium dictum. Mihi ſatis probabile videtur, in dicta planitie poſteà Iſraëlitas vrbem aliquam vel caſtrum ædificaſſe. Probatur tum ex eo, quòd ille locus ſacer erat Iudæis, ob memorabilia in eo operata: frequens etiam erat concurſu populorum; quare opportunus locus eſſe debuit, in quem ſe reciperent: tum quia deſtructa fuit vrbs Iericho, non ampliùs præcepto Domini reædificanda. Quare probabile eſt credere, aliam non longè ab illa ædificaſſe, & in memorabili dicto loco, quæ poſteà Galgala appellata fuit. Et de iſta fortaſſe locuti fuerunt priùs adducti Auctores: quòd ſi aliter ſenſerunt, ad rationes ab iiſdem adductas reſpondemus.

In illo caſtrum vel ciuitas à Iudæis ædificata. Locus Iudæis ſacer.

Ad aliter ſentientes reſponſio.

Ad loca Scripturæ adducta, dicimus, nec in illis, nec in aliis, in quibus de Galgalis ſermo eſt, dici eſſe ciuitatem. Illa videantur; nec enim aliud inuenietur, niſi Galgala fuiſſe locum inter Iordanem & Iericho.

Ad rationē Mendoza.

Non obſtat etiam ratio adducta à Mendoza; nam poſſet ad oppoſitum adduci in commendationem vigilantiæ & ſollicitudinis Samuelis, quòd nedum magnas ciuitates, ſed etiam quæuis alia, etſi minima, loca viſitabat, inter quæ Galgala numerari poteſt. Præſul namque omnia gubernare debet, tamquam de omnibus rationem redditurus. Vel dicatur, ideò ſacrum Scriptorem ſingulariter Galgalæ mentionem feciſſe; non quia eſſet præpotens & magna vrbs, ſed quia locus ſanctus erat, & memorabilis ob egregia facinora ibidem operata: quæ poſteà recenſentur. Qua ratione bonus Princeps viſitabat etiam Bethel, Iacobi ſomnio & lapidis erectione inſignem, Geneſ. 22. v. 19. & Maſphath, eiuſdem Samuelis oratione & ſacrificio, ac totius populi lacrymis & pœnitentia perilluſtrem, vt patet 1. Reg. 7. v. 6.

Alterius rationis ſolutio.

Et hac ipſa ratione poſſet occurri alteri obiectioni, 1. Reg. 11. v. 14. *Dixit Samuel ad populum* pro confirmando Saule in Regno: *Venite, & eamus in Galgala, & innouemus ibi Regnum.* Si in Galgala Regnum innouare volebat, ſignum eſt fuiſſe vrbem vel regiam, vel certè inclytam & celebrem. Reſpondetur, voluiſſe innouare Regnum in Galgala; non quia eſſet nobilis ciuitas, ſed quia erat locus ſanctus, & ibidem egregiè factis celebris. *Videns Samuel*, inquit in eum locum Lyrenſis, *quòd populus concorditer conſentiebat electioni facta de Saul, ideò voluit tunc eam innouare, ſeu confirmare ſolemniter, & in loco ſolemni*, &c. præſertim quòd eò tranſlatum fuerat tabernaculum Domini & Arca,

Communis locus Galgal eſt inter Iordanem & Iericho.

Ad ſecundum accedentes, vbi inquam ſituanda ſit Galgala, dico, omnes conuenire, in loco communi collocandam eſſe citra Iordanem & Iericho, licet parum diſſentiant in aſſignando peculiari loco. Brocardus Monachus indicat fuiſſe diſſitam à Iericho & fonte Eliſei ad dimidiam leucam; ſic enim dicit: *A Galgalis, ſi verſus Iericho vadas, habes ad dextram montem Quarantā-*

Particularius.

rantanam dictum, distantem media leuca à Galgalis, vbi scilicet Dominus quadraginta diebus & noctibus ieiunauit. Est mons ille altus, & ascensu difficilis: habet ab vno latere fontem, cuius aquas amaras sanauit Elisæus: cuius aquæ fluunt iuxta locum Galgala à parte Australi, &c.

His consona scribit Frater Anselmus Minorita in sua Terræ sanctæ Descriptione, in locis Orientalibus respectu Ierusalem, dum ait, *Planitiem, quæ est inter Iordanem & Iericho, vocari Galgala; & fortè totam planitiem per duo milliaria distantem à Iordane vsque ad Quarantanam vocari Galgala.*

Suffragatur Hodœporicon sancti VVillibaldi, in quo de eo & sociis eius ad intentum sequentia leguntur: *Et pergebant à Iordane, & veniebant ad Galgala. Ibi sunt intus quinque millia, & duodecim lapides illic sunt in Ecclesia: illa est lignea, & non magna. Illic sunt duodecim lapides, quos tulerunt filij Israël de Iordane, & portauerunt ad Galgala super vnum milliarium, & posuerunt ad testimonium transmigrationis illorum*, &c.

Ioannes Mariana in cap. 12. Oseæ, contra Iordanem prope Iericho esse dicit; & in Amos cap. 5. expendens illa verba v. 5. *Galgala captiua ducetur*, inquit: *Porrò Galgala ad littus Iordanis sita, Assyriorum iniuriæ opportuna erat.* Adstipulatur sanctissimus & peritissimus Hieronymus statim adducendus. Et hæc de secundo.

Memorabilia in Galgalis operata.

De tertio iam proposito, memorabilia quæ in Galgalis acciderint, pro maiori parte ex sacra Scriptura collegit sanctus Hieronymus, & retulit in locis Hebraicis, dicens:

Ios. 4. & 5. *Galgala est ad Orientalem plagam antiquæ Ierichus, cis Iordanem: vbi Iosue secundò populum circumcidit, & Pascha celebrauit; &, deficiente manna, triticeis panibus vsus est Israël. In ipso loco lapides quoque, quos de alueolo Iordanis transtulerunt, statuerunt. Ibi & tabernaculum testimonij fixum*

1. Reg. 11. *multo tempore fuit. Ibi etiam Saul vnctus est. Cecidit autem in sortem tribus Iudæ; & ostenditur vsque hodie locus desertus in secundo Ierichus milliario, ab illius regionis mortalibus miro cultu habitus.* Hæc ille. Et meritò, tum propter dicta, quæ omnia sanctitatem loco conciliabant; tum maximè quod Ange-

Ios. 5, 16. lus Iosue dixerat: *Solue calceamentum tuum de pedibus tuis: locus enim, in quo stas, sanctus est.* Idem sanctus Doctor in Osee. cap. 4. expendens illa verba, *Et nolite ingredi in Galgala*, inquit: *Ex quo tempore* (secundæ scilicet circumcisionis) *aduersæ religionis in loco celebri error inoleuit.* hoc est, cœperunt ibi, ob loci celebritatem, multa idola coli, id agente semper diabolo, vt in locis Deo dicatis colatur, & diuinos, quantum potest, ad se honores transferat. Vnde Ose. 9, 15. *Omnes nequitiæ eorum in Galgal.* *Diabolus in sacris locis honorari contendit.*

Et quæ nequitiæ peculiariter? An quia ibi Saul Rex inauguratus fuit? sed cùm inaugurationem fecerit Samuel, non videtur nequiter se gessisse. Respondetur, malum in eo fuisse, quòd contra Dei voluntatem vnctus fuit, qui populo Regem dare nolebat.

Lyranus: Quia ibi primò aliquando quie- *Dubij solutio.* uit Arca Domini, propterea falsi prophetæ dicebant esse locum sanctiorem templo quod erat in Ierusalem; & docebant populum ibi colere idola, ex quo reddebantur Deo exosi, & à Deo reprobati, &c.

Rupertus in Glossa ordinaria relatus, non tam ad multitudinem quàm ad grauitatem scelerum refert. sic enim habet: *Peius namque in Galgalis quàm in Bethel idola coluerunt: quia idolum vitulinum in Bethel coluerunt temporibus Regum; sed supra iam temporibus Iudicum in Galgalis nequiter egerunt, habendo illic idola, sicut scriptum est in libro Iudicum cap. 2. & 3.*

Paulus de Palatio ampliùs explicat impietatem & Israëlitarum idololatriam; quam in eo constitisse arbitratur, quòd in Galgalis templum dicatum fuit Priapo, vbi & eius cultus maximè vigebat. Quia igitur in sacris Priapi vltra idololatriam admittebantur crimina nefanda, vt Sodomiæ cum cinædis, & fortè incestus cum consanguineis, proferebantur etiam spurcissima verba, vt dixerunt Cœlius lib. 4. cap. 6. & Lactantius: &, quod magis illas turpitudines augebat, erat, quòd illas honestabant, dicentes, Priapum significasse anni prouentum & generationem; & nisi eum deum propitiarent, anni abundantiam non euenturam. Quare iure merito queritur Deus ob infinitas nequitias in Galgal commissas: ob quas Israëlitas exosos habuit, & se eorum non misertum dixit: quas monuit ne sequeretur Iuda, sed ab illis declinaret, dicens Ose. 4. *Noli ingredi in Galgala.* ad adorandum videlicet idola. *Enormitas in Galgalis sub specie boni patrata.*

Vituli in Galgalis erant in loco vbi Ange- *Galgal in Iuda, vel Beniamin.* lus Iosue apparuit, Ios. 5. Galgal ad tribum Iuda pertinuisse, dicitur Ios. 15, 7. tamen non inconueniens est dicere, fuisse in Beniamin; quoniam proximæ erant istæ tribus, & vnũ Regnum faciebant post diuisionem totius Iudaici Regni sub Roboam Salomonis filio, vt alibi fuit explicatum: quare quæ vnius tribus sunt, & alterius esse dicuntur. Vel dicatur, aliquando ad Iudam, & aliquando ad Beniamin pertinuisse; sicut & Ierusalem, quæ primò pertinuit ad tribum Beniamin, vt patet Ios. 18. pertinuisse posteà ad tribum

Iuda, patet ex verbis illis Pſal.77, 67. *Repulit tabernaculum Ioſeph: & tribum Ephraim non elegit: ſed elegit tribum Iuda, montem Sion quem dilexit.* & patet etiam in fine cap.15.v.63. Ioſue.

Obiectionis ſolutio. Retulit etiam Adrichomius in Beniamin num.117. Ioannem Baptiſtam reſpexiſſe ad duodecim lapides de fundo Iordanis ſublatos, & erectos in Galgalis, in memoriam ſiccati Iordanis & mirabilis tranſitus filiorum Iſraël, cùm dixit: *Potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ.* qui etiam perdurauerunt vſque ad ætatem diui Hieronymi: illos inuiſit Paula Romana, vt in huius Epitaphio docet ſanctus Doctor. *Eccleſia in Galgalis ædificata.* De Eccleſia ibidem ædificata dictum fuit Libro III. Cap. XLIII. Et hæc de Galgalis ſatis.

Matth.3,9.

CAPVT VIII.

De vaſta ſolitudine D. Hieronymi, ſeptimo loco ſextæ Peregrinationis.

POſtquam pij fideles venerati ſunt Deum & ſuum Præcurſorem apud Eccleſiam eius nomini ſacram, ea relicta, ad læuam partem verſus Meridiem, per ſpatioſam planitiem vrbis Iericho, ad quam procedunt, greſſus dirigunt. Et quod in iſto itinere videri poſſet, eſt vaſta D. Hieronymi ſolitudo: quam tamen rarò inuiſunt peregrini, renuentibus ductoribus eò ſe conferre; ego nonniſi à longè eam videre potui: quare quæ oculatus & diligens inſpector Bonifacius de ea notauit lib. 2. de Perenni cultu Terræ ſanctæ, hîc placet ſubiicere. *Hinc ſurgentibus* (inquit, id eſt ab Eccleſia ſancti Ioannis Baptiſtæ) *ad Meridiémque pergentibus, occurret illa vaſta ſolitudo Hieronymi ſancti; & in ipſa Eccleſia & Monaſterium miræ pulchritudinis. In clauſtro maiori (vt cernis) eſt ipſamet imago parieti depicta eiuſdem glorioſiſſimi & diui Hieronymi: ingreſſum eius in ſolitudinem, & quando ad Superos conceſſit in Bethlehem, vt in mundiſſimo ſpeculo videre poteris.* Hæc ille. Quantum à longè videre potui, admodum demolitum eſt; & à Mari mortuo non multùm diſtat. De hac vaſta ſolitudine, ſiue cellula diui Hieronymi, quæ in ea erat, deque his quæ in ea acciderunt, agit Adrichomius in locis exteris num.1.pag.143.

Eccleſia & Monaſterium & imago S. Hieronymi.

CAPVT IX.

De domo Zachæi publicani, octauo loco ſextæ Peregrinationis.

RElicta ad læuam vaſta D. Hieronymi ſolitudine, & à tergo Mari mortuo, quod primò occurrit conſideratione & veneratione dignum, antequam ciuitatem Iericho ingrediamur, eſt domus Zachæi publicani, non longè ab eadem vrbe ædificata, hoſpitio Domini celebris. In hac ſiquidem domo Chriſtus Dominus à Zachæo publicano cum gaudio exceptus fuit, qui à Domino cum tota domo ſua fuit benedictus. Hęc domus, cui benedixit Dominus, adhuc ferè integra perſeuerat: vnicam habet habitationem; ſed nullus eam inhabitat: quam per paruum oſtium ingrediuntur peregrini; in eaque fuſis precibus, diuinam ſuper ſe implorant benedictionem.

Zachæi domus hoſpitio Domini illuſtrata adhuc exiſtit.

Qua verò occaſione, quomodoque Zachæus Chriſtum hoſpitio excepit, explicat Lucas cap.19. Poſt inſigne illud Lazari quatriduani à mortuis excitati miraculum, de bono opere Pontifices & Phariſæi collegerunt aduerſus Ieſum concilium, & contra eum dederunt mortis ſententiam: quare ſe ab illis vſque ad opportunum & determinatum tempus à Patre ſubtraxit, & cum Apoſtolis ſuis abiit in ciuitatem Ephrem, iuxta deſertum poſitam in tribu Iuda, ſecundùm Hieronymum de Locis Hebraicis; illicque moram traxit, donec tempus Paſchatis propius eſſet: non enim erat ibi frequens perſequentium Iudæorum concurſus. Sed illo appropinquante, aſſumptis ſecum duodecim Apoſtolis, iter ingreſſus Ieroſolymam verſus, omnia obuentura de ſua paſſione & reſurrectione prædixit: cumque matrem filiorum Zebedæi cum filiis ſuis repulſiſſet; quia quod petierint neſciuerint; appropinquans Iericho, quæ haud longè diſtabat ab Ephrem, cæcum ſecus viam illuminauit. Et ingreſſus perambulabat Iericho: quod intelligens diues & princeps publicanorum Zachæus, cùm magno teneretur deſiderio videndi Ieſum, quis eſſet, & ex ſe id præſtare non poſſet, multitudine hominum impediente, & quia ſtatura puſillus erat; aſcendit in arborem ſycomorum plantatam in via, vnde erat tranſiturus. *Et cùm veniſſet ad locum, ſuſpiciens Ieſus vidit illum, & dixit ad eum: Zachæe feſtinans deſcende; quia hodie in domo tua oportet me manere. Et feſtinans deſcendit, & excepit illum gaudens.* cui & domui eius ſalutem fecit Dominus.

Quomodo in ea exceptus Chriſtus. Ioan. 11, 47.

Ciuitas Ephrem vbi.

Chriſtus paſſionem prædixit.

Negat petitionem matris filiorum Zebedæi.

Cæcum illuminat. Matth,20, 20. Luc.19,1.

Zachæi domum ingreditur.

Quæ

Sycomorus quid.

Quæ ſit arbor ſycomorus, & an adhuc illa extet, quam Zachæus aſcendit, paucis aperiendum eſt; non enim erit iniucundum Lectori. Sycomorus (inquiunt Naturales) arbor eſt magna, ſimilitudinem cum moro habens, & cum ficu, foliis quidem moro, fructu ficui ſimilis. Fert autem fructum non ramis, ſed caudice ipſo: qui niſi ſcalpatur, ſiue vellicetur vnguibus aut ferro, vt lac effluat, & à ſole penetretur, non matureſcit. Hæc quidem ex Plinio, D. Hieronymo, & aliis. Fit ille lib. 13. cap. 3. ficum Ægyptiam appellat. Fructus dulces, nullam habentes acrimoniam, & potiùs inſipidi, inquit Galenus.

Credo, ſycomoros eſſe arbores illas, quas in partibus iſtis, & in Ægypto præſertim, vbi plus abundant, appellant habitatores ficus Pharaonis: pro iis enim conueniunt, quæ de ſycomoro diximus. Et confirmatur; quoniam arbor iſta Arabicè appellatur *Guimereiſe:* & tali vocabulo in Euangelio Arabicè conſcripto nominatur arbor, quæ in vulgata editione dicitur *Sycomorus* citato capite Lucæ. Lege quæ de hac arbore ſacri referunt Expoſitores in ea verba Amos cap. 7, 14. *Armentarius ego ſum, vellicans ſycomoros*, &c. & in ea Luc. 19, 4. *Aſcendit* Zachæus *in arborem ſycomorum.*

Erat tempore D. Hieronymi & Bonifacij noſtro non ostenditur.

Sed an adhuc extat, diúve perduraúit illa ſycomorus? Tempore D. Hieronymi monſtrabatur; etiam multò pòſt, tempore videlicet P. Bonifacij; qui vixit in Terra ſancta poſt annum Domini 1560. vt ipſe indicat lib. 2. de Perenni cultu Terræ ſanctæ, loquens de peregrinatione ex Ieruſalem ad Iericho, hiſce verbis: Item occurret tibi arbor ſycomorus Zachæi, è qua excelſum Dominum, tamquam de excelſo virtutum intuebatur; at noſtris hiſce temporibus non monſtratur: fortè ab Arabibus præciſa, vel aliqua occaſione euulſa fuit.

CAPVT X.

De vrbe Iericho, nono loco ſexta Peregrinationis.

RElicta Zachæi domo, greſſus dirigunt peregrini verſus vrbem Iericho, vt inde ad deſertum Chriſti proficiſcantur. Nunc de Iericho agemus, & tria conſiderabimus; primò, conditionem regionis Iericho, planitiem videlicet; & campeſtria; ſecundò, quænam ciuitas olim fuerit, & modò ſit; & tertiò, quæ in ipſa memorabilia, acciderint.

Campeſtria Iericho quid.

Quantum ad primum; Terra, ſiue campeſtria Iericho, eſt longa lataque planities inter Iericho & Iordanem, longitudinis, vt creditur, viginti, latitudinis verò decem circiter milliarium, concluſa montibus & aquis: ab Oriente enim Arabiæ, ab Occidente Iudææ montibus terminatur. Huius meminiſſe videtur Ioſephus lib. 5. Belli cap. 12. & 13. A Meridie Mari mortuo, à Septemtrione Mari Galilææ conterminatur. Planities hæc, vt ſpatioſa, ita fecunda, ſatis magnam frumenti copiam ſuppeditat, fructuſque alios, & medicinales herbas. Sunt præſertim in ea quædam paruæ arbores, quæ fructus velut paruas nuces producunt, mirabulani appellati, Arabicè *zecum*: ex quibus oleum conficitur optimum, ad vulnera aliasque ſanandas infirmitates haud inutile. Multùm æſtimatur: & Gubernator Ieruſalem ex eo mittit, tamquam quid valdè pretioſum, Conſtantinopolim ad Turcarum Imperatorem.

Spatioſa & fecunda.

Ex mirabulanis oleum medicinale.

Bonifacius lib. 2. de Perenni cultu Terræ ſanctæ de his agens, inquit: *Iericho eſt planities magna concluſa montibus, ab Oriente Arabia, ab Occidente Iudæa; & à Meridie mari Aſphaltitico, vel Lot, à Septemtrione mari Galilæa, hoc eſt Tiberiadis: ipſa enim planities Iericho eſt valdè pulchra, & ſi culta eſſet, ad producendum apta omnia genera fructuum ea, vt à peritis in arte medica accepi, præcipuè ab Andrea Veſalio, qui ipſam vnà mecum peregrinatus eſt, ab aliisq; cum pluribus claſſu huius itidem intellexi. Reperiuntur omnia genera mirabulanarum, & lignum pretioſum, quod appellant ſpalato: poma aurea, arbores podobalſami innumera in ea ſunt. Arabes enim colligunt grana quædam in arboribus illis nata, & ex illis oleum exprimunt, ad dolores hypochondriacos, vel colicos ſanandos optimum: & ego expertus ſum in meipſo, & in Reuerendo Patre Fratre Ioanne Barbaro, valorem huius olei.* Hucuſque fuere Bonifacij verba.

Et Gregorius Epiſcopus Turonenſis libro 1. Mirac. cap. 18. inquit: *Prope Iericho habentur arbores, quæ lanas gignunt: exhibent enim poma in modum cucurbitarum, teſtas in circuitu habentia duras, intrinſecus autem plena ſunt lana. Et de his ferunt ipſi Ieſu. Nunc ſolere fieri indumenta. Sed & hodie tales exhibent lanas, ex quibus nos à quibuſdam delatas vidimus, & admirati ſumus vel candorem, vel ſubtilitatem earum.* Hæc ſanctus Gregorius.

Ego non vidi huiuſcemodi arbores, vel ſaltem ad eas non aduerti; quare alios percunctatus, qui in his partibus fuerunt, & in his curioſi valdè: & ad relata dixerunt, has arbores ideò dici producere lanam illam, quia in illis quidam vermes morantur illas fabricantes, ſicut apud nos in priuatis domibus bombyces ſericum conficiunt, &

hoc

hoc ipsos obseruasse. Fateor hæc non obseruasse, nec conuenire cum dictis à Gregorio. An omnia incuriâ habitantium consumpta sunt?

Commendatur etiam Iericho fertilitas, quòd apud eam singulariter balsamum oriretur. *Olim in vniuerso mundo*, inquit Cardinalis Vitriacus, *vinea balsami non nisi in Terra sancta, in loco qui dicitur Iericho, inueniebatur; procedente autem tempore, ab Aegyptiis translata est in campum ciuitatis Aegyptiæ, quæ Babylonia nuncupatur, & à Christianis sub dominio Saracenorum detentis excolitur. Dicunt autem Aegyptij, & experimento probauerunt; quòd si à Saracenis excolatur, illo anno sterilis permanet, quasi fructum facere dedignetur*, &c. Ita Vitriacus.

Vitriacus in Hist. Ierosol. c. 85.

Olim ibi balsamum oriebatur.

Iosephus plurimùm extollit fertilitatem agri Ierichontini, prouenientem tum ex ipsius soli fecunditate, tum vel maximè ex salubertimarum aquarum copiosissimo Iericho, posteà Elisei fonte: quem fontem ait aliquando, *non solùm terra atque lignorum fructus, sed etiam feminarum partum obtundere solitum, cunctaq; pariter morbo ac peste corrumpere; posteà verò mansuetuisse, contraq; salubertimum ac feracissimum esse factum ab Eliseo Propheta, qui Eliæ notus fuerat, atque successerat. Receptus*, inquit, *hospitio ab Ierichontinis, quòd humaniores eos expertus erat, ipsos & omnem illam regionem perpetua gratia remuneratus est: progressúsque ad fontem, lagenam fictilem salis plenam in profluentem aquam misit.* Et posti preces ad Deum fusas, *fontem immutauit: & qui anteà causa erat his orbitatis ac famis, idem victus ac fecunditatis auctor est effectus.* Ampliſſimam quoque planitiem irrigat, teste eodem Iosepho, atque optimos in ea paradisos ac densissimos educat, palmarumque irriguarum genera tam sapore quàm nominibus varia; quarum pinguissimæ calcibus pressæ plurimum mellis emittunt, non multùm alio melle deterius: quamquam & mellis altrix est illa regio, & opobalsami ferax, qui omnium carissimus est fructus ibi nascentium: itemque cyprum & mirabulanum gignit: vt, qui diuinum esse illum tractum dixerit, non erraverit; vbi & larga & optima generantur, quæ sunt carissima. Sed ne in alios ei fructibus aliqua facilè toto orbe regio certauerit; adeò multiplicatum, quod fatum est, reddit. Tanta est autem cæli temperies, vt quo tempore in alia Iudææ regione ningit, lino illic tantùm indigenæ vestiantur: distat autem ab Ierosolymis centum quinquaginta stadiis.

Ioſ. 5. Belli cap. 14.

Tom. Elisei.

Et quamuis feracitatem huius loci, fructuumque omnis generis abundantiam fonti per Eliseum sanato adscribat Iosephus; idem tamen lib. 4. Antiq. cap. 5. palmis ac balsamo abundasse eam regionem tradit Moysis tempore. Et sanè si à palmis, quibus abundabat vrbs Iericho, ciuitas palmarum appellata est, vt de eius nomenclatura agentes dicemus; cùm talem habuerit antequam fons ille ab Eliseo sanaretur, & Moysis tempore, credendum est, & illo palmis abundasse.

Suffragatur etiam in aliquibus Iosepho sanctus Bernardus in libro qui inscribitur *Speculum Virginum*; vbi testatur, fructus Ierichontinos vberiores esse & grandiores, quàm in aliis locis. Et Guilielmus Tyri Archiepiscopus lib. 11. Belli sacri cap. 15. ait, Iericho cum suis præeminentiis suo tempore, id est, circa annum Domini 1111. prouentum 5000. nummorum aureorum reddidisse. Hæc quidem & optima terræ gleba & aquarum copia talia ibi fuisse persuadent; sed in præsentia singularia ista non in ea cernuntur, & propter peccata, & propter incuriam, & incolarum segnitiem.

Præmium ex Iericho Christianorum tempore.

Celebrantur præterea communiter & apud Scriptores rosæ Iericho; de quibus Abulensis in cap. 6. Iosue quæst. 13. ait: Rosæ Iericho comantem ostentabant ad magnitudinem scutellæ florem, vnde Ecclesiastici cap. 24, 18. vbi agitur de excellentia arborum & herbarum, quæ in certis locis nascuntur, subiungitur: *Quasi palma exaltata sum in Cades, & quasi plantatio rosæ in Iericho*, &c.

Rosa Ierichontina celebra.

Christianus Adrichomius in Beniamin num. 63. dum de fonte Elisei in regione Ierichontina, vel propè scaturiente, agit, sequentia de his rosis scribit: *Prope hunc fontem arbores crescunt instar pruinorum, spinosæ tamen; in quibus flores nascuntur, quos rosas Ierichontinas vulgus appellat, mirandi effectus. Nocte enim Natalitia nostri Saluatoris paulatim inhiant, atque inde se recludunt, licet siccæ sint & aridæ, in testimonium virginei partus, vt credere licet Salig. Tom. 9. cap. 6.* Hæc Adrichomius. Etiam Princeps Radziuilius asserit, prædictas rosas Ierichonte nasci, & earumdem vsum mulieribus ad faciliorem partum mirificè conferre.

Radziuil. Peregr. Ierosol. Epist. 2. pag. 98.

Non inficior, apud Iericho nasci rosas commendabiles, & olim præsertim: verùm rosæ, quæ nunc in istis & aliis partibus rosæ Iericho communiter appellantur, non ex arboribus illis Ierichontinis carpuntur, vel ex Iericho deferuntur, vt in his partibus versati manifestè fatentur, sed ex terra ipsa immediatè euelluntur; & ipsarum pediculi sunt ipsarummet radices: & ego aliquando

Vbi oriuntur, vndè aduehuntur rosæ Ierichontinæ.

quando in desertis Arabiæ Petræ, cùm irem ad montem Sinai, aliquas non ex arboribus, sed ex terra ipsa euulsi; & quæ ex Ierusalem deferuntur, & rosæ Iericho appellantur, primò ex Ægypto & magna Cairo asportantur, vt manifestum est.

Terra Iericho nomen.

Campestria Iericho Deut. 34, 1. appellantur latitudo campi Iericho. Adrichomius in Beniamin num. 82. arbitratur esse desertum, cuius meminit Ieremias cap. 52, 8. nam cap. 39. eumdem locum vocat campum solitudinis. Et verè in priori loco vocat hanc planitiem solitudinem Ierichontinam, in posteriori verò desertum, quod est iuxta Iericho. Alij volunt planitiem Iericho appellari Galgala in sacris Litteris, vt Capite 111. huius Peregrinationis notauimus.

Iericho ciuitas quid.

Et quantum ad secundum, Iericho olim fuit regia magna & populosa ciuitas, sita in prædicta planitie, cui & nomen dedit; vna ex vndecim Toparchiis Iudææ, & sorte vltima in ordine in tribu Beniamin. Adeò erat murorum fortitudine munita, vt nec ferro nec arietibus olim expugnari potuerit; Deo tamen fauente expugnata & solo æquata fuit. Etenim cùm Iosue, Iudaici populi dux, cum Sacerdotibus tubis clangentibus, cum Arca fœderis septies Iericho circumdedissent, eius muri corruerunt; quam deinde Iosue cum populo suo ingressus, igne ac ferro succendit & euertit, Regemque eius suspendit: & reædificatori eius diuinam maledictionem imprecatus est, dicens: *Maledictus vir coram Domino, qui suscitauerit & adificauerit ciuitatem Iericho. In primogenito suo fundamenta illius iaciat, & in nouissimo liberorum ponat portas eius.* Quam non timens Hiel de Bethel, ex tribu Ephraim, multo pòst tempore eam reædificare voluit, sed diuinam vltricem manum non euasit; vt enim dicitur 3. Reg. 16, 34. *In diebus eius* (Achab) *edificauit Hiel de Bethel, Iericho: in Abiram primitiuo suo fundauit eam, & in Segub nouissimo suo posuit portas eius: iuxta verbum Domini, quod locutus fuerat in manu Iosue filij Nun.* Quare optimè S. Ambrosius libro 7. in cap. 10. Lucæ inquit: *Meminimus, quòd Iericho magna ciuitas fuerit, mirabilibus septa parietibus, quæ non ferro pernia, non ariete posset esse penetrabilis.* & infrà: *Vrbis autem eius inexpugnabiles muros, septem tubarum sacerdotalium sono, & populi iubilantis vlulatu consono corruisse.* Hæc S. Ambrosius.

A Iosue capitur, & succenditur.

Iosue 6, 26. Ædificanti maledicitur

Tempore obsidij Ierosolymitani destructa fuit à Vespasiano; postmodum verò ab Adriano restaurata: & tempore Hieronymi perdurabat.

Placet hìc adducere quod sanctus retulit Arculphus apud Adamnanum, qui post D. Hieronymum Iericho inuisit, circa annum Domini 690. *Iericho vrbs*, inquit, *quam Iesus, Iordane transmisso, subuertit, Rege illius interfecto. Sanctus noster Arculphus conspexit locum, pro quo Oza de Bethel ex tribu Ephraim aliam extruxit, quam noster Saluator sua præsentia visitare dignatus est. Quæ eodem tempore, quo Ierosolymam oppugnantes obsidebant Romani, propter ciuium perfidiam capta & destructa est; pro qua tertia condita est, quæ post multa temporum interualla & ipsa subuersa est. Cuius nunc quædam, vt Arculphus refert, ruinarum vestigia monstrantur. Mirum dictu, sola domus Raab, tribus in eodem loco destructis ciuitatibus, remansit, quæ duos exploratores, quos Iosue * Bennun transmisit, in solario eiusdem domus sua lini stipula abscondit; cuius lapidei parietes sine culmine permanent. Locus verò totus vrbis, ab humana desertus habitatione, nullam domum habens commorationis, segetes & vineta recipit. Inter locum eiusdem destructæ ciuitatis & Iordanem fluuium grandia insunt palmeta: in quorum medio campuli interpositi habentur, in quibus quorumdam Chananæa stirpis homuncionum prope innumera sunt fabricata habitantium domus.* Hæc ille.

De Locis sanctis l. 2. cap. 11. Beda c. 10. Ios. 6. 3 Reg. 16. sic scriptum est: *Ædificauit Hiel de Bethel Iericho.*

Raab domus seruata.

* Filium Nun

Cùm Terra sancta postremò à Christianis possessa fuit, & hæc ciuitas, quoniam Christi præsentia condecorata, restaurata fuit, atque Ecclesiasticæ ditioni tradita: habuit Episcopum suffraganeum, vt patet ex Tyrio lib. 11. Belli sacri cap. 15. & lib. 14. cap. 12. De illius primo conditore mihi non constat.

Reædificata sub Christianis Episcopali Sede decoratur.

In præsentia regia hæc quondam & opulenta ciuitas in pauperculam villam versa est, aulæ regiæ amplaque palatia in pauperculas domos & exigua tuguria à brutis Arabibus & rusticis Mauris habitata: sunt ibi & circa aliquæ palmæ & arbusta; & nisi esset terræ opulentia & fertilitas abundantibus aquis adiuta, inculta & deserta penitus remaneret. Est in via, qua vel ex Ierusalem ad Iordanem, vel ex Iordane Ierusalem itur. Distat ab Ierosolymis, teste Iosepho lib. 5. Belli cap. 4. centum quinquaginta stadiis, & à Iordane stadiis sexaginta; totumque habet ab Ierosolymis spatium desertum atque saxosum, &c.

In præsentia in pauperculam villam conuersa.

Distantia eius ab Ierusalem.

De nomenclatura verò huius ciuitatis dico, quòd à Iosepho lib. 5. Antiq. *Oza* appelletur, & l. 15. c. 5. & lib. 5. Belli cap. 4. à Ptolemæo verò *Iericus*. Deut. 34, 1. & Iudic. 1, 16. & 3, 13. *Ciuitas palmarum* dicitur. Nomen Hebraicum *Iericho* lunam significat, siue lunam deficientem vel odorem eius, vt inter-

Nomina.

interpretatur Sanctes Pagninus lib. de Interpret. nominum Hebraic. & odore balsami inclyta erat. Iosephus lib.4. Antiquit. cap. 5. *Ea*, inquit, *est vrbs copiosa, palmis abundans, & balsamum ferens.* & lib. 14. cap.7. *In Iericho palmeta sunt præstantissima; & opobalsamum prouenit inter vnguenta præcipuum, incisis acuto scrupo fruticibus*, &c. Hinc Arias Montanus Etymologiæ & naturæ rationem secutus, locum odoratum siue fragrantem significare dicit, inditumque hoc nomen fuisse vrbi illi, ob excellentem balsami naturam ex omni terrarum orbe vni illi patriæ concessam. Ægyptus quidem balsami quoque plantas gignit, minùs tamen generosas. Quare propter perpetuam præstantissimi odoris atque eximiam fragrantiam, credibile est, Iericho nomen vrbi isti fuisse impositum. Nunc ibi nulla est balsami memoria. Alij, vt Lyranus, ciuitatem culpæ interpretantur.

Balsamo Ægyptum præcellebat.

Ad tertium vt accedamus, memorabilia quæ in vrbe Iericho acciderunt, ex veteri & nouo Testamento accepta, sequuntur. Ciuitatem Iericho ingressi fuerunt Hebræorum exploratores, ab Iosue missi ad eius terram considerandam; quos Rahab meretrix occultè in domum suam recepit, & dimisit incolumes, quæsitos ad mortem à Rege vrbis Iericho: ob quam gratiam Rahab cum domo sua à cæde & incendio liberata fuit, cùm capta ab Hebræis Iericho gladio & igni tradita fuit, vt ab ipsis exploratoribus poposcerat: quin posteà nuptui tradita est Salmon Principi tribus Iuda, & cum familia sua vixit in medio filiorum Israël, vt in libro Iosue videre est. In hac vrbe hospitatus fuit Eliseus. In campestribus Iericho Iudæi, postquam siccis pedibus Iordanem miraculosè transierunt, vt dicitur Ios. 4. castrametati fuere contra Orientalem plagam vrbis Iericho; omissaque anteà circumcisio, ibi in Galgalis facta fuit. In campestribus Iericho cùm Iudæis manna defecisset, cœperunt comedere de frugibus terræ azymos panes, & polentam eiusdem anni. In eisdem, Iosue cùm oculos eleuasset, *vidit virum stantem contra se, euaginatum tenentem gladium, perrexitque ad eum, & ait: Noster es, an aduersariorum? Qui respondit: Nequaquam: sed sum Princeps exercitus Domini, & nunc venio. Cecidit Iosue pronus in terram. Et adorans ait: Quid Dominus meus loquitur ad seruum suum? Solue, inquit, calceamentum tuum de pedibus tuis: locus enim, in quo stas, sanctus est. Fecitque Iosue vt sibi fuerat imperatum.* Hîc, ad Eliæ & Elisei imperium, stantibus ex vtraque parte Iordanis aquis, iter vnda

Operata in Iericho, ex veteri Testamento: Ios. 2, 1.

Ios. 5, 13.

præbuit, 4. Reg. 2, 8. In eisdem campestribus Sedecias Rex Iuda, qui fugit ex Ierusalem, captus fuit à Chaldæorum exercitu, & ad Regem Nabuchodonosor in Reblatha ductus; & ibi eius exercitus dispersus fuit, 4. Reg. 25, 4. & Ier. 32, 2. & 52, 8. Et hæc quidem ex veteri Testamento.

Ex nouo Testamento pauca hæc accipe. Christus apud Iericho cæco visum restituit, Luc. 18, 35. domum Zachæi intrauit, ibidem cap. 19, 1. & alios duos cæcos illuminauit, Matth. 20, 29. & Marc. 10, 46. & non semel per eam transiuit. Et plura in Iericho, in eius campestribus, operata esse credimus: quare tam hæc quàm illa plurimùm æstimantur. Lege Adrichomium in Beniamin num. 81.

ex nouo.

CAPVT XI.

De fonte Elisei Prophetæ, decimo loco sextæ Peregrinationis.

FLuunt è pede montis Quarantanæ, vel ex Galgalis, superiúsve, secundùm diuersa Auctorum placita, originemque trahunt aquæ quædam; quæ præterfluentes ad radices dicti montis, in vnum locum ex parte collectæ fontem efficiunt, qui nedum ab huius regionis incolis, sed etiam ab exteris communiter fons Elisei vocitatur. Crescunt circa ipsum plantæ & arbusta varia; & ad eum se recipiunt peregrini, vt se reficiant & oblectent, postquam sanctum Quarantanæ Domini montem sunt venerati.

Post venerationem montis Quarantanæ, ad Elisei fontem se recreant peregrini.

Huius fontis nominis ratio illa esse creditur: quòd cùm ante Elisei tempora illius aquæ amaræ & insalubres essent, meritis & ministerio Prophetæ dulcissimæ & salubrimæ redditæ fuerunt. Rem gestam refert sacra 4. Regum Historia in hunc modum: Cùm sanctus Propheta Eliseus à Iericho ntinis habitatoribus rogatus fuisset, vt terram Iericho, ad habitandum optimam, meliorem etiam redderet aquarum dulcium beneficio; erant enim amaræ, & ideò terra sterilis; illorum precibus annuens vir Dei, immisso in profluentem sale, eas sanauit, optimasque & salubrimas effecit. Quare ex tali miraculo aquæ istæ nomen fontis Elisei retinuerunt. Hæ ductæ in varios riuos, hortos & campos huius regionis irrigant & fecundant; quæ tandem in Iordanem fluunt. Fecunditatem Iericho ntini agri Iosephus, Capite præcedenti relatus, tribuit singulariter salubritati huius fontis.

Ratio nominis.

Sale dulces facit aquas Eliseus.

Regionem fecundant, & in Iordanem defluunt.

Plura de fonte isto traduntur ab aliquibus, præsertim de magna aquarum copia, quibus

Digitized by Google

quibus etiam ipſa magna vehantur molendina; quæ tamen noſtris calamitoſis temporibus non videntur: id fit ob incolarum torporem & negligentiam, vel alia cauſa; me latet; fuiſſe tamen, probabile eſt credere, propter aquæductus aliaſque demolita vetuſta ædificia, quæ circa & non longè ab eo cernuntur. Agit de eo Adrichomius in Beniamin num. 63.

CAPVT XII.

De ſacro Quarantanæ monte Chriſti Domini, vndecimo loco ſextæ Peregrinationis.

STatim ac Chriſtus Ieſus Dei Filius in Iordane à Ioanne baptizatus eſt, plenus Spiritu ſancto regreſſus eſt à Iordane: & agebatur à Spiritu in deſertum diebus quadraginta, & tentabatur à diabolo; & nihil manducauit in diebus illis. Et conſummatis illis eſuriit, vt verbis vtar D. Lucæ cap. 4. De quo deſerto, & ſpeciali loco pœnitentiæ, orationis, ieiunij & tentationum Chriſti, cuius ſacri Euangeliſtæ Matth. 4, 1. Marc. 1, 13. & Luc. 4, 1. meminerunt, in præſentia à nobis tractandum eſt.

Quarantana deſertum & mons.

Sed priùs notandum, aliud eſſe, loqui de deſerto Quarantanæ, & aliud, de Quarantanæ monte; ſicut aliud eſt, loqui de magis & minùs communi, de loco communi & proprio: etenim deſertum Quarantanæ locus communis eſt, mons verò proprius.

Deſertum quid.

De Quarantanæ deſerto quæ ſequuntur, ſcribit Adrichomius in Beniamin numero 97. *Quarantana deſertum inter Ieruſalem & Iericho, incipit iuxta Anathot, & extenditur ſupra Galgala, vſque ad deſertum Thecua & Engaddi iuxta Mare mortuum. Hîc commoratus eſt ſanctus Ioannes Baptiſta; inibiq; in eius memoriam extructa fuit Eccleſia & monaſterium, quod Graci Monachi inhabitabant; ſed temporibus Breidenbac. erat deſolatum. Ibi venientem ad ſe, vt baptizaretur, Chriſtum digito demonſtrauit Ioannes: Ecce Agnus Dei. In hoc Chriſtus ieiunauit quadraginta diebus & noctibus, agens & habitans cum beſtiis.* Hæc ille. Et in eodem plures ſanctos Monachos, ſolitariosque ſanctos viros, ad exemplum Chriſti, Eliæ, & Ioannis, pœnitentiam egiſſe firmiter tenendum: & notatur ab Auctore Epitomes Bellorum ſacrorum. Et nonnullos noſtris biſce temporibus cognoui, qui paucis leguminibus contenti, in pœnitentia vixerunt quadraginta diebus, ad Chriſti imitationem, ſuper ſanctum Quarantanæ montem.

Mons quid.

De Quarantanæ verò monte quædam ex aliis, alia ex obſeruatis à nobis hîc ſubijciemus. Mons iſte eſt prope fontem Eliſei; qui ex illo fluere creditur, vt dictum eſt Capite præcedenti: altiſſimus eſt inter Iudææ montes, aſcenſuque difficilimus: hinc eſt quod plurimi, difficultate perterriti, qui ad ipſum peregrinantur, non aſcendunt, à longè tantùm ſalutantes. Et reptando aſcenditur ad Chriſti locum. A parte Orientali præceps & profunda vallis eſt, quæ vel aſcendentes vel deſcendentes eius aſpectu terret. Ex hac eadem Orientali plaga tria ſunt antra: duo priora maiora ſunt; tertium, quod altius eſt, multò minus eſt. Et hæc in ſacella conuerſa Helena ſancta M. Conſtantini mater: & picturis exornata erant; quæ in præſentia pro maiori parte demolitæ. In ſuperioti creditur fuiſſe Chriſtum, quando ad eum acceſſit tentator, & dixit ei: *Si Filius Dei es, dic vt lapides iſti panes fiant.* Eſt ibi altare, vbi aliquando Miſſa celebratur, vel, ſi facultas non ſupperit, cantatur Euangelium primæ Dominicæ Quadrageſimæ: *Ductus eſt Ieſus in deſertum à Spiritu, vt tentaretur à diabolo*, &c. De eo agit Adrichomius loco citato num. 98.

Vbi de gula fuit Chriſtus tentatus. Matth. 4, 3

Matth. 4, 1

Iuxta hoc ſacellum, vel capellam, quam Bonifacius maiorem vocat, fortè dignitate, non quantitate & ſitu, eſt ciſterna, vbi ſancti Anachoritæ aquas pluuiales recipiebant.

Ibi ciſterna.

Suprà in cacumine montis eſt ruinoſum aliud ſacellum: in cuius ſitu tertiò fuit Chriſtus à ſatana tentatus, vt adoraret eum; quem confuſum & victum fugauit, vt docet communis harum partium traditio; & eadem tradit Bonifacius. Quamuis Adrichomius loco memorato num. 90. ex aliorum ſententia dicat, locum huius tertiæ tentationis eſſe montem diſtantem à Quarantana duobus milliaribus, à latere Auſtrali Bethel & Hai. Verùm, ſi aliud non obſtat, libentiùs aſſentimur communi traditioni & oculato teſti Bonifacio, in traditionibus Terræ ſanctæ verſatiſſimo. Loquitur iſte de monte Quarantanæ in primo & ſecundo libro de Perenni cultu Terræ ſanctæ; ſed quæ in primo dicit, hîc tibi ſubijcio.

Vbi de idolatria fuit Chriſtus tentatus.

Hinc progredientibus, id eſt, à vaſta ſolitudine & monaſterio D. Hieronymi, *ad Occidentem, aliquantulùm ad Septentrionem declinantibus, occurret mons altiſſimus, Quarantana ab incolis locorum illorum nuncupatus; ob id, quia Chriſtus locum illum præſentia decorauit, & quadragenario dierum noſtrumq; ieiunio noſtrum ieiunium in eo conſecrauit; & ſua tentatione, noſtræ videlicet, carnis, mundi & diaboli tentationes ſuperauit.*

nis. In isto monte est antrum quoddam, in quo, vt piè creditur, sepiùs Christus orauit: ibi est altare, & imago illius elegantissima parieti depicta. Sunt iuxta & alia duæ capellæ, imaginibus ab Helena sancta Magni Constantini matre adornatæ.

Spelunca vbi Sanctorum corpora mirabiliter dispositæ.

In eodem monte est etiam quædam magna spelunca, sepulchrum pœnitentium, id est, Anachoritarum, vocata: ibi enim innumera sunt corpora, quibus nec capillus in capite deest, Sanctorum enim sunt in pace sepulta, intacta, vt prædixi, adhuc permanent: quidam in Domino obdormientes oculis ad cælum leuatis, quidam genibus flexis, alij autem in crucis modum manibus extensis vinos referunt. Spectaculum certè, quod firmas iustos in iustitia, bonos in bonitate, pœnitentes in pœnitentia. Spelunca illa his gemmis exornata lucet, vt lux in tenebris, seruata à Christo, & custodita ab Angelis eius.

Prædicti in cacumine montis est capella quædam, in loco vbi Christus delatus à diabolo tentanti, vt adoraret ipsum, regna mundi & gloriam illorum promittenti, dixit: Vade satana, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Ibi in imagine Christi ab Helena parieti picta cernitur & diabolus confusus sub pedibus eius. Hucusque fuere Bonifacij verba.

In quibus, primò nota, non tantùm montem illum peculiarem & sacrum Christi quadragenario ieiunio, Quarantanam appellari, sed etiam alios proximos vel continuos montes & solitudines sibi tale nomen comparasse.

Alia alibi similia.

Secundò nota, miraculum illud de sanctis illis corporibus non esse à Dei consuetudine alienum: intelleximus enim ex historiis fide dignis, & propriis oculis intuiti sumus Sanctorum aliqua corpora palpabilia, quibus nec capillus deest, æternæ vitæ imaginem præ se ferentia, vt B. Patris nostri Francisci, B. Margaritæ de Cortona, B. Catharinæ de Bononia, & aliorum complurium.

Ego non semel montem hunc sacrum ascendi; tamen in illam speluncam descendere non potui: verùm esse Sanctorum corpora, vt vidit & describit Bonifacius, à fide dignis Sacerdotibus Maronitis & aliis, qui illa se vidisse, vt dictum est, testati sunt, intellexi. Simile accepi de trecentis aliis corporibus virorum & mulierum, quæ in conuentu *Mar. Eughen* asseruantur, cuius suprà memini Cap. x. 11. Peregrinat. quæ integra manent cum capillis, barba & dentibus, vt se vidisse testatus fuit mihi Præfectus illius conuentus, quando ostium loci muro clausum fuit.

Nota tertiò, imagines, quæ in alta inferiori capella depictæ fuerunt, esse Saluatoris, Virginis Mariæ, sancti Ioannis Baptistæ, & Angelorum, vt docet idem Bonifacius loco citato lib. 2.

Distantia Quarantanæ à Iordane & Ierusalem.

D. Bonauentura de Vita Christi cap. 161 dicit, locum, in quo fuit Christus baptizatus, distare ab Ierusalem decem & octo milliaribus; montem verò ieiunij, à loco baptismatis milliaribus ferè quatuor, vt ibidem docet cap. 17. Teste autem Aranda oculato inspectore cap. 27, à Iericho duobus tantùm milliaribus separatur: propè minori quàm milliaris vnius spatio distans fons cernitur Elisei. Brocardus 1. Part. cap. 7. §. 28. *Ex Galgala*, inquit, *ad dimidiam leucam, tendendo in Iericho, ad dexteram iuxta viam est mons dictus Quarantana; vbi Saluator mundi quadraginta diebus & noctibus cibum nullum sumpsit: altus est nimis, & ascensu difficilis. Sub Quarantana ferè iactu duorum arcuum oritur fons Elisei, &c.*

Incedendo per aliam viam ex Ierusalem, qua hisce temporibus non incedunt peregrini in comitatu, quia primò ad Iordanem proficiscuntur, distabit mons iste ab Ierusalem milliaribus decem & octo, vt dixit S. Bonauentura, & fortè ampliùs; at modò plus itineris in accedendo ad eum conficitur. Et citati Auctores parum variant in assignanda illorum locorum distantia: & varietas prouenire potest ex eo quòd non ab eodem loco fontis Elisei qui fluit distantiam metiti sunt; & fortè, quia de loco baptismi Christi Domini diuersimodè opinati fuere. Et hæc de sacro Quarantanæ monte satis.

CAPVT XIII.

De Mari mortuo, siue Asphaltite, duodecimo loco sextæ Peregrinationis.

DE Mari mortuo, quod licet propè ordinariè haud videtur ab euntibus ad Iordanem, vel temporis inopiâ, vel potiùs quòd ductores ægrè eò se conferunt; à longè tamen cernitur: quare pauca de eo dicere proposui, ne aliqualis eius notitia hîc desideretur; præsertim quòd ex proposito, alio tempore ex aliis partibus ad eum se conferunt peregrini, & in his partibus habitantes. Et est Orientalis Terræ sanctæ terminus: qui tamen plura scire voluerit, alios consulat, vt Iosephum lib. 5. Belli c. 5. Tacitum lib. 12. prope initium, Strabonem lib. 16. post medium, & præsertim Adrichomium in Iuda num. 186. qui ex pluribus plura collegit. Tangam nihilominùs non obscurè aliqua de eius origine, situ, appellatione, & naturali conditione.

Et

Maris mortui origo.

Et vt de huius maris origine priùs agamus, sciendum est, in extrema parte Orientali tribus Iudæ & Terræ sanctæ esse aquarum congregationem auctam ex Iordanis aquis in ipsum fluentibus, in regione olim pinguissima & amœnissima velut Paradiso Domini, sed infecunda & abominabili reddita ob inhabitantium execranda flagitia. Etenim temporibus Abrahæ & Lot in Orientali parte Terræ sanctæ circa Iordanem erat regio omnium amœnissima & fertilissima; irrigabatur enim salubertimis & fecundissimis aquis, sicut Ægyptus, & olim terrestris paradisus, vt dicitur Genes. 13. Vallis siluestris appellata, vbi erant opulentissimæ ciuitates: quæ, ob illarum abundantiam, otio, saturitate, luxuria, aliisque sceleribus indulgentes Deum dereliquerunt; à Deo pariter derelictæ, in cinerem redactæ & euersæ, in exemplumque eorum, qui impiè acturi sunt, positæ, vt dixit S. Petrus: & Apostolus Iudas in sua Catholica Epistola clariùs asserit, eas factas esse exemplum, ignis æterni pœnam sustinentes. Illud autem in hunc modum contigit.

Vbi Mare mortuum olim deliciosa regio.

1. Pet. 2, 6. Iudæ 1, 7.

Gen. 18, 1. & 19, 1.

Duo illi Angeli, qui sub humana specie ad Abraham diuerterunt, & à quibus intellexit supplicium, quod de Pentapolitanis ciuitatibus sumere debebant, vespere illius diei Sodomam peruenerunt: quibus iustus Lot obuiàm factus, coëgit in domum suam diuertere: cumque illis epulum tamquam peregrinis peramanter præbuisset; ecce pessimorum illorum hominum concursus, à puero vsque ad senem conspiratione facta in malum nulla venia dignum, ad iusti viri domum confluit: eam vndequaque vallantes, exclamant pariter omnes, vrgentque educi iuuenes illos, vt in eos libidinem suam exercerent. His valdè commotus sanctus Lot, egreditur, clauso post se ostio: & blandis verbis illorum insaniam sedare satagens, vt vidit se nihil proficere, in tantam incidit animi perturbationem, vt pro hospitibus seruandis, proprias filias virgines eis obtulerit illudendas; quæ tamen à Domino seruatæ fuerunt, nec in eas tantum malum exerceri permisit Dominus. Intactis igitur virginibus illis relictis, deque illis nihil curantes perditi illi homines, cùm pertinaciùs in priori petitione persisterent, ab Angelis fuerunt cæcitate percussi; & ostium, quod infringere affectabãt, minimè inuenientes, ad proprias domos redierunt, incolumi atque incontaminata viri iusti domo relicta.

Pentapolis subuersio Abrahæ manifestatur.

Infamia libidinis Sodomitarum.

Lot de hospitibus cauta.

Angeli manifestant Lot Pentapolis sub-

Post hæc, Angeli admonere cœperunt Lot de interitu ciuitatis; & vt, si quos haberet de suis, aut ad se pertinentes, curaret secum inde educere, ne perirent. Egressus *uersionem & ad sibi suaq; familiæ consulendum hortantur.* à domo Lot, futurum euentum iis, quibus filias suas spoponderat, nuntiauit: qui ludicra & minimè credibilia arbitrati, egredi noluerunt. In crastinum autem summo manè cogebant Angeli Lot suosque vt citò surgerent, atque exire festinarent: qui cunctari ac dissimulare videbantur, donec ab ipsismet Angelis manu ducti, vt egrederentur quodammodò compulsi sunt.

Egressi verò de ciuitate, præceperunt ijdem Angeli, ne retrò respicerent, sed ad montana properarent; quoniam totam Pentapolim in illa planitie positam perdere volebant: verumtamen obsecrante Lot pro Bala (cuius fit mentio Gen. 14, 2, 8.) eò quòd inter Pentapolitanas ciuitates minima esset, fortassis minùs flagitiosa, pepercerunt vrbi illi, vt in eã Lot cum suis tutò se posset recipere; quæ idcircò posteà dicta est Segor, id est, parua. Statim autem ac Lot, exorto iam sole, ingressus est Segor cum filiabus suis, vxore adhuc in via existente, vt probabiliter creditur, & Capite sequenti explicabimus: ecce Dominus mirabili quodam & numquam priùs audito portento, super reliquas quatuor Pentapolis ciuitates, *Sodomam*, *Gomorrham*, *Adamam* & *Seboim*, vt clarè dicitur Deut. 29, 23. & super pagos & municipia earum, cælitus pluit aquam sulphuream salitamque & feruentem magno impetu atque copia; & non sine ingenti (vt creditur) terræmotu, qui, patefacta terra, absorptisque ciuitatibus, lacum ibi dirum atque pestiferum, de quo nunc agimus, effecit. Sicque tota illa regio penitus exusta & subuersa est in momento, vt dicitur Thren. 4, 6. amœnissimaque & fertilissima regio versa est in salsuginem; quemadmodum posteà fuit Dauid vaticinatus Psalm. 106, 34. *Terram fructiferam in salsuginem, à malitia inhabitantium in ea.* id est, in mare salis, vt apertè dicitur Genes. 14, 3. Et ita sentiunt Iosephus lib. 1. Antiquit. cap. 10. B. Hieronymus in Quæstionibus Hebraicis in Genesim: & est communis opinio, quam defendit Pererius contra Caietanum & Oleastrum in cap. 14. Genes. num. 12. & 13. Et hæc de Maris mortui origine.

Lot de Sodoma egresso, nobilis regio subuertitur, & in salsuginem vertitur.

propter inhabitantiũ peccata.

De eiusdem autem natura & conditione hæc accipe ex Brocardo 1. Par. c. 7. §. 35. *Mare mortuum*, inquit, *semper est fumans & tenebrosum sicut os inferni, sicus oculis meis vidi, ob tetrum vaporem inde fumantem: vallis illa, qua in Gen. cap. 14. illustris dicta est; & verè sic erat à termino huius maris secus desertum Pharan; vsque supra Iericho per mediam diatam: ferè sterilis & inutilis reddita est, ita vt ne germen quidem*

Maris mortui natura.

producat in ſui latitudine: quæ alicubi quinque leucarum eſt, alibi ſex; præterquam iuxta Iericho, vbi cannamella, & horti, & viridaria ſunt, irriguante fonte Eliſei. Tanta verò calamitas ei regioni accidit, in execrationem peccati Sodomorum, quod Deus tot ſeculis vltiſcitur, vt etiam regio ipſa pœnas luere perpetuò videatur. A dextris inſuper & à ſiniſtris montes ſteriles ſunt & aridi, vel barbara habitationes per multa & longa terrarum ſtadia, quatenus ſcilicet exitialis ille vapor impellente vento pertingere poteſt. Hæc Brocardus.

Latitudo & longitudo.

Eius latitudo, inquit loco indicato Adrichomius, *eſt quinque, vt alij volunt, ſex milliariorum; longitudo autem iter habet quatuor aut quinque dierum. Ioſephus verò dicit eius longitudinem eſſe quingentorum octoginta ſtadiorum, ad Zoara vſque Arabiæ; latitudo verò eſt centum quinquaginta ſtadiorum. Suffragatur Adamnanus ex Arculpho de Locis ſanctis lib. 2. cap. 15. qui maritimam huius lacus frequentauit oram.* Hæc ille. Sed eius conditionem ampliùs intelligemus ex aſſignatione rationis vel interpretationis nominum, quibus appellatur; quam nunc ſubijcimus.

Nomina, & etymologia.

Dicitur *Mare mortuum*, *Mare ſalſum*, *Salis*, & *Salinarum*; *Araba*, quod Latinè *ſolitudinis*, ſiue *deſerti*; item *Mare primum*, *Orientale*, *Sodomiticum*, & *lacus Aſphaltites*, id eſt bituminis. Mare lacus iſte appellatur ſecundùm conſuetudinem Hebræorum, qui quamlibet aquarum multitudinem, vel collectionem, mare appellant; mortuum verò, ob eius peſtilentem naturam, quoniam nullum animal producit, vel intrà ſe conſeruat. Vnde piſces, quibus abundat Iordanis, illuc cùm aquarum impetu delati fuerint, vt guſtauere peſtilentem aquam, ſtatim aut renatant, aut inibi moriuntur, vt B. Hieronymus in cap. 47. Ezechielis alijque Auctores ſcriptis conſignarunt.

Salſiſſima illius aqua.

Mare ſalis, & ſaliſſimum, propter eminentem ſalſedinis ſaporem: & experti id verè teſtati ſunt. An verò ſit ſincerum, ſed nitroſum, & ob ſulphuris mixtionem abominabile, vt quidam dixerunt, non video. Scio, abſque offenſa vel nauſea, aliud ſal ab illo Maris mortui Ieroſolymis non conſumi.

Aliquorum dictum reijcitur.

Quomodo verò hoc ſal efformetur, ex Arculpho ſequentibus explicauit Adamnanus de Locis ſanctis lib. 2. cap. 14. *Mare mortuum in magnis tempeſtatibus colliſione fluctuum ad terras, ſal efficit per illius circuitum maris abundanter haberi; quod non ſolùm vndique vicinis, ſed etiam longè poſitis nationibus magnum profectum præbet, ſolis calore ſatis ſufficienter valdè ſiccatum.*

Sal ex aquis Maris mortui quomodo efformetur.

Aliter verò ſal in quodam Sicilo monte haberi ſolet: nam illius montis lapides de terra euulſi, verum naturaliter ſalſiſſimum ſal eſſe guſtu comprobatur, quod propriè nominatur ſal terræ. Aliter verò ſal maris, atque aliter ſal terræ vocari ſolet. Inde & Dominus in Euangelio per ſimilitudinem ad Apoſtolos dixiſſe creditur: Vos eſtis ſal terræ, &c. De hoc itaque ſale terræ in Siciliæ monte reperto nobis ſanctus intimauit Arculphus, qui illud, aliquos dies in Sicilia manens, viſu & guſtu atque tactu comprobauit eſſe verum & ſalſiſſimum ſal. Hæc Adamnanus.

Mare ſolitudinis nuncupatur: vel, vt aliquibus placet, quia ob tetrum illum pernicioſumque vaporem nauigari non poteſt; vel, quod mihi probabilius videtur, quia non ſolùm vallem illam, quæ erat velut paradiſus Domini, ſed etiam circumiacentem regionem in deſertum & ſolitudinem redegit. Dicitur Mare Orientale Ezech. 47. quoniam eſt in Orientali plaga Ieruſalem & Terræ ſanctæ, vt Mediterraneum in Occidentali, vt in eum locum dicunt Expoſitores ſacri; & ſenſus docet. Sodomiticum, ab inſigni facinoroſaque ciuitate ibi ſubuerſa, id eſt, Sodoma. Denique lacus Aſphaltites, ſiue bituminis, nuncupatur, propter bitumen quod emittit ad varios hominum vſus opportunum. Lege Auctorem Hiſtoriæ ſcholaſticæ in Gen. cap. 43.

Adhuc alicubi in eo cernuntur ruinæ domorum vel vrbium, vt, qui ipſas viderunt, retulerunt mihi, addentes multa de eo mari dici, quæ ſenſus & experientia reijcit. Ad quæ fortè alludens illorum expertus Frater Anſelmus Minorita in ſua Terræ ſanctæ deſcriptione, loquens de iſto mari ſequentia ſcripſit: A Iordane, vbi baptizatus eſt Chriſtus, contra Auſtrum eſt mare mortuum: & habet iſtud mare, videlicet, ab Aquilone in Auſtrum, in longitudine DC. vel quinque dietas; in latitudine verò habet quinque leucas, id eſt, quatuor milliaria fortè noſtra, vel C V. ſtadia; ſed tamen apparet paruum. Et diſtat iſtud mare à Iericho ad duo milliaria noſtra, vel minùs modico. Et inter Iericho & Mare mortuum eſt clauſtrum S. Hieronymi in vaſta ſolitudine: cuius clauſtri adhuc ſtant parietes & teſtudines: iam comellitur, & labitur. Illud mare dicitur mortuum, quia non decurrit, ſed eſt velut lacus, & eius aqua eſt amara. Et ſcribunt multi in cartellis ſuis quòd eſſet aqua fœtida; & propter eius amaritudinem, terra adiacens littoribus nihil viride profert: ſed ego ibi lauans pedes, vidiq; lauare Mauros exutos & Græcos, nihil expertus ſum de fœtore aquæ, imò

Digitized by Google

ſmò vidi ibi in littore virentia gramina, vulgariter *lexa*, vbi poſſent animalia pabulari; & non aliàs vidi in Terra ſancta talem paſtum pro iumentis, &c.

Nefandi criminis deteſtatio.

Circa iam dicta duo notanda ſunt: alterum, adeò verum eſſe, in netandi criminis deteſtationem, relictam eſſe circa hoc mare terram infecundam, ſignaque dare iuſti diuini iudicij, vt præter dicta ex Brocardo, & nunc, quando peregrini vadunt ad Iordanem, & quieſcunt ferè in medio viæ apud locum S. Moyſis, ex lapidibus ignem faciunt velut ex lignis: qui lapides terræ Sodomorum appellantur; & valde fœrent. Et ad hos fortè reſpexit Strabo lib. 16. dum loquens de regione quæ circa hoc mare eſt, inquit: *Quòd autem regio ignea ſit, permulta alia ſigna afferunt: nam & petras aſperas exuſtas circa Maſada oſtendunt*, &c. Idem teſtatur Tertullianus carm. de Sodoma cap. 4. Et peregrini ex ipſis accipiunt; &, in teſtimonium veritatis, ad propria deferunt.

Lapides combuſtibiles, & fœtentes.

Et Ioſephus de his & aliis ad intentum ſpectantibus ſequentia ſcribit lib. 5. Belli cap. 5. *Huic* (Mari mortuo) *Sodomitica terra vicina eſt; olim quidem tam fructibus quàm diuitiis ciuitatum fortunata, nunc autem omnis exuſta, vt quæ habitatorum impietate fulminibus conflagraſſe memoratur. Denique adhuc in ea diuini reliquias ignis, & oppidorum quinque videre licet imagines, & renaſcentes in fructibus cineres; qui colore quidem ſunt edulibus ſimiles, carpentium verò manibus in fumum diſſoluuntur, & cinerem.* Ita Ioſephus.

Nefandi ſceleris & diuini iudicij perpetuum teſtimonium.

Credendumque eſt, dictæ regionis infelicitatem, meritam tanti ſceleris pœnam, vſque ad ſæculi conſummationem duraturam; vt in cunctis futuris generationibus innoteſcat fœda illarum ciuitatum iniquitas, & æterna eius punitio, ad æternam ipſarum confuſionem & ignominiam, atque ad aliorum correptionem. Vnde eſt illud Sapient. 10, 7. *Quibus* (& loquitur ibi de Pentapolitanis vrbibus) *in teſtimonium nequitiæ fumigabunda conſtat deſerta terra, & incerta tempore fructus habentes arbores.* hoc eſt, vt ibidem exponit Lanſenius, imperfecta & inconſummata pulchritudine & maturitate fructificantes arbores, vt iam ex Ioſepho dictum eſt.

Ob nimiam ſalſedinem peſſimamque naturam ſterile.

Alterum notandum eſt, hoc mare non propter ſimplicem ſalſedinem ſterile eſſe, nihilque quod viuat producere, vel conſeruare; nam Mare magnum ſalſum eſt, valdè ſalubre, & plurima animalia producit, & conſeruat; ſed propter nimiam ſalſedinem, maleolentiam, peſſimamque illius conditionem.

CAPVT XIV.

De vxore Lot, quæ prope Mare mortuum in ſalis ſtatuam conuerſa eſt, decimotertio memorabili ſextæ Peregrinationis.

NOn iniucundum arbitror futurum Lectori, ſi aliqua dixero de vxore Lot in ſtatuam ſalis conuerſa prope Mare mortuum. De qua tria dicam: alterum, quid ſit vxorem Lot conuerſam fuiſſe in ſtatuam ſalis: alterum, vbi conuerſa fuerit: tertium denique, an adhuc illa ſtatua extet.

Quid ſit, vxorem Lot verſam eſſe in ſalis ſtatuam.

Quantum ad primum, dicitur Geneſ. 19. v. 26. *Reſpiciensque vxor eius* (Lot) *poſt ſe, verſa eſt in ſtatuam ſalis*. Hic locus varias habet interpretationes. Quidam dicunt eſſe figuratam locutionem, alij propriam. Qui figuratam ponunt, dupliciter exponunt. Aben Eſra (Pererio in hunc locum referente) putat ſignificari eam mulierem periiſſe igneo illo imbre cælitus miſſo, qui admixtum habebat ſulphur & ſal: firmatque hanc interpretationem teſtimonio ipſius Moyſis, qui Deutetonom. 29, 22. tradit, Sodomam ſulphure & ſale perditam fuiſſe.

Tres ſententiæ.

Prima, quia ſulphure & ſale admixto perit.

Reiicitur.

Verùm nimis dura eſt interpretatio, inquit Pererius, quia mulier illa perit imbre igneo, ſulphure ſale admixto, propterea verſam eſſe in ſtatuam ſalis. Nam cur non in ſtatuam ſulphuris? aut cur non omnes Sodomitæ, qui eodem illo imbre percuſſi ſunt, & iumenta eorum, ac ciuitates, dicuntur in ſtatuam ſalis, vel in ſalem conuerſæ? Et quare, ſi idem fuit vltionis modus illarum ciuitatum, & vxoris Lot, non ſimiliter explicuit Scriptura? Præterea ſi verè in ſtatuam ſalis non fuiſſet conuerſa, quomodo talis videri potuit à poſteriotibus?

Reſponſio ad rationem primæ ſententiæ.

Nec auctoritas Deutetonomij huic ſuffragatur ſententiæ: etſi enim dicat Sodomam ſulphure & ſale perditam fuiſſe, non tamen id dixit de vxore Lot; ſed bene alia auctoritas Geneſis adducta dicit verſam fuiſſe in ſtatuam ſalis.

Secunda, quia remanſit perpetuum monumentum.

Alij per ſtatuam ſalis interpretantur monumentum quoddam eius rei incorruptibile, & perpetuò manſurum. Nam vt ſal à putrefactione & corruptione ſeruat corpora; ita pactum, vel monumentum, vt incorruptibile fore ſignificetur, appellatur ſalis. Ad quod probandum, plurimùm valet quod ſcriptum eſt in libro Numer. 18, 19. *Omnes primitiæ Sanctuarij, quas offerunt filij Iſrael Domino, tibi dedi, & filiis ac filiabus tuis, iure perpetuo. Pactum ſalis eſt ſempi-*

ſempiternum coram Domino. Pactum ſalis appellauit, id eſt, fœdus inuiolabile, vt declaratur voce illa, *ſempiternum*. Sal enim ſymbolum eſt perpetuitatis; quoniam vim habet conſeruandi carnes per longum tempus. Ergo, ſecundùm hanc expoſitionem, vxor Lot verſa eſt in ſtatuam ſalis, id eſt, in monumentum quoddam inobedientiæ atque incredulitatis eius, ſimulque diuinæ iuſtitiæ ac vindictæ perpetuò manſurum, tamquam fidelißimum teſtimonium omni poſteritati ac ſalubertimum documentum. Et hanc ſententiam habet eo loco expreſſam Thargum Ieroſolymitanum ſequentibus verbis: *Vxor Lot fuit de filiis populi Sodomæ, quæ reſpexit poſt ſe, vt videret quidnam futurum eſſet cum domo patris ſui; atque ita factum eſt, vt facta ſit columna ſalis, duratura vſque ad tempus reſurrectionis, quo mortui reuiuiſcunt.* Et verè multùm duraſſe apparebit ex ſolutione tertij quæſiti.

Quomodo admitti & reiici debeat.

Si hæc ſententia ſic intelligatur, quòd figurata ſit, at cum hoc etiam propria, vera eſt: etenim ad aliquid ſignificandum, verſa illa fuit in ſtatuam ſalis, vt vnanimi conſenſu docent ſacri Scriptores, qui varias etiam rationes illius conuerſionis litteris conſignarunt; & ad illius conſiderationem remittit nos Dominus in Euangelio, dum dicit: *Memores eſtote vxoris Lot.* Et quòd dicit Thargum factam fuiſſe columnam ſalis, ſicut etiam legit Chryſoſtomus Homil. 43. in Geneſ. non ſic arbitror voluiſſe dicere verſam fuiſſe in columnam, ſed ad eius perpetuitatem indicandam; & quia inanimis facta fuit, id dixit, ſicut & in libro Sapientiæ cap. 10, 7. *figmentum ſalis* appellatur: *Et incredibilis animæ memoria ſtans figmentum ſalis.*

Luc. 17, 32.

Sed ſi tantum figuratè eam intelligere velint, figuratè tantùm poſſet intelligi illarum ciuitatum ſubuerſio; quæ ad aliquid ſignificandum facta eſt, & ad exemplum propoſita, vt videre eſt in Lucæ Euangelio, 2. Pet. 2. & in Epiſtola Catholica Iudæ. Quod dicendum non eſt: etenim Moyſis narratio eſt hiſtorica, & in proprio ſenſu accipienda; nulluſque rectè ſentiens oppoſitum dicet. Simili enim ratione quælibet Hiſtoria ſacra negari poſſet. Faciunt etiam ad hæc quæ poſterioni loco adduximus pro explicatione præcedenti. Si enim ad ſignificandum tantùm ea phraſi vſus eſt Moyſes; quare non etiam dixit illas ciuitates in columnas ſalis fuiſſe conuerſas, cùm non minùs ac vxor Lot in exemplum poſitæ fuerint? ſed verè in ſalis ſtatuam fuiſſe conuerſam, ex dicendis magis apparebit.

Alij Auctores volunt, ea verba Geneſ. *Verſa eſt in ſtatuam ſalis*, verè ac propriè accipienda. Et hæc ſententia tamquam vera ab omnibus amplectitur. In vocabulo tamen ſtatuæ aliqua eſt diuerſitas. Dauid Kimhi, & Vatablus, pro ſtatua interpretati ſunt *cumulum*, ſiue *acernum*; alij *figmentum*, propter adductum locum Sapientiæ. Conuenientia tamen eſt, ſi explicentur, vt ea iam explicuimus. Sed quæ ſequuntur, magis hanc firmant ſententiam.

Tertia ſententia tenenda, verè in ſalis ſtatuam conuerſam eſſe.

Ad alterum quæſitum, quo in loco vxor Lot conuerſa fuerit in ſtatuam ſalis? Reſpondetur id potuiſſe accidere in vno ex his quatuor locis, vel in via qua ex Sodomis ibat in Segor, vel in Segor, vel in via ex Segor ad montem, vel in monte ipſo, ſiue ſpelunca; ſed in quo determinatè non expreſſit Scriptura. Verùm probabiliter ex ipſa deducunt Doctores, non conuerſam in ſalis ſtatuam in aliquo ex tribus poſterioribus locis. Non in via ad montem, vel in monte: etenim loquens Moyſes de profectione Lot ex Segor ad montem, poſt illarum vrbium ſubuerſionem, quando iam ad illarum intuitum in ſtatuam conuerſa fuit, illius & duarum filiarum mentionem facit, & non vxoris Lot; & priùs de illius tranſmutatione locutus fuerat. Prætereà, ſi adhuc ſuperſtes tunc fuiſſet, non dixiſſent filiæ, *Inebriemus cum vino, dormiamuſq; cum eo, vt ſeruare poſſimus ex patre noſtro ſemen.* Si enim adhuc fuiſſet illius vxor, non potuiſſent hoc dicere: probabile enim eſt ipſam fuiſſe idoneam ad concipiendum, vt eius virum ad generandum; & id credere debebant filiæ. Reliquum eſt igitur, vt conuerſa ſit vel in Segor, vel in via ad Segor: & hoc poſterius probabilius, & narrationi Moyſis conformius videtur. Cùm enim Angelus dixiſſet ad Lot, *Feſtina & ſaluare ibi* (id eſt, in Segor) *quia non potero facere quidquam donec ingrediaris illuc:* ingreſſo Lot Segor, ſtatim *Dominus pluit ſuper Sodomam & Gomorrham ſulphur & ignem à Domino de cælo*, &c. & ſtatim ſubdit Scriptura: *Reſpiciensq; vxor eius poſt ſe* (ſiue, vt legit Hebræa, *de poſt ipſum*) *verſa eſt in ſtatuam ſalis.* hoc eſt, Cùm vxor Lot lento gradu ipſum ſequeretur, quod ægrè nimis proprias ædes dereliquerit, ob modicam fidem Angelis præſtitam; audito illo horrendo ignis fragore de cælo cadente, ſe retrò conuertens, in pœnam inobedientiæ ex incredulitate procedente, in ſtatuam ſalis derepentè conuerſa remanſit. & in via ad Segor fuiſſe vxorem Lot in ſalis ſtatuam conuerſam, indicat Adrichomius in tabulis Geographicis in Iuda num. 230. & citra ipſum mare, vt ex Brocardo ſtatim dicemus.

Vbi conuerſa.

Gen. 19, 32.

Probabilius in via ad Segor.

Gen. 19, 22.

Incredulitas & inobedientia punita.

Ad tertium quæſitum, an ſtatua illa mul-

Quæstio de duratione statuæ uxoris Lot.

multo tempore durauerit, & an adhuc in suo esse perseueret? Qui dicunt narrationem Moysi esse figuratam, respondebunt quòd non; quoniam numquam illud accidit: at qui dicunt esse veram & historicam narrationem, vt verè esse dicunt extitisse tempore Iosephi, & D. Hieronymi, adhucque extare, & vsque ad tempus generalis resurrectionis duraturam. Ex recentioribus oculatos testes adducit loco citato Adrichomius: Iosephus se illam vidisse testatur lib. 1. Antiquit. c. 11.

Extare, & mansuram vsque ad sæculi consummationem, qui dicant.

Tertullianus carm. *de Sodoma* cap. 3. agit de vxore Lot versa in salis statuam, mirabiliaque de illa scribit, vt sequitur:

Miranda de illa relatio.

——— *Et simul illic*
In fragilem mutatâ salem, stetit ipsa sepulchrum,
Ipsáq; imago sibi formam sine corpore seruans.
Duras adhuc etenim nuda statione sub æthram,
Nec pluuiis dilapsa situ, nec diruta ventis.
Quin etiam si quis mutilauerit aduena formam,
Protinus ex sese suggestu vulnera complet.
Dicitur & viuens alio iam corpore, sexus
Munifices solito dispungere sanguine menses.

Iacobus Pamelius in Annotationibus in Sodomam Tertulliani, quæ in præmissis versibus obscura videntur, in hunc modum explicat: *Hoc memoratu dignum, quòd sua adhuc ætate statuam illam salis, in quam vxor Lot conuersa est, durasse scribat; & si quis eam mutilauerit, statim vulnera denuò compleri, & in singulos menses menstrua pati*, &c. Ita ille. An dicta vera sint, me latet; certè miranda potiùs quàm credibilia videntur.

Brocardus 1. p. cap. 7. §. 34. de eadem statua sequentia scribit: *Post Iericho contra Austrum est Segor oppidum, in quo seruatus est Lot, quando subuertit Dominus Sodomam. Sita est autem Segor sub monte Engaddi, inter quam & Mare mortuum est statua salis, in quam conuersa est vxor Lot. Quam ego statuam vt viderem, ingentes subij labores itinerum; nec tamen explere desiderium meum potui: siquidem incolæ retulerunt mihi, locum illum esse inaccessibilem, vel certè sine mortis periculo adiri non posse, propter feras immanes, & serpentes; præcipuè autem propter Beduinos, eius loci habitatores, homines perquam inhumanos, pessimorumq; morum.* Hæc Brocardus. Ex cuius relatione habemus, ipsius tempore illam extitisse inter Segor & Sodomam, id est, Mare mortuum, vbi priùs Sodoma erat; & ita citra Iordanem & Mare mortuum.

Fr. Anselmus Minorita in sua Ierusalem Descriptione, in locis Orientalibus respectu Ierusalem, videtur indicare statuam salis esse vltra mare, quoniam illam esse dicit in Arabia; sed Arabia, ex eodem, est vltra Mare mortuum versus Orientem, aliquanto arcualiter declinans ad Austrum à Ierusalem. sic verò scribit: *In littore Orientali Maris mortui sita est Segor in parte Arabiæ, vbi est statua salis, in quam conuersa est vxor Lot: ad quam videndam periculosus est accessus, propter Madianitas ibidem commorantes, qui nemini parcunt. Sæpè, vt fertur, id mare tantum crescit ex tumefactione, quòd cooperitur tota statua, & non videtur; aliquando tamen decrescit, quòd videtur ad pectus & genua. Est in loco amœno inter Segor & Mare mortuum.* Hæc ille.

Isto antiquiores suffragari videntur. Fr. Brocardus de monte Sion in sua Terræ sanctæ Descriptione, dum dicit: *In littore Orientali Maris mortui sita est Segor in parte Arabiæ, vbi est statua salis, in quam versa fuit vxor Lot*, &c. & Guilielmus de Baldensel in suo Hodœporico, dicens: *Circa Mare mortuum à dextris, versus montes Israël, vxor Lot contra mandatum Dei respiciens, miraculosè in statuam salis versa est. Est propè est ciuitas parvula Segor*, &c.

Arbitror tamen priores ac vetustiores Auctores veriùs loqui, & conformiùs his quæ etiamnum in partibus istis asseruntur. An nostris temporibus extet, mihi est incompertum; ego eam non vidi. Fuerunt tamen in partibus istis venerandi senes, qui se illam vidisse testati, ex eaque particulam vna die ablatam, altera die vidisse restitutam, vt notauimus ex Tertulliano, & adhuc extare: ibique capellulam esse, Biduini, qui ex Mari mortuo sal Ierosolymam ad fratres deferunt, affirmant.

Sed suppositio, multo durasse tempore, & adhuc durare, quomodo id potuit esse? quomodo imbribus & aquis non fuit consumpta? an diuino miraculo, in signum diuinæ iustitiæ, & inobedientiæ & aliorum scelerum, quibus mulier illa cum Sodoma inuoluta fuit? an (vt alij arbitrantur) quia sal, in quod fuit conuersa, metallicum erat, quod imbre non liquescit? Plin. lib. 31. cap. 7. Quare verò non in æneam lapideamve statuam versa fuerit, rationes varias afferunt Doctores. Sed dicta de Mari mortuo, statua salis, & præsenti Peregrinatione satis sint.

Dubij solutio.

Sal metallicum imbre non liquescit.

Digitized by Google

PEREGRINATIO VII. *in qua recenſentur & explicantur ſex memorabilia loca, quæ occurrunt proficiſcentibus ex Ieruſalem, vel Bethlehem, ad ciuitatem Hebron.* I. *Fons ſignatus, Hortus concluſus, & Piſcinæ Salomonis.* II. *Villa beatæ Mariæ Virginis.* III. *Conuallis Mambre.* IV. *vbi Abraham Angelos & peregrinos hoſpitio excipiebat.* V. *vbi fertur Abraham Iſaac circumcidiſſe.* VI. *denique ciuitas Hebron.*

CAPVT PRIMVM.

De Fonte ſignato, Piſcinis Salomonis, & Horto concluſo, primo loco ſeptimæ Peregrinationis.

Hebron ab Ieruſalem & Bethlehem diſtantia.

IN ſacra Hebron peregrinatione diſcedunt peregrini ex Ieruſalem, vel Bethlehem, ſecundum maiorem opportunitatem. Diſtat autem Hebron ab Ieruſalem circa nouem leucas, ſiue triginta milliaria, ſecundùm quoſdam, quos libenter ſequimur; à Bethlehem verò, quæ prope viam illius eſt, & ad læuam eiuſdem relinquitur, 24. milliaribus, vel leucis circiter 7. ſeparatur, vel minùs, ſecundùm D. Hieronymum & Bonifacium.

Fons ſignatus quatuor milliaribus à Bethlehē ſeparatur.

Fontis ſignati deſcriptio.

Quod primò occurrit obſeruatione dignum in hac Peregrinatione eſt Fons ſignatus, Piſcinæ Salomonis, & Hortus concluſus. Hæc ab Ieruſalem decem, à Bethlehem verò quatuor milliaribus ſeiunguntur; & ſunt in plaga Meridionali vtriuſque ciuitatis, in qua etiam eſt Hebron. Sed quid illa ſunt? Fons ſignatus eſt locus quidam in indicato ſitu parum extra viam Hebron ad dexteram: ad quem per anguſtum cauum & os deſcenditur; vbi ſunt duo loca arte elaborata, ad duorum cubiculorum ſimilitudinem: ex quorum interiori primò vnda fluit per canalem in exterius; in vaſq; recepta, quod tres habet canales, alterum à læua, duos alios è regione alterius, vnum ſupra alterum, ex quibus in diuerſas partes demittuntur aquæ; deque eo poteſt verè dici ramos extendere. Ducitur autem primò & principaliter in Ieruſalem per canalem ex terra cocta confectum; & primò effluit prope caſtrum recenter extructum, ad fugandas Arabum excurſiones inter ipſum & proximas piſcinas: fluuntque aquæ per ſubterraneum canalem ſecus piſcinas ex citeriori parte, & longo ſpatio & montium circuitu deuehuntur vſque ad Ieruſalem. Abundantibus etiam aquis, influit in piſcinas.

Piſcina Salomonis quid.

Piſcinæ illæ Salomonis ſunt loca vaſta & ſpatioſa naturâ & arte conſtructa, quadratæ figuræ, demiſſis muris circumdata, & calce interiùs incruſtata: in quibus & Fontis ſignati, & ex proximis montibus fluentes colliguntur aquæ. Sunt iſtæ Piſcinæ numero tres: primæ longitudo eſt paſſuum 160. latitudo 90. profunditas 18. circiter; longitudo ſecundæ eſt 200. latitudo 90. tertiæ denique longitudo eſt paſſuum 220. latitudo 90. circiter. Suntque tali ordine diſpoſitę, vt vna in alteram demittat aquas, & ſecunda in tertiam: & ex his Hortus concluſus Salomonis irrigatur.

Tres ſunt earum capacitas.

Hortus concluſus quid.

Hortum concluſum appellant harum partium incolæ vallem, quæ proximè ad tertiam piſcinam ſequitur, anguſtam quidem, ſed non mediocris longitudinis: quæ ſi vt oporteret excoleretur, herbas, flores fructuſque abundanter proferret. Dicitur Hortus concluſus non arte, ſed natura, non muris, ſed montibus & collibus: alio tempore amœnior & fecundior erat.

Bonifacius de eo miranda ſcripſit lib. 2. de Perenni cultu Terræ ſanctæ in peregrinatione Hebron, dum de præmiſſis in hunc modum loquitur: *A Bethlehem vſq; Hebron ſunt quindecim milliaria. Ad Meridiem, ad duo milliaria, occurrit tibi Hortus concluſus Salomonis Regis, qui non eſt muro lapideo vel ligneo concluſus, ſed ipſa natura concluſit illum montibus ſpecioſiſſimis & fertiliſſimis. In ipſo horto ſunt omnia genera pretioſorum fructuum, malorum punicorum cum pomorum fructibus, nardus & crocus, multaq; alia. Iuxta eundem hortum eſt Fons ſignatus: in quodam antro dulces & copioſas emanat aquas: antrum iſtud Salomon lapillis pretioſis, opere quod nos dicimus muſaico, illuſtrauit & adornauit, & ſibi ſedile ex lapidibus in eodem antro compoſuit. Aqua fluens ex iſto fonte recipitur in tribus maximis piſcinis ab ipſo Salomone fabricatis. Hac aqua irrigatur Hortus concluſus, & recipitur intra canalem, & aquæductum, ſicq; ducitur Ieroſolymam ad templum Domini: quæ olim ſeruiebat, & nunc ſeruit, cultoribus eiuſdem templi.* Hactenus ille.

Prope hunc fontem à læua parte, id eſt Aquilonari, eſt villa ferè tota diruta, paupercu-

Digitized by Google

perculas dumtaxat continens domunculas; sunt tamen & ibi magnæ ruinæ & ædificiorum fundamenta: & villa Salomonis communiter dicitur, quòd illam ædificauerit Salomon ad voluptatem delicialque capessendas. Ibi fons est dulcibus & salubribus affluens aquis, adeò vt non solùm proximi, sed & longinqui ad eas hauriendas, & ad potanda animalia accedant: &, vt ego vidi, mense Iunij, quando fons signatus nullas demittebat aquas, iste in magna copia dabat; & ideò proxima inferior vallis, semper eius aquis irrigata, viret & amœna est.

Villa Salomonis.

Fons aquis affluens.

Sed numquid horum aliqua mentio in specie fit in sacris Litteris? Horti conclusi, & fontis signati videtur facta mentio Cantic. 4, 12. vbi diuinus Salomon dilectam suam horto concluso & fonti signato comparat illis verbis: *Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus. Emissiones tuæ paradisus*, &c. Et quamuis non me lateat, sponsam horto vel fonti in se comparari posse; sed quid prohibet dicere Salomonem ad illos in specie respexisse? Et Bonifacius, & in partibus istis habitantes, volunt memorata verba intelligenda esse in specie de indicatis locis.

Dubij solutio.

In eodem sensu ego arbitror loqui sponsam de memoratis piscinis, dum sponsi sui oculos laudans dicit: *Oculi eius sicut columbæ super riuulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, & residentes iuxta fluenta plenissima.* Hæc fluenta plenissima crederem esse dictas piscinas, quæ non solùm aquis abundant, sed frequenter etiam plenissimæ sunt; & adeò, vt foris etiam aquæ erumpant, vt ego non semel obseruaui. Cui interpretationi fauere videtur versio Pagnini ex Hebræo, & septuaginta Interpretum. sic enim illa habet: *Oculi eius sicut columbæ iuxta effusiones aquarum, lauantes se lacte, manentes iuxta plenitudinem.* ista verò Septuaginta sic legit: *Oculi eius sicut columbæ super plenitudines aquarum lotæ in lacte, sedentes super plenitudines.*

Cant. 5, 12.

Piscina fluenta plenissima.

Prædictorum etiam locorum expressiorem arbitror mentionem fieri cap. 2. Ecclesiastæ, vt statim dicemus; sed villæ alibi etiam frequentius.

Sed contra iam dicta duo obiici possunt. Alterum, in commemorato loco non esse fontem signatum; quoniam in Ierusalem ab omnibus monstratur.

Argumenta duo contra præmissa. Primum.

Alterum, Hortum conclusum non esse in iam designato loco, sed in suburbiis Ierusalem ad Orientem, vt in illius descriptione monstrat & explicat Adrichomius num. 189. hisce verbis: *Hortus Regius, qui Hortus conclusus dicitur, hortus erat in suburbanis Ierusalem muris undique septus, & obsirmatus, atque sicut paradisus, arborum, fruticum, herbarum, aromatum, florum fructuumq; vbertate amœnus, mulcendisq; ac fouendis sensibus conueniens, & ad secessus voluptuarios idoneus. In quo erat inclytus ille fons Rogel, & lapis Zoeleth, quorum frequens in Scriptura mentio fit: vbi Adonias, cùm regnare instituisset, immolauit victimas, & vnà cum suis affectis conuiuium fecit.* Hæc ille. Et verè Salomonis tempore in Orientali parte Ierusalem fuisse hortos, considerans loci amœnitatem & hortos nonnullos qui adhuc in hac parte cernuntur, & quæ 3. Reg. 1. dicuntur, firmiter credet ibi fuisse hortos, & inter alios hunc Regium, & conclusum. Et vbi melius potest hic hortus assignari, quàm in ciuitate Regia? & docent communiter Doctores.

Secundum.

Hortus Regius, qui & Conclusus.

Verùm hæc non obstant dictis secundùm veterem traditionem. Et ad primum dico, cùm loquimur de fonte signato, nos intelligere vel aquam fontis signati, & sic concedimus esse in Ierusalem; sed & in commemorato loco, ex quo, vt diximus, in Ierusalem ducitur. Vel loquimur de fonte & origine illius, & sic vere diximus esse extra Ierusalem in memorato loco. Et quamuis nomen fontis signati origini, riuulis, & terminationi illius aptari possit; verùm quoniam propriùs de radice videtur enuntiari debere, diximus esse, qui est in via Hebron. Signatus, quia ad eum ingressus iumentis, & fortè hominibus, erat interdictus, vt istis in præsentia valde difficilis est.

Responsio. Ad primum.

Origo & terminatio fontis signati.

Ad secundum dicendum, Salomonem non vnum, sed plures habuisse hortos, vt voluptuosum potentemque Regem decebat, in Ierusalem, & extra; & illum, de quo locuti sumus, esse vnum ex illis qui extra erant. hoc ipsemet Salomon sequentibus verbis testatus est: *Magnificaui opera mea, adificaui mihi domos, & plantaui vineas, feci hortos, & pomaria, & consaui ea cunctis generis arboribus, & extruxi mihi piscinas aquarum, vt irrigarem siluam lignorum germinantium.* In his verbis manifestè ostendit Ecclesiastes, non vnum, sed plures habuisse hortos. Nec 3. Reg. 1, 9. mentio specialis fit Horti conclusi, nec modò ille Ierusalem proximus tali appellatur nomine, vt alius distinctus. Quòd si placet proximum Ieroſolymis dicere conclusum muris, vt dixit Adrichomius, qui tamen in præsentia non extat, & nos illum distantem dicemus conclusum montibus. Et hæc discurrendo de prædictis sufficiant.

Ad secundum. Salomon plures hortos habebat.

Eccle. 2, 4.

CA-

CAPVT II.

De villa B. Mariæ Virginis, ſecundo loco ſeptimæ Peregrinationis.

PRoſequendo iter verſus Hebron, ad dexteram relinquimus illam ſpelun-
Odolla ſpelunca. cam Odollam nomine, inquit Bonifacius, in qua Dauid, Saulis rabiem fugiens, ſaluatus fuit. Sed & quædam alia occurrunt loca, quorum peculiarem notitiam non indicant huius regionis incolæ: & fortè non fuit illorum memoria conſernata, quia non ita memorabilia. Prope Hebron, ad duo milliaria, ad læuam viæ eſt villa quædam non mediocris, ſed aliis harum partium perſimilis, quæ appellatur, *Villa beatæ Mariæ Virginis*, ſiue Matris Dei, ab huius regio-
Ratio nominis villæ B. Mariæ Virginis. nis indigenis: non quia in ea concepta, nata vel educata fuerit ſanctiſſima Deipara, vel diu in ea habitauerit; ſed quia, quando cum puero ſuo Ieſu, & ſponſo Ioſeph, furorem Herodis declinans puerum quærentis ad necem, fugit in Ægyptum, tranſiens in ea pernoctauit, atque ſua præſentia & Filij ſponſíque ſui dilectiſſimi nobilitauit, & conſecrauit. Huic pij fideles, ex ſingulari ad ſanctam Virginem deuotione, ab ea nomen dederunt. Ita docet antiqua traditio. Eam ſoli Græci ſchiſmatici incolunt:
Ciſterna Saræ. eidem proxima eſt ciſterna, quæ Saræ appellatur.

CAPVT III.

De conualle Mambre, tertio loco ſeptimæ Peregrinationis.

RElicta villa beatæ Virginis Mariæ, & ciſterna Saræ ad læuam partem, per quam rarò tranſeunt peregrini; ante ingreſſum ciuitatis Hebron, ad eius læuam partem declinando, inuenitur celebris conuallis Mambre. Vallis hæc fertilis eſt, pul-
Vallis Mambre deſcriptio. chra & amœna valdè, plena vitibus, ex quibus optimum conficitur vinum, & magna copia vuæ paſſæ: eius latitudo eſt pluſquam milliaris, longitudo multò maior.

Hæc vallis, vt aliquid de eius nomenclatura dicamus, dicitur *conuallis Mambre*, & *Hebron*. Mambre appellatur à viro tali ap-
Nominis ratio. pellato nomine, ſi credimus Lyrano in ea verba Gen. 13; 18. *Mouens igitur tabernaculum ſuum Abram, venit & habitauit iuxta conuallem Mambre, quæ eſt in Hebron.* id eſt, circa, vel apud, ſiue contra & è regione Hebron: nam ipſa diſtat ab Hebron. ſic ergo inquit Nicolaus: *A Mambre, viro Amorrhæo potenti, qui in Hebron habitauit, & cum Abraham fuit magna familiaritate ac dilectione coniunctus, vt dicitur Gen. cap. 14. & 35. vel etiam quia fuit illius cultor, vel dominus: de cuius, & Eſcol & Aner fratrum eius conſenſu, cæpit Abraham ibi habitare, pendens fortè eis annuam penſionem, tum pro eius habitatione, tum etiam pro gregum & animalium ſuorum paſtu. Et hæc fortè fuit conuentio illa, ſiue fœdus, quod cum prædictis ipſe Abraham iniiſſe dicitur Gen. 14, 13.*

Dicitur verò vallis Hebron, fortè pro-
Dicitur vallis Hebron, & quare. pter eius excellentiam; quia inter omnes valles & planities, quæ circa Hebron ſunt, primum locum tenet, omnesque longo interuallo antecellit. Vel etiam, quoniam vt Hebron nonnumquam à nomine huius vallis, dicitur conuallis Mambre, vt infrà de ea agentes dicemus; ita vallis hæc ab Hebron nomen mutuare potuit.

Linguæ ſanctæ periti in adducta verba Geneſ. adnotarunt, pro illa voce *conualle* Hebraicè eſſe *elon*: quæ vox quercum ſignificat; & ita verterunt Septuaginta; ſed per ſynecdochen dictum eſſe quercum, locum frequentibus & denſis quercubus conſitum, quem Latini quercetum appellant. Chaldæus verò vertit, planitiem. Latinus interpres reſpexiſſe videtur ad ſitum loci, ſicut & Chaldæus: nam conuallem planitiem appellamus circumquaque montibus vel collibus concluſam. Talis igitur cùm fuerit hæc vallis, meritò dictis nominibus appellata fuit. Hęc dixiſſe volui, ad magis explicandam huius vallis priſtinam amœnitatem & fecunditatem; quam etſi non in toto, vt olim, ex parte tamen adhuc retinet: caret quercubus, vitibus abundat, vt iam diximus.

Celeberrima & commendabilis eſt qui-
Amœnitas ac celebritas eius. dem hæc vallis propter indicatam fecunditatem & amœnitatem; at multò ampliùs propter inſignes illius cultores & habitatores, & inſignia in ea operata facinora. In hac valle habitauerunt præclariſſimi illi Patriarchæ, à Deo & hominibus plurimùm dilecti, Abraham, Iſaac & Iacob, cum vxoribus ſuis, & aliis inſignibus viris. Singularia in ea operata, Capite ſequenti recenſebimus. Et propter dicta frequens illius mentio in Geneſ. cap. 13. 18. 24. 25. 35. 37. 40. 50.

Quindecim ſtadiis Meridiem verſus vi-
Diſtantia ab Hebron & Ieruſalem. cinam habet Hebron: ab Ieroſolymis verò abeſt ducenta circiter & quinquaginta ſtadia, inquit Nicephorus lib. 8. Hiſt. Eccleſ. cap. 30. Agit de ea Adamnanus lib. 2. de Locis ſanctis cap. 8. Beda lib. 1. cap. 9. & Adrichomius in Iuda num. 183.

CA-

Digitized by Google

CAPVT IV.

De loco vbi Abraham Angelos & peregrinos recipiebat hoſpitio, qui quarto occurrit in ſeptima Peregrinatione.

PRope conuallem Mambre, ſiue potiùs, in eius extremitate, oſtenditur locus antiquitus illuſtriſſimo ædificio illuſtratus, vt quod ſupereſt non leue facit argumentum. Habet verò harum partium traditio, quando Terra ſancta à Chriſtianis poſſidebatur, fuiſſe ibi inſignem extructam Eccleſiam: cuius in præſentia extrema dumtaxat murorum pars remanſit, qui locum ad inſtar piſcinæ conficiunt; ſuntque illi ex magnis dolatis quadratis conſtructi lapidibus, ſiue marmoribus. Intus in capite illius eſt magnus & pulcher puteus. Huic loco vicina erat ilex arborque illa, ſub cuius vmbra ſanctus Abraham Angelos recepit hoſpitio.

Celebris eſt iſte locus, ac olim magnificentiſſimis monumentis illuſtratus, quòd quæ ſequuntur, credantur in eo contigiſſe. Ibi Abraham ædificauit altare Domino, Gen. 13, 18. & ibidem habitans, Angelos & ipſum Angelorum Dominum in peregrini ſpecie hoſpitio excepit, quemadmodum & alios tranſeuntes excipiebat peregrinos, quos in oſtio tabernaculi expectabat. Ibi tres vidit, & vnum adorauit; in illis myſterium Trinitatis ſanctiſſimæ edoctus: ibi idem ſanctus Patriarcha cum vxore ſua Sara felix accepit nuntium ab Angelo conceptionis & partus filij ſui Iſaac, ex vetula & infecunda vxore, Gen. 18, 10. Et, ſecundùm D. Hieronymum & P. Bonifacium, ibi Abraham vidit diem Chriſti, & gauiſus eſt: cuius viſionis & gaudij meminit Saluator noſter Ioan. 8, 56.

Locus vbi Abraham Angelos & Dominum hoſpitio excepit.

Eumdem poſteà locum Gentiles falſis ritibus & ſuperſtitionibus addicti venerabantur, erectis in eo idolis; quæ, ſancto zelo ſuccenſus, magnus piusque Imperator Conſtantinus abſtulit, & contriuit, ad veriqué Dei honorem & memoriam illuſtrium & diuinorum operum pulchertimum extruxit templum, vt colligere licet ex Euſebio Cæſarienſi in illa prouincia Archiepiſcopo lib. 3. de Vita Conſtantini. ſic enim ait: *Verùm vt audierat* (Conſtantinus) *ipſum Saluatorem, qui nuper in mundo verſatus fuiſſet, etiam olim ſanctis viris ex Palæſtina prope quercum Mambre (ſic enim appellabatur) diuinitus apparuiſſe, ibi quoque Deo viſo templum ædificari mandat. Gentium ergo præfectis Imperatoris voluntas per litteras ad ſingulos ſcriptas ſignificata eſt, qua eos admonuit, vt quod eſſet imperatum, illicò ad exitum perduceretur. Nobis etiam, qui hanc hiſtoriam litteris mandamus, epiſtolam accuratiùs ſcriptam miſit; cuius exemplar mihi conſentaneum videtur huic præſenti ſermoni annectere, quo Imperatoris ſanctiſſimi ſtudium & diligentia pleniùs intelligatur. Proinde quò liberè pro his quæ geſta acceperat, nobiſcum expoſtularet, iſta totidem verbis perſcripſit.* Hæc Euſebius.

Sacer locus à Gentilibus idololatriæ pollutus:

Purgatus & Eccleſia ſacratus opera Magni Conſtantini.

Placet Imperatoris Epiſtolam hîc ſubijcere; quoniam ex ea ſumitur argumentum veritatis eorum quæ commemorata ſunt; & quoniam agit de huius loci purificatione. Notandum autem priùs ex Baronio Tom. 3. ſub anno Chriſti 326. in huius Epiſtolæ inſcriptione non eſſe explicitè nomen Euſebij; quia vel expunctum fuit, vel eſt implicitè in ea incluſum; vel fuit ad Euſebium & Macarium, ceteroſque Palæſtinæ Epiſcopos, quorum eſt inſcriptio. Exemplar Epiſtolæ eſt huiuſmodi.

Victor Conſtantinus Max. Auguſt. Macario & ceteris Palæſtinæ Epiſcopis S.

Epiſtola Conſtantini ad Palæſtinos Epiſcopos.

EST hoc vnum maximum meæ ſanctiſſimæ ſollicitudinis erga vos beneficium, vt quorundam nefandorum hominum amentiam, quæ hactenus apud vos in obſcuro latuerit, per litteras vobis ſignificem: quo licet mihi quidem ſerò, neceſſariò tamen, erratum ſegnitie neglectum, diligentia rectè probeq; corrigatur. Permagna enim profectò impietas eſt, vt loca ſancta nefandorum ſcelerum maculis contaminentur. At quidnam eſt, Fratres chariſſimi, quod cùm veſtram ſolertiam preterierit, mea etiam, quam dixi, ſollicitudo propter obſeruantiam, qua Deum veneror, poſſit ſilentio pretermittere? Locum, qui prope quercum Mambre dicitur, in quo Abrahamum domicilium habuiſſe cognoſcimus, variis modis à quibuſdam ſuperſtitioni deditis inquinari ferunt: idola enim, quæ nullo non vaſtationis genere deleri debent, in illo erecta eſſe, & altare prope locatum, & impuras victimas ſine intermiſſione immolari. Quapropter cùm illud, & ab Imperio noſtro alienum, & indignum ſanctitate loci videatur; veſtram grauitatem certiorem fieri velim, à nobis per litteras Acacio illuſtriſſimo Comiti amico noſtro ſignificatum eſſe, vt abſque cunctatione, & idolo, quæ in loco predicto reperta fuerint, ignis tradantur incendio, & altare ſedibus conuulſum euertatur. Quin etiam neminem non, qui poſt noſtrum mandatum aliquid impietatis in eiuſmodi loco audeat admittere, ſupplicio coërcendum ſtatuimus: quem ſanè locum decreuimus eximia templi

ſtructura

ſtructura adornare, vt confeſſus dignum ſanctis viris in eo deinceps exiſtat. Quòd ſi quidquam contra hoc mandatum commiſſi acciderit, par eſt, vt abſque mora noſtra clementia per veſtras litteras certior fiat, quò noſtro mandato, qui illud violare deprehenſus fuerit, ſummo afficiatur ſupplicio. Non enim ignoratis, illic primùm Deum omnium Rectorem tum apparuiſſe Abrahamo, tum cum eo ſermonem contuliſſe; illic enim primùm ſacroſanctæ legis cultum & obſeruationem initium habuiſſe; illic primùm Saluatorem ipſum cum duobus Angelis, ſeipſum clementer & benignè Abrahamo oſtendiſſe; illic Deum cœpiſſe ab hominibus videri; illic prædixiſſe Abrahamo de ſemine ſuo futuro, ac confeſtim promiſſum præſtitiſſe; illic prædicaſſe, eum plurimarum gentium patrem futurum. Quæ cùm ita ſint, æquum eſt (meo quidem iudicio) veſtra cura & diligentia prouideri, vt tum locus iſte purus & integer à labe conſeruetur, tum ad priſtinam reuocetur ſanctimoniam, quò aliud nihil in eo, præter cultum Deo omnipotenti, Moderatori omnium, & Seruatori noſtro, decorum & conſentaneum, peragatur. Quod quidem ſtudiosè & decenter à vobis obſeruari conuenit: ſiquidem veſtra grauitas (ſicut mihi pro certo perſuaſum habeo) ea quæ cum vero cultu & religione in primis cohærent, alacri ſtudio expleri deſideret. Deus vos, Fratres chariſſimi, incolumes ſeruet. Hactenus Conſtantini litteræ.

Pia à Conſtantino ordinata executioni mandata fuere.

Et omnia in dictis litteris contenta diligenter expleta fuere, vt eodem 3. lib. de Vita Conſtantini cap. 52. ſubdit Euſebius. Et eadem ſcribit Nicephorus lib. 8. Eccleſ. Hiſt. cap. 30. Quid verò de putei illius aquis ageretur à ſuperſtitioſis illis hominibus, ſequentibus verbis indicat Nicephorus: *Quoſdam etiam nummos, & varij generis vnguenta in vicinum puteum coniecisse, ita vt rerum coniectarum ingenti copia aqua inutilis ſit reddita,* &c.

Vbi erat ilex ante oſtium tabernaculi.

Non longè à conualle Mambre & nunc dicto loco aſſignatur alius, vbi erat ilex, & arbor illa, quæ erat ante oſtium tabernaculi Abrahæ; ſed in præſentia non videtur. Ad dicta alluſiſſe videtur Brocardus in Deſcriptione Terræ ſanctæ, dum dicit: *Ilex Mambre iuxta viam regiam quæ ducit Hebron ſita; apud quam longo tempore habitaſſe Patriarcham Abraham, Hiſtoria libri Geneſis oſtendit: etiam hodie demonſtratur ante oſtium tabernaculi Abrahæ. Sciendum tamen, antiquam illam ilicē exſiccatam fuiſſe: ſed ex eius radice pullulauit altera; de cuius ligno & fructu mecum tuli. Folia eius paulò maiora quàm lentiſci; ſed fructum prorſus habet illa vt quercus. Ab ilice Mambre per dimidiam leucam, ad dexteram, iuxta viam eſt vetus illa Hebron in monte ſita ſublimi,* &c. Hactenus ille. Alia ſequenti Peregrinatione Cap. VI. dicentur pro maiori dictorum declaratione.

CAPVT V.

De loco, vbi à quibuſdam dicitur Abraham Iſaac filium ſuum circumcidiſſe, quinto occurrente in ſeptima Peregrinatione.

RElicta conualle Mambre, dirigendo greſſus verſus Hebron, ferè in medio viæ, monſtratur anguſtum quoddam antrum in ipſius terræ ſuperficie, quod vix continet duos homines humi proſtratos. Hebræi Hebron habitantes, quos multi ſimplices harum partium Chriſtiani in hoc ſequuntur, dicunt, Abraham in eo filium ſuum Iſaac circumcidiſſe: ad eius dexteram partem eſt ſacellum, ſiue meliùs, meſquita Turcarum, quæ vnà cum antro, illo intuitu, veneratione habetur, & inuiſitur nedum à dictis Hebræis & Chriſtianis, ſed ab ipſiſmet Turcis & Mauris. *Fabella Hebræorum de loco circumciſionis Iſaac.*

Verùm, ſi mea non me fallit opinio, *Reſpon.* ſomnium illud eſt & fabella, & non vera traditio & hiſtoria, cum aliis ſomniis & nugis Hebræorum collocanda. Et ſatis manifeſtum euadet conſideranti antri conditionem, & quæ dicuntur Gen. cap. 20. & 21. Conditio antri anguſta nimis, vt dictum eſt, & ad illud opus incongrua. Et ad quid, quæſo, Abraham virum prudentem locum adeò inidoneum eligere pro circumciſione filij ſui? An deerat opportunior? Non potuit illum in propria domo circumcidere, vbi ſe cum Iſmaële altero filio ſuo circumcidit? Referebátne, magis illum in indecenti quàm in decenti loco circumcidere, vel ſuper hoc erat diuinum præceptum vel conſilium?

Dicet fortaſſe quiſpiam pro defenſione *Obiectio.* illius ſomnij Hebræorum, ideò dici Iſaac in antro illo circumciſum; non quia intra ipſum fuerit circumciſus, ſed extra, propè, & probabiliter vbi nunc eſt extructa illa meſquita; & antrum illud eſſe pro ſigno: quod non aduertentes ſimplices, circumciſionem factam in loco meſquitæ, dixerunt accidiſſe in dicto antro.

Hoc dictum eſt minùs irrationabile, ſed *Solutio.* nihilominùs contra veritatem & Scripturam, quæ docet, non in conualle Mambre vel Hebron, & eius regione, ſed in Berſabee, in regione Philiſthinorum, fuiſſe Iſaac circumciſum. Et ex adductis capitibus Geneſis ſic explico. Poſtquam Abraham ex conualle *Iſaac in Berſabee circumciſus*

conualle Mambre, vbi Dei singulari beneficio ex vetula & sterili vxore genuit Isaac, venit in terram Australem, habitans inter Cades & Sur, peregrinans in Geraris, Genes. 20. Quo tempore natus est ei Isaac, & octauo die circumcidit, Genes. 21. & non in conualle Mambre, quia non legitur, neque ex Scriptura deduci potest, Abraham tunc ad conuallem Mambre, vel Hebron, rediisse, sed potiùs oppositum: quia proximè citato capite dicitur Abraham habitasse in regione Abimelech Regis Geraris in Bersabee, factus colonus terræ Palæstinorum diebus multis. In hac ergo terra, vbi Isaac in lucem editus fuit, fuit & circumcisus, & non apud Hebron, sed in iam dicto loco.

In Bersabee, & non in Hebron, iussus est Abraham Isaac sacrificare.

Præterea, his peractis, & aliis quæ hoc ipso capite enarrantur, accepit Abraham præceptum à Domino de immolando vnigenito filio suo Isaac. Sed hoc non fuit datum in Hebron, & eius valle, vt optimè contra quosdam dixit S. Hieronymus, sed in Bersabee, vbi & præcedentia gesta fuere; quod ex itinere ipso ostendit S. Doctor in Quæstionibus Hebraicis, ad ea verba Genes. 22. *Et abiit* (Abraham) *ad locum quem dixit Deus in die tertio. Notandum*, inquit, *quòd de Geraris vsque ad montem Moria, id est, sedem templi, iter dierum trium sit, & consequenter illuc die tertio peruenisse dicatur. Malè igitur quidam Abraham putant illo tempore ad quercum habitasse Mambre, cùm inde vsque ad montem Moria vix vnius diei iter plenum sit.* Hæc S. Hieronymus. Qui posteà ex monte Moria, qui est in Ierusalem, rediit Bersabee, inquit Scriptura sacra; sed non diceret Abraham rediisse Bersabee, nisi ex ea priùs discessisset, cùm ad montem Moria se contulit. De mansione etiam Abrahæ in Hebron, vel conualle Mambre, postquam ab ea discessit, nulla fit mentio in Scriptura; nisi cùm agit de emptione sepulchri pro sepelienda Sara vxore Abrahæ, quando Isaac necdum erat circumcisus, nec perfectus vir, Gen. 23. Et hæc mihi quidem ipsa meridiana luce clariora videntur. Quare, quod de antro illo dictum est, somnium & commentum est Hebræorum.

Puduit huiusmodi absurda hîc adscribere; verùm necessarium fuit, vt, falsitate detecta, in posterum simplices & alij, qui ex inaduertentia sequebantur, relinquant, & veritatem sectentur. Quod si illa apud probatos Scriptores inuenias, credas non ex propria fuisse locutos sententia, sed Hebræorum, & vulgi; vt fortè fecit Bonifacius, dum loquitur de via ex Bethlehem ad Hebron, dicens: *Relicta spelunca Odollam,*

Ex fama vulgi aliquando dicti loquuntur.

deueniemus ad locum, in quo Abraham Patriarcha circumcidit filium suum Isaac. Ecclesia in eo loco ab Helena matre fabricata fuit, nunc in puluere & ruinis cernitur. Hæc ille. Et quidem nescio, an loquatur de loco à nobis indicato; sed vbicumque assignet locum circumcisionis Isaac in hac via, non bene assignat ex dictis. Nescio etiam, vbi inuenerit Helenam ædificasse Ecclesiam in loco circumcisionis Isaac: & ruinæ, de quibus loquitur, erunt fortasse alterius mysterij monumentum.

Si quis tamen vellet ibi, non quidem in antro, sed circa, aliquid memoria dignum operatum fuisse, facilè assentirem, & dicerem, quod quibusdam non displicet, Abraham ibi circumcidisse alium filium suum Ismaëlem: quod alij non animaduertentes, pro Ismaële, dixerunt Isaac fuisse circumcisum; & non Ismaël tantùm, sed & Abraham iussu Domini, cum omnibus viris domus suæ, tam vernaculis quàm emptitiis & alienigenis, fuit circumcisus, vel in conualle Mambre, vt probabilius, alij in hoc sapientiores Iudæi dixerunt. Huius circumcisionis mentio fit Gen. 17, 23.

Pro Isaac Ismaël fortè dicendi.

CAPVT VI.

De ciuitate Hebron, sexto loco septimæ Peregrinationis.

SErmonem nunc instituimus de Hebron, insigni & præcipua Iudææ ac Palæstinæ ciuitate post Ierusalem: in cuius commendationem ea adducemus, quæ ciuitatem aliquam commendabilem reddunt, quæ huic bellè conueniunt, vt terræ fecunditas, aëris salubritas, dignitas, antiquitas, illustres & insignes habitatores. Post quæ, varia nomina adijciemus, quibus est appellata; & eorumdem significationem, ex quibus adhuc magis commendata & illustrata remanebit.

Quæ ciuitatem celebrem reddant.

Insignis in primis ac celebris est ciuitas Hebron ex terræ fecunditate & aëris salubritate; & hoc magis apparebit, si eam comparemus cum pluribus aliis Iudææ ciuitatibus & terris: quarum plures non solùm æquat, sed antecellit. Cùm enim terra hæc montosa sit, & Hebron montibus non careat, sed ijs vndequaque valletur; habet etiam circumcirca pulcherrimas, spatiosas & fecundas valles, vino & frumento affluentes, quibus non tantùm sibi, sed & aliis terris necessaria suppeditat. Montes etiam fertiles sunt, præbentes magnam lignorum copiam, quibus carent plurimi huius prouinciæ montes; & in primis, qui sunt circa Ierusalem. Vitibusque singulari-

Hebronita regionis fecunditas.

ter abundat: ad quarum abundantiam arbitror reſpexiſſe Iacob Patriarcham, dum
Gen.49,11 in Iudæ filij ſui benedictione dixit, *Ligans ad vineam pullum ſuum, & ad viſem, ô fili mi, aſinam ſuam. Lauabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine vuæ pallium ſuum.* His ſiquidem hyperbolicis locutionibus vſus eſt bonus ſenex, ad indicandam magnam vitium viniſque copiam huius terræ; quæ danda erat tribui Iudæ, quemadmodum notauimus Lib. 1. Cap. 24. Nunc etiam ex Hebron pro mercimonio vua paſſa deportatur, quæ optima eſt. Aër ibi ſalubris; quoniam paludes non ſunt, aliáve, quæ aërem noxium & corruptum reddere ſolent.

Hebronci-uitas Regia. Ex dignitate etiam Hebron commendabilis eſt; quoniam fuit ciuitas Regia, Sacerdotalis, & Refugij. Ciuitas Regia & metropolis Philiſthinorum olim fuit, habitaculum Enacim, id eſt, gigantum; quibus à Caleb ſtrenuiſſimo duce debellatis & deletis, quæ anteà in ſortitione tribui Iudæ contigerat, ab eadem tribu poſteà data fuit Leuitis, cum ſuburbio duorum millium cubitorum. Reliquum huius vrbis, agri, villæ dono datum eſt ipſi victori Caleb, Ioſue 14, 12. Primaria etiam fuit ciuitas tribus Iudæ, & poſteà Regia Regis Dauid; qui in ea ſeptem annis regnauit, 2. Reg. 5, 5. & 1. Paral. 29, 27.

Sacerdotalis & Refugij. Fuit ciuitas Sacerdotalis & Refugij: ingreſſo enim Ioſue cum populo Iſraëlitico terram Chanaan, diuiſit, ex inſtituto Moyſi, tribui Leuiticæ & filiis Aaron quadraginta-octo ciuitates ad habitandum, eaſdemque non ſimul poſitas; ſed quòd è ſingulis tribubus eſſent acceptæ è diuerſis Palæſtinæ locis, vbi ſingulæ degerent; ab inuicem longioribus interdum ſpatiis ſeparatas. Cùm igitur eaſdem ciuitates ſortirentur; prima quæ egreſſa eſt, data eſt familiæ Caath, Leuitici generis, ex filiis Aaron, ciuitas è tribu Iuda Cariath-Arbe, Hebron nominata, Ioſ. 21, 9. Et eamdem fuiſſe aſylum fugitiuorum, nouimus ex eodem Ioſue 20, 7. Cùm etiam à Chriſtianis Latinis poſſidebatur, inſignita fuit Epiſcopali Sede; ſed à Græcis occupata, Prioratus dumtaxat in ea fuit: quam prærogatiuam habuit intuitu ſeruorum Dei Abraham, Iſaac & Iacob. Guilielmus Tyrius lib. 20. Belli ſacri cap. 3.

Sub Chriſtianis Epiſcopali Sede decorata.

Antiquiſſima. Ad hæc, ex antiquitate, & inſignium virorum habitatione, illuſtris & celebris eſt Hebron: etenim ſeptem annis ante Tanim Ægypti ædificata fuit, Num. 13, 23. Ioſephus lib. 5. Antiquit. cap. 1. *Chebron*, inquit, *ſeptem annis eſt antiquius quàm vrbs Aegypti Tanis.* & lib. 5. cap. 7. de Bello Iud. ait: *Chebron autem indigenæ ferunt, non eius terræ modò ciuitatibus, verùm etiam Aegypti Memphi antiquiorem: denique bis mille & trecenti ei connumerantur anni. Hoc autem narrant, Abraham quoque parenti Iudæorum fuiſſe domicilium, poſteaquam Meſopotamia ſedes reliquit, eiuſq; poſteros hinc ad Aegyptum eſſe profectos; quorum nunc etiam monumenta exiant in eadem ciuitate, per-optimo marmore magnificè fabricata. Cernitur autem à ſexto ab oppido ſtadio arbor maxima terebinthus, eamq; memorant ab initio mundi creati nunc vſque durare.* Hactenus fuere Ioſephi verba.

Ioannes Annius vrgetur. Ioannes Annius in Commentario Xenophontis de æquiuocis, tamquam rem exploratam perceptamque tradit, Hebron fuiſſe primam omnium vrbem à primo humani generis parente ædificatam, & in ea natum eſſe Noë: ſed, vt benè notauit Pererius in cap. 13. Gen. id dictum eſt ſine fundamento. R. Salomon dicit conditam fuiſſe à Cham filio Noë; ſed & hoc incognitum creditur. Quare cùm incompertum ſit, quando Tanis Ægypti ciuitas fuerit ædificata, & à quo Hebron, conſequens eſt, vt tempus determinatum fundationis iſtius ignoretur; etſi antiquis temporibus eſſe receperit, vt notauit Torniellus Tomo 1. Annal. A. M. 2115. num. 3. Lege plura de ciuitate Hebron apud Benedictum Pererium in citatum caput Geneſ. num. margin. 66. & ſequentibus, & in eaput 23. à num. margin. 5. vſque ad 8.

Celebrium virorum habitatio. Clara etiam fuit ciuitas Hebron; quoniam extitit virorum, tam animi virtute, quàm corporis fortitudine & proceritate inſignium, habitatio: quorum, præter Scripturam & commemoratum Ioſephum, meminit S. Hieronymus Epiſt. 27. de Paulæ peregrinatione hæc ſcribens: *Aſcendit*, Paula, *Chebron, hæc eſt Cariath-Arbe, id eſt, oppidum virorum quatuor, Abraham, Iſaac, Iacob, & Adam magni, quem ibi conditum, iuxta librum Ieſu Naue, Hebræi autumant; licet pleriqueCaleb quartum putent, cuius ex latere memoria monſtratur.* Hæc ſanctus Hieronymus.

Gigantum Habitarunt etiam in ea homines corporis proceritate inſignes, gigantes videlicet, ſtatura & ſpecie ceteris mortalibus diſpares, viſu ſimul & auditu horribiles: quorum adhuc ibi oſtenduntur ſimulacra, vel reliquiæ, inquit Ioſephus lib. 5. Antiquit. cap. 5. qualia vix credant, qui non viderunt ipſi. Et fortè iſti illi ſunt, quorum aſpectu exploratores, à Moyſe miſſi ad explorandam Terram, exterriti fuerunt, vt dicitur Num. 13, 33. Celebrior tamen reddita eſt ſanctis illis Patriarchis, Caleb, Dauide, &

aliis,

ogle

aliis, diuina gratia & nobilibus virtutibus claris: quorum quosdam, dum hîc viuerent, aluit; posteà è viuis sublatos, honorifica sepultura donauit, vt Cap. 1. sequentis Peregrinationis dicemus.

Hebron nomina, & eorum significatio.

Accedentes nunc ad id quod extremo loco proposuimus, ciuitas ista multiplici nomine fuit appellata, *Hebron*, siue *Chebron*, Hebraicè, prius *Arbee* (corruptè in Græcis codicibus scribitur *Arboc*) & aliquando *conuallis Mambre*, vt Benedictus annotauit. Cariath-Arbe, siue ciuitas Arbee, & Hebron dicitur Gen. 23. vbi agitur de obitu Saræ vxoris Abraham his verbis: *Vixit autem Sara centum viginti septem annis, & mortua est in ciuitate Arbee, quæ est Hebron.* In quæ verba Lyranus duplicem assignat rationem, quare dicatur ciuitas Arbee, id est, quatuor; ita vt Arbee sit nomen appellatiuum. Prior est, propter quatuor gigantes ibi sepultos, scilicet Achiman, Sisai, Tholmai, & patrem eorum. Altera, & melior, est, propter quatuor Patriarchas ibi sepultos cum coniugibus suis, scilicet Adam & Heuam, Abraham & Saram, Isaac & Rebeccam, Iacob & Liam. De primo habetur Ios. 14. de aliis Gen. 49. Hanc nominis interpretationem anteà dedit B. Hieronymus superiùs adductus; quem alij sequuntur. Verùm loco Adam melius poneretur Caleb; quoniam Adam in Ierusalem sepultus creditur, secundùm communiorem probabilioremque sententiam, quemadmodum diximus Lib. v. Cap. 11. Peregrinationis 11. Vel dicitur Arbee nomine proprio hominis inter Enacinos maximi, ex quo alij processerunt, Ios. 14, 12. & Iudic. 1, 10. quia in ea vixit gloriolus, vel eam reædificauit.

Mambre vir & regionis nomen.

Mambre etiam antiquitus dicta fuit, à Mambre amico Abrahæ, inquit D. Hieronymus in lib. Hebraic. quæst. in Gen. c. 35. Potest etiam dici à Mambre regione, cuius Hebron præcipua pars erat. Mambre siquidem fuisse etiam nomen regionis, in verba Genes. 35, 27. *Venit etiam* Iacob *ad Isaac patrem suum in Mambre, ciuitatem Arbee, hæc est Hebron*, notauit Lyranus, dum ait: *Mambre, nomen est regionis, in qua erat ciuitas Arbee, quæ alio nomine vocata est Hebron.* D. Hieronymus vbi suprà inquit: *Pro Arbee in Septuaginta campum habet, cùm Hebron in monte sita sit.* & in ea verba Gen. 23, 2. *Et mortua est Sara in ciuitate Arbee, quæ est in valle, hæc est Hebron*, &c. ait: *Hoc quod hîc positum, quæ est in valle, in authenticis codicibus non habetur.* Et sanè non est in nostra Vulgata correcta.

Conuallis etiam Mambre appellatur in interpretatione nominum Hebraicorum, quæ erat in fine Bibliorum ante correctionem Sixti V. & citatur Gen. 13. Num. 13. 1. Paralipom. 3. & Arbee, Genes. 23. & Cariath-Arbe, Ios. 15. Verùm, quantum conijcere possum, non habetur in his locis quòd talibus nominibus appelletur, sed quòd in ipsis fiat mentio Hebron.

Ciuitas Sacerdotalis autonomasticè dicta.

Volunt etiam aliqui, quòd cùm in sacris Litteris nominatur ciuitas Sacerdotalis, absque alio addito, autonomasticè Hebron intelligatur, præcipua inter ciuitates Sacerdotales, quemadmodùm notauimus Libro hoc cap. 11. Peregrinationis 1v.

Commemorata nomina vetustiora sunt: & Arbee, inquit D. Hieronymus in libro de Locis Hebraicis, sub vocabulo Arboch, seu Arbee, ante Chebron: hoc verò ceteris recentius, quia ei inditum, posteaquam data fuit Caleb filio Iephone, vt legimus Iosue 14, 13. & Iudic. 1, 20. Tunc enim ex nomine Hebron filij ipsius Caleb, cuius fit mentio 1. Paralip. 2, 42. dicta est Hebron. Quod si verum est, vel oportet, quod vbicumque in libro Gen. Num. & Ios. videlicet ante ortum dicti Hebron filij Caleb, dicta vrbs nominata est Hebron, per anticipationis figuram, in sacris Libris alias non rarò vsurpatam, id factum esse intelligatur, vt quidam dixerunt. Vel, quod mihi probabilius videtur, cùm in dictis libris Gen. & Numer. præsertim antiquioribus huius ciuitatis nominibus prætermissis, ponitur Hebron, recentiùs positum fuisse ab aliquo habente auctoritatem interpretandi Scripturam causâ innotescendi; cùm præcedentia nomina ferè obliterata essent, & nouum Hebron vulgatum & receptum. Et hoc præcipuè verum erit, si illos libros conscripsit Moyses, quando Hebron nomen nondum erat huic ciuitati inditum: quia fuit tantùm Hebron appellata, postquam filij Israël ingressi sunt terram promissionis, & eam subiugarunt; ante quorum ingressum Moyses e vita discessit, vt patet Deut. 34, 5.

Hebron quando vocata.

Notandum etiam, duplicis Hebron fieri mentionem, veteris & nouæ. Noua fuit in colle & valle ædificata: magnas egregiasque continebat habitationes, vt non modicæ illius adhuc superstites ruinæ indicant: erat in parte Meridionali non solùm Ierusalem, sed etiam nouæ Hebron. Noua è regione veteris constructa est in planitie simul & colle, quæ à veteri separatur quantum ter iacit arcus, vt etiam dixit Adrichomius, dum de ea agit in Iudâ num. 145. ad Austrum versus, parum declinando ad Orientem, in loco speluncæ duplicis, vbi nunc castellum est, & magna Ecclesia:

Hebron vna & noua.

quæ ſimul vno ambitu & muro cinguntur.

Quomodo in valle ſit. Ex his obiter aduerte, quòd ſuperiùs dictum fuit Hebron eſſe in valle, intelligendum eſſe ex parte; & non, quòd tota ſit in valle ædificata: niſi mauis dicere, in valle, id eſt, prope conuallem Mambre; quæ ob excellentiam, antonomaſticè vallis appellatione intelligitur. Tam vetus quàm noua Hebron montibus vallatur; & inter vtramque media, pulchra & ſpatioſa planities. *Montibus cingitur.* His conſona ſcripſit Brocardus de Terra ſancta 1. Par. cap. 7. num. 61. dicens: *Ab ilice Mambre per dimidiam leucam, ad dexteram, iuxta viam, eſt vetus illa Hebron in monte ſita ſublimi ac tuto: ſed nunc ſolùm extant ruinæ; verùm tantæ, vt ſatis oſtendant, quanta ea vrbs olim fuerit. Ab hac Hebron antiqua, iactu trium arcuum verſus Auſtrum, paululùm tamen vergendo ad Orientem, exiſtit noua Hebron; ibi conſtructa, vbi duplex erat ſpelunca, quam ab Ephron emit Abraham in ſepulturam Saræ. Saraceni contra ſpeluncam duplicem, quæ intra Eccleſiam Chriſtianorum cathedralem continebatur, ædificarunt munitionem.*

Adamnanus de Locis ſanctis lib. 2. cap. 7. de Hebron ita loquitur: *Hebron, quæ & Mambre, olim Philiſthinorum metropolis & habitaculum Gigantum fuerat; & in qua Dauid ſeptem regnauit annis: nunc, ſicut ſanctus refert Arculphus, murorum non habet ambitum; & quædam ſolummodò diruta olim ciuitatis in reliquiis veſtigia oſtendit ruinarum; vicos tamen habet quoſdam vili opere conſtructos, & villas alias intra, & alias extra illas muralium reliquias deſtructionum, per campeſtrem collocatas planitiem. In quibus videlicet vicis & villis multitudo populi habitat.* Ita Adamnanus ante Brocardum. Et hæc de præſenti Peregrinatione ſatis.

PEREGRINATIO VIII. *in qua recenſentur & explicantur quatuor obſeruatione digna, quæ in ciuitate Hebron & circa viſuntur.* I. *Spelunca duplex, & Eccleſia ibi ædificata.* II. *Ager Damaſcenus.* III. *Eccleſia quadraginta Martyrum, ſiue ſepulchrum Iſai.* IV. *Terebinthus denique arbor vetuſtiſſima, & aliqua alia.*

CAPVT PRIMVM.

De ſpelunca duplici, & Eccleſia ibi ædificata, primo loco octauæ Peregrinationis.

VNus ex præcipuis & magis memorabilibus locis, qui in Hebron viſitentur, eſt ſpelunca duplex, de qua nunc ſermonem inſtituimus. Notandum itaque, quòd mortua Sara, ſancti eximijque Patriarchæ vxore dilecta, fuit hic pro illius honorifica ſepultura ſollicitus: vnde numerata pecunia emit ius ſepulchri ab Ephron, in quo mortuum ſepeliret, nolens cum ſepeliri in electis ſepulchris filiorum Heth, vt dicitur Gen. 23, 8. *Locus ſepulchri ab Abraham emptus.* Et hic locus, quem emit, erat in extrema parte agri Ephron filij Seor, qui habitabat in medio filiorum Heth. In eo erat ſpelunca duplex, quæ reſpiciebat è regione Hebron, vt dicitur Gen. 49, 29. & 50, 13. Veterem hîc intellige Hebron; nam noua ipſam includit. Erat locus iſte ceteris in extremitatibus poſitis melior & ſecurior; quia in medio aliorum: dicitur enim, Dominum habitaſſe in medio filiorum Heth; & quia in ſuburbiis erat; & ex pretio, quo illum emit Abraham, quod fuit quadraginta ſiclorum argenti, Gen. 23, 16. idipſum deprehenditur.

Sed quare locus iſte ſpelunca duplex appellatus eſt? *Spelunca duplex appellatur: & quare.* Multæ ſunt Doctorum rationes in cap. 23. Gen. Lyranus reſpondet, quia, ſecundùm aliquos, duplex ibi erat ædificatio, vna inferior, & altera ſuperior, ſicut in capella Regis Pariſijs. Secundùm alios dicitur duplex; quia licet eſſent in eadem æqualitate, tamen in vna ponebantur viri, & in alia vxores. Addunt alij, in ſuperiori viros, & in inferiori mulieres fuiſſe tumulatas. Quæ poſterior ratio ſi vera eſt, hoc nomen locus iſte ſortitus fuit, poſtquam ab Abraham fuit emptus; anteà enim non erat deputatus ſepulturæ mortuorum: ſi enim ibi fuiſſent ſepulchra, fuiſſent illorum Gentilium: & in electis etiam illorum ſepulchris renuit ſanctus Patriarcha fidelem vxorem ſuam ſepelire.

Aben Eſra, quem ſequitur Caietanus, ſpeluncam duplicem putat appellari, quia ſpelunca intra ſpeluncam, & ad vtramque vnicus erat aditus, fortè ad ſimilitudinem Dominici Sepulchri; de quo egimus Lib. V. Cap. 1 x. & x. Peregrinationis 11. Alij, quia vna erat in medio alterius, minor in maiori; & in idem videtur recidere cum præcedenti. Alij denique aliter, vt videre eſt apud ſacros Doctores.

Sed quare Abraham elegit hanc ſpeluncam pro ſepelienda vxore ſua, & non magis *Dubium.*

gis eam sepeliuit in electis sepulchris filiorum Heth, vt ipsi ab eisdem fuit exhibitum?

Solutio. Respondeo cum Lyrano, quia illi infideles erant: & noluit eam cum infidelibus sepeliri, vel vt deinceps infideles cum ea sepelirentur; illamque emit sepulturam, ne illi in eam ius haberent. In præsentia etiam in partibus istis laudabilis est consuetudo, vt homines diuersorum rituum & legum in distinctis sepeliantur locis: in alio enim loco Catholici, & in alio schismatici & hæretici, & in alio Iudæi, similiter & Turcæ, sepeliuntur loco. Peculiariter autem voluit Abraham Saram in spelunca illa duplici sepeliri, vel vt, quàntum sibi concedebatur, honesta sepultura dilectam suam honoraret; vel quia in agro, vbi erat illa spelunca, erat sepulchrum Adæ, inquit Lyranus cum Iudæis in Hebron habitantibus.

Loca diuersa pro diuersis sepeliendis in his partibus.

In spelunca duplici sepulti.

In ista itaque spelunca primò fuit Sara sepulta à suo coniuge Abraham, Gen. 23, 19. Aduertit tamen Lyranus, quòd licet Adam & Heua fuerint sepulti in agro vbi erat illa spelunca, non tamen in ipsa spelunca. Postea in eadem illius vir senio confectus, vita cum morte commutata, tumulatus est, vt dicitur Gen. 25, 9.

Isaac & Rebecca coniuges post mortem ibidem tumulati fuerunt, Gen. 49, 31. Lia etiam & vir eius Iacob, Gen. 50, 13. Et fortè, vt placet Iosepho 2. Antiquit. cap. 4. ibidem ossa duodecim Patriarcharum tumulata fuere. Sed de hoc infrà sequenti Libro Cap. VII. 1. Peregrin. agemus.

Ecclesia & Monasterio decorata.

In loco huius spelunceæ, reddita Ecclesiæ pace, fuit ab Helena, Magni Constantini pia matre, Ecclesia ædificata ad honorem insignium illorum virorum & mulierum; iuxta quam erat Monasterium pro illius cultoribus, inquit Bonifacius. Ascenditur ad eam per scalam pulchram & planam graduum triginta, si benè recolo. Totius ædificij structura mirabilis est, ex maximis quadratis dolatisque marmoribus constructa.

Forma. Ecclesia pulchra & sufficientis magnitudinis: in eius dextera ingressus parte tres sunt capellæ; sub quibus esse sepulchra Abrahæ, Saræ, Isaaci & Rebeccæ, Iacobi & Liæ, asseritur. Ingressios in Ecclesiam Christianis communiter est interdictus, ad sepulchra verò etiam ipsis Mauris. Asserunt enim isti, ad ea descendentes statim animam exhalare. Ecclesia ista, etsi facta sit spelunca latronum, immundorum videlicet Turcarum habitatio; ab eisdem tamen, ob sanctorum Patriarcharum memoriam & honorem, in magna veneratione habetur; ad quam ex diuersis partibus ideò veniunt, & ob illam Hebron est vnum ex præcipuis Turcarum sanctuariis, siue memorabilibus locis, ad quæ ipsi pietatis ergò peregrinantur: & plures ducunt filios ad circumcidendum.

Magno in honore habetur à Turcis.

In hoc ipso loco est castellum ciuitatis, vno muro cum Ecclesia circundatum. Vtinam ab ea arceantur latrones & iniusti possessores, & à legitimis dominis veníque Dei cultoribus habitetur, & falsa Mahumetica superstitio in verum & acceptabilem Deo cultum commutetur!

Ibi ciuitatis castellum.

Adamnanus ex sancto Arculpho, qui ante Domini annum 690. ad sanctæ Palæstinæ loca peregrinatus fuit, paulò aliter de præmissis loquitur; quòd ne hic à Lectore desideretur, subscribere placuit. Ille verò habet: *Ab Orientali plaga Hebron, à tergo occurrit spelunca duplex respiciens Mambre, quam emit Abraham ab Effron Ethæo in possessionem duplicis sepulchri. In huius ergo valle sanctus Arculphus locum sepulchrorum Arbee visitauit, hoc est, quatuor Patriarcharum, Abraham, Isaac, & Iacob, & Adam primi hominis: quorum planta, non sicut in aliis orbis regionibus ad Orientem humatorum conuerti moris est, sed ad Meridiem versa, & capita contra Septemtrionem plagam conuersa. Horum locus sepulchrorum quadrato humili circumuenitur muro.*

Lib. 2. de Locis sanctis c. 8 & Beda lib. 2. cap. 9.

Alia à meo more his sibi diuersa.

Adam protoplastus, cui peccanti continuò post perpetratum peccatum à Deo Creatore dictum est, Terra es, & in terram ibis, separatur à ceteris tribus haud longè ad Borealem partem extremus, vel quadrangularis lapidei vasculi partem, non in saxeo in petra excisso sepulchro super terram, vt ceteri de semine eius honorati quiescunt, sed in terra humatus, humo tectus, & ipse puluis in puluerem versus, expectans resurrectionem cum vniuerso semine suo, pausat: & sic de tali sepulchro eius ad ipsum de seipso prolata expletur diuina sententia, & iuxta exemplum primi parentis sepulchri, ceteri tres Patriarchæ, & ipsi vili pulueri tecti, dormientes pausant: quorum quatuor sepulchra habent circumcisas & dolatas de singulis lapidibus superpositas, quasi ad formam alicuius Basilicæ, paruas memorias fabricatas, & iuxta mensuram longitudinis & latitudinis vniuscuiusque sepulchri formatas. Abraham, Isaac, & Iacob, tria sepulchra vicina, tribus superpositis duris conditis lapidibus, ad hanc, de qua scripsimus, figuram formatis, vt superiùs diximus, protegunturs. Adam verò sepulchrum superposito quidem, sed obscurioris lapide coloris & vilioris operis protegitur. Trium quoque feminarum viliores & minores memorias ibidem conspexit Arculphus, Saræ videlicet, Rebeccæ, & Liæ in terra humatarum. Illorum itaque Patriarcharum sepulchralis agel-

* Hæc figura non comparet in M. Colic.

lus, à muro illius antiquissimæ Hebron, in vnius stadij spatio, Orientem versus distare dignoscitur. Ita Adamnanus.

Vide quantum ista à præcedentibus differant: & ex eo quod dicit Adamnanus, locum sepulchrorum quadrato humili circumueniri muro, arbitror ipsum locutum fuisse de illo loco, vbi Abraham excepisse Angelos hospitio diximus cum vulgo superiùs. Reliqua ex dictis quoquo modo explicari possunt. Et si Adæ corpus fuit apud Hebron sepultum, dici potest eiusdem caput fuisse in Ierusalem & Caluariæ monte repositum.

Cap. IV. VII. Peregr.

CAPVT II.

De agro Damasceno, secundo loco ostensè Peregrinationis.

PRope Hebron, & circa, multi sunt campi; in quibus vineæ plantatæ sunt: ex his vnus memorabilis est, qui *Ager Damascenus* ab huius regionis incolis & à tractatoribus Terræ sanctæ appellatur: non est valdè magnus; distat à noua Hebron, quantum iacit arcus, & ampliùs, à latere eius dextro declinando ad Meridiem. Terra illius vergit ad rubedinem, sicut & reliqua ferè vinearum Hebron: tractabilis est, & in pretio habetur; ex eaque particulas ad propria deferunt peregrini, & fratres Ieroso-lymam, ex quibus coronas & Agnus-Dei conficiunt.

Agri Damasceni situs & conditio.

Brocardus de isto agro Damasceno sequentia scribit: *A spelunca duplici, ad lactum vnius arcus, contra Occidentem est celebris ager Damascenus, habens terram rubram flexibilem & tractabilem instar ceræ, quam Saraceni deuehunt in Aegyptum, Aethiopiam & Indiam, vt rem valdè pretiosam carè vendentes.* Hæc ille: quem plures alij sequuntur, addentes, in isto agro remanere primò foueas ex terra ablata, quæ reuoluto anno implentur; & terram illam tantæ esse virtutis, vt eam gestantibus nulla incommoda noceant: vnde aliqui ea in variis superstitionibus abutuntur.

Terra eius à Saracenis æstimata.

In hoc ipso agro, inquit Bonifacius de Perenni cultu Terræ sanctæ, *secundùm omnium Orientalium placitum, primus parens Adam à Deo plasmatus fuit, ex eo in terrestrem paradisum translatus; atque inde post peccatum, quo se & nos omnes perdidit, eiectus, huc rediit ad faciendum pœnitentiam: & non longè ab agro Damasceno locus pœnitentiæ Adæ monstratur. Ideò & crediderunt aliqui, ob eius & circumiacentis loci amœnitatem, & quia non longè extra paradisum Adam creditur formatus, fuisse paradisum terrestrem.* Hæc Bonifacius. Ad quæ respiciens Brocardus, verbis superiùs ex ipso adductis sequentia addidit: *Fama est, vetusq; traditio, in eo agro, & ex illa terra rubra, formatum esse corpus primi hominis. Nomen certè Adam terram rubram significare dicitur. Hinc iactu ferè duorum arcuum contra Occidentem est quædam spelunca sub rupe, sub qua fertur Adam & Heuam filium suum Abel interfectum centum annis luxisse. Ostenduntur inibi eorum lecti saxei, & scaturiens inde fons, ex quo bibisse eos creditur. Habet locus in longitudinem triginta fermè pedes.* Sed de his in sequentibus dilucidiùs. De agro Damasceno agit Adrichomius in Iuda num. 90.

Secundùm Orientales ibi Adam plasmatus, & pœnitentiam fecit.

Fr. Anselmus Minorita de his agens inquit: *Non longè ab Ecclesia Patriarcharum est ager Damascenus, vbi fuit primus homo formatus de limo terræ. Inueni scriptum in partibus Orientis, quòd hac terra ab incolis comeditur, & per Aegyptum venalis portatur; & quantò profundius vel latiùs foditur, tantò Dei dispositione anno finito reintegrata reperitur. Sed mihi hoc non est probabile: & iste ager est in valle. Vltra agrum Damascenum in alio monte, quasi ad iactum vnum sagittæ, est spelunca in quadam rupe, in qua Adam & Heua fecerunt pœnitentiam, & luxerunt Abel occisum centum annis: & ibi est modò aqua; & vocatur lacus lacrymarum.* Ita ex illo.

CAPVT III.

An in Hebron, vel circumiacenti regione, fuerit terrestris paradisus.

AD intelligentiam eorum quæ Capite præcedenti retulimus, & ne quorumdam Hebræorum & Orientalium vanis aliquibus traditionibus decipiamur; veritate relicta, falsa, vel valdè dubia sequamur; tria distinctis Capitibus in præsentia, prout licuerit, explicabimus. Primum, num in Hebron, vel circumiacente regione fuerit terrestris paradisus? Secundum, an Adam in agro illo Damasceno conditus sit, ex illiusque molli & flexibili terra & tenuissimo puluere formatus? Tertium denique, an Adam & Heua, post peccatum eiecti de paradiso, venerint in hanc regionem, & apud Hebron loco memorato Capite præcedenti egerint pœnitentiam? ex horum enim explicatione apparebit, quid de præmissis sentiendum sit, & quodnam iudicium sit de similibus faciendum.

An apud Hebrō fuerit terrestris paradisus.

Et ad primum quæsitum primò respondeo, Hebron & circumiacentem regionem non esse terrestrem paradisum, neque in ea fuisse.

fuisse. Et ad id asseuerandum multiplici adducor argumento.

Quod non fuerit, probatur primò.

Primò, Paradisus ille, & locus voluptatis, quem plantauit Dominus in hominis solatium, oblectamentum & habitationem; si in statu innocentiæ & originali iustitia, qua à Deo in eius conditione condecoratus fuit, perstitisset; erat in Orientali plaga regionis Eden, in eminenti loco, & non mediocris quantitatis & capacitatis. At Hebron, & circumiacens regio, neque est propriè in Orientali plaga regionis Eden, neque est regio Eden, neque in tam eminenti loco, neque tantæ quantitatis & capacitatis, quantæ creditur fuisse paradisus. Igitur Hebron, vel regio circumiacens, paradisus ille voluptatis non est, nec in ea situs. Maior propositio quoad singulas partes probatur. Et primò, quòd terrestris ille paradisus fuerit in Oriente plantatus: etenim amœnissimo & delicioſissimo loco, qualis erat paradisus terrestris, situs etiam præstantissimus debebatur: sed, secundùm communem sententiam, inter omnes mundi partes & situs tam in cælo quàm in terra nobilissimus & præstantissimus est Orientalis: illinc enim primus & perfectissimus motus primi mobilis suam capit incitationem. Igitur in tali situ videtur collocandus paradisus terrestris. Et sanè in hoc videntur plerique Doctores conuenire. Deducitur etiam ex Scriptura Gen. 2. sequendo lectionem Hebraicam & septuaginta Interpretum: vbi enim nostra Vulgata legit, *Plantauerat autem Dominus Deus paradisum voluptatis à principio*; & post pauca, *Et fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum*; Hebr. & Septuaginta habent, *Et plantauit Deus paradisum in Eden ad Orientem*, &c. & paulò pòst, *Flumen autem procedit ex Eden ad irrigandum paradisum*. Ex his colligitur, paradisum fuisse plantatum in plaga orbis Orientali, & in regione quæ Hebraicè dicebatur *Eden*; seu, vt alij interpretantur, in parte Orientali ipsius regionis Eden, quæ ad Orientem respectu Palæstinæ sita fuit. Eden enim creditur fuisse vbi nunc est Mesopotamia, aut non longè ab illis partibus: Ezechiel enim cap. 27, 23. inter negotiatores Tyri iungit habitatores Eden cum habitatoribus Charam, seu Haram, quam esse in Mesopotamia constat Genesis 28, 5. Et Isaias cap. 37, 12. inter gentes ac regiones à Regibus Assyriorum domitas connumerat Eden & Haram, innuens non valdè ab inuicem dissitas esse. At regiones istæ propriè in Scriptura Orientales appellantur. Hinc Genes. 29, 1. cùm dicitur Iacob ex terra Chanaan profectum fuisse in Mesopotamiam, dicitur iuisse in terram Orientalem, vt alia omittam testimonia. Ad hæc, paradisus à pluribus creditur esse in Asia non procul à Mesopotamia, vel Arabia. Ita Augustinus Eugubinus, Hieronymus ab Holeastro, Franciscus Vatablus in Annotationibus ad cap. 2. Genes. Cornelius Iansenius in cap. 43. Concord. Euang. Pererius, Torniellus, &c. & ita primum, paradisum fuisse in Orientali plaga orbis & regionis Eden.

Terrestris paradisus in Oriente plantatus.

Eden vbi.

Regiones Orientales in Scriptura quæ.

Sed obiiciet quispiam, ex citato loco Genesis secundùm lectionem Hebraicam & Septuaginta non colligi argumentum ad probandum, terrestrem paradisum fuisse in Orientali parte orbis: etenim nomen *Eden* ambiguum esse potest, commune videlicet & appellatiuum, vel proprium. *Obiectio.* *Eden nomen multiplex.*

Si in priori significatione accipiatur, voluptatem & delicias significat; si in posteriori, peculiarem notat locum deliciis consitum: & in hac intelligitur illud Genes. 4. v. 16. *Egressusq; Cain à facie Domini, habitauit profugus in terra ad Orientalem plagam Eden:* Ezech. & Isa. locis antè adductis. Et in qua significatione locus ille Genes. accipiatur, lis est inter Doctores. Quidam enim dicunt, Eden non esse nomen proprium loci, sed appellatiuum, quod interpretatur deliciæ. Ita Seuerianus adductus à Lyppomano in Catena, vbi ait: *Eden delicia interpretantur. ac si diceret: Plantauit Deus paradisum in deliciis, hoc est, in loco deliciis pleno.* Idem alij. Et si in hac significatione ibi Eden accipitur, nihil pro nobis facit illa auctoritas.

Gen. 2, 8.

v. 10.

Soluitur.

Eden nomen non in communi, sed propria significatione accipitur.

Sedenim accipi debere in posteriori & propria significatione, pro nomine proprio loci & regionis, communior & verior sententia est, quæ probatur in hunc modum: Si Eden loco illo Genesis non accipitur in propria significatione, videtur Moyses in sua narratione abundasse & defeciſſe: abundasse quidem, quia si paradisus, vel Eden, locum delicioſum significat, ad quid addere *voluptatis?* videtur enim tunc talem reddere sensum, Plantauit Deus paradisum in voluptate; sed in voluptate abundat: defeciſſe etiam; etenim loquens de habitatione Cain, postquam egressus fuit à facie Domini, occiso Abel fratre suo, dicit: *Egressusq; Cain à facie Domini, habitauit profugus in terra ad Orientalem plagam Eden:* Quando namque plaga alicuius regionis notatur, respectu alicuius proprij loci assignatur, aliter illius situs & plaga non dignoscereturs cùm certum sit, vnam & eamdem regionem, respectu diuersorum, esse Orientalem & Occidentalem, &c. Quare ne in oratione sit ambiguitas, aliquis pro-

Digitized by Google

prius locus assignandus est, respectu cuius regio illa dicatur Orientalis, vel Occidentalis, &c. Itaque, cùm dicat Moyses, Cain habitasse ad Orientalem plagam Eden, Eden erit nomen proprium loci, vel, quod in idem recidit, antonomastice locum aliquem valdè deliciosum, terrestrem videlicet paradisum, determinabit.

Tornellus suffragatur, dum ait: *Probabile admodum est, eamdem vocem Eden etiam Gen. cap. 2. pro regione Orientali sic dicta sumi debere; quemadmodum procul dubio sumitur in cap. 4. eiusdem libri, vbi dicitur, quod egressus Cain à facie Domini, habitauit profugus in terra ad Orientalem plagam Eden: nam cùm in vtroque Gen. cap. adiungatur particula illa ad Orientem, sive (quod idem est) ad Orientalem plagam, vtique dari intelligi, vocem illam Eden, vtrobique in eadem significatione fuisse acceptam, vt clarius septuaginta Interpretes expressernnt.* Hæc ille.

Confirmatur; quia, vt in solutione tertij quæsiti dicemus, habitauit Cain non longè à terrestri paradiso, postquam ab eo fuit electus: quare Eden nomine paradisus ille venit intelligendus. Denique dicta à Moyse de paradiso, magis proprio ac determinato loco quàm communi conuenire videntur: vt, quòd fuerit in regione Eden, ad plagam eius Orientalem, irriguus magno quodam flumine, quod postea in quatuor ingentia & celebria flumina dispertiebatur; & quòd egrediebatur fluuius de Eden ad irrigandum paradisum.

Credo itaque breuiter posse dici, cùm nomen Eden dicitur de regione, esse nomen proprium; cùm verò de paradiso, commune, sed per excellentiam illi appropriatum; significaréque locum illum deliciarum, in quo Deus primum hominem collocauit, positum in regione illa Eden: & ita intentum, terrestrem paradisum esse in Orientali plaga orbis & Eden: quod statim ex Damasceno confirmabitur amplius.

In eminentiori loco quàm sit Terra promissionis positus paradisus.

Altera pars maioris illius propositionis erat, terrestrem paradisum positum fuisse in eminentiori & excelsiori loco, quàm fuerit tota Terra promissionis. Et probatur ex Damasceno, qui lib. 2. de Fide Orthod. cap. 11. sequentia de paradiso scriptit: *Est locus Dei manibus in Eden ad Orientem mirabiliter consitus, omnis lætitiæ ac voluptatis promptuarium, omni terra excelsior, optima temperie cæli, aëre subtilissimo & purissimo, plantis semper virentibus suauissimumq; odorem spirantibus plenus, lumine vniuersa sensibilis venustatis & pulchritudinis excedens intelligentiam. Diuinus profectò locus mirificè congruens primi hominis dignitati: in quo nullum animal habitat, sed solus diuinarum manuum factura homo.* Hæc Damascenus.

Amplitudo paradisi non mediocris.

De quantitate verò & amplitudine terrestris paradisi (vt vltimam partem illius propositionis explicemus) nihil certi ex Scriptura statuere possumus; & ideò in illa assignanda variant inter se Doctores. Mihi verosimile videtur fuisse non mediocris amplitudinis, & multò maioris quàm sit Hebronica regio, & tota Terra promissionis. Nec arbitror esse, qui huic sententiæ efficaci ratione refragari possit; quæ & sic explicatur: Paradisus terrestris futurus erat habitatio hominum, si Adam in statu innocentiæ perstitisset, & si non omnium, saltem plurium: in eo erant innumera arborum genera, & alia quæ illum fecundum & delicioſum faciebant. Ad hæc, ibi erat fluuius ipsum irrigans tantæ magnitudinis, vt in quatuor capita, siue flumina magna, diuideretur, vt docet Moyses Genes. 2, 10. & ista non nisi in magno & spatioso loco esse possunt. Et quamuis Scriptura illum hortum appellet, non est ob paruitatem, sed ob illius amœnitatem, quemadmodum aliàs idem in simili facit.

Hebronica regio proprie in Oriente non est.

Minor argumenti propositio, Hebron & eius circumiacentem regionem, non esse proprie in Oriente, & in Orientali regione Eden, &c. patet ex supradictis; & amplius explicatur: etenim Palæstinæ locà, in quibus est Hebron & eius regio, non sunt absolutè & verè in Orientali mundi plaga, sed Meridionali, vt videre est in vniuersali totius orbis descriptione; etsi nos, dum in Occidente sumus, Orientalem regionem appellemus. Et Scriptura sacra nusquam dicit Palæstinam esse in Oriente, sed benè Persidem, Armeniam, Arabiam, Mesopotamiam: & gentes his regionibus propiniquiores, quàm sint Iudæi, vel Palæstini, dicuntur esse in Oriente, vt alibi, si benè recolo, ostendi, & consequenter Hebron & eius regio Eden non est, nec in Eden sita: & ita non fuit ibi terrestris paradisus.

Obiectionis solutio. Genes 13, 10.

Et quamuis olim, antequam Dominus subuerteret Sodomam & Gomorrham, non longè ab Hebron, vbi nunc est Mare mortuum, esset vallis Saue, quæ erat velut paradisus Domini, vt ait Scriptura sacra; non tamen dicit fuisse paradisum illum, nec esse poterat, ob anteà dicta, & statim dicendà: sed paradiso Domini comparatur, quoniam inter ceteras illius regionis partes fertilior erat, & deliciis affluentior.

Secundò, ad principale.

Secundò, principaliter, Hebron & circumiacens regio est pars Terræ promissionis, & consequenter montosa, arida & inaquosa, quæ non irrigatur aquis Nili, vt

Ægy-

Digitized by Google

Ægyptus, sed de cælo expectat pluuiam, vt diximus Capite XXVIII. 1. Libri. Igitur non poterat hîc esse paradisus terrestris, qui vndequaque abundantibus aquis irrigabatur. Et confirmatur ex his quæ de paradiso terrestri dicunt sacri Doctores. Paradisus ita describitur à sancto Basilio in libro de Paradiso, à Ioanne Damasceno loco antè citato, à sancto Augustino lib. 14. de Ciuitate Dei cap. 10. ab Alchimo, Auito, & Claud. Mario Victore, & aliis communiter, vt fuerit in eo ver perpetuum, nulla frigora, nulli æstus, nullæ pluuiæ, niues, grandines, nullæ etiam nubes: quod ipsum significat Scriptura, cùm dicit primos homines in paradiso fuisse nudos. At Hebronica regio, etsi aliquibus delitiis non careat, sua tamen habet frigora, suos æstus, grandines, pluuias, &c. Neque responderi potest, ob diluuium mutatam esse magna ex parte loci illius felicitatem; nam diluuium non mutauit situm locorum, & aëris temperamentum. Itaque perierint ob diluuium arbores, perierint fructus & flores, temperamentum aëris perire non potuit.

Quàm delitiosus paradisi status.

Solutio obiectionis.

Tertiò.

Tertiò, si ibi fuisset paradisus terrestris, & nunc esset, sequendo illam opinionem, quæ asserit, non fuisse aquis diluuij dissipatum & destructum: & si dissipatus est, secundùm alios, ostendantur ad minus fons & flumina illa quatuor ex illo erumpentia; & si non omnia, quòd sint absorpta in terra, vt aliquando & aliis accidit, saltem aliquod ipsorum. Nec Iordanis, supposito quòd ex paradiso originem trahat, secundùm illam opinionem, quam suprà adduximus Capite 11. VI. Peregrinationis, hinc fluit & originem ducit, vt ex ibi dictis constat: & mirabile esset, quòd si hîc vt ex paradiso originem haberet, quòd non etiam viderentur flumina illa magna ex illo erumpere.

Quartò.

Quartò, si hîc erat paradisus ille; igitur non extra ipsum fuit Adam formatus, & posteà in eo collocatus, vt docet Moyses Genes. 2. quoniam ager Damascenus, in quo volunt isti fuisse primum hominem creatum, est in regione Hebron, imò prope ipsam ciuitatem, vt Capite præcedenti dictum fuit.

Quintò.

In Orientali India plantarum fuisse paradisum qui fuerint.

Quintò, refragantur huic sententiæ illi qui sentiunt, Deum plantasse paradisum voluptatis in India Orientali; & sunt isti Lactantius Firmianus lib. 2. diuin. Instit. c. 13. Itidor. lib. 14. Etymol. cap. 3. Nicephor. lib. 9. Hist. cap. 19. Damascen. lib. 2. cap. 11. D. Thom. 1. p. q. 102. artic. 1. & alij multi Patres: & horum sententiam satis probabilem & communem aliqui appellant, quoniam illa regio temperatissima, amœnissima & fecundissima est; quam eruditè refert & illustrat Thomas Maluenda de Paradiso cap. 51. Martinus Delrius in Adag. sacris, Adag. 789. Ludouicus Balester in Hierologia lib. 2. cap. 4. quibus consentit sanctus Aluin. Auitus lib. 1. de Initio mundi, dum ait:

Est locus Eoo mundi seruatus in axe
Secretis natura suis; vbi solis in ortu
Vicinos nascens Aurora repercutit Indos.

Sextò.

Sextò denique, si hîc erat paradisus terrestris, quomodo Adam huc rediisse & habitasse potuit, postquam ex illo eiectus fuit, vt redit, & habitauit, sicut posteà dicemus in tertio quæsito Cap. v. cùm Scriptura dicat, Deum collocasse ante paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium atque versatilem ad custodiendam viam ligni vitæ, Genes. 3, 24. Ex his omnibus constat, paradisum terrestrem non esse in Hebronica regione, sed vel in Mesopotamia, vel non longè ab ea, aut in Orientali India, vel certè à cognitione humana remotissimum, vt vult sanctus Augustinus lib. 8. de Genes. cap. 7. Qui plura de hac materia scire desiderat, & in genere de Paradiso, consulat Benedictum Pererium Tom. 1. in Genesin cap. 2. lib. 3. qui est de Paradiso, & alios interpretes in illum locum, Cardinalem Bellarminum Tom. 3. Controu. in libro de Gratia primi hominis à capite 10. vsque ad finem, & alios, ex quibus nos plura mutuauimus.

CAPVT IV.

Adam fueritne in agro Damasceno prope Hebron formatus.

SEcundum quæsitum superiùs propositum erat, num in agro illo Damasceno prope Hebron, & ex illius flexibili & molli terra fuerit Adam plasmatus? Quæsitum hoc vnum verum supponit, & quod quærit dubium. Illud, quòd Adam fuit extra paradisum creatus de limo terræ, hoc expresse testatur Scriptura Genes. 2, 15. vbi hæc habentur: *Tulit ergo Dominus Deus hominem, & posuit eum in paradiso voluptatis*, &c. Igitur si tulit, vel transtulit hominem; vtique de loco, in quo eum creauerat, transtulit in paradisum voluptatis: ergo non in paradiso illum creauerat, sed alibi, & ex terra, quæ erat extra paradisum, vt posteà Gen. 3, 23. Moyses indicauit, dicens: *Emisit eum Dominus Deus* Adam *de paradiso voluptatis, vt operaretur terram, de qua sumptus est.* Igitur extra paradisum conditus fuit; & ex terra quæ data est ei ad operandum in sudore vultus sui.

Extra paradisum Adam plasmatus fuit.

Sed

Vbi peculiariter, tres sunt sententiæ.

Sed vbi, & ex qua terra, vt quod dubium est, prout licebit, explicetur? In campo Damasceno, & ex illius terra, inquiunt Magister Histor. Scholast. de Gen. cap. 12. Abulensis in cap. 13. Genes. quæst. 138. & ferè alij omnes. Verùm quoniam plures campi inueniuntur, qui hoc nomine appellantur, alter apud Damascum Syriæ, alter apud Hebron in Iudæa, & tertius apud Mesopotamiam, difficultas esse potest, in quo horum trium fuerit formatus.

Campus Damasceni triplex: Damasci, Hebron, & Mesopotamiæ.

Prima sententia, in campo Damasceno Damasci.

Quidam dicunt in campo Damasceno, qui est apud Damascum; arbitrati, ex nomine ciuitatis locum illum fuisse appellatum. Quare cùm agro, qui est apud Damascum, sit aptatum Damasci nomen; is erit, in quo & ex quo primus homo formatus est. In hanc sententiam videtur inclinare Salmeron, dum Tomo 1. Prolegom. 41. loquens de Syria Damasci, dicit: *Ostendunt quoque Damasceni locum, in quo Abel occisus est à Cain: ex quo coniectura fit, Adamum de paradiso pulsum, illas partes cum filiis suis inhabitasse. Nam ex campi Damasceni terra, siue puluisculo, Adam conditus creditur.* Hæc ille. Et cùm essem Damasci, Hebræus quidam ostendit mihi campum illum, vbi est columnæ pars & terminus pro signo loci formationis primi hominis, & dixit: Vos Christiani dicitis, ibi Adam fuisse à Domino plasmatum; sed nos Hebræi, hoc non credimus.

Reiicitur.

Verùm paucos Christianos illud dicentes audiui. Nec coniectura illa est sufficiens: nam si à ciuitate appellatus est ille ager Damascenus, ad quid necesse est locum illum peculiarem designare, cùm simili ratione tota circumiacens Damascena regio, à Damasco ager Damascenus dici possit?

Secunda, in campo Damasceno Hebron.

Alij dicunt conditum fuisse Adam apud Hebron; sed est inter istos discrimen: quidam enim non assignant locum determinatè, tantùm dicentes, apud Hebron conditum, quæ est in campo Damasceno, existimantes campum Damascenum esse peculiarem regionem; moti ea ratione, quòd ibi post lapsum è vita decesserit, quia Ios. 14. v. 15. dicitur in Hebron Adam maximus sepultus. Si isto dumtaxat fundamento innitatur hæc sententia, corruit; quoniam Libro v. Cap. 1v. 11. Peregrin. ostendimus ex loco Iosue adducto haud colligi, Adam esse in Hebron sepultum.

Ratio.

Reiicitur.

Quidam alij assignant locum determinate plasmationis, campum illum prope Hebron dictum Damascenum, cuius suprà Capite 11. mentionem fecimus: ita dicunt Abulensis vbi suprà, & omnes Orientales, vt notauerunt Brocardus & Bonifacius: & ego idipsum ab eisdem in partibus istis intellexi. Et Hebræorum traditio est, Adamum, cum vxore sua Heua, post peccatum, ex paradiso Angelico ministerio in Hebron, vbi corpus eius plasmatum fuerat, eadem die ductum fuisse.

Ratio alia.

Probatur hæc sententia tali ratiocinatione: Anima primi hominis erat forma perfectissima, igitur & perfectissimum corpus, siue subiectum, habere debebat; nam, vt Aristoteles docet 2. Physic. inter formam & materiam debet esse proportio. Sed perfectissima terra est illius agri, vt diximus. Confirmatur ex notione nominis Adam, hoc enim terram rubram significat; quare ex terra illius agri, quæ optima & rubra est, probabile est, primum hominem fuisse formatum.

Reiicitur.

Sed hæc ratio non concludit, & in multis deficit. In primis, quòd videtur innuere, hominis nobilitatem ex corpore sumendam esse: sed sumendam esse ex mente, qua Angelis & ipsi Deo assimilatur, communis & vera sententia est. Est tamen etiam corpore perfectissimus, cùm in eo quinque sensus perfectissimè vigeant, statura recta sit, manus habeat quibus potest quæ voluerit operari; quod aliis animantibus non est concessum. De humani corporis præstantia lege Pererium in cap. 2. Genes. num. margin. 85. & sequentibus.

Ex mente in primis hominis perfectio.

Deinde, si volunt ex illa terra esse formatum, quoniam perfecta est, quare non dicunt formatum ex cæli materia? vel si ex terrestri, quia id Scriptura docet, quare non ex terra paradisi longè perfectiore? & extra paradisum terra alia inuenitur longè perfectior Hebronica. Et quanta alia terra rubra, & magis quàm illa inuenitur, ex qua tamen non dicunt primum hominem effformatum? & proportio quæ esse debet inter materiam & formam, non intelligitur de materia remota plurimis formis communi, sed de proxima; & ita dicimus proportionem esse inter corpus Adæ effformatum & animam eius, quia ex vtraque fit perfectissimum quid: & anima hominis corpore mediante suas exequitur operationes; quod non faceret, si ei proportionata non esset. Voluit autem Deus remotum hominis principium esse terram & puluerem, vilissimam materiam; vt ex ea humiliaretur, & minimè superbiret, considerans suæ conditionis exordia, vt sacri Doctores docent.

Responsio ad rationem.

Homo è tam vili conditus, ne superbiret.

Addunt alij, in illius opinionis confirmationem, Hebræos oculatos referre, vsque in hodiernum diem notatum esse locum ibi, vnde terra, ex qua compactum fuit protoplasti corpus, desumpta fuit; incolas-

Alia ratio.

colaſque ac peregrinos illa vti in medicinam & antidotum, ad varias ægritudines curandas. Quidam etiam Luſitanus hiſtoricus, qui hoc narrat, ſcribit Hebræum quemdam, qui ex Palæſtina venerat, & hæc ei enarrauerat, quaſdam illius terræ particulas illi dono dediſſe, tamquam theſaurum incomparabilem atque inæſtimabilem: qui poſteà hoc vſus pharmaco, cùm letali morbo laboraret, Medicis de eius ſalute deſperantibus, repentè ſanus factus eſt.

Fides ſanitatis operatur.

Verùm nec ex his mouemur ad hanc ſectandam ſententiam: ego enim in partibus iſtis verſatus, ſimilia, cùm inueſtigaſſem ab huius regionis incolis Chriſtianis & Hebræis, intelligere nequiui. Et quòd æger ille à Medicis derelictus, fuerit ſanitati reſtitutus, poteſt adſcribi non virtuti illius terræ, ſed vel naturali virtuti corporis & naturalibus aliis medicamentis: etenim morbus ille, etſi creditus fuerit incurabilis, talis tamen non erat, vt in pluribus aliis contingit, qui à Medicis non cognoſcuntur. Vel ſi verè incurabilis erat, & ſupernaturali virtute ſanandus, magnæ fidei illius, cui nihil eſt impoſſibile, ſanitas adſcribenda eſt; quoniam illam terræ particulam, qua vſus fuit, ex ea credidit eſſe, de qua Deus hominem creauit: ſicut mulier quædam ab immundo ſpiritu liberata fuit, accepta quadam ligni nauis particula, quam credebat eſſe ligni ſanctæ Crucis, vt ei dictum fuit. & virtute fidei illius exiſſe dæmonem ipſe teſtatus fuit. Ita fieri poteſt, plures beneficio illius terræ gratias à Deo obtinuiſſe, quòd credant illam eſſe ex qua primus homo conditus fuit; etſi dubium ſit: vel meliùs, quia terra ſancta eſt.

Tertia ſententia, in tempo Damaſceno Meſopotamiæ.

Tertia ſententia, quam in re dubia & inexplorata libenter amplectimur, illorum eſt, qui dicunt, primum hominem conditum fuiſſe in agro Damaſceno, non illo Syriæ apud Damaſcum, nec Iudææ apud Hebron, ſed altero in Meſopotamia, vel propè; vbi ſatis probabiliter diximus fuiſſe terreſtrem paradiſum; nam non longè ab eo creditur efformatus. Cui opinioni ratio, vel ſufficiens auctoritas, quæ ei refragetur, vt opinor, non inuenitur. Et ex his remanet improbata ſententia aliorum, qui hominem primum in Ieruſalem formatum fuiſſe dixerunt: cuius meminit Epiſcopus Chriſtopolit. in Expoſitione primi verſiculi Pſalm. 47. Et hæc de ſecundo quæſito ſatis.

CAPVT V.

Sed numquid primi parentes noſtri, poſtquam de terreſtri paradiſo eiecti fuerunt, venerunt in Iudæam, & circa Hebron pœnitentiam egerunt?

AD tertium quæſitum, num videlicet Adam & Heua, poſt peccatum & expulſionem ex terreſtri paradiſo, venerunt in hanc regionem, & præcipuè circa Hebron, ibique egerunt pœnitentiam? Reſpondeo duabus propoſitionibus. *Duæ propoſitiones.*

Prima propoſitio. Adam & Heua eiecti de paradiſo habitarunt primò in regione eidem proxima, in Edem, ſicut & filij eius. Probatur tripliciter. *Prima. Primi parentes de paradiſo eiecti, poſtquam eorum filij habitarunt.*

Primò ex Gen. 3, 24. vbi enim noſtra Vulgata habet, *Eiecitq; Deus Adam, & collocauit ante paradiſum voluptatis, & poſuit Cherubim*, &c. Tranſlatio Septuaginta Interpretum legit, *Et eiecit Adam, & collocauit eum ante paradiſum voluptatis, & poſuit Cherubim*, &c. In qua lectione vides Septuaginta coniungere verba illa, *& poſuit ante paradiſum voluptatis*, cum prioribus aliis, *eiecitq; Adam*, de Adamo illa intelligendo: quem licet Deus de paradiſo eiecerit, voluit tamen ipſum non longè ab eo habitare, & è regione eius; vt frequenti aſpectu paradiſi, & eius quam perdiderat felicitatis recordatione, magis diabolum peccatumque odio proſequeretur, quæ fuerunt in cauſa, vt tanto bono priuaretur; & Dei amore, & ſpe cæleſtis beatitudinis, pœnitentia & lacrymis Deum iratum placaret, flammeum gladium extingueret, & Angelos ipſos ingreſſum prohibentes ſuperaret; ſi non in terreſtrem, in cæleſtem tandem paradiſum admitteretur; ſicut verè fuit Dei miſericordia admiſſus, vt Libro v. Cap. 11. 11. Peregrinationis fuit oſtenſum. Et ex hoc capite ſacri Doctores diuinam exaggerant miſericordiam, quæ modum reliquit Adæ, vt poſt lapſum poſſet ad priſtinam redire gratiam. Itaque ſenſus illius ſententiæ ſecundùm Septuaginta talis eſt ad litteram: Et eiecit Deus Adam de paradiſo voluptatis, & ante eum ipſum collocauit: & poſuit Cherubim & flammeum gladium verſatilem, ad cuſtodiendam viam ligni vitæ. & ita intentum. *Prima ratio. Deus primos parentes ad diaboli ac peccati odium induxit & pœnitentiam. Diuina in primos parentes miſericordia.*

Et quamuis noſtra Vulgata, Hebraica, & Paraphraſis Chaldaica, illud, *& poſuit ante paradiſum*, copulent cum Cherubim & gladio verſatili; non ideò illa reſpuenda, quoniam in illa Septuaginta ponitur idem quod in aliis verſionibus, & illud aliud ſuppletur. Et ſanè ita eſſe, ex eo conuincitur, quòd *Obiectionis ſolutio.*

quòd si non manisset in regione illa, superuacanea fuisset custodia illa Cherubim, & gladij, ad interdicendum accessum ad paradisum. Et confirmatur ex eo quod dicunt graues Doctores, Deum plantasse terrestrem paradisum, etsi parum tempore futurus esset vsui hominis, vt videlicet esset in terris aliquod corporatum, & aspectabile, quod incomparabilem paradisi cælestis pulchritudinem adumbraret, quo ex aliquo æstimari possent æterna bona diligentibus Deum in cælis præparata. Et si alicui tale exemplum fuit obijciendum, maximè nostris primis patribus; atque ita ante ipsum, vt melius contemplarentur, collocandi erant; Adam, inquam, & Heua ei à Domino in adiutorium data, & filij ab illis progeniti.

Deus paradisum cur condidit, à quo breui homo ejciendus erat.

Secunda ratio.

Secundò, Gen. 4, 17. dicitur, Cain, postquam fratrem suum interfecit, habitasse ad Orientalem partem Eden, vbi erat paradisus, vt priùs diximus: igitur & parentes eius; quia non est minor ratio id de illo, quàm de ipsis asserere. Et si ibi non habitassent, quomodo illis mors Abel innotuisset, & fleuissent, vt cognouerunt, & fleuerunt, secundùm omnes?

Quin & aliqui addunt, tunc certò experientia didicisse, quàm vera fuerit illa Domini sententia, *Puluis es, & in pulueremGen. 3, 19. reuerteris.* De qua forte ante Adam dubitauerat; quia vidit se, postquam fructum ligni vetiti comedit, e vita non decessisse: at morte Abel inductus fuit ad plangendum peccatum suum, & proposuit desistere à liberorum procreatione, ne mortis filios generaret; etsi non obseruauerit, quoniam oppositum fuit postea à Domino præceptum, vt posteà ampliùs explicabimus.

Mortis vtilitas.

Obiectionis solutio.

Si dicas, Igitur habitauerunt in paradiso; quia, vt in priori quæsito diximus, paradisus erat in Orientali parte Eden: Respondetur, regionem Eden fuisse adeò longè lateque extensam, vt in ea, præter paradisum, alia terra esset ad habitandum & excolendum. Et hoc peculariter indicat id quod dicitur de Cain, exulasse in Eden; siue, vt Septuaginta transtulerunt, in Nod contra Eden, id est, in alia regione, quæ posita erat contra Eden: & hoc nedum dictis obstat, sed ea magis confirmat.

Tertia ratio.

Tertiò denique, quoniam aliqui arbitrati sunt, homines ante diluuium coluisse terram paradiso proximam: & si hoc verum est, quare non priùs eorum parentes, Adam, & qui proximè ab eo descenderunt? & certè non video, qua efficaci ratione vel auctoritate oppositum dici possit; primos, inquam, parentes non habitasse prope paradisum, postquam ab eo expulsi fuerunt.

Secunda propositio. Primi parentes ex regione Eden venerunt in Iudæam, & ibi habitarunt.

Secunda propositio. Postquam aliquod tempus, relicta regione illa terrestri paradiso proxima, venerunt in Iudæam terram: & probabiliter in Hebronica & Ierosolymitana regione habitarunt. Hanc probo dupliciter.

Prima ratio.

Primò, auctoritate Athanasij & Basilij; qui memoriæ prodiderunt, Adamum è regione paradisi profectum, aliis quàm plurimis peragratis regionibus, venisse in Iudæam, ibique mortuum & sepultum in monte Ierosolymitano: qui à posteris, quòd primi hominis caput contineret, mons Caluariæ appellatus est. De quo nos Libro v. Cap. iv. Peregrinationis ii.

Fugienda loca, quæ peccandi causa extiterunt, & alia pœnitentia eligenda.

Et probabile quidem & rationi consonum videtur esse, prudentem virum suo periculo cautum reliquisse locum deliciarum, quem sibi fuisse noxium, & occasionem ruinæ, expertus fuerat; & alterum pœnitentiæ in illis partibus delegisse: in quo forte reuelatione didicerat, Reparatorem Dominum oriundum, & operaturum omnium salutem, quam ipse sua culpa perdidit; ipseque Deo reconciliatus, tandem cum ipso pace perfrueretur æterna.

Secunda ratio.

Secundò, his accedit quod scribit Abulensis in cap. 4. Gen. quæst. 17. dicere communiter Doctores, quòd Adam, postquam Cain occidit Abel, proposuit vltrà se non cogniturum vxorem suam: & mansit in hoc proposito per centum annos, lugens filium suum Abel in valle lacrymarum iuxta Hebron circa Ierusalem; sed posteà à Deo per Angelum monitus fuit, vt accederet ad vxorem suam, quia nolebat Christus de femina deprauato nasci: & tunc cognoscens vxorem suam, genuit Seth. Quæ cum alijs scripsit etiam idem Auctor in Opusc. de Optima politia pag. 3. E. quem vide cum Iosepho lib. 1. Antiquit. cap. 3.

Prolixum Ada fletum, & propositum non seruandi.

Reijcitur ad Abulens.

Scio, eumdem Abulensem loco priori citato quæst. 4. ex communi sententia reijcere quidem dicta; sed quantum ad illud, quòd centum annis fleuerit, & quòd proposuerit à concubitu ad prolem abstinere. Huiusmodi enim, inquit, dicenda non sunt de viro prudenti, qui parens humani generis constitutus erat: pauco enim tempore pro mortuis lugendum est, quia vadunt in domum æternitatis suæ; vno enim vel duobus diebus lugendum est, vt Eccli. 38, 18. dicitur, vel, vt cap. 22, 13. *Luctus mortui septem dies.* Lugere autem per centum annos ratione caret. Nec abstinere à coitu debuit, ne paulatim humanum genus periret; sed maiori desiderio, post aliquantulùm deploratum occisum filium, inflammari gignendæ prolis, vt pro mortuo

Ratio.

tuo alterum subrogaret. Quare postquam natus est Seth, exultans dixit: *Posuit mihi Dominus semen aliud pro Abel, quem occidit Cain*, Gen. 4. Sed non reiecit Abulensis, dari locum in Hebron, in quo post peccatum Adam habitauerit, & fleuerit & mortem filij & Dei offensam: qui appellatus fuit vallis lacrymarum.

Reijcitur. Sed & alterum ab Abulensi reiectum probabilitate carere non arbitror, in primis nullum videri inconueniens affirmare, Adamum post peccatum ea imprudentiæ nota fuisse commaculatum, cum maiori antè & in statu innocentiæ notatus fuerit, audiendo vocem vxoris contra Domini præceptum, & conuertendo proprium peccatum in ipsummet auctorem Deum, dicens illi: *Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi.* Sed melius dicamus, prudentissimum se illo proposito & lacrymis ostendisse, dum peccatum admissum carnis mortificatione & pœnitentia delere proposuit: iuxta id quod Ioël 2, 16. dicitur, vbi de actibus pœnitentiæ agitur, præter lacrymas, de abstinentia à licito concubitu mentio fit illis verbis: *Egrediatur sponsus de cubili suo, & sponsa de thalamo suo.*

Ada prudentia.

Responsio ad rationem Abulensis. Et verus luctus mortui corporaliter temperatus esse debet vnius duorúmve vel septem dierum; sed mortui spiritualiter, per peccatum & Dei offensam, multus esse debet, & continuus. Hinc Dauid ille, qui, post peccatum commissum, audire meruit à Propheta, *Dominus transtulit peccatũ tuum; non morieris*; nihilominùs seipsum continua corporis macceratione & lacrymis prudenter & vtiliter affligebat, vt ipse Psalmo 6, 7. testatus est: *Lauabo per singulas noctes lectum meum: lacrymis meis stratum meum rigabo.* & Psal. 4, 1. *Fuerunt mihi lacryma mea panes die ac nocte.* Quasi diceret: Quemadmodum nullus cibus est magis vsitatus & frequentatus pane, ita continuus peccatorum dolor angebat cor meum, qui ex oculis meis diebus & noctibus lacrymas deducebat. Et Adam, qui sententiam quidem mortis audiuit, sed non vitæ, amplius quàm Dauid flere non debuit; præsertim quòd graui fratricidio viderat recenter Deum offensum, & peccato suo nedum se, sed totum genus humanum commaculasse, & ei offensum Deum reddidisse.

Luctus ob Dei offensam multus laudabilis.

Sanctus Apostolus Petrus quoniam Christum negauit, quamuis postea fuerit ab eodem receptus, & pristinæ gratiæ restitutus; tamen non tantùm post negationem, sed continuò toto suæ vitæ tempore lacrymis vetus deflebat remissum peccatum: etenim, vt dixit S. Clemens Papa, & eius discipulus; quoties gallit cantum audiebat, in lacrymas prorumpebat: tantaque lacrymarum inundatione negationem illam defleuit, vt in maxillis profundos sulcos haberet; per quos, quasi per quòsdam canales aut aquæductus, lacrymæ eius defluebant: & Adam à conspectu Domini & à deliciis paradisi proiectus, non debuit semper suam & totius mundi naturam flere, & lacrymis veniam imperrare?

De hoc Libro 1v. Peregr. vt. Cap. x. § 1v. Ad septimum.

Accedit, quòd illud nedum Hebræi, sed & alij, quibus maior fides videtur adhibenda, dixerunt. Eusebius Cæsariensis in Proœmio Chron. ait, quòd postquam Adam vidit Abel interfectum à fratre suo Cain, dolore motus vehementi, abstinuit à copula Heuæ per quinquaginta annos.

F. Ioannes Ludouicus Viualdus in lib. qui inscribitur Opus Regale, in principio, vbi agit de Abel, ait, quòd Adam vouit amplius non cognoscere Heuam; & postea Deus dispensando præcepit illi iterum generationi operam dare. Quod etiam ex Hist. Schol. refert & sequitur Albericus de Rosa in Dictionario, verbo *Adam.* §. 3. Tandem in Reuelationibus S. Birgittæ post lib. 8. in Sermone Angelico, vbi agitur de Mariæ Virginis excellentia, cap. 7. dicit Angelus: *Adam, postquam suus filius fratricidium perpetrauit, carnale consortium suæ coniugi denitauit; audito autem postea Dei mandato, obedienter iterùm eidem cohiugi se matrimonialiter copulauit.*

Tertia ratio. Denique ad intentum principale spectant omnia superiùs dicta de Adæ formatione, pœnitentia & sepultura. De spelunca Adam; vbi dicitur ipsum fleuisse Abel, agit Adrichomius in Iuda num. 7.

Aliqui in India fecisse pœnitentiam dixerunt. Nolo hîc præterire quod ab aliis proditum est, Adam in India fecisse pœnitentiam. Ludouicus Romanus lib. 6. Rerum Indicarum cap. 4. agens de cinnamomo arbore Indiæ, sequentia de loco pœnitentiæ Adæ ibidem peractæ scribit: Retulit ea tempestate comiti meo Mahometanus negotiator, in fastigio vastissimi montis specum esse quandam, quò se recipiebant eius regionis cultores omnes, orandi gratia, in protoparentis sanctissimi memoriam. Memorant enim incolæ, diuum Adam post lapsum illic fletu ac continentia, pœnitudine ductum, culpam redemisse: id assequuntur ea coniectura, quòd parentis adhuc visuntur impressa pedum vestigia, longitudine geminum palmum excedentia. Hactenus ille.

Ergo dicendum, in pluribus locis pœnitentiam egisse. Et si hoc verum sit, & quod priùs ex Abulensi retulimus, dicendum est, Adamum non in vnico dumtaxat loco, sed in pluri-

pluribus, patrati facinoris pœnitentiam egisse: cùm enim diu vixerit, & non semper in eodem loco manserit, & multo tempore egerit pœnitentiam, in diuersis locis illam egisse dicendum est.

CAPVT VI.

De Ecclesia quadraginta Martyrum in monte apud Hebron posita, vulgò sepulchrum Isai appellata, tertio loco octauæ Peregrinationis.

E Regione Hebron in montis summitate est parua Ecclesia, vt opinor ex signis, quæ à latere cernuntur, olim maior; & fortè hæc præexistentis sacellum, nunc in Turcarum mesquitam conuersa, in honore habita nedum à Christianis, sed & ab ipsismet Turcis, qui & illis ingressum interdicunt; permittentes tantum, vt per quamdam, quæ in ea est, fenestram introspiciant.

Ecclesia quadraginta Martyrum cur dicatur.

Duplici insignitur nomenclatura: Christiani *Ecclesiam quadraginta Martyrum* appellant, Turcæ verò & plures alij ex Orientalibus, *sepulchrum Isai*. Sed quænã est prioris nomenclaturæ ratio? Non illa quidem, quòd ibi quadraginta Martyres fuerint martyrio coronati, vel eorumdem corpora ibi tumulata; etenim nil tale inuenitur vel in Annal. Ecclesiast. vel in Romano Martyrologio, vbi agitur de 40. 48. & 38. Martyribus. Ideò illam esse crediderim, vel quòd aliquæ quadraginta Martyrum Reliquiæ ad hanc Ecclesiam translatæ, in eadem fuerint honorificè collocatæ: vel, quòd à fidelibus ob deuotionem in sanctos quadraginta Martyres constructa, & eisdem dicata; vt hac ipsa ratione, aliæ eodem & aliis nominibus sunt insignitæ.

Cur sepulchrum Isai.

Sepulchrum verò Isai appellant Turcæ, & harum partium coloni, quia credunt, Isai patrem Dauid ibi esse tumulatum. Hæc ratio accuratè expendenda est; quia valdè dubium, & fortè falsum continere videtur, Isai apud Hebron mortuum & sepultum esse.

Saul Dauidem & eius cognationem persequebatur.

Et ad huius intellectum notandum est, quòd cùm Saul Dauidem odisset, & ad mortem persequeretur, vt pluries sacra Scriptura testatur, etiam fratres eius & totam domum patris sui propter eum exosam habebat, vexabatque, vt aduertit Caietanus: qui etiam veriti, ne se interficiendos curaret, vt addit Abulensis, vt primùm audierunt Dauidem se in speluncam Odollam recepisse, venerunt ad eum cum aliis, qui erant amaro animo, in angustia constituti, & oppressi ære alieno. quorum omnium Dauid factus Princeps, inde profectus, venit in Maspha, terram Moab, & dixit ad Regem Moab: *Maneat, oro, pater meus & mater mea vobiscum, donec sciam quid faciat mihi Deus. Et reliquit eos ante faciem Regis Moab: manseruntq; apud eum cunctis diebus, quibus David fuit in præsidio. Dixitq; Gad Propheta ad David: Noli manere in præsidio, proficiscere, & vade in Terram Iuda. Et profectus est David, & venit in saltum Haret.* Ità legimus 1. Reg. 22.

David abiit in Maspha in terram Moab.

Iuxta defuncti sunt parentes eius.

Nunc inuestigandum est, num Dauidis parentes & ipsi redierint cum Dauide in terram Iuda, an potiùs manserint in terra Moab, vel an obierint antequam inde discesserit. Et hoc quidem posterius videtur probabilius. Non enim videtur verisimile, quòd aut Gad suadere ausus esset, aut Dauid sustinere potuisset parentes suos in ætate decrepita (nam centesimum vigesimum annum creditur tunc egisse Isai) secum modò huc modò illuc per saltus & loca deserta circumducere. Et confirmatur fuisse tunc defunctos, quando Gad dixit Dauidi, ne ampliùs maneret in præsidio, quoniam nulla deinceps in sacro Eloquio fit mentio parentum Dauidis.

Responsio ad difficultatem.

Igitur, si hæc ita se habent, in terra Moab, & non Iuda, vbi est Hebron, humatum fuit corpus Isai patris Dauid, & matris eiusdem. Quomodo ergo verum est quod dicitur, Isai patrem Dauid in Hebron fuisse tumulatum? An quemadmodum pijssimus Dauid vsus fuit misericordia cum Saule & Ionatha filio eius, & aliis domus suæ, quando *abiit Dauid, & tulit ossa Saul & Ionatha filij eius à viris Iabes Galaad; qui furati fuerant ea de platea Bethsan, in qua suspenderant eos Philisthiim, cùm interfecissent Saul in Gelboë; & asportauit inde ossa Saul, & ossa Ionatha filij eius: & colligentes ossa eorum qui affixi fuerant, sepelierunt ea cum ossibus Saul & Ionatha filij eius in terra Beniamin, in Latere, in sepulchro Cis patris eius*, &c. vt dicitur 2. Reg. 21. ita voluerit ex terra Moab deferri ossa patris sui in terram Iuda, vt sepelirentur honestè in Hebron, vt Regis patrem decebat, vbi ipse primò regnauit; & fortasse ibi pro se & domo sua honorificum extruxit sepulchrum?

Dauidis pietas.

Ceterùm, cùm Scriptura, vel grauis Auctor, hoc non asserat, nec ego affirmare auderem, præsertim, quòd si ille cum matre decessit in terrã Moab, antequam inde discessit Dauid, vt honorifica sepultura donarentur, curare debuit; quam non habuerunt Saul & alij quos postea fecit sepelire Dauid. Quòd si voluit illos in proprio sepeliri sepulchro, debuit sepelire in Sion, &

non

non in Hebron. Et D. Hieronymus in Locis Hebraicis dicit, in Bethlehem sepulchrum Iesse & Dauid ostendi.

Alia responsio.

Si nihilominùs velimus dicere (quod probabile est) ibi aliquem insignem virum fuisse sepultum, hunc crederem esse Caleb: cuius sepulchrum ætate Hieronymi monstrabatur, vt ipse dicit in Vita Paulæ; quod alij non considerantes, pro Caleb, Isai patrem Dauid dixerunt. Et hæc probabiliter dicta sint de memorata Ecclesia.

CAPVT VII.

De terebintho arbore antiquissima, & quibusdam aliis circa Hebron notandis, quarto loco occurrentibus in octaua Peregrinatione.

RElicta sanctorum quadraginta Martyrum Ecclesia, dirigendo gressus versus Hebron quantum iactus est lapidis, à dextra Ecclesiæ parte ostenditur terebinthus arbor pulcherrima, sua magnitudine suam indicans vetustatem: & circumcirca in magno quadro sunt dispositi & eleuati lapides optimè inter se calce compacti; in cuius medio plantata est, multumque à terrigenis & aliis æstimatur, propter ea quæ postea subijciemus.

Terebinthi huius amœnitas.

Sed anteà duo priùs placet breuiter explicare: alterum, quænam arbor sit terebinthus; alterum, in quanam esset apud Hebræos æstimatione. Quantum ad primum, Læuinus Lemnius in Explicatione Hebr. Bibl. de Terebintho cap. 22. in hunc modum terebinthum describit: *Terebinthus arbor in Syria ac Palæstina spectabilis & amœna, folio ferè lauri, flore olea, coloris punicei, baccis primùm herbaceis, mox rubris, maturitate nigris. Fundit hæc arbor æstiuis caloribus terebinthinam resinarum præstantissimam, mirè odoratam; adeò pellucidam, vt fundum poculi, in quo asseruatur, conspici queat. Medetur hæc vulneribus, ac dolores mitigat; intus verò humorum collectiones discutit, ac calculos atterit; meatusq; vrinarios peruios præstat, ac saniem, omnesq; purulentas concretiones in stillicidio vlceroso, cui ferè ficosi obnoxij sunt, expurgat, atque vrina liberum transitum atque expeditum facilemq; decursum perficis.* Ita ille.

Terebinthus quænam arbor est.

Apud Hebræos execranda.

Quantum ad secundum, dicunt aliqui, hanc arborem fuisse apud Hebræos execrandam, sicut quercum & castaneam: has enim arbores, vt docent Linguæ sanctæ periti, significat vox Hebræa *Elah*, à radice *Alah*, quæ significat execrari, siue imprecari; vt intelligamus, eo vocabulo significari arborem execrabilem: quales erant, quæ ad idolorum delubra, cuiuscumque generis essent, visebantur. Quare Iacob infodit idola subter terebinthum, quæ est post vrbem Sichem, vt dicitur Gen. 35, 4. ne amplius compararent, vt ea magis execraretur, & execrationis causa magis impetesceret. Ita Cosmas Gamalianus Tom. 2. in Ios. cap. 24. sect. 2. num. 2. Cetera prosequamur.

In maiorem idolorum execrationem illa subter terebinthum Iacob infodit.

Hanc arborem illam esse aliqui arbitrantur, ad cuius vmbram sanctus Patriarcha Abraham sedens in ostio tabernaculi, sanctos Angelos & ipsum Angelorum Dominum sub peregrini specie ad hospitium inuitauit illis verbis: *Domine, si inueni gratiam in oculis tuis, ne transeas seruum tuum: sed afferam paxillum aquæ, & lauate pedes vestros, & requiescite sub arbore*, &c. Gen. 18, 3.

Sub ea Abraham Angelos excepisse aliqui dixerunt.

Ad hoc asserendum moueri possunt, tum ex arboris antiquitate; tum quòd veneratione habetur; tum ex auctoritate quadam D. Hieronymi de Locis Hebraicis, in qua ad hanc arborem alludere videtur. sic verò habet: *Est quercus Mambre iuxta Chebron, in qua vsque ad ætatem infantiæ meæ, & Constantij Regis Imperium, terebinthus monstratur perueius, & annos magnitudine indicans; sub qua habitauit Abraham: miro enim cultu ab Ethnicis habita est, & velut quodam insigni numine consecrata.* Hæc ille. Et ad eamdem fortè alludit Iosephus Cap. VI. præcedentis Peregrinationis citatus; suffragatur versio Septuaginta, quæ pro arbore legit terebinthum.

Ratio.

Fauere videtur Adamnanus ex S. Arculpho, qui duobus sæculis post D. Hieronymum loca sancta inuisit, dum de monte & quercu Maubre sic loquitur: *Mambre collis mille passibus à monumento suprà descriptis ad Boream separatus distat; herbosus valdè & floridus, respiciens Hebron ab Africo sibi occurrentem. Idem itaque monticellus Mambre nominatus, habet in cacumine campestrem planitiem; vbi ad Aquilonem, eiusdem cacuminis partem, lapidea magna fundata est Ecclesia. In cuius dextrali parte, inter duos grandes eiusdem Basilicæ parietes, mirum dictu, quercus Mambre extat in terra radicata; qua & quercus Abraham dicitur, eò quòd sub ea quondam Angelos hospitio receperit. Quam S. Hieronymus alibi narrat, ab exordio mundi vsque ad *Constantini Regis Imperium permansisse. Et fortassis ideò non dixit penitus defecisse, quòd eadem ætate, quamuis non tota illa, sicuti priùs fuerat, grandissima quercus monstrabatur; tamen aliqua pars eius permansit in suo stabilita loco.*

De Locis sanctis l. 1. cap. 9. Beda lib. 1. cap. 9.

**Constantij*

*Ex qua, vt refert Arculphus, qui eam prius conſpexit oculis, * adhuc quidam truncus remanet ſpurius radicatus in terra, ſub Eccleſiæ protectus tegmine, menſuram quaſi duorum longitudinis virorum habens. De quo videlicet corroſo ſpurio, ex omni parte ſecuribus circumciſo, haſtularum ad diuerſas orbis prouincias particulæ aſportantur, ob eiuſdem quercus venerationem & recordationem; ſub qua, vt ſuperiùs diximus, Angelorum quondam conuentio ad Abraham Patriarcham famoſa & præcipua fuerat * condonata. In circuitu eiuſdem Eccleſiæ, quæ ibidem ad loci illius honorificentiam conſtructa habetur, pauca quædam religioſorum habitacula fabricata monſtrantur.* Hactenus Adamnanus.

* M. S. adhuc quoddam truncatum remanet ſpurium radicatum in terra, cuius & Eccleſia protectum tegmine, menſurâ quindecim pedum longitudinis habens virorum.

* condonata.

Reiciuntur

Verùm mihi non probatur hæc ſententia: tum primò, quia Scriptura manifeſtè docet, cùm Abraham Angelos excepit hoſpitio, habitaſſe eum in conualle Mambre, quæ ab Hebron diſtat quindecim ſtadiis, vt præcedentis Peregrinat. Cap. III. notaui. Et, ſecundùm Ioſephum, arbor illa ſexto ab oppido, id eſt Hebron, diſtabat: ſed hæc, de qua loquimur, terebinthus eſt in montis ſummitate iuxta locum vbi Hebron vetus ædificata fuit; quare ad hanc non alluſit Ioſephus.

Obiectionis ſolutio.

Nec dicendum eſt, quòd vbi Scriptura dicit Abraham eo tempore habitaſſe in conualle Mambre; per conuallem Mambre, vallem illam non eſſe intelligendam, ſed Hebron. Primò, quia cùm ſacra Scriptura clarè loquatur de conualle, non eſt in alium ſenſum trahenda, niſi aliqua abſurditas ſequatur, ſi, vt littera ſonat, intelligatur: qualis hîc non apparet, & Doctores verè in valle Patriarcham habitaſſe interpretantur. Nec vallem Mambre eò vſque ſe extendere dicendum eſt; quoniam montibus ab Hebron ſeiungitur.

Secundò, quia ſi in ciuitate fuiſſet, inuitaſſet eos ad manendum in domo, & non ſub arbore. Et ſanè ſicut S. Ioſeph Patriarcha hortatus fuit fratres ſuos, vt peterent à Pharaone terram Ieſſen, vt ſeorſim ab infidelibus Ægyptiis habitare poſſent, & longè à tabernaculis impiorum, ne eorum delictis coinquinarentur: ita S. Abraham, data ei optione eligendi locum ad habitandum, magis elegiſſe credendum eſt extra vrbem remotum à frequentia illorum infidelium; præſertim cùm, vt iam diximus Cap. I. præcedentis Peregrinationis, hac ratione noluerit nec mortuam vxorem ſuam ſepelire in electis ſepulchris filiorum Heth, quoniam infideles erant: ſuo enim exemplo pater multarum gentium voluit eas inſtruere, quantum fieri poteſt, recedendum eſſe ab impiorum conuerſatione & conuictu, ne eorum delictis coinquinarentur; tantò magis quòd commodum illi erat habitare in valle illa amœna & fecunda. Et præterea, in hac valle & loco, vt diximus Cap. IV. præcedentis Peregrinationis, docent communiter Hebræi, & Orientales illi, Abraham Angelos ad hoſpitium inuitaſſe: quare & arbor illa ibi eſſe debuit, & non in iſto colle.

Ab impiorum conſuetudine omnino recedendum.

Tertiò, quia vbi eſt arbor iſta, non eſt tranſitus peregrinorum, vbi ſtare debebat Abraham, de eorum quiete ſollicitus.

Denique, quoniam mihi valdè probabile eſt, arborem illam, ad tollendum ſuperſtitioſum Ethnicorum & aliorum cultum, iuſſu Conſtantini Magni fuiſſe præciſam, & combuſtam. Vt enim olim ſanctus & pius Rex Ezechias confregit ſerpentem æneum, qui anteà fuerat apud Hebræos in magna veneratione, ad tollendam idololatriam, quam illius occaſione nouerat ortam, 4. Reg. 18, 4. Et Iudas Machabæus cum aliis iuſſit altare holocauſtorum à gentibus profanatum penitus deſtrui, ne fortè eſſet Iudæis opprobrium, vt dicitur 1. Machab. 4, 45. Et Deus, vt legitur in Exodo 32, 20. & Deuteron. 9, 21. voluit aurum, ex quo idolum fuit conflatum, omnino deſtrui, & in puluerem redigi, ne in aliquem vſum conuerterent Hebræi, ſed diſperderent; non quia aurum bonum non eſſet, ſed quia fuerat aurum idoli, & illius opprobrioſa memoria penitus tollenda erat. Ita Conſtantinum illum pijſſimum Imperatorem, ad tollendam penitus memoriam ſuperſtitioſi cultus, cuius etiam tempore ipſius erat in cauſa arbor illa, eamdem auferri curaſſe credendum eſt.

Malorum memoria & occaſio auferenda.

Hoc mihi perſuadeo, propter ea quæ ſcribit Euſebius lib. 3. cap. 53. de Vita Conſtantini, vbi inter alia ſic de eo loquitur: *Præterea regio ſuo obtutu, tamquam clara face accenſa, ſedulò luſtrauit, ne vlla erroris reliquia deliteſcerent*, &c. Intellige quantum potuit: & propter ea quæ de Conſtantino ex eodem Euſebio diximus Cap. V. 1. Peregrinat. Libri V. Igitur cùm arbor illa fuerit vna ex reliquiis erroris apud infideles, vt diximus, nec fuerit illi impoſſibile, imò nec difficile, ipſam demoliri; probabiliter credendum eſt, fuiſſe à ſanctis illis Epiſcopis Palæſtinæ præciſam, & igni traditam, quibus demandata fuit cura ædificandi Eccleſiam in loco illo hoſpitij, vt ædificarunt, vt Cap. IV. ſuperioris Peregrinationis fuit annotatum.

Obiectio.

Sed contra hanc coniecturam argumentaberis fortaſſe, minimè arborem illam demolitam, quandoquidem tempore D. Hieronymi,

tonymi, qui poſt centum annos ſucceſſit Conſtantino, adhuc exſtabat, & cultu ſuperſtitioſo colebatur; quoniam S. Doctor docet lib. de Locis Hebraicis, quòd terebinthus illa à cunctis in circuitu gentibus ſuperſtitioſè colatur; eò quòd ſub ea Angelos Abraham hoſpitio ſuſceperat. Igitur, ſi etiam tempore Hieronymi terebinthus illa ſuperſtitioſè à gentibus colebatur, non fuit tempore Conſtantini præciſa & combuſta.

Reſponſio. Reſpondeo multipliciter: Primò, dubium Hieronymum ſcribere quæ contigerunt tempore Magni Conſtantini; nam librum illum de Locis Hebraicis compoſuit Euſebius, & D. Hieronymus interpretatus eſt, & correxit; ideò ita ſcripſit, vt in ipſo inuenit, quemadmodum, præter alios, adnotauit Pererius in cap. 13. Gen. num. margin. 70.

Secundò, radicem ex veteri arbore pullulaſſe, & ex ea arborem exiſſe, ſimili cultu à gentibus, quæ poſteà ſucceſſerunt, venerationi habitam, vt dixit Brocardus Capite 17. præcedentis Peregrinationis relatus; quamuis quercum, non terebinthum appellet, & eam in alio ſitu collocet. Vel dicatur, D. Hieronymum & Ioſephum locutos fuiſſe de alia arbore quæ erat ad conuallem Mambre, non de iſta.

D. Hieronymus refert aliquando aliorum errores Auctorum nominibus ſuppreſſis, eſſe illis non adhærendum.

Quartò denique dico, ſanctum Doctorem non ex propria, ſed aliorum ſententia, vt aſſolet, fuiſſe locutum: vt enim rectè aduertit Sixtus Seneníis lib. 4. Biblioth. ſanctæ in Hieronymo, ſanctus Hieronymus inter colligendum veterum explicationes, nonnullas abſurdas & erroneas ſententias refert, ſuppreſſis nominibus Auctorum, ad euitandum lectoris faſtidium, omiſſis aliquando earum confutationibus, quòd plenìſſimè alibi confutaſſet; quo factum eſt, vt dum ſine diſcrimine ſuis miſceat aliena, videatur eorum erroribus conſentire. Vnde obtrectatores etiam occaſionem accepere carpendi Hieronymum, ei imponentes, ſe ſua Commentaria variis erroribus reſperſiſſe; quibus vir eruditiſſimus abundè in Ieremiam ſatisfacit: quare attentè legendus. Non officit etiam Septuaginta tranſtuliſſe terebinthum: nam pro communi nomine proprium poſuerunt; & alij aliter tranſtulerunt. Et ſiue quercus ſiue terebinthus fuerit arbor illa, alia ab iſta eſſe potuit, nec antiquitas, vel illius æſtimatio officit: etenim aliæ ſunt etiam ſimiles in iſtis partibus, ſub quibus non dicimus Angelos quieuiſſe.

Quantum ad Adamnanum, credo ipſum loqui de terebintho memorata; nam conueniunt illi quæ ab ipſo referuntur de monte & Eccleſia ei proxima, de qua nos anteà: ſed non facilè aſſentirem illi in eo quod aſſerit eſſe Mambre vbi Abraham Angelos hoſpitio excepit; tum propter diſta, tum quia Mambre conuallis erat, & in Geneſi, vbi fit illius frequens mentio, ſemper tali appellatur nomine, & numquam montis vel collis: & Iudith. 2. torrens Mambre quidem nuncupatur; ſed torrentes in vallibus non in montibus ſunt. Et quamuis non me lateat, poſſe montem vel collem proximum valli ab ea denominari poſſe, non video tamen, quomodo hìc poſſit; tum quia neſcio an Scriptura vel antiquus Scriptor ita nominet, tum quia mons iſte, cuius Adamnanus meminit, longè abeſt à conualle Mambre, vt antè notatum. *Torrens Mambre.*

Ex dictis etiam apparet, quamdam quercum valdè veterem, conſtantem triplici trunco, in altera parte eiuſdem montis plantatam, haud illam eſſe arborem, ſub qua Angeli quieuerunt, vt alij ſuſpicati ſunt.

Deſcendendo ex loco terebinthi, non longè ab ea greſſus dirigendo verſus Hebron, in cauerna quadam fons monſtratur, cuius aquam plures ex terrigenis, ob deuotionem, & quòd eius potu gratias ſanitatum poſſe conſequi arbitrentur, bibunt. Sunt etiam circa Hebron putei & ciſternæ, quæ à nominibus Patriarcharum, qui ibi habitarunt, appellantur.

Septimo milliario Italico ab Hebron eſt ſepultus Lot nepos Abrahæ, inquit Fr. Anſelmus Minorita. *Sepulchrum Lot.*

Denique in Hebron eſt pulcherrima piſcina ex omni parte quadra: cuius ſingula latera ſunt longitudinis ſexaginta ſex greſſuum: ex quatuor illius angulis in eam eſt deſcenſus per gradus 40. aquiſque multùm abundat: ad ſiniſtram partem habet Hebron veterem, ad dexteram verò nouam. De peregrinatione ad quercum Mambre agit Greſerus lib. 1. de Sacr. peregrin. cap. 13. Piſcinæ fit mentio 2. Regum 4, 12. Et hæc pro iſta Peregrinatione, ad laudem & gloriam ſanctiſſimæ, infinitæ ac individuæ Trinitatis, & Crucifixi Ieſu Chriſti Domini noſtri ſuperbenedictæ humanitatis, dicta ſint. *Hebron piſcina & eius forma.*

Digitized by Google

HISTORICÆ THEOLOGICÆ AC MORALIS ELVCIDATIONIS TERRÆ SANCTÆ LIBER SEPTIMVS.

ARGVMENTVM.

OCTO *Peregrinationibus recenſentur & explicantur obſeruatione digna, quorum extat memoria, & quæ occurrunt proficiſcentibus ex ſancta Ieruſalem ciuitate Damaſcum per Samariam & Galilæam; & ex Ioppe ſecus Mare mediterraneum vſque ad montem Libanum, & Antiochiam.*

PEREGRINATIO I. *in qua referuntur & elucidantur octo memorabilia loca, quæ ſe offerunt proficiſcentibus ex Ieruſalem vſque ad Sichar Samariæ ciuitatem.* I. *Machmas, ſiue Elbir.* II. *Memorabilis quædam Eccleſia.* III. *Bethel.* IV. *Silo.* V. *Prædium Iacob, & puteus Samaritanæ.* VI. *Sepulchrum Ioſeph filij Iacob, & fratrum eius.* VII. *Montes Garizim & Hebal.* VIII. *Denique ciuitas Sichar.*

CAPVT PRIMVM.

De Machmas, ſiue Elbir, primo loco primæ Peregrinationis.

Piorum peregrinorum deſiderium viſendi loca ſancta Samariæ ac Galilææ.

PLurimi ex Terræ ſanctæ peregrinis, poſtquam piè deuoteque Ieruſalem, Bethlehem, ſanctiſſimum Domini noſtri Ieſu Chriſti Sepulchrum, Præſepe, & alia ſancta Iudææ loca venerati ſunt, maiori charitatis flamma ſuccenſi, pietate moti, & ſancta quadam curioſitate illecti, viſitare ſatagunt alia ſancta Samariæ & Galilææ loca, corporali Chriſti, beatæ Virginis Mariæ, nec non ſanctorum Apoſtolorum præſentia ſanctificata, pluribuſque illuſtriſſimis operibus condecorata, vt tam ſacræ quàm ſæculares Litteræ docent, & nos ex parte in eorum explicatione videbimus. Quibus vt magis ſit ſatisfactum, de illis tractare aggrediar; etſi non de omnibus, de præcipuis ſaltem, & quorum in primis aliqua memoria conſeruatur.

Se igitur ſancto operi accingentes pij fideles, poſtquam ſe iteráque ſuum Domino commendarunt in ſancta Ciuitate; ex ea egrediuntur per portam quæ Damaſci appellatur, Aquilonem verſus greſſus dirigentes; primumque quod illis occurrit in hac prima Sichar peregrinatione, eſt locus, qui nunc ab incolis *Elbir* dicitur, aliàs *Machmas*, de quo Capite præſenti agemus.

Machmas quid olim, & quid in præſentia.

Machmas, ſiue Elbir, olim ciuitas magna & nobilis, terminus tribus Ephraim contra Auſtrum; & illum talem fuiſſe non obſcurè ex ruinis & relictis fundamentis diiudicari poteſt. Verùm ex magna & populoſa ciuitate, vel temporis voracitate & bellis, vel potiùs hominum negligentia & peccatis, in magnum vicum euaſit; & erat

erat tempore D. Hieronymi. Nunc villa eſt ſatis deſtructa, paucos habens habitatores: eſt in ea diuerſorium, quod *Can*, vel *Campum* vulgò appellant huius regionis terrigenæ, ad quod diuertunt & hoſpitantur viatores, pulchrum, amplum & commodum.

Communis diuerſorium.

In ſterili regione.

Niſi me ſenſus decepit, etſi non ſemel hac tranſierim, & curiosè villam & regionem conſiderauerim, non eſt illa in regione vberi & opima, vt quidam tradiderunt, ſed ſterili & ſaxoſa, præſertim ex parte Ieruſalem; neſcioque quibus affluat bonis, ſed omnibus pænè denudata apparet.

Ibi fons.

Eſt in ea villa fons copiosè aquas emanans: quæ deforis etiam ſecus viam & prope Meſquitam Turcarum delatæ ſunt. Ex fonte illo vicus & villa nomen accepit: Arabicè enim dicitur *Elbir*, quod Latinè fons vel ciſterna interpretatur: in ſacris autem Litteris *Machmas* nominatur; notauitque Adrichomius in Ephraim num. 66. vbi de Machmas agit. Non rarò fit illius mentio in ſacris Litteris, vt 1. Reg. 13. & 14. & 1. Machab. 9, 13. D. Hieronymus in Locis Hebraicis de eo ſic ſcribit: *Vſque hodie oſtenditur vicus grandis in finibus Aeliæ, antiquum nomen retinens, nouem ab ea milliaribus diſtans, iuxta villam Rama.* Et verè nouem, vel, vt dicitur, decem ab Ieroſolymis milliaribus elongatur.

Elbir nominis ratio.

In eo habitauit Iudas Machabæus, vt ex citato Machabæorum loco deducitur.

Hoſpitio Ieſu, Mariæ & Ioſeph venerabile locus.

Celebris eſt ſingulariter hic locus; quia, vt communis habet traditio, docent citatus Adrichomius, Bonifacius lib. 2. de Perenni cultu Terræ ſanctæ, in peregrinatione Samariæ, & alij ſanctorum locorum tractatores, in eo beata Virgo Maria cognouit (quod ſanctus Lucas cap. 2. ſcribit) Filium ſuum Ieſum non eſſe in comitatu, cùm ex Ieruſalem, poſt ſolemnitatem Paſchalem, cum ſponſo ſuo Ioſeph reuerteretur in ciuitatem ſuam Nazareth. Et inde, poſt diligentem inquiſitionem inter cognatos & notos, cùm minimè eum inuenirent, reuerſi ſunt in Ieruſalem, vbi illum inuenerunt in templo in medio Doctorum audientem & interrogantem.

Ibi cognouerunt parentes Ieſu ipſum non eſſe in comitatu.

Eccleſiæ diuersæ.

In huius myſterij perpetuum monumentum Helena ſancta pulchram Eccleſiam ædificauit, &, vt creditur, eo ipſo loco, vbi dolens Virgo cognouit Filium ſuum non eſſe in comitatu. Bonifacius addit & Monaſterium: hoc in præſentia non eſt. Eccleſia magna & ſpatioſa, ex quadratis dolatis lapidibus pulchrè elaborata & exornata: in ſuperiori parte tres habet capellas adhuc integras; concameratio & anterior pars deſtructa, reſiduum demolitum & veteribus ornamentis denudatum remanet; & in pauimento olera plantantur.

Ad clariorem intelligentiam indicatæ hiſtoriæ & traditionis notandum eſt, in partibus iſtis omnes comitatus (vulgò *Caruane*, Italicè *il Procaccio*, Hiſpanicè *Caſila*) tam qui ex Galilæa & Samaria Ieroſolymam veniunt, quàm qui ex Ieroſolymis in Samariam & Galilæam proficiſcuntur, & iſtos præcipuè, manſionem facere in Machmas, ſiue Elbir; etſi expeditis equitibus & etiam pedeſtres poſſent vno die vlteriùs procedere: verùm quia in comitatibus communiter ſunt debiles, pedeſtres, in aſinis & tardis iumentis incedentes, qui expectantur ab expeditis & fortibus; ideò non multum itineris conficiunt, & ſanè non tantum vt fieri conſueuit ab incedentibus ſine comitatu, & die prima præſertim, quando è loco primæ manſionis vel propriæ habitationis diſceditur; quoniam ſemper ferè tardè, propter continua inſurgentia negotia ad iter ſe accingunt, vt ſæpiùs obſeruari vidi. Et quod in præſentia obſeruatur, & antiquitus idem obſeruaſſe harum partium viatores & colonos minimè dubito; quia ſunt iſti antiquarum conſuetudinum diligentiſſimi obſeruatores: & in præſentia eadem, vt antiquitus, ratio occurrit; emergentia inquam negotia, & itinerandi in comitatibus conſuetudo.

Viatorum conſuetudo quæſcendi in Elbir.

Igitur cùm ſanctiſſimi illi peregrini, magnus Ieſus, Maria Deipara, ſponſuſque eius Ioſeph, peracta Ieroſolymis in templo ſolemnitate, reuerſuri eſſent in Galilæam, & in ciuitatem ſuam Nazareth redire deberent, venerunt in comitatu, vt docet D. Lucas: & cùm primus eſſet itineris dies, tardè diſcedere debuerunt, & modicum iter conficere, decem videlicet milliarium, vſque ad Elbir, ſiue Machmas, vbi prima eſt comitatus manſio: cumque huc perueniſſent Maria & Ioſeph, & apud ipſos non eſſe Filium Ieſum deprehendiſſent, illum requirebant in comitatu inter cognatos & notos, inter quos frequenter pueri eſſe ſolent; & cum illis priùs etiam expeditis inceſſiſſe, rationabiliter & inculpatè ſuſpicati potuerunt. Quo non inuento, ſeduli parentes reuerſi ſunt in Ieruſalem requirentes eum. *Et factum eſt, poſt triduum inuenerunt illum in templo, ſedentem in medio Doctorum, audientem illos, & interrogantem eos*, inquit ſanctus Lucas 2, 46.

Tres dies inquiſitionis Ieſu quomodo conſiderandi.

Sed quomodo illud triduum explicandum eſt, quidve in illo fecerunt parentes Ieſu? Varia eſt Doctorum ſententia. Dicam cum Lyrano, quem ſequuntur Dionyſius Carthuſianus, Ludolphus, & Silueſter in Aurea Roſa: Poſt triduum, id eſt, finitis

tribus diebus à diſceſſu ex Ieruſalem; die quarta fuit Chriſtus inuentus. Quomodo partiendi ſint tres præcedentes dies, quidque in illis fecerint Maria & Ioſeph, in hunc modum explico.

Prima die venerunt ex Ieruſalem in Machmas; & in illius occaſu, non inuento apud ipſos puero, arbitrati turmatim inceſſiſſe cum aliis ex ciuitate Nazareth Ieroſolymam ad ſolemnitatem profectis, apud illos in comitatu inter cognatos & notos, vt inquit ſanctus Lucas, requirebant eum: eo tunc non inuento, partem ſequentis diei conſumpſerunt iterùm quærendo, & redeundo Ieruſalem. Hoc enim totum potuit commodè vno die fieri; tum quia Machmas non erat tunc locus adeò magnus; tum quia quæſierunt eum, vbi eſſe poterat, inter cognatos & notos: & hoc modico tempore, duarum vel trium horarum ſpatio, commodè fieri potuit; & reſiduam diei partem inſumpſerunt redeundo Ieruſalem. Tertium diem totum inſumpſerunt in eo quærendo in ſancta Ciuitate; & non inuento, quarta die ad templum proficiſcentes, illum inuenerunt in medio Doctorum: & hoc totum facilè deduci poteſt ex D. Luca. Hora inuentionis ſancti pueri fuit, vt valdè probabiliter arbitratur Caietanus, illa qua Doctores in templo reſidebant, licet hac die quarta non putet inuentum. Et hæc pro explicatione loci Elbir & adductæ traditionis ſufficiant.

Quarta die, qua hora in templo Doctores reſidebant, inuentus Ieſus.

CAPVT II.

De quadam Eccleſia quæ eſt in via, qua ex Machmas itur Sichar, ſecundo loco primæ Peregrinationis.

Via ex Elbir ad Sichar montoſa.

PEracto itinere ſeptem vel octo milliarium, ex Elbir ſiue Machmas verſus Sichar, ſuper montes ferè ſemper; etenim vſque Sichar tota ferè via montoſa eſt, excepto trium vel quatuor milliarium itinere prope Sichar; in læua parte viæ eſt quædam Eccleſia non modica, adhuc integra perſeuerans, etſi non ſit qui habitet in ea, nec circa eam domus ſint. Ex altera parte ſunt vineæ multæ in monte plantatæ; & ingentia ædificiorum fundamenta cernuntur, ex quibus datur intelligi, villam vel caſtrum aliquod fuiſſe ibi ædificatum.

Canaræa, quia montoſa, ideò plurium habitationum capax.

Obſeruaui in via iſta ad Sichar ſuper montes fuiſſe frequentes habitationes, vt illarum ſigna manifeſtè indicant; ex quibus intelligimus, quomodo parua regio tot caperet habitatores, vt frequenter in ſacra Scriptura dicitur: etenim cùm montoſa ſit, in ea poſſunt conſtrui ædificia, tam ſpatioſa quàm in plana, vt manifeſtum eſt.

Sed quonam intuitu fuit iſta Eccleſia ædificata? Reſpondeo id me latere: ſi tamen licet iudicium facere, dicerem ideò fuiſſe ædificatam, quòd ibi contigerit, quod in quodam vetuſto manuſcripto, vbi breuiter agitur de Locis ſanctis, & de peregrinatione ex Ieruſalem; atque Elbir commemorato, ſubditur: *Item Birrum, in quo beata ſemper Virgo Maria cognouit Filium ſuum Ieſum prædicaſſe, ibi eſt Eccleſia ſancta Mariæ.* Hæc ibi. *Dubij ſolutio.*

Fateor me neſcire quo ſolido fundamento id ſcriptum ſit; verùm cùm Scripturæ ſacræ, rationi & pietati non ſit contrarium, ſed potiùs conſonum, vt pium admittere non videtur diſſonum; & poteſt eſſe harum partium traditio: omnes enim regiones peculiares quaſdam habent traditiones. Sæpè aliâ via inceditur, & Eccleſia iſta non videtur.

CAPVT III.

De Bethel, Luza, & Bethauen, tertio loco primæ Peregrinationis.

QVamuis in iſtis Terræ ſanctæ partibus, vt non ſemel monuimus, plurium alias memorabilium locorum vel nulla, vel certè exigua, nec ſatis firma extet memoria, tum quia vetuſtate & odio infidelium deſtructa & demolita ſunt; tum quia illorum nomina cum dominorum & habitatorum mutatione pariter mutata fuere; tum denique propter rarum ad illa acceſſum, & frequentem mutationem illorum qui poſſent notitiam & memoriam eorumdem locorum conſeruare: nihilominùs nonnumquam de aliquibus agimus, quorum præſertim eſt fama celebrior, & memoria frequentior in ſacris Litteris, aliisque Scriptoribus, & ſingulariter apud illos qui ex profeſſo de Terræ ſanctæ locis tractauere: quorum auxilio non omnino ineuidenter diiudicari poteſt illorum ſitus & conditio, vt hac ratione magis ſit curioſis ſatisfactum, qui, ingenij acumine ſtudioque addito, & collatione facta dictorum cum ipſis locis, non obſcurè ad lucem veritatis peruenient: quam ſi perfectè non percipiant, ſaltem non multùm à ſcopo aberrabunt. Et inter pleraque ferè incognita loca de duobus in præſentia agendum eſt, quæ in iſta Peregrinatione occurrere creduntur, *Bethel*, inquam, & *Silo*, ſatis celebria, & in ſacris Litteris frequenter memorata: ſed quid fuerint, quemque ſitum tenuerint in Terra ſancta, & in ſortibus filiorum Iſraël, ſatis eſt obſcurum,

vt

Digitized by Google

vt ex dicendis apparebit. De Bethel præsenti Capite, de Silo sequenti scribemus.

De Bethel, Luza & Bethauen diuersimodè loquuntur sacræ Litteræ.

Bethelis, Luzæ & Bethauen in pluribus sacræ Scripturæ locis mentio fit, & diuersimodè; vnde aliquando videtur colligi, esse vnum & eumdem locum pluribus nominibus nuncupatum, aliquando diuersa situ & nominibus distincta, quæ argumentum non parum obscurum reddunt, vt ex dicendis apparebit. Cui nihilominùs vt aliquam lucem afferamus, quinque proponemus ad intentum. Primum, num sint plures ciuitates vel loca, quæ prædictis appellentur nominibus? Secundum; si plura sunt loca, quænam illa, & in quibus sitibus & tribubus filiorum Israël sint collocanda? Tertium, in quo peculiariter loco acciderit admirabilis illa visio scalæ, Angelorum & Dei Iacobo Patriarchæ ostensa? Quartum, quomodo loco illi & proximo nomen Bethel impositum fuerit? Quintum denique, quomodo postèa ex Bethel Bethauen appellatus fuerit?

Num sint plura loca illic nominibus appellata, quinque sententiæ.

Prima, vnicum esse locum.

Circa primum quæsitum quinque inuenio sententias. Prima sit Masij in Iosue cap. 16. v. 2. hic sentit vnicam fuisse Bethel; eamque modò diuersam à Luza modò eamdem dici: nam cùm reuerà locus ille, in quo diuina illa visio scalæ, paululùm abesset primùm ab oppido Luza, posteris temporibus adeò est celebratus quadam religionis opinione, vt Luzæ vrbis propinquæ nomen diluerit atque obscurauerit. Itaque cùm Bethelis nomen minimè adhuc pernagatum esset, dixit Iacob iam vicinus morti, id est, annis circiter septuaginta postquam visionem illam habuerat, dixit, inquam, Deum sibi apparuisse in Luza: *Deus omnipotens apparuit mihi in Luza, quæ est in terra Chanaan: benedixitq; mihi*, &c. Genes. 48, 3. quamquam Genes. 35, 1. legamus, Deum nominasse Bethel tacito nomine Luzæ. sic enim scribit Moyses: *Interea locutus est Deus ad Iacob: Surge, & ascende Bethel, & habita ibi, faciq; altare Deo, qui apparuit tibi quando fugiebas Esau fratrem tuum.* Vnica ergo vrbs Bethel est, secundùm Masium, priùs Luza, postèa Bethel appellata.

Reiicitur.

Andreæ Masio plures non immeritò refragantur Auctores, vt ex dicendis apparebit. Et Ribera in cap. 4. Ose. num. margin. 29. inquit, Masium in hoc se potiùs quàm aut Scripturam aut interpretes secutum.

Solutio.

Si quis dicat pro Masio, vnam fuisse Bethel Luzam appellatam; nam hoc conceptis verbis dicit Scriptura diuina, vt Genes. 28, 19. *Appellauitq; Iacob nomen vrbis Bethel, quæ priùs Luza vocabatur.* & Ios. 18. v. 13. *Pertransiens iuxta Luzam ad Meridiem, ipsa est Bethel.* & Iudic. 1, 22. *Domus quoque Ioseph ascendit in Bethel, fuitq; Dominus cum eis. Nam cùm obsiderent vrbem, quæ priùs Luza vocabatur*, &c. Ex hisce sacræ Scripturæ locis euidenter colligitur, eamdem vrbem fuisse Bethel & Luzam, sed diuersis nominibus in diuersis temporibus appellatam.

Confutatio.

Respondetur, in dictis auctoritatibus non haberi vnicam tantùm esse Bethel, sed vnum esse locum duobus præmissis nominibus appellatum, Bethel & Luza.

Cosmas Gamalianus in cap. 7. Ios. sect. 1. num. 10. arbitratur nihil contrarium esse sacris Litteris, asseuerare cum Masio vnam fuisse Bethel, quæ attributa fuerit tribui Beniamin, & ab Ephraim postèa vindicata per proditionem, vt notat Adrichomius in Geographia Beniamin num. 42. Huic namque quadrare potest Luzæ & Bethelis nomen, & Bethauen appellatio, propter idola Ieroboam, &c.

Plura Abul. de his in c. 7. Ios. à q. 6. vsque ad 11. inclusiuè.

Et si fortasse, asseuerare fuisse vnicam vrbem Bethel dictam, non sit contra Scripturam diuinam; arbitror tamen esse contra veritatem, & Scripturam affirmare vnicum esse locum Bethelis nomine appellatum, quemadmodum ex dicendis apparebit. An fuerint etiam plures ciuitates Bethel appellatæ, postèa explicabitur.

Secunda sententia, Luzam & Bethel duas esse vrbes, postèa vnam factam.

Secunda sententia, non admodum à præcedenti dissimilis, est Nicolai de Lyra in cap. 16. Iosue; cui eodem loco adstipulatur Abulensis: inquit ille, Luzam & Bethel antiquitus duas vrbes fuisse; sed quia erant paruæ admodum & propinquæ, postèa ex duabus vna est facta: sed adeò erant principales vnius vrbis partes, vt retinerent priora nomina, quibus vocabantur, priusquam in vnam vrbem essent coniunctæ. Itaque si quis ex vna parte transiret ad alteram, dicebatur transire de Bethel Luzam, vel contrà.

Reiicitur.

Benedictus Pererius in Genes. cap. 28. v. 19 disput. 9. hanc adducit sententiam, & ampliùs explicat; sed refellit etiam, dicens suspectam sibi esse falsitatis. Etenim, ait, sumunt illi quasi certum, Bethel & Luzam fuisse antiquitus diuersas vrbes, & postèa vnam in vrbem coaluisse; at cùm neque id vsquam diuina Scriptura tradat, aut etiam significet, neque ipsi vel ratione aliqua vel auctoritate cuiusquam probent, satis apparet, proprium fuisse Lyrani commentum.

Tertia; vnicam esse vrbem primò sortis Ephraim, deinde Beniamin.

Tertia sententia est illorum, qui putant Bethel vnam quidem esse vrbem, sed quæ primùm fuerit sortis Ephraim, postèa verò, ob nimiam vicinitatem, cessisse tribui Beniamin:

iamin: ſicut contigit ciuitati Ieruſalem, quæ primùm fuit ſortis Beniamin, poſteà diſtributione tranſiit in poſſeſſionem Iudæ. Hanc referunt Gamalianus & Peretius citatus. Sed hic non ſatis firmam arbitratur; quia de cauſa & modo tranſlationis nullum apud illos reperire eſt teſtimonium, vt id propius figmento quàm vero exiſtimari poſſit.

In cap. 16. Ioſ. v. 1. & 2. Annot. 2. n. 4.

Reiicitur.

Quarta, duas eſſe vrbes, alteram in Ephraim, alteram in Beniamin.

Quarta ſententia eſt R. Iſaiæ & R. Kimhi, duas fuiſſe vrbes Bethel nominatas; vnam in tribu Ephraim, de qua fit mentio Ioſ. 16, 1. & 2. alteram in tribu Beniamin, de qua Ioſ. 18. & hanc fuiſſe eam, quæ priùs appellata eſt Luza, poſteà verò Bethelis nomen à Iacobo accepit. Hanc ſententiam ſecutus fuit D. Hieronymus in libro de Locis Hebraicis: hic enim dicit, vrbem Bethel, quæ priùs Luza vocabatur, cecidiſſe in ſortem filiorum Beniamin: & Abulenſ. probat ex Ioſ. 18. in Iudic. cap. 21. quæſt. 32. & 40.

Reiicitur.

Sed enim hanc ſententiam, quantum ad hoc quòd ponit Bethel priùs Luzam appellatam in ſorte Beniamin, eſſe falſam, & ſacræ Scripturæ contrariam dicunt Peterius, Ribera & Gamalianus. Siquidem Bethel iſta Ioſ. 18. ponitur extra ſortem Beniamin, proxima tamen termino eius ſortis verſus Meridiem, cùm dicitur: *Pertranſiens inxta Luzam ad Meridiem, ipſa eſt Bethel.* Et Oſe. 5, 8. idipſum ſignificatur metaphoricè: dicitur enim Bethel eſſe poſt tergum Beniamin. *Vlulate in Bethauen*, inquit Propheta, *poſt tergum tuum Beniamin.* Quæ verba explicans B. Hieronymus, ait: *Pulchrè dixit, quòd Bethauen poſt tergum ſit Beniamin: vbi enim tribus finitur Beniamin, haud procul in tribu Ephraim hæc vrbs condita eſt.* Ex hoc citati Auctores deducunt, D. Hieronymum correxiſſe hic ſententiam illam quam priùs ſcripſit in libro de Locis Hebraicis; nam Commentaria in Oſeam poſt illum conſcripſit, vt ipſemet ſignificat in extremo libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis: arbitranturque iſti vnam eſſe vrbem modò Bethel, modò Luzam nuncupatam, eamque ponunt in tribu Ephraim. Et quòd auctoritas ex Ioſ. ab Abulenſi adducta ſit intelligenda de Bethel, quæ eſt in ſorte Ephraim, dicetur in explicatione ſequentis ſententiæ: & ipſe in cap. 12. Gen. quæſt. 27. dicit Bethel cecidiſſe in ſortem filiorum Ioſeph, ex Ioſ. 14.

Quinta ſententia, plura loca Bethel dicta:

Quinta ſententia docet fuiſſe plura loca Bethelis nomine inſignita, & ad diuerſas tribus pertinentia, montes videlicet, vrbes & campum. De montibus agit Adrichomius in ſuo Terræ ſanctæ Theatro in Geographia Beniamin num. 43. hiſce verbis: *Bethel, ſeu Bether, montes ſunt fecundi, nemoroſi, & arboribus conſiti, gramine & herbis aromaticis pleni; & ideò cerui capreæ & hinnuli illorum cacumina frequentant, de quibus in Canticis. Puluerem combuſtorum idolorum iubet deferri in Bethel Ioſias. Ad ſcendenti Bethel Eliſeo illudentes pueri qua dragintaduo, lacerati ab vrſis ſunt.*

Monte

Cant. 2. 4 Reg. 23. 4 Reg. 2.

Item de monte in Ephraim exiſtente agit in huius tribus explicatione num. 27. hiſce verbis: *Bethel mons de Samaria ad duas leucas contra Auſtrum, iuxta viam quæ ducit Sichem, in monte alto ad dexteram eſt, in quo Ieroboam filius Nabath poſuit vnum de vitulis aureis, quibus peccare fecit Iſraël. Eſt & Bethel vrbs, Iudic. 21.* An aliam intelligit? nam & hunc montem nota ciuitatis deſcripſit, vt in illius Geographia videre eſt; & ita ipſum ſentire debere indicat, dum ait, ibi Ieroboam vitulinum idolum erexiſſe: nam illud erexit in Bethel ciuitate, vt poſteà videbimus.

3. Reg. 12.

Ciuitatem.

De Bethel adhuc ciuitate in Beniamin ſorte conſtituta agit in eiuſdem explicatione num. 42. dicens: *Bethel vrbs in alto monte ſita, quæ priùs Luza vocata fuit, diſtat vna leuca ab Hai contra Aquilonem.* Hìc Iacob viſionem ſcalæ habuiſſe, & Ieroboam idolum erexiſſe docet. additque: *Eſt autem hodie villa in ſiniſtra parte via de Neapoli pergentibus Aeliam, vt Auctor eſt in locis Hebraicis Hieronymus, & in Commentariis ſuper Oſee.*

Adrichomius refellitur.

Hæc, vt vides, non benè cohærent, nec cohærere poſſunt cum præcedentibus: ſi enim nunc memorata acciderunt in deſcripta tribu Beniamin, non potuerunt accidiſſe in priùs explicato loco ſatis diſſito tribus Ephraim. Nec ſanctus Hieronymus in Oſe. cap. 5. hoc dicit, ſed diuerſum: memorata nimirum accidiſſe in ſorte Ephraim; vnde correxiſſe hic ſententiam, quam in libro de Locis Hebraicis notauerat, tradiderunt iam citati recentiores Auctores in quarta ſententia.

Reſponſio

Dicit Adrichomius, hanc vrbem attributam fuiſſe tribui Beniamin, ſed ab Ephraim proditione captam.

Confutatio.

Sed contrà, oſtendat Adrichomius, quomodo Bethel Beniamin tributa fuerit, & ab Ephraim proditione capta; ſed non oſtendet, quoniam ex ſacra Scriptura contrarium habemus: in Ioſue enim cap. 18. v. 11. 12. & 13. & Iudic. 1, 22. legitur, domum Ioſeph aſcendiſſe in Bethel, & cepiſſe eam. Et per domum Ioſeph intelligere debemus Ephraim illius filium; nam de altero, id eſt Manaſſe, ibidem poſteà v. 27. fit mentio; vt ab Ephraim diſtinguitur: non itaque Ephraim Bethel à Beniamin abſtu-

Digitized by Google

abstulit, sed à Chananæis antiquis habitatoribus ablata, illi in sortem obtigit, Ios. 16. v. 1. & seqq.

Sed esto ita fuerit, vt dixit Adrichomius; non tamen hoc ei suffragatur: nam non est nunc altercatio in qua tribu visio illa scalæ acciderit, & idolum collocatum fuerit. Tantùm dicere volo, memorata in diuersis diffitis locis minimè accidere potuisse, qualia describit Adrichomius, sed in vnico dumtaxat: pertinuerit ille primò ad Beniamin, & posteà ad Ephraim, vel econtrà, vt volunt alij, sed sine solido fundamento, vt notaui ex citato Pererio num. 58.

Duæ ciuitates Bethel appellatæ, altera in Ephraim, in Beniamin altera.

Sed efficaciùs & ex Scriptura ampliùs probatur, fuisse duas vrbes Bethel appellatas, alteram in sorte tribus Ephraim, alteram in sorte tribus Beniamin. De illa quæ Luza dicitur, fit mentio Ios. 16, 2. & 18, 13: de sorte enim Beniamin ita dicitur: *Et pertransiens inxta Luzam ad Meridiem, ipsa est Bethel.* Erat igitur Luza, siue Bethel, extra sortem Beniamin, vt ibi colligit Lyranus. Sed apertiùs Iudic. 1, 22. *Domus quoque Ioseph ascendit in Bethel, fuitq; Dominus cum eis. Nam cùm obsiderent vrbem, quæ priùs Luza vocabatur, &c. percusserunt vrbem in ore gladij, &c.* & Ioseph nomine Ephraim intelligi debere mox ostendimus. Et eiusdem fit non semel mentio in Prophetis sub nomine Bethauen.

De ista Bethel, quæ est in tribu Beniamin, fit mentio Ios. 7, 2. & cap. 18, 22. vbi recensentur vrbes tribus Beniamin. Et ita sentiunt Perenus, Ribera, Gamalianus, & alij.

Gamalianus reijcitur.

Et hæc si vera sunt, non item quod pro Masio dixit Gamalianus, superius in prima sententia relatus, vnâ fuisse Bethel, &c. nam plures fuisse vrbes in diuersis tribubus & sitibus politas, in quibus alia & alia contigerunt, & indicatum fuit, & explicabitur ampliùs.

Bethel campus.

Ad hæc, fuisse præter dictas vrbes, & campum siue locum alteri ex ipsis proximum, in quo Iacob illustri illa visione scalæ dignatus fuit, tenent Gamalianus & Pererius, & hoc explicat loco citato, dicens: Vocabulo Bethelis duas res in Scriptura denotari arbitror; primò quidem eum locum, in quo Iacob memorandum illum visum habuit: nimirum ei loco maximè Bethelis nomen attribuendum esse, conuincunt verba quæ de eo loco dixit Iacob: *Verè Dominus est in loco isto.* &: *Quàm terribilis est locus iste! non est hic aliud, nisi domus Dei, & porta cæli.* Et sic accipitur nomen Bethelis in exordio cap. 35. Genes. Talis autem locus non erat intra vrbem Luzam, sed extra, non procul tamen. Denotatur etiam non rarò vocabulo Bethelis vrbs vicina, quæ priùs vocabatur Luza: & ex visione Iacob, quæ prope eam vrbem contigerat, nomen ipsa Bethelis acceperat: dicitur enim Gen. 28, 19. *Appellauitq; nomen vrbis Bethel, quæ priùs Luza vocabatur.* Quo fit, vt sæpenumerò in Scriptura, cùm nominatur Luza, continuò adiungatur, *Ipsa est Bethel*, vel cognomento Bethel, vt videre est Geneseos 28. & 35. Iosue 18. & Iudic. 1. &c.

Propositarum quæstionum solutio.

Ex dictis patet, quid respondendum sit ad primum & secundum propositum quæsitum, plura esse loca & ciuitates Bethelis nomine insignitas, non in vna, sed in diuersis tribubus, Ephraim & Beniamin; & etiam ad quartum, quomodo Luzæ fuerit inditum nomen Bethel.

De loco visionis scalæ tres sententiæ.

Ad tertium quæsitum deueniamus, vbi Patriarcha Iacob admirabilem illam scalæ, Angelorum & Dei habuit visionem. Tres vel quatuor inuenio opiniones. Prima est Hebræorum, illam visionem habuisse in monte Moria, in loco vbi posteà templum Domini fuit ædificatum à Salomone post multa sæcula, ac consequenter in ciuitate Ierusalem: dicuntque, Iacob post illam visionem dixisse Dominum esse in loco illo, & ibi esse domum Dei, & portam cæli; & quòd vbi statuerat ipse lapidem in titulum & monumentum suæ visionis vocatum iri domum Dei: hæcque verba continere prophetiam Ierosolymitani templi aliquando eo loco ædificandi. Sequuntur hanc opinionem non ignobiles Auctores, Lyranus, Gaietanus, Lippomanus, Auctor Historiæ Scholasticæ super librum Gen. cap. 73. & S. Augustinus eamdem innuit in Genes. quæst. 83. & 85.

Prima. Hieroso-lymus.

2. Par. 3.

Reiicitur.

Verùm cùm apud Luzam dicta visio acciderit, vt docet Scriptura, quæ Ierusalem non est, non Ierosolymis accidisse certò tenendum est: vnde præmissam opinionem non inefficacibus rationibus refellunt Abulensis in Gen. cap. 12. q. 27. & c. 28. & Pererius in Gen. 28. v. 11. disp. 1. Tu illos consule, si placet.

Secunda, in Luzæ vrbe Beniamin.

Secunda opinio est D. Hieronymi, siue Eusebij, in libro de Locis Hebraicis: hîc docet in vrbe Luza in tribu Beniamin illam accidisse visionem; verba illius sunt huiusmodi: *Bethel, vicus in duodecimo ab Aelia lapide ad dexteram euntibus Neapolim, quæ primùm Luza, id est, Amygdalum, vocabatur; & cecidit in sortem tribus Beniamin, inxta Bethan, & Gai, quam expugnauit Iesus, Rege illius interfecto.* Idem tradit Brocardus in Descriptione Terræ sanctæ 1. p. cap. 7. num. 37. & Adrichomius in Beniamin num. 42. Verùm hic idem posteà ostendit:

Digitized by Google

Vbi scala visio, ibi vitulus aureus erectus.

ostendit in Ephraim accidisse, vt indicat in huius tribus descriptione num. 27. dum asserit Ieroboam in Bethel posuisse vnum de vitulis aureis, quibus peccare fecit Israël. Etenim, vt notauit Pererius in cap. 28. Genes. disput. 9. num. margin. 58. conuenit inter omnes, Bethel, quæ fuit in sorte Ephraim, fuisse eam quæ memoratur Genes. 28. sed in ista accidit visio scalæ, quemadmodum etiam notauit ipse Adrichomius loco nunc priùs notato; vbi & Ieroboam vitulum aureum erexisse dicit, &c.

Reiicitur.

Ex his apparet huius sententiæ falsitas; quæ adhuc magis explicatur. Ieroboam erexit vitulum in loco vnius ex tribubus quæ recesserunt à Roboam & domo Dauid, & illi adhæserunt: sed tribus Beniamin non recessit à Roboam, sed vnà cum tribu Iuda illi adhæsit. Igitur non in ista erexit idolum, & consequenter nec in ista Patriarcha Iacob admirabilem illam scalæ visionem habuit; quia, vt dictum est, Bethel fuit vtriusque facti communis locus. Vnde Ose. 4. Dominus præcepit duabus tribubus, Iuda & Beniamin, ne ingrediantur in Galgala, ad adorandum videlicet; quoniam Galgala pertinebat ad sortem Iuda. Ita mandat aliis decem tribubus, ne ascendant in Bethauen, id est Bethel; quoniam erat in tribu Ephraim, vt in eum Prophetæ locum notauit Ribera num. 33.

Tertia, in Luza Beniamin.

Tertia sententia est sancti Hieronymi in cap. 5. Osee, Bethel, priùs Luzam dictam, vbi Iacob scalam vidit, fuisse extra tribum Beniamin, & in altera illi proxima, id est, Ephraim, versus Meridiem; vt dictum fuit suprà in confutatione quartæ sententiæ primi quæsiti.

Et hanc quidem sententiam, quam communem dixit Pererius, magisque rationi conformem, libenter amplector. Et fortasse non recedunt ab ea illi, qui dicunt accidisse visionem illam in Beniaminia tribu; quia Ephraim, in qua est Bethel locus visionis, illi proxima & in illius oculis est: & propter vicinitatem, loca vnius tribus in alterius proximæ tribus locis recensentur, vt notauimus Libro VI. Cap. I. IV. Peregrin.

Iuxta Bethel Ephraim in campo Iacob scalam vidit.

Quarta denique sententia, siue tertiæ declaratiua, est, memoratam scalæ visionem accidisse in Bethel vrbe Ephraim, id est, iuxta eam; nam extra vrbem Iacobum scalam illam vidisse, videtur indicare Moyses, dum sermonem faciens de loco vbi quieuit Iacob, & somnium vidit, ait: *Cumq; venisset ad quemdam locum, & vellet in eo requiescere post solis occubitum, &c. Ad quemdam locum* dixit, quia non vrbs erat, sed campus aliquis vrbi Luzæ proximus. Et ita sentit Pererius citatus num. margin. 57. & 59.

Gen. 28, 11.

& probat ex Ios. 16, 1. vbi hæc habentur: *Solitudo quæ ascendit de Iericho ad montem Bethel: & egreditur de Bethel Luza.* Si egressus erat, inquit, ex Bethel in Luzam; ergo Bethel & Luza inibi nominantur vt loca diuersa, & inter se distincta. Sedenim plerumque ponitur Bethel pro ipsa vrbe Luza: cui scilicet locus ille Iacob propriè appellatus Bethel nomen suum commodauit; tum ob vicinitatem, tum ob illius visionis Iacob admirabilitatem. Non enim insolens est, magnas & celebres ciuitates nomen capere ex vicinis locis re quapiam maxima insignitis atque nobilitatis.

Obiectionis solutio.

Nec obstat quòd Iacob dixerit, Dominum sibi in Luza apparuisse. *Deus omnipotens*, dixit, *apparuit mihi in Luza, quæ est in terra Chanaan; benedixitq; mihi*, &c. Genes. 48, 3. Nam ideò dixit Dominum sibi in Luza apparuisse, quia non longè ab ea; & apud eam, secundùm dicta de multiplici significatione præpositionis *in* Lib. VI. Cap. XII. 1. Peregrinationis. Igitur hæc dicta sint de communi loco cælesti scalæ visione in gratiam Patriarchæ Iacob condecorato, esse inquam in tribu Ephraim, & ab ipso Bethelis nomine, ob ibi visum Dominum, appellato.

De peculiari loco visionis.

Reliquum est, vt nonnihil dicamus de peculiari eiusdem loci situ. Et dico duo; alterum omnino verum, alterum dubium. Verum & certum est, Bethel esse inter Silo & Sichem: & hoc constabit Capite sequenti, & ex statim subiiciendis. Dubium est, in quo peculiari situ, an in dextera an in sinistra parte viæ, qua ex Bethel vel Ierusalem itur Sichem, an longè vel prope Sichem.

Bethel visionis locus est inter Silo & Sichem:

sed vbi determinati incertum.

Aliquorum sententia.

Aliqui Historiæ sanctorum locorum studiosi, qui frequenter deambulauerunt ex Sichem Ierusalem, & ex Ierusalem Sichem, super hoc interrogati, responderunt, se credere Bethel euntibus ex Sichem Ierusalem esse locum inter Machmas & Sichem, in dextera parte viæ, sed supra, vbi in monte sunt ædificiorum ruinæ: è cuius regione ex eadem parte iuxta viam est domus, etsi ferè demolita. Vnde si in monte erat, Bethel ciuitas, adderem, in loco, vbi est domus siue ædificiorum ruinæ, fuisse campum vbi Patriarcha Iacob cælesti visione dignatus fuit, iuxta superiùs explicata. Qui locus, si malè non recolo, distat à Sichem ad duodecim circiter milliaria.

Reiicitur.

Horum sententia non inefficaciter refellitur, in primis ex D. Hieronymo siue Eusebio de Locis Hebraicis superiùs relato, asserente, Bethel esse in duodecimo Æliæ lapide ad dexteram euntibus Neapolim: igitur non in dextera euntibus Æliam.

Dein-

Deinde efficaciùs: Silo ſita eſt ad Septemtrionem vrbis Bethel, & ad Orientalem plagam viæ, quæ de Bethel tendit in Sichem, vt dicitur Iudic. 21,19. Igitur Bethel non eſt in læua parte viæ qua ex Ieruſalem itur Sichem, quia tunc eſſet ad Occidentem; quoniam eundo ex Ieruſalem Sichem, proceditur à Meridie ad Septemtrionem, vt ſatis conſtat & apparet in Deſcriptione Terræ ſanctæ.

Ampliùs, & quòd magis diſtet ab Ieruſalem, & minùs à Sichem, probatur: nam, vt Capite ſequenti dicemus ex Abulenſi, Bethel diſtat à Sichem dimidia leuca, ſeu vnum milliare; quia Bethel eſt in latere montis Garizim Sichem proximi, Orientali huius terræ, Ioſ. 8.

Alia ſententia.

Itaque videtur dicendum, Bethel, & peculiarem locum viſionis ſcalæ, longè abeſſe ab Ieruſalem, & proximum Sichem, circa dimidiam leucam ad Orientem viæ huius. Et hæc ſententia ſequentibus adhuc confirmatur: Primò, ex itinere Abrahæ, quando ex Meſopotamia venit in terram Chanaan, in hunc modum: Meſopotamia, reſpectu terræ Chanaan, eſt Septemtrionalis & etiam Orientalis; ideò ex Meſopotamiâ, vel Chaldæa, terram Chanaan intrantes, non intrant directè per latus Septemtrionale terræ Chanaan, id eſt, ex tranſuerſo lateris Septemtrionalis, ſed per partem Septemtrionalem in confinio Orientis. Et ſignum huius eſt, quia, quando Nabuchodonoſor venit de Babylone, quæ eſt in Chaldæa, ad terram Chanaan, intrauit & exiuit per ciuitatem, quæ dicitur Reblatha, in terra Emath, vt patet 4. Regum 25, 21. Iſta autem Reblatha, ſiue Emath, eſt in confinio Orientis & Septemtrionis Terræ promiſſionis, vt patet Numer. 34, 11. Igitur cùm Abraham veniret ex Meſopotamia in terram Chanaan, per idem Orientale & Aquilonare confinium intrare debuit, intrauit autem per Sichem & Hai proximam Bethel, vbi ſacrificauit, Geneſ. 12,8. igitur Bethel erat ad Septemtrionem & Orientem viæ Terræ promiſſionis. Et ita intentum, Bethel eſſe ad dexteram & Orientalem plagam viæ, qua ex Ieruſalem itur Sichem, & conſequenter longè abeſſe ab Ieruſalem, quæ eſt ad Occidentem & Meridiem magis terræ Chanaan, vt patet in Deſcriptione Terræ ſanctæ: eſt enim Mari magno proxima.

Via ex Meſopotamia in Chanaan itidem.

Secundò, idem confirmatur ex peregrinatione Iacob ex Berſabee in Meſopotamiam. Ieruſalem eſt in parte Occidentali Terræ promiſſionis, ſed Bethel in Orientali & Aquilonari, vt dictum eſt, & Berſabee in Orientali & Meridionali; cuius reſpectu Meſopotamia eſt magis Orientalis: igitur Iacob eundo in Meſopotamiam, debuit aſcendere per confinia Orientis & Septemtrionis, & non Occidentis vel Auſtri, vbi eſt Ieruſalem, ne retrogredi videretur; ſed intrauit per Bethel, vt patet Gen. 28, 19. igitur Bethel eſt ad Aquilonem & Orientem viæ terræ Chanaan, qua itur in Meſopotamiam, & conſequenter longè ab Ieruſalem, & prope Sichem: & ita intentum.

Tertiò, idem perſuadetur ex his quæ leguntur Oſe. cap. 6, 7. vbi inter alia, quibus Dominus de Iſraëlitis, id eſt, decem tribubus conqueritur, hæc pro præſenti argumento leguntur: *Ipſi autem ſicut Adam tranſgreſſi ſunt pactum; ibi prænaricati ſunt in me. Galaad ciuitas operantium idolum, ſupplantata ſanguine. Et quaſi fauces virorum latronum, particeps Sacerdotum, in via interficientium pergentes de Sichem*, &c. Hoc eſt, vt ſanctus interpretatur Hieronymus, ipſi imitati ſunt Adam, vt quod ille in paradiſo fecerat, pactum meum legemque præteriens, iſti in terra fecerunt. Galaad (vt Auctor eſt idem Hieronymus in Locis Hebraicis) mons eſt ad tergum Phœnices, & Arabiæ collibus Libani copulatus; extenditurque ad deſertum vſque ad eum locum in quo habitabat Sehon rex Amorrhæorum. Cecidit in ſortem filiorum Ruben, & Gad, & dimidiæ tribus Manaſſe. A quo monte ciuitas in eo condita ſortita eſt nomen. Hic eſt mons in quo Laban comprehendit Iacob, Gen. 31, 46. vbi & origo nominis Galaad oſtenditur. *Qui*, inquit, *congregantes fecerunt tumulum, comederuntque ſuper eum: quem vocauit Laban Tumulum teſtis, & Iacob Aceruum teſtimonij, vterque iuxta proprietatem linguæ ſuæ. Dixitque Laban: Tumulus iſte erit teſtis inter me & te hodie: & idcircò appellatum eſt nomen eius Galaad, id eſt, Tumulus teſtis.* De vrbe Galaad ait Hieronymus in Oſe. cap. 6. fuiſſe in tribu Gad, habitatam à Sacerdotibus, vnamque ex vrbibus refugij, & in ea idolum fuiſſe conſecratum. Et ideò quantò maioris erat auctoritatis propter Sacerdotes, tantò magis habitantibus trans Iordanem principium idololatriæ fuit. Hæc eadem vrbs, teſte eodem Hieronymo, dicitur Ramoth Galaad, quam Ioſephus vocat Ramatam.

Galaad quid.

Mons.

Ciuitas.

In vrbe Galaad fuit vnctus rex Iehu, 4. Reg. 6. vnde & Ioſ. 21, 36. docemur eſſe eam vrbem fugitiuorum in tribu Gad, & à Sacerdotibus habitatam. Agit Adrichomius in Manaſſe de Galaad monte n. 50. de regione 51. de vrbe 52. Ciuitatem hanc ſupplantatam ſanguine dicit Propheta, id eſt, euertendam à ſanguine, ſiue propter ſanguinem

Iuxta geſta.

guinem in ea fusum. Cùm enim esset trans Iordanem, propiorque Syris & Assyriis, priùs ceteris capta est ab vtrisque. Primò quidem ab Hazaële Rege Syriæ vastata fuerat tempore Iehu, 4. Regum 10,33. sed postea ab Assyriis tempore Phacee regis Israël, 4. Reg. 15,29. & hoc innuit Osee. Hæc ciuitas sitiuit semper sanguinem & cædes, adeò vt ad hoc aliis opem ferret. *Particeps Sacerdotum, in via interficientium pergentes de Sichem.* Cùm enim ex egregia & metropolitana ciuitate Samaritanorum Sichem, Ierosolymis proxima, plures irent ad adorandum ad templum Domini temporibus Paschæ, Pentecostes, & scenopegiæ, Sacerdotes vrbis Bethel, quæ erat, vt diximus, inter Sichem & Ierusalem, latronibus in via positis, illos trucidabant: quorum Sacerdotum consilium adiuuabat Galaad ciuitas, longum iter conficiens, vt occideret proficiscentes ad adorandum in Ierusalem, vt verum Dei cultum impedirent. Atque ex his liquet, quam verè dictum fuerit, in hac via, hoc est, inter Ierusalem & Sichem, siue Sichar, esse vrbem Bethel, locumque cælesti illa scalæ visione condecoratum.

Adrichomius reiicitur.

Et hæc si vera sunt, Adrichomius in suis tabulis Geographicis longè à situ suo delineauit Bethel; non tantùm quia in tribu Beniamin, cùm sit in tribu Ephraim, sed quia nimis ad Orientem viæ ex Ierusalem Sichem: longè inquam, tribus leucis & amplius, & à Sichem decem, & minùs ab Ierusalem, quatuor videlicet cum dimidia.

Ad quinti iam propositi quæsiti explicationem nunc deueniamus: Quare locus, qui Luza vel Bethel dicebatur, Bethauen appellatus est? ita enim appellatur Ose. 4. v. 15. dum dicitur, *Nolite ingredi in Galgala: & ne ascenderitis in Bethauen.* & c. 5. v. 8. *Vlulate in Bethauen, post tergum tuum Beniamin.* & c. 10, 5. *Vaccas Bethauen coluerunt habitatores Samariæ.* In tribus istis locis, Bethauen esse positum pro Bethel, oratio ipsa & sententia Prophetæ demonstrat, & docet S. Hieronymus cum aliis in illorum Prophetæ locorum enarratione.

Vt proposito quæsito respondeamus, duo priùs sunt explicanda, quid Bethauen significet, & an plura loca sint tali nomine insignita?

Bethauen nominis significatio.

Quantum ad primum, dicendum, Bethauen esse nomen Hebraicum ex duobus aliis compositum, ex *Beth*, quod domum, & *auen*, quod iniquitatem significat, quasi domum iniquitatis: vnde Theodotion vertit *iniquitatem*, Symmachus autem & Aquila transtulerunt *inutile*, siue *nihilum*, id est, *idolum*; sic enim vocari solet in Scriptura: nam & Paulus 1. Cor. 8, 4. *Scimus*, inquit, *quia nihil est idolum in mundo.* Quam interpretationem approbat D. Hieronymus Ose. 4. & alibi sæpè; & eamdem secutus est S. Gregorius in 1. Reg. lib. 5. cap. 4. Septuaginta Interpretes pro *Bethauen*, id est, *domum iniquitatis*, vel *nihili*, verterunt *domum On*; quod, quantum ad sententiam, in idem recidit: *On* enim significat iniquitatem, & dolorem quem iniquitas parere solet. Legè Riberam in Ose. cap. 4. num. margin. 31.

De Bethauen loco duæ sententiæ.

Quantum ad secundum, respondent D. Hieronymus, Benedictus Pererius adductus num. 60. Ribera citatus num. 32. & apud eum Andreas Masius, & alij nonnulli, fuisse plura loca Bethauen nomenclatura insignita; quibus suffragatur Adrichomius in suo Terræ sanctæ Theatro, qui amplius loca, de quibus enuntiatur, aperit: de ciuitate inquam & solitudine, &, vt videtur sentire, ex sacra Scriptura. sic enim habet in Beniamin num. 40. *Bethauen ciuitas alia à Bethel, vbi castrametati sunt Philisthæi contra Saul, 1. Reg. 13. confunditur à plerisque cum Bethel; de quo videndus est Hieronymus in loc. Iuxta hanc saltus, vbi Ionathas cùm mel comedisset, quod voto vetuerat pater, zelo Saulis panè periit, 1. Reg. 14. Describitur etiam solitudo Bethauen; fortè quòd vrbs ipsa adiacenti deserto vel saltui nomen dederit.* De alia ciuitate Bethauen, quæ idem est quod Bethel, agit eodem loco num. 42. & similiter de solitudine numer. 114. *Solitudo Bethauen*, inquit: *hic Abraham primò tetendit tabernacula, Genes. 12,7.*

Primo.

Loca plura Bethauen dicta.

Ciuitas.

Solitudo.

Verùm in locis ab Adrichomio adductis, in quibus fit mentio Bethauen, prout distinguitur à Bethel, visionis memoratæ loco, nulla fit mentio vrbis vel solitudinis, vt ea consideranti facilè patere poterit. Quare appositè dixit Pererius: *Circa Bethauen, vt erat locus distinctus à Bethel, duæ res sunt incertæ: obscurum enim est, an fuerit tantùm solitudo, & desertum, an verò etiam fuerit vrbs aliqua isto nomine appellata, quæ nomen adiacenti solitudini dederit, vel contrà, nomen ipsa ab ea solitudine acceperit. Sanè in libro Iosue cap. 18. vocatur solitudo Bethauen; alibi tantùm præcisè vocatur Bethauen, vt Ios. 7. & in 1. Reg. 13, 14. nec vspiam nominatur vrbs Bethauen. Cur item locus iste dictus fuerit Bethauen, quod sonat domum iniquitatis; an eo quòd in ea solitudine latrocinia vel cædes hominum fieri solerent, aut cultus alicuius idoli celebrari, mihi quidem non liquet.* Ita ille.

Duo de Bethauen incerta.

Et ex hac sententia, si vera est, sequitur, multò ante regnum & idololatriam Ieroboam fuisse Bethauen distinctum locum à Bethel.

Ante Ieroboam erat locus Bethauen distinctus.

Bethel; annis videlicet fermè quingentis, quoniam Ioſ. 7, 2. dicitur: *Cumq; mitteret Ioſue de Iericho viros contra Hai, quæ eſt iuxta Bethauen, ad Orientalem plagam oppidi Bethel.* & cap. 18, 12. *Et perueniens ad ſolitudinem Bethauen, atque pertranſiens iuxta Luzam ad Meridiem, ipſa eſt Bethel.* Hæc autem facta ſunt haud multò poſt quadrageſimum annum egreſſionis filiorum Iſraël de Ægypto, & paulò poſt euerſionem vrbis Iericho: ex quo tempore, vſque ad regnum Ieroboam, non minùs quàm quadringenti octoginta anni effluxerunt. Adhuc tuiſſe locum Bethauen appellatum ante regnum Ieroboam, colligitur ex 1. Regum 13, 5. & c. 14, 23. vbi illius fit mentio: conſtat autem tempore Samuelis, Bethel non fuiſſe dictam Bethauen, ex ſecuta Ieroboam idololatria.

Secunda, Bethel & Bethauen vnicum eſſe locum.

Alia ſententia eſt Hebræorum, quam probabilem dicit Lyranus in Ioſ. cap. 7. eumdem eſſe locum Bethel & Bethauen appellatum ex idololatria Ieroboam; tum quia in textu idem ſitus determinatur vtriuſque; tum quia hoc dicit Rab. Sa. Oſe. 10. ſuper illud verbum, *Vaccas Bethauen coluerunt*, &c.

Reſponſio ad argumenta in contrarium.

Et quid dicent ad mox dicta, quæ allatæ ſententiæ refragari videntur? An quòd Ioſue, qui ſcripſit librum ab ipſo denominatum, & Samuel, qui primum librum Regum compoſuit, in ſpiritu præuiderunt futuram idololatriam Ieroboam in illo loco, & ſic eam nominarunt in ſuis libris per anticipationem?

Confutatio

Sed hæc anticipatio eſt multùm magna, inquit Lyranus, de eo quod refertur Ioſue, loquens. An Eſdras, cùm dictos Scripturæ libros reſtituit, vſus eſt ſui temporis vocabulo? Sed ait Ribera Oſe. 4. num. 32. ſe non facilè credere quidquam eum mutaſſe: Cur enim, inquit, non ita vrbes ſingulas vocaret, vt ipſi, quorum ſcripta nobis reddebat, appellauerant; præſertim quòd eius quoque tempore diceretur Bethel?

Prima ſententia vtitur.

Sed facilè poſſet reſponderi, Bethauen poſuiſſe, quia magis vulgatum nomen à recentiori idololatriæ ſcelere; quod multis ſæculis præceſſit ſcalæ viſionem, ex qua fuit locus Bethel nuncupatus.

Probabilior tamen & communior atque amplectenda prior ſententia cenſetur. Nec obſtat in Scriptura eumdem determinari ſitum vtriuſque; quoniam hoc fit propter propinquitatem locorum: & præterea iam vidimus diuerſis in tribubus, Beniamin & Ephraim, eſſe diuerſa loca Bethel appellata. Nec auctoritas Rab. Salom. & aliorum Hebræorum præferenda eſt communi Catholicorum, maiori rationi & euidentiori Scripturæ innixæ.

Ad ſolutionem præcipui propoſiti quæſiti nunc deueniamus. Bethel noſtra de tribu Ephraim priùs Luza dicebatur ab amygdalorum frequentia; nam *luz* amygdalus Hebræis dicitur. A Iacob poſteà dicta eſt Bethel, id eſt, domus Dei, ex diuina viſione, vt ſuprà diximus in primi quæſiti explicatione. Bethel poſteà appellata fuit Bethauen, ſecundùm primam ſententiam, ex idololatria Ieroboam in eum locum introducta, poſt regni Iudaici in duas & decem tribus diuiſionem; de qua ita dicitur 3. Reg. 12, 28. *Fecit*, enim Ieroboam, *duos vitulos aureos, & dixit eis: Nolite vltrà aſcendere in Ieruſalem: Ecce dij tui Iſraël, qui te eduxerunt de terra Aegypti. Poſuitq; vnum in Bethel, & alterum in Dan: & factum eſt verbum hoc in peccatum: ibat enim populus ad adorandum vitulum vſq; in Dan. Et fecit fana in excelſis, & ſacerdotes de extremis populi, qui non erant de filiis Leui. Conſtituitq; diem ſolemnem in menſe octauo, quintadecima die menſis, in ſimilitudinem ſolemnitatis, quæ celebrabatur in Iuda. Et aſcendens altare, ſimiliter fecit in Bethel, vt immolaret vitulis, quos fabricatus fuerat.* Igitur, quoniam in hac vrbe originem habuit Ieroboam idololatria, & per Iſraëlitas impio cultu deinceps celebrata, Prophetæ partim ad irriſionem, partim ad execrationem, Bethel, Bethauen vocauerunt; ſignificantes, indignum eſſe eum locum deinceps vocari Bethel, id eſt domum Dei, ſed appellari oportere Bethauen, id eſt, domum iniquitatis, aut nihili, propter idolum ibi poſitum. Vide D. Hieronymum in lib. de Locis Hebraicis, & in Oſe. cap. 4. 5. & 10. Deſtructionem domus idoli prophetat Amos cap. 3, 14. & illius altare maximo zelo optimi regis Ioſiæ in partes comminutum fuit, 4. Reg. 23, 15.

Reſolutio quæſtionis præcipuæ. Bethel Luza vnde dicta.

Quare Bethauen.

Sed, ſecundùm Hebræorum ſententiam, quæ vnicam credit ciuitatem modò Bethel modò Bethauen appellatam, reſpondet Lyranus in Ioſ. cap. 7. quòd vocata eſt Bethel, id eſt, domus Dei, eò quòd Abraham ædificauit altare Domino inter Bethel & Hai, vt habetur Gen. 12. Et quia Hebræi adorant ad Occidentem, ideò Abraham ibi adorans habebat faciem verſam ad Bethel, quæ erat propè; & inde ſic vocata eſt. Dicta eſt autem Bethauen, id eſt, domus idoli, eò quòd Chananæi ibi habitantes colebant idola. Ita ille.

Alia Bethel ac Bethauen interpretatio.

Obſerua in præmiſſis, quòd quemadmodum non quilibet locus, in quo colitur Deus, dicitur Bethel; aliter omnis omnino locus tali inſigniretur vocabulo, quoniam in omni loco Deus colitur & adoratur; ſed ex aliquo peculiari diuino cultu & euentu,

& ita Luza Bethel dicta fuit vel à sacrificio Abrahæ, vel ex cælesti scalæ visione: ita nec quolibet ex cultu idolorum quilibet locus Bethauen dicitur, aliter tota terra Chanaan Bethauen appellaretur; quoniam Chananæi vbique in ea idola colebant; sed dicetur Bethauen locus, in quo singularis cultus alicui præcipuo idolo exhibebatur. Et ita potest dici in proposito de loco Bethelis & Bethauen nominibus insignito.

Quæ Bethelis & Bethauen nomina magis retinere locus ille potuit, de eodemque magis euulgari, nouis rationibus insurgentibus, diuina, inquam, Iacobi visione & Ieroboami idololatria. Et hæc de Bethel & Bethauen satis.

CAPVT IV.

De Silo, quarto memorabili loco primæ Peregrinationis.

Silo nomen multiplex, & eius significatio.

DE Silo, vt Capite præcedenti promisimus, nunc verba faciamus. Silo vocabulum Hebraicè Scilo dicitur, Græcè Σιλὼ, apud Arnobium *Sylon*, apud Augustinum *Selom*, nisi apud vtrumque sit mendum, inquit Ioannes Lorinus in ea verba Psal. 77, 60. *Et repulit tabernaculum Silo*, &c. Secundùm Rupertum in 1. Regum c. 7. *Silo* interpretatur *abruptio*. In sacris Litteris nomen *Silo* de tribus enuntiatur, ait Abulensis in cap. 49. Gen. primò de Messia, secundò de filio, tertiò de loco.

Dicitur de Messia, De Messia, Genes. 49, 10. nam in illa benedictione Iacob Patriarchæ Iudæ filij sui, ex quo Messias oriundus erat, vbi Lectio vulgata habet, *Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est*; Hebr. legit, *donec veniat Silo*, id est Messias.

de filio, De filio patet per deriuationem à quodam nomine Hebræo significante matricem, quod habetur Deut. 28, 57. vbi nos dicimus, *illuuie secundarum.*

de loco, De loco Terræ promissionis frequentiùs; & ex parte hic nos videbimus. Nos hic de Silo agemus secundùm hanc posteriorem significationem, prout locum Terræ promissionis significat; & tria ad illius intellectum explicabimus: primò, quidnam sit; secundò, vbi sit: tertiò denique, præcipua, quæ in Silo acciderunt, referabimus.

Adrichomij sententia. Quantum ad primum, Adrichomius in Geographia Ephraim num. 93. respondet, fuisse montem & ciuitatem in eo fundatam, Silo nomine insignitam: *Silo*, inquit, *mons altissimus omnium in circuitu Ierusalem, atque adeò supereminet vniuersis Terræ sanctæ montibus: est autem in decimo milliario Neapoleos, in regione Acrabatena; estq; eiusdem nominis vrbs Silo in eodem monte posita,* & post pauca subdit: *In Silo altare dirutum hodieq; monstratur; nunc ad sanctum Samuelem dicitur. Addunt Brocardus & Breidembach. etiam Rama nominari.* Hæc Adrichomius etiam ex aliis.

In sacris Litteris huic Silo conditio non exprimitur. Quamuis in sacris Bibliis loci Silo fiat mentio non infrequens; non tamen dicitur, fuerítne mons, ciuitas, vel vtrumque: tamen ex his quæ facta recensentur in Silo, & sacrorum Doctorum addita auctoritate, vrbem, & non infimam filiorum Israël fuisse credo. Quòd etiam fuerit mons eodem insignitus vocabulo, mihi est incompertum: quod Adrichomius hoc asserüerit, ideò arbitror, quia credidit Silo esse locum sanctum Samuelem appellatum, verè in monte positum: sed an hoc verum sit, ex dicendis apparebit.

Vrbs fuit præcipua. Doctissimus Episcopus Abulensis in caput 21. Iudic. quæst. 40. docet vrbem fuisse excellentiorem & notabiliorem aliis vrbibus Iudæorum; & ex eo in primis probat, quòd in ea primò positum fuit Tabernaculum Domini; vnde ad eam ex omnibus Terræ sanctæ partibus frequens erat Israëlitarum concursus. Secundò, quia Scriptura sacra Iudic. 21. terminos eius describit, & nos posteà adducemus; quod non consueuit facere de aliis vrbibus de quibus loquitur.

Silo locus quid. Quantum ad secundum, de loco Silo, duo inquiri possunt; alterum de communi, alterum de particulari eiusdem vrbis situ. De primo, Abulensis loco citato q. 38. vbi inquirens in qua tribu fuerit ciuitas Silo, ad intentum multa dicit. Primò, quòd non appareat ex littera, nec etiá ex descriptionibus sortium: nam Ios. 15. cap. vsque ad 20. vbi nominantur vrbes, quæ erant in singulis tribubus, non reperitur ciuitas Silo.

In qua tribu fuerit, manifestè ex Scriptura non constat.

In Beniamin dicunt Hebræi. Secundò, affert sententiam arbitrantium fuisse in tribu Beniamin; quia dicunt Hebræi, quòd in tribus vel quatuor locis legitur positum Tabernaculum Domini; & omnia erant in sorte Beniamin, scilicet in Silo, Gabaon, Nobe, Ierusalem. De Silo patet Ios. 18. de Nobe 1. Reg. 21. de Gabaon 1. Paralip. 26. & 2. Paral. 1. de Ierusalem 3. Reg. 8. & 2. Paral. 6.

Refelluntur Tertiò, refellit hanc sententiam; quia licet Gabaon esset in tribu Beniamin, Ios. 18. non tamen Nobe; quia erat in terra duarum tribuum & dimidiæ, Num. 32. quæ terra solùm pertinebat ad Ruben & Gad, & dimidiam tribum Manasse, eodem capi-

te,

te, & Ioſ. 13. & quòd eſſet in dimidiæ tribus Manaſſe ſorte, patet; quia Nobe filius Manaſſe cepit Nobe, quæ vocabatur priùs Anath, & vocauit eam Nobe, Numer. 32. non ergo erat in tribu Beniamin. De Silo verò hic manifeſtè non apparet.

Et vnde, quæſo, illa conſequentia? Alia loca, in quibus manſit aliquando Arca Domini, erant in tribu Beniamin, ergo & Silo, in quo primò collocata fuit in Terra promiſſionis? An præceptum erat, vt nonniſi in terra Beniamin collocaretur? & quare non potiùs contrarium arguitur, cùm Deus non ſit acceptor perſonarum, cùm aliquando locum pro tabernaculo ſuo elegerit in tribu Beniamin, aliquando etiam in aliis tribubus illud collocauit?

Non fuit in Beniamin. Sed quòd in tribu Beniamin non fuerit Silo, probat pluribus idem Abulenſis loco priùs citato. Primò, quia Iſraëlitæ conſuluerunt Beniamitis, vt raperent ſibi virgines Silo in vxores, & fugerent in terram Beniamin, Iud. 21. igitur extra Beniamin Silo erat. Secundò, quia nulla mulier manſerat in terra Beniamin, quando contra eos moverunt bellum alij Iſraëlitæ, & expugnauerunt, vt ibidem dicitur.

Tertio, quia omnes vrbes Beniamitarum deſtructæ fuerunt & igne conſumptæ, capite 20. Iudic. Silo tamen illæſa manſit, cap. 21.

Quartò, quia patres puellarum Silo venturi erant ad conquerendum de Beniamitis, quòd rapuiſſent filias eorum, vt ibidem habetur: non poterant tamen de hoc conqueri Beniamitæ, quia nullus Beniamita habebat tunc filiam; quia omnes occiſæ fuerant: ergo vir Silo non erant de Beniamin. Et ſi fuiſſet Silo de terra Beniamin, non oportuiſſet fieri iſtum raptum; quia manerent adhuc virgines in terra Beniamin.

Quintò, erat illo tempore ſanctuarium Domini in Silo, & ad illud venerunt Iſraëlitæ, poſtquam combuſſerunt omnes vrbes Beniamitarum, vt colligitur Iudic. 20. & 21. ergo non erat Silo de tribu Beniamin.

Sextò denique idem patet, quia quando Iſraëlitæ ibant ad pugnandum contra Beniamitas, veniebant qualibet nocte in Silo, & ibi manebant coram Domino, & conſulebant eum, Iudic. 20. & tamen ſi fuiſſet de tribu Beniamin, non potuiſſent hoc facere, quia non permiſiſſent eos Beniamitæ manere in terra ſua, cùm eſſent hoſtes eorum.

Fuit in ſorte Ephraim. Septimò, addit hîc Abulenſis, & priùs citato loco, Silo eſſe in ſorte Ephraim; & probat multipliciter. Primò, ex conſideratione ordinis ſortium Terræ Iſraël: nam ſors Ephraim erat coniuncta in latere Aquilonari ſorti Beniamin, vt dictum eſt. Nec obſtat, ſi dicas, quòd poterat eſſe in alia ſorte extra Beniamin & Ephraim (nam Silo eſt circa Bethel; dicitur enim eſſe ad Aquilonarem partem vrbis Bethel, id eſt, ex parte Aquilonari Bethel) ſed alia ciuitas magis ei propinqua quàm Silo: nam hic ponuntur vrbes, quæ ſunt ex omnibus lateribus Silo; ideò neceſſe eſt quòd Silo ſit in ſorte Ephraim, cùm inter Silo & Bethel nulla ciuitas media ſit, & Silo ſit magis Aquilonaris quàm Bethel; & tamen Bethel eſt in latere Aquilonari tribus Beniamin: ergo Silo eſt in ſorte Ephraim, ſcilicet in latere Meridiano eius. Nam latus Meridianum Ephraim & latus Aquilonare Beniamin ſunt in eadem linea; eò quòd in continuis vltima ſunt idem.

Obiectionis ſolutio.

Secundò, clariùs Pſal. 77, 67. vbi agitur de deſertione Tabernaculi Silo ſiue Ioſeph, & alterius loci electione, dicitur: *Et repulit tabernaculum Ioſeph: & tribum Ephraim non elegit: ſed elegit tribum Iuda, montem Sion quem dilexit.* Tabernaculum Silo erat tabernaculum Ioſeph ſiue Ephraim, id eſt, in ſorte Ephraim: & Deus reputit illud, volendo quòd transferretur ad alium locum: & elegit montem Sion, vbi poſteà Salomon ædificauit templum. Et ſic Silo eſt ſortis Ephraim ciuitas in fine lateris Meridiani eius, & conſequenter ciuitas Lebona eſt in ſorte Ephraim; nam eſt ad Meridem Lebona ciuitas Silo.

Ex Silo in Iuda Deus Tabernaculum tranſtulit.

Tertiò, patet idem ex eo quòd Silo ponitur hîc circa Sichem; quia eſt ad Orientalem partem viæ quæ ducit de Bethel in Sichimam, quę eſt in ſorte Ephraim, Ioſ. 20. Et hæc eſt Abulenſis ſententia; quæ mihi communis & certa videtur, & ex dicendis magis etiam firmabitur.

Sed quid de particulari loco Silo dicendum? Idem Abulenſis in 1. Reg. 1. quæſt. 8. quatuor milliaribus ab Ieruſalem diſtare dicit, & à Sichem viginti. Brocardus in Deſcriptione Terræ ſanctæ tribus leucis ſeparari à ſancta ciuitate perhibet. Adrichomius ponit in decimo milliario Neapoleos, quam ad Aquilonem habet, & in ſecundo Ieruſalem, quam reſpicit ad Meridiem: deſcribit in illius Aquilonari plaga caſtrum Lebona, in Orientali vrbem Bethel, & in Occidentali montes Bethel, & in tribu Beniamin. Per milliare intelligit ſpatium quod vna hora confici poteſt, id eſt, tria milliaria Italica, ſiue vnam leucam, vt aliàs aduerti. Quare, ſecundùm Adrichomium, Silo eſt inter Ieruſalem & Sichem ſita, ab Ieruſalem ſeparatur ſex Italicis milliaribus, à Sichem triginta.

De peculiari ſitu Silo, varia ſententia. Abulenſis. Brocardi. Adrichomij.

Victoris. Victor in Catena veterum Græcorum Patrum relatus ad ea verba Ier. 7. verſ. 12. *Ite ad locum meum in Silo*, &c. ſitum huius ciuitatis ſequentibus expreſſit: *Quapropter vos*, inquit, *oſtendam vt domum Salomi; eſt autem in tribu Ephrem, vbi erat Arca primùm vſque ad tempora Samuelis. Abeſt autem duodecim ſignis à Neapoli in Acrabantina; quam, propter iniquitates Iſraël, Aſſyrij deuaſtarunt.*

Bonifacij. Patet Bonifacius loquens de itinere quod conficiunt peregrini eundo ex Ieruſalem Sichem, ſitum Silo ſimul deſcripſit, dicens: *Hinc* (id eſt, ex Elbir, ſiue Machmas) *ad quindecim milliaria deſcendens in quamdam vallem, vbi magnum diuerſorium inuenies, & extra fores illius fontem aquæ viuæ, præbentem tranſeuntibus refrigerium. Ad dexteram haud longè eſt Silo, vbi Iſraël olim adorabat; & Arca Domini multo tempore ſtetit. Altare & Eccleſia diruta conſpiciuntur.* Hæc ille.

Silo ſitus in libro Iudicum deſcriptus. In libro Iudicum cap. 21, 19. diſtinctè ſitus Silo hiſce verbis explicatur: *Ecce ſolemnitas Domini eſt in Silo anniuerſaria, quæ ſita eſt ad Septemtrionem vrbis Bethel, & ad Orientalem plagam viæ quæ de Bethel tendit ad Sichimam, & ad Meridiem oppidi Lebona.* Vbi Abulenſis q. 32. ait: Conſiderandum, quòd Silo eſt magis Orientalis quàm Sichem; & tamen Sichem eſt magis Aquilonaris quàm Silo, & Bethel eſt minùs Septemtrionalis quàm Silo: ideò iter, quo venitur de Bethel in Sichem, neceſſariò eſt ad Occidentalem partem Silo; quia veniendo de Bethel in Sichem, venitur à Meridie ad Septemtrionem: & media iſtarum duarum vrbium eſt Silo, magis Orientalis aliquantulùm quàm illa: & ſic eſt Orientalis ad viam quæ ducit de vna in aliam. Hæc Abulenſis.

Etſi in tanta ſententiarum varietate neſciam aliquid determinare; proponam tamen quæ mihi occurrunt. In primis, quæ adducuntur ab Abulenſi, non mihi planè inter ſe cohærere videntur, ſi attentè conſiderentur: ipſe enim in cap. 12. Gen. q. 27. dicit Bethel diſtare à Sichem vno milliari, & eſſe proximum monti Garizim; ſic namque loquitur: *In libro de diuiſione Terræ ſanctæ, qui valdè certus eſt, vtputa factus ab ab illo qui habitabat in terra illa, & ſciebat totam terram, & diſtantiam; dicitur quòd Bethel diſtat ab vrbe Sichem vno milliario, id eſt, media lenca: & in eodem libro, & ſatis colligitur hic, hoc eſt Gen. 12, 8. & 8. cap. Ioſue, Bethel eſſe in latere montis Garizim circa Orientem illius terræ.* Et ſi hoc verum, quomodo poteſt intra tam anguſtum vnius milliaris ſpatium, & inter duas ciuitates non infimas Terræ promiſſionis, eſſe altera, illaque eximia Silo?

Abulenſis ſententia reijcitur.

Ampliùs, ſi Silo eſt ſupra Bethel, & Sichem proxima; Sichem autem, inquit ibidem Auctor, ſeparatur decem leucis ab Ieruſalem; quomodo Silo quatuor dumtaxat milliaribus ſeiungitur ab Ieruſalem? ſanè ferè totidem abeſſe deberet, imò abſolutè decem; quia Silo eſt in ſitu magis Orientali.

Alia ſententia. Secundò, innitendo Scripturæ adductæ & expoſitioni Abulenſis, adderem cum Bonifacio, diſtare Silo à Machmas quindecim milliaria circiter, à Ieruſalem viginti-quinque, & à Sichar ſex vel octo circiter milliaria, & citra Silo declinando ad Occidentem eſſe Sichem. Nec his obſtant ſacræ Scripturæ loca à Toſtato adducta, vt cuilibet illa leuiter conſideranti patere poteſt. Et hæc ſi vera ſunt, nullo modo probari poſſunt ab Adrichomio aſſerta, vt ex collatione vtrorumque facilè cognoſci poteſt. Et hæc de ſecundo ſatis.

Adrichomij ſententia improbatur.

Alia in Silo. Quantum ad tertium, Quænam memorabilia in Silo acciderunt? Plura: in primis Tabernaculum illud, quod ad colendum Deum in deſerto factum fuit, Exod. 26, 1. & quod per deſertum portabatur à Leuitis, Num. 1, 50. poſtquam venerunt in Terram promiſſionis, in vrbe Silo collocatum fuit, vt dicitur Ioſ. 18, 1. hiſce verbis: *Congregatiq; ſunt omnes filij Iſraël in Silo, ibiq; fixerunt Tabernaculum teſtimonij, & fuit eis terra ſubiecta.*

Dubij ſolutio. Et quare potiùs Silo, quàm alius Terræ ſanctæ locus, fuit ad hoc electus? Multiplici ratione: Primò, quia ita præcepit & inſpirauit Dominus, vt videre eſt Deut. 12, 5. & ideò illum locum ſuum appellauit Ierem. 7, 12. & ex eo quòd ibi illud collocauerunt Iſraëlitæ, diuinum mandatum & inſpirationem dijudicamus.

Vbi Princeps, ibi Dei ſingularis cultus floret. Secundò, quia Silo erat ciuitas de ſorte Ephraim; ex qua tribu erat Ioſue ductor & gubernator illius populi. Æquum autem fuit, vt in eadem vrbe & Principis palatium & numinis delubrum viſeretur. Hanc rationem inter alios reddidit hiſce verbis Caietanus: *Par fuit vt in ſorte Principis locaretur diuinus cultus*; quia oportet Principem inter ceteros populares diuini cultus ſtudioſum eſſe. Et, vt ait Abulenſis in Ierem. 18. hoc pacto accuratiùs obſeruari curare poterat quæ pertinebant ad ſanctitatem Tabernaculi.

Tertiò, quia ob illius celſitudinem & pulchritudinem ceteris aptior, qui Deo aſſignandus eſſe videbatur.

Quartò, quia vniuerſo Iudaico populo commodior; quia ferè in medio Terræ promiſſæ,

miſſæ, in prouincia Samariæ, quæ media eſt inter Iudæam & Galilæam.

Quintò, quia tribus Ephraim ceteris fortior & bellicoſior cenſebatur, iuxta illud Pſal. 77, 9. *Filij Ephrem intendentes & mittentes arcum*. per quos validiùs tueri diuinus cultus poſſet.

Arca in Silo manſit vſque ad vltimum Samuelis annum.

Arca manſit in Silo vſque ad tempora Elcanæ patris Samuelis; imò & vſque ad vltimum annum Heli Sacerdotis, cùm inde adducta eſt in caſtra, & capta à Philiſthæis, 1. Reg. 4, 10. quod ſpatium conſtitit annis 369. iuxta chronologiam Hebræorum, ſeu 351. iuxta aliam noſtrorum computationem; 476. ex opinione Abulenſis in 1. Reg. 1. quæſt. 8. Ex Silo ablata, tranſlata fuit ad diuerſa loca à Philiſthæis; in Azotum, 1. Reg. 5, 2. vbi manſit ſeptem menſibus: inde remiſſa in Bethſames, ibidem cap. 6, 12. tum in Cariathiarim, cap. 7, 1. vbi manſit vſquequo Dauid, confirmato iam Regno ſuper Iudam & Iſraël, reduxit illam, & manſit in domo Obededom Gethæi tribus menſibus, 1. Paral. 13, 14. in quadam villa prope Ieruſalem, vt tradit Ioſephus 7. Antiquit. cap. 4. Poſteà duxit illam Dauid in domum ſuam, in ſuperiorem partem Ieruſalem, id eſt, in montem Sion; & ei conſtructum eſt nouum tabernaculum diuerſum à Moyſaico, quod erat in Gabaon, 1. Paral. 13, 1.

De Moyſaico tabernaculo.

Quantum ad Moyſaicum tabernaculum, in quo erat Arca, ex Silo tranſlatum eſt eo tempore, quo Arca tranſlata eſt in caſtra; primùm in Nobe ciuitatem Sacerdotalem, 1. Reg. 21, 1. deinde in Gabaon tribus Beniamin, 2. Paral. 1, 3. quæ diſtabat à Ieruſalem ſtadiis quinquaginta, ſeu ferè tribus leucis, ſecundùm Ioſephum l. 2. de Bello cap. 23. in Gabaon manſit, donec Salomon id intulit in templum cum Arca & vaſis ſanctuarij, quæ erant in illo, 3. Regum 8, 6. Ioſephus lib. 2. Antiq. cap. 2.

In templo manſit Arca, & illud idem tabernaculum, per ſpatium quadringentorum quadraginta duorum annorum, quantum ipſum durauit templum, iuxtà computum Euſebij Cæſarienſis in Chronico: quo autem tempore deſtructum fuit templum per Chaldæos, Ieremias ea ſeruauit in ſpelunca, 2. Machab. 2, verſ. 8. & 12.

Ablata à Silo Arca Dei, & ipſa ciuitas derelicta fuit.

Ablata Arca Dei è Silo propter peccata populi Iudaici, & Silo magnifica ciuitas derelicta fuit à Deo, & domus Dei deſtructa, quemadmodum indicauit Propheta Regius Pſal. 77. verſ. 60, 67. & 68. *Et repulit tabernaculum Silo*, &c. ad quam conſiderandam mittit Dominus Iſraëlitas apud Ieremiam cap. 7, 12. dicens: *Ite ad locum meum in Silo, vbi habitauit nomen meum à principio: & videte quæ fecerim ei propter malitiam populi mei Iſraël.* Vbi D. Hieronymus refert, quando ex Silo tranſlata eſt Arca, domum Dei in ruinam & cineres collapſam eſſe: ædem, inquam, ex lapideis muris abſque tecto; ex quibus, vt Hebræi tradunt, aulæa cortinæque penderent, ac tabernaculum oſtenderetur; non vt in deſerto, ex ſolis tabulis & paxillis. Qua ratione poſſet intelligi, appellatam *domum Domini in Silo*, 1. Reg. 2, 3. & Iudic. 21, 2. quamuis nomen *domus* latiùs vſurpetur pro quouis loco, in quem quid recipiatur. Tabernaculum etiam à Moyſe conſtructum ex Silo repulſum dicitur; quatenus inde tranſlatum, nec illuc amplius reductum. Ad hæc alluſit Bonifacius ſuperiùs relatus.

In Silo per Ioſue Terra ſancta inter ſeptem tribus filiorum Iſraël tributa fuit, cùm ceterę iam ſuas portiones obtinuiſſent, Ioſ. 18. In Silo deinde crebræ Iſraëlitarum conuentiones celebratæ; atque ſacrificij & orationis gratia frequentabatur vſque ad tempora Samuelis. Cùm anniuerſaria quædam ſolemnitas in Silo celebraretur, viri Beniamitæ in vineis latitantes, cùm vidiſſent filias Silo ad ducendos choros procedentes, egreſſi, ducentas ex illis rapuerunt, & acceperunt in vxores, vt illis opus erat, ne illorum tribus penitus interiret, Iudic. 21. Samueli ſermo Domini primò factus eſt in Silo, 1. Reg. 3, 4. Sed dignitas, excellentia & frequentia huius vrbis propter Iſraëlitarum peccata ablata, in ſaltum & ſolitudinem & in exemplum diuini iudicij redacta eſt.

Teſtimonium diuini iudicij facta.

CAPVT V.

De prædio Iacob & puteo Samaritanæ, quinto loco primæ Peregrinationis.

COeptum iter per præruptos & difficiles montes Samariæ verſus Sichar proſequendo, antequam ad Sichar ciuitatem, vulgò *Napuloſa*, ingrediamur, vel pertranſeamus, citra vnum circiter milliare ad dexteram partem viæ, & extra ipſam quantum iacit arcus, eſt celeberrimus ille puteus numquam ab hominum mentibus abolendus, cuius memoria tam in veteri quàm in nouo Teſtamento celebris eſt, & vocatur *Puteus Iacob*, & *Fons Samaritana*.

In hac eadem parte eſt prædium quod dedit Iacob Ioſeph filio ſuo, paruus videlicet ager, niſi mauis illum in altera cognoſcere non longè à puteo, vt infrà notamus. Ex vtraque parte ſunt magni & excelſi montes; in quorum medio via eſt, qua itur ex Ieruſalem in Sichar & Samariam. Prædij Ioſeph fit mentio Geneſ. 33. & 48. & Ioſ. 24.

lized by Google

Puteus Iacob, & fons Samaritana, & nominum ratio.

vt ſtatim apparebit; prædij & putei Iacob, Ioan. 4, 5. vbi agitur de Samaritanæ mulieris conuerſione hiſce verbis: *Venit ergo Ieſus in ciuitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar: iuxta prædium, quod dedit Iacob Ioſeph filio ſuo. Erat autem ibi fons Iacob.* Fons à tempore Chriſti, & mulieris Samaritanæ conuerſione, vſque ad præſens Puteus Samaritanæ appellatus fuit, & appellatur: vtriuſque nominis ratio videtur indicata, & omnibus conſpicua.

Prædium Iacob & Ioſeph.

Prædium verò & ager Iacob vel Ioſeph filij eius nominatur, Iacob; quia ipſe eum emit à filiis Hemor patris Sichem centum nouellis ouibus, Ioſ. 24, 32. & Gen. 33, 19. Moyſes inquit: *Emit* Iacob *partem agri in qua fixerat tabernacula* (quando ſcilicet ex Meſopotamia rediit in terram Chanaan) *à filiis Hemor patris Sichem, centum agnis*, &c. Ioſeph autem ager dicitur; quoniam illum dedit ei pater ſuus Iacob mortis proximus, vt verba ſequentia, quibus illum fuit allocutus, demonſtrant: *Do tibi partem vnam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio & arcu meo*, &c. Gen. 48, 22. & quia fuit in poſſeſſione filiorum Ioſeph, vt dicitur loco citato Ioſue.

Dubium.

Si dicas, Quomodo potuit Iacob agrum illum abſtuliſſe de manu Amorrhæi in gladio & arcu, ſi centum agnis emit? Inter alias Doctorum reſponſiones has accipe:

Reſponſio. Pecunia fortitudinis appellatione intelligitur.

Primò, D. Hieronymus in Quæſt. Hebraicis, arcus & gladij nomine fortitudinem ſignificari dicit, id eſt, pecuniam, quam multo labore & ſudore acquiſierat, centum videlicet agnos, quos appellat arcum & gladium, vel potiùs eos in arcu & gladio intellexit.

Secundò, dicitur agrum primò fuiſſe emptum; ſed poſteà fortè idem ager fuit occupatus ab Amorrhæis, à quibus Iacob cum filiis & clientibus ſuis armata manu eripuit: & huius redemptionis fortaſſe meminit Iacob, quia emptione laboriosior & glorioſior.

Vel tertiò denique, alterum agrum ouibus emit, & alterum gladio & arcu ſibi comparauit.

In prædio fodit Iacob puteum, quē hæredibus reliquit.

Prope vel intra dictum agrum effodit Iacob puteum, quo ipſe vſus fuit quoad habitauit in Sichimis, quem poſteà ſuis hæredibus reliquit; & ita indicant verba illa Samaritanæ mulieris ad Chriſtum, Ioan. 4, 12. *Iacob dedit nobis puteum, & ipſe ex eo bibit, & filij eius, & pecora eius.* Samaritanæ vero puteus nuncupatur; quia peccatrix mulier Samaritana fuit à Chriſto Domino apud ipſum conuerſa, & aquis cæleſtis gratiæ refecta; vt pluribus explicat ſanctus Ioannes cap. 4.

Notandum, non fuiſſe ſimplicem fontem, ſed puteum demiſſum & profundum, vt eſt etiam in præſentia, & ſtatim videbimus; & ideò fons & puteus appellatur à Ioanne: latius enim patet fons quam puteus; quia, vt notauit D. Auguſtinus, omnis puteus fons eſt, ſed non econtrà: ideò loco citato Ioannis, qui primùm fons Iacob dicitur, puteus deinde appellatur. *Fons latiùs patet quàm puteus.*

Ad clariorem intellectum hiſtoriæ huius putei, illuſtri præſentia Saluatoris noſtri & electæ mulieris iuſtificatione conſecrati, placet alia addere; quid inquam olim ibi fuerit, cùm Terra ſancta poſſidebatur à Chriſtianis, & quid ibidem nunc occupata ab infidelibus videatur.

Beda de Locis ſanctis cap. 15. docet, puteum fuiſſe intra Eccleſiam circa ipſum ædificatam incluſum; ſic enim ait: *Prope ciuitatem Sichem, quæ nunc Neapolis dicitur, Eccleſia quadrifica eſt, hoc eſt, in modum crucis facta: in cuius medio fons Iacob habetur quadraginta cubitos altus, de quo Dominus aquas à Samaritana muliere petere dignatus eſt.* Hæc Beda. Circa annum Domini 740. adhuc erat dicta Eccleſia; & in ea orauit ſanctus VVillibaldus Epiſcopus, vt in eius Hodœporico videre eſt. *Eccleſia de cetera fuit.*

Ante Bedam eiuſdem putei & Eccleſiæ mentionem fecit ſanctus Hieronymus de Locis Hebraicis in Act. Apoſtolorum, dicens de illo, ſitum eſſe à latere montis Garizim. & in Epitaphio Paulæ: *Tranſiuit,* Paula, *Sichem, non vt plerique legunt Sichar, quæ nunc Neapolis appellatur, & ex latere montis Garizim extructam circa puteum intrauit Eccleſiam: ſuper quo reſidens Dominus, ſitiensq́, & eſuriens, Samaritanæ fide ſatiatus eſt*, &c. Hæc ille.

Brocardus huius fontis meminit, ſed non Eccleſiæ; fortè eius tempore deſtructa erat: vixit enim circa annum Domini 1283. quando Terra ſancta ab infidelibus poſſidebatur, qui templa Chriſtianorum demolebantur; ſic autem de illo ſcribit: *Ciuitas Sichem, quæ hodie Neapolis vocatur, nimia amœnitate & deliciis abundans. A porta eius Auſtrali, quantum bis iacere poſſet arcus, fons eſt Iacob in via quæ ducit Ieruſalem. Huic fonti adiacet prædium, quod dedit Iacob filio ſuo Ioſeph. Vallis eſt longa admodum, fertilis & amœna.* Hactenus Brocardus. Et ita fuiſſe indicat Guilielmus de Baldenſel, qui anno Domini 1336. ad loca ſancta peregrinatus, & de eiſdem ſcripſit. hæc de illo: Iuxta Nicopolim oſtenditur puteus, vbi Dominus cum muliere Samaritana loquebatur, qui adhuc ibidem oſtenditur,

ed by Google

ditur, sed aliquantulùm obstructus est: supra quem locum olim pulchra erat Ecclesia, nunc plurimùm dissipata.

Et vt de illis, quæ ibi cernuntur posterioribus temporibus, loquamur; Bonifacius de memoratis, planitie, agro Ioseph, & puteo Samaritanæ, sequentia litteris consignauit: *Hæc planities est pars Ioseph, vt dixi: pulchra est aspectu, & vberrima fructu, coniuncta prædio quod dedit Iacob Ioseph filio suo. Frumentum quod colligitur in hac parte Ioseph, totum Ierosolymam defertur, & nobis Fratribus sacri montis Sion venditur. Nos autem vt filij Iacob per adoptionem in Christo componentes panem, cum Dei benedictione illum sumimus, & infideles possessores nunc prædij Ioseph, & partis eius, quam habuit extra fratres suos, à centum & octoginta annis frumentum nemini vendiderunt nisi prædictis Fratribus, dicentes: Benedictio Domini est, & benedicti illum comedere debent.* Hæc ipse. Nostris temporibus id non obseruatur: coacti Fratres emere frumentũ à Gubernatore Ierosolymæ eo pretio quo ipse vult. Subdit Bonifacius: *Pergentes per hanc planitiem, & partem datam Ioseph, deuenimus ad puteum Iacob, qui est ex latere montis Garizim. Iuxta hunc puteum ab Helena sancta fuit extructa magna Ecclesia, quam plus quàm centum virgines incolebant; nunc autem solo æquata cernitur Ecclesia & Monasterium: tantùm in ore putei remanet altare, in quo Sacrum Altissimo offertur semel in anno.* Hactenus ex Bonifacio. Multis abhinc annis à fidelibus non fuit ibi Missa celebrata.

Ex dictis colligitur, non multò post glorioſam Christi Ascensionem dignissimum hunc puteum illustrissimis monumentis condecoratum fuisse; sed post multa tempora, fidelium incuria, infidelium odio, iusto Dei iudicio, nostris exigentibus demeritis, eadem destructa, & in puluerem redacta fuisse. In præsentia enim quædam dumtaxat fundamenta & ruinæ cernuntur, quibus non obscurè datur intelligi, quàm illustris & eximia fuerit Ecclesiæ Monasteriique structura. Non longè à via & puteo, duo adhuc erecti termini, id est, partes columnarum marmorearum videntur, & circumquaque ruinæ: in quarum medio puteus est, & non sub illis columnis, vt quidam dixerunt & litteris consignarunt: qui sanè nec locum nec puteum viderunt, fortè ita dixerunt, quia proximus est columnis. Facilè à transeuntibus absque illius visitatione pertransiri potest, quia difficilis illius cognitio: non enim supra solum eminet, sed cum eo coæquatur, oſque eius magnis lapidibus obstructum; qui tamen à peregrinis aliquando, etsi magno cum labore, amouèntur, vt ipsum ingrediantur, & meliùs videant. Hoc plures non aduertentes, dixerunt absolutè puteum esse terra lapidibusque repletum; sed ita non est, vt mox apparebit. Os illius angustissimum est, & non nisi cum difficultate potest non crassus homo ingredi. Ego in eum descendi cum aliis, ibique inueni paruum sacellum cum altari, vbi Missa celebrari potest, & vt olim à nostris Catholicis, ita nunc à Græcis schismaticis aliquando celebratur, vt in his partibus intellexi: qui & huius putei os clausum tenent. In solo huius sacelli est aliud os superiori respondens, eique simile, per quod cùm in puteum longissimum funem cum vase demisissemus, vt aquam hauriremus, ad oculum deprehendimus, quam fide tenebamus, altitudinem & profunditatem; adeò vt Samaritana illa mulier verè Christo dicere potuerit, *Puteus altus est.*

Situs putei mutandus.

Conditio.

Æstiuo tempore, quo prima vice hac transiui, & puteum vidi, mense scilicet Iulij, aquam in eo non inueni: duabus aliis vicibus, quibus similiter aliis temporibus veneratus sum, non fuit concessum periculum facere, an in eo esset aqua; verùm qui verno vel hiemali tempore in eum ingressi fuerunt, aquam hausisse & bibisse certò mihi affirmarunt. Interiùs circumcircà optimè ædificatus est ad aliorum puteorum similitudinem.

Auctor Historiæ Scholasticæ in Euangelia cap. 58. de isto puteo agens, inquit: Sunt qui dicunt locum illum esse vmbilicum terræ nostræ habitabilis; quia singulis annis, quadam die æstatis meridiana hora, sol descendit in aquam putei, nusquam faciens vmbram, quòd Philosophi apud Sienen fieri tradiderunt: ideò enim dictum putant in Deuteronomio, *Constituit eum super excelsam terram.* Sed quam veritatem hoc dictum habere possit, ex dictis Libro v. Cap. XXXIII. 1. Peregrin. in simili facilè patere potest. Hæc distinctè explicare placuit, ne peregrini ipsum inconsideratè pertranseuntes priuentur spirituali consolatione, qua ex illius visitatione perfunderentur: etenim ductores libenter non admonendo pertranseunt; vel quia illius notitiam non habent, vel quia ægrè circa hæc tempus insumunt. De fonte Iacob Adrichomius agit in Ephraim num. 54.

Deut. 32. 13.

CA-

CAPVT VI.

Difficultas enucleatur de puteo Samaritana.

SCrupulus, qui contra dicta insurgit de puteo Samaritanæ, proponendus & diluendus est, vt veritas magis eluceſcat. Fuit à nonnullis dubitatum, an assignatus puteus idem ille sit, cuius meminit in Euangelio D. Ioannes, ad quem venit mulier de Samaria haurire aquam; vel potiùs dicam, suspicatum fuit, quomodo, quáve ratione ad hunc puteum venerit Samaritana mu-
Difficultas. lier. An in Sichar fontes riuiq́ue non erant aquam copiosè administrantes? Est etiam in via, qua ex Sichar ad hunc puteum venitur, fons pulcherrimis aquis continuò abundans, qui ab isto fonte quarta milliaris parte separatur, ex quo sine fune & molestia aquam hausisset, hoc enim desiderabat Samaritana: quare petiit à Christo aquam viuam, ne sitiret, & ampliùs ad fontem illum pro aqua non veniret. Ad quid ergo venit ad hunc fontem mulier de ciuitate illa cum tanto labore haurire aquam?

Veritas traditionis putei confirmatur. Sedenim, propter hanc nullius momenti difficultatem, antiqua traditio de isto puteo minimè deserenda est; præsertim cùm ei multipliciter Euangelium suffragetur: in primis, quia est in via, qua ex Ierusalem venitur in Samariam, iuxta prædium Iacob, & montem Garizim: est etiam altus; quare alius suprà memoratus, esse non potest; & alius circa Sichar vel in Samariæ prouincia ab isto, Christi præsentia & Samaritanæ conuersione celebris non demonstratur. Et veteres, quando recens erat memoria factorum Christi, hunc in illorum memoriam illustrissimis monumentis condecorarunt, vt Capite præcedenti vidimus: quare vetus traditio retinenda, & rationi dubitandi respondendum, & multipliciter.

Responsio ad difficultatem. Primò, dicendo mulierem illam non veniſſe de tam diſsito loco, id est, de Sichar ad fontem, nec hoc dicit Euangelista; sed *de Samaria*, id est, de Samaria prouincia, per quam transibat Christus vt iret in Ga-
Ioan. 4. 7. lilæam; dicit enim, *Venit mulier de Samaria haurire aquam*; quia forte ex aliqua villa, vel prædio Samariæ huic fonti proximo,
Samaritana vnde venit ad puteum. venit: nam cùm pauper esset, vt ex laborioso & vili opere monstrat, in paupercula habitatione debuit commorari. Et hoc non obscurè ex Euangelio deduci potest, dum agit de profectione mulieris in ciuita-
Ibid. v. 28. tem. sic enim dicit: *Reliquit ergo hydriam suam mulier, & abiit in ciuitatem. Abiit,* inquit, non rediit: si enim ex Sichar ciuitate veniſſet, propriùs dixisset Euangelista, rediit.

Abiit verò potiùs ad ciuitatem, quàm ad propriam habitationem, charitatis igne succensa; quæ, vt sanctus inquit Apostolus, *non quærit quæ sua sunt*, sed quæ Iesu Christi. In ciuitate namque, vbi multò plures sunt habitatores quàm in villis, fructuosiùs verbum Christi prædicatur: vt ergo hæc mulier pluribus Dei verbum & Christi præsentiam nuntiaret, non ad propriam rediit habitationem, sed in ciuitatem abiit. Vel priùs locum, vbi manebat, pertransiuit, ne suos contemnere videretur, & videretur *infideli deterior*, & inde abiit in ciuitatem. *Conuersa quare abiit in ciuitatem.* 1. Cor. 13, 5. 1. Tim. 5, 8.

Secundò dico (& est præcedentis responsionis confirmatio) præpositionem *de* non denotare locum vnde discessit mulier, sed regionem & patriam ex qua oriunda erat: quod in simili ex eodem D. Ioanne alibi probatur, qui agens de Lazaro illo mortuo quatriduano, dicit: *Erat quidam* Ioan. 11, 1. *languens Lazarus à Bethania, de castello Maria, & Martha sororis eius.* id est de Bethania, & de castello ex quo erat oriundus. ita dum hîc dicit, *Venit mulier de Samaria*, id est, Samaritana, & ex Samaria oriunda. Et profectò per Samariam, regionem siue prouinciam sic appellatam, intellexit Euangelista, & non Sichar, vel Samariam vrbem, alio nomine Sebasten. dicit enim: *Venit Iesus in ciuitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar.* & anteà, *Oportebat eum transire per Samariam*, id est, prouinciam Samariæ, non ciuitatem, quæ ab isto fonte distat ad septem milliaria: quam transire non oportet qui vult ire in Galilæam, nisi iter suum longiùs protrahere velit.

Tertiò, si quis contendere vellet, Samaritanam mulierem veniſſe de ciuitate; dici posset, veniſſe ex ciuitate, non contentam aquis ciuitatis, vel circa eam fluentibus, vel ob pietatem & deuotionem erga Iacob Patriarcham, qui puteum hunc fodit, & dedit Ioseph filio suo, & celeberrimus est: sicut & nos pietatis ergò libenter bibimus ex aquis, in quibus mysteria aliqua operata fuisse intelligimus, vt Iordanis, fontis Siloë, & beatæ Mariæ Virginis, etsi alias commodiùs habere possimus. Vel quia tunc temporis aqua huius fontis aliis frigidior erat, vt ex eius profunditate non obscurè licet diiudicare; & propter illud commodum, illud incommodum subire non renuit, vt frequenter in similibus contingit. Et ego cùm æstiuo tempore ex Alepo Ierosolymam proficiscerer, & transirem opulentam, insignẽ & iucundam ciuitatem Aman, *Vel ex deuotione initi ad illius puteum aquam hauriendi.*

Google

Aman, quæ est supra Damascum spatio itineris sex dierum, animaduerti, etsi magna sit in ea aquarum abundantia, quòd haud parua hominum & mulierum copia, omnibus spretis, ad fontem aquæ frigidæ extra ciuitatem ibat ad illius aquam hauriendam: ita sitibunda illa mulier, spretis aliis aquis, potuit ad hanc meliorem hauriendam venire.

Verus Sichar puteo proximior.

Vel dicatur quartò, veterem Sichar proximiorem fuisse huic fonti: distabat enim ab eo quantum bis iacit arcus ad eius sinistram partem, vt ait Breidenbachius, cuius reliquiæ suo tempore ostendebantur, referente Adrichomio, de Sichem agente in Ephraim num. 90.

Piè ergo firmiterq; credamus cum communi traditione, hunc, de quo locuti sumus, fontem, illum esse super quem sedit Saluator noster lassus & defessus ex itinere; & ad quem, vt hauriret naturales & frigidas aquas, venit mulier Samaritana: quarum loco hausit in gaudio de fontibus Saluatoris aquas spirituales diuinæ gratiæ salientes in vitam æternam.

CAPVT VII.

De sepulchro Ioseph filij Iacob, & fratrum eius apud Sichem, sexto loco primæ Peregrinationis.

IOseph magni Iacob Patriarchæ filij ossa, quæ secum filij Israël ab eo adiurati ex Ægypto asportauerunt, quando venerunt ad Terram promissionis, vt dicitur Genes. 50, 24. humata fuisse in prædio Ioseph apud Sichem, communis traditio est. Potest nihilominùs esse difficultas de peculiari loco sepulchri. Iosue cap. vltimo v. 32. dicitur, ossa Ioseph fuisse sepulta in Sichem. Alij, quòd in prædio, prædium agnoscentes vbi est puteus Samaritanæ: alij denique volunt fuisse sepulta in loco parum dissito à fonte, inter fontem Iacob & Sichem, à læua parte; vbi in colle & pede montis monstratur structura quædam, quæ ab huius regionis incolis *Sepulchrum Ioseph* appellatur, & ea ratione ab ipsis Turcis & Mauris venerationi habetur, ibiq; Mesquitam construxerunt, estq; in loco satis amœno, & proximo Sichem veteri. Quorum sententiam si sequamur, dicere possemus ibi esse prædium Iacob; nam Ioannes non dicit puteum Iacob esse in prædio, sed *iuxta prædium*, &c. & in ista parte ipsum delineauit Adrichomius in Ephraim num. 59. ibiq; ossa sancti Patriarchæ fuisse tumulata, iuxta veterum consuetudinem: solebant enim illi suorum cadauera in suismet possessionibus humare, & non intra ciuitatem, vt notauimus Lib. IV. Cap. VI. IV. Peregrinationis. Nec locus Iosue obstat: ideò enim dicit in Sichem ossa Ioseph fuisse sepulta, quia prope Sichem.

De particulari loco sepulchri Ioseph in Sichem.

Argumenti solutio.

Si dicatur, quando sepulta fuerunt ossa Ioseph, nondum facta erat terræ inter duodecim tribus diuisio; ideò nec potuit sciri, an hæc regio obtingere deberet tribui Ioseph, vt in ea illius ossa humarentur:

Obiectio.

Respondetur id non obstare; quia, vt bene notat Masius in calce Commentariorum suorum in Iosue, licet Ioseph posteris alia regio obtigisset, nihilominùs hunc etiam illi agrum omnimodis habuissent, tamquam ipsis ante sortes vi testamenti paterni debitum, vt habetur Gen. 48, 22.

Solutio.

Et non tantùm ossa Ioseph, sed probabile est etiam in Sichem tumulata fuisse ossa duodecim Patriarcharum, vt multis placet. Colligi hoc potest ex cap. 7. v. 16. Actorum Apostolorum, & ex D. Hieronymo in Epitaphio Paulæ, vbi sic de ea & ad intentum scribit: *Transiit Sichem, & circa puteum Iacob extructam intrauit Ecclesiam; atque inde diuertens, vidit duodecim Patriarcharum sepulchra.* & Epist. 101. ad Pammachium de optimo genere interpretandi, docet, Israëlitas eodem quoque tempore in Sichem simul sepelisse ossa reliquorum duodecim Patriarcharum, quæ secum vnà cum aliis Ioseph ex Ægypto detulerunt. Idem docent Beda & alij Scholastici Doctores, & habet harum partium traditio; & eorum sepulchra apud Sichar monstrari dicitur.

Etiam apud Sichem fratrum Ioseph ossa sepulta.

Duplex nunc occurrit difficultas etiam à sacris Doctoribus excitata, quæ, quoniam ad intentum deseruit, proponenda & diluenda est. Altera est, quomodo ossa Ioseph conseruari potuerunt in Ægypto, vbi primò tumulata fuerunt, & inueniri ab Israëlitis, vt profecturi in Terram patribus ipsorum repromissam, illa secum asportarent, & sepelirent in memorato loco Sichem; cùm singulis quoque annis Ægyptus ex crescentibus Nili aquis inundetur? & eadem quæstio, & multò maiori ratione, excitari potest de ossibus aliorum Patriarcharum, si in Sichem sepulta fuerunt; quia non est ita certum, tantam curam de illorum, sicut de ossibus Ioseph, habitam fuisse.

Duplex difficultas.

Prima.

In ista difficultate duo tanguntur: alterum, quomodo ossa Ioseph (idem quæri potest de ossibus aliorum Patriarcharum) conseruari potuerunt, ne aquis Nili disperderentur & consumerentur? Alterum, supposito quod non fuerint consumpta, quomodo inueniri potuerunt, quando Hebræi ex Ægypto discedere voluerunt?

Ad

Ossa Ioseph quomodo in Ægypto conseruata & inuenta, vt trasferri possent in Chanaanitidem.

Ad vtrumque respondent Hebræi, ossa Iosephi sepulta fuisse in aliquo Ægypti agro, quà Nilo etiam inundabatur, & aquas tumulum operuisse, quando accepta fuerunt à Moyse, vt secum in desertum asportaret; & non nisi patrato miraculo fuisse inuenta. Dicit Magister in Historiis Scholasticis ex auctoritate Iosephi (inquit Abulensis in cap. 13. Exod. quæst. 11.) quòd quando Moyses voluit tollere ossa Ioseph, Nilus fluuius inundauerat valdè, & loculum Ioseph operuerat: cùm ergo Moyses eum non inueniret, scripsit nomen Domini Tetragrammaton in quadam lamina aurea; illa autem fluctuauit super aquas, perueniens vsque ad locum vbi erat sepulchrum Ioseph.

Hebræorum sententia.

Alij autem volunt, quòd quædam ouis repentè astitit, voceque humana locuta est miraculosè, & ostendit sepulchrum Ioseph; prophetauit etiam de labore, quem sustinere debebant in itinere deserti: & de hoc putant dictum esse illud quod habetur Psalm. 79. *Qui deducis velut ouem Ioseph.* Quam ouem ducentes per desertum Israëlitæ, ouem Ioseph vocabant.

Cosmas Magalianus in cap. 24. Iosue sect. 3. explicat. contexr. num. 28. eamdem Hebræorum sententiam adducit, ac deinde suam subiicit hisce verbis: Ego in terra Gessen religiosè seruata puto Iosephi ossa, memoresque in exitu de Ægypto Hebræos iuramenti à maioribus præstiti, illa secum asportasse.

Hebræorum sententia reiicitur.

Illam positionem Hebræorum ex Lyrano reiicit Abulensis, eò quòd ossa Ioseph honorabiliter recondita in Ægypto, vt patet Genesis vltimo capite: & ponebantur ibi ad memoriam beneficiorum eius, vt Ægyptij videntes tumulum eius, recordarentur beneficiorum receptorum ab eo, & cognationem atque posteritatem eius iniustis operibus non grauarent. Ad hoc ergo oportebat vt in loco patenti ponerentur, vt ab omnibus conspici possent, & non in agris, aut in locis, in quibus Nilus inundans ea operire valeret. Quod dicitur de oue, fictio est Hebræorum: & si aliquid suffragaretur Psalmi auctoritas, Ioseph nomen in genitiuo esset accipiendum, accipitur verò in accusatiuo.

Abulensis dicit, ex dicto Psalmo nihil concludi, verùm illud accidisse, teneri posse: sed somnium Hebræorum esse communiter creditur, & tantò magis si vera sunt quæ posteà dicemus. Et ipsemet Abulensis posteà dicit, magis tenendum esse nihil horum factum extitisse.

Et ad Lyranum dicit, consueuisse veteres extra ciuitatem in agris defunctorum corpora sepelire; & verè probat; idemque factum fuisse de ossibus Ioseph, non tamen in loco vili atque abiecto, sed satis honorabili, & ad quem Nili inundatio non attingebat. Ad quem Moyses, veniens, nemine prohibente extumulauit ossa, imposuitque in aliqua capsa artificiosè facta, vel in aliqua arca parua, & portauit vsque in terram Chanaan. Et scimus, Pyramides Ægypti, in quibus corpora defunctorum humabantur, esse circa Nilum; & tamen in illius incremento recondita corpora detrimentum pati non possunt, quia in sublimi posita, quò aquæ non perueniunt.

Sed nec verum est, quod vel dicunt Hebræi, & Abulensis non negat, eo anno quo discesserunt filij Israël, Nilum plus solito creuisse, tumulumque Ioseph operuisse, ita vt ad miraculum pro eius inuentione recurrendum fuerit. Etenim, vt ipsemet dicit Abulensis ex Solino, Nilus solùm calidissimo tempore, Iulio & Augusto, inundat; & experientia testatur. At Hebræi ante inundationem discesserunt, quia initio mensis Nisan, qui respondet nostro Martio, vt fuerat illis à Domino imperatum, vt Libro III. Capite XXVIII. notauimus. Quare, absque miraculo potuit Moyses inuenire tumulum Ioseph, & etiam aliorum Patriarcharum, si eorum locus notus erat; dato etiam, quòd essent in campis, quos crescens Nilus alluit.

Pererij sententia.

Benedictus Pererius in cap. 50. Genes. numer. margin. 33. expendens ea verba, *Et condituſ* (Ioseph) *aromatibus, repositus est in loculo in Aegypto*, inquit, sanctum Ioseph non fuisse illatum sepulchro, sed ad similitudinem depositi loculo inclusum, vt in tempore exportari nullo negotio posset. Loculus verò significat capsam, vel arcam, siue conditorium, quo mortuorum ossa & reliquiæ conduntur: fuerit marmoreum, vel potiùs ligneum, secundùm diuersas opiniones. Et hoc tenendo facilè patet, quid ad difficultatem sit respondendum, & faciliùs quidem, secundùm posteriorem dicendi modum.

Quantum ad ossa aliorum Patriarcharum, si non dissimiliter sepulta fuerunt, simili modo dicendum est, licet vetus Scriptura non loquatur, noua tamen Act. 7. docet sepulta fuisse in Sichem; & credibile illorum filios & posteros suorum parentum curam suscepisse: & de hoc alibi egimus. Lege Abulensem citatum, & in Genes. cap. 46.

Secunda difficultas.

Altera difficultas est, quòd licet verè fuerint corpora illorum Patriarcharum ex Ægypto translata in terram Chanaan, non tamen

tamen fuerunt in Sichem humata, ſed in Hebron, vt ſcribit Ioſephus lib. 2. Antiq. in calce cap. 4.

Reſponſio. Reſponderi poteſt dupliciter: Primò, Ioſephi auctoritatem non eſſe præferendam auctoritati Scripturæ & aliorum Doctorum. Secundò, cum Benedicto Pererio in cap. 23. Gen. diſput. 2. num. margin. 50. & aliis, Ioſephum nobis non officere. Probabiliter enim putamus, oſſa illa priùs humata fuiſſe in Sichem; & poſteà fuiſſe ex Sichem in Hebron tranſlata. Nec poſteà ceſſauit veneratio ſepulchrorum in Sichem: tempore enim D. Hieronymi venerationi habebantur, vt iam ex ipſo vidimus; non quòd ibi eſſent Patriarcharum corpora, ſed quia aliquando fuerunt, vt idem ſanctus Doctor ſentire videtur.

Sepulchra Sanctorum vacua pìè honorantur, quia aliquando ſacra pignora continuerunt. Quemadmodum & alibi Sanctorum ſepulchra ſacris Reliquiis ſpoliata, religiosè à fidelibus venerantur, quia in illis aliquando fuerunt. Et vt omittam Sepulchrum Chriſti Domini, & eius ſanctiſſimæ Matris; honoratur locus & ſepulchrum Ieroſolymis, vbi aliquando fuit corpus ſancti Stephani; item apud Lauram in Palæſtina ſepulchrum ſancti Sabæ Abbatis, etſi eius corpus Venetias tranſlatum ſit; & Mediolani apud S. Euſtorgium ſepulchrum trium Regum, qui Chriſtum in cunabulis adorauerunt, magna in veneratione habetur, etſi eorum corpora inde ſublata Colonia poſſideat. De prædio Ioſeph agit Adrichom. in Ephraim num. 59.

CAPVT VIII.

De montibus Garizim & Hebal, qui ſeptimo loco occurrunt in prima Peregrinatione.

EX occaſione, qua mulier illa Samaritana loquens cum Chriſto ad puteum Iacob, dixit illi, *Patres noſtri in monte hoc adorauerunt*; montem fonti proximum nutibus oſtendens, qui eſt & dicitur mons Garizim, ſecundùm Origenem & alios. Et quoniam ex vtraque parte & fontis & viæ ſunt montes; quinam ex illis ſit mons Garizim, & alter ei oppoſitus Hebal, fuit dubitatum; & in dubitationis ſolutione non omnium vna eſt ſententia. Hinc difficultatem placuit proponere, & pro vitibus explicare; quia non in ſe inutilis erit, & proderit ad firmiorem pariendum aſſenſum iis quæ anteà diximus de fonte Iacob & prædio Ioſeph.

Ioan. 4, 20.

De ſitu Garizim & Hebal, triplex ſententia. Triplicem inuenio Auctorum ſententiam in aſſignatione montis Garizim, & huic oppoſiti Hebal. Prima eſt D. Hieronymi in libro de Locis Hebraicis, ſiue potiùs Euſebij; qui, vt aliàs diximus, creditur fuiſſe Auctor illius libri, & D. Hieronymus illum Latinitate donauit. Euſebius itaque dicit, montes Garizim & Hebal non eſſe propinquos vrbi Sichem, ſiue Neapoli Syriæ, ſed Iericho; & conſequenter non eſſe in Samaria proximos puteo Samaritanæ: *Sunt*, inquit, *iuxta Iericho duo montes vicini, contra ſe inuicem reſpicientes; è quibus vnus Garizim, alter Hebal dicitur. Verò Samaritani arbitrantur, hos duos montes iuxta Neapolim eſſe; ſed vehementer errant: plurimùm enim inter ſe diſtant, nec poſſunt inuicem benedicentium ſiue maledicentium inter ſe audiri voces; quod Scriptura commemorat*, &c.

Prima, eſſe prope Iericho.

Probatque Euſebius, montes Garizim & Hebal non eſſe vicinos Sichem: propterea quòd in illis duobus montibus benedictiones legem obſeruantibus conferendas, & maledictiones legem frangentibus infligendas Ioſue promulgauit, diuiſo in montibus exercitu, ita vt inuicem ſe audire poſſent Hebræi. At verò montes illi duo, qui ſunt prope Sichem, ita diſtant, vt non poſſent inuicem benedicentium & maledicentium voces audiri. Lege Deuter. cap. 27, 12. & Ioſ. cap. 8, 33. Addit Euſebius eodem libro: *Iuxta Galgal montes eſſe ſcribuntur, Garizim & Hebal. Galgala verò locus eſt iuxta Iericho. Errant igitur Samaritani, qui iuxta Neapolim Garizim & Hebal montes oſtendere volunt, cùm ipſos iuxta Galgal eſſe Scriptura teſtetur, Deut. cap.* 11. Hæc ille. A qua ſententia non recedit Andreas Maſius, dum non iuxta Sichem collocat, ſed iuxta Hai; cuius rationes confutat Nic. Serarius in Ioſue 8. quæſt. 14.

Ratio.

Reiicitur. Ceterùm, communior ſententia aſſerit, montes Garizim & Hebal eſſe prope Sichem: & colligitur ex libro Iudic. cap. 9, 6. vbi hæc habentur: *Congregati ſunt autem omnes viri Sichem, & vniuerſa familia vrbis Mello: abieruntq; & conſtituerunt regem Abimelech, iuxta quercum quæ ſtabat in Sichem. Quòd cùm nuntiatum eſſet Ioatham, iuit, & ſtetit in vertice montis Garizim: elenataq; voce, clamauit, & dixit: Audite me viri Sichem, ita audiat vos Deus*, &c. Si ergo de vertice Garizim Ioatham locutus eſt ad viros exiſtentes in Sichem (veterem intellige non diſſitam à fonte Iacob, vt ſuprà notauimus) colligitur neceſſariò Garizim proximum eſſe Sichem. Idem expreſsè docent Ioſephus & alij locis infrà citandis. Sed iſti non omnes conueniunt.

Garizim & Hebal ſunt prope Sichem.

Secunda ſententia, eſſe prope Sichem ad plagam Occidentalem. Quidam dicunt (& hæc ſit ſecunda ſententia) eſſe illos montes qui ſunt à ſiniſtra parte viæ, qua ex Ieruſalem itur Sichar, &

putei Samaritanæ; leui moti coniectura, quòd supra alterum ex his sit quoddam sacellum, siue fanum, quod credunt quidam fuisse extructum à Samaritis in memoriam illius templi in monte Garizim extructi, in quo Israël sacrificia offerebat.

Reijcitur. Sed, propter statim dicenda, hoc arbitror falsum; nec fanum illud probabiliter conuincit, quiâ potuit alia ratione fuisse constructum, sicut & alibi accidit: vel potest esse mesquita Turcarum; & ex altera parte vltra Sichem, non longè, non vnicum, sed plura cernuntur fana siue mesquitæ.

Tertia sententia, esse ad dextrum putei Samaritanæ. Tertia sententia est illorum qui asserunt, montes, qui è regione præcedentium sunt à dextra parte viæ Ierusalem, & putei Samaritanę, esse memoratos montes Garizim; & qui primò occurrit Hebal, qui secundò Garizim. Duo hîc sunt probanda: alterum, quòd hi montes sint prope Sichem; alterum, quòd sint nunc commemorati.

Priùs iam ostendimus ex loco citato Iudicum, & ampliùs probatur auctoritate Iosephi asserentis lib. 11. Antiq. cap. vltimo, vrbem Sichem prope montem Garizim sitam esse; & lib. 4. ad finem, de benedictionibus & maledictionibus commemoratis sequentia scripsit: *Iussit Moyses aram erigere ad solem Orientem obuersum, non procul à Sichimis vrbe, inter duos montes, dextrum Garizim, sinistrum Hebal; diuisosq; copias in senas tribus, super duobus montibus consistere, & vnà cum illis Leuitas ac sacerdotes*, &c. & lib. 5. cap. 1. *Iosue*, inquit, *cum omni populo profectus versus Sichima, id est, Sichem, altare statuit, &, diuiso exercitu, in monte Garizim dimidium eius collocauit, & in Hebal alterum dimidium*, &c. Hæc Iosephus.

Abulensis in cap. 11. Deuter. de eisdem montibus ita scribit: Sunt hi montes Garizim & Hebal coniuncti ciuitati Sichem: nam mons Garizim distat paulò magis quasi media leuca, vel ferè vna; mons autem Hebal modicum vltrà est magis versus Orientem, vt sit quasi leuca & dimidia, vel non tantum. Distant autem hi montes à Ierusalem quasi vndecim leucis. Hæc Abulensis.

Brocardus idem; & esse ex dextera parte viæ & putei hisce indicat verbis: *Supra fontem*, inquit, *Iacob ad dexteram est mons excelsus, habens duo cacumina; quorum vnum est mons Garizim, aliud mons Hebal*, &c.

Garizim montis conditio. Iosephus lib. 11. Antiq. cap. 8. ait montem Garizim reliquis Samariæ montibus celsiorem esse. Quid est ergo quod in cap. 27. Deut. ait Lyranus, Garizim & Hebal esse duos monticulos propinquos prope Sichem? Dicerem appellasse Lyranum monticulos respectu cacuminum & locorum vbi benedictiones & maledictiones promulgatæ fuerunt: non enim valdè eminentia esse oportuit, vt voces ex vtraque parte intelligi possent: Iosephum autem Garizim altissimum appellasse, non extremitatem & demissiorem partem, sed sublimiorem & vlteriorem considerando. Nec enim arbitror, modicum eius dumtaxat prope fontem esse Garizim; sed qui vlteriùs in altum & longum extenditur.

Adrichomius, Brocardum & Iosephum secutus, in Ephraim num. 45. & 50. optimè delineauit in dextera parte viæ & putei montes Garizim & Hebal coniunctos, vel contiguos, & illum isto sublimiorem.

Quæ dixit Abulensis, omnino vera non credo: non primum, Garizim distare paulò magis quasi media leuca à Sichem. Quomodo, si id verum esset, potuit Ioatham alloqui viros existentes in Sichem? si loquatur de Sichem noua, mons benedictionum distabit ab ea, vt fons, circa milliare. Nec multò minùs verum est secundum, Hebal magis separari leuca cum dimidia: parum enim separantur, & solis cacuminibus, quibus seclusis essent vnus mons; & vnum montem eos appellauit Brocardus. Et quomodo, si tantum ab inuicem separarentur Garizim & Hebal, potuissent in vtrisque audiri benedictiones & maledictiones, vt docet Scriptura? Et propter hæc refellitur etiam alia opinio, quæ asserit, montes, qui ex vna parte viæ omnino steriles, esse maledictionum, & qui ex altera, non item benedictionum.

Abulensis reijcitur.

Alij reijciuntur.

Et ex his respondeo ad rationem Eusebij, dicendo, montes illos prope Sichar à latere fontis Iacob, quorum superior & eminentior censetur Garizim, inferior & demissior Hebal, non tantum ab inuicem distare, quia modica dumtaxat valle, quin ex ipsis vicissim voces clamantium audiri non potuerint. Nec auctoritas Deut. 11, 29. oppositum, sed propositum magis probat; sic enim habet: *Cùm verò introduxerit te Dominus Deus tuus*, inquit Moyses, *in terram ad quam pergis habitandam, pones benedictionem super montem Garizim, maledictionem super montem Hebal: qui sunt trans Iordanem, post viam qua vergit ad solis occubitum, in terra Chananæi, qui habitas in campestribus contra Galgalam, quæ est iuxta vallem tendentem & intrantem procul.* Hæc Moyses ad populum Israël.

Ad rationem primæ sententiæ.

Tertia sententia ampliùs confirmatur.

Vt ergo intentum explicem, notandum est in primis, Moysem hæc dixisse quando erat in deserto Moab cum populo Dei mox ingressuro Terram patribus repromissam;

Digitized by Google

missam; quam ingressus volebat, vt diuinas benedictiones & maledictiones promulgaret supra duos montes: & quoniam terra illa montosa est, & montibus abundat, ne supra quos vellent, vel primò obuios haberent, illas publicarent, pluribus, quos elegit, descriptit, & ostendit. Notandum deinde, desertum Moab, à quo discesserunt filij Israël, & vbi fuit à Moyse præmissum præceptum datum, & flumen Iordanis cum reliduo viæ per quam venerunt Israëlitæ in terram Chanaan, hanc respicere in Meridionali plaga: & consequenter flumen & via respiciunt desertum illud in plaga Aquilonari. Igitur venientibus illis ex deserto, & per Iordanem montesque terræ Chanaan, per quos necessariò transeundum est, Garizim & Hebal montes debent esse in Occidentali parte deserti Moab, & contra Galgalam: & tales sunt indicati prope Sichem, vt videre est in Geographica descriptione Terræ sanctæ. Igitur illi erunt montes Garizim & Hebal, & non alij.

Denique accedit auctoritas D. Hieronymi in Epitaphio Paulæ, asserentis, fontem Iacob esse ad latus montis Garizim. Et verè ad latus est, id est, ad læuam eius partem, vt consideranti patere potest. Igitur memorati montes in tertia opinione erunt Garizim & Hebal.

Alia in Garizim.

Mons Garizim fuit Samaritis sanctissimus, vt inquit Iosephus lib. 3. de Bello cap. 12. & propter multa in eo operata semper celeberrimus, simul & Hebal: in primis, quia in vertice Garizim, vel Hebal, verisimile arbitratur Abulensis in cap. 13. Genes. fuisse Abraham, cùm ei dixit Dominus, *Omnem terram, quam conspicis, tibi dabo*; & inde iussum à Deo terram Chanaan longè lateque ac vndequaque conspicere. Deinde S. Ioannes Chrysostomus Homilia 31. in Ioannem refert sui temporis traditionem fuisse, illum esse montem, in quo Abraham filium suum Isaac sacrificare erat paratus: verùm Lib. v. Cap. xxxiv. 1. Peregrin. & Cap. iii. Peregrin. iii. reiecimus. In eodem Garizim monte, rediens Iacob ex Mesopotamia cum filiis & vxoribus suis, Dominum adorauit, Gen. 33, 20. Ibi Iosue, ex Domini & Moysi præcepto altari lapideo constructo, Deo holocausta obtulit: inscripsit lapidibus legem Dei; & coram Arca, per Sacerdotes Dei legem & præcepta promulgauit, & benedictiones dandas illa obseruantibus: sicut super Hebal pronuntiatæ sunt maledictiones infligendæ trahsgredientibus legem Dei, omni populo respondente, Amen, Deut. 27, 15. & docuit Cyrillus lib. 2. cap. 80.

Fuit etiam mons iste à posteris peculiari habitus in veneratione, vbi orationes & sacrificia faciebant; quia in eo sex præcipuè tribus steterunt, sicut in Hebal sex aliæ. In Garizim Ioatham Sichimitis maledixit, proposita quadam lignorum parabola, Iudicum 9, 7.

Templum in Garizim exstructum causa dissidij Iudæorum.

In eodem monte Iaddi Pontifex Iudæorum, qui à Iudaica lege rebellauit propter alienigenam mulierem, magnificum ædificauit templum, quod fuit causa dissidij inter Iudæos & Samaritas. Lege Iosephum Antiquit. lib. 9. in fine, & lib. 7. cap. 7. & lib. 13. c. 6. & 8. & Eusebium in Chron. Hoc templum, quod fuit Ierosolymitano simile, Alexandri Magni tempore adhuc extabat, vt idem Auctor docet lib. 11. Antiquit. cap. 8. *Post obitum*, inquit, *Alexandri templum in monte Garizim stum mansit incolume: & si quis apud Ierosolymitas, aut illicitis sibi sumptis, aut violati sabbati, aut similis criminis reus ageretur, ad Sichimitas, id est, incolas Sichem confugiebat, calumniam se passum dicens*, &c. Ibi etiam ab Antiocho Epiphane posita fuit statua Iouis Hospitalis, vt altera in Ierusalem Ioui Olympio, 2. Machab. 6.

Baronius Tom. 1. anno Christi 30.

Tempore Christi euersum.

Verùm quo tempore Christus cum Samaritana loquebatur, non amplius extabat templum illud: durauit enim ducentis annis tantùm; & ante tempus Christi fuit ab Hircano euersum, vt Auctor est Iosephus lib. 13. Antiquit. cap. 17. Ob id forte Samaritana dixit Christo, *Patres nostri in monte hoc adorauerunt*; non adorant, quia in eo non adhuc templum extabat, in quo publica offerrent sacrificia, vt Ierosolymis. Existimabant enim Samaritani illum esse montem, quem elegisset Dominus, in quo sibi sacrificia offerri vellet; sicut Iudæi existimabant esse Ierosolymitanum templum: quare difficultatis huius Samaritana mulier petiit solutionem à Christo Domino. Atque ex dictis constat, quinam sint, & vbi sint montes Garizim & Hebal, quod quærebamus.

Ioan. 4. 20

CAPVT IX.

De ciuitate Sichar, octauo loco primæ Peregrinationis.

Sichar conditio.

SIchar Samariæ prouinciæ non infima ciuitas est, sita in tribu Ephraim, in finibus eius, in plano ad radices montium, siue prope ipsos, & præcipuè Garizim & Hebal. Vnde, propter ad eos propinquitatem, dicitur in monte sita, 3. Reg. 12, 25. & mons Ephraim, quia in monte & confinio Ephraim, Ios. 20, 7. Tempore Alexandri Magni tam egregia & illustris fuit, vt Iose-

phus lib. 11. Antiquit. cap. 8. affirmet caput fuiſſe Samaritarum. In præſentia hæc ciuitas pulchra eſt, & inter alias harum partium non infimum locum tenet. Et ſanè octo dierum itinere à ciuitate Damaſci vſque ad hanc (tantùm enim ab inuicem ſeparantur) caſtellum vel ciuitatem, quæ illam amplitudine, fortitudine, fecunditate vel amœnitate ſuperet, vel ei æquetur, non vidi. Aquis, riuis & fontibus abundat, montes & planities habet, &, inter alia, oleis ditatur, vt & tota Samaria. Quare non incongruè Bonifacius eius conditionem contemplatus, mira de ea enuntiauit & exaggerauit, quæ ipſiuſmet verbis hîc tibi ſubijcio.

Egredientes à puteo Samaritanæ, & diuertentes ad dexteram, ingrediemur prædium Ioſeph, iuxta quod ſunt duodecim Patriarcharum ſepulchra: quæ religioſè deoſculantes, eaque derelinquentes, pergentes per viam, ingrediemur ciuitatem Sichem, quæ nunc appellatur Neapolis. Ad Orientem ante portam ciuitatis eſt fons largiſſimas emanans aquas. Hæc ciuitas, & eius ſuburbana, aquis irrigantur ſicut Paradiſus Dei: & verè à Sichem deſcendit in Neapolim, quia non minor eſt in deliciis quàm ſit Neapolis, caput Regni in Italia. In hac vidi Eccleſias magnas dirutas: quibus viſis, à lacrymis Chriſtianus non poteſt contineri. Egreſſis à Sichem, rectà pergentibus ad Septemtrionem, in egreſſu ciuitatis reperitur aqua largiſſima & ſalubris, delicias præbens tranſeuntibus & peregrinis. Hæc Bonifacius. Neapolis, idem eſt quod noua ciuitas, inquit Abulenſis in Geneſ. cap. 12. quæſt. 24.

Addo aliqua ex veteſtioribus, vt maior nobilis huius ciuitatis habeatur notitia. Et primò, quantum ad nomen eius, *Sichem* & *Salem* dicta eſt, Gen. 33, 18. etiam Latinè Sichima tam vrbs quàm ager eius nuncupabatur, vt Pſal. 59, 8. *Partibor Sichimam, & conuallem tabernaculorum metibor*. Lege Matium ſuper Ioſue cap. 20. verſ. 7. *Nomina & ſignificatio.*

D. Hieronymus in Epitaphio Paulæ, & in lib. de Locis Hebraicis, ait Sichem appellari proprie Hebraicè, & corrupto vocabulo Sichar; ſed ſuo tempore Neapolis. Quòd Sichar non ſit propriè nomen Hebraicum, concedatur; tamen Sichar corrupto vocabulo nomine appellanda eſt, quia tali appellatur Ioan. 4, 5. in Bibliis correctis; poſteà Neapolis, & vulgò Napoloſa.

Quantum ad eſſe huius ciuitatis, Auctor libri de Locis Hebraicis, qui inter Opera D. Hieronymi circumfertur, ſentire videtur, Sichar non fuiſſe Neapolim, ſed oppidum aliud ante Neapolim ſitum; ſic enim ſcribit: *Sichar eſt ante Neapolim, iuxta agrum, quem dedit Iacob filio ſuo Ioſeph*, &c. Item in eodem opere dicit, Sichem locum oſtendi in ſuburbanis Neapoleos: Sichem, inquit, quæ Latinè & Græcè Sichima vocata eſt, ciuitas Iacob, nunc deſerta eſt. Oſtenditur autem locus in ſuburbanis Neapoleos iuxta ſepulchrum Ioſeph, quam ſubuertit Abimelech, Iudic. 9, 45. & ſeminauit in ea ſalem; poſteà inſtaurata eſt à Ieroboam, 3. Reg. 12, 15. & ſita eſt in finibus Ephraim: fuit autem & altera Sichem in monte Ephraim ciuitas fugitiuorum. Hæc ille.

Antonius Aranda ſcribit, ciuitatem, quæ nunc *Neapolis* vel *Napoles de Suria* appellatur, non eſſe eodem omnino in loco ſitam, in quo fuit antiqua illa Sichem. Quare Breidembachius (Adrichomio referente in Ephraim num. 90.) duplicem conſtituit Sichem, veterem & nouam. Vetus Sichem, ipſius iudicio, fuit ad ſiniſtram fontis Iacob, cuius ſuo adhuc tempore plurimæ reliquiæ oſtendebantur: noua eſt, quæ nunc extat à veteri ſeparata quantum bis iacit arcus.

Et ante hunc Brocardus: Ad ſiniſtram fontis Iacob oppidum eſt magnum quidem, ſed deſertum & dirutum, quod creditur fuiſſe illa Sichem antiqua, de qua legimus, quòd Iacob habitauit in Sichem. Locus quidem amœniſſimus eſt, & fecundus valdè, niſi quòd aquis fluuialibus careret; ideò neceſſarium fuit Iacob effodere puteum magnum. Indigenæ mihi dixerunt, locum illum nunc Iſtar ab eis appellari. Diſtat autem ab ea, quam diximus appellari Neapolim, iactu duorum arcuum. Et in Neapoli exiſtimo fuiſſe oppidum Thebes, &c. Oppidi Thebes fit mentio Iudic. 9, 50. Diſtat Sichem ab vrbe Samaria, ſiue Sebaſte, non, vt quidam dixerunt, quatuor leucis, ſed duabus, vt idem dixit Brocardus, & nos experti fatemur; ab Ieruſalem verò decem, quod etiam notauit Abulenſis in Gen. 12. Et quòd dicit Brocardus carere aquis fluuialibus, verum eſt; abundat tamen aquis fontium, vt iam diximus.

Fateor me non vidiſſe niſi Neapolim: nec vetus Sichar, vel eius reliquiæ vnquam mihi oſtenſæ fuerunt; etſi non ſemel hac tranſierim, & quæſiuerim. Tempore potuerunt auferri, ne ſolum occuparent, vt alibi accidit. Et ſi, quæ ex aliis retulimus, vera ſunt, illuſtria & celebria fuerunt quæ in Sichem facta recenſentur; & non in noua, ſed in veteri, pro maiori ſaltem parte, accidiſſe credere debemus.

Toletus tamen in Ioann. cap. 4. Annotat. 4.

Google

Innuam Sichar Christum intrasse probabile.

notat. 4. opinatur, in nouam Sichar Christum intrasse; & mihi probabile videtur; sic enim ait: Temporibus Hieronymi vastata erat vetus Sichem, & iuxta eam ædificata ciuitas dicta Mamertha, & posteà Neapolis. Hæc est Sichar, in quam Christum venisse narratur. Hæc ille.

Quidam.

Sed quid de Sichem auctore vel restauratore dicendum? Sunt qui putant, primò ab Hemor Heuæo ædificatam, & ex nomine filij sui Sichem fuisse nuncupatam. Quam deinde in solitudinem redegerunt filij Iacob Simeon & Leui, habitatoribus eius interfectis, ob stuprum illatum illorum sorori Dinæ ab eodem Sichem, Genes. 34, 25. Quæ deinde (nescio à quo reædificata, vel potiùs restaurata) fuit ab Achimelech funditus euersa, superseminato sale, Iudic. 9. Eadem post multa tempora reædificata fuit ab Ieroboam primo Israëlis, id est decem tribuum, Rege, & sedem Regni sui constituit, 3. Reg. 12, 25. & fortè non in priori illo situ vbi erat, sed in isto vbi nunc ædificata cernitur; siquidem alius, qui hanc ædificauit non inuenitur. Et, si hoc verum est, hanc sua præsentia & Samaritanorum conuersione sanctificauit Dominus Iesus, qui mansit ibi duos dies; & multi Samaritanorum propter sermonem eius crediderunt in eum, vt dicitur Ioan. 4, 41. Posteà capta Terra sancta à Christianis sub Godefrido Bullonio, post aliquod tempus ab infideli Bezeuge, Damascenorum procuratore, igne & gladio vastata & desolata fuit, vt Auctor est Tyrius lib. 14. Belli sacri cap. 27.

Abraham in Sichem obtulit sacrificium:

Ampliùs Sichem ex sequentibus commendabilis redditur. Abraham cùm iussu Domini ex Mesopotamia in terram Chanaan venisset, primùm venit in Sichem; vbi apparens Dominus primò terram Chanaan ei promisit: qui gratus existens, ædificauit ibi altare Domino, & obtulit holocausta, Gen. 12, 7. Et facit multùm ad huius vrbis vel regionis commendationem, quòd primus fuit locus in terra Chanaan, in quo Deo oblata fuerint sacrificia, quòd legatur in Scriptura: nam potuit quidem prius in eadem terra in Hebron & Ierusalem ab Adam & descendentibus & Melchisedech facta fuisse sacrificia; sed loquor de memoratis in sacra Scriptura.

quod fuit primum in Terra sancta oblatum.

Nec præmissa apparitio eadem est cum illa de qua Gen. 13. vt quidam arbitrati fuere: etenim hæc ei facta est postquam à Lot diuisus fuit; altera ante diuisionem, vt sentit Pererius in Genes. ad cap. 13. vers. 4. num. margin. 3. qui enumerans quatuor apparitiones Abrahæ factas, distinctam hanc ab illa ponit. Prima fuit, quando vocauit eum in patria sua in Chaldæa, & promisit se ostensurum terram Chanaan: *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram quam monstrabo tibi. Monstrabo* dixit, non dabo, Gen. 12, 1. Secunda, cùm ingressus terram Chanaan, eam peragrabat, eodem capite. Tertia, postquam à Lot dislociatus, separatus fuit, Gen. 13, 14. Quarta, postquam de quatuor Regibus triumphauit, & dixit ei: *Noli timere Abram, ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis.* Gen. 15, 1. Nec ratio est, quare distinctas illas apparitiones, distinctis capitibus commemoratas, etsi non eodem tempore, eodem tamen loco factas, vnam & eamdem esse dicamus; nec necessarium recurrere ad repetitiones, vel recapitulationis figuram, cùm inconueniens aliquod non appareat distinctas illas ponere; præsertim cùm sciamus, frequenter & familiariter Deum Abraham fuisse allocutum. Præterea, promissiones illas distinctas fuisse distinctis apparitionibus factas, earum discrimen demonstrat; in posteriori enim plurium fit promissio quàm in priori: in priori enim dixit ei Dominus: *Semini tuo dabo terram hanc. Qui ædificauit ibi altare Domino, qui apparuerat ei.* Gen. 12, 7. Et iterùm, postquam discessit, sacrificauit. In posteriori verò, postquam diuisus est ab eo Lot, dixit: *Leua oculos tuos, & vide à loco, in quo nunc es, ad Aquilonem & Meridiem, ad Orientem & Occidentem. Omnem terram, quam conspicis, tibi dabo & semini tuo vsque in sempiternum. Faciamq; semen tuum sicut pulueres terræ: si quis potest hominum numerare pulueres terræ, semen quoque tuum numerare poterit. Surge, & perambula terram in longitudine, & in latitudine sua: quia tibi daturus sum eam. Mouens igitur tabernaculum suum Abram, venit & habitauit iuxta conuallem Mambre, quæ est in Hebron: ædificauitq; ibi altare Domino.* Genes. cap. 13, 14.

Quatuor apparitiones Abrahæ factæ.

Et quidem Deus Optimus Maximus, qui seruos suos in tribulationibus consolatur, cùm diuersis temporibus in iis constitutus fuerit Abraham, in iisdem etiam credendum est Deum ipsum fuisse consolatum. Et primò quidem in angustia constitutum arbitror, quando egressus de terra & cognatione sua, quò tenderet nesciens, reuelationem expectare debebat. Et ecce diuina consolatio: apparet ei Dominus in Sichem, monstrans ei terram quam ingressurus erat. Et Abraham pro gratiarum actione altare ei dicauit, & sacrificia obtulit. Deinde angustia circumdatum contemplor sanctum Patriarcham, postquam à Lot separatus fuit, propter charissimi se-

Deus in tribulationibus consolator.

parationem; & quia habitare debebat inter exteras & infideles gentes, & ecce Deus eum demulcet, consolatur, & noua apparitione, & maiori promissione, ex corde eius tristitiam aufert, & lætitia implet: qui ne ingrati animi vitio notaretur, sed gratus deprehenderetur, ei sacrificia obtulit. Et hæ duæ apparitiones apud Sichem contigisse creduntur; & posteriorem in Garizim monte arbitratur Abulensis, vt Capitè præcedenti diximus.

Dubij solutio. Gen. 44,4.

Sed quomodo in Sichem sacrificauit Abraham, si fuit ædificata ab Hemor, qui Abrahæ successit? erat enim tempore Iacob nepotis Abrahæ. Responderem, sequendo illam opinionem, Sichem nomine intelligendam esse regionem, in qua ciuitas eodem nomine appellata fuit postea ædificata.

Iacob reuertens è Mesopotamia cum vxoribus & filiis, in Sichem fixit tabernaculum, & ibi emit partem agri à filiis Hemor, Gen. 33, 18. Ibi Dina corrupta fuit ab Hemor filio Regis, &, ob iniuriam illatam, cæsi fuerunt Sichimitæ ab illius fratribus filiis Iacob, Genes. 34, 12. Ciuitas fugitiuorum constituta fuit, Ios. 20, 7. Item, secundùm Brocardum, p. 1. cap. 7. §. 17. & Iosephum 5. Antiq. cap. 1. lectum ibi fuit Deuteronomium coram vniuerso populo, Ios. 8, 32. Item ibi Iosue morti proximus, congregatis duodecim tribubus Israël, longam coram illis habuit orationem, qua diuina recensuit beneficia, eos cohortatus est ad diuinæ legis obseruantiam, & cetera quæ leguntur capite vltimo Iosue. Ibi conuenerunt decem tribus, & Ieroboam sibi Regem præfecerunt, Regno Dauidis relicto, 3. Reg. 12, 16. & 2. Par. 10, 16.

Auctor libri de Locis Hebraicis dicit, eamdem esse Sichem & Salem: igitur Melchisedech Christi typus eius Rex fuit. Ex Neapoli fuit Iustinus Martyr, qui ex Philosopho Christianus factus, tandem Martyrio coronatus est. Ita Salmeron Tom. 1. Prolegom. 41. de Samaria agens.

Denique ex Sichar vrbe, vel certè regione, probabile est fuisse Samaritanam illam mulierem, & quosdam alios propinquos eius; de quibus ita legitur in Romano Martyrologio die 20. Martij: *Eodem die sanctorum Photinæ Samaritanæ, Ioseph & Victoris filiorum, itemq; Sebastiani ducis, Anatolij, Photij, Photidis, Paraskeues & Cyriacæ germanarum: qui omnes Christum confessi, martyrium sunt assecuti.* Dictamque esse Samaritanam, de qua diximus, docent Græci, Baronio referente in Notis Martyrologij. Et hæc satis de Sichem, & prima Peregrinatione huius Libri.

PEREGRINATIO II. *in qua recensentur & explicantur quinque memorabilia loca, quæ occurrunt proficiscentibus ex ciuitate Sichar vsque ad sanctam Nazareth ciuitatem Galilææ.* I. *Sebaste vrbs.* II. *Ecclesia & sepulchrum sancti Ioannis Baptistæ apud Sebasten.* III. *Iemni pagus.* IV. *Campus magnus Esdrelon.* V. *Denique sancta ciuitas Nazareth.*

CAPVT PRIMVM.

De Sebaste, siue Samaria, prouinciæ Samariæ ciuitate, primo loco secundæ Peregrinationis.

SAmaria prouincia, & Samaria eiusdem prouinciæ ciuitas inuenitur: de illa egimus Cap. v. 1. Libri; de ista in præsentia sermonem faciemus. Vrbs ista, vt ab eius appellatione ordiamur, multiplici nomine appellatur, *Samaria, Samaritis, Mareone, Ellenias, Mareon, Sebaste*, vel *Augusta*, vt notauit Adrichomius in Ephraim num. 81.

Sebastes multiplex appellatio.

Regia ciuitas.

Ciuitas olim Regalis Samariæ prouinciæ munitissima & fortissima, à qua & prouincia ipsa denominationem accepit.

Ab Ambri Rege condita.

Sed à quo fuit ædificata? Ab Ambri Rege Israël in vertice montis Sameron: quam Samariam vocauit, ita Iosephus lib. 8. Antiquit. cap. 12. à Samando, à quo montem emerat: quam & cinxit admirabili ædificiorum superbia in modum coronæ; aspectumque vndique præbebat amœnissimum. Alij Somer ab antiquo domino Samariæ appellant. Nec defuerunt qui dicerent, dictam fuisse Samariam à Samaræo filio Chanaan; sed incertum est. Huius mentio fit 3. Reg. 16, 24. Glossa ordinaria in 2. Paralip. cap. 13, 4. in hunc modum de Sebaste loquitur: *Semeron ciuitas est, quam cepit Iesus, Rege illius interfecto; quam dicunt vocari nunc Sebasten, oppidum Palæstinæ, vbi Ioannis Baptistæ condita sunt Reliquiæ. Legimus autem in Regum volumine, quòd Ambri Rex Israël emerit montem Semeron à quodam Semer, & ædificauerit in vertice illius ciuitatem, quam ex nomine domini*

dominí Semeron appellauit. Hæc Gloſſa.

In vberi regione ſita.

In regione vberi ſita eſt: cui riui, fontes valleſque non deſunt: in monte ædificata, & montibus vallata. Ex ipſa non ſolùm circumiacens regio, ſed & alia à longè videntur, digna tum amœnitate tum fortitudine eius, vt eſſet Regia & caput Regni Iſraël, id eſt, decem tribuum, vt dicitur Iſa.7,9. *Caput Ephraim Samaria.* Et non eſt dubio vertendum, loqui Prophetam de hac Samariæ ciuitate, vt cuilibet eum legenti patere poteſt.

Caput Regni decem tribuum.

Ab Herode Antipatro reparata, & munita.

Hæc ciuitas, cum ab Hircano euerſa fuiſſet, fuit poſteà ab Herode Antipatro reædificata, & munita; quod in hunc modũ contigit, ſi credimus Ioſepho lib.15. Antiquit. cap.11. Cùm decem ciues coniurationem contra Herodem feciſſent eum in theatro interficiendi; coniuratione detecta, conſpiratores, iubente Rege, per omnes cruciatus necati fuere: & cùm poſteà eorum delator deprehenſus fuiſſet, fuit à quibuſdam occiſus, & canibus obiectus; & hi tandem poſt longas ſæuaſque inquiſitiones inuenti, cum totis familiis plexi fuerunt; plebe interim permanente interrita, ac parata leges patrias defendere, ni maiore cohiberetur potentia. Quod animaduertens Rex, vt ſe muniret aduerſus huiuſmodi ſeditiones, ædificare cœpit arces & caſtella ad tutelam Regni per totam regionem opportunè diſpoſita: in primis autem Samariam, & propterea eam, tum ad vrbanos tumultus compeſcendos, tum etiam ad totam foris gentem in officio continendam valdè opportunam, reædificare aggreſſus eſt, ampliataméque firmiſſimis poſteà mœnibus circumdedit; atque in eius medio fanum templumque pulcherrimum extruxit, Cæſariſque dedicauit. Vrbem, veteri abrogato nomine, deinceps Sebaſten, id eſt Auguſtam, in honorem Auguſti Cæſaris appellari voluit: plurimiſque tum militum tum gentium finitimarum in eam congregatis, & ſecuritatem ex loci firmitate captans, mox illa pro arce vti voluit. Lege Ioſephum loco antè citato, & lib. de Bell. Iud. cap.16. Diſtat ab Ieroſolymis circiter quadraginta milliaria, & fortè ampliùs; à Sichar ſex vel decem, ſecundùm alios.

Herodis familia.

In præſentia deſtructa.

Noſtris hiſce calamitoſis temporibus penitus deſtructa eſt: tantummodò ingentia fundamenta, & ruinæ, & à longè etiam erectæ columnæ, quibus olim fulciebatur Regia Herodis, vt dicitur, cernuntur; ex quibus & cognoſcitur ciuitas, & qualis quantaque olim fuerit: paucas & pauperes continet domunculas, & ſimiles habitatores: magis ſpectabile eſt templum in eadem extructum, de quo Capite ſequenti agemus.

Dubium.

Diluendum eſt dubium. Diximus Samariam fuiſſe caput Regni Iſraël. Sed fuiſſe Sichar, legimus 3. Reg.12, 25. & extremo Capite præcedentis Peregrinationis notauimus: illam enim Ieroboam reædificauit, & caput regni fecit. Et quo tempore Alexander venit in Iudæam, erat Metropolis Samaræorum, vt docet Ioſephus lib.11. Antiquit.

Solutio.

Arbitror reſpondendum, diuerſis temporibus tam Sichar quàm Samariam fuiſſe caput & Metropolim Regni Iſraël: primò quidem Sichar; qua deinde vaſtata, Samaria in tutiori loco ſita Regia illius Regni inſtituta fuit. Quin & Therſa fuit Regia decem tribuum ante extructionem Samariæ, vt notauit Adrichomius in Manaſſe nu.60. Quare non mirum, ſi temporum mutabilitate mutatæ ſint ciuitates; & quæ aliquando fuit Regia, exuta ſit Regali dignitate. Capite ſequenti aliqua dicentur ad maiorem huius ciuitatis commendationem.

CAPVT II.

De templo ſancti Ioannis Baptiſtæ apud Sebaſten ædificato, & eiuſdem venerando ſepulchro, ſecundo loco ſecundæ Peregrinationis.

Eccleſia S. Ioannis Baptiſtæ conditio.

IN extrema parte ciuitatis Samariæ & montis ſupercilio eſt magnificum templum lapidibus quadratis ac dolatis affabrè elaboratum, etſi non parum exornatum & demolitum ſit: ſubtus ipſum eſt obſcurum ſacellum, in quo ſancti Ioannis Baptiſtæ corpus inter Eliſeum & Abdiam tumulatum fuit. Erat quidem olim in cura Chriſtianorum, ſed in præſentia ad Mauros pertinet: qui locum venerantur, nec ad eum deſcendunt niſi ſolutis de pedibus calceamentis, nec niſi diſcalceatis ingreſſum permittunt. D. Ioanni Baptiſtæ dicatum fuit; & ab eo, templum ſancti Ioannis Baptiſtæ appellatur. Eius intuitu, & quòd ibi aliquando illius ſacræ Reliquiæ honorificè reconditæ fuerint, eò ſe conferunt peregrini; nam extra viam eſt Sebaſte, & aliud in ea à Prophetarum ſepultura non inuenitur.

Ab ipſis Mauris veneratione habetur.

Huius meminit ſanctus Hieronymus in Epitaphio Paulę enarrans peregrinationem, dicens: *Vidit* Paula *Sebaſten, id eſt, Samariam, quæ in honorem Auguſti ab Herode Græco ſermone Auguſta eſt nominata. Ibi ſitî ſunt Eliſeus & Abdias Propheta, & quorum maior inter natos mulierum non fuit Ioannes Baptiſta. Vbi multis tremuit conſternata mirabilibus: namque cernebat variis dæmones*

Mirabilia ad Præcurſoris ſepulchrum.

mones rugire cruciatibus, & ante ſepulchra Sanctorum vlulare homines more luparum, vocibus latrare canum, fremere leonum, ſibilare ſerpentum, mugire taurorum. Alios rotare caput, & poſt tergum terram vertice tangere, ſuſpenſiſq; pede feminis, veſtes deſtuere in faciem. Miſerebatur omnium, & per ſingulos, effuſis lacrymis, Chriſti clementiam deprecabatur. Et ſicut erat inualida, aſcendit pedibus montem: in cuius duabus ſpeluncis, perſecutionis & famis tempore, Abdias Propheta centum Prophetas aluit pane & aqua. Hæc S. Hieronymus; quæ & affert in Prologo Abdiæ.

Sed, vt quod tractamus nobis pleniùs innoteſcat, inquirendum eſt, vbi S. Ioannes Baptiſta fuerit decollatus, & corpus eius à ſuis diſcipulis ſepultum.

In oppido Macharunte decollatus Ioannes, ſecundum Ioſephum.

Ioſephus agens de nece Ioannis Baptiſtæ, quem mirificè laudat lib. 18. Antiquit. capite 7. appellans eum *virum optimum, Iudæos excitantem ad virtutum ſtudia, & in primis pietatis ac iuſtitiæ.* & cap. 20. aſſerit, Ioannem fuiſſe ab Herode Antipa in carcerem coniectum, eiuſdemque iuſſu decollatum in oppido Machærunte; quod erat trans Iordanem prope Mare mortuum in tribu Ruben.

Corpus abſque capite ſepelitur à diſcipulis.

Caput ſortitur Herodias.

Corpus autem Præcurſoris abſque capite tulerunt diſcipuli eius, & Sebaſtæ in Samaria ſepelierunt, vt locis citatis docet ſanctus Hieronymus. Caput autem apud ſe retinuit Herodias, & in ſuo palatio ſepeliuit, timens ne corpori vniretur, & iterum publicum ſuum adulterium reprehenderet. *At ipſa,* ait Nicephorus lib. 1. Hiſt. cap. 19. *Ioannis reprehenſionem vereta, coniungere id rurſus reliquo corpori timens, apud ſe, remotis arbitris, in abſtruſiore Regia loco ſepeliendum duxit; truncum autem abiicere quópiam iuſſit. Eum porrò ſolum diſcipuli eius furtim ſublatum cum ſolemni veneratione in celebri quodam ſepeliere loco.* Hæc Nicephorus. Lege etiam lib. 12. cap. 49.

Ado Epiſcopus in ſuo Martyrologio arbitratur, Ioannis diſcipulos petiiſſe eius corpus, quemadmodum poſteà Ioſeph ab Arimathæa petiit corpus Ieſu, & in vrbem Samariam adduxiſſe: & alij hanc ſequuntur ſententiam.

Sebaſtæ non ſepelisse Ioannes, ſententia Baronij.

Sed quare diſcipuli Ioannis corpus Magiſtri Samariam ſepeliendum detulerunt? Cardinalis Baronius Tom. 1. Annal. Eccleſ. ſub anno Chriſti 33. talem reddit rationem: *Quòd ea prouincia non eſſet ſub Herodis Antipæ ditione: ſed quoniam contumacia Iudæa, conceſſa fuerat ab Auguſto Archelao Regi, illo ſemel in ordinem redacto, tam Samaria quàm Iudæa & Idumæa, quæ erant Archelao ſubiecta, redacta ſunt per Tiberium in prouinciam, quæ & per Romanos Præſides adminiſtrari ſolebant: ſicq; ne Herodias rurſus de truncо negotium exhiberet, illum Samariam detulerunt: ſed eò potiùs quàm aliò extra ditionem Herodis, quòd Samaritæ hoſtes eſſent Iudæorum, ac pro patriis rebus pugnaciſſimi.*

Reiicitur. Verùm ex hac Baronij ratiocinatione argumentum ſumo ad aliter ſentiendum: enim, ſi quo tempore interfectus fuit Ioannes, diſſidium erat inter Iudæos & Samaritas; non enim coutebantur Iudæi Samaritanis, vt dicitur Ioan. 4, 9. Quare volens Chriſtus ire Ieroſolymam ad ſolemnitatem, cùm eſſet in Galilæa, tranſiturus per ciuitates Samaritanorum, fuit ab illis prohibitus, vt dicitur Luc. 9. & nos dicemus Capite ſequenti; & Sebaſte erat Samaritanorum ciuitas, vt præcedenti Capite viſum eſt: quomodo ergo auſi fuiſſent Ioannis diſcipuli illuc ſacrum Magiſtri corpus ad ſepeliendum deportare? & quomodo Samaritani apud eos honorificè & cum pompa ſepelire permiſiſſent Iudæi corpus? ſepultum ergo alibi primò fuiſſe cum aliis arbitror.

Beda ſententia. Beda ſentit, Ieroſolymis factam fuiſſe cœnam natalis Herodis, ibique conſequenter interfectum fuiſſe Ioannem; quoniam tunc temporis à filia fuit illius caput poſtulatum, & vt ſibi protinus daretur in diſco periit, & obtinuit: quare & ibi potuerunt diſcipuli corpus Magiſtri honorificè ſepelire, præſertim ſi ipſi illud obtinuerunt, vt dixit Ado. Nec impediti fuiſſent à Iudæis, quoniam Ioannem pluris faciebant: nec timendum erat prohibendos fore ab Herodiade: nam quod optabat caput obtinuit; & amplius, quia Ieroſolymis præerat Pilatus hoſtis Herodis. Et ait Beda in Martyrologio, caput Baptiſtæ humatum fuiſſe in ædibus Herodis Regis; in Homilia verò de Decollatione Baptiſtæ ſcribit ſepultum eſſe Ieroſolymis. In Romano Martyrologio 24. Februarij dicitur, caput Præcurſoris primò inuentum fuiſſe Ieroſolymis. Lege Baron. in Notis ad hunc diem & ad 29. Auguſti: & hic dicit olim inuentum fuiſſe apud Herodis Regiam.

Metaphraſtes in Encomio de exportatione manus dexteræ Baptiſtæ ex Antiochia, conuiuium actum arbitratur in vrbe Samaria; ibique Regiam Herodis fuiſſe dicit: ac conſequenter dicendum foret, ibi fuiſſe Ioannem carceri mancipatum, & decollatum.

Reiicitur. Sed illud obſtat, quòd Samaria prouincia & ciuitas ſub poteſtate huius Herodis non fuit, & ideò nec in ea domum Regiam habuit: probatur in primis ex Ioſe-

pho,

pho, qui lib. 17. Antiquit. cap. 17. ait: Herodi Antipæ trans-Iordana regio cessit, id est, regio quæ erat trans Iordanem cum Galilæa, & 200. talenta annua, &c. additque, Sebasten vrbem, id est, Samariam, in Archelai ditione fuisse. Deinde D. Lucas cap. 3, 1. ait, Herodem eo tempore fuisse Tetrarcham Galilææ.

In tanta varietate Auctorum, si meum liceret proferre iudicium, dicerem probabiliter, D. Ioannem nec Ierosolymis nec Sebastæ fuisse carceratum & decollatum. Ratio est, quoniam iis ciuitatibus non præerat Herodes; quare non ita facilè Herodias petiisset caput Ioannis, nec Herodes tam promptè ei annuisset, ne contra se, vel Pilatum Iudææ Præsidem, vel Archelaum concitaret.

Prætereà, si contristatus est Rex propter iusiurandum, & propter simul discumbentes, quòd promisisset dare puellæ quidquid illa petiuisset, etiamsi dimidiam partem Regni, & quòd petierit illa caput Ioannis; potuit se iustè à tristitia liberare, dicendo Ioannem non ad ipsum spectare.

Quare libenter priorem illam sententiam sequor, quantum ad id quod asserit, Machærunte fuisse decollatum sanctum Domini præcursorem. Primò, quia id asserit Iosephus illius temporis Scriptor, cui in hac parte videtur credendum: quem sequuntur Baronius citatus & Maldonatus in Matth. cap. 14. Secundò, quia oppidum Machærus erat sub ditione Herodis; quoniam (vt iam diximus ex Iosepho) trans-Iordana regio cessit Herodi Antipæ: at, ex eodem, trans Iordanem prope Mare mortuum erat Machærus. Accedit tertiò, quòd Ioannes circa Iordanem præ[illegible]bat: & audiuit eum Herodes cum Herodiade; quo fortasse tempore habitabat ille in oppido illo munitissimo Machærunte circa Iordanem; & quia corripuit eum de turpi publicoque adulterio, adultera stimulante adulter Rex coniecit in carcerem Machæruntе virilem Prædicatorem, vbi & cæsus fuit.

Macherus vbi.

Lapis vbi fuit decollatus sanctus Ioannes, Venetiis seruatur.

Lapis, vbi sanctus Ioannes decollatus fuit, Venetiis in egregia sancti Marci Ecclesia monstratur.

Corpus Macharunte vel Ierosolymis primò sepultum.

Quantum verò ad corporis sepulturam, quam ei sui discipuli dederunt, vt dicitur Matth. 14, 12. & Marc. 6, 29. dicerem, non Sebastæ in Samaria fuisse primò illud sepultum, ratione antè adducta; quia non coutebantur Iudæi Samaritanis; & magnum illis fuisset negotium; sed vel primò Machærunte deposuerunt, & pòst, opportuniorem occasionem nacti, vel statim etiam detulerunt Ierosolymam: vbi, quoniam tanquam Messias vel magnus Propheta à pluribus habebatur, vt patet ex Euangelio, honorificè sepelire potuerunt.

Caput Machærunte Ierosolymâ delatum, vbi inuentum postèà fuit.

Caput similiter ab Herodiade primò Machærunte abstruso quodam loco sepultum; & posteà occasione, qua venit Ierosolymam, vbi Regia sui Herodis erat, id est, palatium, in quo manens Ierosolymis habitabat, vt patet in Euangelio, & nunc monstratur & inuisitur, vt Lib. IV. Cap. XVIII. VI. Peregrinationis de eo agentes diximus; sepeliuit, vel abscondit. Et hoc credo esse quod dixit Nicephorus lib. 12. cap. 49. vbi & à quibusdam Monachis fuisse inuentum asserit: & fuit eius prima inuentio, de qua suprà.

corpus Sebastæ & quando.

Posteà, paulò ante excidium sanctæ Ciuitatis per Titum & Vespasianum, in ea habitantes Christiani à Spiritu sancto admoniti, vt sibimetipsis consulerent, & alò se conferrent, ne simul cum incredulis Iudæis in illius vastatione & incendio perirent, vt Lib. I. Cap. LXIII. notauimus, cum aliis Reliquiis, quas in suam tutelam & patrocinium detulerunt, & has, caput scilicet & corpus Præcursoris Domini, detulisse arbitror, & honorificè collocasse: vbi posteà fuerunt ab aliis fidelibus inuentæ; caput videlicet in Edessa Syriæ ciuitate, corpus verò Sebastæ inter Eliseum & Abdiam. Quæ deinde temporum varietate in diuersas partes delata fuerunt, vt in Romano Martyrologio, & in Vitis Sanctorum videre est.

Caput sancti Ioannis partim Romæ partim Ambiani seruatur.

Pars caluariæ sancti Ioannis Baptistæ asseruari perhibetur Romæ in Ecclesia Sanctimonialium sancti Siluestri; notaturque in Romano Martyrologio die 29. Augusti; residuum verò, mento excepto, in Gallia in ciuitate Ambianensi; cuius facies viui hominis speciem præ se fert: in cuius etiam altera parte, vt ab his qui viderunt accepi, cernuntur puncturæ acus, quibus crudeliter ab impia Herodiade perforata fuit. Scribit enim sanctus Hieronymus Apolog. in Rufinum, crudelem Herodiadem, post sancti viri necem, in caput illius sacratissimum insultasse, & discriminali acu perfodisse: *Ne magnopere glorieris*, inquit, *si feceris quod faciunt scorpiones, atque cantharides fecerunt: hæc & Fuluia in Ciceronem, & Herodias in Ioannem; quia veritatem non poterant audire, linguam veriloquam discriminali acu perfoderunt.* Hæc sanctus Hieronymus.

Herodiadis sanitia.

De ista parte capitis, quæ Ambiani asseruatur, inquit Pepinus Sermone de Decollatione S. Ioannis Baptistæ: *Continet superiorem mandibulam cum fronte; vbi euidenter cernitur vulnus, quod dicto capiti intulisse fertur Herodias, cùm illi oblatum fuit in disco. Ibi etiam videre est cutem adhære-*

re

re ossibus cum naso integro & oculis clausis; sic enim propriis oculis vidimus. Cineres ambusti corporis Genuæ in maiori Ecclesia, & digitus quo Christum Agnum Dei ostendit, Melitæ honorificè asseruari perhibetur.

Cineres cum Genua,

digitus Melitæ servatur.

CAPVT III.

De Iemni, siue Ginin, pago prouinciæ Samariæ, tertio loco secundæ Peregrinationis.

EX Sichar breui vnius diei itinere, communi rectaque via incedendo, peruenitur ad quoddam castrum, quod Iemni appellatur ab Adrichomio in Manasse I. numer. 39 à Bonifacio Zantich; nunc corrupto fortè vocabulo appellatur ab huius regionis incolis *Ginin*. Est Iemni, siue Ginin, pagus in Samaria & terminus eius proficiscentibus in Galilæam, & Galilææ initium; pertinens tamen ad Samariam, vt videre est in Descriptione Terræ sanctæ: & ita communiter tenetur. In plano situs est, & circumcircà magnas planities & campos habet, necnon paucos & demissos montes, siue colles. Omnes ferè eius domus pauperes & viles, ad instar aliarum quæ in villis harum partium sunt, campo siue diuersorio excepto, vbi & fons est, ad quem itinerantes se recipiunt, & animum relaxant.

Iemni quid.

In eo diuersorium & fons.

In pago isto accidit quod scribit sanctus Lucas cap. 17, 16. Cùm decem leprosi Christo Domino occurrissent, ab eoque, vt ipsorum misereretur, postulassent; à misericordiarum Parente misericordiam consecuti sunt, missi ad Sacerdotes: qui, dum irent, à lepra mundati sunt; quorum vnus dumtaxat ad Christum reuersus est, ei gratiam agens pro accepto beneficio; & hic erat Samaritanus. Ita docet communis receptarum partium traditio, Adrichomius vbi suprà, & Bonifacius hisce verbis: *Ad duodecim milliaria*, id est à Sebaste, *inueniemus castrum Zantich, vbi mundauit Iesus decem viros leprosos*, &c.

Ibi Christo occurrerunt decem viri leprosi ab eo sanati.

Contra hanc traditionem sese offerunt duæ difficultates; quæ, ne ruat, proponendæ & soluendæ sunt. Prior est, quia, vt ex Historia Euangelica colligunt Iansenius, Baronius in Annalibus, Bustenius, & alij Doctores sacri, Christus commemoratum miraculum operatus est, quando ex Capharnaum, in Galilæa prouincia ad mare Galilææ situm, soluto didrachmo, festiuitate scenopegiæ imminente, voluit ire in Iudæam ad templum Domini in Ierusalem, ad festiuitatem celebrandam: quod vt præstaret, fuit ei necessarium transire per Galilæam & Samariam prouinciam, vt satis constat. Et cùm Samariæ appropinquaret, ne suum impediretur vel retardaretur iter, propter dissidium quod tunc vigebat inter Iudæos & Samaritas, misit in ciuitatem Samaritanorum nuntios, vt pararent illi: *Et non receperunt illum, quia facies eius erat euntis in Ierusalem*, vt dicitur Luc. 9, 53. Quare per aliam viam ab ista debuit ire in Ierusalem, in qua miraculum illud operatus est; sic enim scribit Lucas cap. 17, 11. *Dum iret* Iesus *in Ierusalem, transibat per mediam Samariam & Galilæam. Et cùm ingrederetur quoddam castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi, qui steterunt à longè; & leuauerunt vocem, dicentes: Iesu præceptor, miserere nostri*, &c. Igitur, si quæ diximus, ita se habent, non apud Samaritanos & in pago isto Christus illud fecit miraculum, quoniam non fuit ab illis receptus; sed quando mundauit leprosos, ingressus fuit castellum, vt vidimus.

Confirmatur, quia ad hoc oppidum siue castellum Iemni debuit mittere nuntios, quia initium Samariæ: at non fuit receptus; ergo nec in eo miraculum fecit. Præterea venientes ex Galilæa in Iudæam debent per Samariam & hoc castrum transire; quia in communi & publica via est, vt satis constat: si ergo hac non transiuit, nec ibi sanauit leprosos, sed in alio castello in quod iuit cum discipulis suis, Luc. 9, 56.

Iemni in publica & communi via.

Posterior difficultas est, quòd leprosis non licebat intrare oppida Iudæorum, iuxta illud Leuit. 13, 46. *Omni tempore, quo leprosus est & immundus, solus habitabit extra castra*, &c. Dicitur non in oppido isto sanati fuerunt [illegible] leprosi.

Secunda difficultas.

Ad priorem difficultatem respondeo tripliciter. Primò, etsi fieri posset, dicta ita contigisse vt commemorata sunt, & citati Auctores opinantur, in illo itinere Christum illud fecisse miraculum; verùm non desunt alij, qui opinantur probabiliter, non illius solemnitatis occasione, sed alia alioque transitu leprosos illos mundasse. Et probatur; quia, quòd Christum Ierosolymam proficiscentem noluerint Samaritani recipere, refert D. Lucas cap. 9, 53. miraculum verò leprosorum cap. 17, 11. inter quæ multa in intermediis capitibus narrantur, quæ aliis temporibus acciderunt. Nec est ratio dicendi, quæ relata sunt in intermediis capitibus, dicta esse per anticipationem ad ea quæ in 17. capite sunt relata, vel ista per recapitulationem; quia nimiùm interrumperetur historica narratio: nec aliqua est recapitulatio, cùm illius nulla præcesserit narratio: nec videtur efficax ratio hanc vel illam

Responsio ad primam difficultatem.

Quo occasione Christus leprosos mundauerit.

Duæ difficultates.

Prima.

illam ponendi. Dicendum ergo videtur, alia occasione Christum fecisse illud miraculum: quando communi via incedens, fuit benignè à Samaritis exceptus, transiens per hoc castellum, siue, vt habet Lectio Græca, pagum siue vicum, in eo leprosis sanitatem clargitus fuit.

Malefacientibus benefacit Christus.

Secundò, sequendo illam priorem opinionem, Christum sanasse leprosos, quando iuit in Ierusalem ad festa scenopegiæ; in isto pago volens suam magnam ostendere misericordiam, quando ab hominibus expulsus & ejectus erat, illis benefaciebat, firmans exemplo quod priùs verbo docuerat. Cùm enim Christi discipuli vidissent Samaritanos noluisse suum recipere Magistrum, Iacobus & Ioannes dixerunt ei:

Luc.9,54. *Domine, vis dicimus vt ignis descendat de cælo, & consumat illos? Et conuersus increpauit illos, dicens: Nescitis cuius spiritus estis. Filius hominis non venit animas perdere, sed saluare.* Quòd posteà exemplo sanationis leprosorum apud eosdem Samaritanos monstrauit, *Cùm ingrederetur quoddam castellum*, id est, ingredi vellet, *occurrerunt ei decem viri leprosi*, qui se illi cómendantes, extra ipsum sanauit. Quemadmodum posteà in Ierusalem, cùm Iudæi vellét

Ioan.9,1. Christum lapidibus abigere; ipse è templo egressus præteriens, vidit hominem cæcum à natiuitate, quem (non obstantibus Iudæorum demeritis) illuminauit. Ita simile hîc contigisse, si illa sententia probetur, dici posset. Et hoc fortè indicat Ecclesia extra hunc pagum ædificata à piis fidelibus in tanti miraculi memoriam, etsi nunc solo æquata sit; de qua sic Bonifacius:

Bonifacius de Perenni cultu Terræ sanctæ.

Extra castrum istud erat in loco mundationis pulchra Ecclesia, sed nunc in puluere & ruinis cernitur: prope etiam est fons aquæ limpidissimæ, refrigerium transeuntibus præstans, &c.

Denique posset etiam fortasse dici, castrum, ad quod misit nuntios Dominus, esse aliud, quod primò occurrit venientibus ex Galilæa in Samariam, Ginea appellatum, quòd principium eius ex parte illa ponit Adrichomius in Manasse I. num. 36. sic dicens:

Ginea vicus.

Ginea, vicus in planitie positus, à quo Samaria incipiens in Acrabatenam desinit Toparchiam. Scribunt etiam alij, oppidum munitum esse, situm in pede montis Ephraim, quod Ginum, aliàs Gilim, seu Gelim, dicatur, vbi terminetur Galilæa, & incipiat Samaria. Hæc ille. Vbi, cùm fama Iesu non tam diuulgata esset, noluerint illius habitatores illum recipere; quo relicto, venit in castellum, siue pagum Iemni, vbi maior esse debebat fama Iesu, quoniam proximior ciuitati Sichar; vbi Samaritana illa mulier & plures Samaritanorum crediderunt in eum, & vt Prophetam & Christum habuerunt. Et leprosos illos in Christum credidisse, ex eo constat, quòd pro sanitate ad Christum confugerunt, & obtinuerunt.

Quorundam sententia reiicitur.

Nec mihi probatur illa sententia dicentium, hoc oppidum fuisse Iudæorum in Galilæa, præsertim sequendo illam seriem factorum in opponendo propositam; nam constat, cùm ad confinia Samariæ Christus venisset, misisse nuntios ante conspectum suum in ciuitatem Samaritanorum, vt pararent illi: & quia non receperunt illum, abierunt in aliud castellum, Luc.9. vbi occurrerunt illi leprosi; non sanè Galilææ, quia retrocessisset, quod dicendum non est; igitur Samariæ.

Obiectionis solutio.

Nec illa ratio officit, quòd omnes illi leprosi videntur fuisse Iudæi, quos in Samaria habitasse credendum non est; quia non versabantur Iudæi cum Samaritanis, Ioannis 4, 9. Sed cuiusnam regionis erant? De vno constat fuisse Samaritanum, quia Christus dixit; de aliis nihil dixit Euangelista. Sed cuiuscumque nationis extiterint, secluso omni respectu, pro sanitate omnes confugerunt ad Christum. Constat enim ex Euangelio, famam Iesu non solùm ad Iudæos & fideles, sed etiam ad Samaritas, Chananæos & alios infideles euolasse: qui ad Christum in necessitatibus recurrebant; & qui venit omnes saluos facere, omnibus salutem impartiebatur.

Responsio ad secundam difficultatem.

Posteriori difficultati, quæ non tantùm contra nostram traditionem facit, sed contra litteram Euangelij, respondetur tripliciter: Primò, cum Caietano & Iansenio Matthæi 8. non licuisse leprosis in oppidis habitare; licuisse tamen oppida ingredi, & per publicas transire plateas. Hoc si verum est, potuerunt leprosi Christo occurrere in ipso castelli ingressu.

Secundò dicitur, leprosos non fuisse è castello egressos, nec contrarium dicit Euangelista, sed aliunde Christo venienti occurrisse. & hoc videntur illa verba indicare: *Et cùm ingrederetur*, &c. *qui steterunt àlongè*, &c

Tertiò respondent alij, si castellum illud erat Samaritanorum, leprosos in illo habitasse ab aliis incolis separatos.

Quorundam responsio reiicitur.

Mihi non satis probatur hæc responsio; quia supponit Samaritanos legi illi de leprosis non fuisse subiectos, illámve non acceptasse, quod falsum est; nam docent Origenes lib. 1. contra Celsum, Theophylactus in Ioannem, & Abulensis omnium assertionem esse affirmat; nosque Lib. 1. Cap. vi. notauimus, Samaritanos ex sacris libris quinque dumtaxat Moysi libros recepisse.

cepisse. Igitur cùm lex tradita leprosis, de non habitando in oppidis, contineatur in Leuit. vno ex dictis libris Moysi, ad eam obseruandam tenebantur Samaritani. Quare magis standum in prima & secunda responsione. Et hæc pro præsenti loco & illius traditionis defensione satis.

CAPVT IV.

De campo magno Esdrelon, quarto loco secundæ Peregrinationis.

Esdrelon campi conditio, & nominis ratio.

EX vico Iemni, siue Ginin, egressi peregrini rectà profecturi ad sanctam ciuitatem Nazareth, ingrediuntur spatiosam magnamque planitiem, quæ latitudine ex hac parte se vsque ad montes Nazareth proximos, qui vna leuca & ampliùs perficientur, se extendit campus latissimus Galilææ appellatus à D. Hieronymo, & campus magnus Esdrelon in Scriptura sacra, & aliis Auctoribus: vbi fontem aliquem in via deprehendi, & circà multas villas, etsi pro maiori parte dirutas & desertas. Campus latissimus, quia verè latissimus est, appellatur; & Esdrelon, ab Esdrelon ciuitate in eo ædificata, cuius mentio fit in libro Iudicum cap. 1, 8. cap. 4, 5. & cap. 7, 3. vt de eadem agens notauit Adrichomius in Issachar num. 30.

De campo verò ibidem num. 18. sequentia scribit: *Campus magnus, qui & campus Mageddo, & campus Esdrelon, & planities Galilæa; sed illa, vt quidam ait, nomina nunc in oblivionem abierunt, vocaturq; campus Saba, à quodam castello quod Saba nuncupatur. Habet in longitudine decem milliaria; in latitudine verò ad mare Galilæa & Iordanem vsque extenditur. Gleba eius optima est, fertilis supra modum in frumento, vino & oleo; atque adeò rebus omnibus affluit, vt, qui suis oculis aliquando conspexerunt, affirment sese nihil vnquam perfectius, & in quod natura æquè omnia sua contulisset, adspexisse. In hoc campo Iosias Rex Iuda, à sagittariis Nechao Regis Aegypti vulneratus, interiit: & in his Sisara, & omnis exercitus eius, Barac vincente, prostratus est.* Hæc ipse.

De isto campo hæc scribit Zachar. 12. v. 11. *In die illa magnus erit planctus in Ierusalem, sicut planctus Adadremmon in campo Mageddon*, &c. In his verbis fit allusio ad magnum planctum factum in Adadremmon ciuitate iuxta Iezraël, vbi Rex Iosias fuit occisus: pro cuius morte fuit magnus planctus in tota terra Israël.

De hoc eodem campo fuit locutus Ioannes Apoc. 16, 16. vbi loquitur de loco vbi congregandi sunt numerosissimi Antichristi exercitus Gog & Magog, & aliarum gentium, dicens: *Et congregabit illos in locum* (Antichristus vel diabolus, vt habetur Apocal. 20, 7.) *qui vocatur Hebraicè Armagedon*. Ita probabilior habet Doctorum sententia. Ita vt Armagedon idem sit quod Mageddon; & ita hîc legit Tyronius Homil. 13. in Apoc. & Mageddon sit ciuitas sortis Manassensium prope torrentem Cison, Ios. 17, 11. posita in campo isto magno: ab illa potuit denominari, sicut & Esdrelon à ciuitate eiusdem nominis ibidem ædificata. Itaque cùm iuxta vrbem Mageddon tam amplus & longè lateque diffusus pateat campus, vt dictum est, probabilissimum est credere, ipsum ab Antichristo eligendum, vbi suos immanes congreget exercitus, & acies instruat, ad omnes Christianos interficiendos: & de isto locis citatis Ioannes. Et ita tenet & pluribus explicat Maluenda de Antichristo lib. 10. cap. 10. Sed hæc satis.

In eo Antichristi exercitus congregandi.

Mageddon ciuitas.

CAPVT V.

De Nazareth ciuitate Galilææ, quinto loco secundæ Peregrinationis.

DE sancta ciuitate Nazareth, termino huius secundæ Peregrinationis, tractare aggredior: in cuius historica elucidatione duabus viis incedere possumus; altera, qua eius naturalis conditio explicatur, vt situs, fecunditas, & amœnitas; altera, qua eiusdem spiritalis dignitas & sanctitas celebratur, quòd insignes pepererit viros ac mulieres, diuinisque mysteriis fuerit condecorata, quemadmodum anteà in plurium sanctorum locorum enucleatione obseruauimus. Et priori quidem via incedendo, non multùm extolletur nostra Nazareth, sed non ideò minùs laudata remanebit; quoniam posteriori plurimùm extolletur; & quod ex vno capite deficiet, tantò magis abundabit in alio.

Et vt à priori ordiamur: Quænam eius naturalis conditio, situs vel fecunditas? Quid eius nomen significat? Quales fuerunt & sunt illius incolæ & habitatores?

Nazareth quid.

Nazareth est parua ciuitas in prouincia Galilææ inferioris, quæ est regio terræ Palæstinorum, in tribu Zabulon & monte posita, & sterilibus montibus circumdata: clauditur ab ortu Syria, ab occasu Phœnicia, à Septemtrione Libano monte, & Tyriorum finibus, & à Meridie Samaria, per lineam ductam à Ptolemaidis territorio in Scythopolim.

Ciuitas quidem Galilææ est, vt docet D. Lu-

Digitized by Google

D. Lucas cap. 1, 26. sed adeò parua & angusta; vt sanctus Hieronymus eam viculum Galilææ appellet. Et in veteri Testamento, nec in cap. 19. Ios. vbi enumerantur loca tribus Zabulon, in quibus est Nazareth, nullam eius inuenio expressam mentionem. Et hoc agnouit anteà Iansenius cap. 12. Concord. Euang. dicens: In Scripturis veteris Testamenti nomen illud ciuitatis (scilicet Nazareth) scriptum non inuenitur; siue propter loci obscuritatem, siue quòd aliud nomen priùs habuerit. & inferiùs, reddens rationem, quare in Galilæa Christus ciuitatem Nazareth ad habitandum delegerit, dicit primò id conuenisse ob eam causam quam indicat Matthæus, *vt* videlicet *adimpleretur quod dictum est per Prophetas: Quoniam Nazaræus vocabitur.* Deinde ob aliam causam, nempe quòd hæc ciuitas ob suam obscuritatem & ignobilitatem opportuna esset latebra puero aduersus sæuitiam filiorum Herodis; quodque suo exemplo omnem nos humilitatem contemptumque humanæ celsitudinis docere venerat, &c.

Nulla eius in veteri Testamento expressa mentio.

Ios. 19.

Matth. 2, 23.

Propter quæ non à veritate aberrare arbitror quosdam in sactis Litteris optimè versatos, & sanctæ huius ciuitatis & regionis, ob longam in ea protractam moram, cognitione instructos, Nazareth antiquissimis temporibus, quando Terra sancta inter tribus fuit distributa, non fuisse ciuitatem, sed vicum, & villam Capharnao vel Sephori præcipuis ciuitatibus subiectam, de quibus postea; sed postremis temporibus, quando Palæstina cessit Imperio Romanorum, aliquem ex Proregibus & Tetrarchis Romanorum in illorum gratiam & honorem, & vt se contra tumultuantes & rebellantes Hebræos munirent, vt alibi, oppida & ciuitates fecerunt, vel retecerunt; ita & hic, ex pago, inquam, aliqua præsertim opportunitate inuenta, ciuitatulam fecisse, nomenque ciuitatis imposuisse.

Antiquitus fortè vicus.

In Isaia tamen videtur eius facta mentio, etsi sub alio nomine, floris videlicet, & Hebraicè *Nezer*, quod florem significat; & in eo quòd Euangelista Lucas ciuitatem, in qua Christus fuit conceptus, Nazareth appellauit, & Matthæus Christum in eadem conceptum Nazaræum vocauit, alluserunt ad Prophetæ dictum, *Egredietur virga de radice Iesse; & flos de radice eius ascendet*, vt pluribus expositoribus in Isaiæ citatum caput & Matthæi placet; & docet in Isa. D. Hieronymus, si per z scribatur, vt scribendum videtur. Et Nicolaus de Lyra, in ea verba Lucæ, *Cui nomen Nazareth*, inquit: Hoc fuit, vt adimpleretur prophetia Isaiæ 11. vbi dicitur, *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet.* Vbi, secundùm veritatem Hebraicam, habetur, *Et Nazaræus de radice eius ascendet.* & alibi idem Propheta ad idem inquit: *Ascendet sicut virgultum coram eo de terra sitienti.* Quæ verba expendens D. Antoninus vere dixit: *Hic innuitur locus conceptionis, & modus. Locus, quia conceptus est in Nazareth, quod interpretatur virgultum, vel etiam flos; quia tempore quo flores incipiunt conceptus est, scilicet in Martio. Modus, quia conceptus, natus est de Virgine sine opere humano*, &c. Præter Isaiæ interpretes, pluribus de eisdem vaticinis agit in Apocal. Blasius Viegas.

Facta mentio sub alio nomine.

Luc. 1, 26.

Matth. 2, 23.

Isa. 11, 1.

Isa. 53.

1. p. Hist. tit. 3. cap. 3. §. 4. *Locus & modus conceptionis Christi præfiguratus.*

Nomen Nazareth iam indicatum est; sed num ex ipso laudabitur nostra hæc ciuitas? Laudaretur vtique, si nomini respondere: vt quemadmodum Nazareth, secundùm eius communem interpretationem, flos interpretatur, ita bonis omnibus floreret; sed enim non respondere ex parte vidimus, & amplius videbimus. Et potius ironice, per iocum & à contrario sensu, quàm seriò & laudis gratiâ hanc ciuitatem Nazareth appellatam arbitror; & per contemptum ex ea oriundos; & qui Christum sequuntur, Nazarenos nuncupatos: in quem modum Græci infestuales furias appellant per antiphrasim Eumenides, id est, faciles ac mites, à contrario sensu; & Parcas Latini, quòd minimè parcant. Et prima illa omnium mortalium parens ab Adam post peccatum, *Heua*, id est mater cunctorum viuentium appellata fuit, à contrario videlicet sensu, vt aliquibus placet; quia omnes, quorum extitit mater, peccato suo morti obnoxios fecit: sic bellum, quòd minimè bellum sit; & lucus, quòd non luceat; & mœstes, quòd minime moueantur. Ita in proposito. Iudæi, inquam, & alij insignes impietate viri Christum Nazarenum, & Christianos Nazarenos conuitij ergò appellarunt, ironicè & à contrario sensu, quasi viles & contemptibiles, & apud omnes malè olentes. Et sanè ab antiquo vsque ad nostra tempora in omnibus istis Orientis partibus a *Nasser Nasrani* appellantur Christiani; etti corrupte *Nostrani*, ex his partibus oriundi Christiani sint nominati. Et sanctus Hieronymus de Locis Hebraicis alteà hisce verbis indicauit: *Nazareth, vnde etiam Dominus noster vocatus est: sed & nos apud veteres quasi opprobrio Nazarei dicebamur, quos nunc Christianos vocant.*

Nazareth flos interpretatur.

Ironicè Nazareth dicta.

Conuitio Christus & Christiani Nazarei vocati.

Hinc vides super caput illius, qui verè Nazaræus est, flos campi & lilium conuallium, cuius odor est sicut odor agri pleni, positum fuisse titulum illum ab illis impijs Pilato & Iudæis, *Iesus Nazarenus Rex*

Iudæorum; quasi extiterit seductor, malefactor, malæque famæ odore omnes infecisset: etsi alia fuerit mens Spiritus sancti.

Iuliani Apostata impietas & mors.

Impius item ille Apostata Iulianus Augustus, qui patientia & longanimitate Dei abusus, iustam eius indignationem, gladio diuinitus transuerberatus, expertus fuit. *Et improuisò*, inquit Theodoretus lib. 3. Hist. Eccles. cap. 20. *eum vulneratum offendunt, rabie contra Conditorem suum furentem. Ferunt porrò, ipsum tyrannum simul ac plagam acceperat, manum protinus sanguine implesse, illumq; proiecisse in aerem, ac dixisse, Vicisti Galilæe; & simul tunc confessum fuisse victoriam, & blasphemiam (adeò à mente abalienatus erat) in Deum impudenter locutum.* Hæc Theodoretus. Quibus addunt Sozomenus & Nicephorus, Iulianum, cùm moribundus iaceret, vidisse ante se Christum Dominum stantem, ac subridentem, atque proiecto manu sanguine dixisse, *Satiasti Nazarene*. Galilæum & Nazarænum appellabat: his enim nominibus Christiani nominis hostes Christum & Christianos nominandò, existimabant se illos summa iniuria afficere.

Nazareth nomina & significatio.

Arabes nunc hanc ciuitatem appellant *Nazara*, id est victoriosam, antiquitus verò *Medina abiat*, hoc est, ciuitatem albam: ita eius incolæ dicunt. Credunt tamen aliqui hoc nomen inditum esse à Christianis ad honorē Virginis Mariæ, propter candorem integerrimæ illius puritatis & innocentiæ; vnde & ad eàm dicitur: *Veni de Libano, veni, coronaberis.* quæ verba in quodam Sermone expendens D. Hieronymus, dixit: *Non immeritò venire de Libano iubetur quia Libanus candidatio interpretatur: erat enim candidata multis meritorum virtutibus, & dealbata nive candidior.* Sed & ad naturalem conditionem hæc referre possumus, vt flos dicatur Nazareth, & rosa: quia quemadmodum rosa solus circumdatur & perficitur, ita Nazareth rosæ rotunditatem præ se fert, & montibus velut solus circumdatur & munitur. Ciuitas alba, quia sterilibus albis montibus, non viridibus est vallata.

Aliqua naturalis fecunditas & amœnitas est in Nazareth.

Aduerte tamen, me hisce nolle omnem fecunditatem & amœnitatem à Nazareth auferre; quia licet proximiores montes verè albi sint, quia nudam rupem præ se ferunt, tamen infrà valles & campi amœni & fecundi sunt, etsi pauci: &, quod caput est, habet fontes; alterum in plaga Aquilonari, qui dicitur *Archangeli Michaëlis*; alterum in Occidentali, prope locum qui dicitur *Mensa Christi*; & alios parum remotiores, quibus modicum eius territorium commodè allui potest. Et præterea longè à Nazareth ad tria quatúorve milliaria, & ampliùs, sunt campi latissimi Galilææ, vt Esdrelon, Zabulon, & alij: quare qui ex fecunditate & amœnitate sanctam Nazareth extollunt, vel excedunt in laudando, vel respiciunt non ad ea quæ in ea sunt, sed ad sibi proxima, quæ vberem & fecundam reddunt ciuitatem.

Communes eius habitatores pessimi.

Sed quid de Nazareth ordinariis & communibus habitatoribus dicemus? Laudémne ex ipsis consequetur? Non vtique, sed magis contumeliam & dedecus; quoniam mali & pessimi, sicut & terra quos peperit. Et si verum est quod dixit D. Paulus, *Si quis suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem abnegauit, & est infideli deterior*; oportet dicere Nazaræos Christi concives fidem negasse, & ipsis infidelibus deteriores; quoniam in ipsum Christum, qui apud ipsos conceptus & nutritus fuit, & in eorumdem gratiam miracula edidit, semper iniurij extiterunt, volentes illum modò vt fatuum ligare; & nunc vt morte dignum de monte præcipitare. Et si hæc benemerito ciui faciebant, quid fuisse facturos aliis cogitabimus? Docebat aliquando in synagogis Nazareth: *Et multi audientes admirabantur*, inquit Marcus, *in doctrina eius, dicentes: Vnde huic hæc omnia? & quæ est sapientia, quæ data est illi; & virtutes tales, quæ per manus eius efficiuntur? Nónne hic est faber, filius Mariæ, frater Iacobi, & Ioseph, & Iudæ, & Simonis? nónne & sorores eius hic nobiscum sunt? Et scandalizabantur in illo. Et dicebat illis Iesus: Quia non est Propheta sine honore nisi in patria sua, & in domo sua, & in cognatione sua. Et non poterat ibi virtutem vllam facere, nisi paucos infirmos impositis manibus curauit: & mirabatur propter incredulitatem eorum.* Ecce quanta malitia & incredulitas Nazaræorum, vt omnipotentem Dei Patris Sapientiam in admirationem raperet, & eius liberales & omnipotentes manus ligaret, ne in illos gratias conferret.

Incredulis, & in ipsum Christum crudelis.

1. Tim. 5, 8

Matt. 3, 11 Luc. 4, 29.

Matt. 6, 2.

Vt olim, ita & nunc malignus.

Nec sunt in præsentia illius incolæ à præcedentibus differentes, vt non rarò in benefactores ipsos insurgant; & dum à visitantibus illius loca sancta pro pretio altera manu pecuniam recipiant, altera lapides teneant vt offendant, vt experti confessi fuerunt. Paupertate & timore parum videntur humiliati, & præsertim nostris temporibus, ex quo ad sanctam Ciuitatem inhabitandam reuersi sunt Fratres Minores; inde enim à peregrinis magis frequentantur, & ab istis, vt ab illis, continuò plura recipiunt beneficia; & villa, domibus & habitatoribus aucta.

Ciuitas

Nazareth ruditis.

Ciuitas hæc eſt abſque muro, & ferè tota collapſa: in eius ſitu paucæ & pauperculæ domus; melior eſt apud locum Annuntiationis B. Virginis Mariæ; tales dicas, quales & habitantes in ipſis. Quare meritò & potiori etiam ratione poſſumus in præſentia de iſta vaſtata ciuitate, quod olim de eadem in flore exiſtente dixit nobilis ille Nathanaël, intelligens nihil in ea boni eſſe: *A Nazareth poteſt aliquid boni eſſe?* Et Phariſæi quidam ad idem reſpicientes, Nicodemo dixerunt: *Scrutare Scripturas, & vide, quia à Galilæa Propheta non ſurgit.* Quaſi dicere voluiſſent, Multò minùs ſurget à Nazareth, ciuitate deterrima Galilææ.

Ioan. 1.46.

Ioan. 7.52.

Nazareth ſpiritualis excellentia.

Et ecce dignitas, & excellentia Nazareth, quæ ei ex natura obuenit. Quare qui illam ex hoc capite extollunt, vel excedunt, vel ſimul ad ſupernaturalia beneficia reſpexerunt, quæ omnino illuſtriſſima & celeberrima ſunt. Et hoc nunc ex parte explicabimus. In Nazareth noſtra ſuperabundauit cæleſtis gratia, inſufflauitque Spiritus ſanctus, & factum eſt, vt flores fructus parturierint, quin flores ipſi extiterint fructus honoris & gratiæ; ex quibus non quidem materia laudis, ſed potiùs deerit copia & ſufficientia laudatoris. Et de Nazareth poſſumus non minori cum ratione dicere, quod de tota Terra promiſſionis dixit S. Hieronymus: *Hæc terra monteſa eſt, & in ſublimi ſita; quantum à deliciis ſæculi vacat, tantò maiores habet delicias ſpiritus.* Hinc meritò Andreas Ieroſolymitanus Epiſcopus cum terreſtri paradiſo illam confert, in Sermone de Annuntiatione dicens: *Nazareth Eden hortum emulata, ipſius Eden conditionem ſinu ſuo complectitur*, &c. Verùm Nazarethæ inuidere potuit terreſtris paradiſus. Siquidem paradiſum Adamus ille primus, & prima Heua; Nazaretham verò Adamus ſecundus orbis reparator, ſecunda Heua incoluere. Sed quos flores ſuauiſſimos fructuſque dulciſſimos ediderit noſtra Nazareth, quibus ipſa celeberrima redditur, & totus mundus recreatur, videamus.

Nazareth terreſtri paradiſo comparatur, & præfertur.

Ioſeph Virginis ſponſus Nazarenus.

Nazareth ciuitas Dei dedit ſanctum Ioſeph virginum florem & coniugatorum electiſſimum fructum: in ciuitate enim Nazareth virgo Ioſeph, ſponſus Mariæ Virginis & Chriſti nutritius ortus, educatus & incola fuit, vt communis docet ſanctorum Patrum ſententia.

Obiectionis ſolutio.

Non tamen me latet, nonnullos fuiſſe arbitratos eſſe natum Bethlehem, propter Iuſtini Martyris teſtimonium, qui in Eloquio cum Tryphone Iudæo de Ioſeph agens ait, illum è Nazareth, vbi domicilium habebat, aſcendiſſe in Bethlehem veterem patriam, vt nomen profiteretur; tum quia cùm eſſet de tribu Iuda, potiùs in vna ex vrbibus huius tribus naſci, probabile eſt credere, quàm in alio alterius tribus loco: Bethlehem verò ad tribum Iudæ, & Nazareth ad Zabulon pertinet.

Ceterùm, hæc non obſtant adductæ communi ſententiæ; non Iuſtini auctoritas: non enim voluit dicere ſanctus Martyr, ſanctum Ioſeph oriundum ex Bethlehem, cùm hanc veterem illius patriam nominauit; ſed quia ex Bethlehem erant maiores eius: qui, vt ibidem ait Iuſtinus, erant ex tribu Iuda: cuius tribus fuiſſe Bethlehemiticum oppidum teſtatur. Quin appellans Bethlehem eius veterem patriam, præter dicta indicauit, alteram ciuitatem fuiſſe nouam patriam illius, in qua natus & educatus fuerit; & non aliam, quàm noſtram Nazareth.

Nec officit allata ratio: etenim etſi Ioſeph eſſet de tribu Iuda, potuit naſci & habitare in Galilæa extra ſuæ tribus ditionem, imò & in ea habere agros, oliueta, & alia huiuſmodi. Nam quamuis diuerſæ familiæ diuerſos agros habere deberent, iuxta diuiſionem factam Ioſ. 5. vſque ad 19. tamen licebat hominibus vnius tribus ad terram alterius tribus tranſire, & ibi habitare, ac conſequenter filios procreare, ſicut dicitur Iudic. 17. de Leuita, qui erat Bethlehemites, & ſe contulit in terram Ephraim: neo ſolùm id licebat Leuitis, verùm etiam laicis, vt conſtat ex 19. cap. Iudicum; vbi dicitur ſenem quemdam de tribu Ephraim, qui habitabat in terra Beniamin, Leuitam in domo ſua hoſpitio excepiſſe: ita tamen licebat hominibus vnius tribus in alia agros, oliueta, & alia habere, vt venditor quandocumque vellet, ea redimere poſſet, vel ſaltem in anno Iubilei rediret ad dominum, vt dicitur Leuit. 25. Quin imò poſt reditum ex Babylone, licebat agros, oliueta, & alia huiuſmodi inter eos qui erant alterius tribus perpetuò habere: conſtat enim, poſt reditum ex illa captiuitate, tribus Iuda & Beniamin ſimul in Iudæa manſiſſe: reliquæ autem tribus in terra Perſarum & Medorum trans Euphratem vſque in hodiernum diem manſerunt. Quæ omnia rectè notauit Abulenſis in caput 2. Matth. quæſt. 88. Ex quibus colligitur, quòd licet fuerit ſanctus Ioſeph ex tribu Iuda, potuit nihilominùs concipi & naſci, & domum & alia habere in Galilæa & ciuitate Nazareth ad aliam tribum pertinente.

Virè vnius tribus in alienatribu habitare licebat.

Meritò autem naſcitur in Nazareth Virginis ſponſus, Chriſti pater, & vtriuſque vigi-

Ioſeph meritò in Nazareth natus.

vigilantissimus custos; vt ex nomine patriæ, quale futurum esset eius munus, daretur intelligi: Nazareth enim, præter alias interpretationes, custodia & separatio interpretatur. Et quoniam Christi infantis & Mariæ Virginis singularem custodiam habiturus erat, & à sponsa, licet alioquin matrimonij vinculo cum ea coniunctissimus futurus erat, quoad thorum tamen separatissimus esse debebat. Quare iure merito ex Nazareth, quod custodiam, & separationem significat, assumptus est sanctus Ioseph, suæ patriæ honor & decus. Ibidem etiam è viuis decessisse aliqui putant.

Deipara si non nata in Nazareth, habitauit.

Quin non tantùm S. Ioseph, sed etiam eius sponsam Mariam Virginem Dei Genitricem in Nazareth genitam nutritamque fuisse aliqui arbitrati sunt: quòd si id dicere non placet, propter ea quæ diximus Libro IV. Cap. VI. Peregrinationis III. hoc tamen asserere non displicebit, hanc purissimam Virginem, in qua erant omnes flores virtutis & gratiæ, in Nazareth habitasse, & S. Ioseph nuptui traditam fuisse, & amplius, non quidem ex eo, sed ex solis purissimis eius sanguinibus, Spiritu sancto cooperante, in suo sacratissimo vtero, Angelo nuntiante, concepisse Iesum Dei & hominis Filium, totius mundi Saluatorem, electissimum campi florem, & lilium conuallium, cæli & terræ suauissimum ac desideratissimum fructum, vt docet S. Lucas; & nos amplius dicemus Capite I. sequentis Peregrinationis.

Christum ibidem conceptus & educatus.

Inde fugit in Ægyptū.

Et non solum in Nazareth fuit Christus conceptus, sed etiam educatus: postquam enim sacra Virgo Deipara illum ex Bethlehem in templo præsentauit, inde portauit in Nazareth: vbi mansit, quoad ductu Spiritus sancti cùm Ioseph fugit in Ægyptū; & post reditum ex Ægypto in terram Israël, non aliò se contulit, quam Nazaretham: vbi omnium Dominus pro hominibus paruulus factus, vbi subditus parentibus suis mansit vsque ad tempus ostensionis & prædicationis suæ, vt colligitur ex Euangelica historia. Vnde, ob longam in Nazareth conuersationem, Nazarænus, & à Nazareth Galilææ fuit appellatus.

Ruperti opinio reijcitur.

Fuit etiam Ruperti opinio in Ioannem cap. 20. Christum Dominum in Nazareth & domo matris apparuisse discipulis simul cum Thoma congregatis, & huic latus & manus contrectandas exhibuisse; sic enim de his scribit: Fortasse in domo Deiparæ Virginis probatur, quia discipuli Christi nuntium acceperant, vt in Galilæam, ipsum ibi visuri, proficiscerentur. Neque verò est verisimile, per octo dies distulisse profectionem. Sed non in Galilæa, at in Iudæa & Ierosolymæ iisdem apparuisse in cœnaculo, vbi eisdem priùs apparuerat, quando Thomas aberat, credendum est cum Augustino lib. 3. de Consen. Euang. cap. 25. & aliis; & videtur indicare Ioannes illis verbis, *Post dies octo, iterùm erant discipuli eius intus.* quasi velit dicere, in eadem domo, vbi ante octo dies priùs apparuerat, iterùm apparuisse. Nec dilatio Apostolorum in Galilæam culpanda fuit, quoniam diebus azymorum in Ierusalem manere voluerunt, vt Doctores docent; & inimicorum persecutio eos excusabat. Videtur opinio Ruperti inniti auctoritati Hieronymi in Matth. 24. sed apertè eius verba illi non suffragantur. Lege Toletum in illum Ioannis locum Annotat. 26. & Baradium Tomo 4. lib. 9. Valdè tamen pietati & rationi consentaneum, post resurrectionem, quando apparuit in Galilæa, & patriam suam Nazareth gloriosa præsentia condecorasse: & ad hoc facit quod sequenti Peregrinatione Cap. IX. dicemus.

Ioan. 20. 26.

Probabiliter rediens apparuit in Nazareth Christus.

Sed quidquid sit de hoc, ex iam dictis & dicendis in sequentibus, ex his supernaturalibus beneficiis, vsque ad cælum satis extolletur, & laudata remanebit nostra Nazareth; ex qua velut ex spinis selectissimæ & odoratissimæ rosæ germinarunt, & in eadem candidissima lilia virtutum, Ioseph, Maria & Iesus, velut in spinis perditorum habitatorum manserunt; vt magis illorum candor & virtus claresceret, quòd non tantùm boni inter bonos, sed optimi inter pessimos se exhibuerunt. Vt enim lib. 1. Moral. cap. 1. dixit Magnus Gregorius, *Non valdè laudabile est, bonum esse cum bonis, sed bonum esse cum malis. Sicut enim grauioris culpæ est, inter bonos bonum non esse; ita immensi est præconij, bonum etiam inter malos extitisse.* Et ex hoc vna ratio apparet, quare Christus voluit concipi in Nazareth, & in ea cum suis parentibus habitare, & viuere immaculatam & irreprehensibilem vitam; vt ex hoc capite magis eius virtutis splendor clarescceret.

Quare in Nazareth habitauit.

Laudari etiam potest Nazareth ex nomine. Vt enim aliàs obseruauimus loquentes de Bethlehem, ita nunc notamus de ista ciuitate verba facientes: crediderim enim, illi Nazareth nomen, quod florem significat, inditum fuisse, propter Christum in ea concipiendum, non Nazareth modò, sed totius mundi florem. Id me docuit S. Hieronymus in Epistola ad Marcellam nomine Paulæ & Eustochij, dicens: *Ibimus ad Nazareth, & iuxta interpretationem nominis eius, florem videbimus Galilææ.*

Celebrium nominum.

Distantia Nazareth ab Ierusalem, Thabor, & mari Galilææ.

Nazareth distat ab Ierusalem triginta leucis, inquit Aranda in Prologo libri de

Terra

Terra ſancta, vel 27. vt Brocardus: & ſanè diſtat itinere trium dierum; à monte Thabor milliaribus ſex, à mari Galilææ viginti quinque circiter, & totidem ferè à Mediterraneo. De locis peculiaribus, in quibus apud Nazareth operata fuerunt diuina ſacramenta, à piis fidelibus illuſtriſſimis monumentis ad poſteritatem conſecrata, agemus ſequenti Peregrinatione.

CAPVT VI.

An ex Nazareth, vel potiùs ex Bethlehem alióve loco, Chriſtus Dominus cum parentibus ſuis Maria & Ioſeph abierit in Aegyptum.

CIrca dicta Capite præcedenti oritur difficultas, præſenti examinanda. Diximus, Chriſtum Dominum poſt eius oblationem in templum fuiſſe delatum in ciuitatem Nazareth, ibique admonitum ab Angelo ſanctum Ioſeph de fugiendo in Ægyptum cum puero & matre eius; quia futurum erat, vt Herodes quæreret puerum ad perdendum eum, vt dicitur in Euangelio; indeque diſceſſiſſe. Verùm quia non omnes in illa poſitione conueniunt, varias ſententias, quas circa propoſitam difficultatem inuenire potui, proponam; vt quæ probabilior videbitur, eligatur. Et quatuor inueni: quarum duæ priores conueniunt, Angeli apparitionem, & Ioſephi cum ſancta ſocietate diſceſſum, accidiſſe in Iudæa; duæ autem poſteriores in Galilæa: ſed in particularibus aſſignandis locis omnes diſſentiunt.

De loco vnde Chriſtus fugit in Ægyptum quatuor ſententiæ.

Prima, ex Bethlehem.

Prima itaque ſententia ſit, ex Bethlehem Iudæ diſceſſiſſe. Probatur multipliciter:

Probatur primò.

Primò, ex Matthæo 2, 13. vbi hæc leguntur: *Qui* (id eſt Magi) *cùm receſſiſſent, ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis Ioſeph, dicens: Surge, & accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Aegyptum, & eſto ibi vſque dum dicam tibi. Futurum eſt enim vt Herodes quærat puerum ad perdendum eum. Qui conſurgens, accepit puerum & matrem eius nocte, & receſſit in Aegyptum.* Angelus admonuit Ioſeph de futura Herodiana pueri perſecutione, vt fugâ in Ægyptum illius ſaluti conſuleret; ſed illa futura erat in Bethlehem, & in finibus eius, vt docet idem Euangeliſta. Igitur ex Bethlehem, vbi ſalus pueri periclitari poterat, fuit ductus in Ægyptum.

Confirmatur.

Confirmatur; quia Magorum adoratio & fuga in Ægyptum continuata oratione referuntur: igitur & ita acciderunt; & conſequenter ſanctus Ioſeph cum ſuo ſodalitio poſt Magorum adorationem non rediit in ciuitatem ſuam Nazareth, ſed ex Bethlehem fugit in Ægyptum.

Secundò.

Secundò, idem Matthæus ibidem v. 23. inquit de Chriſto poſt illius reditum ex Ægypto: *Et veniens habitauit in ciuitate, quæ vocatur Nazareth: vt adimpleretur quod dictum eſt per Prophetas: Quoniam Nazaræus vocabitur.* Igitur, ſignum eſt Chriſtum antea non habitaſſe in ciuitate Nazareth; quia ſi habitaſſet, illa priori habitatione adimpletæ fuiſſent Prophetiæ; & vt implerentur, non erat opus Chriſtum diuertere ad habitandum in Nazareth.

Tertiò.

Tertiò, ſi Chriſtus poſt diſceſſum Magorum rediiſſet in Nazareth, non erat neceſſe vt fugeret in Ægyptum, quia tutus ibi manſiſſet; quia non erat de Herodis ditione, nec ibi quærendus, ſed in Bethlehem, & circa, vbi ſecuta fuit infantium cædes.

Quartò.

Quartò, loquens S. Lucas de manſione Chriſti & parentum eius in ciuitate Nazareth, dicit, quòd ibant parentes eius per omnes annos in Ieruſalem in die ſolemni Paſchæ, Luc. 2, 41. Quod non poteſt tamquam verum aſſeri, ſi dicatur quòd fugerit in Ægyptum è ciuitate ſua: nam poſt fugam in Ægyptum; vbi, vt communiter aſſeritur, ſeptem annis manſerunt; non habebant acceſſum in Ieruſalem. Ergo, vt confiteamur, fugam in Ægyptum relatam à D. Matthæo, & viſitationem templi à diuo Luca memoratam, neceſſariò debemus dicere, à Iudæa, & non à Galilæa, Chriſtum diſceſſiſſe.

Quintò.

Quintò, S. Epiphanius contra Alogianos ſcribens, ait, per biennium in domicilio Bethlehemitico Mariam Virginem extitiſſe cum puero, & trigeſimo tertio Herodis regni anno natum Ieſum, trigeſimo quinto adueniſſe ad eum Magos, &, poſt illorum diſceſſum, fugiſſe Chriſtum in Ægyptum, &c.

Suffragatur denique huic ſententiæ traditio illa Armenorum & aliorum, quæ aſſerit, dum S. Ioſeph pararet neceſſaria ad iter, Virginem Mariam delituiſſe in quodam ſpecu prope Bethlehem, quem & ſacro lacte aſperſit.

Secunda ſententia, ex Ieruſalem.

Secunda ſententia eſſe poteſt illorum qui ex Ieruſalem diſceſſiſſe arbitrantur, quæ poteſt illa traditione perſuaderi, Ieroſolymis fontem eſſe qui dicitur B. Mariæ Virginis, &, ſecundùm quoſdam, antiquitus draconis; illa ratione, quòd in illo S. Deipara lauit panniculos Filij ſui, at non poſt reditum ex Ægypto, quando grandiuſculus tali officio non indigebat: igitur ante & poſt purificationem, quando fortè manſit ibi, &

Digitized by Google

in domo quam habebat, nunc appellata S.Annæ.

Probatur primò. In eo quòd conueniunt duæ istæ sententiæ efficaciùs probatur; & dupliciter: Primò, quia Matthæi citato capite dicitur, quòd Ioſepho existente in Ægypto, cùm ab Angelo dictum fuisset vt rediret in terram Israël, cogitauit redire in Iudæam; admonitus verò in somnis, recessit in Galilæam. Apparet igitur, è Iudæa, & non è Galilæa, ipsum fugisse; alioquin non dubitasset eò redire vnde fugerat, maximè si ibi domum habebat propriam, vt notauimus Lib.VI. Cap. III. Peregrin. III.

Secundò. Secundò, S. Augustinus lib.2. de Consensu Euang. cap. 5. arbitratur, post purificationem Angelum de fuga admonuisse, antequam Nazaretham rediret; admonitum verò Ioſephum, protinus infantem in Ægyptum transtulisse; ex Ægypto verò, in Galilæam & Nazaretham reuersum esse. Hanc sententiam propter sancti Patris auctoritatem sequitur Iansenius cap. 10. Concord. Euangel. & probabiliorem credit illa quam quarto loco collocabimus.

Tertia, ex loco Nazaretha proximiori. Tertia sententia est, abijsse in Ægyptum, non quidem ex Iudæa, sed ex Galilæa; non tamen ex Nazareth, sed loco proximo. Ita D.Bonauentura in lib.de Vita Christi c.12. hic enim affirmat, Deiparam post purificationem Elisabetham inuisisse, & infantem Ioannem; cumque Nazaretham iter faceret, antequam in vrbem perueniret, Angelo monente, fugam in Ægyptum suscepisse. In qua sententia videtur fuisse Ammonius Alexandrinus, qui sic scribit in Harmonia Euangelica: *Ioseph rediens Nazareth, oraculo admonitus est, vt fuga in Aegyptum infantis vitæ consulat.*

Quarta, ex Nazareth. Quarta denique sententia sit, Ioſephum in Galilæa & ciuitate sua Nazareth ab Angelo fuisse de fuga admonitum, & inde statim fugam arripuisse. Ita sentiunt Chrysostomus Homil. 9. in Matth. Euthymius in Luc.2. D.Anselmus, Theophylactus in cap.2. Matth. Abulensis, & alij. *Probatur primò.* Probatur ex D. Luca cap. 2, 39. qui sic de his scribit: *Et vt perfecerunt omnia secundùm legem Domini, reuersi sunt in Galilæam in ciuitatem suam Nazareth.* Quid clarius dici poterat? Cùm itaque non constet inde discessisse, vt irent in Iudæam; consequens est, vt dicamus ibi fuisse consultum de fuga, & inde secutam fuisse.

Responsio. Respondent Auctores primæ & secundæ sententiæ, Euangelistam non esse locutum de reditu ex Iudæa in Galilæam, etsi id verba significare videantur, sed de reditu ex Ægypto in Galilæam: etenim sæpè Euangelistæ vnum factum immediatè post aliud narrant; cùm tamen inter vtrumque multa intercesserit mora, & alia contigerint: & ita accidit in proposito. Nec reditus in Nazareth à Luca descriptus alio in loco fuerat collocandus, etsi fuga in Ægyptum intercesserit; quoniam eam tamquam sufficientissimè à D.Matthæo enarratam prætermisit.

Reijcitur. Contrà, quia licet vera sit consuetudo & regula illa Euangelistarum, non tamen passim & absque delectu ea vti debemus (aliter numquam seriem ordinatam historiæ habere possemus) sed tantùm efficaci existenti ratione, quæ in proposito non videtur; sed accidisse, vt narrantur ab Euangelista. Etenim fuga in Ægyptum non accidit, nisi postquam Herodes cogitauit de occidendo puero; at id accidit post duos circiter annos, vt ex decreto cædis infantium non obscurè colligitur; *A bimatu* videlicet, *& infra, secundùm tempus quod exquisierat à Magis*, vt ait Matthæus c.2,16. hoc est, quot anni elapsi fuerant ab apparitione stellæ facta Magis; & propter hoc occidit pueros à bimatu & infra, vt sic inter illos Christus interficeretur. Et hoc tanto verius, si tunc temporis Romam se contulit, vt se à filiorum accusationibus defenderet, vt multis placet. Nunc quæro, vbi isto tempore mansit B. Virgo Maria cum puero? Num in Bethlehem, vbi domum non habebat, & ipso tempore partus reclinauit Filium suum in præsepio, quia non erat ei locus in diuersorio? Num mansit in Ierusalem, vbi supellectilem & victui necessaria non habebat, & impius Herodes Christi sanguinem sitiebat? Rationabilius ergo videtur, dicere, in Galilæam & Nazareth in domum suam rediisse. Et crederem id diuino consilio omnia fortiter suauiterque disponente accidisse, vt interim infantuli corpusculum magis roboraretur, & ad resistendum itineris laboribus magis idoneum inueniretur, & S. Ioseph familiæ suæ consuleret, longoque & laborioso itineri necessaria pararet, & ad manendum in Ægypto inter exteras nationes.

Fuga in Ægyptum quando.

Deipara post purificationem mansit in Nazareth vsque ad fugam in Ægyptum.

Sed vide, quæso, an hæc sit congrua locutio & continuatio in Luca, *Et vt perfecerunt*, &c. scilicet in Ierusalem, reuersi sunt ex Ægypto in Nazareth, cùm Ægypti nec verbum fecerit Euangelista? Quin ex hoc colligo, diuersum esse regressum, de quo loquitur Lucas, ab illo cuius meminit Matthæus; sicut & aduentus Mariæ & Ioseph in Iudæam in Bethlehem, cuius meminit Lucas anteà eodem cap. vers. 4. alius est ab aduentu eorumdem in terram Iudæ, cuius meminit Matthæus cap.2. v.21. & vt hoc per se constat, ita illud obscurum non est.

by Google

eſt. Nam cùm Lucas de diſceſſu è Nazareth & ingreſſu in Iudæam & Bethlehem locutus fuerit, nulla Ægypti facta mentione; loquens poſteà de regreſſu in Nazareth, videtur intelligendus de loco, cuius anteà meminerat, ſcilicet Bethlehem, & non de Ægypto numquam à ſe nominata. Sicut etiam ſimili ratione Matthæus, cùm loquitur de reditu Ioſeph in terram Iſraël, eſt intelligendus de reditu ex Ægypto; quia de eo priùs locutus fuit.

Reſponſio ad argumenta aliorum opinionum.

Et ex dictis patet, quid reſpondendum ſit ad id quod dicere poſſent Auctores tertiæ ſententiæ ad verba Lucæ, ita exponi poſſe, reuerſos quidem fuiſſe ex Ieruſalem omnibus expletis ſecundùm legem, vt irent in ciuitatem ſuam Nazareth, ſed ab ipſo itinere ad fugam reuocatos.

Ad primū primæ.

Argumenta etiam pro aliis opinionibus huic non officiunt; non primum primæ: diuus enim Matthæus illis verbis indicauit fugam in Ægyptum accidiſſe poſt Magorum diſceſſum, non tamen immediatè; & hic verè locum habere debet vſitatus ille Scripturæ loquendi modus, quo vnum poſt alterum immediatè narratur, etſi inter vtrumque longum tempus interceſſit; quoniam videtur ratio ſic interpretandi, quemadmodum & alibi, vt Luc. 1, 7. dixit Angelus ad Virginem: *Ecce concipies in vtero, & paries Filium, & vocabis nomen eius Ieſum.* Noluit in his verbis intelligere Gabriel, quòd poſt conceptionem ſtatim ſequeretur partus, ſed ſuo tempore, poſt nouem menſes; neque poſt partum illius appellatio, ſed octauo die, quando fuit Filius circumciſus. Et inter illa duo temporis interſtitia clarum eſt plura contigiſſe, quæ referunt Euangeliſtæ. Item Matthæus, ſtatim ac retulit reditum Ioſephi ex Ægypto cum puero & matre in ciuitatem Nazareth, incipit
Matth. 3, 1 loqui de Ioannis prædicatione, dicens: *In diebus illis venit Ioannes Baptiſta prædicans in deſerto Iudææ.* quod tamen non ſtatim accidiſſe poſt illam reuerſionem manifeſtum eſt; quia pluſquam viginti anni interceſſerant: ratio enim eſt intelligendi tempus idoneum prædicationi; & quia Scriptura alibi dicit Ioannem manſiſſe in deſertis Iudææ vſque ad tempus oſtenſionis ſuæ in Iſraël. Ita in propoſito, ratio eſt, prout iam vidimus, vt intelligamus, non ſtatim poſt diſceſſum Magorum ſecutam fuiſſe fugam in Ægyptum, quam immediatè ſubiunxit Euangeliſta; quia tunc circa decimumquartum vel decimumquintum diem à Virgineo partu accidiſſe dicendum eſſet, quia decimotertio die venerunt Magi poſt Chriſtum natum, vt alibi cum Eccleſia diximus: & ita oporteret etiam dicere, nec Virginem fuiſſe purificatam, nec Filium in templo præſentatum; quia hæc facta ſunt ſpatio dierum quadraginta in Bethlehem & Ieruſalem. Et ita non eſt inter Matthæum & Lucam aliqua diſcordia, ſed ſumma concordia. Lucas enim eſt explicandus. Matthæus ſilentio præteriit quæ interceſſerunt inter Magorum diſceſſum, & fugam in Ægyptum, Mariæ purificationem, Chriſti præſentationem, & reditum in Nazareth, quæ retulit Lucas; & ideò Matthæus copulauit fugam in Ægyptum cum diſceſſu Magorum, & voluit dicere: Magi cùm diſceſſiſſent, non protinus, ſed multis pòſt diebus & menſibus, in quibus à Luca relata geſta ſunt, *Ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis Ioſeph, dicens*, &c. & ita exponunt Auctores quartæ ſententiæ.

Matthæi & Lucæ concordia.

Ad confirmationem.

Ad confirmationem dicendum, Angelum admoniſſe Ioſeph de perſecutione, ſed non de loco determinato perſecutionis: & quia facilè fieri poterat, vt Herodes quæreret puerum ad necem in tota ſua ditione, etſi non quando occidit pueros in Bethlehem; poſteà, ſi ad aures illius peruenifſet fama Ieſu, & illum potuiſſet in Nazareth quærere; quæ ſui erat iuris: quare optimo conſilio præcepit fugere in Ægyptum, vt hoc pacto ab omni periculo & timore infans liberaretur. Et hæc reſponſio clariùs apparebit in reſponſione ad tertium argumentum.

Ad ſecundum.

Ad ſecundum argumentum dupliciter reſpondetur: Primò, Chriſtum quidem ante fugam in Ægyptum in Nazareth habitaſſe: ſed ex illa habitatione non fuiſſet communiter cognitus & appellatus Nazaræus; tum quia mora illa exigui temporis fuit, & ex modico tempore, quo quis alicubi habitat, non accipit loci denominationem; tum quia puerulus erat, & non conſiderata illius manſio: & ſi conſiderata, ſpatio ſeptem annorum, quibus manſit in Ægypto, facilè obliuioni tradita fuit. Quare, vt Prophetarum vaticinia palàm impleta in Chriſto cognoſcerentur, debuit poſt reditum ex Ægypto grandiuſculus & magis cognitus habitare in ciuitate Nazareth.

Vt particula duplex ſignificatio.

Secundò reſpondetur, particulam *vt* non ſemper ſignificare cauſam, ſed frequenter conſecutionem, vt clarum eſt ſacras Litteras intelligenti. Et hanc ſignificationem habere dicimus in propoſito: non enim Chriſtus ad Prophetias, ſed Prophetiæ ad Chriſtum ordinatæ ſunt. Quare ſenſus verborum Matthæi erit: Venit Chriſtus Nazareth, & in ea habitauit, & ex illius habitatione Nazaræus appellatus fuit.

Ad tertiū.

Ad tertium dicimus, tempore ortus Chriſti & cædis Innocentium, totam Pa-

læstinam fuisse sub magni Herodis ditione, & nonnisi post eius obitum diuisam pluribus fuisse: qui non ampliùs Reges, sed Tetrarchæ dicebantur, vt constat ex Iosepho & D. Luca; & nos notauimus Lib. I. Cap. III.

Ad hæc, qui timet, nititur omnes occasiones timoris amputare. Cùm itaque Herodes timeret, ne natus Christus eriperet sibi regnum, non tantùm occidit pueros in Bethlehem natos, vbi oriundum esse Messiam didicerat à Magis, sed etiam in omnibus finibus eius; & non tantùm ortos tempore apparitionis stellæ, sed etiam infrà, vsque ad tempus illius immanissimæ cædis. Ac ideò, vt ampliùs se à timore liberaret, potuit etiam quærere Iesum, celebrem ex his quæ acciderunt in eius præsentatione & Mariæ Virginis purificatione; & obtinuisset puerum, etiamsi in alterius ditione extitisset. Qua etiam ratione Angelus, vt magis consuleret saluti pueri, admonuit S. Ioseph vt secederet, non in aliquam proximam ciuitatem, vel locum proximum ditioni Herodis, sed in longinquam Ægypti.

Ad quartum. Ad quartum respondetur, benè constare quæ ab vtroq; narrantur Euangelista secundùm diuersa tempora. Nam visitatio illa templi à Luca relata non est referenda ad tempus præcedens fugam in Ægyptum, sed ad illud quod post reditum secutum fuit: quod ex eo constat, quia illud refert Euangelista, occasione referendi accessum Christi ad templum & amissionem in eo.

Deinde, quot anni elapsi fuerunt ab ortu Christi vsque ad fugam in Ægyptum, vt dicatur per omnes annos? Et præterea, si ibant in Ierusalem ad solemnitatem; ergo non erant saltem in Ierusalem, sed in Galilæa & ciuitate Nazareth, cuius meminerat, & posteà mentionem facit, dum de reditu ex templo in Nazareth.

Luc 2,41. Posset etiam dici, verba illa Lucæ, *Et ibant parentes eius per omnes annos in Ierusalem in die solemni Paschæ*, non esse referenda necessariò ad annos præcedentes amissionem Filij & eiusdem inuentionem in templo, ex occasione festiuitatis, sed absolutè referenda ad omnes annos quibus illi manserunt in Nazareth; ita vt sit sensus: Parentes Iesu, cùm optimi essent, ac diuinæ legis obseruantissimi, singulis vitæ suæ annis, domo ac ciuitate in qua habitabant relicta, adueniente Paschali solemnitate ibant ad adorandum ad templum in Ierusalem. Et ex hac laudabili illorum consuetudine rationem desumpsit Euangelista, quare Maria & Ioseph puerum suum ætatis suæ anno duodecimo duxerint ad templum: & ita consuetudo illa non suffragatur primæ adductæ opinioni.

Ad Epiphanium dico, in eius dictis multa dubia esse, & minùs recepta: pro quo vide quæ notauimus Lib. VI. Cap. VII. Peregr. II. & ibid. Cap. I. Peregrin. III. pro illa traditione. Et præterea hæc maiori rationi & auctoritati præferenda non sunt. *Ad quæstum.*

Ad illam piam fontis traditionem, quæ adducebatur pro secunda sententia, dico, potuisse in illo panniculos Filij lauare circa tempus præsentationis; potuit enim aliquibus diebus manere Ierosolymis, antequam proficisceretur in Nazareth; vel etiam posteà, quando ex Ægypto reuersa, ex Nazareth venit Ierosolymam ad templum, potuit in similibus obsequia præstare Christo: quoniam similibus indigebat similis nobis factus, qui multis indigemus obsequiis, nedum in infantili, sed etiam in grandiuscula ætate. *Responsio ad argumenta secundæ sententiæ. Ad primū.*

Ad argumentum pro vtraque sententia ex Matthæo desumptum, quòd Ioseph non timuisset illò ire, id est, in Iudæam, nisi ex Iudæa discessisset, respondeo, illud non sequi; quia non timuit in Iudæam ire, quia inde discessit, sed quia inde timor processit; & quia rediens ex Ægypto in Galilæam transire debebat per Iudæam, vbi fuit Christus ab Herode quæsitus ad mortem. *Ad secundum.*

Præterea timor processit ex eo, quòd cùm ire deberet in terram Israël, nesciebat in qua parte tutus manere posset: nam qui timet, omnia habet suspecta; & in primo Iudææ occursu perterritus fuit, quia regnabat in ea Archelaus filius Herodis, qui Iesum ad necem quæsierat: sed fugatus fuit timor, cùm in somnis admonitus fuit ab Angelo vt secederet in partes Galilææ. Et venit, & habitauit in ciuitate Nazareth. *Vnde timor Iosephi reditum in terram Israël.*

Denique si in rigorosa verborum Angeli significatione stare vellemus, *Vade in terram Israël*, &c. per terram Israël Galilæam deberemus intelligere; quæ post diuisionem Iudaici regni, tempore Roboam filij Salomonis, terra & regnum Israël appellatur, cum aliis quæ decem tribubus obuenerunt, sicut Iudæa dicitur terra & regnum Iuda. Quod si non placet in tam arcta accipere significatione, sed communi, tunc significabit totam terram Iudæorum, & ita nihil illis verbis haberi poterit, quod alicui ex dictis opinionibus suffragetur. Remaneat ergo quod diximus, in sancta Ciuitate Nazareth Angelum nuntiasse Iosepho, vt cum puero & matre secederet in Ægyptum; inde recessisse, & illuc denique rediisse. Consule, si placet, P. Franciscum Suarez Tom. 2. in 3. Par. S. Thomæ q. 37. disp. 17. sect. 1. qui etiam posteriorem sequitur sententiam. Matth. 2. 20.

PERE-

PEREGRINATIO III. *in qua agitur de ſex memorabilibus locis, quæ inuiſuntur in ſancta ciuitate Nazareth, & circa.* I. *Domus Annuntiationis beatæ Mariæ Virginis, & Incarnationis Domini.* II. *Domus ſancti Ioſeph ſponſi ſanctæ Mariæ Deiparæ.* III. *Eccleſia Archangeli Gabrielis, & fons Ieſu.* IV. *Eccleſia, vulgò ſancta Maria del Timor appellata.* V. *Menſa Chriſti.* VI. *Denique ſaltus ſiue præcipitium Domini.*

CAPVT PRIMVM.

De domo Annuntiationis beatæ Virginis Mariæ, & Incarnationis Dominicæ, primo loco tertiæ Peregrinationis.

IN ſancta & Deo dilecta ciuitate Nazareth, ſui Creatoris nutricula, aliqua inueniuntur loca noſtræ ſalutis myſteriis & diuinis Sacramentis, necnon Chriſti, eius ſanctiſſimæ Genitricis & nutricis, putatiuiq́ patris Ioſeph ſponſi Virginis præſentia & ſanctis operibus conſecrata, à piis fidelibus egregiis monumentis poſteritati conſignata, de quibus præſenti Peregrinatione agemus. Et primò de ſacra illa domo, in qua Angelus Domini nuntiauit Mariæ, & concepit de Spiritu ſancto (ad cuius humi-
Luc. 1,38. litatis reſponſum, *Ecce ancilla Domini, fiat*
Ioan. 1,14. *mihi ſecundùm verbum tuum, Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis*) poſteà à fidelibus in Eccleſiam conuerſa.

In Nazareth duplex ſacra domus: altera, in qua conceptus fuit Chriſtus; altera, in qua educatus.

Sanctus Pater Hieronymus de Locis Hebraicis, huius domus, & alterius in qua Chriſtus fuit nutritus, meminit hiſce verbis: *Eſt Nazareth, vbi Chriſtus egit, vicenlus in Galilæa iuxta montem Thabor, vnde & Dominus noſter Ieſus Chriſtus Nazarenus vocatus eſt; habetq́ Eccleſiam in loco quo Angelus ad beatam Mariam euangelizaturus intrauit, ſed & aliam vbi Dominus eſt nutritus.* Hæc S. Hieronymus.

Venerabilis Beda de Locis ſanctis c. 16. ſimilia ſcripſit, dicens: *Nazareth muros non habet, ſed magna ædificia, duasq́ grandes Eccleſias: vna eſt in medio ciuitatis ſuper duos fundatos cancros, vbi quondam fuerat domus, in qua Dominus nutritus eſt infans; altera verò eſt Eccleſia, vbi domus erat, in qua Angelus ad B. Mariam venit.* Hæc ipſe. Eadem alij poſteriores.

Eccleſia Annuntiationis ſitus, materia & forma.

De Eccleſia Annuntiationis, quæ pluries cum aliis obſeruaui, hæc accipe: &, quantum ad ſitũ, eſt in vltima decliuitate collis & villæ verſus Meridiem: longitudo eſt ab Occidente ad Orientem: materia eſt alba, mollis rupes, & lapidea ſtructuræ forma: primò eſt ibi ſpecus in rupe ipſa exciſa, vel ita à natura producta, & arte adiuta, & perfecta: quæ fulcitur veteſtiſſimis muris à parte Aquilonari, Meridionali & Occidentali. In Orientali eſt altare maius Annuntiationi beatæ Virginis Mariæ dicatum. Alia quæ ſunt, recenter ſunt conſtructa poſt ſancti loci recuperationem.

Columna vbi Maria Virgo & Angelus ſteterunt.

E regione altaris, vel fornicis ſacellí, ad Meridiem declinando, ſunt duæ marmoreæ columnæ mixti ſiue griſei coloris ad nigrum magis tendentis: altera, & magis interior, erecta, pendens è fornice ſine fundamento, diſtans ab eo ad quinque circiter palmos; altera integra in angulo: illa Mariæ Virginis dicitur, quòd pie credatur, ibi ſanctam Virginem fuiſſe, quando fuit ab Angelo ſalutata: iſta Angeli appellatur; quia ibi in adoleſcentis habitu Archangelum Gabrielem ſtetiſſe, quando Virginem ſalutauit, traditio eſt. Sacellum quadratum eſt; proiectura demiſſa ſatis; teſtudo ipſa rupes.

Sacellum Angeli.

In parte Meridionali appoſitum eſt alterum ſacellum, altius, longius, meliusq́ elaboratum, quod Angeli nunc appellatur. Olim, quando primò ſacrum locum inuiſi, erat ingreſſus ex huius angulo Orientali; nunc clauſum eſt illud oſtium; & per alterum factum è regione illius in eadem parte per ſex gradus ingredimur: eſt enim fer-
Multa Eccleſia ſubterranea, & quare.
me ſubterraneum; ſicut etiam locus conuiuij Canæ Galilææ, & aliqua alia, vt obſeruauit, & rationem dedit Sanutus lib. 3. Part. 14. cap. 7. *Quia*, inquit, *propter frequentes Eccleſiarum*, adde & aliorum locorum, *deſtructiones ruina ſuper terram exaltata ſunt; eusq́ complanatis, alia ædificia ſunt conſtructa: & ideo fideles, vt priora loca poſſent ædificare, fecerunt gradus; & quaſi in cryptis ea viſitant.* Ita ille. Sacelli huius pauimentum ſtratum erat opere teſſellato, vt ex parte ſtratum & nos vidimus: inter hoc & alterum Annuntiationis erant olim cancelli, nunc dumtaxat illorum ſigna extant. Et totum meliùs in eius veſtigio, quod in calce huius Capitis damus, deprehendes.

Sacra ædes fuit ab Apoſtolis in Eccleſiam cõuerſa, & poſtea Epiſcopali Sede decorata.

Sacram hanc ædiculam ſancti Chriſti diſcipuli, poſt Magiſtri ſui in cælos admirabilem Aſcenſionem, in Eccleſiam dedicarunt: poſteà verò creſcente cum pie-

Digitized by Google

pietate fidelium numero, & potentia, circa & supra ipsam magnifica & illustris Ecclesia cum Episcopali palatio ædificata fuit, vt statim cum Adrichomio dicemus.

Illius præsens status.

Ecclesia ista ferè tota collapsa & destructa est, muro Aquilonari excepto, cui annexa erat Antistitis domus, & in præsentia restaurata, in qua habitant Fratres D. Francisci. In purgatione sancti loci, multa eruta terra pauimentum ex dolatis quadratis marmoribus deprehensum est, cum basibus & fundamentis columnarum: & earumdem partes similes duabus, de quibus anteà: ex his & superstite muro talem fuisse Ecclesiam diiudicatum fuit. Longitudo erat ab Occidente in Orientem: duos habebat ordines columnarum: sacrum antrum & sacellum Annuntiationis erat in læua ingressus Ecclesiæ, naui videlicet Aquilonari; ad quod per sex gradus descendebatur: & ex hac parte erant annexæ habitationes, vt & in præsentia ex parte restauratæ; vnde ex hac Aquilonari parte ex domo possumus per scalam recenter factam descendere. Longa satis; & in Occidentali plaga campanile habebat, quod adhuc extat. Omnia quidem demolita & consumpta; nihilominùs ex superstitibus reliquiis, ruinis & fundamentis, egregia ædificia ibi olim fuisse certò compertimus.

Hanc autem Ecclesiam esse illam Annuntiationis beatæ Mariæ Virginis, non videtur dubio vertendum; tum quia vt esse debuit præcipua inter omnes Nazarethas, propter præcipuum Incarnationis Verbi Dei mysterium in ea operatum, talis verè dignoscitur, & non alia: si enim non talis fuisset, fortè nec esset illius memoria; tum quia cùm in sancta ciuitate Nazareth aliæ memorentur Ecclesiæ cum suis nominibus, & nulla, ista excepta, Annuntiationis appellatur nedum ab Orientalibus Christicolis, sed etiam ab ipsis Mahometistis. Tum denique, quia semper ab omnibus fidelibus & peregrinis pro tali habita est, & tali intuitu veneratione habita, vt & hoc ipso in præsentia honoratur. Nomina & tempora in ipso facto marmore peregrinorum cernuntur, ab anno 1386, & intrà: ex quibus datur intelligi antiquitas illius peregrinationis; & quòd postquam sub Mahometistarum tyrannidem redacta fuit, nihilominùs, ob Incarnationis mysterium in ea operatum, semper à fidelibus veneratione sit habita.

Antiquitas peregrinationis ad eam.

Adrichomius in Zabulon de Nazareth verba faciens num. 73. dictis de minori & maiori Ecclesiæ conformia scripsit in hunc modum: *Ob hæc igitur quæ in hac vrbe operata sunt mysteria, Apostoli post Christi in cælos Ascensionem, beatæ Mariæ Virginis domicilium, in quo ab Angelo salutata Christum Saluatorem concepit, sacris vsibus dedicauerunt, & sacra etiam ibidem nonnunquam operati sunt: eademq; loco postmodum Deiparæ Genitrici peramœnum, & quod Archiepiscopali Cathedra præcelleret, excitatum fuit templum; in quo tria ex rupe excisa sunt altaria.* Hæc ille.

Columna illa beatæ Mariæ appellata, fracta dicitur fuisse in inferiori parte à Mauris, quòd sub ea magnum absconditum fuisse thesaurum crederent. Dicam quod ibi manens aliquibus mensibus obseruaui, & audiui. Ab incolis huius regionis plurimi æstimatur, ingressíque Ecclesiam pietate ac fide eam deosculantur, cingulis suis eam metiuntur & cingunt: & si doloribus in humeris renibusque torquentur, ad eam accedunt, & continuò adhærent, sperantes se contactu illo sanandos; & sanantur: dixitque mihi P. F. Iacobus Varedosona, de quo infrà, loci Præfectus, scandalum esse apud illos quærere, an sint sanitatem consecuti; quasi dubium sit, eam modo prædicto contingentes non sanari. Nec mirum; quoniam si Romæ multi obsessi à dæmonibus liberantur, adhærentes cuidam columnæ illuc è Ierosolymis è templo delatæ, ferreis cancellis circundatæ, quoniam Christus aliquando illi in templo docens adhæsit: quare non item illius intuitu, & beatæ Mariæ meritis, quæ ibi existens concepit, & in vtero portauit Dei & suum Filium, gratias sanitatum à Deo non obtinebunt? Peregrini quoque eamdem magna habent in veneratione; & quas ab ea abrasas particulas habere possunt, vt sacras Reliquias conseruant.

Columna virtute tactus beatæ Mariæ.

Ita dicitur in libello cui titulus, Mirabilia Romæ.

Sed seria magis & indubitata de eademmet sacra æde hîc subiiciamus. Frequens illa fuit Angelicis missionibus, & diuinis illuminationibus. Et in primis tamquam indubitatum mihi persuadeo, in angusto isto loculo beatissimam Virginem die ac nocte orationi vacasse, colloquiis diuinis fuisse assuetam: si enim ista non fuerunt negata Samueli, Salomoni, Zachariæ, vel alus, quos sibi Deus in famulatum elegit, dubitabimus fuisse denegata illi quam elegit in Matrem? & singulariter in sanctis exercitiis & meditationibus occupabatur, in quibus infantula in templo detinebatur; & præcipuè in his quæ Filij Dei in mundum aduentum respiciebant. Nouerat sapientissima Virgo à Spiritu sancto per Isaiam edocta, Virginem vnam integra & illæsa virginitate concepturam & pariturum Dei & hominis Filium, verumque Emanuelem, & Saluatorem mundi, seipsam illam

Angelicis visitationibus & Virginis meditationibus & illuminationibus frequens.

Isaiæ 7.

Digitized by Google

lam futuram, humillima cùm esset, numquam excogitabat: erga illam nimio amore afficiebatur, & illius tempore viuendi, illam videndi eidemque seruiendi magno flagrabat desiderio, vt pij viri piè contemplantur.

Fauet quod Seraphicus Doctor de Meditationibus Vitæ Christi cap. 3. ad virginem Sanctimonialem scribit, nonnullas reuelationes factas cuidam ipsius Deiparæ Virginis deuotæ; quæ, sicut ipse ibidem ait, creditur fuisse sancta Elisabeth filia Regis Hungariæ; cui beatissima Virgo reuelauit, quòd dum esset in templo, semper in noctis medio surgebat, & ante ipsius templi altare pergebat, vbi stans, septem petitiones Domino suo offerebat, inter quas hæc vna erat: *Quintò petebam* (sunt verba B. Mariæ Virginis à D. Bonauentura relata) *vt faceret me videre tempus, in quo esset illa beatissima Virgo, quæ debebat Filium Dei parere, & vt conseruaret oculos meos, vt possem eam videre; linguam, vt possem eam laudare; manus, vt possem ei seruire; pedes, vt possem ire ad seruitium suum; genua, vt possem adorare Dei Filium in gremio suo.* Hucusque ibi sanctus Doctor. Et Deus, qui humilia respicit, & trementem sermones suos, respexit humilitatem ancillæ suæ: & quæ ancilla fieri optabat Virginis Matris, ipsa Virgo Mater electa est. Et quidem quo tempore fuit à Gabriele inuenta, in ista, vel certè in simili detinebatur contemplatione.

B. Virgini septem petitiones.

A Deo exaudita.

Et antequam hoc explicemus, placet referre & refellere impudentissimum errorem Lutheri: hic in postilla maiore circa Euangelium de Virginis Annuntiatione, non solùm affirmat parentes Virginis obscuros fuisse, & vitam sordidam & abiectam degisse; verùm etiam in dubium reuocare ausus est, vtrùm eo tempore, quo fuit salutata Deipara, apud aliquos fabulantem, vel rei fortassis culinariæ vel agrariæ incumbentem, Angelus inuenerit. Ita refert doctissimus Canisius lib. 3. de Maria Deipara cap. 1. §. *Mirum.* & §. *Sed antiquum.*

Lutheri impudentia notatur.

Sed impudentia & figmentum Lutheri refellitur, & intentum explicatur primò ex illo Luc. 1. *Ingressus Angelus ad eam*, &c. in quem locum Ambrosius lib. 2. in Lucam cap. de salutatione Mariæ & eius turbatione sic loquitur: *Sola in penetralibus, quam nemo virorum videret, solus Angelus reperiret, sola sine comite, sola sine teste. Ne quo degenere depranaretur affatu, ab Angelo salutatur.* Idem dicit lib. 2. de Virginibus colum. 2. ante medium, & lib. 2. Officiorum cap. 18. Secundò, idem tradunt alij: Euseb. in Euangelium Feriæ 4. Dominicæ 4. Aduentus, Andreas Ierosolymitanus in Sermone de Annuntiatione apud Surium, 5. *Gabriel igitur.* Hieronymus Epistola 7. quæ est ad Lætam, post num. 22. Citat quoque Canisius in eo cap. 5. *Deinde cæcis.* Vitus Theodorus in breui Euangeliorum explicatione in cap. 10. Lucæ, dum explicat illud, *Mariæ optimam partem elegit.* Ac denique, præter alios, sanctus Bernardus Hom. 3. in laudibus Virginis super *Missus est*, in illud, *Et ingressus Angelus*, &c. ait, Virginem in secreto cubiculo, & forsan clauso super se ostio, orasse Patrem in abscondito, cùm illam Angelus salutauit.

Sola Virgo esset in oratione Virgo, ab Angelo salutatur.

Et conuenientissimè quidem: etenim si conceptio Præcursoris fuit Zachariæ patri, in sacro officio occupato, denuntiata, vt dicitur Luc. 1: multò conuenientius fuit, vt conceptio Saluatoris denuntiaretur sanctissimæ Virgini Deiparæ, actualiter in deuotione, oratione altissimaque contemplatione existenti. Orante igitur B. Virgine Maria in hac sacra humilique æde ac demisso specu, ecce Angelus Domini ingressus est ad eam, salutauit eam; &, post sapientissimum sanctissimumque inter Gabrielem & diuam Virginem colloquium, Spiritu sancto cooperante, Mater Dei effecta est, Luc. 1.

Ad hæc arbitramur, in hac eadem domo sanctissimam Deiparam votum Deo de perpetuò conseruanda virginitate emisisse, & in illud sponsum suum purissimum consensisse. Hanc nostram opinationem non à veritate alienam esse apparebit, postquam tria demonstrauerimus: primum, sanctam Virginem vouisse Deo suam virginitatem; secundum, illam vouisse post contractum cum Ioseph matrimonium; tertium denique, quando Angelus salutauit Virginem, iam fuisse perfectè & cum omni solemnitate in coniugem sponso suo copulatam.

Ibi votum emisit virginitatis.

Et, quantum ad primum, videtur esse communis Sanctorum sententia; deducitúrque ex responsione Virginis ad Angelum, quando ab eo salutata & nuntiata, essetque à Deo in Filij sui Matrem electa, respondit, *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Hanc enim responsionem Angelo non dedisset, nisi Deo Virginem se antè vouisset, inquit sanctus Augustinus lib. de Sancta virginitate cap. 4. Idem dicunt Gregorius Nyssen. Orat. de Humana Christi generatione, Hugo Victorinus Homil. 4. de Natiuitate, Chrysostomus & alij passim cum sancta Ecclesia. Luc. 1, 34.

De secundo maior est difficultas, ac ideò

tres

De tempore tres sunt sententiæ. Prima, vouisse ante desponsationem.

tres emerserunt opiniones: Prima, Gregorij Nysseni Orat. de Christi Natiuitate, Virginem, antequam desponsaretur, vouisse. De quo certiores facti Sacerdotes, illi quæsiuerunt sponsum, potiùs suæ virginitatis custodem, quàm maritum. Idem videtur sentire D. Hieronymus, præsertim in tractatu de B. Virginis Natiuitate, quem ex Hebræo transtulit. Idem alij.

Secunda, post desponsationem ex sponsi consensu.

Secunda est D. Thomæ 3. Part. quæst. 28. art. 4. Lyrensis in cap. 1. Matthæi, super verba, *Inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto*, & in Lucam super verba, *Virum non cognosco*; & aliorum, B. Virginem iam desponsatam, cum societate & consensu mariti votum emisisse. Et conuenientem rationem Angelicus Doctor adducit loco citato, dicendo: Verùm quia tempore Legis oportebat generationi insistere tam mulieres quàm viros; quia secundùm carnis originem cultus Dei propagabatur, antequam ex illo populo Christus nasceretur; Mater Dei non creditur, antequam desponsaretur Ioseph, absolutè virginitatem vouisse.

Tertia, ante & post vouisse.

Tertia sententia esse potest, duplex emisisse votum, alterum ante, alterum post desponsationem; & ita sentire videtur beatus Laurentius Iustinianus in Sermone de Annuntiatione Virginis, vbi introducit Virginem cum Angelo in hunc modum loquentem: *Quomodo fiet istud, vt concipiam in vtero, quoniam virum numquam cognoscere me duplici voto constrinxi.* Possunt nihilominùs ex huius sententiæ explicatione duæ priores conciliari, dicendo, beatam Virginem ante desponsationem vouisse quidem virginitatem primò, sed non simpliciter & absolutè, sed sub conditione, si Deo placeret; & de isto voto locutos fuisse Auctores primæ sententiæ; sed post desponsationem, postquam Virgini diuinum innotuit beneplacitum, simpliciter & absolutè simul cum marito virginitatis votum emisisse: & antè intellexisse à Deo assumendum maritum, non violatorem, sed custodem futurum suæ virginitatis: & post desponsationem ipsi Ioseph idem reuelatum fuisse, & in illud consensisse, vt piè opinatur Lyranus in eá verba Matth. 1. *Antequam conuenirent*, &c. vbi huic quæstioni, cùm Maria esset iam desponsata Ioseph, & in domo eius, vt dixit Chrysostomus, quare non accessit ad cognoscendum Virginem? respondit, Quod modus erat iustorum non perficere matrimonium per carnalem copulam, nisi priùs vacarent orationi per aliquod tempus, implorando diuinam misericordiam, vt patet Tobiæ 8. Et tunc creditur reuelatum esse ipsi Ioseph propositum Mariæ de obseruanda virginitate: licet enim cogeretur ad matrimonium contrahendum secundùm temporis illius modum, habebat virginitatem in proposito: quod cùm Iosepho reuelatũ esset, ex communi consensu vouerunt virginitatem.

Conciliatio.

Quantum ad tertium, suppositio, Iosephum fuisse verum Virginis coniugem, etsi non quantum ad carnalem copulam, vt Patres & Scriptura docent, dubitatio esse potest, an duxerit Virginem ante Verbi Incarnationem, an post? Post duxisse aliqui sentiunt. Communior sententia est, quòd ante & quòd tempore Annuntiationis absoluta erant omnia ad verum matrimonium requisita, iamque simul in eadem domo habitasse. Probatur. Luc. 1, 26. dicitur: *Missus est Angelus Gabriel ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph.* Ratio id persuadet; quia inter alias rationes, ob quas Christus voluit de desponsata concipi & nasci, præcipua illa assignatur, vt suo & honori Virginis consultum esset, ne ipse ex adulterio natus crederetur, & Virgo tamquam fornicaria vel adultera lapidaretur. Deinde hoc expressè tenent sanctus Chrysostomus Homil. 4. in Matth. D. Gregorius Nyssenus locis antè adductis, D. Epiphanius Hæres. 78. Lyranus, & ex recentioribus, præter multos alios, Titelmannus & Iansenius, hanc altera sententia probabiliorem arbitrantur.

Ante Annunciationem Virgo desponsata fuit.

Obiectionis solutio.

Nec obstant quæ contrà adducuntur ab aliis: primò, quòd Matth. 1, 18. dicatur, *Cùm esset desponsata mater eius* Iesu *Maria Ioseph.* Desponsata, id est, promissa; ergo non habitabat cum Ioseph? quia, vt benè ibr notat Iansenius, desponsata non solùm dicitur quæ promissa est, sed illa etiam quæ iam tradita est viro. Et apparet singulariter in casu nostro: nam cùm Maria Virgo postea iam tradita esset Ioseph, absque controuersia eodem sponsæ nomine à D. Luca appellatur, dum ait, Ioseph ascendisse ex Nazareth in ciuitatem Bethlehem, *vt profiteretur cum Maria desponsata sibi vxore pregnante.* Nec quod Iosepho dixit Angelus post Filij conceptionem, *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam*, quasi ducta anteà non fuerit: nam loquitur ibi non de acceptione in coniugem, sed quoad cohabitationem cum ea; & deuotam ministrationem, vt inquit hoc loco Lyranus, à qua se abstinere cogitabat, quia mysterium ignorabat. Et hoc deducit D. Ambrosius lib. 2. in Lucam ex illis Matth. verbis, *Voluit occultè dimittere eam: Quam non accepit*, inquit, *nemo dimittit: & ideò, qui volebat dimittere, fatebatur acceptam.*

Luc. 2, 5.

Matt. 1, 20.

Igitur, vt ex dictis intentum colligamus, cùm

Nolim Mariæ, sed & Ioseph ibi virginitatem vouit.

cùm beata Virgo Maria votum absolutum virginitatis emiserit, postquam Ioseph desponsata fuisset, & ab eo ad secum habitandum in domum suam adducta, antequam ab Angelo fuisset salutata, consequens est, vt in hac sacra Nazarræa æde cum sponso suo voto perpetuæ virginitatis seipsam Deo obtulerit in acceptissimum holocaustum, fortasse hisce verbis, vt ex Abdia refert Petrus Canisius de Maria Deipara lib. 2. cap. 4. *Domine, offero tibi virginitatem meam.* & sanctus Bonauentura li. 1. Pharetræ cap. 5. ex D. Hieronymo, dum dicit: *Hæc prima inter feminas hoc constituit in corde suo, vt diceret Deo, Domine, offero tibi virginitatem; cùm hoc à nullo homine nec verbo didicisset, nec exemplo ad imitationem inuitata fuisset.*

Ioseph Incarnationis mysterium reuelatum.

Insuper in hac domo sanctus Ioseph à suspicione liberatus est per Angelum, quam habere potuit de vxore sua prægnante; & conceptionem non per hominem, sed per Spiritum sanctum operatam cognouit: mandatum accepit, vt nato puero nomen Iesus imponeret, vt dicitur Matth. 1, 21. &, vt cap. 2, 13. *Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph, dicens: Surge, & accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Aegyptum, & esto ibi vsque dum dicam tibi. Futurum est enim, vt Herodes quærat puerum ad perdendum eum*, &c. Ac deinde ex Ægypto reuersi in terram Israël & ciuitatem Nazareth, in hac eadem domo, sicut & in alia, habitasse probabilitate non caret.

Domus centrum orationis & laudis.

Hoc denique tamquam certissimum affirmarem, fuisse hanc sacram ædem continuam orationis & Dei domum, in qua coram Deo, etiam carne induto, & in sacratissimo tabernaculo humanitatis recondito, preces fundebant Maria & Ioseph; non secùs ac duo illi Seraphim, qui apud Isaiam coram Domino sedente super excelso & eleuato solio clamabant alter ad alterum, & dicebant: *Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria eius.* Isa. 6, 1. Ita Maria & Ioseph, velut duo alij terrestres Seraphim, puritate & amore non ad tempus à carnali complexu se abstinentes, vt vacarent orationi, vt pij alij coniuges secundùm Pauli consilium faciunt, 1. Cor. 7, 5. sed perpetuò, vt perpetuò contemplationi & meditationi diuinisque laudibus vacarent coram Deo; quem nedum mentis, sed etiam corporis oculis contemplabantur. Et quia isti non erant à Deo diuisi, vt alij coniuges, propter mutuum rerum temporalium affectum, vt docet idem sanctus Apostolus, sed ambo eidem coniunctissimi; quia vnanimiter quæ Domini sui erant, quærebant ex toto corde, ex tota anima, & ex omnibus viribus suis. 1. Cor. 7, 32. Quare domum hanc, meliùs templum, Dei cælestem in terris paradisum, Deique & electorum eius Sanctuarium, quàm terrenam domum, meritò appellabimus.

Digitized by Google

CAPVT II.

Sacri templi Dominicæ Incarnationis excellentiæ ratio præcipua.

DVm mecum ipſe conſidero ſacratiſſimi templi Annuntiationis Mariæ Virginis & Incarnationis Domini dignitatem & excellentiam, vellemque eam ex parte celebrare, mihi ſeſe offert ante mentis oculos eximia illa Ieroſolymitani & Salomonici templi ſtructura tam in ſacris quàm in exteris Scriptoribus commemorata: inuenioque noſtrum hoc templum Salomonico ſimile in materiali ſtructura; quia vt in illo erant, ita & in iſto varia diſtinctaque loca & habitacula, columnæ & ornamenta egregia. Non inficior tamen ex hac parte à Salomonico Nazaræum noſtrum ſuperari: amplitudine ſiquidem, diuitiis, opibus & materialibus ornamentis longè iſto præſtantiùs fuit, ſed hoc ſpirituali cæleſtique dignitate longo interuallo, vt corpus vmbram, figura veritatem, illud ſuperat: quod ex hoc dumtaxat in præſentia deprehendere placet, quòd in iſto Verbum caro factum, ſe pro nobis Æterno Patri acceptum obtulit ſacrificium.

Templum Annuntiationis Salomonico cõparatur, atq; præfertur.

Diuiſio interioris partis templi, quam ſemel in anno ingrediebatur ſummus Sacerdos.

Inter alias Salomonici templi partes præcipua erat illa interior; quæ, propter eius dignitatem, excellentiam & ſanctitatem, *Sanctum, Sancta ſanctorum* & *Oraculum* appellabatur. Et, propter diuinam loci maieſtatem, ſemel in anno ſolus introibat ſummus Sacerdos, innocens, impollutus, & cùm eo nullus hominum ingrediebatur; ibique ſacrificia & preces offerebat. Intra Sancta ſanctorum erat Arca fœderis, intus & foris laminis aureis contecta; & in illius medio poſita velut ſol fulgebat: cuius ſupereminens pulchritudo admiranda potiùs quàm verbis explicanda. In qua ſumma cum religione aſſeruabantur tabulæ legis, manna & virga Aaron, quæ miraculosè floruerat. Supra Arcam verò erat Propitiatorium aureum, alias etiam Oraculum dictum, intra alas duorum Cherubim ſupra ſolis fulgorem ſplendens, diuinam repræſentabat Maieſtatem: quaſi ſedes Dei loquentis erat, vnde oracula & reſponſa dabat. Et hæc quidem fusè inueniuntur tam in veteri quàm nouo Teſtamento, apud Ioſephum & alios Scriptores, qui de templi Salomonis ſtructura Tractatus ediderunt: quæ breuiter indicata liceat ad intentum aptare.

Sancta ſanctorum, præcipua & interior templi pars: nónne ſacrum antrum & ſacellum noſtrum Annuntiationis dices dignius maiori templo, quod circa ipſum fuit auguſtè conſtructum, & intra quod incluſum? Ingrediebatur ſemel in anno ſummus ille Pontifex, Chriſti perſonam ſingulari ritu præfigurans, oraturus & ſacrificia oblaturus pro ſuis totiuſque populi peccatis: at in noſtro hoc ſacello Verbum Patris, Sacerdos in æternum, ſemel ſacerdotalibus, vt ita loquar, humanitatis veſtimentis in officina virginalis vteri per Spiritum ſanctum elaboratis indutus, preces & ſacrificia, non quidem hircorum vel vitulorum, ſed ſuimet pretioſi Corporis pro totius mundi ſalute obtulit. Et ecce dignitas & excellentia huius ædiculæ, non minùs ac cælum ipſum illuſtris; & nobis ſanè iucundior & vtilior, quòd in ea Chriſtus Ieſus primò ſeipſum obtulit Æterno Patri viuificum & acceptum ſacrificium, ſuper altare vteri Virginis ſacratiſſimæ, templum Domini, ſacrarium Spiritus ſancti, & nobiliſſimi ſacrificij electam menſam: & hac quidem ratione primò his nobiliſſimis titulis beatiſſima Virgo condecoratur, ac deinde celebratur noſtra cæleſtis ædes.

Chriſtus ſemel in hoc ſacello vt Sacerdos primum obtulit ſacrificium.

Et vt quod propoſuimus meliùs intelligamus, ad memoriam reuocanda eſt doctrina quædam de Incarnatione Domini Theologica. In myſterio diuinæ Incarnationis plura ſigna ſiue inſtantia conſiderantur. Primum eſt, in quo Verbum Patris naturam humanam ſingularem ſibi perſonaliter copulauit: alterum, in quo Chriſti anima beatificata fuit: tertium, in quo fuit factum miraculum. Miraculum verò fuit, quòd animæ gloria, quæ ſecundùm legem redundare debebat in corpus quod informabat, ipſumque ſuo modo beatificare, cohibita fuit; tuncque factum fuit, vt idem homo Chriſtus, beatus & viator, impaſſibilis & paſſibilis eſſet, & moriendi neceſſitatem haberet. Quod aduertens Chriſtus, in quarto inſtanti, vt rem Deo acceptam nobiſque proficuam & vtilem faceret, ſe in hoſtiam acceptabilem Deo Patri obtulit. Hanc doctrinam ex parte ſcriptam reliquit Regius Pſaltes Pſal. 39, 7. vbi in perſona Chriſti ſic Patrem alloquitur: *Sacrificium & oblationem noluiſti: aures autem perfeciſti mihi. Holocauſtum & pro peccato non poſtulaſti: tum dixi: Ecce venio*, &c. & clariùs idipſum ex Propheta docet diuus Paulus Hebr. 10, 5. *Ingrediens mundum* Filius Dei *dicit: Hoſtiam & oblationem noluiſti: corpus autem aptaſti mihi: holocautomata pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi: Ecce venio*, &c. Ac ſi clariùs dixiſſet: O mi Pater, optimè noui, vetera hircorum & taurorum ſacrificia tibi ex ſe non fuiſſe accepta; quæ ſi aliquando accepiſti, vt Abel,

In Incarnatione plura ſigna conſiderantur.

Noë, Abraham, & aliorum, non propter seipsa, sed propter offerentium fidem & pietatem; cuius defectu repulisti alia Cain, & similium hominum. Et si offerentibus deleta fuere peccata, fuit virtute mea; quia in me crediderunt, & ad me respexerunt. Ecce nunc, ex quo meæ diuinitati passibile corpus copulasti, non exspecto tempus mortis, in quo omnia consummabuntur quæ de me Prophetæ vaticinati fuerunt; sed modò ab vtero tuo egressus, & ingressus alterum Virginis, offero meipsum tibi in hostiam, & electum acceptumque ex natura & virtute sua sacrificium, quo tu lauderis, humani generis remittantur peccata, tibi ex iustitia pro commissis debitis sit satisfactum, & in me credentes gratiam & gloriam consequantur. Et hoc primum sacrificium in hac sacra æde & altari Virginei vteri celebratum est. Ideò meritò Dei Filius ad
Psal.21,11. suum Æternum Patrem dicere potuit: *In te proiectus sum ex vtero: de ventre matris meæ Deus meus es tu.* statim enim ac in sacra ista æde, & virgineo vtero, Dei Filius figuratus est caro, totum se obtulit Deo Patri Iesus Christus. Lege ad Hebræos caput 9.

Quare in Tabernaculo nullus homo cum Sacerdote. Leuit. 16, 17. Hebr. 9,7.

Cùm de Sacerdote in Sanctuarium ingressuro sermo est in Leuitico, hoc præcipitur: *Nullus hominum sit in tabernaculo, quando Pontifex Sanctuarium ingreditur.* quod posteà obseruandum erat ædificato Ierosolymis templo, quando in eius Oraculum, siue Sancta sanctorum, summus Sacerdos ingredi debebat. Et quid in hoc præfigurabatur? Dicerē, aliis omissis, triplex mysterium: Primò, solitudinē Virginis, quando ad eam Verbum Dei & Nūtius eius accessit. *Sola in penetralibus*, inquit sanctus Ambrosius lib. 2. in Lucam in initio, *quam nemo virorum videret, solus Angelus reperiret: sola sine comite, sola sine teste, ne quo degenere depranaretur affatu, ab Angelo salutatur.* Secundò, in Incarnationis Dominicæ Sacramento hominis quidem naturam ex Virgine esse assumendam à Filio Dei, non tamen hominis, sed Spiritus sancti operan-
Luc.1,35. te virtute, vt ad Mariam dixit Angelus. Tertiò, vt indicaretur virtus & sufficientia oblationis Christi; quæ sola sufficiens erat ad reconciliandum nos Deo Patri, & æternam vitam largiendam; & alio non indigere: quemadmodum & quando in Calvariæ monte oblatum & consummatum fuit per mortem sui corporis holocaustum, noluit illud inter iustos & sanctos offerre, sed inter sceleratos hominesque nequam; quoniam ad opus redemptionis non indigebat opere cuiusuis Sancti, sed ipse sufficientissimus erat pro omnibus peccatoribus à morte redimendis. Quod clarissimè docuit D. Petrus, dicens: *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustis*, &c. & eius Coapostolus Paulus: *Dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* & iterùm: *Neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introiuit semel in Sancta, æterna redemptione inuenta.* Et pluries alibi in Scriptura idem inuenitur; & docent sancti Patres & Scholastici Doctores.

1. Pet. 3, 18.

1. Tim. 2, 6.

Arca Dei parum significat.

Sed quid Arca in Sancto sanctorum posita & Propitiatorium inter Cherubim in ea adumbrabant? Arca beatissimam Virginem: tali enim appellatione ab Ecclesia & sanctis Patribus nominatur; non quidem vt illa materialis auro coruscа, sed donis gratiarum & virtutum fulgens, & vt Sol electa: tantaque illius puritas & dignitas, vt maior sub Deo intelligi nequeat. Vbi non quidem lapideæ legis tabulæ inueniuntur, sed lex Dei scripta in corde eius; in cuius meditatione & consummatione die ac nocte versabatur: nec manna veteris Testamenti, sed dulcedo diuinarum immissio-
Heb. 9,12. num, & ipsum Verbum Dei, *Manna absconditum* à Ioanne appellatum, positum est: nec virga Aaronica illa, sed custoditur alia inflexa iustitiæ & integritatis, de qua Isaias
Apoc.2,17. cap.11,1. *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet*; virga, in qua nec nodus originalis nec cortex actualis culpæ fuit; *& requiescet super eum spiritus Domini*, &c.

Propitiatorii. Deum Psal. 45,5.

Et ecce Oraculum & Propitiatorium, Diuina Maiestas in illo præfigurata: *Deus in medio eius, non commouebitur*, Propitiatorium Virgini, quia numquam ab ea auersus Dominus, sed ad eam conuersus & propitius semper fuit. Oraculum, quia ab eo per Nuntium suum intellexit, quòd conceptura & paritura esset Regem, qui clausstrum virginitatis suæ non violaret.

Angeli, custodem & nuntium Virginis.

Et quid duo Angeli se mutuò aspicientes portendebant? Dicerem, duos sublimissimos cælestes spiritus ad Virginem missos, custodem alterum, alterum cælestis consilij nuntium Gabrielem: qui stupentes, mu-
Virginis excellentiam mirantur Angeli. tuò se respiciunt, contemplantes effusionem diuinæ bonitatis infantulæ Virgini communicatam; quòd filia Adæ non culpam sentiat Adæ, quòd terræ habitatrix sit purior cælo, quòd in deserto huius mundi sit paradisus, & hortus cælestium deliciarum inueniatur, & super mulieres benedicta, vt Anselmus dixit, Angelos vincat puritate, & omnes Sanctos superet pietate; & quæ filia iræ, filia vindictæ ex suis progenitoribus esse debebat, dono Dei sit effecta Æterni Patris filia, Sponsa Spiritus

sancti

ſancti Immaculata, & Vnigeniti Filij Dei vera ac naturalis Mater. Vnde ad inuicem
Cant.6,9. mihi videntur dicere: *Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi aurora conſurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt caſtrorum*
Cant.3,6. *acies ordinata? Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum, ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuerſi pulue-*
Cant.8,5. *ris pigmentarij? Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto, deliciis affluens, innixa ſuper dilectum ſuum?* Et ex his elucet quanta ſit excellentia ſacratiſſimæ iſtius ædis, quam ſibi ſancta Trinitas in peculiarem elegit habitationem; ad quam miſit è ſupremo cælorum habitaculo nuntium ad Mariam Virginem deſponſatam Ioſeph, vt intelligeret, quæ gratia plena erat, & futuram Deo pleniorem, in qua Verbum caro factum eſt, & ſe pro nobis obtulit oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuauitatis: & nos igitur hanc venerantes, pro collatis in humanum genus beneficiis Deo gratiarum actiones reddamus, eidem noſmet ipſos in perpetuum obſequium & holocauſtum offeramus.

CAPVT III.

Cauſa & traditio quædam deſtructionis eximij templi Annuntiationis, & tranſlationis ſacræ ædis Nazarenæ ad partes Chriſtianorum.

3.Reg.6. 12. &c.9. 3.&c.11. 10. VT quondam ſanctum illud & toto terrarum orbe celeberrimum templum Salomonis fuit propter peccata deſtructum & deſolatum, vt pluribus in locis docent ſacræ Litteræ; ita propter eadem arbitramur in pœnam iniquorum hominum deſolatum hoc illuſtriſſimum templum Annuntiationis B. Mariæ Virginis; & ſacra ædes inde mirabiliter ſublata eſt, & ad oras fidelium tranſlata: ea eſt enim peccati malignitas, vt propter ipſum Deus de templo & domo ſua iudicium faciat, vt hoc pacto in delinquentes animaduertat. Hinc per Ieremiam dicebat perditis illius temporis
Ier.7,4. Iudæis: *Nolite confidere in verbis mendacij, dicentes: Templum Domini, templum Domini, templum Domini eſt: Quoniam ſi benè direxeritis vias veſtras, ... habitabo vobiſcum in loco iſto, in terra, quam dedi patribus veſtris à ſæculo & vſque in ſæculum.* ſin minùs, & templum, & quidquid in eo erat, deletum iri. Et Ezechiel ad peccatorum deteſtationem excitabat, quòd illa ſplendorem templi obſcurauerant, &
Ezech.43, 10. deſtruxerant, templi vaſtatione propoſita: *Oſtende*, inquit, *domui Iſraël templum, & confundantur ab iniquitatibus ſuis*, &c. Ita videtur dicendum in propoſito de hoc noſtro ſacratiſſimo templo: ſed non ſimiliter ac de illo Iudaico, quia illius nulla ſupereſt memoria; quoniam & Iudaica lex penitus abolita eſt; at noſtrum Chriſtianum tranſlatum eſt ad gentem facientem fructum in tempore ſuo: & in loco tranſlationis, etſi, quod ad ſacræ ædis decorem & ornatum conſtructum fuerat, demolitum ſit; omnium tamen extat memoria, quia Chriſtianorum ſunt, quorum lex & Eccleſia manet in æternum.

Religionis deſertio.

Sed quodnam illud peccatum tanti mali cauſa? Infidelitas & deſertio Chriſtianæ religionis. *Porrò quod ad ſacrum Angelicæ ſalutationis domicilium attinet:* (ait Adrichomius in Zabulon num. 73.) *id cùm multo tempore hic frequentatum, & in honore habitum fuiſſet, Palæſtina Chriſtianam religionem repudiante, ab Angelis admiranda ratione Flumen, quod Illyrij oppidum fuit, delatum eſt.* Ergo, ſecundum Adrichomium, cauſa tranſlationis ſacræ ædis ex Palæſtina ad partes Chriſtianorum fuit infidelitas.

Luxuria, & regnandi libido, & crudelitas cauſa calamitatis huius templi.

Verùm cùm multò ante tranſlationem illius, & ante recuperationem Palæſtinæ ſub Godefrido, & poſt illius amiſſionem ab infidelibus occuparetur, & tamen ex ea non fuit tranſlata ſacra domus: ideò non improbabiliter addunt alij, cauſam tranſlationis & deſtructionis fuiſſe nimiam regnandi libidinem, effrenem laſciuiam & ſæuam crudelitatem; ſcelera, quæ Deus & eius humillima, puriſſima & pia Mater nimium execrantur. Hoc probant ex quadam traditione Nazaræorum, quam hîc tibi ſubijcio.

Martyrum relatio.

Cùm Epiſcopus quidam (quem incolæ huius regionis in referenda hiſtoria, ſiue traditione, *Veſcof* appellant) circa annum Domini 1268. præeſſet ſacræ Nazarenæ vrbi, & aliis circumiacentibus oppidis & villis à Chriſtianis habitatis; habitaretque in ædibus Epiſcopalibus ſacri templi Dominicæ Incarnationis, in quibus nunc habitant Franciſcani Fratres: cùm, inquam, intellexiſſet hic Epiſcopus, exercitum quemdam numeroſiſſimum Mahometiſtarum occupaſſe magnam Palæſtinæ partem, ſuæque ditioni appropinquare, nec poſſet hoſtis illam expugnare, propter optimam habitantium vnionem & concordiam; impium hoc ſæuus & callidus hoſtis excogitauit & impleuit conſilium, corrumpere ſecretò Epiſcopum pollicitationibus & muneribus, vt illius operâ regio ad illius manus deueniret. Facilè quod intendebat Mahometiſta obtinuit ab impio & proditore Epiſcopo; qui etiam timebat vnà cum officio & vitam amittere. Itaque, ob tem-

porale commodum tradidit vrbem & ciues infidelium direptioni. Quod in hunc modum accidiſſe dicitur: Erat in ſancta Ciuitate campanile (& illud creditur, quod nunc extat, de quo iam diximus Cap. 14) & ſupra ipſum magna campana, quæ pulſabatur ad congregandos nedum in vrbe ſed etiam in proximis villis habitantes, vel ad Sacra facienda in templo, vel ad ſe muniendum contra hoſtium inſultus, vel ad alia negotia quæ ad commune bonum ſpectant. Itaque vehementi ſono aliquando, iuſſu Epiſcopi, fuit pulſata campana; & collecti ciues, & diſperſi in pagis & villis ad ſacrum templum conuenerunt; &, clauſis ianuis, ita illos eſt allocutus Epiſcopus:

Epiſcopi ſermo ad concluſos in templo ſubditos.

Durum & difficile nobis eſt tam numeroſo militum exercitui terram iſtam vaſtanti & opprimenti reſiſtere: videte quomodo breui hanc ſibi totam ferè regionem comparauit, ſuoque cultui ſubiecit, & quid nos pauci facere poterimus? melius eſt vt animabus veſtris, vxorum & filiorum parcatis, vos tradendo poteſtati illorum, eorumdemque religionem ſuſcipiatis, quàm ferro & igne ab illis conſumi. Vnum ergo ex his eligite, vel crudelem mortem, vel Mahometiſtarum imperium & legem iuxta Ducis exercitus præſcriptum. Ille (qui forte ſchiſmaticus & hæreticus erat) Mahometica viuendi licentia illectus; & ne protinus dominio priuaretur, amplexus Mahometicam immunditiam & ſuperſtitionem, tiaram in dulibantum conuertit; & ex paſtore, non quidem mercenarius, ſed lupus effectus, hoſtium auxilio deſæuit in Chriſtianos illos, & interfecit illos; quoniam maluerunt magis glorioſam mortem pro Chriſto ſufferre, quam veram Religionem pro impia & immunda ſuperſtitione deſerere. Et non ſolùm in oues illas innoxias ſuam exercuit ſæuitiam & rabiem immanis ille lupus; ſed, vt ampliùs conteſtaretur ſe Chriſti & eius ſanctiſſimæ Matris hoſtem, ſanctam Ciuitatem, quæ vtrumq; aluit, & templum egregium & illuſtriſſimum vaſtauit, parte Septemtrionali excepta, vbi ſuum erat palatium & annexum ſacellum: quod fortè etiam funditus euertiſſet, niſi fuiſſet à Deo prohibitus, & ſuæ domus iacturam non timuiſſet. Atque hoc pacto cum tanta Chriſtianorum cæde vaſtata fuit ſancta Ciuitas, & magna Eccleſia Annuntiationis ſanctæ Mariæ Virginis deſolata, totaque regio ſub Mahometiſtarum tyrannidem redacta. Et hæc quidem ſenes Nazareni, vt acceperunt à ſuis maioribus, tradiderunt Fratribus nunc in ſancta deſolata ciuitate habitantibus.

Epiſcopus fit Mahometanus, & in ſubditos ſæuit, & eos deſaniit.

Hæc tam enormia crimina deteſtatus Dominus & ſanctiſſima eius Mater, iuſſit Angelis vt inde ſacrum ſuum domicilium, ſolis relictis fundamentis, ad Chriſtianorum partes deferrent. Et probabile hoc videtur; quia poſteà, ob ſimilia crimina, eadem ſacra domus, quia non multùm æſtimabatur, quia multi illius occaſione occidebantur, & ex tanto theſauro inter ipſos Fratres iurgia oriri cœperunt, ſecundò, tertiò & quartò tranſlata fuit, vt breuiter citatus notauit Adrichomius, & nos pluribus explicabimus Capite ſequenti.

Atque hinc vides, quomodo, vt quondam, ob peccata Regis Salomonis, luxuriam, ſuperbiam, ſæuam idololatriam Tophet, Deique contemptum fuit Iudaicum templum deſtructum; ita poſteà noſtrum hoc Chriſtianum, ob vnius præcipuè Principis delicta, tantam paſſum eſt iacturam.

CAPVT IV.

Difficultas contra dicta in præcedentibus, & hiſtoria tranſlationis ſanctæ domus Lauretanæ recenſetur.

MVltorum pulſauerant mentes quæ recenſuimus, dubitantes & de veritate ſacræ ædis Nazarethæ, & de eiuſdem ad fidelium partes tranſlatione. Diximus, in ſancta ciuitate Nazareth viſitari ſacrum illud domicilium, in quo Angelo nuntiante B. Virgo Maria concepit Saluatorem mundi. Sed innuimus etiam, idem fuiſſe in Italiam tranſlatum, & magno fidelium ex omnibus mundi partibus concurſu in Lauretana ciuitate veneratione habitum: ſi ergo hîc honoratur, quomodo in Nazareth inuiſitur? An idem erit in duobus à ſe inuicem diſſitiſſimis locis, in Oriente & Occidente, in Palæſtina & in Italia, in Nazareth & in Laureto?

Antequam propoſitæ difficultati reſpondeam, placet hîc ſubijcere hiſtoriam tranſlationis ſacræ domus Lauretanæ, prout eam ex grauibus Auctoribus collectam retulit Caniſius lib. 5. cap. 25. de Maria Virgine; ſic autem dicit: *Lauretanam Virginem loci ratione vulgus appellat; cùm Lauretti adem ſibi ſacram, ac toto ferè orbe celebratam, multis iam annis ſibi Deipara vendicet. Eſt autem Lauretum in agro Picено, vel, ſicut nunc loquuntur Itali, Recanatenſi, non ita procul ab vrbe Anconitana ſitum. Illic Mariæ domicilium, ſine, vt tritiori vocabulo vtar, cubiculum viſitur, ſuo, vt olim, cæmentolapideaq; ſtructura cohærens, quatuor adhuc parietibus conſtans: mirandum ſanè, haud minùs quàm venerandum vetuſtatis monumen-*

Hiſtoria tranſlationis Lauretanæ domus.

Deipara domicilium Laureti.

Ex Palæstina in Dalmatiam translatum, inde in Italiam.

mentum. Hoc verò ex Palæstina primùm in Dalmatiam translatum, circa oppidum Flumen constitit, & inde porrò in Italiam deuectum (quoniam vt par erat tantum thesaurum non æstimauerint) Lauretanos demum retinet possessores. Et post pauca ex Baptista Mantuano, sui temporis laudatissimo Theologo & Poëta: *Hoc sacrum cubiculum*, inquit, *primùm in Nazareth Galilææ oppido constructum, post Christum verò in cælos receptum, in domum orationis siue sacellum ab Apostolis commutatum, & diuinis vsibus consecratum, deindeq; à Christianis reuerenter habitum est, quoad Palæstina demum sub Cosrhoa Persarum Rege immanissimo Christianis adempta, in Agarenorum potestatem deuenit.* Adiungit & de Mariani huius cubiculi translatione facta: hoc enim ad Illyricum prope castellum, cui nomen est Flumen, & inde translatum per Adriaticum sinum in agrum Recanatensium; qui vix tribus passuum millibus à mari distat; ac haud ita procul ab vrbe Anconitana esse transuectum in siluam, mox etiam in via publica resedisse: siluam nobilis fuisse matronæ; quæ cùm Laureta dicta sit, nomen etiam Ecclesiæ dederit Lauretanæ.

Hieronymus Angelita historiā inuestigauit.

Nec ita multis abhinc annis vixit Hieronymus Angelita Reipub. Recanatensis à Secretis, vir valdè sincerus, ac rerum ad præsentem historiam pertinentium diligentissimus explorator, sicut eius libellus de Historia Virginis Lauretanæ conscriptus, & Pontifici Maximo nuncupatus, abundè commonstrat: ex illo pauca quædam repetere, vt magis appareat veritas, non grauabimur hoc loco. Anno à reconciliata Diuinitate nonagesimo quarto supra millesimum & ducentesimum decima die Decemb. Bonifacio VIII. Pontifice Maximo sedente, sacellum idem, quod Angelorum ministerio à Nazarena ciuitate ad Illyricos translatum fuerat, miro modo exinde Angelorum manibus transuectum supra æquora, in agro Recanatensi consedit in mediis nemoribus nobilissimæ cuiusdam mulieris eius ciuitatis, cui nomen fuit Laureta: dicta igitur Maria de Laureta, à Laureta nemoris domina muliere.

Ob peccata quæ fieri domicilij occasione committebantur, iterùm atque iterùm transfertur.

Ac rursus: Hoc sacellum à Nazaræa ciuitate ad Illyricos Angelorũ ministerio delatum est, ad oram prope oppidulum Flumen; deinde illis abreptum, miro modo in nemus primùm (verùm cùm propter incredibilem piorum hominum concursum ad illud venerandum factum sit, vt ad eos exspoliandos & necandos sese latrones abderent, ac plurimos illuc commeantes interficerent, quod scelus B. Virgo execrata est) mox in collẽ duorum fratrum translatum: cumque maxima hominum frequentia, donis ac pretiosis muneribus auctum & exornatum, fratribus hac ratione magnum quidem quæstum facientibus, sed acerbè propter lucrum dissidentibus, tandem in via publica collocatum est. Magnus est ille locus, sanctus atque terribilis, & in silentio adorandus: in quo non homo ex limo terræ, vt in agro Damasceno, sed de purissimi sanguinis virginei guttulæ substantia, nulli peccato obnoxiæ, Deus ineffabili modo factus est homo. Hæc & plura alia habes apud citatum Auctorem in commendationem illius sacræ domus & Nazarethæ ciuitatis. Possunt de hoc argumento videri Baronius Tom. 1. Annal. Rutilius, Benzonius, & alij Auctores ab his citati. Itaque si hæc tot celeberrimis testibus & communi fama commemorata vera sunt, quid dicendum ad ea quæ ex communi traditione de sacra Nazarea æde antè notauimus?

Responsio prima, sacellum Nazarenæ domus fuisse nouæ Eccles. illustratum.

Propositæ difficultati multipliciter respondetur. Primò, Ioannes Franciscus Alcarotus Canonicus Cathedralis Ecclesiæ Nouarien sis in suo Itinerario Terræ sanctæ Italicè conscripto lib. 2. cap. 19. dicit, post sacri domicilij è Nazareth translationem fideles situm illius amplissima Ecclesia circumdedisse sub nomine Annuntiationis B. Mariæ Virginis.

Obiicit.

Obijcier fortasse quispiam, hæc refragari, quòd Mauri non permittunt Christianis nouas Ecclesias ædificare, & Nazaræam Ecclesiam non apparere recentiorem Lauretana domo; cùm tamen huius respectu recentissima apparere deberet, quia ædificata non nisi circa annum Domini 1294. Bonifacio VIII. sedente, quando inde Lauretana translata dicitur. Et Ecclesia, quæ hisce temporibus in Nazareth ad honorem Annuntiationis S. Mariæ Virginis inuisitur & colitur, non est amplissima, sed angusta; & quæ hanc circumdat amplissima, ab antiquo demolita fuit; & sanè non à Christianis ædificata, postquam vltimò Terra sancta tyrannidi Mahometistarum cessit.

Soluit.

Respondetur, Turcas nummis & muneribus concedere vt reædificentur Ecclesiæ, etsi non fortè illas à fundamentis erigere; & industria ab eisdem multa obtinentur, aliàs eorum ordinibus contraria. Nec obstat, Nazaræam non videri recentiorem Lauretana; quoniam id non prouenit, quòd non sit multò recentior, sed quia inhabitata & derelicta per multos annos mansit: & magnam iacturam patiuntur ædificia noua, si non inhabitentur & custodiantur, vt manifestum est: vnde non mirum, si sacrum sacellum exornatum sit, & maior Ecclesia demolita.

Secunda, domum alterâ translatam, alteram relictam.

Secundò respondetur, in Nazareth fuisse duas domos Christi Domini & B. Mariæ Virginis præsentia sanctificatas, vt suprà diximus Cap. 1. præsentis Peregrinationis, vnamque mansisse in Nazareth, & adhuc ibi honorari; alteram delatam Lauretum, vbi pio fidelium concursu continuò colitur: & ita respondet Bonifacius de Perenni cultu Terræ sanctæ, quem cum aliis, quæ de Nazareth dicit, suismet verbis hic tibi subijcio: *A monte Thabor*, inquit, *descendentes ad Occidentem, parum per planitiem Galilææ procedentes, deuenimus ad viam per quam scanditur ad montem, super quem ciuitas Nazareth Christi nutricula posita est: in quo monte ista sunt. Primò, in supercilio huius montis est locus ad quem perductus fuit Christus, vt precipitarent illum; & ipse transiens per medium illorum ibat. Iuxta etiam est Ecclesia erecta à priscis Regibus Christianis in honorem sanctæ Annæ. Non longè ab ea est Ecclesia Annuntiationis beatæ Virginis Mariæ. Ad locum Annuntiationis, qui est in inferiori Ecclesia, per duodecim gradus descenditur* (ita erat tempore Bonifacij, quando ex altera parte demissioribus gradibus & ex magis eminenti loco ad sacrum locum descendebatur; & in præsentia, si omnes à solo computentur superiori, totidem & fortè plures constituerentur) *& sunt duæ columnæ porphyriacæ pretiosissimæ: vna in loco posita, vbi manebat Virgo Maria, dum ab Angelo salutaretur; altera vbi Angelus salutauit eam, stabat. Peregrini autem cùm eò peruenerint, partem diei quæ veniunt, & totam noctem in oratione consumunt. Fratres Sacerdotes, qui sunt cum eis, sequenti die manè celebrant, & alta voce cantant. Euangelium, Missus est Angelus Gabriel, & totum Officium dicunt de Annuntiatione Virginis. In eodem monte est Ecclesia sub inuocatione sancti Gabrielis, in qua alia nationes erant, & Sacrum faciunt; & sunt fundamenta domus Ioseph, in qua Christus nutritus, & educatus fuit. Fundamenta dico, quia domus illa Dei voluntate delata ad Christianas partes fuit, & nunc est in Italia, & sancta Maria de Loreto vocatur. Iuxta est fons optimas emanans aquas: qui etiam ab infidelibus fons Iesu & Virginis Mariæ dicitur. Dicunt enim viri & mulieres Nazareni, quòd B. Virgo Maria hauriebat ab illo fonte aquam, & domum deferebat, & Angeli in via custodiebant illam, & salutabant, dicentes: Salech Maria. Dicunt etiam, quòd ipse Iesus ab ista fonte domum afferebat Matri aquam; quapropter vocant fontem Iesu & Mariæ. In illa Ecclesia Salutationis Virginis Mariæ olim ab annis viginti plus minus morabantur Fratres custodientes domum & Ecclesiam. Sed postquam Nazareni in seditionem versi occiderunt aliquos Fratres, & panè omnes Christianos, derelicta domo & Ecclesia, Ierosolymam transmigrarunt, relinquentes claues cuidam probo viro Christiano nomine Issa: qui vsque nunc custodit domum, & aperit & claudit Ecclesiam, & duas lampades oleo, quod ei Guardianus sacri montis Sion dat, nutrit. Peractis igitur Missarum solemnijs, & benedicta Nazareth peregrinatione, post acceptam buccellam panis & haustum aquæ ad fontem Saluatoris, discedunt Septemtrionem versus ad Canam Galilææ.* Hucusque Bonifacij verba. Ex quibus apparet, quid respondeat ad propositam difficultatem, & quomodo se res haberent suo tempore, & ante, in sancta Nazareth ciuitate.

Angeli Mariam salutantes.

Antiquitus Ecclesia à Minoritis habitata.

Sed ob illorum cædem pluribus annis inhabitata.

Custodia per prum sæcularem.

Tertiò, Pater Frater Iacobus à Vandosma, vir in rebus agendis apprimè expertus, qui ab anno Dom. 1620. vsque ad præsentem 1626. sacræ huius Nazarethæ domus regimen tenet, post multam indaginem & considerationem ad difficultatem respondit, Lauretanam domum fuisse è sancto Nazareth loco, vbi nunc est capella Angeli superædificata, translatam.

Tertia sententia, iuxta quam domus Lauretana domus vbi nunc in Nazareth est sacellum Angelicum ex alia Annunciationis.

Nec obstat, quòd ista non recentior Lauretanâ appareat; quia id accidit, quòd non vt illa custodita sit, vt anteà dictum fuit: nec quòd ista illâ angustior sit; quoniam non adæquatè supra vetera fundamenta fuit superædificata, sed infrà super ipsum pauimentum præexistentis domus: & ex eo probat, quod inferiùs in Meridionali & Occidentali parte iuxta portam recenter factam, è muro ablatis lapidibus, deprehensum fuit vetus pauimentum, cui dicti lapides hærebant: quare cubiculum proximum antro quod superfuit, & nunc in Nazareth inuisitur, ablatum fuit ministerio Angelorum, & in situ illius, etsi non ei adæquetur, quod nunc est sacellum Angeli superædificatum: & illud mihi postea ostendit.

Obiectionis solutio.

Quam responsionem oculatus inspector P. Frater Thomas à Nouaria amplexus, pluribus explicuit in relatione à se edita de recuperatione sacræ domus Annuntiationis apud Nazaretham. sic enim ait: *Prædictus Frater Iacobus Monasterij custos, cùm eam sanctæ domus partem, quæ ad Occidentem erat sub fenestra Angeli, & ad Meridiem prope domus ianuam ruina proximam restaurare vellet, ad fundamenta vsque solvit vetustatem: quippe quæ diligenter & attentè considerata, sanctæ Lauretanæ domus fundamentum duobus palmis crassum seorsum ab alio adimentum est; quòd quidem ad sustentandam fabricam, & exornandam interiùs domum, duobus item palmis latum, ex politis lapidibus*

Digitized by Google

bus compactum à priſcis illis Chriſti fidelibus ex interiori parte adiectum reperimus. Hoc igitur dimiſſo, à vetuſto ac vero incipientes fundamento, lineamq; menſurationis rectam ab ipſo ducentes, ſumma omnium exultatione planè ſanctæ Lauretanæ domus per omnia æqualis inuentus eſt Nazareth locus, & fundamenta muris, & domus fundamentis, locusq; loco, ſitus ſitui, ſpatiumq; ſpatio, Nazareth inquam & Loreti, dempto quod dixi, omnino conuenire ac commenſurari, diuina opitulante gratia, veraciter inuenimus. His itaque ex eiſdem fontibus purè hauſtis, ad fidelium conſolationem fideliter promimus, vt nullus deinceps in re tam graui dubitandi locus ſuperſit. Sed qualiter illi viri, qui tempore Nicolai IV. ſummi Pontificis ob hoc Nazareth miſſi, tale inde probatum tulerint teſtimonium, penitus ignoro; cùm id quod nos, Deo dante, experimento fecimus, ipſi tunc temporis ſic facere minimè potuerint. Nihilominùs nec Nazareth, nec Loreti apparet, quòd fecerint. Nunc igitur id quod multis abhinc annis religionis zelo à quibuſdam deſiderabatur, ab aliis verò curioſitatis & indagandæ veritatis titulo quærebatur, ſole clarius diebus noſtris probatum remanet. Hactenus ille: qui & plura alia ad idem dicit.

Ego aliud experimentum facere nolui, contentus aliorum relatione ac traditione, credens vtramque domum ſanctiſſimam, & à Deo peculiariter electam, ſuaſque præſentia gratiis & prodigiis condecoratam. Et quomodo tanto populorum concurſu ſacra Lauretana domus frequentaretur, quomodo ſummi Pontifices tot Indulgentiis & gratiis eam illuſtraſſent, quomodo Deus optimus maximus, qui omnia ſapientiſſimè diſponit, tot miraculis & priuilegiis illam exornaſſet, ſi talis, quam diximus, & tota prædicat Eccleſia, non eſſet? & quamuis in aliquibus refragari videatur ſenſus, fallax eſt, & ſapientiſſimorum iudicio poſtponendus. Sicut etiam noſtra Nazaretha ob ſitum, in quo egregia ſunt operata miracula, & propter dicta, digniſſima, & vtraque ſummo in honore habenda ab hominibus & Angelis ipſis.

taſſe, præter P. Boniſacij teſtimonium Capite ſuperiori adductum, adeſt & illud ſenum Nazaræorum: iſti enim, quando eadem domus reſtituta fuit à Principe Sidonis Fratribus, in iudicio teſtati ſunt, illam ad eos pertinere, & antiquis temporibus in eadem habitaſſe: quibus motus Princeps, liberaliter eamdem eiſdem reſtituit, vt conſtat in ſcripturis poſterioris donationis, & qui eidem interfuerunt, mihi confeſſi ſunt. Tradita autem fuit P. F. Thomæ à Nouaria anno Domini 1620. die 19. Decembris, dum regimen locorum ſanctorum tenebat, modo quo ipſe tradit in ſua de hoc edita relatione, & ego ab eodem & aliis, qui interfuerunt illius recuperationi, accepi: quare modum ex ipſiuſmet relatione acceptum hîc tibi ſubiicio. Cùm Pater iſte Aleppi eſſet, Syriæ ciuitate, inſtitutuſque Guardianus ſacri montis Sion, & ad impoſitum ſibi munus ſubeundum Ieroſolymam proficiſceretur, appropinquans ſancto Nazareth loco; *Cùm*, inquit ipſe, *iuxta montem Thabor ad inferioris Galilæa oppidum Aain tegiàr, id eſt, fons mercatorum appellatum, peruenissem, ſecunda vice propinquum Nazareth Sanctuarium deuotionis ergò viſitare decreui; quamuis difficile tunc foret ac periculoſum vndique Nazareth pertranſire: cùm adhuc illius Nathanaëlis elogium in his perduret iniuſtis, dicens: A Nazareth poteſt aliquid boni eſſe? impauidus non minùs abij, quin imò, omni terrore depoſito, præſtantiore animi fortitudine ſanctum locum ſum ingreſſus: quem dum cum ſpecu deuota veneratione percurrerem, abiecta cuncta atque deſerta conſpiciens, intimis animi ſenſibus preſſus, erumpentibus tandem lacrymarum riuulis totus perfuſus ſum. Quamobrem inde exiens, quoſdam ſciſcitatus à Nazareth Mauros, cuius eſſet locus, cuiúſve iuriſdictionis oppidum; reſponderunt, Sidonis Principis, qui Emir faſchereddin appellatur. Quod vt audiui, quonam illic illuſtratus lumine fuerim, neſcio, vnum verè ſcio, quod de recuperatione tanti Sanctuarij ſtatim cogitare cœpi, dicens in corde meo: Principem hunc adibo, locum ſanctum petam, Deoq; omnium bonorum largitore donante, eumdem firmiter obtinebo. Quod quidem vt tunc cogitaram, ac ſuggerente ſpiritu prænoueram, poſt ſex menſes tam feliciter executum eſt; aliqua tamen languoris grauedine præcedente, in qua de huiuſmodi re iterùm prænonitus fui, vt potiùs Angelorum miraculo quàm hominum labori attribuendum ſit. Nam tanti boni intuitu, & priſtinæ recuperandæ ſanitatis ſpe ductus, adhuc conualeſcens, à ſancta Ieroſolymorum ciuitate itinere dierum ſex Sidonem vſque felici greſſu pergebam; dumq; iter pro-*

Sacra domus Nazarethana Mirabiliter anno Dom. 1620 reſtituta.

CAPVT V.

Quomodo temporibus noſtris ſacra ædes Annuntiationis B. Mariæ Virginis recuperata fuerit, & Chriſtiano cultui reſtituta: & de aliquibus caſibus qui ibi & habitantibus acciderunt.

SAnctam Annuntiationis beatæ Virginis Mariæ domum olim ad Franciſcanos Fratres pertinuiſſe, & in eadem habi-

prosequebar, laxabatur morbus, valetudo augebatur quotidie. At ibi tandem non inuento Principe, in comitatu D. Baptistæ Tarchet, pro Christianissimo Rege totius Palæstinæ Consulis, D. Alberti Gardana, olim Sidonis item Consulis, D. Francisci Lebar Terræ sanctæ Procuratoris, ac D. Raphaëlis Nauis sancti Victoris Rectoris, Berithum Phœnices vrbem, vbi prædictus Princeps nouo domus & nemoris delicio tenebatur, profectus sum. A quo non solùm benignissimè visus, verùm & omni liberalitatis officia, in solito residentia palatio ad duplex conuiuium quàm humanissimè exceptus sum. Cui tandem mei aduentus causam breuiter exposui, piumq; desiderium construendi sanctum Nazareth locum patefeci. Quo audito, Princeps subridens ait: Vtinam mihi libera tribueretur facultas! multò enim maiora pro Christianis facerem, quàm tu existimas. Nam non modò quem nunc petis, verùm & alia multa domini mei loca tibi Fratribusq; tuis gratis ac liberè concederem, si is, qui nunc tenet, de medio fieret. Nihilominùs ad præsens, vt tuis piis honestisq; votis satisfaciam, sanctum Nazareth locum tibi concedo, concessumq; in posterum decerno: at vt hoc firmius ita sit, ad hæc etiam tibi iniungo, vt meis acceptis epistolis Sapheth, superioris Galilææ Cadi, id est Iudicem, adeas, ac ab ipso, iuxta Mahometanorum leges, possessionis instrumentum obtineas volo: & vt omnia ex sententia fiant, ego ipse crastina die vobiscum Sidonem contendam, vbi vnà cum Principe Abi filio meo vestrarum litterarum expeditionem illicò fieri mandabo. Quibus auditis lætus, illi innumeras egi gratias, ceteriq;, qui mecum aderant, omni gaudio repleti similiter fecerunt. Sed hîc valdè mirandum est, qualiter Princeps iste, omni dilatione submota, prompto hilariq; animo sanctum Nazareth locum nobis gratis tradiderit; quinimò & longè à communi omnium Turcarum vsu, etiam eleemosynas ad ipsum restaurandum sponte elargitus fuerit, alia quoque Galilææ deuota & sancta loca liberè repromiserit; ac tandem omnibus humanitatis officiis nos prosecutus, qualiter ipsis etiam Nazareth senioribus efficaciter commendatos voluerit, admirabile inquam est. Nam post aliquot dies, cùm tres illorum primores, qui ad se pro aliis venerant negotiis, recepisset, omnibus illis expeditis, vt Fratrum & sancti loci curam haberent, summoperè commendauit; ac omnia fauoris & gratiæ, quæ in eosdem contulisset, in se collata fore non modò verbis, sed etiam rebus expressit, dicens: Tria boum iuga cuique vestrûm, videlicet vnum ex annuis redditibus meis, quos à Nazareth iuxta Principis iura accipio, dono liberè, vobis concedo, ob hoc tantùm, vt Fratrum sollicitam curam geratis, locumq; sanctum eorum custodiatis, ac mea auctoritate ipsum conseruatum velitis semper: quod si secùs, quàm de vestra obedientia mea sibi promittit humanitas, acciderit, pro certo sciatis, me de manu vestra omne illorum damnum vsq; ad vltimum quadrantem requisiturum, & cetera mala, tum à vobis cùm ab alienis ipsis illata, in vestram tantùm ruinam & vitæ periculum reiq; familiaris iacturam casura arbitremini. Meam ergo perpendite voluntatem, vestrumq; casum pertimescite: prudentes enim viri rarò vel numquam fortunæ succumbunt. His dictis, eos humaniter dimisit. Hæc omnia, vt nunc præfata sunt, paulò pòst, Deo misericordiarum Patre disponente, ita feliciter euenerunt, vt nihil nobis optatius accidere potuerit. Anno igitur salutis 1620. à Sidoniorum vrbis Principe commendatitiis acceptis epistolis, atque à Sapheth Cadi omnibus exinde ad negotium pertinentibus obtentis, comitatus à quodam Gubernatoris Sapheth Chiaus, ac militibus eius munitus in via, vnà cum P. F. Iacobo à Vandomo Sacerdote, & F. Francisco Salite Siculo, ac infrà memoratis testibus, ad sanctum Nazareth locum die 19. Nouembris in Sabbato peruenimus omnes. Ibiq; Principum litteris expositis, Cadiq; decretis coram testibus lectis, præfati Sanctuarij liberam iuris possessionem, nostra atque etiam communi eorum lætitia, illo eodem die solemniter accepimus, testimoniis fide dignis præsentibus, D. videlicet Oliuerio Chiaual, Sidonis Consule præterito, D. Alberto Gardana olim Consule, D. Francisco Lebar sanctorum locorum Ierusalem Procuratore, & D. Amerio Nobili Massilienfi: qui quidem omnes nobiscum ad tam dignam, memorabilem ac sanctam conuenere lætitiam. Locum igitur sanctum ingressi, in cuius fundamentis olim Lauretana extabat domus, ad sacrum specum, vbi beatissima Virgo Maria ab Angelo salutata fuit, introducti, piè, religiosè ac deuote cultu vtrumque, quasi corporis oculis Verbum humanatum spectaremus, venerati sumus. Deinde delubrum tam dignum, tamq; celebre Sanctuarium purgare cœpimus, antiquissimum Annuntiationis altare à Christianis erectum benediximus, lampadibus locum sanctum ornauimus, antrum non ita clarum luminibus collustrauimus, ac demum, omnibus diuino cultui benè dispositis, Vesperas Sabbati vltimæ Dominicæ Aduentus solemniter cantauimus. Quibus expletis, ac Completorio, illic quidam à Nazareth Mauri, Arabes, Christiani superuenerunt, qui quæ à priscis memoratu digna certaq; traditione acceperunt, nobis per ordinem commonstrabant, ac miracula, quæ Deus per merita beatæ Mariæ sem-

per

Digitized by Google

per Virginis illic operabatur quotidie, vnanimiter conteſtabantur: quæ quidem vix credebamus vera, cùm in teſtimonium noſtræ fidei à teſtimoniis non fidelibus dicebantur, præcipuè verò quæ de duabus columnis illic à priſcis Chriſti fidelibus poſitis ipſi narrabant: quarum vna in ipſo ſpelunca introitu, ſeu ianua, ad leuam collocata fuit, ad proprium inſinuandum locum, vbi Archangelus Gabriel perſtitit, quando ad Mariam Virginem ingreſſus eſt; altera iuxta hanc ex aduerſo, duorum penè paſſuum tractu intra ipſum ſpecum, ad illius ſanctiſſimi conſeruandam memoriam loci: in quo non ſolùm beatiſſima Virgo Maria, Dei Mater mox futura, in abdito remoto erans annuntiata fuit ab Angelo, verùm & vbi Aeterni Patris Verbum in plenitudine temporis, Spiritu ſancto cooperante, mirabiliter caro factum eſt, & habitauit in nobis. Hac quippe columna non multis abhinc annis à ſuperſtitioſis quibuſdam Mauris Africanis magnum continere theſaurum arbitrantibus, ex inferiori parte ad quinque palmos ſupra baſim detruncata eſt, reliqua tantùm deſuper ſuperſtite, miro quidem modo ad calum ſpelunca ſuſpenſa manente. Et hæc quidem ſatis ex ipſo, alia quæ proſequitur relinquentes.

P. Iacobus Vandoſmus domus reſtaurationi inſudat.

Cuſtos ſacræ domus relictus fuit à Patre Thoma itineris ſocius P. F. Iacobus qui ſupra; qui omni qua potuit ſolertia & diligentia pro ea inſtauranda ſudauit. Et quæ ſequuntur, ex eodem & aliis fide dignis accepi. Remanſit in ſancta Nazareth Pater iſte cum ruſtico huius regionis ad ſacræ ædis recenter recuperatæ cuſtodiam; & cùm apud eam nullum eſſet cubiculum vel latibulum in quod ſe reciperet, obtinuit à ruſtico villæ, vt in eius ſtabulo maneret proximo ſacræ ædi, quoad opportuniorem habitationem inueniret: totumque illi proueniens commodum fuit operimentum & beſtiarum ſocietas, quæ à frigore defendebant; ibique manſit ad 40. dies, interim ſemper terram fodiendo circa ſacram & diuiniſſimam ædem, vt meliori quo fieri poſſet modo illam accommodaret, & inquireret, num ſub ruinis aliquod cubiculum vel latibulum eſſet.

Adfuit Deus illius votis: ſed non eſt ſilentio prætereundum, quod in effodienda terra inuentæ ſunt immunditiæ & morticinia: factus, proh dolor! diuiniſſimus locus immunditiarum ciuitatis cloaca; quibus inde aſportatis, ſub ruinis maioris Eccleſiæ in parte Aquilonari inuenit muros quoſdam & dirutas habitationes, quas meliori modo quo potuit refecit, & ad habitandum ſiue latitandum accommodauit: ſexque menſium curriculo in eo ſtatu manſit, poſt quos, ob multos labores & incommoda, illorumque Maurorum perſecutiones, incidit in morbum; quieſcebatque ſuper ſtratum ex ramis arborum cum ſtorea, vbi graui & prolixo quatuor menſium languore iacuit. Venerunt in eius auxilium ex Ieroſolymis duo Fratres, qui illius curam haberent: qui maiori qua potuerunt charitate illi inſeruiebant.

Et ecce poſt memoratum tempus, cùm dolentes Fratres infirmum agonizantem obſeruarent, Dei ſingulari beneficio, & ſanctiſſimæ Virginis Mariæ patrocinio ſeruus eius conualeſcere cœpit; & in dies ſemper valetudinem cum viribus recuperans, fortis & incolumis euaſit. Qui accepti memor beneficij, à cœpto opere non deſtitit, ſed perfecit; locumque pro temporis inopia ita accommodauit, vt Fratres & peregrini hoſpitio excipi poſſent. Manſit in cuſtodia ſancti loci vſque ad annum Domini 1623. quo tempore pro negotiis Terræ ſanctæ ad Chriſtianorum partes miſſus fuit.

Eo abſente, relicta aliis Fratribus ſancti loci cuſtodia, venerunt Arabes, qui ſanctum locum omnibus ſpoliauerunt, Fratribus fugatis; ſed non Deus deſeruit omnino ſanctum locum: etenim poſt aliquot dies P. F. Ioannes Peiron Maſſilienſis rediens ex Aleppo Ieroſolymam, tranſiens per Nazareth, loci ſancti miſertus, illius adſtitit cuſtodiæ; & ſtuduit, quantum potuit, illi de neceſſariis prouidere, præſertim pro Miſſa celebranda; manſitque ibi vſque ad reditum P. Iacobi. Expletis ille in Chriſtianitate negotiis ad ſuam dilectam domum rediit: quam deſertam reperiens, multis è Chriſtianitate neceſſariis domui reparandæ delatis, iterùm ſacram ædem muniuit, & accommodauit.

Poſt 15. dies à ſuo à Chriſtianitate reditu, Aconem proficiſcens anno 1624. 14. Iunij in die Veneris, vt in naui duobus commodaret Fratribus in Chriſtianitatem proficiſcentibus, in medio viæ, inter Nazareth & Aconem, à quindecim & ampliùs Arabibus latronibus penitus omnibus nudatur; multisque in capite inflictis vulneribus, totus in proprio madefactus ſanguine, & nudus, vt mortuus proiicitur in quoddam rubetum. Illis abeuntibus, Dei & ſanctiſſimæ Virginis auxilio, cui ſemper ſe commendauit, parum reſumptis viribus, reſiduum itineris cum inuento famulo vſque ad Aconem perfecit. Quò cùm peruenisſet, mercatores Galli omni eum humanitate & charitate exceperunt. Chirurgus curæ illius ſe accingens, cranium ferè totum fractum, ne dicam contritum, inuenit; ex quo quadra-

ginta

ginta & ampliùs particulas abſtulit; quarum aliquæ erant duorum digitorum latitudinis, & trium & quatuor longitudinis: atque ei maior pars cranij ablata fuit à dextera parte vſque ad duram matrem. Propter magnum hiatum non potuit claudi apertura; verùm Dei & Virginis auxilio ſanitatem adeptus adhuc viuit, & laborat non minùs ac anteà. Et omnes credunt, eius vitam eſſe continuum B. Virginis Mariæ miraculum.

CAPVT VI.

De domo ſancti Ioſeph, ſponſi ſanctiſſimæ Mariæ Deiparæ, ſecundo loco tertiæ Peregrinationis.

Eccleſia S. Ioſeph nomen & forma.

A Sacra æde Annuntiationis B. Virginis Mariæ procedendo quantum iactus eſt lapidis ad Aquilonem verſus, inuenitur locus ab antiquo vſque ad præſentem diem ab incolis appellatus Domus & officina Ioſeph, Arabicè *Ducan*, & corruptè *Chania*, quod Latinè officinam ſignificat. Hic eſt ruſticana domus ad inſtar aliarum, vbi olim erat pulchra ædificata Eccleſia ſancto Ioſeph dicata, maior minori, & minor maiori Annuntiationis, longitudinis pedum 120. & latitudinis 50. circiter; in capite ad Orientem erant tres capellæ; & erat affabrè elaborata, vt ruinæ non obſcurè demonſtrant. Ratio nominis eſt; quia incolæ, vt à maioribus acceperunt, arbitrantur ſanctum Ioſephum vnà cum Deipara & Filio Ieſu habitaſſe, & fabrilem artem in ea exercuiſſe, poſt reditum præſertim ex Ægypto in ſuam ciuitatem Nazareth.

Quoniam adducta nominis ſancti loci ratio probabilis videtur, & habere fundamentum ex ſacra Scriptura, non erit inutile parum in ea explicanda immorari. Sanctum Ioſeph fabrum fuiſſe, concors eſt omnium Doctorum ſententia; & fundatur præcipuè in eo quòd tali nomine appellatur Matt. 13. vbi quidam de Chriſto & Ioſeph, quem non putatiuum modò ſed naturalem Chriſti patrem credebant, dixerunt: *Nónne hic eſt fabri filius?* Verùm quoniam, vt in hunc locum adnotarunt Caietanus & Ianſenius, fabri nomen commune & generale eſt omnium ferè artificum, qui ex quauis materia aliquid faciunt, non poteſt determinatè ſciri quamnam profiteretur artem: tamen nonnulli reducentes ad ſolas duas artes, ferrariam & lignariam, alteram ex iſtis exercuiſſe dicunt. Sed quamnam? Dicunt iſti ferrariam, & pro ſe adducunt diuum Hilarium Can. 14. in Matth. Bedam, Anſelmum in cap. 13. eiuſdem Matthæi.

S. Ioſeph faber fuit.

Matth. 13, 55.

Fabri nomen commune.

Alij, quorum ſententia communis & verior eſt, dicunt fuiſſe fabrum lignarium. Ita Iuſtinus Martyr in Dialogo cum Tryphone Iudæo, non procul à medio; Nicolaus de Lyra in cap. 15. Matth. & in 6. cap. Marci, Toſtatus & alij in cap. 13. Matth. Et non ſolùm Ioſephum, ſed etiam Chriſtum talem fabrum fuiſſe, manifeſtè colligi videtur ex D. Marco; vbi Chriſti compatriotæ, qui illius viuendi modum optimè cognoſcebant, fabrum per contemptum appellabant, dicentes: *Nónne hic eſt faber filius Mariæ?* & eiſdem locis idem videntur tenere Nicolaus & Abulenſis, licet ſub dubio. Nam iſte verba illa Lucæ, *Et erat ſubditus illis*, ibidem adducens, dicit quòd Chriſtus miniſtrabat parentibus in opere manuali ad ſuſtentationem vitæ: & quòd ſicut Ioſeph, qui Chriſti pater putabatur, erat faber lignarius; ſic quoque Chriſtus eum in eodem officio adiuuerit, vt pauperem vitam ſuſtentarent parentes eius. Et Nicolaus in cap. 6. Marci dicit, probabile videri, quòd Chriſtus fabrilem artem cum Ioſepho exercuit; & fundatur in eo, quòd Chriſtus non fuit occupatus in doctrina & miraculis vſque ad trigeſimum ætatis ſuæ annum. Neque anteà litterarum ſtudiis intentus fuit, ſecundùm id quod de eo dicitur, *Quomodo hic litteras ſcit, cùm non didicerit?* Idem ibi Caietan. & in 3. p. quæſt. 4.

Non ferrarius, ſed lignarius fuit.

Mar. 6, 3.

Luc. 2, 51.

Chriſtus miniſtrabat parentibus ſuis in opere lignario.

Ioan. 7, 15.

Sed Iuſtinus Martyr Scriptor antiquiſſimus apertiſſimis verbis loco antè citato id docuit, dicens: *Solebat enim* (Chriſtus) *dum inter homines degeret, aratra fabricare in agris, vt per has figuras iuſtitiam doceret, & re ipſa fugam otij.* Hæc Iuſtinus. Potuitque vterque id facere, & ad otium vitandum & ſubleuandam domus paupertatem. Et probabiliter aliqui de Chriſto ex eo deducunt, quòd omnes tractant quæ ſunt artis ſuæ, iuxta vulgatum illud prouerbium, *Tractant fabrilia fabri*; & Chriſtus Dominus in ſuis ſermonibus iugi & aratri mentionem fecerit Matth. 11, 29. & Luc. 9, 62. quæ à fabris lignariis conficiuntur: ideò fabrum lignarium & ipſum fuiſſe credendum, & cum Ioſeph patre vſque ad illius mortem fabrilem artem exercuiſſe, & poſt mortem illius (creditur enim communiter, aliquantulùm ante mortem Chriſti & eius prædicationem è vita deceſſiſſe) ſolum in eadem arte ſucceſſiſſe: & qui condidit abſque labore ſolo verbo cælum & terram, & quæ cæli & terræ ambitu continentur, labore & ſudore opera fabrilia pro hominibus conficiebat, vt cum Maria eius digniſſima Matre vitam pauperem ſuſtentaret.

Fauet

Fauent his quæ diximus veteres & recentes picturæ, quibus, ratione & auctoritate efficaci non refragante, credendum.

Artes ligna-ria in fudore vultus Christus vixit vsque ad sua prædicatio-nis tempus.

Aduertendum hîc, Christum quidem manibus suis laborasse, & fabrilem artem exercuisse vsque ad tempus suæ prædicationis, sed non deinceps; vt esset exemplo aliis prædicatoribus sollicitè verbi ministerio insistendi: tuncque à piis mulieribus sustentabatur. Vnde super illud Matth. 27, 55. *Erant autem ibi mulieres multæ à longè, quæ secutæ erant Iesum à Galilæa ministrantes ei*, dicit Hieronymus, quòd *consuetudinis Iudaicæ fuit, vt mulieres de substantia sua victum atque vestitum Præceptoribus vel Prædicatoribus ministrarent. Ministrabant autem Domino de substantia sua, vt meteret earum carnalia, cuius illæ metebant spiritualia.* idem habet lib. 1. Contra Iouinianum Tom. 2. Lege, præter alios, Augustinum Triumphum de Potest. Eccleliast. quæst. 78. art. 4. Et ad intentum. Itaque cùm tam Ioseph quàm Christus post reditum ex Ægypto cum Deipara habitauerint in Nazareth, & in fabrili arte se exercuerint, & alius à memorato loco non assignetur; illum, quem cum communi traditione esse diximus, verè esse piè credendum est. Et hîc fortè erat illa domus, de qua diximus Cap. 1. in qua Christus fuit nutritus. Et ex his conijce, quanta fuerit domus istius dignitas & excellentia; quæ licet amplius non extet, eius situs tamen omni veneratione honorandus est.

Mulieres victum suis Prædicatoribus ministrabant.

Argumenti solutio.

Ad illos alterius sententiæ respondendum, D. Hilarium, Bedam & Anselmum manifestè non dicere Iosephum fuisse fabrum ferrarium, vt apud ipsos citatis locis videre est. Et hæc de loco isto: alia ad eumdem spectantia dicentur Capite sequenti.

CAPVT VII.

De Ecclesia S. Archangeli Gabrielis & fonte Iesu & Mariæ, tertio loco tertiæ Peregrinationis.

Ecclesia quadraginta Martyrum.

AB Ecclesia sancti Ioseph vlteriùs procedendo Aquilonem versus, in læua parte inuenitur Ecclesia quadraginta Martyribus dicata, citra fontem & Ecclesiam; de quibus statim. An hîc erat synagoga, in quam aliquando ingressus fuit Dominus; de qua Adrichomius in Zabulon numero 73. de Nazareth loquens, dicit: *Hîc idem Dominus ac Saluator noster ingressus synagogam (quam nostri sæculi peregrini etiam nunc extare referunt) legit illud Isaiæ, Spiritus Domini super me*, &c.

Synagoga Nazareth.

Luc. 4, 18. Isa. 61, 1.

Ita Ecclesia relicta, parum ad eamdem plagam vlteriùs dirigendo gressus, in via extra villam est fons optimas emanans aquas: quibus ex canali in vas marmoreum demissis terrigenæ recreantur, & plurimùm eas frequentant. Hic *fons Iesu & Mariæ* appellatur communiter: & ita inueni in vetusto manuscripto asseruato in sacri montis Sion Conuentu, in quo loca sancta Palæstinæ recensentur. Iuxta hunc fontem est parua piscina.

Fons Iesu & Mariæ. De isto fonte Adamnanus de Locis sanctis l. 2. c. 23. & Beda cap. 16.

Ratio nominis est; quia creditur, Iesum ex illius aqua, cùm adhuc infantulus esset, hausisse, & Matri suæ detulisse, eamdemq; sanctissimam Deiparam sedulamque Matrem familias ex illomet hausisse pro suæ pauperculæ domus sustentatione. Sanutus lib. 3. Par. 7. cap. 2. de Ecclesia & fonte isto loquens ait: *Ibi dicitur puer Iesus semel, vase fictili fracto, aquam portasse in gremio Matri suæ*, &c.

Nominis ratio.

Traditio ista valdè pietati & rationi consentanea est: & licet explicitè in sacra Scriptura non legatur, inuenitur tamen implicitè. S. Lucas inquit, quòd Iesus, cùm esset annorum duodecim, reuersus est à templo cum Maria & Ioseph parentibus suis. *Et descendit cum eis, & venit Nazareth: & erat subditus illis.* Et in quo, quæso, subditus, nisi ministrando & inseruiendo illis, in his quæ ad familiæ sustentationem pertinebant? Vnde Glossa in ea verba dicit, quòd in sustinendo labores & sudores corporeos, quos Maria & Ioseph continuè frequentabant, necessaria vitæ sibi quærentes, Christus subiectionem & reuerentiam plenariam eis exhibebat. *Etsi Filius hominis*, vt ipse dixit, *non venit ministrari, sed ministrare*, priùs secundum ordinem charitatis parentibus suis ministrare debuit, deinde aliis. Et si adolescens, & in ætate perfecta seruiebat parentibus suis, vt præcedenti Capite diximus, quare adhuc puer & in minori ac tenera ætate iisdem in minoribus exercitiis seruiuisse non credemus, vt deferendo aquam, &c.

Luc. 2, 51.

Christus seruiendo erat suis parentibus subditus.

Fauet S. Basilius, dum in Constitut. Monastic. cap. 5. de hisce sic scribit: *Cùm prima sua ætate parentum imperio esset subiectus, & labores omnes corporis æquo vnà cum ipsis animo illis obediens toleranit. Verisimile est enim, cùm homines illi essent, & iustitiæ & pietatis cultores, tenues tamen, solitos eos in assiduis corporis laboribus versari, & hac ratione quotidianum sibi victum quæritare. Porrò Iesus cùm his (vt diuina Littera prædicant) esset subiectus, sine dubio in perferendis etiam vnà cum ipsis laboribus, morigeram declarabat suam obedientiam.* Sic eo loco S. Basilius.

Dispara Filio similiter inserviebat.

Et similiter cùm Virgo Maria Mater appelletur, & sit, absque dubio sedula & vigilans erat in his quæ ad Filij sui dilectissimi & familiæ gubernationem spectabant; atque ob ista, tam Iesus quàm Maria, vt præfatum est, potuit ex memorato fonte hausisse aquam. Ad hæc faciunt dicta Capite superiori, & quæ B. Virgo Maria dixit de Filio suo ad S. Birgittam, quæ habentur in huius Reuelationibus lib. 4. cap. 64. & apud contemplatiuos in Vita Christi. Lege Suarez Tom. 2. in 3. Par. S. Thom. q. 37. disp. 17. sect. 3.

Ecclesia S. Gabrielis forma.

Parum supra fontem, vlteriùs procedendo ad dexteram eius partem, descendimus per aliquot gradus in quoddam subterraneum sacellum S. Gabrieli Archangelo, Mariæ Virginis paranympho, dicatum. Eius longitudo est palmorum 24. latitudo 14. altitudo vel proiectura 15. circiter: in eius medio ad Orientem est altare ad Missam celebrandam: multæ sunt in eo picturæ, sed humiditate, antiquitate & odio infidelium ferè demolitæ. In extrema sacelli parte est os fontis, ex quo dicuntur illius aquæ scaturire: & ibi scala & ostium olim erat, quibus ascendebatur ad Sanctimonialium monasterium, quod suprà antiquis temporibus fuisse, traditio est: illius in præsentia nulla vestigia apparent; nec sacellum absque duce inuenietur, quia non desuper apparet: testudo enim eius cum solo æquatur. Aliquando in eo Græci Sacrum faciunt.

Ratio nominis.

Nuncupatur Ecclesia Archangeli Gabrielis, vt quidam volunt, quòd ibi B. Mariæ aliquando apparuerit, & mysteria cælestia reuelauerit, vel quia à fidelibus illi dicata; quoniam à Deo in ciuitatem Nazareth fuit missus, eamque sua præsentia illustrauit. Fontis & Ecclesiæ mentionem fecit loco adducto Adrichomius, & Bonifacius; qui, præter ea quæ suprà Cap. IV. notaui, & hæc dicit: In fine ciuitatis Archangelo Gabrieli templum ædificatum fuit, vbi fons scaturit: qui ab incolis idcircò veneratione habetur, quòd puer Iesus Matri suæ ministrans, sæpè ex eo dicatur hausisse aquam. Dixit esse in fine ciuitatis, vel quia antiquis temporibus eò vsque aliquæ domus ad ciuitatem spectantes ædificatæ erant, vel quia non longè est à ciuitate.

CAPVT VIII.

De Ecclesia, vulgò sancta Maria del Timor *appellata, quarto loco tertiæ Peregrinationis.*

RErrocedendo à memorata Ecclesia S. Archangeli Gabrielis ad Meridiem, vltra sacram ædem Annuntiationis B. Mariæ Virginis, circa quartum milliaris, supra montem vel collem inuenitur quædam diruta Ecclesia, cuius superior pars & Orientalis capella adhuc extat, cum ruinis monasterij, vt fertur, Sanctimonialium: quæ, vt olim, ita in præsentia à terrigenis *S. Maria del Timor* appellatur. Ratio nominis & illius ædificationis est, quòd credatur beatissimam Virginem ibi intellexisse, Nazaræos Filij sui conciues ipsum duxisse supra montis supercilium, vnde præcipitare voluerunt, quod scribit Lucas cap. 4, 29. cuius casum multùm illa timuit; & in eius memoriam fuit dicta Ecclesia ædificata. An hæc est illa, quam Bonifacius suprà S. Annæ appellauit?

Ratio nominis Ecclesiæ.

CAPVT IX.

De loco, qui Mensa Christi appellatur, quinto occurrente in tertia Peregrinatione.

EX parte eadem Meridionali supra locum Annuntiationis S. Mariæ, vergendo parum ad Occidentem, in ascensu montis est rupes plana & rotunda, etsi non perfectè, impolita, vt à natura producta: circuitus eius est palmorum 47. hæc appellatur à terrigenis *Mensa Christi*, quòd credatur Christum cum discipulis suis in ea comedisse, etiam post suam resurrectionem. Hinc ad læuam partem montem ascendendo, Cana Galilææ, Romi & Romani, & ad Orientem ciuitas Naim, mons Thabor cum aliis montibus cernuntur. Infe- *Fons.* riùs è rupe scaturit fons aquæ vitæ.

Ratio nominis Mensæ Christi.

CAPVT X.

De saltu siue præcipitio Domini, sexto loco tertiæ Peregrinationis.

ANazareth inter Orientem & Meridiem procedendo itinere duorum milliarium, primò per planitiem, posteà per præruptos montes & colles, inuenitur locus in supercilio montis, qui *saltus*, siue *præcipitium Domini*, vt antiquitus, ita nostris temporibus ab exteris & terrigenis appellatur. Arabicè *Caphze*, id est, præcipitium. Antequam huius sanctuarij conditionem explicem, ratio nominis explicanda est. Saltus, quia velut nemus & præceps locus est & horribilis; præcipitium verò Domini, quia inde Iudæi & Christi conciues ipsum perdere & præcipitare voluerunt, quia illorum peccata & incredulitatem redarguit; sed immunis de manibus illorum

Ratio nominis saltus & præcipitij Domini.

illorum exiuit, vt scribit S. Lucas c. 4, 28. dicens: *Et repleti sunt omnes in synagoga ira, hæc audientes. Et surrexerunt, & eiecerunt illum extra ciuitatem: & duxerunt illum vsque ad supercilium montis, super quem ciuitas illorum erat ædificata, vt præcipitarent eum. Ipse autem transiens per medium illorum, ibat.* In quæ verba Lyrensis ex Beda dicit: *Cùm Dominus de manibus eorum elapsus de vertice montis descenderet, & sub rupe latere vellet, subitò ad tectum Dominica vestis saxum illud subterfugit; & instar cera solutum, quemdam sinum effecit, id est, concauitatem, in quo Dominicum corpus reciperetur. In quo loco omnia lineamenta, & ruga vestis, & vestigia pedum in rupe apparent adhuc, sicut testantur qui viderunt.* Eadem dicunt Comestor in Historia Euangelica cap. 72. & plures alij, præsertim qui scripserunt de locis sanctis.

Loci descriptio.

Dicam modò quæ non semel cum aliis obseruaui de loco isto. In primis est, vt iam diximus, extra ciuitatem; & indicat Euangelium, asserens eiectum fuisse Christum extra ciuitatem, vt indignum hominum conuersatione, & dignum morte. Sed quomodo distat duobus milliaribus, cùm locus assignetur in supercilio montis super quem ciuitas Nazareth erat ædificata, cùm parua sit, & eò vsque non se extendisse manifestum sit? Respondetur, nomine montis non esse præcisè intelligendum locum vel montem vbi est ciuitas, sed proximos eidem, qui ad Nazareth spectare creduntur. Vnde non mihi videtur probari posse sententia Caietani, qui dixit hunc montem

Obiectio.

Solutio.

Caiet in 4. cap. Lucæ reijcitur.

esse Thabor; nam Thabor distat atque disterminatur à præcipitio Domini quatuor milliaribus, & à Nazareth sex, vt de Thabor loquentes videbimus.

Secundò, locus iste est verè infra supercilium montis, ex quo Nazaræi voluerunt Christum præcipitare: qui descendens, rupe locum præparante, vt dixit Lyranus, in ea se abscondit. Intra ergo supercilium est rupes excauata ad modum vestibuli; postea in rupe ipsa fornix & capellula excisa in acutum se eleuans, calce incrustata, & olim figuris exornata, vt illarum reliquiæ demonstrant: eius latitudo est palmorum septem circiter; ibique commodè Missa celebrari potest. Hinc inde sunt duæ cisternæ: quæ à dextris minor, quæ à sinistris maior & pulchrior: vndequaque ruinæ & magna ædificiorum fundamenta: traduntque Nazaræi ibi antiquitus fuisse cœnobium, vel certè Ecclesiam opere tessellato delapidatam, vt lapilli qui ibi cernuntur, materia illius, demonstrant. Sunt etiam caueæ & antra in illi opposito monte à latere sinistro & circa, cum cisternis & ædificiorum ruinis.

Ibi duæ cisternæ.

Tertiò, in præsentia nec signa vestigiorum pedum vel lineamenta vestis Christi apparent; an non à piis sed impiis fidelibus fuerint abrasa, auferentes indiscreta deuotione memoriam mirabilium Christi, sicut alibi factum nouimus, me latet. Ad radicem huius montis est magnus campus Esdrelon; & vltrà ad Meridiem Hermon mons, ciuitas Naim, & alia cernuntur. Et hæc de loco isto & præsenti Peregrinatione satis.

PEREGRINATIO IV. *in qua recensentur & elucidantur quinque memorabilia loca non procul à Nazareth dissita, eamq; circumdantia.* I. *Saffa viculus.* II. *Mons Thabor.* III. *Naim ciuitas.* IV. *Sephoris ciuitas.* V. *Denique Cana Galilææ.*

CAPVT PRIMVM.

De Saffa viculo, primo loco quartæ Peregrinationis.

COmmorantibus peregrinis in sancta ciuitate Nazareth, secundùm temporis opportunitatem contendunt visitare quædam memorabilia loca non multùm à sancta Ciuitate distantia, ipsamque circumdantia; sed remotiora ab explicatis præcedenti Peregrinatione: vt sunt, *Saffa*, *Thabor* mons, ciuitas *Naim*, *Sephoris*, *Cana Galilææ*, præter alia minùs celebria. Ad quæ si actu accedere non possunt, ea saltem à longè salutant: de quibus vt & à nobis aliquam habeant cognitionem, de ipsis agemus hac Peregrinatione; & primò de Saffa.

A Nazareth ascendendo per montes inter Meridiem & Occidentem, absoluto trium milliarium itinere, inuenitur viculus Saffa appellatus, Arabicè *Deir*, id est monasterium. Sunt ibi paucæ rusticanæ domus: eius extremitatem ascendendo inueniuntur quædam antra subterranea, quorum ora magnis saxis obstructa sunt; & in ipsis magnos esse absconditos thesauros Mauri credunt. Hic nobilis prospectus: à læua videtur magnus campus Esdrelon, ad Meridiem montes Gelboë, & citra mons Her-

Saffa à Nazareth distantia.

Situs & conditio.

Hermon; & ad Orientem declinando in eius pede ciuitas Naim, à dextera, inter Meridiem & Occidentem respiciendo, mons Carmelus videtur; vbi adhuc altaria sacrificiorum cum Hebraicis litteris videri quidam dicunt: ibi campus Iezraël, vbi Iezabel occidit Prophetas. Celebris & venerabilis est hic locus, quòd credatur patria Zebedæi, patris sanctorum Apostolorum Iacobi & Ioannis.

Patria Zebedæi.

Adrichomius in Zabulon num. 83. de eo sic scribit: *Saffa, vel Saffra, ciuitas in monte sita, à Nazareth tribus distans milliaribus, patria Zebedæi, Alphæi & Iacobi atque Ioannis Apostolorum: in quorum natiuitatis loco pulchra visitur Ecclesia. Ioannes de Monteuilla cap. 4. & 20. Ioan. Pasch. in Peregrinat. 5. die* 173. Aduerte, Adrichomium longiùs à Nazareth designare Saffam, quia non vt nos distantiâ trium Italicorum milliarium, sed quæ vna hora conficiuntur, & ita nouem Italicis. Ecclesiam, de qua ipse, non vidi: fortasse demolita, & in summitate illius fuit ædificata.

CAPVT II.

De sancto monte Thabor, secundo loco quartæ Peregrinationis.

DE sacratissimo, celeberrimo ac dignissimo Thabor monte nobis in præsentia agendum est: qui tum propter naturalem pulchritudinem & fecunditatem, tum, & multò magis, propter insignia facinora à Deo & hominibus in eo operata, apud sacros & exteros Scriptores celebris est. Nos ex vtrisque aliqua selegimus: & alia, quæ nos ipsi in eius visitatione obseruauimus, hîc describemus. Ex quibus tria de ipso dicemus: alia quæ naturalem eius respiciunt conditionem; alia, quibus celebrior redditur, & sunt egregia in eodem operata; ad quæ tertiò adijciemus nomina quibus est appellatus.

Thabor montis conditio.

Et, vt ab illis, quæ naturalem eius conditionem respiciunt, ordiamur: Mons Thabor pulcherrimus est, in medio Galilææ mira rotunditate ex omni parte æqualiter finitus, ab aliisque proximis montibus seiunctus, etsi in radice cum illis copuletur. Hoc mihi videtur indicasse sacer Euangelista, dum loquens de gloriosa Christi Transfiguratione, quam in isto monte accidisse infrà dicemus, hunc appellat *excelsum seorsum*. Excelsum quidem, quia valde sublimis, itinere circiter trium milliarium. Sed quid significat *seorsum*? scio expositores communiter aduerbium hoc referre ad tres discipulos, ante quos Christus fuit transfiguratus, quos ab aliis in pede montis relictis seiunxit, quibus nos non refragamur: sed cùm illa separatio in discipulorum specifica, Petri videlicet, Iacobi & Ioannis assumptione, priùs fuerit indicata, opinamur, referendum esse ad ipsum montem; vt velit dicere Euangelista, Christum seiunctim ab aliis discipulis memoratos assumpsisse, & cum illis ascendisse in excelsum montem seorsum, id est, ab aliis montibus separatum. Et hac descriptione locum Transfigurationis bellè indicauit sacer Historicus: non enim videtur esse in Galilæa mons alius, cui magis conueniat indicata descriptio ab isto.

Matth. 17. 1.

Quomodo excelsus & seorsum.

Iosephus lib. 4. Belli cap. 2. de illius situ, latitudine & altitudine loquens, dicit montem Thabor situm esse inter Scythopolim & campum magnum, protensum in altitudinem triginta stadiis, ex Septemtrionali parte esse inaccessum; in vertice habentem planitiem viginti stadiorum, quam seipso dicit quadraginta dierum spatio circumdedisse, vt in eo monte Iudæi contra Romanos se defenderent. Hegesippus lib. 4. de Excid. Ierosol. cap. 4. verticem eius viginti tria stadia habere scribit; parumque differt à Iosepho, quem sequi solet.

Distantia eius à Nazareth.

De eius distantia à Nazareth & Naim sic scribit Brocardus 1. Part. cap. 6. §. 11. A Nazareth, duabus leucis à monte Thabor, plus vna leuca contra Austrum, est mons Hermon minor; in cuius latere Aquilonari est vrbs Naim, &c.

D. Hieronymus de Locis Hebraicis distare dicit ab eo duobus milliaribus contra Meridiem, Nazareth verò contra Orientalem plagam ab eo distare quindecim milliariis. Item, Thabor terminus Zabulon: est autem mons in medio Galilææ campo mira rotunditate sublimis, distans à Diocæsarea decem milliaribus contra Orientalem plagam, qui confinium quoque inter tribum Isachar & Nephthalim fuit. Et in cap. 5. Oseæ vers. 1. vbi est de isto monte sermo, dicit: *Thabor mons est Galilææ situs in campestribus, rotundus atque sublimis, & ex omni parte finitur æqualiter.*

Antiquitus montis planities muro cincta.

Fuit antiquitus montis huius planities muro cincta aduersus Romanos, vt diximus ex Iosepho. Postea Saraceni ante ab eis captam vltimò Aconem arcem in eius summitate constituerunt, vt indicat Innocentius III. in Epistola in Concilio Lateranensi ad Christi fideles directa pro recuperatione Terræ sanctæ, dum dicit: *Certè propter priores iniurias grandes & graues Redemptori nostro pro nostris offensis à perfidis Saracenis illatas, nuper in monte Thabor, vbi discipulis suis futuræ glorificationis speciem*

Arx ibi erecta.

Habetur Tom. 4 Concil. General

ſpeciem demonſtrauit, iidem perfidi Saraceni quamdam munitionis arcem in confuſionem Chriſtiani nominis erexerunt; per quam ciuitatem Acon ſibi valdè vicinam de facili cogitant occupare, ac deinde ſine omni contradictionis obſtaculo reſiduum huius terræ inuadere, cùm ſit viribus & opibus penè penitus deſtituta. Hæc Summus Pontifex.

In præſentia omnia ferè diruta: multæ ædificiorum cernuntur ruinę, itẽ murorum portæ; ex quibus ibi munitiſſimum fuiſſe caſtrum, aliaque egregia ædificia, facilè diiudicatur. In eadem ſummitate, in latere, præter ædificiorum fundamenta, videntur quædam loca ſubterranea: pulchræ ſunt ibi cauernæ, præcipitia & ferarum latibula. Fecundus & amœnus eſt, pinguibus paſcuis animalium idoneus: frumenti, vini, aliorumque fructuum copiam, ſi excoleretur, præberet. Hinc Cyrillus: *Thabor mons eſt nobiliſſimus in Galilæa, denſiſſimus, & pleniſſimus ferarum & auium.* Aquæ ex ciſternis in eo excauatis hauriuntur: ſed & fontes aquas viuas ſcaturientes continere teſtantur Bonifacius & harum partium incolæ.

Aquæ non carẽt.

Credo eſſe mendum in eo quod dicit S. Hieronymus ſiue Euſebius, diſtare hunc montem à Nazareth quindecim milliaribus; ſex enim dumtaxat diſtat, vt diximus ex Brocardo: eſt namque Nazareth inter Thabor & Diocæſaream ſita; & vt ab iſta quatuor, ita ab illo ſex milliaribus ſeparatur. Et hoc fortè indicare voluit, dum dixit, Thabor diſtare à Diocæſarea decem milliaribus.

Nec etiam verum quod alij affirmant, ipſum ampliùs quatuor aut quinque milliaribus diſtare à circumiacentibus montibus: etenim ex parte qua itur Nazareth, montes proximos, imò eidem in radice continuos habet. Ex aliis tamen partibus, vbi ſunt campi latiſſimi Galilææ, quinque milliaribus & amplius ab aliis montibus ſeparatur.

Ex parte Meridionali herbis & arbuſtis caret, quibus abundat ex Aquilonari. Adſcenſus eius difficilis, facilior ex parte Meridionali; tamen & cum equis aſcenditur: in principio valdè planus & facilis, ſed labor in progreſſu non deficit. Ex huius montis ſummitate multarum Palæſtinæ partium eſt proſpectus: & propter optimam eius naturalem conditionem pluribus egregiis actibus fuit inuentus idoneus; ex quibus multò celebrior redditus eſt.

Deſcr. in Thabor.

Et in primis placet non infimæ notæ Auctoribus, in monte Thabor Melchiſedech Regem Salem, & Dei altiſſimi Sacerdotem, obuium habuiſſe Abraham reuertentem à cæde quatuor Regum, quem pane & vino excepit, & refecit. Quo facto (ſi hîc contigiſſe verum eſt) adumbratum fuit, aliquando in monte illo ſanctos viros arrham gloriæ fuiſſe habituros, quam poſteà in monte Regni cæleſtis perfectè poſſiderent, propter partam victoriam principis tenebrarum, mundi & carnis, cuiuſque hominis crudelium hoſtium. Verùm præter locum huius occurſus, quem aſſignat Adrichomius in Iſſachar num. 28. adhuc menſam Melchiſedech ibidem oſtendi dicit. Sed de hoc Lib. v. ſermonem fecimus: & magis certa proſequamur.

Ad hæc, ex iſto monte Barach deſcendit, quando contra Siſaram pugnans, illum debellauit, vt dicitur Iudic. 4, 14.

In huius montis ſummitate idolorum ſacerdotes execrandum idololatriæ facinus perpetrarunt, dum vt veri Dei cultores, qui in vertice huius montis Deum colebant, ab eo cultu & religione auerterent, montem aſcendebant, deſiderantes ſacrificia in ſuorum deorum cultum intorquere, vt graues aſſerunt Doctores. Ad quod alludens Oſeas cap. 5, 1. dixit: *Audite, ... quoniam laqueus factus eſtis ſpeculationi, & rete expanſum ſuper Thabor. Et victimas declinaſtis in profundum: & ego eruditor omnium eorum.*

Ibi idololatria cultum

Ideò Chriſtus Dominus, qui in hunc mundum venit, vt diſſoluat opera diaboli, videns eo ſacro loco dæmonem abuſum fuiſſe ad illaqueandum animas, vt à vero Dei cultu eas auerteret; ibi laqueum gloriæ ſuæ in ſua glorioſa Transfiguratione expandit, vt omnes ſuauiſſimo ſplendoris ac pulchritudinis ſuæ cibo allecti, eodem caperentur, & dæmon cum ſuo magno dedecore fugaretur.

quem vt auferret Chriſtus, ibidẽ transfiguratum eſt.

Et ecce quod potiſſimùm ex nouo Teſtamento hunc montem commendat, quòd in eo Chriſtus Dominus coram Moyſe & Elia, Petro, Iacobo & Ioanne fratre eius, glorioſus in ſua Transfiguratione apparuit: qui cum illis loquebatur exceſſum, quem completurus erat in Ieruſalem. Et voce è cælo delapſa, dilectus Æterni Patris Filius declaratus fuit, vt pluribus tres priores explicant Euangeliſtæ, Matth. 17, 1. Marc. 9, 1. & Luc. 9, 28. Et quamuis nomen montis ſilentio inuoluerint, circumlocutione tamen monſtrarunt, vt anteà explicuimus, & poſteà clarè docuerunt ſacri Scriptores, & eſt communis ſententia: quæ ne ex hominum memoria excideret, à piis fidelibus eximiis ædificiis & templis ſacer mons illuſtratus fuit.

Transfigurationis locus Eccleſiâ conſecratus.

Et D. Damaſcenus in Chriſti Transfiguratione hunc montem exultaſſe perhibet,

Psal 88,13 iuxta Dauidicum vaticinium: *Thabor & Hermon in nomine tuo exultabunt: tuum brachium cum potentia.* Exultauit Hermon, cùm in baptiſmate Chriſti Patris cæleſtem vocem audiuit; in Transfiguratione autem exultauit Thabor.

Bonifacius de Perenni cultu Terræ ſanctæ ſic illa explicat verba: *Is enim*, inquit, *cum Hermon exultat, brachium Domini cum potentia, cùm in eo altiſſimum ſacramentum à Patre cæli, à Filio eius, & vtriuſque Spiritu ſancto, à Patribus veteris & noui Teſtamenti celebratum fuit, Pater in voce, Filius in carne, Spiritus ſanctus in nube; Moyſes in ſpiritu ab inferis reducto, & corpore Deo noto; Elias à paradiſo terreſtri, ad quem vius tranſlatus eſt: Petrus, Iacobus & Ioannes à Chriſto allecti, ductiq; in montem excelſum ſeorſum, vt de celebrato ſacramento, & audita voce de nube obumbrante eos, & præſentia Moyſi & Eliæ gauderent, & poſt reſurrectionem Chriſti prædicarent viſionem quam viderant.* Hæc ille.

Thabor & Hermon quando exultarunt.

Ego ſic dicerem: *Thabor & Hermon*, &c. Thabor exultauit brachium Domini, id eſt, Filium Æterni Patris, vel Dei virtutem & fortitudinem, quando Chriſtus ſe Dominum gloriæ in eo monſtrauit; & ad eius beneplacitum coram ſanctis illis viris gloriam ſuam oſtendit, eidem Paterna voce teſtimonium perhibente. Hermon ſimiliter exultauit, quando Chriſtus ad portam ciuitatis Naim, in latere montis Hermon ſitæ, omnipotenti virtute ſua viduæ defunctum filium ad vitam reuocauit, tunc luctus in gaudium conuerſus fuit, & dolor in exultationem. Mons Thabor & Hermon tunc exultauerunt, cum cælo certauerunt; quoniam in illis cæli mirabilia viſa fuerunt.

Luc.7.

Thabor in Empyreum cælum conuerſus.

Exultauerunt, hoc eſt, ſupra ſe & Empyreum ipſum cælum ſe extulerunt; quoniam cæli Dominum humana carne veſtitum glorioſum & potentem in virtute ſua poſſederunt: quod cælo tunc non fuit conceſſum.

Ibi ſermonem habuit Dominus.

In monte iſto ſermonem illum plenum Dominicis inſtitutis, qui ob excellentiam ſermo Domini in monte appellatur, habuit ad diſcipulos ſuos, cùm in eo velut in cathedra ſedens, aperiens os ſuum, docens diſcipulos ſuos, dicebat illis: *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum*, &c.

Matth 5,1

Obiectionis ſolutio.

Fateor, Euangeliſtam montem non exprimere; deducitur tamen quodammodò ex eodem Matthæo & Luca, qui dicunt, Chriſtum Dominum poſt illum ſermonem Capharnaum Galilææ vrbem fuiſſe ingreſſum, Centurioniſque puero ſanitatem reddidiſſe. Et ex hoc ſaltem habemus, ſermonem illum habuiſſe Chriſtum in aliquo montium Galilææ, & non Samariæ, vel Iudææ; quia nimis à Capharnaum diſtant. Quare non in monte Oliuarum illum habuit ſermonem, vt arbitratus fuit Chromatius Matth. 5. quia mons Oliuarum eſt in Iudæa; & in Thabor habuiſſe, probabile putat D. Hieronymus eodem Matthæi cap. *Nonnulli*, ait, *ſimplicium fratrum putant, Chriſtum Beatitudines, & cetera quæ ſequuntur, in Olineti monte docuiſſe; quod nequaquam ita eſt. Ex præcedentibus enim & ſequentibus in Galilæa monſtratur locus, quem putamus eſſe vel Thabor, vel quemlibet alium excelſum montem. Denique poſtquam finiuit ſermones ſuos, ſtatim ſequitur, Cùm autem introiſſet Capharnaum.* Hæc D. Hieronymus. D. Bonauentura, & Ludolphus in libro de Vita Chriſti, & alij hunc montem eſſe putant.

Matth.8,5. Luc.7,1.

Alia ſententia probabilior.

Non me latet, Adrichomium in Nephthalim nu.69. ſecutum Brocardum 1. Part. cap.4. §.6. aſſignare alium montem proximum mari Galilææ & Capharnaum tribus milliaribus; qui ob id mons Chriſti appellatur: in cuius montis baſi fons oritur, vbi adhuc, dicit Brocardus, manet lapis, vbi Chriſtus ſedit. Et hæc ſententia præcedenti probabilior mihi videtur, & verba diui Hieronymi eidem magis ſuffragari; eſt enim hic mons Capharnaum proximior quàm ſit Thabor; & verba Lucæ videntur deſcribere locum, qui nunc monſtratur ab aliquibus, quòd ibi ſermonem prædictum habuerit Chriſtus: de quo pauca inferiùs Capite 1. Peregrinationis v.

Chriſt. poſt Reſurrection. apparuit.

In ſacratiſſimo iſto Thabor monte graues Doctores credunt, factam fuiſſe illam Chriſti apparitionem poſt ſuam glorioſam Reſurrectionem, cuius meminerunt Matth.28, 16. & D.Paulus 1.Cor.15,6.

Pro huius ſententiæ explicatione notandum eſt, Chriſtum Dominum poſt ſuam glorioſam Reſurrectionem pluries pluribus & in diuerſis locis apparuiſſe vſque ad ſuam admirabilem Aſcenſionem, vt dicitur Act. 1,3. modò in Iudæa Matri ſuæ, Mariæ Magdalenæ, D. Petro & Iacobo Alphæi, ſanctis mulieribus, duobus diſcipulis euntibus Emmauntem iterùm atque iterùm; & in Galilæa, modò ad mare Tiberiadis, modò in monte: de quibus omnibus ſacri Euangeliſtæ & Doctores ſcripſerunt, & nos ex ipſis aliqua opportunis locis notauimus. Et iſta, de qua nunc loquimur, apparitio ceteris celebrior videtur; tum quia à Chriſto ante Reſurrectionem prænuntiata, & poſt eamdem ab eodem & Angelo indicata; tum quia ceteris communior, id eſt, multò pluribus facta. Chriſtus Domi-

Digitized by Google

Dominus ea nocte, qua crux secuta est, dixit discipulis suis: *Postquam resurrexero, praecedam vos in Galilaeam.* Post mortem quoque & resurrectionem mulieribus dixit: *Nuntiate fratribus meis vt eant in Galilaeam, ibi me videbunt.* Angelus quoque ad eosdem: *Dicite discipulis eius quia surrexit: & ecce praecedit vos in Galilaeam: ibi eum videbitis.* In aliis apparuit vni, duobus, nec pluribus quàm vndecim: sed in ista multò pluribus; quia, vt inquit Apostolus citatus, apparuit plusquam quingentis fratribus simul.

Matth. 26. 31. Marc. 14. 28. Matth. 28. 10. Ibid. v. 7.

Et quamuis Matthaeus faciat tantùm duodecim discipulorum mentionem, qui ex Iudaea in Galilaeam ad praemonstratum apparitionis montem abierunt; non tamen ceteros excluſit, quos sanctus Paulus recensuit: dumtaxat verò Apostolos nominauit Matthaeus, quoniam praecipui & futuri erant testes & praedicatores Christi resurrectionis; & quia id illis constituerat Dominus, quos alij ab eisdem Apostolis vocati secuti fuerunt discipuli, & alij, qui tam in Iudaea quàm in Galilaea fidem Christi susceperunt. Quare, propter haec celeberrima censenda est ista apparitio, non praeter spem & inopinatò facta, sed praenuntiata, illius demonstrato loco aliisque egregiis circumstantiis comitata. Et contigisse hanc apparitionem in monte Thabor arbitrantur, Magister Historiarum Act. 1. Lyrensis, Dionys. Carthus. D. Bonauentura in Meditationibus Vitae Christi c. 94. Baronius anno Christi 34. qui & addit, Apostolum de ea locutum fuisse, ferè omnes existimare & in eo consentire.

Obiectionis solutio.

Et rationabiliter quidem hoc asseruere: etenim, vbi Christus egit de via ad gloriam, de paupertate, de cordis munditia, &c. & de passione sua, conuenit vt ibi terminum viae gloriam & immarcescibilem coronam paratam sequentibus se demonstraret pluribus & permanentem, quam anteà paucioribus & transeuntem prodidit: & vbi priùs mortalis similitudinem resurrectionis ostenderat, posteriùs immortalem adeptus, veram perennemque resurrectionem patefaceret.

Mons Galilaeae antonomasticè.

Et praeterea videtur id Euangelista indicasse, dum locum huius apparitionis montem Galilaeae absque alio addito appellat, volens (vt credo) antonomasticè hunc intelligere ceteris excelsiorem, magis idoneum & tantae multitudinis capacem. Quare postquam vndecim discipuli abierunt in Galilaeam in montem, vbi constituerat illis Iesus, inquit Matthaeus (intelligе postquam alij fideles admoniti fuerunt: tanta enim multitudo fuit admonenda, vt se praepararet ad visionem illam) *Et videntes eum adorauerunt: quidam autem dubitauerunt. Et accedens Iesus locutus est eis, dicens: Data est mihi omnis potestas in caelo & in terra. euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: docentes eos seruare omnia quaecumque mandaui vobis. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem saeculi.* Matth. 28. 17.

Hinc pij fideles, propter tot res in eo praeclarè gestas, semper ipsum in pretio & veneratione habuerunt, nobilibus monumentis illustrarunt, & deuotis peregrinationibus frequentarunt.

Ecclesia Cathedralis decoratusse

Sancta Helena, Magni piissimique Constantini Imperatoris pia mater, in eo pulchram & illustrem fundauit Ecclesiam ad honorem trium Apostolorum, ante quos fuit Christus transfiguratus, vt docet Nicephorus lib. 8. Hist. cap. 30. Fuit Cathedralis, vt ex Tyrio colligi potest; magnamque ibi reliquit pecuniam in subsidium eorum qui ibi manerent. Cui Ecclesiae duo deinde accesserunt Monasteria; sicque essent quasi tria ex D. Petri desiderio tabernacula: quorum alterum Graecorum fuisse, Diuoque Eliae dicatum, inuenio; alterum verò D. Moysi fuisse consecratum, verisimile est: & vtrumque habuit Abbatem.

& Monasterio Monachorum.

Bonifacius inquit, Monasterium magnum aedificatum à Regibus Hungariae, in quo cum magnis redditibus collocauerant magnam multitudinem Monachorum Ordinis S. Pauli primi Eremitae, &c.

Beda de Locis sanctis cap. 17. dicit in memoriam glorioſae Transfigurationis tres in montis huius vertice esse aedificatas Ecclesias, secundùm quod dixerat Petrus: *Faciamus hic tria tabernacula.* Plura Adamnanus lib. 2. c. 24.

Sed dicerem ego cum D. Hieronymo, qui multo tempore Bedam praecessit, fuisse aedificatas ad honorem Patris, & Filij, & Spiritus sancti. in hunc enim modum scribit ad Marcellam nomine Paulae & Eustochij: *Pergemus ad Itabyrium, & tabernacula Salvatoris; non, vt Petrus quondam voluit, cum Moyse & Elia, sed cum Patre cernemus & Spiritu sancto.* Sed responderetur; primò quidem & principaliter sanctissimae Triadi, secundariò verò & minùs principaliter in honorem glorioſae Transfigurationis & Tabernaculorum memoriam, quae ibi aedificare desiderauerat Petrus, fuisse constructas: & hoc voluit dicere Beda, illud sanctus Hieronymus.

Altum, latum, fecundum & illustrem montem antiquis temporibus multis diuinis mysteriis condecoratum, posterioribus

fuisse non vno templo & Monasterio nobilitatum, sed pluribus, in quibus habitabant Deoque inseruiebant religiosi viri, mihi videtur à dubitatione alienum, considerata pietate ac deuotione fidelium illorum temporum ad loca sancta Palæstinæ. Et, præter indicata, fuisse etiam Monasterium Cluniacensium, ex memorabili, quem hîc subiicimus euentu, manifestum relinquetur. Anno Domini 1113. cùm Turcæ, qui Ierosolymam capturi aduenerant, re infecta recessissent, Monasterium Christianorum in monte Thabor euerterunt, & Monachos omnes occiderunt. Hæc in Appendice ad Sigebertum notato anno. Erant isti sanctissimi viri germina Cluniacensium vitæ religiosæ obseruantissimi, ad quos extat Petri Cluniacensis Abbatis Epistola; qua eorumdem commendatur monastica obseruantia. Quamobrem iustè æstimare licet, inquit Illustrissimus Annalium Scriptor Tom. 12. anno indicato num. 4. quot Monachos cæsos, tot laureatos martyrij corona Martyres è monte Thabor assumptos in cælum.

Illud mortuerunt Turcæ, & Monachos occiderunt.

Ad ipsum peregrinantes.

Sanctum hunc montem ascendit magnus Pater & sanctæ Ecclesiæ Doctor Hieronymus; hunc scandit nobilissima illa pariterque sanctissima Paula Romana, multarum virginum sanctarumque mulierum spiritualis mater: ita enim in eius Epitaphio ad filiam Eustochium scribit idem sanctus Doctor: *Scandebat montem Thabor, in quo transfiguratus est Dominus: aspiciebat procul montes Hermon, & Hermonium, & campos latissimos Galilææ; in quibus Sisara, & omnis exercitus eius, Barac vincente, prostratus est. Torrens Cison, qui mediam planitiem diuidebat, & oppidum iuxta Naim, in quo filius suscitatus est vidua, monstrabantur.* Hæc ille. Hic vt olim, ita & nostris calamitosis temporibus à fidelibus inuisitur, propter in illo operata nostræ salutis mysteria, & in posterum semper veneration habebitur: etsi Ecclesiæ & Monasteria ferè diruta & in puluerem redacta; cernuntur tamen adhuc ruinæ & capellulæ. Et ipse mons totus arboribus, sentibus arbustisque adeò obrutus est, vt silua & nemus sit effectus. Agit de isto monte Adrichomius in Zabulon num. 95.

Sacellum in pede montis.

Ad pedem Thabor, ex parte qua eum communiter ascendimus, quæ respicit Nazareth ad Occidentem, est sacellum ferè dirutum, suoque pristino decore spoliatum: intra ad læuam partem ingressus cisternam habet. Illud construxerunt fideles, si credimus Breidembach. Itin. 5. Adrichomio referente in Zabulon num. 96. in memoriam illorum Christi verborum, quæ discipulis suis descendentibus de monte in eo loco dixit: *Nemini dixeritis visionem, donec Filius hominis à mortuis resurgat.* Matt. 17, 9.

Mons hic propter excellentiam, & insignia in eo patrata facinora, multiplicem sortitus est appellationem tam in sacris quàm in profanis Litteris. A Dauide Thabor vocatur Psal. 88, 13. *Thabor, & Hermon*, &c. item apud Oseam 5, 1. Iudic. 4, 14. & communiter apud Patres. A D. Petro 2. Pet. 1, 18. mons sanctus, *Cùm essemus cum eo*, inquiens, *in monte sancto*. A Septuaginta Interpretibus, & D. Hieronymo Itabyrium, à Iosepho Itabyrion, & ab aliis Tabyrium, à Polybio Mastocin, & nunc à circumhabitantibus *Tor* dicitur. Est etiam Thabor vrbs Leuitis data, de qua Ios. 19, 22. & 1. Paral. 6, 77.

Nomina.

CAPVT III.

Elucidantur quædam D. Petri verba cap. 1. Epist. 2. in quibus fit sermo de sancto monte Thabor, & Transfigurationis mysterio.

APostolorum Princeps cap. 1. suæ 2. Epistolæ vers. 16. loquens de gloriosa Christi Transfiguratione, non ex fictionibus Poëtarum, sed prout vidit, & prophetico sermone didicit, hæc protulit verba: *Non enim doctas fabulas secuti, notam fecimus vobis Domini nostri Iesu Christi virtutem & præsentiam: sed speculatores facti illius magnitudinis. Accipiens enim à Deo Patre honorem & gloriam, voce delapsa ad eum huiusmodi à magnifica gloria: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite. Et hanc vocem nos audiuimus de cælo allatam, cùm essemus cum ipso in monte sancto. Et habemus firmiorem propheticum sermonem: cui benefacitis attendentes*, &c.

Cùm in gloriosa Christi Transfiguratione, in sancto monte Thabor repræsentata, duo præcipuè acciderint; manifestatio gloriæ Christi coram Moyse & Elia, Petro, Iacobo & Ioanne; & vox Patris, qua Christus verus naturalisque Dei Patris Filius fuit declaratus: de quibus Euangelistæ, & Petrus. Circa postrema illa D. Petri verba, quibus ostendit, quàm firmo assensu dictis de Tranfiguratione adhærere debeamus, dicens, *Et habemus*, &c. triplex oriri potest quæstio: prima, an verba illa referenda sint ad ipsam Transfigurationem, an ad vocem Patris tantùm, an simul ad vtramque: altera, quinam sit ille propheticus sermo: tertia, quomodo sermo ille

Quæstio triplex.

le propheticus sit firmior voce Patris, vel Petri relatione?

Prima. Num verba Petri de voce Patris & Filij Transfiguratione sint intelligenda.

Ad has difficultates quintupliciter arbitror posse responderi: Primò, ad primam cum illis, qui dicunt esse illa verba referenda ad vocem Patris, quæ supra Filium insonuit: & ad secundam, prophetica esse illa verba Psalmi 2,7. in quibus Dauid in persona Patris Filium sic alloquitur: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Et particula illa copulatiua & initio posita videtur hoc indicare, quæ sequentia verba cum immediatè præcedentibus, in quibus est sermo de voce Patris, copulare videtur.

Responsio prima.

Reiicitur.

Sed huic sententiæ duo obstant: alterum, quòd sermo Dauidicus non est firmior voce Patris; alterum, quòd verba illa potiùs ad id quod principalius est videntur referenda: at hoc est ipsa Transfiguratio, ad cuius declarationem directa videtur Paterna vox.

Secunda.

Reiicitur.

Secundò, alij dixerunt referenda esse ad ipsam Transfigurationem; sed non exinde video illos respondere secundæ quæstioni, quinam sit propheticus sermo? Dicunt non esse illius manifestationis in veteri Testamento vaticinium, sicut nec comprehensionis Domini in horto, spineæ coronationis in domo Pilati; quia non omnia nostræ salutis mysteria inueniuntur in Prophetis: si enim ad aliquam prophetiam respexisset D. Petrus, illam nominasset determinatè, vt alibi licet obseruatè in nouo Testamento.

Sedenim istis refragantur in primis præcedentis sententiæ sectatores, qui Dauidem Prophetam & Psalmum assignarunt. Deinde, etsi sæpè in nouo Testamento, quando vetus in testimonium adducitur, assignetur determinatè locus vel Scriptor, verùm non semel etiam prætermittitur; præsertim cùm potiùs ad sensum quàm ad verba est respectus, quemadmodum D. Hieronymus obseruauit in illa Matthæi verba, in quibus est sermo de reditu Domini ex Ægypto in ciuitatem Nazareth, *Vt adimpleretur quod dictum est per Prophetas: Quoniam Nazaræus vocabitur. Si fixum de Scripturis*, ait, *posuisset exemplum, numquam diceret, Quod dictum est per Prophetas; sed simpliciter, Quod dictum est per Prophetam: nunc autem pluraliter Prophetas vocans, ostendit se non verba de Scripturis sumpsisse, sed sensum.* Nec desunt exempla in quibus fit allusio ad aliquid contentum in Prophetis, ipsis non specificè nominatis. Denique superuacanea fuissent illa verba & falsa, *& habemus*, &c. si non esset aliqua prophetia: & comparatiuum supponit positiuum. Si ergo Petri narratio firma est, & positiua; & alteram firmiorem, cui eam comparat, oportet esse.

Lib. 1. Comment. in Matth.

Matth. 2, 23.

Tertiò, dici posset esse verè vaticinium diuinæ Transfigurationis, sed vel Iudæorum malitia, vel temporis iniuria, aliáve de causa deperditum, quemadmodum & aliæ sacri Canonis scripturæ perierunt. Quæ responsio firmari potest ex Chrysostomo Homil. 9. in Matth. & in breui enarratione Matth. in cap. 2. sub finem, Theophylacti & Euthymij in illud Matth. 2. *Vt adimpleretur quod dictum est per Prophetas: Quoniam Nazaræus vocabitur.* Isti enim arbitrantur citari ab Euangelista Prophetas aliquos, quorum prophetiæ nunc non extant, sed incuria Iudæorum perierunt, vt Nathan, Esdræ, & aliorum.

Tertio.

Verùm non est necessarium dicere, diuum Petrum ad illas Prophetias confugere voluisse; quia, vt posteà videbimus, aliquæ verè extant.

Reiicitur.

Quartò, dicent fortasse alij, D. Petrum appellatione prophetici sermonis intellexisse non prophetiam aliquam, sed illius interpretationem. Nam & is qui Prophetiam seu Scripturam interpretatur Propheta vocari consueuit; & in veteri Testamento filij Prophetarum dicebantur, 3. Reg. 2. & 4. Reg. 2, 4. & 9. ita etiam Interpretes vocauit Paulus Prophetas, & interpretari, prophetare, 1. Cor. 12. & 14.

Quarto.

Verùm cùm nullus Apostolus testimonium horum producere consueuerit, & horum testimonium non possit esse firmius testimonio Petri, quoquo modo accipiatur, & præterea interpretatio textum ipsum supponit: sed hic non producitur; quare non videtur probanda ista interpretatio.

Reiicitur.

Quintò denique, sit sententia quam sequor; &, quantum ad primam quæstionem, verba illa referri posse & ad Transfigurationem & ad vocem ipsam, & inueniri verè de vtraque Prophetias, quas pro secundæ quæstionis solutione posteà proponam.

Quinta.

Pro cuius intellectu aduerto, factos Scriptores & Prophetas nedum verbis, sed etiam signis factisve ventura & occulta repræsentasse, vt concors est Doctorum sententia; & innumera suppetunt in sacris Literis exempla. Quod cùm ita sit, & non assignetur determinatè sermo propheticus ab Apostolo, relinquitur facultas assignandi nedum manifesta verba, si essent alicuius Prophetæ, sed etiam facta ipsa & apparitiones, vt ostendimus Libro 11. Capite XXXIX. &, secundùm indicatam regulam D. Hieronymi, sequamur sensum potiùs, si possumus inuenire, quàm verba. Nunc dico, ex diuersis locis tam Transfigurationem Christi quàm vocem Patris ostendere

Digitized by Google

Duodecim in veteri & nouo Teſtamento ad Chriſti Transfiguration. facta allu-ſio. Primò.

dere nos poſſe, factoque oſtendimus, & multipliciter.

In primis, ſanctus Moyſes, qui ex conſortio habito cum Deo in monte Sinai ſplendentem faciem ſuam habebat, adeò vt filij Iſraël non potuerint intendere in faciem Moyſi, propter gloriam vultus eius, vt dicitur in Exod. 34,29. & 2.ad Cor. 3,7. Chriſtum Dominum repræſentauit: dum in monte Thabor Dei colloquio fruebatur, facta eſt facies altera, & velut ſol perlucida: cuius ſplendorem non valentes ſuſtinere ſancti illi Iſraëlitæ, Petrus, Iacobus & Ioannes, ceciderunt in faciem ſuam, vt in Euangelio habetur.

Secundò. Secundò, Chriſti Transfigurationem demonſtrauit Regius Propheta, & filius eius Salomon, quando vterque in maieſtate, gloria & honore circumdatus, apparuit.

Tertiò. Tertiò, vidit aliquando Iſaias Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum & eleuatum inter duos Seraphinos clamantes, *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum.* Ecce Chriſtus gloria & honore circumdatus, velut inter duos Seraphinos, Moyſem & Eliam, loquentes exceſſum quem ille completurus erat in Ieruſalem, ſe in monte Thabor oſtendit ſanctæ illi Apoſtolicæ Triadi in Iſaia præfiguratæ. Et ſi domus, in qua viſionem vidit Iſaias, repleta eſt fumo; in iſto monte nubes obumbrans apparuit: ſi ibi timuit Propheta; dicebat enim, *Ve mihi quia tacui*; & hîc diſcipuli *ceciderunt in faciem ſuam, & timuerunt valdè.*

Iſa. 6,1.

Quartò. Quartò, vir ille veſtitus lineis, cuius facies erat velut ſpecies fulguris, qui apparuit Danieli, non obſcurè myſterium quod tractamus præmonſtrat. Hinc habemus, quod ſi prophetico ſermone actus ipſos & figuras intelligere velimus, non difficile eſſe illum adinuenire; ſed & Scripturas & Prophetias clariores inquiramus.

Dan. 10,5.

Quintò. Quintò, Iob cap. 36,32. ſunt hæc verba litteris conſignata: *In manibus abſcondit lucem, & præcepit ei, vt rurſus adueniat. Annuntiat de ea amico ſuo, quòd poſſeſſio eius ſit, & ad eam poſſit aſcendere.* Loquitur hiſce verbis ſanctus Iob ad litteram, ſecundùm Lyranum, de ſpiritualibus gratiis quas Deus electis ſuis manifeſtat, & reprobis abſcondit: quare non immeritò ad peculiarem gratiam aliqui eadem aptantes accommodant myſterio glorioſæ Transfigurationis, oſtenſo ſuis dilectiſſimis in hunc modum. Abſcondit Deus in manibus diuinitatis & gloriæ ſuæ lucem, quando homo factus ſub mortalitatis velo Deitatem ſuam velauit. Sed præcepit huic abſconditæ luci, vt rurſus adueniret, & manifeſtaretur, quando in monte Thabor gloriam ſuam (quam impio Iudæ abſcondit, & aliis diſcipulis, quòd inter eos Iudas adeſſet) manifeſtauit dilectiſſimis ſuis Moyſi & Eliæ, Petro, Iacobo & Ioanni, cùm coram ipſis in monte Thabor glorioſus apparuit, facies eius vt ſol reſplenduit, & veſtimenta alba ſicut nix apparuerunt. Vnde intelligere potuerunt, quòd ad gloriam duce Chriſto poſſint aſcendere, vel etiam ad ipſum Chriſtum Dominum, & obiectum gloriæ.

Gratiæ, quas reprobis Deus abſcondit, electis manifeſtat.

Sextò. Sextò, ad eamdem Transfigurationem etſi obſcurè Dauid alludit Pſal. 88,13. *Thabor & Hermon in nomine tuo exultabunt*, &c. vt Capite præcedenti explicuimus.

Septimò. Septimò, manifeſtiùs Pſal. 103,2. *Confeſſionem & decorem induiſti, amictus lumine ſicut veſtimento*, &c.

Octauò. Octauò, Habacuc 3,2. appoſita Doctorum interpretatione, vbi hæc leguntur: *Domine opus tuum, in medio annorum viuifica illud. In medio annorum notum facies.* Septuaginta Interpretes hæc verba ita verterunt, *In medio duorum animalium cognoſceris.* Quæ verſans D. Auguſtinus lib. 18. cap. 32. de Ciuitate Dei, & Orat. contra Iudæos & Paganos cap. 13. hæc ad inſtitutum affert: *In medio duorum animalium cognoſceris; quid eſt, niſi aut in medio duorum Teſtamentorum, aut in medio duorum latronum, aut in medio Moyſi & Eliæ cum eo in monte ſermocinantium?* Sed quòd inter alias expoſitiones duo animalia, Moyſen & Eliam in Chriſti Transfiguratione apparentes eſſe interpretatus, fecit id priùs Tertullianus lib. 4. Aduerſus Marcionem c. 22. dicens: *Domine audiui auditum tuum, & extimui. Quem magis, quàm vocis cæleſtis illius, Hic eſt Filius meus dilectus, hunc audite? Conſideraui opera tua, excidi mente. Quò magis quàm cùm viſa claritate eius neſciit quid diceret Petrus? In medio duorum animalium cognoſceris Moyſi & Eliæ.* Hæc ille. Et clare ibidem ſubdit Propheta: *Splendor eius vt lux erit.*

Nonò. Nonò, vox Patris habetur Pſalm. 2,7. *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Filius naturalis, atque ipſi Patri conſubſtantialis, gloria & honore circumdatus, vt decet ſupremi Regis vnigenitum Filium; ac conſequenter huiſce gloria Transfigurationis præmonſtrata fuit.

Decimò. Decimò, Deut. 18,15. *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis ſicut me, ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus: ipſum audies.* Dicamus etiam, & ſimul ad tertiam quæſtionem reſpondeamus, propheticum ſermonem

Sermo propheticus etiã de Scripturis noui Testamenti intelligendus.

monem referri posse, nedum ad Scripturas veteris Testamenti, sed etiam noui; vnde Apocal. 10. dixit Angelus Ioanni: *Oportet te iterùm prophetare Gentibus & populis*, &c. His enim verbis indicare voluit Angelus, Ioannem ab exilio reuersum diuino spiritu & prophetico scripturum Euangelium, quod cunctis gentibus & Regibus mundi erat annuntiandum. Ioannes enim scripsit Euangelium post Apocalypsim, vt doctoribus placet. Et ita illum Apocalypsis locum interpretantur, Andreas, Arethas, Primasius, Beda, & alij.

Etiam noui Testamenti Scriptura Prophetia appellantur.

Et nos in proposito propheticum sermonem vndecimò dicamus Euangelium Matthæi, Marci & Lucæ, vbi narratur Christi Transfiguratio. Et dicitur propheticus sermo; non quia futura prænuntiet, sed quia etiam præterita, sed incognita, veraciter enuntiat, & quia à Spiritu sancto dictatum. Prophetia enim omnia percurrit tempora, vt Hom. 1. in Ezechielem docet S. Gregorius, & S. Ioannes Chrysostomus Tractatu in Psal. 43.

Vndecimò.

Obiectio.

Dices, Euangelium non est firmior sermo Epistolâ D. Petri; quoniam tam illud quàm ista Spiritu sancto inspirante conscripta, & in Canone librorum Catholicorum contenta: & cùm eidem infallibili principio innitantur, sancto videlicet Spiritui, non est dicendum, illud istâ firmiorem esse sermonem.

Solutio.

Respondetur: Scriptura Canonica potest dupliciter spectari; vno modo, vt à Spiritu sancto dictata; alio modo, vt conuenit cum aliis Scripturis quæ nituntur humano testimonio; continetque aliqua, quæ licet Spiritu sancto reuelante dictata fuerint, tamen & ab ipsismet Scriptoribus fuerunt visa. Et Scriptores sacri expostulant aliquando vt sibi adhibeatur fides; & quia sacri Scriptores, & quia humani & oculati testes, vt patet Ioan. 19, 35. & 21, 24. Dico nunc: Si Scriptura sacra priori modo consideretur, vna non est alterâ firmior, vt manifestum est, & benè probat argumentum. Si verò eadem Scriptura spectetur secundùm posteriorem considerationem præcisè, & alteri comparetur priori modo consideratæ, tunc ista verè dicetur firmior sermo. Ad propositum. D. Petrus voluit, vt à se relatis in illa Epistola de Christi Transfiguratione, vt Scriptori oculato & aurito, fides daretur; & verba illa ostendunt, *Speculatores facti illius magnitudinis*; & illa, *Et hanc vocem audiuimus*, &c. & illa particula, *& habemus*, &c. amplificat excellentiam alterius Scripturæ & testimonij, non humani, sed prophetici; quod absque dubio illo firmius, veteris siue noui Testamenti sit. Dicturque firmius ipsamet voce Patris, non vt ab ipso prolata, sed vt carneis auribus, quæ decipi possunt, percepta: & quia non potuit Petrus benè aduertere, præsertim quando cecidit in faciem suam. Sed in Prophetia vel Euangelio diuina reuelatione edito, nulla deceptio excogitari potest; & consequenter firmior sermo.

Duodecimò. Sermo Christi sermo propheticus.

Duodecimò denique, potest etiam verissimè dici, propheticum sermonem esse sermonem ipsius Christi; dixit enim apud sanctum Matthæum: *Sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in regno suo.* vbi per *regnum Dei*, secundùm omnium veterum interpretationem, Origenis, Hilarij, Chrysostomi, Hieronymi, Bedæ, Theophylacti, Euthymij, Ambrosij, Augustini, Remigij, & aliorum recentiorum, suam gloriosam Transfigurationem intellexit; quam non omnibus, sed quibusdam, & electissimis, Petro, Iacobo & Ioanni manifestauit: quam interpretationem approbare videntur Euangelistæ omnes, dum ad præmissa statim subiungunt, sex pòst diebus Christum coram tribus dictis Apostolis fuisse transfiguratum; nec enim tardat Dominus seruare promissum. Et dicitur *Regnum Dei* Transfiguratio, non quia proprie esset Regnum Dei, sed quia ipsius imago erat; adeò tamen insignis, vt exterruerit sanctos Apostolos, & ea sola Petrus fuerit contentus. Et Christi hic propheticus sermo absque dubio firmior est & certior corporali Apostolorum visione.

Et breuiter dicta colligendo dicimus, verba Principis Apostolorum referri posse ad ipsam Christi Transfigurationem, & vocem Patris; & ad hæc adducta ex veteri ac nouo Testamento dici firmiorem sermonem aspectu & relatione Petri & aliorum Apostolorum, non absolutè, sed prout horum visio & relatio humano ac naturali nititur testimonio: nam hoc Diuino & Prophetico cedere certissimum est. Et hæc probabiliter proposita sint.

CAPVT IV.

De ciuitate Naim, tertio loco quartæ Peregrinationis.

INter alia loca quæ ex Thabor monte de longe cernuntur, memorabilis est ciuitas Naim in illius plaga Meridionali posita, & in colle sita, de qua pauca in præsenti. Sed priùs notandum, esse duplicem locum Naim nomine appellatum; alterum vicum Idumææ muro cinctum instar castelli, cuius ex Iosepho lib. 5. Belli cap. 7. memi-

Naim duplex, vicus Idumæa, & ciuitas Galilææ.

meminit Adrichomius de Pharan deserto num. 65. alterum, ciuitatem Galilææ, de qua idem Adrichomius in Issachar nu. 46. hæc habet: *Naim, Græcè Nain, decora & pulchra ciuitas, quam torrens Cison alluit, sita est in latere Aquilonari montis Hermon minoris; in secundo milliario montis Thabor contra Meridiem, non longè ab Endor: ante cuius portam Christus filium viduæ vnicum à morte suscitauit. Permansit ciuitas vsque ad tempora Hieronymi.* Hæc ille.

Locus viduæ filij resurrectione memorabilis Ecclesiâ illustratus.

Et Bonifacius de ea, prout erat suo tempore, & etiam nunc, sic scribit: *Nunc autem vix octo aut decem domunculis constans, in loco, vbi Christus filium viduæ suscitauit, erat fabricata Ecclesia, nunc præ vetustate solo æquata cernitur.* Ita ipse.

Quæ vel D. Hieronymus, Brocardus, aliive de ea scripserunt, breuiter cum Adrichomio perstrinximus. Naim Hebraicè pulchram significat Latine: & pulchra quidem situ, sed pulchrior reddita præsentia & miraculo Christi Domini.

Naim nominis significatio.

Aliqui, inter quos est Toletus, arbitrati fuere, Magdalenam in Naim ad Dominum accessisse, & suorum criminum ab eo veniam impetrasse.. Sed de hoc Libro IV. Cap. VII. Peregrinat. III.

CAPVT V.

De Sephori siue Diocæsarea ciuitate, quarto loco quartæ Peregrinationis.

PRocedendo ex Nazareth ciuitate inter Occidentem & Aquilonem per montes & colles, peracto itinere quatuor milliarium, inuenitur Sephoris siue Diocæsarea ciuitas, Arabicè *Sepheria*; sed priùs longè à Sephori, milliario vno & amplius, in læua parte viæ, in quadam planicie inuenitur fons abundanter salubres exhibens aquas. De isto ita loquitur Adrichomius in Zabulon num. 45. *Fons Sephorianus, fons celeberrimus est, prope ciuitatem Sephorim versus Nazareth situs; vbi, propter herbarum ac aquarum copiam, Ierosolymitani Reges exercitum cogere solebant.* Hæc ille.

Fons Sephorianus.

A fonte vlteriùs aliquantulùm procedendo supra montem villa cernitur, dicta Arabicè *Ras ain*, id est caput fontis, & fons Sephoris. Et ex aqua indicati fontis nedum huius villæ habitatores, sed ipsi Sephorienses recreantur. Altero confecto milliario inuenitur Sephoris, olim egregia & nobilis ciuitas, vt patet apud Adrichomium loco citato num. 88. Nunc diruta & desolata iacet, rusticanas dumtaxat continens domos, & multas obiiciens oculis ruinas; quibus intelligitur quàm eximia olim extiterit vrbs. Celebris est, & digna vt visitetur, quòd credatur patria Ioachim & Annæ, sanctorum Dei Genitricis parentum. Et in loco vb. Ioachim domus erat, fuit postea illustris ædificata Ecclesia ex quadratis lapidibus: duos habebat ordines columnarum, quibus triplicis nauis testudo fulciebatur: in capite tres habebat capellas, in præsentia in Maurorum domunculas accommodatas.

Sephoris olim nobilis ciuitas, nunc diruta.

Patria Ioachim & Annæ.

In loco vbi Ioachim fuit domus, Ecclesia ædificata.

Hinc pulcher prospectus: infrà ad partem Aquilonarem videntur quædam sepulchra, quæ Hebræi multùm venerantur; ad Occidentem Cana Galilææ, distita sex milliaribus, & vallis spatiosa Zabulon.

CAPVT VI.

De Cana ciuitate Galilææ, quinto loco quartæ Peregrinationis.

DVplicis Canæ inuenio mentionem fieri in sacris Literis & Ecclesiasticis Scriptoribus; alterius quæ maior, & alterius quæ minor Cana appellatur: illius Iosue 19, 28. istius Ioan. 2, 1. illa in superiori Galilæa, & tribu Aser, ista in Galilæa inferiori & tribu Zabulon describitur: contra se oppositæ & ab inuicem distitæ spatio 50. circiter milliarium, vt patet in Descriptione Terræ sanctæ. De illa agit Adrichomius in Aser num. 31. de ista in tribu Zabulon num. 23. & nos de hac eadem in præsentia agemus.

Cana duplex, maior & minor.

Hæc Cana est ciuitas Galilææ posita in tribu Zabulon; quæ, teste D. Hieronymo de Locis Hebraicis littera C, dicitur Cana Galilææ in Euangelio, & Cana minor, ad differentiam alterius Canæ. Sed de illius proprio situ non omnes conueniunt: quidam enim illam proximam ciuitati Nazareth, quidam magis ab eadem distitam & in opposita parte ponunt.

Hic de minori.

Et vt quæ probabilior iudicabitur sententia seligatur, dicam quæ audiui, vidi & legi. Apud Nazarethas, & alios proximos habitatores, duplicis Canæ Galilææ fit mentio (excepta illa maiori) alterius, quæ *Cana Galilea* simpliciter, alterius quæ *Sepher Cana* dicitur. Cana Galilææ describitur in Occidentali plaga Nazareth parum ad Aquilonem vergendo, in colle supra pulchram & spatiosam planitiem Zabulon; distita à Sephori ad sex, à Nazareth decem circiter milliaribus: villula est exigua pauculas continens domos, nullam Ecclesiam, nec signa Ecclesiæ, vt cum aliis obseruaui: ibi non sunt vineæ, nec multæ arbores, sed paucæ oleæ.

Sepher Cana in his partibus etiam nominatur.

Cana Galilææ situs & conditio.

Sepher

Digitized by Google

Sepher Cana vbi, & quid.

Sepher Cana distat à Nazareth quatuor milliaribus: in eius Aquilonari plaga inclinando ad Orientem est in monte sita; circa spatiosam habet planitiem, vbi multæ arbores: continet multas domos; ibique Ecclesias esse accepi. Caietanus ciuitatem fuisse insinuat Ioan. 2. sed Haymo Hom. Dominic. 11. post Epiphaniam, eam viculum esse commemorat non longè distantem à Nazareth. Fortè tempore Christi ciuitatula erat, postea in vicum redacta.

Dubium.

Sed quænam ex his est, cuius fit mentio in Euangelio, & primo Domini nostri miraculo, conuersionis videlicet aquæ in vinum in nuptiis condecorata?

Responsio.

Aranda Terræ sanctæ explorator Tractat. 2. cap. 4. priorem esse indicat, dum tradit illam decem milliaribus à Nazareth distare. In eadem sententia est Adrichomius, licet non videatur illam in proprio situ delineasse; quia longiùs à Sephori quàm sit, & in plaga Nazareth Meridionali, vt videre est apud eumdem loco posteriùs citato.

Sanctus Bonaventura in libro de Vita Christi cap. 20. posteriorem fuisse indicat, id est, Sepher Canam, dum dicit distare à Nazareth ferè quatuor milliaribus.

Contentit F. Bonifacius, diligens Terræ sanctæ lustrator, dum in suo Opusculo de Perenni cultu Terræ sanctæ dicit: *Cana Galilææ est viculus quidam primi signi & miraculi Christi Saluatoris nostri familiaris; quia vocatus ad nuptias cum discipulis suis, vbi, deficiente vino, ad preces Matris aquam in vinum optimum conuertit; quapropter dicit Ioannes:* Ioan. 2, 11. *Hoc autem fecit initium signorum Iesus in Cana Galilææ, & manifestauit gloriam suam, & crediderunt in eum discipuli eius. Hæc Cana Galilææ est iuxta Nazareth ad tria milliaria in tribu Aser à Septemtrione in latere cuiusdam magnæ planitiei, in qua frumenta colliguntur multa. De hoc dixit Iacob Patriarcha in spiritu, in benedictione Aser, ita dicens:* Genes 49, 20. *Aser pinguis est panis eius, & prabebit delicias Regibus. Hic cernis, pie cultor, Helenæ matris magnum opus in Ecclesia, quam negligentia Christianorum Principum, cum iniuria Creatoris & Saluatoris, dirutam, & in ruinis nunc aspicis.* Hæc Bonifacius.

In eo autem quod dicit Bonifacius, Canam hanc esse in tribu Aser, prouenit fortè, quia non aduertit ad duplicem Canam, & quod D. Hieronymus dixit de Cana maiori, ipse dixit de minori, quæ, vt dictum est, in tribu Zabulon collocatur; vel quia proxima tribui Aser.

Adstipulari videtur huic sententiæ sanctus Hieronymus, dum in Epistola ad Marcellam ait: *Haud procul inde*, id est à Nazareth, *cernetur Cana, in qua aquæ in vinum versa sunt.* Sed verius intelligitur non procul abesse, quod tantùm tribus vel quatuor milliaribus, quàm quod nouem vel decem distat. Epist 17. Tomo 2.

In Sepher Cana probabiliter nuptiæ celebratæ.

Posterior hæc sententia mihi valdè probabilis videtur (licet alteram reiicere non audeam) quoniam proximior Nazareth, vnde commodiùs potuit beata Maria vocari ad nuptias: venit enim ex Nazareth, vt sentit Barradius Tom. 2. lib. 3. & quia potest maior adinueniri memoria Ecclesiæ constructæ in loco miraculi; & quia experti harum partium, & qui anteà floruerunt, idipsum videntur indicare. Est etiam ibi fons, ex cuius aqua, vt dicitur, hydriæ illæ fuerant impletæ, quæ in vinum fuit transmutata.

In Hodœporico sancti VVillibaldi Episcopi hæc habentur: *In villa Canæ est Ecclesia magna, & in Ecclesia illa stat altare vnum de sex hydriis, quas Dominus iussit impleri aqua, quæ in vinum versa est: & de illo communicauerunt vino.*

Sponsus & sponsa nuptiarum qui fuerint.

Inter alia quæ circa hæc quæri possent, duo non videntur hic omnino silentio prætereunda: alterum, quinam fuerit illatum nuptiarum sponsus? alterum, quænam fuerit sponsa? Ad primum respondent aliqui, fuisse Ioannem Euangelistam: qui, ob Christi visum miraculum conuersionis aquæ in vinum, sponsa intacta relicta Christo adhæsit.

Sponsus non fuit Ioannes Euangelista.

Pluribus aliis non probatur ista sententia: Primò, quia nullus veterum Patrum illam docet; tum quia Christus illis interfuit nuptiis, vt approbaret nuptias tamquam bonas, vt docet D. Augustinus Tractat. 9. in Ioann. vel vt confirmaret, quòd ipse fecit nuptias, vt D. Cyrillus sentit. Et quomodo approbasset, & illarum Auctorem se ostendisset, si illas dissoluisset, admisso illarum sponso in suum sodalitium? tum quia virginitati Ioannis præiudicat, quòd semper virgo mente non fuerit.

Secundò, quia Ioannes illis non interfuit nuptiis, secundùm Epiphanium Hæresi 51. & si interfuit, certè non ex illis vocatus à Christo; quia constat ex Matthæo & Marco, fuisse cum fratre suo Iacobo vocatum ad mare Galilææ retia reficientem, & vtrumque, omnibus relictis, inde Christum fuisse secutum. Et quomodo aliquis Euangelistarum mentionem non fecit illius vocationis?

Denique, id asseuerare præiudicat excellenti virginitati Ioannis, quòd aliquando non fuerit virgo mente & voluntate,

& illi quod de Ioanne dicit Ecclesia, quòd *Virgo electus à Deo, virgo in æuum permansit*; quia virgo tantùm corpore, simpliciter & cum laude virgo dici non meretur; quia naturalis virginitas naturæ conditio est. Et consequenter auferetur à Ioanne excellentissima virginitatis lauteola; quoniam etsi hæc concedatur etiam his qui propositum illam seruandi interruperunt, & posteà nouo proposito eamdem elegerunt, tandemque mente ac corpore virgines è viuis decesserũt; verùm non tam perfectam obtinebunt, vt illi qui perpetuò corpore & mente virgines fuerunt; vt ratio persuadet, & docet Abulensis in cap. 13. Matth. q. 19. sed illud non est asseuerandum considerata eximia dignitate Ioannis. A recentioribus etiam communiter reiicitur ista sententia.

Virginum laureola quibus concedatur.

Fuit Simon Cananæus vel alius Iesu amicus.

Nicephorus lib. 8. cap. 30. Hist. Eccles. quem plures sequuntur, tradit sponsum illarum nuptiarum fuisse Simonem Cananæum, qui vnus ex duodenario numero Zelotes est dictus. Cana enim zelum significat, vnde à patria Cana, id est Zelote, Zelotes fuit appellatus. Et certè fuit aliquis amicus vel propinquus Iesu, & Matris eius; & ideò ad ipsas vocati fuerunt.

Obiectio.

Sed contra hanc secundam sententiam fortasse quispiam adducet primam rationem adductam contra primam sententiam, Christum non approbasse, sed reprobasse nuptias, si illarum nuptiarum sponsus fuit Simon Zelotes Christi Apostolus, quoniam & ipse sponsam reliquisset; quoniam Apostoli sequentes Christum, nedum facultates, sed etiam vxores, si habuerunt, reliquerunt, secundùm illud Petri: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.* Matth. 19. 27.

Solutio.

Respondeo, non militare contra hanc sententiam; quia etsi sponsus ille fuerit Simon, non ideò dicitur tunc fuisse vocatum ad Apostolatum; sed ipse posteà, de consensu vxoris, eadem quoad thorum relicta, Christo adhæsit, & Apostolicò collegio aggregatus fuit: nam approbando nuptias, non abstulit Christus facultatem amplectendi cælibatum, & sequendi perfectiorem viuendi rationem.

Sponsa quæ fuerit incertum.

Secundum considerandum est, quænam fuerit earumdem nuptiarum sponsa. D. Antoninus 3. p. Summæ tit. 21. §. 3. refert, existimasse nonnullos sponsam in his nuptiis fuisse Mariam Magdalenam.

Sed hoc obscurum figmentum esse dicit Ioan. Molanus de Sacris imaginibus lib. 4. c. 20. & alterum infirmis niti argumentis; & ideò in nuptiis Canæ non benè pingi Mariam Magdalenam sponsam, & Ioannem Apostolum sponsum. Hunc vide, si placet, & Cardinalem Baronium Tom. 1. an. Christi 31. n. 30. & 31. Maldonatus in c. 2. Ioannis de hoc in hunc modum scribit: *Constat ex descriptione Galilææ Canam vicinam fuisse Nazareth, vbi Mater Domini habitabat; & est verosimile alicuius cognata & valdè familiaris mulieris fuisse nuptias, ideoq; & vocatam fuisse Virginem, & vocatam ire non recusasse.* Nihil tamen determinatè circa hæc possumus asseuerare, cùm sponsi & sponsæ nomen silentio pertransierit Euangelista. Plura de his collegit Carthagena Tom. 3. lib. 11. Hom. 12.

In loco nuptiarum Ecclesia ædificata.

In loco nuptiarum vbi Christus memorabile illud fecit miraculum, *Helena*, inquit Nicephorus citatus, *Constantini Imperatoris mater, in Cana Galilææ, vbi Simonis Cananæi nuptiæ celebratæ sunt, sacram ædem ædificauit.*

Brocardus 1. p. c. 6. §. 1. dicit suo tempore Ecclesiam fuisse collapsam, adeò vt aggere excrescente locus sic subtus remanserit, vt opus fuerit ad ipsum descendere per scalam. additque: *Vsque in dies nostros triclinium & locus, in quo dispositæ fuerant sex hydriæ, ostenduntur*, &c. In priori quidem illa Cana descenditur in quoddam antrum, sed omnino nuptiis ineptum.

Oriundi ex Cana.

S. Simon Apostolus, ait Adrichomius, & Nathanaël etiam ille verus Israëlita, in quo dolus non fuit ex testimonio Saluatoris, fuit ex Cana; sed hunc alterius maioris, quidam dicunt. Sed si Cana hæc minor dicitur Galilææ, ad differentiam maioris, & hic Nathanaël discipulus dicitur fuisse à Cana Galilææ Ioan. 21, 2. consequens est vt dicamus fuisse huius & non alterius ciuem. Hunc Nathanaëlem fuisse Bartholomæum existimat Rupertus lib. 14. in Ioan. cuius sententiam adducit, sequitur & probat Salmeron To. 11. Tract. 28. eiusque domum fuisse in Ecclesiam dedicatam: nunc in Mesquitam Turcarum conuersam, dicunt aliqui.

Ex hac eadem Cana fuisse mulierem illam Cananæam, cuius filiam Dominus à dæmone liberauit, fuit aliquorum opinio; at non ex ista, sed ex altera maiori in tribu Asser proxima Tyro & Sidoni, ex quarum finibus accessit ad Dominum, mihi cum aliis probabilius videtur: Syrophœnissa etenim appellatur in Euangelio. Non desunt tamen qui dicant ideò Cananæam appellari, quòd ex posteritate Canaan superstes fuerit: sed quidquid sit de hoc, illud verissimum, Syrophœnissam & Gentilem verè fuisse, vt dicitur Marc. 7, 26. Matth. 15.

Cana filium Reguli animam agentem Christus sanũ fecit.

In Canam Galilææ venit Christus post Samaritanæ conuersionem; ibique filio Reguli animam agenti ad preces patris sanitatem est elargitus, patremque ab incredulitate liberauit, Ioan. 4, 46. Et hæc de Cana & quarta Peregrinatione satis.

PERE-

Digitized by Google

PEREGRINATIO V. *in qua recenſentur & enucleantur duodecim memorabilia loca, occurrentia proficiſcentibus ex ſancta ciuitate Nazareth vſque ad mare Tiberiadis & vadum Iacob, ſiue Iordanis.* I. *Via qua itur ex Nazareth ad mare Galilææ.* II. *Montes, in quibus Chriſtus ſemel & iterùm ex paucis panibus & piſcibus plura hominum millia ſatiauit.* III. *Mare Galilææ.* IV. *Ciuitas Tiberiadis.* V. *Emmaus vicus Galilææ, & balneum.* VI. *Magdalon caſtellum.* VII. *Bethſaida ciuitas.* VIII. *Vrbs Capharnaum.* IX. *Fons Capharnaum.* X. *Ciſterna Ioſeph.* XI. *Pons ſiue vadum Iacob.* XII. *Denique aquæ Meron.*

CAPVT PRIMVM.

De via qua ex Nazareth ad ciuitatem Tiberiadis itur, & aliquibus in ea occurrentibus memorabilibus locis; & eſt quod primo loco ſe offert in iſta quinta Peregrinatione.

A Nazareth diſcedentes Tertæ ſanctæ peregrini, vt luſtrent viſitentque alia Galilææ memorabilia loca à iam explicatis, ad mare Galilææ procedunt, iter illud eligentes, quod temporis opportunitas ſuppeditabit. Nos proponemus iter commodius ad videnda plura memorabilia loca, magisque ordinatum ad mare Tiberiadis, & ipſam Tiberiadem, & inde ad vadum Iacob.

Diſtantia Tiberiadis à Nazareth. Diſtat Tiberias à Nazareth viginti quatuor milliaribus, &, ſecundùm Adrichomium, triginta; & in iſto itinere ſequentia oſtenduntur inter alia: Primò, *Arena* villula, peractis duobus milliaribus ad Aquilonem verſus.

Loca in via occurrentia.

Arena.

Michieth. Secundò, totidem confectis, conſpicitur locus *Michieth* appellatus in læua parte ſupra montem; creditus patria Ionæ, vbi & ſepulchrum eius eſſe fertur. Ibi etenim oſtenditur non inelegans Turcarum meſquita, intra quam ſacellum eſt clauſum, in quo corpus ſancti Ionæ ſepultum eſſe perhibetur: deſuper per foramen lampadem demittunt Turcæ ad honorem Prophetæ; & in latere per aliud inſpicitur. Permittunt illi Chriſtianis in meſquitam ingredi, ſolutis tamen de pedibus calceamentis, & quæ diximus videre; vt fide digni, qui ibi fuerunt & viderunt, narrauerunt mihi.

Sepulchrum Ionæ.

Huic traditioni fauere videtur S. Eccleſia cum D. Hieronymo: illa, dum in Martyrologio Romano die 21. Septembris ait: *In terra Saar ſancti Iona Prophetæ, qui ſepultus eſt in Geth.* iſte ad Chromat. in Procœmio ſuper Ionam; qui etiam quid ſit Geth in originali explicat, vt ſequitur: *Geth in ſecundo Sephorim milliario, quæ hodie appellatur Diocæſarea euntibus Tiberiadem, haud grandis eſt viculus, vbi & ſepulchrum eius oſtenditur: quamquam alij iuxta Dioſpolim, id eſt Liddam, eum & natum & conditum velint; non intelligentes hoc quod additur, Opher, ad diſtinctionem aliarum Geth vrbium pertinere, quæ iuxta Eleutheropolim, ſiue Dioſpolim, hodie quoque monſtrantur.* Et ita referunt aliqui Expoſitores ſuper hunc Prophetam.

D. Hieronymo adhæſit Adrichomius, dum in tribus Zabulon deſcriptione numero 56. ait: *Gethefer, Getepher, Getacepher, aliàs Geth, quæ eſt in Opher, ſiue Ofer aut Epher, haud grandis eſt viculus in ſecundo Sephorim milliario euntibus Tiberiadem, vbi natus & ſepultus eſt Ionas Propheta: cuius ſepulchrum tempore Hieronymi adhuc ibi oſtendebatur. Quod autem additur, quæ eſt in Opher, ad diſtinctionem aliarum Geth vrbium pertinet, ait Hieronymus, quæ iuxta Eleutheropolim & Dioſpolim hodie quoque monſtrantur. Eſt autem Opher ciuitas regia, cuius fit mentio Ioſ. 12.* Geth autem eſt terra, in qua eſt Michieth viculus, quaſi viculus Geth. Poteſt enim Michieth eſſe nomen corruptum, vt pleraque alia in his partibus; & eſt ſecus viam ad Tiberiadem, & non longè à Sephori, vt dixit S. Hieronymus.

Eſſe in nouo Ninive dicunt Neſtoriani. Neſtoriani, ſiue Chaldæi, docent, corpus Ionæ eſſe in Chaldæa in noua Niniue ciuitate, quæ Arabicè dicitur *Medineth el Muſol*; quæ diſtat à veteri Niniue, nunc deſtructa, circa decem milliaria. Locus, vbi eſſe dicitur corpus Prophetæ, eſt vltra flumen ciuitatis circa dimidium milliaris, Chaldaicè *Nebi Ionan*, Arabicè *Nebi Iunes*, ideſt, Propheta Ionas appellatur. Locum hunc tenent & venerantur Turcæ: qui, vt eumdem Chriſtiani viſitent, permittunt. Non longè ab eo ſunt duo Chaldæorum monaſteria: alterum *mar Elias*, id eſt ſanctus Elias; & alterum *mar Michaël* dicitur, ideſt S. Michaël.

Si in viculo Michieth credatur tumulatum fuiſſe Ionam, in iſto poſteriori loco erit alia eiuſdem Prophetæ memoria; quia in illis partibus fuiſſe creditur. Sed ad viam Tiberiadis reuertamur: Michieth viculo ad læuam relicto, in dextera cernitur Sepher Cana, de qua Capite vltimo præcedentis Peregrinationis.

Sepher Cana.

Vbi Chriſti diſcipuli ſpicas vellebant.

Meſchina villula.

Tertiò, inde procedentes aſcendimus planitiem, vbi (vt habet vetus traditio) Chriſti diſcipuli vellebant ſpicas, vt dicitur Matth. 12. Ibi Meſchina villula re & nomine, diſſita milliaribus ſex à Sepher Cana.

Menſa Chriſti.

Hinc ſeptem milliaribus per latam planitiem abſolutis, inuenitur quartò locus Menſa Chriſti nuncupatus; in quo Chriſtus miraculum multiplicationis ſeptem panum operatus fuit, vt oſtendemus Capite ſequenti: & pro ſigno magni lapides ibidem monſtrantur.

Mons Chriſti, ſiue Beatitudinum.

A læua, in plaga Aquilonari viæ, oſtenditur quintò mons Chriſti, ſiue Beatitudinum, appellatus, diſſitus à via circa vnum milliare: de quo plura Adrichomius in Nephthalim num. 69. & conſentit Auctor Hiſtoriæ Scholaſticæ in Euangel. cap. 74.

Eius conditio.

Non eſt multùm excelſus mons iſte, ſi comparetur ad inferiorem circumſtantem planitiem, quæ & mons appellari poteſt reſpectu inferioris regionis per quam venimus. Et ita non acumine modò bicipiti oleis operto, ſed toto monte conſiderato, verè altus erit, & ex ipſo optimus proſpectus. Sunt in eius ſummitate ædificiorum ruinæ: & creduntur eſſe alicuius Eccleſiæ ad honorem Doctoris Chriſti ædificatæ.

Deſcribitur à Matthæo & Luca.

Et totum locum videntur deſignare & deſcribere Matthæus & Lucas: ille montis planitiem, dum cap. 5, 1. dicit: *Videns autem Ieſus turbas, aſcendit in montem; & cùm ſediſſet, acceſſerunt ad eum diſcipuli eius, & aperiens os ſuum docebat eos, dicens: Beati pauperes ſpiritu*, &c. iſte verò cap. 6, 12, 17. cacuminis, quod ad orandum, & planitiei, quam ad docendum humani generis Reparator elegit, ſequentibus mentionem fecit; priùs cacuminis, dicens: *Factum eſt autem in illis diebus, exiit in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei*, &c. poſtenùs planitiei, dum paucis interpoſitis ſubiungit: *Et deſcendens cum illis* (Apoſtolis) *ſteteit in loco campeſtri, & turba diſcipulorum eius, & multitudo copioſa*, &c. Vbi diſcipulos docuit Beatitudines, & multa ſigna fecit. Et ex huius loci conſideratione

Euangeliſtarum conciliatio.

conciliantur Matthæus & Lucas, qui videntur inter ſe diſſidere: ille, dum ait, Chriſtum aſcendiſſe in montem, & docuiſſe; iſte, dum affirmat, deſcendiſſe de monte, & ſtetiſſe in campeſtri loco, dum ſimiliter docuit: quia Matthæus de cacumine, Lucas de inferiori eius planitie locutus eſt.

Ad Septemtrionem huius montis in pede eſt fons Capharnaum, de quo Cap. IX. præſentis Peregrinationis: ſunt viridaria: & ipſe mons totus amœnus & fecundus eſt.

A Menſa Chriſti vſque ad mare Tiberiadis, & ipſam ciuitatem Tiberiadem, ſunt ſex milliaria; & ita in vniuerſum, à Nazareth vſque ad Tiberiadem erunt milliaria vigintiquatuor.

CAPVT II.

De monte, vel montibus, vbi humani generis Reparator ex paucis panibus & piſcibus plura hominum millia ſemel & iterùm ſatiauit, ſecundo loco quintæ Peregrinationis.

Chriſti miſericordia in eum ſequentes.

CHriſtus Dominus noſter omnium Moderator & Rector, cùm nobiſcum mortalis in terris verſaretur, etiam miraculosè, cùm vrgebat neceſſitas, ſaluti eorum, qui eum ſequebantur, miſericorditer & liberaliter conſulebat (Quis enim in eo confidit, & derelictus eſt?) vt ex ſacris Litteris pluries feciſſe nouimus; ſed duabus vicibus præſertim illius miſericordia & prouidentia in ſe ſequentes enituit: primò, cùm quinque panibus & duobus piſcibus quinque hominum millia ſaturauit: ſecundò, cùm quatuor hominum millia ex ſeptem panibus & paucis piſciculis ſatiauit. Ita docent S. Hieronymus, Auguſtinus Tract. 24. in Ioan. Chryſoſtomus Homil. 41. & omnes communiter. Prioris conuiuij & miraculi omnes meminerunt ſacri Euangeliſtæ, Matt. 14, 17. Marc. 6, 36. Luc. 9, 13. Ioan. 6, 1. poſterioris verò duntaxat Matth. 15, 32. Marc. 8, 1.

Bis panes miraculoſè multiplicatos.

Diſcrepantia vtriuſque miraculi.

Et fuit inter vtrumque conuiuium diſcrepantia & conuenientia. Diſcrepantia ſequentibus D. Hieronymi verbis explicatur: *Suprà legimus, Veſpere autem facto acceſſerunt ad eum diſcipuli, dicentes: Deſertus eſt locus, & reliqua. Hîc diſcipulis conuocatis ipſe Dominus loquitur: Miſereor turbæ, quia triduò iam perſeuerant mecum. Ibi quinque panes erant, & duo piſces; hic ſeptem panes, & pauci piſciculi. Ibi ſuper fœnum diſcumbunt; hic ſuper terram. Ibi qui comedunt, quinque millia ſunt, iuxta panum numerum quos comedunt; hic quatuor millia. Ibi duodecim cophini replentur de reliquiis fragmentorum; hic ſeptem ſportæ.* Hæc ſanctus Hieronymus.

Conuenientia.

Fuit etiam inter vtrumque conuenientia & ſimilitudo, quòd vtriuſque conuiuij conui-

Digitized by Google

conuiuæ omnes saturati fuere, prope mare Galilææ, supra montem, in deserto loco, omnes ordine suo in terra dispositi. Et quemadmodum in priori miraculo duodecim superfuerunt fragmentorum cophini, iuxta duodecim Apostolorum numerum; ita in posteriori septem superfuerunt sportę, iuxta numerum septem panum. Ecce similitudo & dissimilitudo, conuenientia & disconuenientia.

Meritò autem vtraque esse debuit: conuenientia quidem, vt intelligeremùs vtriusque conuiuij eumdem fuisse Auctorem, cùm simili modo fuerit præparatum; disconuenientia verò, ne confunderentur miracula, & quæ plura fuerant, pro vno tantùm haberentur: *Ne reliquiarum æqualitas*, inquit diuus Chrysostomus, *miraculum confunderet, & oblitionem adduceret, hoc discrimine ac differentia vtriusque signi memoriam voluit confirmare*, &c.

Duæ difficultates.

Ex his quæ necessariò præmittenda fuerant pro materiæ quam tractamus historica explicatione, duæ se offerunt examinandæ difficultates circa locum vbi Christus Dominus duo commemorata operatus est miracula: altera est, num Christus citra mare Galilææ, id est ad læuam eius, & Occidentalem partem, an potiùs vltra mare, ad eius dexteram & Orientalem partem, aluerit illam multitudinem: altera, num in eodem loco, supra eumdem montem, quinque & quatuor millibus hominum conuiuium præparauerit; an potiùs quinque millibus super vno, & quatuor millibus super altero monte.

Prima, num gemina panum multiplicatio citra vel vltra mare contigerit.

Secunda, num vtraque in eodem loco.

Rationes dubitandi.

Et ratio vtriusque difficultatis ex duplici, quod occurrit, capite oritur. Primò,

Prima.

ex D. Hieronymo: qui in Epistola ad Marcellam nomine Paulæ & Eustochij, agens de vtroque miraculo, videtur indicare citra mare, & in eodem loco, fuisse operatum. Etenim postquam locutus fuit de peregrinatione montis Thabor, qui est ad Occidentalem plagam & læuam maris Galilææ, siue Genezareth, de peregrinatione ad hoc mare verba subinferens, dicit: *Inde ad mare veniemus Genezareth, & de quinque & septem panibus videbimus in deserto quinque & quatuor hominum millia saturata.* Ecce quomodo videtur indicare Hieronymus, vtrumque miraculum citra mare fuisse operatum, & prope ipsum: Genezar enim regio, à qua mare denominatur, citra ipsum mare est.

Secunda.

Secundò, ex communi ferè sententia in his partibus habitantium, qui vnanimiter affirmant, citra mare primum quinque panum patratum fuisse miraculum, alterius nec mentionem facientes, locumque citra mare, vt describitur ab Euangelistis, agnoscunt; ideò illum Mensam Christi appellant, vt posteà Bonifacium referentes dicemus. Monstraturque ibi lapis in memoriam illius positus, supra quem peregrini aliqui, & Armeni præsertim, transeuntes panem ponunt, & benedictum cum gratiarum actione sumunt.

Duæ sententiæ. Prima, quinque panum multiplicatio citra mare contigit.

Circa propositas difficultates non est omnium eadem sententia. Brocardus Itiner. 3. dicit, primum miraculum quinque panum factum fuisse in monte non longè à Capharnaum; & consequenter citra mare, vbi est Capharnaum.

Ante Brocardum idem tradiderunt Beda & Adamnanus; sed hunc audiamus: *Ad locum*, inquit, *vbi Dominus quinque panes & duos pisces benedixit, noster sæpè memoratus pernenit Arculphus: cuius herbosus & planus campus, ex qua die in eo Saluator quinque millia quinque panibus & duobus piscibus saturauit, numquam aratus est: in quo nulla cernuntur ædificia. Quasdam verò solummodò columnas paucas Arculphus aspexit lapideas super marginem illius fonticuli iacentes. De quo illi eadem biberunt, vt fertur, die, qua Dominus esurientes tali refectione recreauit. Qui videlicet locus citra mare Galilææ est, respiciens ciuitatem Tiberiadem ab Australi plaga sibi occurrentem.* Hæc Adamnanus.

De Locis sanctis cap. 16. lib. 2. c. 11.

In eadem sententia est Bonifacius lib. 2. de Perenni cultu Terræ sanctæ, de peregrinatione per hunc montem; sic enim dicit: *Inde surgentes*, id est ex Cana Galilææ, *per illam planitiem magnam, & ad Orientem versus procedentes, quæ pinguem panem Regibus præbentem delicias benedictione producit, Sephorum patriam Ioachim patris Virginis Matris, sepulchrum Ionæ, cisternam Ioseph, in quam à fratribus Patriarchis proiectus est, Bethuliamq; à Iudith sancta liberatam inueniemus. Pie cultor ad sinistram clarè aspicere poteris Naasson, Sephet, Nephthalim; tandem ad montem vel solitudinem venies, in qua Christus multa populorum millia quinque panibus & duobus piscibus satiauit. Hic mons Mensa Christi vocatur: in qua sunt duodecim lapides, qui sedilia Apostolorum vocantur, & cathedra lapidea Doctoris & Magistri nobis è cælo missi Christi Iesu, ab Helena matre posita in signum tam magni miraculi & doctrinæ datæ.* Hæc ille. Et ibidem post alia dicit, trans mare esse montem & solitudinem, in qua satiauit Christus quatuor millia hominum: quod fuit secundum miraculum.

Septem panum multiplicatio vltra mare.

Cæterùm, non citra mare, vel vltra, in eodem semper loco prius & posterius mira-

Secunda probabilior sententia.

culum

culum multiplicationis quinque & ſeptem panum Chriſtum feciſſe, tamquam ſententiam longè præcedenti probabiliorem ſequendam arbitror: quam antequam probem, duabus explico Propoſitionibus.

Quinque panum multiplicatio trans mare contigit: ſeptem citra.

Prima Propoſitio: Prius miraculum quinque panum fecit Ieſus vltra ſiue trans mare Galilææ in eius plaga Orientali, & non citra in oppoſita parte.

Secunda Propoſitio: Poſterius miraculum ſeptem panum non vltra, ſed citra mare, in plaga eius Occidentali, operatum fuit.

Prima ratio.

Has Propoſitiones probo & explico multipliciter; & primò primam. Ioannes de primo miraculo loquens ait cap. 6, 1. *Abiit Ieſus trans mare Galilææ, quod eſt Tiberiadis*, &c. hoc eſt, cymba transfretauit mare, vltra ipſum profectus ex parte Tiberiadis. Sed ibi fecit miraculum quinque panum; igitur vltra in eius Orientali plaga, & non citra.

Obiectio.

Dicet fortaſſe aliquis, ex iſta auctoritate propoſitum non haberi: nam illud aduerbium *trans*, in quo ratio fundatur abſque alio addito, poteſt ita interpretari de vna ſicut de altera maris parte, ſecundùm diuerſam poſitionem perſonarum de quibus enuntiatur. Chriſto enim & Euangeliſta in Iudæa, Samaria & parte Galilææ, quæ citra mare eſt, exiſtente, ſi dicat Euangeliſta, *Abiit Ieſus trans mare Galilææ*; verè intelligendum eſt, vltra ipſum ad eius Orientalem plagam profectum fuiſſe: verùm iiſdem in altera parte ex aduerſo exiſtentibus, ſi dicat Euangeliſta, *Abiit Ieſus trans mare*, inſinuat, Chriſtum transfretato mari veniſſe in Galilæam, quæ citra ipſum eſt, & Occidentalem plagam. In quo ſenſu poſſunt intelligi verba Matthæi cap. 16, 5. & Marc. 8, 13. prout à Ianſenio cap. 64. Concord. Euangel. diſponuntur. *Et Ieſus dimittens eos*, id eſt Phariſæos & Sadducæos, *aſcendit iterùm nauim, & abiit trans fretum. Et cùm veniſſent diſcipuli eius trans fretum*, &c. hìc enim *trans fretum* partem Occidentalem maris deſignat, vt conſideranti ſatis patere poteſt. Ad propoſitum, cùm Ioannes locum non explicet, in quo erat, & ex quo diſceſſit Ieſus, quando dicit ipſum abiiſſe trans mare, non poſſumus ex ipſo probare in quam ex duabus partibus abierit, & vbi primum quinque panum miraculum fecerit.

Trans mare vox ambigua.

Reſponſio.

Reſpondeo, verè ex Ioanne propoſitum haberi; qui etſi locum, vnde Chriſtus diſceſſit, non explicuerit, priuſquam diceret, *Abiit Ieſus trans mare*, &c. non officit: libenter enim illum ſilentio præteriit, vt ab aliis Euangeliſtis indicatum; & omiſſum ab aliis explicuit, vt moris eius eſt. Quòd ſi miraculum ab aliis enarratum contra ſuam conſuetudinem repetit, hoc fecit, vt referret ſermonem inſignem, quem occaſione illius miraculi habuit Dominus, vt docet Chryſoſtomus Homil. 41. & alias circumſtantias, quibus magis miraculum illud illuſtraretur; inter quas vna eſt iſta, quòd trans mare factum eſt.

Ex citra Iordanina regione Chriſtus trans mare abiit.

Et illud ſic probo: Chriſtus abiit in deſertum occaſione necis Ioannis Baptiſtæ: cùm enim à diſcipulis ſuis accepiſſet, Herodem Antipam Præcurſori ſuo amputaſſe caput, ſeceſſit inde nauicula in locum deſertum ſeorſum, &c. inquit Matthæus cap. 14, 13. & ſanè audiuit id vel in Iudæa, vbi probabile eſt ſepultum fuiſſe Ioannem, vel in Galilæa citra Iordanem, quò ſe contulit, poſtquam in carcerem coniectus fuit Ioannes, vt dicitur Marc. 1, 14.

Reſponſio.

Cardinalis Toletus in cap. 6. Ioan. Annotat. 2. inquit ſententiam hanc magnam habere difficultatem, quoniam conſtat ex Ioanne miraculum hoc circa Paſcha celebratum, conſequeretur autem mortem Ioannis contigiſſe illo ipſo tempore, cuius contrarium Eccleſia celebrat: nam menſe Auguſti Decollationis dies Ioannis peragitur, &c.

Reijcitur.

Verùm hoc non officit, vt relinquamus illam ſententiam, quo tempore abiit Ieſus trans mare Galileæ interfectum fuiſſe Ioannem; quoniam videtur eſſe communis, nititurque adducta Matthæi auctoritate. Et ita Auguſtinus lib. 2. de Conſen. Euangel. cap. 45. Chryſoſtomus Hom. 59. in Matth. Hieronymus Matth. 14. Ianſenius cap. 57. Concord. Euang. Baronius Tom. 1. Annal. ſub anno Chriſti 33. & alij ſentiunt. Ad rationem Toleti dicimus, Eccleſiam non ideò celebrare feſtum Decollationis S. Ioannis Baptiſtæ die 29. Auguſti, quia eo tempore fuerit decollatus; ſed quia eo die fuit illius ſacrum caput inuentum, ad eiuſque honorem Eccleſia dedicata. Sic enim cantat Eccleſia in Rom. Martyrol. die 29. Auguſti: *Decollatio S. Ioannis Baptiſtæ, quem Herodes circa feſtum Paſcha decollari præcepit; qua tamen hoc die ſolemniter colitur, quando eius venerandum caput ſecundò inuentum fuit*, &c. & ſuprà Cap. 11. Peregrinat. 11. ex Cardinali Baronio notauimus. Ex Iudæa ergo per Samariam & Galilæam, poſt mortem Ioannis abiit Ieſus trans mare Tiberiadis, vbi fecit quinque panum miraculum: & ita intentum.

Non quo tempore fuit Ioannes decollatus, ſed quando caput eius fuit inuentum.

Feſtum Decollationis Eccleſia celebrat.

Alia reſponſio.

Reſpondent alij ad Ioannis auctoritatem, regionem, quæ cis mare Galilææ erat, appellatam vulgò regionem trans mare; eò quòd Hebræis ex Ægypto venientibus trans mare fuerit.

Sed

Reijcitur. Sed non videtur habere probabilitatem ista responsio: etsi enim diceretur ab Hebræis regio trans Iordanem, vel mare, quæ eis nunc appellatur, non erat ex ipsius natura, sed propter ipsos qui vltra ipsum mare erant. Nec verisimile est, posteà Hebræos ad illa tam antiqua tempora respexisse, tamquam vltra mare, qui citra erant, se considerantes, & sermonem ita immutasse, vt ripam citeriorem appellauerint vlteriorem. Præterea hæc responsio ex Scriptura confutatur, in qua regio, quæ vltra mare & Iordanem est, trans Iordanem esse asseritur, Deuteron. 1. & 3. Numer. 14. & aliis locis.

Secunda ratio. Secundò, eadem Propositio probatur ex Ioanne & Marco. Ioannes cap. 6, 16. dicit, quòd post illud miraculum discipuli, qui cum Christo erant in deserto, & conuiuantibus ministrarunt, *descenderunt ad mare: & cùm ascendissent nauim, venerunt trans mare in Capharnaum.* At clarum est, Capharnaum esse citra mare Galilææ in eius Occidentali plaga: igitur ex trans mare & opposita plaga venerunt, vbi factum fuit miraculum. Vnde sicut hic, dum dicit Ioannes discipulos venisse trans mare, intelligitur pars eius Occidentalis; ita suprà, dum dixit, *Abiit Iesus trans mare Galilææ*, de parte illius Orientali intelligi debet.

Marcus verò cap. 6, 45. dicit: *Et statim Iesus coëgit discipulos suos ascendere nauim, vt præcederent eum trans fretum ad Bethsaidam, dum ipse dimitteret populum.* At Bethsaida est citra mare, sicut & Capharnaum: igitur trans mare erat Christus, cùm illud miraculum fuit operatus.

Duo argumenta. Primum. Matth. 14, 13. Marc. 6, 46. Duo nihilominùs primæ illi Propositioni refragari videntur: alterum, Matthæum & Marcum, qui in desertum locum Christum abiisse dicunt, nullâ maris fecisse mentionem. Et quod magis vrget, est quod scribit Lucas cap. 9, 10. quòd Christus, nuntio accepto à discipulis de nece Ioannis, *assumptis illis, secessit seorsum in locum desertum, qui est Bethsaida.* Sed Bethsaida est citra mare venientibus è Iudæa; igitur non trans mare Christus illud fecit miraculum.

Secundum argumentum. Alterum, quia Matthæus ait, vt turbæ viderunt Christum & Apostolos abeuntes, multi & pedestres de omnibus ciuitatibus concurrerunt illuc, & præuenerunt eos. Pedestres secuti sunt Christum nauigantem; ergo Christus non transiit in vlteriora maris littora; in quæ vt traijcerent, cymbis erat opus. Et propter hæc quidam arbitrati sunt, Christum ad maris vlteriorem ripam & Orientalem eius plagam non transisse, vt Beda in Marc. cap. 6. Abulensis, Maldonatus & Cardinalis Toletus in Ioan. cap. 6. Annotat. 2.

Sed quid respondebunt ad Ioannem dicentem, Iesum abiisse trans mare Galilææ? Multi multa dicunt, plura loco citato Toletus; & in sententia dicit, Christum in vlteriorem ripam maris non abiisse, sed in alteram quæ ex sinu maris quodam efficiebatur, & ibi in deserto loco miraculum fecisse: illuc Christus nauigauit, quia commodior breuiorque erat via, aliàs tamen pedes venire longiori via potuisset. *Quando enim*, inquit, *Ioannes dixit, Abiit trans mare, illa dictio trans non significat ripam oppositam stagno, sed ripam ex eadem parte, tamen sinu interiacente stagni; ad quem per aquam transitus facilis erat*, &c.

Reijcitur. Sed enim cùm clarissimè loquatur Euangelista, Iesum abiisse trans mare, non videtur necessarium sinum illius confingere pro tuenda opposita sententia: nec in illis partibus sinus illius, vbi hoc miraculum factum dicatur, aliqua est mentio, nec credo veterem probatum Auctorem illius meminisse. Et Christianus Adrichomius, qui diligentissimè perlegit & vidit omnia quæ deseruire poterant ad exactam cognitionem locorum Terræ sanctæ, talis sinus in sua Descriptione non meminit, nec in sua Geographica delineatione descripsit: quare alia via respondendum est difficultati.

Responsio ad argumenta. Ad primum. Retenta ergo altera sententia, Christum vltra mare primum illud miraculum quinque panum fecisse, ad primam difficultatem respondemus, Matthæi & Marci dicta nobis non officere; quia termini, hoc est, deserti ad quod abiit Christus, mentionem quidem faciunt, sed non viæ, id est, maris per quod transfretauit. At Ioannes viæ & termini fecit mentionem: viæ, dum dixit: *Abiit Iesus trans mare*, &c. termini hîc, & statim clariùs, dum subiungit: *Subiit ergo in montem Iesus*, &c. Quare illorum verba non aduersantur dictis Ioannis, sed maximè conformia sunt. Dicere enim voluerunt, Abiit Iesus in desertum locum, transfretando mare Galilææ: quod expressè dixit Ioannes.

Auctoritas Lucæ, quæ maiorem videtur facere difficultatem, eam prorsus dirimit, & nostram magis firmat sententiam. Pro cuius intelligentia notandum est, aliud esse loqui de Bethsaida ciuitate, aliud de Bethsaidæ deserto. Bethsaida enim ciuitas est vrbs Galilææ sita in Occidentali parte maris Galilææ, citra ipsum, iuxta viam quæ è Syria ducit in Ægyptum, de qua Adrichomius in Zabulon num. 18. Bethsaidæ verò desertum est locus in altera parte

Bethsaida ciuitas & desertum in opposito sita fuisse.

Orientali scilicet eiusdem maris contra Bethsaidæ ciuitatem, vt videre est apud eumdem Adrichomium in Manasse numero 44. & clarissimè in harum tribuum delineatione. Igitur cùm Lucas dicat Christum secessisse, non in Bethsaidam ciuitatem, sed in desertum locum, qui est Bethsaidæ, non contra nos, sed pro nobis facit. In eadem sententia sunt alij recentiores: & ipse Adrichomius loco posteriùs citato, & in descriptione Nephthalim num. 69. sic de hac re scribit: *Mons Christi dictus, quòd Christus in eo solitus sit orare & prædicare, abest à Capharnaum tribus milliaribus, non procul à mari Galilææ. Hic diuina oratione integras noctes traxit, hic Apostolos duodecim elegit, hic insigni sermone de Beatitudinibus & Euangelicis perfectionibus disseruit. Sunt qui Christum in hoc quoque monte quinque panibus & duobus piscibus quinque hominum millia satiasse censent; ideoq; locum hunc Christi & Apostolorum mensam vocant. Quod tamen vltra mare Galilææ factum esse ex Matthæi, Marci & Ioannis Euangelio manifestè patet: qui scribunt, Dominum mare cum Apostolis traiecisse, atque, peracto hoc miraculo, Apostolos rursus idem mare transnauigasse.* Hæc Adrichomius.

Locus Mensa Christi à secundo septem panum miraculo dictus.

Aduerte, dici posse Mensam Christi & Apostolorum à secundo miraculo multiplicationis panum, & dictam non in eodem loco, sed in eodem monte: est enim satis spatiosus. Et vlteriùs, sic dicendo non multiplicamus ciuitates Bethsaidas, sed distinctionem assignamus inter Bethsaidæ ciuitatem & Bethsaidæ desertum, prout eam inuenimus apud Euangelistas & probatos Scriptores. Et Iansenius cap. 57. Concord. Euang. optimam mihi videtur assignare rationem, quare ille locus Bethsaidæ desertum appelletur; vel quia ciuitati Bethsaidæ esset ex opposito; vel quia ad eam pertinebat, etsi in diuersa stagni ripa esset. Et hæc pro prima difficultate.

Ad secundum argumentum.

Ad secundam difficultatem respondent Expositores sacri huius sententiæ sectatores, Christum trans mare nauigasse, vt ait Ioannes; turbam verò pedestrem per pontem aut per vadosa aliqua loca Iordanis transisse. Et Adrichomius in tribu Nephthalim num. 78. ait pontem fuisse, quo ex Capharnaum in ciuitatem Corozaim transitus erat, id est, in vlteriorem lacus partem, vbi Corozaim sita erat. Et ex fama Iesu multi præuenerunt eum ex castellis & ciuitatibus, in locum quò erat ipse venturus. Et hæc pro prima Propositione.

Secundum miraculum citra mare factum duplicitèr probatur.

Secunda Propositio, citra mare Galilææ prope ipsum & in plaga eius Occidentali factum fuisse secundum miraculum septem panum, probatur duplicitèr. Primò sic, ex finibus Tyri & Sidonis, vbi filiam mulieris Chananææ malè à dæmonio vexatam ad nutus preces liberauit, venit ad mare per medios fines Decapoleos. Decapolis autem regio est decem ciuitatum; quam, licet Auctor libri de Locis Hebraicis ponat trans Iordanem, Brocardus tamen & Adrichomius citra; & alij, quos libenter sequimur, partim citra partim vltra Iordanem: & ad hanc fortè partem respiciens citatus Auctor, dixit esse trans mare. Sed quidquid sit, cùm Christus ex finibus Tyri & Sidonis venerit ad mare Galilææ, nec de transitu loquantur Euangelistæ ante miraculum septem panum, citra illud fuisse credendum est. *Primò.*

Decapolis quid, & eius situs.

Confirmatur, quia per medios fines Decapoleos venit Scythopolim, vt docet Cardinalis Baronius Tom. 1. Annalium anno Christi 33. Scythopolis autem, vt docet Iosephus lib. 3. Belli Iud. cap. 16. est maxima ciuitatum Decapoleos, Tiberiadi vicina, cis Iordanem & mare: ibique adductum ad se surdum & mutum, immissis in auriculas eius digitis, ac sputo lingua eius linita, mirificè sanauit, vt dicitur Marc. 7. quamuis alij apud Capharnaum hoc miraculum factum fuisse arbitrentur; sed hoc in præsentia nihil refert, nam ita citra mare est Capharnaum, sicut Scythopolis. Exinde verò transiuit Iesus, & venit secus mare Galilææ: & ascendens in montem, sedebat ibi, vt dicitur Matth. 15. ibique fecit secundum miraculum, quo ex septem panibus & paucis piscibus satiauit quatuor millia hominum, exceptis paruulis & mulieribus, vt dicit ibi Matthæus, & Marcus c. 8, 10. Atque ex his habemus, Christum venisse quidem secus mare, & montem adscendisse, sed non transfretasse mare; ac consequenter citra mare; & in eius Occidentali plaga, secundum indicatum miraculum fecisse. *Scythopolis quid, & vbi.*

Secundò, probatur clariùs eadem Propositio ex eisdem Euangelistis locis proximo loco adductis. Matthæus in fine illius capitis dicit, Iesum, post patratum illud miraculum, dimissa turba, ascendisse in nauiculam, & venisse in fines Magedan; Marcus verò ait: *Et statim ascendens Iesus nauim cum discipulis suis, venit in partes Dalmanutha.* Magedan verò & Dalmanutha, vt tradit D. Hieronymus de Locis Hebraicis, sunt loca trans mare Galilææ circa Gerazam: & trans mare delineauit in suis tabulis Adrichomius. Et inde postea transfretauit, vt tradit idem Marcus: quare liquidò constat, citra mare illud miraculum fecisse. *Secundò.*

Magedan & Dalmanutha trans mare.

Aduer-

Matthæi & Marci conciliatio.

Aduerte hîc, non eſſe inter Matthæum & Marcum contradictionem, dum ille dicit, ex monte veniſſe in fines Magedan, iſte verò in partes Dalmanutha. Nam vel Magedan & Dalmanutha idem locus erat pluribus nominibus nominatus; vel alterum eſt nomen regionis, alterum ciuitatis, quæ tamen aliquando copulantur: ſicut Ephrata nomen eſt regionis in qua eſt Bethlehem, & tamen Bethlehem aliquando Ephrata nominatur, vt ſatis conſtat.

Vel dicatur, quòd ſi diuerſis illis nominibus diuerſa loca deſignantur, in vtrorumque confinia dicitur veniſſe Ieſum propter illorum vicinitatem; quomodo & ſuperiùs dictum fuit ab eiſdem Euangeliſtis, Matth. 15. Marc. 7. Chriſtum veniſſe in regionem Geraſenorum & Gadarenorum, vt alibi in partes Tyri & Sidonis. Et ſuperiùs, dum ſermo habitus eſt de priori quinque panum miraculo, dictum eſt Chriſtum veniſſe trans mare ad Bethſaidam à Marco, ad Capharnaum à Ioanne; quoniam iſtæ ciuitates & earum confinia non longè à ſe diſſita erant. Quare meritò Matthæus & Marcus, deſcribentes locum in quem diſcipuli venerunt cum Domino, nomen poſuerunt commune regionis Geneſareth, in qua ſunt Bethſaida & Capharnaum, vt notauit Ianſenius cap. 58. Concord. Euang.

Denique dicere poſſumus, priùs in vnam deinde in alteram ciuitatem veniſſe.

Dubium.

Sed numquid magna illa multitudo quatuor millium hominum, præter paruulos & mulieres, ſatiata fuit in loco, qui communiter in partibus iſtis aſſignatur alteri miraculo citra Capharnaum & Bethſaidam, in campo illo magno & ſpatioſo ſupra montem poſito?

Prima ſolutio.

Dicet fortaſſe aliquis, quòd non, ſed in diſtantiori loco aſſignandum. Etenim, vt apud Matthæum videre eſt, Chriſtus tot tantoſque, qui eum ſecuti fuerant, noluit dimittere ieiunos, ne in via deficerent: ſed non erat deficiendi periculum, ſi locus ille proximus erat ciuitatibus, ad quas breui abſque vitæ diſcrimine ire poterant.

Secunda probabilior.

Sed oppoſitum credo verum: tum quia diſcipuli ire deſiderabant in proximas ciuitates & caſtella, vt tantæ multitudini cibos emerent; ergo locus non multùm ab illis diſſitus erat, qualis eſt ille proximus Tiberiadi, Bethſaidæ, &c. tum quia Scythopolis, à qua vltimò diſceſſit Ieſus, quando venit circa mare Galilææ ad montem, non multùm ab illo diſtat loco; eſt enim extremum eius ad Meridiem: tum quia locus eſt valdè commodus omnibus qui ad eum vndequaque confluebant: tum quia, qui eò ſe conferebant, trans mare venerunt, aduentum Domini præuenientes, vt patet ex Marco. Et denique, quia ibi Dominum magnæ multitudini conuiuium paraſſe apud omnes eſt in confeſſo; & Menſa Chriſti ideò appellatur, locus perpetuis monumentis à fidelibus conſignatus: at non faciauit in eo loco quinque millia hominum, vt fuit indicatum; igitur quatuor millia.

Ad fundamentum prima ſolutionis.

Nec officit quod in oppoſitum fuit adductum: Chriſtus enim dixit, non debuiſſe homines illos abire abſque cibo, ne in via deficerent; & prohibuit diſcipulos ire ad emendum cibos, ne eos periculo exponeret. Et fortè ſi dimiſſi fuiſſent, etſi ad proxima loca, addito labore itineris laſſitudini, laboribus & vigiliis præcedentibus; triduò enim multi ex illis Chriſtum ſuſtinuerunt; illi qui eius aduentum præuenerunt, & facillimè mulieres, pueri, ſenes ac debiles periclitati fuiſſent, etſi non alij; erant etiam velut oues ſine paſtore qui duceret ad paſcua; & multi pauperes: qui ſi iuiſſent, non habentes vnde victum ſumerent, defeciſſent. Voluit etiam Chriſtus illuſtri miraculo ſuam oſtendere Diuinitatem, ſingularem in eos qui eum ſequuntur prouidentiam, illis in ſpiritualibus & corporalibus conſulendo, & doctrinam ſuam factis comprobando.

Reſponſio ad rationes dubitandi initio adductas. Ad primam.

Rationibus dubitandi initio Capitis propoſitis nunc reſpondeamus. Ad primam ex D. Hieronymo deſumptam dicimus primò, ſanctum Doctorem in illa Epiſtola non eo ordine enumerare loca ſancta quo nunc viſitari conſueuerunt: & cùm expreſſam mentionem loci conuiuiorum non faciat, non eſt in falſam trahendus intelligentiam.

Secundò, poſſunt in hunc modum eius verba interpretari, *Ad mare veniemus Geneſareth*, id eſt, circa & citra ipſum, & trans ipſum; *& in deſerto*, trans mare *videbimus quinque*, & citra, *quatuor hominum millia ſaturata*. Et profectò aliter de ſanctiſſimo pariterque doctiſſimo Hieronymo ſentiendum non eſt: qui etſi in omnibus aliis verſatus fuerit, in ſacræ tamen Scripturæ & ſanctorum Locorum cognitione verſatiſſimus. Et ſi quis contenderet, eſſe verba vt iacent intelligenda, dici poſſet, locutum fuiſſe nomine Paulæ & Euſtochij; quibus, vt non tam verſatis, ignoſcendum eſt.

Ad ſecundam.

Ad ſecundam rationem in traditione fundatam, dico eſſe intelligendam de ſecundo miraculo, non de primo: quòd ſi ab aliquibus fuit perperàm de primo intellecta, ideò fuit, vel quia primum notius & celebrius, vel quia inter illa diſtinctionem non conſiderarunt. Alia difficultas, quæ contra dicta fieri poſſet, infrà Cap. IV. huius Peregrinationis diluetur.

Ex

Digitized by Google

Ex dictis manifestum relinquitur, quid ad difficultates initio Capitis propositas sit respondendum, prius miraculum trans mare Tiberiadis, posterius verò citra, in iam descripto loco, & qua consideratione sint aliquando traditiones expendendæ.

Nolo hîc silentio præterire quid de duodecim cophinis, septem sportis & reliquiis gesserit Magnus Constantinus; refertque ex aliis Cardinalis Baronius Tom. 3. Annal. sub anno Christi 330. num. 15. *Magnus hic Imperator*, ait Zonaras Annal. Part. 3. *teretem quamdam columnam porphyreticam Roma, vt ferunt, allatam, in foro lapideis tabellis instrato, vnde Græcu Placoton nominatur, erexit: iuxtaq; simulacrum æreum, tum artificio mirabili antiqua manus panè viuentis instar expressum, tum magnitudine insigni spectabile dedicauit: eam statuam Apollinis esse ferunt, Ilio Phrygia translatam. Sed diuinus Imperator ille nomen suum ipsi indidit, clauis quibusdam capiti insertis, qui corpus Domini salutifera cruci affixerunt. Ea ad nostram ætatem permansit integra, columna insistens; sed sub Alexio Comneno vehementis venti impetu deiecta concidit: nec ipsa solùm comminuta est; sed multos etiam, qui casu illic aderant, contriuit. Palladium item Troiæ in forum Placoton transtulit.* Ista ipse.

Duodecim cophini, septem sportæ, ac reliquiæ diuersæ per M. Constantinum custoditæ.

Addit his Nicephorus, in eius statua super porphyreticam columnam collocata, positum in dextera malum aureum, cui veneranda crux erat superposita, cum tali inscriptione: *Tibi Christe Deus vrbem hanc commendo.* Sed & de sacris Reliquiis in basi eiusdem columnæ collocatis hæc subdit: *Quatuor autem solidis firmisq; absidis pulchrè circumcirca basi columnæ fundata, sub ipsa ea basi duodecim cophinos, & septem sportas, necnon reliquias septem panum, quibus benedictione sanctificatis Christus multitudinem pauit; præterea dolabram Noë, qua ille arcam construxit, manibus ipse suis Imperator, sigillo suo ea omnia obsignata, reposuit: quæ ad nostra vsque tempora etiamnum vrbi ipsi intactus inuiolatusq; thesaurus permanent.* Cedrenus in Compendio Histor. de eadem columna porphyretica verba faciens, hos in ea versus inciso fuisse testatur:

Dolabra Noë seruata.

Tibi Christe mundi Domine, rectorq; optime,
Vrbem hanc tibi quæ seruiat modò subdidi,
Et sceptra Romanamq; omnem potentiam:
Hæc tu malis defende semper ab omnibus.

Subter eam, inquit idem Auctor, *iacent duodecim corbes.*

Lege P. Iacobum Gretserum lib. 1. de Sancta Cruce cap. 99.

CAPVT III.

De lacu siue mari Galilææ, tertio loco quintæ Peregrinationis.

Mare Galilææ quid.

IN Galilææ Palæstinæ Prouincia est magna quædam aquarum collectio, quæ Mare Galilææ appellatur: latitudo eius, secundùm Iosephum lib. 3. de Bello cap. 18. est quadraginta stadiorum, longitudo centum. Stadia triginta duo leucam efficiunt: ergo, secundùm Iosephum, lacus huius latitudo continebit plusquam leucam vnam; longitudo verò septem leucas superat. Niger toto ambitu suo complecti viginti millia passuum scribit. Alij maiorem esse eius ambitum, latitudinem & longitudinem probabiliter credunt, illam sex milliarium Italicorum, istam verò triginta.

Quomodo efficitur.

Sed hic lacus quomodo efficitur? D. Hieronymus in Isa. c. 9. scribit à Iordane influente effici; quod etiam vult Callistus; Iosephus inquit à Iordane secari: *Medius*, ait, *à fluuio secatur: postea verò Iordanis è lacu exit, & in Mare vsque mortuum fluit.* Non tamen est arbitrandum hos Auctores inter sedissidere: nam D. Hieronymus partialem & principalem huius lacus causam expressit, aquas Iordanis; Iosephus autem terminationem aquarum Iordanis in mare Galilææ, & ex isto in Mare mortuum; & cõsequenter indicat ex eisdem aquis effici vel augeri: fieri enim non potest Iordanem ingredi mare Galilææ, ipsum secare, quin illius aquis non augeatur; & non ex his tantùm, sed & ex pluuialibus & aliis montium in eum collectis. Lege Hegesippum de Excid. Ieruf. lib. 3. cap. 26.

Aquæ dulces, potabiles & fecundæ.

Sed cuiusnam conditionis sunt huius maris aquæ? Non cœnosæ, paludosæ, vel amaræ, sed claræ, dulces, potabiles & fecundæ. Nascuntur enim in isto mari multi variiq; pisces gustui admodum suaues. hîc de eo Bonifacius sic ait: *Istud mare plenum magnis & optimis piscibus, quos Bethsaidani facilè capiunt*, &c. In præsentia cùm incolæ illi non nisi ad ripam eius eos expiscentur, non satis magnos, sed vnius palmi circiter, & ferè vnius speciei expiscantur; sed magnos & varios in illius profundo esse, vt tempore Christi & Apostolorum, non est dubitandum.

Pisces vnius speciei.

Loca circa ipsum.

In Orientali & Occidentali eius ripa habet ciuitates & castella, quibus illustratur & nominatur. In Orientali habet Corozaim, Iuliam, Dalmanutham, Gerasa, &c. in Occidentali verò Tiberiadem, Magdalum, Bethsaidam, & Capharnaum.

Et multiplici nomine appellatur lacus iste;

Nomina, etymologia.

iſte; à D. Ioanne 6, 1. *Mare Galilæa*, & *Tiberiadis*, à D. Luca 5, 1. *Stagnum Genezareth*, Num. 34, 11. & Ioſue 13, 17. *Mare Cenereth*, à Ioſepho *Lacus Geneſar*.

Appellatur mare, non quia vt mare magnum amaras contineat aquas, ſed propter magnitudinem & ſimilitudinem; & quia quemadmodum in mari fluminum, fontium & fluuiales aquæ fluunt, ita in iſtum lacum fluunt Iordanis fluminis aquæ, fontis Capharnaum, & aliæ. Et melius ex diuo Hieronymo in cap. 37. Ezech. *Congregatio aquarum Maris dicitur.* *Quia iuxta idioma Scripturarum, congregationes aquarum appellantur maria*, &c. & iterùm in quæſtionibus Hebraicis in Geneſ. *Iuxta idioma*, inquit, *lingua Hebraica congregationes aquarum nuncupantur maria*, &c. ſit magna vel parua talis aquarum congregatio: & ſanè de magna dicitur Geneſ. 1, 10. *Congregationesq; aquarum appellauit Maria.* De parua verò, vt de vaſe continente aquas in templo ad vſum Sacerdotum, dicitur Mare æneum 4. Reg. 25, 13. 1. Paral. 18, 8. & 2. Par. 4, 2. Ierem. 52, 17. Ita cùm lacus iſte Galilææ plures in ſe congreget aquas, Mare appellatur; Galilææ, quia in Galilæa prouincia; mare Tiberiadis à ciuitate Tiberiadis; mare Cenereth ab oppido Cenereth, cui ſucceſſit Tiberias; ſtagnum Genezareth, vel lacus Genezar, à propinqua regione Genezar.

Excellentia illius multiplex.

Et hoc quidem mare propter dicta, aquarum videlicet dulcium copiam, piſcium multitudinem, vrbium, oppidorum & optimæ regionis conditionem, quibus circumdatur & nobilitatur, celebre eſt; ſed longè celebrius propter ea quæ in ipſo & circa ipſum à Chriſto Domino & Apoſtolis eius operata fuere: quorum aliqua hîc ſubiiciam.

Acta apud ipſum.

Ambulans Ieſus ſecus mare Galilææ, duplicem fratrum ſocietatem ad ſe vocauit, Petrum & Andream, Iacobum & Ioannem; & qui piſcium erant, hominum fecit piſcatores. Iacit rete in hoc mari Petrus: & qui tota nocte laborauerat fruſtrà, poſtquam iterùm in nomine Ieſu laxauit rete, vnico tractu cepit piſcium multitudinem copioſam, ita vt rumperetur rete; quod maximam peperit admirationem, Matth. 4, 18. Marc. 1, 16. Luc. 5, 2.

Prope Capharnaum & iuxta hoc mare egreſſus Ieſus è Synagoga, vocauit Matthæum ſedentem in telonio ad Apoſtolatum, Matth. 9, 9. Marc. 2, 14. & Luc. 5, 27. Ita ſentit Ianſenius cap. 33. Concord. Euangel. cuius verba huc transferre placuit, quoniam dicti rationem continent: *Veriſimile eſt autem*, inquit, *Chriſtum iam iuxta mare exiſtentem, & ibi in littore tranſeuntem, inueniſſe ibi Matthæum ſedentem ad telonium. Solent enim eſſe telonia circa maria, vbi à præternauigantibus veſtigalia exiguntur. Certè circa mare contigiſſe Matthæi vocationem Marcus ſatis innuit: nam quorſum alioqui præmiſiſſet Dominum ad mare conceſſiſſe. Et Terræ ſanctæ ſcrutatores dicunt, extra Capharnaum circa mare demonſtrari locum vnde vocatus ſit Matthæus.* Hucuſque fuere Ianſenij verba.

Inſuper exiens Ieſus de finibus Tyri & Sidonis, venit ad hoc mare, vbi ſurdum & mutum ſanauit, Marc. 7, 31. conſcendit nauim, abiit trans mare, relictis calumniatoribus, docet diſcipulos, Matthæi 16, 5. Marc. 8, 13. trans mare ambulans in via ſecus Genezareth, Scribæ, qui ſe velle Chriſtum ſequi aiebat quocumq; iret, reſpondit: *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos: Filius autem hominis non habet vbi caput reclinet.* Ad alterum autem dixit: *Sequere me.* & alia quæ Matth. 8, 19. & Luc. 9, 58. leguntur, occurrerunt.

Facta in hoc mari magna tempeſtate, Chriſtus in puppi nauis dormiebat: excitatur à diſcipulis, & vt eis opem ferret exoratus, imperat ventis & mari, & obediunt illi; omnibuſque admirantibus tranquillitas magna facta fuit, Matth. 8, 26. Marc. 4. v. 39. Luc. 8, 24.

Trans mare in regione Gerazenorum, duos à dæmonio maximè vexatos homines ab eiſdem liberat, & hos mittit in porcos, qui ſe in ſtagnum Genezareth proiecerunt, Matth. 8, 32. & idem Marcus cap. 5. v. 11. & Lucas 8, 32. ſcribunt, de vno eorum qui principalis erat, non tamen alterius liberationem negantes.

Media nocte vento magno flante, diſcipuli cùm eſſent in mari nauigantes verſus Capharnaum, ex magna tempeſtate timuerunt: vident Chriſtum ad ipſos venientem ſuper aquas; quem credentes phantaſma eſſe, timorem timori addiderunt, & clamauerunt: quos Chriſtus conſolatus eſt. Petrus it ad eum ſupra mare: & cùm cœpiſſet mergi, eum apprehendit Ieſus; nauiculam aſcendit, & ventus ceſſauit; ſtatimque nauis fuit ad terram, ad quam ibant. Tunc adoratur Chriſtus, & Filius Dei cognoſcitur, &c. Matth. 14, 22. Marci 6, 46. Ioan. 6, 17. & aliàs idem mare transfretauit Dominus, vt patet ex Euangelica hiſtoria.

Ad hoc denique mare cùm poſt Chriſti reſurrectionem reuerſi fuiſſent diſcipuli eius, illis tertiò glorioſus ſe manifeſtauit, Ioan. 21, 1. Quæ infrà dicentur de huius maris peculiaribus locis, ad eiuſdem intelligentiam & commendationem conducent.

ducent. De mari Galilææ lege Adrichomium in Zabulon num. 50. Adamnanum de Locis ſanctis lib. 2. cap. 17. & Bedam cap. 11.

CAPVT IV.

De ciuitate Tiberiadis, quarto loco quintæ Peregrinationis.

AGendum nunc eſt de ciuitate Tiberiadis, quæ ante Tiberij Cæſaris tempora Cenereth & Ceneroth appellabatur; & tria videbimus: primum, quæ alij de ea dixerunt, ſecundum, quæ nos ipſi obſeruauimus; tertium, quæ in ea notatu digna memorantur.

Tiberias quid, & eius nominis ratio.

Et, quantum ad primum, Ioſephus libro 18. Antiquit. cap. 3. huius ciuitatis conditionem rationemque mutationis nominis hiſce verbis indicauit: *Herodes Tetrarcha receptus in amicitiam Tiberij, de ipſius nomine vrbem à ſe conditam vocauit Tiberiada, electo ad hoc optimo agro in ora lacus Geneſareth; vnde non longè ab Emmaus. ſunt aqua calida. Hæc partim à conuenis partim à Galilæis habitata eſt; quorum nonnulli eò commigrare coacti ſunt: quidam etiam è nobilitate ſedes illic ſibi optauerunt: at quò maior eſſet frequentia, recepti ſunt ad incolendum etiam tenuiſſimi quique vndequaque confluentes.* Hæc & alia ibi de Tiberiade Ioſephus: & in libro de Vita ſua, dicit eſſe vnam ex duobus inſignioribus Galilææ ciuitatibus præcipuam.

In memoratis Ioſephi verbis duo obſeruare oportet: alterum, cùm dicit Herodem ædificaſſe Tiberiadem, non ſic eſſe accipiendum, quòd ipſe eam à fundamentis erexerit; tunc enim non fuiſſet anteà dicta Cenereth; nec verùm eſſet quod dixit D. Hieronymus de Locis Hebraicis, in loco vbi fuit ædificata, fuiſſe priùs vicum nomine Chephira; nec anteà fuiſſet capta à Benadad Rege Syriæ, vt dicitur 3. Reg. 15, 20. hæc enim multis temporibus præceſſerunt Herodem & Tiberium: ſed dicitur Herodem eam ædificaſſe; quia vbi priùs erat paruus vicus, & nactus ille occaſionem ab optima illius ſitus diſpoſitione, vt ſibi magis Imperatoris animum captaret, vicum paruum in amplam & pulchram ciuitatem conuertit.

Herodis quomodo eam ædificauit.

Alterum obſeruandum eſt, Emmaus, de quo loquitur Ioſephus, non eſſe caſtellum illud Iudææ, cuius meminit D. Lucas c. 24. & de quo nos egimus Libro VI. Cap. III. Peregrin. v. ſed vicum Galilææ, de quo Capite ſequenti.

Adrichomius in Zabulon num. 99. inquit: *Tiberias iuxta mare Galilææ in longum ſita eſt, in trinio, ſub monte, in optimo agro Galilææ. Ei à Meridiana plaga imminet mons tam propinquus muris, vt ſit pro aggere: vnde conijci tela etiam contra vrbem poſſunt. Zieglerus: Vrbs inſignis, metropolis & terminus Decapoleos, Galilæarum maxima; vnde & mare Galilææ; eſtq; inferioris Galilææ terminus: verſus Orientem diſtat à Tyro milliaribus triginta.* Hæc ex Adrichomio.

Ioſephi & Adrichomij conciliatio.

Quantum ad id quod ex Zieglero dicit Adrichomius, poſteà expendemus. Quantum autem ad illud quod dicit, Tiberiadem eſſe metropolim regionis Decapoleos, aduerto non eſſe diuerſum ab eo quod ſuprà Cap. 11. diximus ex Ioſepho, Scythopolim fuiſſe illius regionis ciuitatem præcipuam. Nam quod de Scythopoli diximus, intelligendum fortè eſt, ante conſtructionem ſiue ampliationem Tiberiadis Scythopolim fuiſſe magnitudine præcipuam; ſed Tiberiadem, propter Herodis Regis habitationem, illius regionis metropolim.

Frater Bonifacius hæc de Tiberiade ſcribit lib. 2. de Perenni cultu Terræ ſanctæ: *Tiberias ciuitas omnino inhabitabilis eſt, propter ſerpentum multitudinem. In littore huius ciuitatis ſtetit Ieſus poſt Reſurrectionem, & veſtigia pedum, vbi ſtetit, in lapide impreſſa reliquit, quæ nos Chriſtiani piè adoramus & colimus. Eccleſia ab Helena matre in iſto loco fabricata, in ſuo decore pulchra permanet, & ſemel in anno à Fratribus viſitatur. In hac ciuitate ſunt aquæ ſalubres & medicinales, balnea optima: quarum virtutem Romani in lapide litteris deſcriptam reliquerunt, quas tempus corroſit & conſumpſit: nec poſſum de eis plenam intelligentiam habere.* Hæc ille. Sed quomodo Bonifacij verba cohæreant cum his quæ nunc videntur, ex ſtatim ſubiiciendis & Capite ſequenti manifeſtum euadet.

Præſens Tiberiadis ſtatus.

Quantum ad ſecundum, Tiberias, in præſentia *Tabaria* ab iſtarum partium incolis nuncupata, ciuitas eſt in littore Occidentali maris Galilææ ædificata in quadro, cincta muris cum propugnaculis ſuis: totus eius circuitus eſt vnius milliaris tertio minùs. Portam habet in plaga Occidentali ex marmore albo & nigro affabrè elaboratam; alteram minorem habet in parte Meridionali; alias non deprehendi. Non multùm antiqua eſt, & veteri Tiberiade multò minor: hanc enim longè maiorem iſtâ fuiſſe circumiacentes magnæ ruinæ, & maxime procedendo ad duo milliaria Meridiem verſus, non obſcurè demonſtrant. In ea non ſunt aquæ calidæ: aliquas continet domunculas à Mauris habitatas, in quibus

quibus paucis antè annis habitabant Iudæi, & Synagogam habebant: & ipsos eam muro circumdedisse fertur. Herbis & arbustis occupatur;& multæ in ea palmæ: eius habitatores sunt Arabes pessimi; nec sunt in ea serpentes, ob quorum timorem non habitetur, vel à peregrinis non visitetur.

Templum D. Petro dicatum.

Intra ad littus maris in Aquilonari vrbis parte est templum: & quamuis vel in Turcarum Mesquitam & bestiarum stabulum conuersum sit, & pristinum amiserit splendorem, structura nihilominus eius integra perseuerat: longitudinis est gressuum viginticquatuor, latitudinis duodecim circiter. D. Petro dicatum est, quòd credatur, ibi sanctum Apostolum à ChristoDomino, post suam resurrectionem in maris littore existentem,supremum Pastorem institutum fuisse,Ioan.21,16. Ab Orientali plaga habet mare Galilææ, ab Occidentali montes eminentes, supra quos erant munitiones & habitationes. Quòd suprà dixit Zieglerus,habere propinquum montem ex parte Meridionali, sic est intelligendum, quòd mons, qui est ad Occidentem, vlteriùs ad Meridiem se extendendo, dicatur esse ad Meridiem Tiberiadis; alàs verè est ad Occidentem maris & vrbis.

Alia circa Tiberiadē.

Quantum ad tertium initio Capitis propositum, ex quo Tiberias commendatur magis, ad mare Tiberiadis Christus Dominus post suam resurrectionem discipulis apparuit, à quibus cognitus, Petrus mare ingressus accessit ad eum: discipuli ad impetum Domini rete iacientes, ceperunt piscium multitudinem copiosam: & ibidem contigerunt quæ Ioan.21. leguntur.

Nicephorus lib.8.cap.30.dicit,Helenam apud Tiberiadem in loco miraculi quinque panum Ecclesiam ædificasse: *Helena*, inquit, *Tiberiadem venit, vbi τὸ δωδεκάθρονον, id est, duodecim threnorum templum, statuit, quo loco Christus quinque hominum millia pauit*,&c. sed non credo sanctam Imperatricem ideò ibi memoratum templum ædificasse, quòd crediderit ibidem Dominum pauisse hominum quinque millia, eisdemque superfuisse duodecim cophinos fragmentorum, tum propter dicta superiùs Cap.11. tum quia nusquam legimus Christum Tiberiade fuisse, etsi in eius regione fuerit. Et propter hoc, nec credo verum quod arbitratur Adrichomius, ibi Matthæum ad Apostolatum vocasse, nec filiam Archisynagogi ad vitam reuocasse, vt suo loco ex Euangelistis ostendemus. Tum denique, quia si Christus in ista ciuitate pauisset illam hominum multitudinem, non dixisset Euangelista, ipsum fuisse in monte eo tempore, & in loco deserto. Et in ciuitate pauisset via ordinaria, ne absque necessitate facere miracula videretur. Nec ad Christum dixissent duodecim: *Dimitte turbas, vt euntes in castella villasque qua circa sunt, diuertant, & inueniant escas: quia hic in loco deserto sumus*, Lucæ 9,12.

Nicephorus mentitur.

Adrichomius refellitur.

Matth.9. Marc.5.

Dici tamen posset, Nicephorum noluisse dicere,Helenam templum duodecim thronorum ædificasse in ciuitate Tiberiadis, sed, quando ad eam se contulit, ædificasse in loco miraculi templum. Quòd si contendatur, verè illud in ciuitate ædificasse, dicerem, ædificasse in memoriam vtriusque miraculi quinque & septem panum: dicitur tamen factum in memoriam prioris; quia prius & celebrius extitit. Et ibi potiùs quàm alibi illud erexit templum: tum quia non multùm distat à propriis locis, in quibus dicta miracula operata fuere, ex suprà dictis Cap. 11. tum quia in ciuitate magis quàm alibi fuisset frequentatum; ex eoque magis excitarentur fidelium mentes ad recolendum dictorum miraculorum memoriam.

Nicephorus explicatur.

Adrichomius reiicitur.

Nescio etiam an verum sit id quod idem Adrichomius dicit, Helenam intra vrbem domum socrus Simonis Petri, quæ magnis febribus laborabat, & à Christo Domino sanata fuit, vt tradunt Euangelistæ, in pulchrum templum D. Petro dicatum conuertisse: nam Capharnai in domo Petri fuisse restitutam sanitati, inferiùs de Capharnao agentes ostendemus ex D. Luca. Quòd si Tiberiade sancta Imperatrix D.Petro templum excitauit,vel id fecit ob deuotionem erga sanctum Apostolum, & non inCapharnao vel Bethsaida ciuitatibus,quia eo tempore multùm destructæ erant; vel quia ibi aliquando fuit, & Pontificis auctoritatem accepit: & illud fortasse est quod ad præsens inuisitur, cuiusque antèa mentionem fecimus.

Mensa cœnæ Emmaus.

In ciuitate Tiberiadis esse mensam illius cœnæ, quam fecerant Christo duo discipuli in Emmaus in die resurrectionis, tradit Anselmus Minorita in sua Descriptione Terræ sanctæ, vbi agit de Tiberiade. Hanc esse in præsentia non intellexi, & esse mihi difficile est credere: esset enim aliqua memoria.

Bosius de Triumphante Cruce lib.6.c.7. & D.Epiphanius contra Hæres.lib.1.To.1. contra Ebionæos 30. sectam, refert dignissima quædam miracula Tiberiade operata virtute sanctæ Crucis per quemdam nobilem ac potentem Iudæum Iosephum nomineTiberiensem,signis & prodigiis in eadem ciuitate ad Christi fidem conuersum: qui gratus ac memor diuinorum beneficiorum,

à Magno Constantino Imperatore Regio mandato impetrato Ecclesias ædificandi ad Christi honorem & gloriam, plures ædificauit in terris Hebræorum, tum præsertim in patria sua Tiberiade, in Cæsarea, Nazareth & Capharnaum.

CAPVT V.

De Emmaus vico Galilææ, & eius balneo, quinto loco quintæ Peregrinationis.

EX ciuitate Tiberiadis secus mare ad Meridiem procedentes, absoluto duorum milliarium itinere, inuenitur tugurium, vel parua domus, duas habens habitationes. Hæc balneum est, vbi sunt aquæ clarissimæ, calidissimæ, & minerales. Fluunt ex proximo Occidentali monte: ex cuius colore & lapidum pondere mineralis deprehenditur: per subterraneos canales & meatus in illud colliguntur, & inde in mare proximum delabuntur. Incolæ se in eo abluunt. litteræ exprimentes aquarum virtutem in præsentia nullo modo cernuntur. Sunt aquæ extra Tiberiadem, vt constat; sed ideò Bonifacius Capite præcedenti relatus dixit esse in Tiberiade, quia prope: & ita dixit Iosephus lib. 4. de Bello cap. 2. & hîc erat Emmaus vicus; nunc locus totus desertus est, & nisi quod diximus videtur. De his ita Adrichomius in Zabulon numer. 41. scribit: *Emmaus, sine Ammaus, vicus non longè à ciuitate Tiberiade: vbi sunt aquæ calidæ, sanandis corporum vitiis idoneæ, quas Iosephus etiam aquas Tiberienses nominat. Hîc Vespasianus pro Tiberiade castra posuit.* Hæc ipse. De his Iosephus 18. Antiquit. 3. in Vita sua, & 2. Belli cap. 26. & 4. Bell. c. 1.

Emmaus balnei conditio.

Casus notabilis.

Notatu hîc dignum arbitror, quod legitur in expeditione Asiatica Friderici I. Imperatoris Barbarossæ, apud Henricum Canisium Tom. 5. Antiq. Lect. *Saladinus cum peregrina manu Saracenorum terram ingrediens, in odium Comitis Tripolitani Tabariam obsedit; Rex verò*, id est Fridericus, *& exercitus eius interim conuenerunt ad fontes Tabariæ, &, dissuadente Comite inde progredientes, castrametati sunt in loco qui vulgò dicitur Marscalia.*

O res mirabilis, ô terribile vicinæ cladis præsagium! Ea nocte in tentorio Patriarchæ, vbi erat sancta Crux, in matutinali Officio casualiter euenit legenda de Arca fœderis à Philisthæis capta in prælio, & deducta. Vnde nimirum cunctorum audientium & intelligentium corda metu subito percelluntur; quod iuxta illud poëticum, Pessimus in dubiis augur timor. Et verè quod timebatur euenit.

CAPVT VI.

De Magdalo Galilææ castello Mariæ Magdalenæ, sexto loco quintæ Peregrinationis.

EX Ciuitate Tiberiadis dirigendo gressus ad Aquilonem secus mare Galilææ vsque ad Capharnaum, quod à Tiberiade distat ad decem milliaria, aliqua occurrunt loca memorabilia, siue potiùs, illorum ruinæ, & pulchra & amœna regio Genezareth; de quibus pauca dicemus, & primò de Magdalo castello Mariæ Magdalenæ. Sed antequam de eo verba faciamus, aduerto triplicem esse locum Magdali nomine insignitum: alter est ciuitas Ægypti, cuius, præter alios, mentionem faciunt Ieremias cap. 44, 1. & 46, 14. & Adrichomius in explicatione deserti Pharan num. 57. Alter est locus in monte situs, iuxta quem filij Israël castrametati fuere: de quo citatus Adrichomius eodem loco num. 58. Tertius locus, de quo in præsentia: hic est castrum ædificatum ad littus maris Galilææ in pulchra & fecunda regione Genezareth, quod ab Aquilone & Occidente magnam habet planitiem: pertinet ad tribum Zabulon, & in huius explicatione agit de eo Adrichomius num. 66.

Magdalum triplex. Ægypti ciuitas.

Locus in monte situs.

Castrum Galilææ.

Magdalum fuit vocatum à turribus & munitionibus, quibus magnificè erat munitum: vnde Hieronymus Mariam illam, Marthæ & Lazari sororem, dixit rectè vocatam fuisse Magdalenen, id est, Turritam, ob eius singularem fidei ac ardoris constantiam. Hinc oriundam fuisse Mariam Magdalenam, & à Christo ibi sanatam, & domum suam ibidem videri quidam asseruerunt. Sed Ierosolymis fuisse ad Christum conuersam diximus Lib. IV. Cap. IV. Peregrinat. III. In præsentia situs & ruinæ illius monstrantur: ab Arabibus appellatur *Magdalia.*

A turribus dictum.

Magdalum Turrita dicta.

CAPVT VII.

De Bethsaida ciuitate Galilææ, septimo loco quintæ Peregrinationis.

BEthsaida, secundùm Adrichomium, vicus, vel parua ciuitas, sita in angulo maris Galilææ inter Capharnaum & Magdalum, iuxta viam quæ è Syria in Ægyptum ducit; vna ex decem ciuitatibus regionis Decapoleos spectans ad tribum Issachar, secundùm Iansenium cap. 17. Concord. Euang. vel, secundùm Adrichomium, ad Zabulon, vt indicat in huius tribus Descriptione num. 18. sed non in angulo maris,

Bethsaida quid, & situs eius.

ris, nec intra Tiberiadem & Capharnaum, at supra Capharnaum, ad quatuor milliaria prope Iordanem, vbi sunt ruinæ & molendina, quidam illam agnoscunt; & indicat Bonifacius, dum dicit esse ad Septemtrionem Capharnaum; vt Capite sequenti dicemus. Et de situ, vbi eam describit Adrichomius, nulla extat memoria.

Vicum, vel paruam ciuitatem, dixi; quoniam vici nomine appellatur Marc. 8, 23. ciuitatis Ioan. 1, 44. Rationem vtriusque nomenclaturæ assignarunt Iansenius & Maldonatus; ciuitatem fuisse appellatam, quia ciuitas erat; vicum, quia patuit, secundùm Græci nominis significationem. Vel aliter vicus dicitur à Marco, quia parum antè vicus fuerat; & à Ioanne ciuitas, quia ex vico ciuitas effecta fuit à Philippo Tetrarcha.

Pro huius secundæ rationis intelligentia notandum ex Iosepho 18. lib. Antiq. cap. 3. & lib. 2. de Bello Iudaic. cap. 8. quòd cùm eo tempore, quo Herodes Tetrarcha, qui & Antipas, Augusto imperante ciuitatem Sephori cinxit mœnibus, & totius Galilææ caput constituit, eique in honorem Iuliæ Augustæ Iuliada nomen imposuit: ità eodem tempore Philippus Tetrarcha Iturææ & Trachonitidis regionis pari æmulatione, in gratiam eiusdem Augusti Cæsaris, Paneada, sitam ad Iordanis fontes, auctam ædificiis, Cæsaream dici voluit: & vicum, situm in ripa lacus Genezareth, Bethsaida dictum, in speciem vrbis nobilitatum, nomine Iuliæ Cæsaris filiæ Iuliam nuncupauit.

Bethsaida Iulia non est.

Sed mihi non satis probatur, Bethsaidam esse Iuliam mutato nomine. Si enim vicus iste ex vici mutatione in ciuitatem nomen etiam mutauit; quare sacri Euangelistæ, cùm de ea loquuntur, magis vsitato & nobili nomine Iuliam non appellant? præsertim cùm, loquentes de alio loco, qui prius dicebatur Cenereth, vsitatiori & nobiliori, Tiberiadem videlicet appellarunt, quia reædificatus, in nobilem ciuitatem ad honorem Tiberij conuersus fuit; vt Paneadam Cæsaream vocitarunt. Historici enim in eorum narrationibus vtuntur nominibus communibus & magis notis; & hanc consuetudinem non neglexerunt Euangelistæ, vt satis constat: & tamen cùm frequenter de Bethsaida locuti fuerint, nec semel eam Iuliam appellarunt.

Quare dicendum videtur, Bethsaidam & Iuliam distinctas esse ciuitates, vt distinctas descripsit in suo Theatro Adrichomius. Iulia enim ciuitas est trans mare & Iordanem ædificata: erat enim vicus transmarinus, è regione Bethsaidæ situs, & sub eius ditione: quem Philippus Tetrarcha Christi tempore muris cinxit, & in ciuitatem vertit ad honorem Cæsaris & Iuliæ filiæ eius; & ex huius nomine Iulia, Julias & Iuliada dicta est, vt docet idem Auctor in Manasse 2. num. 63. At Bethsaida, vt iam diximus, fuit Galilææ ciuitas eis mare Galilææ, & in eiusdem littore sita. Quare in priori ratione standum, Bethsaidam dici ciuitatem, quia verè ciuitas erat; sed vicum, quia parua.

Iulia ciuitas transmarina.

Bethsaida nomen significatio.

Bethsaida Hebraicè idem est quod domus venationis Latinè: eius frequens mentio fit in Euangelio. Fuit patria primorum Christi discipulorum Petri & Andreæ, nec non Philippi Apostoli. Præsentia & miraculis Christi & Apostolorum eius multùm nobilitata fuit.

Cæcus quidam vbi illuminatus.

Adrichomius de Bethsaida agens dicit, ibi cæco visum à Christo Domino fuisse restitutum, vt tradit Marcus cap. 8, 22. sed interpretandus est, ideò dici cæcum illuminatum Bethsaidæ, quia prope ipsam: aliàs enim constat ex Euangelista sanitatem extra fuisse consecutum; inquit enim: *Et veniunt Bethsaidam, & adducunt ei (Iesu) cæcum, & rogabant eum vt illum tangeret. Et apprehensa manu cæci, eduxit eum extra vicum: & expuens in oculos eius impositis manibus suis, interrogauit eum si quid videret. Et aspiciens, ait: Video homines velut arbores ambulantes. Deinde iterùm imposuit manus super oculos eius: & cœpit videre. & restitutus est ita vt clarè videret omnia. Et misit illum in domum suam, dicens: Vade in domum tuam: & si in vicum introieris, nemini dixeris.* Ecce quomodo Euangelista dicit, cæcum illuminandum eductum fuisse extra vicum, id est Bethsaidam, & illuminatum in eumdem missum; ergo extra illuminatus.

Bethsaida multa miracula facta.

Fuit tanta multitudo miraculorum, quæ pro Bethsaidensium conuersione fuit operatus Christus Dominus, vt videns illorum duritiem & impœnitentiam, quando tot signis visis pœnitentiam non fecerunt, eam illis exprobrauerit, dicens: *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida: quia, si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent. Verumtamen dico vobis: Tyro & Sidoni remissius erit in die iudicij, quàm vobis, &c.* Matth. 11, 21. & Luc. 10, 13. Et nunc Bethsaida, vt & aliæ impœnitentes proximæ ciuitates, solo æquatæ debitas impœnitentiæ pœnas luunt: & illius in præsentia aliquæ dumtaxat ruinæ monstrantur. Distat à Tiberiade milliaria duodecim, si assignetur supra Capharnaum.

CAPVT VIII.

De ciuitate Capharnaum, octauo loco quintæ Peregrinationis.

DE Capharnaum agentes tria videbimus: primum, quid olim fuerit; secundum, quid in præsentia sit; & tertium, quæ eo relatu digna acciderint.

Primum breuibus explicuit Adrichomius, de eo agens in tribu Nephtalim numero 27. dicens: *Capharnaum, Græcè Capernaum, glorioſum & præclari nominis emporium erat, atque ex decem primariis regionis Decapoleos vrbibus vna, adeoq; florentiſſima totius Galilææ metropolis, quæ reliquas pulchritudine (à qua & nomen ſortita videtur) opibus, faſtu luxuq; excellebat. Sita eſt ad mare Galilææ ſuper ripam Iordanis fluuij in finibus Zabulon & Nephthalim, in amœniori & feraciori Galilææ agro; atque ab Oriente quidem Iordanis, qui mox in mare Galilææ influit, ab Auſtro verò ipſum mare vrbis mœnia lambunt*, &c.

Capharnaum olim ciuitas præclara.

Tempore D. Hieronymi oppidum.

Tempore D. Hieronymi oppidum erat, vt ipse indicat lib. de Locis Hebraicis: *Capharnaum*, inquit, *eſt iuxta ſtagnum Genezareth, vſque hodie oppidum in Galilææ gentium ſitum, in finibuſq; Zabulon & Nephtalim*, &c.

Poſt D. Hieronymum, quando illam vidit S. Arculphus, *Murum non habebat*, inquit Adamnanus de Locis ſanctis lib. 2. cap. 22. *angulto inter montem & ſtagnum coarctata ſpatio, per maritimam oram longo tramite protenditur, montem ab Aquilonari plaga, lacum verò ab Auſtrali habens in occaſu in ortum extenſa dirigitur.*

Poſtea vicolus.

Brocardi tempore viculus; sic enim de eo scribit: *Capharnaum ciuitas quondam glorioſa, ſed nunc viculus humilis, vix ſeptem habens caſas piſcatorum*, &c.

Nunc vix cognitus locus eius.

Quod ad secundum; posterioribus temporibus adeò destructa remansit, vt ne situs, vbi quondam constructa fuit, nisi signis deprehendi possit, facta cum alijs ciuitatibus diuinæ iustitiæ & cõminationis exemplum, vt ei olim Christus fuerat comminatus, dicens: *Et tu Capharnaum, numquid vſque in cælum exaltaberis? vſque in infernum deſcendes*, &c. Matth. 11, 23. Luc. 10, 15. Quare Bonifacius lib. 2. de Perenni cultu Terræ sanctæ appositè de ista ciuitate sic loquitur: *Et quia hanc ciuitatem difficilè inuenire poteris, quia ſabulo ruina eius cooperta ſunt; duæ arbores palmarum, quæ in medio ciuitatis deſolatæ ſunt, tibi pro ſigno trado. Hæc ciuitas Capharnaum ab Occidente reſpicit Sepheth, à Meridie ciuitatem Tiberiadis, à Septemtrione viculum Bethſaida.* Hæc ipsè.

In præsentia in illius situ multæ ruinæ cernuntur; & miserabile diuersorium, in quod se viatores recipiunt: sunt ibi palmæ, vt dixit Bonifacius, à loco vnde Iordanis influit in mare Galilææ: distat ad sex milliaria. Arabicè *Menich* nuncupatur.

Diſtantia eius ab Ieruſalem.

Distat ab Ierusalem, secundùm Abulensem Matth. 15. quæst. 3. leucis ferè triginta sex: & sanè in illo itinere conficiendo insumitur tempus quatuor dierum & ampliùs.

Capharnaum ciuitas maritima appellatur à D. Matthæo cap. 4, 12. non quòd iuxta mare Mediterraneum sita fuerit, sed quia dulcibus aquis lacus Genezareth, qui mare dicitur ex dictis suprà Capite 111. alluebatur.

Capharnai nomen ſignificatio.

D. Hieronymus de Nominibus Hebraicis, ex Euangelio D. Lucæ nomen Capharnaum ait significare agrum, siue villam consolationis, &c. & in Ezech. cap. 38. agrum pulcherrimum interpretatur: *Cepher*, ait, *ager appellatur, & villa: vnde Capharnaum ager pucherrimus dicitur*, &c.

Nomen multiplex.

Cùm Capharnai nomen enuntietur de agro, ciuitate, & fonte, de quo Capite sequenti, dubitari potest, vnde illud ciuitati venerit. Cardinalis Baronius Tom. 1. Annal. sub anno Christi 31. ex D. Hieronymo de Locis Hebraicis arbitratur, à fonte appellatam fuisse ciuitatem; alij è conuerso, à ciuitate fontem. Mihi probabilius videtur dicendum cum asserentibus, tam ciuitatem quàm fontem à pulchro & amœno agro Capharnaum appellari. Et ex his constat, ciuitatem Capharnaum ex naturæ, &, vt aiunt, fortunæ bonis valdè commendabilem esse: etenim prope mare in optima, fecunda amœnaque regione sita, publicum emporium, ad quam ex diuersis partibus confluebant homines; ita vt habita sit caput & metropolis ciuitatum Galilææ. Sed ex statim subijciendis multò commendabilior.

Dubij ſolutio.

Habitatio Chriſti. Deſcendit, &c.

Quantum ad tertium supra de hac vrbe propositum, fuit Christi, B. Mariæ Virginis & Apostolorum præsentia sanctificata, & illius prædicatione & miraculis illustrata. Post primum illud conuersionis aquæ in vinum factum à Christo Domino in nuptiis Canæ Galilææ, *deſcendit Capharnaum ipſe, & mater eius, & fratres eius, & diſcipuli eius*, &c. Ioan. 2, 12. & Matth. 4, 13. *Et, relicta ciuitate Nazareth, venit, & habitauit in Capharnaum maritima*, &c. Idem alij Euangelistæ.

Ad prædicandum à Chriſto, vt multum fructificaret, electa.

Et meritò Saluator noster Capharnaum ad habitandum elegit; quoniam, vt nunc alias rationes missas faciamus, ipse erat lux mundi,

mundi, lucerna collocanda in patenti & eminenti loco, vt omnibus doctrina, sanctitate & illustrissimis operibus prælucereț; Capharnaum verò erat ad id idonea ciuitas, quoniam ad eam frequentior erat hominum concursus: nam tam illi qui transmarinam regionem incolebant, quàm alij ex proximis & longinquis partibus illuc confluebant mercandi gratia (vt enim dictum est, fuit ibi publicum emporium, erat in via qua ex Syria itur in Ierusalem & Ægyptum) quare cùm ibi tantus esset hominum concursus, plurimùm etiam proficere poterat, lúce prædicationis illuminando, & miraculorum gratia & sanctitate conuersos confirmando.

Christi ciuitas appellata.

Adeò frequenter Christus ibat Capharnaum, & per multum tempus ibi mansit, vt Christi ciuitatem appellauerit S. Matthæus cap. 9, 1. & Marcus cap. 2, 1. Et quamuis non me lateat, D. Hieronymum, Druthmarum & Abulensem arbitratos esse, Matthæum per Christi ciuitatem intellexisse Nazareth, & D. Augustinum l. 2. de Consen. Euang. cap. 25. arbitrari Galilæam posse dici ciuitatem Christi, quia in Galilæa erat Nazareth: rectiùs tamen videtur dicendum cum Chrysostomo, per Christi ciuitatem intellexisse Capharnaum, propter diuturnam in ea habitationem: *Propriam hîc ciuitatem Christi*, inquit, *Capharnaum appellauit Euangelista. Bethlehem enim ipsum tulit, Nazareth educauit, sed Capharnaum perpetuum ipsius erat habitaculum*, &c. Chrysostomo adstipulantur Euthymius, Theophylactus, & alij; & ipse D. Marcus, qui loquens de paralytico illo, qui à quatuor fuit per tectum in lecto ante Iesum demissus, vt ei sanitatem largiretur, dicit in Capharnaum fuisse sanatum; Matthæus verò de eodem paralytico loco citato agens, in ciuitate sua, id est Christi; ergo Capharnaum & ciuitas Christi idem erunt.

Obiectionis solutio.

Dicet fortasse quispiam cum Augustino & Druthmaro, Christum priùs in ciuitatem suam, id est Nazareth, venisse; posteà petiisse Capharnaum, atque in ea paralytico sanitatem præstitisse; sed contrà, quia dicens Euangelista Christum transfretasse, & venisse in ciuitatem suam, intellexit de ciuitate, quam ad habitandum elegit, quæ fuit Capharnaum: nec credendum Christum transfretato mari abiisse Nazareth, & posteà Capharnaum; quia mare transfretanti priùs occurrit Capharnaum in eius littore, & inde itur Nazareth: quam circa triginta milliaria à Capharnaum distare ad minus credimus.

Alia in Capharnaum.

Ex Capharnaum profectus Iesus, circuibat ciuitates & castella, prædicans & euangelizans Regnum Dei, & infirmis sanitatem impertiens. Inde reuersus Capharnaum, docebat tamquam potestatem habens: eiecit de corporibus dæmones, aliaque miracula operatus fuit, vt docent Marcus 1, 21. & Lucas 4, 31. Centurionis ægrotum famulum sanauit, & Simonis socrum magnis febribus laborantem in domo Petri, vbi & plures alios ægrotos ad Iesum adductos restituit sanitati, Matth. 8, 13. Egressus Capharnaum, & alibi plura operatus, reuertitur iterùm ad suam ciuitatem, vbi cum magno spiritus feruore sermonem haberet ad populum. Cognati eius de potestate mentis exisse putantes, vincire voluerunt. Pharisæi eum Beelzebub ope dæmonia eijcere accusant. Et fratribus eum alloqui volentibus, nec valentibus præturba, respondet, discipulorum pietatem omni cognatione sibi esse posteriorem, Marci 3, 21. Posteà, relicta ciuitate, abiit trans mare, sed iterùm transfretauit ad eam: quo cognito, tantus concursus fuit, vt paralyticum portantes, vt anteà diximus, cùm ad Christum irrumpere non possent, conscenso domus tecto, eum demiserint; & sanitati fuit restitutus, Luc. 5, 18. Creditur hîc Iairi principis Synagogæ filiam defunctam ad vitam reuocasse, apud eumdem Lucam 8, 41. Et cùm per aliquod tempus à Capharnaum abfuisset, ad eam rediens, in synagoga aridam hominis manum sanitati restituit. Sabbatum erat, Pharisæi in eo violatam legem accusant, coniurant in Christum. Ille furori cedendum ratus, inde discedit; & in itinere multa miracula fecit, Matth. 12, 14.

Hîc primò Eucharistiæ doctrina prædicata.

Hîc primò Sacramenti Eucharistiæ doctrinam prædicauit, Ioan. 6, 32, 48. pro se & Petro soluit didrachma, Matth. 17, 26. Creditur in Capharnaum fuisse, cùm ab Ierosolymis accesserunt ad Iesum Scribæ & Pharisæi, quærentes, quare discipuli eius manus non lauarent, cùm panem manducabant, contra seniorum traditiones, Matthæi 15, 2. Genezareth tamen fuisse probabilius deduco ex eodem Matth. 14. & Marc. 6. in fine, & Matth. 15. & Marc. 7. in principio, ex Rabano, Beda, & aliis.

Hæc & plura alia fecit & docuit Iesus in Capharnaum ciuitate; quæ quoniam ita clarè non expressérunt Euangelistæ, prætermij: de quibus tamen non est dubitandum, quoniam eam ad habitandum elegit. Et si quos voluisset & debuisset non collegerit fructus, habitantium malitiæ tribuendum est: quare ad modicum fructum ex eius miraculis & prædicatione respiciens Saluator, ei comminatus fuit, dicens: *Et tu Capharnaum, numquid vsque in cælum exal-*

exaltaberis? vsque in infernum descendes: quia si in Sodomis facta fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te, fortè mansissent vsque in hanc diem. Matth. 11,23. & Luc. 10,15.

Aliud Capharnaum oppidum.

Aduerte, esse etiam Capharnaum oppidum màritimum prope Cæsaream Palæstinæ, cuius meminit Adrichomius in Manasse 1. num. 23.

CAPVT IX.

De fonte Capharnaum, nono loco quintæ Peregrinationis.

Fons Capharnai origo & amœnitas.

IN agro & regione Capharnaum est fons celebris, qui fons Capharnaum, & à Iosepho Capernaum appellatur: fluit ad radicem montis Christi; & in tribus locis ab inuicem dissitis & affabrè dispositis erumpit, & in marmorea vasa aquas demittit, quibus tam homines quàm iumenta recreantur. Producit etiam pisciculos quosdam, vt qui eos viderunt testati sunt: ego non obseruaui. Est proximus villæ cuidam, quæ Arabicè dicitur *Hatin*, & ab incolis *Beleth scide sciech*, id est, villa Domini sancti; ab Hebræis & Christianis, *Mar Cephas:* intra quam est mesquita, vbi pulchrum sepulchrum, in quo Mahometistæ dicunt esse præcipuum ipsorum quemdam sanctum & insignem virum: Hebræi similiter credunt esse sanctum suæ gentis; Christiani similiter credunt ibi tumulatum vnum ex Christi discipulis: & manifestum est, præter diuum Petrum fuisse vnum ex Septuaginta duobus discipulis qui Cephas appellatus fuit. Et probabile est ex isto accepisse nomenclaturam; siquidem Turcæ, qui libenter se honorant rebus Hebræorum & Christianorum, quod ipsorum est sibi ipsis attribuunt.

Distat hic fons à mari Galilææ quatuor, à Capharnaum octo milliaribus, vt dijudicari potest ex canalibus: ex isto ducebantur aquæ ad Iotopata maritimam ciuitatem. De isto fonte Iosephus lib. 3. de Bello Iud. cap. 18. sic loquitur: *Capernaum nonnulli venam esse Nili fluminis opinantur, quod similes Cercino Alexandrino generat pisces.*

Brocardus 1. Part. Itin. cap. 4. §. 6. de eodem sic scribit: *Iuxta mare Galilææ ferè triginta passibus fons oritur pariete circumdatus, quem incolæ credunt venam Nili: cernum piscem nutris, qui nusquam alibi reperitur: Iosephus fontem Capharnaum appellat. Planities, vsque ad Iordanem trium leucarum longitudinem habens, Capharnaum nominatur.* Hæc ille. Arbitror pro triginta passibus legendum triginta stadiis. Aliàs tamen intra Capharnaum in eius Septemtrionali plaga è rupe oritur fons limpidissimæ aquæ; sed non est celebris fons Capharnaum, qui in propinquum mare terminatur. Agit de isto fonte Adrichomius in Nephthalim num. 28. & de iis fortè loquitur quæ antiquitus erant: nos notauimus quæ nostris temporibus obseruauimus.

Fons alius prope Capharnaum.

CAPVT X.

De cisterna veteri, in quam Ioseph fuit à fratribus proiectus, decimo loco quintæ Peregrinationis.

EX Capharnaum egressi, relicto mari Galilææ, ad dexteram partem prosequendo iter ad Septemtrionem versus Syriam & Damascum, per vastam, amplam montosamque solitudinem octo vel decem milliarium transitur per locum, qui ab harum partium incolis *Can Ioseph*, hoc est, diuersorium Ioseph, appellatur. Ratio est; quia in dextera parte viæ est peregrinorum siue viatorum diuersorium, vbi est mesquita Turcarum, & cisterna, quæ non modò à fidelibus, sed ab infidelibus ipsis Mauris & Hebræis veneratione habetur; quia credunt veteri traditione edocti, esse veterem illam cisternam olim aqua carentem, in quam (vt in libro Geneseos proditum est) bonus & obediens ille Ioseph, Iacob Patriarchæ dilectissimus filius, fuit à fratribus suis filiis Iacob proiectus. Cùm enim Ioseph de Hebron missus fuisset à patre, ad videndum si cuncta prosperè succederent fratribus suis pascentibus oues in Sichimis; iis ibi non inuentis, vlteriùs progressus fuit in Dothaim, quò fuisse profectos à quodam accepit. Cumque illuc peruenisset; fratres odio & inuidia quâ illum prosequebantur concitati, cùm ei nil possent pacificè loqui, maior illorum pars volebat innoxium sanguinem fratris cum spiritu fundere: sed Ruben persuadente (cui in animo erat liberare eum de manibus eorum, & viuum reddere patri suo) tunica talari & polymita spoliatum, in siccam cisternam, quæ erat in solitudine, proiecerunt. Et hanc illam esse, de qua in præsentia loquimur, docet communis harum partium traditio.

Diuersorium Ioseph quare dictum.

Ioseph in cisternam, quæ erat in solitudine, proijcitur.

Notandum, in ista regione plures fuisse cisternas; nam Gen. 37. vbi vulgata Lectio habet, *Mittamus eum in cisternam veterem*, Hebraica legit, *in vnam cisternarum:* sic Septuaginta & Chaldæus. Et inter has quædam iam ob vetustatem rimosæ & destructæ, & quæ non possent ampliùs continere aquam:

Multæ in solitudine cisternæ.

aquam: de quibus Ieremias cap. 2, 13. *Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.* Atque in vnam ex his, plenam serpentum & scorpionum, proiectum fuisse sanctum Ioseph, docet Rabbi Salomon; & talem in vasta solitudine fuisse non est dubitandum. A qua Deo custodiente incolumis eductus, Ismaëlitis prætereuntibus viginti argenteis venditus; à quibus in Ægyptum, quò pergebant, ductus fuit.

Cisterna Ioseph commendata.

Hæc cisterna, quæ non multùm à Dothaim distare dicitur, in commemorato loco visitatur. *Dothaim est nomen significans quoddam territorium pascuale apud Sichem*, inquit Abulensis in cap. 37. Gen. Capitello & columnellis optimè exornata fuit in honorem illius sancti adolescentis: qui, vt magis exaltaretur, diuina prouidentia fuit in ea humiliatus. In præsentia aliquando aquis affluit, & aliquando penuriam patitur.

Notandum, in Geographica descriptione Terræ sanctæ Adrichomij in Zabulon num. 36. & 40. Dothaim & cisternam Ioseph describi citra mare Galilææ in plaga eius Occidentali: sed vlteriùs in Septentrionali plaga, in media via inter Iordanis pontem & ipsum mare monstratur; at mari vicinior, vbi verè magna solitudo est, vt Scriptura sacra dicit. Et propter dicta nullo modo audiendi sunt, qui dicunt, cisternam, in quam fuit Ioseph proiectus, esse circa Bethlehem. Horum opinionem retulit Baldensel in suo Hodœporico: sed illam numquam audiui in partibus istis; & est sacræ Scripturæ contraria.

Quorundam error refellitur.

CAPVT XI.

De vado Iacob, vel ponte Iordanis, vndecimo loco quintæ Peregrinationis.

EX cisterna Ioseph prosequendo iter decem milliarium circiter per vastam solitudinem, peruenimus ad Iordanem fluuium, ad locum vbi pons super ipsum exstructus est, quo ipsum pertransimus: hac transit & fluit Iordanis magno impetu inter duos montes. Et iste pons non est ille, cuius suprà Cap. 11. huius Peregrinationis meminimus ex Adrichomio in Nephthalim num. 78. quia ille describitur prope mare Galilææ, vbi in ipsum intrat Iordanis; atque iste longè abest à mari Galilææ: ille verò est, cuius idem Adrichomius mentionem facit loco citato num. 96. quem *vadum Iacob* appellat. Ex lapidibus constructus est, & quatuor arcubus fulcitur, quantum recolo: satis enim longus est, & commodus.

Pontis Iacob forma.

Sed quænam est eius nominis ratio? Non illa quidem, quòd Iacob Patriarcha illum ædificauerit: etenim ibi tantùm in transitu fuit, nec opus habuit ipsum ædificare; nec ædificasse Scriptura sacra, vel probatus Scriptor, quòd sciam, affirmat.

Nominis ratio.

Dicendum, ideò appellatum fuisse pontem & vadum Iacob; quoniam sanctus hic Patriarcha ipsum cum gratiarum actione diues & lætus pertransiuit rediens ex Mesopotamia: quem anteà pauper transierat, quando, paterna domo relicta, abiit in Mesopotamiam.

Et vt rem totam probè intelligamus, notandum ex Gen. 27. Iacobum Isaaci & Rebeccæ filium, vt horum iussis obtemperaret, & fratris sui Esau conceptam in eum indignationem declinaret, profectum fuisse in Mesopotamiam Syriæ, & in eo itinere, vt maiorum habet traditio, hac transisse, nihil secum præter baculum deferentem. Cùm deinde multis transactis annis ex Mesopotamia in terram Chanaan ad patrem suum reuerteretur, non ampliùs pauper, sed multis bonis & numerosa prole ditatus, præsentia cum præteritis, paupertatem cum diuitiis conferens, Deo gratias agens, lætus dixit: *In baculo meo transiui Iordanem istum: & nunc cum duabus turmis regredior:* vt dicitur Gen. 3, 2. Et super hunc pontem, vel saltem in isto loco transisse creditur, vbi nunc pons est ædificatus; ac ob id locus & pons ille ab antiquis *Pons & vadum Iacob* appellatus fuit.

Iacob primò Iordanem transijt eundo in Mesopotamiam.

Et, ne decipiamur, sciendum est, in sacra Genesi, dum agitur de reditu Iacob ex Mesopotamia in terram Chanaan, non semel, sed bis fieri mentionem de transitu fluuij; primò c. 31, 21. quando videlicet inscio Laban socero ac patruo suo, relicta Mesopotamia, ipse cum tota familia & facultatibus suis gressus direxit versus terram Chanaan. Re cognita, Laban eum insecutus est vsque ad montem Galaad, vbi & eum inuenit: transisse tunc fluuium testatur Scriptura sacra sequentibus verbis: *Cumq; abiissent tam ipse quàm omnia quæ iuris sui erant, & amne transmisso pergeret contra montem Galaad*, &c. Hic amnis nomine non intelligitur Iordanis, vt perperàm quidam intellexerunt; nondum enim tantum iter perfecerat, vt ad Iordanem peruenire potuerit cum vxoribus, paruulis & gregibus suis; sed est vel Hipodion fluuius è mari Galilææ egrediens, vt quibusdam placet: vel, quod probabilius credo cum Pererio in citatum caput Gen. num. mar-

Nota.

Digitized by Google

gin. 16. Euphrates; qui ob eius excellentiam absolutè fluuius non semel in Scriptura appellatur: is enim necessariò traijciendus est à venientibus à Mesopotamia in Palæstinam ante Iordanis transitum; igitur, cùm posteà loquatur Scriptura expresse de transitu Iordanis, eo loco amnis nomine Euphratem intelligere voluit.

Secundò, videndo in Canonicis dem.

Secundò, fit mentio transitus fluuij capite 32. vers. 10. & 22. eiusdem Gen. vt diximus, & ibidem, vbi post pauca dicitur: *Cumq; maturè surrexisset (Iacob) tulit duas vxores suas, & totidem famulas, cum vndecim filiis, & transiuit vadum Iaboc.* Hoc vadum crederem esse ipsum Iordanem, quem à longè sanctus Patriarcha respiciens, cum iubilo dixit: *In baculo* (id est cum baculo) *meo transiui Iordanem istum*, &c. quem posteà cùm vxoribus, filiis & facultatibus suis transiuit.

Diuersorium.

E regione pontis vltra Iordanem est viatorum diuersorium: quod arbitror esse oppidum illud, quod Ierosolymorum Rex Balduinus huius nominis IIII. anno Domini septuagesimo octauo supra millesimum & centesimum, super ripas Iordanis in colle mediocriter eminenti, & supra aquas Merom sex mensium spatio ædificauit, quo Saracenorum ex Damasco in Terram sanctam repelleret excursiones, Templariis commissum; ab Iordane, quem transijt Iacob, vadum Iacob appellatum: quod funditus euertit Saladinus, vt docet Tyrius de Bello sacro lib. 18. cap. 23. & libro 21. cap. 26. & lib. 22. cap. 22. sed nunc quia tam Damascus quàm Terra sancta sub Turcæ ditione aut veriùs tyrannide est, non pro oppido & defensione, sed pro diuersorio & habitatione eorum, qui transeuntium vectigalia exigunt, deseruit.

Vbi Iacob Esau obuium habuit.

Bonifacius de Perenni cultu Terræ sanctæ inquit, post transitum Iordanis ad dexteram partem esse domunculam Iacob, & locum, vbi ei reuertenti ex Mesopotamia cum duabus turmis Esau frater occurrit.

Nolo hîc præterire quod à curiosis & fide dignis accepi, qui ex Aleppo & Damasco non per solitum iter, sed per amœnam & delicioſam regionem Galaad, quæ est vltra Iordanem & mare Galilææ, Ierosolymam profecti fuerunt; supra Iordanem maiorem, illum videlicet qui sequitur mare Galilææ, in eius Australi plaga esse alterum magnum & pulchrum pontem. Nec Adrichomius, nec alij, quos viderim Auctores, illius faciunt mentionem; quia rarissimi sunt qui illud iter conficiunt. Et addiderunt, regionem illam illustrem & fertilem esse, & in ea multa obseruatione digna videri.

Alius post supra Iordanem.

CAPVT XII.

De aquis Merom, quæ duodecimo loco occurrunt in quinta Peregrinatione.

POst transitum Iordanis, est prope ipsum quidam lacus & aquarum copia, quæ aquæ *Merom* appellantur, de quibus Adrichomius in Nephthalim num. 11. Dicam quod vidi & obseruaui. Cùm illac transissem circa finem mensis Iunij, & veniſſem prope Iordanem, obseruaui locum stagni, siue paludem, terram nigram absque aqua, satis aridam propter nimiam siccitatem & calorem: vbi & arbusta aliqua. Et ex his deprehendi, ibi esse lacum vel paludem alio tempore aquis affluentem, quas alij aliàs inuenerunt: multùm se extendunt; & ex Iordanis & pluuialibus aquis congregari, cum aliis arbitror: & hæ fortè sunt aquæ Merom.

Paludis Merom descriptio.

Salmeron eruditissimus scriptor Tom. 1. Prolegom. 41. optimè mihi de his aquis videtur fuisse locutus: quare eius verba hîc subijcere non grauabor; sic verò dicit: *Cursus Iordanis sic se habet. Post Cæsaream Philippi in progressu fluminis per centum stadia ab Occidente est Sephama, deinde coniungitur cum Semechonitide Lacu; qua potiùs est palus quàm lacus, quòd æstiuis caloribus exsiccetur, vbi torrentes niuales cessauerint: hac palus ab incolis Hebraicè dicitur* מי מרום, *id est, Me merom; nimirum Iosue* 11, 5. *vbi Iabin Regem Azor potentissimum cum aliis montanorum locorum Regibus fudit atque prostrauit, & prædam ingentem retulit: & interpretatur Mè merom, aqua alta, vel suprema.* Hæc ille. Et hæc de hac Peregrinatione & locis Samariæ & Galilææ vsque ad Iordanem dicta sufficiant.

PERE-

ed by Google

PEREGRINATIO VI. *in qua recenſentur & explicantur octo præcipua loca quæ in ciuitate Damaſci viſitari conſueuerunt.* I. *Vbi S. Paulus fuit ad Chriſtum conuerſus.* II. *Vrbs Damaſci.* III. *Domus Ananiæ Chriſti diſcipuli.* IV. *Domus Iudæ hoſpitis Pauli.* V. *Feneſtra per quam Paulus fuit in ſporta à fratribus dimiſſus.* VI. *Vbi Hazaël fuit ab Elia vnctus Rex ſuper Syriam.* VII. *Hoba villula.* VIII. *Abana denique & Pharphar fluuij Damaſci.*

CAPVT PRIMVM.

De loco Conuerſionis S. Pauli Apoſtoli, & primo huius ſextæ Peregrinationis.

EX ponte Iacob, de quo Cap. 11. præcedentis Peregrinationis, ad Septemtrionem dirigendo greſſus, peracto duorum dierum itinere, peruenitur Damaſcum. Et ante ingreſſum huius illuſtriſſimæ ciuitatis ſeſe offert locus, vt inſigni facto & illuſtri monumento deſignatus, ita dignus, vt ante mentis oculos ſemper habeatur; locus inquam Conuerſionis ſancti Pauli Apoſtoli: in quo Dominus noſter Ieſus Chriſtus, ſua immenſa præueniente ac ſubſequente gratia, Paulum perſecutorem Eccleſiæ eiuſdem fecit prædicatorem. Hic ſpirans minarum & cædis in diſcipulos Domini, accepit litteras in Ieruſalem à Principibus Sacerdotum, vt quotquot inueniret Iudæos Chriſti fidem profitentes, vinctos perduceret in Ieruſalem. Cùm verò Damaſco appropinquaret, ex equo in terram proſtratus, diuina fuit illuſtratus gratia, & ad Dei viſionem eleuatus: cuius vocem cùm audiſſet, quæ velut gladius anceps mentem & cor eius penetrauit, factus in virum alterum, continuò quæ ſibi præcepta fuerunt opere compleuit. E terra enim eleuatus, Damaſcumque introductus, baptiſmi gratiam ſuſcepit; & Chriſti diſcipulis, ad quos venerat, vt vinctos perduceret in Ieruſalem, magna cum omnium admiratione ſe iunxit. Palamque coram omnibus teſtificabatur, non eſſe aliud nomen ſub cælo datum hominibus, in quo oporteat eos ſaluos fieri, quàm nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt pluribus docet D. Lucas cap. 9. Act. Apoſt.

Pauli Chriſti Eccleſia perſecutoris Conuerſio.

De loco verò Conuerſionis S. Pauli, & vbi audiuit Dominum dicentem ſibi, *Saule, Saule, quid me perſequeris?* alterum certum, alterum dubium habemus. Certum & ex Scriptura & traditione, hæc prope Damaſcum contigiſſe in plaga eius Meridionali, & via qua ex Ieruſalem venitur Damaſcum. Dubium verò eſt de loco determinatè, quod eſt in cauſa, vt ſanctus & memorabilis locus non ita frequentetur, & ab omnibus, vt par eſt, non honoretur: & inuenio quatuor inter ſe diſſentientes ſententias.

Act. 9, 4.

Accidit in via Ieruſalem ad ciuitatem Damaſci.

De loco particulari Conuerſionis, quatuor ſententiæ.

Prima, & quæ ſatis communis cenſetur in partibus iſtis, illorum eſt, qui dicunt Conuerſionem S. Apoſtoli accidiſſe citra Damaſcum duodecim circiter milliaribus, in via qua ex Ieruſalem ad eam itur; vbi eſt via præceps, & aſcenſus montoſus: poſt quem ſtatim ad viæ dexteram partem cernitur riuulus quidam fluentis & limpidiſſimæ aquæ, vbi extra viam in eminenti loco ſunt ruinæ, quæ creduntur Eccleſiæ conſtructæ in memoriam Conuerſionis ſancti Pauli. Ita à pluribus accepi, & præcipuè à ſene quodam Preſbytero Maronita Damaſceno, cui nomen Michaël, qui tes memorabiles Damaſci optimè nouerat, prout & ipſe ab aliis didicerat. Pleraque alia, quæ poſteà de his dicemus, ab eodem accepi. Locus Arabicè appellatur *Toret Chaucab*, hoc eſt, Stella matutina.

Prima, à Damaſco diſtare duodecim milliaribus.

Suffragatur huic ſententiæ Hodœporicum S. Villibaldi, in quo de eo & ſociis dicitur, quòd, relicta Damaſco, verſus Galilæam ſint profecti; atq; additur: *Inde ſunt vndecim milliaria: ibi fuit Eccleſia; & in illo loco primùm conuerſus eſt Paulus*, &c.

Secunda ſententia, ſex milliaribus.

Secunda ſententia aſſerit, locum Conuerſionis eſſe Damaſco proximiorem in eius Meridionali plaga, in via qua ex Ieruſalem venitur Damaſcum ad læuam partem: diſtat ſex milliaribus à ciuitate: erat ibi Eccleſia: in præſentia non niſi illius ſigna: eſt ibi magnum marmor, & in eo inciſi gradus pro ſcala: ſunt ibi tabulæ marmoreæ velut ſepulchrorum opercula, vbi cruces ſculptæ ſunt adhuc; & dicunt locum communiter appellari *Paulum*: proximus eſt cuidam villæ *Daraca* nuncupatæ.

Tertia, duobus milliaribus.

Tertiò, alij in eadem via à Damaſco duobus milliaribus locum Conuerſionis aſſignant. Ad hanc ſententiam videtur alludere Abulenſis, dum in cap. 14. Geneſ. verſ. 15. ait, circa Damaſci ciuitatem per vnam leucam eſſe locum in quo Chriſtus apparuit Paulo, dicens, *Saule, Saule, quid me perſequeris?* Act. 9, 4.

Quarta

Quarta, circa medium milliaru conuersum tradit.

Quarta denique sententia affirmat, sanctum Apostolum, cùm circa medium milliaris appropinquaret Damasco, cælesti fulgore copiosaque ac fulgenti diuinæ gratiæ luce circumfusum, fuisse deiectum & humiliatum, vt magis subleuaretur.

Fateor, nullam ex his opinionibus esse sacræ Scripturæ contrariam; quæ indicat ex equo quidem deiectum fuisse Apostolum, & à Iesu Christo compellatum, cùm appropinquaret Damasco: & veniendo ad eam ab Ierusalem, semper ei appropinquabat, siue cùm distabat duodecim milliaribus, siue minùs. Verùm vltimam sententiam illi magis conformem & rationi arbitror, & grauiores habet patronos; & ideò vt probabiliorem sequimur.

Quarta sententia probabilior.

Probatur ex Scriptura. Act. 9, 3.

Sacra Scriptura sic dicit: *Et cùm iter faceret* Paulus, *contigit, vt appropinquaret Damasco: & subitò circumfulsit eum lux de cælo. Et cadens*, &c. Ecce quomodo manifestè dicitur, *Contigit, vt appropinquaret Damasco.* Et quamuis de quocumque loco viæ, per quam veniebat, proximo vel remoto possit intelligi; aptiùs tamen & commodiùs intelligitur de proximiori loco, qui dimidio milliari distat à Damasco, quàm de remotiori, qui duodecim, vel sex vel duobus.

Obiectionis solutio.

Confirmatur ex aliis quæ subijciuntur verbis: *Ad manus illum trahentes, introduxerunt Damascum.* Et ipsemet Paulus Act. 22, 11. inquit: *Et cùm non viderem pra claritate luminis illius, ad manum deductus à comitibus, veni Damascum.* Præ timore enim, stupore & contemplatione adeò viribus destitutus erat, vt per se ingredi non posset; quemadmodum Danieli accidit, quando illi Angelus apparuit, & ipsum fuit allocutus: ita enim de se ipso
Dan. 10, 16 dixit ad Angelum Daniel: *Domine mi, in visione tua dissolutæ sunt compages meæ, & nihil in me remansit virium.*

Saulus quomodo Damascum introductus fuit.

Et quomodo fuit in ciuitatem introductus? scio, qui remotiùs casum agnoscunt, dicere posse, fuisse Paulum à comitibus in iumentum impositum, & ligatum ne decideret, & equitantem circumstetisse, vel etiam priùs prehensum manibus vehiculo duxisse. Verùm probabiliùs videtur dicendum cum Historia Scholastica, Glossa interlineari & D. Augustino Serm. 28. de Sanctis, illum suis propriis manibus tenuisse, & velut cæcum duxisse. Et hoc videtur litteræ conformius, vt consideranti patere potest. Quod si ita est, proximus esse debuit Paulus ciuitati, quando fuit prostratus & à Domino vocatus: nam afflictum & exterritum hominem non expediebat tanto itinere ducere pedestrem, cùm præsertim equitandi facultas non deesset.

Ratio.

Ratio idem persuader. Si enim Paulus non nisi Dei gratia & voluntate ex equo in terram proiectus fuit, vt diuinitus illuminatus baptizaretur; potiùs id effectum dicemus, dum proximior erat ciuitati, quàm si ab ea remotior: commodiùs enim sic recreari & baptizari poterat.

Authoritas

Accedit denique auctoritas plurium qui loca sancta visitarunt, & de eisdem scripserunt. Ita reperi in vetusto manuscripto de Locis sanctis in sacro Conuentu Montis Sion asseruato: idem Bonifacius de Perenni cultu Terræ sanctæ. Ludouicus Romanus Nauigat. lib. 1. cap. 6. dicit locum Conuersionis D. Pauli esse extra vrbem ad primum lapidem; ibique Christianos humari, qui in ea vrbe è vitis decedunt: & Guilielmus de Baldensel dicit hunc locum esse prope Damascum versus terram Promissionis. Idem singulariter Guilielmus Tyrius lib. 3. de Bello sacro cap. 18. & denique, aliis prætermissis, Adrichomius in Manasse 2. num. 41. de hac agens Conuersione, ait: *In huius rei memoriam Deo grata posteritas, eo loci Deo Opt. Max. in honorem diui Pauli templum erexit; vbi etiamnum Christiani, qui Damasci habitant, sepeliri solent. Locum hunc à Syris Mangisafer dictum inuenio; atque Christianorum exercitum Damascum petentem, ipso Conuersionis D. Pauli die huc peruenisse, ac ibidem biduo commoratum esse.* Hæc ille ex Tyrio.

Locus Conuersionis Ecclesiâ consecratus.

Ad hanc Ecclesiam & locum videtur alusisse D. Augustinus, dum Serm. 14. de Conuers. S. Pauli agens, dicit: *Hodie in illis regionibus, etiam ipsa loca testantur, quod tunc gestũ est, & nunc legitur & creditur.* Hæc ipse.

Dictis addo sequentia prout vidi & intellexi. In plaga Meridionali Damasci, quæ respicit viam qua itur Ierusalem, primò in muris ciuitatis est porta nunc clausa, per quam Paulus introductus fuit, quando vt persecutor Christianorum veniebat Damascum; & per quam aufugit, Iudæorum persecutionem declinans, Christi iam prædicator effectus: de qua posteà Cap. v.

Porta per quam fuit Paulus introductus.

Secundò, ex ista vlteriùs procedendo ad Meridiem quantum bis iacit arcus, & ad lævam Orientalemque partem declinando, cernitur quoddam planum luteis muris cinctum: in cuius medio est capellula cum altari, septa ligneis cancellis, & S. Georgius appellatur: non quòd ad memoriam sancti Georgij celebris Martyris in his præsertim partibus dedicata fuerit; sed alterius, qui simile nomen habuit, de quo infrà nunc citato Capite. In maxima habetur veneratione non solùm à Christianis, sed ab ipsismet Turcis & Mauris, quòd ibi sacellum ter circumdantes, vel ad ipsum preces

Sacellum S. Georgij.

funden-

fundentes, gratias ſanitatum conſequantur. Olim ibi ſepeliebantur Chriſtiani, non item modò; ad eum tamen locum deferunt illorum corpora priuſquam tradant ſepulturæ, & ibi Officium faciunt Sacerdotes.

Sepulchra Chriſtianorum.

Tertiò, vlteriùs procedendo, in eadem via eſt locus vbi omnes ſepeliuntur Chriſtiani, Græci, Armeni, Syriani, Maronitæ, &c. & ibi ſepultos fuiſſe tres Fratres Minores à Saracenis interfectos, memoratus Presbyter Maronita dixit. Diſtat circa quartam partem milliaris & ampliùs à ciuitate hic locus: ex altero latere dextro parum vltra ſunt Iudæorum ſepulchra.

Latibulum D. Pauli.

Ad hæc quartò, præter ſepulchra Chriſtianorum, in via eſt prominens congeſta materia, ex paruis lapidibus & terra compacta; intra quam paruum eſt antrum, in quo dicitur D. Paulum ſe abſcondiſſe & quieuiſſe aliquantulum, quando demiſſus à fratribus per feneſtram è ciuitate verſus Ieruſalem aufugit. Quod ſi verum eſſet, poſſent dicere tres priores ſententiæ, in hac parte D. Paulo ædificatam Eccleſiam, quòd ibi quieuerit, & non quòd ad Chriſtum conuerſus fuerit, etſi non facilè admitteretur; quia ex quiete illa nil memorabile accidit, & monumenta eriguntur in memoriam rerum egregiè factarum. Eccleſia alia à memorato ſacello ex hac parte non eſt: an ibi fuerit Eccleſia illa D. Paulo dicata, de qua priùs, me latet; ita tamen eſſe, probabile eſt credere. Et hæc de loco conuerſionis S. Apoſtoli propoſita ſint.

Obiectionis ſolutio.

CAPVT II.

De ciuitate Damaſci, ſecundo loco ſextæ Peregrinationis.

PLura, eaque ſcitu digna, forent dicenda de Damaſco, quoniam ciuitas Syriæ illuſtriſſima eſt, nedum in ſacris & profanis Litteris commendata, ſed vbique terrarum celeberrima, quæ non niſi longa oratione explicari poſſent, à qua nos abſtinebimus, mittentes Lectorem plura deſiderantem ad Adrichomium, qui in ſuo Theatro Terræ ſanctæ in Manaſſe 2. numer 40. ex pluribus plura collegit de eius conditione, ſitu, excellentia, & mutatione: nos enim pauca quædam ex parte etiam ab ipſo mutuata hic adſcribemus, ne tantam ciuitatem, vbi fuerunt plures ex Chriſti diſcipulis, & præſentia præſertim & rebus prodigioſis D. Pauli conſecratam, ſilentio pertranſiſſe videamur. Agemus autem præſenti Capite de illius ſitu, naturali conditione, de Auctore & eius dignitate: de aliis quibus magis commendatur, ſequentibus Capitibus ſermonem faciemus.

Sed priùs placet aduertere, ſi, quæ vel ab Adrichomio vel ab aliis dicuntur de ſecunditate & amœnitate Damaſci, conferantur ad ea quæ temporibus noſtris videntur, per hyperbolen & amplificationem ex parte dicta cenſendum eſſe: tanta enim in præſentia non videntur. Proueniat hoc vel ex habitantium incuria, vel ex temporis aërisque mutatione, aliisque defectibus, vt in aliis regionibus idem ſimilibus de cauſis accidiſſe nouimus, vt Libro 1. attigimus, neſcio.

Quæ à Scriptoribus dicuntur præſenti Damaſcena ciuitati aptata hyperbolica ſunt.

Aduerto etiam, prope Damaſcum, de qua nunc agimus, ex ad Septemtrionem alteram ciuitatem, vel villam non ignobilem, quæ Damaſcus vetus & vulgò *Salaia* appellatur, vbi & plures & pulchræ domus ſiunt; vnde quæ à Scriptoribus dicuntur, intelligenda arbitramur partim de noua partim de veteri Damaſco.

Damaſcus vetus Salaia dicta.

Damaſcus ciuitas Syriæ eſt, illius videlicet quæ à Damaſco dicitur *Syria Damaſci*, ſita in campo plano ad Septemtrionem Terræ promiſſionis vltra Libanum montem; quem ad Occidentem & parum ad Septemtrionem inclinando habet. A Ieroſolymis quinque manſionibus eam diſtare dicunt, alij ſex dierum itinere. Sed verè nunc in comitatu octo faciunt manſiones, qui vel ex Ieroſolymis Damaſcum, vel è Damaſco Ieroſolymam proficiſcuntur, & non duodecim, vt alij dixerunt. Munitiſſima eſt fortiſſimo caſtello foſſis vallato, & turribus munito: mœnia alta foſſa ambit, olimque tribus muris cinctam fuiſſe fertur, & alicubi illorum veſtigia ſignaque videntur. Ædes cùm publicæ tum priuatæ foris licet inelegantes appareant, paucis exceptis, intus tamen decentiſſimæ, vario marmore exornatæ & elaboratæ: balnea in primis, quibus incolæ plurimùm vtuntur, pulcherrima ſunt. Omnes ferè domus fontem vnum, & plures habent opere teſſellato mirè elaboratos: & in publicis ſimiliter viis aquæ & fontes fluunt & affluunt. Fructus ferè omnis generis ibi inueniuntur: recentes vuæ, vno anni menſe excepto, ſingulis aliis manducantur: optimum ibi inuenitur vinum: egregia ſatisque amœna viridaria, & abundans regio.

Damaſcus quid.

Diſtantia eius ab Ieroſolymis.

Fontibus affluit.

Celeberrima eſt ibi Eccleſia D. Zachariæ patri magni Ioannis Baptiſtæ dicata, vbi eius corpus humatum fuiſſe fertur, nunc in præcipuam Turcarum Meſquitam conuerſa: & habere caput Zachariæ gloriantur Turcæ; & audiui aſſeruatum eſſe in diſco argenteo, & illud aliquando oſtendere ſuis Primatibus. Adamnanus ait de Damaſco loquens, ibidem in honorem ſancti Ioannis Baptiſtæ grandem fundatam eſſe Eccle-

Inſignis in ea S. Zacharia Eccleſia.

Digitized by Google

Eccleſiam. An hæc eſt Zachariæ patris? an potiùs hæc eſt de qua ſtatim ſubiungit: *Quædam etiam Saracenorum Eccleſia incredulorum; & ipſa in eadem ciuitate, quam ipſi frequentant, eſt fabricata.* Sunt & aliæ nobiles Meſquitę, plura & magna pro tranſeuntibus diuerſoria, nec non publica hoſpitalia pro pauperum & infirmorum ſubuentione. Merces ibi plures: panis, carnes, aliaque comeſtibilia, communiter vili venduntur pretio.

Plures Meſquitæ, diuerſoria & xenodochia.

Damaſcus opulenta & amœna, olim caput Syriæ.

Propter opulentiam, diuitias & amœnitatem caput Syriæ facta fuit, vt dicitur Iſaiæ 7,8. *Caput Syriæ Damaſcus.* vnde Abulenſis in cap. 14. Geneſ. de ea ſic ſcribit: *Damaſcus ciuitas eſt in Idumæa principaliter ſub montibus Seir; ſed vocatur caput Syriæ, quia Syria erat illo tempore caput Idumææ.* Et talis erat tempore Regum Iſraël; ſed ſub Græcorum & Romanorum Imperio caput Syriæ fuit Antiochia, vt caput Iudææ Cæſarea, vti docet Tacitus lib. 18. Strabo ſequentia de illa ſcribit: *Damaſcus vrbs eſt inſignis, omnium ferè nobiliſſima quæ ſunt in regione Perſia vicina.* Et in præſentia, etſi pluries deuaſtata & demolita fuerit, inficiari tamen non poſſumus, ipſam non eſſe præcipuam, pulchriorem & fecundiorem aliis Syriæ ciuitatibus; ac ideò Bonifacius de Perenni cultu Terræ ſanctæ de ea, vt erat tempore ſuo, ſequentia memorat:

Damaſcus, inſignis & antiqua ciuitas, caput Syriæ, amœna regio, aquis largiſſimis irrigata vt paradiſus; ſed propter delicta noſtra & Chriſtianorum Principum negligentiam viperarum habitatio effecta. Huius ciuitatis decorem, quàm ſit magnifica, nullus, ſi centum linguas haberet, exprimere poſſet: in qua vicum rectum, & domum Iudæ, & fontem in ea, in quo baptizatus fuit Paulus Apoſtolus, domum Ananiæ diſcipuli Chriſti & Pauli Apoſtoli magiſtri videbis; ad quam per aliquot gradus deſcenditur. Hunc vicum mercibus plenum quantò plus contemplabar, tantò magis de diuitiis in eo & mercibus pretioſiſſimis admirabar, &c. Sed de iſtis particularibus locis infrà.

De conditore quinque ſententiæ.

Et quis hanc ciuitatem ædificauit? Reſpondeo non eſſe manifeſtum, quoniam de hoc Scriptura ſacra nihil dicit manifeſtè, & Doctores inter ſe diſſentiunt.

Prima, à Damaſco Abrahæ ſeruo conditam aſſerit.

Quidam dicunt, Damaſci ciuitatem conditam fuiſſe à Damaſco Eliezer procuratore domus Abraham, cuius fit mentio Geneſ. 15. ita in hunc locum S. Hieronymus, Hiſtoria Scholaſtica, Toſtatus, & complures alij, qui ſententiam communem arbitrantur, & à ſuo nomine Damaſcum appellaſſe.

Idem D. Hieronymus in cap. 4. Thren. dicit, eius conditorem fuiſſe Core filium Edom, id eſt, Eſau, de quo Gen. 36.

Secunda, à Core Edom filio.

Sed contra vtramque hanc ſententiam obiici poſſet quod Geneſ. 14, 15. dicitur, Abram inſecutum fuiſſe quatuor Reges vſque Hoba, quæ eſt ad lævam Damaſci. Ecce quomodo ante tempora Abraham, & conſequenter Eliezer ſerui eius, & Core filij Edom nepotis eius erat Damaſcus; ac ideò ab iſtis condita non fuit.

Obiectio.

Solutio.

Reſpondet Pererius in cap. 15. Geneſ. quòd tempore Abrahæ non nominabatur Damaſcus: ſed eius hiſtoriæ ſcriptor Moyſes per anticipationem ſic appellauit eum locum, vt ſua ætate appellabatur. & tantum fuit ac ſi dixiſſet: Perſecutus eſt Abram quatuor Reges vſque, Hoba, &c. id eſt, vſque Hoba, quæ eſt ad lævam illius regionis, vbi poſteà ciuitas Damaſci, quæ nunc eſt, fuit ædificata.

Damaſci nominis etymologia.

Vel aliter dici poſſet, quòd ibi per Damaſcum non demonſtratur ciuitas, ſed locus vbi poſteà fuit ædificata, ſic ab effectu appellatus: dicitur enim Damaſcus à bibendo ſanguinem. Et cùm ibi dicatur, vt refert D. Hieronymus, fuiſſe fuſum ſanguinem Abel, ab illius effuſione locus ille Damaſcus eſt appellatus. *Damaſcus*, inquit ſanctus Doctor in cap. 17. Ezech. *locus eſt, vbi dicitur occiſus Abel à fratre ſuo Cain: qua cauſa locus dictus eſt Damaſcus, id eſt, ſanguinem bibens.*

Tertia, à filio Mercurij.

Stephanus libro de Vrbibus à filio Mercurij homonymo, qui ex Arcadia colonos huc traduxerat;

Quarta, à Damaſco Rege.

Iuſtinus Hiſtoricus lib. 36. à Damaſco Rege ædificatam dicit.

Quinta, ab Hus filio Aram.

Denique Ioſephus lib. 1. Antiquit. cap. 7. enarrans originem Gentium ex tribus filiis Noë ſcriptam à Moyſe Gen. 10. arbitratur conditam fuiſſe ab Hus filio Aram nepote Sem: in qua ſententia eſt etiam ſanctus Hieronymus in quæſt. Hebr. in Geneſ. loco citato. Ad quod facit, quòd Damaſcus alio nomine Aram Syriæ appellatur, vt idem ſanctus Doctor tradit in cap. 17. Gen. & nunc communiter *Sciam*, id eſt Sem, in partibus iſtis nuncupatur; quaſi in memoriam Aram filij Sem vel ipſiuſmet Sem fuerit condita: & locus Geneſ. prius citatus videtur magis huic ſententiæ quàm aliis ſuffragari.

Diſſensus opinionum conciliatio.

Sententias iſtas, quæ videntur inter ſe diſſidentes, arbitror in hunc modum poſſe conciliari, dicendo, Hus filium Aram huius ciuitatis prima iecciſſe fundamenta, ſed poſteà à Damaſco ſeruo Abrahæ fuiſſe inſtauratam, & denique à Core filio Eſau, vel aliis, ad meliorem ſtatum reductam fuiſſe; ac ideò omnes eius Auctores appellari: nam plu-

pluries reſtauratores vrbium & locorum frequenter eorumdem Auctores appellantur. 3. Reg. 15, 17. dicitur Raaſa Regem Iſraël ædificaſſe Ramam; & tamen 2. Paral. 16, 1. dicitur muro illam circumdediſſe; & alibi credo idipſum à me in ſimili obſeruatum. Ita in propoſito dicendum, ab effectu locum nomen accepiſſe, & à loco ſiue regione ciuitatem: quod poſteà à Damaſco Eliezer reſtauratore alia ratione accepit. Hinc Adrichomius diuerſitatis conditorum rationem expendens, ait: *Cuius diuerſitatis hæc poteſt eſſe ratio, quòd Damaſcus filius Eliezer ciuitatem ab Hus conditam illuſtriùs inſtauranerit; ideóq; ex Aram à ſuo nomine Damaſcum appellauerit; atque hoc ipſum Iuſtinum, Stephanum aliósque Coſmographos permouiſſe, vt Damaſcum vrbu ſcriberent conditorem.*

Salaia villa & mons. Supra Damaſcum in eius Septemtrionali plaga eſt villa *Salaia*, à qua & mons proximus ſimili nomine eſt appellatus: ibi Eccleſia, potiùs Meſquita, vbi Chriſtiani dicunt eſſe quadraginta Martyres, Turcæ totidem Sanctos ipſorum; & ideò multùm eam venerantur, nec circa permittunt habitare Chriſtianos.

Eccleſia quadraginta Martyrum.

Ex eadem parte cernitur turricula ſiue Meſquita, vbi ſtetit Rex qui Damaſcum cepit: & memorabili facto oſtendit quomodo milites illam caperent, ſi vniti manerent; accepto enim faſciculo ſagittarum, oſtendit ſimul frangi non poſſe, ſed ſingulas ſolutas; eo exemplo demonſtrans concordia victores euaſuros: & vniti perſeuerantes victoriam adepti ſuerunt; & ideò locus ille *Victoria* nuncupatur, item *Campus*: & pro ſigno media columna erecta, vbi Adam platimatum fuiſſe aliqui dicunt; communiter tamen non tenetur.

Ex concordia victoria.

Vbi Adam conditus aſſeritur.

Domus Naaman, & ſepulchrũ Giezi. In plaga Orientali ciuitatis extra prope muros fuit domus Naaman leproſi, de quo 4. Reg. 5. nunc ibi eſt hoſpitale pro Turcis lepra infectis; & ibidem monſtratur locus, vbi ſepultum fuiſſe Giezi ſeruum Eliſei aſſeritur: ibi palmæ.

Ciuitatis Damaſci nomina. Hæc ciuitas appellatur *Damaſcus*, ſiue *Damaſech* Hebraice, id eſt, ſanguinis ſuccus, vel ſanguinẽ bibens; ab euentu, vel à reſtauratore, regione, & patre conditoris, Aram Syriæ; & à deliciis, voluptatibus & opulentia appellata eſt in Scriptura *Ciuitas laudabilis, vrbs lætitiæ*, Iere. 49, 25. & *Domus voluptatis*, Amos 1, 5. Huius ciuitatis meminit Tyrius lib. 17. cap. 3. Belli ſacri: nonnulla recitat Guilielmus de Baldenſel in ſuo Hodœporico. Euentus & in ea factas mutationes lege in antè citato Adrichom. & nos ad aliqua eius memorabilia accedamus.

CAPVT III.

De domo Ananiæ, qui Paulum baptizauit, tertio loco ſextæ Peregrinationis.

IN ciuitate Damaſci, inter alia quæ tam à terrigenis quàm à peregrinis meritò viſitantur & honorantur loca, vnus ex ipſis præcipuus eſt domus Ananiæ, Chriſti Domini diſcipuli; in qua habitabat quo tempore Paulus venit primò Damaſcum, vt Chriſti fideles perſequeretur: ſed ab eodem Chriſto mutatus in virum alterum, eorumdem Chriſtianorum protector & prædicator factus fuit.

Situs & forma domus Ananiæ. Domus iſta eſt in Orientali plaga ciuitatis; in qua eſt quædam ſubterranea habitatio, ad quam per anguſtam portam & ſcalam deſcenditur ex parte Orientali: ferè in triangulo diſpoſita eſt: non magna; longitudo enim ex vtraque parte eſt viginti greſſuum, latitudo decem: deſuper ex duplici rotunda feneſtra in concamerato lumen recipit.

Ibi Domino Ananiæ apparuit. In loco & habitatione iſta, vt vetus habet traditio, Dominus apparuit in viſu Ananiæ, cùm dixit ei (quod ſcribit Lucas Act. 9, 10.) vt iret in domum Iudæ, & Saulum in ea commorantem conueniret, ſuper quem manus imponeret, & lumen reciperet, eumque baptizaret: quoniam non amplius lupus & perſecutor fidelium erat, ſed agnus manſuetus, & ouis mitis inter lupos mittendus; vt lupos in agnos oueſque conuerteret, infideles & tyrannos Eccleſiæ fideles & eiuſdem patronos redderet, non amplius æmulator paternarum traditionum, ſed magiſter & zelator acerrimus Euangelij, & vas electionis. Qui iuſſis obtemperans, iuit ad Paulum in domo Iudæ; & poſt manuum impoſitionem, & illius illuminationem, ipſum baptizauit.

Conuerſa olim in Eccleſiam. Antiquis temporibus fuit iſta habitatio à Chriſticolis conuerſa in Eccleſiam ad honorem Chriſti Domini, eiuſque diſcipuli Ananiæ, memoriamque cæleſtis apparitionis & reuelationis: & ſigna Eccleſiæ in ea cernuntur; & præſertim quòd in eius Orientali parte fornix eſt, vbi eſſe debebat altare ad ſacrum faciendum more Orientalium Chriſtianorum: & ita docet vetus recepta traditio; & de illa Lorinus in Act. cap. 9. v. 10. ait: In Turco Græcia narratur, Ananiæ domum Damaſci conuerſam poſteà in templum Chriſtianorum. Nunc in Turcarum Meſquitam redacta eſt, facto in eius Meridionali plagâ modico fornice ad orandum ſecundùm Mahometiſtarum conſue-

Nunc Turcarum Meſquita.

VESTIGIVM ECCLESIÆ DOMVS ANANIÆ.



tudinem. Vnde ſanctus locus non ſolùm à fidelibus, ſed ab ipſiſmet infidelibus veneratione habetur.

Paucis abhinc annis ter tentarunt Turcæ ibi turrim ædificare, in qua clamaret Maurus, ad Dei laudes excitandum ſecundùm illorum conſuetudinem, ſed ſemper corruit: quod diuinitus factum arbitrati, ab opere deſtiterunt; & ita nunc manet vt anteà. Ita intellexi ſecunda vice qua Damaſcum tranſiui.

CAPVT IV.

De domo Iudæ in qua manſit Saulus Damaſcum introductus, de vico recto, & fonte, in quo fuit ſanctus Apoſtolus baptizatus, quarto loco ſextæ Peregrinationis.

EX equo proſtratus Saulus, dum ex Ieruſalem Damaſco appropinquabat, pedes à ſuis ad manus introductus fuit Damaſcum: quò cùm peruenisſet, diuertit ad domum Iudæ hoſpitem Pauli, ſecundùm Lyranum & Carthuſianum. Domus iſta erat in vico qui vocatur *Rectus*. Hic vicus, vicus eſt vrbanus, hoc eſt via publica, vtrimque ædificiis, officinis, præſertim in quibus merces cuiuſque generis venduntur, inſtructus; eſtque Emporium & nundinarum locus: appellatur in partibus iſtis Arabicè *Bazar*, vt alij eidem ſimiles: tectus totus eſt, altus & aliquantulùm obſcurus; eſt vnius milliarij longitudinis & ampliùs; velut ſagitta rectus, & ab eius rectitudine meritò *Vicus rectus* eſt nuncupatus.

Vicus rectus quid, quareq; ſic dictus.

In iſto vico eſt domus ſatis ampla & commoda, quæ domus Iudæ vſque in hodiernum diem appellatur; quòd illa credatur, in qua Iudas hoſpitio excepit Saulum; in qua fuit poſteà Eccleſia ædificata, vt eius ſigna etiamnum manifeſtè demonſtrant: ſed illa in communes nunc habitationes conuerſa eſt: in ea fons & piſcina. Oſtenditur in ea parua habitatio: latitudo, quantum homo brachiis ſe extendit, duplo maior eſt.

In eo domus Iudæ hoſpitis Pauli.

In iſta cellula, vt habet antiqua traditio, D. Paulus manſit tribus diebus non manducans neque bibens: quo tempore eam plerique illi contigiſſe viſionem putant, de qua idem Paulus 2. Corint. 12, 2. in hunc modum ſcribit: *Scio hominem in Chriſto*

In Eccleſiam conuerſa, & cæleſti viſione illuſtrata.

ante

ante annos quatuordecim (sive in corpore nescio, sive extra corpus nescio, Deus scit) raptum huiusmodi vsque ad tertium cælum. Et scio huiusmodi hominem (sive in corpore, sive extra corpus, nescio, Deus scit) quoniam raptus est in paradisum: & audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui. ac ibidem reuelante Domino edoctum esse Euangelium, quod se non ab homine accepisse aut didicisse asserit, sed per reuelationem Iesu Christi, Galat. 1, 11. In eadem domo post triduum illius conuersionis, ad impositionem manuum Christi discipuli Ananiæ, ceciderunt de oculis eius tamquam squamæ, & visum recepit.

Traditionis ratio. De adductæ traditionis veritate neminem credo rationabiliter dubitaturum; tum quia contraria ratio vel auctoritas ei non refragatur; tum quia (vt patet locum consideranti) ei testimonium perhibere videtur sanctus Lucas, dum introducit Christum eius discipulum Ananiam in hunc modum alloquentem: *Surge, & vade in vicum, qui vocatur Rectus: & quære in domo Iudæ Saulum nomine Tharsensem: ecce enim orat,* &c. Et in memorato vico, vel alibi in ciuitate, alia domus, in qua dicta contigisse dicatur, ab ista, non ostenditur, quæ non solùm eo intuitu à fidelibus, sed ab infidelibus ipsis veneratione habetur: & isti memoratam cellulam in Mesquitam conuerterunt. Quando prima vice hanc inuisebam, habitabatur à diuite Turca, qui eam libenter ostendit; secunda autem vice à Veneto mercatore, apud quem mense integro hospitatus fui. Et dixit experimento comprobatum esse, Turcas in ea non diu viuere.

Ibi sepultus Ananias. In ista domo sepultum fuisse corpus sancti Ananiæ, traditio est. Nec improbabilis: nam in Romano Martyrologio die 25. Ianuarij de isto Anania hæc habentur: *Apud Damascum natalis sancti Ananiæ, qui Paulum Apostolum baptizauit. Hic cùm Damasci & Eleutheropoli alibiq; Euangelium prædicasset, sub Licinio iudice nervis cæsus & laniatus, demum lapidibus oppressus martyrium consummauit.* Et quid prohibet dicere, in hac domo, in nobilem Ecclesiam conuersa, cum veteri traditione, fuisse à fidelibus honorificè sepultum, vel corpus eò translatum?

Fons vbi Paulus baptizatus fuit. Non longè ab hac domo, & ferè in principio vici vel viæ est fons, in quo fuit idem sanctus Apostolus baptizatus, vt citato capite Act. 9, 1. dicitur: *Et surgens baptizatus est.* Olim erat ibi magna & pulchra Christianorum Ecclesia, nunc in Turcarum Mesquitam conuersa.

Probabileque est, illum fontem olim fuisse Ecclesiæ baptisterium, & sacrum fontem vbi fideles baptizantur; nam & in loco est, vbi in Ecclesiis sacri fontes constitui solent, sub columnis positus: nunc in eam fidelibus ingressus est interdictus, quia Mesquita celebris est.

CAPVT V.

De fenestra, per quam Paulus in sporta dimissus fuit à fratribus, quæ quinto loco occurrit in sexta Peregrinatione.

POstquam Saulus ad Christum fuit conuersus, & ab Anania Damasci baptizatus, pluuiaque super eum lauacri cælestis influxit, &, vt dixit sanctus Ambrosius, necatus fuit blasphemus, necatus fuit persecutor; necatus fuit Saulus, viuificatus fuit Apostolus; viuificatus fuit iustus, viuificatus fuit Paulus. Et exuens veterem hominem cum actibus suis, nouum induit, qui secundùm Deum creatus est: &, vt verbis eiusdem Apostoli vtar, succinctus lumbos in veritate, indutus loricam iustitiæ, & calceatus pedes in præparationem Euangelij pacis; in omnibus sumens scutum fidei, in quo posset omnia tela ignea nequissimorum hostium confringere, ac extinguere; & galea salutis assumpta, & gladio spiritus, quod est verbum Dei; Diuino in oratione implorato auxilio, sicque armis spiritualibus optimè instructus, iunxit se discipulis qui habitabant Damasci. Et continuò omnibus mirantibus ex tam insolita & prodigiosa mutatione, in Synagogis prædicabat Iesum, quoniam hic est Filius Dei, vt dicitur Act. 9, 19.

S. Ambros. Serm. 31. edit. Rom.

Ornamenta & arma Pauli.

Ephes. 6, 14.

Paulus iungit se discipulis Damasci, & Christum prædicat.

Atque inde in Arabiam abiens, primus inter Gentes Christi gratiam euangelizauit, Galat. 1. quare meritò Doctor Gentium ab vniuersali Ecclesia appellatus est.

Abiit in Arabiam.

Doctor Gentium quare dictus.

Impletis autem multis diebus, annis videlicet tribus transactis, vt creditur, Damascum reuersus, Iudæi, qui ibidem agebant, furore perciti, ac odio in Christum & sanctum eius Apostolum concitati, consilium fecerunt, vt Paulum interficerent. Hinc Præfectus Aretæ Regis suasione Iudæorum portas ciuitatis custodiebat die ac nocte, ne sancto Apostolo fugiendi locus relinqueretur. Cum verò Saulo notæ factæ fuissent insidiæ Iudæorum, discipuli & fratres eius, vt eum à parata morte liberarent, nocte per murum dimiserunt in sporta, & illorum manus euasit in nomine Domini, & iuit Ierusalem, vt Actor. citato capite 9. v. 24. docet sanctus Lucas, & ipsemet Apostolus 2. Cor. 11, 32. Hæc in ciuitate Damasci

Damascum reuertitur.

Illi insidiantur Iudæi.

A fratribus liberatur.

masci contigisse, de fide est, quia sacra Scriptura testatur; at non item modus & determinatus locus, vnde dimissus fuit Apostolus, neque satis manifestus: & quoniam veritas etiam in minimis iucunda est, hanc in proposito inquiremus, & errores, qui irrepserunt, refellemus.

Quædam de S. Apostolo memorata.

Primò, Ludouicus Romanus Nauigat. lib. 1. cap. 6. sequentia de his scribit: *Visitur etiam Damasci ea turris, qua D. Paulo pro custodia data est: ea mœnibus vrbis connexa est. Eum verò locum turris, vnde ab Angelo sanctus Paulus exemptus est, nequidquam obstruere Mahometani tentauerunt: nam vbi vesperè obstruxerunt, manè reseratum offendunt; idq; vi numinum euenire autumant, ne acta rei testimonium desit.* Hæc ille.

Secundò, Damascenus ille senex & Sacerdos Maronita, cuius suprà memini Capite 1. huius Peregrinationis, dum mihi ostenderet memorabilia Damasci, ostendit portam Meridionalem ciuitatis, per quam olim erat transitus euntibus Ierusalem, de qua suprà citato loco, nunc clausa est; & desuper ex ipsa dimissum fuisse sanctum Paulum dixit, & modum ita explicuit. Cùm custodes Aretæ Regis, quem *Arsen* Arabicè ipse appellabat, custodirent ciuitatem, ne Paulus fugeret, venit Paulus cum fratribus ad memoratam portam, quam miles Abyssinus occultus Christianus custodiebat: à quo petierunt, vt portam ad fugiendum aperiret; renuit custos, ne infidelis deprehensus puniretur; si tamen vellet aliunde quàm per portam fugere, non prohibiturum. Tunc illi desuper fornicem perfoderunt leuiter, &, ablata terra & lapidibus nonnullis, discipuli submiserunt Apostolum in sporta; &, declinata Iudæorum illa persecutione, abiit Ierosolymam. Re tamen cognita, custos ille comprehensus fuit; & morte punitus, non longè ab illa porta fuit sepultus: vnde locus ille nedum apud Christianos, sed & apud ipsosmet Mauros veneration habetur; & ex illius custodis Georgij vocati nomine, S. Georgius appellatur. Hæc veteri harum partium traditione doceri asseruit.

Refelluntur.

Fateor, dicta ea facilitate posse negari qua asserta sunt; quia sequentia illis refragantur: & in primis dicta priori loco falsum supponunt, Paulum in turri & carcere fuisse detentum: etenim si carceri fuisset mancipatus, iam in insidias Iudæorum incidisset, à quibus non nisi miraculo fuisset liberatus; & ita non diceret D. Lucas, insidias Iudæorum innotuisse Paulo, & eas declinasse.

Ad hæc, si fuisset in carcere, tunc portæ carceris & non ciuitatis custodiendæ erant; tuncq; non magna custodia necessaria fuisset pro paupere despecto homine custodiendo. Quare nec ex ea per Angelum fuit eductus: nec id probabile. Nam ad quid murum turris Angelum frangere, cùm, vt aliàs Ierosolymis per portam carceris eduxit Apostolos, ita potuit per portam carceris Damasceni educere Paulum? & Lucas, vt anteà, & ipse Paulus, silentio non prætermisissent tale beneficium ab Angelo collatum; & tamen non Angelo, sed discipulis adscribunt sancti Apostoli liberationem. Act. 5. 19

Contra posteriori relata loco sequentia obstant. Primò, si discipuli nequiuerunt à custode illo obtinere, vt aperta porta dimitteret Paulum, ne infidelis deprehenderetur, multò minùs vt illius fornicem perforarent & frangerent: tunc enim magis torpor & negligentia eius fuisset detecta, quàm si per portam liberum dimisisset.

Secundò, non tantùm milites, de quibus ad Corinthios loquitur Paulus, sed vnà cum illis Iudæi ipsi Pauli hostes custodiebant ciuitatem, vt docet Glossa interlinearis Act. 9.

Tertiò, facilius fuisset aliunde per murum dimitti Apostolum, incognita ipsius fuga; quoniam non item muri vt portæ ciuitatis custodiebantur.

Denique contra vtramque positionem hæc faciunt, quòd D. Lucas & Apostolus, describentes illam liberationem Apostoli de manibus Iudæorum multis appositis circumstantiis, nihilominùs nullam mentionem fecerunt Angeli, custodis illius Christiani, fractionis turris vel fornicis portæ ciuitatis: quæ si fuissent, non minùs memorabilia censenda essent ac alia. Et clarè tandem per fenestram & murum ciuitatis fuisse Paulum dimissum, ipse in memorata Epistola testatur, dicens: *Damasci Præpositus Gentis Aretæ Regis custodiebat ciuitatem Damascenorum, vt me comprehenderent: & per fenestram in sporta dimissus sum per murum, & sic effugi manus eius. Per fenestram*, inquit, *& murum.* igitur, &c. 2. Cor. 11. 32.

Quomodo per portam & fenestra dimissus Paulus.

Quid ergo dicendum? numquid in muro ciuitatis erat fenestra aperta? sed tunc simili custodia ac portæ fuisset custodienda. An, vbi nunc est porta illa clausa, erat specula, quæ parum fracta (quod facilè fieri potuit) transitum præbuit Apostolo, quam ipse fenestram appellat? an etiam primò per domus fenestram, & deinde per murum ciuitatis dimissus fuit? vel denique dic, vt dicit Scriptura, per fenestram ex muro dimissum; quæ nunc non videtur, quoniam Damascus pluries vastata fuit; & esse potuit, vbi nunc est memorata porta clausa.

Et,

Et, quantum ad duplicem illum modum liberationis Pauli, vt prior mihi nullo modo probatur, ita posterior mihi videtur posse explicari: nam & ferè simili ipse Paulus & Silas posteà alibi liberati fuerunt, vt patet Act. 16. & occulti illius Christiani iuuandi desiderium non permisit aduertere ad proposita incommoda. Et foramen illud potest dici fenestra ciuitatis; & credendum est illam traditionem alicui inniti fundamento.

CAPVT VI.

De loco vbi Hazaël ab Elia vnctus fuit Rex super Syriam, qui sexto occurrit loco in sexta Peregrinatione.

Iudæorum Synagoga apud Damasci memorabilis.

NOn longè à ciuitate Damasci, sed prope, circa duo milliaria, in plaga Aquilonari est villula quæ appellatur *Giobar*, vbi vetus est Synagoga Hebræorum, plurimùm ab eisdem in veneratione ac pretio habita; quoniam Eliæ Prophetæ præsentia diuinisque mysteriis dedicatam & nobilitatam dicunt. Et duo sunt in duobus illius distinctis locis designata: alterum est, in medio illius Synagogæ Hazaël fuisse vnctum ab Eha Propheta Domini Regem super Syriam: alterum verò, ibidem in extremitate eiusdem Synagogæ in quodam paruo antro habitasse Eliam, & corui ministerio à Deo pastum fuisse: & de illo quædam vana confinxerunt, vt posteà, dum illa refellemus, videbimus.

Relata ab Hebræis de loco vnctionis Hazaël in Regem Syriæ, & Eliæ per corum ministerio pasto.

Nunc videamus, quam veritatem vel probabilitatem contineant prædicta.

Quantum ad primum, posset quis probabiliter suspicari ita accidisse vt relatum est; tum quia videtur indicare Scriptura diuina: Eliæ enim in monte Horeb existenti dixit Dominus: *Vade, & reuertere in viam tuam per desertum in Damascum: cumq; perueneris illuc, vnges Hazaël Regem super Syriam, & Iehu filium Namsi vnges Regem super Israël: Eliseum autem filium Saphat, qui est de Abelmeula, vnges Prophetam pro te,* &c. 3. Reg. 19, 15. Non videtur autem dubio vertendum, quin sanctus ac zelo honoris Dei in primis accensus Propheta diuinæ voci obtemperauerit: & vt Eliseum pro se Prophetam elegit, vt ibidem dicitur; ita Hazaëlem vnxerit Regem super Syriam, etsi hoc Scriptura non expresserit.

Tum etiam, quia constat ex 4. Reg. 8. v. 15. Hazaëlis Regni exordia Damasci inchoasse: & cùm alicui apud eam ciuitatem vnctum esse non sit dubitandum, & alius locus à memorato non assignetur, illum esse Regiæ vnctionis locum probabile est credere. Ad cuius vnctionis memoriam conseruandam, fuit ibidem nobilis illa exstructa Synagoga: vnde eo intuitu illam pluris faciunt & venerantur Hebræi, addentes, Mahometistas ausu temerario illius destructionem aliquando tentasse, sed diuinitus fuisse prohibitos.

Audiui tamen ego etiam à Damascenis Christianis, fuisse antiquitus Græcorum Christianorum Ecclesiam, posteà ab Hebræis comparatam, & in Synagogam conuersam: sed fuerit hoc vel illud, non obstat allatæ traditioni; quoniam in memoriam à Domino præceptæ vnctionis & Regiæ consecrationis potuit erigi tam Christianorum Ecclesia quàm Hebræorum Synagoga.

Dubia de Hazaëlis vnctione dist. 1. quomodo tamen saluari possint, explicantur.

Quamuis hæc probabilia videantur, non sunt tamen omnino à dubitatione aliena. Etenim Eliam vnxisse Hazaëlem non indicat Scriptura; & Glossa ordinaria mox adducenda, non vnxisse neque per se neque per Eliseum conceptis verbis docet: & ratio suffragatur, in primis, quia si illum vnxisset, non tacuisset Scriptura; sicut non inuoluit silentio electionem Eliséi in Prophetam, similiter ac vnctionem præceptam, vt dictum fuit. Secundò, Hazaël non regnauit super Syriam nisi post raptum Eliæ in cælum: raptus enim Eliæ describitur 4. Reg. 2, 11. & posteà eodem libro cap. 8. v. 13. prædixit Eliseus Hazaëlem regnaturum super Syriam; sic enim ad illum dixit Propheta: *Ostendit mihi Dominus te Regem Syriæ fore.* & post pauca subdit sacer Textus: *Cumq; venisset dies altera, tulit* Hazaël *stragulum, & infudit aquam, & expandit super faciem eius*; id est, Benadad Regis Syriæ in lecto infirmi ad mortem; *quo mortuo, regnauit Hazaël pro eo.* in quæ posteriora verba inquit Abulensis quæstione 25. *In ipsa die mortuus est, qua expansum est stragulum super faciem eius, & tunc regnauit Hazaël. Nam Benadad putans se non moriturum, iuxta verbum Eliséi relatum ab Hazaële, non curauit disponere de successore in regnum: & ideò Hazaël, quamquam non esset de semine regio, quia habebat aliquos fauentes sibi, factus est Rex. Præcipuè, quia Deus incitabat corda Syrorum vt eum facerent Regem; quia ipse disposuerat de eo, vt esset executor suus contra Israëlitas idololatras.* Hæc ille.

Intelligentia indicatæ traditionis pendet ex solutione sequentium difficultatum. Supposito, Hazaëlem verè vnctum fuisse, quia verè Rex fuit, & quòd apud Hebræos duo hominum genera vngebantur, Reges & Sacerdotes, vt habetur Exod. 30. & 3. Reg. 1. &, vt quibusdam Doctoribus placet,

Reges, Sacerdotes & Prophetæ vt Deo sacri vngebantur.

cet, etiam Prophetæ: & colligitur ex adducta 3. Reg. 19. auctoritate, *Eliseum autem filium Saphat vnges Prophetam*: hi enim vngebantur tamquam personæ Deo consecratæ, quibus nemini nocere licebat, iuxta illud Psalm. 104, 15. *Nolite tangere Christos meos.* Cùm itaque Hazaël fuerit à Deo Rex electus, & vnctus, vt ipsemet præcepit; tria inquiri possunt: primò, qua vnctione fuit inunctus; secundò, à quo; ac tertiò, vbi fuit sacro delibutus oleo.

Tres difficultates.

Quamuis nihil certi statuere possimus pro solutione harum difficultatum, cùm sacra Scriptura nihil manifestè dicat, ideò nec nos aliquid ponemus, sed proponemus tantùm, prout inuenire potuimus. Quantum ad primam, vnctúsne fuerit materiali vel spirituali vnctione; & si spirituali, quænam illa fuerit; explicat Glossa ordinaria in 3. Reg. 19. ex aliis. Theodor. *Si Prophetæ vnxit* Elias, *& eos spiritali gratia impertiit, ea etiam vnxit alios. Etenim Eliseus, spiritali per eum accepta gratia, obtulit illis chrisma, & spiritali gratia eos impertiit.* Rabanus Angl. *Non aliter, nisi quòd eum Regem futurum prædixit, Eliseum non aliter quàm pallium suum iactans super eum. Illos duos Reges nec ipse per se nec discipulus eius Eliseus vnxit, sed quidam Prophetarum missus est, vt vngeret Iehu.*

Vnctio alia materialis, alia spiritualis.

Theodoretus in 2. Reg. quæst. 15. indicat, vnctiones nihil aliud esse quàm electiones. Hugo Cardinalis in loca Regum adducta inquit, Eliam non aliter vnxisse Hazaëlem, nisi prædicendo per Eliseum eum futurum Regem Syriæ. Igitur, si sequamur hanc sententiam, vnctos fuisse spirituali vnctione, per hanc intelligendo vel prædictionem vel electionem ad Regium vel Propheticum munus, vel gratiam & auctoritatem illud debitè exequendi; quoniam Deus quos ad aliquod munus eligit, idoneos facit ministros; haberemus nedum solutionem primæ difficultatis, Hazaëlem vnctum fuisse Regem prædictione, electione & auctoritatis collatione; sed etiam secundæ & tertiæ, ab Elia videlicet, & Damasci, quia ita fuerat illi à Domino imperatum, fuisse inunctum Hazaëlem.

De multiplici vnctione, qua olim vngebantur personæ Deo sacræ, consule Lorin. in Psal. 44. ad ea verba vers. 8. Propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ. & in Psal. 88. ad ea verba v. 21. Oleo sancto meo vnxi eum.

Si autem dicamus, vnctionem factam fuisse sacro materiali oleo (nam personas Deo sacras tali oleo inungi solitas, oleum quod ad illum finem asseruabatur, & cærimoniæ quæ in illarum vnctione & consecratione referuntur, manifestè significant; & videtur communis & vera sententia) si inquam teneamus vnctum fuisse Hazaëlem Regem materiali oleo; dicemus, primòsecrete ab Elia vnctum fuisse, & Damasci, iuxta verbum Domini: in quem modum à Samuele Propheta primò vncti fuerunt Saul 1. Reg. 10. v. 1. & Dauid, eodem libro cap. 16. & 13. & ille post aliquot dies palàm & solemni ritu delibutus fuit ab eodem Propheta, 1. Reg. 10. v. 24. & Dauid vnctus fuit à domo Iuda, vt regnaret super se, 2. Reg. 2. v. 7. & ab vniuerso Israële, vt esset totius Israëlitici populi Rex, 2. Reg. 5. v. 3. Ita Hazaël primò non nisi secretè inunctus fuit: non enim palàm licuisset alio Rege sceptrum & dominium tenente; nam vtriusque salus euidenti fuisset exposita periculo, consecrantis videlicet Eliæ, & consecrati Hazaëlis. Posteà mortuo Rege Syriæ Benadad, solemni vnctione facta, siue per Eliseum Prophetam siue per alium consecratus fuit Damasci Rex super Syriam.

Elias verè vnxit Hazaelem in Regem.

Nec officit hæc in Scriptura non dici manifestè; nam satis fuit sacro Scriptori retulisse diuinum mandatum factum viro zelantissimo Eliæ; quia consequenter executio insinuatur: credo enim, quòd si Elias non obediuisset Domino, non tacuisset, sicut nec aliàs tacuit Ionæ Prophetæ inobedientiam. Satis autem fuit ad diuini mandati executionem, vt Hazaël vnctus fuerit priuatè vel publicè ab ipso Elia, vel alio ipsius nomine, iuxta temporis opportunitatem. Et hoc fortè indicauit Eliseus illis verbis ad Hazaëlem: *Ostendit mihi Dominus te Regem Syriæ fore.* Ostendit, vel ipse Deus immediatè, vel mediatè per magistrum suum Eliam; ac proinde ne voluntati Dei resistere videretur, illum per se vel per alium solemniter vnxit Regem super Syriam post mortem Benadad. Et hæc pro explicatione primi illius memorabilis mysterij, vnctionis videlicet Hazaëlis in Regem Syriæ.

Ionæ 1, 3.

Antri cuiusdam Eliæ dicti descriptio.

Quantum ad secundum de antro illo, scias illud esse velut paruulam cellulam dealbatam, in qua Hebræi lampadem accensam conseruant: ad illud per angustum os & aliquot gradus descenditur. Nunc respondeo, falsa omnino esse quæ de illo vulgò afferuntur. In primis antrum illud etsi adeò paruum videatur vt vix decem possit capere homines, tamen si centum ingrediantur, tot simul commodè continere. Secundò, ibi mansisse Eliam, cùm iussu Domini passus fuit à coruo. paruumque in eo monstrant orificium, quod vix manum admittit, per quod coruus afferebat cibum Prophetæ. Tertiò, vt hæc magis confirment ac insinuent, sequentia addunt somnia. Monstrant post Synagogam paruum viridarium, quod excolebat tunc temporis Propheta, & in quo se oblectabat; & non longè à Synagoga riuum perennis aquæ, ad quem vt biberet, se conferebat S. Propheta.

Sed

Vana fama de Elia aduentu adducta.

Sed hæc esse inter alia vana & mendacia Hebræorum collocanda, vel cæcus videre potest; quoniam rationi & Scripturæ manifestè aduersantur. Quomodo enim paruus locellus tot corpora, quorum non est capax, simul capere poterit? sanè numquam id sensus vel ratio philosophica admittet. Quòd si dicant, illud non naturali sed supernaturali virtute fieri, dico primò id non ab omnibus probari: negant enim plures duo corpora, præsertim non gloriosa, simul esse posse in eodem loco adæquato; & dimensionum penetrationem nedum naturali, sed etiam supernaturali virtute dari non posse: sed supponamus esse possibilem, ostendant isti illud miraculum, vel miraculi necessitatem.

Salomonis confutatio.

Et quomodo Elias fuit ibi pastus à corno, cùm 3. Reg. 17, 3. manifestè legamus tunc fuisse apud torrentem Charith, qui est contra Iordanem, & de illius aqua bibisse? Et si Damasci tunc temporis mansit, num tempus habuit hortum excolendi, & se in eo oblectandi? Per orificium illud, cuius dicunt terminum non inueniri, fumus lampadis exit.

Ego, cùm hæc relatori Hebræo obiecissem, & quid responderet ignoraret, adiui Rabinum Damascenum, qui inter ceteros Damasci habitantes doctior habebatur, & propositis traditionibus respondit; priori, esse illud probabile, & Scripturæ conforme; vt ego priùs dixi: posteriori verò dixit esse euidenter contra Scripturam; & se illam relationem puerum intellexisse, sed factum virum illius deprehendisse falsitatem.

Hebræus falsitatem confitetur, sed alia aperire mendacia.

Et ne sine ratione locum illum arbitraremur ab Hebræis veneratione haberi, addidit alterum ipsorum figmentum, pluris ideò fieri locum illum, sicut & alterum ei persimilem, etsi ampliorem, quem inuisunt Hebræi Aleppi in celebri & magna ipsorum Synagoga, quòd in vtroque credant aliquando fuisse Eliam. Dicunt enim ipsum interesse circumcisioni cuiuscumque masculi, delatum à quatuor Angelis. Atque hac ratione potuisse aliquando esse in dictis locellis, arbitratur ille, ac esse apud Hebræos in veneratione, sed hæc nugæ & somnia Hebræorum sunt.

CAPVT VII.

De Hoba, septimo loco sextæ Peregrinationis.

AD læuam partem Damasci, hoc est in eius plaga Aquilonari, in qua etiam respectu Terræ sanctæ posita est Damascus, est villa, & prope villam est locus & collis, qui à Damascenis lingua Arabica *Barze* nominatur; & illum esse ex veteri traditione Damascenorum intellexi, cuius fit mentio Genes. 14, 15. *Hoba* dictum, aliàs *Soba*, & à D. Hieronymo *Choba:* qui duobus circiter milliaribus à Damasco distat.

Hoba villa vbi.

Verùm mihi potiùs videtur dicendum, Hobæ esse villam quæ in via ad eum locum, & eidem proxima occurrit; quoniam D. Hieronymus in libro de Locis Hebraicis villam appellauit, dicens: *Choba est ad læuam Damasci. Est autem Choba villa in eisdem regionibus, habens accolas Hebræos, qui credentes in Christum, omnia legis præcepta custodiunt: & à principe hæreseos Hebionita nuncupantur. Contra huiusmodi dogma Paulus scripsit ad Galatas.* Hæc sanctus Hieronymus. In præsentia non ab Hebræis, sed à Mauris habitatur; Hebræi tamen illius & gestorum ibi memonam conseruant.

Eousque Abraham quinque Reges insecutus fuit, & Lot liberauit.

Ad hunc vsque locum Abraham quatuor Assyriorum Reges persecutus est. Cùm enim Assyrij isti quinque Sodomorum Reges in valle siluestri debellassent, &, Sodoma spoliata, Lot omnesque viros ac mulieres captiuos vnà cum omnibus ipsorum bonis abduxissent, hæc Abraham intelligens, & quidem Lot filium fratris sui esse captiuum, assumptis mox tribus fratribus, Mambre, Eschol & Aner, ipsi confœderatis, expeditisque vernaculis suis trecentis octodecim, ab Hebron festinus Assyrios insequens, quinta nocte circa fontem Dan eos est assecutus; statimque noctu securos ex improuiso obruens, alios quidem in cubilibus somno sopitos occidit, alios autem temulentos in fugam conuersos vsque Hoba persecutus est; ac nepotem suum Lot, ceteroscque captiuos cum omni præda victor reduxit, vt loco Genes. citato legitur.

Vbi Abraham pro victoria Deo gratias egit.

Post locum illum rupes collesve sunt: quare Assyrij vlteriùs fugere non potuissent de facili. Est ibi Turcarum Mesquita: & superiùs in latere eiusdem & intra obscurum est antrum, in quo, vt tradunt Hebræi, sanctus Patriarcha pro parta victoria Deo gratias egit. Et hunc locum esse Hoba, tum ex traditione, tum ex descriptione quam illius facit Moyses, tamquam probabilissimum credo. Illius fecit mentionem Adrichomius in Manasse 2. numer. 60.

CAPVT VIII.

De Abana & Pharphar fluuiis Damasci, qui octauo loco occurrunt in sexta Peregrinatione.

DVo sunt celebres, fecundi ac limpidissimi fluuij apud Damascum, quibus nobilis & illustrissima ciuitas cum circumiacente regione alluitur, fecundatur & exhilaratur, Abana & Pharphar.

Abana descriptio. Adrichomius in Manasse 2. num. 2. de Abana in hunc modum scribit: *Abana, Hebræis Amana, aliàs Aman & Amma, limpidissimus & iucundus Damasci fluuius est, qui in Decapolitana regione è radicibus montis Libani exortus, Meridionale ac Occidentale vrbis Damasci latus alluit; indeq; per planitiem Archadob defluens, in mare Syriacum effunditur.* Hæc ille de Abana.

Pharphar. Et de Pharphar idem ibi nu. 75. *Pharphar, aliàs Pharfar, Farfar, & Farfarus, profundus & amœnus Damasci fluuius est, qui in radicibus Libani montis Damasco propinquis emanans, eam vrbem intersecat: deinde Antiochiam tendens, eius mœnia allambit, tandemq; Mari mediterraneo commiscetur.* Hæc ex alus Adrichomius.

De dictis fluuiis notata. Quod mihi Damasci existenti de his ostensum fuit, & notaui, hîc subiicio. Ex duobus his fluuiis vnus principalis videtur, Abana appellatus, magnus & profundus, Damascum intersecans; ex quo Pharphar oriri videtur, quiq́ue aliud esse non creditur quàm sex riuuli Abana, qui longè à Damasco circa milliare distincti videntur, ex quadam rupe originem trahentes. Vnde meritò Ludouicus Romanus in suo Itinerario lib. 1. cap. 6. vnius fluuij dumtaxat meminit per medium ciuitatis transeuntis. Qui nihilominùs duo, & duplici appellantur nomine; quoniam duo alicubi apparent. Horum fit mentio 4. Reg. 5, 12.

CAPVT IX.

De Fratribus Minoribus qui Damasci pro Christiana religione passi fuerunt, & memorabili quodam euentu.

BArtholomæus Pisanus lib. 1. Conformitatum sancti Francisci, Conformitate octaua, agens de Prouincia Terræ sanctæ, de aliquibus Franciscanis, qui in ciuitate Damasci martyrium pro Christo obierunt, ita loquitur: *Fratres nostri alij sedecim, qui erant in Terra promissionis tempore quo Rex Cypri Petrus Alexandriam cepit, capti, positi sunt in Damasco in carceribus, per quinque annos stantes in ferris, & sine indumentis, & ieiunijs probati, virtute fidei glorioſa morte confessionis & perseuerantiæ obierunt.* Horum meminit Bolius de Signis Ecclesiæ Dei, Signo 27. ex Annal. Franc. & signat annum Dom. 1368.

Sedecim Minorita inedia in carcere consumpti.

Tres alij à pueris Lapidati, ac capite truncati. Item cum à Guardiano sacri montis Sion ex Ierosolymis missi fuissent tres Fratres ad fructificandum in vinea Domini inter infideles, & contingeret transire per Damascum; ibi comprehensi, à pueris lapidati, postea capite truncati fuerunt. Locus passionis est in Occidentali plaga ciuitatis, vbi fontes à iustitia condemnati puniuntur: vbi pro signo est platanus arbor, & magnum marmor. Corpora illorum collecta à Christianis, extra ciuitatem in Meridionali plaga, vbi aliqui Christiani sepeliuntur, tumulata fuerunt. Æstiuum tempus tunc erat, & contra regionis consuetudinem, pluuiæ, imbres, tonitrua & alia in cælo signa visa fuerunt; quibus fortè indicare voluit Dominus, sibi pretiosam fuisse seruorum suorum mortem. Ita retulit & ostendit mihi ex vulgata traditione iam memoratus senex Damascenus.

Illustrissimus P. Franciscus Gonzaga 1. p. Hist. Franciscanæ Religionis de Martyribus Terræ sanctæ agens inquit: *Accepi à testibus omni exceptione maioribus, à viginti sex annis vel circiter, tres Prouincia Basilicata Fratres apud Damascum, post multa & varia tormenta à Saracenis eis illata, martyrium pro Christo constanter perstitisse. Quorum Historia (vt accepimus) in prædicta Basilicata Prouincia extat.* An isti sint idem cum tribus antè memoratis me latet; esse tamen mihi probabilius est.

Notandus casus. Vtile ac iucundum futurum arbitror, si agentes de Damasco, notabilem & ad Dei cultum optimè dirigentem euentum, qui Damasci accidit, hîc subiecero. Cùm Christianissimus Galliæ Rex sanctus Ludouicus misisset ad Damasci Sultanum Oratorem quemdam illustrissimi Prædicatorum instituti P. F. Iuonem nuncupatum: isq́ue eò peruenisset, obuia ipsi facta est venerabilis quædam anus, quæ manu altera fartaginem plenam accensis prunis deferebat, altera phialam aqua plenam tenebat. Obstupuit ad talem occursum Orator, petitq́ue quare ignem illum & aquam ita deferret; cui respondit: *Paradisum igne hoc exurere, & aqua hac inferni flammas extinguere animo meo sedet.* Et tali inopinato responso adhuc magis stupefactus, iterùm petiit, quare illud facere vellet; respondit illa: *Ne in posterum quispiam virtuti & bonorum operum praxi se dedat spe mercedis, & ne à malo sibi temperet gehennæ timore*; verùm

Ioinville in Vita S. Ludouici.

Paradisus combarrendus, & inferni ignis extinguendus, vt Deo propter se solum seruiatur.

verùm purè ad honorem Dei, & quem ei debemus singularem amorem. Et optimè quidem id eo symbolo illa indicauit, cùm idipsum priùs Doctor Gentium sanctus Paulus indicauerit, dicens: *Siue manducatis, siue bibitis, siue aliud quid facitis; omnia in gloriam Dei facite.* & iterùm: *Omne quodcunque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Iesu Christi.* ac si dixisset: In omnibus operibus vestris non vos formido pœnæ à malo retrahat, neque spes præmij incitet ad bonum, sed ad hæc moueat simplex Dei amor & honor; vt magis Deo accepti sitis, & ab eodem maioribus condecoremini præmiis ac coronis, vt faciebat ille qui dicebat: *Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* Hoc ipsum obseruat & exemplo persuadet sancta mater Ecclesia, dum in cuiusque Psalmi fine celebrem illum addit versiculum, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto.* & S. Ioannes Chrysostomus ad idem hominem alloquitur in hunc modum: *O homo, qui ad Deo placendum conditus es, ignoras te maximam meriturum mercedem consecuturum, cùm tua præstiteris bona opera, non ob alicuius emolumenti spem, sed purè ad Deo placendum?* Et hæc satis pro ista Peregrinatione.

1. Cor. 10, 31. Coloss. 3, 17. Ps. 113, 1. *In fine Psalmorũ Gloria Patri, &c. cur addatur.* *Deo seruientem magna merces manet.*

PEREGRINATIO VII. *in qua sex memorabilia referuntur & explicantur loca occurrentia proficiscentibus ex ciuitate Damasci vsque ad montem Libanum.* I. *Vbi Abel Deo sacrificium obtulit, fuit à Cain interfectus, & vbi fuit sepultus.* II. *Ciuitas Balbech.* III. *Libanus mons.* IV. *Ecclesia Patriarchæ montis Libani.* V. *Eden villa.* VI. *Denique Cedri montis Libani.*

CAPVT PRIMVM.

De locis vbi dicitur Abelem Deo sacrificium obtulisse, interfectum à fratre suo Cain, & vbi fuit sepultus, primò in septima Peregrinatione occurrentibus.

SVpposito ex alibi dictis, nostros primos parentes post suam expulsionem è terrestri paradiso venisse in Syriam & Palæstinam cum filiis suis, & ibi similiter filios procreasse, sacrificia obtulisse, atque Cain fratrem suum Abel occidisse, quæstio nunc esse potest de peculiari loco sacrificij Abel, & eius cædis. Et triplicem inuenio opinionem. Prima, dicta contigisse supra Damascum ad 16. milliaria & ampliùs. Sciendum itaque, quòd proficiscentibus Damasco, inter Occidentem & Septemtrionem milliaribus 16. absolutis circiter, citra villam quæ *Tachia* appellatur, ad dexteram viæ partem & Orientalem, supra montem in decliui duas esse columnas erectas cum epistylio, trabe videlicet columnis superimposita, quasi portam conficientes: & circà ædificiorum ruinæ, vt infrà nemorosa & fructifera vallis, & domus & villæ sunt; ibique dicunt communiter huius regionis incolæ Damasceni, Abel Deo primum obtulisse sacrificium, & à Cain fratre fuisse interfectum; ac ideò locum *Habil* appellant.

De loco, vbi Abel occisus, tres sententiæ.

Prima, supra Damascum, vbi & sacrificauit.

Ex altera parte viæ è regione illius loci, & parum suprà, in montis supercilio est Ecclesia ab Helena ædificata, etsi demolita: & è via tres erectæ columnæ cernuntur, sed plures alias proiectas esse intellexi: ibique dicitur esse sepulchrum Abel longitudinis palmorum 160. vbi verba Orientalia litteris Latinis incisa leguntur: & hic locus ab omnibus dicitur *Abil.* *Sepulchrũ Abel.*

Secunda sententia docet, prope Damascum in eius suburbiis Abelum fuisse interfectum: & Ludouicus Bartema Bononiensis, Patritius Romanus, in suo Itinerario lib. 1. cap. 6. ait, se Damasci vidisse illas ædes, in quibus (vt fama fert) Cain Abel fratrem confecit germanum: eæ enim ab altera vrbis parte sunt ad primum lapidem in conualle quadam sitæ, tamen in colle decliui. Fauere videtur huic sententiæ diuus Hieronymus statim adducendus; qui tamen posset pro altera sententia explicari, vt campi Damasceni nomine voluerit intelligere regionem Damascenam, in qua sunt *Cabil* & *Abil.* *Secunda, propè in Damasci suburbiis.*

Tertia sententia est Adrichomij & aliorum, asserentium Cain occidisse Abel in territorio Hebron: ille enim de his agens in Iuda num. 91. ait: *Hîc locus ostenditur, vbi Cain Abel fratrem suum occidit, iratus, quòd inflammasset Dominus super sacrificio Abel. Videtur autem Hieronymus alibi voluisse, hoc in campo iuxta Damascum fuisse factum; sed hæc communior sententia, cui accedit versiculus:* *Tertia, apud Hebron.*

Abel loquitur:
Sacrum pingue dabo, sacrum non sacrificabo.

Cain:

by Google

Cain:

Sacrificabo macrum, non dabo pingue sacrũ.

Ante Adrichomium Fr. Anselmus ex Ordine Minorum in sua Descriptione Terræ sanctæ idem dixit: *In alia parte ciuitatis Hebron est mons grossus & altus, in cuius summitate Cain occidit Abel fratrem suum, distans ab Hebron ad sex stadia.* Omnia arbitror incerta: quare quilibet, quod probabilius iudicauerit, eligat.

Circa Damascum sunt alia memorabilia sepulchra. Citra in eius plaga Meridionali vnius diei itinere, in via ad Ierusalem est villa *Bithynia*, vulgò *Bethima* nuncupata, vbi Nembrot magnum sepulchrum monstratur: ibi numquam è cælo ros descendete, experientia testimonium perhibente, dicitur; ac ideò meliores vuæ ibi colliguntur: ex quibus vuæ passæ selectissimæ conficiuntur, quæ ad varias partes deportantur. Supra Damascum, ex altera parte, in villa *Saria* nuncupata, monstratur sepultura Seth filij Noë: est longitudinis palmorum 170.

Sepulchrũ Nembrot, & Seth.

CAPVT II.

De ciuitate Balbech, secundo loco septimæ Peregrinationis.

PRosequendo cœptum iter versus montem Libanum, à sepulchro Abel vel superiori villa *Tachia* appellata, post triginta quinque milliaria & amplius confecta, inuenitur ciuitas *Balbech*. de ista Adrichomius in Nephthalim num. 53. in hunc modum scribit: *Heliopolis Cœlesyria vrbs, quondam Archiepiscopali Sede inclyta, quæ hodie Malbec, Postello Balbec, Arabicè Baalbeht dicitur. Ptolom. Tyr. Belli sacr. lib. 9. cap. 15. & lib. 14. cap. 12. & lib. 21. cap. 6. 8. 11. Vitr. cap. 45. Niger Geogr. Asf. com. 4.* Hæc ipse.

Balbech quid.

Dicam quæ vidi, & de ea circumferuntur. Hæc ciuitas in optimo & fecundo solo, angusto tamen sita, aqua alluitur, ac ideò pulchri campi & viridaria circa ipsam sunt: cingitur altis muris: intra ipsam recẽtes tantùm domus cernuntur, veteribus destructis, similes aliis Maurorum. In plaga eius Occidentali est castrum ex maximis quadratis lapidibus constructum, vbi porticus & columnarum duo ordines; quæ in vniuersum, vt recolo, sunt numero 55. crassæ satis & altæ, ex triplici dumtaxat lapide erectæ, opere Corinthio elaboratæ: testudo similiter marmorea pulcherrimè & affabrè sculpta cum Sibyllis & Heroibus in ea incisis: est ibi pulcherrimum & similiter extructum templum. Opus planè eximium & omnino admirandum: & huic simile non recolo me vidisse, etsi oculis iucundiora in multis locis videantur. Totus vrbis & castri circuitus est circiter duorum milliarium.

De ea notata.

Beniamin Hebræus in suo Itinerario, & alij apud Principem Radziuilium in sua Ierosolymitana Peregrinatione pag. 165. ciuitatem Balbech ab Asmodæo dæmone constructam affirmant, quòd propter lapidum magnitudinem tantas ab hominibus substructiones fieri potuisse non credebant.

Aliqui dicunt, & in aliquibus Itinerariis legitur, castrum illud esse egregiam Salomonis domum, & templum illud sanctæ Barbaræ virgini & martyri esse dicatum, & hanc vrbem esse Nicomediam in Bithynia regione sitam. Et illius rationem arbitror esse, quòd 2. Paral. 4. dicitur: *Salomon ædificauit in Ierusalem & in Libano*, &c. & singulariter 3. Reg. 7, 2. vbi sermo est de ædibus à Salomone ædificatis, dicitur, *Ædificauit quoque domum saltus Libani*, &c. quasi Salomon egregiam domum in saltu & regione Libanica, ad otium & voluptatem capessendam à regiis negotiis & curis segregatus, ædificarit. Et opus ipsum planè regium, & regali Salomonis magnificentia dignum, idipsum persuadere videtur. Istius verò, quòd Nicomediæ sancta Barbara virgo & martyr, post multa pro Christo passa tormenta, tandem obtruncato capite martyrium consummauerit, vt dicitur in Romano Martyrologio die 4. Decembris, ac ideò in illius memoriam egregium illud templum fuisse ædificatum.

Regiam Salomonis fuisse aliqui dixerunt vrbem Nicomediam. Templum S. Barbaræ.

Sed enim illud nullo modo probari potest: nec enim alicubi legimus Salomonem ædificasse regiam ædem in aliena regione, qualis erat Libani, quæ ad Regem Hiram pertinebat, vt ex 2. Reg. 5. colligi potest. Nec adducta auctoritas ex 3. Reg. 7. vllo modo suffragatur; nam domus saltus Libani vel erat intra vrbem Ierusalem, vel non longè ab ea, secundùm omnes Doctores qui de ea loquuntur. Si enim *domus Regis, saltus Libani*, & *Regina*, non erant diuersæ domus loco & ædificij ratione, sed vnica Regia plures continens partes; quarum vna Regis, altera saltus Libani, & tertia Reginæ domus dicebatur, vt placet Pinedæ lib. 5. de Rebus Salomonis cap. 6. & aliis; clarum est fuisse intra ciuitatem: quoniam ex Scriptura patet Regiam coniunctam fuisse templo; dicitur enim ibi, quòd illius ædificium extendebatur vsque ad atrium maius, hoc est exterius templi atrium, ac ideò cum templo Regia coniuncta erat, & ita intra ciuitatem; & consequenter domus saltus Libani. Si etiam ponantur distinctæ domus situ & ædificij ratione, vt volunt Lyranus, Comestor, Dionysius, Abulensis,

Reiiciuntur.

Domus saltus Libani, non in Libano, sed Ierosolymis erat.

3. Reg 7.9

ed by Google

lensis, Caietanus, Hugo, Genebrardus, Vatablus, Adrichomius, & alij; adhuc non potest statui domus saltus Libani apud Libanum in memorato loco Balbech, sed vel intra ciuitatem Ierusalem, vel saltem non longè ab ea. Adrichomius in Descriptione vrbis numer. 42. intra ipsam ponit prope templum. Aliqui apud Abulensem 2. Paral. 9. quæst. 12. dixerunt fuisse in deserto. Genebrardus in Chronologia hanc appellat domum æstiuam, & constituit extra Ierusalem, Vatablus non procul à Ierusalem. Vterque Chaldæum imitatur, qui *pro domo saltus Libani* legit, *ædificauit quoque domum refrigerij Regum*. Marinus item credit hanc nemoris domum fuisse pro tempore æstiuo; sed vbi fuerit, non exprimit. Abulensis existimat inter hanc domum & Regiam interceßisse viridarium, quasi ea tota pertineret ad voluptatem & amœnitatem. Et vsus illius id requirit; quoniam in ea armamenta, & vnguenta pretiosa Regis seruabantur; & alia exequebantur, quæ non nisi in loco proximo Regiæ ciuitati fieri debebant, vt apud citatos Auctores videre est.

Præterea ex structuræ & materiæ conditione castrum hoc non esse domum saltus Libani, manifestè conuincitur. In primis, quòd sculpturæ hominum, etsi celebrium, erant Iudæis interdictæ; & opus nullum ibi ligneum, vt fuisse illud saltus Libani Scriptura testatur.

Dubij solutio.

Sed si hæc domus non erat apud montem Libanum ædificata, quare domus saltus Libani dicitur? Aliqui dicunt sic fuisse appellatam, quia erat rustica domus ædificata in loco proximo Ierusalem, saltus Libani appellata. Hic autem sic dictus est, quòd amœnitate, pulchritudine & cedrorum copiâ cum ipso Libano certare videretur: vel cum Auctore Histor. Schol. in 3. Reg. cap. 22. Nicolao, Dionysio, Abulensi 2. Paral. 9. quæst. 12. & ferè in idem recidit, quòd esset domus habens viridationes, amœnitates atque circumiectas siluas ad similitudinem Libani nemoroßi & perpetuò viridantis; & propterea 2. Paralip. 9, 16. dicatur *armamentarium* fuisse *consitum nemore*; quod in Hebræo est, *in domo saltus Libani:* & Ezech. 20, 46, 47. vocatur *Saltus agri meridiani*, velut placet Theodoreto quæst. 24. in 3. Reg. & in eodem loco Procopio, quòd multis cedrinis columnis erectis instar cedrorum Libani constructa esset: vel denique domus saltus Libani dicebatur, tum propter columnas, tum propter tabulata cedrina, & frequentem illius domus materiam allatam ex Libano, vt Hugo Victorinus, Abulensis & Vatablus docent. Cum quo facit, quòd ipsa Ierusalem vel templum aliquando vocatur *Libanus*, propter multitudinem materiæ cedri ex Libano, qua exornabatur, vt Hieronymus in Traditionibus ad 2. Paralip. explicat illud Zachar. cap. 11, 1. *Aperi Libane portas tuas.* & illud 2. Paral. 8, 6. *Omnia quæcumque voluit Salomon atque disposuit, ædificauit in Ierusalem & in Libano.* id est, in templo. Quam eamdem Libani interpretationem docet idem Hieronymus initio cap. 17. Ezechielis, Eusebius lib. 8. Demonstrationis Euangelicæ cap. 4. Et ex his patet, quid ad priorem alteram ex 2. Paral. auctoritatem dicendum sit; cui amplius satisfaciemus Capite sequenti. Plura de his lege apud Pinedam loco citato.

Domus saltus Libani descriptio.

Ierusalem & templum aliquando Libanus dicitur.

Non minori difficultate reiicitur quod de Nicomedia dictum fuit. Nicomedia etenim non in his partibus, sed circa Constantinopolim sita est. Petrus Bellonius Cenomannus ciuitatem Balbech vult esse Cæsaream Philippi; sed id rationibus non probat, inquit Radziuilius citatus Epistola 2. pag. 28. & non esse ex alibi de ea notatis probabilius est credere.

Si in re dubia licet aliquid proponere, dicerem probabiliter de admirabili illa structura esse opus Romanorum; cernuntur enim ibi litteræ Romanæ antiquæ, & Romana magnificentia; & templum illud Ioui dicatum fuisse, præsertim quòd paucis antè annis, vt ab oculatis fide dignis inspectoribus accepi, in superiori parte magna marmorea aquila Iouis insigne cernebatur: ego illam non vidi. Princeps namque Sidonis Emir Ficardinus appellatus, ex odio & indignatione in Principem Balbech, post obsidionem cepit, & illud plurimùm demolitus fuit.

Quòd à Christianis templum illud ex superstitioso cultu in verum fuerit conuersum, & sanctæ Barbaræ virgini & martyri dicatum, facilè credi potest. In ciuitate etiam olim erant plures aliæ Christianorum Ecclesiæ; sed in præsentia vel destructæ, vel in Mesquitas Turcarum conuersæ.

CAPVT III.

De monte Libano, tertio loco septima Peregrinationis.

ACturi de celeberrimo ac sublimi monte Libano, priùs proponenda & diluenda est quæstio, quæ posset meritò excitari; num ihquam Libanus mons pertineat ad terram promissionis, eiusque possessio deuenerit ad filios Israël: & videtur quòd

Libanus mons ad Terram promissionis pertinuerit.

quòd non, quia erat ſub ditione Hiram Regis, qui non Iudæus, ſed Gentilis erat, vt manifeſtè colligitur ex 2. Reg. 5, 11. 1. Paral. 14, 1. & ex 3. Reg. 5. & 9.

Pertinuiſſe ſentit Salmeron.

Sed pertinuiſſe ad Terram promiſſionis, & ad filios Iſraël, fuiſſeque ſub ditione Regis Salomonis, probat Salmeron Tom. 1. Prolegom. 41. ex 2. Paralip. cap. 8. vbi hæc habentur: *Omnia quæcumque voluit Salomon atque diſpoſuit, ædificauit in Ieruſalem & in Libano, & in vniuerſa terra poteſtatis ſuæ. Ex his habemus*, inquit, *Libanum montem ſub poteſtate Salomonis fuiſſe. Nam etſi eſſet ſub poteſtate Regis Hiram domini Tyri & Sidonis, tamen Tyrus & Sidon ad Terram promiſſionis ſpectabant & ad tribum Aſer,* Ioſ. 19. *vt habes in libro Ioſue. Ex permiſſione ergo Dauidis & Salomonis regnabat ibi Hiram, & habitabant ibi Chananæi pendentes ſibi tributa vſque ad Chriſtum: & ideò mittebat ad Hiram pro lignis Libani, quia mons ille ad eos proximè pertinebat; ſicut etiam terra Philiſthiim intra Terrã promiſſam continebatur, ſed habitata fuit à Philiſthæis tributariis.*

Confirmatur, quia, vt tradunt Hebræi, Salomon in monte Libano turrim ædificauit, de qua Cant. 7, 4. pro Regni ſui defenſione, at non ædificaſſet, ſi Libanus ad eum non pertinuiſſet.

Pertinuit promiſſione ac ſortitione, non poſſeſſione.

Reſpondendum arbitror primò cum diſtinctione, montem Libanum ad Salomonem & Iſraëlem pertinuiſſe, poſſe dupliciter intelligi: primò, quòd illis promiſſione & ſortitione obuenerit; ſecundò, quòd illius plenariam & abſolutam acceperint poteſtatem. Illud veriſſimum, & probat argumentum Salmeronis, non item iſtud.

Quomodo intelligendum, fuiſſe ſub Salomone ditione.

Secundò, dicatur ideò dici Libanum eſſe ſub ditione Salomonis & Iſraëlis, non quia eſſet abſolutus dominus, ſed quia inde tributa exigebat, iuxta dicta Cap. xxv. Lib. 1. huius Operis. Et profectò Salomonem non egiſſe cum Hiram Rege montis Libani vt dominum eius, neque Hiram Salomoni ſeruiſſe & morem geſſiſſe vt abſoluto domino illius regionis, ſed vt confœderato & amico, ex eo in primis colligitur, quòd Salomon pacto conuenit cum Hiram, quando ab eo opem petiit pro domo Domini ædificanda, vt patet 3. Reg. 5. & 9. cap. eiuſdem libri, vbi dicitur Salomonem tradidiſſe Hiram Regi viginti oppida pro acceptis ab eo neceſſariis pro ſtructura domus Domini; & cùm ſibi minimè placuiſſent, dixit: *Hæcine ſunt ciuitates, quas dediſti mihi frater?* Ex his colligo non Salomonem, ſed Hiram fuiſſe abſolutum montis Libani dominum: aliter conuentio illa non interceſſiſſet, ſed abſolutè petiiſſet Salomon quæ volebat vt ſua; nec Salomon oppida Hiram pro mercede tradidiſſet, nec Hiram de ipſis apud Salomonem conqueſtus fuiſſet, neque fratrem nominaſſet, quod æqualitatem, non ſuperioritatem ſignificat, quaſi ſuæ ditionis abſolutus dominus, vt Salomon ſuæ. Et ex his colligitur, Hiram non dediſſe illa Salomoni pro tributo, vt dixit Salmeron.

Hiram illius abſolutus dominus.

Nec Textus Paralip. à Salmerone adductus nobis officit; quia Libani nomine, vel templum Domini, vel alia Salomonis ædificia in Ieruſalem vel prope ex lignis Libani ædificata intelligit; & ita inquit in eum locum Gloſſa ordinaria: *In Libano*, in templo ſcilicet quod cedrorum decore veſtitum erat; vnde Zacharias cap. 11. *Aperi Libane portas tuas*; vel regiis ædificiis, quæ facta erant de lignis Libani. Hæc Gloſſa. Et Vatablus inquit legendum, *in ſalta Libani*, vbi erat regia æſtiua Salomonis; nec vertendum eſſe, *in monte Libani*: & ſanè hoc non dicit Textus.

Reſponſio ad Salmeronem.

Quòd ſi etiam quis velit contendere, Libani nomine montem ipſum eſſe intelligendum, dicatur, ideò dici Salomonem ædificaſſe in monte Libano, quia prope ipſum ædificauit: ibi enim erat Septemtrionalis terminus Terræ promiſſionis ab Iſraëlitis poſſeſſæ, Dan videlicet, vt Libro 1. Cap. xxiv. notauimus. Et ita potuit ibi celebrem illam turrim ædificaſſe, ex qua & latrunculorum Syriæ frequentes in terram Iſraël incurſiones & omnes Damaſci domus conſpici poterant, vt in eum Cantic. locum tradunt Doctores, & Adrichomius in Manaſſe 2. num. 98. vel etiam obtinuiſſe Salomonem ab ipſo Hiram, propter magnam amicitiam quæ anteà cum Dauide, & tunc cum ipſo intercedebat, licentiam ædificandi ſupra ipſummet Libanum turrim vel aliud ædificium pro ſuæ ditionis tuitione. Dicendum nihilominus abſolutè eſſe montem Terræ promiſſionis; & quia intra illius limites, & quia filiis Iſraël promiſſus, & in illius diſtributione tributus, etſi fortè numquam ab eis poſſeſſus.

Turris Libani.

De illo monte plura dici poſſent, de nomine, de ſitu, extenſione, & eius naturali conditione, ſed paucis contenti erimus. Plura videre deſiderans conſulat Adrichomium in ſuo Terræ ſanctæ Theatro, tum alibi, tum ſingulariter in Nephthalim num. 63.

Libanus quid, & eius nomina.

Mons Libanus communiter & frequenter *Libanus* ſiue *mons Libani* nominatur, & *mons altiſſimus*, Num. 34, 7. ſiue, vt habet Hebraica veritas, *Hor*, *Hor*, id eſt mons montis: ita legit & noua editio. Et verè altiſſimus eſt & digniſſimus inter montes Terræ promiſſionis. Hinc ſæpiùs ſacra Scri-

Excellentia. Scriptura, si quid egregium & superbum designare vult, cedrorum Libani & ipsius Libani facit mentionem.

Situs. Libanus mons Phœnices altissimus est, inquit D. Hieronymus de Locis Hebraicis, inter Iudæam & Syriam; & in illius Septemtrionali plaga, secundùm Cosmographos, vbi est Phœnicia. Protenditur hic mons, Auctore Strabone lib. 15. ante med. ad montes Trachones, seu Trachonitas, vltra Damascum, quasi ab Occasu in Orientem: quod spatium Plinius lib. 15. cap. 20. 150. tantùm stadiorum facit; forrasse quòd Libani nomen eousque retinebat. Nam iuga sua latiùs diffundit, & alios colles sibi iungit etiam fertiles: ex quibus sunt Baalgad, qui est supra Pannium in principio Libani montis, Hermon, & Trachones montes, & Galaad, & reliqui. Id quod Ieremias cap. 22, 6. testatur, cùm ait: *Galaad tu mihi caput Libani.*

Libanus & Antilibanus; & vtriusque nomina. Hic rursus mons diuiditur in Libanum & Antilibanum: ille editissimus, cedrisque & abietibus insignis: Antilibanus minor, sed fertilior: inter quos sita est Cœlesyria, vel terra Emath. Libanus mons desinit ad promontorium, quod dicitur Facies Dei, siue Theoprosopon, procul à Tripoli sex millibus passuum. Antilibanus desinit apud Sidonem, procul ab vrbe duobus millibus passuum, & continuatur Libano per tractum littorum. Et ab hoc monte Libano prope Pannium labitur Iordanis fluuius ex duobus fontibus Ior & Dan, vno milliario inter se distantibus: Ior ab Oriente, Dan verò ab Occidente, modo à nobis explicato Lib. vi. Cap. iv. Peregrinat. vi. Ascensus illius difficillimus.

Libanus mons ex parte fecundus: abundat enim arboribus fructiferis, & non fructiferis vineis; ex quibus etiam vina optima & laudatissima conficiuntur, vt patet Oseæ cap. 14. v. 8. Colligitur etiam in eo frumentum; sunt enim in eo multæ valles & planities; sed & ex parte sterilis, ob nimiam frigiditatem & niuium copiam, quæ eminentiorem montis partem operiunt vsque ad mensem Iulij: Augusto enim & Septembri fluunt & resoluuntur. Ac ideò, præter fontes, ex ipsis etiam resolutis niuibus ferè vbique affluit frigidissimis aquis.

Titelmannus in ea verba Cant. 4, 8. *Veni de Libano*, &c. ex D. Hieronymo & Iosepho apositè dixit, ad huius fertilitatem & amœnitatem respiciens: Inter omnes montes Arabiæ, Phœnicis & Syriæ, mons Libani in sublimitate, fecunditate, amœnitate & aëris salubritate obtinet principatum.

Libani nominis etymologia. Quantum ad nominis etymon, Libanus idem est quod albus siue candidus, quia niuibus semper conspicuus, etiam mediis æstiuis ardoribus, vt notauimus, & tradit Tacitus lib. 2. circa principium. Et ex his apparet, quàm aptè Maria Virgo Despara Libano comparetur, ob virtutum sublimitatem, ob maternitatis fecunditatem, & ob virginitatis illibatæ candorem. Vnde sanctus Hieronymus in quodam Sermone expendens adducta Canticorum verba in laudem Virginis, *Veni de Libano, veni coronaberis*, inquit: *Non immeritò venire de Libano iubetur, quia Libanus candidatio interpretatur. Erat enim candidata multis meritorum virtutibus, & dealbata nive candidior*, &c. *Maria Virgo Libano cur comparata.*

Ptolemæus verò lib. 5. cap. 25. & idem D. Hieronymus in Oseam cap. 14. putant dictum Libanum à thure candido, quod ibi colligitur: vnde & thus Lebanon Hebraicè dicitur, & Græcis Λίβανος. Et Libanus arbor est quæ thus ipsum producit, vnde in Ecclesiastico legitur: *Quasi Libanus non incisus vaporani habitationem meam.* Luna quoque à candore suo dicta est Hebraicè Lebana. *Libanus arbor thus producens.*

CAPVT IV.

De Ecclesia Patriarchali in monte Libano, quarto loco septimæ Peregrinationis.

QVæ in monte Libano inuisuntur à peregrinis, sunt *Ecclesia Patriarchalis* Maronitarum, *villa Eden* & *Cedri*, de quibus pauca per ordinem dicemus. Sunt quidem in diuersis montis Libani locis diuersa Eremitoria, quæ *Conuentus* appellant Maronitæ, vt S. Petri, S. Antonij, &c. in quibus manent aliqui ipsorum Monachi & Episcopi; & sunt etiam plures villæ: sed præcipuus Conuentus & Ecclesia est vbi moram facit Patriarcha Maronitarum cum suis Monachis, qui montis Libani & Antiochenus Patriarcha appellatur; *Sancta Maria de Canobin* dicitur. Ecclesia & Conuentus huiusce modi sunt in satis eminenti loco montis: illa in monte excauata satis ampla & commoda respectu aliarum, iuxta & circa ipsam sunt variæ habitationes pro Patriarcha, eius familia, Monachis & peregrinis; Isti parent summo Romano Pontifici, quem maximè colunt, & Catholicæ Ecclesiæ sunt addictissimi; & ibi Catholico ritu, etsi Chaldaico idiomate, die noctuque officiis & sacrificiis Deum colunt in cordis simplicitate. Peregrini illuc primò se transferunt, vbi humaniter & charitatis officiis excipiuntur. Hic sunt & pulsantur cam- *Oratoria plura in Libano.* *Patriarchalis Ecclesia ac Conuentus conditio.* *Ibi campanæ pulsantur.*

panæ, vt in partibus Christianorum: quas alibi in his Orientis partibus non audiui. Omnes in monte Libano fere Maronitæ & Christiani sunt.

Vbi virgo Marina fecit pœnitentiam, tumulata fuit, & Patriarchæ sepeliuntur.

Extra Monasterium ante ianuam est cella vel sacellum vbi Patriarchæ sepeliuntur. Et esse fertur locus, vbi sancta illa pœnitens & virgo Marina in habitu Monachi, à filia bubulci infamata, quòd ex ea ex stupro filium genuisset, pœnitentiam egit: &, post felicem eius transitum, calumnia impudicæ mulieris, & castæ eximia virtus detecta est, atque ipsa honorificè tumulata. Eius res gestas, mirandam eius humilitatem, & in tolerandis persecutionibus & laboribus constantiam & patientiam habes in Vitis Patrum Libro primo. Illius corpus Venetias translatum fuit, vt dicitur in Romano Martyrol. die 17. Iulij, & ab aliis Scriptoribus. Villa, vbi filia illa bubulci ab alio corrupta detraxit honori S. Marinæ, *Torza* nominatur, semper miserabilis & egena; creditúrque id esse ob scelus in sanctam virginem Marinam perpetratum: distat à Canobin sex circiter milliaribus.

Torza villa.

CAPVT V.

De villa Eden, quinto loco septimæ Peregrinationis.

LOngè à Canobin, tria circiter milliaria, est villa secunda satis & amœna, oleis, ficubus, nucibus & aliis arboribus abundans, & aquis irrigua; vbi multæ domus, & aliquæ Ecclesiæ sunt: & est ibi vna Archiepiscopalis sancto Sergio dicata, & Sedes Archiepiscopi Maronitæ montis Libani, quæ Eden appellatur; & fortè propter eius amœnitatem & delicias: Eden enim deliciæ interpretatur.

Eden villa Archiepiscopalis.

Sacellum Abdon & Sennen.

Supra ipsam est sacellum sanctis martyribus Abdon & Sennen dicatum, quod Maronitæ *Abda* appellant: in quorum die festo (quod ipsi mobile faciunt, ipsumque celebrant Dominica prima Maij) quando Missa celebratur, subtus altare fons aquæ viuæ emanat; & cùm venerabile eleuatur Sacramentum, magis fluit, & post aliquot dies siccatur: & ita euoluto anni circulo eodem tempore similiter fluit; & post Kalendarium Gregorianum, & decem dierum mutationem factam, simili modo Dominica prima Maij aquas elargitur. Ita ab Archiepiscopo Eden, & aliis qui viderunt, intellexi.

CAPVT VI.

De Cedris montis Libani, quæ sexto loco occurrunt in septima Peregrinatione.

LIgnorum genus præcipuum & pretiosum Libani montis duplex est; alterum quod Abies, alterum quod Cedrus appellatur; & ita habemus ex diuersis Scripturæ locis: sed alterum tantùm hic subscribere sufficiat, in quo mentio fit de lignis Libanicis, quæ Hiram Rex dedit Salomoni pro templi Domini & Regiæ suæ ædificatione, 3. Reg. 5, 8. hæc dixit Hiram Salomoni: *Ego faciam omnem voluntatem tuam in lignis cedrinis & abiegnis. Serui mei deponent ea de Libano ad mare: & ego componam ea in ratibus in mari vsque ad locum quem significaueris mihi: & applicabo ea ibi, & tu tolles ea.*

Abietes & cedri præcipuæ Libani arbores.

Nos pauca duntaxat de cedris dicemus, quoniam ipsarum fama celebrior; imò ipsæ solæ sunt in præsentia in consideratione, & à peregrinis singulariter inuisuntur, & ab omnibus æstimantur. Et inter omnes quædam præcipuæ eminentiores & antiquiores.

Locus cedrorum Libani.

A locis Canobin & Eden distat locus & planities ad sex circiter milliaria ad Septemtrionem, in qua sunt magnæ & antiquissimæ cedri, numero, loquendo de precipuis & maioribus, vigintitres (sunt enim ibidem aliæ minores, quæ in dies oriuntur, & crescunt) & illæ per excellentiam *cedri Libani* nuncupantur; & ad honorem Virginis ibi fideles, circà præsertim habitantes, id est Maronitæ, & peregrini aduenientes, preces fundunt, & nacta temporis opportunitate sacrificia offerunt. Sacratissima enim Virgo Maria, ob eminentem sanctitatem & virtutum præstantiam, cedro in Libano exaltatæ comparatur; eiusque nomine sancta Ecclesia recitat illa Ecclesiastici verba: *Quasi cedrus exaltata sum in Libano.* Eccli. 24. 17.

Numerus.

Deipara cedro Libani comparata.

Cedri natura.

Cedrus est laudatissima arbor, magnitudine, incorruptibilitate & virtute medica. Aduertere tamen hic placet, cedros illas non ita proceras & magnas esse, vt quidam illas prædicant, quasi vsq; ad cælum summitate pertingant; nam non maiores quercubus credo, nec natura ipsarum est, vt magnitudine ceteras arbores excedant. Semper virides retinent frondes: & poma illius quidam ob memoriam & ex deuotione accipiunt. De cedro lege Pinedam de Rebus Salom. lib. 3. c. 22. §. 3. & lib. 4. cap. 14. & lib. 5. cap. 14. Et hæc de VII. Peregrinatione satis.

PERE-

PEREGRINATIO VIII. *& vltima huius Libri, in qua recenſentur & elucidantur quatuordecim memorabilia loca, quæ ſe offerunt proficiſcentibus ex Ioppen ſecus Mare mediterraneum vſque ad Tripolim Syriæ ciuitatem, vel etiam Antiochiam.* I. *Cæſarea Paleſtinæ ciuitas.* II. *Caſtrum peregrinorum.* III. *Carmelus mons.* IV. *Vrbs Caiphas dicta.* V. *Acon ciuitas.* VI. *Saphet ciuitas.* VII. *Puteus aquarum viuentium.* VIII. *Tyrus ciuitas.* IX. *Vbi mulier Chananæa occurrit Chriſto.* X. *Sarepta ciuitas.* XI. *Sidon ciuitas.* XII. *Berytus ciuitas.* XIII. *Tripolis Syriæ vrbs.* XIV. *Antiochia denique Caleſyriæ ciuitas præcipua.*

CAPVT PRIMVM.

De Cæſarea Paleſtinæ ciuitate maritima, primo loco octauæ Peregrinationis.

MVlti ex peregrinis, & illi præcipuè qui ex his partibus, vt ex Aleppo, Damaſco, Tripoli Syriæ, &c. proficiſcuntur Ieroſolymam per Galilæam & Samariam, plerumque ad ſua domicilia reuertuntur per aliam viam, videlicet per regionem illam, quæ in ſacris Litteris Palæſtina nuncupatur, terreſtri vel maritimo itinere, vt noua alia videant loca: de quorum præcipuis aliqua dicemus, prout vidimus, & ex oculatis aliis teſtibus accepimus, fideque dignis Auctoribus didicimus, & primò de Cæſarea Palæſtinæ.

Cæſarea duplex, Philippi & Paleſtina.

Notandum itaque, in prouincia Palæſtinæ duas fuiſſe præcipuas vrbes, Cæſareas appellatas, quòd ædificatæ, vel ſaltem auctæ & illuſtratæ fuerint in honorem Cæſarum: ad quarum diſtinctionem & confuſionem vitandam, altera *Philippi*, altera *Paleſtina* dicebatur. Illa, teſte Ioſepho lib. 18. Antiquit. cap. 3. & D. Hieronymo de Locis Hebraicis, ſita eſt ad fontes Iordanis: quam Philippus, maioris Herodis Innocentium interfectoris filius, in honorem Tiberij Cæſaris variis ædificiis & ornamentis auxit; & quæ priùs Dan vel Dana Ioſepho, & Leſen, antequam filij Iſraël Terram ſanctam ingrederentur, poſteà Leſen Dan, quòd tribui Dan in ſortem ceciderit, dicta, vt docet Tyrius lib. 15. cap. 9. Poſtquam verò à Romanis ſubacta fuit, *Paneada* à fonte quo alluitur appellata eſt; & deinde Cæſarea à Tiberio Cæſare, Philippi à Philippo inſtauratore & amplificatore nuncupata: & Cæſarea Philippi tempore Chriſti appellabatur, vt patet Matth. 16, 13. & Marc. 18, 27. Pòſt Agrippa iunior eam reparauit, & exornauit in gratiam Neronis, & *Neroniam* appellauit. Hodie vocatur hæc ciuitas *Velens*, inquit Salmeron Tom. 1. Proleg. 41. Teſte Tyrio loco citato, & Gamaliano p. 2. in Ioſ. cap. 19. ſect. 5. à Turris *Bellona* & *Bellena* dicitur. Terminus eſt Septemtrionalis regionis Iudæorum, vt diximus lib. 1. Cap. xxxv. Age pluribus de ea Adrichomius in Nephthalim num. 37.

Philippi quæ, & eius nomina.

Iſta verò, ſcilicet Cæſarea Palæſtinæ ciuitas, eſt in confinio Palæſtinæ & Phœnices ſecus mare Mediterraneum ædificata, inquit Lyranus in Act. 12. in loco qui *Turris Stratonis* dicebatur, ad honorem Auguſti Cæſaris: quare aliquando à ſitu Turris Stratonis appellatur. de qua Ioſephus lib. 1. de Bello Iud. cap. 6. ſic ait: *Cùm igitur maritimæ ciuitates vidiſſet Herodes vnam vetuſtate iam feſſam, quæ Stratonis turris dicebatur, totam eam candido ſaxo reparatam clariſſimis Regia decorauit*, &c. & lib. 15. Antiquit. cap. 13. inquit: *Cùm animaduertiſſet Herodes in maritimis locum condenda vrbi opportuniſſimum, cui olim Stratonis turris nomen fuerat, & formam eius magnificè deſcripſit, & ædificiis marmoreis totam exornauit: & quod fuit omnium operoſiſſimum, portum à tempeſtatibus tutum addidit, magnitudine Pirao parem, admirandum ſtructura. Sita eſt hæc vrbs in Phœnice inter Doram & Ioppen.* Hæc ille.

Palæſtina Cæſarea qua.

Vrbs Stratonis dicta.

Ab Herode aucta.

In iſta ciuitate Cornelius Centurio à Petro Apoſtolo fuit baptizatus, vt dicitur Act. 10. primus in ea Epiſcopus fuiſſe traditur. In eadem Philippus Apoſtolus domum habuit, in qua & habitauit cum quatuor ſuis filiabus virginibus Prophetiſſis: Hieronymus in Epitaphio Paulæ. Hîc Agabus Propheta zona Pauli ligatus eſt: Act. 21. & ipſe Paulus in prætorio Herodis ſeruatus, coram Rege Agrippa & Felice Præſide, ac biennio detentus in vinculis, à Feſto Cæſarem appellauit: Act. 23. 24. & 25.

Aliaque.

Veſpaſiani tempore neeatis Iudæis, in iſta ciuitate Gentiles, qui eam incolebant, ſumma rerum potiebantur: remanſit totius Palæſtinæ metropolis; quæ, ob egregiam à ciuibus patratam operam contra Iudæos, à Veſpaſiano Imperatore facta eſt colonia Ro-

Romanorum, & immunis à censu capitis, & possessionum, vt Paulus l. C. l. vlt. ff. de censibus testatur his verbis: *Diuus Vespasianus Cæsarienses colonos fecit, non adiecto vt hinc Italici essent, sed tributum hic remittit capitis, sed diuus Titus solum etiam immune interpretatus est.* Plura alia de hac Cæsarea vide apud Adrichomium in Manasse 1. num. 22.

Destructa nunc iacet.

In præsentia est tota destructa, & ex magnis & ingentibus ruinis facilè dignoscitur, quàm egregia & munita olim ciuitas extiterit. Hanc ciuitatem primò inueniunt peregrini, qui ex Ioppen maritima ciuitate & portu, de quo initio Libri IV. egimus, Ierosolymorum assumunt peregrinationem, distatque à Ioppen circa viginti quatuor milliaria. Aduerte quosdam dicere, in huius ciuitatis finibus Christum suos discipulos illis verbis interrogasse: *Quem dicunt homines esse Filium hominis?* Sed, id accidisse in partibus alterius Cæsareæ, manifestè apparet ex Matth. 16. & Marc. 8.

Cæsarea Cappadociæ, & Mauritaniæ.

Est etiam Cæsarea Cappadociæ, sic à Tiberio nominata, cùm ante *Mazaca* diceretur, Euseb. Altera item Mauritaniæ nobili portu insignis, antè *Iol* vocitata, Strab. lib. 7.

CAPVT II.

De Castro Peregrinorum, secundo loco octauæ Peregrinationis.

A Cæsarea Palæstinæ secus mare ad Septemtrionem vlteriùs procedendo, post duodecim milliaria occurrit locus,

Quid Castrum Peregrinorũ.

communiter *Castrum Peregrinorum* nuncupatus: de quo sequentia Adrichomius in Issachar num. 47. *Castrum Peregrinorum, quondam insula in corde maris sita, dicta Petra incisa: in qua Christiani milites munitionem postèa extruxerunt, iis muris & antemuralibus cinctam, vt inexpugnabilis videretur. Videtur alio loco ponere VVillelmus, quantum ex eius descriptione colligere est; consensit tamen sententiæ nostræ ille qui continuauit Historiam Belli sacri.* Hæc ipse.

Ibi Ecclesia, nunc demolita.

Locus iste in præsentia destructus; tamen munitissimum fuisse quæ superfuit structura cum ruinis indicat est ibi egregia Ecclesia, & triplex, etsi vt aliæ harum partium fere tota demolita: iacent ibi in terra multæ marmoreæ columnæ; & est ibi portus maris multis nauibus idoneus.

Aliud Castrum Peregrinorum apud Tripolim.

Aduerte, locum istum, non esse illum quem Raimundus comes Tolosanus ædificauit ante vrbem Tripolitanam in monte, *Mons Peregrinorũ & Castrum* similiter appellatus, quia operà peregrinorum construebatur: de quo Adrichom. in locis exteris n. 21.

CAPVT III.

De sacro Carmelo monte, tertio loco octauæ Peregrinationis.

CArmeli frequens mentio fit in sacris Litteris, & Carmeli nomen non semper de vno & eodem enuntiatur loco, sed de diuersis, vt ex operatis in illis, & ex lectis Doctoribus manifestè edocemur. Sanctus Hieronymus ait: *Duo sunt montes qui vocantur hoc nomine*, id est Carmeli: *alter, in quo fuit Nabal Carmelus maritus Abigail ad Australem plagam: alter iuxta Ptolemaidam, quæ prius vocabatur Acho, mari imminens: in quo Elias Propheta flexis genibus pluuias impetrauit.*

Carmeli nomen multiplex.

Duo montes.

1. Reg. 25.

1. Reg. 18.

Abulensis ad idem, & clarius: *Carmelus, mons*, inquit, *est in sorte Iuda apud vrbem Maon eiusdem tribus; & nominatur iste Carmelus à quadam vrbe quæ vocatur Charmel, quæ erat apud Maon, sicut patet Ios. cap. 15, 55. vbi simul ponuntur Maon & Charmel in numero ciuitatum. Alius mons Carmelus erat in sorte Issachar, de quo Ios. 19, 26. & est apud Issachar & Aser; vnde sors Aser dicitur peruenire vsque ad Carmelum, eodem cap.*

In 1. Reg. 25. q. 1.

Alter in Iuda.

Alter in Issachar.

Ex huius Scriptoris verbis habemus, in tribu Iuda, præter montem Carmelum, fuisse ciuitatem eodem insignitam nomine, à qua mons ipse nomenclaturam accepit; & fuisse eiusdem nominis vrbem in eo ædificatam monte, videtur deduci posse ex 1. Regum 15, 12. vbi dicitur, Saulem in isto Carmelo sibi triumphalem fornicem erexisse; etsi ad gloriam suam ostentandam, non in saltu desertoque monte, sed in populosa ciuitate illam erigere debuerit. Nos de isto Carmelo non tractabimus, sed de altero celebriori.

Carmelus ciuitas.

Dubium.

An autem sit tertius alius locus trans Iordanem Carmelus dictus, vel in Moabitide regione, meritò reuocari potest in dubium, ex Isaia c. 16, 10. & Ieremia c. 48, 33. vbi Prophetæ vaticinantes aduersum Moab dicunt: *Ablata est lætitia & exultatio de Carmelo.*

Solutio.

Respondetur, ex hoc non necessariò colligi, prædictum locum esse tertium Carmelum propriè, sed alium eo nomine non vt proprio, sed vt appellatiuo nuncupatum, propter insignem illius vbertatem, quæ Carmeli appellatione significatur.

Carmeli nomen proprium & commune: eius significatio.

Carmeli enim nomen & proprium & commune est: proprium, vt dicitur de prædictis duobus montibus; commune & appellatiuum, prout dicitur de quocumque loco fertili, abundanti ac læto, sumpta fortasse

Digitized by Google

taſſe ſignificatione à dictis montibus; qui, ob egregiam ipſorum conditionem, ſymbolum ſunt fertilitatis, abundantiæ ac lætitiæ. Vnde lingua Punica ſiue Arabica, quæ Hebrææ vicina eſt, adhuc hodie in Bætica amœniſſimæ ac pulcherrimæ villæ vocantur *Carmenes*, vt ait Delrius Adagio 970.

Ille de Carmelo Iſſachar.

De celebriori Carmelo agentes, tria per ordinem videbimus: 1. Quidnam antiquitus fuerit, & quid in præſentia ſit. 2. Quomodo in eo habitauerint Elias & Eliſeus, & memorabilia in eodem operata recenſebimus. 3. Denique, quomodo inde traxerit originem ſacer Carmelitarum Ordo.

Quantum ad primum, Carmelus iſte mons appellatur *Carmelus maris* apud Ioſue 19, 26. id eſt Mediterranei; quoniam huic mari proximus eſt. Attingitur iſte mons à tribus tribubus; ab Occidentali & Boreali plaga, à tribu Aſer; ab Oriente, à tribu Zabulon; ab Auſtro, à dimidia tribu Manaſſe ciſ-Iordanina, vt indicat Ioſephus lib. 5. Antiquit. cap. 1. ſaltem ex parte: & idem lib. 3. Belli c. 2. tradit, montem iſtum olim fuiſſe Galilæorum; tunc autem, hoc eſt, ſuo tempore, fuiſſe Tyriorum. Fuit hic mons fecundus ac frugum vbertate inſignis, & Carmel nomen, quod Hebræis ſignificat ſpicam plenam, ſed adhuc viridem & teneram, vt linguæ ſanctæ periti docent; ac proinde ad locum feracem & huiuſmodi ſpicis conſitum idem nomen accommodatur; eamdemque vbertatem paſſim denotant Scripturæ loca; in quibus eadem vox ſiue propriè ſiue appellatiuè vſurpatur.

Conſitio eius.

Iſa. 16, 10. & c. 26, 17. & c. 32, 15. & c. 35, 2. Ier. 2, 7. & c. 48, 33.

Vnde Leo à Caſtro de noſtro iſto monte, expendens illa Iſaiæ verba cap. 35. *Gloria Libani data eſt ei, decor Carmeli & Saron*, inquit: *Carmelus mons amœniſſimus eſt, & Galilæa omnis: cuius campus Saron eſt totus conſitus arboribus, vineis, lucis amœniſſimis, totus vernans, vt docet Ioſephus lib. 3. de Bello cap. 4. nam, Libanum montem eſſe mira amœnitatis, res notiſſima eſt.*

His conſona ſcripſit Adrichomius in Iſſachar num. 19. in hunc modum: *Carmelus maris, qui Hebraicè dicitur Carmel, ſiue Charmel, mons excelſus valdè & nemoroſus, nobiliſſimis vineis, oleis, arbuſtis, fructiferis arboribus herbiſq; odoriferis abundans; vt ob ſummam rerum omnium copiam, fertilitati & abundantiæ in Scriptura comparetur. Abeſt à Ptolemaide ſtadia centum viginti, vt Ioſephus tradit. Incolebatur à coloniis multis; eiusq; paſſim multa fit mentio in Prophetis*, &c.

Alia ibi memorabilia loca.

De loco vbi ignis de cælo deſcendit ad conſumendum Eliæ ſacrificium, de quo poſteà idem Auctor inquit ex Ioſepho, illum igne conſumptum hactenus perdurare. *In hoc monte*, addit, *in pede montis Orientali, ait Auctor Itineraij Chriſtele, ſpelunca eſt & fons, vbi habitabant Elias & Eliſeus, & filij Prophetarum. Poſteà habitauerunt ibi Fratres Carmelitæ, vnde & originem & nomen habent. Fuit etiam ſaltus Carmelitæ in Carmelo, vt colligitur 4. Reg. 19. Iſa. 37. Mich. 7.* & idem Adrichomius numer. 20. addit de loco vbi Pſeudoprophetæ Baal occiſi fuerunt: *Hic ad torrentem maiorem, qui contra Occidentem labitur, Propheta Elias quadringentos quinquaginta Prophetas Baal, quos diuinæ iuſtitiæ zelo accenſus in monte Carmelo comprehenderat, ab Iſraelitico populo adiutus omnes occidit, eorumq; cadauera in torrentem proiecit, 3. Regum 18. Brocard. in Præfat. in Itin. 1. & 6. & Breidenb. ibid.* ſubiungit num. 21. *Carmelum promontorium, vbi ſancta Helena Eccleſiam conſtruxit. Niceph. 8. Hiſt. 30.*

Spelunca & fons Eliæ.

Saltus Carmeli.

Dictis ſequentia addo, prout ab oculatis & accuratis inſpectoribus accepi, & ego à longè obſeruare potui: difficilis enim ac periculoſus eſt ad hunc montem aceeſſus propter Arabes.

Diſtantia eius à Cæſarea Palæſtinæ.

Diſtat mons iſte à Cæſarea Palæſtinæ circa viginti quatuor milliaria, à Caſtro peregrinorum duodecim, quæ ad Auſtrum habet. In illius ſummitate erat olim magna Eccleſia, in præſentia pænè tota collapſa: à mari proximo vſque ad ſummitatem & Eccleſiam eſt aſcenſus vnius milliaris; nec enim tam excelſus, vt aliqui opinantur: alij ſanè ſunt in Galilæa & tota Palæſtina ipſo multò excelſiores. Inſrà, hoc eſt ad medium montis, eſt antrum ſiue Eccleſia quadratæ formę non modica, in ipſa rupe montis exciſa; & interius antrum aliud minus Eliæ dictum. Eſt etiam ibidem fons & viridarium. Longitudo montis, quæ eſt ab Occidente ad Orientem, eſt quindecim circiter milliarium. In præſentia fecundus non eſt, nec fructiferis abundat arboribus; & quia pro maiori parte nuda rupes, & multò magis propter cultorum inertiam ac negligentiam. Intra ipſum aliquæ ſunt valles, in quibus ſoli ac ſatis ſilueſtres habitant Arabes.

In ſummitate olim Eccleſia, nunc collapſa.

Interius antrum Eliæ.

Infœcundus.

Quantum ad ſecundum; in primis vt celebre refertur Eliæ ſacrificium, & occiſio Prophetarum Baal, cuius memoriam celebrat Hiſtoria Regum. In iſto namque monte Elias Propheta coram Rege Achab & octingentis quinquaginta Pſeudoprophetis Baal, cùm illi nequidquam cultris ſe dilaniantes idolo immolarent, ipſe Deum verum igne cælitus dimiſſo experimento comprobauit; & Pſeudoprophetæ, tam-

Celebre prodigioſum Eliæ ſacrificium. 3. Reg. 18.

quam idololatræ & falsi numinis cultores
3. Reg. 17, comprobati, trucidati fuere. Insuper ibi E-
1. & c. 18, lias flexis genibus gestu admirabili orans,
45. post trium & semis annorum siccitatem,
Iacob. 5, pluuiam à Deo impetrauit.
17, & 18.

Dubium. Circa indicatum Eliæ sacrificium difficultas explicanda est; quomodo impunè sanctus Propheta erigere potuerit altare extra Ierusalem, & super ipsum sacrificium offerre, cùm id seuere fuerit à Domino interdictum, vt in pluribus sacræ Scripturæ locis videre est. Nec valet dicere, sacrificasse
Exod. 20. extra locum à Domino præparatum, exem-
Deut. 12, plo Iacobi Patriarchæ, Moysis, Iosue, nec
14. non aliorum celebrium virorum; nam istis
Leuit. 17. licuit: quoniam ipsorum tempore nondum erat ædificatum templum; & de oppositio faciendo non erat lex promulgata, vt tempore Eliæ.

Solutio. Dicendum, non deliquisse absque dubio Eliam in illo sacrificio, sed optimè fecisse, cùm igne cælitus dimisso fuerit ad eius preces consumptum. Et ad rationem dubitandi respondetur, legem illam datam fuisse ad tollendam occasionem idololatriæ; quare, ea non existente, maximè necessaria occasione, poterat oppositum fieri à spectatæ ac probatæ sanctitatis viris, de quibus nulla esse poterat idololatriæ suspicio; de quorum numero erat Elias. Quare sicut sine culpa licuit Prophetæ Samueli sacrificare extra locum à Domino præparatum, aliquando in Maspha; aliquando in Ramatha, & nonnumquam in Bethlehem, vt sacra Scriptura docet; ita licuit Prophetæ Eliæ in monte Carmelo sacrificare, non similiter aliis haud tantæ sanctitatis & opinionis hominibus: tunc enim tamquam graue piaculum morte piandum erat. Hinc cùm duæ tribus & dimidia extruxissent altare apud Iordanem (quia id nefas creditum fuit, & contra legem susceptum) contra eos insurrexerunt in pugnam reliquæ tribus, vt dicitur Ios. 22. Hinc vides quantum valeat præiudicata virtus. Etenim virtute præditi quædam impunè agunt, quæ in vitiosis & vulgaribus hominibus non relinquerentur impunita. Lege Abulensem in cap. 4. Ios. quæst. 12. & in 3. Regum 18. & à nobis annotata superiùs Lib. IV. Cap. XIV. Peregrin. VII.

Iusti aliqua impunè agunt, quæ ab impiis absque culpa fieri non possent.

Cultus Carmelus ab Elia & Eliseo. Celebrem hunc montem reddidit primò Elias Propheta sua habitatione, sicut Eliseus, & alij postea. Hoc vt explicemus, animaduertendum, sanctum Vatem vitam eremiticam coluisse; hinc sanctus Hieronymus Epist. 12. ad Paulinum dixit: *Noster princeps Elias, noster Eliseus*, &c. significat autem id colligi ex Scripturis dum præmittit, *Et vt ad Scripturarum auctoritatem redeam*, &c. vbi Marian. Victorius, *Eliam & Eliseum*, inquit, *deserta ac montes solitarios incoluisse, res est notissima.* idem alij Patres tradunt. Nazianz. in quadam Orat. de Basil. Orat. in Gordium martyrem, Isidor. lib. 2. de Offic. c. 15. Cassian. lib. 1. de Instit. renunt. c. 2. Ioannes Ierosol. lib. de Instit. primor. Monachor. à cap. 3. vsque ad 9. Tom. 9. Bibl. Patrum. *Qui eremita fuerunt.*

Sed vitam hanc solitariam ac diuinis meditationibus ac mortificationibus insignem traduxisse in monte Carmelo, ibique præcipuè habitasse, notauit Abulensis 3. Regum 21. quando Elias iussus est descendere, vt occurreret Achab, eumque de grauissimo peccato reprehenderet, eidemque & vxori debitam mortis pœnam prædiceret. Expendit ergo Abulensis verbum *descendit*, dicens: *Ex eo tempore quo fecit Deus miraculum mittendi ignem super sacrificium suum* 3. Reg. 18. 18. *in monte illo, habuit deuotionem Eliæ manendi in illo; & semper mansit vsque ad tempus quo raptus in curru igneo.* vnde lib. 4. Regum cap. 1. circa illa verba, *Surge & ascende in occursum nuntiorum Regis Samariæ*, notat idem Abulens. dici, *ascende; non quia Elias maneret in aliquo loco infimo, manebat enim in monte Carmelo; sed quia ipse descensurus erat de monte, & postea ascensurus per viam, per quam veniebant nuntij Ochoziæ.* Hæc Abulensis.

Quæ Abulensis verba, quantum ad id quod indicare videntur, sanctum Vatem non habitasse in Carmelo ante illud insigne circa suum sacrificium operatum miraculum, explicanda sunt; nam antea ibidem habitasse, ex eo videtur deduci, quòd illium montem ascendit ad conuincendos ac puniendos Prophetas Baal: in hunc enim modum dixit ad Achab: *Mitte, &* 3. Reg. 18, *congrega ad me vniuersum Israël in montem* 19. *Carmeli.* quasi dixisset, Ibi enim ero sicut soleo. Dicendum ergo voluisse indicare Abulensem, Eliam maiori affectu sibi locum illum ad habitandum elegisse post illud celebre [illegible]um. *Abulensis explicatur.*

Scio tamen non efficaciter probari ex Scriptura ante illud ibi permanentem habuisse habitationem, sed benè posteà reliquo vitæ suæ tempore: traditio namque, Patres, Scriptura sacra & Ecclesia suffragari videntur. Sanctus Basilius in Epistola ad Chilonem discipulum dixit: *Hic mons celeber Carmelus, in quo Elias demoratus perplacuit Deo.* Nazianzenus Orat. 16. de pauperum amore, initio: *Pulchra res*, inquit, *solitudo, & quies, idq; me docet Eliæ Carmelus.* vbi Nicetas exponit, id est, *Elias in Carmelo degens, quemadmodum 3. Regum liber narrat.* Idem latè prosequitur Ioannes Ierosoly-

ſolymitanus lib. de Inſtitut. Monachor. à c. 17. ad 21. dicens, poſt ſedatam perſecutionem contra Eliam mortua Iezabel, fixiſſe Eliam domicilium ſuum in monte Carmelo; tum quia erat aptiſſimus ad vitam monaſticam, tum etiam propter inſignia miracula quæ Deus ibi oſtendit.

4. Reg. 4. 22. & 25. Scriptura diuina idem non obſcurè indicat, cùm introducit mulierem illam Sunamitidem, quæ per Eliſæi interceſſionem filium à Deo priùs obtinuerat, & poſteà ex graui morbo e vnis ſublatum, rediuiuum accepit, ad virum ſuum dicentem: *Mitte mecum, obſecro, vnum de pueris & aſinam, vt excurram vſque ad hominem Dei*, in montem ſcilicet Carmeli, vt ſequentia verba indicant. Vbi ſignificatur, inquit Suarez, qui Tom. 4. de Relig. lib. 2. de Variet. Relig. in ſpecie cap. 10. idem ſentit, montem illum fuiſſe locum proprium, vbi Eliſeus domicilium habebat: conſtat autem ex narratione Scripturæ 4. Reg. 2. & 3. & ex omnibus expoſitoribus & Patribus, Eliſeum ſucceſſiſſe Eliæ, ſicut in ſpiritu, ita & in munere, & in habitatione ſeu ſede propria, quam ad Deum meliùs colendum ſibi elegerat. Hoc autem magis declarant verba interrogationis viri ad vxorem ſuam: *Quam ob cauſam vadis ad eum? Hodie non ſunt Calendæ, neque Sabbatum.* In his namque verbis duo inſinuantur: vnum eſt, habuiſſe illam feminam conſuetudinem adeundi illis diebus montem Carmeli, ad conueniendum Prophetam illic habitantem: aliud eſt, ſolitam eſſe illuc ire cauſa religionis, ad verbum Dei cum aliis audiendum à Propheta, vel orandum & canendum diuinas laudes; ſicut mos erat Iudæis eundi ad Synagogas & orationis loca in diebus Sabbatorum, & Calendarum, & feſtiuis alus; vt indicauit ibi Lyranus, & latiùs Abulenſis quæſt. 30.

In Carmelo locus erat religionis operibus deſtinatus. Erat igitur mons ille habitatio iſtorum Prophetarum; & in eo habebant locum aliquem operibus religionis & diuini cultus deſtinatum. Denique idem inſinuat Eccleſia in Martyrologio Romano, dum dicit: *In monte Carmelo ſancti Eliæ Prophetæ.*

Rom. Martyrol. die 20. Iul.

Elia & Eliſæi diſcrimen. Et quod de manſione Eliæ in monte Carmelo dictum eſt, cum proportione enuntiari poteſt de Eliſeo, cum hac videlicet differentia, quòd Elias fuit præceptor, Eliſeus diſcipulus; ille pater, hic filius, ſicut ipſe clamabat, *Pater mi, pater mi:* ille quaſi auctor & inſtitutor illius vitæ generis, hic ſectator & heres. In reliquis verò fuit conuenientia: nam ex quo Eliſeus iuſſu Dei vocatus eſt ab Elia, & illum ſequi cœpit, ei perpetuò miniſtrauit, 3. Reg. 10. vſque ad 4. Reg. 3. Poſt raptum verò Eliæ, eumdem Carmelum incoluit, vt ex citato loco colligitur, & communiter Auctores docent; atque Eliæ in ſpiritu & miniſterio ſucceſſit. Vnde 4. Reg. 3. in huius rei ſignum filij Prophetarum venerunt in occurſum eius, eumque adorauerunt, & tamquam caput & principalem Prophetam, Eliæque ſucceſſorem agnouerunt.

4. Reg. 2. 12. Aduerte hîc, ideò dici dictos Prophetas habitaſſe in Carmelo, non quòd perpetuò & ſine aliqua loci mutatione ſemper ibi habitauerint; hoc enim falſum eſt: nam Deo mouente & charitate perurgente ibant ad alia loca; & Elias fuit in Galgala tempore tranſlationis ſuæ, & ex ripa Iordanis aſſumptus fuit in cælum, vt ex 3. & 4. Regum 2. deducitur: ſed ideò dicitur illos in monte Carmelo continuò habitaſſe, quia illum pro ſuo domicilio elegerunt; ibique pro maiori parte habitabant, & habitaſſent ſemper contemplationi vacando, niſi aliter ordinatum fuiſſet à Deo, vt, ſolitudine relicta, ad ciuitates & loca hominum concurſu celebria proficiſcerentur, actioni etiam vacando propter maiorem Dei gloriam & animarum ſalutem. *Quomodo in Carmelo continuò manſerunt.*

Ioannes Ieroſolymitanus antè citatus inquit, Eliam feciſſe in monte Carmelo oratorium, & per ſexdecim annos ibi manſiſſe vſque ad ſuam tranſlationem.

Huius dicti priorem partem expendens P. Suarez citatus, inquit num. 11. coniectura fortaſſe vel traditione aſſertum eſſe; nam apud alios Auctores de illo ſacello nihil expreſſum ſe inuenire aſſerit: & addit ex Hiſtoricis & Coſmographis, fuiſſe in illo monte ſpeluncam, & forſan Eliæ, vt ex Brocardo retulit Adrichomius; vt etiam eſt veriſimile, fuiſſe ibi aliquem locum cultui Dei dicatum. Præterea inquit, Cedrenum in Compendio Hiſtoriæ in Baſilio referre, templum Eliæ per Baſilium Imperatorem fuiſſe reſtitutum, vt meminit Baronius in Scholiis ad Rom. Martyr. die 20. Iulij; vbi ait etiam extare Epigramma D. Gregorij Nazianz. de æde Eliæ *Dominicam* nuncupata; quæ poſſunt intelligi de templo Eliæ, id eſt ædificato ab Elia: & ſic confirmant dictam ſententiam. Vel de templo Eliæ, id eſt, dicato Deo in honorem Eliæ: & in hoc ſenſu non ita directè faciunt ad rem præſentem, ſed alludunt ad ædem ſacram, quam dicitur Helena mater Conſtantini ædificaſſe in monte Eliæ Thesbitæ, vt ſignificat Nicephorus lib. 8. c. 3. vbi licet non ponat expreſsè montem Carmelum, videtur tamen de illo loqui cùm ait, in acclivitate montis ædificaſſe Helenam pulcherrimam ædem Eliæ Prophetæ, &c.

4. Reg. 2. 12. Aduertendum etiam, Eliæ ſectatores poſt aduentum Spiritus ſancti in eodem monte

Digitized by Google

Ibi Prophetarum filij Deiparæ Ecclesiam erexerunt.

erexiſſe Deo in honorem Deiparæ Virginis Mariæ ſacram ædem, vt poſteà dicemus. Atque ex his apparet, plures recenſeri Eccleſiarum auctores, vel reſtauratores earumdem; & non videtur dubio vertendum, loci ſanctitate conſiderata, quòd fuerit plurium ſanctorum virorum habitatio.

Sed quod aſſertum fuit de ſacello ab ipſo Elia erecto, mihi probabile reddi videtur ex 4. Reg. 4. vt adduximus; quia tempore Eliſei eò ſe conferebant Iudæi ſtatutis diebus ad adorandum Dominum: igitur ex tempore Eliæ magiſtri, ac conſequenter, debuit eſſe locus ab humanis vſibus ſeparatus, & diuinis dicatus; & hunc dedicaſſe Eliam par eſt credere, quoniam dumtaxat à tempore Eliæ Carmelus venerationi haberi cœpit. Et hoc tantò magis verum erit, ſi aliud quod diximus verum eſt, in illo antro montis aliud minus excauatum eſſe, nomine Prophetæ *Antrum Eliæ* nuncupatum.

Ex Carmelo monte Carmelitana Religionis origo.

Quantum ad tertium ſuperius propoſitum, quomodo ex Carmelo monte & Elia originem traxerit ſacra Carmelitarum Religio, dico id haberi ex antiqua fatiſque recepta traditione; vnde & à monte nomen mutuauit, & Eliam Patrem cognoſcit. Cui quidem traditioni tamquam veræ teſtimonium perhibuerunt ſeptem Summi Pontifices, Sixtus IV. Ioannes XXII. Iulius III. Pius V. Gregorius XIII. Sixtus V. & Clemens VIII. in Bullis huic Ordini conceſſis: de profeſſoribus huius ſacri Inſtituti ita loquuntur: *Tamquam Religionis ſpeculum & exemplar charitate fulgentes, ſanctorumq; Prophetarum Eliæ & Eliſei, & aliorum Patrum, qui montem ſanctum iuxta Eliæ fontem habitarunt, ſucceſſionem hereditariam tenentes*, &c. Vnde Sixtus V. huic Religioni conceſſit, vt Eliam & Eliſeum tamquam ſuæ Inſtitutionis Patronos coleret, dies feſtos in eorum honorem celebrando, propriaque Officia in eorum memoriam recitando: quod ipſa Religio ſtudiosè ſeruat, & in ipſo Officio nomen & ſolemnitatem Patroni Eliæ agnoſcit.

Modus explicatur.

Qualiter autem id acciderit, atque origo & ſucceſſio Carmelitanæ Religionis vſque ad poſteriora tempora protracta fuerit, in proprio Officio Ordinis Carmelitarum, pro Fratribus Diſcalceatis eiuſdem Ordinis à Romana Sede approbato, in hunc modum explicatur: *Poſt inuiſibilem Spiritus ſancti aduentum ſuper Apoſtolos in die ſancto Penteceſtes, & Euangelij prædicationem ſignis confirmatam per eoſdem ſanctos Apoſtolos, viri plurimi, qui veſtigijs ſanctorum Prophetarum Eliæ ac Eliſei inſtiterant, & Ioannis Baptiſtæ præconio ad Chriſti aduentum comparati fuerant, rerum veritate perſpecta atque probata, Euangelicam fidem confeſtim amplexati ſunt; ac peculiari quodam affectu beatiſſimam Virginem (cuius colloquijs & familiaritate feliciter frui potuere) adeò venerari cœperunt, vt primi omnium in eo montis Carmeli loco, vbi Elias olim aſcendentem nebulam Virginis typo inſignem conſpexerat, eidem purißimæ Virgini ſacellum conſtruxerint. Ad nouum ergo ſacellum ſæpè quotidie conuenientes, ritibus pijs, precationibus ac laudibus beatißimam Virginem velut ſingularem Ordinis tutelam colebant. Quamobrem Fratres beatæ Mariæ de monte Carmelo paſſim ab omnibus appellari cœperunt; eumq; titulum Summi Pontifices non modò confirmarunt, ſed & Indulgentias peculiares iis, qui eo titulo vel Ordinem vel Fratres ſingulos nuncuparent, conceſſerunt*, &c. Hactenus ibi.

Adrichomius vbi ſuprà num. 16. in extremitate montis Carmeli deſignat locum, Cain montem, fontem & caſtrum appellatum, vbi Lamech cæcutiens ſenectute Cain ignoranter interfecit, Geneſ. 4, 23. Et hæc ſatis de monte Carmelo.

Vbi Cain interfectus.

CAPVT IV.

De Caiphas ciuitate maritima, quarto loco octauæ Peregrinationis.

Caiphas ciuitatis ſitus, auctor, & dignitas.

CAiphas à Guilielmo Tyri Epiſcopo *Perſina* dicitur, & *Porphyria*: vrbs maritima, ad Carmeli montis radices parte Aquilonari ſita, extructa à Caipha Pontifice, & à ſuo nomine appellata. Habuit Epiſcopum ſuffraganeum, quo tempore à Chriſtianis poſſidebatur. Adrichomius in Iſſachar num. 17.

Portus maris.

His addo, in præſentia eſſe ibi modicum maris portum, & diuerſorium; in quod è mari deſcendentes ſe recipiunt: reliqua diruta & humo operta ſunt.

CAPVT V.

De Ptolemaide, ſiue Acone, ciuitate maritima, quinto loco octauæ Peregrinationis.

Ptolemaidis nomina, & eorum ratio.

PTolemais, ſiue Ptolemaida, à Ptolemæo Ægypti Rege ſic dicta, quæ priùs *Accho* ſiue *Aco* appellabatur, Abulenſi Accaron credita, vna ex quinque præcipuis Philiſthinorum vrbibus, Ioſ. 13, 3. 1. Reg. 6. v. 17. in præſentia *Acri* vulgò appellata. Vel Ptolemaida & Acon dicta, quia condita à Ptolemæo & Acone fratribus, vt placet Marino Sanuto, non ignobili inter Scriptores geſtorum Dei per Francos auctore,

Abulenſ. in Ioſ. c. 15.

Part.

Part.6.ſecretorum Crucis cap.4. & cap. 24. antiquitus etiam *Abyron* nuncupata, maritima & celebris ciuitas: ad cuius portam Auſtralem optimus Syriæ portus eſt. Ciuitas iſta ditiſſimum eſt Emporium Orientis & Occidentis. In Terræ ſanctæ diſtributione obtigit tribui Aſer, etſi numquam ab Aſeritis poſſeſſa: tribus muris & turribus munitiſſima, in optimo ſolo ſita; cuius circumiacens regio irrigatur flumine, valdeque fecunda eſt, dignaque vt Regia & Epiſcopali dignitate inſigniretur.

Eſt in tribu Aſer, etſi ab Aſeritis nunquam poſſeſſa.

Regia & Epiſcopali ſede decorata.

Si hæc vrbs fuit Accaron, vt ſenſit Abulenſis, & ſuffragantur alij; videturq; perſuaderi ex ſitu qui ei præſcribitur Ioſue 13, 3. quòd ſit Borealis omnium Satrapiarum Philiſthinorum: & verè illarum reſpectu Borealis eſt. Si inquam Accaron eſt, dedit eam in poſſeſſionem Alexander Ionathæ. Cæſis in ea ducentis Philiſthæis, eorum præputia Dauid detulit Sauli in dotem pro nuptiis Michol filiæ ſuæ. In eadem vrbe pro Deo colebatur idolum Beelzebub: quod cùm pro valetudine ſua conſuluiſſet Ochozias Rex Iſraël, ab Elia mortis præ-nuntium accepit. Et frequens eius in Scriptura mentio eſt.

Acta in ea. 1. Mach. 10, 89. 2. Reg. 18, 27.

4 Reg. 1, 2.

Plura de ea in eius mutationibus ſcribit Adrichomius in Aſer num. 66. quem tu conſule: & nos ſequentia ex aliis fide dignis Auctoribus præſenti & ſequenti Capite in idem argumentum ſubiiciemus.

Poſtquam vltimò, anno Domini 1187. capta fuit Ieroſolyma, & ex ea electi fuerunt à Mahometanis Chriſtiani Principes cum alijs fidelibus, illamque ſub Ioanne Brenna, vltimo in ea Rege coronato, ſibi comparauit Ægypti Rex Saladinus, Equites Hoſpitalarij ſancti Sepulchri, & alij auctoritatis viri rebus ſuis conſulentes, ſe ad magnificam & munitam hanc receperunt ciuitatem, ſingulare illis in Terra ſancta refugium & aſylum. Deinde verò non ſub vnius Principis regimine vrbs hæc manſit, ſed plures, XIX. videlicet in ea imperabant: in decem & nouem partes diſtributa eſt, & ſingulis ſingulæ partes gubernandæ tributæ fuerunt, omnesque gabellas, datia & prouentus ſuos exigebant: vnus alteri non ſubdebatur, ſed omnes ſua iura dicebant, & iuſtitiam adminiſtrabant, ſinguliſque ſuas habebant curias.

Vltimò à Saracenis Ieroſolyma capta, plurimi Magnatum refugium fuit.

Curiæ quæ Accone ſimul habitarunt.

I. Curia erat Regum Ieruſalem, qui in ea ciuitate fuerant coronati poſt illius recuperationem; & Reges Cypri eam occupabant. II. erat Regum Neapolis & Siciliæ, qui nomen & ſtemmata Regum Ieruſalem retinebant, & contra Reges Cypri de iis contendebant. III. erat Principis Antiochiæ. IV. Comitis Ioppen. V. Patriarchæ Ieroſolymitani, & ſuorum ſancti Sepulchri Equitum. VI. erat Legati Papæ. VII. Comitis Tripolitani de Toloſa. VIII. Principis Galilææ. IX. erat Magni Magiſtri Templariorum. X. Equitum Hoſpitalenſium. XI. Magni Magiſtri fratrum Teutonicorum. XII. erat Magni Magiſtri Ordinis S. Lazari. XIII. Reipublicæ Venetæ. XIV. Reipublicæ Genuenſis. XV. Reipublicæ Piſanorum. XVI. Reipublicæ Florentinæ. XVII. Regis Armeniæ. XVIII. Principis Tarenti in Sicilia. XIX. denique Curia erat Ducis Athenienſium.

Propter tantam abſolutorum Principum multitudinem & nationum varietatem, in pace & concordia conſeruari non poterant; ideò multæ rixæ & diſſenſiones inter ipſos excitabantur non rarò, & multa enormia perpetrabantur facinora, homicidia, latrocinia, adulteria, &c. quæ & impunita pro maiori parte remanebant; quoniam talia perpetrantes in vnius Principis ditione, & quæſiti vt multarentur, ad alterius Principis dominium confugientes, indemnes & à debita illis pœna liberi remanebant. Hinc ſceleribus abundantibus, & iuſtitia deficiente, & vrbem cum habitantibus deficere neceſſe fuit.

Ex multitudine diſcordia.

Omen verò defectionis Aconenſis vrbis præceſſit in finitimarum vrbium vaſtatione & depopulatione. Anno namque Domini 1290. Ægypti Rex, numeroſo ac potentiſſimo inſtructo exercitu, venit in Syriam, & valida manu cepit præcipuas vrbes cum ſuis ditionibus, Tripolim, Sidonem, Tyrum, Birutum, & totum Antiochiæ Principatum, Acone excepta; maioribus pœnis à Deo iuxta qualitatem criminum reſeruata, vt mox videbimus.

Aliarum vrbium vaſtatio omen Acon. menſis.

CAPVT VI.

De expugnatione Ptolemaidis per Soldanum Ægypti, & de Minoribus ac Clariſſis, qui in illa viriliter martyrium obierunt.

POſt tot debellatos Chriſtianos, & expugnatas vrbes, Soldanus, id eſt, Ægypti Rex, inducias quinque annorum fecit cum Chriſtianis, qui intra munitiſſimam Aconenſem vrbem ſe receperant, vnicum illis refugium expulſis ab alijs. Sed vt plena erat hominibus, præſertim caſtra ſequentibus, ita & iniquitatibus: infideles facti ſunt Deo, & hominibus fidem fregerunt: quare iuſtus Dominus permiſit vt contra illos venirent Saraceni, vt pluribus explicat D. Antoninus tit. 20. cap. 5. §. 9. vindicans

Inducia ab Rege Ægypti & Chriſtianis facta.

cans inimicos ſuos de inimicis ſuis. Etenim cùm in ea vrbe eſſent circa octodecim millia hominum peregrinorum cruce ſignatorum, &, præter alios, 1400. equi, quos ibi Nicolaus IV. Pontifex maximus ſuſtentabat; cumque illis deficerent ſtipendia debita à dominis & communitatibus, pro quibus conducti fuerant, cibariorum inopia multos coëgit è ciuitate egredi; ac foris manentes, per fas & nefas vitam tranſegerunt.

Chriſtiani ſuis ſceleribus inducias frangunt.

Seſe enim expoſuerunt ad prædandum & occidendum Saracenos venientes Acram; ſicque violatæ ſunt treugæ per Chriſtianos, contra Saracenos deferentes mercimonia & cibaria ſub immunitate treugæ, ipſis ſpoliatis & occiſis, & incenſis caſis vicinis dictæ ciuitati. Eapropter Soldanus miſit Oratores ſuos ad dominos qui erant in Acra, querelam faciens de treugis violatis, & damnis illatis, petens vindicari iniurias, & mitti aliquos ex illis, qui primi fuerunt ad frangendum treugam, vt de illis ſupplicium ſumeretur; quod illi denegarunt.

Rex Ægypti offenſus vindictam ſumit, & Acconem obſedit.

Et propterea Melec-Seraph Soldanus Ægypti anno Domini 1291. vindicaturus iniurias venit ad obſidendum Aconem; & potentiſſimo exercitu ſexaginta millium equitum, & centum ſexaginta millium peditum, die quinto Aprilis obſedit eam. Et quamuis interiùs exiſtentes ſtrenuè ſe geſſerint, nequiuerunt tamen potentiæ Mahumetiſtarum reſiſtere. Tanta namque erat multitudo Maurorum, vt breui completa foſſa profunda, quæ erat in ea parte ciuitatis, quæ eſt verſus terram & aliam partem murorum ciuitatis, concauitatibus ſub terra factis & aliis modis ruere fecerint, capientes turrim magnam & fortiſſimam, quæ dicebatur Maledicta. His tamen hoſtium conatibus ciuitas non eſt capta, ſed viriliter reſiſtebat. Et quod Saraceni deſtruebant in muris de die, ciues de nocte reparabant diuerſis modis & rebus. Ceterùm, non valentes ampliùs reſiſtere viribus Saracenorum, ceſſerunt. Et Soldanus illuſtriſſimam vrbem obtinuit die 4. Maij, non abſq; ingenti Chriſtianorum clade: ex quibus ſexaginta millia deſiderata ſunt; quorum potiorem partem gladius deuorauit, partem alteram ignis abſumpſit, tertiam mare deglutiuit, pugnante orbe terrarum contra inſenſatos; qui, dum pace potiti ſunt, Terram ſanctam ſceleribus & vitiis contaminarunt, & in belli diſcrimine conſtituti, mutuis odiis atque diſſidiis exarſerunt, donec hanc & quindecim alias ciuitates perdiderunt, & deletæ ſunt in illa regione reliquiæ Chriſtianorum. Verè illis aggrauata eſt via maris trans Iordanem Galilææ gentium; ſed inſtus Dominus & rectus, qui fecit illis ſecundùm nequitiam adinuentionum ipſorum: propter iniuſtitias enim ſuas humiliati ſunt. Miſerum totius rei euentum, præter Antoninum, narrat Rubeus in Vita Nicolai IV. referente P. Luca VVadingo, Annalium Minorum Scriptore, Tom. 2. ann. Chriſti 1291. num. 1.

Iuſtitia Dei in filios impietatis reuelata.

Cedunt Chriſtiani, & Soldanus vrbem occupat.

In illo communi exitio, ſuccenſa Minorum Fratrum æde, perierunt plerique Minores: ex quibus hi duo notiores ex nomine, Fr. Iacobus Cuſtos Syriæ, & Fr. Ieremias ſocius eiuſdem, referuntur. Horum meminit Auctor Conformitatum ſancti Franciſci lib. 1. fructu 8. De Prouincia Terræ ſanctæ; locum tamen martyrij & tempus ſilentio ſuppreſſit.

Tunc Minores aliqui occiſi.

In ſecunda Parte Chronic. Ordinis Minorum lib. 5. cap. 15. de eiſdem Martyribus ſermo eſt (Soldanus Ægypti ibi appellatur Melciaſa, ſed nil refert, quoniam potuit pluribus appellari nominibus) & cum illis fuiſſe ſex alios Minores interfectos.

Ad hæc, per Mauros decollatum fuiſſe Fratrem Coradum de Albis: de quo dicitur, quòd ſuper corpus eius in mare proiectum, in procellis ſtabant duo luminaria per triduum; quæ multi viderunt, confitentes miſſa à Deo fuiſſe ad gloriam Martyris præmonſtrandam.

Item eodem tempore duo alij Minores, vnus ſenex, & alter iuuenis, decoriati fuerunt in capitibus à Saracenis. De eiſdem agit citatus Auctor Conformitatum. Nihilominùs in communi illa ſtrage quidam euaſerunt ex Fratribus cum aliis ſecretâ fugâ dilapſis; at ex virginibus Clariſſis nulla.

Clariſſarum interfectio, puritatis egregium exemplum oſtentans.

Erat Acone, inquit D. Antoninus tit. 24. cap. 9. §. 11. *ſolemne Monaſterium S. Clarę ſororum: quarum Abbatiſſa, virilis pectoris femina, cùm audiret Saracenos in ciuitatem irrupiſſe, zelo caſtitatis ſeruandæ Chriſto ſponſo, ad tintinnabuli ſonum euocatas omnes ſorores potenti ſermone perſuaſit, vt eſſent fortes in fide Sponſo promiſſa, & virgineum thorum conſtanter vellent immaculatum ſeruare. Femineum, inquit, animum, charißimæ filiæ & præſtantißimæ ſorores, in certo vitæ & pudicitiæ diſcrimine hîc oportet exuere. Pro foribus adſunt non tam corporis quàm animæ hoſtes; qui poſtquam libidinoſo furore obuias quaſque ſtupris commaculant, gladiis transfigunt: ſecundum hoc in præſenti rerum ſtatu euadere iam non licet, primum euertamus hoc ſecuro, licet duro conſilio. Decor feminarum plerumque viros capere ſolet, tollamus incentiuum hoc; vt vnde violandarum virginum deſumitur occaſio, inde tuendæ pudicitiæ proueniat remedium. For-*

ma

ma corrumpenda est, vt pudor integer incorruptaq; permaneat virginitas. Ego exemplo præibo: quæ immaculato Sponso immaculata cupiunt occurrere, operis imitentur magistram. His dictis, statim nouacula sibi nasum abscidit; reliquæ verò idipsum intrepidè fecerunt, speciosas facies variis ictibus deformantes, vt speciosæ occurrerent Christo, & meliorem inuenirent resurrectionem. Hac sanè ratione impolluta seruant corpora. Etenim Saracenis, dum cruenta facie & horrendo occurrunt spectaculo, horrori fiunt, non libidini: quare ex sæuo Christiani nominis odio omnes ad vnam crudeliter trucidarunt, virginitatisq; gloria fortiter conseruata martyrij lauream addiderunt.

An liceat sibi mortem inferre, vel illius periculo se exponere ex desiderio martyrij, tractauimus Libro IV. Cap. VII. secundæ Peregrinationis. Sed quæstionem in particulari de Sanctimonialibus Aconensibus, an inquam ex desiderio seruandæ castitatis laudabiliter ac meritorie sibi nares præciderint, mortisque periculo se exposuerint, Capite sequenti explicabimus.

Sæuit Tyrannus in ædificia sacra & profana.

Et barbarus ille furor nedum in homines, sed in ipsa desæuit ædificia. *Nec immortales modò*, inquit Æmilius de his loquens, *atrox barbari victoris ira sæuiit, sed vt ad Tripolim factum fuerat, publica priuataq; ædificia, templa Superûm euersa, refossa fundamenta, ne indicium vllum euersæ, ne monumentum vrbis extaret.* Hæc ille. Et Antoninus loco citato §. 10. inquit: *Existla autem captura & amissione ciuitatis de Acra capta à Saracenis, mercatores magna damna substantiarum incurrerunt. Nec immeritò;* Sap. 11. *quia, vt ait Sapiens, Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur. Congregant enim vt plurimùm perfas & nefas.* Addere possumus ex eodem ibi §. 9. omnes pœnæ subiectos fuisse, quia omnes fuere culpa inuoluti.

Cum iustitia diuina misericordia offensa.

Enituit tamen in illo iudicio etiam insignis Dei misericordia: *Neque hoc*, inquit, *sine magno & iusto iudicio Dei. Nam habitatores eius, etsi nomine Christiani, re autem infidelibus erant deteriores, repleti omni iniquitate & lasciuia. Ideò in præsenti Deus supplicia reddidit, ne in æternum eos puniret; qui in tam sæua morte ad Deum sunt reuersi, & ne impœnitentes ex eis diutiùs viuentes, maiores sibi acquirerent cruciatus.*

Ex ruinis amplitudo dijudicatur ciuitatis.

Et si per excessum locutus fuerit Æmilius, dicens, adeò fuisse desolatam Aconem, vt ne iudicium quidem illius remanserit; in præsentia nihilominùs verè destructa est, & ferè sepulta tota in sabulo, in quo fundata fuerat. Dignoscitur tamen non obscurè, quanta fuerit huius vrbis amplitudo & magnificentia. Adhuc apparet, ibi multas fuisse subterraneas habitationes, egregia templa, & alia ædificia. Tamen nec Minorum nec Clarissarum Conuentus memoria est: tantùm illi acceperunt hospitiolum, in quo recipiuntur aduenientes Fratres, & moram trahunt ministrantes Sacramenta fidelibus. Insigne monstratur templum D. Ioannis Baptistæ ad littus maris, etsi valde dirutum, & simile alteri eidem sancto Mellitæ dicato. Est ibi diuersorium, in quo se mercatores & viatores recipiunt. Pauci in ea habitant: & ciuitas plena populo conuersa est in desertum à malitia inhabitantium in ea. Distat à Caiphas millaribus quindecim.

Insigne templum S. Ioannis Baptistæ templum.

CAPVT VII.

Laudabiliterne Aconenses Clarissæ pro tuenda castitate sibi nares præciderunt?

PRopositam difficultatem tangit D. Antoninus tit. 24. cap. 9. §. 10. & Auctor Annalium Minorum anno Christi 1291. num. 2. Et quoniam huius difficultatis explicatio ex huius quæstionis solutione pendet, an liceat cuipiam mortem sibi ipsi inferre, vel seipsum mutilare ob tuendam castitatem, vel ob alium similem honestum finem; & nos eamdem elucidabimus, vt ex communi solutione particularem percipiamus. Tractant hanc quæstionem sanctus Augustinus lib. 1. de Ciuit. cap. 17. & seq. D. Thomas 2. 2. quæst. 64. artic. 5. & ibi alij Theologi, & etiam Canonistæ ad 23. q. 5. cap. *Si non licet*. Nos ex ipsis pauca ad intentum adducemus.

Pars affirmatiua quæstionis tripliciter probatur.

Et quòd dictæ Sanctimoniales virtuosè ac laudabiliter pro castitate tuenda in seipsas proprias manus iniecerint, sibi nares abscindendo, tripliciter probatur, auctoritate, exemplo & ratione. Auctoritas in primis est D. Hieronymi relati 2. 2. q. 5. c. *Non est nostrum. In persecutionibus*, inquit, *non licet mihi propria perire manu, absque eo, vbi castitas periclitatur.*

Primò, auctoritate.

Deinde omnes illi, qui præcipuis laudibus extulerunt viros vel mulieres illas, quæ vel ob tuendam castitatem, vel ne idolis sacrificare compellerentur, vel ob alium honestum finem sibi oculos effoderunt, linguam præciderunt, vel in profluentem gurgitem & in ipsum ignem proiecerunt, alióve mortis genere vitam sibi ademerunt, huic sententiæ testimonium perhibent.

Secundò, exemplis.

Secundò, idem probatur exemplis, ex sacris Litteris & Ecclesiasticis aliis Scriptoribus petitis. Samson seipsum interemit, vt ih lib. Iudicum legimus; & tantum abest, quòd

Digitized by Google

quòd perperàm fecerit, vt, ac ſi inſigne opus fecerit, in Sanctorum Catalogo reponatur à D. Paulo ad Hebræos ſcribente. Hebr. 11, 32.

De Razia venerando Iudæorum ſene, qui, ne Dei hoſtibus ludibrio eſſet, ab eiſdemque occideretur, in ſeipſum violentas intulit manus: & factum illius laudari videtur in Hiſtoria Machabæorum, vbi iſta leguntur de eo: *Cùm iam comprehenderetur, gladio ſe petiit; eligens nobiliter mori potiùs, quàm ſubditus fieri peccatoribus*, &c. 2. Machab. 14, 41.

Sancta Apollonia non quidem membrum aliquod ſibi præcidit, ſed vltrò ſe totam in flammas proiecit: & talis actio nedum damnatur, ſed multùm ab Eccleſia laudatur; vnde ipſius etiam natalitium diem de Virgine ac Martyre celebrat.

S. Ambroſius refert, Mediolani illuſtrem quamdam feminam nomine Pelagiam cum filiabus ſuis virginibus, capta ea vrbe ab hoſtibus, cùm quidam milites ſtuprare eas vellent, ſimulaſſe lætitiam, ac poſtulaſſe, vt concederetur eis choros aliquos priùs ducere, eoſque ducendo, per muros ſe præcipites dediſſe in profluentem fluuium; eaſque Ambroſius vt Sanctas laudat. Lib. 3. de Virginib.

Euſebius item Cęſarienſis Epiſcopus commendat mulierem Antiochenam & geminas filias virgines, corporis pulchritudine & ætate integra præſtantes, quòd ſe in profluentem gurgitem proiecerint, ne eis abuterentur nefarij ſatellites. Et plura alia his ſimilibus exempla laudantur in Eccleſiaſticis tabulis. Lib. 4. Hiſt. Eccl. c. 14.

Tertiò, rationibus. Prima. Tertiò denique, multiplex ratio idem ſuadet. Primò, quia ſe occidere vel mutilare non eſt per ſe malum, cùm Dei inſtinctu & auctoritate fieri poſſit, nemine contradicente; ſed quod non eſt per ſe & intrinſecè malum, honeſto concurrente fine, poteſt honeſtè ac laudabiliter fieri. Deſiderium autem conſeruandæ caſtitatis & non conſentiendi in delectationem veneream, honeſtiſſimus finis eſt: pro iſto igitur licitum in ſe manus iniicere.

Secunda. Secundò, quia licitum eſt optare mortem: ſic enim Chriſtus Dominus coarctabatur deſiderio moriendi; & D. Paulus cupiebat diſſolui, &c. At quod deſiderare licet, executioni mandare cur non licebit? Luc. 12, 50. Philip. 1, 23.

Tertia. Tertiò, laudabiliter quis ſe morti exponit pro ſpirituali vel etiam pro corporali alterius ſalute, Chriſto dicente: *Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Igitur multò magis licebit exponere pro ſpirituali propria ſalute, ne inquam periclitetur, permittendo propria pollui corpora cum pericu- Ioan. 15, 13.

lo conſenſus venereæ delectationis. in tali enim caſu videtur impleri illud Saluatoris pronuntiatum: *Qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam.* Ioan. 12, 25.

Igitur ad intentum. Aconenſes Clariſſæ, vt ſe immaculatas Sponſo Ieſu conſeruarent, & ſe polluendi euitarent periculum, ne perirent in illo, nedum inculpatè, ſed laudabiliter ſibi nares præciderunt.

Vt in propoſita difficultate, quæ certa & quæ dubia, vel tantùm probabilia ſunt, appareant, tria præſtabo. Primò, quadam ſoluta difficultate, duplicem ponam diſtinctionem. Secundò, tres ſubiiciam Concluſiones. Tertiò denique, adductis argumentis ſatisfaciam.

Mors pro fide aliáve honeſta fine, martyrium eſt. Quantum ad primum, dubitatio exoritur, an liceat, ſitque laude dignum non tantùm pro Chriſto & eius fide, ſed pro qualibet virtute, vt pro tuenda caſtitate, &c. mortem appetere; & an ſit verum martyrium: D. Thom. 2. 2. quæſt. 124. artic. vltimo, Palud. & Doctores in 4. d. 49. Silueſt. & Summiſtæ in verbo *Martyrium*, concorditer fatentur eſſe; dicunt enim martyrium eſſe veritatis diuinæ teſtificationem. Ratio D. Thomæ eſt; quia opera bona facere, & mala vitare, ſunt fidei quædam proteſtationes, iuxta illud Iacobi 2. v. 18. *Ego oſtendam tibi ex operibus fidem meam.* Cui doctrinæ ſuffragatur Eccleſia, dum celebrat vel martyrium Ioannis Baptiſtæ, quem conſtat non in odium fidei eſſe interfectum, ſed quia adulterium reprehendendo, teſtificabatur vera eſſe quæ fides mandat; vel virginum, quæ non pro fide, ſed ne ſtuprarentur, vel contra votum caſtitatis emiſſum aliquid fieret, mortem cum laude à tyrannis ſuſtinuerunt. Ad diſtinctiones nunc accedamus. *Martyrium quid.*

Se occidere vel mutilare, eſſe poſitiuè vel negatiuè. Prima diſtinctio: Seipſum mutilare vel interimere (de vtroque enim idem iudicium fit) ob tuendam caſtitatem, vel ob quemcumque alium honeſtum finem, poteſt dupliciter accidere: Primò, directè ac poſitiuè, effectiuè inquam operando, vt ſe iugulando, ſe præcipitando, flammis immittendo, &c. Secundò, negatiuè & indirectè, ſcilicet, non faciendo id quo poſſet vita conſeruari, vt non ſumendo cibum, non fugiendo manus inimicorum, cùm poſſet, vel ſe offerendo certæ morti.

Et vtrumque proprio vel diuino ſpiritu. Secunda diſtinctio: Se interimere alterutro ex indicatis modis, poteſt dupliciter contingere, vel proprio conſilio, vel diuino impulſu & auctoritate.

Proprio ſpiritu, ob quemcumque honeſtum finem nè licet ſibi manus inferre. Quantum ad ſecundum, ſit prima Concluſio: Nemini licet ob quemcumque finem, quantumuis laudabilem, etiam pro virginitate tuenda, ſponte inferre ſibi manus

nus directè vel indirectè. Est sententia diui Augustini, quam Doctores communiter sequuntur; & multipliciter probatur.

Diuina & naturali lege se occidere interdictum.

Primò, quia occidere se quocumque modo, est contra ius diuinum & quintum Decalogi præceptum, *Non occides*. Vt enim argumentatur D. Augustinus, Qui seipsum occidit, hominem occidit, & sine pœnitentiæ remedio interitum incurrit æternum, sempiternamque amittit felicitatem.

Secundò, quia contra naturalem inclinationem facit, quam recepit à Deo, & bonam de conseruanda vita. *Nolumus* enim *exspoliari, sed superuestiri.* &: *Nemo vnquam carnem suam odio habuit, sed nutrit & fouet eam*, inquit S. Apostolus.

2. Cor. 5, 4. Ephes. 5, 29.

Homo non est sua vitæ dominus, sed Deus.

Tertiò, quia homo non est dominus propriæ vitæ, sed ipse Deus. *Tu es Domine*, inquit Sapiens, *qui vitæ & mortis habes potestatem.* & in Deuteronomio: *Ego occidam, & ego viuere faciam.* Et occidere absolutè inhibuit, vt diximus.

Sap. 16, 13. Deut. 32, 39.

Vita cuicumque alij temporali bono præferenda, etiam virginitati.

Quartò, quia minus bonum non est maiori bono præferendum; sed vita hominis est maius bonum quàm honor, vel quodlibet aliud temporale quod possit illi accidere. *Pellem* enim *pro pelle, & cuncta quæ habet homo, dabit pro anima sua*, dicitur apud S. Iob: ideò pro huiusmodi non est parui pendenda vita. Quare nemini licebit se interimere aut mutilare, ob carnis integritatem & virginitatem seruandam; maius quippe bonum est vita quàm illa corporis integritas, & ex illa honor prouenies. Et mulier opprobrium in corpore suo inuita patiens, apud probos & cordatos homines & Angelos honorem haud amittit, vel diminuit de gratia, virtute & merito apud Deum; quia huiusmodi non nisi actu contrario ac voluntario amittuntur; sed vbi consensus non est voluntatis, nec culpa esse potest. Optimè namque sanctus Augustinus lib. 1. de Ciuit. cap. 16. *Sit in primis positum atque firmatum, virtutem, qua rectè viuitur, ab animi sede membris corporis imperare, sanctumq; corpus vsu fieri sancta voluntatis. Qua inconcussa ac stabili permanente, quidquid alius de corpore vel in corpore fecerit, quod sine peccato proprio non valeat euitari, prater culpam esse patientis. Sed quia non solùm quod ad dolorem, verùm etiam quod ad libidinem pertinet, in corpore aliene perpetrari potest; quidquid tale perpetratum fuerit, etsi retentam constantissimo animo pudicitiam non excutit, pudorem tamen incutit: ne credatur factum cum mentis etiam voluntate, quod fieri fortasse sine carnis aliqua voluptate non potuit. Ac per hoc, & quæ se occiderunt, ne quidquam huiusmodi paterentur, quia humanus affectus eis no-*

lit ignoſci? Et quæ ſe occidere noluerunt, ne ſuo facinore alienum flagitium deuitarent, quiſquis eis hoc crimini dederit, ipſe crimine inſipientiæ non carebit. Ita S. Doctor.

Mulieri violata non perit castitas, sed ad coronam duplicatur.

Hinc mulier, quæ aliquid circa castitatem in vita & absque consensu passa est, nedum culpa caret, sed magnis encomiis tamquam de egregio opere efferenda est, & à Deo peculiari corona decoranda. Quare purissima illa virgo & martyr Lucia, cælesti repleta sapientia, Tyranno sibi stuprum comminanti, vt illam Spiritus sanctus desereret, respondit: *Si inuitam iusseris violari,* tantùm abest quòd me deserturus sit Spiritus sanctus, & virtutem castitatis amittam, quòd *castitas mihi duplicabitur ad coronam.* Quia, vt eadem virgo subiunxit, coinquinatio non fit nisi de consensu mentis.

Ecclesia in Offic. S. Lucæ.

S. Lucia dictum explicatur.

Et quomodo in proposito castitatis violentia illa absque consensu duplicabitur ad coronam? Dupliciter: Primò, quia ad debitam coronam, propter seruatam castitatem, accederet corona martyrij ex perpessione illius opprobrij & violentiæ pro Christo: vt enim dixit sanctus Augustinus, talis violenta corruptio virgini non imputatur pro turpitudinis crimine, sed pro passionis vulnere. Secundò, quia virgo occasioni vehementis tentationis oblatæ nedum mente haud consentiens, sed, quoad fieri potest, abominans, quod est actus insignis virtutis castitatis, coronæ debitæ, ob præcedentem castitatem, altera adderetur propter virilem in non consentiendo fortitudinem, sed resistendo actui illi voluptuoso; quoniam, vt sapienter dixit S. Bernardus, *quoties resliteris, toties coronaberis.*

S. Bernardi notanda sententia.

Quare nec ad vitanda & euadenda propria peccata, quæ in futurum propria fragilitate timentur, alióve respectu, licet sibi mortem inferre: quandoquidem seipsum interficere, sine Dei iussu aut aperta concessione, intrinsecè malum est; mala autem culpæ ob nullum bonum sunt facienda, Apostolo dicente, non esse facienda mala vt veniant bona: & in casu pro vitando minori malo, stupro videlicet vel fornicatione, maius perpetraretur, videlicet homicidium.

Rom. 3, 8.

Obiectionis solutio.

Neque ad oppositum faciendum est sufficiens ratio, quòd grauiora mala culpæ, propria fragilitate spectata, timeantur in futurum; tum quia illa certa, hæc incerta; tum quia nullum est malum culpæ, quod Dei auxilio, quod numquam deerit, vitari non possit; adeoque in nostra potestate est vitare peccatum, vt eo ipso quod factum aliquod non esset in nostra potestate, continuò desinet esse peccatum: quare qui ob peccata vitanda sibi manus inferret, eadem multiplicaret. Et ad hoc inter alia ad-

ducitur Concilium Bracharense relatum in cap. *Placuit*. 23. q. 5.

Homo est membrum Reipublicæ, cui inseruire tenetur.

Ac denique ad principale: Homo cùm sit Reipublicæ membrum, illi inseruire pro munere suo tenetur; ad quod inhabilis redderetur membri alicuius mutilatione, & multò magis vitæ ademptione. Optimè ac breuiter post sanctum Augustinum citatus Thomas indicauit, non licere homini seipsum interimere: *Quia*, inquit, *est contra naturalem hominis inclinationem, & contra charitatem, quia quisque tenetur diligere seipsum; & contra communitatem, cuius quilibet homo est pars; & denique contra ipsum Deum, qui nobis auctor est vitæ, & solus potest occidere & viuificare.* Ita S. Doctor 2.2. q. 64. art. 5.

De Ciuitate Dei lib. 1. c. 17. vique ad 28. & refertur in Decreto 23. q 5. c. *Si non licet.*

Dei nutu licet se occidere indirectè ac directè

Secunda Conclusio: Dei nutu & impulsu licet laudabiliter seipsum mutilare, vel etiam occidere directè vel indirectè, effectiuè vel permissiuè. Probatur; quia ex antedictis Deus est vitæ nostræ Dominus: igitur nedum licebit, sed etiam necessarium erit eidem obtemperare aliquid circa ipsam præcipienti, etsi contra commodi naturalem affectionem. Ideò laudem ac meritum sibi eximium comparauerunt, qui Spiritu sancti nutu seipsos mutilarunt vel interemerunt.

Pro ista & præcedenti Conclusione facit quod scribit sanctus Augustinus, illa Saluatoris nostri verba expendens, *Qui amat animam suam, perdet eam*, &c. *Sed vide*, inquit, *ne tibi subrepat, vt teipsum velis interimere, sic intelligendo, quòd debes odisse in hoc mundo animam tuam. Hinc enim quidam maligni atque peruersi homines, & in semetipsos crudeliores & sceleratiores homicidæ, flammis se donant, aquis se præfocant, præcipitio se collidunt, & pereunt. Hoc Christus non docuit; imò etiam diabolo præcipitium sibi suggerenti respondit: Vade Satana; scriptum est enim: Non tentabis Dominum Deum tuum.* Et hoc pro prima Conclusione, & pro secunda, quod immediatè subiungit: *Petro autem dixit, significans qua morte clarificaturus esset Deum: Cùm esses iunior, cingebas te, & ambulabas quò volebas; cùm autem senueris, alter cinget te, & & ducet quò tu non vis. Vbi satis expressit, non à seipso, sed ab alio debere occidi, qui vestigia sequitur Christi.* Et hæc quidem certa.

Ioan. 12, 25. Aug. Tract 51. in Ioan. sub medium.

non tamen propria.

Aconenses Clarissus pro castitate laudabiliter sibi parasse abscidisse, & ob secutâ mortè, martyres factas, rationi & pietati consonum est.

Tertia Conclusio: Etsi certitudine euidentiæ vel fidei nobis non constet, Monniales Aconenses illa narium abscissione laudabiliter ac meritorie fecisse pro tuenda castitate, & ex morte infidelium manibus secuta, martyrij corona fuisse donatas; probabilissimum nihilominùs est, esse à culpa immunes, laudabiliter & ductu Spiritus sancti operatas fuisse, & ex morte quam pro Christo vel conseruanda castitate perpessæ sunt, palmam martyrij consecutas fuisse. Conclusio hęc quantum ad primam partem probatur; quia cùm sibi manus inferre non liceat, nisi impulsu Spiritus sancti, & in hoc casu, de illo non constet, nec Ecclesia declarauerit, & illas in Martyrum tabulis minimè adscripserit, nec nos illud euidentiæ vel fidei certitudine asseuerare possumus.

Hinc sanctus Antoninus illarum virginum facto relato, sequens fecit iudicium: *Nempe ex eo, quòd se vulnerauerunt, nisi excusantur ex speciali instinctu Spiritus sancti hoc fecisse, secundùm communem legem graviter peccasse.* Verùm posse aliunde illarum factum excusari, etsi non fuerint ad illud motæ à Spiritu sancto, inferiùs apparebit. P. Fr. Lucas VVadingus Tom. 2. Annal. Minorum, anno Christi 1291. num. 2. pariter fatetur, non posse determinatè sciri à quo spiritu fuerint illæ ductæ, à bono an malo sub specie boni: *Neque*, ait, *certum in his secretis impulsibus & motibus internis audemus regulam præscribere; nos per aurem conscientiam conueninus, occultorum nobis iudicium non vsurpamus. Nemo scit quid agatur in homine, nisi spiritus hominis qui in ipso est.* 1. Cor. 2, 11

Secunda eiusdem Conclusionis pars probatur ex fine in primis laudabili, vt sponso suo Christo, cui voto & professione desponsatæ fuerant, impollutæ seruarentur: deinde ex arduo medio, ad quod affectus humanus non inclinat, sed recalcitrat, & diabolus communiter dissuadet, ne regnum eius dissipetur: igitur à sancto Spiritu motas fuisse ratione ac pietate suadente, satis probabiliter credere possumus. Suffragantur denique graues Scriptores, qui illarum factum, vt valdè heroicum, miris efferunt præconiis. Igitur piè sentire possumus, ex secuta per infidelium manus morte, virginitatis laureolæ alteram martyrij superadditam fuisse. Et si ignorantiæ ac simplicitatis aliquis adfuit detectus, Christi & pudicitiæ amore excusari & auferri potuit. Et hoc in argumentorum solutione magis apparebit.

Responsio ad argumenta. Ad primū in auctoritate fundatum.

Ad tertium nunc venientes, argumentis respondemus; & ad primum, sumptum ab auctoritate. Ad D. Hieronymum respondetur tripliciter: Primò, eius sententiæ fuisse videtur, licitum esse pro tuenda castitate se occidere, inquit Molina de Iustitia & Iure Tom. 4. Tract. 3. disput. 9.

Secundò, respondet idem: Si sanctus Hieronymus non fuit illius falsæ sententiæ, vt crediderit esse licitum feminas se interficere

ad

ad caſtitatem conſeruandam, dicendum eſt cum Gloſſa & Turrecremata, ibi, cum Maiore in 4.diſt. 35.quæſt. 19. & cum aliis, particulam *abſque eo* intelligendam eſſe excluſiuè; vt illa Canticorum, *abſque eo quod intrinſecus latet.* quaſi velit Hieronymus dicere, etiam quando periclitatur caſtitas.

Vel fortè tertiò; quia mulieres aliquæ in eo euentu in Eccleſia Dei excuſantur, vel propter ignorantiam, vel quia id factum eſt Dei inſtinctu, apertaque Dei motione, excluſiuè adhibuit particulam illam; non quòd iudicaret ex natura rei id eſſe licitum, ſed ſolùm in euentibus, in quibus id in Eccleſia excuſatur.

Ad ſecundum exemplum inuictū.

Ad ſecundum argumentum, in exemplis auctoritate probatorum Doctorum firmatis fundatum, dicendum, vel conſtare, illos qui ſe interemerunt, vel membrum aliquod præciderunt, fuiſſe motos à Spiritu ſancto, vel non: ſi primum, patet ſolutio ex ſecunda Concluſione; ſi ſecundum, aliter erit dicendum.

Lib. 1. de Ciuit. Dei cap. 21. & lib. 2. contra Gaudent. Epiſt. cap. 23.

Et ad id quod peculiariter dicitur de Samſone, dicendum cum D. Auguſtino, citato D. Thoma, & aliis communiter, ſe interimendo non peccaſſe, ſed meruiſſe; quia fecit inſtinctu Spiritus ſancti: & ita dicendum, quia inter Sanctos ab Apoſtolo connumeratur.

Torniel. Tom. 2. Annal. M. A. 3893. n. 6.

Ad aliud de Razia, fortè ſimili fecit afflatu, ad hoſtium confuſionem, vt Samſon & alij fecerunt: quòd ſi non egit inſtinctu Spiritus ſancti, quoniam non conſtat, laudabile ac imitandum opus non fecit; quia Deus, & non ipſe, ſuæ vitæ Dominus erat: dicitur tamen *nobiliter obiiſſe*, quia mundanæ fortitudinis exemplum reliquit; huiuſcemodi namque opera pluris faciunt huius ſæculi homines, ſecundùm quorum conſuetudinem ſæpè Scriptura ſacra loquitur.

Inſiſtitur.

Ad aliud exemplum, de ſancta Apollonia, multipliciter reſpondet Aragon in 2.2. q. 64. art. 5. Primò, quòd illa hiſtoria non eſt omnino certa; quod Auguſtino placet. At non videtur probanda reſponſio: quoniam illam vt certam recipit Eccleſia; & ſtatim ex ea adducemus.

Secundò, Si eſt vera, inquit, tam erant feminæ illæ rogo admotæ, vt eſſent pænè in eum coniectæ. Sed non placet, quia præceptum de non occidendo præſcindit à tempore; & cùm negatiuum ſit, obligat ad ſemper & pro ſemper: videns non ſatis cohærere has duas reſponſiones, alias duas ſubiecit.

Tertiò itaque dicit, quòd fecerint ex diuino inſtinctu & inſpiratione: & ita docet expreſsè de Apollonia Eccleſia in illius Officio. Comprehenſa enim ab infidelibus, qui illi minati fuerunt, accenſo rogo combuſturos viuam, niſi Chriſtum deteſtata deos coleret. Quibus illa, ſe quamuis mortem pro Ieſu Chriſti fide ſubituram, reſpondit. Itaque comprehenſa vt comburetetur, cùm pauliſper, quaſi deliberans quid agendum eſſet, ſtetiſſet, ex illorum manibus elapſa, *alacris in ignem ſibi paratum, maiori Spiritus ſancti flamma intus accenſa, ſe iniecit*, &c. Et idem ſentiendum eſſe de aliis quæ ſimiliter ſe interemerunt, & quas vt Martyres ſancta Dei veneratur Eccleſia, tradit D. Auguſtin. 1. de Ciuit. c. 26.

5. Apollonia impulſu Spiritus ſancti ſe in ignem iniecit.

Quartò denique reſpondet, quòd cùm eſſent feminæ, atque adeò iuris ſubtilitatum inſciæ, de quarum numero hæc eſt, per inuincibilem ignorantiam fuiſſe excuſatas à culpa, meritumque in illo actu retinuiſſe ex optimo fine ſanctoque zelo profecto. Si enim, inquit Molina, non ſolùm Euſebius, ſed etiam Ambroſius, &, vt videtur, Hieronymus, licitum ac ſanctum id putarunt, quis meritò dubitare poſſet, excuſandas tunc fuiſſe à culpa feminas illas in re, de iure quidem naturali, ceterùm adeò ſubtili, abſtruſa? & tantò magis credendum eſt fuiſſe in illis ignorantiam inuincibilem, quando Dei ac virtutis intuitu factum comperitur. Et ex his patet, quid dicendum ſit ad exempla à S. Ambroſio & Euſebio adducta & laudata.

Aduertitur in ratione fundatum.

Ad tertium argumentum in ratione fundatum reſpondetur; & ad primam rationem primò, ſui interemptionem non eſſe intrinſecè & abſolutè malam, vt eſt mendacium & Dei odium: malum quidem eſt intrinſecè, ſecluſa ordinatione & inſpiratione; quare, ea non exiſtente, numquam licebit ſe occidere, vel quomodolibet in ſe manus inferre, ſicut nec alium interimere propria auctoritate: citra diuinam diſpenſationem eſt intrinſecè & abſolutè malum.

Ad ſecundam rationem dicendum, illicitum eſſe ſe occidere, & mortem deſiderare à ſe exequendam: licet tamen deſiderare mortem in communi, iuſtè ſibi diuina voluntate inferendam ab aliis; imò magnum eſſet meritum illam pro Chriſto appetere, ſed magnum piaculum illam ſibi propria voluntate irrogare.

Pro alterius ſpirituali ſalute laudabiliter quis periculo corporalis mortis ſe exponit.

Ad tertium dicendum, licitum eſſe exponere quidem ſe periculo mortis pro ſpirituali alterius ſalute, non tamen pro temporali, vt docet Seraphicus Bonauentura in 3. diſt. 29. quæſt. 3. vbi dicit, ſtultum eſſe & reprehenſibile, ſalutem ſuam pro ſalute alterius ponere. Eſtque D. Auguſtini expreſſa ſententia lib. de Mend. cap. 6. vbi docet,

cet, doctrinæ regulam excedere, vitam temporalem perdere pro vita temporali alterius. Videatur Aragon loco citato in solutione 5. argumenti. Et hæc pro instituti nostri ratione satis.

CAPVT VIII.

De Saphet ciuitate Galilææ, sexto loco octauæ Peregrinationis, & Minoribus aliisque fidelibus ibidem pro fide Christi interemptis.

NOn me latet, in ista Peregrinatione ex Ioppen ad Tripolim Syriæ ciuitatem & montem Libanum, non iri ad ciuitatem Saphet, vel secus ipsam transiri; relinquitur enim ad dexteram partem; ac ideò non videbatur hîc de ista ciuitate agendum: nihilominùs, quoniam non multum distat à Ptolemaide, vt dixit beatus Antoninus, & ita est, & veniendo ex Tripoli Nazareth, vel Acone, non semel contigit per Saphet vel secus transire, & de ea aliqua scitu digna enuntiantur, conueniens iudicauimus aliquid de ipsa disserere: & cùm peregrinationem non describamus, quæ ad Saphet terminetur, vel qua illac transeatur, censuimus congruum hîc de Saphet agere, propter propinquitatem quam habet cum Acone, de qua proximè egimus. Adrichomius in Nephthali n. 88. de Saphet sequentia ex aliis litteris consignauit: *Sephet, sine Cephet, Zephet & Saphet, vrbs in tribu Nephthalim inter montana, in altissimo monte ac loco pulcherrimo sita, cuius liber Tobiæ meminit. Quæ à ciuitate Nephthalim ad sinistrum, hoc est à Septemtrione paulò plus vno milliario, & contra Austrum à castro Zabul tribus, versus Occidentem à Monte Christi totidem, contra Africum à Cedes Nephthalim quatuor, versus Orientem autem à Mari magno decem milliaribus distat.*

Sephet quid.

Tob. 1.

Hæc vna fuit ex clarissimis regionis Decapoleos ciuitatibus, ac Christianorum tempore elegantissima firmissimaq; arce munita; quæ tutum ac inexpugnabile Christianorum fuit asylum, totiusq; Galilæa munitissimum: quod Dominis militiæ Templi seruandum defendendumq; commissum erat. Rebus Christianorum in Terra sancta deficientibus, arx & vrbs hæc per deditionem in Saladini, Damascenorum & Aegyptiorum Soldani, potestatem deuenit. Qui eo cum altissimo tutissimoq; nido vtens, totam inde Galilæam, sortes scilicet tribuum Zabulon, Issachar, Manassen, Nephthalim, & Aser, omnemq; terram Ptolemaidem, Tyrum & Sidonem vsque, multo tempore sibi parere coëgit. Nunc verò Turcis paret. Hactenus ille.

D. Antoninus Saphet castrum munitissimum appellat; non quia verè ciuitas non fuerit, & sit, sed quia est ad instar castri munita; aliàs tamen ciuitas est vsque hodie mœnibus cincta & oppidò munita, vt non semel secus eam transeundo obseruaui. Et vt in ciuitate habitat Cadius Principis Sidonis, qui iudicat nedum Saphet, sed etiam alias terras eiusdem Principis. Habitatur pro maiori parte ab Hebræis (etsi gubernacula illius teneant Turcæ) in ea habent Synagogam & studium legis: pro cuius conseruatione alij Hebræi in aliis mundi partibus existentes collectas inter se eleëmosynas ad eos transmittunt.

Ciuitas ad instar castri munita.

Anno Christi 1266. Bendocdar Soldanus Babyloniæ, qui tyrannicè occiso suo antecessore dominium vsurpauit an. 1260. post varias excursiones, direptiones & prædas, cùm Ptolemaidem, quam aliquoties obsedit, expugnare non posset, venit ad castrum Saphet, obtinuitque 24. die Iunij; & contra deditionis pacta, præter Castellanum, eunctos occidit. *Obtento enim,* verba sunt Sanuti, *castro post solis occasum, misit Admiratum, suadens vt Saracenorum legem susciperent, alioquin gladio cuncti perirent. At vniuersi, duorum Fratrum Minorum, qui aderant, monitis tota nocte confortati, martyrium potiùs elegerunt, quàm Christi negare fidem; fluebatq; sanguis per montis declinium quasi aqua riuulus; fuerunt autem vltra sexcentos. Post hos verò Fratrem Iacobum de Podio, & Fratrem Ieremiam, quia ceteros in fide firmauerant, & Priorem Templariorum, excoriari fecerunt, deindè fustigari; postremò ad locum ceterorum deducti, capite cæsi sunt. Fecit autem locum Soldanus macerie circumdari, quia noctibus super corpora splendebat lux, etiam cernentibus Saracenis.* Hactenus ille. Et ad iter nostrum reuertamur.

Marian. Sanut. li. 3. p. 11. c. 18.

Duo Minoritæ cum aliis secularibus pro Christo martyrium obeunt.

CAPVT IX.

De Puteo aquarum viuentium, septimo loco octauæ Peregrinationis.

EPtolemaida vlteriùs ad Septemtrionẽ procedentibus, primò per magnam planitiem, deinde per montes, in quibus est & celebris mons Saron, & semper secus Mare magnum, post viginticinque milliaria parum extra viam occurrit locus vbi magna est aquarum copia (ac ideò eò diuertunt viatores) quæ in sacris Litteris appellatur *Puteus aquarum viuentium.* de eo enim loqui Salomonem Cantic. 4, 15. illis verbis, *Fons hortorum, Puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano;* docent

Puteus aquarum viuentium quid.

cent Cosmas Damianus Hortolanus lib. 3. Comment. in Cant. Titelmannus in illum Canticorum locum, & alij ibidem, & Adrichomius in Aser n. 67. De eodem nos hîc agentes, referemus primò quæ alij dixerunt, deinde pauca quædam à nobis obseruata subiiciemus.

Plures ex Libano fluuij.

Plures aquas fluuióve ex Libano fluere manifestum est, & in primis, Iordanem fluuium, de quo intelligenda esse præmissa Canticorum verba in ipsorum interpretatione indicat Nicolaus. *Fons*; hîc sumi debet numerus singularis pro plurali: sunt enim duo fontes ex quibus fluit Iordanis, Ior, & & Dan: quòd si in singulari numero velles accipere, secundùm hanc interpretationem, Phialam fontem posses intelligere, ex quo primò erumpit Iordanis, vt dictum fuit Lib. VI. Cap. IV. Peregrinationis VI. *hortorum* dicitur; quia excurrens per longitudinem Terræ promissionis, eam in multis alluit locis, & velut hortum fertilem facit & amœnum. *Puteus* dicitur propter abundantiam; in quem modum homo pecuniis abundans dicitur puteus pecuniarum: & aquæ istæ viuæ appellantur, quoniam non alunde originem habent, sed in ipsis est principium & scaturigo, & ex dictis fontibus de Libano cum impetu fluunt. Ad hæc, secundùm Plinium lib. 5. cap. 20. quatuor alia flumina ex monte Libano deriuantur, & per oram eis subiectam fluunt, *Magora*, *Lycus*, *Adonis*, & *Eleutherus*.

Putei nomini ratio.

Denique Titelmannus ex certissima relatione virorum fide dignissimorum, qui Terram hanc omnem diligenter perlustrarunt, &, quę narranda sunt, oculata fide perspexerunt, scribit, ad radices Libani fontem quemdam oriri, aquas optimas, frigidas & dulces iugiter & copiosè scaturientem: qui humiliter quidem primùm nasci videtur; sed subitò inualescens, fluuium facit vehementem & magnum valdè, ita vt ex eo rigentur omnes horti per circuitum, & planities tota inter Tripolim & Libanum; & velut paradisum efficit, & tribus fluminibus benè magnis mare ingreditur, &c. Et præterea in eadem regione, non longè à castro Laudaleone, esse puteum admirabilem aquarum viuentium impetu fluentium de Libano (quem Alexander Magnus obsidens Tyrum dicitur construxisse, ac Balduinus postea Rex Ierusalem Christianus denuò instauraſſe) iuxta viam ad Tyrum, quantum iacere potest arcus. Qui quamuis singulariter puteus & fons dicatur; quatuor tamen puteos siue fontes complectitur eiusdem dispositionis, sed disparis quantitatis: vnus namque illorum, qui præcipuus est, habet quadraginta cubitos latitudinis & longitudinis, totus existens quadratus; reliqui tres circiter vigintiquinque cubitos habent. Qui tamen omnes muris fortissimis, lapidibus durissimis, opere indissolubili, ad altitudinem hastæ aut ampliùs sunt circumdati. In quibus tam abundans colligitur aqua, & exaltatur, vt ex omni parte vltra muros superfluant aquæ. Sunt nihilominùs inde facti aquæductus per riuos descendentes, tantæ profunditatis & latitudinis, quantæ est statura vnius hominis. Deducuntur autem aquæ istæ per totam planitiem Tyri, & rigantur inde horti: estque terra adiacens, ratione harum aquarum, vbere satis gleba; & multa valdè commoda incolis conferunt hæ aquæ. Distant autem fontes isti à Mari magno paulò ampliùs quàm iacere possit arcus: & in modico isto spatio impellunt sex rotas molendinarias satis magnas (tantus est aquarum illarum fluxus & impetus) atque ita statim in mari absorbentur. Et fontes hortorum dici possunt fontes isti; eò quòd hortos, campos & prata omnia per circuitum rigando fecundent. Putei etiam dicuntur aquarum viuentium; eò quòd assiduè scaturiendo, aquas semper nouas copiosè eiiciant. Fluere autem dicuntur de Libano, non ad eum modum quo torrens aquarum pluuialium visibiliter de monte labitur cum impetu; sed quia principium & venas suas ex Libano habent, & quia ad pedem montis eius oriuntur. Impetu verò fluere dicuntur, propter magnam aquarum abundantiam continua scaturigine prodeuntium, vt vehemens ille aquarum ab aquis impulsus, intelligatur ipsius fluxus impetus. Hæc ex Titelmanno: ad quæ cum adductis Auctoribus arbitratur respexisse Salomonem in adductis verbis Canticorum in sponsæ laudem.

Ex illo proximi fecundauit campi.

Ab Alexandro Magno extructus, & à Balduino Ierosolymorum Rege instauratus.

Descriptio.

Quod si quis obiiciat, nullo modo ad hos puteos respicere potuisse Salomonem; quia Alexander, qui eos fecit, multo tempore post Salomonem floruit: respondet Hortolanus, ibi iam olim extitisse magnam quamdam voraginem & naturalem puteum; vnde magna vi erumpentes aquæ Alexandri animum, ad regium opus magno regionis illius commodo construendum, impulerint: & fortè ad illam respiciens Salomon singulari numero dixit, fons & hortus.

Obiectionis solutio.

Putei præsentis status descriptio.

His addo sequentia. Locus, vbi est iste puteus, est spatiosa, fecunda & pulchra planities, vbi aliquæ sunt caueæ, in quibus fortè olim erant aliqui ex memoratis puteis incuria terrigenarum destructis: nunc ibi duos dumtaxat vidi velut piscinas; alter est inferiùs in plano, alter superiùs in colle, pulchrior

chrior & maior, & maiores emanans aquas: ibi domus & molendinum: & rotæ molendinæ vſque ad proximum mare, in quod terminantur aquæ, ſunt quatuor. Et vt mari proximus eſt, vt fuit dictum; ita diſtat à Tyro, maritima proximori ciuitate, non tantùm paruo milliario, vt dixit citatus Adrichomius, ſed quinque circiter milliaribus ad Septemtrionem ipſius. Aquæductus illi magni quidem & multi, ſed nunc pro maiori parte conſumpti. Olim, vt accepi, nedum Tyrum ducebantur illæ aquæ, ſed vſque ad Sidonem; verùm in præſentia ad neutram ex his ciuitatibus deuehuntur, ſed deperduntur, & dilabuntur in proximos campos & mare.

Et propter dicta celebris eſt quidem memoratus puteus; ſed multò celebrior, quoniam Reparatoris noſtri corporali præſentia fuit condecoratus. *In Tyri territorio*, inquit Iacobus de Vitriaco S. R. Eccleſiæ Cardinalis, *in loco aliquantulùm edito, eſt fons, ſiue puteus, iuxta quem feſſus ex itinere dicitur quieuiſſe Dominus, cùm tranſiret per fines Sidonis & Tyri: habet autem aquas limpidiſſimas intrinſecus ita copiosè ſcaturientes, quòd omnia pomaria, & hortos olerum, & vniuerſam irrigat regionem. Hunc Salomon in Canticis Puteum aquarum viuentium appellat.* Hæc ille. Probabilitatem habet adducta traditio; quoniam ad hunc fontem, propter aquarum commoditatem, communiter diuertere ſolent viatores. Quare cùm certum ſit ex Euangelio, Chriſtum Dominum per has partes tranſiſſe, & in ciuitatem haud fuiſſe ingreſſum, ne eſſet Iudæis ſcandalo, quia Gentium erat; ideò perquam probabile eſt, ad hunc fontem cum ſuis diuertiſſe diſcipulis, & ex defatigatione ac laſſitudine ſuper eum ſediſſe, & ex aquis illius bibiſſe.

In Hiſt. Ieroſol. c. 43. *Chriſti & Apoſtolorũ præſentia illuſtratus.*

CAPVT X.

De Tyro ciuitate maritima, octauo loco octauæ Peregrinationis.

Tyrus quid. TYrus, ſiue, vt nunc vulgò ab omnibus dicitur, *Sur*, ciuitas olim intra mare in rupe fortiſſima ædificata, & ab eodem cincta, ſed nunc peninſula eſt: multis ex plaga eius Orientali aggeribus coniectis, per terram factus eſt ad eam acceſſus. Vrbs omnium, quas Phœnicia habet, maxima & florentiſſima, eiuſdemque metropolis, domina maris, totiuſque orbis emporium, &, propter negotiationem, hominum frequentiam, opulentiam & amœnitatem, apud ſacros & profanos Scriptores celeberrima, Regia priùs, poſtea Chriſtianorum tempore Archiepiſcopali dignitate condecorata fuit. Turribus, muris, publicis ac priuatis ædificiis egregiiſque templis olim munita & exornata fuit, multis Reliquiis Martyriisque Sanctorum condecorata: in ea etiam Origenes ſepultus fuit. Dicitur etiam, Tyrum voluiſſe Chriſtum recipere ambulantem in maritima Syriæ. Nunc redacta ſub poteſtatem Turcarum, diruta & demolita iacet, vt aliæ derelictæ Maurorum vrbes. Magnæ dumtaxat marmoreæ columnæ & ingentia ædificiorum fundamenta & ruinæ videntur; ex quibus facilè diiudicatur, quanta illius fuerit magnificentia, & quàm egregium & illuſtre templum. Eſt quidem ibi portus maris, ſed rarus nauium acceſſus; quia nullæ merces, & pauci ibi ſunt habitatores. Diſtat à Fonte ſignato circa quinque milliaria, licet Adrichomius propinquiorem faciat. Agit ille de Tyro plu-

Archiepiſcopalis.

De Tyro Adamnan. agit lib. 1. cap. 16. de Locis ſanctis, Vitriac. & alij.

ribus in Aſer num. 84. de Tyro antiqua paucis num. 86.

Ab Orientali illius porta, quàm procul arcus bis iacere poteſt, inquit magnum quemdam lapidem in medio arenæ oſtendi, ſuper quem Chriſtum ſtetiſſe & prædicaſſe dicitur; vbi etiam mulier quædam extollens vocem de turba dixit Chriſto: *Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ ſuxiſti*, vt dicitur Luc. 11, 27. Qui lapis, ob honorem Domini, numquam arena ſeu puluere aut niue tegi dicitur; quamuis aſſiduo pænè ventorum afflatu arena ibi agitetur.

Lapis vbi Chriſtus ſedit.

Qui additionem fecit ad Hiſtoriam Scholaſticam, ad cap. 79. ſuper Euangelia de eodem lapide ſic ſcribit: *Ante Tyrum fuit lapis marmoreus grandis, ſuper quem ſedit Ieſus: illæſus tempore Gentium, ſed poſtea à Francis & Venetianis mutilatus; ſupra cuius reſiduum in honorem Saluatoris Eccleſia conſtructa eſt.* Hæc ille. Huius lapidis meminit etiam Vitriacus.

Quantum ad id quod Adrichomius dicit de muliere quæ Chriſtum laudauit, quod & legi in vetuſto manuſcripto locorum Terræ ſanctæ, & alibi; mihi probabilius videtur dicendum cum eodem Adrichomio in Vita Chriſti ſub anno 32. illud accidiſſe apud Capharnaum, & non Tyrum; vel certè apud mare Galilææ, & non magnum, vt facilè ex Euangelio poteſt deduci.

Vbi Chriſtus ab Euangelica muliere laudatus.

Nolo hîc præterire quod occurrit memorabile Ethnicæ pietatis erga templa exemplum. Valerius Maximus ſcribit, quando Alexander Magnus Tyrum cepit, adeò furibundum ingreſſum fuiſſe, vt ſex millia ſatellitum iugularit, aliaque duo millia

Exemplum religionis Alexandri erga templum.

iuxta

Ezech. 27. Iſa. 23. Oſe. 9.

Regia ciuitas.

d by Google

iuxtá mare crucifixerit; nihilominùs tamen iis omnibus peperciſſe refert, quos incluſos in templo reperit: vt intelligeremus, quanta reuerentia Ethnicus ille tyrannus idolorum templa coluerit; ſiquidem ad illud ei templum accedenti, totus furor, quo excandeſcebat, mitigatus eſt. Et quanti ille feciſſet Chriſtianorum templa, ſi fidei lumine illuſtratus fuiſſet, cùm tanti fecerit illa gentilium?

CAPVT XI.

De loco vbi Chananæa mulier occurrit Chriſto, qui nonus eſt locus in octaua Peregrinatione.

Vbi Chananæa Chriſtum adorauerit.

NOn omnes conueniunt in aſſignando loco, vbi Chananæa mulier Chriſto occurrit, eumque fuit deprecata pro filiæ ſuæ ſanitate; quæ à Chriſto laudata gratiam obtinuit, vt dicitur Matth. 15, 22. & Marc. 7, 25. Adrichomius in Aſer numer. 78. aſſignat locum apud Sidonem, ante eius portam Orientalem, in via quæ verſus Ituræam & Cæſaream Philippi ducit: vbi poſteà à Chriſtianis ſacellum extructum dicit.

Adrichomij ſententia.

Communis alia probatur.

Communis in his partibus traditio eſt, citra Sidonem, in eius plaga Meridionali, Chriſtum Chananæam obuiam habuiſſe. Notandum itaque, quòd, Tyri ciuitate relicta, proſequendo iter ad Septemtrionem, poſt octo milliaria inuenitur fluuius Eleutherius, de quo Adrichomius in Aſer numer. 37. & poſt alia octo milliaria, ſecus mare in littore magnæ ruinæ & lapides inueniuntur, vbi fuiſſe Canam maiorem aliqui opinantur, vnde Chananæa mulier egreſſa fuit, quando iuit ad Chriſtum: & poſt quatuor milliaria, inuenitur iuxta Sareptam ſecus mare in via Meſquita quædam, vbi, vt habet harum partium traditio, Chananæa mulier à Chriſto filiæ ſuæ ſanitatem obtinuit; quem locum fideles ſacelli extructione condecorarunt; quod Mahometiſtæ poſteà in Meſquitam conuerterunt.

In eo loco Eccleſia olim, nunc Meſquita.

Probatur.

Et mihi hæc ſententia magis probatur, non tantum propter traditionem, quantum propter Scripturam; quæ, vt refragari videtur priori ſententiæ, ita poſteriori ſuffragari. Refragatur illi, quoniam dicit veniſſe Ieſum ex Genezareth in partes Tyri & Sidonis, & mulierem Chananæam (fama illius audita) ex eiuſdem finibus egreſſam, ad eum clamaſſe: *Miſerere mei Domine fili Dauid: filia mea malè à dæmonio vexatur*, & quæ ſequuntur apud Matthæum & Marcum locis citatis. Sed locus indicatus

Adrichomius reiicitur.

ab Adrichomio non eſt confinium Tyri vel Sidonis, ſed in ſuburbio Sidonis, & longè à memoratis finibus, ad decem & amplius milliaria.

Præterea, conceſſa ſanitate filiæ Chananæ, loquens Marcus de loco vbi gratiam elargitus eſt Chriſtus, & à quo diſceſſit, cùm abiit ad mare Galilææ, & loco per quem in eo itinere tranſiuit, inquit: *Et iterùm exiens de finibus Tyri, venit per Sidonem ad mare Galilææ inter medios fines Decapoleos.* Igitur, cùm tam Sidon quàm mare Galilææ regioque Decapolitana ſint in oppoſita parte finium Tyri & Sidonis, quia Sidon eſt in Septemtrionali, mare Galilææ & regio Decapolitana in Occidentali, & prædictorum finium Tyri & Sidonis; ne dicamus Chriſtum retroceſſiſſe per portam illam Orientalem Sidonis, de qua Adrichomius, & non tunc diſceſſiſſe à finibus præmiſſis, & per Sidonem tranſiſſe, nullo modo aſſeuerandum eſt, ante portam Orientalem Sidonis Chananæam à Chriſto Domino gratiam fuiſſe conſecutam. Et hæc ſuffragantur poſteriori ſententiæ; quia hîc verè ſunt fines ſiue confinia territorij Tyri & Sidonis, & locus ferè inter vtramque ciuitatem medius; & hinc eſt verè iter ad mare per Sidonem, etſi alia via potuiſſet Chriſtus ad idem ire: ſed vt vbi illi ſpiritualia bona largiretur, per eam tranſire dignatus eſt. Fortè in loco ab Adrichomio notato aliud ſignum fecit Dominus.

Mare. 7, 31.

Obiectionis ſolutio.

Si dicatur, non in via, ſed in domo Chananæam Dominum adiiſſe, vt dicit Marcus, reſpondet Lyranus in Matth. 15. primò veniſſe ad Ieſum intra domum; & quia ibi eam non exaudiuit, ſecuta eſt eum in itinere, clamans. Et benè propè poterant eſſe domus, in confinio ciuitatis Sareptæ, ad quarum vnam Chriſtus diuertere potuit; vel alibi, vbi Chriſtum eſſe mulier intellexit.

CAPVT XII.

De Sarepta ciuitate maritima, decimo loco octauæ Peregrinationis.

Sareptæ ſitus.

ERegione loci, vbi, vt Capite præcedenti diximus, Chananæa mulier Chriſtum exorans, ab eo impetrauit filiæ ſanitatem, ad dexteram partem ſupra montem eſt villa, quæ ab incolis *Sareth* appellatur; quòd fuerit ædificata in ſitu vbi olim fuit Sarepta: quare non benè aſſignatur ab aliquibus ad radicem montis Carmeli, qui longè à Sarepta abeſt: diſtat à mari circa vnum milliare, & duodecim à Sidone, quam ad Septemtrionem habet: inferiùs lata &

Aliquorum ſententia reiicitur.

Conditio & dignitas.

fecunda est planities, oleis præsertim abundans, nec non multæ ruinæ, veteris Sareptæ magnificentiam ostendentes: ex fecunditate, & præsertim ex generoso vino, commendatam inuenio, sed multò magis hospitio & miraculis Eliæ Prophetæ. Ibi enim Sanctus esuriens, à paupercula vidua hospitio exceptus, & pastus fuit. Cui pro accepto beneficio datum est, vt, fame & caritate durante, eius hydriæ farina non defecerit, & lecythi oleum non fuerit imminutum; quibus commodè vitam cum filio suo transigere potuit, vt dicitur 3. Reg. 17. & Luc. 4. Postea meritis eiusdem Prophetæ, defuncto viduæ filio vita restituta fuit, loco citato Regum. Fertur ibi locum ostendi, ad quem venit Elias, quando viduam duo ligna colligentem inuenit. An est vbi nunc Mesquita, de qua superius? De ea Adrichomius in Aser num. 71. & 72.

CAPVT XIII.

De Sidone ciuitate maritima, vndecimo loco octauæ Peregrinationis.

Sidon quid, & nomen.

CIuitas ista in sacris Litteris *Sidon* nuncupatur, nunc vulgò *Said* & *Saida*: maritima, perantiqua & magna extitit, vt ab ea longè distantes reliquiæ & ruinæ non obscurè indicant: caput totius Phœniciæ. Non longè ab ea, in monte est villa *Saidon* appellata, vbi antiquitus veterem Sidonem extitisse dicunt nonnulli. Iustinus lib. 18.

Vnde sic dicta.

hanc vrbem à piscium vbertate sic dictam censet, *quia piscem*, inquit, *Phœnices Sidon vocant*. In nummo veteri Anniæ Faustinæ nominatur COL. AVR. PIA. METROPOLIS. SIDON.

Emporium.

Vt olim erat, ita & in præsentia emporium est: distat à Sarepta contra Aquilonem duodecim milliaribus, contra Austrum à Beryto vigintiquatuor. Ab Occidente mari magno alluitur; tutoque ac tranquillo portu ditatur: fecunda opimo solo ac salubri aëre gaudet, ita vt multis Palæstinorum vrbibus inferior non sit. In partitione

Asseritis obtigit.

Terræ promissionis cecidit quidem in sortem Aseritis, vt dicitur Iosue 19, 28.

Obiectio.

Si dicatur Genes. 49, 13. in benedictione, quam Iacob morti proximus dedit Zabulon filio suo, indicari hanc vrbem ad eum pertinere; sic enim habet: *Zabulon in littore maris habitabit, & in statione nauium pertingens vsque ad Sidonem.*

Solutio.

Respondetur, non obstare: nam Ios. 19. vbi subtiliter describuntur fines & termini sortis & regionis Zabulon, nulla fit mentio Sidonis; quam tamen, cùm esset hæc vrbs antiquissima & nobilissima, tacitam minimè præteriisset Iosue. Nec obstat auctoritas Gen. adducta: non enim dicit Sidonem fuisse in tribu Zabulon, sed Zabulon pertigisse vsque ad Sidonem; quia videlicet illius portio spectatura erat Sidonem.

Vel secundò dicatur cum Andrea Masio in Iosue citato cap. Sidonem non fuisse terminum sortis Zabulon, neque oppositum dicere voluisse Iacob, sed tantùm posteros Zabulon habitaturos ad mare, versaturosque frequenter in portubus & naualibus, atque mercaturam facturos apud Sidonios, & cum Sidoniis illam ipsam maris oram tenentibus, ac mercatoribus toto orbe celeberrimis; ex quo futura erat illius tribus Zabulon ingens opulentia, & rerum omnium abundantia. Quod indicauit Paraphrasis Chaldaica, dicens: *Subiugabit regiones nauibus, & bonum maris comedet.* Similia significauit Moyses Deut. 33. in benedictione Zabulon. Verùm neque Zabulonitæ, neque Aseritæ, aliúve ex aliis Israëliticis tribubus vnquam Sidonem possederunt; quia de ea natiuos accolas expellere non potuerunt: & vsque ad Christi tempora à Gentilibus & infidelibus occupabatur, vt colligi potest ex illis Domini verbis apud sanctum Matthæum: *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida: quia si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent.* Propter merces etiamnum à variis nationibus habitatur, fidelibus & infidelibus, sed pro maiori parte Mauris.

Nunquam ab Israelitis possessa.

Matth. 11, 21. Luc. 10, 13.

Diu inter Tyrum & Sidonem certatum est de imperio, magnitudine & opulentia, emporij celebritate; sed in Scriptura ferè vbique videntur Tyro primæ partes dari, eademque magis celebrari, etsi Sidon Tyro fuerit antiquior, & Tyrus Sidoniorum fuerit colonia. Nostris temporibus in omnibus Sidon Tyro longè præfertur.

Olim Sidoni Tyrus præferebatur, in præsentia è conuerso.

Sidonis vrbis & Sidoniorum pluries mentio fit in sacris Litteris, veteri & nouo instrumento, vt Isa. 23, 2. Ierem. 47, 4. Ezechiel. 28, 21. Ioël. 3, 4. Matth. 11, 21. & c. 15, 21. Marc. 3, 8. & 7, 24. & Luc. 10, 13. & alibi. Et de eadem plura collegit Adrichomius in Aser num. 77. quem tu consule, si plura scire desideras.

Duæ nunc sunt proponendæ & refellendæ falsæ traditiones, quæ apud Sidonem in ore omnium tam fidelium quàm infidelium circumferuntur. Altera est, quòd cùm in mari è regione alsondegæ Gallorum, siue diuersorij, longè à terra gressus circiter quinquaginta, sit magnus & eleuatus lapis, subtercauus ad modum ponticuli: dicunt illi supra stetisse Christum Dominum, & ex illo tamquam ex suggesto prædica-

Traditio de loco vbi Christus Petrum vocauit.

dicatione ſua traxiſſe ad ſe Petrum & Andream, Iacobum & Ioannem fratres.

Reiicitur. Hæc traditio falſa & fabuloſa eſt, & contra Scripturam diuinam, quæ manifeſtè docet, dictos Apoſtolos ſimplici vocatione adductos fuiſſe ad Ieſum, dum ambulabat ſecus mare Galilææ, Matth. 4. Marc. 1. Luc. 5. Accedit, quòd Chriſtus ad Gentilium regiones non diuertebat; quia miſſus ad oues quæ perierunt domus Iſraël, vt ipſe dixit diſcipulis ſuis, dum eſſet in finibus Tyri & Sidonis, Matth. 15, 24. & tunc præſertim ibi prædicare non debuit, ne in ſuis ſermonibus, & ſingulariter initio ſuæ prædicationis, redargueretur; quia ſuis diſcipulis dixit, *In viam gentium ne abieritis*, &c. Matth. 10, 5. Et locus omnino inidoneus.

Altera de ſepultura Zabulon traditio. Altera traditio eſt, extra vrbem ad Meridiem eſſe ſepultum Zabulon: oſtenditur enim ibi Meſquita Turcarum, in qua Zabulon vnius ex duodecim filiis Patriarchæ Iacob ſepulchrum eſſe dicunt; & hac ratione illam pluris faciunt Turcæ, & multi alij eam inuiſunt.

Improbatur. Sedenim illius non video ſolidum fundamentum, ſed argumentum aliter aſſerendi: etenim Zabuloh, vt alij filij Iacob, mortuus eſt in Ægypto, vt patet Exod. 1. etſi eius oſſa cum aliis Iacob & filiorum eius aſportata fuerunt à Iudæis ex Ægypto in terram Chanaan, non apud Sidonem, ſed Sichem tumulata fuerunt, vt de Sichem agentes vidimus. Nec dicendum, Zabulonitas, cuius ille fuit caput, peculiarem curam illius ſuſcepiſſe, atque in peculiari ſepulchro, in eorum ſorte conſtituto, dilectum parentem honorificè ſepeliſſe; tum quia hoc eſt voluntariè dictum, tum quia numquam Iſraëlitæ habitauerunt in Sidone; & ſi habitaſſent, non Zabulonitæ, ſed Aſeritæ, quibus ea vrbs in ſortem obuenit. Quare non eſt ibi ſepulchrum Zabulon illius Patriarchæ. An eſt alterius inſignis viri ſepulchrum ſimili nomenclatura inſigniti, vel etiam alia?

CAPVT XIV.

De Beryto vrbe maritima, duodecimo loco octauæ Peregrinationis.

DIrigendo greſſus ad Septemtrionem è Sidone, poſt vigintiquatuor milliaria inuenitur Berytus: tantum enim inter ſe diſtant iſtæ ciuitates. Eſt *Berytus* vrbs Phœniciæ Syriæ ſecus Mare magnum, in optimo, fecundo amœnoque territorio ædificata: æquor mœnia allatrat; nec vſquam muro ambitur, niſi vbi pelago alluitur Occidentem verſus. Adrichomius in locis exteris de hac vrbe plura refert, & præſertim à Gergeſæo quinto filio Chanaan fuiſſe ædificatam, olimque *Geris* dictam, & poſteà *Felicem Iuliam* appellatam: & Chriſtianorum tempore Epiſcopali dignitate fuiſſe inſignitam, &c. In præſentia eam pro maiori parte habitant Mahometani; ſunt tamen & Chriſtiani aliqui, vt Maronitæ, Græci, & alij, qui in propriis Eccleſiis ſuo ritu Deum venerantur. Et olim domum cum Eccleſia ſancti Saluatoris habebant Franciſcani Fratres, vt Libro 1. Capite LXVIII. notauimus, vbi hoſpitio excipiebantur peregrini Ieroſolymitani, & in ſpiritualibus mercatoribus inſeruiebant; ſed locum reliquerunt, quia multis abhinc annis rarò eò diuertunt peregrini vel mercatores. Sunt ibi Eccleſiæ Chriſtianorum, ſed in Meſquitas conuerſæ.

Epiſcopali olim dignitate fulgens. *Habitatores.* *Eccleſia in Meſquitas conuerſa.*

Quod ibi memoria dignum narratur, in primis eſt, Chriſtum in ea prædicaſſe, deinde D. Georgium Regis filiam ab immaniſſimo dracone, ne deuoraretur, liberaſſe, &, mactata bellua, natam patri reſtituiſſe; & locum conflictus *Cappadociam* ab incolis appellari, ex Ludouico Romano & Breidenbachio tradit Adrichomius in Aſer num. 91. Olim erat ibi Eccleſia, nunc diruta eſt: & columnæ inclinatæ cernuntur. Extra Berytum egrediendo, relicto littore ad læuam, ad dexteram procedendo, circa dimidium milliaris inuenitur cauerna, quæ quadringentos homines & ampliùs caperet, in qua morabatur draco, quem ſanctus Georgius interfecit. Vlteriùs adhuc procedendo alterius milliaris dimidium, inuenitur altera Eccleſia eidem Martyri dicata; cuius curam habent Græci, & in magna veneratione habetur tam à Chriſtianis quàm à Mauris: qui omnes in illius diei feſto ad eam confluunt, & multa luminaria accendunt, ac ideò fumo nigerrima eſt.

Aſta in Beryto. *Cauerna draconis.* *S. Georgij Eccleſia.*

Eſt etiam ibi Eccleſia ſancti Saluatoris erecta in memoriam miraculi maximi, quod circa iconem Saluatoris in ciuitate iſta Dominus operari dignatus eſt, quæ adhuc perſeuerat, ſed in eam ingredi non fuit conceſſum; quoniam in Meſquitam Turcarum conuerſa eſt. Qui moram in iſta vrbe traxerunt, mihi retulerunt, ibi in pariete depictam eſſe pulcherrimam B. Virginis Mariæ imaginem, quam ipſi Turcæ plurimi faciunt, & operimento tectam, eam à Chriſtianis videri non ſinunt.

S. Saluatoris. *in Meſquitam conuerſa.*

Berytus quid. Non inutile erit nec ab inſtituto alienum, indicatum miraculum à pluribus Auctoribus relatum, ex antiquo & pio Patre ſancto Athanaſio, quod in Sermone eius relato

lato in Concilio Nicæno II. actione 4. habetur, ipſiuſmet verbis hîc referre, & extat Tom. 3. Conciliorum Generalium.

Ex Sermone B. Patris noſtri Athanaſij, de Imagine Domini veri Dei noſtri Ieſu Chriſti, de miraculo in Beryto ciuitate prodito.

BErytus ciuitas eſt in finibus Tyri & Sidonis ſita, vectigalis autem Antiochienſibus. In hac ciuitate cùm Iudæorum natio frequens eſſet, contigit, vt prope Synagogam, quam illic amplam habent, quidam è Chriſtianorum numero domicilium à quodam conductum habitaret. Hic ex aduerſo lectuli imaginem Ieſu Chriſti Domini noſtri fixerat: erat hæc ſanè veneranda, quòd integram Chriſti Domini proportionem exprimeret. Contigit autẽ non ita diu poſt id temporis, Chriſtianum manſionem aliquanto ampliorem quærere: neque id omnino fortuitò factum eſt, ſed ex di-
1. Tim. 2. *uina diſpenſatione, quæ omnes cupit in agnitionem veritatis venire, & ſaluos fieri, exhibens miracula his qui illum colunt, & piè in illum credunt; verùm in redargutionem diffidentium, confirmationem autem & ſtabilimentum credentibus. Quærebat itaque, vt dicere cœperam, Chriſtianus ædes maiores, quas cùm in alio ciuitatis loco inueniſſet, è domo, quam prope Synagogam habuit, in alteram migrauit: cumq; res ſuas omnes in eam tranſtuliſſet, imaginem tamen illam Domini illic fortè reliquit; obliuione quidem illud, ſed tamen diuina diſpenſatione. Iudæus autem commoditate loci captus, ædiculam illam conduxit, nondum animaduertens eiuſcemodi imaginem illic affixam: ſuaq; iſtuc tranſferens, aliquandiu illic habitauit. Quodam autem die hic cùm gentilium ſuorum quoſdam in prandium inuitaſſet, contigit vt quidam conuiuarum ſublatis oculis imaginem Domini noſtri Ieſu Chriſti inſpiceret: mox q; conuerſus ad conuiuatorem, Tu, inquit, Iudæus cùm ſis, qua fronte tandem audes huiuſcemodi imaginem domi tuæ habere? Non dicam hîc, quòd plauſtra conuitiorum & maledicta in Dominum Saluatorem effuderit. Conuiuator autem ſeipſum purgare ſtudens, affirmabat etiam ſanctè, ſe huiuſcemodi imaginem hactenus non vidiſſe; atque ita, qui inuitatus erat, tacuit. Poſtquam autem fuiſſet egreſſus, ad Principes Sacerdotum hominem detulit, quòd imaginem Saluatoris in ædibus conſeruaret, Nazarenumq; non eiecciſſet. Illi verò, audita re, interrogauerunt, num id poſſet approbare. Clamante illo, ſe poſſe confirmare quæ diceret, omnes congregati, & furore perciti, illo quidem die nihil egerunt, ſed, manè facto, congregati ſummi Sacerdotes & ſenio-*

res cum ingenti hominum eiuſdem nationis turba, aſſumpto ſimul delatore Iudæo, ad ædes illas, in quibus imago Domini noſtri habebatur, ire pergunt. Cùm autem ad eum locum veniſſent ſeniores & Principes Sacerdotum cum ipſo ſimul delatore, irruunt in domum, & confeſtim imaginem Saluatoris Domini noſtri contemplati, furore pleni, Iudæum quidem extra Synagogam eiiciunt, imaginem verò detrahunt, dicentes: Quemadmodum patres noſtri illuſerunt illi, ita & nos faciamus. Tunc omnes cœperunt exſpuere in fa- Matth. 26. & 27. Marc. 14. & 15. Luc. 22. & 23. Ioan. 18. & 19.
ciem ſanctæ imaginis; colaphisq; hinc illinc faciem cædentes, dicebant: Quacumque deſignarunt patres noſtri in illum, eia & nos quoque faciamus in illius imaginem. Deinde inquiunt: Audiuimus, quòd illuſerunt ei patres noſtri, faciamus idem hoc & nos quoque. Mox talia conuitia euomuerunt in Ieſu Chriſti imaginem, quæ nemo ſanæ mentis excogitare poſſet. Addunt deinde: Audiuimus, patres noſtros pedes manuſq; illius clauis fixiſſe, quid obeſt, quò minùs & nos idem teſtemur? confeſtim autem imaginis Domini pedes manuſq; clauis ferreis foranerunt. Deinde inſano ore clamant: Quòd & aceto & felle imbutæ ſpongiæ illum potauerunt, faciamus & nos ſimiliter. acceptaq; ſpongia aceto plena, ad os imaginis applicuerunt. Rurſus aiunt: Notum nobis eſt, quòd & calamo caput illius patres noſtri percuſſerint, fiat idipſum etiam à nobis pariter. Sumpto igitur calamo, caput Domini cædere cœperunt. Tandem aiunt: Clarum nobis eſt, quòd lancea latus illius pupugerunt. Nihil à nobis omittatur, addamus & hoc ipſum. Itaque lanceam quidam porrigentes, iuſſerunt, vt latus imaginis Dominicæ tranſfigeret. Ex eo autem confeſtim ſanguinis & Sanguinis & aquæ riuuli ex illius latere fluxerunt.
aquæ riuuli emanare cœperunt. Hæc ſanctus Pater. & poſt paucà ſubdit:

Audite omnes Eccleſiæ filij cetera quæ poſtmodum facta ſunt: ipſius enim myſterij diſpenſatio. Poſtquam enim, vt ſuperiùs dictum eſt, latus ſanctæ imaginis illius apertum eſt, continuò exiuit ſanguis & aqua. Dixerunt autem Principes ſacerdotum: Afferatur vas ad locum vulneris, vt videamus exitum rei. Qui illicò detulerunt hydriam, & ad locum vulneris, vnde ſanguis & aqua decurrebant, ſtauerunt: quæ abſque vlla mora ſubitò repleta eſt. Dixerunt autem ad inuicem: Quoniam ſuſurrant Chriſtum colentes, quòd ſi- Ioan. 3.
gna & inaudita multa fecerit in mundo, quæ nemo alius agere potuit, accipiamus hunc ſanguinem & aquam hanc, & deferamus ad noſtram Synagogam, & congregemus vniuerſos qui ſe malè habent, & ex hoc ſpargamus eos: & ſi vera ſunt quæ de Chriſto dicuntur, continuò ſanabuntur; ſin aliàs, oſtentui habebuntur à nobis cuncta, quæ à ſuis ſequacibus aſſe-

rum-

Veneranda Crucifixi imago illuditur, & crucifigitur à Iudæis.

ruuntur de eo. Hac dicentes, hydriam deferunt ad Synagogam, æstimantes se Christo Iesu Domino nostro æterni Regis Filio maximam inferre posse iniuriam. Congregauerunt igitur quoscumque repererunt languidos, & in conspectu Hebræorum introducti in Synagogam; inter quos quidam prouecte ætatis erat homo, quem à natiuitate sua grauissima possederat corporis molestia, quæ Græca locutione Διάλυσις, *Latinè verò dissolutio membrorum dicitur. Hic dum primùm ab eis fuisset peruectus, repentè de suo grabato quasi cervus exiliens, ad laudem Filij Dei incolumis redditus, ad propria remeauit. Deinde adducentes cæcos nonnullos, loca eorum luminum perungere studuerunt. Qui ipsi statim in Iesu Christi nomine discussa cæcitate, post multos annos lumen amissum recipere meruerunt. Ægrotantes autem plurimi ad hoc spectaculum sunt adducti, manibus post terga reuinctis. Cumq; & illi fuissent peruecti, mirabili virtute Dei undique perfusi, sensu reintegrato pristino, ad propria dum reuertuntur sanissimi, laudat Dei omnipotentis Filio Iesu Christo Domino Saluatori nostro persoluuntur ab omni populo.*

Per illum infirmi multi sanantur.

Tumultus autem exortus est magnus per totam tandem urbem, concurrentibus omnibus propter innumerabilia quæ fiebant miracula. Et quicunque variis languoribus infirmos possessos habebant apud se, illuc eos deducentes perungebant, & statim sanitatem, quam desiderabant, consequebantur. Omnes autem, ad quoscunque peruenire potuit opinio, afferentes infirmos quos habere poterant in domibus, paralyticos, cæcos, claudos, surdos, mutos & leprosos, siue aridos, deducebant eos ad Synagogam Iudæorum, vbi hæc signa fiebant diuinitus. Sed quamuis maxima esset hæc eadem Synagoga, nequaquam tamen recipere poterat superuenientium multitudinem: infinita enim erant populorum caterua, quæ illuc undique confluebant propter innumerabilia miracula & prodigia, quæ pro sua nimia prolixitate, ne fastidium generent, transgrediendo prætermittuntur. Omnes autem Principes sacerdotum & seniores, & omnis turba Iudæorum, parulorum, ac maiorum, & mulierum, videntes quæ facta fuerant, crediderunt in Dominum nostrum Iesum Christum; & dicebant: Gloria tibi sit æterne Deus & omnipotens Pater, qui nobis indignis, quamuis serò, reuelasti vnicum Filium Dominum nostrum Iesum Christum, Iudæi conuertuntur.

Isaiæ 7.

quem, vt Isaia vaticinium cecinit, Virgo concepit, & Virgo peperit, ac post partum Virgo permansit. Gloria tibi sit Christe Fili Dei, qui tanta mirabilia nobis miseris demonstrasti. * *Te credimus, tu nobis esto propitius, & nos suscipere dignare; quia ex toto corde & tota anima atque virtute ad te confugimus. Hæc & his similia clamantes dicebant, lacrymas autem amaras emittebant, & singultus. Postquam autem curati sunt cuncti qui ægritudine detinebantur, occurrit omnis multitudo Iudæorum ad domum sanctæ Ecclesiæ quæ in eadem vrbe erat vbi Metropolitanus; cuius prouoluti vestigiis, se peccasse, se grauiter deliquisse, magnis vocibus fatebantur.*

* In te

Pro admisso scelere veniam precantur.

Qui cùm ab eis perquireret omnem rei gestæ veritatem, sanctam iconam Domini Saluatoris eidem demonstrantes, annuntiauerunt cuncta quæ in ea exercuerant; & qualiter ab ictu lanceæ sanguis & aqua emanauit ex latere ipsius, nec non & de mirabilibus ab ea ostensis illi retulerunt per ordinem. Ille verò interrogabat, qualiter icona ipsa ab iis fuisset reperta, & si ab aliquo eam excepissent. At illi retulerunt ei, quòd quidam Christicola per oblitionem in cellula Synagogæ proxima dimisisset eamdem iconam, dum se ad alium locum transferret hospitandi gratia. Qui statim iubetur inquiri, & repertus, in præsentia Domini Metropolitani statui. Cumq; ab eo studiosissimè fuisset interrogatus, quomodo icona apud se deuenisset, vel à quo tam mirabiliter posita esset, respondit, dicens, quòd Nicodemus, qui ad Iesum nocte venerat, propriis manibus eam composuisset, & moriens Gamalieli tradidisset: Gamaliel autem, Doctoris Gentium Pauli διδάσκαλος, *cùm diem sibi cerneret adesse extremum, Iacobo eam reliquit, & Iacobus Simeoni & Zacchæo; & sic per * successores temporum in Ierosolyma perduranit, vsquequo subuersio illius vrbis patrata est quadragesimo & tertio anno post Ascensionem Domini & Saluatoris ad cælos. Sed biennium antequam Titus & Vespasianus eandem subuerterent vrbem, admoniti sunt à Spiritu sancto fideles atque discipuli Christi, vt, relicta vrbe, ad regnum se transferrent Agrippæ Regis, quia ipse tunc Agrippa Romanis fœderatus erat. Qui egressi ab vrbe, omnia quæ ad cultum nostræ religionis vel fidei pertinere videbantur secum asserentes, in regiones transtulerunt se. Quo tempore etiam icona cum cæteris rebus Ecclesiasticis deportata, vsque in hodie in Syria permansit: quam ego ipse à parentibus ex hac luce migrantibus mihi traditam iure hereditario vsque nunc possedi. Hæc certa & manifesta ratio est de icona sancta Domini Saluatoris, qualiter de Iudæa in Syriæ partes deuenit.*

Icona Crucifixi à Nicodemo facta. Ioan. 3. Act. 22.

* successores

Ante Ierosolymitanæ obsidionem sacra plura inde alio translata.

Auditis his sermonibus, Reuerendissimus Metropolitanus valdè hilaris redditus, conuersus ad populum Israëliticum dicebat: Conuertere Israël ad Dominum Patrem vniuersorum viuentium, & adora nobiscum eius Filium,

lium, per quem ſunt omnia creata, & Spiritum ſanctum, qui eſt viuificator cunctorum viuentium, & illuminator noſtrarum animarum, feſtina debitum abſoluere votum. Omnis autem turba ſtirpis Iudaicæ clara voce cœpit cantare & dicere: Vnus Deus Pater, & ipſe ingenitus: vnus Filius, & ipſe vnigenitus Chriſtus, quem patres noſtri crucifixerunt, & nos ipſum agnouimus verum Dominum: vnus Spiritus ſanctus, & ab vtroque procedens, per quem veraciter nos credimus eſſe ſaluandos.

Hæc dicentes, proſtrati genibus ipſius, veniam poſtulabant de ſuis conſequi ſceleribus per Baptiſmi remedium. Quos ſuſcipiens beatus Antiſtes, cum ſuis Clericis, per dies plurimos de diſciplina erudiuit Chriſtiana. Ad vltimum verò, Catechumenos factos, & triduano peracto ieiunio, ex aqua & Spiritu ſancto regenerauit eos. Poſtquam verò Baptiſmum conſecuti ſunt, rogabant enixiùs ſanctum virum, vt Synagogam ſuam Eccleſiam conſecraret in honorem ſancti Saluatoris mundi. Quorum petitionem minimè aſpernatus, Synagogam illorum, quæ maior eſſe videbatur, in nomine vnigeniti Filij Dei Redemptoris mundi conſecrauit. Ex tunc itaque per diuerſas orbis terræ nationes & prouincias mos inoleuit, vt Baſilicas plurimas vel Oratoria Pontifices Chriſtianæ legis in honorem ſancti Saluatoris mundi condere & dedicare non deſinant: nam antea antiquiores noſtri vel maiores hoc peragere minimè præſumpſerunt. Sed ad narrationis noſtræ ordinem reflectamus articulum.

Rogauerunt autem Metropolitanum prædicti viri, vt ceteras Synagogas eorum in honorem quorumdam beatorum Martyrum conſecrando reconciliaret. Itaque & huic petitioni libenter animum accommodauit, & quæ ſuggeſſerunt, iunamine cuncta expleuit deuotus. Factum eſt gaudium magnum in ciuitate illa non ſolùm de ſanitate corporum, quæ emanauerat maxima, ſed & de tantis animabus, quæ ab interitu Satanæ ad vitam æternam fuerunt reuocatæ. Venerabilis verò & ſummus Antiſtes die noctuq; variis fluctuabat cogitationibus de hydria quæ Dominicum intra ſe retinebat cruorem, valdè hæſitans quid de eo opportunum fuiſſet peragere. Tandem autem ſalubri reperto conſilio, omnium Eccleſiarum, quæ per orbem terræ longè lateq; conſiſtebant, inæſtimabile atque profuturum prouidit conſolationis remedium. Denique ampullas præcepit fieri vitreas, in quibus portiones miſit ſingulas de ſanguine & aqua, quæ de imagine Saluatoris noſtri decurrerunt: quas etiam per Aſiam, Africam, Europam per ſuos nuntios dirigens, cuncta quæ apud vrbem iam dictam ſuo tempore contigerant, deueniſſe ſuis ſcriptis vel eloquiis manifeſtiſſimè vniuerſis ſanctæ Eccleſiæ filiis viriliter declarauit.

Hæc inſuper ab his efflagitans, vt per annos ſingulos in menſe Nouembri, qui apud Hebræos eſt nonus, apud nos verò menſis vndecimus, nono die ipſius menſis, id eſt quinto idus Nouembris, non minori reuerentia quàm Natalis Domini, vel Paſchalis iſta dies præcipua obſeruatione colatur. Hæc eſt vera & vehementer credula ratio de cruore lateris Domini noſtri Saluatoris, qui profluxit de ſancta imagine ipſius, quæ crucifixa eſt in Syria in Beryto ciuitate. Hactenus ex Sermone ſancti Athanaſij, & de ciuitate Beryto.

Hebræi Catechumeni fiunt.

Baptizantur.

Synagoga in Eccleſiam conuertitur.

Alia Synagoga ſimiliter in Eccleſiam trãſmutantur.

Antiſtes miraculoſum ſanguinem ad varias mittit Eccleſias & regiones.

Anniuerſaria feſtiuitas in miraculi memoriam inſtituta.

CAPVT XV.

De Tripoli Syriæ ciuitate maritima, decimotertio loco octauæ Peregrinationis.

TRipolis Syriæ vrbs maritima, fecunda & opulenta ciuitas, in amœniſſimo & fecundiſſimo ſolo poſita: ibi maris portus, & publicum celebre emporium, ac ideò omnibus ferè bonis affluens. Flumine à Libano deſcendente, cui proxima eſt, alluitur, & fecundatur. A Mauris inhabitatur: ſunt tamen & ibi aliæ Chriſtianorum nationes, quæ in ſuis Eccleſiis propriis ritibus Deum venerantur. Pluries vaſtata & deſolata fuit; verùm, qualis fuerit, etiamnum apparet: diſtat à Beryto quinquaginta milliaribus. Propter inhumanitatem & ſæuitiam habitantium, & præcipuè Gubernatorum eius, qui non ſemel mercatoribus facultates & vitam crudeliter & proditoriè abſtuleruint, derelicta fuit: & non eſt paucis abhinc annis tantus ad eam vt olim erat mercatorum concurſus. Ibi ego cum aliis Fratribus & peregrinis ſingulari Dei auxilio à piratarum faucibus in mari & terra erutus fui, & à morte ipſa, quam timebamus ab vrbis Gubernatore; ſed, eleëmoſynis, quas ad loca ſancta deferebamus, ſpoliatos nos dimiſit anno Domini 1626. menſe Ianuarij. Agit de ea pluribus Adrichomius in locis exteris num. 30. Sed de iſta ſufficiant.

Tripolis ſecunda ciuitas Libani aquis alluitur.

Seuitia quorumdam eius Gubernatorum.

CAPVT XVI.

De Antiochia, Syriæ præcipua ciuitate, decimoquarto loco octauæ Peregrinationis.

QVoniam in iſto Opere peculiarem non conſcribo peregrinationem, quæ tendat Antiochiam, Syriæ nobilem ciuitatem,

Digitized by Google

tatem, vel qua per eam tranſeamus; quia cùm ſit extra Terram promiſſionis à Iudæis poſſeſſam, nec à Domino, quòd ſciatur, ſua corporali præſentia ſit ſanctificata, rarò ad eam accedunt Peregrini noſtri Terræ ſanctæ. Nihilominùs quia continetur in latitudine terræ à Domino Abrahæ promiſſæ, & in temporalibus ac ſpiritualibus ſpectabilis eſt ciuitas; ac ideò iidem peregrini, data occaſione, & plures mercatores ad has partes diuertentes, vel Chriſtiani in eiſdem partibus commorantes, eam inuiſunt, & venerantur; placuit aliqua de ipſa enarrare, & mea quidem ſententia digna ſcitu & obſeruatione, prout ego apud alios Scriptores & in hac ipſa ciuitate propriis oculis obſeruaui.

Quatuor explicabo. Primò, oſtendam qualiter plura loca Antiochiæ nomine ſint inſignita: & de auctore, & ratione nominis noſtræ Antiochiæ agam; ſecundò, de huius temporali dignitate; tertiò, de ſpirituali: quartò denique, aliqua quæ in ea contigerunt mirabilia attingam; duo priora præſenti Capite, alia duobus proximè ſequentibus Capitibus.

Antiochia nomen de 15. vrbibus mutuatur.

Quantum ad primum, Stephanus Byzantius lib. de Vrbibus, præter Antiochiam, de qua nos loqui intendimus, duodecim alias enumerat eiuſdem nominis vrbes: quarum vnam collocat in Lydia, & ab Antiocho Epiphane ſic nominatam exiſtimat; alteram in Meſopotamia, quæ & Mygdonia & Aſibe appellatur; in qua Apollophanes Stoicus, & Pharnuchus Perſicæ Hiſtoriæ Scriptor nati dicuntur; vulgò *Aleppe*. Tertiam in Piſidia conſtituit, cuius meminit & Strabo lib. 12. & D. Lucas Act. 13. v. 14. quartam inter Cauam Syriam, & Arabiam, Semiramidis opus; quintam in Cilicia, ad Pyramum fluuium; ſextam in Pieria, quæ & *Arados* à Syris appellatur; ſeptimam ad Collinhoëm lacum; octauam ad Taurum montem, in Comagena regione; nonam in Scythia; decimam in Caria; quæ & *Pythopolis* fuit appellata; vndecimam in Margiana, ab Antiocho Sotero conditam; duodecimam eamdem facit cum Tarſo Ciliciæ oppido.

A quibus aliqua condita vel reſtaurata.

Volaterranus lib. 9. notat, à Nicanore, qui filius erat Seleuci & Laodices, & primus poſt Alexandrum Syriæ Rex, conditas vel inſtauratas ſedecim Antiochias in memoriam patris Antiochi, ſicut quinque Laodiceas ob honorem matris, & à ſuo ipſius nomine nouem Leucias, tres Apamias ab Apamea, & vnam Stratoniceam à Stratonice, vxoribus. Antiochia, de qua nunc agere intendimus, inter omnes primas tenet: vrbs Syriæ ad Orontem fluuium ſita, totius regionis caput: à Seleuco Nicanore condita olympiade 119. & à patris ſui nomine Antiochia appellata, vt tradit Strabo lib. 15. cum aliis.

Antiochia Syriæ quid, & quo ædificata.

Aduertit Gloſſa ordinaria in citatum caput Act. hanc Antiochiam Syriæ diſtingui ab illa Piſidiæ: nam Piſidia prouincia eſt in Aſia minore finitima Pamphiliæ, Lycaoniæ, Iſauriæ. Plinius lib. 5. cap. 27. ait, populos eius anteà dictos Solymos; alij, Lycios: malunt nonnulli vtriſque tantùm contiguos fuiſſe. Sed noſtra Antiochia eſt in Aſia maiori & regione Syriæ. Simili ratione dicere poſſumus, diſtingui ab aliis vrbibus eodem nomine appellatis. Noſtræ Antiochiæ celebrior & frequentior mentio fit cùm in ſacris tum in profanis Litteris.

Emath minor & maior, hæc Antiochia.

Sanctus Hieronymus in cap. 6. Amos, & Epiſt. 129. & in cap. 47. Ezech. exponens vocem *Emath*, docet eſſe duplicem locum ita dictum: Nam vna, inquit, eſt Emath minor, terminus terræ filiorum Iſraël verſus Septemtriones, quam ab Antiocho Epiphane, poſteà Epiphaniam, vel Antiochiam Syriæ, cognominarunt: altera maior, habens quoque nomen Antiochiæ, &, auctore Ioſepho, Syriæ metropolis, tertium inter omnes Romani orbis locum obtinens, hoc eſt, poſt Romam & Alexandriam.

Ioſeph. l. 3. de Bell. Iud. c. 1.

Addit Hieronymus, totam ipſam circum regionem Hebraicè vocatam *Rebla*, aut *Reblaath*, ſiue etiam *Cœlen Syriam*, & voce compoſita *Cœleſyriam*, & poſteriorem ciuitatem fruit fonte vbertimo Daphne; & Cn. Pompeium, qui primus Iudæam Romano ſubegit imperio, militari manu eum locum conſeuiſſe; & ab eo, iuxta fabulam Poëtarum, nomen Daphnis accepiſſe, quòd lauris & cypariſſis abundaret. Inde etiam nominata eſt Epidaphne, ſcilicet à Daphne vicino ſuburbano amœniſſimo, ſtadiorum octoginta, cum fano Apollinis, & Dianæ delubro.

Vocauit eam poſteà Iuſtinianus Imperator *Theopolim*, vt prodit poſt Euagrium lib. 4. cap. 6. Volaterranus lib. 9. verùm hodie, antiquo nomine retento, ab omnibus Antiochia nuncupatur. De ratione nominis eiuſdem meminit Plinius lib. 5. c. 12. & de inſula cap. 23.

Difficultas.

Mihi facit difficultatem, quòd dicitur, Nicanorem, qui filius fuit Seleuci, & primus Rex Syriæ poſt Alexandrum, Antiochiam in honorem patris Antiochi ædificaſſe. Si enim fuit Seleuci filius, quomodo potuit Antiochus eſſe illius pater? & ſi ad honorem patris ædificauit, certè & ab

eodem nomen impoſuit, ſicut & aliis vrbibus nomina dedit ex nominibus matris & vxorum ſuarum. Præterea ſunt qui dicunt, denominari ab Antiocho Magno; ſed hic multis pòſt annis à morte Nicanoris Seleuci regnauit in Syria: iſte enim regnauit anno ab orbe condito 3676. ille verò 3765. vt in Chronologiæ tabulis videre eſt. Alij etiam Antiochi, qui poſt Magnum Alexandrum regnauerunt in Syria, ſucceſſerunt prædicto Seleuco Nicanori; vt ex eiſdem tabulis patet.

Obſervatio. Num Nicanoris pater binomius erat, ita vt appellaretur Seleucus, & Antiochus? & probabiliter; nam & filio, qui poſt ipſum regnauit in Syria, Antiochi nomen impoſuit: dictus enim fuit Antiochus Soter. Itaque, cùm patres filiis nomina defunctorum parentum imponere ſoleant, & cùm videamus Nicanorem filium ſuum à nomine patris Antiochum appellaſſe, ſimili ratione ciuitatem Antiochiam potuit nominare.

Vel ſecundò dici poſſet, Nicanorem eam vrbem quidem ædificaſſe, ſed à filio Antiocho Antiochiam appellaſſe; nam filiorum gloria parentum gloria eſt.

Vel tertiò denique dicatur, fuiſſe quidem à Nicanore à fundamentis hanc vrbem excitatam; ſed Antiochum, & probabiliter filium eius, opus patris ampliaſſe, perfeciſſe, mœniis & turribus vrbem circumdediſſe, & à ſuo nomine Antiochiam appellari voluiſſe. Et ita mihi videtur ſentire D. Antoninus 2. Parte Hiſt. tit. 16. c. 13. §. 3 *Antiochiam*, inquit, *poſt mortem Alexandri Magni Macedonis, Antiochus, qui poſt eius mortem (ſed non immediatè; quia Seleucus Nicanor partem Regni eius obtinuit, vt* * *ſuprà dictum eſt) turribus & muro validiſſimo circumdatam, de nomine ſuo vocari præcepit Antiochiam, regni ſui eam caput conſtituens.* Quòd ſi ab aliis Regibus eiuſdem nominis, vt ab Antiocho Magno, vel aliis Antiochiam appellari velint; ideò erit, quia vel reſtaurarunt, vel egregium aliquod in illa monumentum extruxerunt. Et hæc de primo ſatis.

* 2. Part. Hiſt. tit. 4. c. 4. §. 2.

Naturali ac ſupernaturali munere celebris Antiochia. Quantum ad ſecundum, Antiochia celeberrima & digniſſima vrbs eſt, tum ob naturæ & fortunæ bona, tum, & multò magis, ob cæleſtia & ſpiritualia quæ ſingulari modo à Deo accepit munera. Eſt enim in orbis nobiliſſima & præcipua parte ſita, in Aſia inquam, & Cœleſyria prouincia, in opimo ſolo: latiſſimis enim & fertiliſſimis campis circumdata, ex quibus ad opulentum victum neceſſaria habentur; nedum magno alluitur fluuio, fontibus & riuis irrigatur, ſed magnum habet in proximo lacum; ex quibus magna piſcium, & in primis anguillarum pinguiſſimarum, copia capitur, quas mercatores ad diuerſas partes tranſmittunt. Sunt ibi vineæ, arbores fructiferæ, viridaria plura quàm in aliis huius regionis partibus, &, ob amœnitatem & loci delicias, dum ibi eſſem, mihi videbar eſſe in Italia, in regno Neapolitano, vel Mediolanenſi Ducatu.

In opimo ſolo ſita, aquis abundans.

Intra ciuitatis ambitum duo clauduntur montes miræ celſitudinis: in quorum alterius vertice, qui videtur eminentior, ſitum eſt præſidium munitiſſimum. *Duo in eo monte.* *Præſidium.* *Qui duo montes*, inquit D. Antoninus, *valle profundiſſima, ſed anguſtiſſima, ſeparantur, per quam torrens dimiſſus per mediam influit ciuitatem; longitudinem autem ciuitatis quidam duo, quidam tria milliaria aſſerunt. Diſtat autem à mari decem vel duodecim milliaribus.* Si dicas, viginti & ſupra, non falſum dices; quia ex ea non venitur Alexandretam, vbi eſt portus maris proximus, niſi vnius diei ſpatio.

Addo etiam, in præſentia eſſe multas munitiſſimas turres ex coctis lateribus, ſicut & alia ædificia; quod in iſtis partibus ſingulare eſt, quoniam ferè ex quadratis lapidibus vel marmoribus: ſunt tamen illæ vetuſtate & bellis admodum conſumptæ. *Turres.* *Ædificia ex lateribus.*

Ex altera parte ciuitatis ſupra montem ædificata erat Eccleſia D. Petri; tamen, ſuperiori parte excepta, tota collapſa eſt. Nacti opportunitatè, ob deuotionem in Apoſtolorum Principem, qui in ea Sedem Pontificiam tenuit, celebrant hîc Sacerdotes; & ego celebraui. Eſt etiam in monte corpus ciuitatis reſpiciente magnum & ſpatioſum antrum in ipſa rupe exciſum, vbi fons eſt limpidiſſimæ & optimæ aquæ; & appellatur ab incolis Eccleſia ſancti Ioannis Euangeliſtæ, ædificata in honorem ſancti huius diſcipuli, & quòd ibidem fuerit; ſed hoc minùs certum, non tamen omnino improbabile: cùm enim conſtet, ſanctum Apoſtolum ex Ieroſolymis vnà cum ſanctiſſima Virgine Deipara profectum fuiſſe in Minorem Aſiam, vbi Eccleſias fundauit, vt tradit Cardinalis Baronius Tom. 1. Annal. Eccleſiaſt. anno Chriſti 44. num. 29. & inde etiam reuerſum fuiſſe cum eadem Deipara ad ſanctam Ciuitatem (illius enim curam, quoad vixit, habuit, vt ei à Chriſto impoſitum fuerat, & adfuit Ieroſolymis illius feliciſſimæ dormitioni & funeri) potuit in acceſſu vel reditu inuiſiſſe Antiochiam, & ob videndum Petrum Apoſtolorum Principem, & ob inuiſendam ibi florentem Chriſti Eccleſiam. Et ſi fuit ibi Ioannes, probabiliter & B. Virgo Maria, præſertim quòd in Epiſtolis D. Ignatij habemus, quòd

Eccleſia D. Petri. *S. Euangeliſta Ioannis.* *Deipara & Ioannis præſentia decorata.*

quòd Ignatius Mariæ scripserit, se vnà cum Ioanne Antiochiam venturum : *Veniam*, inquit, *cum Ioanne, te, & qui tecum sunt, videre.* In hac ipsa Ecclesia gauisus fui offerre Altissimo incruentum altaris sacrificium. Sunt & aliæ Ecclesiæ Antiochiæ, quas incolunt Orientales schismatici ; sed prædictæ, etsi vna destructa, & ambæ derelictæ, vt memorabiles ostenduntur peregrinis. Etiam monstrantur supra montes canales, per quos antiquitus vehebantur aquæ pro habitantibus in superiori parte ciuitatis.

Dignitas Antiochiæ ex parte indicata fuit, quòd aliquando caput regni Syriæ fuerit, de qua D. Antoninus tit. 16. c. 13. §. 3. inquit : *Est autem Antiochia ciuitas gloriosa & nobilis, tertium vel secundum post Romanam dignitatis gradum sortita, omnium prouinciarum, quas tractus continet Orientalis, princeps & moderatrix.* Et temporalem dignitatem spiritualis Patriarchalis insecuta est, vt statim dicemus.

Verò nunc desolata, à Turcu & schismaticis infessa.

In præsentia nobilis ista ciuitas sub Turcarum tyrannidem redacta, veterem splendorem amisit, plurimùm vastata & demolita; tamen adhuc in pretio habetur, ex quo illius Gubernator Bascia vocatur à Turcis. Eam habitant pro maiori parte Turcæ & Mauri, Græci etiam schismatici ; qui habent etiam Antiochenum Patriarcham; ex aliis Orientalibus nationibus pauciores.

CAPVT XVII.

De fundatione Ecclesiæ Antiochenæ, & eius progressu tempore Apostolorum.

Antiochia spiritualis dignitas. Vna ex ciuitatibus, quæ primò Euangelium susceperit.

AVget temporalem dignitatem Antiochenæ vrbis dignitas spiritualis, quòd ipsa fuerit ex primis ciuitatibus, quæ Christi Euangelium susceperunt: dignata fuit Sede Patriarchali, quam primò collocauit in ea Apostolorum Princeps D. Petrus, antequam hinc Romam peteret, egregiaque recepit incrementa; idque modo quo sequitur accidit.

Exorta Ierosolymis contra pusillum Christi gregem post necem sancti Stephani persecutione, remanentibus Apostolis in sancta Ciuitate, dispersi fuerunt discipuli, vt sanctus Lucas Act. 11, 19. testatur, & ad diuersas Samariæ, Galilææ & Syriæ partes, profecti fuerunt, & singulariter Antiochiam abierunt: vbi habitantibus in ea Iudæis Euangelium prædicantes, multos ex illis ad Christi fidem conuerterunt, atq; Ecclesiam collegerunt: quod cùm ad Apostolorum aures peruenisset, omnium sententia (vt æquum est credere, inquit Baronius Tom. 1. sub an. Christi 39. n. 10.) factum est, vt Petrus Apostolorum Princeps, totius Syriæ principi ciuitati atque metropoli, cui & Palæstina ipsaque Ierosolyma subiaceret, præficeretur Episcopus. Cùm itaque pace Ecclesia potiretur, Summus Pontifex Petrus vniuersos visitabat fideles; & in hac visitatione venit Antiochiam, quò peruenerat dispersorum discipulorum prædicatio; atque tunc eam Ecclesiam fundauit & instituit, anno videlicet Christi 38. secundùm Hieronymum & Eusebium, vel an. 39. secundùm Baronium, illamque per septem annos administrauit; acciditque, antequam Ierosolymis ab Herode Agrippa carceri & morti adiudicatus, ab Angelo liberatus fuisset, & ante generalem diuisionem Apostolorum ad prædicandum Euangelium per vniuersum mundum.

Petrum Ecclesias visitasse, & Antiochiam pergisse.

Fundat Ecclesiam, cui septem annos præfuit. Hieron. in c. 1. Ep. ad Galat. Euseb. in Chron. Lege Baron. qui plura de Sede Antiochena. Videenam Lorin. Act 9, 32.

Antiochiæ Apostoli Synodum celebrarunt; cuius Canones Pamphilus martyr testatus est se vidisse in Bibliotheca Origenis, vt Turrian. lib. 1. contra Magdeburg. cap. 15. se legisse scribit in antiquissimo Codice Græco. Et certè statuta ibi fuerunt, quæ optimæ gubernationi illius Ecclesiæ necessaria esse poterant; illamque sanctus Petrus voluit esse illo tempore Patriarchalem Sedem.

Synodum ibi celebrasse.

Ratio verò, quare Petro Antiochenæ Ecclesiæ fuerit commissa custodia, & eadem fuerit aliis prælata, duplex assignari solet: altera, quia Antiochia Syriæ metropolis erat; altera, quia maximus erat in ea Iudæorum numerus. Pro primæ rationis intellectu sciendum, vt notauit citatus Baronius, maiores in instituendis Sedibus Ecclesiarum non aliam iniisse rationem, quàm secundùm prouinciarum diuisionem & prærogatiuas à Romanis anteà stabilitas; Quàm plurima sunt exempla; sed satis erit alterum dumtaxat huc in præsentia afferre, ac illud haud longè petitum, de Sede Antiochena: quæ quantumlibet à Petro ante Alexandrinam fuerit instituta; tamen quoniam præfectura Alexandrina Augustalis dicta, ab Augusto eo nomine insignita, magnificentissimè præ ceteris ab eodem fuerat nobilitata, longè præstabat Syriæ præfecturæ: ea de causa factum apparet, vt quamuis Sedes Antiochena ante Alexandrinam, Marco nomine Petri erectam, fuerit instituta, tamen illi postposita habeatur. Sic etiam, quoniam inter omnes Orientales præfecturas Syriæ Proconsulatus præstabat, cùm eius prouinciæ metropolis esset Antiochia; inde etiam accidit, vt prima omnium Antiochena Ecclesia haberetur: & quamuis Ierosolymorum Ecclesia prima omnium origine temporis, & nobi-

Petrus Antiochenæ Ecclesiæ cur præfectus.

Ratio ordinis Ecclesiasticarum Sedium.

Vide Baron. in Notis ad Martyrol. die 10. Octob. d. in Antenio.

Digitized by Google

Ierosolymitanæ Sedes quare aliis non præla-ta.

litate rerum in ea consummatarum, meritò dici posset, ceterisque ea de causa, quæ in Oriente essent, Ecclesiis iure præferenda videretur, illi tamen subiiceretur. Petrus itaque, qui inter Apostolos primatum agebat, Antiochenæ Ecclesiæ, quæ potissima tunc temporis haberetur, curam suscepit: cuius institutionis memoriam antiquitus Ecclesia Catholica anniuersaria celebritate peragere consueuit 22. Februarij.

Et, quantum ad secundam rationem, de multitudine Iudæorum, quibus Euangelium prædicandum tunc erat, cùm adhuc ostium Christianæ fidei Gentilibus apertum non esset, clarum est, sapientes verbi Dei præcones frequentia adire loca, vtex prædicatione maiores pariant fructus, & plures ad Christum adducant. Et eo tempore non exiguus erat Iudæorum numerus Antiochiæ agentium; nam illorum, qui à Seleuco ciuitate donati fuerant, ingentem planè fuisse numerum, eosdemque nobilissimos fuisse, vtpote ex æquo cum Gentilibus eiusdem ciuitatis municipes, & qui eadem iura possiderent, Iosephus lib. 1. contra Aplonem testatur: quod quidem ius nec dirutis Ierosolymis, & Iudæorum rebus funditus pænè collapsis, à Vespasiano fuisse sublatum, contrà nitentibus licet ceteris Gentilibus ciuibus Antiochenis, idem Auctor affirmat. Æneis enim tabulis hæc scripta erant priuilegia Iudæorum, quas Titus indelebiles seruari voluit. Erat autem adeò ingens Iudæorum Antiochiæ degentium numerus, vt tempore belli à Tito illati, cùm Syri & Palæstini Gentiles, qui apud se essent, Iudæos occiderent, vel saltem vinculis manciparent; Antiocheni, quantumlibet in eos animo essent infenso, tamen propter eorum multitudinem ab illorum inuasione abstinuisse credîti sint. Optima ergo ratione, cùm Antiochiæ potuerit nobilis colligi ex solis Iudæis Ecclesia, necdum aperto ostio fidei Gentilibus, illis Apostolorum Princeps Petrus præfectus fuit.

Gentilium & Iudæorum Antiochiæ magnus concursus.

Li. 12. Antiq. c. 3. De Bell. lib. 7. c. 24.

Ioseph. de Bell. Iud. lib. 2. c. 20.

Cùm verò, post relatam Gentilibus fidei ianuam, maior ex illis fieret in dies ad Christianam fidem accessio; tunc euenit quod idem Lucas tradit, vt illuc Barnabas Ierosolymis mitteretur. Sic enim ait: *Erant autem quidam ex eis viri Cyprij, & Cyrenæi, qui cùm introissent Antiochiam, loquebantur & ad Græcos, annuntiantes Dominum Iesum. Et erat manus Domini cum eis: multusque numerus credentium conuersus est ad Dominum. Peruenit autem sermo ad aures Ecclesiæ, quæ erat Ierosolymis, super istis: & miserunt Barnabam vsque ad Antiochiam. Qui cùm peruenisset, & vidisset gratiam Dei, gauisus est: & hortabatur omnes in proposito cordis permanere in Domino: quia erat vir bonus, & plenus Spiritu sancto, & fide. Et apposita est multa turba Domino. Profectus est autem Barnabas Tarsum, vt quæreret Saulum: quem cùm inuenisset, perduxit Antiochiam. Et annum totum conuersati sunt ibi in Ecclesia: & docuerunt turbam multam, ita vt cognominarentur primùm Antiochiæ discipuli, Christiani.* Hæc Lucas. Atque ita Ecclesia Antiochena à Petro erecta, à discipulis aucta, à Barnaba multiplicata, & Pauli prædicatione cumulatissimè secundata, felicissimum nomen Christianorum est inchoatum. Ex Ierosolymis etiam venerunt Antiochiam Prophetæ; inter quos Agabus, qui per Spiritum sanctum significauit famem magnam futuram in vniuerso orbe terrarum, quæ facta est sub Claudio. Antiochiæ etiam colligebantur eleëmosynæ mittendæ fratribus in Iudæa habitantibus. De his plura Baronius ad annum Christi 43. & Lorinus Act. 11.

Act. 11, 20. Ecclesia Antiochena magnus progressus.

Fideles illi primò Christiani appellati.

Creuit autem multùm Antiochena Sedes; etenim, vt Volaterranus scribit lib. 9. olim Antiochenus Patriarcha habuit prouincias sub se viginti, quatuordecim Metropolitanos, Episcopos quinquaginta tres, & vrbs ipsa trecenta sexaginta sex templa. Præterea, sex vrbes sub duobus Primatibus erant, quos Catholicos nominabant: Irenopolitano, siue Baldacensi, quæ ciuitas quondam Babylon dicta est; & Aucensi, qui Persidis etiam Primas appellabatur. Persarum Ecclesiam subiectam fuisse Antiochenæ, Canon Concilij Nicæni docet, quo cauetur, Episcopos congregari, vt disponant aliquid ad ordinem Ecclesiæ pertinens, sine consensu & auctoritate Patriarchæ Antiocheni. Recitat istum Canonem inter alios ex Arabicis Latinos factos Turianus Appen. ad Constit. Clementis Can. 35.

Sedes Episcopales Antiocheno Patriarchæ subiectæ.

Nostris temporibus non tantum se extendit Antiocheni Patriarchæ auctoritas, ex quo nobilis ciuitas redacta est sub Turcarum tyrannidem, & maior pars Christianorum Orientalium se ab obedientia Romanæ Catholicæ Ecclesiæ subtraxit.

Duo nominantur Antiochiæ Patriarchæ hodie; Catholicus alter, & iste est Maronita, qui & Patriarcha montis Libani dicitur: alter schismaticus, & hic Græcus est: & quilibet suis præest subditis, Antiochiæ & in circumiacentibus locis existentibus.

Qui nunc Antiochiæ Patriarchæ dicantur.

CA-

CAPVT XVIII.

De quadam vrbis Antiochenæ ſtrage, plurium fidelium & aliquorum Minorum cæde, & Conuentuum demolitione.

FAteor quàm plurima, eaque ſcitu digniſſima, quæ ab ortu Domini, vel eiuſdem Aſcenſione, quando Antiochiæ fundata fuit Eccleſia, vſque ad noſtra tempora, diuerſis temporibus contigerunt, à variis probatis Scriptoribus recenſita eſſe, quæ breui oratione à nobis hic perſtringi non poſſent: quare ab illis abſtinentes, agemus dumtaxat de quadam Fratrum Minorum & aliorum fidelium cæde, & Monaſteriorum deſolatione, quæ accidit anno Domini 1267. vel 1268. ſecundùm diuerſos Scriptores; & refert Auctor Annalium Minorum Tom. 2. an. Chriſti 1268. num. 2.

Itaque anno Chriſti 1268. Bendocdar Soldanus Babyloniæ Syriam & circumuicinas regiones vexare incepit: ſeptimo die Martij cepit proditorie Iapham, occiſis multis incolis, aliis expoliatis; quorum miſellorum in pace amaritudo erat amariſſima: Aprilis 15. cepit caſtrum Belforti, & vigintiquatuor circumcirca Tripolim deſtruxit viridaria: deinde proceſſit contra Antiochiam, obtinuitque ciuitatem abſque vllo belli tumultu: poſt obtentam, occidit ſeptemdecim millia hominum, & vltra centum millia deduxit in captiuitatem: qua ſtrage, facta eſt celeberrima ciuitas Patriarchalis ditiſſimumque Emporium quaſi ſolitudo deſerti. Tunc ex Minoribus plurimos interiiſſe ſcribit noſter Marianus cap. 27. & funditus deleta Monaſteria duo, vnum ampliſſimum, multorum Fratrum Collegium, in ipſa ciuitate, alterum in *Montana nigra*; de quo egimus Libro 1. in quorum vtroque omnes Fratres periere pro Chriſto: cui ſit honor & gloria in ſæcula.

Loca nonnulla à Mahometanis vaſtantur, & Minoritæ cum aliis fidelibus occiduntur.

Digitized by Google

HISTORICÆ THEOLOGICÆ AC MORALIS ELVCIDATIONIS TERRÆ SANCTÆ LIBER OCTAVVS.

ARGVMENTVM.

SEX *Peregrinationibus referuntur ac elucidantur præcipua memorabilia, quæ à peregrinis viſuntur in via quæ ex Ieruſalem ducit in Aegyptum, ad ſanctum montem Sinai, deſertum ſancti Macarij & Alexandriam, Aegypti vrbem.*

PEREGRINATIO I. *in qua recenſentur & peculiariter explicantur ſeptem præcipua loca, quæ proficiſcentibus ex ſancta ciuitate Ieruſalem vſque ad magnam Cairum occurrunt.* I. *Via qua ex Ieruſalem Cairum, & ex Nazareth in Ægyptum itur.* II. *Azoti ciuitas.* III. *Accaron vrbs.* IV. *Gaza ciuitas.* V. *Cathia Maurorum ciuitas cum ſeptem aliis locis.* VI. *Nilus fluuius Ægypti.* VII. *Ciuitas Damiata.*

CAPVT PRIMVM.

De via qua ex Ieruſalem Cairum, & ex Nazareth in Ægyptum itur, primo loco occurrente in prima Peregrinatione.

RETrahebar, benigne Lector, ab iſto octauo Libro conſcribendo, in quo agendum eſt de his quæ obſeruanda occurrunt in peregrinatione ex Ieruſalem in Ægyptum, & eius memorabilibus locis, Cairo, Damiata, ſancto Sinai monte, deſerto ſancti Macarij, & Alexandria: & iuſtis quidem de cauſis; in primis, quia plura quæ in eo explicanda ſunt, non vidi: ſecundò, quia quæ vidi, vel ægra valetudine, vel temporis inopia, vel denique inſurgentibus periculis præpeditus, vt volebam, diligenter adnotare memoriæque committere haud potui. Verùm alius permotus, eorumdem Ægypti memorabilium explicationem aggreſſus ſum, ne Opus hoc ex hac parte imperfectum euaderet, & pij fideles & peregrini ſaltem exiguam cognitionem in Opere iſto non deſiderarent illorum locorum & memorabilium, quæ ſæpenumerò, poſt Terræ ſanctæ venerationem, ad propria reuertentes per Ægypti regionem, in ipſa Ægypto vſque ad montem Sinai, nonnumquam ad deſertum Macarij & Alexandriam, viſitare conſueuerunt: & meritò; quoniam Domini teſtimonio & ſacris myſteriis in eis operatis ſancta eſſe nouimus. Et in iſto argumento pertractando, præter à me ex viſu & experientia cum aliis adnotata, vtar etiam illorum labore, qui alias eamdem perfecerunt peregrinationem, & ſcriptis conſignarunt, vel ponderoſiùs de eiſdem ſanctis Ægypti locis ſcripſerunt. Et vt aſſerta, ſacræ Scripturæ, rationi ac veritati conſona, probabo; ita eiſdem diſſona improbabo: hoc enim pacto veritas in omnibus quidem, ſed præcipue in ſacra Hiſtoria inueſtiganda, magis apparebit. A pluribus quæ hunc in locum

Digitized by Google

locum conijci poterant, me abſtinebo; quoniam tum alibi, tum præcipuè in primo Libro, explicata fuere opportunè. Initio verò huius primæ Peregrinationis & & Libri ſeſe offert explicanda conditio viæ, quæ conficitur ex Iudæa & Ieruſalem vſque ad magnam Cairum, quam præſenti Capite explicabimus.

Duplici via ex Iudæa in Ægyptum iri poteſt, maritima & terreſtri.

Notandum itaque, duplici via ex Ieruſalem & Iudæa, vna ex tribus Terræ ſanctæ prouinciis, nos poſſe ire in Ægyptum & Cairum, maritima vel terreſtri; illa vento proſpero, longè iſtâ expeditior & commodior, vt qui vtramque peragrarunt confeſſi ſunt. Ego quidem per mare ex Ioppe deueni Cairum decem dierum ſpatio; at terra vix quindecim peruenissem. Illa nonaginta leucis perhibetur ſe extendere; quia de Ieruſalem vſque ad mare Mediterraneum (ad quod neceſſariò proficiſcendum volentibus peregrinationem iſtam ſuſcipere) ſunt nouem vel decem leucæ, id eſt, ex Ieruſalem vſque ad vrbem Ioppen: & inde nauigando in Ægyptum, ſunt quaſi octoginta. Etenim ex Ieruſalem vſque ad Ioppen, Mediterranei maris portum, octo leucarum ſpatium eſſe docet Brocardus; quamuis à veritate alienum non eſſet dicere, eſſe quadraginta milliaria Italica: à portu verò diſtare Ægyptum leucis ferè octoginta, teſtis eſt Abulenſis in c. 2. Matth. quæſt. 60.

Maritima via longitudo.

Quod in iſto maritimo itinere obſeruatione dignum occurrit, eſt ciuitas Damiata, de qua inferiùs aliqua dicemus: ad quam proficiſcentes, non ſolùm mare, ſed etiam Nilum transfretamus. Vbi Nilus in mare influit, & amaris aquis dulces admiſcentur, difficilis & periculoſus eſt tranſitus. Super Nilum, hoc eſt à latere, multæ ſunt villæ; & ibi opimam & vberem regionem eſſe deprehendimus. Ex Damiata ad Cairum duorum dierum itinere, vento contrario non obſtante, ordinariè peruenitur. Et hæc de maritima hac viâ ſatis.

Terreſtris conditio.

In terreſtri ſimiliter itinere ſunt villæ & ciuitates; de quibus inferiùs, ſecundùm nomina quibus ab incolis nominantur, agemus.

De eius longitudine opiniones. Prima, aliorum aliquot eſſe ferè, aliqui dixerunt.

De huius viæ conditione duo explicanda occurrunt, quantitas & qualitas eius. De quantitate, quantum diſtet Ieruſalem & Iudæa à Cairo. Quidam apud Abulenſem citatum dicunt, valdè longum eſſe, non dierum vel menſium, ſed multorum annorum ſpatio conficiendam, & multo tempore à B. Virgine & Filio eius fuiſſe confectam: ex eo verò id probant, quòd Iſraëlitæ ex Ægypto in Iudæam nonniſi quadraginta annorum ſpatio peruenerunt, vt ex pluribus ſacræ Scripturæ locis manifeſtum eſt.

Horum ſententiam meritò redarguit Abulenſis: ſi namque ea vera eſſet, ſequeretur tantum itineris intereſſe inter Ægyptum & Iudæam, id eſt quadraginta annorum, ſi Iudæi in illis quadraginta annis quotidie iter feciſſent: & ſic Maria & Ioſeph non potuiſſent peruenire in Ægyptum minùs quàm quadraginta annis; quod abſurdum eſt: quia etiam, inquit, ſi quis debeat ambulare totam terram ab extremo Occidentis vſque in extremum Orientis, eſſet iter quingentorum dierum; niſi eſſent alia impedimenta quorumdam locorum inacceſſibilium, propter beſtias, & ſolitudines & peſſimas regiones; quantò magis ab Ægypto in terram Iudæorum, quæ terræ ſunt vicinæ?

Reiicitur.

Præterea, ita dicendo, tota vita Chriſti non ſufficeret ad eundum in Ægyptum; quia non peruenit ad triginta quatuor annos completos; quantò magis ad eundum & redeundum? Et tamen Chriſtus ante ætatis ſuæ annum duodecimum redierat de Ægypto in terram Iſrael; quia ipſo anno duodecimo manſit in templo, diſputans inter Doctores, Luc. 2. 42.

Præterea via illa, per quam venerunt Iudæi ex Ægypto in terram Chanaan, non fuit via recta & ſolita; ſed altera Palæſtinorum multò facilior & breuior, per quam Deus noluit illos ambulare, vt dicitur Exod. 13, 17.

Reſponſio ad illorum fundamentum.

Nec ex eo quòd Iſraëlitæ deſertum quadraginta annis perambularunt, ſequitur eſſe iter multorum annorum vel menſium, quia in eo multas mantiones fecerunt; continuò non ambulabant; ibi in pœnam ſuorum peccatorum detenti, vt ex Scriptura ſacra ipſa luce clarius conſtat: & conſequenter non ſequitur ex hoc, longo tempore iter ſuum in Ægyptum ex terra Chanaan confeciſſe B. Virginem cum puero ſuo; quoniam, vt poſteà dicemus, illud iter non confecit B. Virgo, ſed alterum per terram Philiſthinorum. Etſi verò illud perfeciſſet iter, in eo tamen plures annos vel menſes non conſumpſiſſet, vt ex dicendis manifeſtè apparebit.

Secunda opinio, eſſe iter ſeptuaginta leucarum.

Reiecta hac opinione, ſuam ponit ſententiam Abulenſis, à ciuitate Gaza, quæ eſt in finibus Iudææ ad Auſtrum ſita, ad Cairum vſque, præcipuam Ægypti ciuitatem, ſeptuaginta leucas numerari dicit; quarum quaſi viginti arabiles ſunt, & competentis habitationis, quinquaginta autem reliquæ ſunt verum deſertum, &c.

Tertia opinio.

Brocardus, à Nazareth Ieruſalem vſque vigintiſeptem leucas, à Ieruſalem vſque ad Hebron octo ſupputat; ab Hebron vſque

Digitized by Google

ad Gazam diei vnius iter esse scribit. Vnde à Nazareth ciuitate Galilææ centum leucas amplius itinere terrestri supputabis; septuaginta tres erunt ex Ierusalem, præcipua Iudææ ciuitate, vsque ad Cairum.

Quarta. Seuerus Sulpicius in primo Dialogo cap. 4. quantum à Bethlehem Iudææ distat Ægyptus, hisce verbis aperit: *Bethlehem oppidum petij, quod non Ieroſolymis ſex milliaribus diſparatur, ab Alexandria ſedecim manſionibus abeſt*, &c. *Alexandria ciuitas Aegypti à Cairo diſsita eſt trium dierum itinere circiter.*

Quinta. D. Augustinus Sermone 82. de Tempore: *Ab illo*, inquit, *loco vbi erat Iacob vſque in Aegyptum, vix erant trecenta milliaria; vna autem leuca tribus milliaribus conſtat*, &c. Iacob autem erat in Iudæa.

Sexta. Alij denique, qui recenter hoc iter confecerunt, quingenta & amplius milliaria ab Ierusalem vsque ad Cairum enumerant.

Septima. Quod ad hanc difficultatem, certum est, iter hoc terrestre ex Ierusalem & Iudæa, ad Ægyptum & Cairum vsque, non esse multorum annorum, vel mensium, imò nec integri mensis, si non interrumpatur. In comitatu, siue caterua, ordinariè sedecim dierum spatio, paulò plus minúsve, absoluitur, vt fere omnes, qui illud iter confecerunt, testati sunt. Et sic dicendo, non recedimus à sententia Abulensis, Brocardi, Seueri Sulpicij & D. Augustini: omnes enim illi in idem fere recidunt.

Via ista partim ad Chanaanitidem, partim ad Ægyptum pertinet.

Notandum præterea, hoc iter partim pertinere ad terram Chanaan, & partim ad Ægyptum: etenim, secundùm Abulensem loco indicato, à Cairo vsque ad confinia Chanaan sunt quinquaginta leucæ; aliæ viginti sunt ab isto termino, id est Bersabee, vsque Gazam ciuitatem Chanaan. Quare cùm Sulpicius enumerat sedecim dies itineris à Bethlehem vsque ad Alexandriam, loquitur de accessu ad ciuitatem, quæ est in confinio Ægypti; ibi enim ad mare fundata est Alexandria; nam ex Bethlehem in Ægyptum, desertum eius videlicet vsque, non tantum itineris est, vt patet ex dictis; nisi dicas, quoniam habitatio incipit in Cairo, ideò dici ibi computari Ægyptum.

Partim fecunda, partim ſterilis.

De qualitate aliquid patet ex dictis, viæ partem arabilem esse secundam, partem purum desertum: aquæ maximam patitur penuriam; valdè arenosa est. Verùm pro maiori parte desertum est: iri per desertum ex Ierusalem ad Cairum communiter dicitur. Lege Abulensem loco citato.

CAPVT II.

De peregrinatione IESV, MARIAE *&* IOSEPH *parentum eius, ex ciuitate Nazareth in Aegyptum, & nonnullis mirabilibus quæ in ea contigisse memorantur.*

DIximus duplici itinere esse accessum ad Ægyptum ex Chananitide, maritimo & terrestri. Sed quodnam peregit sancta Deipara cum puero Iesu & sponso Ioseph, quando ex terra Chanaan abiit in Ægyptum? maritimum an terrestre? & si terrestre, num illud quod perfecerunt Israëlitæ, quandò ex Ægypto per Arabiæ deserta venerunt ad terram Patribus repromissam, an per viam terræ Philisthijm? *Quæstio.*

Respondetur, faciliorem quidem viam & breuiorem esse ex terra Chanaan in Ægyptum per mare prospero vento, vt indicauimus Capite præcedenti, & dicit Abulensis in cap. 2. Matth. quæst. 60. Ceterùm, non mare ex Nazareth in Ægyptum transfretasse, communiter tenent Doctores; cuius rationes indicat citatus Auctor: Prima, quia cùm Ioseph pauper esset, non habuisset ad hoc sumptus. Sedenim hæc ratio à nonnullis refellitur, qui tenent, non tam pauperes fuisse Ioseph & Mariam, quòd sumptus non illis supperetent ad iter per mare conficiendum; præsertim cùm minoribus expensis potuissent per mare quàm per terram ire in Ægyptum. Quare secundam addit rationem, & potissimam, vt lateret fuga Ioseph: quia si voluisset nauigio ire, debuisset fortè manere aliquot diebus in portu maris, expectando nauigium: & ibi est locus communissimus, vbi solent esse collectores prouentuum regalium. Et sic aliqui de satellitibus Herodis potuissent videre Ioseph fugientem cum paruulo: quod erat magnum inconueniens, cùm ipse vellet omnino latere fugam suam; quia propter hoc per noctem recesserat. Tertia ratio, quia via maris erat valdè nociua puero tenero; cùm vix viri integri, non assueti nauigare, possint sustinere labores maris, propter maximam mutationem quæ fit in eis: iuit ergo Ioseph via terrestri. *Responſio.*

Terreſtre iter peregit B. Virgo cum puero & ſponſo eundo in Ægyptum.

Sed numquid illa longiori per Arabiæ desertum, an alia breuiori Philisthinorum via iuit? Respondetur, iuisse per hanc Philisthinorum. Ratio est, quia ista est magis expediens, & minùs difficilis ac breuior; ideò à pio ac prudenti viro eligenda, ne præter communē laborem longi itineris, maiorem prolixitatem & asperitatē pateretur delicata ac debilis illa societas Iesu & Mariæ, atque afflicto afflictio adderetur, præsertim cùm contra- *Dubij ſolutio. Non per Arabiæ deſertum, ſed per viam Paläſtinorum iuit.*

contrarium præceptum à Domino datum haud fuerit. Iuit ergo per viam quæ Philisthinorum appellatur, Exod. 13, 17. vt breuiorem ac commodiorem.

Igitur, cùm Maria & Ioseph cum puero Iesu perfecissent omnia secundùm legem Domini, & reuersi essent in Galilæam in ciuitatem Nazareth, vt scribit S. Lucas 2, 39. *Ecce Angelus Domini*, inquit S. Matth. 2, 13. *apparuit in somnis Ioseph, dicens: Surge, & accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Aegyptum, & esto ibi vsque dum dicam tibi. Futurum est enim vt Herodes quærat puerum ad perdendum eum. Qui consurgens, accepit puerum & matrem eius nocte, & secessit in Aegyptum*, &c. in quo itinere pertransisse creditur Gazam, & alia loca, de quibus ob id etiam mentio facienda est. Pernoctasse tamen singulariter dicitur in partibus istis in quadam villa non longè ab Hebron, de qua egimus Lib. VI. Cap. 11. Peregrinat. VI. vnde hac ratione vsque in hodiernum diem *Villa B. Mariæ Virginis* nuncupatur: & postea in altera *Lebhem* appellata; de qua Adrichomius in Simeon n. 55. sic scribit: *Lebhem, villa, vbi est puteus, de quo dicunt B. Mariam Virginem cum puero Iesu & Ioseph, cùm in Aegyptum fugerent, aquam hausisse, ibiq; pernoctasse. Breidenbac. d. 10. Septemb.* Hanc verò non esse alteram de qua priùs, ex eo manifestum est; quia illa occurrit ante Gazam, ista post discessum è Gaza, vt videre est in eiusdem Adrichomij Geographica delineatione Terræ sanctæ.

Peregrinationis Mariæ & Iesu notabiles eventus.

In eo verò itinere plura notatu dignissima contigerunt, quæ à pluribus Auctoribus antiquioribus & recentioribus memorantur: vnum vel alterum adducemus, reliqua sat erit indicasse; illis tamen non æqualem assensum & fidem credimus exhibendam, quia nec omnium ijdem sunt patroni. Tria verò sunt præcipua, quibus Christi Domini fuit manifestata Diuinitas, sicut laboriosa illa peregrinatione comprobata humanitas.

Ægypti idola commota fuerunt.

Primum ex his est, ad Christi ingressum in Aegyptum eius idola corruisse. Eusebius de Demonst. Euang. lib. 6. cap. 20. de his agens hæc scribit: *Hi qui priùs incolebant Aegyptum praui vitiosiq; dæmones per multa sæcula in simulacris latitantes, animasq; Aegyptiorum omnis superstitionis errori addicentes ac subijcientes, cùm sensissent nouam quamdam diuinamq; virtutem ad se accessisse, illicò commoti sunt, & fluctuationem ac perturbationem in semetipsis pertulerunt, torq; eorum & vis intelligendi intrinsecus ab ipsis euincta sunt, cesserunt q; & fugata sunt ab eadem virtute, quæ visum effugiens illos compellebat, & ignis instar ineffabili quadam ratione aderebat. Et tunc quidem inuisibiliter talia passi sunt, cùm Saluator noster in Aegyptum cum visibili corpore peruenit.* Hæc Eusebius.

& corruisse.

Non tantùm verò commota fuisse, sed & corruisse, docet Athanasius lib. de Incar. Verbi, dum dicit: *Quis ipsorum aut Regum in Aegyptum descendit, & eius defensu idola in Aegypto cecidерunt? Abraham descendit, nihilominùs tamen idololatria vbique viguit. Natus est ibi Moyses, aquè illic hæsit religionis error.* & interiùs: *Aegyptiorum superstitio non quieuisset, nisi Dominus omnium in corpore, quasi in nube vectus, eò descendisset, & idolorum errores compescuisset.* Hæc ille.

Gen. 12, 10

Exod. 2, 1.

In Vitis Patrum (quod opus Euagrij putatur) hæc leguntur: *Vidimus & alium sanctum virum nomine Apollonium apud Thebaidem, in finibus Hermopolis: ad quam ciuitatem Saluatorem & Mariam & Ioseph de Iudæa finibus venisse tradunt, secundùm Propheriam Isaiæ dicentis: Dominus ascendet super nubem leuem, & veniet in Aegyptum, & commouebuntur manufacta Aegyptiorum à facie eius, & cadent in terram. Vidimus ergo ibi etiam templum ipsum, in quo, ingresso Saluatore, corruisse omnia idola in terram & comminuta esse memorabant*, &c.

Thebaide singulariter.

Isa. 19, 1.

Hermopolis primus locus manifestus B. Mariæ in Ægypto.

Qua verò occasione id contigerit, Abulensis loco iam indicato aperit, dicens; quòd cùm Virgo primò venisset Hermopolim, in quo loco priùs commorata fuit quàm in aliquo alio Ægypti loco, & non haberet locum in quem ipsa cum puero Iesu ingredi posset ad requiescendum, tandem ingressa est quoddam templum, in quo erant idola 365. iuxta numerum dierum anni, quibus singulis diebus diuinus exhibebatur cultus; quæ vniuersa subitò corruerunt ad Christi & Matris eius ingressum, & impletum est illud Isaiæ 19, 1. *Dominus ascendet super nubem leuem*, &c. Quam auctoritatem ita interpretatur: Vniuersa idola Ægypti mota sunt, in quantum illa 365. corruerunt: quæ fortè erant omnia idola Aegypti, scilicet quòd non essent plura nomine differentia; licet essent multa alia differentia ab illis, &c. Et addit, quod cùm hoc factum nuntiatum esset Aphrodisio Principi sacerdotum, venit in templum cum omni suo exercitu, & postquam accedens puerum Iesum adorauit, conuersus ad exercitum dixit: *Hic nisi esset Deus deorum nostrorum, coram eo non se prosternerent: nos ergo quod Deos nostros facere videmus, nisi cautè fecerimus, omnes sicut Pharao periculum incurremus.*

Christum adoratur, & Deus deorum prædicatur.

Cardinalis Baronius Tom. I. Annalium anno

anno Christi 1. de his agens inquit: *Memorata sic esse accipienda, non vt cuncta, quæ tunc erant in Aegypto, corruerint simulacra; sed de his aliqua, non in signum tam quòd ille aduenisset, quàm quòd idololatriam esset penitus euersurus.* Hanc traditionem absque hæsitatione amplectendam ducimus, tum propter plurium Doctorum auctoritatem, tum quia in sacris Litteris præfigurata & prophetata fuit.

Omen abolendæ idololatriæ.

Idolorum destructio præfigurata.

Præfigurata, inquam, primò in interitu primogenitorum Aegyptiorum, & deinde in casu Dagon ad præsentiam Arcæ Domini. *Sicut in exitu filiorum Israël de Aegypto*, inquit Magister Historiæ, *non fuit domus Aegypti, in qua non iaceret mortuus primogenitus; ita in ingressu Christi non fuit templum, in quo non corruerit idolum.* & Dionysius Carthusianus Isa. 19. *Corruerunt Aegypti idola propter Christi præsentiam, quam ferre non potuerunt; quemadmodum Dagon idolum corruit, cùm Arca præsentiam ferre nequiuisset*, 1. *Reg.* 5,3.

prænuntiata.

Non defuerunt etiam eiusdem facti Prophetarum oracula. Isaias cap. 19, 1. hæc habet: *Ecce Dominus ascendet super nubem leuem, & ingredietur Aegyptum, & mouebuntur simulacra Aegypti à facie eius.* Quæ verba interpretantur Doctores de ruina idolorum Ægypti, quando ad ipsam iuit Christus cum Virgine Matre, intelligentes per nubem leuem, vel Virginem Matrem, vel corpus Christi, quod ex Virgine assumpserat, nulla virilis commixtionis corruptione prægrauatum. Ita D. Athanasius de Incarn. Verbi, D. Chrysostomus in cap. 2. Matth. Rabanus Ecclesiasticus cap. 24. Cyrillus Ierosolymitanus Catech. 10. D. Hieronymus & Procopius Isai. 19. Origenes Homil. 3. in diuersos, D. Anselmus Matthæi 2. Magistet Historiæ, Druthmanus Matth. 2. Lyra, Carthusianus & Glossa Ordinar. Isa. 19. Eadem vt vera docuerunt Eusebius l. 6. de Demonst. Euang. Euagrius c. 20. D. Bonauentura de Vita Christi cap. 12. D. Antonnus 1. Part. tit. 5. cap. 1. §. 4. Cardinalis Hugo, Abulensis in cap. 2. Matth. quæst. 60. 61. Ludolphus de Vita Christi, Cardinalis Baronius, & plerique alij.

Sanctus etiam vates Ieremias idipsum prædixit, vt in eius Vita docet S. Epiphanius, notans etiam tempus talis euentus, dicens: *Cùm descenderit in Aegyptum cum suo infantulo Virgo enixa Deo similis.* Et diuus Dorotheus martyr in Synopsi hæc habet: *Ieremias signum dedit sacerdotibus Aegyptiacis, quòd oporteat simulacra eorum concuti, & decidere per Seruatorem puerum ex Virgine nasciturum, & in præsepi iacitu-*

rum; propterea etiam nunc Virginem in lecto, infantem in præsepio collocant & adorant. Et cùm causam olim Ptolemæus Rex percunctaretur, respondernnt, mysterium esse ipsis à maioribus traditum, quod illi à sancto Prophetæ acceperunt, &c. Idipsum docet Isidori Chronicum, siue Lucæ Tud. Pallad. cap. 52. in Vita Apollonij, Sozomen. lib. 5. Hist. Eccles. cap. 20. Et S. Ioannes 1. Epistol. 3,8. manifestè dixit, Christum in hunc mundum venisse, vt dissolueret opera diaboli; quod in infantia sua exequi cœpit, vt ipsum esse Christum & in terra aliena cognosceretur. Quare non est audiendus Iansenius, qui cap. 11. suæ Concord. memorata fabulam appellare ausus est.

Iansenius improbatur

Secundum obseruatione & relatione dignũ, quod occurrit Christo Domino postquam in Ægyptum peruenit, est, quòd quædam arbor eximia exterrita fuit, & Christo Domino se inclinauit, tam quam cælestium & terrestrium Domino: de qua in hunc modum scripsit Sozomenus loco notato: *Memorant*, inquit, *arborẽ esse, quæ Persis dicitur, Hermopoli, quod est oppidum Thebaidis; cuius fructus aut folium, aut particula aliqua corticis ægrotis admota, morbos à compluribus depulerit. Nam traditum est, Ioseph, cùm propter Herodem, assumptis secum Christo & Maria S. Deipara, fugisset, & venisset Hermopolim; atque simul vt porta appropinquauit, statim arborem, licet planè maximam, aduentu Christi turbatam esse, atque ad solum vsque se inflexisse, & Christum adorasse. Atque hæc quidem de arbore, sicut à multis audiui, à me commemorata sunt. Quæ quidem, si quid ego iudico, vel significabat iam Christum in vrbe adesse, vel, vt est verisimile, non modò arborem, quam incolæ propter magnitudinem & pulchritudinem lege gentilitia venerabantur, dæmone iam, qui ibi colebatur, ob Christum talium euersorem, qui in eo loco comparebat, perhorrescente, sua sponte commotam esse; verùm etiam omnes Aegyptiorum statuas, aduentante tum Christo, iuxta prophetiam Isaiæ concussas. Itaque dæmone inde abacto, arbor, quò rei gestæ testimonio esset, remansit ibi, fidelesq; morbis liberauit. Atque vt Aegypty & Palæstini istarum rerum, sic aly singuli aliarum, quæ apud ipsos gesta sunt, testes locupletes existunt.* Hactenus fuere Sozomeni verba.

Arbor eximia se inclinans Christum venerata fuit.

At non solùm hæc arbor velut rationis compos suum Auctorem agnouit, sed & altera, palma antiquissima, iuxta Cairum, de qua iam citato loco inquit Abulensis; quòd postquam se sanctissimæ Virgini in Aegyptum intranti inclinauit, vt dactylos inde colligeret, iterùm se erexit; quodq; hoc idololatræ videntes, arborem statim succide-

Etiam palmæ, quæ & fructus prabuit.

ciderunt; ſed nocte ſequente ſic arbor illa iterùm conſolidata eſt, & erecta, ſicut anteà erat, exiſtentibus tamen inciſionibus illis in ipſa, quæ hodie etiamnum apparent.

A prædone benignè hoſpitio excipiuntur; qui miraculo hoſpitalitatis mercedem accepit.

Tertium quod memorabile occurrit ſanctæ illi ſocietati in laborioſo illo itinere, eſt quod ſcribit Petrus de Natalibus lib. 3. cap. 202. in hiſtoria boni Latronis; repentè furem quemdam ex occulto loco prodiiſſe, vt ſacros illos peregrinos Mariam & Ioſephum deprædaretur; qui tamen, cùm primùm intuitus eſt infantem Ieſum & Matrem illum geſtantem, ex rapaciſſima fera mutatus eſt in manſuetiſſimum agnum: adeò vt nihil ab eis extorqueret, ſed ad propriam ſuam ſpeluncam, quæ eius domicilium erat, illos benevolè ſecum adducens, ex his quæ poſſidebat, multa liberaliter erogaret. Contigit autem, quòd vxor illius latronis lauans filium lepra laborantem eadem aqua, qua Virgo infantiles Ieſu pannos lauerat, continuò à lepra liber euaſit. Teſtaturque illum latronem eumdem fuiſſe, qui à dextris Chriſti crucifixus in monte Calvariæ dixit: ***Memento mei Domine, cùm veneris in regnum tuum***; & audire meruit: ***Hodie mecum eris in paradiſo.*** Alij eadem ſcribunt ex D. Anſelmo. Iacobus Voragineus Sermone de Innocentibus, & Antonius Gliſandus quæſt. 677. in Dominicam Paſſionis, qui & rationem reddit, quare latrones moleſtia eos non affecerint; quòd cùm beatiſſima Virgo à latronibus capta eſſet, latro iſte puerum Ieſum conſpiciens, diuinum neſcio quid in eius vultu conſpexit, ſociosque induxit, vt beatam Virginem cum Ioſepho & puero dimitterent.

Luc. 23. 42.

Cetervm, hoc apocryphum eſſe plures arbitrantur; & illud etiam quod Ioannes de Carthagena Tom. 3. ſuarum Homiliarum lib. 9. Hom. 10. de his agens ſe legiſſe ait Romæ in perantiquo libro de Vita Chriſti Domini, ſine titulo Auctoris, quòd cùm beata Virgo & Ioſeph per antra deſerti Ægypti iter faciebant, varia animalia hinc inde prodibant, vt leones, leopardi, vrſi, dracones, & ſimilia, quæ Chriſto Domino ſe humiliabant, eumque, qua ratione poterant, venerabantur. Quod ſi verum eſſet, ad litteram, vt volebant Hebræi, adimpletum vidiſſent, quod faciendum prædixit Iſaias cap. 11, 6. in aduentu Meſſiæ: ***Habitabit lupus cum agno: & pardus cum hædo accubabit: vitulus & leo & ouis ſimul morabuntur, & puer parvulus minabit eos***, &c. Item quòd magna volucrum caterua ſuaui melodia canens, Chriſtum Dominum hac miraculoſa voce ſalutauit, ***Salue Rex.*** Et quòd cùm beata Virgo, in brachiis ſuis Chriſtum Dominum baiulans, ingredi vellet in templum quoddam Gentilium, vltrò portæ ſe aperuerunt. Sequenti Peregrinatione agemus de aliis, quæ ſanctis illis peregrinis in Ægypto commorantibus contigerunt.

Alia referuntur mirabilia.

CAPVT III.

De Azoto Paleſtinorum vrbe, ſecundo loco primæ Peregrinationis, & vno ſeruo Dei Minorita, aliiſque fidelibus ibidem pro Chriſti fide à Mahometanis interemptis.

PEregrini Terræ ſanctæ proficiſcentes ex Ieruſalem in Ægyptum deſcendunt Ramam, & è Rama terreſtri itinere Gazam. In iſto itinere, præter alia quæ viſuntur loca, occurrunt etiam aliquæ ex quinque præcipuis vrbibus & Satrapiis Philiſthinorum: iſto enim nomine appellantur à ſeptuaginta Interpretibus in libro Ioſue cap. 13. v. 3. vbi illarum mentio fit, quas & nos ſtatim recenſebimus; & illarum Principes Satrapæ paſſim dicuntur; & ſanctus Hieronymus Regulos vocat. At quot, & quæ ſunt pertranſeundæ? Tres, ***Azotus***, ***Aſcalon***, & ***Gaza***; & eo ordine quo ſunt recenſitæ, vt omnes fatentur. De Azoto nunc agentes duo videbimus: primò, quid antiquis temporibus fuerit, quæve memorabilia in ea operata recenſeantur: ſecundò, quid fuerit poſterioribus; & aliqua ſimiliter memorabilia, quæ celebrem reddunt, referentur.

Satrapæ qui dicuntur.

Quantum ad primum: Azotus, Hieronymo ***Aſdod***, ſed in vulgata verſione ſemper ***Azotus*** appellatur, vrbs inſignis & potentiſſima ex quinque Philiſthinorum Satrapiis; quæ multo tempore pòſt, etiam ætate Hieronymi, erat, vt ipſe ait, inſigne oppidum Paleſtinæ.

De Locis Hebr. *Azotus ciuitas Satrapiæ.*

De ſitu duo inquiri poſſunt: alterum, in qua tribu fuerit; alterum, quem ordinem habeat ad alias Satrapias. De primo inquit Hieronymus, quòd erat in tribu Iuda; & verè Ioſ. 15, 46. huic tribui fuit attributa. Ioſephus lib. 5. Antiq. cap. 1. eam cum Accarone & Geth à tribu Iudæ fuiſſe auulſam, Danniſque tributam vult, relictis tantummodò tribui Iudæ Aſcalone & Gaza; & ratio perſuadet: aliàs enim non videtur, quomodo tribus Dan ſpatium habuiſſet terræ ſufficiens verſus mare, vt ſeſe extenderet. In hac tribu illam repoſuit Adrichomius cum aliis. Verùm neque Iuda neque Dan eam vnquam poſſeſſione ſtabili poſſederunt.

Situs eius.

Ibidem.

In Dan n. 7.

De ſecundo, non eſt concors Auctorum ſenten-

Ordo quinque Satrapiarũ Philiſthinorum.

ſententia. Adrichomius inter dictas ciuitates hunc conſtituit ordinem, progreſſum faciendo à Meridie ad Aquilonem, vt prima ſit Gaza, deinde Aſcalon, Azotus, Accaron, Geth.

Alij ita diſponunt, Gaza, Aſcalon, Azotus, Geth, Accaron, volentes Geth immediatè ſequi Azotum, & Accaron eſſe his ciuitatibus Boreàliorem. Fundantur iſti in
Ioſ.13,3. eo, quòd à Ioſue ita diſponuntur: *A fluuio turbido, qui irrigat Aegyptum, vſque ad terminos Accaron contra Aquilonem: Terra Chanaan, quæ in quinque regulos Philiſthiim diuiditur, Gazæos, & Azotios, Aſcalonitas, Gethæos, & Accaronitas.*

Verùm hæc auctoritas non refragatur Adrichomio; quia non conſtat, in his ciuitatibus recenſendis ſeruatum fuiſſe ordinem quem inter ſe habent, ſicut nec alibi, vbi eædem recenſentur, ſeruatus eſt, 1. Regum 6,17. & oporteret etiam Azotum immediatè ſequi Gazam; quoniam ita enumeratur, & ita aliqui poſuerunt, etſi communiter in medio collocetur. Habemus tamen certò ex prædicta auctoritate, quòd, vt Gaza eſt Auſtralis terminus iſtarum quinque vrbium, ita Accaron eſſe Borealem, & non Geth. Diſtare Azotum à Gaza quadraginta milliaribus, & totidem ab Ieruſalem, dicunt aliqui; minùs à fonte, vbi Philippus baptizauit Eunuchum, ſecundùm Adrichomium in tabulis, & ab Aſcalone ducentis ſtadiis elongari affirmant.

Azoti mons & turres.
Tyr.4.Bel. cap.12.

Habuit Azotus propinqua montana, vnde mons Azoti, 1. Mach. 9,10. nominatur, & torrens iuxta Azotum, Ioſeph Antiq. lib. 13. cap. 6. turres in agris Azoti, 1. Mach.16. & via iuxta Azotum, 1. Machab.1.

In ea erat idolum Dagon.

In hac vrbe celeberrimum erat templum Dagon idoli Philiſthinorum; quod habebat caput quaſi piſcis, & ſub forma
Ibid. alla. piſcis colebatur: iuxta quod cùm Arca Domini à Philiſthæis collocata fuiſſet, idolum ſemel atque iterùm concidit, capite manibuſque truncatis. Huius in Scripturis frequentiſſimè fit mentio. Hanc Sargon Rex
1.Reg.5,6. Aſſyriorum, miſſo duce exercitus ſui Thareſam, expugnauit. Iuxta Azotum occiſus eſt Iudas Machabæus à Bacchide
Iſa.20,1. & Alcimo, principibus militiæ Demetrij
2.Mach.9, 18. Regis; eamque captam Ionathas Machabæus incendit, & quæ erant in circuitu ciuitates: quo impetu Beth-Dagon, id eſt templum Dagon, & omnes qui fugerant
1. Mach. 10,84. &c.11,4. in illud, concremauit. Iuxta eamdem vicit Apollonium. In hac Philippus à Spiritu
1. Mach. 10,83. Act.8,40. ſancto raptus & collocatus prædicauit Chriſtum.

Quantum ad ſecundum principale, poſt captam Ieroſolymam vltimò per Chriſtianos, ciuitas erat, vt Guilielmus Tyrius indicat de Bello ſacro, & Epiſcopum habuit; tempore Breindem. & noſtro villula. Et vt celebris fuit antiquis temporibus Azotus ſingulariter, ob ibi receptam Arcam Domini; at non minùs poſteà habitata à fidelibus, qui templum ſunt Spiritus ſancti, & illorum præſertim, qui proprij ſanguinis effuſione Chriſto teſtimonium reddiderunt; & ſeipſos acceptum illi holocauſtum obtulerunt; inter quos celebris eſt memoria cuiuſdam Fratris Philippi Franciſcani, & alio-
1.P.Chron. Ord. Minor.l.5. cap.13. rum Chriſtianorum pro Chriſto à Saracenis interfectorum, vt, præter alios, tradidit
D. Anton. tit.24.c.3. §.3. an. 1231. D. Antonius de Patauino in Vita S. Antonij Patauini ſequentibus verbis:

Celebris fuit, & per Chriſtianos Epiſcopalis Sedes decorata.

D. Antonij Patauini prophetia.

Cùm quadam domina de Anitio, ſeu de Pedio, ſuum conceptum B. Antonio commendaſſet; ille oratione facta, futura Deo reuelante prædixit, dicens: Gaude ô domina, & fiduciam in Deo habeto; quia naſcetur tibi filius, qui erit Frater Minor & martyr; ipſe ad martyrium plurimos animabit: quod totum impletum eſt. Natus ille, & Philippus vocatus, Ordinem Minorum ingreſſus, in dies de virtute in virtutem proficiens, ex deuotione tranſmarinam peregrinationem aſſumpſit. Et cùm caſtrum Azoti, in quo tunc erat, proditoriè fuiſſet traditum Saracenis; omnes Chriſticolæ ibi manentes, à barbaris capti, ad mortem condemnati ſunt circa mille animas: inter hos præfatus Frater Philippus, Deo diſponente, ad alios roborandum in conſtantia confeſſionis fidei, vltimus fuit ad ſententiam excipiendam. Interrogati igitur fideles illi, an fidem ſuam abnegare vellent potiùs quàm vltimum pati ſupplicium, vnanimiter reſponderunt, ſe viam tenere & fidem, quam Philippus prædicabat. Hortatus eſt autem eos Frater Philippus, dicens: Eſtote chariſſimi fortes in fide; quia Dominus mihi reuelauit, quòd hac nocte per martyrium cum mille animabus regnum cælorum introibo. Confortati igitur, cum palma martyrij omnes ad cælum euolarunt. Soldanus verò vltrò Fratrem Philippum, vt cauſam potiſſimam permanentiæ illorum in fide, crudeliſſimè trucidauit: nam primò iuncturas manuum fruſtatim ei incidi mandauit. Et cùm à confeſſione fidei non ceſſaret, fecit eum decoriari vſque ad vmbilicum; ſed per hoc non reticenti, fecit ei linguam abſcindi. Nec tamen lingua præciſa à prædicatione ceſſauit, Deo mirabiliter operante: demum capite plexus, martyrium conſummauit. Horum corpora per aliquot dies inſepulta incorrupta permanſerunt; ſicq; Antonij prophetia eſt impleta. Sic ille. Et ad iter noſtrum greſſus conuertamus.

Hortatur fideles Minoritas ad perſeuerandum in fide; & omnes martyrij corona donantur.

CA-

CAPVT IV.

De Aſcalone Palæſtinorum vrbe, tertio loco primæ Peregrinationis.

EX Azoto ſuum proſequentes iter noſtri peregrini, Aſcalonem perguint. De iſta ciuitate duo explicabimus: quidnam fuerit antiquis, & quid poſterioribus temporibus. Secundò, quædam in ea geſta recenſebimus. De primo, *Aſcalon*, quæ & *Aſcalona*, vrbs antiqua nobilis, non tam magnitudine quàm robore excellens, vna de quinque primariis & Satrapiis Philiſthæorum: ſita in littore maris, forma ſemicirculi portum ambiens, muro cincta validiſſimo: diſtat ab Ieroſolymis ſeptingentis viginti ſtadiis, à Ramula octo milliaribus, vt Guilielmus Tyrius docet. Sed in qua tribu erat? In Simeon illam delineauit Adrichomius; in Iuda Ioſephus poſuit, vt diximus Capite præcedenti: verùm nec Simeon nec Iuda illam vmquam poſſederunt; quia ex illa habitatores eiicere nequiuerunt: ab ea Philiſthinorum reguli, Aſcalonitæ vocantur.

Aſcalon quid.

In Simeon num. 15. Numquam à Iudæis poſſeſſa.

Hæc ciuitas, iuxta Prophetarum oracula, ſæpiùs deſtructa fuit, ſed etiam reſtaurata. Eam poſteà cepit Ionathas frater Iudæ Machabæi æquè ac Accaronem & Azotum: quam etiam cum octo millibus incolarum igne combuſſit, 1. Machab. 10, 84. Poſteà tamen reædificata fuit: nam in ea natus dicitur Herodes ille infanticida; ac ideò Aſcalonita appellatus; qui fuit ab Auguſto in Regno Iudææ confirmatus. Poſt cuius mortem palatium dedit Cæſar Salomæ ſorori Herodis: ædificauerat enim ibi Herodes domum & aulam regiam. Poſteà fuit Saracenorum fortiſſimum propugnaculum; cuius muros cùm Saladinus diruiſſet, Richardus Anglorum Rex reſtaurauit, ait ex Tyrio Adrichomius; ſed cum aliis locis poſteà obtinuerunt Turcæ. Pluries illius meminit Tyrius.

Bis à deſtructa. Amos 1, 8. Soph. 2. 4. & 6. Zach. 9, 5.

Herodes Aſcalonita Aſcalone natus.

Philiſtbæi ibi à Samſone occiſi. Iudic. 14, 14 & 19.

De ſecundo, hîc Samſon occidit triginta viros de Philiſthæis, eorumque veſtes abſtulit, vt eas daret totidem viris, qui problema ſuum ſoluerant; quod erat: *De comedente exiuit cibus, & de forti egreſſa eſt dulcedo.* Superbi ſæuique erant Aſcalonitæ, infideles, & in Chriſtianos valdè infenſi; patet ex Tyrio; ſed abundè ex eo quod hîc ſubiicimus ex Theodoreto diiudicare licet: cùm iis frena laxaſſet Iulianus Apoſtata anno Dom. 362. *Aſcalone*, inquit, *& Gaza Sacerdotum & virginum Deo dicatarum ventres diſcindunt, deinde farciunt hordeo, ac tandem eos porcis deuorandos obiiciunt.* Et hæc de Aſcalone ſatis.

Aſcalonita crudeles. Lib. 3. Hiſt. 6.

CAPVT V.

De ciuitate Gaza, quarto loco primæ Peregrinationis.

SErmonem inſtituentes de Gaza, aduertendum eſt, illam duplicem eſſe, veterem & nouam: vetus, quæ ante Chriſti aduentum ædificata fuit in planitie; noua in colle poſita: frequens illius mentio eſt in ſacris Litteris. Inſignis olim ciuitas, & vna ex quinque primariis & Satrapiis Philiſthinorum; cuius vix in præſentia cernuntur fundamenta. Magnus enim Alexander, ſecundùm Prophetarum verba, poſt bimeſtrem obſidionem occupauit, in ſempiternum vertens tumulum; ob idque deſertam vocat Lucas Act. 8, 26. diſtabat à Mari mediterraneo (ſi Straboni credimus lib. 16.) ſtadiis ſeptem, alij dicunt quatuordecim; eratque in confinio Meridionali ſortis Iudæ. Aduertendum tamen, tam Gazam quàm nonnullas alias ciuitates iuxta poſitas, nunc Iudæis & nunc Idumæis tribui; quia modò ab his, modò ab illis occupatæ fuerunt; vel potiùs, quia ab iſtis poſſeſſæ, ſed illis in ſortem tributæ, vt ſatis patet.

Gaza duplex, vetus & noua.

Veterem Alexander euertit.

Gaza noua eſt illa, quæ, vt fertur, ædificata fuit in littore eiuſdem maris temporibus Magni Conſtantini, dictaque *Maiouia*, & in eius honorem *Conſtantia* nuncupata; meliùs dicetur fortè inſtaurata, quando fuit ad Chriſti fidem conuerſa. Adrichomius enim ex D. Hieronymo refert, Gazam nouam temporibus Machabæorum, Ioſephi & Hieronymi, magnoperè floruiſſe: igitur non primò à Conſtantino & tempore eius conſtructa. Diſtat à veteri viginti propè ſtadiis, inquit Sozomenus lib. 6. Hiſt. Trip. c. 4.

Noua quid: à quo ædificata, vel reſtaurata.

Quantum ad nominis etymologiam, Pompon. Mela lib. 1. cap. 11. inquit, Gazam dictam à diuitiis: nam ſic vocant Perſæ æ rarium; quòd cambiis ex Perſia Ægyptum armis petens, huc belli opes & pecunias intulerit.

Salmeron Tom. 1. Prolegom. 41. reiicit hanc ſententiam, dicens, Hebræis non à *Gaza* voce Perſica, ſed ab *Hazza*, quæ ſignificat fortitudinem, deduci: & à Zacharia cap. 9. Gaza dicitur per antiphraſim debilitata. De vtraque nonnulla attigimus Libro VI. Cap. 1. Peregrinationis IV. Vide etiam Adrichomium in tribu Simeon nu. 46. plura de ea differentem; & nobis ſatis ſit pauca hîc ſcribere. Vetus illa Gaza non longè à noua ædificata fuit prope viam, quæ ducit in Ægyptum. Hæc quidem illuſtris & nobilis olim fuit (etſi nunc ſatis demolita & vaſtata) vt ex eius ruinis depre-

Gazæ nominis derivatio.

Mutationes.

hendere licet; deinde ſub Iuliano nomen priſtinum recepit, & Gaza maritima dicta eſt; & hiſce temporibus quamuis priſtino ſplendore priuata ſit, adhuc tamen æſtimatur, quandoquidem reſidet in ea Gubernator, qui Baſſa à Turcis appellatur: & pluris ex hoc videtur fieri ab eiſdem quàm Ieruſalem, vbi inferioris ordinis Gubernator reſidet, vulgò appellatus Sangiacco.

Palatium à Samſone euerſum. Iud. 16,29

Quod notabile apud eam cernitur, eſt palatium, ſiue ruinæ palatij, quod Samſonis & plurium Palæſtinorum ſepultura fuit: quando ille viribus ſuis reſtitutus, apprehenſis duabus columnis, quibus fulciebatur, excuſſit & euertit mirabiliter.

Mons, ad quem erant portæ ciuitatis deuolutæ.

Foris extra ciuitatem oſtenditur mons, ſupra quem fortiſſimus Samſon portauit portas ferreas ciuitatis. In hac, cùm ex Aſcalone peruenerint, morantur peregrini, de neceſſariis ſibi pro reſiduo itineris conſulentes.

CAPVT VI.

De vno ſeruo Dei Minorita, & duobus aliis Chriſti fidelibus, qui Gazæ martyrium paſſi ſunt.

VT in aliis locis, ſub infidelium Chriſti hoſtium tyrannide conſtitutis, plures fideles & amici Crucis Chriſti pro eius gloria & ſanctæ Catholicæ Eccleſiæ dilatatione crudelem mortem ab impiis ſuſtinuerunt, ita & in ciuitate Gazæ; inter quos ex

Minorita martyrium paſſus.

Fratribus Minoribus vnum inuenio. Hic fuit Fr. Ioannes Neapolitanus Diaconus: qui cùm anno Domini 1370. eſſet Gazæ, & illius Regem voluiſſet ad Chriſti fidem perducere, ſalutari Chriſti Euangelio prædicato, offerens Regi æternam vitam, accepit pro mercede fæuiſſimam mortem, in partes ſectus & dilaceratus à Saracenis. Ita in 2. P. Chronic. Ordinis Minorum lib. 11. cap. 30. & in Conformit. S. Franciſci lib. 1. de Prouincia Terræ ſanctæ.

Duo peregrini Galli pro fide Chriſti occiſi.

Ex aliis fidelibus fertur, quòd cùm circa annum Domini 1555. duo Terræ ſanctæ peregrini Galli illac tranſirent, à Prorege, ſiue, vt vocant, Baſſa ciuitatis comprehenſi fuere: cumque minis & perſuaſionibus adducere illos non poſſet ad Chriſti fidem abnegandam, & Mahometanam ſuperſtitionem amplectendam; crudeliſſimè illius iuſſu à Saracenis interempti fuerunt. Quorum corpora cùm proiecta eſſent & inhumata, noctuque magnum lumen ſuper eadem appareret, clàm nocte à Chriſtianis collecta, honorificè in Græcorum Eccleſia tumulata ſunt. Ita docet Gazenſium traditio.

CAPVT VII.

De Cathia Maurorum ciuitate, & aliis locis, quinto loco primæ Peregrinationis occurrentibus in via ex Gaza ad Cathiam & Taphnis ciuitatem.

RElicta Gaza, dirigunt greſſus peregrini verſus Cathiam Cairum profecturi: antequam tamen ad eam perueniant, quinque loca quæ hic ſcribimus, vt ab expertis accepi, inueniuntur. Abſolutis viginti milliaribus poſt è Gaza diſceſſum, primus locus qui offenditur, *Cuniamus* appellatur: ex iſto, poſt vigintiquinque milliaria, ſecundus offenditur locus, dictus *Puteus deſerti*; tertius poſt iſtum, peractis quinquaginta milliaribus, qui *Aru Principis* nomine inſignitur: ibi dulces aquæ inueniuntur: poſt hunc inuenitur quartus puteus, à præcedenti nonaginta milliaribus diſtitus; ex iſto, peractis alijs triginta milliaribus, quintò peruenimus ad alium ſimiliter aquæ ſalitæ & amaræ puteum: poſt quem denique, abſolutis adhuc vigintiquinque milliaribus, inuenitur *Cathia*. Sicque computando, colligimus, Cathiam à Gaza diſtitam eſſe milliaribus ducentis & quadraginta. Cathia ciuitas eſt à Mauris poſſeſſa & habitata; præcipuusque locus eorum qui offenduntur in via inter Gazam & Cairum. Quo nomine appelletur in ſacris Litteris me latet, ſicut & iam memoratorum locorum appellatio.

Sex loca à Gaza vſq; ad Cathiã occurrentia.

Primus, Cuniamus.

Secundus, Puteus deſerti.

Tertius, Aru Principis.

Quartus, Puteus quidam.

Quintus, Puteus aquæ amaræ.

Sextus, Cathia.

In hac via Adrichomius in Pharan numer. 96. deſcribit ciuitatem Tanis, ſiue Taphnis; quæ an ea ſit, quæ nunc Cathia, vel alio nomine ex iam memoratis appelletur, mihi eſt incompertum. Aliqua hîc de ea ſcribere placet, ob multorum intelligentiam quæ in Scriptura ſacra leguntur. Priùs tamen notandum eſt ex Strabone lib. 17. duplicem eſſe in Ægypto Taphnem, ſiue Tanem; alteram non procul à Memphi, alteram ad Nili oſtium Taniticum: in præſentia de poſteriori loquimur. De iſta Abulenſis quæſt. 60. in cap. 2. Matth. ſequentia ſcribit: *Et ſciendum, quòd de ciuitate Pharaonia, quæ eſt in principio Aegypti, vſque ad flumen ciuitatis Taphnis, ſunt milliaria vigintiquinque. Ciuitas tamen Taphnis eſt vltra fluuium, quaſi per quindecim milliaria ſupra quemdam lacum. In hac vrbe, ante aduentum Iſraëlitarum in terram Chanaan, fuerunt gigantes: de quorum ſtirpe fuerunt illi tres gigantes, de quibus dicitur Num. 13. v. 34. & iuſue 15, 14. & propter hoc dicitur Num. 13. quando fit mentio de iſtis gigantibus; Taphnis ante Hebron ſeptem annis condita*

Taphnis duplex, prope Memphim, & prope oſtia Nili: hæc de iſta.

Situs eius.

Gigantum habitatio.

Digitized by Google

Ibi Pharaonē fuit, Moysi alloquutus, & miracula fecit.

condita est. In Taphnis erat Pharao, quando Moyses & Aaron petierunt ab eo, vt dimitteret recedere Israëlitas de Aegypto (vt aliqui dicunt) & ob hoc facta sunt ibi miracula à Deo, sicut dicitur Psalmo 77. scilicet, Coram patribus eorum fecit mirabilia in terra Aegypti, in campo Taneos. Ad veritatem autem, ista ciuitas fuit de terra Gessen, in qua habitauerunt Israëlitæ, quando fuerunt in Aegypto: & de hac dixit Ioseph fratribus suis Genes.46. Dicetis Pharaoni: Pastores enim sumus nos & patres nostri. Et hoc dicetis, vt habitare possitis in Gessen. Est hæc terra in fine Aegypti tam ex parte Aquilonis quàm ex parte Occidentis; quia est iuxta mare & Nilum fluuium. Ita ille. Et post pauca addit:

Est in terra Gessen.

Genes. 46, 34. & c. 47 à 1. v. vsq; ad 7. & v. 27.

Illim præfens statum.

Ista ciuitas Taphnis fuit antiquitus valdè munita, in firmo loco posita, sed hodie est omnino destructa: & pauci Saraceni, qui vocantur Beduini, & sunt de stirpe Moabitarum & Ammonitarum, habitant in ea, scilicet apud riuos eius, propter pascua & vbertatem terræ: & abundat piscibus & auibus supra modum. A fluuio Taphnis vsque ad vrbem Damiatam Aegypti sunt miliaria sexaginta, nauigando per mare de Taphne in Damiatam. Huculque Abulensis.

Proderit etiam hîc subscribere, quæ Adrichomius citatus appositè more suo ex aliis, pro huius loci & eorum quæ in eo contigerunt explicatione, collegit; sic verò ait: *Tanis, qua & Taphnis, Hebraicè Soan siue Zoan dicitur, Aegypti vrbs insignis, maxima & vetustissima, septem annis post Hebron condita à septemdecim Titanibus filiis Noë post diluuium genitis, teste Beroso; à qua ostium Tanicum Nili denominatur. Metropolis fuit Aegypti quondam: in qua tempore Moysis & Ieremiæ erat regia domus Pharaonis. In huius campo illa per Moysen Deus operatus est, quorum historiam in Exodi libro descriptam legimus. Prophetauerunt contra Isaiam, Ieremiam, & Ezechiel. VVilhelmus Tyrius nominat illam Tapium; docetq; suo tempore parui ad instar oppidi fuisse. In hac etiam habitarunt Iudæi, qui metu Babyloniorum cum Ieremia fugerant. Vbi eumdem Ieremiam, ipsos de idololatria corripientem, lapidauerunt: quem honorantes Aegyptij, ob fugatos ipsius oratione ab eodem loco serpentes, honorificè sepelierunt iuxta sepulchra Regum suorum; magnaq; cum ibi religione venerantur.* Hactenus ille.

Quando & à quibus condita.

Sedenim pro maiori dictorum explicatione duo hîc animaduertere debemus: alterum, circa id quod dictum est, plura ex memoratis in libro Exodi contigisse in Taphnis ciuitate; alterum, circa Ieremiam ibi à Iudæis interfectum, & ab Ægyptiis honorificè tumulatum.

Quantum ad primum, videtur refragari Scriptura sacra; & consequenter videtur sibi contraria. Postquam enim Psalm. 77, 12. dixisset dicta mirabilia operata fuisse in campo Taneos: *Coram patribus eorum*, inquit, *fecit mirabilia in terra Aegypti, in campo Taneos.* & infrà v. 43. *Sicut posuit in Aegypto signa sua, & prodigia sua in campo Taneos.* Verùm postea Psal. 104, 27. ait facta fuisse in terra Cham. sic enim dicit: *Posuit in eis verba signorum suorum & prodigiorum in terra Cham.* Si in terra Cham facta sunt illa mirabilia, quomodo eadem in Ægypto, alia regione, & in Tani facta fuisse dicemus?

Dubium.

Sed de facili soluitur difficultas; & dupliciter: Primò, ex Lyrano Psalm. proximè citato, dum dicit, quòd per terram Cham intelligitur Ægyptus, quæ sic nominatur: eò quòd Mesraim, à quo denominata est Ægyptus, fuit filius Cham, Genes. 6, 10. vnde vbicumque in veteri Testamento habetur Ægyptus in Latino, in Hebræo habetur Mesraim. Eadem responsio est Benedicti Pererij disput. 12. in cap. 7. Exod. numer. margin. 66. inquit enim: Propterea Aegyptus vocatur terra Cham, quòd primus omnium, qui terram Aegypti tenuit post diluuium, & parens fuit gentis Aegyptiorum, fuit Mesraim filius Cham; quamobrem Hebræi ipsam Aegyptum appellant Mesraim. Ex quo licet intelligere Aegyptiorum hereditariam & originalem improbitatem; quippe qui ex primo illo Cham filio Noë progeniti fuerint. Et subiungit de ciuitate Tani: Tanis verò ciuitas erat Regia, & caput Aegypti, vbi Rex Pharao, & Princeps eius, & sapientes Aegypti habitabant, vt ex cap. 19. & 30. Isaiæ cognosci potest. In hac igitur vrbe, & circumiacente agro, plagæ illæ primùm factæ sunt coram Pharaone & Principibus eius.

Solutio.

Terra Cham pro Ægypto accepta.

Secundò, idem Pererius inquit, per Synecdochen vocabulo Taneos, quæ princeps Aegypti ciuitas erat, vniuersam denotari Aegyptum, eamque, ob amplissimam planitiem & agrorum fertilitatem, ritè nominari campum. Et subdit de Tani: Tanis porrò ciuitas Hebraicè vocatur Zohan; de qua Hebræi, & inter hos Rabbi Salomon, quantum pertinet ad plagas Aegypti, hæc scribunt: Zohan præclara vrbs Aegypti est, vbi Regum erat sedes. Quocirca plagas Aegypti in campo Taneos factas esse legimus; quia ibi primùm apparebat plaga, & inde per vniuersam Aegyptum diffundebatur: vt caput videlicet feriretur priùs, deinde reliqua membra. Si aqua corrumpebatur, primò ea vrbs calamitatem

Alia Pererij responsio.

Digitized by Google

sentiebat: si ranæ producebantur, ibi primò tale ostentum cernebatur; quia & scelerum colluuies ibi potissimùm vigebat. Vbi enim Regiæ sunt, maiora imbi cernuntur flagitia; siue propter multiplicis hominum generis frequentiam; siue, quòd id genus hominum cunas potissimum & regales aulas frequentare soleat. Hæc isti. Latinè, more nostro, reddita. Hucusque ex Pererio.

Reijcitur. Ceterùm, non mihi multùm probatur secunda Pererij responsio: etenim volebat Dauid ostendere locum peculiarem Aegypti in quo dicta prodigia operata fuere; nam de loco communi, id est Aegypto, non est dubitandum, cùm in Exodo satis constet, ea operatum fuisse Moysen coram Pharaone in Aegypto. Confirmatur; quoniam ipse regius Vates in duobus memoratis locis, Psalm. 77, 12. & 43. meminit loci communis, id est Aegypti, & posteà particularis, id est, Taneos: in priori, *coram patribus eorum*, in posteriori, *sicut posuit in Aegypto*, &c. quare non Aegyptum in communi, sed aliquem eius particularem locum Taneos nomine intellexit Propheta; aliter esset in illius verbis eiusdem loci inutilis repetitio.

Nisi dicatur, illud addidisse Prophetam ad maiorem explicationem. An dicitur terra Cham, quia Aegypti habitatores aliqui loquebantur lingua Chananitide, mercaturamque exercebant, & impij Cham, patris Cham, imitatores fuere?

Quantum verò ad posterius, de Ieremia, aduertendum, quòd, destructa Ierusalem per Regem Babylonis, plures Iudæorum à Babyloniis ducti fuerunt in captiuitatem, paucis & pauperculis ibi relictis Iudæis pro colenda terra: præfectusque his fuit Godolias à Rege, siue à Nabuzardan nomine Regis Babylonis, qui habitans in Masphat vna cum Ieremia, qui sibi fuerat plurimùm commendatus, beneuolum Iudæis se præbuit; & dispersos ad eum confugientes humaniter recipiebat. Id cùm Ismahel quidam de semine regio Iudæorum ægrè ferret, Godoliam cum aliis Iudæis & Chaldæis proditorie interfecit. Reliquiæ Iudæorum timentes à Chaldæis facti vltionem, statuerunt fugere in Aegyptum, sicut fugerunt, contra præceptum Domini illis per Ieremiam patefactum: & sanctus Propheta cum Barucho populi misertus, & ab eodem coactus, fugit in Aegyptum duce Ioanam.

Iudæi in Ægyptum fugiunt.

Ieremias cum illis proficiscitur, vbi multa prædixit.

Ieremias cùm in Taphnis ciuitate habitasset paucis annis, multa prædixit: in primis, venturum Regem Babylonis ad terram Aegypti, & positurum thronum suum in porta domus Pharaonis; & percussurum terram Aegypti, ac idola eius vastaturum, Ierem. cap. 41. vsque ad 44. Deinde prophetauit, exhibuitque sacerdotibus Aegypti signum, dicens, oportere cuncta eorum simulacra concidi, simulque manufacta omnia (subaudi idola, eorumque templa & aras) in præceps dari; idque tunc futurum, quando in Aegyptum venerit cum suo infante Virgo enixa Deo similis: sic scribit S. Epiphanius in eius Vita; & idipsum suprà Capite 11. huius Peregrinationis attigimus.

Contentiones inter Ieremiam & Iudæos.

Ad hæc, ibidem creditur graues illas accidisse contentiones, quæ in toto capite 44. Ieremiæ describuntur, inter ipsum Ieremiam, & Iudæos in Aegypto existentes, quòd eos grauiter arguebat de illorum idololatriis; a quibus tamen se non continebant, pertinaciter illi contradicentes. Videns S. Propheta se nihil in suis monitis proficere, & Iudæos reddi in malo obstinatiores; eis obtestatus est, quòd propterea perituri erant gladio & fame: in cuius rei signum adiecit, quòd cùm viderent Pharaonem Ephree, qui tunc regnabat in Aegypto, tradi in manus inimicorum suorum, & in manus quærentium animam illius; scirent vtique, breui quoque implendum fore vaticinium, quod contra illos protulerat.

A Iudæis lapidatur.

Denique, vt par est credere, cùm sancto accensus zelo in memoratis populi increpationibus constantissimè perseueraret, in Taphnis à populo suo lapidibus obrutus occubuit, vt docet S. Epiphanius; non ergo Damiatæ, vt dixit Fr. Anselmus in sua Descriptione Terræ sanctæ. Et quoniam nimis honorati sunt amici Dei, quorum ipsemet Deus custodit omnia ossa eorum, vt dixit Propheta regius, cùm sanctus iste vir & sacerdos non tantùm prophetiæ dono, sed & singulari sanctitate claruerit (fuit enim, quod paucis concessum legimus, in vtero matris sanctificatus, vt ipse initio suarum Reuelationum testatum reliquit, &, vt S. Hieronymus scribit in Prologo huius Propheræ, sacerdos ex sacerdotibus) virginitate sua Euangelicum virum Christi Ecclesiæ dedicauit, & puer vaticinari exorsus fuit. Pluribus scriptis, operibus & sermone verum Deum constantissimè coram Regibus, Gentilibus & filiis Israël prædicauit; pro quo vincula, carceres & ipsam denique mortem forti & alacri animo subire non dubitauit, vt meritò dixerit de eo Ecclesiasticus cap. 49, 9. quòd *malè tractauerunt illum, qui à ventre matris consecratus est Propheta, euertere, & eruere, & perdere, & iterùm ædificare, & renouare.* Quare, diuina

In vtero matris fuit sanctificatus.

Digitized by Google

Vbi passus, ibi honoratus.

diuina prouidentia factum est, vt vbi ludibria & mortem sustinuit, ibidem sit honoratus: iacet enim eo loco honorificè sepultus, vt docet loco citato S. Epiphanius, quo dudum Pharao habitauerat. Quamobrem Aegyptij postea magna eum religione colebant, vbi pluribus se officijs ab illo adiuuari cognouerunt. Aspides enim & vndarum belluæ, quas nephod appellitant Aegyptij (Latinè crocodilos dicimus) eos interimentes, postulationis Ieremiæ beneficio ex illis finibus sunt profligatæ; nec tam aspidum furor, quàm ex flumine, ratione pari, bestiarum insidiæ: quique vel hodie adhuc fideles comperiuntur, eodem in loco supplicare consueuerunt; &, sumpto puluere, morsibus aspidum medentur: feræ quoque aquarum hinc aufugerunt. Hæc ex Epiphanio.

Miracula ad illius sepulchrum operantur.

Illius reliquiæ Alexandriam translatæ.

Addit etiam, Prophetæ reliquias Alexandriam translatas. *Nos verò*, inquit, *ex posteris Antigoni & Ptolemæi, viris iam grandæuis, audiuimus, quòd Alexander Rex Macedonum, cùm ad eum Prophetæ locum venisset, mysteriaq; illius cognouisset, reliquias illius in Alexandriam transtulerit, & cum gloria circumquaque ornatas collocarit; atque ita genus aspidum ab ea terra & ipso quoque flumine similiter prohibitum sit, & serpentes hoc pacto reiecti, quos argolaos, hoc est lacertos, vocant.* Huius translationis meminit Ioannes Moschus in Prato spirit. cap. 27. & locum iis reliquiis nobilitatum vocat magnum Tetraphilum: meminit & Abulensis quæst. 91. in cap. 2. Matth. & in fine 4. Reg. Sic ille Princeps solo naturæ lumine agnouit, Sanctorum reliquias præsidio esse atque auxilio inuocantibus, & vicissim cultu ac veneratione dignas.

Reliquiarum virtus à Gentili cognita.

Ieremiam non esse mortuum, rationes.

Et si enarrata vera sint, falsa deprehenditur opinio Victorini Martyris, qui in Commentarijs super 11. caput Apocalypsis ait, Ieremiam Prophetam nondum esse mortuum, sed adhuc in terrestri paradiso viuere; & inde in fine mundi venturum vt prædicet pœnitentiam, & ab Antichristo occidatur; vt sit vnus de illis duobus testibus, quorum fit mentio in allegato Apoc. cap. 11. à 3. vers. vsque ad 13. Nihilominus Victorini opinio ita probari potest: Primò, quia plerique ex veteribus putant Ieremiam adhuc viuere, vt auctor est Victor, cùm eius mors non commemoretur in sacris Litteris.

Deinde, quia oportet veridicum comprobare sermonem Domini. At promisit Dominus Ieremiæ se illum facturum Prophetam in Gentibus; *Antequam exires*, inquiens, *de vulua, sanctificaui te, & Prophetam in Gentibus dedi te*. Cùm ergo Ieremias adhuc Gentibus non prophetauerit, sed solis Iudæis, videtur expectandum esse tempus, in quo Gentibus prophetet: quod aliud quàm acerbissimæ Antichristi persecutionis excogitari non potest.

Ierem. 1,5.

Sedenim infirmæ satis sunt istæ rationes. Et prior non officit: non enim sequitur, in Scriptura sacra mors Ieremiæ non inuenitur, igitur mortuus non est; locus enim à negatione non tenet. Etenim Isaiæ, Ezechielis, Danielis, aliorumque virorum ac mulierum obitum nusquam legimus in sacris Litteris, de quorum tamen morte nullus vmquam dubitauit; ita in proposito dicendum est de Ieremia, præsertim cùm eius mortem retulerit S. Epiphanius in lib. de Vita & obitu Prophetarum, vt iam dictum est: D. Dorotheus in Synop. cum aliis. *Reijciuntur*

Ieremias quomodo Propheta in Gentibus.

Posteriori verò respondet S. Hilarius Can. 20. in Matth. non sic esse intelligendum Ieremiæ vaticinium, quasi Deus promiserit mittere illum, vt ita dixerim, personaliter ad prophetandum in Gentibus; sed quòd de Gentium factis prophetare deberet: prædixit enim Chaldæorum victorias contra Israël, & eorum excidium. Eodem modo interpretatur illum Prophetæ locum S. Hieronymus, dum dicit, ideò dictum fuisse, datum Propheram Gentibus; quòd non solùm de Ierusalem, sed de multis gentibus deberet vaticinari, vt verè vaticinatus fuit, vt patet in eius Prophetia.

Vel dici potest cum Torniello Tom. 2. M. A. 3448. num. 8. quòd quemadmodum de Christo dictum fuit Isa. cap. 49, 6. *Dedi te in lucem Gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ*; non quia Christus per seipsum iturus esset ad prædicandum Gentibus, sed per Apostolos suos: ita & Ieremias extitit, estque nunc quoque Propheta in Gentibus, non per præsentiam, sed per sua scripta quæ nobis reliquit. Et nihilominùs certum est, ipsum etiam ad literam fuisse Prophetam: in Aegypto existens prophetauit aduersus Pharaonem Ephree, & contra idola Aegypti, vt suprà visum fuit. De his plura P. Torniellus Tomo 2. Annal. M. A. 3448.

CAPVT VIII.

De septem aliis locis, quæ inueniuntur inter Cathiam & Cairum.

CAthia relicta, versus Cairum gressus dirigentes peregrini, septem sequentia inueniunt loca. Primus est, puteus aquæ salitæ & amaræ; qui triginta milliaribus di- *Septem loca.* *Primus, aqua salita.*

itized by Google

ſtat à *Cathia*: ab iſto, abſolutis quinquaginta aliis milliaribus, ſecundus inuenitur, qui *Salai* ciuitas appellatur; vbi comeſtibilia abundant quidem, ſed aquæ peſſimæ ſunt. Ex Salai, poſt quindecim milliaria, tertius inuenitur locus, *Catarra* nominatus. Ex Catarra ad *Alcoren* peruenitur, peractis quindecim aliis milliaribus; & eſt quartus locus. Quintus eſt *Belbes*, Maurorum ciuitas. Triginta milliaribus à Catarra diſſitus eſt Belbes, aliàs *Putens paſſaderus* nominatus; vbi magna copia eorum, quæ victui neceſſaria ſunt, inuenitur. Ex Belbes, poſt decem milliarium iter, ſextus offenditur locus, *Zeme* appellatus; vbi prope mare puteus aquæ ſalitæ eſt. Septimus locus eſt *Chianica*, Maurorum ciuitas; ad quam à præcedenti loco peruenitur, & denique ad Cairum, viginti milliaribus completis.

Barundum, Salai ciuitas.

Tertius, Catarra.

Quartus, Alcoren.

Quintus, Belbes.

Sextus, Zeme.

Septimus, Chianica ciuitas.

Quare huius itineris milliaria reſumendo, conficiuntur à Cathia vſque ad Cairum milliaria 170. Et breuiter, totum recenſitum ſpatium colligendo ab Ieruſalem vſque Cairum; ab Ieruſalem Ramam vſque ſunt milliaria 30. à Rama vſq; Azotum 40. ab Azoto vſque Gazam ſimiliter 40. à Gaza vſque Cathiam 210. ac denique à Cathia vſque ad magni Cairi ciuitatem 170. Itaque colligitur, totum terreſtre iter inter Ieruſalem & Cairum eſſe milliarium Italicorum 490. circiter.

Ab Ieruſalem ad Cairum vſque ſunt milliaria 490.

Verùm pro abſolutiore cognitione huius terreſtris itineris ex Ieruſalem, ſiue Iudæa, ad Aegyptum & Cairum, placet hîc ſubſcribere, quæ de eodem ſcribit grauiſſimus Auctor Alphonſus Toſtatus, Epiſcopus Abulenſis, in iam ſæpiùs memorata quæſtione 60. in cap. 2. Matth. nam ex collatione eorum quæ ex iſto dicemus, & aliorum, quæ obſcura ſunt clariora apparebunt. Totum igitur iter à Gaza vſque ad Cairum eſt 70. leucarum, vt inquit Abulenſis; & diſtinguitur in duas partes, in eam quæ pertinet ad Iudæam, eſtque ſpatium 20. ferè leucarum arabilium, & terminatur ad quemdam locum, qui vocatur Dorum, & eſt iuxta mare Mediterraneum; vel veriùs terminatur in Berſabee, quæ eſt magis intra deſertum: & iſta ſolet poni in Scriptura terminus Auſtralis terræ Chanaan, & Dan Aquilonis, 1. Reg. 3, 20. & 2. Reg. 3, 10. & 17, 11. & 24, 2. & 15. Ex Doro verò, ſiue Berſabee, ſunt 50. leucæ veri deſerti vſque ad Cairum, primam & præcipuam Ægypti ciuitatem, & terminum Ægypti habitabilé: quare inter Aegyptum & terminum Auſtralem terræ Chanaan, id eſt Berſabee, ſunt quinquaginta leucæ veri deſerti; quod tamen ad Aegyptum pertinet, & deſertum Aegypti appellatur. Aegyptus etiam, inquit, non incipit in Cairo ex parte Aquilonari, ſed multò antè, in vrbe quæ vocatur Pharamia. Et tamen ipſa ciuitas non habitatur, & etiam Taphnis, quæ eſt poſt illam, ſed habitatió incipit in Cairo; ideò ibi incipit computari Aegyptus. In hoc itaque terreſtri itinere itur de Ieruſalem, vel de Bethlehem, ad vrbem Gazæ, ciuitatem Palæſtinorum, circa finem Iudææ in latere Auſtrali. De Gaza vſque ad quindecim milliaria, eſt in littore maris Mediterranei quidam locus, qui dicitur Darum vel Dorum, & in eo eſt finis terræ promiſſionis in littore maris. De Daro vſque ad locum qui dicitur caput Baroaldi, ſunt triginta millaria: & inde vſque ad fundum cuiuſdam ſtagni, qui dicitur Deriſa, ſunt milliaria triginta; & inde vſque ad aliud caput eiuſdem ſtagni ſunt milliaria triginta; & inde vſque ad locum, qui dicitur Rafacharon, ſunt milliaria quadraginta; & inde vſque ad Pharcaniam ſunt milliaria triginta: & hîc incipit Aegyptus. Hæc fuit ciuitas benè murata & munita; ſed poſteà à ſerpentibus totaliter occupata eſt, nec eſt ibi quiſquam habitator: & eſt poſita in oſtio Nili fluminis iuxta mare; ſcilicet, quia ibi vnum brachium Nili abſorbetur à mari Mediterraneo. Et hæc de terreſtri itinere ex Iudæa in Aegyptum ex Toſtato.

CAPVT IX.

De Nilo fluuio Ægypti, ſexto memorabili primæ Peregrinationis.

QVæ præſenti Capite de Nilo fluuio dicemus, & ſequenti de ciuitate Damiata, in diſtincta peregrinatione videbantur collocanda; quoniam hæc non terreſtri itinere inueniuntur, ſed maritimo; placuit tamen de his in hac peregrinatione agere, propter communem terminum, id eſt Ægyptum & Cairum, ad quem ducunt, ſicut quæ in præcedentibus Capit. tractauimus. De Nilo tria ſunt in præſentia pertractanda: alterum, quinam fluuius ſit, & quotuplici nomine appelletur; alterum, vnde originem trahat; tertium denique, cuiuſnam ſit conditionis.

Quantum ad primum, dicitur, Nilum Aegypti fluuium illum eſſe, quem Moyſes Gen. 2, 13. appellauit Gehon, dicens: *Et nomen fluuij ſecundi Gehon: ipſe eſt, qui circuit omnem terram Aethiopiæ.* & inde deſcendit in Aegyptum, addit Lyra; & Benedictus Pererius in hæc verba inquit: *Nullus eſt ferè Interpretum, tanta in hoc eſt omnium conſenſio, qui non pro certo habeat, hoc nomine Gehon, ſignificatum eſſe à Moyſe Nilum: ipſe enim eſt qui peragrat terram Aethiopiæ,*

Nilus fluuius Gehon dictus.

thiopia, cui dominatur Pretioſus Ioannes, vulgò corruptè dictus, Prete Giouan.

An ſit diſtinctus paradiſi fluuius.

At non ſimilis eſt in alio conſenſio, quòd videlicet ſit vnus ex quatuor paradiſi fluuiis à ceteris tribus diſtinctus: etenim plerique graues Auctores opinantur, non verè diſtinctum fluuium ex quatuor eſſe, ſed eumdem eſſe cum Euphrate vel Tigri; ſed ideò diſtinctè fuiſſe à Moyſe numeratum, quoniam ramus & brachium illorum eſt, ab illiſque erumpens, vbi duo illa flumina ſimul coëunt: ſiue dicas eſſe eruptionem Tigris, vt Pererius; ſiue Euphratis, vt alij volunt apud Pauſaniam in Corinthiac.

Arbitror in hoc non facilè poſſe diuinari; etenim non deſunt pro vtraque ſententia argumenta; ideò pluribus non immorabor. Qui plura ſcire deſiderat, Pererium loco citato conſulat & alios Interpretes in Geneſ. cap. 2. Auguſtinum Torniellum Mun. die 3. n. 19. Non parum etiam conducent ad huius difficultatis intelligentiam quæ dicemus pro ſecundo dubio, vnde Nilus erumpat.

Nili nomina.

Hic fluuius non vnico appellatur nomine: Nilus enim dicitur nunc communiter *Gehon*; Hebr. *Sior* dicitur; Græcis appellatur *Melas*, hoc eſt niger & turbidus, propter aquas eius multo limo turbidas, de quibus Ierem. 2, 18. *Quid tibi vis in via Aegypti, vt bibas aquam turbidam?* vbi Septuaginta, *vt bibas aquam Gehon?* ſiue, vt alij malunt, *Sichor*. Et Aegyptus ipſa, quam alluit, appellatur *Melanolos*, id eſt Nigrigleba.

Origo.

Quantum ad ſecundum, de Nili origine, notandum, nos poſſe loqui vel de ea quæ nobis poſterioribus temporibus innotuit, vel de prima, vnde videlicet primò erumpit. De hac agit Moyſes, ſicut & de aliorum fluminum paradiſi origine, in Gen. 2, 10. ſic verò ait: *Et fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradiſum, qui inde diuiditur in quatuor capita. Nomen vni Phiſon, &c. Et nomen fluuij ſecundi Gehon: ipſe eſt qui circumit omnem terram Aethiopiæ. Nomen verò fluminis tertij, Tigris: ipſe vadit contra Aſſyrios. Fluuius autem quartus, ipſe eſt Euphrates.* Circa quæ verba duo ſubobſcura examinanda ſunt, quæ propoſito noſtro deſeruient: Alterum, num ille fluuius qui irrigabat paradiſum, in ipſomet ſcaturierit, an alibi oriens ad illum fluxerit irrigandum. Alterum, an fluminum illorum eruptio & diuiſio facta ſit in ipſo paradiſo, an poſt illius egreſſum, propè vel longè ab ipſo.

Ad quæ reſpondetur, nihil certi ex Scriptura deduci poſſe; etenim vbi Vulgata habet, *Et fluuius egrediebatur de loco voluptatis*, Græci ſecuti Septuaginta, & Hebræi habent *Heden*. Heden verò poteſt in duplici ſenſu accipi: primò, vt ſit nomen appellatiuum, voluptatem & delicias ſignificans, & per excellentiam ipſum terreſtrem paradiſum, verè deliciarum locum: ſecundò, vt ſit nomen proprium regionis, in cuius Orientali plaga conſitus erat paradiſus. In priori ſenſu acceperunt Latini, in poſteriori Græci Interpretes & Hebræi; & abſque errore vtrumque ſenſum ſequi licet. Quare, ſecundùm priorem Latinorum Interpretum ſenſum, dicendum eſt, fluuium illum primò ex ipſo terreſtri paradiſo ſcaturiuiſſe, & primò ad eum irrigandum aquas ſuas defluxiſſe.

Secundùm Latinos, primaria origo eſt in ipſo paradiſo.

Ad ſecundum, iuxta poſteriorem Græcorum & Hebræorum opinionem, extra paradiſum in regione Eden ſcaturire dicendum eſt; qui deinde ad Orientem paradiſum ingreſſus, ipſum alluit.

Secundùm Græcos & Hebræos, in regione Eden.

An verò illa primaria fluuij diuiſio fiat intra vel extra paradiſum, neque ex Vulgata neque ex Septuaginta Interpretum lectione nobis innoteſcit. Ea etenim verba, *qui inde diuiditur*, &c. ad vtrumque ſenſum referri poſſunt: *qui inde*, id eſt in paradiſo, *diuiditur*, &c. vel, *qui inde* egreſſus, poſt multum vel modicum interuallum *diuiditur*, &c. Priorem ſenſum videtur amplecti Rupertus in Geneſim lib. 2. de Trinitat. & operibus eius, cap. 29. ſic enim ſcribit: *Aquarum natura per ſe ſalſa eſt, nec idonea potui, ſicut in ſe ipſo mare oſtendit: aſcendens autem de abyſſo, quæ eſt mater omnium aquarum, in illam quaſi magni corporis terræ mammam, id eſt paradiſi fontem, quodammodò lacteam aſſumit dulcedinem, & irrigat vniuerſa terræ ſuperficiem, vt, iuxta Pſalmiſtam, potent omnes beſtiæ ſilua*, &c. Pſ 103, 11. & cap. 24. *Ille fons vniuerſam terram per occultas venas vegetat, & in multos redundat fontes ac flumina. Sed eorum omnium iſta quatuor ſunt capita, id eſt, principalia flumina. Igitur & fontes horum, ſcilicet Tigris & Euphrates, licet in Armenia demonſtrentur; & tamen per viam, quam ſolus nouit Auctor fluminum Deus, de paradiſo ſecundùm veritatem Scripturæ huius manare credantur.*

Prima, in ipſo paradiſo fieri.

Aqua per terram ex abyſſo emanans dulcatur.

D. Baſilius & Ambroſius, referente Abulenſi, arbitrantur, diuiſionem factam fuiſſe poſt exitum de paradiſo: etenim delapſus ille fluuius è paradiſo in maximam planitiem, effecit lacum ampliſſimum, ex quo illa quatuor flumina dimanant.

Secunda, factam diuiſionem extra paradiſum in determinato loco.

Alij non ignobiles Scriptores, quos membrat Moyſes Barcepha in eo libro quem de Paradiſo ſcripſit, dicunt, illum fluuium è ſublimi loco paradiſi præcipitatum mergi in terram, & ſubter Oceani vada delatum,

De loco diuiſionis fluminum paradiſi ſententiæ.

Tertia, extra, ſed in diuerſis locis.

tum, in hanc noſtram terram variis ex locis erumpere; quo factum eſt, vt prædicta quatuor flumina, non vno ex loco, ſed ex diuerſis & longiſſimè diſſitis originem ducere viderentur: verùm hæc fabuloſa eſſe oſtendit Pererius in Gen. 2. num. 97.

Quarta, extra ipſum regionem Eden.

Idem Benedictus Pererius ſentit, non ſolùm extra paradiſum, ſed extra regionem Eden fluuium illum trahere originem; docet enim ex Plinio & Strabone, Tigrim & Euphratem in montibus Armeniæ maioris ab inuicem diſſitis originem habere, curſum per Meſopotamiam, Aſſyriam & Chaldæam, exitum verò in ſinum Perſicum: quare & reliqua duo flumina non inde procul fluxiſſe, & paradiſum circa iſtas regiones fuiſſe. Arbitratur enim hic Auctor, fluuium illum aliud non eſſe quàm communem concurſum aquarum Tigris & Euphratis in regione Eden; & ex his duobus, Phiſon & Gehon, alios duos paradiſi fluuios erumpere.

Obiectioni verò, quæ fieri poſſet, ab eo dicta contraria eſſe narrationi Moyſis dicentis, *fluuium egredi de loco voluptatis*, &c. ùc reſpondet: *Cùm Tigrim & Euphratem liquidò conſtet ex diuerſis fontibus oriri, quòd Moyſes inquit eos dimanare ex vno eo flumine quo rigabatur paradiſus, non aliter videtur poſſe intelligi, quàm vt per vnum illud flumen ſignificetur locus ille; in quo Tigris & Euphrates mixtis aquis ſimul coeunt, & aliquantiſper vnius fluminis inſtar habent. Poſteà facto aquarum diuortio, rurſus in proprios alueos ſeparantur, nec ſolùm ipſi, ſed etiam duo alia flumina, Phiſon & Gihon, indidem deriuantur. Quamobrem valdè fit veriſimile, circa locum illum, quò Tigris & Euphrates confuſis aquis ſpecie vnius fluminis decurrunt, conſitum fuiſſe paradiſum.* Hæc Pererius. Et loco citato n. marg. 102. ſingulariter dicit de Nilo, oriri ex montibus lunæ, *verſus promontorium vulgò dictum caput Bonæ ſpei.*

Quinta, ex duobus Æthiopiæ lacubus oriri tradit.

Franciſcus Aluarez in ſuo Æthiopiæ Itinerario cap. 135. inquit, in Regno Presbyteri Ioannis Nilum fluuium, qui in partibus illis Gihon appellatur, ortum habere ex duobus lacubus, qui tantæ magnitudinis ſunt, vt duo maria appareant; vbi, vt communi fama circumfertur, ſunt homines & mulieres marinæ: & qui viderunt, retulerunt.

Prima ſententia probatur, & quarta improbatur.

Mihi valdè probabilis videtur & textui Moyſis conformis ſententia Ruperti & aliorum, quantum ad ſcaturiginem illius fluuij, fuiſſe in paradiſo, &, quantum ad diuiſionem; & ſimiliter altera Baſilij & Ambroſij, quantum ad illius diuiſionem in quatuor partes præcipuas, quæ verè ſint quatuor capita, & non quòd vnum ex alio erumpat, vt Nilus ex Euphrate vel Tigri. Ratio; quoniam Scriptura clarè loquitur, in loco voluptatis fluuium diuidi *in quatuor capita*, & non in duo: & cùm huic intelligentiæ efficax ratio non refragetur, illamque amplexi ſint graues ac veteres Patres, & nos eamdem vt probabiliorem ſequi poſſumus.

Et profectò, ſi ex his quæ ego cum aliis obſeruaui æſtiuo tempore, modò in Aegypto circa Nilum, modò in Meſopotamia circa Euphratem & Tigrim, ſi, inquam, ex his licet iudicium proponere, non dicemus, Nilum eſſe Euphratis vel Tigris eruptionem. Eo enim tempore Nilus maximus eſt, magnis nauibus nauigatur: & tanta eſt illius latitudo, vt cum altera Euphratis nequeat, niſi cum exceſſu, comparari: Tigris iumentis tranſibatur, & in illius diuerſis locis: & Euphrates apud ciuitatem *Bire* tranſuadabatur naui quidem, ſed non niſi cum difficultate, propter aquarum inopiam. Quomodo ergo erit Nilus horum fluminum eruptio & brachium? Num eruptio & brachium ipſa origine & corpore toto, vt ita dicam, maius erit?

Obiectionis ſolutio.

Dicetur fortaſſe, ideò maiorem eſſe in Aegypto Nilum, non ob aquas Euphratis vel Tigris, ſed ex aliis in eum confluentibus. Eſto, ita ſit; ſed & in Euphratem & Tigrim aliæ currunt aquæ, præſertim ſi ſint maiora flumina; quia ad maiorem alueum magis confluunt aquæ, vbi magis conſeruantur: qua ratione tandem *omnia flumina intrant in mare*, vt dixit Sapiens. Et præterea, ſi Nilus eſſet eruptio Euphratis & Tigris, illo creſcente deberent & illi augeri, propter continuationem aquarum; & quia in re idem dicuntur, & diſtincti tantùm vt pars à toto, ergo, creſcente parte, & totum augeſcet; & tamen contrarium in his fluminibus obſeruaui: in Aegypto creſcente Nilo, multumque illam alluente ac fecundante, in Meſopotamia Euphrates & Tigris nimiùm decreſcebant: non ergo ex illis ille erumpit, ſed vnumquodque ex paradiſi fluuio, vt dixit Moyſes. Eccle. 1, 7.

Et qui alibi oriri dicunt, non de primario ortu, ſed de ſecundario & nobis manifeſto arbitror eſſe intelligendos. Quod quomodo contingat, Auctor fluminum Deus ipſe nouit, vt dixit Rupertus.

Mariana in cap. 2. Gen. verſ. 9. arbitratur, illum fluuium eſſe Iordanem, vt nos Lib. VI. Cap. IV. Peregrinationis VI. de eo agentes monuimus.

Si verum eſſet quod Adrichomius in Pharan num. 67. de Nilo agens ſcribit ex Breidenbachio, infringerentur illorum argumen-

gumenta, qui probare contendunt, Nilum non esse distinctum fluuium ex quatuor memoratis, sed Tigris vel Euphratis eruptionem, & non in paradiso, vel post alterius fluuij exitum è paradiso ab eo originem trahere; quoniam terminum, quem illi assignant suæ originis, non inueniri scribit:

Origo istius Nili fluminis nondum inuenta est ab aliquo determinata.

Vbi autem oriatur Nilus, inquit, *longè maior scriptorum discrepantia est, vt in tam repugnantibus omnium sententiis, Breidenbachij ratio longè sit omnium expeditissima: ait enim à multis sæpè Soldanus missos fuisse cum nautis virós illarum rerum peritissimos, commeatu & aliis vitæ necessariis instructos, qua toto biennio aut triennio sufficerent; sed illi cùm tanto tempore abfuissent, etiam vltra Indiam (ita sæpè vocant partem superiorem Aethiopiæ) longè processissent, redeuntes, dicebant sese finem vel terminum Nili vllum inuenire non potuisse, neque aliud certi referre, quàm quòd ab Oriente emanet; cùm etiam dicerent, in India nullam esse hominum habitationem, sed terram prorsus inhabitabilem, tantum etiam solis ardorem, quòd ferre nequaquam potuerint.* Hactenus ille. Sedenim hoc parum firmitatis habere ex dictis, & etiam dicendis, testimonio illorum qui viderunt, manifestum videtur.

Quantum ad tertium superiùs propositum, de Nili & aquarum conditione, multa inueniuntur in sacris Litteris, & exteris scriptoribus; qui omnes in eo conueniant, magnum & optimum fluuium esse, & eius aquas salubertimas & fecundissimas, ex ipsisque totius Aegypti fertilitatem prouenire. Ideò Isaiæ cap. 23,3. dicitur: *In aquis multis semen Nili, messis fluminis fruges eius.* quoniam aridos campos Aegypti inundatione & irrigatione sua frugiferos reddit: quod statim pluribus declarabitur. Et capite 19, 5. ostendit idem Propheta, extremam Aegypti calamitatem prouenire ex defectu aquarum Nili, dum dicit, comminans Aegyptiis magnam calamitatem: *Et arescet aqua de mari, & fluuius desolabitur, atque siccabitur. Et deficient flumina: attenuabuntur & siccabuntur riui aggerum.* hoc est: Tam immanis erit Assyriorum Rex in Aegyptios, vt omnia diripiat & populetur, (inquit Hector Pintus in hunc Prophetæ locum) incident Aegyptij in tam miseras & acerbas calamitates, ac si Nilus esset exsiccatus, à quo omnem suam habent vtilitatem. Non poterat Propheta maiores ærumnas illis minari, quàm eas quæ Nili aridtati comparentur. Quoniam tota Aegyptus rigatur Nilo, & eius inundatione fecundatur & nutritur, ob pluuiæ perpetuum defectum. numquam enim ibi pluit. Et pro miraculo narrat Herodotus, semel in Thebis pluisse quasdam guttas. Sed de conditione & virtute huius fluuij vnicum audiamus Abulensem, qui plura in vnum collecta nobis reliquit in cap. 2. Matth. quæst. 60. ponam verò hìc singula huius Auctoris verba; quoniam scitu digna, experientia comprobata continent; sunt verò huiusmodi:

Nili aqua salubres & fecundæ.

Aegypti calamitas ex Nili defectu.

Totum autem commodum terræ Aegypti est ex Nilo flumine; quia tota irrigatur Nilo: qui fluuius, contra conditionem omnium aliorum fluminum, crescit & decrescit quolibet anno statutis & certis temporibus; & numquam est error in hoc, nec varietas: incipit enim crescere die nativitatis S. Ioannis, & crescit continuè vsque ad diem Exaltationis S. Crucis in mense Septembris; & ab illa die incipit decrescere vsque ad diem Epiphaniæ, continuè decrescendo. Et cùm apparet terra arida, proijcit agricola semen, scilicet in mense Ianuarij, & maturas fruges colligit in Martio. Est autem posita quædam columna marmorea in insula quadam parua in medio fluminis, quæ est ante ciuitatem antiquam nomine Mespem, quæ est iuxta Cairum; & in columna ponunt signa, secundùm quæ cognoscunt sequenquentis messis copiam: scilicet sunt facta signa in columna in diuersis locis eius; & secundùm quod aqua Nili crescentis pertingit vsque ad vnum signum vel alterum, cognoscitur quantitas frugum futurarum. Vnde viso augmento fluminis, cognoscit certissimè agricola quantos fructus habiturus sit; nec eum fallit opinio. In singulis locis prope Nilum erant antiquitus & sunt virgæ positæ, secundùm quas mensurabatur crementum Nili. Et illæ ponebantur quondam in templis idolorum in laudem ipsorum; quasi ab eis proueniret crementum Nili, & fecunditas anni. Vnde in Alexandria ponebatur virga illa in templo Isidis, quæ erat maxima dearum & deorum Aegypti. Sed postquam fides Christi suscepta est in Aegypto, posita fuit illa virga in Ecclesia Christianorum in honorem Christi, vt patet in Historia Ecclesiastica.

Determinat. a tempore crescit & decrescit Nilus, & quo.

Ex maiori vel minori Nili augmento, maioris vel minoris messis indicium.

Nilus potest rigare quasi totam Aegyptum: & de eo viuunt omnes Aegyptij. Et hoc, quia Nilus diuidit Aegyptum in duas partes, intrans per caput Orientis Aegypti, & proueniens vsque ad Occidentem eius; & ibi à mari Mediterraneo absorbetur, dimittens vnam medietatem Aegypti versus Austrum, & aliam versus Aquilonem: ideò, hoc supposito, non est difficultas, quomodo tota Aegyptus ab Oriente vsque ad Occidentem possit irrigari Nilo; sed solum dubium, an à Septemtrione in Meridiem possit latitudo Aegypti tota irrigari: & dicendum

E Nilo tota viuit Aegyptus,

& tota alluitur.

dum quod ſic; & ad hoc adiuuant quatuor. Primum eſt, quòd licet Aegyptus ſit ſatis longa ab Oriente in Occidentem; non eſt tamen valdè lata à Septemtrione in Meridiem, ideò poteſt extendi aqua. Secundum eſt, quia Nilus cùm intrat Aegyptum, ſcilicet apud Babylonem, diuiditur in multas partes; nam ſeptem riui vel brachia fiunt, quæ extenduntur per latitudinem Aegypti, vt infrà declarabitur. Tertium, quia Aegyptus eſt terra planiſſima, & facilè aqua poteſt deduci & extendi per alueos per totam eius ſuperficiem, quod non fieret in terris montoſis. Et iſtam differentiam poſuit Deus inter Aegyptum & terram Chanaan loquens Iudæis Deut. 11, 10. ſcilicet: *Terra, ad quam ingrederis poſſidendam, non eſt ſicut terra Aegypti, de qua exiſti, vbi iacto ſemine in hortorum morem aqua ducuntur irriguæ: ſed montoſa eſt, & campeſtris, de cælo expectans pluuias.* Quartum eſt, quia aqua Nili creſcit quolibet anno valdè; & iſtud eſt potiſſimum. Nam omnia alia tria ſimul ſumpta non ſufficerent ad irrigationem Aegypti ſine hoc; & ſic tota Aegyptus poteſt irrigari Nilo: & partes illæ deſerti à lateribus Aegypti, ad quas non poſſunt peruenire aquæ Nili, non habitantur.

Aegyptus plana, Chanaan montoſa.

Sciendum autem, quòd licet quolibet anno creſcat Nilus tempore ſtatuto ſuprà poſito, tamen non creſcit æqualiter quolibet anno: quia quando maximè viſus eſt creſcere, non peruenit niſi ad cubitos viginti duos; quando autem minimè creſcit, ad quindecim, vel quaſi, peruenit. Modus autem medius ad habendam frugum copiam eſt, vt creſcat ſedecim cubitis vel quaſi; quidquid autem eſt infra quindecim cubitos, famem facit. Et ex hoc colligitur etiam parua vel magna fames. Non eſt autem viſus Nilus creſcere minùs vmquam quàm quinque cubitis; & tunc non ſolùm grauiſſimam famem fecit, ſed etiam malorum grandium prodigium fuit; quia ipſo anno fuit bellum Pharſalicum inter Iulium Cæſarem & Pompeium, quod Romanam rempublicam valdè deſtruxit. de hoc Solinus in Polyhiſtor. capite de Aegypto. Conſiderandum autem, quòd apud alueos Nili ſunt facti multi aquæductus, per quos deducatur aqua in omnia plana Aegypti; & viæ illæ, per quas intrant aquæ, ſunt obſtructæ: & quando creſcit Nilus, aperiuntur tunc; & quando rumpuntur vel aperiuntur, ſubitò repletur aliquis magnus campus aqua. Et ita ſemel fuerunt capti Chriſtiani à Saracenis apud Damiatam vrbem, cùm eſſet ibi ſanctus Ludouicus Rex Franciæ; quia aperuerant Saraceni vias Nili, & clauſerant eos aquis, ita quòd tam homines quàm iumenta erant intra aquam, & ex omni parte clauſi, vnde erat periculum mortis: & vt permitterentur liberè exire, oportuit quòd Chriſtiani redderent Saracenis Damiatam, quam iam acquiſierant. Et illæ clauſuræ viarum Nili vocantur aggeres Nili. Et ita eſt vnus titulus in C. de Nili aggeribus non rumpendis.

Non ſemper æqualiter creſcit.

Incrementi defectus malum ſignum.

Per Nilum exercitus Chriſtianus à Mauris oppreſſus.

Nili aqua turbida quidem eſt; ſed vbi ad modicum tempus ſteterit, vel etiam citiùs, arte, confricatione videlicet fructus amygdali contra vas, in quo eſt aqua, fit clara, dulcis & ſuauiſſima; eſtque valdè ſalubris & medicinalis: alit animalia venenoſa, & quæ plurimum hominibus noceant, crocodilos & enydros; alioqui piſcium vſq; adeò abundans, vt appareat toto orbe parem huic fluuio nullum eſſe, inquit Adrichomius.

Nili aqua turbida quomodo purgetur.

Habundat piſcibus.

Et poſt alia, inquit Abulenſis: Conſiderandum autem, quòd Nilus, quando venit de Oriente per Aethiopiam, & poſteà intrat in Aegyptum, habet vnicum alueum, & eſt vnicum flumen; & quando peruenit ad Babylonem, etiam eſt vnicum. Sed poſteà apud locum, qui dicitur Mahora, ſeparatur vnus riuus ſiue brachium ab eo, & vadit contra Pharauniam, vt dictum eſt; deinde apud quemdam locum, qui vocatur Delta, diuiditur Nilus in modum figuræ deltæ, quæ eſt littera apud Græcos bifurcata: & ibi conſtituitur maxima pars Aegypti, quaſi inſula in medio illarum magnarum diuiſionum, &c. pergit verò idem Auctor explicare ſex brachia ſiue oſtia Nili: ceterùm, ſeptem eſſe vel fuiſſe communiter aſſeritur, iuxta illud:

Delta Nili.

——— *Septemplicis oſtia Nili.*

Di Nili oſtia quot ſint.

Tyrius tantùm quatuor eſſe affirmat, vt refert Adrichomius hiſce verbis in Pharanum. 67. *Vvilhelmus verò Tyrius, diligenter & ſtudiosè ſibi inueſtiganti, nonniſi quatuor oſtia reperta conteſtatur: quorum prima pars, inquit, qua noſtram Syriam reſpicit, inter duas antiquiſimas & maritimas vrbes, Taphium & Pharauniam, mare ingreditur; ſecunda apud Damiatam fretis adiungitur; tertia apud Sturionem; quarta apud Reſit, qui locus Alexandriæ conterminus eſt. Vnde plurimùm miramur antiques, Nilum ſeptemfluum dixiſſe: neque aliud nobis de ſolutione occurrit, niſi aut ſerie ſæculorum antiquiſima faciem locorum alteratam, fluuiumq́, ſicut aliis amnibus crebrò ſolet accidere, alueum mutaſſe, aut priſtinæ ætatis viros rei veritatem non aſſecutos*, &c.

Dictis adnectere placet verbum de augmento & decremento Nili. Notandum itaque, inter alios mirandos naturæ effectus recenſeri augmentum & decrementum Nili;

Augmentum & decrementum Nili mirandum naturæ effectum.

Nili; quod ſingulis quoque annis eodem tempore contingit, in æſtiuo ſolſtitio: quando enim reliqua flumina decreſcunt, vel etiam areſcunt & deficiunt, ipſe quadraginta dierum ſpatio adeò creſcit, vt totam Ægyptum alluat & inundet; & poſt alios quadraginta dies decreſcit, & ad ſuum alueum & lacum reuertitur. De cuius augmenti & decrementi cauſa multi multa dixerunt, vt videre eſt apud Diodorum Siculum, & alios.

Eſſe miraculoſum dicit Breidenbachius.

Breidenbachius apud Adrichomium miraculo adſcribere videtur: inquit enim, Nilum Dei diſpoſitione Ægyptum ſemel in anno irrigare, cumulis arenarum claudentibus oſtia eius, ne defluat in mare; poſt irrigationem autem, ſolutis cumulis, redire in alueum ſuum, & ſic tandem in mare delabi.

Reijcitur.

Quòd miraculo ſimile, inquit Adrichomius, incredibile cuiquam videatur; vt proinde verius ſit, acceſſione aliarum aquarum, aut alia naturali & abdita cauſa, quemadmodum alia flumina, etiam Nilum creſcere & adaugeri, atque inde in proximos campos exundare, eoſque irrigare: qua de re Plinius lib. 5. cap. 6. Experientia etiam reiicitur, quod inquit Breidenbachius: nam illæ obſtructiones ad maris ingreſſum non videntur, nec ſuperiùs fingi poſſunt; quia tunc Nilus non inundaret Ægyptum.

Aquarum naturali acceſſione oriri.

Verè quidem dixit Adrichomius, acceſſione aliarum aquarum augeri Nilum; ſed ex quarum acceſſione aquarum incrementum accipiat, non explicat: & ſanè non ex aliis aquis fluminum; quoniam, vt præmiſſum eſt, quo tempore Nilus creſcit, decreſcunt & deficiunt alia flumina: quare non ex horum aquis augeri poteſt; quia nemo dat quod non habet. Arbitror veram incrementi Nili rationem eam eſſe, quam afferunt qui fuerunt in partibus illis Æthiopiæ, vbi ipſe oriri videtur, vel augeri. Quòd videlicet ibi die 17. Iunij pluuiæ maximæ incipiant, quæ ferè per totum Iulium perdurant; quod tempus vernum appellant; quæ fluuium ingreſſæ qui fluit ad Aegyptum, poſt aliquod tempus facit ipſum tantum excreſcere, vt Aegyptum inundet. Ioannes Baptiſta Rhamnuſius plura de hoc.

probabiliter ex maximis Æthiopiæ pluuiis.

De Nilo aliqua dicit Adamnanus ex Arculpho; & poſteà de illius crocodilis ſubiungit: *Crocodili, vt Arculphus refert, in Nilo fluuio aquaticè commorantur, quadrupedes beſtiæ, non grandes, valdè edaces; & in tantum validæ, vt vna etiam ex eis, ſi fortè equum aut aſinum vel bouem iuxta ripam fluminis herbas carpentem inuenire potuerit, ſubita eruptione emergens inuadat, & vel etiam animantis vnum pedem mordens, & ſub aqua trahens, penitus totum deuoret animal.* Et hæc de his pro noſtro inſtituto ſatis.

De Locis ſanctis li. 2. c. 27. & 28. Crocodili Nili quales.

CAPVT X.

De ciuitate Damiata, ſeptimo loco primæ Peregrinationis.

QVod obſeruatione dignum occurrit proficiſcentibus ex Ieruſalem & Iudæa ad Cairum per mare, eſt ciuitas *Damiata*, antiquitus *Peluſium* nuncupata; de qua paucis plura erudite complexus fuit Adrichomius in Pharan num. 71. ad quem Lectorem remittimus; illa verò quæ de eadem verè litteris conſignauit Abulenſis in cap. 2. Matth. quæſt. 60. hîc ſuiſmet verbis ſubiiciam: *Ciuitas*, inquit, *Damiata olim Memphis dicebatur, vbi floruerunt prima ſtudia litterarum. Nam priùs fuit ſapientia apud Aegyptios, quàm apud Græcos. Philoſophus vocatus fuit Pythagoras (vt ait Auguſtinus 4. de Ciuitate Dei) ipſe autem iuit ad diſcendum in Memphim. Et etiam Plato, qui fuit de maximis Philoſophis Græcorum, illuc iuit, ſicut ait Hieronymus in Epiſt. ad Paulinum: Legimus in veteribus Hiſtoriis, quoſdam luſtraſſe prouincias, vt eos, quos ex libris nouerant, coràm quoque viderent: ſic Pythagoras Memphiticos vates, & Plato Aegyptum adiit: id eſt, Pythagoras iuit ad Sapientes vrbis Memphis, qui vocantur Memphitici vates; & Plato etiam iuit in Aegyptum, ſcilicet in Memphim; quia ibi erant ſtudia ſolemnia. Eſt autem nunc iſta Memphis, ſiue Damiata antiqua, totaliter deſtructa. Sed fecerunt Saraceni circa illam vnum caſale longum, diſtans à mari per duas leucas, ad naues collocandas, & mercet colligendas: & abundat fructibus & piſcibus & frumento & omnibus bonis ſicut Taphnis. Aliam Damiatam conſtruxerunt Saraceni, quæ dicitur noua Damiata: & eſt diſtans à mari duabus leucis. Inter eam & Damiatam veterem fluit quidam riuus, qui procedit de alueo Nili, ad Occidentalem partem huius Damiatæ tranſiens; & procedit contra Aquilonem in Taphnim, & inde per quoddam fretum, quod Bagera dicitur, vſque Pharauniam; & ibi coniungitur Mari mediterraneo: & iſte eſt primus portus Aegypti verſus terram Iudææ, ſcilicet Pharaunia; ipſe verò maior riuus Nili ad duas leucas de Damiata intrat in mare: & iſte eſt ſecundus portus Aegypti.* Hactenus ille.

Damiata vetus & noua. Vetus idem quod Memphis, litterarum florens.

Nunc deſtructa.

Noua ſtruxerunt.

Ex dictis huius Auctoris colligitur, duplicem inueniri Damiatam, veterem & nouam,

uam; & quæ nunc extat, & de qua loqui intentio erat, noua eſt, nec verè Memphis appellatur, niſi relatione ad veterem: altera verò dicitur Memphis, & ea eſt ciuitas, quæ nunc Cairus appellatur. Alij tamen Memphim aliam ciuitatem à Cairo diſſitam, vbi ſunt Aegypti Pyramides, affirmant. Sed quidquid nunc ſit, illud verè aſſeuerare poſſumus de noua Damiata, quod de fertilitate veteris diximus ex Abulenſi; & maiori etiam fortè ratione: Damiata enim hæc & circumiacens regio opulentiſſima & fertiliſſima eſt, valdè apta paſtibus animalium; quare & his abundat, vt etiam frumento, piſcibus & volatilibus plurimùm: fructus non deſunt, quin magna copia ſuppetunt, præſertim dactylorum, & pomorum paradiſi nuncupatorum, quæ formam & ſimilitudinem præ ſe ferunt cucumeris. Sed de his ſtatim.

Fertilitas.

Satis ampla & commoda eſt hæc ciuitas, ad littus Nili, vt dictum fuit, ædificata: poſſidetur & habitatur à Turcis: abſunt ab ea communiter Catholici, etſi moram inibi faciant aliqui Græci: ſed ſchiſmatici & mercatores habent ſuas Eccleſias; in quibus etiam, ſi fortè contingat Catholicum è vita diſcedere, ſepelitur; vt vidi cùm illac tranſirem.

Dua traditiones de pomis paradiſi.

De pomis illis paradiſi duo in partibus illis audiui: alterum, illius ſpeciei eſſe, ex qua contra Domini præceptum primi omnium parentes comederunt; alterum, ex harum foliis conſuiſſe ſibi perizomata, ad tegendam confuſibilem illorum nuditatem. Sed antequam quid probabilitatis hæc dicta contineant; quid de hiſce fructibus dicat Brocardus in lib. de Terra ſancta p. 2. c. 1. audiamus. Loquitur quidem hic de fructibus Terræ ſanctæ; verùm credo magis his Aegyptum abundare, & fateor me in illa numquam vidiſſe; ſic verò ait: *Sunt & fructus dicti poma paradiſi, penitus admirabiles. Porrò hæc creſcunt in modum botri vuæ; & eſt botrus ille interdum magnus vt cophinus, ſeu ſporta: habent grana interdum centum, & nonnumquam plura, in modum vuæ; ſunt autem longa ad quantitatem ſex digitorum, & nonnumquam ſpharica ad quantitatem oui gallinæ: ſaporis verò delicatiſſimi, & dulcis, vt eſt mel. Grana intus ſemen non habent; ſed tota eorum ſubſtantia comeſtibilis eſt. Fructus iſte vix vno anno creſcit, & maturatur. Arbor citò deficit: eſt enim eius periodus trium annorum vt plurimùm: qua inareſcente, alia ex radice prodire incipit; & hac item poſteà areſcente, procedit tertia, & ſic deinceps. Folia eius arboris longa ſunt inſtar hominis ſtaturæ, lata vſque adeò, vt duo totum hominem contegant.* Hactenus ille de memoratis malis paradiſi: quæ licet approximent, non tamen omnino conueniunt his quæ ego vidi: talia fortè erant ipſius ævo illa Terræ promiſſionis.

Pomorum paradiſi candido ex Brocardo.

Nunc quantum ad priùs illud dictum, reſpondeo, incertum eſſe cuiuſnam ſpeciei fuerit arbor ſcientiæ boni & mali, ex cuius fructibus primi parentes comederunt; nam Scriptura ſacra non meminit: quare nec facilè diuinare licet, vt rectè aduertit Pererius in cap. 2. Gen. num. marg. 83. Verùm, non fuiſſe ex memoratis, tamquam exploratum habeo: tum quia illæ non propriè arbores ſunt, vt patet illa conſideranti; tum quia, ſuppoſito arborem eſſe, non eſt pulchra oculis, aſpectuque delectabilis, quemadmodum de illa ſcientiæ boni & mali dicitur Gen. cap. 3, 6.

Improbatur traditionis illa.

Quantum verò ad poſterius dictum, dico ſimiliter non eſſe certum: Scriptura enim dicit, conſuiſſe parentes noſtros folia ficus, & feciſſe ſibi perizomata, at illæ arbores ficus non ſunt; ſcio tamen ficus à nonnullis appellari, propter conſimilem quem habent cum illis ſaporem: & tantò minùs verum eſſet, ſi ipſa fuiſſet ex illa ſpecie, ex qua fuit arbor ſcientiæ boni & mali. Etenim, vt Abulenſis ratiocinatione vtar in caput 13. Gen. q. 164. cùm illi comediſſent fructum vetitum, ſtatim ſenſerunt & malum in quod incurrerant, & bonum quo fuerant priuati: haud dubiè ingens eos illius arboris horror & odium cepit, ex qua tantum damnum acceperunt: timuerunt ergo illius folia contrectare, & ſibi in vſum veſtis admouere, maius aliquod malum ex ea ſibi metuentes. Et ſancti Patres & Doctores communiter, verè ex propriis foliis ficus feciſſe perizomata docent; & ex hoc varia deducunt myſteria: & verè non fuiſſet neceſſarium conſuiſſe illa folia, ſi eius ſpeciei fuiſſent; vnicum enim ad pudenda operienda, quod illi intendebant, ſuffeciſſet. Quare dicta illa falſa potiùs quàm vera vel veriſimilia eſſe arbitror, à ſimplicibus & inſciis excogitata. Princeps Radziuilius in ſua Ieroſolymitana peregrinatione Epiſt. 2. pag. 35. plura de prædicto fructu *Manza* ſcribit, & memoratam traditionem proponit, & refellit.

Gen. 3, 7.

Primi parentes exhorruerunt arborem, ex cuius fructu comederunt.

CAPVT XI.

De aliquibus Fratribus ſancti Franciſci, qui in Ægypto apud Damiatam pro fidei Chriſti confeſſione à Saracenis occiſi fuerunt.

ÆGyptus, ad quam primò perrexit in ſua peregrinatione ad partes infidelium, pro Chriſti fide verbo & ſanguine dilatan-

igitized by Google

latanda, Minorum pauperum Patriarcha Franciſcus, floruit multis Dei ſeruis & martyribus ex eius Sodalitio, qui fructus fuit laborum & prędicationis tanti Patris: de quorum aliquibus ſermonem faciemus in hoc Libro de Ægypto & locis eius, prout inuenimus in Conformitatibus beati P. Franciſci, & eiuſdem Ordinis Chronicis: & primò de his qui paſſi fuerunt in vrbe Damiata: ad quam primò, vt probabiliter creditur, profectus fuit Franciſcus; &, multas paſſiones à Mahometanis perpeſſus pro amore Chriſti, Soldano Ægypti Euangelium prædicauit.

F. Franciſcus Spoletanus Chriſti fidem Mahometanis prædicat.

In primis anno ſalutis noſtræ 1287. legitur 2. P. Chron. lib. 5. cap. 17. de Fr. Franciſco Spoletano, quòd cùm Damiatæ coram Mauris de noſtræ Catholicæ fidei myſteriis magno cum feruore diſputaret, atque illorum veritatem manifeſtis efficacibuſque rationibus oſtenderet; ipſi conuicti, ſed non conuerſi, in ſua infidelitate perſeuerantes, quærebant illum aliqua apparenti ratione interficere. Quæſierunt itaque Mauri à ſeruo Dei, quid de illorum fide ſentiret: quibus apertè intrepideque reſpondit, falſam eſſe, omni rationi contrariam, & eam ſequentes ad æternam damnationem perduci. Quam reſponſionem ægrè ferentes Mauri, Gubernatorem ciuitatis adierunt, Fratrem illum grauiter accuſantes, quòd de eorum lege oblocutus fuerit. Quare comprehenſus, & in tetterimum detruſus carcerem, ſcripſerunt ſtatim ad maius tribunal iuſtitiæ, quod erat extra ciuitatem, dicentes, Chriſtianum illum eſſe reum mortis, quòd de illorum Prophera & lege detrectaſſet. Quibus reſponſum fuit, ſi vera erant quæ opponebantur, illum interficerent. Tunc ad carcerem properantes, coram multis Fratri dixerunt: O infelix, vnum ex duobus elige, vel vitam, Chriſti fide abnegata, & Mahometica aſſumpta, vel mortem, iſta neglecta. Quibus intrepidè reſpondit Dei ſeruus: Ego libenter & hilari animo mortem eligo pro Chriſto Dei Filio, & omnium Redemptore; & pergratum mihi eſt vallem hanc miſeriarum relinquere, & per viam ſanguinis cælum ingredi; vbi æterna pace gaudebo. Relinquam vos; quæ breui momentaneis huius ſæculi bonis potiti, poſteà ad gehennam trahemini, vbi perpetuò cum veſtro Pſeudopropheta Mahomete cruciabimini. Quibus auditis, exclamarunt Mauri, dignum mortis dicentes; & grauiter percuſſum interemerunt: cuius animam in ſuas manus ſuſcepit Dominus, pro quo ipſe tam promptè vitam dedit. Idem in Conformitat. lib. 1. de Prouincia Terræ ſanctæ.

Carceri traditur.

Occiditur.

Deinde Fr. Franciſcus à Damiata pro Catholicæ fidei confeſſione fuit ab infidelibus enſe in duas partes crudeliter ſectus, 2. Part. Chron. lib. 9. cap. 3. Et hæc ſatis pro præſenti Peregrinatione.

Fr. Franciſcus à Damiata in partes ſectus.

PEREGRINATIO II. *in qua recenſentur & explicantur ſingulariter quinque memorabilia, quæ viſuntur à proficiſcentibus in Ægyptum, & magnam Cairum. I. Ægyptus. II. Magna Cairus & præcipua Ægypti ciuitas. III. Vetus Cairus, Horrea Ioſeph, & vbi beata Virgo Maria cum puero Ieſu & ſponſo Ioſeph habitauit, cùm eſſet in Ægypto. IV. Heliopolis, & Matharea cum horto balſami. V. Pyramides Ægypti, ſepulchra Ægyptiorum, & ſaxeum idolum.*

CAPVT PRIMVM.

De Ægypto, & Ægyptiis, quod primo loco occurrit in hac ſecunda Peregrinatione.

QVoniam in hoc octauo Libro ſingulariter agimus de locis nonnullis memorabilibus Ægypti, & de eius habitatoribus diſſerere neceſſarium duximus: quod argumentum non parum proderit etiam ad plurium locorum ſacræ Scripturæ veteris & noui Teſtamenti intelligentiam; in quibus frequenter Ægypti & Ægyptiorum mentio fit. Tria verò tractabimus: primò de conditione Ægypti; ſecundò, de illius origine, nominibus & ipſorum interpretatione; & tertiò conſequenter de Ægyptiorum antiquitate, & eorumdem natura & moribus.

Ægypti conditio.

Quantum ad primum, Abulenſis in caput 2. Matth. quæſt. 60. hæc ſcribit: Ægyptus eſt terra quædam quaſi inacceſſibilis ex omni parte, niſi per mare ex parte Occidentis. Ab Occidente enim habet mare Mediterraneum; & per nauigium ad eam acceſſus eſt. In quadam tamen parte Occidentis, quæ eſt verſus Auſtrum, vltra Alexandriam ad Meridiem, habet confinia cum quadam Prouincia Barbariæ, quæ vocatur

catur Varcha; & est inter eam & Ægyptum desertum quindecim dierum. Ab Austro terræ Ægypti est desertum Æthiopiæ duodecim dierum, & vltra, vsque ad Nubiam. Est enim ista Prouincia quædam pars Æthiopiæ, in qua prædicauit B. Matthæus: & gentes illius regionis Christiani sunt vsque hodie. Ab Oriente est desertum Thebaidos vsque ad Mare rubrum per tres dies, ad locum qui Beronice dicitur: & est portus in littore Maris rubri volentibus versus Indiam nauigare. Contra Vulturnum verò & Septemtrionem est desertum magnum vsque ad terram Chanaan, siue Iudæorum; in quo quadraginta annis morati sunt Israëlitæ: quod desertum non potest minùs quàm octo diebus transiri. Est omni ergo parte terra Ægypti circumdata est desertis magnis & arenosis, præter quamdam partem eius, quæ est ex parte Occidentis, & mari coniungitur, habens loca & portus, de quibus infrà dicetur. Est autem Ægyptus fere in situ triangulari posita, duobus lateribus æqualibus, & tertio breuiore. Et sunt in tribus cornibus vel angulis huius trianguli ciuitates tres, scilicet, Lachis, Babylon, & Alexandria. Est Babylon in Oriente posita circa Nilum, & mare; Alexandria verò ad Austrum, & ex parte Occidentis iuxta mare, & quoddam magnum brachium vel portum Nili fluminis. Lachis est in parte Aquilonari. Voluitur autem Ægyptus in gyro de Lachis per Babyloniam vsque ad Alexandriam, & inde in Lachis iterùm, milliaribus nongentis & quinquaginta; id est, quòd totus ille circuitus non est maior. Ista est magnitudo laterum trianguli, ex quibus sciri posset area eius, secundùm regulas Geometricas, de inueniendo areas figurarum per lineas claudentes. De Babylone autem in Sienem, & inde in Meroën, licet sit magnitudo magna quæ pertineat ad Ægyptum, latitudo fere nulla est; quia ista viâ procedit per ascensum Nili contra Orientem aliqualiter, sed mox declinat in Austrum contra Nubiam: habet autem Nilus montes altissimos hinc & inde, & terram destructam & pessimam, nisi super ipsum fluuium; sed & ipsa loca sunt barbaræ habitationis. Igitur longitudo illa, quæ est super Lachis versus Orientem, vsque Meroën, non computatur communiter de terra Ægypti. Et ita procedit computatio, quam suprà fecimus.

Est pars Æthiopiæ.

Forma terræ Ægypti.

Circuitus Ægypti.

De aëris salubritate & eius terræ fertilitate & abundantia sequentia addit: Est in Ægypto aër bonus, & cuique conueniens, & terra magis temperata quàm Syria & Palæstina, id est, terra Iudæorum; licet ex situ terræ deberet esse magis temperata in calore terra Iudæorum, quia est magis Septemtrionalis quàm Ægyptus; & tamen Ægyptus magis temperata est in calore, & est terra magis sana ad viuendum. Totum autem bonum terræ Ægypti est ex Nilo flumine, &c. & inferius: Cùm autem Ægyptus sit terra temperata, licet magis calida aliqualiter quàm oporteat, sunt ibi fructus priori tempore quàm apud nos: nam à festo beati Martini vsque ad Martium legumina & recentes colliguntur fructus: oues & capreæ bis in anno pariunt.

Aëris salubritas, & terra fertilitas.

Et post alia subiicit de portubus Ægypti. Primus portus Ægypti versus terram Iudææ est Pharaunia; ipse verò maior riuus Nili ad duas leucas de Damiata intrat in mare: & iste est portus secundus Aegypti. Tertius portus est in Alexandria, vbi intrat maior pars Nili: distat autem Alexandria à Pharaunia, vbi est primus portus, per milliaria ducenta & triginta. & hæc est tota longitudo quam habet Aegyptus iuxta mare, &c. Hæc ex Abulensi, de conditione & qualitate Aegypti. De eadem Plinius lib. 5. c. 9. Valde inaccessam & munitam esse Aegyptum notauit Benedictus Pererius in cap. 42, 9. Gen. nu. marg. 10. expendens ea verba Ioseph ad fratres suos: *Exploratores estis: vt videatis infirmiora terræ venistis.*

Portus.

Quàm verò fertilis sit terra Aegypti, præter dicta, experientia cognita Domini testimonio comprobatur, qui eam præfert fertilitati terræ promissionis, dum per Moysen dixit ad populum suum: *Terra enim, ad quam ingrederis possidendam, non est sicut terra Aegypti, de qua existi, vbi iacto semine in hortorum morem aqua ducuntur irriguæ*, &c. Ex quibus etiam verbis intelligimus, vnde proueniat abundantia & penuria Aegypti: illa quidem ex aquarum copia, quando iis ad modum horti alluuntur; ista verò ex defectu, vel superabundantia & inundatione. Certum enim est, experientia & ratione comprobatum (quod præter alios scribit citatus Plinius) ex commensurato quodam eiusdem Nili incremento, puta ad sedecim aut decem & octo cubitos, maximam in Ægypto frugum vbertatem prouenire; ex minori verò aut maiori aquarum eius exuperantia sterilitatem sequi. Quia enim ibi ferè numquam pluere solet, terraque magno solis ardore admodum exsiccatur; quò minùs crescit amnis, in omnes ferè Aegypti partes veluti de industria dispertitus, eò minor terræ pars irrigatur, ac fecundatur, reliqua aquarum penuria arescente. Si autem contingat plus iusto, & supra modum, fluuium inundare, itidem sequitur magna

Deut. 11, 10.

Ex aquæ abundantia vel penuria Ægypti.

steri-

ſterilitas; tum quia fruges ſub aquis diutiùs permanentes ſuffocantur; tum quia, ob diuturniorem aquæ moram, terra madens denuò ſeri nequit. Vt terra, ita mulieres fecundiſſimæ ſunt; quod ex innumerabili fere hominum & mulierũ multitudine, quæ tum alibi, tum præcipuè in magna Cairo eſt, tum ex his quæ tradit Ariſtoteles lib. 7. de Hiſtoria animalium cap. 4. facilè dinidicari poteſt; ſic enim ſcribit: *Cùm animalia quædam ſingulos pariunt, alia plures; genus humanum in ancipiti eſt: nam quod plurimùm, & locis plurimis agitur, mulieres ſingules ſingula pariunt. Verum ſæpè & locis pleriſque geminos etiam edunt; vt in terra Aegypti fieri certum eſt. Parunt enim in Aegypto & tres & quatuor; idq; locis: nonnulla ſæpè ſit: ſed cùm plurimùm quinque naſcuntur; iam hoc pluribus emiſſe conſpectum eſt: & quædam quatuor partubus viginti edidit, quinos ſingulis partubus enixa; maiorq; eorum pars enutriri & adoleſcere potuit.* Ita Ariſtoteles. Nec ſunt hæc à veritate aliena; quoniam & plures in aluo poteſt fœtus ſeruare mulier. Vt enim Abulenſis ex Medicorum & Philoſophorum ſententia docet, in mulieris matrice reperiuntur velut ſeptem cellulæ, in quibus ſeparatim totidem fœtus & formari & contineri vſque in partum poſſunt.

Septem filios poteſt in aluo continere mulier.

Notandum, aliquos ſecutos Ioſephum lib. 2. Antiq. Philonem lib. 1. Moyſis, Plinium lib. 2. cap. 50. dixiſſe, in Aegypto non generari imbres, grandines, tonitrua & fulmina. Qui ſi ideò hæc affirmant, quoniam huiuſmodi fiant ibi perquam rarò, perexiguè & in paucis Aegypti partibus, facilè aſſentiremur; quia quod parum eſt, pro nihilo ducitur: verùm ſi hæc nuſquam omnino ibi contingere velint, experientia eis & Scriptura refragatur: experientia quidem; quoniam qui fuerunt in Aegypto continuis annis, talia ibi vidiſſe reſtati ſunt: Scriptura ſacra etiam, quæ Exod. cap. 9, 24. vbi dicitur, quòd *grando tanta fuit magnitudinis, quanta antè numquam apparuit in vniuerſa terra Aegypti, ex quo gens illa condita eſt.* Etenim, vt ſupet hunc locum ratiocinatur Pererius num. 28. ſi numquam in Aegypto generaretur grando, ineptum profectò & ridiculum & abſurdum fuiſſet ita loqui: vt ſi quis diceret, cecidiſſe tantam & talem grandinem, aut tantum pluiſſe, quantum numquam antè pluerit in cælo Empyreo. Non enim Scriptura hoc loco narrat pro miraculo, quòd hæc facta fuerint tunc in Aegypto, quæ anteà numquam ibi erant facta; ſed hoc quaſi admodum memorabile & mirabile narrat, cecidiſſe tunc grandinem tantæ magnitudinis, quantæ numquam ante id temporis viſa fuerit in Aegypto, &c. Et quod de grandine dicitur, de imbribus & niuibus maiori ratione ratiocinari poſſumus; quoniam ex ſimili materia generantur, & tantum frigus ad ſuam generationem non requirunt vt grandines.

Rarò pluuia & grandines in Aegypto.

Quantum ad ſecundum initio Capitis propoſitum, de principio ſiue origine terræ Aegypti & Aegyptiorum, & quando in ea habitare cœperint homines, & de variis illius nominibus, non omnium vna eſt ſententia: vt autem quod magis veritati appropinquat, ne dicam quod verè verum eſt, apprehendamus, vno notando præmiſſo, duas ſubiungam aſſertiones.

Notandum eſt: Aegyptum dupliciter conſiderari poteſſe: vno modo, vt primò poſſeſſa & habitata fuit à Noë nepotibus & poſteris, eiſdemque tributa, facta totius terræ diuiſione, vt ſtatim dicemus; quando nullum proprium nomen habebat, vel ſanè hæc regio Aegyptus non appellabatur: alio modo, ex quo terra illa vocata eſt Aegyptus. Hoc præmiſſo,

Aegypti duplex acceptio.

Aſſertio prima ſit: Si regio iſta priori modo conſideretur, dico, primum illius habitatorem & quaſi parentem gentis Aegyptiorum fuiſſe ſecundum filium Cham, filij Noë, qui vocatus eſt *Meſraim*, vel, vt pronuntiant Hebræi, *Mizraym*. Et hoc vt melius intelligamus, ad memoriam reuocandum eſt, poſt diluuium, deſtructionem turris Babel, & diuiſionem linguarum, factam fuiſſe etiam orbis terrarum diuiſionem inter poſteros Noë, filios & nepotes, vt habetur Geneſ. 10, 5. & 32. & clariùs cap. 11, 8. vbi hæc leguntur: *Atque ita diuiſit eos Dominus ex illo loco*, id eſt campo Sennaar, vbi turrim ædificauerunt, *in vniuerſas terras, & ceſſauerunt ædificare ciuitatem. Et idcirco vocatum eſt nomen eius Babel; quia ibi confuſum eſt labium vniuerſæ terræ: & inde diſperſit eos Dominus ſuper faciem cunctarum regionum.* Et filius Cham obtigit pars Syriæ, & pæne tota Arabia & Africa; & ita Aegyptus, quæ in hac Prouincia ſita eſt, occupata fuit à Meſraim, vt docent ſacri Interpretes & Hiſtoriographi; & clarum eſſe omnium conſenſu, ab illo prodiiſſe Aegyptios, inquit Torniellus anno mundi 1931. num. 31. Et hæc eſt ratio, ob quam terra & gens Aegypti ab Hebræis *Mizraym* nominatur: & vſque nunc Arabes & Turcæ Aegyptum appellant *Maſra*. Quamuis verò à nomine ſui propinquioris conditoris nominetur Meſraim filij Cham; tamen nonnumquam à remotiore, id eſt, patre eius Cham, terra

Duæ aſſertiones. Prima: Aegyptus, vt terra portio à Noë filiis ſuis tributa, fuit primò à Meſraim habitata.

Cham appellatur, vt videre licet in Pſalmis 77, 51. 104, 27. & 105, 22. & ſuprà Capite VI. præcedentis Peregrinationis huius Libri aduertimus; & ita circiter annum ab orbe condito 1955. & non priùs, ſed potiùs poſteriùs, regio quæ nunc Aegyptus appellatur, habitari cœpit, & illius Dynaſtiæ ſeu Potentatus inchoarunt, vt docet Torniellus anno nunc memorato num. 3. Si verò poſteriori modo terra Aegypti conſideretur, ſecunda ſit aſſertio: Multis ſæculis tranſactis à Regno Meſraim, hæc regio nominata fuit Aegyptus ab Aegypto Danai fratre, & filio Beli Aegyptij: cui defuncto ſucceſſit ille in Regnum, eiecto Danao, qui conceſſit Argos in Peloponneſum: à quo Argiui nominati poſteà ſunt Danai. Id verò contigiſſe putat diuus Auguſtinus lib. 18. de Ciuitate Dei cap. 11. ſecutus Euſebium in Chronicis, eo tempore quo apud Hebræos Imperium tenuit Ioſue, id eſt, plus octingentis annis poſt diluuium. Sedenim apud Ioſephum in priori libro contra Apionem, Manethon Aegyptius, ſed Græcarum litterarum ac doctrinarum peritus, quique rerum Aegyptiarum Hiſtoriam ſcripſit, ex ſacris Aegyptiorum libris depromptam, numerat omnes Reges Aegypti à tempore egreſſus Hebræorum ex Aegypto vſque ad tempora Danai & Aegypti fratrum, recenſitis cuiuſque Regis annis quibus regnauit: quorum annorum facta computatione, exiſtit ſumma annorum trecentorum nonaginta, & ampliùs. Hæc ſi vera eſt ſupputatio, neceſſe eſt initium appellationis Aegypti fuiſſe prope annos quadringentos poſt tempus plagarum Aegypti, plus trecentis triginta annis poſt mortem Ioſue, poſt diluuium autem plus mille annis. Et hæc retulit & ſecutus fuit Benedictus Pererius in Geneſin cap. 10. numer. margin. 35. & in cap. 9. Exod. num. marg. 30.

Secunda aſſertio: Poſteà hæc regio Aegyptus appellata fuit ab Aegypto Danai fratre.

Aliquorum opinio reiicitur.

Quæ ſi vera ſunt, vt veriſſima doctiores arbitrantur, falſitatis conuincuntur illorum aſſerta, qui, vt ex antiquitate celebrent & attollant Aegyptiorum Regnum, ipſum ante diluuium, imò ante orbem conditum, exordium habuiſſe dicunt. Gerardus ſiquidem Mercator, aliàs nobilis & accuratus Scriptor, in hoc dormitaſſe viſus eſt, dum probare conatus fuit, Aegyptiorum gentem fuiſſe ante diluuium, quin imò paulò poſt mundi exordium. At malè; quia, vt per Scripturam probatum fuit, diuiſio gentium poſt diluuium & diuiſionem linguarum ſecuta fuit. Et alij minùs tolerandi, innumera propemodum ſæcula fingentes, iactarunt, quater iam aſtra proprios abſoluiſſe curſus, ex quo Aegyptiorum gens eſſe cœpit: quod eſt dicere, Aegyptios per centum quadraginta quatuor millia annorum floruiſſe: quandoquidem conſtat, cælum ſidereum, ſeu octauam Sphæram (vt aiunt Aſtrologi) non niſi triginta ſex annorum millibus motum ſuum proprium conficere. Inſuper, Reges ipſorum ex dijs originem duxiſſe, & annorum plus quàm ſeptuaginta millibus ante poſtremum Ptolemæum ſucceſſiuè in Aegypto regnaſſe; à tempore verò, quo Aegyptij Aſtronomiam didicerunt, ſupra centum annorum millia fluxiſſe. Et quamquam certum ſit ex Plutarcho in Vita Numæ Pompilij, Solino cap. 2. & Cenſorino aliisque grauiſſimis Scriptoribus, Aegyptios aliquando annis quadrimenſtruis, & quandoque etiam trimenſtruis, interdum verò bimenſtruis, & nonnumquam menſtruis vti conſueuiſſe: tamen nec ſic quidem fieri poteſt, vt eorum ſucceſſio ad centies mille annos peruenire potuerit. Et præterea, cùm Aſtrologi dicunt, octauam Sphæram non niſi triginta ſex annorum millibus ſuum proprium motum terminare, non de annis quadrimenſtruis vel trimenſtruis, &c. loquuntur, ſed de ſolaribus, vt communiter accipimus. Contra horum placita lege Pererium in Geneſ. loco indicato diſput. 2. à num. margin. 36. vſque ad 43.

Imperfectiones & idololatria Aegyptiorum.

Quantum ad tertium, de Aegyptiorum antiquitate, natura & moribus, aliqua ex dictis colligimus: de antiquitate & origine manifeſtè; nec obſcurum eſt quid dicendum ſit de eorumdem natura, moribus, vanitate & inſtabilitate, ſymbolis, litteris & idololatria: vnde & meritò fuerunt à Deo percuſſi; ſed illis ſubuenit Dominus, quando miſit in Aegyptum Filium ſuum, & ſua & ſuæ Genitricis pluriumque Sanctorum & fidelium præſentia condecorauit. *Et ſic pius Deus*, inquit Abulenſis ſupradictus, *qui in ira ſua non continet miſericordias ſuas, Filium ſuum in Aegyptum miſit, dans Aegypto magnum reconciliationis ſignum. Et ſic decem plagas, quas Deus Aegyptiis priùs iratus intulerat, per Filium ſuum ſanauit. Nam in Aegypto fides Chriſti poſteà floruit valdè: & ibi fuerunt Monachi vitâ excellentiſſimi.* Lege Adrichomium in Pharan num. 9.

A Deo percuſſi ſunt.

Aduentus Ieſu & Mariæ ſanctus.

CA-

CAPVT II.

Duo argumenta contra ſecundam aſſertionem Capitis præcedentis, de originie Ægypti & Ægyptiorum.

Argumentum primum.

VErùm contra ſecundam aſſertionem poſitam Capite ſuperiori duo inſurgunt argumenta; quibus probatur, multò ante Ioſue principatum, ſecundùm Auguſtini ſententiam, vel priùs, ſecundùm alteram Manethon, Aegypti Regnum tali nomine fuiſſe nominatum, & illius habitatores Aegyptios, & diſtinctionem illam eſſe ſuperfluam.

Alterum argumentum eſt, Aegypti Regnum ita fuiſſe nominatum ab Aegypto filio Beli Aegyptij; at hic multis ſæculis, ne dicam annis, præceſſit nedum Ioſue Imperium, ſed & Aegypti plagas, quin & ingreſſum filiorum Iſraël in Aegyptum; igitur & illius denominatio præceſſit Imperium Ioſue, &c. Conſecutio eſt manifeſta; Maior propoſitio eſt ipſamet aſſertio: Minor verò probatur; nam Bel, ſiue Belus, fuit idem qui Nemrod filius Chus, & nepos Cham, de quo Gen. 10,6. & 8. vt pluribus oſtendit in eum locum Pererius diſput. 3. Torniellus Tom. 2. A. M. 1931. num: 30. at Nemrod & filij eius multò antè regnarunt, nedum ante Ioſue Imperium, ſed ante originem gentis Hebrææ, vt ex ſacris Litteris, Eccleſiaſticis & profanis Scriptoribus videri poteſt. Et confirmatur; quoniam non filiis & poſteris Chus, filio Cham, ſed Meſraim illius fratri, & ex ipſo deſcendentibus obtigit regio Aegypti, vt in priori aſſertione dicitur.

Secundum.

Alterum argumentum eſt, quòd Moyſes, qui ſcripſit Pentateuchum, & Ioſue præceſſit, quotieſcumque ſeſe offert occaſio loquendi de iſta regione & habitatoribus eius, illam Ægyptum, hos Aegyptios appellat, vt in pluribus locis Gen. Exod. &c. videre eſt; ideò nedum ante Ioſue, ſed ante Abrahæ tempora eam denominationem tenuerunt: quare non poſt egreſſum filiorum Iſraël de Aegypto, & multò minùs circa Ioſue Imperium, ea regio Ægyptus, & habitatores Aegyptij nominati fuere.

Reſponſio ad primum.

Ad primum argumentum reſpondeo, duplicem fuiſſe Belum: alterum, filium Chus, habitatorem terræ Sennaar & circumiacentis regionis, appellatum Nemrod; ab ipſo vel eius poſteris non denominata fuit Aegyptus; alterum verò Belum multò illo poſteriorem extitiſſe, non Nemrod appellatum, ſed Aegyptium: ex quo fuit in lucem editus filius, quem Aegyptum appellauit; qui Rex eius regionis effectus, regionem Ægyptum, & habitatores Ægyptios appellari voluit. Quare cùm ex aliis in ſecunda aſſertione dictum fuit, Aegyptum denominatam fuiſſe ab Aegypto; non abſolutè filio Beli dictum fuit, ſed Beli Aegyptij, ad diſtinctionem alterius Beli, dicti Nemrod: & fieri poteſt, vt dicatur Belus Aegyptius à filio; nam obſeruaui in partibus iſtis à filiis patres denominari; vt *Abba Petrus*, id eſt, Pater Petri, proprio ſuppreſſo nomine.

Ad ſecundum.

Ad ſecundum ſic arbitror reſpondendum, in libris Moyſi hanc regionem nominari Aegyptum, & illius habitatores Aegyptios, ab aliquo tranſlatore vel interprete auctoritatem habente, gratiâ innoteſcendi. Quia enim poſt Aegyptum illum filium Beli, a quo hæc regio Aegyptus denominata fuit, ferè ſemper fuit tali nomine appellata & intellecta: ideò tale nomen fuit ab habente auctoritatem poſito in libris Moyſi, etſi fortè Moyſes non tali appellatione nominauerit. Quæ reſponſio confirmari poſſet ex his quæ diximus Libro VIII. Capite XIII. Peregr. 1. de Bethlehem verba facientes. Verùm hoc videndum eſſet in antiquiſſimis manuſcriptis Moyſis, vel ſaltem in illius originalibus, antequam per Eſdram ſacri Libri colligerentur, diſponerentur, vel explicarentur, quo tempore Prouincia illa communiter Aegyptus, & habitatores Aegyptij nominabantur; in Prophetis tamen Hebraicè dicuntur *Mizrayim*.

Si hæc reſponſio non placet, dicas, illum Aegyptum filium Beli, qui illi prouinciæ nomen dedit, ſi Belus illius Aegypti pater non fuit filius Nemrod, vt in reſponſione ad primum argumentum fuit dictum, poſt multa tamen tempora ſucceſſiſſe, & ante aduentum nedum Ioſue & Moyſi, ſed ante originem gentis Hebræorum.

Si verò quis vellet mordicus contendere, illam duplicis Beli diſtinctionem nullam eſſe, ſed illum, qui dictus eſt pater Ægypti, eſſe etiam Nemrod, ſolutum eſſet argumentum; & tunc addendum eſſet, quòd quemadmodum Nemrod, qui primus tyrannicè regnauit, tyrannide mutauit terras, vt iam citati indicant Auctores; ita Aegyptus in hoc patris prauos mores imitatus, tyrannide à conſobrinis fratribus ſuis, filiis, vel potiùs nepotibus, Meſraim, accepit illam regionem, quæ Meſraim vel Maſra dicebatur, & alterum à ſe nomen eidem dedit: quæ diximus non quidem aſſeuerando firmiter, ſed in re dubia probabiliter ratiocinando.

Ex dictis habemus, quibus nominibus nominetur Aegyptus, & illorum nominum interpretationem ſiue rationem; cur appelletur

Digitized by Google

Ægypti nomina, & eorum ratio.

pelletur *Mesraim*, siue Hebr. *Mitzraym*: à *Mesraim* scilicet filio Cham, filio Noë, & terra Cham, ab illius parente Cham, & terra Ægypti, ab Ægypto filio Beli. Dicitur etiam *Niger* à fluuio *Nilo*, vt ex Doctorum obseruatione colligere licet in ea Ieremiæ verba cap. 2, 18. *Quid tibi vis in via Aegypti, vt bibas aquam turbidam?* siue, vt legunt Septuaginta, *vt bibas aquam Gehon?* id est *Nili:* Hebr. est vox *Sichor*, quæ significat nigrum seu turbidum; quo epitheto etiam à Græcis appellatur Nilus: dicitur enim μέλας, hoc est niger; & ipsa Aegyptus appellatur *Melanolos*, siue, vt ita vertam, *Nigrigleba*. Ratio est; quia Nilus aquas vehit multo limo turbidas. Ios. 13, 3. Nilus fluuius turbidus irrigans Aegyptum appellatur. *Aeria* etiam dicta est, inquit Adrichomius in Pharan num. 3. &, vt illius verba indicare videntur, ob illius fortitudinem; statim enim subijcit: *Et quidem inter ceteras orbis partes munitissima*, &c.

CAPVT III.

De magna Cairo, præcipua Ægypti ciuitate, secundo loco secundæ Peregrinationis.

IN Ægypto multæ eæque illustres inueniuntur ciuitates; quarum nomina nescio, an ob temporum varietatem, vel idiomatis mutationem, an potiùs, ob earumdem mutabilitatem, & ipsa mutata sint: quare non semper ex illarum nominibus facilè cuiusque notitiam habere possumus; quandoquidem quod vni fuit proprium, alteri non semel adscribitur & appropriatur: quæ fuit causa, vt non inter se conuenerint scriptores de illis agentes. Quare ex illarum descriptione potiùs, vel rebus in eisdem gestis, licebit & propria nomina & conditionem ipsarum intelligere; quod in præsentia obseruabimus loquentes de noua Cairo, præcipua Aegypti ciuitate, & posteà de veteri Cairo (est enim duplex Cairus, noua & vetus) & Matharea, locis in quibus beata Virgo cum puero Iesu & sponso Ioseph in Aegypto manentes habitarunt.

Noua Cairus quid.

Plerique arbitrantur, Cairum, de qua nunc loquimur, esse Memphim, metropolim Aegypti, vt ait D. Hieronymus, antequam Alexandria, quæ priùs *No* dicebatur, ab Alexandro Macedone & magnitudinem vrbis acciperet & nomen. Sedenim Cairum non esse Memphim demonstrare non erit difficile. Si quidem inter omnes Geographos conuenit, Memphim ad latus sinistrum Nili, quod ad Libyam spectat, & Cairum ad Nili dextrum latus, quod ad Arabiam pertinet, sitam esse. Et e regione Memphis, ab altera Nili parte, omnes Geographi veteres notant Babylonem, Neoterici eius loco ponunt Cairum nouam; & ad eius Meridiem Cairum veterem constituunt: ad cuius Occidentalem plagam interuallo sex mille passuum sitas esse pyramides dicit Boterus in Descriptione orbis lib. 3. ita tamen, vt Nilus inter Cairum & pyramides interfluat: idem tenet Philippus Pigaf. in suo Itinerario. Quare nos de Memphi, vt distincta à Cairo, agemus inferiùs Cap. VIII. de Cairo in præsentia.

Memphis situs.

Et pro clariori intelligentia eorum quæ præsenti Cap. & sequentibus huius Peregrinationis dicemus, animaduerrendum est, peregrinos, qui ex Terra sancta vadunt ad Aegyptum, cùm ad Cairum peruenerint, ipsam contemplari, sequentiaque inuisere, scilicet Cairum veterem, Matharam, & Aegypti pyramides, de quibus deinceps agemus.

Sed quid hæc sunt? Respondeo nunc breuiter ex Abulensi in Matth. cap. 2. q. 60. Matharam esse Heliopolim, vel certe non longè ab ea; Cairum veterem dici Babylonem Aegypti; & nouam absolutè Cairum: & hæc colligo ex his quæ dicit in eis contigisse, & videntur, sic verò ait: *Nunc autem considerandum est de locis, in quibus mansit Ioseph cum Virgine in Aegypto: & dicitur quòd mansit in Heliopoli, & in Babylone: & ibi ostenduntur loca in quibus manserunt.* At loca ista monstrantur in Matharea, & veteri Cairo; igitur Matharea erit Heliopolis, & Cairus vetus Aegypti Babylon. Et hanc distinctam facit a Cairo; igitur, secundùm ipsum, Cairi nomine nunc famosam magnæ Cairi ciuitatem intelligere debemus. Credo tamen, propter illarum vicinitatem, ne dicam contiguitatem, vel etiam continuitatem, sæpè illa inter se confundi apud Scriptores; & quæ vni propria sunt, alteri aptari, nec inter eas discrimen constitui. Memphim posteà dicemus constructam fuisse, vbi sunt pyramides, vel non longè ab ipsis.

Matharea est Heliopolis.

Agentes de magna Cairo, aliqua de eius amplitudine & nobilitate dicemus. Magna Cairus præcipua nunc est Aegypti ciuitas; à qua ipsa Aegyptus habitabilis incipit, vt Cap. VII. Peregrinat. 1. dictum fuit: à parte Aquilonari supra Nilum in plaga Australi terræ promissionis fundata. De illius amplitudine, magnitudine & habitantium multitudine, plures hyperbolica potiùs, quàm vera scripserunt. Hinc rectè Ludouicus Romanus lib. 1. suarum Nauigationum cap. 2. de Cairo, quam Babylonem

Non est Memphis.

Cairus præcipua Ægypti ciuitas.

Plura hyperbolicè de Cairo dicta.

nem vrbem Niloticam appellat, sequentia scripsit: *Illo vt peruenimus, tanta sum affectus admiratione, vt vix id referre queam: vbi tamen propiùs accessi, licuitq; vrbem introspicere, reperta est sanè fama longè inferior; quippe qua tanta non est inuenta, quantus erat rumor: neque vrbe Roma maior est ambitu, licet sit multò frequentior, vtpote qua longè plures habet indigenas. Verùm fefellit complusculos suburbanus ager, qui vicis propè innumeris dispergitur; ob id rati sunt complures, eam esse Babylonis partem: quod minimè conuenit, quando certè rura vicique huiusmodi ad secundum tertiumq; lapidem ab vrbe sunt rusculis haud absimiles.*

Adrichomius similiter de Memphi, quam Cairum credit, in Pharaõ num. 62. inquit: *De cuius magnitudine (esse scilicet quinquies Lutetia Parisiorum maiorem) & incredibili populorum frequentia, mira narrant nostri temporis Historici: sed, vt rectè ait Breidenbachius, cùm multa ad eum modum retulisset, & inter cetera, quòd plures ibi homines sub dio viuant propriis sedibus carentes, quàm Venetiis habitatores; subiungit mox, se audita referre, neque enim se numerasse.*

Magna & numerosa ciuitas:

Dicam quæ audiui, & vidi. Ciuitas hæc maxima & numerosissima est, præ ciuitatibus Italiæ: quin & isidem abundantior, & magis ampla; non tamen tam magna, vt vno die ab vna ad alteram extremitatem pertransiri non possit, vel etiam circumdari, vt fuit à quibusdam prædicatum, & litteris consignatum: nam medietate minùs & pertransiri & circumdari potest.

Alta ibi ea ædificia.

Aedificia admodum superba & insignia non apparent; alta tamen & eminentia, inferiùs & sub terra superiusque plena habitatoribus. Anno Domini 1619. peste hanc ciuitatem vastante, spatio vnius mensis cum dimidio, circiter absumpta fuerunt quadringenta millia hominum, & nec vnum defeciſſe apparebat. Ita scripsit Patriarcha Alexandrinus Græcus; & ego illius litteras Ierosolymis legi. Postea, morbo illo cessante (quod ordinariè accidit in Festo S. Ioannis Baptistæ) post alios duos menses, à fide dignis intellexi, nongenta millia è viuis decessisse. Et nihilominùs cùm paullò pòst eò peruenissem, tanta erat populi frequentia, vt neminem è viuis decessisse sibi facilè quis persuadere potuisset; & obseruaui in publicis viis quibusdam non posse incedi, quin in aliquem impingeremus. Et fortè talis morbus est ibi frequens ex hominum nimia multitudine & immunditia. Ibi etiam accepi, magnam hominum partem in subterraneis domibus habitare consueuisse: quòd sub dio, non audiui; Arabibus exceptis, in papilionibus, villis & desertis habitantibus.

Publicum emporium.

Nobilis & celebris est hæc ciuitas; quoniam metropolis & regia Aegypti; publicumque illius emporium: ad eam enim ex India per Mare rubrum, ex Gallia & Italia per mare nostrum Mediterraneum, & ex Syria plurimæ asportantur merces. Habitatur à Turcis, Græcis, Armenis, & aliis schismaticis, nec non à Gallis, Venetis, & aliis nonnullis ex nostris mercatoribus: omnibus ferè rebus abundat, & magna ibi cum libertate viuitur. *Est interim memorabile quod narrat Breidenbachius*, inquit Adrichomius, *esse lacum prope hanc vrbem, qui singulis annis rubescat instar sanguinis. Patrum nostrorum memoria à Selimo Turcarum Imperatore captâ est, occiso priùs Campone in acie, mox Tomumbeio ex fuga retracto, sublato Mamaluchorum imperio. qua de re in historiis suis differit Paulus Iouius, & continuator VVil. Tyr.*

In castello ciuitatis est puteus Ioseph.

In castello huius amplissimæ ciuitatis est magnus & miro artificio elaboratus puteus, qui Ioseph appellatur; quoniam illius operâ, dum Aegyptum gubernaret, excauatus & constructus fuit, vt habet in partibus illis communis traditio: cui non obstat, quòd ibi non habitauerit sanctus ille Patriarcha, & quòd nondum fuerit hæc ciuitas ædificata, vt sequenti Peregrinatione Cap. 11. expendemus: nam non solùm sibi, sed toti Aegypto consulebat; vnde illius dictus est saluator: quare & ibi & in aliis partibus potuit puteos, horrea, &c. secundùm exigentiam ædificare.

Cairi conditor.

Sed quis hanc Cairum ædificauit? Qui tenent esse Memphim, dicunt, à Minæo Aegypti Rege, vt Capite vltimo huius Peregrinationis dicemus; Iosephus & Abulensis, à Cambyse: qui fortè in hoc non distinguunt nouam à veteri Cairo. Nec inuenire potui distinctos harum vrbium conditores; ideò, quæ de veteri dicemus, nouæ arbitror aptari à Scriptoribus.

CAPVT IV.

De Fratribus Minoribus, qui pro fide Christi in Cairo & Ægypto mortem obierunt.

AVctor Conformitatum S.P.Francisci lib. 1. fructu & conformitate 8. agens de Prouincia Terræ sanctæ, aliquos recenset Minores, qui in magna Cairo ciuitate aliisve Aegypti locis pro nomine Christi violentam mortem ab hostibus Christianæ religionis sustinuerunt, vt sequitur.

Fr. Bartholomæus Martinozi fit à Saracenis.

Fr. Bartholomæus Martinozi de Monte Politiano, de Prouincia Tuſciæ, apud Cairum de Babylonia, id eſt quæ dicitur Babylonia, pro fide à capite vſque deorſum ſectus fuit à Saracenis.

Fr. Conſalnus laicus cruciatu in carcere occumbit.

Fr. Ioannes de Etheo, Prouinciæ Caſtellæ, Confeſſor D. Infantis Fernandi, fratris Regis Aragoniæ, vitæ & ſcientiæ ſingularis, iuit Ieruſalem; ſed poſtmodum captus à Soldano cum ſocio nomine Conſaluo, laico, de Prouincia S. Iacobi, & poſitus in carceribus: ſocio ob pœnas mortuo, ipſe, permittente Deo, non valens pœnas ſuſtinere, fidem abnegauit, & eſt factus Saracenus; verùm vxorem more eorum accipere noluit, & ſic circa tres annos ſtetit. Tandem diuino ſpiritu tactus, ſcripſit Fratribus de Cypro, vt mitterent ſibi duos Fratres exiſtenti in Cairo Babyloniæ, per quos volebat ad fidem redire; quod & factum eſt. Acceſſit Frater, qui primò à Saracenis captus, ſed poſteà dimiſſus fuit. Sed Frater Ioannes, poſt ſolemnem prædicationem & reuocationem eorum quæ negauerat, captus à Saracenis, primò verberibus crudeliſſimè cæſus, deinde ſale & aceto plagis aſperſis, demum ſex clauis fuit crucifixus, ſcilicet duobus in manibus, duobus in brachiis, in medio ſcilicet cubito, duobus in pedibus. Et cùm in principio facies eius pallida eſſet, facta ex dolore demum adeò rubicunda & læta, vt omnes miratentur. Et ſic vixit per tempus, ſemper fidem Chriſti affirmando, & Mahomet deteſtando. De iſtis agitur etiam in 2. Part. Chronic. S. Franciſci lib. 9. cap. 30. & anno Domini 1370. paſſos fuiſſe, notauit Bozius de Signis Eccleſiæ Dei, ſigno 25.

Fr. Ioannes de Etheo, poſt abnegatâ Chriſti fidem, eamdem confitetur, pro qua viriliter obiit.

Alij ſeptem decollati.

Alij ſeptem Fratres noſtri Martyres, propter fidem à Soldano Aegypti Melchaſà ſunt decollati.

Tres alij Fratres & nobilis ſæcularis martyrium ſubeunt.

In ſecunda Part. Chronic. lib. 9. cap. 18. & 19. refertur aliorum trium Franciſcanorum & vnius nobilis Equitis martyrium, vt ſequitur. Anno Domini 1358. cùm nobilis quidam Hungarus nomine Thomas, dæmonis ſuggeſtione, Chriſti fide abnegata, Mahometanæ ſuperſtitioni nomen dediſſet, ac in re militari ſtrenuus eſſet; pluris illum faciebat Aegypti Soldanus, illumque gratiis & ſtipendio ceteris militibus præferebat. Cùm ille aliquando in Hebdomada ſancta Ieroſolymam peruenisſet, & ad Conuentum Fratrum Minorum ſacri Montis Sion diuertiſſet, Diuino accidit conſilio, vt cum Fratre quodam Nicolao à Monte Coruino loqueretur: qui illius miſerandum lapſum & ſtatum intelligens, illi compatiens, ſtatim magno ſpiritus feruore de æternæ gloriæ excellentia, pœnarum inferni acerbitate, valore & excellentia meritorum Chriſti, ac de abſurditate ac vilitate Mahometicæ ſectæ ſermonem habuit; qui adeò viuus & efficax, ac omni gladio ancipiti penetrabilior exſtitit, vt vſque ad cor & animam illius penetrauerit, & ad pœnitentiam induxerit, ad Mahometicæ ſectæ deteſtationem, & Catholicæ fidei confeſſionem. Et conſulens iam conuerſus Eques ſeruum Dei Nicolaum, quomodo Deo ſatisfacere poſſet pro tam enormi patrato flagitio, eique reconciliari, reſpondit: Expedit, vt palàm fidem Chriſti confitearis, tamquam omnino ad ſalutem neceſſariam, quam publicè abnegaſti, & Mahometicam fidem impiam falſamque eſſe, & ad perditionem ducere. Ad quem Thomas: Pater mi, ſi hoc facerem, ſtatim occiderer à Mauris. Cui Frater Nicolaus: Non credis, ô domine Thoma, te aliquo tempore moriturum: magnum donum Dei tibi concederetur, ſi pro fidei Chriſti confeſſione martyrium obires. Times mortem, cuius terminus eſt vita æterna? Reſpondit Thomas: Libenter nunc moreret pro fide Chriſti; ſed conſiderans meam fragilitatem, timeo ne tormentorum grauitate perterritus, nullum habens conſolatorem, iterùm ad vomitum, ad Mahometiſmum reuertar. Reſpondit Fr. Nicolaus: Domine, ſi tecum fuero, eidem me exponam periculo, Chriſtum & eius immaculatam fidem confitebor; vis tu mecum & eamdem facere confeſſionem? Annuit ille libenter. Aſſumpſit tunc Fr. Nicolaus in ſocios duos alios Fratres timentes Deum, & martyrij cupidos, Fratrem Franciſcum ex Neapolitana Prouincia oriundum, & Fratrem Petrum: qui cùm ſimul Cairum peruenisſent, mercatores, & alij Chriſtiani, aliquid mali ſuſpicati fuerunt, propter quædam quæ ab interpretibus intellexerunt. quare, vt ſtatim diſcederent, dixerunt, aliter mortem non euaderent, & ruinæ & damno eſſent Chriſtianis: ſed nihili fecerunt illorum verba ſerui Dei, qui illuc ſe contulerunt, vt pro Chriſti fide paterentur.

Religioſi charitate in proximum.

Manè Dominicæ Reſurrectionis adſtiterunt ſerui Dei cum Equite coram Soldano. Ad quem Eques Thomas dixit: Quamuis ego ille ſim, qui Dei miſericordiam non merear; quoniam turpiter Dominum meum Ieſum Chriſtum, verum Deum & hominem, qui pro totius mundi ſalute Crucis mortem ſuſtinuit, negaui, & diabolicæ ſectæ eiuſque inuentori Mahometo adhæſi; nihilominùs non ad mea reſpiciens enormia facinora, reſpexit me oculis miſericordiæ ſuæ, & eripuit me de profundo erroris, & inferni barathro, in quē me proieceram,

illum,

illum abnegando. Vt ex parte satisfaciam, detrecto priùs dicta, Mahometem & eius perditam sectam detestor, & Christum vnicum mundi Saluatorem & eius fidem ad salutem necessariam prædico.

Exclamans tunc voce magna Soldanus, indignabundus dixit: Manifestum est, ad hanc insaniam te Fratres istos induxisse. Ad quem Fr. Nicolaus absque timore dixit: Non nos, sed Iesus Christus per nos seruos suos hunc ad se traxit: & Spiritu sancto repletus, plura de excellentia Christianæ fidei dixit, & aliqua abominabilia sectæ Mahometicæ reserauit. Omnia serena facie audiuit Soldanus, posteà ad Fr. Franciscum & Philippum conuersus, rogauit, quid sentirent de assertis ab ipsorum socio? Responderunt, vera esse, & vt talia & ipsos eadem confiteri. Tunc iussit Princeps omnes in carcerem detrudi, sed Equitem seorsim à Fratribus. Mauri ad illum accedentes, tum minis tum blanditiis & promissionibus nitebantur à sancto dimouere proposito; sed diuino protectus auxilio, stabilis in fidei confessione permansit.

Post biduum è carcere educti, & Soldano præsentati: & cùm nullis minis à confessione Catholicæ fidei dimoueri potuissent, iussit illos occidi. Et magno Maurorum facto concursu, primò Equitem Thomam, qui primus fuerat Christum confessus, ac deinde Fratrem Nicolaum, mox duos alios socios crudelissimè occiderunt, & in frusta conciderunt: qui omnes cum palma martyrij ad cælos euolarunt. Cùm illorum corpora clàm combusta fuissent, supra magna lux apparuit, quæ magnam attulit admirationem. Hæc ex Chronicis Minorum.

Duo Capucini pro fide interempti. Martyrium Fr. Ioannis de Zuazo breuiter refertur in Annal. Minor. Tom. 1. an. 1248. num. 14.

Parte 3. Chron. lib. 9. cap. 32. refertur martyrium duorum Fratrum Capucinorum. Fr. Ioannes de Zuazo Hispanus, ex Obseruantibus Capucinus, vir eximiæ sanctitatis & integritatis, obtenta facultate à suis Superioribus proficiscendi ad Terram sanctam, & prædicandi Euangelium Mauris, cum aliis Italis Fratribus eiusdem spiritus, mare transiens, inuisit Terram sanctam. Absoluta illius veneratione, abiit in Alexandriam Aegypti ciuitatem; vbi hospitatus fuit apud Syndicum Apostolicum Fratrum sacri Montis Sion: qui posteà, quid iisdem Fratribus successerit, vt sequitur retulit.

Discessit Frater Ioannes ex Alexandria cum suo socio Fr. Alexandro Italo laico; & ad Cairum profecti, cuidam Hebræo Italo dixerunt, se habere magna quæ referant ad illius ciuitatis Soldanum: quare illum precabantur, vt ad illius præsentiam introducerentur. Iudæus arbitratus hoc pacto se gratiam apud Bassam ciuitatis comparaturum, retulit illi Fratrum desiderium. Annuit ille vt ad placitum accederent. Cùm Bassæ præsentati fuissent, ille magno spiritus feruore Christum liberè prædicauit, eiusque fidem ad salutem necessariam esse. Indignatus ex rei nouitate Princeps, illos in carcerem includi iussit, præcipens vt abundè comestibilia suppeditarentur, suspicatus eos ex debilitate insanire; vtque in se reuersos ad Mahometismum adduceret.

Post dies octo educti de carcere serui Dei, sistuntur coram Cado, qui eos de fide interrogauit; & cùm mente sanos & in sua fide fortes reperisset, conijcit iterùm in terrimum carcerem, tribuens arctum panem: & quotidie grauiter cæsi sunt. Accidit tunc temporis, vt illac transiret Regis Gallorum Orator: qui intelligens Fratrum miserandum statum, petiit à Bassa, vt sibi liberaliter concederentur, quia secum ad partes Christianorum ducere volebat. Annuit ille petitioni; & profecti ministri ad carcerem, vt inde illos educerent: sed in terram collapsos, fame & verberibus mortuos inuenerunt. Quorum animas in cælo corona martyrij donatas fuisse, piè credere possumus.

CAPVT V.

De venerabili seruo Dei P. Fratre Anselmo à Mantua.

NOn est hoc loco silentio prætereundus P. Frater Anselmus à Mantua, Prouinciæ D. Antonij, qui in Ægypto & magna Cairo multùm in sanctis operibus se exercuit, & ibi tandem sancto fine quieuit. Hic Dei venerabilis seruus, ob peculiarem vitæ integritatem, suæ Regulæ zelum cum doctrina coniunctum habuit: fuit enim in Seraphico Ordine eximius Concionator & Theologus; Sereniſſimo Vincentio Duci Mantuæ admodum charus extitit; vnde in suum Confessarium ac Theologum elegit, & vsque ad mortem sibi adesse voluit. Viuebat nihilominùs semper in Conuentu Fratrum, si facultas aderat, communem cum illis ducens vitam. Solitudinis studiosus erat, & orationi deditus: in Choro assiduus, post Matutinum ab Ecclesia non discedebat: residuum temporis in oratione consumens, semel in die comedebat.

Post Principis mortem, anno Dom. 1611. patria relicta, cum obedientia Superiorum, & Familia Ierosolymitana, ad sanctam profectus

fectus fuit Ciuitatem; vbi, & in aliis Terræ ſanctæ locis, omnibus mundi negotiis valè dicto, magna cum pietate ac deuotionè Deo & locis ſanctis vſque ad annum 1623. & mortem inſeruiuit. A Superioribus miſſus fuit Cairum in Aegypto pluries concionator; item Aleppum in Syria, vbi linguæ manus iungens, multos ex prædicatione colligebat manipulos; ideò omnes tam Religioſi quàm ſæculares plurimi eum faciebant.

Hieronymi Aleppenſis iuuenis virtus.

Aleppi Hieronymum quemdam Solymani filium adeò ad viam virtutis ac perfectionis direxit, vt quamuis eſſet iuuenis annorum 18. vnicè à parentibus dilectus, & propter bonam illius indolem omnibus amabilis, cuiq; facultates & huius mundi bona non deerant, adeò reddidit rerum mundanarum contemptorem, & ſpiritualium ac cæleſtium amatorem, vt, illis omnibus ſpretis, totus ſe illis tradiderit. Petulantem carnem multis ieiuniis, frequentibus diſciplinis & aſſiduis orationibus edomabat, diei maiorem partem in Eccleſia conſumebat, noctu è lectulo ſurgens flexis genibus Deum precabatur, præſertim pro peccatoribus, quorum ſalutem admodum exoptabat; vnde hac ratione pluries ad ſpiritualia exercitia ſuum ſpiritualem patrem excitabat: omnes illum mirabantur, omnibus factus piè viuendi exemplar. Aleppi epidimiæ morbo graſſante, fuit eodem & ipſe infectus: ſentiens ſe moriturum, diem mortis ſuæ prædixit; & priuſquam ſpiritum redderet Saluatori, quod maximè deſiderabat, non enim diu viuere curæ illi erat, obtinuit à patre, vt veſtes, quas multas habebat; & nummos, qui ei conceſſi erant, in pauperes diſtribueret: & omnibus Eccleſiæ ſuſceptis deuotè Sacramentis, magno cum ſpiritus feruore ſe Deo commendans, omnibus boni adoleſcentis mortem lugentibus, Creatori ac Redemptori ſuo ſpiritum reddidit. Et conſummatus in breui, expleuit tempora multa: placita enim erat Deo anima ipſius; ideò properauit educere eum de medio iniquitatis.

Fuit mihi hic venerabilis Pater nedum à meo in Religionem ingreſſu notus, ſed etiam prima vice, qua fui Ieroſolymis, familiaris & charus; ſecunda verò, quando iam è viuis deceſſerat, intellexi, & publica fama inter Fratres erat, Bethlehem in crypta Dominicæ Natiuitatis imaginem B. Mariæ Virginis opere muſaico depictam in pariete Occidentali eiuſdem cryptæ, locum Natiuitatis Domini è regione reſpicientem, fuiſſe aliquando dictum Patrem allocutam: quare deinceps fuit illa in peculiari habita veneratione.

Ex Aleppo Ieroſolymam reuerſus, fuit inde vltimò Cairum miſſus, pro habendis in Quadrageſima concionibus ad Chriſti fideles in ea habitantes. Deficiente ibidem Illuſtriſſimi Conſulis Veneti & eiuſdem nationis Capellano, ob deuotionem erga venerabilem Patrem obnixè illum precati fuerunt, vt apud ipſos maneret animarum ſuarum Paſtor. Annuit ille honeſtæ petitioni; & ex licentia Præſulis Ieroſolymitani illorum curam ſuſcepit, magno cum eorumdem ſpirituali profectu & conſolatione, non modico temporis ſpatio.

Tempore mortis illius appropinquante, in eius locum aduenit P. Fr. Benedictus Gallus Prouinciæ Florentiæ: de cuius aduentu multùm gauiſus fuit Pater, arbitratus à Deo miſſum in ſuum ſpirituale ſolatium, vt eiuſdem aduentu exhilaratus eidem dixit, prædicens etiam ex parte quæ poſteà eidem ſucceſſerunt. Aliquibus elapſis diebus, quodam manè conuenit Illuſtriſſimum dominum Antonium Capellum, Cairi Conſulem & Oratorem pro ſereniſſima Venetorum Republica; eiq; conſignauit, quæ illi tradita fuerunt initio ſui officij, veniam petens de erratis, fiq; illi in aliquibus ſcandalo fuit; & hoc eidem præſtitit & aliquibus aliis mercatoribus. Qui omnes mirati ſunt: & cauſam illius facti ſciſcitantibus, aliud non reſpondit, niſi ſe eſſe mortalem; ac ideò ſe poſſe è viuis decedere qua hora quis non putaret: neſcientes quod breui futurum erat, aliqui leuitatem illam dixere. Reuerſus ad Eccleſiam, ibi magna cum deuotione vltimum Æterno Patri ſui dilectiſſimi Filij & ſuimet obtulit ſacrificium. Quo abſoluto, flexis genibus, & gratiis Deo pro more redditis, ſurgens, & quaſi quieſcere ac dormire volens, ſedit in cathedra; & non multò pòſt, ex breui illa quiete & ſomno ad æternam requiem tranſiit, vt de probo Religioſo piè opinari licet. Quem exanimem inuenientes, intellexerunt omnes quid indicare voluerit illo humilitatis officio, & ſe diſpoſuiſſe ad mortem ſibi à Domino præmonſtratam.

Illuſtriſſimus Conſul, ob magnam erga Sacerdotem ſuum deuotionem, marmoreum illi præparauit monumentum; in quo, ſolitis ex Eccleſiaſtico more ſuper eum completis Officiis, quantum in iſtis partibus conceditur, fuit honorificè tumulatus. Ita tum ab aliis fide dignis, tum ab illis qui aderant, & oculati inſpectores fuerunt, accepi.

CA-

CAPVT VI.

De veteri Cairo, horreis Ioſeph, & loco vbi manſit beata Virgo MARIA *cum puero* IESV *& ſponſo* IOSEPH, *quæ tertio occurrunt in ſecunda Peregrinatione.*

PIj fideles qui venerunt ad magnam Cairum, magno pietatis affectu ad veterem Cairum proficiſcuntur; vt locum ſacrum præſentia Saluatoris, eius ſanctiſſimæ Matris, & ſponſi Ioſeph, venerentur. Diſtat noua à veteri Cairo itinere circiter duorum, ni fallor, milliarium: & in tota ferè via ſunt hinc inde domus; & magnorum ædificiorum cernuntur ruinæ. A latere viæ, à longè, vnius circiter milliaris ſpatio, ingentia magnaque monſtrantur ædificia, quæ horrea Ioſeph appellantur; quoniam à ſancto Ioſeph, magni Iacob Patriarchæ filio, vices gerente Pharaonis Regis in Aegypto, ædificata fuere pro gubernando & cuſtodiendo tritico, quod magna copia ſeptem annis collegit, vt totidem aliis caritatis annonæ, egentibus & famelicis diſpenſaret: illa ampliſſima ſunt, & vetuſtate conſumpta; reſtaurata adhuc horrea Ægypti ſunt, in quibus granum aſſeruatur. Et hæc, vt veteri traditione accepta, hîc ſcripſimus. Quæ tamen vt clariùs intelligantur, & difficultati, quæ traditioni refragari poteſt (videlicet non verè ea ratione dicenda eſſe horrea Ioſeph; nam Ioſephi tempore Cairus ædificata non erat, vt ex dicendis manifeſtum fiet; & ipſe in Taphnis, metropoli tunc Aegypti, habitare debuit) reſpondeatur, ſequentia animaduertere operæ pretium duximus.

Veteris Cairus à nouæ duobus milliaribus diſtat.

Horrea Ioſeph.

Norandum itaque, quòd cùm Pharaoni Regi Aegypti duo ſomnia monſtrata fuiſſent, quibus portendebatur illius regionis & nonnullarum etiam aliarum euentum, ſeptem & ſeptem annorum; nec eorum interpretationem ipſe intelligeret, nec coniectores aliique Aegypti ſapientes valerent ea explicare; eductus de vinculis Ioſeph, in quibus propter impudicæ mulieris calumnias detinebatur, iſtitur coram Pharaone, vt, ſicut alia ſomnia, ita eius fideliter & verè interpretaretur, quemadmodum & fuit ſapienter interpretatus: præſagia videlicet illa fuiſſe futuræ in Aegypto ſeptennis abundantiæ, & poſteà totidem annorum ſterilitatis. Quare conſilium dedit Regi, vt prouideret virum ſapientem & induſtrium, & præficeret illum terræ Aegypti; qui conſtitueret præpoſitos per cunctas regiones, & quintam partem fructuum per ſeptem annos fertilitatis futuros in horrea congregaret, & omne frumentum ſub Pharaonis poteſtate conderetur, ſeruareturque in vrbibus, pro futura ſeptem annorum fame, quæ Aegyptum oppreſſura erat. Placuit conſilium Pharaoni; & honoratum Ioſeph, totius Aegypti Præfectum conſtituit, ad cuius nutum omnes obedirent: & nomen mutauit, quod lingua Aegyptiaca Saluatorem mundi ſignificabat.

Somnia Pharaoni oſtenſa.

A Ioſeph interpretata.

Ioſeph Aegypti Prorex conſtituitur.

Ioſeph munus ſuum agnoſcens, vt eidem pro viribus ſatisfaceret, vt primùm vidit terram frugibus abundare, egreſſus cum poteſtate ſibi à Rege tradita, circuiuit omnes Aegypti regiones, inſtituitque locis opportunis horrea regia; iuſſitque in ſingulas vrbes magnam vim frugum comportari, & condi, nimirum quintam partem earum quæ colligebantur; non quidem triturataam & purgatam, ſed in ſuis ſpicis exiſtentem, atque in multos magnosque manipulorum aceruos redactam; vt vel ſic, tamquam in ſuis naturalibus thecis, diutiùs conſeruari poſſet, & ſimul non ſolùm frumenta hominibus, ſed etiam iumentis paleæ reſeruarentur: quæ & alia fuſiùs habentur Geneſ. cap. 41. Quæ cùm ita ſint, non mirum, ſi non ſolùm in Regia vbi habitabat, ſed & in aliis Aegypti vrbibus horrea conſtruxerit, inter quæ memorata extiterunt: iſta verò ſingulariter recenſentur, vel quòd præcipua fuerint, vel quòd magis nota; quia proxima Aegypti præcipuæ & metropolitanæ ciuitati. Et aliorum forte nulla extat ampliùs memoria, vetuſtate conſumpta, ac, neceſſitate illorum ceſſante, non reparata. Et ſic patet, quid de prædictis horreis dicendum ſit, & de ſcrupulo propoſito, contra ea quæ de eiſdem priùs tradidimus.

Illum proinde ſollicitando.

In variis Aegypti locis frumenta recondit.

Nunc de veteri Cairo, quam Abulenſis & alij Aegypti Babylonem appellant: ſic verò de ea ille ſcribit in Matth. 2. quæſt. 60. *Babylon eſt alia ciuitas magna in Aegypto, & non eſt iſta quam Scriptura vocat Babylonem; quia illa eſt in Chaldæa, de qua erat Nabuchodonoſor. Iſtam Babylonem Aegypti condidit Cambyſes Rex Perſarum, filius Regis Cyri, poſtquam deſtructa eſt Babylon, quæ erat in Chaldæa, & poſteà Perſarum & Medorum: & Cambyſes volebat manere in Aegypto, & conſtituere ibi caput Regni; ideò fecit ciuitatem, quam vocauit Babylonem.* & inferiùs: *Tranſit vnus riuus ſatis magnus de Nilo per medium Babylonis & per Cairum, quæ ei contigua eſt, & reuertitur ad fluuium principalem iuxta Cairum,* &c. & poſt pauca: *In Babylone etiam Aegypti; & in Cairo erant plures quàm quadraginta Eccleſia.*

Cairus qua.

Babylon duplex, Chaldæa & Aegypti. Aegypti conditor.

Eccle-

Ecclesiæ. & sic in omnibus aliis ciuitatibus Aegypti. Ac denique idem, aliquibus interpositis, subiungit: *Iuxta Cairum est quadam arbor palmæ antiquissima, qua B. Virgini intranti in Aegyptum se inclinauit, vt dactylos inde colligeret, & iterùm se erexit: idololatræ videntes, succiderunt eam, sed nocte sequenti consolidata est, & erecta: & apparent adhuc incisiones eius in ipsa. Est etiam aliud miraculum memoria dignum: est enim in Babylone Aegypti quoddam Monasterium in honorem beati Ioannis Baptistæ constructum, vbi sunt quædam Reliquiæ eius inclusæ in quodam scrinio non magno. Consuetudo autem non solùm Christianis, sed etiam Saracenis, in festo eius frequentare Monasterium ipsum: Saraceni quippe valdè honorant beatum Ioannem Baptistam. Et anno quolibet in dicto festo Christiani cum Saracenis portant prædictum scrinium per quinque leucas, descendendo per flumen Nili ad aliam Ecclesiam Monachorum, constructam similiter in honorem beati Ioannis Baptistæ. Postquam verò ibi fuerint Missarum solemnia celebrata, ponunt prædictum scrinium in flumine; probare volentes, an beatus Ioannes velit Reliquias suas manere in hoc Monasterio, vel redire ad priorem locum: sed mox, videntibus illis omnibus, scrinium ipsum contra impetum Nili fluminis, qui vtique est valdè violentus, tanta velocitate sursum currit, & redit ad locum suum priorem, quòd nec hi, qui in equis currunt, possunt velocius ad dictum Monasterium pervenire. Hoc singulis annis fit. Hæc propter Christum in Aegypto manentem dicta sunt de Aegypto: quorum quædam suprà à nobis probata sunt ex certis locis. Quæ verò probata non fuerunt, habentur omnia ex libro Fratris Brocardi Teutonici, & ex libro Marini Veneti, qui diligentissimè scripsit librum vnum ad Papam Ioannem Vigesimum primum, de omnibus rebus Terræ sanctæ & Aegypti.* Hactenus ex Abulensi. Ex quo alia ab ipso indicata Capite sequenti, secundùm ordinem explicandi à nobis assumptum, subiiciemus.

Palma beata Virginis.

Monasterium sancti Ioannis Baptistæ.

Diximus Capite III. huius Peregrinationis, eodem ex Abulensi, in Babylone & veteri Cairo, Ecclesiam & locum visitari, in quo mansit beata Virgo Maria cum puero Iesu & sponso Ioseph, dum in Aegyptum peregrinarentur; & verè nunc Ecclesia illa & locus monstratur, & in loco, vbi fertur beatæ Virginis Filium habitasse, Missa celebratur: & ego cum aliis, Dei gratia, celebraui: & pertinet ad Iacobitas. De ista Ecclesia in vetusto manuscripto locorum Terræ sanctæ, vbi recensentur Aegypti loca, sequentia leguntur: *Item est Ecclesia Iacobitarum, in qua fertur stetisse beata semper Virgo Maria cum puero: & adhuc ostenditur locus, vbi reclinabat puerum dulcissimum Iesum.* Notandum, quòd quo tempore beata Virgo habitauit in Aegypto, ibidem etiam plures habitasse Hebræus. Nam (vt scribit Philo in Flaccum) suo tempore non minùs quàm decies centena millia Iudæorum habitabant Alexandriæ, & in tota regione, quanta patet à Catabathmo Libyæ vsque ad terminos Aethiopiæ. Vixit autem Philo tempore Apostolorum. Ex hoc mihi valdè probabile redditur, quod piè aliqui contemplantur, plures Hebræorum virgines sanctissimæ Virginis adhæsisse, vt speculo pudicitiæ, exemplari omniumque virtutum normæ; valdeque ex eius pueri & sponsi Iosephi discessu doluisse. Addunt alij, eo in loco postmodum sanctas à mundo separatas virgines habitasse, ob sanctissimæ Virginis memoriam. Hæc ex dicendis Cap. sequenti clariora euadent.

Loca, vbi B. Virgo Maria habitauit, Ecclesiâ dotatum.

Vbi B. Maria habitauit, postea sanctarum virginum Cœnobium.

In superiùs memorato manuscripto sequentia etiam leguntur: *Item à predicta ciuitate Messara,* id est Cairi, *per quadraginta milliaria est quædam patria nomine Mempolato, in qua est Monasterium Iacobitarum nomine Elmarath; vbi est capella, in qua fertur stetisse beatissima & glorioissima semper Virgo Dei Genitrix cum puero Iesu septem annis: & sit festum in die Palmarum. Alij dicunt, eandem stetisse in Babylonia superiùs, &c. Ambo ista loca sunt in Aegypto.* Fortè aliquo tempore in diuersis huius loci mansit: & dum ibi dicitur mansisse septem annis, non ad illum particularem locum referendum est, sed ad communem, id est Aegyptum; vbi circa septem annos mansit, vt Capite sequenti dicemus. Dicitur etiam ibidem: *In ciuitate Babylonia apud Cairum sunt multa Ecclesia Christianorum; inter quas est Ecclesia sancta Maria de Columna, in qua sepultum fuit corpus sanctæ Barbaræ virginis & martyris.* De duplici Cairo aliqua Guilielmus Baldensel in suo Hodœporico.

In Cairo multæ Ecclesiæ.

CAPVT VII.

De Heliopoli & Matharea, loco vbi primò mansit B. Virgo Maria in Ægypto, & aliis ibidem obseruatione dignis, quæ quarto occurrunt loco in secunda Peregrinatione.

POst debitam venerationem sanctissimi loci apud veterem Cairum, vbi beata semper Virgo Maria Dei Genitrix aliquando mansit cum dilectissimo infantulo suo Filio Dei & sponso Ioseph, de quo Capite præcedenti, proficiscuntur pij fideles ad alte-

alterum locum, quem ſancti illi hoſpites ſua ſimiliter præſentia ſanctificarunt; quem incolæ Matharcam vocant: qui enim exſules erant, nec domum nec locum proprium habentes, quibus omnia deſeruire debebant, in vno ſemper loco conſiſtere vel nequiuerunt, vel noluerunt; vt ſuo exemplo docerent nos peregrinari in hoc ſæculo, eiq́ue non eſſe inhærendum, ſed vt peregrini illud nos debere percurrere. Quoniam verò locus iſte dicitur fuiſſe Heliopolis, vel ſanè illi proximus; de Heliopoli aliqua dicere opportunum hìc iudicaui.

De Heliopoli Abulenſis ſententia.

Abulenſis de ea ſcribit: Heliopolis eſt ciuitas valdè bona; ſed non eſt mutata, ſicut nec aliqua ciuitas in Aegypto, præter Babylonem, Alexandriam, & Cairum. Et iſta vocatur ciuitas Solis Iſaiæ 19, 18. nam Heliopolis in Græco idem eſt quod ciuitas Solis. Eſt vna de quinque ciuitatibus Aegypti quæ loquebantur lingua terræ Chanaan. Et iſta ciuitas valdè abundans fructibus & omnibus deliciis mundi; & diſtare dicitur à Babylone ſeptem leucis: ſedenim non tantam credo eſſe inter vtramque ciuitatem diſtantiam. Et addit idem Auctor: In Heliopoli fuit priùs Virgo cum Chriſto quàm in alio loco Aegypti. Ante Abulenſem, habitaſſe ſanctam Virginem in Heliopoli, docuerunt Anſelmus in cap. 2. Matth. & ibidem D. Thomas, Hugo Cardinalis & D. Bonauentura de Vita Chriſti cap. 12. idem alij: quæ ad illius in eam ingreſſum contigerunt, notauimus Cap. 11. primæ Peregrinationis huius octaui Libri.

Verùm his & dictis Capite præcedenti, de loco manſionis Mariæ Virginis Deiparæ, obſtare videntur ea quæ ſcriptis conſignarunt qui ſcripſerunt de Locis ſanctis, qui docent, locum, in quo manſit B. Virgo in Ægypto, Matharcam appellari, vterque ſcilicet Brocardus: alter in Geographia Ægypti, Deiparam in loco, quem Matharcam appellat, domicilium habuiſſe refert iuxta hortum balſami: eſt autem locus hic inter Heliopolim & Cairum ſitus. Alter verò Brocardus in Deſcript. Terræ ſanctæ p. 2. cap. 4. *Inter Heliopolim*, inquit, *& Babyloniam Aegypti medio ferè loco eſt hortus balſami: irrigatur à fonte paruo, ſed vbere, in quo fama eſt, beatam Virginem puerum Ieſum ſæpè lauiſſe, pannículoſq́; eius mundaſſe: eſt & ibidem lapis, ſuper quem dicitur eoſdem exſiccaſſe. Et hæc omnia venerantur à Chriſtianis & Saracenis*, &c.

Ianſenius cap. 11. Concord. Euang. idem ſcribit ex relatione peregrini qui loca ſancta inuiſit. Et in ſuperiùs citato manuſcripto ſimilia inueniuntur: *Item vinea balſami, apud quam eſt fons beatæ Mariæ Virginis dulciſſimæ aquæ; vbi eſt capella, in qua ſtetit B. Virgo Maria cum puero Ieſu, quando fugit in Aegyptum: & Saraceni habent eam in magna reuerentia; & accendunt lampadem.* Adrichomius idem cum aliis. Quare aliqui ſacri Doctores ex dictis inferunt, Virginem Mariam nec in ciuitate Heliopoli, nec Babylone, ſed aliquo in oppido inter Heliopolim & Cairum, ſiue Babylonem Aegypti, ſito habitaſſe iuxta hortum balſami & fontem; ideoq́ue dici incolam Heliopolis.

Reſponderem, hæc dictis non obſtare: quid enim prohibet, ſanctam illam ſocietatem, dum ageret in Aegypto, primò quidem ingreſſam fuiſſe Heliopolim, ac deinde in hoc & illo loco habitaſſe, id eſt, in Matharea & veteri Cairo, in locis, qui & nunc viſuntur & honorantur nedum à fidelibus, ſed etiam ab infidelibus ipſis. In pluribus enim locis Aegypti fuiſſe beatam Mariam Virginem clarius apparebit, ſi ad tempus non modicum, quo ibi manſit, quoad Angeli monitu reuerſa eſt in terram Iſraël, oculos coniecerimus.

B. Maria cum puero & ſponſo ſuo in pluribus Aegypti locis habitauit.

Sciendum itaque, licet controuerſum ſit inter Doctores de tempore & numero annorum, quibus ſanctiſſima Deipara cum Filio Dei & ſponſo Ioſeph manſerit in Aegypto; omnes tamen conuenire, tot annos tantumq́ue tempus inibi fuiſſe, vt potuerit in pluribus eius locis, præſertim non multùm inter ſe diſſitis, habitare; vt habitaſſe cum memoratis Auctoribus & ex communi illarum partium traditione diximus.

De tempore manſionis B. Mariæ in Aegypto ſententia.

Epiphanius lib. 1. Tom. 1. cap. 21. Panar. & hæreſ. 58. duobus annis manſiſſe arbitratur; tribus verò Nicephorus lib. 1. Hiſt. cap. 14. Druthmanus Matth. 2. Lucidus lib. 7. cap. 2. quinque, Adrichomius ſex, Ianſenius cap. 11. Concord. & alij, quinque vel ſex (vt omittam Panuinum in Faſtis, qui vnicum annum exilij tribuit) Ammonius, Origenis præceptor, in Harmonia Euangelica, Gloſſ. ordin. D. Anſelmus Matth. 2. & D. Thomas, D. Bonauentura de Vita Chriſti cap. 13. Magiſter Hiſtoriæ cap. 23. D. Antoninus 1. p. tit. 5. cap. 1. §. 4. Platina de Vita Chriſti, Sabellicus lib. 1. Aeneade 3. Iacobus Bergomenſis in Vita Deiparæ Virginis, Dionyſ. Carthuſian. in Sermone de Innocentibus, Abulenſis loco indicato ſuperiùs, Petrus de Natal. in Catalogo: à quorum ſententia non videtur recedere Cardinalis Baronius; etenim in primo ſacrorum Annalium Tomo ſub anno 1. Chriſti ponit eius fugam in Aegypeum, initio verò anni 9. eiuſdem reditum ex Aegypto in Iudæam: Verùm pauciores his certò qui-

dam arbitrantur; & pluribus ratiocinatur Maldonatus in cap. 2. Matth. post quæ in hunc modum concludit: *Itaque hoc tantùm certum est, nèque plures septem neque pauciores quatuor in Ægypto annos commorari potuisse*, &c.

Augustinus Torniellus, in temporum supputatione accuratissimus, Tom. 2. suorum Annalium sub M. A. 4060. num. 2. ex præmissis nonnullis concludit, Iesum, annis dumtaxat tribus incompletis, id est, vno dumtaxat circiter mense deficiente, in Ægypto permansisse. Igitur, si huius vel etiam aliorum vera est sententia (omissa illa Panuini) optimè affirmare possumus, aduentu Christi & Matris eius Heliopolim, & mansione ipsorum Matharcam primò, ac deinde veterem Cairum, & alia etiam Ægypti loca fuisse perlustrata & sanctificata.

Sed pro maiori dictorum declaratione, audiamus quæ de prædictis ex Fratre Brocardo Teutonico & Marino Veneto scripsit Abulensis: Inter Heliopolim & Babynem, inquit, in medio satis iuxta Cairum, est hortus balsami, habens in latitudine quasi iactum lapidis, in longitudine aliquantulùm plus: & est terra quasi tota alba. Est enim arbuscula balsami sicut lignum vitis trium annorum; folia verò eius sunt quasi folia parui trifolij, vel quasi folia rutæ, albiora tamen sunt: est enim arbor parua, scilicet palmi & dimidij in altitudine. Modus autem colligendi balsamum est, quòd cultores discerpunt folia de ipso stipite; quia folia stipiti adhærent, & vnum tantum stipitem habent; licet in vno cespite sint plures stipites, scilicet sex vel septem, & interdum plures. Discerpto autem folio contra radium solis, statim de ipsa ruptura egreditur gutta lucidissima odorifera valde: & iste est liquor balsami, qui colligitur in phialis vitreis modo debito; & balsamus efficitur. Et si istud folium discerperetur contra aliam partem quàm contra ortum solis, non stillaret gutta aliqua de ruptura. Alius modus colligendi balsamum est tempore maturitatis foliorum, quod accidit circa mensem Maij: scinditur cortex ligni, id est aperitur; & liquor inde fluens colligitur vasis vitreis, & illa reponuntur in stercore columbino, & desiccatur ille humor; & sic efficitur balsamus probatus. Rigatur autem iste hortus de quodam fonte paruo, sed abundanter fluente, in quo beata Virgo benedictissimum puerum Iesum dicitur sæpè lauisse, & pannos eius abluisse, cùm maneret in Ægypto. Et ibidem est lapis, in quo prædictos pannos dicebatur exsiccasse. Et hæc omnia in magna veneratione habentur vsque hodie, tam à Saracenis quàm à Christianis terræ incolis. Est autem dictus fons valdè paruus; ita vt non sufficeret ad rigandum totum hortum: ideò Saraceni fecerunt alium quasi puteum profundum iuxta illum; de quo quatuor boues per quamdam rotam aquam trahebant; sperantes, quòd propter vicinitatem fontis haberet iste puteus virtutem, vt faceret arborem balsami germinare quam irrigaret. Sed deceptos se videntes, cùm aqua illa non proficeret, vt nasceretur arbor balsami, canale quoddam fecerunt à fonte suo ad fontem Christi, vt sic miscerentur aquæ, & copiosiùs fluerent, & virtus ab vna in alteram transfunderetur, & sufficeret ad irrigandum totum hortum: & non fefellit eos ista opinio. Nunc enim per ipsas aquas mixtas fecundatur hortus balsami; quod aliàs fieri non posset.

Hortus balsami.

Balsami colligendi modus.

Fons in quo ablutus fuit Iesus.

Lapis in quo panni Iesu exsiccati fuerint.

Est ibi præterea vnum valdè mirabile testimonium fidei Christianæ: scilicet, quòd à meridie diei Sabbati vsque ad ortum solis diei Lunæ boues, qui trahunt aquam de puteo siue fonte, cessant à labore, & nullo modo volunt posteà aquam trahere, etiam si occidantur, vel excorientur; & pòst in die Lunæ orto sole trahunt aquam vsque ad diem Sabbati ad meridiem. hoc plurimi Christiani quotidie vident; quorum aliqui apud nos manent. Et testatur in libro suo Frater Brocardus se vidisse, cùm non crederet omnibus asserentibus. Ad istum fontem Christi in die Epiphaniæ conueniunt Christiani, & lauant ibi corpora sua ex deuotione. Saraceni etiam conueniunt ad hunc fontem ex deuotione, & lauantur ibi. Habent enim Saraceni quemdam fœtorem grauissimum, quem tollere nullo modo possunt, nisi cum sæpè lauantur: & maximè tollitur, si lauentur in fonte illo; vnde se & filios suos sæpè in fonte illo lauant. Lege Adrichomium in Pharan num. 48. & in Iuda numero 116.

Nota pro festorum sanctificatione.

Ego, dum ibi fui, hæc obseruaui: Matharea villa est, quæ decem milliaria distat à Cairo: via rota planissima: locus, qui veneration habetur, est spatiosa aula; intra quam est aqua, quæ ex fonte extra ipsam fluit: illam restaurarunt & ornarunt pij Mercatores Veneti. Velut in Ecclesia ibi supra paruum lapidem Missa celebratur: ante altare est fenestella, siue armariolum, in quo est porphyreticum dolatum marmor; supra quod beata Virgo dulcissimum puerum Iesum reposuisse, vel etiam panniculos lauisse, vel exsiccasse, traditio est; paucis abhinc annis eo loco reuerentiæ gratia collocatum, vt qui eam viderunt, mihi

In præsentia Matharea villa est à Cairo decem milliaribus dissita.

Ibi notata.

rctu-

retulerunt. Extra dictam aulam vel Ecclesiam fons est: & hunc vnicum esse dicit in tota Ægypto Princeps Radziuilius, ex quo aqua per rotam hauritur: estque dulcissima; & fons Iesu ille appellatur. Non longè ab isto fonte ostensus fuit hortus balsami; sed balsamum non vidimus: & qui illum ostenderunt, addiderunt iam exsiccatum esse, & aliquot annos ampliùs non oriri. Propè antiquissima & pulcherrima arbor Sycomorus, communiter ficus Pharaonis appellata, monstratur, magnaque in veneratione habetur; & pietatis ergò peregrini particulas ex ea velut sacras reliquias excidunt: quoniam, vt habet vetus traditio, & plures scribunt Auctores, sacræ illi societati se inclinauit; & cùm milites persequerentur, aperuit se, & clauso cortice abscondit cum Virgine Iesum: & iterùm, cùm milites pertransissent, se aperuit, & vsque ad hunc diem aperta remansit. An vera hæc sint, me latet; illud tamen scio, similia in Historiis legi: & ex aliis à nobis dictis firmari posse videntur.

Nolo hîc præterire quod ab aliis accepi, & postea legi de obelisco apud Matharcam lib. 2. Obseruationum Bellonij c. 40. etsi ego non obseruauerim; sic ille scribit: *Certissimum est, obeliscos excisos, vt Regum Aegypti tumulis imponerentur, vti pyramides atque magni coloßi. Ex his obeliscus vnus ingens est erectus in agro quodam paulò supra Matharcam, longè maior & crassior his qui Alexandriæ sunt, aut eo qui Constantinopoli in Hippodromo conspicitur.* Et hæc de prædictis locis sufficiant.

CAPVT VIII.

De Memphi, pyramidibus & sepulchris Aegypti, quæ quinto loco occurrunt in secunda Peregrinatione.

EA est peregrinorum proprietas, vt loca non solùm sancta, propter quæ Peregrinationem assumpserunt, venerentur; sed etiam alia videre studeant celebri fama memorata, vel ob regiam & artificiosam structuram, vel ob insignia facinora ab illustrissimis viris in iisdem operata. Hinc est quòd Terræ sanctæ peregrini nedum loca sancta, sed alia etiam memorabilia, quæ in itinere, vel non longè ab eo occurrunt, inuisant: & inter hæc, Ægypti siue Nili pyramides recensentur; istæ enim inter septem præcipua mundi miracula numerantur; & primum illis locum tribuit Ioannes Rauisius Textor Officinæ libro 4. agens de septem orbis miraculis in hunc modum: *Septem fuerunt ædificia toto orbe*

Ægypti pyramides primum ex septem mundi miraculis.

cantatissima, quæ propter operis magnitudinem & sumptum incredibilem extitere loco miraculi, vt nihil diuinius ars humana posset confingere aut excogitare. fuerunt autem hæc: Pyramides Nili, Turris Pharia, Muri Babylonis, Templum Dianæ Ephesiæ, Simulacrum Mausoli, Colossus solis apud Rhodios, & Simulacrum Iouis Olympici, quibus nonnulli addunt domum Cyri Medorum Regis. & statim hæc de pyramidibus subiungit: *Pyramides in primis erant structura & moles lapideæ infernè quadratæ, sursum versum acutæ; quas Aegypti Reges superponendas tumulis erigebant, aut ad inanem diuitiarum ostentationem, aut vt populi torporem excitarent. Earum vna saxo naturali fuit elaborata, & rubrica: cuius ambitus per frontem duos pedes colligebat; longitudo erat* CXLIII. *altitudo* LXII. *Alia fuit facta ex Arabicis lapidicinis, quam sexcenta hominum millia viginti annis construxisse memorantur. Tres alia fuerunt annis* LXXVIII. *& mensibus quatuor facta. Plinius scribit* M. DCCC. *talenta fuisse erogata in raphanos, allium & cepas, quibus artifices vescebantur in extruenda earum vna. Quo argumento coniectare est, quanta quamq; prodigiosa fueris aliarum rerum impensa. Omnium amplissima continebat octo soli iugera, quatuor angulorum paribus interuallis per* DCCC. LXXXVI. *pedes singulorum laterum, altitudo pedes vigintiquinque. Secunda singula interualla per quatuor angulos pares* DCC. XXXVII. *pedes comprehendebant. Tertia erat minor prædictis, sed multò spectatior, Aethiopicis consurgens lapidibus, trecentis sexaginta tribus pedibus inter angulos. Omnium minimam fecit Rhodope meretricula, Aesopi fabulatoris conserua, diuitiis illis quas meretricio quæstu sibi comparauerat. Herodotus in Euterpe scribit, Cleopem Aegypti Regem feciſſe Pyramidem ex Arabicis lapidibus, cuius longitudo erat quinque stadiorum, latitudo decem passuum, altitudo octo passuum: in qua decem annos fuisse consumptos memorat. Fecit & aliam viginti annis absolutam: in qua tantum perfudit pecuniæ, vt nimio sumptu attritus, filiam (quam habebat formosissimam) coactus sit prostituere. Ea est, in qua* M. DCCC. *talenta in cepis & raphanis erogata prædiximus. Herodotus alias complures memorat, quas volens omitto; quoniam prædicta satis arguunt, quàm otiosa fuerit illorum Regum & opera & prodigia. De pyramidibus Luc. lib.* 8.

Cùm Ptolemæorũ manes seriemq; pudendam
Pyramides claudant indignæq; mausolæ.

Martialis:

Barbara Pyramidũ sileat miracula Memphis.

Hactenus fuere verba Textoris.

Quibus tria pro maiori explicatione addere placet: alterum, vbi fuerint ædificatæ; alterum verò, à quibus fuerint ædificatæ, & ad quem finem: tertium, quot numero, cuiuſque conditionis nunc videantur. Quantum ad primum, dico ædificatas fuiſſe vltra Nilum fluuium; quem bis tranſimus eundo ad ipſas, primò prope Cairum, ſecundò non longè à pyramidibus: & ipſæ ſupra Nilum conſtructæ ſunt; & illius aquis frequenter circumdantur: diſtant à Cairo decem circiter milliaribus; & ea fortaſſe ratione pyramides Nili appellatæ fuere: etiam pyramides, ſiue *miracula Memphis*; quoniam iuxta Memphim, inſignem Ægypti ciuitatem, fuerunt extructæ.

Pyramidum ſitus.

Memphis ciuitas à Damiata diſtincta.

Hinc infero, Memphim eſſe aliam ciuitatem à Damiata & Cairo, vt probauimus Capite 111. huius Peregrinationis; quod & alus placuit, qui dixerunt, memoratas pyramides apud Memphim fuiſſe ædificatas. Et confirmari poteſt ampliùs ex Ieremia cap.46,19. qui ad Ægyptios loquens, dicit: *Vaſa tranſmigrationis fac tibi habitatrix filia Aegypti: quia Memphis in ſolitudinem erit, & deſeretur, & inhabitabilis erit.* At nec Cairus nec Damiata in ſolitudine vel inhabitabiles ſunt, ſed pulchræ, munitæ & habitatæ ciuitates: igitur, vt appareat Deus fidelis in verbis ſuis, neutram harum ciuitatum eſſe dicemus; ſed aliam, non longè ab illis pyramidibus, vbi nunc nulla eſt habitatio: certè ego circumcirca nullam vidi, nec ruinas; an ſint paulò longiùs ab his, fieri poteſt, vt eſſe ab aliis accepi. De Memphi etiam agitur apud eumdem Prophetam cap. 44,1. quæ Heb. Chald. & à Septuag. *Noph* dicitur. Et caput Ægypti fuiſſe confirmari poteſt; quia regia illa ædificia apud regiam vrbem magis quàm alibi conſtruxiſſe, par eſt credere. De Memphi agit Adrichomius in Pharan num.62. licet eam credat eſſe Cairum, dicitque, à Minæo Rege Ægypti fuiſſe ædificatam, &c. Rauiſius citatus, de Conditoribus diuerſorum locorum & ædificiorum, illius auctorem Ogdoum facit.

Caput olim Ægypti.

Conditor.

Pyramides vnde æſtimate.

Sunt pyramides non in montibus, ſed in magna planitie; & circa ipſas nec montes, nec plantæ: quare à longè clarè videntur, & in Nilo præſertim; & ex hoc dicunt pluris æſtimari: quoniam cùm ibi montes non ſint, ex quibus excidi lapides poſſint, illorum tamen maxima congeries ſit eò redacta.

Condita à Regibus Ægypti per Hebræos.

Quantum ad ſecundum, de illarum ſtructoribus dico, nos loqui poſſe vel de principalibus & auctoribus, vel de miniſtris & executoribus: ſi de illis, iam dictum eſt, quòd à Regibus Ægypti, &c. ſi de iſtis, reſpondet Ioſephus, quòd à Iudæis, quo tempore ab Ægyptiis dura tyrannide premebantur; ſic enim ſcribit lib.2.Antiq. cap.5. *Cùm iam*, inquit, *beneficiorum Ioſeph in Ægyptios memoriam tempus obliteraſſet, regnumq; Aegypti in aliam familiam demigraſſet, inhumaniter tractabant Hebræos, & variis laboribus conterebant: nam & flumen in multas foſſas deducere ſunt inſi, & mœnia exadificare, & aggeres conſtruere, quibus inundationes fluminis arcerentur. Pyramidum etiam inſanis ſubſtructionibus vexabant gentem noſtram, cogendo varias artes ediſcere, & laboribus ferendis aſſueſcere. Atque in hunc modum per quadringentos annos laboratum eſt: Aegyptiis id agentibus, vt Hebræos nimio labore perderent; noſtris contra omnes difficultates eluctari conantibus.* Hæc Ioſephus. Idem Genebrar. ex Zon. Com. ſ. Sed aduertendum, Ioſephi verba non ita rigorosè accipienda eſſe, vt arbitremur ſolos Hebræos illas ædificaſſe; ſed quia & ipſi, vel ipſorum maior pars ad illarum extructionem concurrit.

Pyramides inſanæ ſubſtructionis dicta à Ioſepho.

Ex dictis habemus etiam cuius gratiâ fuerint ædificatæ, vt magis affligerentur Hebræi, & vt Regès illi ſuam potentiam oſtenderent. Abulenſis eas horrea Ægypti nominat Matth.2.quæſt.60. De Babylone, inquit, vſque ad quinque leucas ſunt quædam pyramides de lapidibus triangulatæ in modum narium, altæ valdè; quæ dicuntur fuiſſe horrea Ioſeph, in quibus ſeruauit fruges ſeptem annis fertilitatis collectas pro fame futurâ. Et iuxta iſtas pyramides ad duas leucas ſunt ruinæ ciuitatis Thebes: de qua fuit legio Thebæorum, quam trucidauit Imperator Maximianus ſuper Rhodanum. Et iuxta iſtam ciuitatem eſt deſertum Thebaidis; vbi fuit antiquitus multitudo Monachorum ſtrictè viuentium: qui manſerunt ibi vſque ad tempora Mahometi; cuius immediati ſucceſſores occupauerunt totam Ægyptum, & deſierunt eſſe Moſſachi ibi, & etiam quaſi Chriſtiani; & tamen non omnino, quia non multis temporibus ante hoc, ſcilicet tempore Papæ Ioannis Vigeſimiprimi, ſicut ſcribit Frater Brocardus Teutonicus, & Marinus Venetus, erant in Ægypto vltra trecenta millia Chriſtianorum, & Eccleſiæ & clauſtra Monachorum, &c.

Ædificata ad magis affligendos Hebræos.

Horrea Ioſeph fuiſſe dixit Abulenſis.

Ceterùm, quòd illæ pyramides Ioſeph eſſent horrea, non mihi multùm veriſimile videtur; tum quia refragatur Ioſephus, dum poſt Ioſeph, tempore videlicet afflictionis Hebræorum, ab ipſis aſſerit ædificatas: tum quia non mihi videntur idoneæ ad triticum aſſeruandum, quia prope aquam,

Reiicitur.

aquam; & cùm sint insanæ structiones, vt dixit Iosephus, repletæ insuper, & ad simile opus parum idoneæ. Benè ad recipiendum defunctorum corpora aptæ: Ægyptij enim mortuorum resurrectionem expectantes, corpora condire solebant, vt ad æternitatem perdurarent, ea comburere nolentes vt Latini, neque terra sepelire vt Græci: ignem enim animal esse existimabant, quod omnia deuorat & absumit; quodque iam satur, cum his quæ deuorauit perit: minimè autem sepeliebant, quòd, ne vermibus absumerentur, metuerent. Itaque ad ista incommoda euitanda, olim corpora condiebant cedria & nitro (quæ nunc nobis in vsu sunt Mumiæ appellatione) eaque condita, sepulchris condebant sub ingentem aliquam lapidum molem; eamque ad rem maximè sterilia loca deligebant. Et desertus, sterilis & inhabitatus est locus vbi sitæ sunt istæ pyramides. & ita obseruauit Bellonius: & hanc potissimam rationem fuisse illarum extructionis communiter asseritur.

Resurrectionem credebant Ægyptij.

Mos corpora condendi.

Et istarum partium communis traditio ita habet; cùm tres sint illæ præcipuæ pyramides, nec inter se æquales, altera magna satis; altera huic proxima minor; tertia, non longè ab his dissita, duabus aliis multò minor. Prima extructa dicitur à Rege pro suo sepeliendo corpore; secunda, pro vxore & Regina; & tertia, pro filiis: non longè ab his aliarum initia & fundamenta esse dicuntur. Sunt constructæ ex magnis quadratis albis marmoribus: duæ minores clausæ sunt, nec est ad illas ingressus; benè ad maiorem, sed nonnisi cum accensa face: quia non habet fenestras, & omnino luminis est expers. Superiùs est mausoleum, in quo reponendum erat Regis corpus, de quo Cap. sequenti. Potiùs labor & sumptus in his considerandus est, quàm artis excellentia: aliàs enim, vt dixit Iosephus, sunt insanæ substructiones.

Tres pyramides, maior, minor, & inter has media.

CAPVT IX.

Alia explicantur de Ægypti pyramidibus, Sphinge idolo, & aliis Ægypti sepulchris.

NOn iniucundum futurum arbitror Lectori, si alia hîc subiecero de Ægypti pyramidibus, de Sphinge idolo, & aliis Ægyptiorum sepulchris; quæ postquam adnotata Capite præcedenti scripsissem, obseruaui.

In primis Guilielmus de Baldensel in suo Hodœporico sequentia de memoratis pyramidibus scribit: *Vltra Babyloniam & fluuium Paradisi, versus desertum, quod est inter Aegyptum & Africam, sunt plura antiquorum monumenta figura pyramidalis; inter quæ sunt duæ miræ magnitudinis & altitudinis de maximis lapidibus, in quibus inueni scripturas diuersorum idiomatum. In vno inueni hos versus Latinos pertu insculptos:*

Vidi pyramides sine te, dulcissime frater;
Et tibi, quod potui, lacrymas hîc mœsta profudi:
Et nostri memorem luctus hinc sculpo querelam:
Sic nonâ decimo mense anni pyramide alta,
Pontificis Comitisq; tui Traiane triumphis,
Lustris sex intra Censoris Consulis esse.

Horum versuum obscura expositio aliquantùm me tenebit.

Dicunt simplices, hæc maxima monumenta fuisse granaria Pharaonis; & sic ea appellant: quod verum nullo modo est, quia nec ad imponendum, nec ad seruandam annonam aut frumentum locus in ipsis pyramidibus aptus deprehenditur; maximè quia à summo vsque deorsum plena sunt maximis lapidibus sibi inuicem benè vnitis; nisi quòd porta parvula à terra benè elevata remansit; & ita via stricta ac tenebrosa, per quam descendistur ad certum spatium in eisdem, nulla in ipsis reperta latitudine spatiosa: verùm quòd monumenta sint, versus scripti attestantur, & multa ipsæ præsentialiter intuenti. Ita ille.

Præterea accipe mensuram maioris pyramidis, & saxei proximi idoli, fideliter & accuratè à quibusdam nobilibus peregrinis Anglis acceptam, vt sequitur.

Maioris pyramidis accurata mensura & descriptio.

Maioris huius pyramidis latitudo in singulis quatuor lateribus basis; est enim quadrata vt reliquæ; est pedum 650. Longitudo pedis, quo eam mensi sunt, est vnciarum duodecim: & ita totus illius circuitus, metiendo in terræ superficie, erit pedum 2600. Altitudo siue proiectura est pedum 552. conus, siue summitatis planities, quæ tribus dumtaxat lapidibus constat, est pedum 13. in omni latere; & consequenter totus illius circuitus erit pedum 52.

Ingressus in eam est per paruum ostium ex parte Aquilonari. Via, quæ primò occurrit ascendendo ad tumulum, est latitudinis trium pedum cum dimidio, longitudinis 40. gressuum & duorum pedum circiter: qui gressus distinguuntur quibusdam cauis in petra excisis; in quibus, dum ad tumulum ascendimus, pedem figimus. In termino & fine huius viæ, est transitus per arcum, siue modicum foramen, altitudinis

vnius palmi circiter: quo expurgato, illud nonnihil cum difficultate & reptando transitur. Idque cùm pertranſijmus, conuertimus greſſus ad læuam partem, aſcendendo viam 8. pedum; & poſteà aſcendimus viam alterã paſſuum 71. trium pedum cum dimidio: qui ſimiliter cauis diſtinguuntur; in quibus adſcendendo pes ſiſtitur, quemadmodum de aliis greſſibus prioris viæ notauimus.

Poſt illam aſcenditur locus, in quo ſunt decem caui hinc inde in marmore exciſi, in quibus manus pedeſque aſcendendo innituntur. In eius fine eſt via latitudinis trium pedum cum dimidio, vt prior altera, longitudinis paſſuum 56. duorum pedum cum dimidio; & hinc inde ſunt parui muri; in illaque ſemper aſcenditur: in cuius fine inuenitur parua via plana 13. pedum, quę ducit in thalamum, vbi eſt ſepulchrum. Thalamus iſte totus operitur tabulis porphyreticis; cuius ſuperior pars tegitur ſex ſolis marmoreis tabulis. Longitudo eius eſt pedum 28. latitudo 13. proiectura 30. circiter. In illius fere extremitate eſt ſepulchrum ipſum: hoc vas eſt porphyreticum totum patulum, quod vt campana reſonat, longitudinis pedum 6. latitudinis 2. & 8. vnciarum, altitudinis pedum 4. & vnciarum 3. craſſities verò eſt 4. vnciarum. Pro humando Pharaone Hebræorum perſecutore dicitur à quibuſdam fuiſſe præparatum; ſed in mare abſorptus & ſepultus fuit. Ad alias pyramides non eſt ingreſſus.

Non longè à dictis pyramidibus eſt vetus idolum, quod Sphingem appellant. Refert hoc medietatem ſuperiorem humani corporis in vna rupe ruditer excisum, vt apparet: eius altitudo eſt pedum 28. latitudo faciei 16. craſſities verò colli 14. pedum eſt: in eo dæmon reſponſa dabat, & miseros ololatras decipiebat. Agit de eo Bellonius lib. 2. Obſeruationum cap. 46. *Sphingis idolum ſpectat.*

Vlteriùs procedendo 18. circiter milliaria, ſepulchra alia veteſtiſſima inueniuntur, in quibus ſepulta arida defunctorum corpora, quæ *Mumiæ* appellantur: tali enim arte condita fuerunt, vt à carie & putredine fuerint ſemper præſeruata, etſi bis mille & ampliùs annos excedere credantur. In illorum pectoribus varia & diuerſa reperiuntur idola monſtroſa ſatis, & beſtiarum ſpeciem præ ſe ferentia; ex quibus, quanta eſſet illorum infidelium inſania, vana & impudens ololatria, non incuidenter intelligitur. Agit de eiſdem ſepulchris citatus Bellonius cap. 47. & Princeps Radziuilius in ſua Ieroſolymitana peregrinatione Epiſtola 3. pagina mihi 161. & de Mumiis 188. De Ægypti pyramidibus plura habes ponderoſius tractata apud Vilalpandum Tom. 2. in Ezech. Bellonium citatum cap. 42. 43. 44. & 45. De corporibus Ægyptiorum, conditura, & ſepultura, lege Ioannem Iacobum Chiffletium in Critâ hiſtorica de linteis ſepulchralibus Chriſti, cap. 2. & 3. *Alia ſepulchra Mumiarum.*

PEREGRINATIO III. *in qua recoluntur & enucleantur tria memorabilia inter alia occurrentia proficiſcentibus ex Cairo ad montem Sinai.* I. *Via qua itur ex Cairo ad montem Sinai per Arabiæ deſertum: item alia, qua itur ad eumdem ex Ieruſalem, Iordane tranſuadato, per regionem Moabitarum.* II. *Mare rubrum.* III. *Vbi filij Iſraël ſiccis pedibus idem mare tranſierunt.*

CAPVT PRIMVM.

De via qua ex Cairo itur ad ſanctum montem Sinai, primo notabili tertiæ Peregrinationis.

AGendum nunc de celebri peregrinatione montis Sinai, quam meritò pij fideles aſſumunt poſt aliorum locorum Terræ ſanctæ ac circa Cairum veneratio-
Mons Sinai ſanctus & celebris. nem: etenim locus ille, Domini teſtimonio,
Exod. 3,5. ſanctus eſt; de illo enim dixit ad Moyſen: *Solue calceamenta de pedibus tuis, locus enim, in quo ſtas, terra ſancta eſt.* Poſteà à ſanctis viris inhabitatus, variisque diuinis prodigijs illuſtratus. Et ne ab illa peregrinatione exterreantur ob itineris labores & pericula, ſed magis animentur, placuit de illius viæ conditione, quæ eſt inter Cairum & montem Sinai per deſertum, diſſerere in communi & in particulari: præſenti Capite in communi, ſequentibus in particulari diſſeremus.

Et antequam de viæ huius conditione, quantitate videlicet & qualitate, agamus; aduertere placet, ex Ieruſalem & Terra ſancta, nos poſſe duplici via ire ad montem Sinai: altera, Iordane fluuio tranſuadato, eundo per campeſtria Moab, & Arabiam Petræam; qua via venerunt filij Iſraël ex Ægypto, & monte Sinai, in Terram promiſſionis. Altera, per viam quæ dicitur Philiſthijm, *Duplex via ex Iudea ad montem Sinai, per Arabia Petræa ac Ægyptum.*

Digitized by Google

liſthijm, per deſertum Ægypti, ad Cairum priùs, & ex Cairo per aliud Ægypti deſertum, & Arabiam deſertam: quam viam ambulauerunt Iſraëlitæ, quando ex terra Chanaan profecti fuere in Ægyptum, & ex Ægypto poſteà ad montem Sinai, &c. de qua ex parte egimus Peregrinatione 1. huius Libri. Reſpondeo nunc, ſi de priori via illa loquamur, illam eſſe alterâ multò breuiorem: etenim inter Cairum & montem Sinai interiacet deſertum vnum Ægypti, Arabia deſerta cum locis, de quibus poſteà; ſed inter Ieruſalem tale vel nullum intercedit medium. *Sina enim*, inquit S. Apoſtolus Galat. 4, 25. *mons eſt in Arabia, qui coniunctus eſt ei, quæ nunc eſt Ieruſalem.* id eſt, *affinis*, vt habet lectio Græca. Et facilè videri poteſt in Geographica delineatione Terræ ſanctæ & deſerti Pharan.

Per Arabiam breuior.

Obiectionis ſolutio.

Nec obſtat quod dicitur Exod. 13, 17. viam Philiſthijm ex Ægypto ad terram Patribus repromiſſam eſſe vicinam: non item illa, per quam ex Ægypto profecti fuere filij Iſraël; & quia, vt iam vidimus, eadem ſunt Iudææ & Ægypti confinia. Hoc, inquam, non obſtat: nam aliud eſt, loqui de toto ſpatio quod eſt inter Ægyptum & Cairum vſque ad Ieruſalem, eundo per Ægypti, Arabiæ deſertæ & Petreæ deſerta; aliud eſt, loqui de altera parte illius quæ eſt inter Sina & Terram ſanctam. Si de tota illa ſit ſermo, manifeſtum eſt, eſſe longiorem, vt dicit locus Exodi citatus; at non ita, ſi de altera illius tantùm parte loquamur, quæ eſt inter montem Sinai, & Iudæam vel Ieruſalem: nam Sinai mons, ſi non eſt ferè in extremo viæ, ſaltem in medio eſt; & ita benè poteſt dimidium viæ longioris eſſe breuius altera tota minori, vt manifeſtum eſt. & ita eſt in propoſito; & ampliùs ex dicendis patebit.

De longitudine viæ à Cairo ad montem Sinai.

Si verò de altera via loquamur, ex Ægypto & Cairo ad Sinai montem per Arabiæ deſertum, dico, eſſe altera longiorem. Sed de longitudine non ſatis conuenit: quidam limites exceſſerunt, dicentes eſſe longiſſimam, duorum etiam menſium & ampliùs continuati itineris; alij plus, & parum minùs alij: & neſcio quibus moti fundamentis; an quia filij Iſraël ex Ægypto egreſſi non peruenerunt ad ſolitudinem Sinai, niſi menſe tertio egreſſionis ipſorum, vt dicitur in Exodo cap. 19, 1. an quia ipſi in eo itinere tot dies & menſes inſumpſerunt? Sed ex his neutrum illis ſuffragatur; ſed potiùs Scriptura ipſa reſragatur & experientia: illa quidem, dum à Rameſſe vſque ad deſertum Sinai, prope eiuſdem nominis montem, duodecim tantùm manſiones enumerat: quarum ſanè quælibet non fuit vnius diei integri; ſed erat parui itineris (inquit Abulenſis loco inferiùs citato in 3. Reg. cap. 19. quæſt. 12.) eò quòd Iſraëlitæ veniebant cum vxoribus & paruulis ſuis, & pecoribus, & omnibus quæ habebant in Ægypto: vnde potuiſſet vir aliquis expeditus quatuor vel quinque diebus circiter ambulare totum illud ſpatium, quod Iſraëlitæ duodecim manſionibus ambulauerunt.

Si dicatur, ſexum vel ætatem iter illorum non remoratam fuiſſe; quoniam, vt rectè opinatur idem Abulenſis in Exod. cap. 13. quæſt. 12. Deus dabat Iudæis aliquas ſpeciales vires ad ambulandum, vt mulieres & paruuli, qui ad equitandum aſinos non habebant, laborioſo itinere non laſſarentur. Et hoc innuit Pſalmus 104, 37. cùm dicit: *Et eduxit eos cum argento & auro: & non erat in tribubus eorum infirmus.* Quòd enim in tanta multitudine, quæ erat vltra trigeſies centum millia, præter paruulos, & vxores, & ſenes, & vulgus promiſcuum Ægyptiorum quod cum eis aſcendit, vt patet Exod. cap. 12, 37. nullus infirmus eſſet; quia tunc moueri non potuiſſet; magnum fuit miraculum, & ſingulare Dei munus ægritudinem omnem impedientis & expellentis. Ita ſpeciali miraculo aliquas peculiares vires mulieribus & paruulis, præſertim ad ambulandum, contuliſſe credendum eſt.

Obiectio.

Reſpondetur, ita quidem contigiſſe in principio egreſſionis de Ægypto, quando opus erat, vſque ad tranſitum Maris rubri, & fortè etiam poſt eius tranſitum, vſque ad montem Sinai: verùm poſteà relicti fuerunt viribus ſuis; & tentati itineris labore, fatigati murmurauerunt contra Dominum. Quare accenſus ignis à Domino vorauit extremam partem caſtrorum, vt patet Num. cap. 11, 1. Et aliàs aliqui fatigati receſſerunt; ſicut patet de illis quos percuſſerunt Amalecitæ, vt habetur Deut. 26, 17. In duodecim modò memoratis diebus, ab Horeb vſque ad Cades, relicti fuerunt ſuis viribus Iſraëlitæ, quantum ad iter ſaltem, vt patet ex dictis; ſed magis ad propoſitum videtur dicendum, dediſſe quidem vires arcendo ab eis laborem & infirmitates, vt ſine tædio itineris moleſtiam ſuſtinere poſſent; ſed non immutatas eſſe naturales virtutes, ita vt pueri & mulieres tantam vim itinerandi habuerint ac fortes viri: quare ſolùm naturalibus adiuti viribus iter perficere poterant. Nec obſtat quod dicitur in Exodo loco citato: *Menſe tertio egreſſionis Iſraël de Terra Aegypti, in die hac venerunt* filij Iſraël *in ſolitudinem Sinai.* nam toto illo tempore non ambulauerunt, ſed in diuerſis manſionibus pluribus

Salutis.

Vires Hebræis pro deſerti itinere datas eſſe, quomodo intelligendum.

diebus moràm fecerunt. Et experti nouimus non tantum itineris esse.

Obiectionis solutio.

Dico itaque, de isto itinere loquendo, omissis diebus sexdecim circiter qui insumuntur veniendo ex Ierusalem ad Cairum terrestri itinere, ex Cairo per Ægypti & Arabiæ deserta ad Sinai montem commodè octo dierum continuato itinere peruenire posse: & ita communiter dicitur, & confirmatur experientia, atque ex numero mansionum assignato, quas in eo itinere fecerunt filij Israël. Aliquando tamen, propter diuersos euentus, decem vel quindecim & plures etiam dies insumuntur; quia in aliquibus locis plurium dierum moras trahunt peregrini (& ita euenit nobis quando illuc profecti fuimus) & aliquando paciores, vt accidit aliis qui celeri itinere se expedierunt: nos enim vnum mensem eundo & redeundo consumpsimus; at alij, qui post nos abierunt, in accessu & recessu decem tantùm dies itineri impenderunt. Sed & alij non recto itinere, sed tortuoso vel lento incedunt. Quare, qui dicunt esse mensem vnum vel plures continuati itineris, mihi excedere videntur: si tantum ipsi ambulauerint continuo & recto tramite, cum formicis se sociarint. Et dicta clare patent ex tabulis Geographicis.

E Cairo ad Sinai mensem octo diebus perueniri potest.

Qualitas viæ.

Quod ad huius viæ qualitatem (præter ea quæ posteà dicemus) dico esse desertam, saxosam, arenosam & inaquosam, & pro maiori parte planam; raroq; plantæ, herbæ vel animalia videntur, paucis locis & villis exceptis: tres vel quatuor in eo itinere fontes offenduntur; quare in vtribus aqua asportatur, & in Cairo de omnibus necessariis ad victum prouidetur pro toto illo itinere, in accessu & recessu. Pro maiori parte via plana est, tota videlicet, excepta proxima monti Sinai; quæ duobus vel tribus diebus per montes conficitur: nec mare flumenve aliquod transuadatur.

CAPVT II.

De itinere quo ex Ierusalem, transuadato Iordane, per regionem Moab itur ad montem Sinai.

PLacet aliqua nunc dicere de altero itinere, quod fieri posset ex Ierusalem, transuadato Iordane, gradiendo per campestria Moabitarum, &c. Torniellus Tom. 1. sacrorum Annal. M.A. 2544. num. 37. de isto itinere loquens, ait inter Ierusalem & Sinai intercedere iter quindecim circiter dierum. sic enim scribit explicans illam Apostoli sententiam, qua dicitur, montem Sinai proximum esse illi quæ nunc est Ierusalem. *Est autem Sinai, sine Sina*, inquit, *mons in Arabia, coniunctus ei quæ nunc est Ierusalem, vt dicitur ad Galat. cap. 4. vers. 25. Quamuis ista coniunctio non sic accipienda est, quasi ita se inuicem contingerent, vt nihil inter ipsos medium esset; quandoquidem à monte Sinai, ad eum in quo erat Ierusalem, intercedit iter circiter quindecim dierum: nam à Sinai ad Cadesbarne erant vndecim dietæ, vt sub anno mundi 2545. num. 52. probabimus:* (probat ibi ex Deut. cap. 1, 2.) *Cadesbarne autem à Ierusalem non poterat abesse plus quatuor dierum itinere; siquidem erat in confinio Australi tribus Iudæ, vt colligitur Ios. cap. 15, 3. Nam & Bersabee, quæ erat terminus Australis terræ Chanaan, quemadmodum Dan Aquilonaris, iuxta vulgatum illud dictum, A Dan vsque Bersabee (quod habetur Iudic. cap. 20. vers. 1. & in lib. Reg. & Paral. non semel repetitur) vix trium dierum itinere distabat ab Ierusalem; vt colligi potest Genes. cap. 22. vers. 4. Itaque hæc coniunctio Sinai ad Ierusalem latiori quodam modo sumi debet, mediante scilicet longa quadam montium sibi coherentium successione; quemadmodum de Apenninis montibus, qui totam Italiæ longitudinem excurrunt, dicere quis posset, montem prope Ianuam incipientem, coniunctum esse ei qui in Calabria desinit.* Hæc Torniellus.

De monte Arabiæ cum Ierusalem coniunctione, Torniellis sententia.

In quibus Auctoris dictis duo sunt discutienda, quæ proposito nostro deseruiunt: alterum, in eo quod dicit, coniunctionem Sinai ad Ierusalem latiori quodam modo accipiendam esse pro longa quadam montium sibi cohærentium successione. Si velit intelligere, montem Sinai alijs montibus continuis succedentibus coniungi cum Ierusalem, ei non assentimur; etenim ad oculum patet, Sina disterminari & seiungi ex vna parte nedum continuatis montibus, sed & disiunctis, vallibus, planis, Mari mortuo & Iordane, vt videre est in tabulis Geographicis. Et præterea, non multis placet ea interpretatio, hoc enim pacto dicere etiam possemus, regionè trans-Iordaninam, Mare rubrum, Caucasum, & alia multùm dissita loca coniungi Ierusalem, quòd per ramenta ei copulentur, & itineris continuatione; & secundùm hoc, magis distingui quàm coniungi dicendum est. Si autem velit coniunctionis nomine aliqualem vicinitatem & affinitatem intelligere, & non continuitatem; etsi intercedant montes, valles, torrentes & flumina, ei assentiremur. Fortè fuit alia Apostoli mens, quòd Sina, id est lex vetus, assimilaret Ierusalem, id est nouam, &c. vnde Glossa Ordinaria inquit: *Coniunctus, hoc est similis.* Ita Theophylactus, Vatablus, & alij passim.

Expenditur & reijcitur.

Alte-

Digitized by Google

Alia sententia.

Alterum, quod quindecim dierum circiter iter ſtatuit inter montem Sinai & Ieruſalem. Sedenim ex his quæ contra Abulenſem ſcribit ipſe Torniellus loco ab eo citato A. M. 2545. num. 52. plus eſſe demonſtrat: nam plus intereſſe dicit vndecim dierum itineris inter montem Horeb ſiue Sinai, & campeſtria Moab, quàm inter Horeb & Berſabee: quod probat ex Geographorum tabulis, & quia Elias quadraginta diebus & noctibus ambulauit ex Berſabee vſque ad Horeb: qui licet recto itinere non ambulauerit, vt poſteà dicemus; non tamen credendum eſt tantopere viam ſuam elongaſſe, vt ad locum, minùs vndecim communibus dietis diſtantem, nonniſi per plus quàm quadraginta peruenire potuerit. Igitur, ſi hoc verum eſt, ſecundùm ipſum (nam in hoc ego ei non aſſentirem, libentiùs ſequens quæ ipſe ibi refert ex Abulenſi; & in tabulis Adrichomij tanta ferè diſtantia aſſignatur inter Horeb & Moab deſertum, ſicut inter Horeb & Berſabee) plus itineris quindecim dierum erit in via illa, tranſuadato Iordane, per deſertum Moabitarum ad montem Sinai; nam per illud incedere oportet, vt inceſſerunt Iſraëlitæ, quando ingreſſi fuere Terram patribus repromiſſam: quia etſi tantùm eſſent quatuor dies itineris ex Moab vſq; ad Ieruſalem, multò plures quàm vndecim conſtituendi ſunt à Moab vſque ad Horeb: & hoc etiam poſſet probari, ſi loqui vellet de altera via per Cadesbarne, de qua poſteà.

Iordani tranſuadato, octo diebus ad Sinai perueniretur.

Si liceat mihi dicere, vt dijudicare potui, & ex tabulis Geographicis coniectaſſe, tranſuadato Iordane, continuato & accelerato itinere, octo diebus, & etiam paucioribus, ad ſanctum montem Dei Horeb peruenire-tur. Si dicas ſacram Scripturam repugnare, quæ ſuprà citato loco Deut. 1, 2. dicit, filios Iſraël veniſſe vndecim diebus de Horeb per viam montis Seir vſque ad Cadesbarne. Reſpondeo, ibi notari dies itineris quibus ambulabant filij Iſraël, qui ſæpè vel integri non erant, id eſt, non ſemper in illis ambulabant, vel certè lentis tardiſque greſſibus propter mulieres, paruulos & ſenes, qui tamen multò citiùs nedum ad Cadesbarne, ſed & ad campeſtria Moab veniſſent, vt veniſſe arbitratus fuit Abulenſis, & ad Iordanem, ſi ſe in itinere acceleraſſent. Et confirmatur ex duplici Rabbi Salomonis expoſitione illius loci apud Nicolaum de Lyra; quæ ſic habet: *In hoc notatur ſpatium terræ inter montem Horeb & Cadesbarne, quod ſecundùm eum eſt itineris vndecim dierum; & tamen filij Iſraël in receſſu ſuo de Horeb poſt legem datam venerunt illuc in tribus diebus. quod ſic probat: quia anno ſecundo egreſſionis de Aegypto, menſe ſecundo, vigeſima die menſis receſſerunt ab Horeb, vt habetur Num. 10, 11. & eodem anno, vigeſimo nono die menſis tertij venerunt in Cadesbarne; vnde miſerunt exploratores. Si igitur inde ſubtrahantur triginta dies, quibus populus manſit in ſepulchris concupiſcentiæ; quia ibi comederunt carnes menſe integro, vt habetur in Num. 11. & iterum ſeptem dies, quibus manſit populus in Haſeroth, quamdiu Maria fuit recluſa; non remanent niſi tres dies, quibus fecerunt iter prædictum. Et hoc poſuit Moyſes, ſecundùm eum, ad oſtendendum filiis Iſraël, qualiter Deus accelerabat iter populi ad intrandum citò Terram promiſſionis, niſi peccatum eorum impediuiſſet; quando territi verbis exploratorum murmurauerunt contra Dominum, volentes reuerti in Aegyptum. Et ideò quadraginta annis fuerunt vagabundi per deſertum. Igitur, ſecundùm hanc expoſitionem, eſt ſenſus: Vndecim diebus, ſupple itur vſque ad Cades, &c.* Hæc ille. In quibus verbis nota, tribus diebus accelerati itineris veniſſe ex Horeb ad Cadesbarne. Cùm verò dicitur iri vndecim diebus, intellige ordinariis; quemadmodum Iſraëlitæ incedere conſueuerant cum paruulis & mulieribus, &c.

Obiectio.

Solutio.

Poſterior reſponſio & expoſitio eſt, referendo *vndecim diebus* ad totum iter filiorum Iſraël de Horeb vſque ad ingreſſum Terræ promiſſionis; vt ſit ſenſus: *Si non peccaſſetis Domino, vndecim diebus de Horeb veniſſetis ad ingreſſum Terræ promiſſionis tranſeundo per Cades & montem Seir; quia Dominus dediſſet vobis gratiam in conſpectu filiorum Eſau, & conceſſiſſent vobis tranſitum per medium terræ ſuæ: ſed propter peccatum veſtrum, denegatus eſt vobis illic tranſitus, & circuiſtis montem Seir longo tempore, vt habetur infrà eo cap. &c.* Hactenus ille. Ex quo habemus, aliam viam eſſe, qua ex Ieruſalem iri poteſt ad Horeb, præter duas memoratas, ſcilicet incedendo per montes Seir & terram Edom. Et quòd lento itinere cum mulieribus & paruulis filij Iſraël proceſſerint; aliàs ex Horeb vel Sinai breui temporis ſpatio, id eſt vndecim dierum, in Terram promiſſionis venire potuiſſent. Et hoc eſt quod nos dicimus. A qua ſententia non videtur recedere Abulenſis, vt ſtatim videbimus.

Etiam per montes Seir itur ad Sinai.

Via tamen illa creditur ex parte aſpera, propter aliquos præruptos montes; dicitur enim de ea cap. 1. Deut. verſ. 19. filios Iſraël tranſiuiſſe *per eremum terribilem & maximam*, &c.

Duplex argumentum contra dicta.

Ceterùm, contra dicta duplex argumentum inſurgit; quo probatur, iter prius per cam-

campestria Moab, transuadato Iordane, &c. vel illud etiam, cuius nunc meminimus, per montes Seir, esse illo per Cairum longius.

Primum. Prius argumentum; 3.Reg.19,3. legimus, Eliam propter persecutionem & minas Iezabel, relicta Samaria, siue Iezraël, quæ erat in Israël, abijsse in Bersabee Iuda, & inde vnius diei itinere perrexisse in desertum: cumque ibi sedisset subtus vnam iuniperum, & Angeli ministerio pane & aqua pastus fuisset, *ambulauit*, ait sacer Textus, *in fortitudine cibi illius, quadraginta diebus & quadraginta noctibus, vsque ad montem Dei Horeb.* Solitudo verò Bersabee est in medio viæ intra Ierusalem & montem Sinai siue Horeb, tantumque distat ab Ierusalem sicut à Sinai; & Ierusalem à Sina consequenter duplo remotior est quàm desertum Bersabee, ex quo discessit Elias. Igitur si Elias in medietate illius itineris quadraginta dies & quadraginta noctes consumplit, fieri non potest, vt totum illud tantùm sit octo vel decem dierum. Et absolutè dicendum, quòd mons Sinai plus distet à Cairo quàm diximus; & hoc perspicuè videri potest in Tabulis Geographicis Adrichomij.

3.Reg.19, 8.

Responsio Abulensis. Abulensis loco citato Reg. quæst. 12. respondet in hunc modum, quòd à loco, à quo tunc recessit Elias, vsque ad montem Horeb paucæ dietæ erant, cùm Israëlitæ in viginti duobus diebus ambulauerint; & non erat quælibet dieta vnius diei integri; & erat parui itineris, eò quòd Israëlitæ veniebant cum vxoribus & paruulis suis & pecoribus, & omnibus quæ habebant in Ægypto: vnde poterat aliquis vir expeditus in diebus quinque vel sex ambulare, id quod Israëlitæ in duabus & viginti mansionibus ambulauerunt. Sed dicendum, quòd Elias non peruenit illuc vsque ante quadraginta dies, eò quòd non ibat itinere recto, & à principio non habebat intentionem eundi illuc; sed aliquando mouebatur ad vnam partem, & aliquando ad aliam: & istud faciebat ex timore & inquietudine mentis. Sic enim fecit à principio, quando cœpit recedere à facie Iezabel; quia dicitur, quòd ibat quocumque ferebat eum voluntas, suprà in littera; ita nunc iret, quò eum voluntas ferret: & ita discurrendo hinc & illinc, non perueniret vsque ad montem Dei ante dies quadraginta; licet fortè non esset iter quinque dierum vel sex, procedendo itinere recto: & tunc stat quod vult Apostolus, scilicet quòd mons Sinai est coniunctus Ierusalem; id est, quòd non distat ab ipsa septem vel octo diebus. Hæc ex Abulensi.

Reijcitur. Huic responsioni obstare videntur Angeli verba ad Eliam: *Surge, comede: grandis enim tibi restat via*, id est, vt habet Hebr. *multa & viribus tuis maior.* Ecce quomodo innuit, viam Eliæ ex se grandem esse; & non quia tortuosis itineribus incedere deberet. Nec est verisimile, tanto timore fuisse perculsum Prophetam, vt tam breuem viam tantum elongauerit, vt ad locum, minùs vndecim dietis communibus distantem, nonnisi per plusquam quadraginta dies & noctes peruenire potuerit.

Angelici panis virtus. Præsertim, quia Angelico illo cibo confortatus, non corporis modò, sed & animi vires restaurari debuerunt: vnde, post sumptum cibum, non dicit Scriptura, quòd iuerit quocumque eum ferret voluntas, quemadmodum dixerat de eo ante illius sumptionem; sed absolutè, quòd *ambulauit in fortitudine*, &c. quasi fortis & impauidus corpore & spiritu roboratus.

Alia responsio. Respondeo (saluo semper meliori iudicio; valdè enim anceps sum in ista difficultate) cùm Elias non habuisset præceptum à Deo eundi ad vnum certum locum, præuidisse coniectasseque Angelum, qui cum eo loquebatur, Prophetam multa peragraturum loca, vt aliquo inuento valdè ab hominibus remoto, eum ad habitandum, meliùs dicam, ad se occultandum deligeret; sicut & elegit speluncam in monte Sinai; vt lictores, satellites & exploratores, quos suspicabatur Iezabelem missuram in proximas regiones ad eum inquirendum & occidendum, locus, in quo esset, lateret, & illorum manus euaderet. Et fieri potest, vt fortis & roboratus incederet; & simul mortem timeret, quemadmodum Christus lætus ascendebat Ierosolymam, vbi tradendus, &c. Et in vltima cœna Hymno dicto, quod hilaritatem indicat, iuit cum discipulis suis ad montem Oliuarum: timuit tamen mortem quam ante oculos habebat, & *cœpit contristari & mœstus esse*, & sanguinem sudare; at prompte coram satellitibus & cohorte processit, & ad crucem, *Surgite, eamus*, dixit discipulis suis, *ecce appropinquat*, &c. & tamen in cruce cum clamore valido & lacrymis emisit spiritum. Ita Elias potuit in illo itinere forti & impauido corde incedere, & de morte quam sibi timebat pauere, & vt eam euaderet, huc atque illuc pergere, quoad opportunum locum in monte Sinai inuenit: & hoc fieri non potuit nisi multis diebus. Quare, vt breuiter concludamus, Elias non insumpsit quadraginta dies & noctes in illo itinere, ex deserto Bersabee vsq; ad montem Sinai, vel Horeb, quòd tanto spatio essent ea loca inter se dissita, vt minori tempore quàm quadraginta

Fortitudo & timor simul.

draginta diebus absolui non posset; sed quia ad plura alia perrexit, eaque considerauit, antequam ad montem Dei Horeb perueniret: & fieri potuit, vt Angelo non fuerit reuelatum, quò determinate esset profecturus Elias, sed coniectasse ipsi multo tempore eundum: quare nec dixit, Restat grandis via ex hoc loco vsque ad Horeb; sed absolutè dixit, *Grandis tibi restat via:* quia plura percurres loca, vt aliquem, in quo tutò te abscondas, inuenias.

Secundum argumentum. Posterius argumentum est: Si iter ex Ierusalem ad montem Sinai per desertum Moab, transuadato Iordane, vel etiam aliud per montes Seir & viam Edom, est alterò ex Cairo per desertum Ægypti & Arabiæ desertæ breuius; quia hoc vigintiquatuor est dierum, quodlibet verò aliorum octo circiter; peregrini, qui libenter in itineribus se expediunt vt ad terminum perueniant, cuius gratia peregrinationem assumpserunt, non longius illud, sed alterutrum aliorum multò breuius deligerent, quod tamen non faciunt: & certè nostris hisce temporibus, quotquot post Terræ sanctæ venerationem, & montem Sinai venerari intendunt, vadunt priùs ad Cairum, &c.

Responsio. Respondebit fortasse aliquis, ideò peregrinos priùs ex Ierusalem proficisci in Ægyptum & Cairum, & posteà ad montem Sinai; vt venerentur non tantùm Sinai montem, sed & alia Ægypti loca, Christi Domini, eius sanctissimæ Matris, sponsi Ioseph aliorumque Sanctorum præsentia condecorata. *Reiicitur.* Ac venerarentur post venerationem montis Sinai, eundo ad propria, non tanto itinere & sumptibus; & cum hoc plura loca memorabilia viderent, transuadato Iordane, in quibus Anachoretarum magister Ioannes Baptista, alij sancti Monachi & Anachoritæ habitarunt; vbique Dominus in Israëlitis mirabilia fuit operatus.

Responsio alia. Dico ergo, peregrinos ideò hoc iter eligere per Cairum; non quia breuius, sed quia tutius. *Tutior via per Ægypti desertum.* Arabes enim illi, qui circa Iordanem citra & trans habitant, aliis qui in via ad Cairum & ex Cairo ad Sinai montem inueniuntur, multò peiores sunt: quare, ad vitanda maiora pericula, longiorem eligunt viam, quæ modo in vsu est, & numquam alteram. Aliàs tamen arbitror alteram fuisse frequentiorem, vel saltem in vsu, vt patet ex his quæ diximus Lib. VI. ad finem Capit. VI. Peregrinationis VI. de Monacho illo, qui orationis gratiâ volebat per illam viam ire ad montem Sinai.

CAPVT III.

De his quæ obseruantur in via, qua ex Cairo itur ad Sues.

EX sacra Scriptura & aliis Scriptoribus colligere conuenit, quæ notabilia occurrunt eunibus ad montem Sinai in ea parte itineris, quæ est inter Cairum vsque ad Sues, aliàs Suf oppidum, vel maritimam Ægypti ciuitatem. Notandum itaque, quòd obtenta ab Hebræis facultate proficiscendi in desertum à Pharaone, Dei iussu per Moysen admoniti illi fuerunt, vt omnes vnà in Rameste conuenirent, omnesque simul inde proficiscerentur, & per desertum Ægypti & Arabiæ ascenderent ad Terram sorum Patribus repromissam. Igitur, duce Moyse, egressi de Rameste per terram Ægypti, Orientem versus gressus direxerunt, vt irent ad montem Sinai. *Ex Rameste Hebræi non per facilioremviam ad Sina peregrinati fuere, Dei ea dispensatione.* At non eam omnino ambularunt viam, quam modò conficiunt peregrini ordinariè ad eumdem montem proficiscentes, sed aliquantulùm diuersam; non quia illa fuerit melior, sed quia ad complenda diuina iudicia & mysteria opportunior.

Nos ex Cairo proficiscentes versus Sues, & Mare rubrum ad linguam eius, peracto duorum dierum itinere vel circa per Ægypti solitudinem, à dextera parte viæ eminentes præruptosque montes cernimus, *Montes per quos incesserunt vsque ad Mare Israëlita.* ab inuicem seiunctos & dissitos, per quos transierunt filij Israël, pergentes ad Mare rubrum, ordine statim explicando. Ita traditum est ab incolis illarum partium. Ac deinde continuantes iter per eamdem solitudinem spatio vnius circiter diei itineris, ad Sues & linguam Maris rubri peruenimus; & inde vlteriùs processimus in Arabiæ desertum secus mare, &c. Sed non similiter in exordio incesserunt filij Israël. Etenim (vt aliqua de illorum laborioso itinere dicamus) cùm emisisset Pharao populum, vt dicitur Exod. cap. 31. 18. non eos duxit Deus per terram viæ Philisthiim, quæ breuior ac magis plana erat, admodùmque vsitata; sed ad dexteram flectens, circumduxit eos itinere magis dispendioso ac difficili per viam deserti, quæ est iuxta Mare rubrum (hoc est, vt explicat Iosephus 2. Antiq. cap. 5. propè finem) per Lacopolim tunc desertum; in qua postmodum, Cambyse Ægyptum vastante, Babylon, quæ modò Cairus magna dicitur, condita est. Ibi enim erat via quæ ducebat ad desertum Ethan in extremis finibus solitudinis, vt dicitur in citato Exodo, id est (vt sentire videtur D. Hieronymus in Epistola ad Fabiolam quæst. *Hebræorum iter explicatur.*

Google

quæſt. 127. de quadraginta duabus manſionibus, manſione tertia) in quemdam locum nomine Ethan, inter Ægypti & magnæ illius ſolitudinis ad Arabiam ſpectantis confinia exiſtentem; in tabulis Geographicis deſcribitur prope extremitatem ſiue linguam Maris rubri in Aquilonari plaga. Et hic locus vel ſolitudini, in qua eſt, nomen dedit, vel ipſe ab ea accepit. ▲ Rameſſe vſque ad Ethan tres manſiones fecerunt Iſraëlitæ; alteram in *Rameſſe*, alteram in loco qui *Socoth* Hebraicè eſt appellatus; Latinè tabernacula ſignificat: tunc verò talem appellationem accepit, ac deinceps retinuit, quòd ibi primùm filij Iſraël fixerunt tabernacula. Ibi columna nubis & ignis cœpit apparere, & conducere populum quocumque Deus volebat. Tertiam verò manſionem fecerunt in *Ethan*, in extremis finibus ſolitudinis prope linguam Maris rubri, vt patet Exod. cap. 13, 20. & Numer. cap. 33, 5. Ex Ethan manſione potuiſſent ſe conuertere ad mare Orientem verſus, per deſertum Ethan greſſus dirigere, rectaque ad montem Sinai properare; vt nunc fit à peregrinantibus ad ſanctum montem via iſta. Ceterùm Moyſes ex Domini præcepto, à quo de omnibus agendis admonebatur, intelligens Pharaonem & Ægyptios pœnituiſſe, quòd Hebræos dimiſiſſent; ac propterea cum omni bellico apparatu venturos, vt eos reducerent in Ægyptum; duxit filios Iſraël ex Ethan manſione nonnihil ad Occaſum; qui poſtea ad Meridiem flectendo greſſus, venerunt ad quædam loca Ægypti, feceruntque quartam manſionem in regione Phihahiroth, inter Magdalum & Mare rubrum, contra Beelſephon ponentes caſtra prope ipſum mare, Exod. cap. 14. v. 2. & Numer. 33, 7. Arbitror verò, locum iſtum quartæ manſionis eſſe intra illos præruptos montes, quorum paulò antè mentionem fecimus: ſiquidem & per illos itur ad mare, & via ſatis difficili, metu Arabum, vt ab iis, qui viam illam perfecerunt, accepi. Et ſanè à Cairo vſque ad locum tertiæ manſionis in extremis finibus ſolitudinis ad linguam maris nulla eſt in via difficultas, ſed tota plana & facilis. Sed via, per quam ducti fuere Iſraëlitæ vſque ad Mare rubrum, valdè ardua & difficilis fuit, vt manifeſtè indicat Scriptura Exod. 14. & Ioſephus lib. 2. Antiq. cap. 6. de his agens, manifeſtè demonſtrat: *Aegyptios*, inquit, *mox pœnituit, quòd Hebræos dimiſiſſent. Cumq; Rex præ ceteris id ægrè ferret, præſtigiis Moyſi imputans quod factum erat, decretum eſt, vt quamprimùm correptis armis omniq; bellico apparatu eos inſequerentur, retracturi ſi poſſent aſſequi: ſperabant autem fore, vt facile in poteſtatem ſuam redigerent homines inermes, de via laſſos. Itaque omnium quemque rogantes qua tenderent, raptim inſequebantur, tametſi per viam difficilem non ſolùm exercitibus, ſed expeditis quoque viatoribus. Moyſes namque per huiuſmodi viam Hebræos deduxerat, vt ſi Aegyptij, mutata ſententia, ſequi eos vellent, pœnas malitiæ violatiq; pacti perſoluerent: néve Paleſtini, qui ob veterem ſimultatem infenſi erant Hebræis, de profectione eorum certiores fieri poſſent. eſt enim regio illorum Aegypto contermina. Sed vbi ad rubrum Mare peruentum eſt, ecce Aegyptiorum multitudo circumfuſa in arctum Hebræos compellebat. Aderant enim ſeptingenti currus cum equitum quinquaginta millibus, & præterea ſcutatorum peditum ducenta millia. Hi vias omnes obſederant, quibus effugium Hebræis patere poterat inter rupes & mare concluſis: quo loco mons etiam præruptis rupibus inuius ad littus vſque procurrebat: atque ita, ne fuga quidem ſpe relicta, Hebræos mare inter & montem obſidione premebant, appoſitis armatis quà exitus in campos aperiebatur. In hac locorum iniquitate concluſi Hebræi, cùm nec obſidionem pra inopia diu tolerare, nec exitum & fugam inuenire poſſent, nec armis admodum inſtructi eſſent, etiam ſi maximè pugnare cuperent, nihil ſupereſſe videbant, niſi vt turpi deditione ſalutis conſulerent.* Hæc & alia ibi Ioſephus: quibus, vt dicebamus, demonſtrat huius itineris difficultatem, & quod ibi contigit vſque ad Ægyptiorum ſubmerſionem: & deſcriptio, quam quartæ manſionis Hebræorum & perſecutionis Ægyptiorum facit Scriptura loco citato Exodi, manifeſtè idipſum indicare videtur. Inquit enim, Iſraël manſionem faciente in quarta manſione, Pharaonem armatum cum omni exercitu ſuo præcedentium veſtigia inſecutum; tandem quadam die ad veſperam inclinante, reperiſſe eos iuxta mare. Vbi ex vna parte mons præruptus & omnino inuius ad littus vſque excurrebat, ex alia verò ipſum mare. At ibi cerni mare & montes, & non ſimiliter alibi in iſto itinere, ſecundùm aſſignatam ex Scriptura deſcriptionem, præter coniecturam quam habemus, conſiderata montium illorum & itineris ad mare terminatione, id tamquam indubitatum accepimus ab illarum partium incolis, & iis qui inuiti illud iter perfecerunt vſque ad mare. Breuiter, filij Iſraël venerunt de Rameſſe in Socoth, de Socoth in Ethan manſionem tertiam; inde regreſſi, abierunt per viam difficilem, per illos præruptos montes, ad Phihahiroth ad Mare rubrum: quomodo

Prima manſio in Rameſſe. Secunda in Socoth.

vbi columna nubis & ignis Iudæis apparere cœpit. Tertia in Ethan.

Quarta in Phihahiroth.

Phihahiroth vbi.

Iter hoc difficile.

Quare per difficilis iter ducti Iſraëlita.

Angustiantur ab Aegyptijs Iudæi.

Iudæi ab Aegyptijs vbi mactati.

Digitized by Google

do verò ipsum pertransierint, venerintque in desertum, per quod ambularunt ad Sinai, dicemus posteà.

Vnde quo hodie ex Cairo itur ad Sina.

Nos verò ex Cairo ad Sues & linguam Maris rubri per Ægypti desertum & Thebaidem, aliàs ab innumeris sanctis Patribus pœnitentia & sanctitate decoratum, & Socoth secundam mansionem, venimus ad tertiam Etham, ac deinde per Etham desertum continuauimus iter. Hæc adnotare volui ad maiorem intelligentiam traditionum illarum partium, & difficultatum quas mouent sacri & exteri Scriptores de itinere quod perfecerunt filij Israël ad montem Sinai per Mare rubrum: de quibus Capp. sequentibus.

Rameses hõ est Thebe nqm Sues.

Sed & hîc vnum aduertere licet: si verum est quod priùs ex Iosepho diximus, quando ex Rameste discesserunt filij Israël, vt irent ad desertum, transisse per Lacopolim, vbi posteà Cairus ædificata est; à veritate alienum erit quod quidam dixerunt, Rameses esse Theben, & quod alij, esse Sues.

Thebe vbi.

Illud quidem, quoniam Thebe, à qua Thebais dicta est, est superior & extrema pars Ægypti in Meridionali eius parte, à nonnullis Diospolis, ab Hebræis On, siue Onen, ab Ægyptiis Solis vrbs, teste Diodoro appellata. Ex distantia ergo locorum, quæ maxima est, cùm Onen ad Deltam, Thebe ad Sienen vergat, liquet, Theben nequaquam illam vrbem esse, quæ in sacris Bibliis Rameses appellatur. Istud etiam; quoniam inter Babylonem & Arabiam eundo versus Maris rubri extremitatem, vbi notatur Sues, Ptolem. constituit vrbem quæ Onij siue Elij appellatur, quam eius interpres Rameses à Iudæis dictam testatur; istud inquam non stat, quoniam ex Rameste non nisi post quatuor mansiones, & trium vel quatuor dierum spatio peruenerunt ad Mare rubrum: igitur, si Rameses idem est quod Sues, idem erit terminus à quo & ad quem, quod falsum est.

CAPVT IV.

De Mari rubro, secundo loco occurrente in tertia Peregrinatione, de illius origine, nominibus & conditione.

QVoniam pertractandæ sunt nonnullæ difficultates de Mari rubro circa ea quæ contigerunt, quando ipsum Hebræi, Deo mirabiliter diuidente, siccis pedibus transierunt, in ipsorum ad montem Sinai profectione; & vnum est ex præcipuis obseruandis in isto itinere: ideò, antequam alia pertractemus, aliqua de illius origine, natura, & nominibus, eorumque significatione differere visum est.

De origine Maris rubri Abulensis sententia.

De origine & de cursu Maris rubri Abulensis in cap. 10. Exodi ex aliis in hunc modum scribit: *Mare rubrum, quod nascitur à partibus Indiæ de confinio Indi fluminis, venit circa latus Septemtrionale orbis, terminans à Meridie omnes regiones quæ sunt circa Caucasum, scilicet Aracusiam, Parthiam, Assyriam, Mediam, Persidem, & ceteras, post istas declinat versus Meridiem, intrans per Arabiam continuo descensu: & ob hoc duobus nominibus nuncupatur: nam à parte Orientali declinans per confinia regionum, quæ sunt circa Caucasum & Taurum montem, vocatur Sinus Persicus; cùm autem intrat Arabiam & Aegyptum, vsquequo alterius maris fluctibus absinuatur, Sinus Arabicus vocatur. Est autem Arabia aliqualiter Septemtrionalis Aegypto, & aliqualiter Orientalis; & quando istud mare transiens totam Arabiam accedit, ad terminos Aegypti arcuatur, & reflectitur in Oriente eius, sicut alia flumina & maria declinia ex dispositione terrarum consueuerunt: & fit ibi magnus sinus, occupans quasi totam frontem Orientalem Aegypti; quæ non multùm lata est, vt dicunt Solinus & Paulus Orosius. Non tamen finit contra Meridiem terra Aegypti; quia ibi terrarum obicibus detinetur; sed finit per partem Septemtrionalem terræ Aegypti in confinibus Arabicæ solitudinis; & aliquando facit aliquos sinus parvos in Aegypto, deinde circa Occidentem Aegypti arcuatur, & facit manere quasdam partes terræ Aegypti vltra se, versus Septemtrionale latus Aegypti: cuiusmodi est terra Gessen, in qua manebant Hebræi; ideò dicitur infrà decimotertio capitulo, quòd potuissent Hebræi venire in terram Chanaan per viam terræ Philisthinorum, quæ vicinior est, & non cogerentur transire Mare rubrum. Deinde circa Occidentem Aegypti fluens mare, per ipsam terram Aegypti reliquo mari absorbetur.* Hæc Abulensis: & idem in Exod: cap. 13. quæst. 9. similia ferè habet.

Aliorum sententia.

Alij, qui mare hoc nauigarunt, dicunt incipere ab Insula Socotora, quæ Latinè Dioscoridis dicitur; terminarique ad Septemtrionem oppido Sues, quod à Latinis Posidium vocatur; habereque longitudinis circiter trecentas quinquaginta leucas. Procellosum valdè, asperum ac profundum; ac magnorum animalium magis quàm cetera capax, inquit Mela lib. 3. cap. 7. falsum, eiusdemque coloris naturæque ac Oceanus, à quo fluit, vt oculati testes affirmant; & verè.

Simile Mari magno, à quo fluit.

Plura nomina habet.

Quantum verò ad eius nomina & nominum rationem, dicendum est, hoc mare pluribus nominibus appellari, *Sinum Persicum,*

cum, & *Sinum Arabicum*, à duobus finibus quos aperit, & duabus regionibus per quas transit, Perſia & Arabia, vt dictum eſt; *Iam Suph* Hebraicè, Latinè *Mare rubrum*, Græci *Erythræum*. Sed quare rubrum appellatur, cùm eiuſdem coloris ſit ac cetera maria, & non rubei, vt iam diximus? Variæ ab Auctoribus adducuntur rationes. Q. Curtius: *Mare rubrum ne colore quidem abhorret à ceteris: ab Erythro Rege indicum eſt nomen.* Plinius lib. 6. cap. 23. *Mare*, inquit, *rubrum dixere noſtri, Græci Erythræum à Rege Erythra; aut, vt alij, ſolis repercuſſu talem reddi colorem exiſtimantes; alij ab arena terraq́, alij tali aquæ ipſum natura.* Philoſtratus lib. 3. Vitæ Apollonij cap. 15. *Rubrum mare vehementer cæruleum eſſe tradunt; denominant autem Rubrum, vt ipſi perhibent, à Rege Erythra, qui ex ſuo nomine mare appellauit.* Alij ab Erythra quidem, ſed non memorato natione Perſa, ſed ab alio Erythro, Perſei & Andromedis filio, appellari dicunt, qui olim illic dominabatur; cuius nomen idem ſignificat quod Latinè Rubrum. Ita Solinus cap. 45. *Rubrum mare*, inquit, *Erythræum ab Erythra Rege, Perſei & Andromedis filio, non ſolùm à colore appellatum Varro dicit; qui affirmat in littore maris iſtius fontem eſſe, quem ſi oues biberint, mutant vellerum qualitatem, & anteà candida amittunt quod fuerint vſque ad hauſtum.* Eamdem opinionem ſequitur Ammianus inferiùs citandus, Erythramque illum illi primò nomen dediſſe affirmat. Eadem tradens Strabo, addit: *Nearchus & Orthagoras prodiderunt, Tyrinam inſulam in eo pelago ad Auſtrum iacere, in qua Erythræ ſepulchrum oſtenditur; ingens ſanè tumulus, & ſilueſtribus palmis conſitus; atque hunc in iis locis regnaſſe, & de ſe nomen mari reliquiſſe. Iam Suph* Hebraicè, Latinè *Iam* mare, *Suph* verò rubrum, & ſcirpum ſignificat, vt docet ſanctus Hieronymus in Epiſtola 127. ad Fabiolam, & alij ex Hebræis & Latinis.

Rubrum quare dictum.

Benedictus Pererius in cap. 18. Exod. diſput. 8. de his agens, num. margin. 41. ſuam ſequentibus hiſce verbis aperit ſententiam: *Mea*, inquit, *hæc eſt ſententia, vocari à Græcis mare Erythræum, non tam à colore quàm à Rege Erythra, qui nobiliter ibi regnauit, eiusq́, memorabile ſepulchrum inibi exiſtit. Hoc enim & per ſe ſatis credibile eſt: & in id video plures Auctores conſentire. Tum puto Hebraicè vocatum eſſe Suph, à copia papyrorum, vel caricum, vel iuncorum, quorum ferax eſt. Hoc enim concordi ſententia tradunt Hebræi, ipſo etiam Hieronymo nequaquam diſſentiente. Illud demum mihi ſit veriſimile, propterea Latinum interpretem, vbicumque mare iſtud in Scriptura nominatur, vocaſſe Rubrum; quòd eo vocabulo mare iſtud vel ſemper vel plurimùm ab omnibus Latinis Scriptoribus appellatum vſurpatumq́, fuerit, vt Latina ipſius tranſlatio Latinis auribus apertior & probabilior accideret.* Hæc Pererius.

Quorundam ſententia refellitur.

Caietani Scholiaſtes Exod. 7. in prima plaga qua afflicti fuerunt Ægyptij, aſſerit non ſolùm Nilum fluuium, ſed Mare etiam rubrum Ægypto adiacens, conuerſum tunc in ſanguinem, rubrumque vocatum eſſe, fortè propter hanc conuerſionem in ſanguinem rubrum. Et Genebrardus Pſal. 104. aquas etiam marinas conuerſas ait in ſanguinem. Sedenim Pſal. 77, 44. aliter videtur acciduſſe: *Conuertit in ſanguinem flumina eorum, & imbres eorum, ne biberent:* & non male; quia illius aqua, quæ amara eſt, non erat bibenda.

Luſitanorum ſententia.

Luſitani, qui terras illas accuratè perueſtigarunt, & mare hoc nauigauerunt, antiquorum placitis refragantur, & diuerſam à memoratis rationem videntur indicare, quare mare hoc Rubrum appelletur. Qua de re conſulendus eſt Ioannes Barrius, præclarus Indicarum rerum Hiſtoriographus, cap. 1. lib. 8. Decad. 2. hic enim ſcribit, qui mare illud peruagati ſunt, comperiſſe in primis, illius aquas rubrum colorem referre: vt verò coloris cauſam pernoſcerent, aquam è mari in nauem hauſerunt; quam cùm pellucidam atque omnis ruboris expertem vidiſſent, planè intellexerunt, non aquas ipſas in ſe rubeas eſſe, ſed eum colorem in iis repræſentari ex arenis rubeis, ſiue coralliis, quibus maris illius fundus ſcatet. Et ab hoc colore Mare rubrum nuncupatum, & ita non ab Erythra, ſed antè, & ab ipſo mundi exordio. Placet hîc adſcribere P. Tornielli verba; quibus ex memorato Auctore reiicit nonnulla quæ ex aliis retulimus; ſcribit verò in hunc modum Tom. 1. ſacrorum Annalium M. A. 2544. num. 17. *Sed quia nunc primum ex ſacro Textu in Maris rubri mentionem incidimus, haud ingratum Lectori fore exiſtimamus, hic germanam adferre cauſam, cur hoc mare Rubrum fuerit appellatum; cùm nihilominùs conſtet, eius aquas, eiuſdem prorſus naturæ & coloris eſſe, cuius ſunt aquæ maris Oceani, imò eaſdem omnino eſſe, quæ ab Indico Oceano in Arabicum hunc ſinum influunt. Neque enim admittenda videntur quæ ex antiquorum opinionibus refert Strabo lib. 16. nempe, Mari rubro eſſe nomen à colore propter reflexionem radiorum apparente, vel à ſole, cùm ſupra verticem eſt, vel à montibus ex aduſtione rubentibus, vel à fonte quodam,*

qui

qui aquam rubicundam ac minio plenam in mare emittit; vel à quodam Erythra natione Perſa, qui in Inſulam dicti maris ſe recepit; vel ab alio Erythra ſeu Erythræo, Perſei & Andromedes filio, qui olim illic dominabatur, & cuius nomen Græcè idem ſignificat quod Latinè rubrum: quam poſtremam opinionem ſequitur etiam Arrianus Geſtorum Alexandri lib.8. Neque item dici poteſt (vt alij putarunt) videri aquam illam rubram, propter terram, quæ circa eius littora eſt, rubram: quia Luſitani (Auctore mox citando teſte) qui oras illas accuratè perueſtigarunt, ac propriis oculis inſpexerunt, aſſeueranter negant, terram illam eſſe notabiliter rubram, ita vt tale quid efficere poſſit. Et ſi ibidem adeſſent montes admodum rubri, aut memorata ſolis reflexiones, aut dictus fons minio plenus, aut quid ſimile, procul dubio id ipſi, tamquam huius rei, de qua agimus, valdè curioſi, facilè obſeruaſſent; & memorandus Auctor ſilentio non inuoluiſſet. Huc accedit, longè credibilius eſſe è conuerſo, dictos Erythræos à dominio, quod in Mari rubro eiuſq; oris habuiſſe dicuntur, nomina fuiſſe ſortitos; præſertim ſi naturalem dictæ rubedinis cauſam proximè adducendam conſideremus; ex qua colligi poſſe videtur, longè ante dictos Erythræos, & non ſolùm vſque à Moyſi temporibus, vt ſcripta eius indicant, ſed etiam ab ipſo mundi exordio, vel ſaltem ab eius poſt vniuerſale diluuium reparatione, idem mare ſic fuiſſe nuncupatum. Quid igitur? Dicamus priùs, quomodo dicti maris aqua videatur rubra; mox cauſam aperiemus. Non enim vbique talis videtur, ſed quibuſdam in locis; neque ſemper in eiſdem, verùm modò hîc modò illic magnæ quadam rubri coloris maculæ conſpiciuntur; aliæ quidem longiores, aliæ magis latæ ac diuerſarum figurarum; tamquam ſi grandia quædam ſanguinis vaſa ibi ſparſim effuſa fuiſſent. Vnde Ioannes de Barros, qui de Regum Luſitaniæ rebus in India geſtis duas librorum Decades Hiſpano ſcripſit idiomate, easq; Aſia inſcripſit, Decad.2. lib.8. cap.1. refert de Alphonſo Dalboquerque, primario Luſitani Regis in India Claſſium Duce, & illarum regionum Gubernatore; quòd cùm oſtia dicti maris ingreſſus eſſet, vidit in eo rubentem quamdam maculam non admodum latam, ſed, quantum ipſa oculorum acies pertingere poterat, in longum protenſam. Et addit, quòd cùm eius naues intus valdè progreſſæ eſſent, plurimæ eiuſdem maculæ latiores multoq; breuiores ſparſæ vndique videbantur; & nihilominùs de dictis maculis aqua in vaſis hauſta, nequaquam rubra, ſed limpidiſſima erat. Quo experimento manifeſtè conuincitur error quorumdam, qui dictas maculas ex balanarum ſanguine, in ipſarum partibus effuſo fieri credebant. Quamobrem admirati, cauſamq; rei diligenter perquirentes Luſitani, poſteà tum ab illarum regionum incolis, tum etiam proprio experimento didicerunt, fundum illius maris naturaliter ferre magnam vim cuiuſdam plantæ ſeu fruticis rubri, ramos proferentis ſolidos ac graues inſtar corallij, ita vt etiam à ſolo euulſi, in aquis ſupernatare nequeant: qui maxima inundantium aquarum vi eradicari, ſiue à ſtipite abrumpi ſæpè ſolent, ac præcipuè prope oſtia dicti maris, vbi fluxus & refluxus aquarum ingredientium & egredientium maiori fertur impetu; quo fit, vt eorumdem virgultorum rubra ſtramenta per longos quoſdam aggeres in ipſo maris fundo congerantur: qui deinde, vbi latior ſinus eſt, à variis inundationibus diſſipati, & huc atq; illuc acernatim tranſlati, ex coloris dictorum aceruorum reflexione, reddunt mare variis, vt dictum eſt, rubentibus maculis reſperſum; præſertim vbi vnda minùs alta eſt. Et inde iſte potiſſimùm ſinus, & illa item Oceani pars, quæ ab eiuſdem ſinus anguſtiis ad ſinum vſque Perſicum extenditur, Maris rubri nomen accepit. Hactenus ille; & meo quidem iudicio verè.

Notata circa Mare rubrum in Suez peregrinatione.

Ego dictis ſequentia libenter adderem: cùm iuxta hoc mare ambularem, quantum obſeruare potui, prope Sues, & poſteà per multa milliaria vſque ad montes Sinai proximos, nullas vidi in eo rubentes maculas, nec videri ab accolis accepi: quare ſi huiuſmodi videntur in aliis partibus, Indiæ videlicet, illarum partium ratione totum ipſum Mare rubrum dicetur. Præterea, ſi in diuerſis partibus maculæ illæ rubentes videntur, quid prohibet dicere, aliquando illas tales apparere ex plantis illis, fruticibus & foljis rubeis, vt ex Ioanne de Barros dixit Torpiellus, & aliquando ex fundo arena rubea rubeſcente, vel alio modo, vt alij grauiſſimi Auctores tradiderunt?

Vlteriùs, etſi primaria ratio, quare mare hoc Rubrum dicatur, ſit, quia vel rubeos illos profert frutices, vel ex fundo; quid prohibet affirmare, idem nomen etiam ab altero vel vtroque Erythra accepiſſe, ſecundaria ratione? quod alios dicere voluiſſe mihi perſuadeo: nec enim inconueniens eſt eumdem effectum à diuerſis cauſis præſertim partialibus procedere, & ex variis rationibus aliquod vnum idemque nomen ſortiri. Vt fuit à nobis animaduerſum Lib.VII. Cap.II. Peregr. VI. ciuitatem Damaſci potuiſſe nominari vel à Damaſco conditore, vel à Damaſco regione, ſimiliter etiam dicere in propoſito nil vetat: & ſic dicere videtur expedire, ne à grauiſſimis Auctoribus recedere videamur.

Nicolaus Fullerus lib.4. Miſcellaneorum ſacro-

factorum cap. 20. pluribus explicat hanc difficultatem; & post adductas & reiectas aliorum sententias, ipse suam ponit, quæ in hoc consistit, vt Mare rubrum, siue Erythræũ, dicatur ab Esau filio Isaac. Quoniam Erythras, siue Erythrus, planissime, inquit, is est, quem nomine quidem sacræ Literæ Esaum appellant, cognomine autem Edomum. Erythrum Græcè, Latinè rubrum significat. Et quia Edomus iste totius Regionis seu Prouinciæ Idumææ, siue Edom, Dominus ac Princeps exstitit; Imperio item maris, eamdem Regionem præterfluentis, simul potitum esse consentaneum apparet; eiúque & mari proximo nomen dedisse putat, & pluribus contendit. An verò Fullerus scopum attigerit, videant alij.

Agunt de Mari rubro Adrichomius in Pharan num. 86. Pineda de Rebus Salomonis lib. 4. cap. 9. 10. & 11. & alij. Sed hæc dicta sufficiant.

CAPVT V.

De loco Maris rubri vbi filij Israël transierunt, & eius latitudine, qui tertio loco occurrit in tertia Peregrinatione.

POstquam de conditione, origine, decursu & nominibus Maris rubri egimus, arbitror vtile ac iucundum fore Lectori, si sequentibus Capitibus huius Peregrinationis aliquas pertractemus difficultates; quarum explicatio plurimùm conducet ad intelligentiam eorum quæ in partibus illis de Mari rubro asseruntur, & nonnullorum sacræ Scripturæ locorum. In hoc verò Capite inquiremus de loco vbi filij Israël transierunt, & Ægyptij submersi fuere, & de eius latitudine.

Tres sententiæ.

Prima, esse quinque milliarium latitudinem.

Guilielmus de Baldensel in suo Hodœporico arbitratur, latitudinem transitus Maris rubri vix ad quinque milliaria se extendere.

Secunda, nouem.

Augustinus Torniellus Tom. 1. A. M. 2544. num. 25. secutus aliorum sententiam, dicit, locum maris, quem transierunt Israëlitæ, fuisse contra oppidum Tor appellatum, latitudinis nouem millia passuum habere; sic verò scribit: Siccato mari vento vrenti, ne cœno Iudæorum iter impediretur, Iudæi decem circiter horarum spatio sinum illum festinanter feliciterque transmiserunt; qui, vt in Geographorum tabulis intueri licet, pænè in acutum definit: & vbi à Moyse diuisus fuit, nouem millia passuum latitudinis habuisse dicitur, quemadmodum ex Orientalibus Lusitanorum nauigationibus asserit Ioan. de Barros in suis Historiis, Asia inscriptis, Decad. 2. lib. 8. c. 1. vbi accuratam sanè Maris rubri descriptionem tradit; additque, dictam maris diuisionem fuisse factam contra oppidum in Arabico littore positum, quod ipse vocat Tor, siue Tauris; communiter autem in Chronographorum tabulis appellatur Eltor: cui nunc rectà opponitur in ora Ægyptiaca aliud oppidum nomine Grondol, vt videre est apud Abrahamum Ortelium, speciatim in Tabula Turcici Imperij, quæ in ordine 96. est. Hæc ex Torniello.

Tertia, triginta milliarium Italicorum.

Alij tamen ea parte latius esse dicunt. quo enim tempore illac transibam, & ad sanctum Sinai montem ibam, mihi percunctanti Græcum quemdam illarum partium Monachum, nobiscum reuertentem ad Sinai montem, vbi commorabatur, de latitudine illius maris, respondit, ex ea parte qua filij Israël ipsum intrauerunt, vsque ad alteram illi oppositam, esse latitudinem circiter triginta milliarium Italicorum; eamque esse illarum partium famam. Quare, si pro nouem milliaribus nouem leucas intellexit Torniellus cum Ioanne Barros, fere conuenit cum his quæ in illis partibus circumferuntur. Quin verba Tornielli idipsum præ se ferre videntur ex tempore quod illorum transitui assignat; si tamen ab vno littore vsque ad alterum oppositum transierunt, vt ipsemet sentit; decem scilicet horarum: nam tanto tempore non tantùm nouem, sed viginti & etiam triginta conficerentur milliaria.

Obiectioni solutio.

Nec valet dicere, tantum confici à viris fortissimis & robustissimis, non autem à senibus, mulieribus & paruulis; hi enim lento gradiuntur gressu: etenim, præter ea quæ superius diximus, *non erat in tribubus eorum infirmus*, & speciali Dei auxilio adiuti fuerunt filij Israël ab exitu de Ægypto vsque ad transitum Maris rubri; quare spatio decem horarum circiter maius quàm nouem milliarium Italicorum iter confecissent. Psal. 104. 37.

Præterea, notato loco aduertit idem Auctor, & docet Scriptura, tota illa nocte transitus flauisse ventum vrentem, hoc est calidum & siccum, qui vapores crassos ex tanta aquarum à dextris & à sinistris existentium multitudine, nocturno præsertim tempore eleuari solitos, dissipabat, nimiamque aëris humiditatem, ne Hebræis molesta, vel etiam illorum paruulis noxia esset, ad temperiem reducebat. Ad idem facit quod dicitur Sap. 19. fundum maris, per quod filij Israël transierunt, fuisse velut floridum campum; & nos posteà dicemus. Et hoc magis confirmat idem Torniellus, dum dicit, Israëlitas festinanter feliciterque

terque mare transmisisse. Quare si à littore Ægyptiaco vsque ad Arabicum transierunt decem horarum spatio, festinanter & feliciter transmiserunt; & concludendum est, secundùm ipsum, eo loco mare latius esse, quàm sit spatium nouem milliarium Italicorum, sed vel vigintinouem vel triginta circiter.

Alterius obiectionis solutio.

Nec officit dicere, transisse linguam maris, quæ ipso medio angustior est; quia adducta ex eo ratio probat oppositum: solùm enim ex hoc probari posset, esse linguam medio angustiorem. Præterea non ita est lingua angusta, vt non distet locus transitus ab extremitate & Sues quadraginta circiter milliaribus, siue duorum dierum itinere, vt posteà Cap. VII. dicemus. Ibi latiùs scripsi quæ legi, audiui & coniectura assequi potui: nam illum locum nec mensus fui, nec vidi; ideò, quæ dixi, non asseueranter, sed ex coniectura à me dicta esse volo.

Cæsalpini.

Nec dissentit Baldensel, asserens latitudinem esse quinque milliarium, sed omnino consentit; quia cùm Germanus esset, credendum est, ipsum de Germanicis milliaribus, quæ sunt duarum horarum, & pluries longiora, fuisse locutum; & ita, quinque milliaria Germanica facient decem milliaria Hispanica vel Belgica, & triginta Italica: & ita ferè omnes in eadem sententia conueniunt.

CAPVT VI.

Fuerintne vna vel plures vie factæ in Mari rubro, quando à Moyse fuit virgâ percussum, vt transirent filij Israël; & an appareant adhuc transitus signa.

Duæ oppositæ sententiæ. Prima, per duodecim maris semitas transisse Israelitas.

QVantum ad propositam difficultatem, duæ sunt famosæ Auctorum sententiæ: altera affirmat duodecim vias factas fuisse in mari, quæ velut muro aquis consistentibus diuidebantur, per quarum quamliber secundùm numerum tribuum transibant ordinatè Israëlitæ: altera verò dicit vnicam dumtaxat, sed latam & spatiosam, viam factam fuisse, consistentibus ex vtraque parte aquis adinstar muri, per quam totus Israëliticus populus incessit.

Secunda, per vnicam viam.

Prima sententiæ & fundamenta.

Priorem sententiam sequuntur aliqui ex Hebræis & Catholicis eruditissimis Scriptoribus: ex illis, Midras Thilim, & alij; ex istis, Origenes in Exod. Homil. 5. S. Epiphanius Hæres. 64. prope finem; vbi breuiter recenset miracula Moysis, Abulensis in cap. 14. Exod. quæst. 7. Genebrardus l. 1. suæ Chronologiæ, & super Ps. 135. vers. 13. *Qui diuisit Mare rubrum in diuisiones. in diuisiones*, non *diuisionem*; quoniam non vna, sed plures factæ fuerunt: & ferè hæc auctoritas est huius sententiæ potissimum fundamentum.

Qui de locis sanctis scripserunt, eidem sententiæ adstipulari videntur, dum dicunt, ad littus maris, vbi filij Israël transierunt, videri adhuc plura viarum vestigia, per quas transierunt mare; quod & ego accepi à memorato Monacho Græco, vt dixi Capite præcedenti; hancque esse sententiam à maioribus traditam, quòd in ista diuisione maris singulis quibusque tribubus Hebræorum singulæ aquarum diuisiones factæ sint; & propria vnicuique tribui in mari aperta sit via. Idque ostendi aiunt ex eo, quod in Psalm. 135. scriptum est: *Qui diuisit Mare rubrum in diuisiones.* quibus verbis docemur, factas plures, & non vnam tantùm.

Idem ostenditur per illud: *Beniamin adolescentulus, in mentis excessu. Principes Iuda, duces eorum: principes Zabulon, principes Nephthali.* Significatur enim proprium vnicuique tribui datum ingressum esse in mare. Hæc à maioribus obseruata in Scripturis diuinis, silentio præterire nolui; præsertim cùm Origenes, alijque veteres Scriptores ab eadem sententia non abhorreant. Ps. 67. 28.

Secunda sententiæ & rationes.

Posteriorem sententiam, præcedenti oppositam, vnicam tantummodò factam fuisse in Mari rubro diuinitus viam; sequuntur similiter plures ex veteribus & recentioribus Doctoribus: atque in primis Theodoretus in quæst. 25. in Exodum, & in expositione illorum verborum Psalmi 135. *Qui diuisit Mare rubrum in diuisiones*; oppositumque appellat fabulam Iudæorum. Idem scribit in eumdem Psalmum Euthymius; Lyranus in cap. 14. Exodi, Pererius ibidem, disput. 2. num. margin. 10. Caietanus in Psalm. 135. Torniellus Tom. 1. A. M. 2544. num. 28. & plerique alij.

Primæ ratio.

Probat verò hanc sententiam Torniellus: *Quoniam*, inquit, *nusquam apparet, tribus Israëliticas tunc adeo ab inuicem fuisse seiunctas, vt non possent simul per eamdem viam maritimam, quemadmodum antea per terrestrem ambulauerant, profecti. Quòd si duodecim fuissent viæ, vtique oporteret etiam Pharaonis exercitum in duodecim partes fuisse distributum; & columnam ignis, quæ se tunc dicitur posuisse inter castra Aegyptiorum & Israëlis, ita vt toto noctis tempore ad se inuicem accedere non possent, in duodecim columnas fuisse mul-*

tiplicatam: hæc verò ex ſacro Textu non modò deduci non poſſunt; ſed & eidem omnimodis aduerſari certum eſt.

Secunda. *Hùc accedit, quod nulla ratio ſuadet debuiſſe fieri tot vias; neque par eſt multiplicari miracula ſine neceſſitate, præſertim cùm in Pſalm. 76, 20. apertè legatur, In mari via tua, & ſemita tua in aquis multis. & Sapient. cap. vlt. verſ. 7. Et in Mari rubro via ſine impedimento. Via, inquam, vna, & non plures.*

Ad fundamenta prima. *Nec refert quòd in Pſal. 135, 13. dicatur, Qui diuiſit Mare rubrum in diuiſiones; quia ibi Scriptura, vt interdum ſolet, numerum pluralem pro ſingulari vſurpat; niſi fortè ille ſit Hebraiſmus, idem ſignificans, ac ſi dictum eſſet, Qui diuiſit Mare rubrum in duas partes; per metonymiam accipiens diuiſiones pro partibus diuiſis, quemadmodum 3. Regum cap. 11. verſ. 31. dicitur: Tolle tibi decem ſciſſuras, hoc eſt partes palij ſciſſi.* Hæc ille. Et in eumdem modum reſpondent alij eiuſdem ſententiæ. Tres alias rationes ex parte memoratis perſimiles adducit pro eadem ſententia Pererius loco citato.

Tertia ſententia media, vnica maris diuiſione facta, in fundo duodecim apparuiſſe ſemitas. Dicerem probabiliter in hac difficultate, quodam modo mediando inter vtramque ſententiam, vnicam diuinitus factam fuiſſe in mari diuiſionem & viam; in ipſius tamen fundo duodecim apparuiſſe ſemitas, per quas ſingulas ſingulæ pertranſierunt tribus. Vnicam dixi factam fuiſſe viam, propter dicta pro poſteriori ſententia; quam priori veriorem, communiorem, & potioribus firmatam rationibus arbitramur. Addidi verò propter ſecundam ſententiam, in maris fundo duodecim ſemitas apparuiſſe; & quia illarum ſigna in maris littore in partibus illis apparere dicuntur: notauit etiam Pineda de Rebus Salomonis lib. 4. cap. 11. num. 9. Ego illas non vidi; nec facilè, propter Arabum incurſiones & pericula, videri poſſunt. Et aptari poſſunt huic ſententiæ aliquæ auctoritates adductæ pro confirmatione præcedentium opinionum. Vt illud Pſalm. 135. *Qui diuiſit Mare rubrum in diuiſiones.* id eſt, Qui fecit, vt, diuiſo mari in duas partes, apparerent in eius fundo plures viæ & diuiſiones. & clariùs Pſ. 76, 20. *In mari via tua*; ecce vnica via & vna maris diuiſio; *& ſemita tua in aquis multis*; ecce plures ſemitæ. quaſi diceret: In profundo maris loco, vbi multæ erant aquæ, ſemitæ plures fuerunt; per quarum quamlibet quælibet tribus ordinatè incedebat.

Ratio.

Diuina miſericordia erga electos, & in reprobos iuſtitia. Si ſigna illarum viarum, per quas tranſierunt filij Iſraël, facta fuerint, & adhuc extant, magnum profectò miraculum eſt, & euidens argumentum diuinæ prouidentiæ quam habet de electis; quemadmodum & alterum, quo iſtud probari poſſet diuinæ iuſtitiæ in reprobos: hoc verò eſt quod hîc verbis Abulenſis in cap. 14. Exod. q. 11. ſubſcribo; & ille adducit ex Paulo Oroſio lib. 1. Hiſtor. *Magnum autem*, inquit, *diuinæ punitionis monimentum, atque recordatio, poſteris magna documenta daturum vſque hodie reſtat: nam cùm Ægyptij in curribus & equis Hebræos per Mare rubrum perſecuti eſſent, rotarum ſigna, qua vnis arenis impreſſa ſunt, vſque hodie perſeuerant; ita vt ſi rotarum orbita eadem die illa veſtigia impreſſiſſent. Et ſi fortè contingat ventis impellentibus arenarum aggeribus ſigna illa occultari, mox diuina prouidentia ad ſtatum priſtinum reducuntur; vt ſi diuina miracula homines ſpiritu inuidiæ concitati tacuerint, ipſa per ſe terra exclamet. Sic enim reſpondit Chriſtus Phariſæis quibuſdam, qui ſub honeſtatis imagine Chriſti laudes ſubticeri volebant, cùm dixerunt; Magiſter, increpa diſcipulos tuos; quibus ipſe ait: Dico vobis, quia ſi hi tacuerint, lapides clamabunt, vt patet Luc. 19. cap.* Hactenus Abulenſis.

Addo vlteriùs, quòd quemadmodum de facili fuit reſponſum iis quæ pro priori ſententia dicebantur; ita non eſſe admodum laborioſum reſpondere aliis quæ pro poſteriori ſententia adducta fuere. Reſponſio ad rationes ſecundæ ſententiæ.

Ad primam. Ad priorem rationem dicendum, ordinatè diſceſſiſſe filios Iſraël ex Ægypto: etenim, quænam in tanta multitudine confuſio fuiſſet, ſi gregatim more pecorum inceſſiſſent? & Scriptura ſacra indicare videtur, dum loquens de filiis Iſraël ante tranſitum Maris rubri, dicit *caſtra metatos fuiſſe*, Exod. cap. 13, 20. & cap. 14, 2. & clariùs Num. cap. 33, 1. vbi dicitur: *Hæ ſunt manſiones filiorum Iſraël, qui egreſſi ſunt de Ægypto per turmas ſuas in manu Moyſi & Aaron*, &c. Vbi ſunt caſtra & diſtinctæ turmæ, ibi diſtinctio & ordo collocandus eſt. Igitur, ſi talis ſeruatus fuit in itinere illo terreſtri; quare & idem ſeruari non potuit & debuit in illo maritimo? Vide infrà Capite VIII. in tertiæ quæſtionis ſolutione.

Ad ſecundam. Ad poſteriorem, de diuiſione exercitus Pharaonis, & columnæ in duodecim partes, Reſpondeo, neutrum ex illa ſententia neceſſariò ſequi: non prius; etenim potuit per vnam dumtaxat viam incedere, columna præſertim prohibente Ægyptios, ne perfectè videre poſſent Hebræos. Et ſi ponatur, Pharaonis exercitum in duodecim partes fuiſſe diuiſum, & quamlibet partem ſecutam fuiſſe quamlibet illorum tribum, quodnam eſſet inconueniens, Scriptura præſertim oppoſitum non indicante? Nec multò-

multò minùs sequitur posterius: etenim vnica columna in aëra eleuata potuit Hebræos, in plures ordines siue turmas distinctos, per diuersas vias ad eumdem finem tendentes ducere; sicut anteà in deserto Ægypti, & posteà in altero Arabiæ, transuadato Mari rubro, ducebat. Quemadmodum ad vnum solis vel lunæ motum plures ex diuersis locis & per diuersas vias ad eumdem terminum tendunt. Vel exemplum accipe de polis mundi, Arctico & Antarctico. Nec fuere multiplicata miracula, sed vnum illustrius operatum; vt tam prodigiosum factum, numquam à sæculo auditum, in gratiam Hebræorum patratum, illustrius ac firmius in vnaquaque tribu, imò quolibet Hebræorum, atque in omnibus & singulis hominibus, conseruaretur.

Nec loca Scripturæ faciunt difficultatem. Vt enim illi dicunt in versiculo illo Psal. 135. *Qui diuisit*, &c. poni numerum pluralem pro singulari; ita dicent alterius sententiæ sectatores, in aliis Scripturæ locis contra eosdem adductis, in quibus vnius dumtaxat viæ fit mentio, poni singularem pro plurali numero; quod frequentissimum est in sacris & in profanis litteris. Quare ratio vel Scriptura non est, quæ efficaciter alterutram illarum opinionum probet vel improbet. Vnde placet mihi quod scribit Theodoretus citatus, traditionem de duodecim viis nec fidei nec pietati Christianæ aduersari; congruentius tamen diuinæ Scripturæ ac probabilius esse, vnam tantùm in Mari rubro factam fuisse viam in transitu Iudæorum amplissimè patentem. Et vnicam delineauit viam Adrichomius in Descriptione deserti Pharan, & transitu Israëlitarum per Mare rubrum, & alij, quos viderim, qui huius argumenti tabulas Geographicas ediderunt. Et hæc de memorata difficultate sufficiant.

Neutra ex duabus oppositis sententiis potest efficaci auctoritate vel ratione refelli.

CAPVT VII.

Pertransierintne filij Israel ab ea littoris parte à qua discesserunt, venientes ad illi oppositam, an potiùs gressu tortuoso redierint ad eamdem littoris partem, quam ingressi fuerunt?

Duæ sententiæ.

IN hac difficultate, quam credo difficilem, & vtilem & opportunam instituto nostro, duos inuenio dicendi modos inter se oppositos, qui auctoritatibus & rationibus non infimis firmantur. Alter illorum, qui contendunt, filios Israël totum mare ab vna parte ad alteram ei oppositam traiecisse, ab Ægyptio videlicet littore ad Arabicum. Ita plures Hebræi & Catholici. Iosephus lib. 2. Antiq. cap. 7. Philo non procul à fine lib. 3. de Vita Moysi, Gregorius Nyssenus, non longè à principio libelli de Vita Moysi, Lyranus, Caietanus, Pererius, & alij in cap. 14. Exod. Torniellus Tom. 1. M. A. 2544. n. 27. probantque auctoritate & ratione. Auctoritate, quia in lib. Num. cap. 33, 8. legimus: *Profecti*, filij Israël *de Phihahiroth, transierunt per medium mare in solitudinem.* & clariùs in lib. Sapient. cap. 10. vers. 18. dicitur: *Transtulit illos per Mare rubrum, & transduxit illos per aquam nimiam. Transtulit*, non circumduxit. Perspicue indicatur, non aliquam in mari circuitionem, sed totius maritimi illius tractus transmissionem esse factam; quemadmodum adhuc manifestiùs indicant citati Auctores locis indicatis.

Prima, Israëlitas à littore Ægyptiaco ad oppositum Arabicum transisse.

Ratione sic probatur à Lyrano in ea verba priùs citati cap. Exod. 14, 31. *Viderunt Aegyptios mortuos super littus maris.* post relatum contrarium dicendi modum, statim adducendum, dicit: *At verò Iosephus dicit expressè contrarium, scribens, Hebraeos transisse mare ad littus vsque ad oppositum: & hoc videtur magis probabile; quia non est verisimile, Deum voluisse reducere Hebraeos ad terram hostium suorum.*

Secunda sententia, per semicirculum ab Ægyptio littore ad eumdem transisse.

Alter dicendi modus præcedenti oppositus affirmat, filios Israël non totum Mare rubrum transmisisse, nimirum ab Ægyptio littore ad Arabicum; sed, ducto intra mare longo circuitu seu semicirculo, demum ad littus vnde ingressi fuerant, videlicet Ægyptium, rediisse. Quem dicendi modum ferè Hebræi omnes sequuntur, & nonnulli ex Latinis, vt Abulensis in cap 14. Exod. q. 9. Paulus Burgensis contra Lyranum eodem capite; & D. Thom. idem sensisse videtur in Commentario capitis decimi prioris Epistolæ ad Corinthios, & alij. Qui dicendi modus mihi etiam magis placet, eumque libenter amplector; & probatur multipliciter ex Abulensi.

Primò, sic dicitur in littera Exod. 14, 31. *Et viderunt* filij Israël *Aegyptios mortuos super littus maris, & manum magnam quam exercuerat Dominus contra eos.* at hoc viderunt in littore Ægyptiaco; igitur ex isto mari quod ingressi erant, exierunt, etsi in alia illius parte. Minor probatur, quia, inquit, natura maris est, mortuos ad propinquiora littora eijcere: propinquiora autem erant transuersaliter versus Orientem, ideò ad illa eiecti sunt. Minor huius prosyllogismi probatur ex his quæ proximè dicit, sed breuiter sic; quia non multò pòst ac ipsum mare ingressi fuere Ægyptij, illius fuerunt obruti vndis, vt ex Scriptura sacra facilè colligitur.

Secundò, idem probatur ex eo, quòd modico temporis ſpatio, quale fuit illud quo Iudæi ingreſſi & egreſſi fuerunt mare, non potuerunt recta linea ipſum tránſire, quia ſatis latum eſt, vt iam ſuperiùs Cap. v. oſtendimus. ſic verò ait: Item, quia illa nox erat parua, in qua intrauerunt Iudæi in mare: nam erat minor quàm duodecim horarum, cùm eſſet aliquibus diebus poſt Æquinoctium vernale, quod fit in Martio: nam menſis ille primus, in quo egreſſi ſunt de Ægypto, vt patet Num. 33, 3. & tranſitus Maris rubri fuit poſt tres aut quatuor dies ad minus. Non poterant ergo tranſire Mare rubrum per tranſuerſum illa nocte, cùm ibi Mare rubrum ſatis latum eſt, vt dicitur ab eis qui illam partem maris in Ægypto viderunt. Fuit autem facta iſta tranſitio Maris rubri per modum cuiuſdam ſemicirculi; ſcilicet quòd extremitas illius lineæ ſemicircularis eſſet in parte illa terræ, per quam intrauerunt in mare, & alia extremitas eſſet in eodem littore, interiectis quibuſdam ſcopulis intrantibus mare, & quadam parte aquæ maris. Si autem tranſiuiſſent ad litus oppoſitum, linea tranſitus eſſet linea recta; ſed non potuit eſſe, quia in tam paruo tempore non poterant tranſire tantam latitudinem maris; maximè quia non inceperunt tranſire in principio noctis, ſed media nocte in tertia vigilia; & tranſiuerunt ante finem quartæ, ſcilicet ante auroram. Et patet hoc, quia non intrauerunt Iſraëlitæ in mare, donec ventus flans deſiccauit profundum maris. Sic namque dicitur in Textu, quòd filij Iſraël ambulauerunt per mediũ ſicci maris, id eſt, iam deſiccati à vẽto vrente. Sed de iſto vento vrente dicitur, quòd flauit tota nocte: non quidẽ tota nocte; quia non eſſet verum, vt poſteà colligitur ex Textu; ſed maiori parte noctis, ſcilicet vſque poſt mediam noctem in tertia vigilia; & tunc Hebræi tranſierunt: ita, quòd in principio quartæ vigiliæ, quæ eſt vigilia matutina, Ægyptij erant in mari, Hebræi iam tranſiuerant. Nam dixit tunc Dominus ad Moyſen, quòd extenderet manum ſuper mare, & coniungerentur aquæ, vt ſuprà patet: ergo videtur, quòd ad ſummum Hebræi morati ſint in tranſeundo Mare rubrum vnam vigiliam noctis, quæ ſunt tres horæ, aut minus, ſecundùm noctes illius temporis, &c.

De anno & die exitus Iſraelitarum de Ægypto & tranſitu Maris rubri Torniel. To. 1. M. A. 1544 num. 21.

Verùm, quoniam ex tempore, quo in mari manſerunt filij Iſraël, non ineſficax ſumi poteſt argumentum pro vtraque opinione, ſi modicùm in gratiam iſtius poſterioris, etſi multùm pro priori, quantum fieri poteſt, eius longitudinem ex Scriptura placet inueſtigare. Sed priùs aduertere oportet, quot ſint vigiliæ noctis, quæ ſit vigilia matutina, & quare ſic nominetur; quoniam de his fit mentio in locis ex Scriptura adducendis, & ex his pendet dicendorum intelligentia. Notandum in aſſignando diei exordio & fine, eodemque diuidendo, Iudæos & Romanos partim diſſenſiſſe, & partim conueniſſe: diſſentiebant in eo quòd Iudæi ab occaſu ad occaſum ſolis diem auſpicabantur, vt videre eſt Leuit. 23. verſ. 32. ſed Romani, à media vſque ad mediam noctem, ex Lege, More Romano. ff. de Feriis. teſte Aulo Gellio lib. 3. cap. 2. vbi varias populorum conſuetudines recenſet. Vtrique tamen conueniebant in illius diuiſione; quia tam Iudæi quàm Romani totius diei ſpatium in duodecim horas diuidebant: vt hora prima toto anni tempore eſſet, quam Inſubres horam decimam tertiam; hora tertia, quam decimam quintam; hora decima, quam decimam octauam; hora nona, quam vigeſimam primam appellant: quod etiam innuit Martialis libro 4. Epiſt. 8. Et in Euangeliis multa occurrunt exempla, vt Matth. 20, 1. & 27, 45. Marc. 15, 33. & Luc. 23, 44. & apud Ioannem 4, 11. dixit Chriſtus: *Nónne duodecim horæ ſunt diei?*

Initium diei apud Iudæos & Romanos.

Inter hos & illos conuenientia.

Pari ratione noctem in quatuor vigilias pari trium horarum interuallo diuidebant: vt prima vigilia ab occaſu ſolis ad horam noctis tertiam, ſecunda à tertia ad ſextam, tertia à ſexta ad nonam, quarta à nona vſque ad duodecimam protenderetur. Et miſſis exemplis quæ paſſim de his vigiliis inueniuntur apud Cæſarem in Comment. Liuium & alios profanos Scriptores, vnum vel alterum ex ſacris proferamus. Matthæi 14, 25. legimus, Dominum quarta vigilia noctis veniſſe ad diſcipulos ſuos ambulantem ſuper mare. & Luc. 12, 38. vbi idem Dominus ad vigilantiam nos hortatur, in quadam parabola ad id ait: *Et ſi venerit in ſecunda vigilia, & ſi in tertia vigilia venerit*, &c. Lege Francolinum de Hor. Canon. cap. 47. His ſic præmiſſis, vnde diſceſſimus noſtra recurrat oratio.

Omnes in Eam in quatuor vigilias tritis horarum diſtinguunt.

Exodi citato capite 14, 21. hæc de hoc habentur: *Cumq; extendiſſet Moyſes manum ſuper mare, abſtulit illud Dominus flante vento vehementi & vrente tota nocte, & vertit in ſiccum: diuiſaq; eſt aqua. Et ingreſſi ſunt filij Iſraël*, &c. In his verbis habemus, nocte factam fuiſſe maris diuiſionem, & per eam filios Iſraël tranſiſſe. At non in ipſo noctis initio ſtatim fuit mare diuiſum, ſed maiori noctis parte tranſacta: quam partem totam noctem Moyſes appellat, in qua vento vrente ſiccatum fuit vadum & profundum maris. Illud enim admodum humidum

Maris fundus mox ingreſſum filiorum Iſraël vrenti vento & nocti exſiccatur.

zed by Google

midum & limoſum erat, nec benè pedibus meabile: ſubſtiterunt igitur Hebræi in littore, quoad Dominus, immiſſo vento vrenti vehementiſſimo, perpetuo eius flatu ab initio noctis vſq; ad mediam noctem, & vltra, ſiccatum eſt ſolum maris. Tunc autem, ceſſante vento, Hebræi in tertia vigilia ingreſſi ſunt per viam illam maris; & circa initium quartæ vigiliæ euaſerunt omnes ad littus incolumes. Ægyptij, arbitrati ita pro ſe ſicut pro Hebræis diuiſum fuiſſe mare, videntes Hebræos incolumes ipſum tranſeuntes, eos per eamdem viam circa finem tertiæ vigiliæ ſecuti ſunt cæco impetu ac furore: verum eos ſua fefellit opinio ac temeritas: nam circa initium quartæ vigiliæ, quam Scriptura vocat matutinam, quòd ea terminetur in aurora, cùm iam prope eſſet diluculum & manè, Hebræiq́ue iam egreſſi eſſent ex mari, vniuerſusq; Ægyptiorum exercitus in medio eſſet mari; tunc iuſſu Dei, & Moyſe virga percutiente aquas, reuerſæ iterùm ſunt in priorem locum ſuum, opprimentes atque operientes omnem exercitum Ægyptiorum. Et hoc eſt quod dicit Moyſes: *Iamq; aduenerat vigilia matutina, & ecce reſpiciens Dominus ſuper caſtra Aegyptiorum per columnam ignis & nubis, interfecit exercitum eorum*, &c. Igitur cùm non niſi poſt mediam noctem in eius tertia vigilia ingreſſi fuerint Iudæi mare, & circa initium quartæ egreſſi fuerint, conſequens eſt, ipſos ambulaſſe per mare trium horarum circiter ſpatio, & non niſi lento gradu incedentes, quia inter ipſos erant paruuli, ſenes & mulieres: & hæc eadem ratiocinatur Bened. Pererius prioris ſententiæ aſſertor loco citato num. margin. 6. at tam exiguo tempore tantam maris latitudinem ab extremo ad extremum pertranſiſſe non potuiſſent; cùm ſit nouem leucarum latitudinis, vel tantæ, vt non niſi decem horarum ſpatio pertranſiri potuerit, vt volebat Torniellus. Quare ex hac ratiocinatione colligitur non ſubſiſtere quod ipſe dixit, Hebræos decem circiter horarum ſpatio pertranſiſſe, quia tantùm trium in mari manſerunt. Si igitur ab Ægyptio littore ad oppoſitum latus Arabicum recta linea tam modico temporis ſpatio abire non potuerũt, conſequens eſt, vt ad idem littus, per quod ingreſſi fuerunt, etſi in alio loco per modum ſemicirculi, redierint. Sed cetera argumenta proſequamur.

In tertia vigilia mare ingreſſi ſunt, & circa initium quartæ euaſerunt.

Exod. 14. 24.

Circa idem tempus Ægyptij.

Exod. 14. 24.

Tribus horis per mare ambulauerunt Iudæi.

Tertiò, ex Etham ambulauerunt ad Mare rubrum, & per ipſum tranſierunt, & ex mari iterùm ad Etham redierunt; igitur non totum mare ab Ægyptio littore ad Arabicum tranſierunt, ſed per ſemicirculum ad idem redierunt. Antecedens probatur; nam Exodi cap. 13. v. 20. dicitur, quòd filij Iſraël *profecti de Socoth caſtrametati ſunt in Etham in extremis finibus ſolitudinis*. Et deinde euntes ad Mare rubrum tranſierunt illud; & in exitu *ambulantes tribus diebus per deſertum Etham, caſtrametati ſunt in Mara*, &c. vt dicitur Num. c. 33. v. 8. Nec enim eſt credibile, deſertum Etham fuiſſe tam magnum, vt includeret ipſum mare; & quamuis fuiſſet tam magnum, non officeret, vt poſteà dicetur: igitur ad illam partem littoris redierunt, à qua exierunt. Neceſſitas autem faciendi iſtum ſemicirculum fuit interpoſitio ſcopulorum ſolitudinis Etham, quæ intercludebat tranſitum per terram; cùm illi ſcopuli prominerent atque intrarent Mare rubrum, inquit Abulenſis. Vel, eſto, etiam ſcopuli mare non intrauerint, ſed littus totum, à parte quam intrauerunt vſque ad alteram per quam egreſſi fuerunt Iſraëlitæ, recta linea continuatum fuerit; debuerunt nihilominus velut ſemicirculo tranſire; quia via, per quam inceſſerant, in Ægyptiorum oppreſſione aquis iterùm clauſa fuerat: ideò alia aperiri debuit quodam velut ſemicirculo, & verſus plagam Occiduam; & linguam maris; quia hoc pacto intentum iter proſequebantur.

Quartò, ad idem ſic argumentatur Abulenſis: Si Hebræi tranſiuiſſent ad littus oppoſitum Maris rubri, neceſſe eſſet quòd bis tranſiſſent Mare rubrum: ſed nullus hoc concedit, nec eſt concedendum; quia tunc oportuiſſet fieri aliud miraculum ad tranſeundum turſus, quod Scriptura nullo modo tacuiſſet; & hoc, quia omnia loca Arabiæ, per quæ tranſit Mare rubrum; & per quæ tranſierunt Iudæi, tunc temporis habitata non erant: ideò non poſſent habere puppem in qua tranſirent illud, &c. Conſequentia probatur; quia Mare rubrum non tranſit per Terram promiſſionis, ſed eam terminat; vt patet in libro de Diuiſione Terræ ſanctæ, & teſtantur qui totam illam terram ambulauerunt: & patet ex Scriptura: nam Exod 23, 31. termini terræ Chanaan ſtatuuntur à Mari rubro vſque ad Mare Palæſtinorum; nec tranſit infra Terram promiſſionis contra Occidentem, ſed tranſit vltra terram illam ad Orientem. Probat Abulenſis ex Paulo Oroſio; cuius nos ſententiam adduximus ſuprà Cap. 111. de Mari rubro agentes.

Etiam multùm ſuperfluum videbatur, ſi Hebræi poſſent vnico tranſitu paruo Maris rubri venire in Terram Chanaan, quòd bis tranſirent idem mare, & maiori tranſitu, ſcilicet à littore in littus oppoſitum, quæ eſt magna latitudo aquarum: nec poteſt aliquid huic rationi reſponderi, inquit; credit-

...ventricle, and the other to the left auricle. The ...ventricle is the thickest of the four cavities, and ...its walls are about three times as thick as those ...of the right ventricle. The right ventricle is ...somewhat triangular in shape, and its walls are ...about one-third as thick as those of the left ...ventricle. The left ventricle is the largest of the ...four cavities, and its walls are about three times ...as thick as those of the right ventricle. The ...left ventricle is the most powerful of the four ...cavities, and its walls are about three times as ...thick as those of the right ventricle.

Fig. 1. — Diagram of the heart and its blood vessels.

Ex hac figura benè percepta, subdit, *facile etiam erit omnia Abulensis argumenta diluere*.

Ad aliud argumentum, tertium scilicet in ordine dispositum; dicit, *quòd, ex quo placuit Domino vt Israëlitæ venirent in Phihahiroth, volebatq; eos inde venire ad montem Sinai, qui est in Arabia, vt testatur Apostolus ad Galat. cap. 4. v. 25. multò melius fuit eos de littore Aegyptiaco transire in Arabicum ei ex aduerso oppositum, per quod compendiosior erat via ad Sinai; quàm, semicirculo in mari facto, redire ad littus Aegyptiacum, vnde coacti essent longo admodum itinere iterùm circuire ipsum Mare rubrum, antequam potuissent ad memoratum littus Arabicum peruenire. Itaque ingressus Israëlitarum in Mare rubrum, non fuit tantùm vt Aegyptij in eo perirent, sed etiam, vt inde breuiori itinere Hebræi ad Arabiam pertransirent.* Et hæc est Torniselli responsio; quam totam eiusmet verbis ponere placuit, vt ex dicendis, quid veritatis contineat, magis appareat, &, an quod intendit, assequatur.

Torniellus initiatur.

Non assequitur adducta responsione ac ratiocinatione quod intendit Torniellus, cùm dicit, in argumento supponi, Phihahiroth fuisse in deserto Etham, hoc ego non dicerem, sed negarem magis: est enim citra ipsum in regione Ægypti, vt iam superiùs dictum fuit Cap. III. huius Peregrinationis: nec precisè fundatur ratio in eo quòd transuadato mari ingressi sint Etham Israëlitæ, sed præcipuè quòd in eo ambulauerint tribus diebus antequam venirent in Mara. Etham enim (secluso fluuio sic nominato Psalm. 73. v. 15. *Tu siccasti flumina Etham*) duplex est locus, tertiæ mansionis alter, alter verò desertum. Etham, locus tertiæ mansionis, initium est Ethaim deserti, vel sanè ad ipsum via, quod se extendit ad littus Maris rubri Arabicum Septemtrionale, procedendo ad Orientem, vt ipsemet Torniellus dicit. De prion Etham agit Adrichomius in Pharan num. 42. de posteriori ibidem numero 41.

Etham tertia mansio & desertum.

Egressus Israëlitarum de mari, & profectio ad Etham desertum & Mara.

Dico igitur (quod mihi in hoc probabilius videtur) Hebræos de Mari rubro egressos, ad littus Ægyptiacum Meridionale reuersos fuisse; peruadato per circuitum seu semicirculum mari, & inde processisse versus Occidentem vsque ad Etham, in lingua Maris rubri; vbi tertiò iam fixerant tabernacula: & ex Etham mansione processerunt Orientem versus per Etham desertum Arabicum tribus diebus, quoad venerunt in Mara. Ad sic autem ratiocinandum eo præsertim moueor agumento, quòd Num. 33, 8. dicatur: *Profectiq;* Israëlitæ *de Phihahiroth, transierunt per medium mare in solitudinem: & ambulantes tribus diebus per desertum Etham, castrametati sunt in Mara.* & Exod. 15, 22. *Tulit autem Moyses Israël de Mari rubro, & egressi sunt in desertum Sur: ambulauerunt q; tribus diebus per solitudinem, & non inueniebant aquam. Et venerunt in Mara, nec poterant bibere aquas de Mara, eò quòd essent amarę*, &c.

Vt verò argumenti vis percipiatur, tria sunt inquirenda: primum, quid sit Sur, & Etham desertum, & vbi sint: secundum, vbi sit Mara: tertium, quantum tempus insumpserint Israëlitæ in veniendo ex mari in Mara: ex horum enim explicatione, nisi fallor, intentum apparebit.

Et vt à primo ordiamur, Torniellus credit, esse idem desertum Sur & Etham vltra Mare rubrum, in plaga eius Aquilonari, procedendo ad Orientalem, vt in figura ab eo posita citato loco videre est.

Sur & Etham quid. Torniselli sententia.

Abulensis iam citatus, contra Nicolaum de Lyra arbitratur, Etham & Sur esse idem desertũ; sed non ponit trans mare, sed citra; sic enim scribit: *Item quando magis confirmat, dicens, quòd infrà sequenti capitulo dicitur, quòd immediatè, vt exierunt de Mari rubro, ingressi sunt in desertum Sur, & non in desertum Etham: si autem intrassent in desertum Etham, rediissent ad Aegyptum. Ego miror valdè de Nicolao, cùm velit, quòd desertum Sur & Etham non sint idem: nam littera cogit eum confiteri, etiamsi nolit; nam infrà 15. capitulo dicitur: Tulit Moyses filios Israël de Mari rubro, & ingressi sunt in desertum Sur. & sic immediatè, vt exierunt de Mari rubro, intrauerunt desertum Sur. sed Numer. 33. capitulo dicitur, quòd filij Israël profecti de Mari rubro ambulauerunt per solitudinem Etham: ergo est idem desertum necessariò; quia aliàs non potest existere, cùm vtrobique dicatur, quòd egressi de Mari rubro intrauerunt solitudinem Etham. Item, & clariùs, quia dicitur infrà 15. capitulo, immediatè vt exierunt de Mari rubro, ambulauerunt per desertum Sur tribus diebus; & Numer. 33. cap. dicitur, quòd ambulauerunt per desertum Etham, mox vt exierunt de Mari rubro, tribus diebus: ergo erat eadem solitudo. Item quia dicitur infrà 15. cap. quòd postquam ambulauerunt tribus diebus per desertum Sur, venerunt in Mara: & Numer. 33. capit. dicitur, quòd post desertum Etham tribus diebus ambulantes per illud, venerunt in Mara: nullus ergo potest subterfugere, quin solitudo Etham & desertum Sur sint idem; quod negat Nicolaus*, &c. Idem etiam Abulensis dicit Exodi cap. 15. quæst. 6. Lyranus, vt patet ex

Abulensis.

Lyranus.

nunc

nunc dictis ex Abulensi, duo facit distincta loca, Sur & Etham: Sur trans Mare rubrum, Etham citra collocat.

Adrichomij. Adrichomius similiter duo distincta deserta describit in sua Pharan delineatione & explicatione; Etham citra mare, vt Lyranus; sic enim scribit num. 41. *Etham desertum magnum & arenosum, quod transiit populus Israëliticus ante ingressum Maris, Exodi* 15, 22. At Sur facit potiùs citra mare Ægypti desertum; sic enim memorato loco num. 95. ait: *Sur desertum extenditur vsque ad Mare rubrum, & ad Aegypti confinia: eius multa in Scripturis mentio est. Genes.* 16. 20. *& alibi. Hieronymus in Loc. Hebr.*

Reiicitur. Sed si vera essent quæ ab Adrichomio asseruntur, quomodo (existimans ipse Israëlitas transisse mare ab vno ad alterum oppositum littus) interpretabitur memoratam ex lib. Numer. auctoritatem, filios Israël ambulasse tribus diebus per desertum Etham, si Etham citra mare est? &, secundùm ipsum, vt in eius tabulis videre est, filij Israël post transitum maris non ambulauerunt per desertum Sur; quia nec viam describit ex transitus loco ad monté Sinai, quò properabant; at Scriptura transisse docet.

Alia sententia. Si quod sentio in hac difficultate hîc scribere licet (supposito, *Sur* idem esse quod *Sues* Arabicè, & idem significari) dicerem, Sur & Etham esse distincta deserta, & in diuersis locis. Sur citra mare, desertum Ægyptiacum, sic dictum à *Sur*, siue *Sues*, ciuitate Ægypti citra mare in eius lingua fundata; nisi malis dicere hanc à deserto mutuasse nomen: sed sit hoc vel illud, non impedit intentum. Sed Etham desertum arbitror cum Torniello esse trans mare, vt explicatum fuit: distincta verò credo, quoniam ea distinctis nominibus nominat Scriptura, nec ratio videtur esse, vt dicamus esse nomina synonyma.

Sur & Etham distincta loca. Sur citra, Etham vltra mare.

Responsio ad Abulens. Quæ autem dicit Abulensis, nobis officiunt; nam successiuè ter vtrumque desertum ambulauerunt Israëlitæ; primò per Sur citra mare, deinde per Etham vltra mare; & hoc pacto conciliantur Scripturæ loca. Si verò vnicum dicere velis, dicas continuatione; quoniam mari omnino non disterminantur, sed copulantur illorum extremitates; sic quòd duas partes habeat, quibus includit partem Maris rubri: Meridionalis & Ægyptiaca appelletur Sur, Septemtrionalis Arabica nominetur Etham. Et, vt dixit Burgensis, desertum Etham fuit idem, & totum existens prope Mare rubrum, & fuit magnum desertum: cuius vna pars erat propinqua Ægypto, per quam scilicet Hebræi iunt ingressi mare; & altera pars erat remotior ab Ægypto, in quam deuenerunt Hebræi post egressum è Mari rubro: ex quo patet quod dicitur Exod. 15, 22. Hebræos mari egressos venisse in desertum Sur; & quod dicitur Numerorum 33, 8. Hebræos statim post Mare rubrum venisse in desertum Etham, esse vtrumque verum; nam Sur est pars quædam ipsius Etham, quod longiùs distat ab Ægypto. Hæc ille.

Verùm non assentior Burgensi in eo quòd vult, Sur esse trans mare, propter dicta & dicenda. Et, ni fallor, non multùm ab hoc discrepat Abulensis, vt videre est in verbis, quæ statim (post iam adducta ex eo) subiicit, dicens: *Satis ergo inductum patet ex superioribus, quòd Hebræi transierunt Mare rubrum non ad oppositum littus, vt vult Nicolaus & Iosephus, sed circulariter redeundo ad solitudinem Etham, apud quam stabant antequam intrarent Mare rubrum; & ibi introierunt in Arabiam per latus Meridianum eius, cùm anteà ambulassent per latus Septemtrionale Aegypti; qua duo latera coniuncta sunt: sicut quando duo homines sunt simul habentes vultus versos ad eandem partem, dextera vnius necessariò est ad sinistram alterius.* Hæc Abulensis. Et rationes eius contra nostram assertionem, vt constat ex dictis, & ampliùs ex dicendis patebit, illi non officiunt.

Quantum ad secundum de Mara, quò peruenerunt filij Israël post iter trium dierum, dico, esse illum locum in quo inuenti sunt fontes aquæ amaræ, quæ à Moyse dulcoratæ fuerunt, immisso in eas ligno sibi à Domino ostenso, vt legitur in Exodo cap. 15. v. 22. vsque ad 26. & nunc fontes illi ea ratione *fontes Moysis* appellantur, de quibus postea: & fontes isti, siue Mara, distant à Mari rubro decem vel duodecim circiter milliaribus Italicis, è regione loci, vbi alij credunt mare Israëlitas transisse, vt apud nonnullos legi, & intellexi à Monachis montis Sinai in his partibus versatissimis. Et videre est in tabula Geographica Adrichomij, & longè à *Tor*, quò ire Israëlitæ debebant, ne retrocederent, profecturi ad montem Sinai; quoniam non est Mara in via ex loco transitus, vel *Tor*, vt perperàm quidam credidere, sed citra. *Mara quid, & vbi.*

Quantum ad tertium, de tempore quod insumpserunt Israëlitæ egressi è mari veniendo ad Mara, non est mihi vsquequaque perspicuum: illud certum est ex sacro Eloquio, ambulasse tribus diebus per desertum Etham, Num. 33, 8. sed an in illis tribus contineatur etiam id tempus quo ambularunt per desertum Sur egressi de mari, vt dicitur Exod. 15, 22. non est ita clarum. Si Sur & Etham essent omnino idem, & distinctis nominibus eadem vel distincta loca semper intelligeret Scriptura, soluta esset *Tempus itineris ab egressu maris vsque ad Mara.*

eſſet quæſtio. Sed quidquid ſit de hoc, parum refert propoſito noſtro: ſufficit nobis ſcire, non veniſſe Iſraëlitas de mari egreſſos ad Mara, niſi poſt tres dies.

His ſic ſtantibus, apparet manifeſtè, in quo vis argumenti conſiſtat; & reſolutè ſic intentum explico: Iſraëlitæ per littus Ægyptiacum mare ingreſſi, ad idem facto ſemicirculo redierunt; indeq; venerunt per deſertum Sur ad linguam Maris rubri: ingreſſi Etham deſertum, relinquentes ad dexteram mare, direxerunt greſſus ad Orientem; & poſt tres dies egreſſionis de mari peruenerũt in Mara. Et ſi tale iter non fecerunt, quid egerunt, & quò vagati ſunt tribus illis diebus? Etenim, ſi è regione illorum fontium tranſierunt ab Ægyptiaco littore ad Arabicum, ex iſto ad fontes & Mara non tribus diebus, ſed tribus horis ferè veniſſent; quoniam, vt præmiſſum eſt, diſtant illi fontes decem vel duodecim milliaribus plani itineris; vnde, propter illorum ad mare vicinitatem, terra inter ipſos & mare ſalita & infecunda eſt, & non niſi miraculosè illorum fontium aqua dulcis ac potabilis reddita eſt.

Reſponſionis confutatio. Si dicatur, prope *Tor* tranſiſſe Iſraëlitas, tunc non debuerunt venire ad Mara; eſt enim retrò: & cùm intenderẽt ire ad montem Sinai, non ad Occidentem, ſed ad Orientem greſſus dirigere tenebantur; nec inſipienter oppoſitum feciſſe ſuſpicandum eſt, Scriptura vel ratione non ſuffragante, ſed refragante magis. Deinde, ex *Tor* tribus diebus veniſſent ad deſertum Sinai & montem ipſum. Præterea, ſi abſq; ratione quis contendat retroceſſiſſe ad Mara, obſtat hoc, quòd priùs inueniſſent aquas ſcilicet Elim, vbi ſunt duodecim fontes; & ſunt inter Tor & Mara, & à mari æquè diſtant ac Mara; & tamen non niſi poſt aduentũ in Maram venerunt in Elim, vt manifeſtùm eſt Exod. 15, 27. & Num. 33, 9. Et hæc luce clariùs in Geographica delineatione Adrichomij apparent: non ergo illud iter fecerunt, ſed illud quod diximus, vt tempus trium dierum itineri inueniamus. Dicendum itaque, filios Iſraël ex Mari rubro ad littus Ægyptiacum egreſſos, ambulaſſe per ſolitudinem Sur Ægypti, quę eſt in plaga Aquilonari Maris rubri, quod dicitur proximo citato loco Exodi: & inde conuerſos ad linguam maris, ingreſſos ſolitudinem Etham Arabiæ in plaga Meridionali Maris rubri, procedendo ad Orientem ad Mara, quod inuenitur in itinere ad montem Sinai: & in toto iſto itinere tempus trium dierum inſumere potuerunt. Hæc mihi clara videntur; & qui in partibus illis fuerunt, obſeruatis, quæ hîc ſcripti, non credo repugnaturos. Locum & intentũ explicatum ampliùs habes in hîc ſubiecta figura.

IMAGO TRANSITVS FILIORVM ISRAEL PER MARE RVBRVM.

Oppoſita à Torniello reiiciuntur.

Ex præmiſſis pater, nobis non officere reſponſionem Tornielli ad primum argumentum. Nec faceſſit negotium ſecunda reſponſio ad idem argumentum: nam ſiue deſertum Etham pertingat vſque ad Phihahiroth, ſiue non, nihil refert; quoniam non in eo fundatur noſtra ratio, vt explicatum fuit. Nec figura ab ipſo poſita facit nobis difficultatem; quoniam ex dictis conſtat, non rectè delineari viam, quam fecerunt filij Iſraël egreſſi de Ægypto vſque ad Mara: & per conſequens alia Abulenſis argumenta non ſoluuntur. Credo tamen quartum reiici ex dictis; quoniam non eſt neceſſariò Mare rubrum traiiciendum dum itur ex Ægypto per Arabiam ad montem Sinai, vel Terram promiſſionis, vt iam demonſtratum fuit: & in præſentia ex Cairo per Ægypti deſertum itur ad Sinai montem non tranſeundo mare, ſed ad linguam eius; per terram eundo in Arabiæ deſertum, ſecus ipſum itur.

Quarta ratio pro ſecunda ſententia reiicitur.

Reſponſio Torniellì ad tertiam rationem.

Non etiam aſſentior iis quæ dicit Torniellus pro ſolutione tertij argumenti: ſingularem enim & potiſſimam arbitror eſſe rationem (nam in hoc collocat vim ſuæ ſolutionis) Deum voluiſſe filios Iſraël tranſire per Mare rubrum, vt citiùs venirent ad Terram promiſſionis; nam nec talem rationem, ſed benè alias indicat Scriptura. Nec credendum, Deum tantùm in eo fuiſſe ſollicitum, qui optimè nouerat Iſraëliticum populum vagaturum per deſertum annis quadraginta: & ſi de hoc fuit ſollicitus, quare non permiſit eum ire per terram Philiſthiim breuiorem? Si dicatur quod legitur Exod. 13. v. 17. & 18. *Reputans, ne fortè paniteret eum, ſi vidiſſet aduerſum ſe bella conſurgere, & reuerteretur in Aegyptum. Sed circumduxit per viam deſerti, quæ eſt iuxta Mare rubrum.* hoc veriſſimum eſt. Sed ſi fuit ſollicitus Deus hac via citò ducere populum ad Terram promiſſionis; quare, quando venit in Etham ad linguam Maris rubri, vbi tertiam fecit manſionem, non permiſit eum iter continuare per deſertum Etham, ſed voluit recedere & ire per præruptos montes ad Mare rubrum, vt ipſemet etiam Torniellus aduertit, & per conſequens iter elongare? Si dicatur, hoc pacto ſumpturum vindictam de Ægyptiis, & liberaturum populum ſuum: dico & hoc potuiſſe præſtare, ſi iter primò cœptum continuaſſet; vel, igne cælitus dimiſſo, vt poſteà Eliæ illuſores deuorauit, 4. Reg. cap. 1. ita & Ægyptios conſumere perſecutores populi Dei: vel, quemadmodum arbitratur Ioſephus, quem ſequitur Torniellus indicato loco num. 25. non tam vndis quàm validiſſimis ventis, imbribus & fulgoribus interfectos fuiſſe Ægyptios, ita & iiſdem potuiſſe in deſerto interficere, vel aliter: non enim deerant Deo modi ſe vindicandi de inimicis ſuis, & citò admittendi populum ſuum ad promiſſam Terram. Quare non eſt illius ratio admittenda, Iſraëliticum populum tranſuadaſſe Mare rubrum, vt citiùs peruenirent in Terram Chanaan, cùm ex dictis oppoſitum concludatur; & per conſequens argumentum non ſoluit. Aliæ rationes illius tranſitus facilè poſſent excogitari, ſed non eſt neceſſe hìc illas ſubiicere.

Obiectionis ſolutio.

Reſponſio ad ſecundam ſecundæ ſententiæ rationem.

Ad primum argumentum eiuſdem ſecundæ ſententiæ reſpondetur negando Minorem: nam vel falſa eſt, ſecundùm Ioſephum & Philonem, qui in littus aduerſum illi, à quo diſceſſerunt, affirmant proiecta enectorum Ægyptiorum corpora: ſic enim ſcribunt locis ſuperiùs citatis; ille in hunc modũ: *Iam in aduerſum littus euaſerant Hebræi, hoſtibus à tergo relictis*, &c. iſte verò ſic: *Tempeſtas procelloſa in littus aduerſum eiecit enectorum Aegyptiorum cumulos; quo magis ſeruati Hebræi ſuam à Domino ſalutem agnoſcerent, non ſolùm euadendo pericula, verùm etiam ſpectando hoſtes deletos ope diuina ſine humanis viribus.* Et ponderanda ſunt illa verba, Ægyptiorũ corpora in littus aduerſum, in quod iam venerant Hebræi, proiecta fuiſſe. Vel ſi non eſt apertè falſa illa Minor, ſaltem dubia erit; quia, inquit Lyranus, non conſtat eni littori coniunctiores eſſent, ad quod, ſecundùm naturam maris, proiicerentur: & addit ex intentione Ioſephi, quòd licet non deberent Ægyptij mortui appropinquare eidem littori oppoſito, in quo erant Hebræi; Deus tamen eos illuc appulit ad conſolationem Hebræorum, vt viderent Ægyptios mortuos, & eos ampliùs non timerent. Etiam vt haberent arma & ſpolia Ægyptiorum: arma namque ſingulariter eis neceſſaria erant, cùm eſſent aduerſus hoſtes conflicturi: nam immediatè vt intrauerunt deſertum, pertranſeuntes paucas manſiones, & venientes in Raphidim, pugnauit contra eos Amalec, vt patet Exod. 17, 8. & poſteà aliæ Gentes, vt patet Num. 43. v. 43. & 45. ſcilicet Amalecites, & Chananæus, &c. bellum mouerunt.

Reiicit hanc reſponſionem Abulenſis, dicens, parere ſatis, quòd Ægyptij propinquiores eſſent littori, per quod intrauerant; quia latitudo Maris rubri, quæ eſt in illa parte per quam tranſire debebant Hebræi, ſi ad littus oppoſitum tranſiiſſent, erat magna ſatis, vt teſtantur qui locum illum inſpexerunt.

Hoc mihi quidem veriſimilius videtur; tum quia efficaciter ſatis videtur oſtenſum,

Iu-

by Google

Iudæos non transisse in littus oppositum; tum quia non nisi post ingressum filiorum Israël, qui fuit post mediam noctem, ingressi fuere Ægyptij; quare ad littus peruenientes Iudæi, non longè ab illo, à quo discesserunt Ægyptij, esse debuerunt: tum quia si aquæ proiecerunt Ægyptios ex ea parte, qua à Moyse percussæ fuerunt, debuerunt proijcere in littus, à quo discesserunt: tum denique, quia si miracula non sunt facienda vel multiplicanda sine necessitate, vt omnis Schola Theologorum docet, nec maiora sunt facienda, vbi minora sufficiunt. At minus miraculum fuit per semicirculum ducere Hebræos ad littus idem vnde discesserant, & ad idem proijcere Ægyptios mortuos, quàm si hos & illos duxisset ad littus oppositum; quoniam via illa breuior: igitur hoc factum fuit. Fuit tamen simpliciter maximum & illustrissimum miraculum diuinæ misericordiæ, & iustitiæ perpetuum monumentum; & in eo singulariter enituit miraculum (quod etiam Caietanus aduertit) cadauera Ægyptiorum sequenti die visa fuisse in littore maris: quod naturaliter fieri non potuit; quia homo suffocatus in aquis naturaliter non natat vsque ad tot dies: & ad hoc alia secuta fuere, quæ dicit Iosephus ordinasse Deum in gratiam Iudæorum, absque alio miraculo. Quamquam posset dici cum Abulensi Exod. 14. quæst. 8. in fine, ex natura fluctuum Ægyptios eiectos fuisse ad littora vbi erant Hebræi.

Miraculum circa submersos Ægyptiorum corpora in quo consistit.

Caietanus reijcitur.

Nec ratio Caietani, qua probat in aduersum littus proiecta fuisse Ægyptiorum corpora, cogit: sic enim dicit in cap. 14. Exodi: Si enim Iudæi ad eamdem ripam redeundo præcessissent Ægyptios, non dicerentur Ægyptij fugientes Israëlem, sed potiùs sequentes. Imò ex hoc potiùs oppositum illius quod intendit colligitur: si enim irruebant super Ægyptios aquæ, & ipsi fugiebant, credendum, ab illorum cursu & impetu aquarum proiectos fuisse ad littus ex quo mare ingressi fuerant: & verè prope hoc littus submersos fatetur, etsi deinde nescio qua ratione confingat miraculum, visos deinde fuisse Ægyptios in opposito littore, in quo arbitratur fuisse Iudæos. Etsi enim alterum admittatur rationibus superiùs in responsione Lyrani adductis, non tamen alterum de proiectione in aduersum littus; & tamen dicit: Nec obstat submersionem Ægyptiorum propinquiorem fuisse littori vnde ingressi fuerunt mare; quia diuino operi attribuendum est, quod Hebræi viderunt Ægyptios mortuos in littore, in quo morabantur, &c.

Ad secundum argumentum, quòd in vna vigilia noctis non potuerunt Israëlitæ transire totam latitudinem Maris rubri, nihil dicit Lyra, vt aduertit Abulensis; nec, quid dici possit, video.

Responsio ad fundamenta primæ sententiæ.

Ad ea quæ pro priori sententia adducuntur, dico, non officere posteriori: etenim Scripturæ, quæ dicunt filios Israël transisse per medium mare, non mathematicè & physicè, sed moraliter sunt intelligendæ, sic per maris transitū liberatos fuisse Hebræos; an autem ab vno littore ad aliud oppositum transierint, non dicunt; & nos credere dixisse non debemus. Et verba illa Sapient. 10, 18. *transiuit*, & *transuexit*, non obstant; transitum enim vtroque modo significare possunt: at ex aliis cogimur dicere, non significare transitum ab vno ad alterum extremum; sed à ripa, ex qua illud ingressi fuerunt, ad eamdem, etsi in alio eius loco.

Ad auctoritatem ex Scriptura.

Ad rationem iam abundè satis fuit responsum, & ad congruentiam, quæ pro illa adducebatur; nam non est verisimile, quòd Deus reduxerit per talem transitum Maris rubri Hebræos ad terram hostium suorum, de qua exierant. Respondet Abulensis, dicens, Nicolaum in hoc multùm decipi: nam desertum Etham, quod erat in eodem littore, per quod intrauerunt Hebræi, non pertinebat ad terram Ægypti, sed Arabiam. Nam Mare rubrum diuidit Arabiam ab Ægypto à parte Septemtrionali; ideò ille sinus Maris rubri vocatur sinus Arabicus, vt ait Paulus Orosius.

Ad rationem.

Alia responsio.

Aliter dicerem, verè littus illud pertinuisse ad desertum Ægypti: nec obstat, mare per illud transiens dici sinum Arabicum; tali enim nomine appellatur ab altero littore Arabico; & tantò magis, quòd plus per Arabiam quàm per Ægyptum transit. Nec ideò timendum erat Hebræis, quòd terram suorum hostium intrarent; tum quia non ad illam ducebat, vt in ea manerent, sed vt pertransirent; sicut & hac ratione per alia loca hostium ducti fuere, antequam intrarent Terram Chanaan, ab ipsorum etiam hostibus possessam: tum quia videntes tam insigne miraculum diuisionis maris pro illorum salute, credere poterant, alia factorum pro illorum defensione & conseruatione, quando Ægyptij contra eos insurrexissent, vt verè fecit. Sed admittamus, timorem aliquem fuisse eos apprehensurum; at non sine lætitia: quare arbitror, in hoc transitu aptari posse ea quæ alibi dicuntur de Hebræis, exisse de Ægypto cum pauore & lætitia. Quòd exierint cum pauore legitur Deut. cap. 16, 3. sed exisse in lætitia habetur Psal. 104, 43. Etenim ma-

Mare rubrum sinus Arabicus cur dictus.

Iſraëlita cum pauore mare ingreſſi, & cum lætitia egreſſi.

quo quidem tunc concuſſi ſunt pauore, quando ad Mare rubrum derepente eis ſuperuenit Pharao armatus: ſed ſuperuenit lætitia, quando in eorum gratiam fuit mirabiliter mare diuiſum, & ſiccis pedibus ipſum tranſibant; at non defuit timor, ſuſpicantibus, vel etiam aduertentibus, Pharaonem eos per eamdem inſequi viam. Sed quando, mari feliciter tranſuadato, viderunt Ægyptios fluctibus obrutos, & cadauera eorum ad littus proiecta, ſpolia & arma, quibus deinde pro ſe & contra hoſtes vterentur, vt legitur Sap. 10, 19. omni excuſſo timore, magna cum lætitia Dominum in illo deſerto laudauerunt, vt videre eſt Exodi 15, 1. Et ex dictis in hac quæſtione arbitror, poſſe reſponderi ad alia argumenta quæ fortè contra ſecundam ſententiam fieri poſſent: quare illa ſufficiant.

CAPVT VIII.

Pro maiori intelligentia hiſtoriæ & difficultatum, quas in præcedentibus explicauimus, inquiritur, quomodo & à quo facta fuerit Maris rubri diuiſio, quale illius fundum apparuerit: quomodo Iudæi ipſum ingreſſi fuere, & ex ipſo exierunt: & denique, quomodo in eo Ægyptij interfecti fuerunt.

Quæſtio prima.

VT ampliùs, quæ dicta fuere in præcedentibus de Mari rubro, & de admirabili liberatione filiorum Iſraël per ipſum, intelligantur, nonnullæ quæſtiunculæ hîc breuiter explicandæ ſunt. Prima, quomodo & à quo facta fuerit Maris rubri diuiſio pro liberatione filiorum Iſraël, naturaliterne an miraculosè? Naturaliter factam fuiſſe non defuerunt qui dixerint tam ex Hebræis quàm ex Catholicis; at verè ſupra naturæ ordinem extitiſſe videtur vbique Scriptura celebrare, dum tamquam inſigne & à ſæculis non auditum beneficium à Deo in gratiam Iſraëlitici populi memorat: & ſtatim ex parte oſtendemus. Hanc quæſtionem pro vtraque parte tractat Benedictus Pererius in Exod. cap. 14. diſp. 4. & ſupra naturæ ordinem fuiſſe quinque rationibus oſtendit.

Maris diuiſio miraculoſa fuit.

A Deo principaliter, ab Angelis miniſterialiter facta: Exod. 14, 21, 22.

Sed à quo facta fuit? Dico, principaliter à Deo, miniſterialiter ab Angelis, vt docet Abulenſis loco citato Exodi quæſt. 5. tamquam ſigno virgæ percuſſione, quod indicat facer Textus: *Cumq;*, inquit, *extendiſſet Moyſes manum ſuper mare, abſtulit illud Dominus flante vento vehementi & vrente tota nocte, & vertit in ſiccum: diuiſaq; eſt aqua. Et ingreſſi ſunt filij Iſraël per medium ſicci maris: erat enim aqua quaſi murus à dextra eorum & læua.* Hebraice, pro *abſtulit illud Dominus*, eſt, *& duxit Iehouah mare:* communiter verò Iehouah Deum ipſum ſignificat in Scriptura. Aduertit etiam hîc Abulenſis, quòd diuiſio maris à Deo facta ſit per Angelos exequentes; ventus autem ſolum fuit ad deſiccandum fundum maris; quod erat humidum & valdè limoſum, &c.

meritoriè per Moyſen.

Meritoriè verò precibus & deprecatione Moyſis facta fuit diuiſio maris & populi liberatio, vt de his agens Ioſephus cap. 7. l. 2. Antiq. hiſce verbis explicuit: *Vbi verò ad extremum littus maris ventum eſt, tunc Moyſes, ſumpta virga, Deum in auxilium ſupplex inuocat, dicens: Tu Domine ſcis, quòd nec viribus nec artibus humanis vllum nobis hinc patet effugium; ſupereſt, vt ipſe ſalutem huic populo expedias, qui relicta Ægypto huc eſt delatus, tuam voluntatem, tuam fidem ſecutus. Ad te ſolum, omni alia ſpe omniq; conſilio deſtituti, confugimus; ad tuam tantùm prouidentiam reſpicimus, quæ ſola nos iratis Ægyptiis eripere poteſt: ſuccurre nobis properè, & populum tuum iam deſperantem ſalutem, ad fiduciam & ſpem tui auxilij excita: in difficultatibus conſtituti ſumus, ſed noſtris, non tuis. Tuum eſt, Domine, hoc mare, tuus eſt hic mons qui nos claudit; & hic poteſt te iubente aperiri, & illud in terram verti: poſſumus & per aërem ſublimes effugere, ſi ita ſeruare nos tibi placeat. Hæc Moyſes precatus, mare virga percutit: quo ictu repentè ſciſſum, & retrorſum ſe recipiens, nudum ſolum Hebræis ad fugam capeſſendam reliquit.* Ita Ioſephus. Abulenſis vbi ſuprà quæſt. 8. exponens ea verba Domini ad Moyſen, *Extende manum tuam ſuper mare*, inquit: *Extenſio manus Moyſi ſuper mare nihil efficiebat, quia nullius virtutis erat ſecundùm ſe; ſed fiebat in ſignum, quòd Deus orationi Moyſi & voluntati eius conſentiret.* & quod dicit de coniunctione aquarum & earum reuerſione ſuper Ægyptios, idem ſenſiſſe credendum eſt ſimili ratione de illarum diuiſione. Ex eo autem quod dictum eſt, diuiſam fuiſſe aquam in duas partes, quæ ſtabant ad inſtar muri, læuam & dexteram, per quas tranſierunt Hebræi, & illam diuiſionem non fuiſſe factam vento illo vrenti, manifeſtè colligitur, factã fuiſſe ſupra naturæ vires. Etenim, ſi ventus fuiſſet cauſa illius diuiſionis, hoc duplici ratione fieri potuiſſet; vel per vim propulſiuam, qua ventus magno impetu aquas extruſerit ex loco ſuo. ſed hoc exiſtimare non conuenit, tum quia ventus propellit ſuperiores tantùm partes aquæ;

non

non potest autem facere talem expulsionem & diuisionem aquarum vsque ad profundum: tum etiam, quia ventus non sic diuisisset aquas vt diuisæ sunt, faciendo scilicet viam mediam nudatam aquis; sed proiecisset aquam maris extra alueum suum in alium locum, nec tenuisset aquas vtrimque in morem parietum consistentes. Vel ventus diuisit aquas, non per motum localem expellendo, sed naturali qualitate virtuteque vrendi, siccando & absumendo aquas. Sed enim non est facile creditu, potuisse vento tantam vim siccandi attribui, vt tanta breuitate temporis, quanta diuisio illa maris facta est, tantam aquarum molem siccaret, & absumeret. Deinde, vt demus id à Deo potuisse concedi vento; attamen statim vt ventus cessasset, aquæ refluxissent in suum pristinum & naturalem locum: oportuit autem tunc ventum cessasse, cùm Hebræi intrarent in mare; alioquì cùm ventus ille è regione ipsorum flaret, proculdubiò magno illis incommodo & molestiæ fuisset, simulque magno impedimento ad transeundum mare. Quare, stet quod diximus, & ex sacris Scriptoribus collegimus, diuisionem illam maris fuisse supra naturæ ordinem, à Deo principaliter, ab Angelis ministerialiter, à Moyse meritoriè, & à virga vt signo.

virgâ vt signo.

Sed facta admirabili illa diuisione, quale apparuit fundum Maris rubri? Et sit hæc secunda quæstio. Scriptura citata Exod. inquit, fundum versum fuisse in siccum; Sap. verò cap. vlt. vers. 7. de hoc ipso legimus: *Nam nubes castra eorum obumbrabat, & ex aqua, quæ antè erat, terra arida apparuit, & in Mari rubro via sine impedimento, & campus germinans de profundo nimio.* & vers. 18. *Agrestia enim in aquatica conuertebantur.* Ex hac sententia nonnulli Rabbinorum opinati sunt, fundum & viam maris mirabiliter factam fuisse floridam & virentem, ad instar campi germinantis; item terrestria, quæ secum per eam ducebant Israëlitæ, animalia transmutata fuisse in aquatica. Verùm hæc fabulæ sunt; vnde benè explicat Iansenius in illum locum Sapientiæ, quod dictum est de campo germinante, herbamque virentem proferente, debere accipi tamquam hyperbolicè prolatum, ad insinuandum, quòd Hebræi tanta cum facilitate ac suauitate per viam illam incedebant, quanta per campum herbis floribusque refertum progredi potuissent. Et eodem ferè modo dici potest de illis aliis Sapientiæ verbis: *Agrestia in aquatica conuertebantur.* id est (vt ibidem exponit Dionysius Carthusianus) animalia, quorum natura est super terram deambulare, modum quodammodò & proprietatem piscium assumpserunt, eundo per fundum Rubri maris, in quo pisces natare solent.

Quæstio secunda.

Diuisio maris, commodum parauit transitum Hebræis.

Fabula Hebræorum.

Quantum ad illud de floribus vel plantis, non improbabiliter quidam naturaliter, & vt verba sonant, intelligendum arbitrantur, Plinij & Strabonis auctoritate moti. Plinius enim lib. 13. cap. 25. inquit, *in Mari rubro siluas viuere, laurum maximè & oliuam ferentem baccas.* & iterùm lib. 19. *Quasi mare à terra fecunditatem absterserit, arbores in profundo mari nasci, lauro & oleæ persimiles, eò mirabilius, quòd altior terra arboribus careat.* ac denique lib. 2. cap. 103. scribit, in Mari rubro oleas florentesque frutices enasci. Strabo verò lib. 16. scribit, in tota Rubri maris ora arbores in profundo nasci lauro & oleæ persimiles, quæ in refluxibus eius maris in totum deteguntur, in affluxibus verò nonnumquam penitus obruuntur: quod eò mirabilius videri potest, quòd vlterior terra arboribus careat. Et ita sentit Pineda lib. 4. de Rebus Salomonis cap. 13. numero 5. & 6.

De floribus & plantis vna apparuisse dicuntur in fundo maris.

Dicam ego vnum quotidie experientia comprobatum: prope *Tor*, castrum in littore Arabico est fundatum, vbi nonnulli Israëlitas Mare rubrũ transisse opinantur; in fundo illius capiuntur flores, plantulæ, & alia naturæ mirabilia; quæ lapides vel naturam lapidis cùm induerint, tamen formam florum, plantarum & fructuum naturalium referunt: corallium (in isto namque sinu gigni docet Plinius lib. 32. cap. 2.) præcipuè album, ibi in magna copia inuenitur. An ad hæc respexit Sapiens, quando illa dixit?

Sed quomodo ingressi transierunt mare filij Israël? Quidam arbitrati fuere, quòd absque ordine, timore & pauore perterriti; præsertim quòd ordo in populo illo nonnisi post transitum Maris rubri stabiliri cœpit. At hoc vt falsum aliqualiter superiùs Cap. vi. huius Peregrinationis reiecimus, & ampliùs ex dicendis reijciemus. Igitur ordinatè ingressos fuisse alij affirmant; & hi sunt in duplici differentia. Hebræi plures, referente Lyrano super Exod. cap. 14. & in Cant. cap. 6, 11. super illa verba, *Anima mea conturbauit me propter quadrigas Aminadab*; inquiunt, traditionem esse, quòd aperto mirabiliter mari per Moysen, cùm filij Israël non auderent illud ingredi, Aminadab, Dux tribus Iudæ, magno animo cum suis omnium primus intrauit, aliisque insequendi exemplum præbuit; ac propterea tribus illa principatum super reliquas promeruit. Idem ferè scribit S. Hie-

Quæstio tertia.

Ordinatè ingressi sunt per mare Israëlitæ.

ronymus; sed eam traditionem fabulam vocat: in ea enim verba Oseæ cap. 11, 12. *Iudas autem testis descendit cum Deo, & cum Sanctis fidelis*, sic scribit: *Tradunt Hebræi huiusmodi fabulam: In exitu Israël ex Aegypto, quando ex alia parte mons, ex alia Rubrum mare, & ex alia Pharaonis cingebat exercitus, & inclusus populus tenebatur; ceteris tribubus desperantibus salutem, & aut reuerti in Aegyptum, aut bellare cupientibus, solus Iuda fideliter ingressus est mare: vnde & regnum meruit accipere; & hoc esse quod nunc dicitur: Iuda testis sermonum Dei, & adstipulator ac vindex, descendit cum Deo in mare, & inter Sanctos fuit fidelissimus, vt verbis iubentis crederet Dei. Hoc illi dicunt*, inquit S. Hieronymus.

Ceterùm, cùm doctissimus & in traditionibus Hebraicis versatissimus Hieronymus illa fabellam appellet, & nos vt talem habere debemus. Et Cantic. & Oseæ testimonia aliter à sapientionibus Doctoribus explicantur; præsertim quòd Iosephus Hebræus, & suatum traditionum non ignarus, oppositum testetur lib. 2. Antiq. cap. 7. dicens, Moysem primum fuisse ingressum, deinde illius hortatu ceteros ipsum fuisse secutos: *Videns porrò Moyses*, inquit, *adesse Deum, & mare de suo loco cessisse, primus progreditur, hortaturq; Hebræos, vt alacriter sequantur per viam diuinitus datam; & læti peracto periculo gratias agant, ob tam incredibilem salutis rationem tam subitò exortam. Illi verò impigrè subsequentibus, nimirum diuina ope fretis, Aegyptij primùm insanire eos putabant in manifestam perniciem ruentes*, &c. Probabile verò est, immediatè post Moysen secutam fuisse tribum Leuiticam, ex qua ipse processerat; ac ideò ipsam posteà in diuino cultu ceteris fuisse prælatam.

Moyse præcedente, & alijs sequentibus.

Quæstio quarta.

Ægyptij interfecti non aquis maris modò, sed etiam aliis pœnis.

Sed vt ad postremam difficultatem propositam deueniamus, quomodo fuerint Ægyptij interfecti, dicendum, quòd non vndis & fluctibus maris tantùm, sed aliis etiam pœnis. Cessante vento, vt inquit Abulensis, in tertia vigilia noctis, quæ est post mediam noctem, intrauerunt Hebræi in mare per diuisiones suas; & in fine huius tertiæ vigiliæ exierunt Mare rubrum: quod patet in quarta vigilia, in qua versæ sunt aquæ super Ægyptios, qui in fine tertiæ vigiliæ intrauerant: sed postquam (quod Iosephus scribit) viderunt Ægyptij Iudæos longè processisse, & impunè atque expeditè iter facere, impetu facto, insequi eos cœperunt, quasi & ipti tutum per mare iter habituri; & præmissis equitibus à littore in mare descenderunt. Iamque in aduersum littus euaserant Hebræi hostibus à tergo relictis; quos armis graues, ipsa etiam miraculi nouitas nonnihil est remorata: sed cùm incolumes illos terram tenere viderent, eumdem sibi quoque pollicebantur euentum. Verùm eos talis fefellit opinio, nescientes non quorumlibet talem esse viam, sed Hebræorum tantùm; & fugientibus eam solùm patere ad salutem, non hostibus qui eos perdendi animo insectabantur. Ergo cùm iam vniuersus exercitus introgressus esset mare, refunditur iterùm, & Ægyptios fluctibus inuoluit, ventis etiam eódem impellentibus: accesserunt & imbres de cælo, & aspera tonitrua, fulguribus simul intermicantibus; fulmina quoque deferebantur, & nihil omnino deerat eorum quæ ab irato Deo hominibus ad perniciem immitti solent. Etenim nox caliginosa nimis ac tenebrosa hostes comprehendit; atque ita totus ille deletus est exercitus, vt ne nuntius quidem cladis domum reuerteretur, &c. Quod verò dicit de fulgoribus, tonitruis, &c. quibus interfecti fuerunt Ægyptij, arbitror accepisse ex verbis illis Exod. cap. 14, 24. *Et ecce respiciens Dominus super castra Aegyptiorum per columnam ignis & nubis, interfecit exercitum eorum*, &c. Per columnam ignis & nubis, quia ex illa columna genita sunt fulgura & tonitrua, vt dicit Nicolaus & Historia Scholastica. In quantum dicitur columna ignis, intelliguntur tonitrua missa super Ægyptios; sic videlicet, quòd talia Angelus in nube illa operabatur. Et hæc crediderim venisse super eos antequam aquis circumdarentur; ideò dicebant: *Fugiamus Israëlem: Dominus enim pugnat pro eis contra nos.* Tuncque pro liberatione & inimicorum interitu læti, spoliis Ægyptiorum ditati, Deo gratias & laudes dederunt. Et de his satis: alia apud sacros Expositores videantur.

Exod. 14, 25.

Liberati Israëlitæ Deo gratias reddiderunt.

PERE-

Digitized by Google

PEREGRINATIO IV. *in qua septem memorabilia recensentur & enucleantur loca, quæ occurrunt euntibus ex ciuitate Sues vsque ad montem Sinai.* I. *Sues ciuitas.* II. *Mara, & fontes Moysi.* III. *Elim, vbi duodecim fontes, & septuaginta palmæ.* IV. *Desertum Sin.* V. *Raphidim.* VI. *Solitudo Sinai.* VII. *Denique sepulchra concupiscentiæ.*

CAPVT PRIMVM.

De ciuitate Sues, primo loco quartæ Peregrinationis.

Quid Sues. SVes lingua Arabica idem quod Hebraicè in Scriptura *Sur* appellatur; ciuitas est citra Mare rubrum, in eius lingua & deserto Ægypti, quod eodem nomine *Sur* appellari credimus, vt superiùs explicuimus, fundata. Circumiacens regio omnino sterilis, arida & inaquosa; & aliunde illuc aqua camelis asportatur: & quæ victui necessaria sunt, vel ex Cairo, vel ex mari, cuius est portus, recipit: latis munita ciuitas: quidam dicunt distare à Mara & fontibus Moysi duodecim milliaria circiter, & etiam ampliùs, à Coradolo sexaginta.

CAPVT II.

De Mara & fontibus Moysi, secundo loco occurrentibus in quarta Peregrinatione.

PRosequentes peregrini iter suum ad montem Sinai ex Sues, peracto itinere duodecim circiter milliarium, offendunt locum memoria & obseruatione dignum, qui Mara, siue Marath, appellatur, vbi sunt quinque fontes aquæ dulcis: tres sunt præcipui & in magis eminenti loco; alij duo minùs principales in humiliori ac remotiori loco: quare frequenter à peregrinis non obseruantur: & ego quidem non vidi, tamen verè esse, qui viderunt, quibusque credendum est, affirmarunt. Isti fontes Moysi nuncupantur, sicut & locus ipse: & vtriusque nomenclaturæ ratio ex statim dicendis apparebit. Locus verò & fontes, vt communis recepta traditio docet, sunt hi de quibus fit mentio Exod. 15, 27. & Numer. 33. nec non Iudith cap. 5, 15. & nos de eisdem in præsenti sermonem faciemus.

Notandum itaque quod dicitur loco citato Exodi à vers. 22. vsque 27. quòd liberatis Hebræis de manibus Ægyptiorum per mirabilem illum transitum Maris rubri, Deoque laudibus decantatis, *tulit Moyses Israël*, inquit sacer Textus, *de Mari rubro, & egressi sunt in desertum Sur: ambulauerunt que tribus diebus per solitudinem, & non inueniebant aquam. Et venerunt in Mara, nec poterant bibere aquas de Mara, eò quòd essent amaræ: vnde & congruum loco nomen imposuit, vocans illum Mara, id est amaritudinem. Et murmurauit populus contra Moysen, dicens: Quid bibemus? At ille clamauit ad Dominum. qui ostendit ei lignum: quod cùm misisset in aquas, in dulcedinem versæ sunt. ibi constituit ei præcepta, atque iudicia, & ibi tentauit eum, dicens: Si audieris vocem Domini Dei tui, & quod rectum est coram eo feceris, & obedieris mandatis eius, custodierisque omnia præcepta illius, cunctum languorem, quem posui in Aegypto, non inducam super te: ego enim Dominus sanator tuus.*

Aquæ Marè amaræ.

à Moyse immisso ligno dulcantur.

Pro nostro instituto nonnulla in hisce verbis obseruanda sunt; in primis illud, *Tulit Moyses Israël de Mari rubro. Tulit*, inquit Lyra; *quia cum quadam violentia & importunitate fecit eos inde recedere: erant enim cupidi; & ideò erant nimis intenti ad spolia Aegyptiorum submersorum colligenda: quia, secundùm quod dicunt Hebræi, ista spolia fuerunt maiora & pretiosiora quàm illa quæ exportauerant de Aegypto per accommodationem*, &c.

Magna Ægyptiorum spolia, quibus inhiabant Hebræi.

Deinde dum dicit, *Et egressi sunt in desertum Sur*; intelligo primo in Sur (si desertum Sur aliud est à deserto Etham) ac deinde in Etham, vt dicitur Num. 33, 8. Et in isto itinere tres dies insumpserant, post quos venerunt in Mara.

Triduo ex Mari ad Mara pernenerunt.

Non sic tamen accipiendum est, quòd nullo modo in toto illo itinere à Mari rubro vsque ad Mara non quieuerint; quia in isto spatio non leguntur factæ fuisse mansiones. Nam certum est, quòd intra hoc tempus bis saltem in die aliquantisper in illa solitudine constiterunt, vt debitis temporibus necessario cibo somnoque se reficerent; quæ tamen morulæ, quia sub dio & non in tabernaculis fiebant, mansionum nomine non designantur. Solùm enim illæ in Scriptura mansiones propriè appellantur, in quibus per aliquod tempus manebant Israëlitæ, & tabernacula figebant; vt, si benè recolo, alibi de mansionibus agens animaduerti. Et hoc aduertit & explicat Abulensis in Exod. cap. 15. quæst. 7.

Mansiones propriè in Scriptura quæ dicantur.

ed by Google

Aqua quomodo non inueniebant.

Illa verò verba, *& non inueniebant aquam*, explicat Lyranus, id est, *ad sufficientiam pro se & animalibus suis*, indicans ex alia parte fuisse modicam. Et Abulensis loco citato, etiam manifestiùs explicans eadem verba, dicit: *Non est intelligendum, quòd nullam aquam inueniissent; quia tunc sequeretur, quòd in tribus diebus & noctibus non biberint Israëlita, nec pecora eorum: sed hoc absurdum est; quia non posset aliquis homo diebus tribus & noctibus manere sine aqua, maximè itineranda, cùm motus itineris excitet ardorem, & causet humiditatum dissiccationem; ideò ambulantes in itinere frequentibus potibus indigent: sed est sensus, quòd aquæ raræ erant, & non sufficientes ad tollendam eorum sitim, & pecorum suorum, licet aliqualiter sufficissent ad vitam. Et patet iste modus loquendi frequenter in Scriptura, vbi modicum nihil esse dicitur; quia nihil & inutile equiparantur*, &c. Optimus discursus.

Verùm, ego arbitror, verba absolutè accipienda esse vt sonant; nam in illa solitudine vsque ad Mara fontes non inueniuntur: quare euntes ad montem Sinai, in vtribus deferunt aquam pro tribus & quatuor diebus; & camelos in itinere adhibent, qui plurimùm siti resistunt; aquam enim non bibunt quinque & sex dierum spatio. Nec officit nobis Abulensis argumentum; nam bibere potuerunt aquam, quam alibi haustam secum asportabant: non est enim dubitandum, Moysem, prouidum illius populi Ducem, & in illo itinere versatum, non admonuisse populum, vt de aliis, ita de asportanda aqua in illo itinere: qua deficiente, vt non semel in longis itineribus accidit, sitimque patientes, de Moyse murmurare cœperunt. Hæc dixi, vt vidi, coniecturaque assequi potui, experientia & aliorum in isto itinere peritorum relatione edoctus. An autem eo tempore fuerint aliqui fontes, nunc obstructi, me latet; & haud fuisse probabilius: vel dicatur, in parte itineris defeciisse, & in fine illius tridui amaras & haud potabiles reperisse.

Post tres dies venerunt in locum deserti Etham, qui appellatur Mara; vbi erant aquæ, sed non potabiles, quoniam amaræ erant. Aduertunt hîc Lyranus & Abulensis, locum illum appellatum Mara, quod amaritudinem significat, per anticipationem; nam posteà nomen fuit impositum à populo, secundùm Lyranum, vel à Moyse, secundùm Abulensem, ab aquarum conditione: quæ quoniam amaræ erant, locum, in quo erant, Mara appellauit, quod Latinè amaritudinem significat, vt dicitur in littera: & fontes Moysis, quia per Moysen aquæ illæ dulcatæ fuerunt.

Mara amaritudinem significat: locus quando sic dictus.

Fontium Mara conditio.

Notandum, nunc fontes illos præcipuos esse formæ circularis competentis magnitudinis, ab inuicem aliquantulùm distitos: non fluunt, sed aquæ intra eorum alueum consistunt: circumcirca herbæ sunt, cùm ipsis ob salsedinem alibi terra careat: nunc dulces sunt; crederem ego non naturaliter, sed antiquo miraculo: nam & circa aquæ dulces hauriri possent, quas ex terræ conditione, quæ salsa & arida est, non posse hauriri conuincitur. Ibi moratur comitatus, quando proficiscitur ad montem Sinai, & inde reuertitur; ibique hominibus & iumentis potus datur, & pro itinere aquæ ex illis haustæ ad bibendum asportantur. Cùm ante aduentum filiorum Israël amaræ essent, nec aliæ dulces & potabiles essent, illi præsiti ferè deficientes, de Moyse murmurare cœperunt: & hoc est primum quod ibi contigisse memorat Scriptura; & fuit secunda illorum murmuratio post exitum de Ægypto, nam prima fuit ad Mare rubrum. de qua Exod. 14, 11.

Secunda murmuratio de Moyse.

Prima fuit ad Mare rubrum.

Aduertit hîc Lyranus, vulgares homines fuisse qui murmurarunt, quoniam non considerant nisi præsentia; sapientes verò, qui considerabant Dei beneficia præterita, patienter portabant, sperantes de diuino auxilio.

Qui murmurauerunt.

Abulensis hîc quæst. 9. quærit, quomodo murmurauerunt, quia non videntur talia verba dixisse, quæ facerent murmurationem? Respondet, quòd murmuratio est vt communiter à minori ad maiorem, quia propriè maiores de minoribus non murmurant; & est, cùm contra aliquid dicitur quod dici non deberet: & sic dicitur murmuratio contra Deum, quandocumque aliquis dicit malum de Deo, quod Deus agit; cùm omnia, quæ Deus fecit, valdè benè facta sunt: ideò cùm Hebræi dicerent, quòd magis valuerat eis manere in Ægypto quàm venire ad solitudinem, murmurabant, quia Deus illos eduxerat; & sic bonum erat eos eductos fuisse magis quàm manere in Ægypto. Etiam quandocumque aliquis petit à Deo aliquid dari sibi tamquam debitum, Deum tentat, cùm Deus nulli teneatur, sed omnes Deo teneantur obnoxij; ideò contra ea quæ non debet, dicit. Vt si quisquam diceret, Domine, quare non das nobis cibos aut aquas? Deus namque nobis nec cibos nec aquas dare tenetur. Si autem exorando petamus, tentare non dicimur: sic etiam quando aliquis aduersum hominem aliqua dicit quæ dicere non deberet, contra eum murmurat. Nunc ergo planum est, quòd Moyses & Aaron non tenebantur dare

Qua murmuratio fuerit.

populo

populo cibos aut potus: cùm ergo conquereretur populus de Moyſe, quia cibos eis non dabat aut aquam, murmurabant aduerſum Moyſen: ſi autem populus conquereretur de Moyſe, quia in aliquibus caſibus non iuſtè iudicaret, non dicitur murmurare; quia non dicerent contra id quod debebant: nam Moyſes tenebatur iuſtè iudicare. *Quid bibemus?* in iſto verbo patet murmuratio, quia per hoc petebant ipſi ab eo, vt daret eis aquam; & irato animo dicebant, quòd Moyſes malè ageret in non dando aquam: ipſe tamen non tenebatur dare aliquod tale, quia nec poterat; & ſic declarat Moyſes ſequent. cap. quòd ipſe non erat tantæ potentiæ, vt peteretur ab eo aliquid, quo non dato murmurare debe-
Exod.16,7 rent, cùm dicitur: *Audiuit enim murmur veſtrum contra Dominum: nos verò quid ſumus, quia muſſitaſtis contra nos?* Hæc Abulenſis.

Moyſes erat pro populo.

Secundum, quod ibidem contigit, fuit Moyſis ad Deum deprecatio: hic enim, vt optimus Dux, propter illorum murmurationem non eos deſeruit; ſed, vt illorum neceſſitati ſubueniret, Deum pro illis deprecatus fuit.

Exauditur.

Tertium verò ibidem operatum, fuit Moyſi orationis exauditio, oſtenſione ligni, quod in aquas miſſum eas dulcauit, vt in præmiſſis verbis apparet; & non fuerunt dulcatæ admirabili virga ſua, qua anteà & pòſt fuit illuſtria portenta operatus, vt falsò quidam non aduertentes cogitarunt, & ſcriptis conſignarunt.

Non Moyſis virga, ſed alio ligno aqua dulces reddita.

Circa lignum hoc, quo aquæ in dulcedinem verſæ fuerunt, inquirunt Doctores, quodnam eſſet, cuius naturæ & proprietatis, an naturali ſua virtute, an ſupernaturali & miraculosè aquas dulcauerit? Reſpondetur, ex Scriptura nihil horum elici poſſe, quare & variarunt inter ſe Doctores;

De natura & virtute illius ligni.

alij arbitrantes, lignum illud amariſſimum & mortiferum fuiſſe, nec natura ſua aptum ad dulcandas aquas, ſed magis ad reddendum eas ſua amaritudine amariores; at Deum ſupernaturali beneficio ad ligni illius

Miraculosè aquas indulcatas quidam affirmant.

in eas iniectionem dulces reddidiſſe. Ita Hebræi; & ex Catholicis Auctor Hiſtoriæ Scholaſticę, Abulenſis loco proximè citato, vt plures alios omittam; nam videtur communis opinio: ſic verò Abulenſis in ea verba Exod 15,25. *Qui oſtendit ei lignum*, ait:

Ratio.

Quod autem lignum fuerit iſtud, non declaratur in littera. Rabbi Salomon dicit, quod iſtud fuerit Adelpha vulgariter nominata, quæ de natura ſua amaritudinem habet, & mortifera eſt: & hoc fuit ad magnificandum miraculum, ſcilicet cùm vtrumque amarum eſſet, & per miſſionem ligni in aquam, debuiſſent aqua amara reddi; tamen non fuerunt dulcia in amaritudinem, ſed fuerunt potiùs dulcorata. Et ſatis rationabile eſt: nam eodem modo fecit Eliſeus, vt patet 4. Reg. 2,20. quando, ad ſanandum ſterilitatem fontis & terræ, miſit intra ſal, &c.

Confirmatur: nam ſi talem naturalem virtutem habere potuit lignum illud, non tamen ea vti potuit in magno flumine, aut ingenti lacu: habet enim modum quemdam omnis facultas naturalis, eumque ſecundùm magnitudinem eius quod facit, & accipientis: non enim ſi magnes trahere poteſt ferrum, continuò trahere poſſit montem ferreum; neque ferri exiguum quantuluſcumque lapis, ſed tantus tantum. Omnes autem naturæ fines videtur excedere, tantam aquæ molem à ligno non maiori, quàm vt à Moyſe poſſet apprehendi, & in aquas mitti, tantam recipere permutationem. Et Abulenſis in fine indicatæ quæſtionis in ea verba, *In dulcedinem* Exod.15,
verſa ſunt, inquit: *Miraculosè agente Deo,* 25.
quia dato quòd illud lignum miſſum in aquas dulce fuiſſet, non habuiſſet tantam virtutem, vt tam magnam aquarum multitudinem in dulcedinem de amaritudine conuertiſſet; maximè quia hoc repentè factum eſt, ſcilicet immediatè vt lignum fuit miſſum; ſed naturali actione conueniens non eſt repentè fieri.

Alij naturaliter.

Alij econtrà factum illud, ſcilicet conuerſionem amaritudinis in dulcedinem, adſcribunt naturali virtuti ipſius ligni. ſic Lyranus in eadem verba: *Dicunt aliqui,* *Ratio.*
ait, *quòd iſtud lignum de natura ſua erat amarum, & ſic fuit ibi maius miraculum, in quantum per eius immiſſionem dulcorata ſunt aqua, & facta potabiles: contrarium autem videtur mihi, per illud Eccleſiaſtici 38. v.5. Nonne à ligno indulcata eſt aqua amara, &c. Nam ibi loquitur Scriptura de naturalibus proprietatibus terræ naſcentium ad vtilitatem hominum.* Sic ille. Valeſius de ſacra Philoſ. c. 15.

Vt verò argumenti vis percipiatur, aduertendum eſt, ibi Eccleſiaſticum loqui de virtutibus operum medicinalium, & de dignitate artis medicæ; & probat ex eo, quòd ligno in amaram aquam immiſſo indulcata fuit: at nullam vim haberet argumentum, ſi aquæ ſanitas miraculosè effecta fuiſſet: medicamentorum enim virtus artis medicæ naturalis eſt. Quare ſi virtus illa ponatur ſupernaturalis, Eccleſiaſtici argumentum huic ſimile extitit, vt quidam obſeruant: Magna vis medicinæ eſt, quia infuſio aquæ benedictæ, & admotio Crucis & Reliquiarum Sanctorum ad omnes morbos prodeſt. An non hæc eſt inſulſa argumentatio? Etenim diſparatæ ſunt virtutes natura-

turalis & ſupernaturalis; & ſunt inter ſe independentes. Præterea, ſi ex ſupernaturali virtute intendiſſet perſuadere vſum artis medicæ, & eam laudare, diſſuaſiſſet potiùs, & nihil in eius commendationem dixiſſet: nam tunc fieret recurſus ad remedia ſupernaturalia, & non naturalia; tamen hæc ad quid prodeſſent illis exiſtentibus? & cùm virtus rerum medicinalium naturalis ſit, & ex ſupernaturali, quæ ad illam ordinem non habet, commendaſſet, nihil dixiſſet in illius laudem.

Soluitur. Reſpondent alterius ſententiæ Auctores, Eccleſiaſticum proferre illud exemplum, vt ex eo quod miraculosè Deus fecit per lignum, indicaret omnia etiam illa, quæ naturaliter efficiuntur per creaturas, ad Deum eſſe referenda.

Reiicitur. At verò ego conſiderans quæ eo loco dicit Eccleſiaſticus, aliud fuiſſe illius intentum compellor credere; honorandum Medicum propter neceſſitatem, & recurrendum ad medicamenta, quoniam admirabilem ſanandi à Deo receperunt virtutem, & profectò illorum naturæ, quæ naturalis eſt, proportionatam: & illo exemplo ligni immiſſi in amaram aquam ex eo dulcatam probat, quòd deinde ad Deum vt auctorem referri debeant.

Et confirmatur intentum principale, quòd linguæ ſanctæ periti in ſuo idiomate legendum fuiſſe tradunt: *Clamauit ad Dominum, qui docuit illud lignum.* quod quid aliud eſt, quàm docuiſſe illam ligni facultatem & virtutem? Et hoc dicere non inconueniens eſt, cùm ex ſacris Litteris & naturali exemplo perſuaderi poſſit. Virtus ligni vitæ, quod erat in paradiſo, naturalis erat; aliter poſt peccatum ſuperflua fuiſſet illius per Angelum cuſtodia; & ita ſentiunt Strabus, Hugo de ſancto Victore, B. Thomas, & Pererius in cap. 2. Geneſ. diſput. 4. de arbore ligni vitæ, in lib. 3. de Paradiſo: & tamen fuit tantæ virtutis, vt eius vſu homo vel in maximum tempus, vt quatuor millia annorum, & ampliùs, prorogaſſet vitam, vt ſenſerunt Scotus, Durandus, Pererius citatus diſp. 3. Caietanus; & eódem inclinare videtur D. Tho. 1. Part. q. 97. art. 4. vel etiam in perpetuum, vt ſenſere Abulenſis & alij, quos ibi citat Pererius: quare & nos non poterimus concedere naturalem virtutem ligno dulcandi amaram aquam in commendationem naturæ, & auctoris eius?

Virtus ligni vitæ naturalis.

Quomodo maris aqua dulcis reddatur. Inquiunt etiam naturales, aquam amaram Oceani, ſi in vas virgineæ, vt aiunt, ceræ immittatur, dulceſcere; quare non item dulceſcere poterunt aquæ amaræ iniecto in eas ligno medico, & tali virtute prædito, vt amaritudinem in dulcedinem vertat? & tunc vnum ex tribus dicendum eſt, aut Deum oſtendiſſe lignum tali præditum facultate; aut ſimul indicaſſe lignum, & illi talem facultatem indidiſſe, cùm talem antea non haberet, & certè naturalem, quia alterius non erat capax; aut denique, nulla facultate data ligno, ipſum Deum, cùm iectum à Moyſe eſt, aquas reddidiſſe dulces. Si hoc vltimum dicatur, nihil penitus habet cum arte medica; neque vllum argumentum in artis laudem aut fidem capi poſſet; nam mera Dei voluntate res eſſet effecta. Superſunt igitur alij modi duo: vtro verò ex his contigerit, res eſt incomperta: vtroque enim fieri poteſt; quia talibus modis ſolet Deus in homines conferre beneficia. Et quodcumque dicatur, ſequitur intentum. Sed vno ex illis modis poſito, quomodo effectus ſequi potuit?

Triplicitèr aqua amara dulcari ligno potuerunt.

Dupliciter, aſſerit alter huius ſententiæ aſſertor Franciſcus Valeſius cap. 15. de Sacra Philoſophia, dicens: *Atque de ea facultate*, id eſt naturali, *dixerim ego duorum alterum, aut eſſe ſecretricem aquæ & exuſtæ terræ, ſimilem ei quæ acetum findens lac ſerum ſecernit (nulla enim ratione melius poſſit aqua ex ſalſa dulceſcere, quàm ſecreto ſale); atque ita neque ex amara, quàm ſecretis terræ valdè exuſtæ partibus, talium quippe admixtione ſit amarus ſapor) aut eſſe tractricem partium amararum, gratia ſimilitudinis (ſi modò credimus dicentibus fuiſſe amariſſimum lignum) atque alliciendo ad ſeſe imbibendoq; amaras aquæ partes, illam dulcem & potui aptam reddidiſſe. Crediderim ſanè, eam facultatem, quæcumque ligno fuerit, plus ſolito tunc, annuente Deo, valuiſſe; velut medicamenta exiſtimo nonnumquam pluſquam aliàs valere ob gratiam Numinis: nimirum Deus prima cauſarum eſt, quare aliarum quamque ita mouere poterit, vt ipſe exordiatur motum: ita enim euenit in cauſis omnibus, quæ ordine poſita ſunt.* Hæc ille.

Reſponſio ad rationem primæ ſententiæ. Nec officiunt quæ in argumenti confirmatione pro altera parte adducta fuere: etenim potuit virtus illius ligni eſſe tanta, quòd licet lignum ipſum quantitate, vt aiunt, molis non multum fuerit, fuerit tamen multum quantitate virtutis, vt in pluribus aliis euenit, & ita agere in fontem illum. Accedit, quòd fontes illi non ſunt tam magni, vt ſupponitur in argumento; & potiùs parui ſunt appellandi quàm magnum flumen, vt, qui viderunt, teſtari poſſunt.

Difficultas. Eſt tamen contra hoc difficultas, quomodo, ſi virtus illa fuit naturalis, potuit tantum durare, vt in poſterum aquas illas, è radice & meatibus amaris ſanè prouenientes, vt terra ſalita & mare proximum

prę

præ se fert, semper dulces reddiderit, & reddat? an tantam fuisse illius virtutem naturalem excogitare possumus? Si miraculo & sola Dei voluntate dulces redditæ fuerunt; & nunc antiquo illo miraculo & diuina voluntate dulces continuò scaturire, dicere possumus. Nam naturaliter quidem dulcatæ, quia potuerunt sic dulcari; sed diuino decreto conseruata illarum dulcedo, quia naturaliter semper illo ligno nequiuerant conseruari dulces. Res dubia est pro vtraque parte probabilis.

Iis præcepta tradita.

Quartum quod eo loco accidit, & iam adductis Scripturæ verbis indicatur, est, quòd Deus per Moysen constituit populo præcepta atque iudicia, & tentauit eum; id est, egit Deus cum populo eo modo quo solet quis quandoque tentare seu explorare tentationem siue internam dispositionem alterius hominis. Quæ verò præcepta & iudicia tradiderit, non exprimitur in littera. Rabbi Salomon apud Abulensem hîc quæst. 9. & Lyranum dicit, duo fuisse tradita præcepta: alterum, de sanctificatione Sabbati; alterum, de cineribus vitulæ rufæ cum aqua miscendis, ad legales quasdam contaminationes abluendas.

Hæc pluribus refellit Abulensis; qui tandem concludit, non hæc data fuisse præcepta, sed aliquod aliud, de quo non fit hîc mentio. Opinantur quidam non improbabiliter, Moysen de mandato Domini differtiisse in populo de præceptis Decalogi, aliisque à Domino promulgandis; vt vniuersali quadam præcognitione eos disponeret ad leges libenter à Domino accipiendas, reducens in memoriam fidelitatem Dei in seruandis promissis & beneficia in eos collata, &c.

Ego etiam singulariter arbitror, de Sabbati sanctificatione differtiisse; quoniam illius obseruantia commendatur, siue ad memoriam reducitur, Exod. 16, 30. *Et sabbatizauit populus die septimo*, quando in monte Sinai non erat data lex. Igitur, cùm nec ante nec post discessum à Mara, quoad populus venit ad montem Sinai, non legatur, tradita fuisse populo præcepta, & Sabbati obseruantiam commendatam, credendum est, peculiarem illius factam fuisse mentionem in Mara.

Placet hîc subscribere quod de hisce fontibus notauit Petrus Bellonius lib. 2. Obseruationum cap. 57. sic autem scribit: *Licet satis maturè ex Sues ad duodecim fontes peruenissemus; istic tamen substitimus. Horum aqua admodum salsa est & amara; ferunt q, duodecim fontes illos esse, quorum in Bibliis fit mentio: etenim Moysis fontes adhuc nominantur: solo sterili arenoso nitroso q, in amplissima planitie siti sunt, quinquaginta passibus forsitan inter se distantes; non quòd omnium aqualis sit distantia, sed vnius centum, alterius quinquaginta, reliquorum plus vel minùs. Omnes è terra scaturiunt ad tumuli vel colliculi radices; atque in varios riuos sese diffundunt, fontium perennium instar: qui paulò pòst in arena se condunt, & euanescunt*, &c.

Loqui Bellonium de fontibus, de quibus & nos locuti fuimus, manifestum est; tum ex nomine quo appellari dicit, id est, fontes Moysis, tum ex distantia ex Sues: est enim prima statio quæ fit post discessum ex Sues in itinere montis Sinai. Sedenim, vt mihi videtur appositè describere illorum conditionem, originem, terminationem & distantiam ab inuicem; ita, nisi ego hallucinatus sum, ipse non benè aduertit, hos fontes non esse illos duodecim fontes, quorum fit mentio in sacris Litteris: isti enim longè ab illis distant; isti in Mara, illi in Elim sunt: apud istos nullæ sunt palmæ, apud illos septuaginta fuisse recenset Scriptura; & in præsentia etiam multæ sunt: isti sunt quinque, vt antea monuimus, nisi alij erant tempore Bellonij; sed alij duodecim, vt videre est Exod. 15. & Num. 33. Et Adrichomius tamquam de verè distinctis fontibus egit in Descriptione deserti Pharan, de Mara & aqua eius num. 59. de Elim duodecim fontibus & septuaginta palmis num. 39. Et hæc satis de Mara & fontibus eius.

Bellonij opinio reuocatur.

CAPVT III.

De Elim, duodecim fontibus, & septuaginta palmis, tertio loco in quarta Peregrinatione occurrentibus.

QVi ex Cairo ad montem Sinai proficiscuntur, non omnes eadem via, sed per diuersas incedunt: quidam enim prosequuntur iter quod Israëlitæ confecerunt, alij alio incedunt; in reditu, si adest opportunitas, per illud redeuntes. Placet tamen nonnullis in partibus illis, Israëlitas, cùm numerosissimi essent, non per vnam viam deserti Arabiæ incessisse, sed per diuersas in turmas distinctos ambulasse: at vnà dici ambulasse, quia sub vno Principe Moyse incedebant, vnicum ducem columnam sequebantur, & ad eumdem terminum & locum Sinai montem properabant; nec longè à se inuicem recedebant. Sed quidquid sit de hoc; nam non probabitur ab omnibus, meritò arbitrantibus, maiori, qua credi potest, vnitate incessisse; aliud non erit

Israëlitæ, si dimissi incedebant per desertum, quomodo vnà profisci dicuntur.

erit negandum, aliquando totum illud Pharan desertum peragrasse, cùm in eo habitarint, vel potiùs peregrinati sint, imò vagi ambularint quadraginta annorum curriculo, vt ex pluribus sacræ Scripturæ locis manifestum est.

Mara quinta mansio. De via illa Israëlitarum, cuius meminit Scriptura, dicendum; filios Israël ex Mara, vbi quintam mansionem fecerunt, gressus direxisse non longè à mari per desertum Etham; & post tres dies, vt creditur, peruenisse ad locum eiusdem deserti, qui dicitur Elim, vbi erant duodecim fontes aquarum & septuaginta palmæ; ibique fixisse tabernacula, sextam mansionem facientes, vt dicitur Exod. cap. 16, 1. & Numer. 33, 9. *Est autem Elim*, inquit Abulensis loco notato Exodi quæst. 1. *nomen cuiusdam partis deserti: nec putare debet quisquam, quòd sit nomen alicuius villæ aut ciuitatis, quia nunc castrametabantur per solitudinem, in qua non modò homines habitantes in ciuitatibus & oppidis, imò nec saltem homines habitantes in tuguriis erant; & ideò cetera nomina castrametationum, quæ ponuntur in isto libro, & colliguntur Numer. 33. cap. dicendum, quòd non sunt loca habitata, sed nomina partium solitudinis.* Hæc ille.

Elim mansio sexta.

Elim quid.

Neotericus quidam censet, Elim esse locum illum, qui nunc Arabicè *Tor* nuncupatur: sedenim Elim & Tor loca distincta esse, ex his quæ scribit & delineauit Adrichomius in suo Terræ sanctæ Theatro, & alij in accuratis tabulis, & his quæ cum veteri traditione asseruntur, manifestum est. sic enim ille scribit de Elim in Pharan num. 39. *Elim mansio sexta. Hîc filij Israël repererunt duodecim fontes aquarum & septuaginta palmæ*, Exod. 15. 16. Numer. 33. *Vocat hanc Helim VVilhelm. Tyr. 11. Bell. sacri 29. Est etiam Elim nomen ciuitatis Moabitarum*, Exod. 16. Numer. 35. *& nomen putei, Isaiæ 15, 8. aut etiam ciuitatis Moabitarum; & debet legi Beer-elim, Benedictus.* Hæc ille de Elim.

Elim non est Tor.

Tor quid.

De Tor verò eodem loco num. 104. hæc scribit: *Tor, vel Tour, emporium & portus nominatissimus Maris rubri, vbi applicant omnes naues onustæ mercibus aromaticis ex India*, &c. Igitur Elim & Tor non sunt idem: & sanè distincta loca agnoscuntur; & vt distincta visuntur ab incolis & peregrinis.

Fontium Elim conditio.

Fontes illi duodecim, quos repererunt, modicam continebant aquam, eamque limosam, ait Iosephus; ideoque modicum sufficiebat: & modicum ibi commorati fuere Israëlitæ.

Septuaginta palmæ.

Et septuaginta illæ palmæ, vt dicit idem Iosephus, modicum à terra eleuatæ erant; quia humor fontalis modicus ad earum alimentum non sufficiebat.

Notant in eum locum Lyranus & Abulensis, duodecim fontes ibi fuisse, & vnicuique tribui vnum assignatum ad hauriendam aquam: ne, si omnes ad eumdem fontem recurrerent, ex communi haustu dissensio oriretur. Palmæ verò ad aliqualem vmbram & delectationem in fructibus deseruiebant, vt ibi sine labore aquas haurirent; nunc multò plures septuaginta sunt palmæ, vt intellexi.

In alia verò via, per quam nos incessimus, inuenitur post Mara, absoluto itinere trium dierum per vastum illud & aridum desertum, locus quidam, qui *Corandal* appellatur, vbi sunt aquæ dulces: locus periculosus; tamen propter aquas ducuntur illuc peregrini, sicut & propter easdem ad eumdem confluunt Arabes. Vnde Corandal non benè delineatur ab aliquibus citra Mare rubrum & in Sur deserto.

Corandal in alia via, locus vbi aquæ.

Alia aqua.

Deinde post Corandal inueniuntur aquæ aliæ cœnosæ, vbi arundinetum & palmæ sunt modicæ; quæ fuit causa, vt quidam fuerint arbitrati, eum locum esse Elim: sed non benè; nam oppositum tenetur in partibus illis: & fontium nulla ibi, vt in Elim, cernitur distinctio.

Notandum euentus.

Non iniucundum arbitror futurum Lectori, si referam quod mihi & sociis in comitatu accidit inter Mara & Corandal, dum ad sanctum Sinai montem proficiscceremur; quoniam, ni ego fallor, in eo miro modo eluxit Dei mirabilis in seruos suos prouidentia & misericordia: & qui omnia gubernat sua prouidentia, est nihilominùs singularis in tribulationibus protector & adiutor.

Igitur ex Mara egressi sumus ante noctis medium, vt cœptum ad sanctũ Sinai montem iter maturaremus, & propter timores latronum: accidit vt duobus diebus ac noctibus continuò ambularemus, modico excepto tempore, quo cibum sumebamus, & animalia reficiebantur. Et cùm omnes nimis defatigati essent, aliqui importunè institerunt ductori comitatus, vt sineret parum quiescere. Acquieuit ille petitioni ægrè satis; quia sciebat ibi loca periculosa; & quod timebat euenit. Igitur de nocte in quadam planitie sistimus; vbi quidam timentes vigilabant, alij se sopori dederunt. Et ecce post horæ dimidium strepitus & insolita vociferatio auditur: ad quam omnes exterriti & expergefacti, deprehenderunt aduenisse latrones Arabes, qui cum nostris Arabibus ductoribus contendebant, etsi non statim aduerterint altercationis causam & euentum, ad nos scilicet deprædandos acces-

ceſſiſſe. Non erant illi multi, nec adeò inſtructi, quin noſtri illis reſiſtere ac in fugam conuertere non potuiſſent; ſed ex timore perculti, ac itinere defatigati, illis ceſſerunt. Ex illis enim aliqui duos ex noſtris de equis deiecerunt; quos ipſi aſcendentes, campum circumdare cœperunt; & alij ad ſarcinas aliosque deprædandos acceſſerunt: cuſtodes noſtri, & Græci qui ſimul erant, percuſſi, vulnerati & ſpoliati ſimul cum aliis multis fuerunt, & omnes diſperſi & fugati ſunt. Qui tamen breui omnes ad vnum conuenere ſub quadam rupe locum: nec enim latrones inſequebantur, qui non nos, ſed noſtra quærebant. Ibi percuſſi aliqui; vnus in capite duplici fullonis percuſſione vulneratus, ſed plures ſpoliati ac nudi reperti fuere.

Tunc ego mecum ipſe cogitabam, quomodo Pater miſericordiarum & Deus totius conſolationis nobis conſuluiſſet in ſterili illo deſerto, vbi omne humanum auxilium deeſſe videbatur: nam nec panis hominum cibus, nec herba animalium pabulum, ad comedendum, nec aqua ad bibendum erat. Retrogredi erat impoſſibile, quia pedeſtres & afflictos ire oportuiſſet itinere trium dierum vſque ad fontes Moyſis; & vlteriùs progrediendi non videbatur ſubeſſe facultas. Interim qui veſtimentorum plus habebant, operuerunt nudos; ita vt omnes operti manſerimus.

Diuina prouidentia.

Manè facto, quidam ad deprædationis locum iuerunt, vt quid factum eſſet, cognoſcerent; & inuenerunt panem biſcoctum, quod non modicam peperit admirationem, quòd Arabes, panis famelici & auidiſſimi, illum nihilominùs reliquerint; inſuper & arculam, in qua vinum, oleum & quædam erant legumina, item duo dolia olei Græcorum, & totidem vtres aquæ, & camelum. Alij cum gaudio vocati ſtatim adfuerunt: atque hîc illis inuentis quibus poterat vita ſuſtentari, & vulneratorum plagæ ſanari, omnes gaudentes Deo gratias egerunt, qui in neceſſitatibus ſeruos ſuos non derelinquit. Alter etiam ex ductoribus qui aufugerat, cum camelo ſuo rediit. His inuentis, de agendis conſuluimus, an retrocedendum, an vlteriùs gradiendum. Et, multò melius ad ſanctum Sinai montem proficiſci, concluſum fuit, ipſo in primis ductore ad idem hortante, & auxilium promittente. Quare, vno camelo victum & reſiduum ſpoliorum deferente, & altero infirmum; ceteri pedites illa die ambulantes, ad quemdam locum inter montes & rupes peruenimus. Ibi manſimus, quoaduſque ductores de aliis camelis prouiderunt; &, aliquibus adductis, cœptum abſque alio periculo perfecimus iter vſque ad ſanctum Sinai montem: & panis & aqua non defecit, ſed omnibus ſuffecit. Quatuor diebus completis mantimus in ſacro Sinai loco; vbi Deum venerati fuimus, noſtræque pietati, viſitatis ſanctis locis, ſatisfecimus: poſteà, accepta à Monachis illis Græcis farina, panem pro itinere vſque ad Cairum confecimus. Et quamuis in illo itinere, longiori propter pericula, quia triginta dierum, multa paſſi fuimus, & in reditu præſertim; nihilominùs Deo fauente omnes incolumes ad Cairum vſque, & ex Cairo ad Alexandriam peruenimus: vbi inuenimus peregrinum vnum è viuis deceſſiſſe, & alios ſæculares ac regulares ægrotaſſe, etſi omnia opulentè illis ſuppeditarentur. Verè pius & miſericors eſt noſter Dominus, qui, vt ſanctus ait Apoſtolus, neminem ſupra vires tentari permittit, & facit cum tentatione prouentum, vt poſſimus ſuſtinere. Atque, vt quondam in illo Arabiæ deſerto pauit cæleſti cibo Iſraëlitas ad ſanctum Sinai montem properantes, & de periculis liberauit; ita idem Dominus nos ad eumdem profectos montem ſua peculiari pauit prouidentia, ac periculis eruit, ſoſpitesque & incolumes ad optatum finem, poſt alia ſuperata pericula, ſua miſericordia perduxit.

CAPVT IV.

De Sin deſerto, quarto loco quarto Peregrinationis.

In Sin eſtauo manſio.

ACturi nunc ſumus de deſerto Sin, vbi Iſraëlitæ fecerunt octauam manſionem: egreſſi enim de Elim ſexta manſione, fixerunt tentoria ſuper Mare rubrum, hoc eſt iuxta ſinum quemdam eiuſdem maris, qui ibidem ingrediebatur dictum deſertum; & hæc fuit ſeptima manſio, quæ Exod. cap. 16, 1. prætereunt eſt, ſed poſteà recenſita Numer. cap. 33, 11. inter Elim & Sin. Nos enim, vt Hebræi, proficiſcentes ad montem Sinai, deſertum Sin pertranſiuimus; ideò de illo agentes duo inquirimus: alterum, quidnam ſit; alterum, quænam in eo contigerint, dum ibi caſtrametari erant Iſraëlitæ.

Sin deſertum non eſt Sinai.

Quantum ad primum, aduerto, hoc deſertum *Sin* non eſſe Sinai deſertum, vel alterum Sin, vel Zin, locum trigeſimæ tertiæ manſionis; quod quiſpiam fortaſſe ſuſpicari potuit, vel propter nominũ ſimilitudinem, vel etiam idemtitatem. Non eſt inquam idem Sin deſertum, de quo nunc agimus, & deſertum Sinai: *Quia*, inquit Abulenſis loco citato Exod. quæſt. 1. *deſertum Sin aſtigerunt filij Iſrael quintadecima die menſis*

secundi ab exitu de Aegypto ; scilicet trigesima diebus post exitum de Aegypto : nam decimo quinto die mensis primi de Aegypto exierunt, vt colligitur cap. 12. & patet Num. 33. c. sed in desertum Sinai venerunt prima die mensis tertij, vt patet cap. 19. Item in deserto Sin datum fuit Manna, in deserto autem Sinai data fuit Lex. Item, quia inter desertum Sinai & desertum Sin ponuntur tres mansiones, id est, Daphca, & Alus, & Raphidim, vt patet Num. 33. cap. Etiam quia desertum Sinai ponitur limes vel terminus deserti, ex vna parte, id est, ab Aquilone, vt dicitur in littera, scilicet quod est inter Elim & desertum Sinai. Et hæ quidem fuere rationes Abulensis, quibus probauit, desertum Sin non esse desertum Sinai.

Sin locus trigesimatertia mansionis.

Sed, eritne hoc Sin, illud Sin, vbi filij Israël trigesimam tertiam mansionem fecerunt, cuius mentio fit Num. 20, 1. & cap. 33, 36. & Deut. 2, 8? Non inquam est idem, vt aduertit D. Hieronymus ad Fabiolam mansione trigesima tertia, & *Ratio.* rationem addit, quoniam primum appellatur Sin, alterum verò debet dici Zin: & ita habent plurima sacri Codicis exemplaria. Adrichomius in Pharan, secutus diuum Hieronymum, de hisce egit, vt de duobus locis, & sub diuersis nominibus, *Sin* & *Zin*; de *Sin* enim num. 90. de *Zin* n. 113.

Reijcitur.

Verùm, quia quæ magis probata sunt exemplaria, videlicet Septuaginta Interpretum, & Vulgata, vtrobique legunt *Sin*; cogimur dicere, duo hæc deserta, tametsi inter se diuersa, eiusdem nominis extitisse: ideò ex aliis illorum discrimen est accipiendum; & primò, quia dum de priori agitur, adduntur illa verba, *quod est inter Elim & Sinai*; alterum verò erat vltra Sinai in Cades, & dicitur Cadesbarne, Num. 20. & hoc dicebatur Beroth, filiorum Iacan, vt legimus Deuter. 10, 6. non item illud. Deinde, quia alia & alia memorantur facta in primo & secundo Sin.

Obiectio.

Si dicatur (& est obiectio Abulensis) quòd satis poterat esse idem desertum; quia licet ponatur esse desertum Sin, & posteà iterùm nominetur desertum Sin, poterit esse continuatum ab isto loco vsque Cadesbarne, sicut quædam alia deserta sunt *Solutio.* magnam terram occupantia. Respondet ipse, adhuc stare non posse; quia Exod. 16, 1. dicitur, quòd desertum Sin est inter Elim & desertum Sinai; ergo ab vtraque parte terminatum est in istis duobus locis: sed vltra desertum Sinai sunt adhuc aliqua deserta, quia ad minus est desertum Pharan, quod est valdè magna solitudo, & aliqua loca intermedia ante desertum Pharan, scilicet Haseroth, & Sepulchra concupiscentiæ, vt patet Numer. 33. Dicendum ergo, concludit idem Auctor, quòd duo sunt deserta Sin: id est, vnum quod est circa principium Arabiæ in latere Meridiano, & istud est quod nunc transierunt; aliud est circa terminos terræ Edom, & istud est in quo est Cadesbarne. de quo Num. 20. vers. 22.

Nec officit ratio dubitandi initio adducta: est enim omnibus adeò conspicuum, vt probatione non egeat, plures vrbes, aliáve loca, vel similibus vel omnino eisdem nominibus appellari: & ita euenit in proposito, vt Sin desertum, locus octauæ mansionis, eodem prorsus nomine appelletur; ac alterum Sin, locus trigesimæ tertiæ mansionis, simile alteri sit, id est Sinai, cùm tamen ab vtroque satis differat, vt ostensum est. Igitur, vt ad id quod priori loco proposuimus breuiter respondeamus: *Sin desertum*, inquit Adrichomius, *omnis ab Elim vsque ad montem Sinai eremus Sin vocatur; in qua sunt mansiones quinque: Castra ad mare Sin, Daphca, Alus, Raphidim, & ex tota Prouincia etiam octaua mansio Sin nomen accepit.*

Alterius rationis solutio. Diuersa loca eisdem nominibus appellantur.

Sin est eremus ab Elim vsque ad Sinai montem.

Sed quænam contigerunt in deserto Sin, vt ad secundum superius propositum veniamus? Respondeo, quòd loquentes de his quæ in tota Prouincia siue solitudine contigerunt, multò plura absque dubio exstiterunt, quàm illa quæ in octaua mansione *Sin* appellata contigisse memorantur, quia præter hanc continet alias quatuor mansiones. Igitur breuiter de his agemus, vt in Scriptura inuenimus scriptum. De actis in septima mansione, & prima deserti Sin, quæ appellatur Castra ad Mare rubrum, de qua Adrichomius in Pharan numero 26. nihil dicit Scriptura; quoniam ibi modico tempore consistentibus filijs Israël, nihil notabile contigit.

Actaista

De actis verò in octaua mansione, quæ secunda fuit in illa solitudine Sin appellata, plura habentur Exod. 16, 1. quæ alibi etiam memorantur. Cùm Israëlitæ illuc peruenissent die trigesimo primo egressionis ex Ægypto; atque ibi primò, cùm farina deficere cœpisset, quam tantummodò consparsam, ac necdum fermentatam, tulerant de Aegypto, id est commixtam ex aqua & farina, & nondum fermentatam: sollicitati enim exire ab Ægyptiis, non potuerunt fermentare maslam. Coxerunt posteà in Socoth; vbi primò fixerunt tabernacula; & fecerunt subcinericios panes, vt patet Exodi 12, 39. Vnde Iosephus in calce cap. 5. lib. 2. Antiq. asserit, filios Israël ab exitu de Ægypto vsque ad hanc mansionem, macerata farina, modico calore in panis

Digitized by Google

nis ſpeciem ſolidata, hoc eſt azymis, parcè, ad neceſſitatem potiùs quàm ad ſatietatem ſumptis, per dies triginta fuiſſe ſuſtentatos, & aliud non comediſſe. Ea itaque deficiente, cùm nihil aliud, quo alerentur, haberent, nec in deſerto illo admodum ſterili repetire quidquam poſſent; nollentque pecora & armenta interficere, ne breui, iis quoque deficientibus, fame omnino interirent; in talibus anguſtiis conſtituti, ad Deum clamare debuerant, qui ipſorum ſollicitam curam gerebat, vt ex pluribus miraculis in eorumdem gratiam factis certiores redditi erant, quique dat eſcam omni carni in tempore opportuno, & pullis coruorum inuocantibus eum, & implet omne animal benedictione: at horũ omnium immemores, de Moyſe & Aaron, imò de ipſo Deo murmurare cœperunt, vt dixit Moyſes, carnes & panes, quibus in Ægypto veſcebantur, deſiderantes: & fuit hæc tertia populi murmuratio poſt illius exitum de Ægypto. At enim clementiſſimus Deus miſericordiarum parens, qui iure merito potuiſſet de murmurantibus illis vindictam ſumere, illorum indulgens imperfectioni, promiſit ſe daturum illis carnes & panes; ſicut & verè dedit, volatilia pennata, & Man Angelicis manibus præparatum. Quare dixit Propheta Pſal. 104, 40. *Petierunt, & venit coturnix: & pane cæli ſaturauit eos.* quæ fusè Exod. 16. explicantur, & nos aliqua dicemus pro maiori hiſtoriæ explicatione Cap. ſeq.

Daphca nona manſio.

Alus decima manſio.

In Daphca nona manſione, & tertia deſerti Sin, ad quam venerunt ex præcedenti, & ex Daphca in Alus decima manſione, & quarta deſerti Sin, quarum fit mentio Num. 33, 13. nihil refert Scriptura contigiſſe. De geſtis verò in quinta manſione Sin, & vndecima in ordine, id eſt, in Raphidim, de qua Exodi 17. agemus infrà Capite VI. de Raphidim verba facientes.

CAPVT V.

Nonnullæ difficultates ſuper his quæ geſta fuerunt in deſerto Sin, in octaua manſione filiorum Iſrael.

EXodi cap. 16. plura pluribus explicantur, quæ in deſerto Sin & octaua manſione acciderunt; illius populi murmuratio ex carnium & panum defectu, carnium & panis à Deo mirabilis miſſio, ordo colligendi & ſeruandi cibos illos, præceptumque diuinum, de aſſeruando in vaſe Man. Super quæ, vt melius dicta præcedenti Capite intelligantur, nonnullas proponam & diſſoluam difficultates.

Prima ſit ſuper murmuratione populi illius, quinam videlicet murmurauerint. Reſpondetur in littera ver. 2. quòd *murmurauit omnis congregatio filiorum Iſraël contra Moyſen & Aaron in ſolitudine*, &c. ſed obijcit Lyranus: Quî fieri poteſt, vt omnis congregatio murmurauerit? quia ibi erant Ioſue & Caleb, & plures alij boni homines; de quibus credendum eſt, quòd patienter portabant defectum victualium, ſperantes diuinum auxilium. Reſpondet, quòd illi erant valdè pauci reſpectu multitudinis: quod autem modicum eſt, quaſi nihil reputatur, vt dicitur ſecundo Phyſicorum; & propter hoc Scriptura non omiſit loqui generaliter, quia hic eſt conſuetus modus loquendi in talibus. Hæc Lyra.

Quæſtio prima.

Tertia Iſraelitarum murmuratio contra Moyſen & Aaron.

Obiectio.

Solutio.

Abulenſis eodem loco quæſt. 1. dicit, quòd omnis congregatio murmuraſſe perhibetur, vt comprehendantur Leuitæ, qui etiam nunc cum ceteris murmurauerant: & non ſolùm filij Iſraël, ſed etiam Ægyptij qui aſcenderunt cum eis; quia illi non erant ceteris ſanctiores, cùm & ipſi aliquando Iſraëlitas ad murmurandum incitauerint, vt patet Numer. 11. verſ. 1. & 4. quando vulgus promiſcuum flagrauit deſiderio carnium: & ibi Scriptura videtur indicare Ægyptios illos non ſolùm ad murmurandum, ſed etiam ad alia mala perpetranda ſtimulaſſe.

Secunda difficultas ſit: Cùm populus ille pro pane & carnibus murmurauerit, & illorum deſiderio ſatisfecerit Dominus, quomodo, quóve ordine illis prouidit? Reſpondetur, quod carnes priùs dedit veſpere, manè verò panes. *Factum eſt veſpere* (inquit ſacer Textus verſ. 13. vſque ad 16.) *& aſcendens coturnix, cooperuit caſtra: manè quoque ros iacuit per circuitum caſtrorum. Cumq; operuiſſet ſuperficiem terræ, apparuit in ſolitudine minutum, & quaſi pilo tuſum, in ſimilitudinem pruina ſuper terram. Quod cùm vidiſſent filij Iſrael, dixerunt ad inuicem: Manhu? quod ſignificat: Quid eſt hoc? ignorabant enim quid eſſet. Quibus ait Moyſes: Iſte eſt panis, quem Dominus dedit vobis ad veſcendum.* & Pſal. 104, 40. *Petierunt, & venit coturnix: & pane cæli ſaturauit eos.* Eo enim die adueſperaſcente, innumera pænè coturnicum multitudo volitans, & tamquam valdè feſſa, ſuper caſtra conquieſcens, cuncta operuit, ita vt commodè eas capere, hiſque ſaturari cuncti potuerint.

Quæſtio ſecunda.

Veſpere carnes, manè panes Hebraus dat.

In craſtinum verò ſurgentes Iſraëlitæ, aliud grande prodigium ante omnium oculos poſitum inſpexerunt, nimirum terræ ſuperficiem longè lateque Manna coopertam; & iſto Manna cæleſtique cibo, non paucis diebus vel menſibus, ſed qua-

Manna datum.

draginta annis, quoad venerunt in terram Chanaan, pasti fuerunt. Man verò colligendum erat secundùm leges à Moyse diuino mandato constitutas. Duplex erat illius sapor: alter naturalis, quem absque arte in descensu habebat. Igitur Man hoc modo, & crudum, gustui non erat insuaue: siquidem, vt dicitur Exod. cap. 16, 31. habebat saporem quasi similæ cum melle commixtæ; at maiorem saporem arte habebat: etenim, ad maiorem gratiam ei conciliandam, solebant præparare illud, frangentes primò molâ ad modũ tritici, vel terentes in mortario; deinde coquere in olla, & facere ex eo tortulas saporis quasi panis oleati, hoc est, cum oleo in sartagine cocti, Num. 11, 7. Sapor alter naturalis talis erat naturæ, vt quemlibet secundùm proprium appetitum oblectaret. Ita legimus Sap. 16, 20. *Pro quibus Angelorum esca nutriisti populum tuum, & paratum panem de cælo præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suauitatem. Substantia enim tua dulcedinem tuam, quam in filios habes, ostendebat: & deseruiens vniuscuiusque voluntati, ad quod quisque volebat, conuertebatur.* Hactenus fuere verba Sapientiæ.

Illius sapor.

Præparatio.

Quæstio tertia.

Carnes priùs datæ, quia priùs concupitæ.

Sed quare Deus priùs carnes misit quàm panes? Respondet Abulensis in Exod. 16. quæst. 4. quia primò carnes, deinde panes petierunt; & secundùm desideria & petitiones illorum satisfecit Dominus.

Sed non displicet responsio altera, quam statim subijcit ex aliorum sententia: Quòd distinctio illa ciborum fuit secundùm conuenientiam rei data: nam coturnices venerunt volantes super castra Israëlitarum; & cum tota die volauissent, diuturno volatu fatigatæ, tamquam ad requiem ad terram descenderunt, & ceciderunt inter castra: manè autem hoc non erat ita conueniens; quia cùm manè modicum volauissent, fatigatæ esse non poterant. De Manna autem dicunt esse rationem, quia descendebat manè per modum roris: & talis dispositio conuenit horæ matutinæ. Reijcit hanc rationem; quia huiusmodi supernaturaliter contingebant, non, &c. Sedenim dici potest, Deum naturâ ipsâ vti; & in his, quibus ipsa inseruire potest, illius vti ministerio, ne absque necessitate facere vel multiplicare miracula videatur.

Facti miraculi mandat Deus conseruare memoriam.

In illius facti memoriam mandauit Dominus Moysi, & Moyses Aaron, vt gomor plenum Man in vase reponeret: obediuit Aaron, & in tabernaculo reposuit, hoc est, vt interpretantur Hebræi apud Lyranum, & alij priùs, in loco apto reposuit; postea in tabernaculo fœderis, cùm foret extructum, coram Domino perpetuò asseruandum, vt scirent posteri, quo cibo pauisset Dominus patres ipsorum in deserto tot annis. Sed mirabile vnum prætereundum non est, quòd Man de mandato Domini sic repositum, tanto tempore illæsum atque incorruptum permanserit, cùm alioqui neque in alterum diem à putredine præseruari posset; vt cognoscamus quanta sit diuini præcepti vis, & sanctæ Obedientiæ virtus.

CAPVT VI.

De Raphidim, & ibidem actis, quinto loco quartæ Peregrinationis.

Raphidim mansio vndecima.

RAphidim, locus deserti Sin; vbi vndecimò castra metati fuere filij Israël, & quinta mansio earum quæ in Sin recensentur; modicum distans à monte Sinai: de qua Exod. 17, 1. & Num. 33, 14. Adrichomius in Pharan, num. 82.

Ibi gesta.

Sed quænam ibi gesta fuere? Quæ in eodem cap. 17. vers. 1. vsque ad 9. enarrantur. ex quibus hæc accipe breuiter: Primò, egressa vniuersa multitudo filiorum Israël de Alus, loco deserti Sin, per mansiones suas castra metati sunt in Raphidim; vbi non erat aqua ad bibendum populo: quæ fuit causa, vt non solùm murmurauerit populus contra Moysen, sed & ausus fuerit tentare Deum, ac dubitare de prouidentia eius, dicens: *Estne Dominus in nobis, an non?* & hæc fuit quarta populi murmuratio. Fuit autem hæc eò maius peccatum, quò maiora atque euidentiora signa diuinæ erga ipsos prouidentiæ ac paternæ gubernationis experti fuerant; sicut & ex eo magis etiam elucet Dei tolerantia & patientia, dum nedum eos puniuit, vt merebantur, sed misericorditer illis subuenit. Quare, clamante Moyse pro populo ad Dominum, iussit illi Dominus vt virga, qua priùs percutiendo Nilum & Mare rubrum mirabilia fecerat, eâdem petram Horeb percuteret, quæ daret aquas: quo facto, exiuit aqua, & cessauit murmuratio; & vocauit nomen loci illius, Tentatio & Iurgium, id est Raphidim, secundùm Abulensem q. 3. Exod. 17. Et hæc fuit prima aquæ de petra eductio: nam altera quæ traditur Num. cap. 20, 1. & 2. accidit in Cades, trigesima tertia mansione: sed de his inferiùs Peregrinatione v. Cap. 1. agentes de petra percussa. vbi & difficultatem, quæ contra nunc dicta moueri posset, diluemus.

Quinta populi murmuratio.

Prima aquæ de petra eductio.

Secundò, populo ibidem commorante, ecce Amalecitæ, populi inhumanissimi, posteri Esau fratris Iacob, à quo ipsi Israëlitæ descenderant, cùm de Israëlitarum ad-

ductu

uentu intellexiſſent, veriti, ne oppida ipſorum ab illo deſerto non valdè diſtantia ab illis occuparentur; vt erant admodum audaces, tempus præripientes, derepente eos inuadunt. Moyſes præcepit tunc miniſtro ſuo Ioſue, vt electis viris ad prælium, pugnaret contra Amalec die ſequenti; qui voci illius obediuit. Ipſe verò Moyſes die craſtino tenens virgam in manu ſua, cum Aaron & Hur aſcendit in proximum collem, vnde præliantes ſpectari poterant, & orauit aſſiduè pro populo ſuo. Accidit verò, vt, orante Moyſe, quandocumque leuabat manus, vinceret Iſraël; quando autem paululùm remittebat, ſuperaret Amalec. Moyſis autem manus erant graues, &, vt creditur, præ laſſitudine: ad quod aduertentes Aaron & Hur, ſumentes lapidem, poſuerunt ſubter eum; in quo ſedit. Aaron autem & Hur ſuſtentabant manus eius ex vtraque parte: & factum eſt, vt manus eius non laſſarentur vſque ad occaſum ſolis: fugauitque Ioſue Amalec & populum eius in ore gladij. Et hoc fuit primum bellum, quod motum fuit contra filios Iſraël proficiſcentes ad Terram promiſſionis: quod benè illis ſucceſſit; ditati enim ſunt armis & ſpoliis quæ fugientes Amalecitæ dimiſerant; quibus additus fuit animus, vt contra alios hoſtes audaces eſſent.

Primum bellum motum contra Iſraël.

Moyſes orat pro populo, & exaudiuit.

Tertiò, cùm Amalecitarum ille auſus admodum Domino diſplicuiſſet, ſtatim mandauit ipſe Moyſi, vt rem geſtam ad perpetuam rei memoriam in libro deſcriberet; & admoneret Ioſue, qui Moyſi ſucceſſurus erat in Ducem populi: tum, vt intelligerent diuino mandato penitus delendum fore Amalec, quod accidit tempore Saulis, 1. Reg. 15, à verſ. 1. vſque ad 10. tum vt cognoſcerent, ſe non propriis viribus, ſed diuino munere victores extitiſſe: quare Moyſes pro gratiarum actione Domino altare ædificauit, &c. Exod. 17, 14, & 15.

Dubium. Super quem collis verticem aſcenderit Moyſes, mihi eſt incompertum; certè non ſuper montem, qui nunc Moyſi vel ſanctæ Catharinæ dicitur: quoniam non colles propriè, cùm altiſſimi ſint, ſunt appellandi; & inde non potuiſſet videri Moyſes à populo: quare vel orauit ſuper illum, qui eſt è regione Conuentus & Eccleſiæ ſanctæ Catharinæ, vel ſuper alterum ex vicinioribus: monſtratur quidem, ſi benè recolo, ſed neſcio an verè.

Iethro Moyſi occurrit. Quartò denique, ibidem Moyſe exiſtente, Iethro Sacerdos Madian, cognatus Moyſi, qui audierat mirabilia quæ fecerat Dominus Moyſi & Iſraëli, venit ad eum cum Sephora vxore eius & duobus filiis. Benignè eum Moyſes excepit, & ordinatè retulit ei, quæ in gratiam Iſraëlitici populi operatus fuerat Dominus. Dedit Moyſi Iethro conſilium, quod vtiliter amplexus fuit; dimiſitque cognatum, qui rediit in terram ſuam, Exod. c. 18. à verſu 1. vſque ad vltim.

CAPVT VII.

De ſolitudine Sinai, ſexto loco quartæ Peregrinationis.

ADuertendum, totam terram, poſt tranſitum Maris rubri ad partes Arabicas vſque ad montem Sinai, & vltrà, totam, inquam, deſertum & ſolitudinem eſſe; ſecundùm tamen diuerſas partes diuerſis appellari nominibus, à montibus vel locis notabilibus, vt Etham, Sin, &c. inter has verò & ſolitudo Sinai inuenitur, quæ aliud non eſt quàm modicum terræ ſpatium, quod eſt in circuitu montis eodem nomine appellati, id eſt Sinai, proximæ parti illi quæ Raphidim appellatur, & cum illa copulata. Agitur de ea initio cap. 19. Exod. Et hoc loco quid ibi acciderit ſequentibus verbis deſcribitur: *Menſe tertio egreſſionis Iſraël de terra Aegypti, in die hac venerunt in ſolitudinem Sinai. Nam profecti de Raphidim, & peruenientes vſque in deſertum Sinai, caſtrametati ſunt in eodem loco, ibiq; Iſraël fixit tentoria è regione montis*, &c. Et fecit ibi duodecimam manſionem. de qua Adrichomius in Pharan numero 19.

Solitudinis Sinai deſcriptio.

Manſio duodecima.

Suppoſito, quod verum eſt, & colligitur ex Textu Exodi, Iſraël, poſtquam venit de Raphidim in ſolitudinem Sinai, & ibi fixit tabernacula, non aſcendiſſe in montem Sinai: erat enim locus nimis altus, non aptus vt in eo caſtrametarentur. Fixerunt ergo tabernacula in valle & locis planis iuxta aquas, inquit Abulenſis in Exod. cap. 19. quæſt. 1. Cùm verò ſacra Scriptura non explicet diſtinctum locum caſtrorum, ſed dicat tantùm fixiſſe tentoria è regione montis, id eſt contra montem, & cùm ex hac particula diſtinctus locus caſtrorum non poſſit cognoſci; vbicumque enim circa montem fixerint tabernacula, ſiue à parte Orientali, Occidentali, &c. ſemper è regione montis fixa fuiſſe, verè dicere poſſumus; hinc ſacri Interpretes meritò inquirunt, in qua parte ſolitudinis determinatè Iſraëliticus populus fuerit caſtra metatus; nec omnium eadem eſt in hac difficultate ſententia.

In qua parte ſolitudinis Sinai fixit populus tabernacula.

Nicolaus de Lyra dicit, fixiſſe tabernacula ad partem Orientalem montis Sinai: *Eius ratio eſt*, inquit, *vt ſic adorarent Dominum deſcendentem ſuper montem Sinai; quia Iudæi*

Lyranus Denſus.

Iudæi adorant versus Occidentem: vnde & tabernaculum & templum sic fuerunt disposita, vt ingressus esset à parte Orientali (patet hoc Exod. 26. & 27. cap. Leuit. 16.) vt ad partem oppositam adorarent sacerdotes; sicut & stellæ cæli ab Oriente moventur in Occidentem; quasi adorantes ad partem illam. Vnde 2. Esdræ dicitur: Exercitus cæli te adorat. Eamdem sententiam esse etiam Rabbi Sa, docet Burgensis in sua additione ad Postillam Lyrani; & aliam ipse ponit sententiam. Dicit ergo, quòd Iudæi adorabant versus Occidentem, quando erant in tabernaculo.

Rejicitur. Contra hanc sententiam primò argumentatur Abulensis in cap. 19. Exod. q. 2. Hebræi enim, quando in Sinai castra metati fuere, venerunt è parte Meridionali montis Sinai, & non totaliter Meridionali, sed aliqualiter Occidentali; quia pars Ægypti, de qua ascendebant, est Occidentalis respectu montis Sinai: ipsi autem ascendentes versus montem Sinai, primò ascenderunt versus partem Orientalem, quando ibant ad Mare rubrum; deinde declinauerunt versus partem Septemtrionalem, euntes per deserta Arabica contra montem Sinai; ideò ibant ipsi contra frontem Meridianam montis Sinai: cùm igitur ipsum non transierint (non enim erat necessitas) sed immediatè, vt accesserunt ad solitudinem Sinai, fixerunt castra. Hæc ratio optima mihi videtur, quam idem Auctor ibidem priùs attigerat.

Abulensis probabiliter.

Responsio ad Lyranum. Ad rationem verò Nicolai respondet dupliciter: primò, quòd nesciebant Iudæi, an illis in illo monte lex danda esset, nec, vtrùm Deus descensurus esset; quia, dato quòd scirent legem dandam, tamen nesciebant modum; scilicet, vtrùm Domino descendente super montem, vel aliàs. Nec valet, si dicas quòd Moyses annuntiauerat eis in Ægypto existens, quòd quando exirent de Ægypto sacrificarent Domino in monte Sinai, Exod. 3, 12. quia etsi hoc annuntiauerit, non tamen alia.

Secundò respondet, admisso, Israëlitas sciuisse Deum venturum ad montem, non exinde licet inferre, castra metatos fuisse in plaga Orientali montis Sinai, vt ipsum adorarent ad Occidentem; quia illo tempore non erat datus specialis modus orandi, quantum ad determinationem positionis, id est, an contra Orientem vel Occidentem, & sic de aliis positionibus, &c. & hanc responsionem plurimus roborat & explicat.

Sententia Burgensis. Eamdem adducit responsionem Burgensis; & posteà aliam subijcit sententiam, dicens: *Vnde in hoc loco melius videtur dicendum, secundùm alios Expositores; Castra metati sunt filij Israel è regione montis Sinai circumquaque; vt sic vnusquisque adoraret suo modo Dominum descendentem super montem Sinai, id est, aliqui versus Orientem, & aliqui versus Occidentem, secundùm ritum suum: secundùm quod consonat huic quod dicitur in Num. 2. Singuli per turmas castra metabuntur filij Israel per gyrum tabernaculi fœderis.* Hæc ex Burgensi.

Verùm omnino mihi non probatur sententia Burgensis, propter rationem illam Tostati. Si enim Israëlitæ non transierunt montem Sinai, non potuerunt circumquaque figere tabernacula; quia non in plaga Orientali. Et auctoritas adducta ex libro Num. pro sua sententia nulla est; quia, vt Auctor Replicæ correctorij contra Burgensem rectè aduertit, non dicitur ibi, *Castra metati sunt per gyrum montis; sed, per gyrum tabernaculi, quod erat fixum in plano ad radicem montis.* *Rejicitur.*

Libenter amplector Abulensis sententiam, consideratâ præsertim loci & regionis illius dispositione; eidem tamen sententiæ adderem, non tantùm in Meridionali, sed etiam in Occidentali, & fortè etiam Aquilonari plaga montis castra metatos fuisse Israëlitas: nam in istis videtur esse locus opportunus ad castra figenda; & innumera illa multitudo magnum pro figendis tabernaculis expostulabat locum, quem inter illas rupes & montes partis Meridionalis montis Sinai non sufficientem inuenissent: & trahi posset ad id comprobandum ipsa Abulensis ratio.

Mora in Sinai. In hac solitudine Sinai & duodecima manfione moratus est Israëliticus populus anno vno, paucis demptis diebus. Intra quod tempus gesta sunt omnia quæ narrantur ab initio cap. 19. Exod. vsque ad finem eiusdem libri, & in toto Leuitico; & vsque ad decimum caput libri Num. quæ quoniam multa sunt, ne prolixitate Lectorem tædio afficiam; si ea scire voluerit, adeat citata Scripturæ loca.

CAPVT VIII.

De Sepulchris concupiscentiæ, quæ septimo loco offerentur considerandæ in quarta Peregrinatione.

ALienum fortasse alicui videbitur ab instituto nostro, agere hîc de Sepulchris concupiscentiæ: etenim, si mens nostra fuit in hoc octauo Libro agere de locis memorabilibus, quæ occurrunt in peregrinatione ex Ierusalem ad Cairum, & ex Cairo ad montem Sinai, per Ægypti & Arabiæ Petræ solitudines; inter ista verò non est locus,

locus, quem Scriptura nominet Sepulchra concupiſcentiæ, ſed inuenitur in via, qua ex Sinai itur per viam Amorrhæorum & campeſtria Moab ad Terram Patribus repromiſſam, vt dicemus: igitur, de eo agere, alienum eſt ab inſtituto noſtro. Verùm, ſi attendat dicendis, propoſito accommodatum neceſſariumque de memoratis ſepulchris agere, quilibet iudicabit.

Sciendum itaque, quòd proficiſcentes ex Cairo ad montem Sinai, & pertranſeuntes Sues, Mara & alia loca deſerti Arabiæ, quatuor circiter diebus, antequam perueniamus ad montem Sinai, tranſimus per quoſdam præruptos & eminentes montes, commoda tamen via, qui ſpectant ad Pharan: illaque ſolitudo deſertum Pharan appellatur ab omnibus. In deſerto iſto caſulæ & villulæ nonnullæ miſerrimæ Arabum inueniuntur: intra rupes concauitates & oſtiola inſpiciuntur, & hinc inde ædificiorum ruinæ: quæ fuit cauſa, vt aliqui crediderint illa eſſe ſepulchra, & illa quæ Scriptura diuina Sepulchra concupiſcentiæ appellat: ſunt enim in rupe exciſa, ad inſtar nonnullorum ſepulchrorum quæ ſunt circa Ieruſalem, vt à longè conijcere licet. & cogitationes has nonnulli ſcriptis inconſideratè tradiderunt, & falsò: quare, vt errorem iſtum reijcerem, aliqua de Pharan & de Sepulchris concupiſcentiæ diſſerere placuit.

In deſerto Pharan villulæ, & antra in rupibus excisa.

Dicentes eſſe Sepulchra concupiſcentiæ reijciuntur.

Pharan deſerti multiplex acceptio.

Notandum igitur ex Adrichomio in Deſcriptione deſerti Pharan num. 1. quòd Pharan deſertum multipliciter accipitur, aliquando pro prima parte deſerti Arabiæ prope montem Sinai; aliquando pro vltima parte verſus Terram promiſſionis: aliquando vocatur deſertum Sin א, quæ littera apud Hebræos eſt; aliquando deſertum Sinai, ab ipſo monte; aliquando pro illa ſolitudine, quæ eſt inter montem Sinai & Cadesbarne: & de hac parte tamquam de principaliori analogato dicitur Pharan, de quo in hunc modum ſcribit: *Pharan deſertum ampliſſimum, vaſtiſſimum, inuium & inaquoſum, continens à monte Sinai vſque ad Cadesbarne iter vndecim dierum; cuius terra nec arari poteſt nec ſeri: tota arida eſt, ſterilis & ſqualida, inhabitabilis hominibus, villis, domibus & caſis carens; vbi nec homines videntur, nec beſtiæ, nec aues, imò nec arbores, nec germen aliquod, ſed non niſi rupes & montes ſaxoſi, altiſſimi, aſperrimi, vndiq; præruptis & præcipites, mixti coloris, rubei & nigri, ſolu ardoribus exuſti; quo ſplendente, videntur ſaxa reſulgentia, quaſi eſſent oleo inuncta; quæ ipſo viſu horroris ſpeciem & mortis imaginem præ ſe ferunt. Terra autem caleq; aquarum penuria eſt: iacent arena ſteriles; quas vbi vapor ſolis accendit, feruido ſole exurente veſtigia, intolerabilis æſtus exiſtit. Luctandum inſuper eſt, non tantùm cum ardore & ſiccitate regionis, ſed etiam cum tenaciſſimo ſabulo; quod præaltum, & veſtigio cedens, ægrè moliuntur pedes. In hoc deſerto vagati ſunt filij Iſrael annis triginta octo: quo toto tempore nec manna nec aqua eos defecit; non veſtimenta, non calceamenta eorum detrita ſunt: atque ex ipſis pluſquam ſexcenta virorum millia, præter mulieres & paruulos, ibi mortua, eorumq; cadauera conſumpta ſunt.* Denique, *Hoc nomen Pharan*, inquit, *viſum fuit nobis inter huius longiſſimi deſerti nomina generaliſſimum.*

Nunc videndum eſt, quiſnam ſit locus Sepulchra concupiſcentiæ, aliàs Incenſio, & Cabrothaba Ioſepho appellatus, & vbi ſit? & tunc falſitas aſſertionis illorum apparebit, in noſtro iſto itinere eſſe huiuſcemodi ſepulchra. Locus hic eſt ſolitudo pertinens ad deſertum Pharan, quod eſt inter montem Sinai & Cadesbarne, vbi filij Iſraël decimam tertiam manſionem fecerunt poſt iter trium dierum à monte Sinai, Num. 10. verſ. 12, & 33, 16.

Sepulchra concupiſcentiæ quid, & vbi.

Agit de eo Adrichomius loco citato numero 89. Si ergo eſt inter Sinai montem & Cadesbarne, & conſequenter in via, qua Iſraëlitæ ex Sinai ibant ad Terram Patribus repromiſſam, & diſtat à Sinai itinere trium dierum, vt dictum eſt ex Num. cap. 10, 33. non erit in via, quam nos ambulamus ex Cairo ad montem Sinai; niſi dicere velle-mus, Iſraëlitas retroceſſiſſe à Sinai verſus Ægyptum; quod impertinens eſt, quia citò ire contendebant ad Terram promiſſionis: & non citra Sinai montem, ſed vltra in variis Tabulis Geographicis ruſtè delineatur. Quare & alia quæ in aliis manſionibus à duodecima contigiſſe narrantur, non in Sinai, nec circa ſunt deſcribenda; & eorum loca ibi aſſignare vanum eſt. Hinc vides, non niſi magna conſideratione eſſe inhærendum iis quæ traduntur ab inexpertis illarum partium, & illis qui de iiſdem non ſatis accuratè ſcripſerunt.

Non ſunt in via ad Sinai.

Ex quo tamen de his egimus, non erit inutile duo grauia peccata commemorare, quibus populus ille Deum in decimatertia illa manſione offendit; propter quæ debitas luit à Deo pœnas. Primum fuit grauis quædam murmuratio contra Dominum pro labore itineris. Feſtinabat Dominus educere illos de eremo illa aſpera, & quantocyùs perducere ad terminos Terræ promiſſionis; ipſi verò ingrati murmurare cœperunt: & fuit quinta illorum murmuratio. Quamobrem iratus Dominus, incendio percuſſit extremam partem caſtrorum:

Quinta Iſraelis de Deo murmuratio punita.

veriti ne omnes conſumeret, clamauerunt ad Moyſen; quo orante, extinctus eſt ignis; & propterea vocauit tunc Moyſes nomen loci illius, *Incenſio*; quòd incenſus fuiſſet contra eos ignis Domini, Num. 11,3.

Carnes promiſit Deus, & iiſdem ſaturati plectuntur Hebræi.

Alterum peccatum fuit, altera ingratitudo, videlicet notabile quoddam cibi cælestis faſtidium, & inordinata nimis concupiſcentia carnium aliorumque ciborum ſenſualium, in illa præſertim tam ſterili eremo: quæ quidem effrenis & impertinens cupiditas licet in Ægyptiis cœperit; quia tamen Hebræi non ſolùm illos compeſcere atque ab hac ſtultitia remouere non curarunt, ſed potiùs cum illis flere & contriſtari non erubuerunt, nauſeantes ſuper Man tamquam cibo leuiſſimo & ingrato, & flagrantes deſiderio carnium ac piſcium, aliorumque ciborum quos comedebant in Ægypto, diſplicuit hoc valdè etiam ipſi Moyſi: qui videns ſe populo ſatisfacere non poſſe, tædio affectus ſuper adeò moleſta illius populi gubernatione, cœpit clamare ad Dominum; ille verò vt ſeruum ſuum aliquatenus alleuaret, iuſſit eum deligere ac deſcribere ſeptuaginta ſenes valdè probatos de Iſraël, & congregare eos ad tabernaculum fœderis: volebat enim partiri cum eis ſpiritum ipſius Moyſi, vt eſſent ei velut coadiutores in adminiſtratione ac regimine populi, & poſſent eum ſubleuare in cauſis grauibus quæ referebantur ad ipſum Moyſen; nam leuiores referri ſolebant ad tribunos & centuriones, quinquagenarios & decanos, vt habetur Exod. 18, 25. Inſuper promiſit Dominus Moyſi ſe daturum populo carnes ad ſatietatem, non vno die tantùm, ſed integro menſe, &c. & promiſſis ſtetit; ſed non immemor culpæ quam ſemper ſequitur pœna, ſub finem illius menſis, cùm iam carnibus ad ſatietatem ſaturati eſſent, & adhuc illæ hærerent dentibus ipſorum, ecce furor Domini percuſſit eos plaga magna nimis; vt propterea Moyſes, qui prius vocauerat locum illum *Incenſionem*, mox eumdem *Sepulchra concupiſcentiæ* voluerit appellari; quòd ibidem ſepeliſſent eos, qui carnes tam inordinatè appetiuerant, Num. cap. 11. per totum, & Pſal. 77, 26. illis verbis: *Tranſtulit Auſtrum de cælo: & induxit in virtute ſua Africum. Et pluit ſuper eos ſicut puluerem carnes*, &c. Et hæc de Sepulchris concupiſcentiæ ſatis.

Caloſtii cibi faſtidii, & carnium deſiderium.

Mirus nominis loci Sepulchri concupiſcentiæ.

Oſtiola illa in rupibus & ruinas, congruentiùs alij opinantur fuiſſe latibula antrorum & cellularum Eremitarum aliorumque ſanctorum Patrum, quibus antiquitus regio iſta abundabat. Et præterea, quomodo credere poſſumus, Hebræos illos fuiſſe ſollicitos de honorificè ſepeliendis illis ab ira Dei interfectis, quos Deum in ſepulchro inferni ſepeliſſe nouerant? & quis credet ad tale opus ſe potuiſſe diſponere, quod non niſi aliquo tempore abſolui poterat, cùm in itinere continuo eſſent, & incertum erat tempus illorum manſionis in aliquo loco; quia ad diſceſſum columnæ illis minimè prægnitum diſcedere tenerentur? ſabulum, & terra ipſa, vbi ceciderunt, fuerunt illorum Iudæorum ſepulchra.

Antra Anachoritarum.

Moyſi ſeptuaginta probati viri in auxilium dantur.

PEREGRINATIO V. *in qua recoluntur & explicantur quinque memorabilia loca, quæ inuiſuntur in ipſius montis Sinai viſitatione.* I. *Mons Moyſis, ſiue Horeb.* II. *Mons ſanctæ Catharinæ virginis & martyris, ſiue Sinai.* III. *Eccleſia quadraginta Martyrum.* IV. *Petra Horeb.* V. *Denique Monaſterium & Eccleſia S. Saluatoris.*

CAPVT PRIMVM.

De monte Horeb & Sinai in communi.

AGemus præſenti Capite de ſacro monte Sinai & Horeb, præcipuo termino itineris quod faciunt peregrini ex Terra ſancta in Ægyptum, & de peculiaribus locis in eo & circa ipſum contentis. Vt verò rem maiori qua fieri poterit claritate explicemus, agemus de ipſo monte Horeb & Sinai in communi, & particulari; priori modo præſenti Capite, poſteriori verò modo, ſicut & de aliis ad ipſum ſpectantibus, in ceteris Capitibus huius Peregrinationis.

Notandum itaque, quòd quemadmodum non ſemel contingit, vt plures res eodem nomine nominentur; ita frequenter accidit, vt pluribus nominibus res eadem appelletur: & hoc tam in ſacris quàm in profanis litteris obſeruare licet, quemadmodum, ſi benè recolo, fuit à me aliàs obſeruatum & explicatum: quare, omnibus confirmationibus & exemplis ad hoc omiſſis, reſolutè intentum explico: Deſertum & ſolitudo inuenitur Sinai nuncupata, de qua Cap. VII. præcedentis Peregrinationis; & eſt mons eadem nomenclatura inſignitus, de quo in præſenti. Sed, an à ſolitudine mons, an potiùs ſolitudo à monte denominetur, res eſt incomperta; mihi hoc poſterius

Sinai mons & solitudo.

ſterius probabilius videtur: nam mons Sinai multò celebrior eſt ſolitudine Sinai illi proxima. Itaque mons Sinai pluribus nominibus nominatur, vt poſteà videbimus, ſed ſingulariter Sinai & Horeb; quamuis, propter diuerſa illius cacumina, & nomina, quidam non vnum, ſed duos montes eſſe opinati ſint: ſedenim vnicum eſſe diuerſis nominibus appellatum, non leuis eſt coniectura; quòd quæ in monte iſto operata narrat Scriptura diuina, modò in Horeb, modò in Sinai facta fuiſſe docet. Igitur, ſi vna actio vnum locum expoſcit, vnus erit hic mons in quo ea operata fuerunt. Sed vt hoc argumentum clarius explicetur, diuerſa illius Auctorum placita hic adſcribere iubet, vt, quod probabilius erit ex ipſis, probetur.

Sinai & Horeb idem mons.

De iſto monte ſententia:

Adrichomij.

Adrichomius in Pharan num. 69. *Oreb*, inquit, *qui & Horeb & Chorreb, ingum eſt montis Sinai; atque inde vno nomine mons Dei appellatur: & ſcriptum eſt, legem datam nunc in Sinai, nunc in Oreb. Quidam verò exiſtimant, Orientalem iſtius montis partem dici Sinai, Occidentalem Oreb.*

Euſebij.

Euſebius apud Hieronymum, duos diſtinctos facit.

D. Hieronymi.

D. Hieronymus vnum facit montem, duobus nominibus appellatum. Is enim in libro de Locis Hebraicis verbo Choreb, poſteaquam Euſebij illius libri Auctoris verba tranſtulit, & ſententiam poſuit, dicens; *Choreb mons Dei in regione Madian iuxta montem Sina, ſupra Arabiam in deſerto*, &c. mox ex propria ſententia ſubiungit: *Mihi autem videtur, quòd duplici nomine idem mons, nunc Sina nunc Choreb vocetur*. Cum D. Hieronymo ſunt Lyra, Abulenſ. in cap. 17. Exod. & alij.

Torniellus To. 1. Annalium M. A. 2544. num. 34. ſententiam D. Hieronymi in hunc modum arbitratur interpretandam, vt reuerà Horeb & Sinai non fuerint duo montes ſibi inuicem proximi, vt putauit Euſebius, ſed vnus dumtaxat mons in longum valdè porrectus, & duplici vocabulo nuncupatus: non quidem ſecundùm ſe totus, ſed ſecundùm partes; vt pars eius Occidentalis, quæ radices ſuas vſque prope Raphidim extendebat, propriè diceretur Horeb; Orientalis verò pars, quæ intra deſertum Sinai excurrebat, ab eiuſdem deſerti nomine mons Sina vel Sinai denominaretur.

Sententia communior & probabilior: diſtinctos eſſe, ſed in radice cohærere.

Adrichomius citatus aliam addit ſententiam, dicens: *Communior autem ſententia eſt, montes illos inter ſe diſtinctos, ſed radicitus cohærere; eſſe etiam Oreb multò inferiorem altitudine monte Sinai.* Quam ſententiam vt communiorem, ita veriorem credo, & amplector; eamque ampliùs explico, ſubiiciendo quæ ibi notani: ex quorum obſeruatione, facile erit conciliare alias quæ apparent inter ſe diſſentientes ſententias.

Situs & conditio.

Accedentibus ex Occidentali plaga montis Sinai ad ipſum montem (eſt enim deſertum ex quo, & via per quam accedimus ad ſanctum montem, in eius plaga Occidentali, & imus ad Orientem euntes ad Sinai) primò ſeſe offert templum & monaſterium ſancti Saluatoris in magna planitie ædificatum; vlteriùs verò mons, aut potiùs collis, proximus loco vbi Moyſes vidit rubum incombuſtum, Exod. 3, 2. & vbi eidem apparuit Dominus, quando illum Deum Pharaonis conſtituit, Exod. 7, 1. & petra, vbi Moyſes Dominum orauit, vt Iſraëliticus populus de Amalec victoriam conſequeretur, vt Cap. VI. præcedentis Peregrinationis attigimus.

Dicitur enim Exod. 17, 10. *Moyſes & Aaron, & Hur aſcenderunt ſuper verticem collis*, &c. Verticem collis dicit, non montis; quia reuera comparatione proximorum montium, qui nunc Moyſis, Horeb, ſanctæ Catharinæ & Sinai appellantur, collis verè eſt, & demiſſiſſimus; vnde in Exod. 17, 6. *petra Horeb* appellatur. Horeb tamen præcipuo nomine non caret. Vergit mons iſte ad nigredinem.

A læua tam montis huius quàm monaſterij templique ſancti Saluatoris cernuntur duo celſiſſimi montes, ab inuicem quidem cacuminibus diſcreti, ſed in radice ſe contingentes: quorum alter templo proximior Moyſes appellatur; quoniam traditio habet, ſanctum virum in eo ieiunaſſe, & in eius ſummitate Legem accepiſſe; alter verò remotior ſanctæ Catharinæ dicitur, quòd in eius ſummitate ſanctiſſimæ virginis & martyris Catharinæ corpus poſt illius illuſtre martyrium fuerit ab Angelis mirabiliter collocatum. Ille Horeb, iſte Sina: ille in Occidentali parte iſtius, & iſte in Orientali plaga illius ſitus eſt: ille non ſuprema pars montis, vt dixit Abulenſis, ſed altera inferior, vt dixit Adrichomius; & ad oculum patet.

Mons Moyſes dictus.

Mons ſanctæ Catharinæ.

Vnus mons propinquitate & radice.

Vnus & plures dici poſſunt: vnus in primis, propter illorum propinquitatem & in radice continuitatem; ac ideò quæ in vno, eadem in altero recenſentur operata. Et hæc quæ ſuppetunt exempla ad huius probationem ſufficiant. Primò Exod. 3. v. 1. legimus, Deum apparuiſſe Moyſi in rubo in monte Horeb; & cùm vellet eum mittere ad Pharaonem, dixiſſe ei v. 12. *Ego ero tecum: & hoc habebis ſignum, quòd miſerim te: Cùm eduxeris populum meum de Aegypto, immolabis Deo ſuper montem iſtum.* Acqui-

Alia illi.

Exo-

Exodi cap. 24,16. vbi hæc immolatio deſcribitur, apparet præcipuè, eam fuiſſe factam in monte Sinai. Item ex poſtremis verbis Exod. 31. & ex toto capite ſequenti manifeſtum fit, Iſraëlitas feciſſe adoraſſeque vitulum aureum ad radices montis Sinai, vbi morabatur populus eo tempore, quo manſit Moyſes in vertice eiuſdem montis quadraginta diebus, vt Legem Domini mereretur accipere; & tamen in Pſalmo 105.v.19. dicitur: *Et fecerunt vitulum in Horeb, & adorauerunt ſculptile.* Denique vide Exod. cap.19. præcipuè v. 11,15, & 20. item cap.24.v.16. & cap.31.v.18. & cap.34. v.2,4,29, & 32. Ex his enim & aliis pleriſque Scripturæ locis apertè colligitur, Legem datam fuiſſe in monte Sinai: quod etiam teſtificatur Apoſtolus ad Galat. cap.4.v.24. illis verbis: *Hæc enim ſunt duo teſtamenta. Vnum quidem in monte Sina*, &c. & ſancta Eccleſia in Oratione ſanctæ Catharinæ, dicens: *Deus, qui dediſti Legem Moyſi in ſummitate montis Sinai, & in eodem loco per ſanctos Angelos tuos corpus B. Catharinæ virginis & martyris tuæ mirabiliter collocaſti.* Et nihilominus ſi attendas quæ dicuntur Deut. cap. 4. præſertim v.10. & 15. &c. 5. v.2. & deinceps, & ad communem illarum partium traditionem; procul dubiò inuenies, Legem fuiſſe datam in monte Horeb: quod etiam manifeſtè colligitur 3. Reg.8,9. & lib.2.Paral.5,10. quibus in locis legimus, quòd in Arca nihil aliud erat niſi duæ tabulæ, quas poſuerat Moyſes in Horeb, quando Legem dedit Dominus filiis Iſraël. & Malac.4,4. *Mementote*, inquit Dominus, *Legis Moyſi ſerui mei, quam mandaui ei in Horeb ad omnem Iſraël.* Quare optimè Eccleſiaſtici cap. 48,7. vbi memoratur locus in quo data fuerat lex, ponuntur hæc duo nomina, Sina & Horeb; ſic enim dicitur: *Qui audis in Sina iudicium, & in Horeb iudicia defenſionis.* Et hoc ideò dixit, vt intelligeremus, pro vno eodemque loco debere accipi Sina, ſiue Sinai, & Horeb: pro vno quidem, ratione loci communis, eorumque propinquitatis. Ac ideò quotieſcumque legimus Iſraëlitas profectos eſſe de Horeb, vt ſpeciatim dicitur Deut. cap.1.v.2. & 19. debemus intelligere, profectos eſſe de Sina, hoc eſt de duodecima manſione, quæ ibi ſupponitur facta in Horeb; Exod. autem cap.19, 1. & 2. dicitur facta in Sina: ſicut è contrà, cùm dicitur in Oratione ſanctæ Catharinæ, corpus eius collocatum fuiſſe in eodem loco vbi Moyſi Lex data fuit, per eumdem locum non particularem, id eſt cacumen Sinai, quod Horeb appellatur, ſed communem, id eſt ipſum montem in ſe: nam aliàs conſtat veteri communi receptа traditione, collocatum fuiſſe in altero eminentiori cacumine, quod communi nomine mons Sina, ſiue Sinai, appellatur; & mons S. Catharinæ, propter illius corpus ibidem ab Angelis ſepultum, vt poſteà dicemus.

Plures verò montes dici poſſunt; quia diuerſa ſunt cacumina, illaque eminentia. Quare, vt breuibus rem concludamus, dicendum, monté Sinai & Horeb eſſe vnum radice & mutua cohærentia; & ad hoc reſpexerunt qui vnicum eſſe dixerunt: alij verò propter diuerſa cacumina, duos eſſe montes exiſtimarunt; Horeb interiorem, Sina ſuperiorem ac maiorem, & in illius plaga Orientali ſitum: & in hunc modum, meo iudicio optimè, eos delineauit Abraham Ortelius in Deſcriptione Turcici Imperij, & in Deſcriptione Palæſtinæ. Ex his patet, quàm falſum ſit quod quidam dixerunt, Horeb eſſe velut iugum quoddam ſuperimpoſitum monti Sinai. Lege P. Greſſerum lib.1. de Sacris peregrin. cap. 13. vbi, agens de peregrinatione ad montem Sinai, aliqua dicit de huius locis; & lib.2.c.20.

Duo montes dicuntur propter duo cacumina.

CAPVT II.

De ſacro monte Horeb, nunc monte Moyſi appellato, primo loco quintæ Peregrinationis, & peculiaribus aliis locis quæ in eo viſuntur.

OStendimus quidem Capite præcedenti, montem Sina vel Sinai eſſe eumdem qui Horeb: & oſtendimus etiam, quomodo ſint quodammodò duo montes ratione duorum cacuminum, & qui inferior eſt, appellari Horeb; qui verò ſuperior & maior, Sinai; etſi confundantur frequenter hæc duo nomina apud ſacros exteroſque Scriptores. Hinc factum arbitror, vt poſteriores, qui viderunt, & optimè diſtinctam illorum notitiam habuerunt, ad omnem tollendam ambiguitatem, quem diximus proprié appellari Horeb, Moyſi; quem verò communi nomine Sinai, ſanctæ Catharinæ montem appellarunt, & vſque in hodiernum diem appellatur. De vtroque agemus in particulari; ſed de priori præſenti Capite.

Montis Moyſi & S. Catharinæ nomina ratio.

Hic mons & pars montis Sinai meritò S. Moyſes appellatus; quoniam in eo ſunt loca, in quibus vir ſanctus ſingularia fuit operatus, & Deus ſua præſentia & muneribus eum dignatus eſt condecorare: vnde arbitror, ob id Scripturam ſacram, quando quædam dicit geſta fuiſſe in Horeb, quæ aliàs in Sina contigiſſe docuit, locum hunc peculiarem deſignaſſe. Præter iam dicta

Mons Moyſes quid.

Digitized by Google

Treaties on Pardons, Charters, Commissions, Proclamations, Instructions, Ordinances, Inventories, Records, Presidents, Journals, Letters, Patents, Licences, Grants, Faculties, Dispensations, Canons, Decrees, Reports, Tables, Certificates, Returns, Affidavits, Depositions, Informations, Examinations, Indictments, Presentments, Verdicts, Attainders, Outlawries, Exigents, Proceedings, Bonds, Recognizances, Contracts, Agreements, Awards, Submissions, Compromises, Releases, Conveyances, Deeds, Wills, Codicils, Testaments, Administrations, Inventories, Accounts, Receipts, Discharges, Acquittances, Quittances, Tallies, Scores, Books, Notes, Bills, Vouchers, Tickets, Indentures, Counterparts, Escrolls, Drafts, Copies, Extracts, Translations, Forms, Modern Precedents, Entries, Pleadings, Declarations, Bills, Answers, Pleas, Demurrers, Replications, Rejoinders, Surrejoinders, Rebutters, Surrebutters, Issues, Records, Writs, Returns, Mandates, Precepts, Warrants, Executions, Bails, Mainprizes, Commitments, Gaol-delivery, Supersedeas's, Certiorari's, Habeas Corpus's, Diedimus potestatem's, Writs of Error, Writs of Attaint, Writs of Annuity, Writs of Partition, Writs of Dower, Writs of Right, Writs of Entry, Writs of Covenant, Writs of Debt, Writs of Detinue, Writs of Trespass, Writs of Ejectment, Writs of Conspiracy, Writs of Audita Querela, Writs of Scire facias, Writs of Quare impedit, Writs of Formedon, Writs of Annuity, Writs of Mesne, Writs of Cessavit, Writs of Escheat, Writs of Customs, Writs of Aids, Writs of Prohibition, Writs of Consultation, Writs of Admeasurement, Writs of Nuisance, Writs of Waste, Writs of Estrepement, Writs of Replevin, Writs of Rescous, Writs of Withernam, Writs of Distress, Writs of Capias, Writs of Exigent, Writs of Outlawry, Writs of Proclamation, Writs of Habeas Corpus, Writs of Certiorari, Writs of Supersedeas

cùm hæc pœnitentium & Eremitarum aduocata sit, isti eam ibi, eo sacello ad omnipotentis Dei gloriam extructo, honorare voluerunt. Alia etiam priùs inuenimus sacella: in quorum altero B. Virginem apparuisse Monachis illis, sanctum locum ob inopiam & continuas molestias relinquere volentibus, eosque cohortatam fuisse ne discederent, traditio testatur; & alia sacella posteà inuenimus in reliquo itinere vsque ad montis summitatem.

Montis asperitas rudibus gradibus facilis reddita.

Prolixitate, altitudine & præruptis rupibus satis difficilis est illius montis ascensus: verùm non parum Monachi illi facilem reddiderunt; nam lapides super lapides superponentes, gradus fecerunt, quibus vsque ad summitatem ascenditur.

In summitate duo sacella; alterum pro Græcis, pro Latinis alterum.

Denique, cùm manè ad summitatem montis cum Dei auxilio peruenissemus, ibi Ecclesiam inuenimus duo continentem sacella; in quorum priori celebrarunt Græci; in altero illi proximo à latere dextro nos Catholici Altissimo incruentum Missæ sacrificium obtulimus: ad hoc enim sacras vestes & alia necessaria ad sanctum Sacrificium ritè celebrandum nobiscum ex Conuentu detulimus. Inferiùs ad Ecclesiam à latere dextro ostenditur petra, in cuius foramine se abscondit Moyses, vidit posteriora Dei, & supra montem illum Legem digito Dei scriptam in tabulis lapideis accepit: & hoc dicitur etiam in citato manuscripto. Guilielmus de Baldensel inter alia quæ notauit de monte Sinai, de isto foramine petræ loquens, ait: *Figura corporis Moysis videtur quodammodò petræ dicta tamquam cera impressa; cùm tamen adeò sit dura, vt instrumentis ferreis fortissimis vix mei familiares potuerint aliquid de ipsa ad modum pulueris acquirere.* Alia in eo monte & circa contigerunt, à nobis Capite præcedenti relata. In eiusdem montis summitate est fons aquæ viuæ; & prope memoratam Ecclesiam est Mesquita Arabum; vt enim diximus, sacer est hic mons non fidelibus modò, sed etiam infidelibus; & de his arbitror locutum Bredembachium, dum dicit: *In cacumine montis Horeb est spelunca, quam ingressi sumus, in qua Moyses ieiunauit quadraginta diebus & quadraginta noctibus, vt Legem Domini accipere mereretur. Supra verò illam iam dictam speluncam est quædam Muschea, ad quam quotidie confluunt peregrini Arabes & Saraceni, ob honorem Moysi, quem valdè venerantur; asserunt q; magnum fuisse Prophetam.*

Petra vbi Moyses vidit posteriora Dei.

Figura Moysis in rupe.

Fons.

Mesquita.

CAPVT III.

De Ecclesia quadraginta Martyrum sancti montis Sinai, secundo loco quintæ Peregrinationis.

POst debitam sacri montis Horeb, siue Moysis, venerationem, fusisque precibus & oblatis Deo Sacrificiis, ex illo descendimus, & gressus direximus ad monasterium & Ecclesiam Monachorum instituti S. Basilij; quæ & appellatur Ecclesia quadraginta Martyrum montis Sinai: est in plano ædificata; circumcircà sunt herbæ, & arbusta, in via qua eundum est ad alteram montis summitatem, id est sanctæ Catharinæ.

Ratio nominis Ecclesiæ & Conuentus quadraginta Martyrum.

Rationem nomenclaturæ huius Ecclesiæ crediderim esse, vel quia ibidem sancti quadraginta Martyres à Saracenis occisi fuerunt, vel quia ibi illorum corpora tumulata fuere, vel denique quia ad illorum honorem, vt de aliis fieri consueuit, ædificata fuit. De his Martyribus montis Sinai agitur in Romano Martyrologio die 14. Ianuarij, & ibidem in Notationibus Baronij: nec te moueat ad aliter sentiendum, quòd ibi triginta octo nominentur; nam determinatus hic occisorum est numerus: at Ecclesia sub titulo quadraginta Martyrum fuit dedicata, exprimens numerum perfectum pro imperfecto: quod apud omnes Scriptores & nationes fieri consueuit, vt alibi fuit à me obseruatum. Ecclesia pauperrima est, & Monasterium ferè desolatum & derelictum; quoniam in eo haud continuò habitant Monachi illi. Hîc illa die vires resumpsimus, vt nocte sequenti ad iter sacri montis sanctæ Catharinæ idonei inueniremur.

In vetusto manuscripto locorum Terræ sanctæ horum fit mentio his verbis: *Item in pede montis Sinai est Ecclesia quadraginta Martyrum & Monasterium; & est ibi viridarium pulcherrimum.*

CAPVT IV.

De sacro monte S. Catharinæ & Sinai, tertio loco quintæ Peregrinationis.

ANte mediam noctem initio mensis Octobris, ducente Monacho illo Græco, ex Monasterio quadraginta Martyrum iter arripuimus versus montem Sinai, id est, ad eminentiorem partem montis; quæ, retento nomine, mons Sinai appellatur & S. Catharinæ, quòd in illius summitate sanctissimæ Virginis & Martyris corpus,

Digitized by Google

pus, post eius felicem ad cælum transitum, fuerit ab Angelis mirabiliter collocatum, vt cantat Ecclesia, & vetus receptaque illarum partium habet traditio. Et in citato manuscripto Capite præcedenti, appositè hæc leguntur: *Item est alius mons altissimus, vbi Angeli portauerunt corpus sacrum S. Catharinæ ab Alexandria, & quieuit ibi per trecentos annos, custoditum ab Angelis.* Idem dicit Fr. Anselmus Minorita in sua Terræ sanctæ descriptione. Tot annis in illius summitate extitisse post illius mortem, retulit mihi etiam Episcopus Monachorum S. Saluatoris montis Sinai, super hoc à me requisitus; post quos fuit inferiùs delatum propter Arabes, ne consumeretur, & vt honorificentiùs custodiretur. Quare si Alexandriæ sub Maximino Imperatore passa est, vt dicitur in Martyrologio Romano die 25. Nouembris, & Maximinus, secundùm computum Genebrardi, imperauerit ab anno Domini 236. vsque ad 237. vbi etiam notatur persecutio Christianorum, credibile est hoc anno, scilicet 237. martyrio coronatam fuisse Catharinam: & cùm statim post eius martyrium illius sacrum corpus fuerit ab Angelis in monte isto collocatum, & manserit ibi trecentis annis, ac consequenter vsque ad annum Dom. 536. & inde inferiùs asportatum ad monasterium Monachorum hoc ipso anno 536. & maneat ibi vsq; ad præsentem annum 1626. dicendum est, supra montem 300. annis, infra verò 1089. mansisse.

S. Catharinæ corpus annis trecentis in summitate Sinai montis mansit.

Scio tamen, virum nobilem Rudolphum de Frameynsperg, &c. qui peregrinatus fuit ad has partes anno Domini 1346. dicere, sacrum huius virginis corpus quingentis annis quieuisse in summitate montis Sinai; iisque finitis, ad claustrum Monachorum delatum fuisse: sed libentiùs adhæreo priùs relatis, vtpote maiori auctoritati & rationi innixis.

Mons iste celsissimus est, asperrimus, adscensuque difficillimus: quæ est causa, vt qui vadunt ad illum montem, non omnes illum ascendant, tantùm illum à longè salutantes; qui verò ascendunt, non nisi cum magna difficultate. In ascensu ad Monasterium quadraginta Martyrum decem circiter horas, si benè recolo, itineris consumpsimus. Quare optimè de eo hæc Adrichomius in Pharan num. 92. *Sina, qui & Sinai, mons præclarus & sanctus, est rotundus, omnium in ea regione celsissimus, & adscensu difficillimus. Continet in altitudine graduum septem millia, demptis locis in quibus rectiùs passibus ascenditur, & non per gradus: nomen accepit ab eo quòd rubis abundet, quemadmodum & herbis optimis ad pa-*

Mons Sinai altus & ascensu difficilis.

scua, &c. & inferiùs: *Dictus hic mons Arabibus Agar aliquando, vt quibusdam placet, nunc verò Tur, VVeiss.*

Aliqua quæ de isto monte tradit Rodulphus citatus placet hîc subijcere: *Mons Sinai*, inquit, *in sua summitate per totum est saxosus; qua saxo rubeo & albo colore diuisim est colorata in modum marmorei lapidis, excepto loco in quem corpus S. Catharinæ per Angelos fuit collocatum. Idem locus est integer lapis albus, in quo apparent omnes dimensiones corporis S. Catharinæ virginis per impressionem velut materiam liquidam: & ille lapis respicit partem montis Meridionalem, & ab extremitate montis Sinai distat paulò minùs vel magis in longitudine vnius hastæ. Item, idem lapis de superficie montis circa altitudinem quatuor digitorum est eleuatus. Item, altitudo montis Sinai est in duplo altior monte Moysi. Item, latitudo montis Sinai à parte Orientali in partem Occidentalem se extendit ad quartam partem arcus sagittæ; longitudo verò eiusdem montis à plaga Meridionali versus Aquilonem continet vnius arcus sagittam mediam*, &c.

Circa medietatem huius montis est fons frigidissimæ aquæ: item auulsi ex rupe reperiuntur lapides, vel auelluntur; in quibus à natura flores, herbæ, arbusta mirabiliter depicta sunt; & meritò multùm æstimantur.

Circa montis medietatem fons, item lapides naturaliter floribus ornati.

Cùm tandem manè supra montem sanctum defessi veniissemus, ostensum fuit nobis à ductore paruum & angustum sacellum, in eo loco, vt ille ex veteri traditione dixit, extructum, vbi priùs corpus S. Catharinæ fuit ab Angelis collocatum. Et fatuet Ecclesia, quæ dicit fuisse collocatum *in summitate montis Sinai:* nam hac parte in toto illo monte nulla celsior est, & præ omnibus aliis eminet; sed postea fuit, vt iam dictum est, delatum inferiùs. Dixit verò Monachus ille, qui continuò in illis partibus manet, rupem, in qua velut in sepulchro sanctæ Virginis & Martyris corpus ab Angelis depositum, postquam fuit ab illa sanctum pignus ablatum, mirabiliter se eleuasse, & vacuitatem repleuisse; & in sacello illam parum prominentem rupem inclusam ostendit. Sed quidquid sit de hoc, relata & visa refero. Ibi, etsi cum difficultate, propter loci angustiam & altaris paruitatem, Missam celebrauimus, & nos Deo & eius sponsæ dilectissimæ Catharinæ precibus commendauimus. Et aliud ibi sacellum non est.

Sacellum vbi S. Catharinæ corpus in montis celsiori parte positum fuit.

Sed dicet quispiam conscius naturę Græcorum, Quomodo potuistis ibi Missam celebrare; quoniam, vt dixit Samaritana illa, *non coëtuntur Iudæi Samaritanis*; non conueniunt

Obiectio.

Ioan. 4. 9.

ueniunt cum Latinis Græci & ſchiſmatici illi: vnde in ſacellis & altaribus, vbi nos celebramus, non celebrarent, illi in perpetuum, arbitrantes noſtris ſacrificiis loca pollui; ſicut numquam permittunt illi, vt nos ſuper eorum altaribus Sacrum faciamus. Igitur, ſi nobis fuit conceſſum in eo ſacello celebrare, non in illo celebrant Græci: at non eſt hoc credendum; quia ſanctam Catharinam ex ipſorum Patribus oriundam, & ſacrum illum locum venerantur; & ad eius honorem, vt poſſent ibi ſacrum Miſſæ ſacrificium Altiſſimo offerre, ſacellum illud conſtruxerunt.

Soluit. Reſpondeo, aliàs non fuiſſe conceſſum Catholicis Latinis ibi Miſſam celebrare, quando celebrabant Græci. At poſtquam eò ſe contulit cum quibuſdam Cairi mercatoribus paucis abhinc annis Sacerdos ex Ordine S. Auguſtini, P. Iulius à Feraria nuncupatus, & ibi vel inſciis Græcis, vel illi non reſiſtentibus, vel reſiſtere non valentibus, Miſſam celebraſſet; poſteà ab illorum ſacerdotibus & præſulibus recognita, locum illum ex eo ſacrificio profanum habentes, in poſterum non ampliùs ibi celebrarunt: ſed nobis Catholicis celebrare conceſſum eſt. Audiui tamen in partibus illis, ſtatuiſſe Græcos illud ſacellum deſtruere, & aliud ibidem reædificare, in quo non nos, ſed illi celebrare valeant: ſed quid fecerint neſcio. Ex iſto, ſicut ex altero monte, Mare rubrum clarè conſpicitur.

CAPVT V.

De petra Horeb, quæ à Moyſe virgâ percuſſa dedit aquas largiſſimas, quæ quarto loco occurrit in quinta Peregrinatione.

EX ſacro monte Sinai, ſiue S. Catharinæ, per aliam viam, à qua illum aſcendimus, reuertentes ad Monaſterium S. Saluatoris, nonnulla memorabilia præter iam indicata fuerunt in reditu illo oſtenſa: inter quæ ſingulariter fuit Petra illa, quam Moyſes exiſtens in valle Raphidim ad imperium Domini percuſſit, vt populo Iſraëlitico aquæ largiſſimæ ex ea fluerent, recrearetur ipſe, & ceſſaret illius contra Deum & Moyſen murmuratio, de qua Exod. cap. 17, 1. 2, 3, & 6.

Forma petræ quæ à Moyſe percuſſa aquas dedit. Quæ in petra iſta notaui obſeruatione digniſſima, & aſpectu iucundiſſima, hîc iuuat referre. Petra hæc eſt in torrente vel valle Raphidim, vel ad eam quodammodò pertinet, non eſt rupi, vbi manet, affixa & inhærens, ſed ſeparata & mobilis, ac ſi de induſtria & vi illuc delata fuiſſet: eſt quadrangularis formæ, altitudinis eſt quatuor vlnarum, & trium circiter latitudinis. Ex duplici eius parte, anteriori & poſteriori, quæ reſpicit torrentem & viam, cernuntur duodecim ſigna, vnum ſupra alterum, ſex ex vna & totidem ex altera parte efformata, diuinitus vel humanitus, ad conſeruandam illius miraculi memoriam: ſunt velut canales palmum circiter per tranſuerſum lati, ex quibus fluxerunt copioſiſſimæ aquæ omni populo Iſraël; & ſubtus ſigna fluxus aquæ videntur: quæ eſt cauſa, vt Monachi illi credant, iuxta veterem traditionem, eſſe petram, cuius meminit Scriptura cap. citato Exodi; & ſigna illa diuinitus & miraculosè efformata miniſterio Moyſi, dum prodigioſa ſua virga illam percuſſit. Huius petræ fit mentio in ſæpiùs citato manuſcripto locorum Terræ ſanctæ his verbis, *Item eſt ibidem petra Horeb, vbi emanauerunt aquæ largiſſimæ*, &c. & in locis Scripturæ ſacræ infra citandis.

Vt verò, quæ hiſtoricè & ex traditione diximus, elucidentur & explicentur, duo adnotare placet: alterum, vbi & quando hæc petra percuſſa dedit aquas; alterum, quanto tempore illius fluxus perdurauit.

Petræ bis aquas eduxit. Pro prioris intelligentia obſeruandum eſt, Moyſen bis ex petra iuſſu Domini eduxiſſe aquas, vt ex collatione locorum S. Scripturæ, quæ de aquarum eductione loquuntur, colligunt manifeſtè ſacri Doctores. Prima aquæ eductio de petra deſcribitur Exod. cap. 17. à verſ. 2. vſque ad 8. ſecunda traditur Num. cap. 20. verſ. 2. vſque ad 14. has verò fuiſſe inter ſe differentes tradunt Genebrardus, Adrichomius, Torniellus, & alij; & patet ex vtriuſque eductionis aquæ narratione: quando- *Vtriuſque eductionis diſcrimen.* quidem prima facta eſt manſione vndecima in Raphidim, duobus menſibus ab exitu de Ægypto nondum expletis, Exod. 17, 1. & Num. 33, 14. ſecunda verò manſione trigeſima tertia in Cades, poſt annos quadraginta. In prima legimus, populum non modò murmuraſſe aduerſus Moyſen, ſed & tentaſſe Deum, vt patet loco citato Exod. in ſecunda, eumdem populũ tantummodò verſum in ſeditionem contra Moyſen & Aaron. In prima habemus, ſolum Moyſen clamaſſe ad Dominum, Exod. 17, 2, 3, 4, & 7. nulla facta tabernaculi mentione, quod adhuc factum non erat: in ſecunda dicitur ſpecialiter, Moyſen & Aaron ingreſſos tabernaculum fœderis corruiſſe pronos coram Domino, Num. 20, 2, 3, 4, 5, 6, & 13. Prima dicitur facta coram ſenioribus, Exod. 17, 5. ſecunda autem coram

Digitized by Google

ram omni Iſraëlitarum multitudine, Numer. 20, 6. Prima commiſſa fuit ſoli Moyſi, Exod. 17, 7. ſecunda Moyſi & Aaroni, Num. 20, 8. Prima in petra montis Horeb ſemel percuſſa, Exod. 17, 6. ſecunda vel in eadem, ſecundùm quoſdam, vel, quod probabilius eſt, in alia petra exiſtente in Cades bis percuſſa, Num. 20, 11. In prima non innuitur, quòd Moyſes in fide hæſitauerit, & quòd vllam meruerit à Deo caſtigationem; in ſecunda verò hanc expreſsè legimus, Num. 20, 12. *Dixitq; Dominus ad Moyſen & Aaron: Quia non credidiſtis mihi, vt ſanctificaretis me coram filiis Iſraël, non introducetis hos populos in Terram quam dabo eis.* Denique locus primæ nuncupatus eſt *Tentatio*; at ſecundæ vocabulo *Aqua contradictionis* deſignatur. Vtriuſquę huius miraculoſæ eductionis aquæ è petra fit mentio in Pſalm. 77, 15. & Pſalm. 104, 41. illis verbis: *Interrupit petram in eremo: & adaquauit eos velut in abyſſo multa. Et eduxit aquam de petra: & deduxit tamquam flumina aquas. Dirupit petram, & fluxerunt aquæ: abierunt in ſicco flumina.* & 1. Cor. 10, 4. Ex his habemus, quid reſpondendum ſit ad prius propoſitum dubium, primam aquæ è petra eductionem, de qua ſingulariter nunc loquimur, accidiſſe ſecundo menſe exitus de Ægypto in valle & ſolitudine Raphidim, petra Horeb ſemel percuſſa. Tantaque fuit aquarum copia, quæ è petra eruperat, vt quaſi in flumina deriuari viderentur, ita vt homines & iumenta abundanter biberint; quod deſiderabant Hebræi.

Prima aqua eductio accidit in Raphidim.

Dubium.

Sed dubitatio inſurgit, quòd non eo loco petra illa fuit à Moyſe percuſſa. Si enim à Raphidim ad Sinai, ſacra teſtante Hiſtoria, tantum intercedat itineris, quantum ab vndecima manſione vſque ad duodecimam; &, ſecundùm Genebrardum loco inferiùs citando, quatuor milliaria diſtent ab inuicem, & idem mons ſit Horeb & Sinai; quî fieri potuit, vt Moyſes in Raphidim manens percuſſerit petram montis Horeb?

Solutio.

Reſpondent Lyranus cap. 17. Exod. & Abulenſis ibid. quæſt. 3. Horeb, in quo erat Moyſes quando percuſſit petram, eſſe alium locum ab Horeb & Sinai monte. ſic enim ille in ea verba, *ſupra petram Horeb*, ait: *Non eſt putandum, quòd iſta vocetur petra Horeb, quia ſtaret in monte Horeb: nam mons Horeb & mons Sinai idem ſunt. Sed dicendum, quòd Horeb eſt aliquis alius locus deſerti ante montem Sinai, qui etiam vocatur mons Horeb, vel fortè vallis Horeb.* Sed enim huic reſponſioni refragatur vetus traditio, & obſtant alij, arbitrantes vnicum eſſe locum Horeb & Sinai montem.

Reijcitur.

Quare P. Torniellus Tom. 1. M. A. 2544. num. 34. aliter reſpondet, dicens, Horeb & Sinai vnum montem eſſe in longum valdè porrectum, & partem eius Occidentalem, cuius radices vſque prope Raphidim ſe extendebant, propriè Horeb dici; & ſic potuiſſe Moyſem in Raphidim percutere, vereque percuſſiſſe petram Horeb, ab alia remotiore parte montis diſſitam.

Alia ſolutio.

Crediderim ego ſic dici poſſe, vallem Raphidim & ſolitudinem Sinai non multùm à ſe diſtare, & multò minùs à monte; ſed ipſum contingere, Raphidim ex vna, Sina ex altera parte, vt videri poteſt in Geographica delineatione Adrichomij: quare benè potuit Moyſes in Raphidim percutere petram Horeb, id eſt in radice huius montis. & confirmatur: quia in Exod. capite 18, 5. dicitur de Moyſe exiſtente in Raphidim, fuiſſe eum caſtrametatum iuxta montẽ: ſed hic eſt Horeb, vt ſuprà Cap. 11. huius Peregrinationis dictum fuit; & colligitur ibi manifeſtè ex dictis. Et tantò ampliùs hoc verum eſſet, ſi aſſentiremur Lyrano aſſerenti, vt retulimus ſuperiùs Capite VII. præcedentis Peregrinationis, Moyſen in ſolitudine Sinai caſtrametatum fuiſſe in plaga Meridionali ſacri montis: at in eadem eſt nunc petra, quæ, vt fertur, fuit ibi virgâ à Moyſe percuſſa; tenendo quod ſuperius diximus, ſimul continuari vſque ad montem Sinai & Horeb ſolitudinem Sinai & Raphidim, & propter confinia petram illam pertinere ad Sinai & Raphidim: dicitur autem petra Horeb, quia ab Horeb parum diſtat.

Tertia ſolutio.

Denique ſoluta eſſet difficultas, vel ſaltem nobis non officeret, ſi verum eſſet quod quidam tradunt, petram illam fuiſſe quidem ex Horeb auulſam, ac propterea nuncupatam fuiſſe petram Horeb, & poſteà ſtetiſſe in valle Raphidim proxima, & in latere montis: & hoc fortaſſe fuit aſſertum propter quorumdam Hebræorum placitum, aſſerentium, petram illam ſecutam fuiſſe Hebræos; de quo ſtatim ex Genebrardo. Hæc diximus ratiocinando, eligat Lector quam probabiliorem cenſuerit ſententiam.

Quarta ſolutio.

Sed quanto tempore fluxerunt ex illa petra aquæ? quod fuit ſecundò ſuperiùs quæſitum. Abulenſis ſuprà citatus, vſque in ſuum tempus fluxiſſe aſſerit; ſic enim de his ſcribit: *Iſte fons*, inquit, *qui tunc de petra Dei beneficio ſpeciali effluxit, vſque hodie effluere nondum ceſſauit magnas aquas emittens, ita quòd tota vallis irrigatur: & anteà aquarum penuriâ habitata non fuerat, nunc autem tota aquarum gratiâ habitata eſt: &*

De tempore fluxus aquarum à petra.

Reſponſio Abulenſis.

vocatur Vallis Moysi; quia ibi Moyses percussit silicem, vt aquas emitteret. Hæc ille.

Sedenim hæc mihi non probantur, sensu & experientia refragante: si enim aquæ modo expositò fluxissent tempore eius, & nostro fluerent; quia non multum tempus est quòd è viuis discessit: & si intra hoc tempus fluere desiissent, aliqua extaret memoria; at nulla est. Et nunc vallis vel torrens vbi est, caret omnino aquis, & petra illa nullas dat. Quòd si loqui vellet de alia aqua non ex petra, sed ex fontibus fluente; dico, nec ex fonte qui est in summitate montis Moysi, nec ex altero qui est in medio montis sanctæ Catharinæ, inferiùs fluere aquas, vt illarum beneficio terra illa sit habitabilis; nec similiter ex eo qui alibi reperitur, vel in Conuentu quadraginta Martyrum, vel sancti Saluatoris: nam in eodem fonte & radice aquæ manent, ex qua oriuntur, vt oculati testes fateri nobiscum poterunt.

Secunda Rabbinorū responsio.

Rabbini quidam dicunt; ex petra illa virtute illius primæ percussionis Moysi fluxisse aquas vsque ad mortem Mariæ sororis Moysis; sed postea secundò percussam iterùm fluxisse. Audi quid de his scribit Genebrardus in ea verba Psal. 77, 15. *Interrupit petram in eremo*, &c. *Rupem Horeb*, inquit, *Hebr. Isurim, petras siue cautes. Bis enim aquam è rupe elicuit, duobus mensibus ab exitu nondum expletis in Raphidim, deinde post annos quadraginta in Cades, quamquam differenter. Nam è prima percussione exundauit fluuius manans quatuor milliaria: tantum enim distat Horeb à Raphidim; vbi consistebant Israëlitarum castra. E secunda puteus aquarum viuentium. Fortasse antè petram singulari numero extulerunt; quoniam secundùm traditiones Hebraicas, vnica fuit petra diuersis regionibus & temporibus percussa. R. Moyse Nahamides, Exod. 17. vbi addit, maiorum esse sententiam quoq;, vt & hic fons ex Horeb non modò instar fluuij aquas fuderit totis quadraginta annis, quibus extiterunt in deserto, sed & illos comitatus sit per deserta, quocunque tandem demigrarent. Cui congruit Apostolus, dicens: Bibebant omnes eumdem potum, de spirituali eos consequente petra: quasi petra, siue rupes illa, pro varietate migrationum moueretur, & consequeretur, quemadmodum de columnis nubis & ignis constat; nisi malis, consecutam petram, id est, petræ fluxum, per derivationem videlicet & deductionem aquæ à populo ad loca castrorum procuratam, siue per ipsius Dei transmissionem & directionem. Nec obstat, quòd in deserto excitatum sit alterum murmur ob aquæ penuriam; vt secundò educeretur aqua ex altera rupe post annos triginta octo. Nam de hac ipsa rupe, nempe de priori hac, Rabbini veteres & recentiores intelligunt; cuius aquam tradunt defecisse propter Mariæ mortem, donec secundò educeretur ex eadem ad secundum de ea murmur. Hinc Rabbi Isaac: Hæc petra Horeb est illa Cades, nempe puteus Mariæ, qui illos est comitatus quadraginta annis: sic dictus, quoniam tot annis fluxit Mariæ meritis*, &c. & inferiùs: *Ex Horeb, vbi rupes percussa est, vsque ad Raphidim, vbi tunc erant castra, per duas leucas aqua exundarunt in modum fluminis* (intellige, secundùm ipsum superiùs, per tot annos quot manserunt in deserto) *secùs quàm in Cades: in qua mansione veluti fossus est puteus, siue fons fundens aquas quidem viuas, sed non vt fluuius longè lateq; diffusas.* Hactenus ex Genebrardo. Cuius verba, quoniam appositè exprimunt, quæ proposito nostro deseruiunt, hic adscribere placuit; quibus addo, quòd siue rupes illa pariter cum Iudæis ambulauerit, siue fluuius ex ipsa manans modò per accliuia montium violentus ascenderit, modò per decliuia vallium pacatus decurrerit; modò per æquata camporum compositus secutus fuerit, iuxta illud Apostoli, *Consequente eos petra*, 1. Cor. 10, 4. semper magnum fuisse miraculum.

Rab. Salomon apud Lyra. Numer. 20, 6. & R. Isaac apud Genebrard.

Aliqua ex hisce dictis reuocantur.

Nihilominùs in huius Auctoris dictis duo mihi non satis probantur: alterum, defeciisse aquas propter mortem Mariæ; quod etiam dixit Rabbi Salomon apud Lyranum in c. 20. Num. alterum, illas continuo spatio quadraginta annorū fluxisse. Vnde eo loco v. 20. notat quatuor fuisse in deserto miracula permanentia & perennia per annos quadraginta, columnam nubis, columnā ignis, Manna, & petrā, siue petræ Horeb fluxum; & Hebræi omnes, seorsum Rabbi Moyse, & Rabbi Isaac; vt aquas illas proinde Abben Ezra appellet Neemanim, fideles, stabiles.

Illud inquam non probatur: nam eductio illa aquæ vel ex mera Dei liberalitate & misericordia processit, vel ex Moysi meritis, vel potiùs, ex vtrisque. Et si merita Mariæ fuissent causa perennis illius fluxus aquarum, non tacuisset Scriptura; quæ illius defectum & murmurationem contra Moysen expressit. Nec ratio Rabbi Salomonis concludit oppositum, quòd ideò Num. cap. 20. v. 1. & 2. primò exprimatur Mariæ mors, ac deinde immediatè aquæ defectus, ad insinuandum, quòd dum viuebat, per eius merita populus in deserto existens, per magnum tempus antè non habuerit defectum aquæ. Nam, vt patet consideranti Scripturæ verba, duo facta disparata narrant, & non quòd vnum extiterit causa alterius; id est, mors Mariæ, defectus aquæ. Nec etiam deducitur, quòd vsque ad illud tempus semper præbuerit illa

illa petra aquas, sed quòd tunc passi fuerunt filij Israël defectum aquæ: quòd autem non fuerint priùs passi, non dicit prouenisse ex continuo fluxu illius petræ; nam absque continuo illo miraculo, quod sine necessitate admittendum non est, aliunde ex aliis fontibus vel torrentibus aquas pro se & iumentis, quoad venerunt in Cades, & vsque ad obitum Mariæ habere potuerunt: & ex hoc patet, quam probabilitatem habeat alterum dictum ex Genebrardo.

Si quis à me exposceret, quantum continuauerit ille aquæ de petra fluxus, dicerem, incertum esse, nec certò sciri posse, silentio illud inuoluente Scriptura; opinando tamen dicerem, durasse quoad mansit populus in Sinai, & circa, & quoad venerunt ad loca vbi aliæ aquæ fluebant; tumque illam de petra, tamquam superuacaneam populo, in cuius gratiam educta fuit, desiisse.

Bellonij opinio.

Petrus Bellonius lib. 2. suarum Obseruationum cap. 64. de ista petra ita scribit: *Ostensa est nobis in itinere*, id est, montis sanctæ Catharinæ ad eiusdem Monasterium, *rupes vnde effluxit aqua, quæ filiis Israël sitim sedauit, Moyse eam virga ferente: solidum est saxum, rectum, eiusdem qualitatis & coloris cum Thebaico lapide; ex quo cùm obelisci sunt exstructi, tum Pompeij columna in Alexandria. Etenim variorum colorum granulis distinctum est, vt Thebaicus lapis: hinc nata occasio, vt plurimi cogitarint, lapidem esse arte humana conglutinatum & paratum: attamen falluntur; quandoquidem nullus lapis qui adeò ferro resistat vt iste. Cùm autem vicinus sit riuus, qui ex summo montis Sinai vertice dilabitur, in suspicionem venimus, eam rupem non esse quam Moyses ferijsset, aut nullum istic tunc temporis fuisse riuum: vel, quod omnium pace dictum volo, Caloieri rupem (vnde fontis scaturigo emanat) supra montem demonstrare potiùs debuerant.* Sic ille.

Reiicitur.

Nos, nec plures alij oculati testes Bellonio assentimus in eo quod dicit, petram hanc esse eiusdem qualitatis & coloris cum Thebaico lapide, ex quo, &c. est enim rupes ruida & alba, nisi in eius contemplatione cæcutiuimus. Multò minùs probamus alterum illius dictum, potiùs percussionem factam fuisse in rupe montis superiùs, vnde & in præsentia fontis scaturigo emanat, non tantùm propter veterem traditionem; sed etiam quia percussio petræ non accidit in monte, sed in valle & solitudine Raphidim, vt ex Scriptura notauimus; & propter alteram probabilem secundi dubij solutionem, fluxum illum aquæ tantùm per aliquod tempus, necessitatis videlicet, durasse. Sed aquæ ex montis summitate adhuc manant, vt vidimus; & ipse indicauit Bellonius.

Baldensel ait, aquam, quam ex petra percussa iussu Domini emanare fecit Moyses, esse in Monasterio Monachorum; esseque optimam & sanissimam ad bibendum.

Non est prætereundum mysterium in petra illa præfiguratum à D. Paulo cap. 10. v. 4. prioris Epistolæ quam scripsit ad Corinthios, dicens: *Omnes eumdem potum spiritalem biberunt: bibebant autem de spirituali consequente eos petra: petra autem, erat Christus.* Significabat hæc petra percussa præbens aquas, addamus, & insequens Israëlitas, Christum, qui in sua passione pro nobis à Deo percussus obtinuit fidelibus abundantiam diuinæ gratiæ; eos insecutus est, quando quæsiuit in limbo sanctos Patres, & quando iuit ad discipulos suos & alios fideles post resurrectionem, & continuò quærit saluare qui perierant. Sed hæc de admirabili illa petra sufficiant.

Petra percussa mysterium.

Alia inter montem dictum & Conuentum sancti Saluatoris inueniuntur loca siue Eremitoria. de vno sancti Honofrij singularis mentio fit in iam citato manuscripto his verbis: *Item est ibi Ecclesia & Eremitorium, vbi sanctus Honofrius fecit pœnitentiam.*

Venetiis, in illustrissima sancti Marci Ecclesia, in quadam Capella ostenditur in muro inserta & affixa marmorea tabula, vbi sculpta est effigies sanctæ Mariæ Virginis Filium suum in vlnis habentis, quam dicunt, illam, vel meliùs, esse partem illius quam percussit Moyses: ego non huius Sinai, sed alterius potiùs arbitror esse; differt enim hæc ab illa in materia.

CAPVT VI.

De Monasterio & Ecclesia sancti Saluatoris, quinto loco quintæ Peregrinationis, & aliis memorabilibus eius locis.

POst debitam venerationem exhibitam sanctis illis locis sacri montis Sinai, reuertimur tandem per aliam viam ad Monasterium & Ecclesiam Monachorum Ordinis sancti Basilij, vnde priùs discessimus; de quibus in præsenti agemus. In planitie & solitudine Sinai, & plaga potiùs Meridionali montis Sinai, est ædificatum dictum Monasterium cum Ecclesia. Monasterium, considerata loci conditione, satis amplum & commodum; habitationes, cellæ angustæ & paruulæ: sunt in eo diuersæ capellulæ, secundùm Græcorum consuetudinem. Viridarium habet, in quo monstrari perhibetur

Conditio Conuentus S. Saluatoris.

betur fouea in rupe effoſſa ; in qua aurum fuſum, ex quo vitulus efformatus fuit ab Aaron, quem adorauerunt filij Iſraël, vt dicitur Exod. 32,2. Fieri hoc poteſt ; nam & alia ibi circumcircà contigerunt, quæ acciderunt ſpatio integri anni, quo ibi filij Iſraël tenuerunt fixa tabernacula , quæ in Exod. Leuit. & Num. deſcribuntur.

Hoſpitium & ſacellum pro Latinis.

In parte ſuperiori Conuentus eſt hoſpitium cum ſuo ſacello : quod, vt audiui, & ibi extat memoria, pij Veneti ædificarunt, & paucis antè annis reſtaurarunt pro confluentibus illuc Latinis peregrinis. Nos ibi fuimus hoſpitati, corporaliter & ſpiritualiter recreati, & in ſacello illo non ſemel altiſſimo Deo Sacrificium obtulimus: nam inferiùs in propria Græcorum Eccleſiâ , & ad ſepulchrum ſanctæ Catharinæ, numquam quocumque reſpectu permittitur Latinis celebrare ; quia non coëtuntur cum Græcis, vt inferiùs Cap. IV. huius Peregrinationis fuit dictum. Et Conſul Alexandriæ pro Gallis , vir magnæ auctoritatis & æſtimationis, de Monachis illis benè meritus, cuius auxilio illi indigent , obtinere non potuit , vt Ordinis ſancti Franciſci Sacerdos ſemel ad illum ſacrum tumulum Miſſam celebraret, vt ipſemet Sacerdos retulit mihi.

Inferiùs, intra ſepta Monaſterij, eſt Eccleſia nomine ſancti Saluatoris intitulata; licet aliis nominibus eam inuenerim appellatam in vetuſto iam citato manuſcripto

Nomina Eccleſiæ S. Saluatoris.

locorum Terræ ſanctæ, videlicet S. Catharinæ , quoniam hujus ſacrum corpus continèt , & S. Maria de Rubo appellatur; quia in rubo incombuſto, qui fuit beatæ Virginis figura, apparuit Dominus Moyſi. Hanc

Conditor.

M. Imperatorem & piiſſimum Legum conditorem Iuſtinianum ædificaſſe tradunt. Tradita fuit Græcis Monachis, qui ſuſtentantur ex eleëmoſynis illuc ex Cairo, Candia, & aliis mundi partibus aſportatis. Prælatus Monachorum eſt Epiſcopus, qui ibi ſuam Epiſcopalem Sedem tenet.

Adrichomius in Pharan n. 92. de monte Sinai agens, ſequentia propoſito noſtro ſcribit : *Ad radices huius montis à Iuſtiniano Imperatore fundatum eſt Monaſterium ſanctæ Catharinæ Monachorum ; eſtq; vnum Monaſterium de Regula ſancti Baſilij, vbi plus quàm nouem millia deſcriptorum quieſcunt corpora Monachorum. Habuit poſterioribus temporibus, cùm Chriſtiani ea loca poßiderent, Sedem Epiſcopalem & Suffraganeum.* In Sina Abbas fuit Ioannes Climacus tempore filiorum Conſtantini Magni. Tritem. in Climaco.

Forma.

De conditione huius Eccleſiæ admiranda potiùs quàm vera apud nonnullos legi. Hanc pulcherrimam dicunt fulciri duodecim columnis ex pretioſiſſimo & candidiſſimo marmore elaboratis; quas repleri Sanctorum Reliquiis iuſſit Imperator.

Verùm nos, etſi non inficiamur pulchram eſſe hanc Eccleſiam , præſertim loci conditione conſiderata , tamen ab innumeris aliis pulchritudine & magnitudine ſuperari certò credimus. Fulcitur quidem duodecim columnis in duplici ordine diſpoſitis, quæ tres naues Eccleſiæ conficiunt; ſed enim negarem eſſe ex puriſſimo & candidiſſimo marmore elaboratas & conſtructas: ſunt enim ex vili & rudi petra, ſed calce incruſtatæ; quod non aduertentes alij, ex lucida albaque illarum ſuperficie iudicium facientes , quæ à veritate longè abſunt , dixerunt.

In iſta Eccleſia duo ſunt veneratione digniſſima : alterum eſt arca & mauſoleum ſanctæ Catharinæ virginis & martyris ; alterum verò eſt locus in quo Dominus in rubo Moyſi apparuit.

Arca Reliquiarum S. Catharinæ. & quæ de illis circumferuntur.

De priori plura inueni apud Auctores nonnullos, præſertim qui ad hunc locum non ſunt peregrinati , nimis hyperbolicè dicta, de præſtantia, elegantia & veneratione illi ſepulchro exhibita, & alia de Reliquiis in eo incluſis. Sat eſſet veritatem proponere, quæ ſe & falſitatem prodit, & rectus ſui & obliqui eſt iudex ; tamen pro maiori explicatione aliqua hîc ſubiiciam. Quantum ad ſepulchrum ex candido & pretioſiſſimo marmore elaboratum , ex eo fluit oleum pro variis ſanandis infirmitatibus ; vel, vt ait Adrichomius, ex ſanctæ Catharinæ virgineis membris ólei fluit vnda ſalubris. Alij ex ore eius in vas aureum fluere dicunt. Guilielmus de Baldenſel in ſuo Hodœporico modum refert, quo ex ſacris Reliquiis ſacer liquor educatur, hiſce verbis : *Prælatus verò maior* , id eſt Archiepiſcopus Monaſterij , *cum inſtrumento argenteo ad hoc facto oſſa ſanctiſſima fricat ; & liquorem exſudantem ab eis diuino miraculo deuotè petentibus impertitur , modicè tamen quantitatis , quia per modum ſudoris conſueuit liquor ſanctus, modicè tamen, ex oßibus emanare : qui liquor obdurus aliquantulùm exiſtit, & verè meritis beatæ Catharinæ donum Dei creditur ; quia nec balſami, nec olei , nec alterius humoris naturalis ſpeciem ſortitur, quo donum tranſcendens naturam meritò comprobatur.* Ita ille.

De liquore ex illis manante.

Plures lampades circa ſanctæ Virginis corpus ardent ; & multò plures, & fere innumeræ in tota Eccleſia.

Quantum verò ad ſanctas huius Virginis & Martyris Reliquias , quidam dicunt, totum eius corpus ibi ſeruari ; alij caput

eius

eius certò Coloniæ Agrippinæ magna cum veneratione repoſitum eſſe; alij in varias Chriſtianitatis partes fuiſſe illius Reliquias delatas: alij denique affirmant, partem fuiſſe delatam ad Hiſpaniarum Catholicum Regem à Monachis illis in gratitudinis ſignum; quòd largiſſimis eleëmoſynis ab eo adiuuentur; & partem ibidem in mauſoleo aſſeruari.

Rudolphus de Frameynſperg ſuprà Capite IV. relatus dixit, ſuo tempore de corpore ſanctæ Catharinæ caput cum duobus membris brachij in trua lapidea fuiſſe. Idem ferè dicit Baldenſel.

Breuiter quæ vidi, & ab oculatis ſpectatoribus audiui, qui commodè omnia viderũt, hic adſcribam. Et primò, quantum ad Virginis mauſoleum, dico marmoreum & elaboratum eſſe, griſij potiùs quàm albi coloris: mobile eſt, poſitum ſupra cancellos capellæ maioris Eccleſiæ à ſiniſtro latere, id eſt Meridionali: eſt adeò paruum, vt corpus extenſum capere non poſſit; non eſt enim quatuor palmorum longitudinis, & duorum latitudinem haud excedit. A muro fuit amotum, quando Monachi illi, operimento ab eo ſublato, nobis ſanctæ Virginis & Martyris Reliquias oſtenderunt. Operitur aliquando panno ſerico, quem mercator Venetus, ob ſuam in ſanctam Virginem pietatem, dono dedit. Non plures ibi lampades & luminaria ardent; vna tantùm manet accenſa: ſunt nonnullæ aliæ diſperſæ in Eccleſia, vt in aliis Græcorum Eccleſiis; quæ aliquando accenduntur, dum diuina celebrantur Officia; ſed non tanto, vt quidam aſſerunt, numero.

Quantum ad huius Virginis Reliquias, dico, me aliud non vidiſſe quàm illius calueriæ partem nudam, abſque aliquo auri, argenti & gemmarum ornamento, & manum ſimiliter læuam: quæ pulchra eſt & oblonga, nimia vetuſtate ſatis arida; quam, vt vult vetus traditio in partibus illis, Chriſtus, Virginem ſibi deſponſando, annulo exornauit: vnde pij fideles annulos ponunt in eius annulari digito, quos magna pietate eo intuitu aſſeruant. Aliud de corpore Virginis videre non potui; quoniam in mauſoleo & arcula illa ſacra panni & neſcio quæ inuolucra erant; quæ, ſi quid aliud erat, operiebant. Aſſeruant etiam Monachi intus goſſypium: cuius particulas elargiuntur peregrinis, quas deuotè aſſeruant; quia Reliquias Virginis contigerunt. Nocte magna cum reuerentia Monachi illi, accenſis luminibus diuinas laudes in honorem virginis Catharinæ decantantes, illius ſacras Reliquias oſtenderunt.

Ritus oſtendendi ſacras illas Reliquias.

Fratrem Minoritam, de quo ſuperiùs, & mercatores, quibuſcum permanſit integro menſe apud ſanctum illum montem, vt à peſte liberarentur, tunc temporis in Cairõ, vbi habitabant, graſſante, percunctatus fui, an aliud ipſi viderint de corpore ſanctæ Catharinæ, præter nunc à me relata: reſpondерunt, ſe curioſiùs inquiſiuiſſe, ſi aliud de illius corpore eſſet; & familiaritate & amicitia cum Monachis illis contracta, beneficiis etiam & importunitate ipſos permouiſſe, vt ſecundò ſacras illas memoratas Reliquias oſtenderent, & alias deinde in eodem mauſoleo aſſeruatas, crura oſſáve alia nonnulla eiuſdem ſanctæ Virginis. Si aliàs manna vel ſacrum oleum à corpore Virginis fluebat (vt ex aliis Sanctis corporibus Andreæ & Nicolai manat) nunc fluere deſiit. Hæc ſunt quæ cum aliis vidi, & ſæpiùs ab oculatis inſpectoribus intellexi.

Ad alterum nunc accedamus, ad locum inquam vbi Dominus in ardenti incombuſtoque rubo apparuit Moyſi. Dico, inferiùs ex eodem latere Eccleſiæ ſiniſtro, id eſt Epiſtolæ, vbi eſt mauſoleum S. Catharinæ, oſtenditur ac honoratur pulchrum ac ſpatioſum ſacellum: in cuius capite eſt tabula marmorea in pauimento, vbi rubum illum, in quo Dominus Moyſi apparuit, fuiſſe fertur: ſuprà eſt alia ſimiliter menſa marmorea quatuor columnellis ſuſtentata, ſupra quam Græci illi Miſſam celebrant. Pauimentum totum ſacelli pretioſis tapetis opertum eſt: nemini ipſum, niſi diſcalceato, ingredi licet; quoniam ad ipſum accedere calceatus Moyſes prohibitus fuit à Domino. ex ipſius Domini teſtimonio locus ſanctus eſt. Rem pluribus explicatam habes Exod. cap. 3, 5. apud Ioſephum, Philonem, & alios. Locus hic dicitur eſſe in monte Horeb loco citato Exodi v. 1. quoniam eſt ad radices eius; nemus tamen fuiſſe docet Philo lib. 1. de Vita Moyſis. Plura poſſent dici pro hiſtorica & myſtica ſignificatione illius rubi, quæ breuitati ſtudens omitto; tum quia videri poſſunt apud ſacros Doctores. Plura de ea collegit Pererius in Exod. cap. 3. diſput. 3. & ſequentibus.

Vbi Dominus Moyſi in rubo apparuit.

Idem Rodulphus iam citatus de iſto cœnobio inter alia dicit, in eo ſitam eſſe capellam, in qua Moyſes dicitur eſſe ſepultus; quæ eſt iuxta locum Monaſterij verſus Aquilonem: & introitus eiuſdem capellæ tam Monachis ibidem quàm aduenis ſit ſolummodò pedibus nudis.

Non nego id non fuiſſe dictum; verùm me nec ibi nec alibi id audiuiſſe, nec apud alium Scriptorem legiſſe fateor: & ſi audiuiſſem vel legiſſem, haud facilè aſſenſum præbuiſſem; quia alibi ſepultum, & ſepul-

Moyſes ibi ſepultus non eſt.

turę peculiarem locum ignorari, hiſce verbis dicitur in Deut. 34, 5. *Mortuus eſt Moyſes ſeruus Domini in terra Moab, iubente Domino: & ſepeliuit eum in valle terra Moab contra Phogor: & non cognouit homo ſepulchrum eius vſque in præſentem diem.* Rationem abſconſionis reddunt Lyran. Abulenſ. loco citato, & alij, ne illum ſignis & miraculis prodigioſum Iudæi tamquam Deum adorarẽt: & hæc fuit cauſa altercationis Archangeli Michaëlis cum diabolo, de qua Iudas in ſua Canonica; quia volebat diabolus vt manifeſtaretur corpus Moyſi, vt Iudaicus populus illum vt Deum adoraret, ſed Archangelus prohibuit, ne tantum facinus perpetraret. Iud. v. 9.

Obiectio. Dices ex Abulenſ. quæſt. 2. fuiſſe abſconditum corpus Moyſi vſque ad diem quo liber Deuteronom. ſcriptus fuit, vt ibidem dicitur; ſed pòſt reuelatum fuiſſe Ieremiæ Prophetæ, qui tempore irruptionis Chaldæorum in Ieruſalem ſub Nabuzardan principe coquorum tulit Arcam fœderis, & tabernaculum, & altare incenſi, & poſuit in ſpelunca in qua Moyſes ſepultus fuerat, & clauſit oſtium, vt patet 2. Mach. 2.

Solutio. Reſpondeo, hoc non obſtare; quia etſi locus ſepulturæ Moyſi fuerit Ieremiæ reuelatus, non tamen aliis: ad hæc, non inde tranſtulit corpus, vt dicitur ibidem v. 6. *Et acceſſerunt quidam ſimul, qui ſequebantur, vt notarent ſibi locum: & non potuerunt inuenire. Vt autem cognouit Ieremias, culpans illos, dixit: Quòd ignotus erit locus, donec congreget Deus congregationem populi, & propitius fiat: & tunc Dominus oſtendet hæc*, &c.

Denique, ſi fuit abſconditus in morte, ne Moyſis corpus adoraret populus vt Deum, ſimili ratione non fuit in poſterum reſerandus. Reſpondendum itaque Rodulpho, ibi non corpus Moyſi aſſeruari, ſed benè ſanctum Prophetam & Ducem ibidem peculiariter honorari, quoniam cœnobij peculiaris Patronus habetur.

Omitto alia quæ dici poſſent pro maiori explicatione Conuentus & Eccleſiæ S. Saluatoris, quoniam parui ponderis ſunt; & plura quæ circumferuntur non concordant cum iis quæ vidi. S. Moyſes & S. Catharina ſimul depicti inueniuntur in ſigillo loci.

CAPVT VII.

Memorabilia quædam, quæ in ſacro Sinai monte & aliis iſtarum partium locis contingere nonnulli Scriptores perhibent; & quid ex iis probandum vel improbandum ſit.

QVemadmodum colligentibus roſas maxima dexteritate incedendum eſt, ne, dum floribus oblectantur, carpantur & pungantur à ſpinis; ita curioſa & delectabilia inquirentibus, & eorum veritatem ſpeculantibus, cautè procedendum eſt, ne, dum curioſa, vtilia ac delectabilia ſectantur, falſitatibus & fabellis, tamquam veris hiſtoriis & neceſſariis dogmatibus, decipiantur. Quod & nos obſeruare debemus in huius argumenti tractatione, ne cum veris falſa vt vera apprehendamus; qualia putamus eſſe pleraque nunc à nobis referenda, & alia quæ referri poſſent, niſi oleum & operam in his perdere exiſtimaremus.

Multa eaque inſignia & præclara funt, quæ à nonnullis in ſacro illo Conuentu ſancti Saluatoris & aliis illarum partium locis operata & continuò operari Dei ſingulari beneficio perhibentur: quæ omnino poſſibilia credimus & probamus, ſi ad Dei omnipotentiam comparemus; apud quem non eſt impoſſibile omne verbum. At pleraque reiicimus & improbamus, ſi Dei conſuetudinem & eorum neceſſitatem ſpectemus; ſine qua, vt omnes fatentur Theologi, nulla Deus operatur miracula. Sed attende ad quædam ſimilis farinæ prodigia & miracula.

Fertur in primis, poſt fundationem Conuentus & Eccleſiæ ſancti Saluatoris (in quam, vt dictum eſt, ſacrum corpus virginis & martyris Catharinæ tranſlatum fuit) pro Monachis ſancti Baſilij: cùm iidem oleum, quo lampades accenderentur ad tumbam Virginis, & ad honorem aliarum Reliquiarum, quæ in eadem reconditæ ſunt Eccleſia, & pro ſuo ipſorum vſu & conſeruatione non haberent; vt quondam Eliæ & aliis Dei ſeruis mirabiliter prouidit Deus, ita illorum neceſſitati miraculosè conſuluiſſe Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, meritis & precibus virginis & martyris ſponſæque ſuæ Catharinæ. Pridie enim eius feſtiuitatis, ex variis mundi partibus diuerſarum ſpecierum aues ſuper turrim ſiue campanile dictæ Eccleſiæ confluxerunt, roſtris oleas in tanta copia deferentes, vt Monachi oleum pro Eccleſiæ & Conuentus vſu abundanti per integro anno confecerint. Quod quidem miraculum ad hoc vſque tempus ſingulis annis continuaſſe indicant. *Primum prodigium.*

Sedenim me in partibus illis talia nec vidiſſe, nec audiuiſſe fateor: & quamuis ea in illius Monaſterij & Eccleſiæ accidere potuerint fundatione, tamen accidiſſe me latet, nec mihi probatur, illis pro integro anno prouiſum fuiſſe, quibus prohibitum eſt cogitare de craſtino: & Deus miraculosè quidem prouidit aliquando præſentibus neceſſitatibus, at non futuris; quibus *Reiicitur.*

bus naturalibus & ordinariis mediis prouideri poteſt, vt cernere licet in cibo Eliæ 3.Reg. cap.17, 6. & cap. 19. in conuerſione aquæ in vinum, in nuptiis Canæ Galilææ, Ioan. 2, 9. & bina panum multiplicatione apud*Euangeliſtas. Quæ miracula pro modico ſpatio & præſenti neceſſitate facta fuere; qua ceſſante, ceſſarunt.

*Matt. 14, 15. vſq; 21. Marc. 6, 35 vſque 44. Matt. 8. à 2. vſq; 10. Luc. 9, 12. vſque 18. Ioan. 6. à 1. vſque 14.

Obiectio.

Dices fortaſſe, pluribus illisque continuis miraculis Deum per quadraginta annos prouidiſſe neceſſitatibus Iudæorum in deſerto. Reſpondeo, fuiſſe etiam in continua neceſſitate ſemper peregrinos & vagos, non habentes in ſterili illo deſerto in medio hoſtium ſuorum vnde poſſent ſibi de neceſſariis prouidere. Et quòd tantùm tempore neceſſitatis prouiderit, liquet ex eo, quòd, durante cibo Ægyptiaco, cæleſtis non fuit miſſus; & iſte defecit quando peruenerunt ad Terram promiſſionis, vbi excolere pro victu ſuo terram potuerunt. Sed quidquid ſit de eo quod contigit in illius Eccleſiæ fundatione; nunc omnino miraculum illud ceſſaſſe non eſt dubitandum: nam in præſentia ex Cairo oleum pro maiori parte è Candia delatum illuc deportatur. Et quando iuimus è Cairo ad ſacrum montem, duo olei dolia pro Conuentus & Eccleſiæ neceſſitatibus illuc detulerunt Græci Monachi itineris comites: & media ordinaria à Deo conceſſa ſpernenda non ſunt; & ſi ſpernantur ab inſcis, non ea ſpernit ſapientiſſimus Deus.

Solutio.

Illud mihi probabilius videtur, quod ſenex quidam Sacerdos ex Ordine noſtro, qui montis Sinai perfecit peregrinationem, ſe vidiſſe & audiſſe retulit. Vidit cubiculum, cuius pauimentum inunctum oleo & olens erat: quod ita eſſe intellexit ab vno ex Monachis ibi habitantibus, quia antiquis temporibus inde manabat & ſcaturiebat oleum pro Eccleſiæ & Monachorum vſu; ceterùm vena exſiccata fuit illorum auaritiâ, quia non contenti illo ſubſidio, illud etiam vendebant: quare, fœnore & diuino illo ſubſidio priuati omnino remanſerunt, & relicta eſt dumtaxat veteris prodigij memoria, inunctum illud pauimentum: ego tamen non vidi. Et ſi illud accidit, miraculosè profectò: aliàs non fuiſſet Monachorum auaritia vena illa exſiccata; ſicut ob quæſtum non ſiccatur fons quidam Armeniæ illi perſimilis: de quo Marcus Paulus Venetus de regionibus Orientalibus lib. 1. cap. 13. de Armenia maiori agens, ſequentia ſcribit: *Habet hæc regio ab Oriente confinem prouinciam Zorzanorum; ab Aquilone verò fons quidam magnus inuenitur, de quo liquor oleo ſimilis ſcaturit, ad condimentum quidem cibi inutilis, lampadibus verò concinnandis & nutriendis, & aliis rebus inungendis commodiſſimus: vnde vicinæ quoque nationes concurrunt; è fonte illo omnes pro lucernis alendis haurire contendunt: tam enim indeſinenter hic fons fluit, vt etiam multa naues oleo eius onerata in alias abducantur regiones.*

Secundum prodigium.

Dicitur vlteriùs, quòd quando illorum Monachorum Præſul è vita decedit, lampas, quæ ante ſepulchrum ſanctæ Catharinæ ardet, ex ſe deficiat; quæ nouo electo, ſi vir bonus, ſanctis moribus & probata vita præditus ſit, reuiuiſcit; ſin aliter, extincta remanet: & præterea, ſi, bonus cùm ſit, contingat in deterius vitam mutare; & ipſa ex lucida viridis & nonnumquam nigra euadit. Inſuper in altari, vbi defuncto Præſule Miſſa decantatur, ſub corporali abſoluta Miſſa inuenitur nomen ſcriptum Præſulis eligendi. Ad hæc, ſi oleum, quod ex corpore Virginis egreditur, in vola electi Præſulis apponatur, & ſi ad alteram vſque partem penetret, bona probataque dignoſcitur electio; ſecùs, ſi non penetret. Denique, Paſtore electo, bono ſanctoque exiſtente, ſonant campanæ abſque externo viſibili motore.

Reiicitur.

Tot miracula fingere in illius Paſtoris noua electione, quæ nec in Mathiæ aliorúmve Apoſtolorum vel Præſulum electione leguntur operata, mihi non placet: præſertim cùm vel quædam refragari Prælatorum canonicæ electioni videantur; vt, quòd eligendi nomen ſub corporali Miſſa completa inueniatur, & certè non niſi diuinitus: igitur omnis alia electio ſuperflua ac temeraria eſſet. Ad hæc, ſi diuinitus facta fuit, igitur prudenter & ſapienter, & per conſequens bona; ac ideò non aliquando, ſed ſemper nouo Præſule electo extincta lampas reuiuiſcet. Quod de oleo dicitur, tamquam omnino vanum ſimiliter reiici poteſt: & ſanè illud nunc non fluit ex ſacris illis Reliquiis. Et hæc & alia contrarius euentus reiicit in præſentia, nec aliàs contigiſſe à Græcis illis memorantur. An talia miracula acciderint, quando à ſancta Catholica Eccleſia ſeparati non erant Græci, neſcio; ego libentiùs oppoſitum affirmarem. Nam miracula fingere ſine neceſſitate horreo; nec talia dicendo Deus vel Sancti honorantur: qui fabellis falſiſque miraculis non indigent, habentes vera & illuſtria facinora, quibus poſſunt ſupra ſidera tolli.

Tertium prodigium.

Ad hæc dicitur, & refert Guilielmus de Baldenſel iam citatus, quòd cùm muſcæ ibi adeò creuiſſent, vt propter illarum moleſtiam Monachi locum deſerere ſtatuerent, in quodam colle apparuerit illis beata Virgo

Virgo Maria; quæ eos consolata, vt ad monasterium reuerterentur cohortata fuit, quoniam in posterum numquam talem experirentur molestiam: &, vt prædixit, vsque in hodiernum diem dicitur obseruatum, cùm longè à Conuentu circa milliare plurimùm muscæ abundent. Addunt vlteriùs, nedum muscarum, sed nec cyniphum pediculorumque fastidium & molestiam ibi sentiri. Et peregrini, immunditia ex itinere & incommodis acquisita, penitus hîc liberantur & mundantur, si vestibus exuantur.

Reijcitur. At hæc reijcit experientia; & hoc posterius præcipuè: siquidem miraculum non est, nec vt singulare adnotandum, depositis immundis vestibus, molestiam ex immunditia non sentiri.

Quartum prodigium Fr Nicolaus Ferdinand. Hungarus in suo Itinerario Vienne impresso. Denique, illud silentio non præteribo, quòd Auctor quidam Minorita in suo Itinerario Terræ sanctæ scriptum reliquit, inter montem Sinai & Mare rubrum Monasterium Monachorum esse, cuius campanæ ad horas Canonicas ab incolis illarum partium audiuntur; at vbi illud sit, ignorari: in eo quadraginta Monachos habitare, & vno illorum deficiente, alium in eius locum à Deo mitti, qui solus nouit locum, at ignorari vnde veniat.

Sed si nullus illuc accessit, nec conuersantur illi cum hominibus, quomodo ergo sciri potest esse quadraginta? Illud quidem possibile, verùm implicitum esse, innumeris difficultatibus, quis non videt? Quòd si quis suspicetur, ibi sanctos illos Monachos conseruari, ne regio illa penitus deleatur; dico, & alibi esse: & de notis Deo & hominibus prouidere potest Dominus, quorum singulari exemplo magis honorificaretur Deus ab ipsis & ab aliis. *Reijcitur.*

Magna quidem & incomprehensibilia iudicia Dei; sed nec aliquod ex ipsis asserendum, Scriptura, auctoritate, rationéve non existente, sed potiùs aduersante. Et hæc de Peregrinatione sacri montis Sinai dicta sufficiant.

PEREGRINATIO VI. *in qua reseruntur & elucidantur quinque digna obseruatione loca, quæ visitari possunt à Terræ sanctæ peregrinis proficiscentibus ex magna Cairo Alexandriam Ægypti.* I. *Desertum sancti Macarij.* II. *Rosetum ciuitas.* III. *Alexandria Ægypti & Columna Pompeij.* IV. *Ecclesia S. Marci Euangelistæ.* V. *Ecclesia denique sanctæ Catharinæ virginis & martyris, siue S. Sabæ.*

CAPVT PRIMVM.

De deserto S. Macarij, primo huius sextæ Peregrinationis loco.

PRæter memorata in præcedentibus loca, quæ in Ægypto pij ac curioli peregrini visitare consueuerunt, alia memorabilia occurrunt inter eundum ex magna Cairo Alexandriam, & in ipsa Alexandria, quæ frequenter absque difficultate, periculo ac dispendio, visitari possunt. Et quod primò se offert, est celeberrimum ac memorabile sancti Macarij desertum: de quo Capite præsenti agemus.

Desertum S. Macarij vbi. Sciendum itaque, quòd inter eundum ex Cairo in Alexandriam Ægypti maritimam ciuitatem, in medio itineris, declinando tamen ad læuam partem, absoluto itinere diei vnius cum dimidio (distat namque magna Cairus ab Alexandria itinere trium dierum) occurrit desertum sancti Macarij: non tamen necessariò illud pertranſimus; quia à læua parte viæ, vt dixi, relinquitur: sed pij curiosique peregrini ad illud non multo dispendio & breui labore ire possunt, terrestri quidem itinere, vel per Nilum & terram; sed illud isto multò periculosius propter Arabes.

Desertum hoc, quod libenter vidissem, nonnullis de causis, & tunc peculiaribus insurgentibus difficultatibus, quando ex Cairo Alexandriam profectus fui, videre non potui: quare, quæ de eo à fide dignis & oculatis testibus accepi, hîc subijciam.

Desertum hoc verè deserti nomen meretur; quoniam solum eius arenosum, absque arboribus & herbis, omniumque ferè naturalium bonorum expers; solùm venerandum, quia sanctorum Monachorum Eremitarumque præsentia & pœnitentia sanctificatum fuit. Omnino inuium, quia infrequens & rarus est hominum ad ipsum accessus: quare in eius peregrinatione ductor est necessarius, qui perducat ad cœnobia siue Conuentus Monachorum in eisdem habitantium. *Conditio.*

Incolitur hoc desertum à paucis & pauperrimis Arabibus, qui ibi sub tentoriis & tuguriis greges custodiunt; suntque illi nigerrimi & siluestres. Ductor sit vnus ex istis: vel tutius erit se associare alicui ex illis Mona-

Monachis, qui aliquando, ſicut & illi, in Cairo inueniuntur, negotiorum ſuorum cauſa; quibus tranſactis, ad deſertum reuertuntur: etenim, cùm Monachi illi multùm æſtimentur ab illis Arabibus, quando ad illorum tuguria diuertimur, non tantam afferent moleſtiam. Facilitamen negotio illis ſatisfit; vno vel altero, etſi nigerrimo, pane illis donato. Quare multus præparetur, etſi ex mixtura furfuréve confectus; & cum aqua dulci illum deferat camelus: nam & aquæ magnam penuriam eſſe perhibetur.

Ratio nominis deſerti.

Sed quare deſertum S. Macarij appellatur? Dico, quòd à quodam excellentis ſanctitatis viro, Macarij nomine inſigniro. Aduertendum verò, plures olim extitiſſe præclariſſimos viros Confeſſores, Epiſcopos, Martyres inſigni doctrina & ſanctitate fulgentes, qui hoc nomen ſortiti fuere, vt in pluribus locis Martyrologij Romani videre eſt; & non à quouis illorum accepit nomenclaturam, ſed ab Ægyptio. Sed hîc aduertendum, duos ſanctitate celebres viros Ægyptios Macarij nomine inſignitos: quorum alter Alexandrinus dictus eſt, eò quòd, vt ſcribit Palladius, functus eſſet Presbyterio Alexandriæ; alter autem ſimpliciter Ægyptius eſt appellatus, altero antiquior. Et de his duobus agunt pluribus veteres Hiſtorici. Sed vnum audiamus Nicephorum, lib. 9. Eccleſ. Hiſt. c. 14. in hunc modum de his ſcribentem: *Primo loco percelebres illi commemorentur viri, qui Scetis montiumq; eius duces fuere. Vtrique nomen erat Macario: quorum alter in Aegypto ortus erat, alter Alexandriam patriam habuit, & cognomen Vrbani: ambo certè diuini prorſus viri, atque in monaſtica Philoſophia admirandi, diuinarum prædictionum non expertes, daemonum induſtrij expulſores, & prodigiorum ſanationumq; prompti & expediti auctores. Horum alter, Aegyptius ſcilicet, mortuum quoque excitauit, vt quemdam alieni dogmatis ſectatorem, ad credendum mortuos reſurgere, perſuaſione ea adduceret. Hic vltra nonaginta annos vixiſſe perhibetur: quorum pluſquam dimidiam partem in vita ſolitaria tranſegit. Et adoleſcens admodum ſapientiæ ſtudiis excelluit; & ob id Παιδαριογήρων, quaſi puerum ſenilem dicas, cognomen obtinuit. Presbyteri dignitatem quadragenarius ſuſcepit. Vrbanus verò breuiore tempore ad eamdem peruenit dignitatem. Exercitia pietatis omnia ad ſummum excoluit, quæ partim ipſe inuenit, partim ex aliis audita modis omnibus abſoluere eſt conatus. Adeò autem extenuatus & macie confectus fuit, vt non eſſet vnde pili barbæ excreſcerent. Et Aegyptius cum reuerentia quadam auſte-*

Plures viri celebres Macarij nomine inſignes

& ſingulariter vnus Ægyptius; alter Alexandrinus dictus.

rus; Alexandrinus autem, cùm in aliis omnibus par Aegyptio eſſet, in hoc tantùm ab illo varianit, quòd in colloquiis hilaris & iucundus, vrbanis ſalibus vtens, iuuenes ad ſtudium & exercitationem pietatis adduceret, &c. Lege Baronium in Notis ad Martyrol. Rom. die 2. Ianuarij, & quos citat, ſi de his plura ſcire deſideras.

Dico nunc, hoc deſertum à priori Macario Ægyptiaco appellatum fuiſſe: cùm enim multo tempore illud deſertum incoluerit, & ſanctis operibus condecorauerit, nomen ſuum impertitus fuit, quod vſque in præſentem diem retinet; ab omnibus enim deſertum S. Macarij nuncupatur.

Deſertum ab Ægyptio denominatur.

In iſto deſerto ſunt quatuor Monaſteria cum ſuis Eccleſiis: quorum omnium curam habent Orientales Monachi nationis Gofitæ, omnes ſchiſmatici, auſteritatem quidem & exercitationem corporalem ſectantes, ſed pietatem veramque religionem abnegantes.

Quatuor in illo monaſteria Gofitarum.

Primum Monaſterium & Eccleſia ſancti Macarij appellatur: ſatis commodum eſſe perhibetur, ſimile alteri Fratrum Minorum S. Saluatoris in Ieruſalem; de quo alibi egimus; ſed multò maius, templumque auguſtius. Magnum continet clauſtrum, & circumcirca habitationes & cubicula, in quibus pauperem vitam ducunt Monachi illi, humi cubantes ſuper ſtoreas vili culcitra tecti. Illius refectorium admirabile eſt, magno labore totum in rupe exciſum, cum menſis & ſedilibus ſimiliter exciſis: in forma noſtris ſimile eſt; quindecim greſſuum longitudinis, cui debita latitudo & altitudo reſpondet.

Primum S. Macarij Ægyptij.

Quod in huius Monaſterij Eccleſia dignum eſt vt veneratione habeatur, eſt ſanctum Abbatis Macarij corpus, tractabile & palpabile; quod monſtrant Monachi illi aliquando peregrinis, & ad contrectandum & deferendum exhibent. Iacet humi in tumulo pluuiali indutum, crate ferrea tectum, non ea veneratione & cultu vt oporteret cuſtoditum. Habitant ibi circa viginti Monachi cum ſuo Epiſcopo.

In ea ſancti Macarij corpus ſeruatur.

Secundum Monaſterium & Eccleſia S. Mariæ appellatur: præcedenti pulchrius & commodius æſtimatur, ideò & à pluribus Monachis, nimirum vigintiſex, inhabitatur: diſtat à præcedenti itinere dimidiæ diei.

Secundum S. Mariæ.

Tertium Monaſterium & templum diuo Georgio Martyri dicatum eſt, multùm dirutum & conſumptum; tamen alia excedit Eccleſiæ pulchritudine & magnitudine, & viridario meliori: minori Monachorum numero inhabitatur quàm præcedentia, à quibus ſimiliter vt ſecundum diſtat: & in triangulo videntur diſpoſita.

Tertium S. Georgij Martyris.

Quartum

Quartum. Quartum denique Monaſterium à ceteris longiùs diſtat, ac ideò tutior eſt ad ipſum acceſſus, de quo ſequentia referunt. Erat ibi maris brachium; & antiquitus mare vſque ad hoc ſancti Macarij deſertum peruenisſe, plerique aſſerunt. Cùm aliquando veteres illius deſerti Monachi in eo Monaſterio habitantes orarent, fuit illis à Domino reuelatum, latronum piratarumque naues ad eos occidendos, locumque illum vaſtandum ac deſolandum, venire; ſed miraculosè liberandos fore. Itaque cùm illuc peruenisſent, vt crudele opus perpetrarent; diuinitus prohibiti, etiam excogitati ſceleris pœnas luerunt. Illud namque brachium maris fuit exſiccatum; & ipſi cum nauibus, funibus & alijs inſtrumentis in petram conuerſi fuere, ſicut olim vxor Loth, quòd diuino mandato non obediuerit, in talis ſtatuam conuerſa fuit, vt dicitur Gen. 19, 26. Ego talia apud aliquem Auctorem non legi: audita retuli, ne quod memorabile ſiue conſiderandum aſſeritur in partibus illis, præteriiſſe dicar. Vnus, qui locum illum inuiſit, dixit mihi, ſe talia quidem audiuiſſe, ſed vidiſſe dumtaxat rupes, & in iis aliqua ad naues ſpectantia, vt malum, medietatem nauis, ſiue rupem huius formam referentem, item fructus, fungos, & alia in petris expreſſa, quę curioſi plurimùm æſtimarent. Vtamur tamen D. Pauli conſilio: *Omnia probate: quod bonum eſt tenete.* *1. Theſſ. 5, 20.*

Ibi petræ aquilinæ inueniuntur. In eodem deſerto, & in nunc præſertim memorato loco, lapides illi qui *Petræ aquilinæ* dicuntur, mirabilis virtutis inueniuntur; & inde ad Cairum & Ieruſalem aſportantur.

Illorum Monachorum victus. Monachi illi ex leguminibus aliunde, vt ex Cairo, delatis, & herbis ex paruis viridariis collectis, modicoque pane vitam tranſigunt; & nihil illis gratius eſſe poteſt, quàm ſi acetum deferatur. Et hæc de S. Macarij deſerto & illius Monachis ſatis.

CAPVT II.

De Roſeto, Nilotica Aegypti ciuitate, ſecundo loco ſextæ Peregrinationis.

RElicto ſancti Macarij deſerto, viatores qui ex Cairo Alexandriam Ægypti vibem proficiſcuntur, non terreſtri itinere, quod propter Arabes & latrones periculoſum eſt, ſed per Nili flumen ire conſueuerunt. In iſta nauigatione vſque Roſetum, quæ duorum dierum curriculo abſoluitur, ſuper Nilum multæ occurrunt villæ; & vſque ad trecentas & ampliùs ab aliquibus numerantur: quo itinere peracto, Roſetum peruenitur.

Roſetum quid. Roſetum ciuitas Ægypti eſt, ad littus Nili ædificata: eſt portus quò merces ducuntur vel ex Cairo, vt poſteà Alexandriam per mare, & inde in alias oras deferantur; vel ex Alexandria per mare, vt inde per Nilum ad Cairum trajciantur: in optima ſiberiſque regione ſita, omni bonorum genere ad opulentè viuendũ affluente, carnibus, piſcibus, fructibus, &c. Ab antiquis, vt in mundi Theatro legitur, Scheida fuit appellata. *Habitatores.* Habitatur à Turcis, Mauris, Hebræis, Græcis, Armenis, aliiſque nationibus Orientalibus, & à paucis Catholicis, Gallis & Venetis: vbi ſunt horum vice-Conſules, propter mercatorum negotia; quorum in ſpiritualibus fratres S. Franciſci curam habent.

Æſtimatur à Turcis. Fertur in partibus illis, ex ea ciuitate originem traxiſſe Mahometem, pſeudoprophetam Turcarum & aliorum infidelium caput; ac ideò illam magni æſtimant. Quare, ſi Mecha, vbi ſepulchrum dicitur eſſe Mahometis, à Chriſtianis caperetur, & ad illud interdicta eſſet ipſorum peregrinatio, Roſetum peregrinarentur.

CAPVT III.

De Alexandria Aegypti ciuitate, & columna Pompeij, tertio loco ſextæ Peregrinationis.

EX Roſeto proficiſcimur Alexandriam Ægypti ciuitatem terreſtri & maritimo itinere: hoc breuius, ſed periculoſius; longius illud, ſed tutius: maritimo ducuntur merces; terreſtre aſſumere perſuadentur viatores. Hoc longitudinis dicunt aliqui quadraginta miliarium, alij quinquaginta, & etiam ampliùs alij. Ego cum aliis ad initium Nouembris die vno minùs abſolui, ferè ſemper equitando ſecus mare: ex Roſeto peruenimus Alexandriam eo die, duabus horis ante ſolis occaſum. *Via Alexandrina eundo.*

Ratio nominis Alexandriæ. Ciuitas iſta Alexandria Ægypti appellatur, quòd in littore Ægyptij maris à magno Alexandro condita ſit in Africæ parte, &c. vt inquit Plinius lib. 5. Hiſt. natural. cap. 10. & ad differentiam aliarum ciuitatum & oppidorum, quæ in aliis regionibus conſtructa ſunt, Alexandriæ nomen ſortita; de quibus Plinius, & alij. Celeberrima quondam ciuitas, ſed præſertim poſt glorioſam Chriſti aſcenſionem, Apoſtolorum temporibus, non multitudine modò nationum, quæ ex pluribus mundi partibus eò ſe ad habitandum tranſtulerant, ſed etiam elegantia & fortitudine turrium, domorum aliorumque ſimilis generis ædificiorum, vt plures de ea loquentes tradiderunt Scriptores. Primariam & præcipuam inter Ægypti, *Alexandria celeberrima ciuitas.*

Digitized by Google

pti, Thebaidis & Libyæ vrbes, ampliſſimam & populoſiſſimam appellauit Nicephorus l. 8. c. 5. Et ampliùs, D[illegible] cognomento Chryſoſtomus Orat. 32. ad Alexand. ad memorata tempora reſpiciens, ſequentia ſcripſit: *Et nunc hæc dixi de ciuitate, oſtendere vobis cupiens, quòd ſi vos inhoneſtè geratis, hoc iàm fieri non poſſit, neque inter paucos, ſed inter omnes homines. Video enim ego non ſolùm Græcos apud vos, neque Italos, neque à propinquis regionibus, Syria, Libya, Cilicia, neque qui ſupra illos Aethiopes habitant, neque Arabes, ſed etiam Bactrianos, Scythas, & Perſas, & Indorum quoſdam, qui concurrunt, & ſemper apud vos conuerſantur.* Hæc ille. Ideò Ammianus lib. 22. meritò Alexandriam verticem omnium ciuitatum appellauit. Herodianus lib. 7. æquè primum locum eidem poſt Romam tribuit, niſi quòd de ſecunda palma cum eadem tradit certaſſe Carthaginem. Quòd autem ab Auſonio de Ord. nob. vrb. quarto loco poſt Romam conſtituatur, nempe poſt Conſtantinopolim, Carthaginem & Antiochiam; id inde accidit, quòd, vt tradit Ammianus lib. 22. ſ[illegible] fine (Baronio referente, Tom. 1. ad annum Chriſti 64.) ſub Aureliano Imperatore, bellis ciuilibus diſruptis mœnibus, perdidit regionum maximam partem. Ceterum, Apoſtolorum tempore Alexandria florentiſſima erat, principem facilè vendicans ſibi locum. Præclariſſimi in ea floruere viri doctrina & ſanctitate, Martyres; Pontifices, Confeſſores, Virgines: & Patriarchali Sede decorata prima poſt Romam, variis mutationibus ſubiecta fuit, vtpotę res temporaria.

Inſignes in ea viri floruerunt.

Præſentis eius ſtatus conditio.

Sed quid de ea nunc dicendum eſt? In optimo ſolo ſituata eſt, altis mœnibus cingitur, licet vel bellis vel antiquitate plurimùm conſumptis: turribus & munitionibus non caret, in quibus milites vigileſque inhabitant cuſtodientes ciuitatem: antiqua ædificia vt plurimum demolita; quæ de nouo eriguntur, pro maiori parte prope mare ædificantur. Caret fontibus; ciſternis ſolatur, quæ creſcente Nilo implentur, ingreſſa in eas aqua per ſubterraneos meatus: iis etiam campi alluuntur. Vbique ferè ingentes magnorum ædificiorum cernuntur ruinæ, plures marmoreæ columnæ & porphyreticæ, aliæ erectæ, ſolo proſtratæ aliæ. Ex his tamquam ſingulare oſtenditur peregrinis Palatium Regis, patris ſanctæ Virginis & Martyris Catharinæ; ſiue illius plures ruinæ & fundamenta: item mirabiles & magnæ marmoreæ pyramides quadrangularis figuræ in acutum terminantes, in quibus incila & inſculpta ſunt ſigna hieroglyphica Ægyptiorum: ſunt ſine baſibus; &

Pyramides cum hieroglyphicis.

tamen multò altiores cenſentur ils quæ Romæ viſuntur. Numero quatuor aſſerunt aliqui, quarum duæ ſint erectæ, & totidem humi iacentes: verùm ego duas dumtaxat vidi; erectam alteram, alteram humi iacentem & fractam; & alias non eſſe credo: & fauet illarum ſimulacrum, delineatum æreque inciſum apud Vadium Venetus; in quo erectam vnam integram, & alterā iacentem in duo fruſta ſiue partes diuiſam videmus, & erectæ altitudinem eſſe palm. Romanorum 116. & latitudinem in baſi 10. quæ menſa fuit die 25. Iulij 1576. & credendum, qui harum deſcribendarum curam ſuſcepit, ſuſceptarum & aliarum, ſi fuiſſent. Eſſe tamen alias minores operas fabulo, ab his, qui Alexandriæ longo tempore verſati fuerunt, intellexi. Eſt Alexandria ſuper arcus & columnas tota exſtructa; ita vt ſubtus ad eam deſcendendo, noua alia ciuitas videatur.

Extra ciuitatem circa dimidium milliaris eſt columna porphyretica tota integra ſuper modica baſi eleuata, cum ſua baſi & capitello, æqualiter rotunda: craſſities ſexdecim brachiorum, longitudo proportionata: dixit quidam ſe ſenſum extendere, quantum quis poſſet ſurſum lapidem fundā iacere; ſed nimis excedere videtur, aliàs tamen altiſſima eſt: ex parte Septemtrionali ab Aquilone vento parum corroſa. Eſt columna hæc celeberrima & mirabilis: à longè videtur, & vt rem prodigioſam viatores contemplantur: ab incolis regionis illius, & communiter, *Columna Pompeij* appellatur. Sed cur tali fuit inſignita nomine?

Pompeij columna, & eius forma.

De ratione nominis opiniones quatuor.

Pluries hoc inquiſiui & ſciſcitatus ſum, nec apud aliquem, qui vitam & facinora Pompeij conſcripſit, aliquid inuenire potui: quidam dixerunt, fuiſſe ibi interfectum, & in illius memoriam fuiſſe illam columnam erectam, & ſuo nomine appellatam. Alexandriæ quidem fuiſſe interfectum, tradit Dolionius in Compendio ſuo hiſtorico Italicè conſcripto Part. 1. anno mundi 3911. Sed hoc falſum eſſe, non dubitamus: etenim Iulius Cæſar lib. 3. de Bell. ciuil. cui in his maior fides præſtanda eſt, docet, proditorię apud Pelluſium opera amicorum Ptolemæi regis Ægypti, qui ob defectum ætatis eius in procuratione erant Regni, in Nilo fuiſſe interfectum; quando in Alexandria recipi à Rege, propter veterem eius cum patre ſuo amicitiam, ob timorem inſequentis Cæſaris deſiderabat.

Prima, quia Alexandriæ Pompeius occiſus.

Apud Pelluſium proditoriè Pompeius interfectus.

Patriarcha Alexandrinus, nunc Conſtantinopolitanus Græcus, cuius aliàs mentionem feci, in antiquitatibus traditionibuſque iſtarum partium verſatus, aſſerit, ea,

ea nomenclatura fuisse insignitam; quoniam cùm Pompeij pater illam elaborari curasset, velletque more Magnatum ad sui perpetuum monumentum erigere, propterque eius ingentem molem, modum erigendi ignoraret; Pompeius hoc intelligens, vt patris desiderio satisfaceret, sibique nomen compararet, tali iudicio & arte vius fuit, vt nocte vna, auxilio captiuorum patris, illam, vt modò cernitur, erigeret: & ita ab illius erectione posteritatibus temporibus semper columna Pompeij appellata fuit.

Secunda, quia à Pompeio erecta.

Reijcitur.

Verùm adducta ratio, inuentum somniumque Græcanicum à peritioribus censetur: & meritò, quoniam Plutarchus, qui diligenter descripsit facta Pompeij, & isto multò minora notauit, tamen erectionis dictæ columnæ nullam fecit mentionem: imò nec meminit filiũ fuisse in Alexandria vel Ægypto cum patre; vt verè non fuit.

Petrus Bellonius lib. 2. Obseruationum cap. 21. aliam rationem erectionis dictæ columnę eiusdemq; conditionem sequentibus verbis explicuit: *Vrbe Alexandria egressi, praealtam Pompeij columnã spectatum imimus, in exiguo quodam promontorio, octauo milliario ab vrbe parta. Ea columna est immensa altitudinis, & crassitie reliquas, quas vnquam viderimus, superat. Columnæ Agrippæ quæ in Panthæo Romano sunt, nihil ad eius crassitiem accedunt. Vniuersa eius materies, cùm epistylij tum formæ cubica ex Thebaico marmore est, ex eodem videlicet, ex quo omnes obelisci ex Aegypto delati constant. Eam Cæsaris iussu, ob victoriam aduersus Pompeium partam, istic erectam aiunt. Adeò crassa est haec columna, vt impossibile iudicetur, nunc quemquam artificem reperiri posse, qui vllis instrumentis eam aliò transferre queat.* Hæc ille.

Tertia, quia à Cæsare erecta ob partam de Pompeio victoriam.

Reijcitur.

Sedenim nec ratio hæc Bellonij est à difficultate aliena: nàm si per Cæsarem fuit columna erecta, ab eo debuit columna Cæsaris nuncupari. Præterea, si ob victoriam de Pompeio partam illam erexit, quare nõn in loco victoriæ, in Macedonia primò, vel secundò in Thessalia apud Pharsaliam, vbi fuit Pompeius superatus? vel tandem Romæ, vbi trophæa erigebantur, & victores gloriosi triumphabant? Idem dissuadet, quòd Cæsar ægrè tulit proditionem mortemque Pompeij: vnde cùm de illa certior factus fuisset in Ægypto, illacrymasse fertur; atque proditores & interfectores Photinum & Achillam morte puniuit; caputque Pompeij illi ostensum auersatus, honorificè in Alexandriæ suburbiis sepeliri iussit, ibidemque sacellum dedicari.

Torniellus Tomo 2. A. M. 4006.

Omnes dictæ sententiæ refelluntur.

Præterea, contra omnes adductas opiniones facit quod mox subijcio. In Inscriptionibus sacrosanctæ vetustatis Petri Apiani & Bartholomæi Portæ, quarum alibi mentionem feci, in Africæ inscriptionibus vnica Græcis litteris in dicta columna incisa notatur: quam ego quidem non obseruaui, illam tamen hìc tibi subscribo cum Latina interpretatione; quia non parum prodest proposito argumento.

In Alexandria Ægypti in columna mirę magnitudinis:

ΔΗΜΟΚΡΑΤΗΣ
ΠΕΡΙΚΛΕΙΤΟΣ
ΑΡΧΙΤΕΚΤΟΣ ΜΕ
*ΟΡΘΟΣΕΝΔΙΑ *πρου-
ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ ΣΕ
ΜΑΚΕΔΟΝΟΣ
ΒΑΣΙΛΕΙΟΥ.

DEMOCRATES
PERICLITVS
ARCHITECTVS ME
EREXIT IVSSV
ALEXANDRI
MACEDONVM
REGIS.

Si quod in memorato Epitaphio continetur verum est, manifesta falsitate conuincuntur adductæ rationes; & probabile est, Alexandrum Magnum, qui Alexandriam vrbem in Ægypto fundauit, apud eamdem illam magnam columnam ad sui perpetuam gloriam erexisse: ac consequenter nec à Pompeio, nec à Cæsare, qui multo tempore post Alexandrum floruerunt, erigi potuit. Fortè columna Pompeij appellatur, quia forte apud eam fuit caput Pompeij tumulatum, eidemque sacellum dicatum, vt notauimus. De ista columna tractat Princeps Radziuilius in sua Ierosolymitana peregrinatione Epist. 3. pag. 197. tractant & alij.

Quarta sententia, quia apud eam caput Pompeij tumulatum fuit.

Relata, vt visa & considerata retuli: nec enim omnia scire certò possumus. Ex his euidenter colligitur, regiam, illustrissimam fatisque commendatam fuisse ciuitatem Alexandriam. De qua plura alia videre poteris apud Adrichomium in Pharan numero 6. citatum Radziuilium, & Adamnanum de Locis sanctis lib. 2. cap. 27.

CA-

CAPVT IV.

De Ecclesia sancti Marci Euangelistæ, quarto loco sextæ Peregrinationis.

MVltæ profectò olim fuerunt à piis fidelibus Deo Opt. Max. & Sanctis eius Ecclesiæ ædificatæ in Alexandria, Ægypti celebri vrbe, quando in ea fides Christi floruit, & fructificauit, & à Christianis Principibus possidebatur; sed ea sub infidelium tyrannidem redacta, ferè Christi nomine extincto & obscurato, & eius Ecclesiæ partim in Maurorum Turcarumque Mesquitas redactæ sunt, partim bellis, vetustate & odio infidelium collapsæ & destructæ cernuntur: inter paucas verò quæ remanserunt, duæ singulariter memorantur, & in veneratione habentur; altera sancti Marci Euangelistæ, altera sancti Sabæ Abbatis, siue sanctæ Catharinæ virginis & martyris appellatur: de quibus nos pauca dicemus; de priori præsenti, de posteriori Cap. sequenti.

Ecclesia S. Marci forma.

Ecclesia D. Marco Euangelistæ dicata est Alexandriæ; cui & Monasterium annexum est, an potiùs domus, vbi habitant Gophiti. Galli Ecclesiam illam restaurari curarunt: non satis ampla est, commoda tamen: ibi & nos Catholici Missam ad Dei gloriam & sui Euangelistæ honorem celebramus. Christiani, cuiuscumque nationis existant, quos contingit in partibus istis è vita discedere, ibi tumulantur.

Ibi suggestum in quo S. Marcus prædicabat.

Quod in ea Ecclesia memorabile est, cuiusque gratia æstimatur, & veneratione habetur, est suggestum muro affixum in sublimi; in quo, vt constanti traditione perhibetur, sanctus Euangelista prædicabat: posterioribus temporibus videtur fuisse renouatum: circulare est. Vltra altare est locus vbi erat sepulchrum sancti Euangelistæ. Vt verò horum maiorem habeamus cognitionem, quidque D. Marco accident, qui doctrina, Pontificia dignitate & sanguine ciuitatem istam illustrauit, aduertendum est,

Eiusdem sepulchrū.

S. Marcus vnus ex septuaginta discipulis.

sanctum Marcum Euangelistam, vt communior habet Doctorum sententia, fuisse vnum ex septuaginta discipulis natione Hebræum, genere sacerdotali progenitum; vnumque ex illis Sacerdotibus, qui post Christi ascensionem crediderunt Domino.

Act. 6, 7.

de quibus Lucas ait: *Multa etiam turba Sacerdotum obediebat fidei:* vt ait Beda, Papiam secutus. Plurimùm à B. Apostolo Petro fuit dilectus: adeò vt Nicephorus lib. 2. cap. 43. prognatum dicat ex Petri sorore; quamuis sine fundamento dictum asserat Baronius Tom. 1. Annal. sub anno Christi 45. Et certè ipse Petrus Marcum filium

1. Pet. 5, 13

suum appellat in quadam Epistola, tum ob doctrinam quam ab eo didicit, tum ob singularem erga eum dilectionem: hinc Romam Petrum secutus, apud eum interpretis munere functus fuit, & Euangelium quod ibi prædicauerat, tum fidelium hortatu tum Petri mandato ibi conscripsit: quod à Petro visum & approbatum, legendum & prædicandum esse absque periculo, sed cum fructu iudicauit. Lege de his plura apud Baronium citatum: vbi ex vetustissimis & approbatis Scriptoribus plura perstrinxit. Hunc etiam vide loco statim adducendo.

Petri mandato scripsit Euangelium.

Petrus non proprio consulens commodo, sed publicæ sanctæ Ecclesiæ vtilitati, cuius à Christo Domino caput fuerat constitutus, non quæ sua sunt quærens, sed quæ Iesu Christi, diuino agente numine sciens in Ægypto multam esse messem in horreum Domini congregandam, Alexandriam esse eius præcipuam ciuitatem, ad quam ex omnibus mundi partibus variæ nationes conuenitebant, vt Capite præcedenti notauimus; vt omnibus diffunderetur gratia Spiritus sancti, ad eam suo loco misit dilectissimum Marcum, vt ibi Euangelium prædicaret, vbi velut in quodam orbis theatro, ex Asia, Africa & Europa tot gentes simul essent collectæ; nobilissimam & populosissimam sub Petro conderet Ecclesiam, prædicatione eruditet, coërceret auctoritate, moueret exemplo, accenderet charitate, & glorioso martyrio consecraret. *Marcus* igitur, vt breuiter dicitur in Græcorum Menologio apud Cardinalem Baronium Tom. 1. ad annum Christi 64. *primus omnium Alexandriæ Christi annuntians Euangelium; cùm instituisset Ecclesiam Alexandrinam, insuper & alias collegisset ex Libya, Marmarica, Pentapoli & Armoniaca regione, Thebaide ac vniuersa propè Aegypto, tandem Dominico die, cùm Missam ageret, Gentiles in eum irruentes, atque tenentes, ligato fune ad collum eius, trahebant eum, raptantes per saxa ad locum Bucoli iuxta mare,* (erat hic locus apud Alexandriam positus, sic dictus à bucolis, hoc est, vt habet Strabo lib. 17. à bubulcis, quibus olim fuerat traditus ad habitandum.) *Sicq; carne eius vndiq; lacerata atque contusa, pænè spiritum redditurus, in carcerem detrusus, apparente sibi Domino vnà cum Angelis, ad futurum certamen instauratur. Manè autem facto, rursum de carcere eductus, pariterq; vt antè, per scabra loca pertractus, cùm ageret Deo gratias, atque diceret, In manus tuas commendo spiritum meum, impollutum Deo reddidit spiritum; sepultusq; est cum honore à discipulis suis.* Hæc ex Menologio Græcorum accepta, à Latinis æquè probantur.

Alexandriam missus Episcopus.

Bucolus, vulgò Belano, quare sic dictus.

Ibi S. Euangelista martyrium obiit.

De Ecclesia & sancti huius Euangelistæ sepulchro sequentia ex sancto Arculto notauit sanctus Adamnanus: *Item de parte Aegypti aduenientibus, & vrbem intrantibus Alexandrinam, ab Aquilonari latere occurrit grandis Ecclesiæ constructio, in qua Marcus Euangelista humatus iacet: cuius sepulchrum ante altare in Orientali eiusdem quadrangula loco Ecclesiæ memoria superposita marmoreis lapidibus constructa monstratur.* Hæc Adamnanus. Placuit hoc aduertere; quoniam ex quo sacrum corpus Venetias delatum fuit, peculiaris loci sepulchri memoria ferè abolita est, perpetuò nihilominùs in fidelium mentibus conseruanda; quoniam pignus continuit templum Spiritus sancti; quod notatio Adamnani commemorat.

De Locis sanctis li 2 cap. 27.

Ex eo verò quòd Marcus Petri nomine Alexandriæ nobilissimam, numerosissimam atque religiosissimam Ecclesiam fundasset, Ecclesia Alexandrina post Romanam inter alias principem locum tenet, vt Gelasius in Decret. de lib. apocryph. testatur his verbis: *Secunda autem Sedes apud Alexandriam beati Petri nomine à Marco eius discipulo & Euangelista consecrata est: ipse enim à Petro Apostolo in Aegyptum directus, verbum veritatis prædicauit, & martyrium consummauit.* Hæc Gelasius.

Alexandrina Sedes secunda Patriarchalis.

Non iniucundum erit ad id quod nunc diximus breuiter adnotare ex Cardinale Bellarmino To. 1. Controuers. lib. 1. de Roman. Pontif. cap. 24. apud veteres tres rantùm fuisse Ecclesias Patriarchales, & primas; quæ sic ordinabantur, vt prima esset Romana, secunda Alexandrina, & tertia Antiochena, vt patet in diuersis antiquis oecumenicis Conciliis. Sed quare tres tantùm assignantur, & non plures? & quare indicato ordine? Aliis prætermissis, dicitur, ideò tres illas tantùm nominari primas & Patriarchales, propter honorem Petri summi omnium Pontificis, qui eas Ecclesias vel per se vel per alios fundauit & rexit, & in eis sedit. Petrus verò Antiochiæ & Romæ per seipsum sedit; Alexandriæ autem sedit vel per se, vt Nicephorus testatur lib. 14. cap. 3. vel per discipulum suum Marcum: quem eò misit, vt suo nomine fundaret Ecclesiam, vt docet D. Gregorius lib. 6. Ep. 37. ad Eulogium Alexandrinum.

Tres Patriarchales Ecclesiæ apud veteres.

Harum ratio.

Ratio verò ordinis est; quia cùm omnes tres sint Sedes Petri, tamen Romanam per se vsque ad mortem administrauit, Alexandrinam per Marcum Euangelistam, Antiochenam per Euodium. Sicut ergo maior est Petrus Apostolus Marco Euangelista, & Marcus Euangelista Euodio, qui neque Apostolus neque Euangelista fuit; ita quoque Romana Ecclesia Alexandrinam, & Alexandrina Antiochenam auctoritate & dignitate superat. Sed posterioribus temporibus Constantinopolitana & Ierosolymitana Sedes, nullo contradicente, inter Patriarchales computatæ sunt. Ex quibus patet, quomodo ob sancti Marci honorem Alexandrina Patriarchalis Sedes post Romanam iure ceteris præferatur.

Ratio ordinis Sedium Patriarchalium.

Duæ aliæ postea additæ.

CAPVT V.

De Ecclesia sanctæ Catharinæ virginis & martyris, siue S. Sabæ, quinto loco sextæ Peregrinationis.

EST Alexandriæ altera nobilis celebrisque Ecclesia, cui annexum est Monasterium Græcorum Ordinis sancti Basilij: & habitat in eo ipsorum Patriarcha Alexandrinus cum vigintisex Monachis circiter, licet pro maiori parte vitam ducat in magna Cairo: appellatur *S. Saba Abbatis*, sed frequentiùs, præsertim à Latinis Catholicis, *Ecclesia sancta Catharina virginis & martyris.* & tali nomine appellandam arbitror; tum quia sancta Catharina in magna veneratione est apud Græcos & Latinos: illi enim, vt ex ipsorum Menologio constat, duplici Officio eius festum celebrant: quod & nos alibi attigimus. Vnde Alexandriæ commorantes Veneti, pulchrum ibi sacellum ad huius Virginis honorem excitarunt, & honorificè custodiunt. Quare & propter dicta, & quia Alexandrina fuit, & Alexandriæ martyrium consummauit; in eius felicissimi agonis memoriam Ecclesiam ædificatam fuisse à piis fidelibus credendum est, & hanc, de qua loquimur. Sed quidquid sit de nomine eius antiquo, in præsentia à sancta ista virgine ac martyre ædes sanctæ Catharinæ nuncupatur.

Ecclesia S. Catharina nominatio.

In ista Ecclesia monstratur columnæ basis ex marmore albo, mediocriter alta: supra quam quidam dicunt rotam positam fuisse, quando, vt in ea vitam finiret, fuit illi exposita. Videntur in ea quædam maculæ, quas sanguinis esse B. Catharinæ, fama est. Mihi probabilius videtur quod alij asserunt, super eam beatæ Virginis abscissum fuisse caput: tunc enim & non antè sanguinem fudit; sic enim de ea legitur in Romano Martyrologio ad 25. Nouembris: *Natalis sanctæ Catharinæ virginis & martyris, quæ ob fidei Christianæ confessionem Alexandriæ sub Maximino Imperatore in carcerem trusa, & postmodum scorpionibus diutissimè cæsa, tandem capitis obtruncatione martyrium complenit: cuius*

Vbi rota martyrij S. Catharinæ posita fuit.

Columna sanguine illius aspersa.

Vbi illius caput abscissum.

Digitized by Google

cuius corpus in montem Sinai ab Angelis mirabiliter delatum, ibidem frequenti Christianorum concursu pia veneratione colitur. De illius prudentia, sapientia, quomodoque quinquaginta Philosophos, qui eam à vera fide auertere conabantur, ad Christum conuerterit, pro quo fortiter martyrium passi sunt; & de eius martyrio agitur in Breuiario Romano, in eius die festo.

Quantum ad id quod dicitur de maculis sanguinis sanctissimæ Martyris in columna illa in perpetuum monumentum eius egregij martyrij relictis, dico esse posse: etenim simile legimus accidisse in templo Ierosolymitano in nece Zachariæ occisi à Iudæis inter templum & altare, vt docet Saluator apud sanctum Matthæum cap. 23. Tertullianus siquidem, in Scorpiaco de dicto Zacharia agens, testatur, perennes eius cruoris maculas silicibus impressas, in templo indelebiles esse relictas. Cardinalis Baronius in Notis Roman. Martyrologij ad 5. Nouembris addit: *Incidi in manuscriptum Codicem Bibliothecæ Vaticanæ de Peregrinatione ad Terram sanctam; legiq; inter alia quæ hactenus relicta sunt templi Ierosolymitani vetera monumenta, illic ineſſe lapidem, in quo recens cruor aspersus indelebili nota aspiceretur, quem dicerent esse sanguinem Zachariæ, qui inter templum & altare occisus est: licet & Hieronymus in citatum locum Matthæi, hæc ipsa vulgi potiùs opinione iactata, quàm certa veritate constantia patet.* Sed hæc, vt relata sunt, esse potuisse, nihil prohibet cum aliis probabiliter asseuerare.

Idem Cardinalis Baronius Tom. 3. Annal. sub anno Christi 307. arbitratur, nostram Catharinam illam esse, cuius meminit Eusebius lib. 8. cap. 27. cuius pulchritudinem cùm impudico amore deperiret Maximinus, votique sui compos fieri non posset, & pudicissimus sapientissimæ & castissimæ mulieris animus nec blanditiis nec minis à proposito virginitatis colendæ dimoueri posset, sed potiùs mori vellet; tamen interficere non potuit (quippe libido potiùs quàm iracundia mentis eius tenebat imperium) sed illam fuga mulctatam, omnibus facultatibus spoliauit. quibus addit Baronius: *Haud enim putandum, Maximini libidinis faces fuisse possessione diuitiarum illius extinctas; & qui pollebat rerum Imperio, insequi desiisse abreptam fuga ab anhelantibus faucibus prædam tam ardenter amatam, ac cupidissimè conquisitam.* & post pauca subiicit: *Quòd insuper eadem fuga lapsa dicatur; comigisse item credimus, ipsam montes Arabiæ petiisse (consueuerunt enim perfugæ Christiani Alexandrini in persecutione adire montes Arabiæ, vt diximus ex Eusebio) eamq; fido comitatu Christianorum conscendisse verticem Sinæ montis; sed & (quod Thessalonicensibus quoque feminis hac eadem persecutione euenisse alibi dictum est), perquisitam denuò, inuentamq;, atque tormentis exagitatam, fuisse martyrio coronatam, eoq; corpus (vt tradunt) diuinitus translatum, vbi latebras nacta fuisset in fuga.* Ioannes Molanus de pictura huius Sanctæ ita scribit: *De sanctissima porrò Dei martyre Catharina notum est, quòd pingatur patrem pedibus suis conterens; quia de eo per martyrium triumphauit. Sed vulgo persuasum est esse Maxentium Romanorum Imperatorem; cùm docti viri asserant Maxentium Imperatorem nunquam Alexandriæ tyrannidem exercuisse. Ideò Romanum Breuiarium patrem quidem Maxentium vocat, sed nulla tituli dignitate addita. Quare ego potiùs laudarim, patrem non depingi vt Imperatorem, quàm ex vulgi opinione Romani Imperij Augustum.*

Arabia montes perfugium Christianorum in persecutionibus: Euseb. li. 6. cap. 34.

De Hist. sacrar. Imagin. lib. 3. cap. 50.

Pictura S. Catharinæ tatio.

Fateor me non nisi in Belgio depictam obseruasse sanctam Catharinam cum Imperatore ad illius pedes; non item alibi in Italia & in Oriente, in Syria & Ægypto, vbi illius fama celeberrima est; sed cum Christo eam annulo desponsante, quòd credatur, eam Christianam redditam, à puero Iesu in gremio sanctissimæ Deiparæ fuisse sanctam Virginem desponsatam visibiliter: cum corona, quia Regis regum sponsa; & quia præter essentialem gloriam à sponso suo Iesu fuit condecorata Martyrum, Virginum ac Doctorum corona; quia virgo & martyr fuit, & sapientia & eloquentia sua plures & sapientes ad Christi fidem perduxit; & quòd credita sit Regis filia. Depingitur cum rota, gladio & palma: cum rota, quia rota crebris & acutis præfixa gladiis, vt Virginis corpus crudelissimè dilaceraretur, præparata; breui Catharinæ oratione confracta fuit: cum gladio ac palma, quia fortiter dato capite ad martyrij palmam peruenit.

Catharina qua fuerit.

Credo etiam posse admitti rationabiliter præmissi Imperatoris picturam illam, intelligendo non quidem Maxentium, sed Maximinum; sub quo sancta Virgo martyrium obiit, vt notauimus ex Rom. Martyrologio. Et ita habetur in Breuiario Romano Clementis VIII. auctoritate recognito, vbi nulla fit mentio Maxentij. Non mirandum tamen, illam picturam correctione dignam iudicasse Molanum, quandoquidem ipse per Imperatorem illum, Maxentium intellexit; quia scripsit ante Breuiarij correctionem, anno videlicet nostræ salutis 1594. vt videre est in illius Operis Dedicatoria, & nota temporis impressionis Louanij. Cor-

rectio verò Clementis facta fuit anno 1602. vt patet ex Bulla eiusdem Pontificis eidem Romano Breuiario præfixa. Et cùm Maximinus Alexandriæ fuerit, eumque inermis adolescentula non materiali gladio, sed gladio spiritus, quod est verbum Dei, ac passionum tolerantia & patientia, nobili vincendi genere, deuicerit, meritò Virginis pedibus victus subiicitur.

Præter memoratas Ecclesias habent Catholici Galli & Veneti Alexandriæ sua peculiaria Oratoria, in quibus Fratres sancti Francisci Deo inseruiunt; illisque spiritualia ministrant, à quibus temporalia metunt pro vitæ sustentatione. Venerationi etiam habetur in eadem ciuitate Ecclesia quædam sancto Michaëli dicata, quòd credatur ibi esse imaginem sanctæ Mariæ Virginis à diuo Euangelista Luca depictam: illius curam habent Gophti. Et hîc præsenti Capiti, Peregrinationi, octauo & vltimo Libro Elucidationis Terræ sanctæ finis imponatur, ad honorem & gloriam sanctissimæ & indiuidiæ TRINITATIS, IESV CHRISTI Crucifixi humanitatis, & illius semper purissimæ Matris Virginis MARIÆ.

Omnia censuræ & iudicio sanctæ ROMANÆ ECCLESIÆ *subiecta sunto.*



INDEX

Digitized by Google

INDEX ET ORDO LIBRORVM ET CAPITVM TOMI SECVNDI ELVCIDATIONIS TERRÆ SANCTÆ.

LIBRI QVARTI ARGVMENTVM.

DECEM *Peregrinationibus recenſentur loca illa, quæ viſuntur à peregrinis venientibus ex Ioppe ad ſanctam ciuitatem Ieruſalem, quæ, vel ſunt in eadem ſancta Ciuitate, vel circà, exceptis ſanctiſſimi Sepulchri, Emmaus, & aliis remotioribus locis; & quæ de illis enuntiantur, non ſolùm breuiter & rotundè, ſed etiam accuratè exquiſiteque explicantur.*

PEREGRINATIO I. *in qua referuntur & enucleantur nouem præcipua loca occurrentia peregrinis euntibus ex Ioppe ad ſanctam ciuitatem Ieruſalem.* I. *Locus eſt ciuitas & portus Ioppes.* II. *Ciuitas Rama.* III. *Lydda ciuitas.* IV. *Caſtellum boni Latronis.* V. *Locus & Eccleſia SS. Machabæorum.* VI. *Eccleſia ſancti Ieremiæ Prophetæ.* VII. *Anathoth eiuſdem Prophetæ patria.* VIII. *Vallis terebinthi, & torrens intermedius.* IX. *Denique ſancta ciuitas Ieruſalem.* Pag. 3

CAPVT I. *De ciuitate & portu Ioppe, primo huius Peregrinationis loco, & quorundam circa ipſam locorum ſanctorum memoria.* ibid.

CAP. II. *De Rama ciuitate, ſecundo loco memorabili Peregrinationis primæ, & de aliis quæ in ea obſeruatione digna occurrunt.* 6

CAP. III. *De Lydda ciuitate, & Eccleſia ſancti Georgij Martyris, tertio loco memorabili Peregrinationis primæ.* 9

CAP. IV. *Alia de S. Georgio martyre ex Adamnano.* 10

CAP. V. *De caſtello boni Latronis, quarto loco primæ Peregrinationis.* 12

CAP. VI. *De loco & Eccleſia ſanctorum Machabæorum, quinto loco primæ Peregrinationis.* ibid.

CAP. VII. *De templo S. Ieremiæ Prophetæ, ſexto loco primæ Peregrinationis.* 14

CAP. VIII. *De Anathoth patria Ieremiæ Prophetæ, ſeptimo loco primæ Peregrinationis.* 15

CAP. IX. *De Valle terebinthi, & torrente medio, octauo loco primæ Peregrinationis.* 16

CAP. X. *De mirabili radice lilij, Chriſti Ieſu Crucifixi expreſſam effigiem referente, in ſuburbiis ſanctæ Ciuitatis inuenta.* 17

CAP. XI. *Cuius radix illa Crucifixi ſit dignitatis; & nonnulla, quæ in illa latent, myſteria ex Iſaia aperiuntur.* 20

CAP. XII. *De duobus aliis Crucifixis à natura productis, vno in Hiſpania ex vite, altero in Belgio ex nuce.* 25

CAP. XIII. *De ſancta ciuitate Ieruſalem, nono loco primæ Peregrinationis.* 27

CAP. XIV. *De conditoribus ſanctæ ciuitatis Ieruſalem.* ibid.

CAP. XV. *De ſitu & conditione Ieruſalem, & de montibus in quibus eſt fundata, & à quibus eſt circumdata.* 31

CAP. XVI. *De muris & amplitudine antiquæ Ieruſalem.* 34

CAP. XVII. *Difficultas, quæ elenari poſſent ea quæ Capite præcedenti dicta ſunt & aſſerta, proponitur & diſſoluitur.* 36

CAP. XVIII. *De portis veteris Ieroſolymæ, & earum nominibus.* 37

CAP. XIX. *De ſitu & conditione nouæ Ieruſalem.* 40

CAP. XX. *De portis nouæ Ieruſalem, & earum*

rum nominibus. 41
CAP. XXI. *Ad quam tribum pertinuerit Ieruſalem, & à quibus gentibus antiquitus habitata fuerit.* 43
CAP. XXII. *De Regibus & Principibus qui regnauerunt in Ieruſalem ab eius exordio vſque ad Babylonicam populi Iudaici captiuitatem.* 44
CAP. XXIII. *De his, qui in ſancta ciuitate Regni gubernacula tenuerunt poſt reditum filiorum Iſraël à Babylone in Iudæam, vſque ad Chriſti aduentum.* 48.
PEREGRINATIO II. *in qua recenſentur & explicantur ſex præcipua loca quæ occurrunt piis fidelibus proficiſcentibus ab Eccleſia & Conuentu S Saluatoris vſque ad ſacrum montem Sion excluſiuè, ex parte vrbis Meridionali.* I. *Locus eſt Eccleſia & Conuentus S. Saluatoris.* II. *Caſtrum Piſanum, & Turris Dauid.* III. *Locus Mariarum appellatus.* IV. *Eccleſia S. Thomæ Apoſtoli.* V. *Eccleſia & Monaſterium S. Iacobi Maioris.* VI. *Templum Præſentationis beatæ Mariæ Virginis.* 49.
CAPVT I. *Modus, quo peregrini excipiuntur in ſancta ciuitate, & iterùm ex ea dimittuntur ad propria.* ibid.
CAP. II. *De Eccleſia & Conuentu S. Saluatoris, primo loco ſecundæ Peregrinationis.* 50
CAP. III. *Quomodo Eccleſia & Conuentus S. Saluatoris deuenerit ad Fratres Minores.* 51
CAP. IV. *Aliqua notatu digna quæ noſtris temporibus acciderunt Ieroſolymis & in Conuentu S. Saluatoris.* 53
CAP. V. *De aliquibus Fratribus Minoritis, qui in ſancta Ieruſalem ciuitate ſanguinem pro Chriſto fuderunt.* 54
CAP. VI. *De Maria Luſitana muliere, tertij Ordinis S. Franciſci, quæ Ieroſolymis propter fidem Chriſti prædicatam à Mauris interempta fuit.* 57
CAP. VII. *Recténe fecerint Fr. Coſmas & Maria Hiſpani, morti ſe vltrò pro Chriſto exponendo.* 59
CAP. VIII. *De venerabili ſeruo Dei Fr. Angelo à Meſſana, ſacri montis Sion Guardiano.* 63
CAP. IX. *De laudabili vita & felici tranſitu Fr. Ludouici Maßilienſis.* 65
CAP. X. *De venerabili ſeruo Dei Fr. Claudio à Lauda.* 66
CAP. XI. *De venerabili ſeruo Dei Fr. Gabriele Cornelio Gallo.* 67
CAP. XII. *De Caſtro Piſano, Turri & Arce Dauid, ſecundo loco ſecundæ Peregrinationis.* 68
CAP. XIII. *De loco* Mariarum *appellato, vbi Chriſtus poſt Reſurrectionem ſanctis mulieribus apparuit, eiſq; dixit,* Auete; *qui tertio loco occurrit in ſecunda Peregrinatione.* 71
CAP. XIV. *Ordo apparitionis factæ mulieribus, de quibus Capite præcedenti, ad alias Domini apparitiones.* 72
CAP. XV. *An apparitio, de qua Capite* XII. *actum eſt, facta ſit tribus an quatuor mulieribus.* 73
CAP. XVI. *De Eccleſia S. Thomæ Apoſtoli, quarto loco ſecundæ Peregrinationis.* 75
CAP. XVII. *De Eccleſia & Monaſterio S. Iacobi Maioris, quinto loco ſecundæ Peregrinationis.* ibid.
CAP. XVIII. *De templo Præſentationis beatæ Mariæ Virginis, ſexto loco ſecundæ Peregrinationis.* 77
CAP. XIX. *De auctore & ſtructura templi Præſentationis B. Mariæ Virginis; & difficultatis ſolutio.* 79
CAP. XX. *De habitaculis templi Domini, in quibus Deo oblati viri & mulieres habitabant, & hiſtoria Præſentationis B. Mariæ Virginis.* 80
CAP. XXI. *Reſpondetur argumento, quo probatur, ſanctam Dei Genitricem non fuiſſe in templo præſentatam, nec in loco Deo dicatarum virginum habitaſſe.* 82
CAP. XXII. *An ſancta Deipara habitauerit in communibus templi habitationibus quæ promiſcuè virginibus aſſignata erant, vel in Sanctis ſanctorum.* 84
CAP. XXIII. *In primitiua Eccleſia propriè ſacræ ædes fuerunt, in quibus fideles ad ſacra munia obeunda conueniebant.* 86
PEREGRINATIO III. *in qua recenſentur & enucleantur loca decem, quæ ſparſim viſitantur in ea parte ciuitatis, quæ antiquitus Ciuitas inferior dicebatur.* I. *Locus eſt carcer S. Petri Apoſtoli.* II. *Eccleſia S. Ioannis Euangeliſtæ, quæ & Zebedæi domus.* III. *Domus Mariæ matris Ioannis Marci.* IV. *Porta ferrea.* V. *Communis locus converſionis B. Mariæ Magdalenæ.* VI. *Peculiaris eiuſdem Magdalenæ converſionis locus.* VII. *Probatica piſcina.* VIII. *Eccleſia S. Annæ, & locus Conceptionis & Natiuitatis ſanctæ Mariæ Virginis.* IX. *Domus diuitis Epulonis.* X. *Templum Domini, ſiue Salomonis.* 89
CAPVT I. *De carcere S. Petri Apoſtolorum Principis, primo loco tertiæ Peregrinationis.* ibid.
CAP. II. *Duæ explicantur difficultates contra dicta de carcere D. Petri.* 90
CAP. III. *De Eccleſia S. Ioannis Euangeliſtæ, quæ & domus eius & Zebedæi patris appellatur, ſecundo loco tertiæ Peregrinationis.* 93
CAP. IV. *Duæ explicantur difficultates contra*

tra hanc domũ S. Ioannis Euangeliſtæ. ibid.
CAP. V. *De domo Mariæ matris Ioannis Marci, tertio loco tertiæ Peregrinationis.* 94
CAP. VI. *De Porta ferrea, quarto loco tertiæ Peregrinationis.* 95
CAP. VII. *De communi loco ſiue ciuitate, vbi Mariæ Magdalenæ, quæ fuerat in ciuitate peccatrix, fuerunt à Chriſto Domino dimiſſa peccata, quinto loco tertiæ Peregrinationis.* ibid.
CAP. VIII. *De loco particulari conuerſionis Mariæ Magdalenæ, ſexto loco tertiæ Peregrinationis.* 98
CAP. IX. *De Probatica piſcina, eiuſq; conditione & ſitu, ſeptimo loco tertiæ Peregrinationis.* ibid.
CAP. X. *De aquis Probaticæ piſcinæ, & nominis illius ſignificatione.* 99
CAP. XI. *Argumenta contra adductam veritatem de Probatica piſcina diſſoluuntur, & quanta illius vtilitas fuerit.* 100
CAP. XII. *De Eccleſia S. Annæ, matris ſanctæ Mariæ Virginis, & domo in qua concepta & nata dicitur eadem B. Virgo Maria, octauo loco tertiæ Peregrinationis.* 103
CAP. XIII. *De domo diuitis Epulonis, nono loco tertiæ Peregrinationis.* 105
CAP. XIV. *De decimo loco tertiæ Peregrinationis, templo nimirum Ieroſolymis exſtructo eo in loco, vbi quondam ſteterat Salomonicum, ab incolis Ieroſolymitanis* Templum Salomonis *appellato, & de illius deſtructione.* 106
CAP. XV. *De tempore & auctore templi ædificati eo loco vbi priùs fuerat Salomonicum.* 108
CAP. XVI. *De forma & ſtructura templi Domini, ſiue Salomonis.* 110
PEREGRINATIO IV. *in qua recenſentur & deſcribuntur decem peculiaria loca ſacri montis Sion & ciuitatis ſuperioris, quæ modò eſt extra ſanctæ ciuitatis pomœria. I. Locus eſt ipſe ſacer mons Sion in ſe conſideratus. II. Eccleſia ſanctorum Apoſtolorum, ſiue ſanctum Chriſti cœnaculum. III. Sepulchrum Danidis. IV. Vbi cecidit ſors ſuper Mathiam. V. Locus diuiſionis Apoſtolorum. VI. Sepulchrum ſancti Stephani protomartyris. VII. Domus in qua B. Virgo Maria poſt mortem filij ſui vixit & obiit. VIII. Sacellum in quo S. Ioannes Euangeliſta Miſſam coram ſanctiſſima Deipara celebrabat. IX. Vbi Iudæi voluerunt perdere corpus Matris Filij Dei, dum ad ſepeliendum deportaretur. X. Vbi Petrus è domo Caiphæ egreſſus fleuit amarè.* 113
CAPVT I. *De ſacro monte Sion, primo loco quartæ Peregrinationis, & huius nominis multiplici ſignificatione.* ibid.
CAP. II. *Mons Sion commendatur ſpecialiter à naturali ſua conditione.* 115
CAP. III. *Quomodo Rex Dauid duxerit Arcam Domini in ſanctum montem Sion, & de loco vbi Rex Manaſſe ſepultus fuit.* 117
CAP. IV. *De Eccleſia ſanctorum Apoſtolorum, ſiue de ſancto Chriſti cœnaculo, ſecundo loco quartæ Peregrin. in communi.* 119
CAP. V. *De qualitate Eccleſiæ Sion, & locis in ea ad varia myſteria repræſentanda conſignatis.* 122
CAP. VI. *De ſollicitudine veterum in electione ſepulturæ, de ſepulchrorum ſitu, deſq; cura ſepeliendi mortuos.* 125
CAP. VII. *De forma & qualitate veterum ſepulchrorum, & eorumdem variis nominibus.* 127
CAP. VIII. *De ſepulchro Danidis, tertio loco quartæ Peregrinationis, prout à Salomone antiquitus parenti optimo ædificatum fuit.* 128
CAP. IX. *De loco vbi cecidit ſors ſuper Mathiam, qui eſt quartus Peregrinationis quartæ.* 131
CAP. X. *De loco diuiſionis Apoſtolorum, quando ab inuicem ſeparati, profecti ſunt in vniuerſum mundum ad fidem Chriſti propagandam, qui eſt quintus in quarta Peregrinatione.* 132
CAP. XI. *De modo quo ſancti Apoſtoli, profecturi in mundum vniuerſum ad ſanctum Dei Euangelium prædicandum, ab inuicem diuiſi fuere.* 134
CAP. XII. *De ſepulchro S. Stephani Protomartyris, ſexto loco quartæ Peregrinationis, & eiuſdem ſancti corporis inuentione ac tranſlatione.* 136
CAP. XIII. *Noua relatio inuentionis Reliquiarum S. Stephani Protomartyris apud Secuſiam in Pedemonte.* 137
CAP. XIV. *De domo in qua vixit & obiit B. Virgo Maria poſt Chriſti ad cælos aſcenſionem, ſeptimo loco quartæ Peregrin.* 142
CAP. XV. *Quæ in ſacra ede B. Mariæ Virginis contigerint.* 143
CAP. XVI. *De ſacello in quo S. Ioannes Apoſtolus Miſſam coram ſanctiſſima Dei Genitrice celebrabat, octauo loco quartæ Peregrinationis.* 147
CAP. XVII. *De loco vbi Iudæi voluerunt perdere corpus B. Mariæ Virginis, dum ad ſepeliendum deportaretur, qui nonus eſt in quarta Peregrinatione.* 148
CAP. XVIII. *De loco vbi Petrus è domo Caiphæ egreſſus amarè fleuit, qui decimus eſt in quarta Peregrinatione.* 149
PEREGRINATIO V. *eſt Via captiuitatis, in qua eiuſdem Via decem ſingularia recenſentur & explicantur loca. I. Locus eſt Vallis Ioſaphat. II. Torrens Cedron. III. Villa Gethſemani. IV. Locus vbi Chriſtus oratiuus*

Digitized by Google

turus octo Apoſtolos reliquit. V. *Locus vbi tres alios reliquit.* VI. *Locus vbi Chriſtus orauit, & ſudauit ſanguinem.* VII. *Locus vbi Chriſtus traditus & comprehenſus fuit.* VIII. *Veſtigia pedum Chriſti in Torrente Cedron.* IX. *Domus Annæ.* X. *Domus Caiphæ Pontificis.* 150

CAPVT I. *De Via captiuitatis.* ibid.

CAP. II. *De Valle Ioſaphat, primo loco Via captiuitatis.* ibid.

CAP. III. *Saluator noſter totum aliquando mundum iudicaturus eſt in Valle Ioſaphat, ſecundùm Ioëlis prophetiam.* 152

CAP. IV. *De torrente Cedron, ſecundo loco Via captiuitatis.* 155

CAP. V. *De villa Gethſemani, tertio loco Via captiuitatis.* 156

CAP. VI. *De loco vbi Chriſtus proficiſcens ad locum orationis, octo Apoſtolos reliquit, qui quartus occurrit in Via captiuitatis.* 158

CAP. VII. *De loco vbi Chriſtus tres diſcipulos reliquit, pergens ad orandum Patrem, qui ordine quintus occurrit in Via captiuitatis.* ibid.

CAP. VIII. *Difficultas circa quartum & quintum locum Via captiuitatis.* 159

CAP. IX. *De ſacro antro vbi Chriſtus orauit, & ſudauit ſanguinem, ſexto loco Via captiuitatis.* 160

CAP. X. *Difficultates quædam explicantur pro clariori intelligentia eorum quæ de loco orationis Chriſti dicta ſunt.* ibid.

CAP. XI. *De peculiari loco antri ſacratiſſimi, & parte verſus quam Dominus noſter Ieſus Chriſtus orauit; & quare conuerſi ad Orientem oremus.* 163

CAP. XII. *De loco vbi Chriſtus Ieſus à Iuda oſculo traditus eſt, à militibus ligatus, & à diſcipulis derelictus, vbi item Petrus Malcho abſcidit auriculam, qui ſeptimo loco inuiſitur in Via captiuitatis.* 168

CAP. XIII. *De veſtigiis Saluatoris in rupe torrentis Cedron impreſſis, quæ octauo loco venerationi habentur in Via captiuitatis.* 169.

CAP. XIV. *De domo Annæ Iudæorum Pontificis, nono loco Via captiuitatis, & quæ ibi circa Chriſtum acta fuerint; deq; alia, ad quam in eadem domo fertur Chriſtum fuiſſe ligatum.* 171

CAP. XV. *Duæ difficultates circa ea quæ dicta ſunt Capite præcedenti de domo & alia Annæ diſcutiuntur.* 173

CAP. XVI. *De domo Caiphæ Pontificis Iudæorum, decimo Via captiuitatis loco.* 176

CAP. XVII. *De loco qui* Carcer Chriſti *appellatur, & aliis obſeruandis in Caiphæ domo.* 178

PEREGRINATIO VI. *quæ eſt Via crucis, ſiue dolorosa, in qua recolunitur & enucleantur octo præcipua loca ab eamdem viam deambulantibus piè culta. Locus* I. *eſt Palatium Pilati Præſidis.* II. *Flagellationis Chriſti.* III. *Palatium Herodis.* IV. *Arcus Pilati, vbi Chriſtus ſuo populo oſtenſus, Pilato dicente,* ECCE HOMO. V. *Eccleſia Spaſmi Deiparæ dicta.* VI. *Trivium, vbi angariatus fuit Simon Cyrenæus vt Chriſti crucem ferret, & vbi flentes mulieres Chriſto occurrerunt.* VII. *Domus Veronicæ, vbi hæc ſancta mulier linteo faciem Chriſti terſit.* VIII. *Porta Iudiciaria.* 179

CAPVT I. *De Via crucis ſiue dolorosa.* ibid.

CAP. II. *De Palatio Pontij Pilati Præſidis Romanorum in Ieruſalem, primo memorabili loco Viæ crucis.* 181

CAP. III. *Relatio eorum quæ à quibuſdam in palatio Pilati Præſidis euenire dicuntur illis, qui alapâ & flagellis Chriſtum percuſſerunt.* 183

CAP. IV. *Proponitur quæſtio quoad Capite præcedenti adductas relationes, An videlicet, qui Chriſto alapam dedit, & qui eumdem ad columnam ceciderunt, in locis illis detineantur, pœnas ſuorum ſcelerum dantes.* 184

CAP. V. *De loco vbi Chriſtus Dominus iuſſu Pilati Præſidis fuit ad columnam ligatus, & flagellatus; qui ſecundo loco veneratione habetur in Via crucis.* 196

CAP. VI. *Chriſtus flagellatúſne fuerit intra an extra palatium Pilati Præſidis.* 197

CAP. VII. *An ſemel, vel pluries, & quoties Chriſtus Dominus fuerit flagellatus.* 201

CAP. VIII. *De palatio Herodis Tetrarchæ Galilææ, tertio memorabili loco Viæ crucis.* 204

CAP. IX. *De arcu Pilati, in quo Chriſtus Dominus ſpinis coronatus populo oſtenſus fuit, & à Pilato dictum,* ECCE HOMO, *qui quarto loco in veneratione habetur in Via crucis.* 206

CAP. X. *De Eccleſia ſanctæ Mariæ de Spaſmo, quinto loco Viæ crucis.* 209

CAP. XI. *De ſpaſmo B. Virginis Mariæ in paſſione dilecti Filij ſui.* ibid.

CAP. XII. *De Trivio, ſexto Via crucis memorabili loco, vbi angariatus fuit Simon Cyrenæus portare crucem Ieſu, & aliis quibuſdam quæ ibi contigerunt.* 229

CAP. XIII. *De domo ſanctæ Veronicæ, ſeptimo loco Viæ crucis.* 230

CAP. XIV. *De multiplici faciei Chriſti effigie ac ſudario, Abagari videlicet, Veronicæ, & montis Olineti.* ibid.

CAP. XV. *De porta Iudiciaria, per quam exiuit Dominus Ieſus ad Caluariæ montem, vt crucifigeretur, quæ octauo loco venerationi habetur in Via crucis.* 236

PERE-

Digitized by Google

PEREGRINATIO VII. *in qua recenſentur & enucleantur quindecim loca obſervatione digna, occurrentia proficiſcentibus extra ſanctam Ciuitatem in eius plaga Orientali & Auſtrali citra & ſupra vallem Ioſaphat. I. locus eſt Sepulchrum S. Virginis Mariæ in valle Ioſaphat. II. Eccleſia circa dictum Sepulchrum adificata; in qua ſunt alia triâ ſepulchra, ſanctorum Ioachim & Annæ parentum & Ioſeph ſponſi eiuſdem ſanctæ Dei Genitricis. III. Sepulchrum Ioſaphat Regis Iudæ. IV. Sepulchrum Abſalom filij Dauid. V. Antrum in quo tempore paſſionis Chriſti latuit S. Iacobus frater Domini; in quo eidem poſt Reſurrectionem idem Dominus glorioſus apparuit. VI. Sepulchrum Zachariæ. VII. Villa & vallis Siloë. VIII. Puteus Nehemiæ, ſine ignis. IX. Vallis Gehennon, & locus Topheth. X. Mons offenſionis & ſcandali. XI. Vbi Iudas proditor laqueo ſe ſuſpendit. XII. Latibula Apoſtolorum in quibus iidem ſe abſconderunt, Chriſto tempore ſuæ Paſſionis relicto: XIII. Acheldema, ſine Ager ſanguinis. XIV. Natatoria Siloë; & locus vbi ſectus fuit Iſaias Propheta. XV. Fons B. Mariæ Virginis.* 238

CAPVT I. *De Sepulchro glorioſæ Dei Genitricis Virginis Mariæ in valle Ioſaphat, primo loco ſeptimæ Peregrinationis.* ibid.

CAP. II. *De Eccleſia adificata circa Sepulchrum B. Mariæ Virginis, ſecundo loco ſeptimæ Peregrinationis, & ſepulchris ſanctorum Ioachim & Annæ parentum Ioſephi ſponſi eiuſdem S. Mariæ Virginis.* 240

CAP. III. *Difficultates contra dicta in præcedentibus de Sepulchro & Eccleſia B. Virginis Mariæ.* 244

CAP. IV. *De ſepulchro Ioſaphat Regis Iudæ, tertio loco ſeptimæ Peregrinationis.* 249

CAP. V. *De ſepulchro Abſalom filij Dauid, quarto loco ſeptimæ Peregrinationis.* ibid.

CAP. VI. *De qualitate ſepulchri Abſalonis, & de ratione multiplicis nominis ipſius.* 250

CAP. VII. *De loco ſepulchri Abſalom.* 254

CAP. VIII. *Cauſa erectionis tituli Abſalom.* ibid.

CAP. IX. *An Abſalom peccauerit in illa tituli erectione?* 255

CAP. X. *De antro, in quo ſanctus Iacobus Minor latuit tempore paſſionis & Reſurrectionis Domini, vbiq; idem Dominus glorioſus apparuit, quinto memorabili loco ſeptimæ Peregrinationis.* 258

CAP. XI. *Defenditur traditio de tempore Dominicæ apparitionis factæ Iacobo in Ieroſolymitano ſpecu.* ibid.

CAP. XII. *De ſepulchro Zachariæ, ſexto loco ſeptimæ Peregrinationis.* 262

CAP. XIII. *Quis fuerit ille Zacharias Barachiæ filius occiſus inter templum & altare, de quo Matthæi 23.* 264

CAP. XIV. *De villa & valle Siloë, ſeptimo loco ſeptimæ Peregrinationis.* 270

CAP. XV. *De puteo Nehemiæ, ſine ignis, octauo loco ſeptimæ Peregrinationis.* ibid.

CAP. XVI. *Duæ difficultates, quæ infirmare videntur dicta Capite præcedenti de puteo Nehemiæ.* 272

CAP. XVII. *De valle Gehennon, & loco Topheth, nono loco ſeptimæ Peregrinationis.* 274

CAP. XVIII. *Nominis Topheth primaria origo.* 276

CAP. XIX. *Demonte Offenſionis & ſcandali, decimo loco ſeptimæ Peregrinationis.* 277

CAP. XX. *Duplex difficultas contra dicta Capite præcedenti.* 280

CAP. XXI. *De loco vbi Iudas proditor laqueo ſe ſuſpendit, qui vndecimus occurrit in ſeptima Peregrinatione.* 281

CAP. XXII. *De latibulis Apoſtolorum, in quibus ſe ijdem Apoſtoli abſconderunt, quando in horto, tempore paſſionis Chriſti, eo relicto fugerunt, quæ duodecimo loco inuiſuntur in ſeptima Peregrinatione.* 283

CAP. XXIII. *De Acheldema, hoc eſt, Agro ſanguinis, ſepulchro peregrinorum, decimotertio loco ſeptimæ Peregrinationis.* ibid.

CAP. XXIV. *De Natatoria Siloë, & loco vbi ſectus fuit Iſaias Propheta, decimoquarto loco ſeptimæ Peregrinationis.* 285

CAP. XXV. *De morte Iſaiæ Prophetæ, & cauſa ipſius.* 286

CAP. XXVI. *Aliorum ſententia de origine & terminatione fontis Siloë, & de origine ac ſignificatione nominis Siloë.* 288

CAP. XXVII. *Alia ab Auctore & aliis obſeruata circa fontem, & Natatoriam Siloë, quibus magis origo & terminatio illius reſeruntur.* 289

CAP. XXVIII. *De fonte B. Mariæ Virginis, decimoquinto loco ſeptimæ Peregrinationis.* 290

PEREGRINATIO VIII. *in qua recenſentur atque enucleantur ſeptem loca ſingulari obſeruatione digna, occurrentia egredientibus ex porta Orientali ſanctæ Ciuitatis, ſancti Stephani appellata, & ad montem Oliueti proficiſcentibus. I. locus eſt vbi ſanctus Stephanus fuit lapidatus. II. Vbi aliquantum iacuit eiuſdem Sancti corpus poſt eius mortem. III. Pons Cedron. IV. Mons Oliuarum. V. Vbi ſancta Deipara aliquando orauit, & quietus. VI. Vbi Thomas Apoſtolus accepit Mariæ Virginis cingulum. VII. Vbi Chriſtus fleuit ſuper ciuitatem.* 293

CAPVT I. *De loco vbi ſanctus Stephanus fuit*

fuit lapidatus, qui primò inuisitur in octaua Peregrinatione. ibid.
CAP. II. *Duplex difficultas contra dicta Capite precedenti.* 295
CAP. III. *De loco in quo iacuit S. Stephani corpus postquam lapidatus fuit, & antequam honorificè sepeliretur, qui secundo inuisitur in octaua Peregrinatione.* 296
CAP. IV. *De ponte supra Torrentem Cedron edificato, tertio loco octaua Peregrinationis.* 297
CAP. V. *De sacro monte Olivarum, quarto loco octaua Peregrinationis.* ibid.
CAP. VI. *De loco ad radices montis Olineti, in quo B. Virgo Maria aliquando orasse & quieuisse dicitur, qui quinto loco inuisitur in octaua Peregrinatione.* 300.
CAP. VII. *De loco vbi S. Thomas Apostolus è cælo Mariæ Virginis cingulum accepisse dicitur post illius ad cælos glorioſam Assumptionem, qui sextò inuisitur in octaua Peregrinatione.* ibid.
CAP. VIII. *De loco vbi Christus videns ciuitatem fleuit super illam, septimo & vltimo octaua Peregrinationis.* 301
PEREGRINATIO IX. *in qua referuntur & explicantur octo memorabilia loca, quæ visuntur supra montem Olineti in reditu ex eo ad sanctam Ciuitatem per aliam viam ab illa per quam priùs præcedenti Peregrinatione ascendimus. I. locus est vbi Apostoli composuerunt* Credo. *II. Vbi Christus orauit, & orandi formulam præscripsit. III. Sepulchra Prophetarum. IV. Vbi Christus prædixit templi & Ierusalem destructionem, & sæculi consummationem. V. Tugurium sanctæ Pelagiæ. VI. Vbi Christus ascendit in cælum. VII. Locus dictus* Visi Galilæi. *VIII. Vbi S. Virgo Maria morti proxima ab Angelo palmam accepit.* 302
CAPVT I. *De loco vbi sancti Apostoli composuerunt* Credo, *qui primò occurrit in nona Peregrinatione.* ibid.
CAP. II. *De loco in monte Olineti vbi Christus orauit, & orandi formam suis discipulis tradidit, qui secundò occurrit in nona Peregrinatione.* 303
CAP. III. *De sepulchris Prophetarum, quæ tertio loco occurrunt in nona Peregrinatione.* 305
CAP. IV. *De loco vbi Christus prædixit discipulis suis templi & Ierusalem destructionem ac sæculi consummationem, quarto loco nona Peregrinationis.* 307
CAP. V. *De tugurio & Ecclesia sanctæ Pelagiæ pœnitentis, quinto loco nona Peregrinationis.* ibid.
CAP. VI. *De sacratissimo loco montis Olineti, ex quo Saluator noster, stola immortalitatis vestitus, glorioſus ascendit ad cælos, qui sextò honoratur in nona Peregrinatione.* 308
CAP. VII. *Memorabilia quædam, quæ olim accidisse in sacratissimo Ascensionis Domini loco tradunt Ecclesiastici Scriptores; & veteris Ecclesiæ Ascensionis conditio.* 309
CAP. VIII. *Obseruata nostris temporibus circa locum Dominicæ Ascensionis; & quomodo dicta Capita præcedenti accipi possint.* 311
CAP. IX. *Argumentum contra posteriùs dicta Capite præcedenti; & vbi positum fuerit dextrum vestigium Dominici pedis.* 314
CAP. X. *Rationes aliquæ ascensus Domini ex monte Olineti versa ad Aquilonem facie; & pauca alia ad sacrum montem spectantia.* 315
CAP. XI. *De loco qui appellatur Viri Galilæi, siue Galilæa, qui septimò occurrit in nona Peregrinatione.* 319
CAP. XII. *De loco in descensu montis Olineti, vbi B. Virgo Maria morti proxima dicitur ab Angelo accepisse palmam, qui octauò inuisitur in nona Peregrinatione.* 320
PEREGRINATIO X. *& vltima, in qua recensentur ac enucleantur tredecim loca, quæ inuisuntur vel veneranti habentur abeuntibus ex Ierusalem Bethaniam, & redeuntibus ex Bethania ad sanctam Ciuitatem per Bethphage. I. locus est, vbi Christus maledictione arefecit ficulneam. II. Domus Simonis Leprosi. III. Castellum Lazari. IV. Sepulchrum Lazari. V. Bethania, castellum Mariæ & Marthæ. VI. Domus sanctæ Mariæ Magdalenæ. VII. Domus sanctæ Marthæ. VIII. Cisterna sanctæ Marthæ. IX. Lapis Bethaniæ. X. Bethphage. XI. Castellum contra vos nuncupatum. XII. Porta, per quam Christus in die Palmarum intrauit Ierosolymam. XIII. Porta, per quam eòdem die ingressus fuit in templum triumphans.* 322
CAPVT I. *De loco vbi Christus maledictione arefecit ficulneam, qui primò se considerandum offert in decima Peregrinatione.* ibid.
CAP. II. *De domo Simonis Leprosi Pharisæi, secundo loco decimæ Peregrinationis.* 324
CAP. III. *De Castello Lazari fratris Mariæ & Marthæ, tertio loco decimæ Peregrinationis.* ibid.
CAP. IV. *De sepulchro Lazari, quarto loco decimæ Peregrinationis.* 326
CAP. V. *De Bethania castello Mariæ & Marthæ, quinto loco decimæ Peregrinationis.* 328
CAP. VI. *De domo sanctæ Mariæ Magdalenæ, sexto loco decimæ Peregrinationis.* 330.
CAP. VII. *De domo sanctæ Marthæ, septimo loco decimæ Peregrinationis.* ibid.

CAP. VIII.

CAP. VIII. *De ciſterna ſanctæ Martha, octauo loco decimæ Peregrinationis.* ibid.
CAP. IX. *De lapide Bethaniæ, nono loco decimæ Peregrinationis.* ibid.
CAP. X. *De Bethphage, decimo loco decimæ Peregrinationis.* 331.
CAP. XI. *De caſtello, quod vulgò appellatur, Caſtellum contra vos, ſiue Aſinæ, vndecimo loco decimæ Peregrinationis.* 333
CAP. XII. *Vnde originem traxerit proceſſio Capite præcedenti commemorata.* 334
CAP. XIII. *De porta ſanctæ Ciuitatis, per quam Rex noſter Chriſtus morti proximus glorioſo & humili triumpho in Dominica Palmarum Ieroſolymam fuit ingreſſus, duodecimo memorabili loco decimæ Peregrinationis.* 336
CAP. XIV. *De porta templi, quæ Specioſa creditur, per quam Chriſtus Ieſus in die Palmarum triumphali pompa in templum Dei intrauit, decimotertio loco decimæ Peregrinationis.* 340

LIBRI QVINTI
ARGVMENTVM.

AGITVR *de ſacratiſſimo Reſurrectionis Domini noſtri Ieſu Chriſti templo in ſe, & de peculiaribus in eo contentis Eccleſiis, Caluariæ montis, ſanctæ Crucis, Chriſti glorioſi Sepulchri, & aliis ſanctis locis intra & extra in illius cauedio ſiue platea à pijs Chriſticolis veneration habitis: & tres continet Peregrinationes.*

PEREGRINATIO I. *in qua recenſentur & enucleantur duodecim memorabilia loca, quæ occurrunt viſitantibus templum Dominicæ Reſurrectionis, incipiendo à ſacello vbi aſſeruatur ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, & inchoantur ſupplicationes, continuanturq; vſque ad ſacrum Caluariæ montem. I. locus eſt ipſum ſacrum templum & ſacellum Venerabilis Euchariſtiæ.* II. *Altare Columnæ flagellationis Domini.* III. *Carcer Chriſti.* IV. *Capella S. Longini.* V. *Capella diuiſionis veſtimentorum Chriſti.* VI. *Inuentionis Crucis Reparatoris noſtri.* VII. *Sacellum S. Helenæ.* VIII. *Capella improperiorum Chriſti.* IX. *Sanctus Caluariæ mons, vbi Chriſtus fuit crucifixus.* X. *Vbi ſtabant Maria Deipara & diſcipulus Ioannes, quando Chriſtus crucifigebatur.* XI. *Vbi Chriſtus fuit in cruce exaltatus.* XII. *Sciſſura Caluariæ montis.* 345

CAPVT I. *Dignißimum Dominicæ Reſurrectionis Domini noſtri templum in veteri lege fuiſſe præfiguratum.* ibid.
CAP. II. *De figuris quibus tempore naturalis legis & innocentiæ adumbratum fuit templum Dominicæ Reſurrectionis.* 350
CAP. III. *Prophetiæ aliquæ, quibus ſacri Vates Dominicæ Reſurrectionis templum & eius excellentiam vaticinati fuere.* 355
CAP. IV. *Altera explicatio auctoritatis Aggæi Prophetæ de templo Dominicæ Reſurrectionis.* 357
CAP. V. *A quo fuerit ædificatum primò, & poſtea readificatum Dominicæ Reſurrectionis templum; & aliqua de illius ſtructura.* 358
CAP. VI. *Conciliantur Auctores, qui inter ſe diſſentire videntur circa Reparatorem præſentis templi Reſurrectionis Domini.* 366
CAP. VII. *Alia dictis addantur pro maiori declaratione hiſtoriæ ſacratiſſimi templi Dominicæ Reſurrectionis; ex quibus eius antiquitas & ædificator magis deprehendetur.* 367
CAP. VIII. *Ratio ſtructuræ ſacri templi Dominicæ Reſurrectionis, & quorundam ornamentorum eius.* 375
CAP. IX. *De variis nominibus, quibus appellatum eſt hoc ſacratiſſimum Dominicæ Reſurrectionis templum à pijs fidelibus; & de illius Dedicatione.* 380
CAP. X. *De ſacello Apparitionis B. Mariæ Virginis in templo Dominicæ Reſurrectionis; vnde primò incipit proceſſio, in eodem templo ſingulis diebus fieri ſolita.* 382
CAP. XI. *De Columna, ad quam iuſſu Pilati Præſidis fuit flagellatus Chriſtus Dominus, quæ ſecundo loco honoratur in prima Peregrinatione.* 386
CAP. XII. *Argumenta quæ dictis Capite præcedenti refragari videntur.* 387
CAP. XIII. *De Carcere Chriſti Domini, tertio loco primæ Peregrinationis.* 392
CAP. XIV. *De Capella S. Longini, vel Tituli ſanctæ Crucis, quarto loco primæ Peregrinationis.* 395
CAP. XV. *De Capella diuiſionis veſtimentorum*

rum Christi Domini, quinto loco primæ Peregrinationis. 398
CAP. XVI. *Quot & quales fuerint vestes Christi.* 399
CAP. XVII. *De loco inuentionis S. Crucis Domini nostri Iesu Christi, sexto loco primæ Peregrinationis, aliorum sententia.* 401
CAP. XVIII. *Sententia postremo loco adducta Capite præcedenti de loco inuentionis S. Crucis, discutitur.* 405
CAP. XIX. *Communis traditio de Inuentione S. Crucis Saluatoris nostri secundùm mentem Auctoris.* 406
CAP. XX. *Quo tempore, & à quo inuenta fuerit S. Crux Saluatoris nostri, quomodoq; cognitus fuerit locus eius.* 410
CAP. XXI. *De prodigiis, quibus cognita fuit Christi Crux inter alias latronum.* 412
CAP. XXII. *De forma & materia Crucis Domini nostri Iesu Christi.* 413
CAP. XXIII. *De coronæ spineæ conditione, & clauorum numero.* 416
CAP. XXIV. *De spineæ coronæ & clauorum Domini inuentione.* 418
CAP. XXV. *De spongia qua Christus in Cruce fuit felle & aceto potatus, & lancea qua fuit eiusdem latus apertum.* 420
CAP. XXVI. *De sacello S. Helenæ matris Constantini, septimo loco primæ Peregrinationis.* 422
CAP. XXVII. *De origine D. Helenæ, M. Constantini Imperatoris piissimæ matris.* 423
CAP. XXVIII. *De Helenæ progressu, illiusq; heroicis operibus.* 425
CAP. XXIX. *De felici transitu D. Helenæ, & honore ei exhibito.* 427
CAP. XXX. *De cruce boni Latronis qui fuit cum Christo crucifixus.* 428
CAP. XXXI. *De Capella improperiorum Christi Domini, octauo loco primæ Peregrinationis.* 431
CAP. XXXII. *Quid sit Caluariæ mons.* 434
CAP. XXXIII. *Dauidicum illud illustratur, Operatus est salutem, &c. & situs Caluariæ montis magis explicatur.* 435
CAP. XXXIV. *Nomina quibus sacratus Caluariæ mons appellatur, & eorumdem significatio.* 437
CAP. XXXV. *Significatio & origo nominis* Venerarij, *atque vtilis eiusdem obseruatio.* 440
CAP. XXXVI. *De sacratissimo montis Caluariæ loco, in quo Christus Dominus fuit crucifixus, nono loco primæ Peregrinationis.* 442
CAP. XXXVII. *De loco vbi B. Virgo Maria stabat cum Ioanne, quando Saluator Cruci affigebatur, decimo loco primæ Peregrinationis.* 444
CAP. XXXVIII. *De sacello & loco vbi Christus fuit in Cruce elevatus, vndecimo loco primæ Peregrinationis, ac situ aspectuq; crucifixi Saluatoris.* 445
CAP. XXXIX. *Aliqua adhuc proponuntur, quibus conditio sacri Caluariæ montis magis innotescit, vt mensuræ, picturæ, scripturæ locus vbi Deipara stetit iuxta Crucem, & alia quæ in eo videntur.* 449
CAP. XL. *Bonum Latronem pependisse à dextra Christi in cruce.* 459
CAP. XLI. *De scissura montis Caluariæ facta in morte Christi, quæ duodecimo occurrit in prima Peregrinatione.* 461
CAP. XLII. *Præcellentia augustissimi ac sacratissimi Caluariæ montis ex Isaia Prophetæ.* 464
PEREGRINATIO II. *in qua recensentur enucleanturq; septem obseruatione ac veneratione dignissima loca, quæ inuisuntur in templo augustissimo Dominicæ Resurrectionis inter sanctum Caluariæ montem & sacellum sanctæ Mariæ Virginis de Apparitione supplicationes prosequendo.* I. *Sacellum Adæ.* II. *Petra vnctionis Domini.* III. *Vbi amici Christi stabant à longè, dum crucifigeretur, & mulieres, dum de cruce depositus ungeretur.* IV. *Gloriosum Domini nostri Iesu Christi Sepulchrum.* V. *Vbi Christus in hortulani habitu apparuit Mariæ Magdalenæ.* VI. *Sepulchrum Ioseph ab Arimathæa.* VII. *Sacellum S. Mariæ Virginis de Apparitione.* 481
CAPVT I. *De sacello Adæ, secundæ Peregrinationis primo loco, vbi Adæ caput fuisse humatum asseritur.* ibid.
CAP. II. *Num Adam salutem à Domino fuerit consecutus.* 484
CAP. III. *Si Adam salutem est à Deo consecutus, quare Ecclesia illum non adscripsit Catalogo Sanctorum?* 486
CAP. IV. *Num corpus Adæ, vel eius caput fuerit in monte Caluariæ an in Hebron tumulatum.* 487
CAP. V. *De Petra vnctionis, in qua exanime Christi corpus vnctum fuit, secundo loco secundæ Peregrinationis.* 493
CAP. VI. *Varij euentus, qui diuersis temporibus acciderunt circa Petram vnctionis; ex quibus, quantum æstimetur, innotescit.* 494
CAP. VII. *De locis vbi stabant amici Christi à longè, cùm crucifigeretur, & mulieres, quando vngebatur & sepeliebatur corpus illius, quæ tertiò occurrunt in secunda Peregrinatione.* 496
CAP. VIII. *Cuius ordinatione & ministerio Dominicum Sepulchrum excisum & exornatum fuerit.* 497
CAP. IX. *De materia sanctissimi Sepulchri, & eiusdem forma pristina conditione, varia Doctorum placita.* 499

CAP. X.

Digitized by Google

CAP. X. *Sententia Auctoris, & ab eodem obſeruata circa ſanctiſſimum Domini Sepulchrum.* 501
CAP. XI. *De cuſtodia Sepulchri Domini noſtri Ieſu Chriſti.* 504
CAP. XII. *Alia dictis adduntur ad maiorem hiſtoriæ Dominici Sepulchri dilucidationem.* 509
CAP. XIII. *Littera Patris Bonifacij olim ſacri montis Sion Guardiani, poſteà Stagni Epiſcopi.* 512
CAP. XIV. *Obiectiones nonnullæ quibus impugnatur veritas ſanctiſſimi Sepulchri.* 515
CAP. XV. *Alterius ſcriptoris obiectio.* 517
CAP. XVI. *Excellentia ſacratiſſimi Sepulchri Chriſti Domini ex illius figuris & vaticiniis.* 520
CAP. XVII. *De gloria Dominici Sepulchri ei ex ſolemni funere proueniente; vbi plura de ſacris ſepulchralibus linteis.* 522
CAP. XVIII. *Cærimonia explicatur, qua ſingulis annis repræſentatur funus glorioſum Saluatoris; & ab eam impugnantibus defenditur.* 541
CAP. XIX. *De gloria Dominici Sepulchri ex multiplici fructu ab eodem procedente.* 543
CAP. XX. *Chriſti Domini Sepulchrum glorioſum ex eo, quòd amictum vndique gloria Dominum continuerit.* 548
CAP. XXI. *Gloria Dominici Sepulchri amplius oſtenditur ex collatione ipſius cum vtero purißimo Virginis Mariæ, empyreo cælo, & terreſtri paradiſo.* 550
CAP. XXII. *Humana temporaliq; gloriâ celebre ſacratiſſimum Domini noſtri Ieſu Chriſti Sepulchrum.* 553
CAP. XXIII. *De igne, quem in Sabbato ſancto Orientales ſchiſmatici intra ſacellum ſanctiſſimi Sepulchri accendunt, quem ſanctum appellant; quoniam diuinitus de cælo miſſum, perſuaſum volunt.* 556
CAP. XXIV. *De loco vbi Chriſtus Dominus poſt ſuam Reſurrectionem in hortulani habitu apparuit Mariæ Magdalenæ, quinto loco ſecundæ Peregrinationis.* 567
CAP. XXV. *De Sepulchro Ioſephi ab Arimathæa, ſexto loco ſecundæ Peregrinationis.* 568
CAP. XXVI. *De ſacello ſanctæ Mariæ Virginis de Apparitione, ſeptimo loco ſecundæ Peregrinationis.* ibid.
CAP. XXVII. *De numero & ordine apparitionum Chriſti Domini poſt ſuam glorioſam Reſurrectionem.* 571
CAP. XXVIII. *Diſtantia locorum ſanctorum; quæ ſingulis diebus poſt Completorium in ſupplicationibus viſitari conſueuerunt à Fratribus habitantibus in templo ſanctiſſimi Sepulchri Domini noſtri. Indulgentiæ quæ in ipſis impetrentur: ad quoſq; de facto pertineat illorum gubernatio; quotq; lampades in eiſdem appenſæ ardeant.* 574
PEREGRINATIO III. *in qua recenſentur & elucidantur quatuor memorabilia loca, quæ circa templum Dominicæ Reſurrectionis extrà viſuntur. I. Platea Eccleſiæ ſanctiſſimi Sepulchri Domini noſtri. II. Vbi Melchiſedech occurrit Abrahæ, & obtulit panem & vinum. III. Vbi Abraham voluit Iſaac filium ſuum ſacrificare. IV. Arbor, vbi erat aries, quem Abraham pro Iſaac ſacrificauit.* 576
CAPVT I. *De platea Eccleſiæ ſanctiſſimi Sepulchri, & locis in ea contentis, quæ primò occurrunt in tertia Peregrinatione.* ibid.
CAP. II. *De loco vbi Melchiſedech occurrit Abrahæ, & obtulit panem & vinum, qui ſecundò inuiſitur in tertia Peregrinatione.* 578
CAP. III. *De loco vbi Abraham voluit Iſaac filium ſuum ſacrificare, qui tertiò honoratur in tertia Peregrinatione.* 579
CAP. IV. *De arbore vbi erat aries quem accepit Abraham, & obtulit in holocauſtum Domino pro Iſaac filio ſuo, quæ quarto loco occurrit in tertia Peregrinatione.* 581
CAP. V. *Ex lib. I. Adamnani de Locis ſanctis Cap. II. in quo Auctor agit de Eccleſiæ rotundæ formula ſuper Sepulchrum Domini ædificatæ.* 582
CAP. VI. *Sequitur Caput III. Adamnani: in quo agit de illo lapide, qui ad oſtium monumenti aduolutus eſt; quem Angelus Domini deſcendens poſt Reſurrectionem eius reuoluit.* 585
CAP. VII. *Sequitur Caput IV. Adamnani: in quo agit de Eccleſia ſanctæ Mariæ, quæ rotunda coharet Eccleſiæ.* 586
CAP. VIII. *Inſtructio ſiue enarratio quædam locorum Terræ ſanctæ, eorum præſertim quæ in templo ſancti Sepulchri viſuntur, ex antiquo manuſcripto accepta.* 587
CAP. IX. *Relatio Bedæ de Sepulchro Domini.* 589
CAP. X. *Relatio alia Othmari Presbyteri de locis ſanctis.* 590

Digitized by Google

INDEX LIBRORVM ET CAPITVM

LIBRI SEXTI

ARGVMENTVM.

LIBER *ſextus octo Peregrinationes continet: quibus elucidantur quæ obſeruatione digna occurrunt euntibus ex Ieruſalem ad ſanctam ciuitatem Bethlehem, & ad vicina loca, quæ ſunt in reditu ad Ieruſalem per montana Iudææ, nec non quæ viſuntur euntibus ad oppidum Emmaus, Iordanem fluuium, & ciuitatem Hebron.*

PEREGRINATIO I. *in qua recenſentur & enucleantur* XIII. *memorabilia loca, quæ ſeſe offerunt conſideranda piis fidelibus proficiſcentibus ex Ieruſalem ad ſanctam ciuitatem Bethlehem.* I. *Via ipſa Bethlehemitica.* II. *Porta ciuitatis, quæ ex Ieruſalem itur Bethlehem.* III. *Piſcina Berſabeæ.* IV. *Vallis Gigantum.* V. *Turris S. Simeonis ſenis.* VI. *Terebinthus arbor B. Mariæ Virginis.* VII. *Ciſterna trium Regum.* VIII. *Monaſterium & locus alius Eliæ Prophetæ.* IX. *Vbi Habacuc Propheta fuit è Iudæa in Babylonem tranſlatus.* X. *Turris Iacob.* XI. *Sepulchrum Rachel.* XII. *Ciſterna Bethlehem, ſiue Danid.* XIII. *Denique ſancta Bethlehem ciuitas Danid.* 592

CAPVT I. *De via quæ ex ſancta Ieruſalem ciuitate itur Bethlehem; quæ primo loco occurrit in prima Peregrinatione.* ibid.

CAP. II. *De porta ſanctæ Ciuitatis, quæ itur Bethlehem, quæ ſeſe offert ſecundo loco prima Peregrinationis.* 594

CAP. III. *De Piſcina Berſabee, tertio loco prima Peregrinationis.* 596

CAP. IV. *De valle Raphaim, ſiue Gigantum.* 598

CAP. V. *De turri ſancti Simeonis ſenis, qui in templo Dominum in vlnas ſuas ſuſcepit, quæ quinto loco occurrit in prima Peregrinatione.* 599

CAP. VI. *De Terebintho arbore B. Mariæ Virginis, quæ ſexto loco inuiſitur in prima Peregrinatione.* 601

CAP. VII. *De ciſterna trium Regum, quæ ſeptimo inuiſitur loco in prima Peregrinatione.* 604

CAP. VIII. *De loco & Monaſterio ſancti Eliæ Prophetæ, quod octauo ſe offert in prima Peregrinatione.* 605

CAP. IX. *De loco tranſlationis Habacuc Prophetæ ex Iudæa in Babyloniam, qui nono ſe offert in prima Peregrinatione.* 608

CAP. X. *De turri, vel domo Iacob, quæ decimo occurrit loco in prima Peregrinatione.* 610

CAP. XI. *De ſepulchro Rachelis vxoris Iacob Patriarchæ, quod vndecimo loco ſe offert in prima Peregrinatione.* 613

CAP. XII. *De ciſterna Bethlehem, quæ & Danid nuncupatur, quæ duodecimo loco in prima Peregrinatione inuiſitur.* 614

CAP. XIII. *De Bethlehem Iudæ ciuitate Danid, decimotertio loco prima Peregrinationis.* 617

PEREGRINATIO II. *in qua agitur de ſacro ſpecu Dominicæ Natiuitatis: & pro huius argumenti perfectiori cognitione, præter alia quæ explicantur, recenſentur & elucidantur tredecim memorabilia loca.* I. *Platea Eccleſiæ S. Mariæ Bethlehem, & Schola S. Hieronymi.* II. *Monaſterium Fratrum Minorum.* III. *Eccleſia S. Catharinæ virginis & Martyris.* IV. *Eccleſia Natiuitatis Domini.* V. *Vbi Chriſtus natus eſt, in præſepio reclinatus, & à Magis adoratus.* VI. *Vbi fuit circumciſus.* VII. *Eccleſia S. Mariæ Bethlehem.* VIII. *Sacellum S. Ioſeph.* IX. *Sacellum ſanctorum Innocentium.* X. *Oratorium ſancti Hieronymi,* XI. *Eiuſdem Sancti ſepulchrum.* XII. *Sepulchrum ſanctarum Paulæ & Euſtochij.* XIII. *Denique ſepulchrum ſancti Euſebij Abbatis Cremonenſis.* 622

CAPVT I. *De platea maioris Eccleſiæ ſanctæ Mariæ Bethlehem, & Schola S. Hieronymi, primo loco ſecundæ Peregrinationis.* ibid.

CAP. II. *De Monaſterio Fratrum Minorum S. Franciſci apud Bethlehem, ſecundo loco ſecundæ Peregrinationis.* 623

CAP. III. *De Eccleſia S. Catharinæ virginis & Martyris, tertio loco ſecundæ Peregrinationis.* ibid.

CAP. IV. *De Eccleſia & ſpecu Natiuitatis Domini noſtri Ieſu Chriſti, quarto loco ſecundæ Peregrinationis.* 624

CAP. V. *Præſepe Domini fueritne locus intra diuerſorium, an extra: & aliquid de boue & aſino, qui natum Dominum cognouerunt.* 627

CAP. VI. *De locis peculiaribus ſpelunca Natiuitatis, in quibus Chriſtus natus eſt, in præſepio reclinatus, & à Magis adoratus, quæ quinto loco honorantur in ſecunda Peregrinatione.* 629

CAP. VII. *Nodus qui fieri poſſet contra dicta*

Digitized by Google

dicta de loco adorationis trium Regum. 633
CAP. VIII. *De antiquissimo templo beatæ Virginis Mariæ Filium suum in vtero gestantis, ædificato ab vno ex tribus Regibus, vel à præcipuo illorum socio.* 635
CAP. IX. *De loco vbi Christus Dominus fuit circumcisus, qui sexto sese offert considerandus in secunda Peregrinatione.* 636
CAP. X. *Tres examinantur difficultates, pro maiori elucidatione eorum quæ asseruntur de specu siue Basilica Dominicæ Natiuitatis.* 638
CAP. XI. *De maiori Ecclesia sanctæ Mariæ Bethlehem, prout ab aliis descripta, septimo loco secundæ Peregrinationis.* 640
CAP. XII. *Quæ Auctor cum aliis obseruauit in structura Ecclesiæ sanctæ Mariæ Bethlehem.* 643
CAP. XIII. *De picturis & scripturis quæ adhuc cernuntur in Ecclesia sanctæ Mariæ Bethlehem.* 645
CAP. XIV. *De Auctore Ecclesiarum S. Catharinæ, Natiuitatis Domini, & S. Mariæ Bethlehem.* 673
CAP. XV. *De sacello sancti Ioseph sponsi sanctæ Dei Genitricis Mariæ, octauo loco secundæ Peregrinationis.* 675.
CAP. XVI. *De sacello sanctorum Innocentium, nono loco secundæ Peregrinationis.* ibid.
CAP. XVII. *De Oratorio S. Hieronymi Ecclesiæ Doctoris, decimo loco secundæ Peregrinationis.* ibid.
CAP. XVIII. *De sepulchro sancti Hieronymi, quod vndecimo honoratur loco in secunda Peregrinatione.* 676
CAP. XIX. *De sepulchro S. Paulæ Romanæ, eiusq; filiæ Eustochij virginis, quod duodecimo loco in secunda Peregrinatione colitur.* ibid.
CAP. XX. *De sepulchro sancti Eusebij Abbatis Cremonensis, quod decimotertio innisitur loco in secunda Peregrinatione.* 677
PEREGRINATIO III. *in qua recensentur & explicantur octo loca, quæ circa Bethlehem & locum Natiuitatis Domini visuntur.* I. *Antrum S. Mariæ Virginis, & Ecclesia S. Nicolai.* II. *Monasterium sanctæ Paulæ Romanæ.* III. *Domus sancti Ioseph.* IV. *Villa pastorum.* V. *Vbi Christi Natiuitas fuit pastoribus nuntiata.* VI. *Ciuitas Thecua.* VII. *Laura & Monasterium sancti Sabbæ Abbatis.* VIII. *Engaddi denique desertum, & antrum in quo Dauid delituit.* 678
CAPVT I. *De Antro sanctæ Mariæ Virginis, & Ecclesia sancti Nicolai, primo loco tertiæ Peregrinationis.* ibid.
CAP. II. *De Monasterio S. Paulæ Romanæ, secundo loco tertiæ Peregrinationis.* 679
CAP. III. *De domo S. Ioseph, sponsi B. Mariæ Virginis, tertio loco tertiæ Peregrinationis.* 680
CAP. IV. *De Villa pastorum, quarto loco tertiæ Peregrinationis.* 681
CAP. V. *De loco vbi ab Angelis fuit Christi Natiuitas pastoribus nuntiata, & Ecclesia ibidem ad honorem sanctorum Angelorum ædificata, quinto loco tertiæ Peregrinationis.* ibid.
CAP. VI. *Sententia D. Hieronymi de loco pastorum proponitur & defenditur.* 682
CAP. VII. *Difficultas contra dicta Capite præcedenti; & Michææ vaticinium aptatur loco pastorum.* 684
CAP. VIII. *De ciuitate Thecua, sexto loco tertiæ Peregrinationis.* 686
CAP. IX. *De Laura & Monasterio S. Sabbæ Abbatis, septimo loco tertiæ Peregrinationis.* 687
CAP. X. *De Engaddi deserto, & spelunca in qua Dauid delituit, octauo loco tertiæ Peregrinationis.* 691
PEREGRINATIO IV. *in qua recensentur & enucleantur octo memorabilia loca, quæ occurrunt redeuntibus ex Bethlehem Ierosolymam per montana Iudææ.* I. *Fons sancti Philippi.* II. *Montana Iudææ, & Ciuitas in quam Deipara intrauit, cùm salutauit Elisabeth.* III. *Desertum S. Ioannis Baptistæ.* IV. *Domus Zachariæ patris Ioannis Baptistæ.* V. *Fons beatæ Mariæ Virginis.* VI. *Ecclesia natiuitatis sancti Ioannis Baptistæ.* VII. *Ecclesia & Monasterium sanctæ Crucis.* VIII. *Denique Piscina Gihon.* 695
CAPVT I. *De fonte sancti Philippi, in quo Eunuchum baptizatum fuit, primo loco quartæ Peregrinationis.* ibid.
CAP. II. *De montanis Iudææ, & in eis posita ciuitate, vbi erat domus Zachariæ patris sancti Ioannis Baptistæ, quam ingressa fuit beata Virgo Maria, cùm salutauit Elisabeth, secundo loco quartæ Peregrinationis.* 699
CAP. III. *De deserto sancti Ioannis Baptistæ, in quo puerulus latuit, tertio loco quartæ Peregrinationis.* 706
CAP. IV. *De domo Zachariæ patris Ioannis Baptistæ, in quam B. Virgo Maria intrauit ad salutandum Elisabeth, quarto loco quartæ Peregrinationis.* 709
CAP. V. *De fonte B. Mariæ Virginis, quinto loco quartæ Peregrinationis.* 710
CAP. VI. *De loco natiuitatis sancti Ioannis Baptistæ, qui sexto loco veneration habetur in quarta Peregrinatione.* ibid.
CAP. VII. *De Ecclesia & Monasterio sanctæ Crucis prope Ierusalem, septimo*

loco quarta Peregrinationis. 712
CAP. VIII. *De Piscina Gihon, octauo loco quarta Peregrinationis.* 713
PEREGRINATIO V. *in qua recensentur & enucleantur decem memorabilia occurrentia euntibus ex Ierusalem ad castellum Emmaus, & ad eandem reuertentibus per aliam viam.* I. *Vbi Christus iunxit se duobus discipulis Emmauntem proficiscentibus.* II. *Baalasor villa.* III. *Castellum Emmaus.* IV. *Ramatha Sophim, & sepulchrum S. Samuelis.* V. *Fons S. Samuelis.* VI. *Sepulchra Iudicum Iudaici populi.* VII. *Sepulchra Regum Israël.* VIII. *Spelunca Ieremiæ Prophetæ.* IX. *Puteus & Carcer Ieremiæ.* X. *Denique Sepulchrum Helenæ Adiabenorum Reginæ.* 718
CAPVT I. *De loco vbi Christus iunxit se duobus discipulis euntibus Emmauntem, primo loco quintæ Peregrinationis.* ibid.
CAP. II. *De Baalasor villa, secundo loco quintæ Peregrinationis.* 719
CAP. III. *De castello Emmaus, tertio loco quintæ Peregrinationis.* ibid.
CAP. IV. *De Apadno.* 721
CAP. V. *De Ramatha Sophim in monte Ephraim, & sepulchro Samuelis Prophetæ & Iudicis Israël, quarto loco quintæ Peregrinationis.* 727
CAP. VI. *De fonte sancti Samuelis, quinto loco quintæ Peregrinationis.* 728
CAP. VII. *De sepulchris Iudicum populi Iudaici, quæ sexto loco visuntur in quinta Peregrinatione.* ibid.
CAP. VIII. *De sepulchris Regum Israël, quæ septimo loco se offerunt in quinta Peregrinatione.* 729
CAP. IX. *De specu Ieremiæ Prophetæ, quinta Peregrinationis octauo loco.* 731
CAP. X. *De fouea sine carcere Ieremiæ Prophetæ, quintæ Peregrinationis nono loco.* 732
CAP. XI. *De sepulchro Helenæ Adiabenorum Reginæ, quod decimo occurrit loco in quinta Peregrinatione.* 734
PEREGRINATIO VI. *in qua recensentur & elucidantur tredecim memorabilia loca, quæ occurrunt proficiscentibus ex Ierusalem ad Iordanem fluuium & desertum Christi.* I. *Fons Apostolorum.* II. *Adomim.* III. *Sanctus Moyses.* IV. *Iordanis fluuius.* V. *Ecclesia sancti Ioannis Baptistæ iuxta Iordanem.* VI. *Galgala.* VII. *Vasta solitudo, & Monasterium sancti Hieronymi.* VIII. *Domus Zachæi publicani.* IX. *Vrbs Iericho.* X. *Fons Eliseï Prophetæ.* XI. *Mons Quarantana & ieiunij Christi Domini.* XII. *Mare mortuum.* XIII. *Vxor denique Lot in salis statuam conuersa.* 735
CAPVT I. *De fonte sanctorum Apostolorum, primo loco sexta Peregrinationis.* ibid.
CAP. II. *De loco qui appellatur Adomim, qui secundo occurrit in sexta Peregrinatione.* 736
CAP. III. *De loco, qui S. Moyses appellatur, tertio occurrente in sexta Peregrinatione.* ibid.
CAP. IV. *De Iordanis fluuio, quarto loco sexta Peregrinationis.* 737
CAP. V. *De Cæsarea Philippi, & aliquibus quæ in ea acciderunt memorabilibus.* 743
CAP. VI. *De Ecclesia sancti Ioannis Baptistæ, quinto loco sexta Peregrinationis.* 744
CAP. VII. *De Galgala, sexto loco sexta Peregrinationis.* 749
CAP. VIII. *De vasta solitudine D. Hieronymi, septimo loco sexta Peregrinationis.* 752
CAP. IX. *De domo Zachæi publicani, octauo loco sexta Peregrinationis.* ibid.
CAP. X. *De vrbe Iericho, nono loco sexta Peregrinationis.* 753
CAP. XI. *De fonte Eliseï Prophetæ, decimo loco sexta Peregrinationis.* 756
CAP. XII. *De sacro Quarantana monte Christi Domini, vndecimo loco sexta Peregrinationis.* 757
CAP. XIII. *De Mari mortuo, siue Asphaltite, duodecimo loco sexta Peregrinationis.* 758
CAP. XIV. *De vxore Lot, quæ prope Mare mortuum in salis statuam conuersa est, decimotertio memorabili sexta Peregrinationis.* 761
PEREGRINATIO VII. *in qua recensentur & explicantur sex memorabilia loca, quæ occurrunt proficiscentibus ex Ierusalem, vel Bethlehem, ad ciuitatem Hebron.* I. *Fons signatus, Hortus conclusus, & Piscina Salomonis.* II. *Villa beatæ Mariæ Virginis.* III. *Conuallis Mambre.* IV. *Vbi Abraham Angelos & peregrinos hospitio excipiebat.* V. *Vbi fertur Abraham Isaac circumcidisse.* VI. *Denique ciuitas Hebron.* 764
CAPVT I. *De Fonte signato, Piscinis Salomonis, & Horto concluso, primo loco septimæ Peregrinationis.* ibid.
CAP. II. *De villa B. Mariæ Virginis, secundo loco septimæ Peregrinationis.* 766
CAP. III. *De conualle Mambre, tertio loco septimæ Peregrinationis.* ibid.
CAP. IV. *De loco vbi Abraham Angelos & peregrinos recipiebat hospitio, qui quarto occurrit in septima Peregrinatione.* 767
CAP. V. *De loco vbi à quibusdam dicitur Abra-*

Digitized by Google

Abraham Iſaac filium ſuum circumcidiſſe, quinto occurrente in ſeptima Peregrinatione. 768
CAP. VI. *De ciuitate Hebron, ſexto loco ſeptima Peregrinationis.* 769
PEREGRINATIO VIII. *in qua recenſentur & explicantur quatuor obſeruatione digna, quæ in ciuitate Hebron & circa viſuntur.* I. *Spelunca duplex, & Eccleſia ibi edificata.* II. *Ager Damaſcenus.* III. *Eccleſia quadraginta Martyrum, ſiue ſepulchrum Iſai.* IV. *Terebinthus denique arbor vetuſtiſſima, & aliqua alia.* 772
CAPVT I. *De ſpelunca duplici, & Eccleſia ibi edificata, primo loco octauæ Peregrinationis.* ibid.
CAP. II. *De agro Damaſceno, ſecundo loco octauæ Peregrinationis.* 774
CAP. III. *An in Hebron, vel circumiacenti regione, fuerit terreſtrũ paradiſus.* ibid.
CAP. IV. *Adam fuerítne in agro Damaſceno prope Hebron formatus.* 777
CAP. V. *Sed numquid primi parentes noſtri, poſtquam de terreſtri paradiſo eiecti fuerunt, venerunt in Iudæam, & circa Hebron pœnitentiam egerunt?* 779
CAP. VI. *De Eccleſia quadraginta Martyrum in monte apud Hebron poſita, vulgò ſepulchrum Iſai appellata, tertio loco octauæ Peregrinationis.* 782
CAP. VII. *De terebintho arbore antiquiſſima, & quibuſdam aliis circa Hebron notandis, quarto loco occurrentibus in octaua Peregrinatione.* 783

LIBRI SEPTIMI
ARGVMENTVM.

SEPTO *Peregrinationibus recenſentur & explicantur obſeruatione digna, quorum extat memoria, & quæ occurrunt proficiſcentibus ex ſancta Ieruſalem ciuitate Damaſcum per Samariam & Galilæam; & ex Ioppe ſecus Mare mediterraneum vſque ad montem Libanum, & Antiochiam.*

PEREGRINATIO I. *in qua referuntur & elucidantur octo memorabilia loca, quæ ſe offerunt proficiſcentibus ex Ieruſalem vſque ad Sichar Samariæ ciuitatem.* I. *Machmas, ſiue Elbir.* II. *Memorabilis quædam Eccleſia.* III. *Bethel.* IV. *Silo.* V. *Prædium Iacob, & puteus Samaritanæ.* VI. *Sepulchrum Ioſeph filij Iacob, & fratrum eius.* VII. *Montes Garizim & Hebal.* VIII. *Denique ciuitas Sichar.* 786
CAPVT I. *De Machmas, ſiue Elbir, primo loco primæ Peregrinationis.* ibid.
CAP. II. *De quadam Eccleſia quæ eſt in via, qua ex Machmas itur Sichar, ſecundo loco primæ Peregrinationis.* 788
CAP. III. *De Bethel, Luza, & Bethauen, tertio loco primæ Peregrinationis.* ibid.
CAP. IV. *De Silo, quarto memorabili loco primæ Peregrinationis.* 796
CAP. V. *De prædio Iacob, & puteo Samaritanæ, quinto loco primæ Peregrinationis.* 799
CAP. VI. *Difficultas enucleatur de puteo Samaritana.* 802
CAP. VII. *De ſepulchro Ioſeph filij Iacob, & fratrum eius apud Sichem, ſexto loco primæ Peregrinationis.* 803
CAP. VIII. *De montibus Garizim & Hebal, qui ſeptimo loco occurrunt in prima Peregrinatione.* 805
CAP. IX. *De ciuitate Sichar, octauo loco primæ Peregrinationis.* 807
PEREGRINATIO II. *in qua recenſentur & explicantur quinque memorabilia loca, quæ occurrunt proficiſcentibus ex ciuitate Sichar vſque ad ſanctam Nazareth ciuitatem Galilææ.* I. *Sebaſte vrbs.* II. *Eccleſia & ſepulchrum ſancti Ioannis Baptiſtæ apud Sebaſten.* III. *Iemni pagus.* IV. *Campus magnus Eſdrelon.* V. *Denique ſancta ciuitas Nazarethi* 810
CAPVT I. *De Sebaſte, ſiue Samaria, prouincia Samariæ ciuitate, primo loco ſecundæ Peregrinationis.* ibid.
CAP. II. *De templo ſancti Ioannis Baptiſtæ apud Sebaſten ædificato, & eiuſdem venerando ſepulchro, ſecundo loco ſecundæ Peregrinationis.* 811
CAP. III. *De Iemni, ſiue Ginin, pago prouincia Samariæ, tertio loco ſecundæ Peregrinationis.* 814
CAP. IV. *De campo magno Eſdrelon, quarto loco ſecundæ Peregrinationis.* 816
CAP. V. *De Nazareth ciuitate Galilææ, quinto loco ſecundæ Peregrinationis.* ibid.
CAP. VI. *An ex Nazareth, vel potiùs ex Bethlehem, alióve loco, Chriſtus Dominus cum parentibus ſuis Maria & Ioſeph abierit in Aegyptum.* 821
PEREGRINATIO III. *in qua agitur de*

Digitized by Google

ſex memorabilibus locis, quæ inniſuntur in ſancta ciuitate Nazareth, & circa. I. *Domus Annuntiationis B. Mariæ Virginis, & Incarnationis Domini.* II. *Domus ſancti Ioſeph, ſponſi ſanctæ Mariæ Deiparæ.* III. *Eccleſia Archangeli Gabrielis, & fons Ieſu.* IV. *Eccleſia, vulgò* ſancta Maria del Timor *appellata.* V. *Menſa Chriſti.* VI. *Denique ſaltus ſiue præcipitium Domini.* 825

CAPVT I. *De domo Annuntiationis beatæ Virginis Mariæ, & Incarnationis Dominicæ, primo loco tertiæ Peregrinationis.* ibid.

CAP. II. *Sacri templi Dominicæ Incarnationis excellentia ratio præcipua.* 831

CAP. III. *Cauſa & traditio quædam deſtructionis eximij templi Annuntiationis, & tranſlationis ſacræ ædis Nazarenæ ad partes Chriſtianorum.* 833

CAP. IV. *Difficultas contra dicta in præcedentibus, & hiſtoria tranſlationis ſanctæ domus Lauretanæ recenſetur.* 834

CAP. V. *Quomodo temporibus noſtris ſacra ædes Annuntiationis B. Mariæ Virginis recuperata fuerit, & Chriſtiano cultui reſtituta: & de aliquibus caſibus qui ibi & habitantibus acciderunt.* 837

CAP. VI. *De domo ſancti Ioſeph, ſponſi ſanctiſſimæ Mariæ Deiparæ, ſecundo loco tertiæ Peregrinationis.* 840

CAP. VII. *De Eccleſia ſancti Archangeli Gabrielis, & fonte Ieſu & Mariæ, tertio loco tertiæ Peregrinationis.* 841

CAP. VIII. *De Eccleſia, vulgò* ſancta Maria del Timor *appellata, quarto loco tertiæ Peregrinationis.* 842

CAP. IX. *De loco, qui Menſa Chriſti appellatur, quinto occurrente in tertia Peregrinatione.* ibid.

CAP. X. *De ſaltu ſiue præcipitio Domini, ſexto loco tertiæ Peregrinationis.* ibid.

PEREGRINATIO IV. *in qua recenſentur & elucidantur quinque memorabilia loca non procul à Nazareth diſſita, eamq; circumdantia.* I. *Saffa viculus.* II. *Mons Thabor.* III. *Naim ciuitas.* IV. *Sepheris ciuitas.* V. *Denique Cana Galilææ.* 843

CAPVT I. *De Saffa vicolo, primo loco quartæ Peregrinationis.* ibid.

CAP. II. *De ſancto monte Thabor, ſecundo loco quartæ Peregrinationis.* 844

CAP. III. *Elucidantur quædam D. Petri verba cap.* 1. *Epiſt.* 2. *in quibus ſit ſermo de ſancto monte Thabor, & Transfigurationis myſterio.* 848

CAP. IV. *De ciuitate Naim, tertio loco quartæ Peregrinationis.* 851

CAP. V. *De Sèpheri, ſiue Dioceſarea ciuitate, quarto loco quartæ Peregrinationis.* 852

CAP. VI. *De Cana ciuitate Galilææ, quinto loco quartæ Peregrinationis.* ibid.

PEREGRINATIO V. *in qua recenſentur & enucleantur duodecim memorabilia loca, occurrentia proficiſcentibus ex ſancta ciuitate Nazareth vſque ad mare Tiberiadis & vadum Iacob, ſiue Iordanis.* I. *Via qua itur ex Nazareth ad mare Galilææ.* II. *Montes, in quibus Chriſtus ſemel & iterùm ex paucis panibus & piſcibus plura hominum millia ſatiauit.* III. *Mare Galilææ.* IV. *Ciuitas Tiberiadis.* V. *Emmaus vicus Galilææ, & balneum.* VI. *Magdalon caſtellum.* VII. *Bethſaida ciuitas.* VIII. *Vrbs Capharnaum.* IX. *Fons Capharnaum.* X. *Ciſterna Ioſeph.* XI. *Pons ſiue vadum Iacob.* XII. *Denique aqua Merom.* 855

CAPVT I. *De via qua ex Nazareth ad ciuitatem Tiberiadis itur, & aliquibus in ea occurrentibus memorabilibus locis; & eſt quod primo loco ſe offert in iſta quinta Peregrinatione.* ibid.

CAP. II. *De monte, vel montibus, vbi humani generis Reparator ex paucis panibus & piſcibus plura hominum millia ſemel & iterùm ſatiauit, ſecundo loco quintæ Peregrinationis.* 856

CAP. III. *De lacu ſiue mari Galilææ, tertio loco quintæ Peregrinationis.* 862

CAP. IV. *De ciuitate Tiberiadis, quarto loco quintæ Peregrinationis.* 864

CAP. V. *De Emmaus vico Galilææ, & eius balneo, quinto loco quintæ Peregrinationis.* 866

CAP. VI. *De Magdalo Galilææ caſtello Maria Magdalena, ſexto loco quintæ Peregrinationis.* ibid.

CAP. VII. *De Bethſaida ciuitate Galilææ, ſeptimo loco quintæ Peregrinationis.* ibid.

CAP. VIII. *De ciuitate Capharnaum, octauo loco quintæ Peregrinationis.* 868

CAP. IX. *De fonte Capharnaum, nono loco quintæ Peregrinationis.* 870

CAP. X. *De ciſterna veteri, in quam Ioſeph fuit à fratribus proiectus, decimo loco quintæ Peregrinationis.* ibid.

CAP. XI. *De vado Iacob, vel ponte Iordanis, vndecimo loco quintæ Peregrinationis.* 871

CAP. XII. *De aquis Merom, quæ duodecimo loco occurrunt in quinta Peregrinatione.* 872

PEREGRINATIO VI. *in qua recenſentur & explicantur octo præcipua loca quæ in ciuitate Damaſci viſitari conſueuerunt.* I. *Vbi ſanctus Paulus fuit ad Chriſtum conuerſus.* II. *Vrbs Damaſci.* III. *Domus Ananiæ Chriſti diſcipuli.* IV. *Domus Iudæ hoſpitis Pauli.* V. *Feneſtra per quam Paulus fuit in ſporta à fratribus dimiſſus.* VI. *Vbi Ha-*

Digitized by Google

Hazaël fuit ab Elia vnctus Rex ſuper Syriam. VII. *Hoba villula.* VIII. *Abana denique & Pharphar fluuij Damaſci.* 873

CAPVT I. *De loco Conuerſionis ſancti Pauli Apoſtoli, & primo huius ſexta Peregrinationis.* ibid.

CAP. II. *De ciuitate Damaſci, ſecundo loco ſexta Peregrinationis.* 875

CAP. III. *De domo Ananiæ, qui Paulum baptizauit, tertio loco ſexta Peregrinationis.* 877

CAP. IV. *De domo Iudæ in qua manſit Saulus Damaſcum introductus, de vico recto, & fonte, in quo fuit ſanctus Apoſtolus baptizatus, quarto loco ſexta Peregrinationis.* 878

CAP. V. *De feneſtra, per quam Paulus in ſporta dimiſſus fuit à fratribus, quæ quinto loco occurrit in ſexta Peregrinatione.* 879

CAP. VI. *De loco vbi Hazaël ab Elia vnctus fuit Rex ſuper Syriam, qui ſexto occurrit loco in ſexta Peregrinatione.* 881

CAP. VII. *De Hoba, ſeptimo loco ſexta Peregrinationis.* 883

CAP. VIII. *De Abana & Pharphar fluuiis Damaſci, qui octauo loco occurrunt in ſexta Peregrinatione.* 884

CAP. IX. *De Fratribus Minoribus, qui Damaſci pro Chriſtiana religione paſſi fuerunt, & memorabili quodam euentu.* ibid.

PEREGRINATIO VII. *in qua ſex memorabilia referuntur & explicantur loca occurrentia proficiſcentibus ex ciuitate Damaſci vſque ad montem Libanum.* I. *Vbi Abel Deo ſacrificium obtulit, fuit à Cain interfectus, & vbi fuit ſepultus.* II. *Ciuitas Balbech.* III. *Libanus mons.* IV. *Eccleſia Patriarchæ montis Libani.* V. *Eden villa.* VI. *Denique Cedri montis Libani.* 885

CAPVT I. *De locis vbi dicitur Abelem Deo ſacrificium obtuliſſe, interfectum à fratre ſuo Cain, & vbi fuit ſepultus, primò in ſeptima Peregrinatione occurrentibus.* ibid.

CAP. II. *De ciuitate Balbech, ſecundo loco ſeptimæ Peregrinationis.* 886

CAP. III. *De monte Libano, tertio loco ſeptimæ Peregrinationis.* 887

CAP. IV. *De Eccleſia Patriarchali in monte Libano, quarto loco ſeptimæ Peregrinationis.* 889

CAP. V. *De villa Eden, quinto loco ſeptimæ Peregrinationis.* 890

CAP. VI. *De Cedris montis Libani, quæ ſexto loco occurrunt in ſeptima Peregrinatione.* ibid.

PEREGRINATIO VIII. *& vltima huius Libri, in qua recenſentur & elucidantur quatuordecim memorabilia loca, quæ ſe offerunt proficiſcentibus ex Ioppen ſecus Mare mediterraneum vſque ad Tripolim Syriæ ciuitatem, vel etiam Antiochiam.* I. *Cæſarea Palæſtinæ ciuitas.* II. *Caſtrum peregrinorum.* III. *Carmelus mons.* IV. *Vrbs Caiphas dicta.* V. *Acon ciuitas.* VI. *Saphet ciuitas.* VII. *Puteus aquarum viuentium.* VIII. *Tyrus ciuitas.* IX. *Vbi mulier Chananæa occurrit Chriſto.* X. *Sarepta ciuitas.* XI. *Sidon ciuitas.* XII. *Berytus ciuitas.* XIII. *Tripolis Syriæ vrbs.* XIV. *Antiochia denique Cœleſyriæ ciuitas præcipua.* 891

CAPVT I. *De Cæſarea Palæſtinæ ciuitate maritima, primo loco octauæ Peregrinationis.* ibid.

CAP. II. *De Caſtro Peregrinorum, ſecundo loco octauæ Peregrinationis.* 892

CAP. III. *De ſacro Carmelo monte, tertio loco octauæ Peregrinationis.* ibid.

CAP. IV. *De Caiphas ciuitate maritima, quarto loco octauæ Peregrinationis.* 896

CAP. V. *De Ptolemaide, ſiue Acone, ciuitate maritima, quinto loco octauæ Peregrinationis.* ibid.

CAP. VI. *De expugnatione Ptolemaidis per Soldanum Aegypti, & de Minoribus ac Clariſiis, qui in illa virtiliter martyrium obierunt.* 897

CAP. VII. *Laudabiliterne Aconenſes Clariſſæ pro tuenda caſtitate ſibi nares præciderunt?* 899

CAP. VIII. *De Saphet ciuitate Galilææ, ſexto loco octauæ Peregrinationis, & Minoribus aliisq; fidelibus ibidem pro fide Chriſti interemptis.* 904

CAP. IX. *De Puteo aquarum viuentium, ſeptimo loco octauæ Peregrinationis.* ibid.

CAP. X. *De Tyro ciuitate maritima, octauo loco octauæ Peregrinationis.* 906

CAP. XI. *De loco vbi Chananæa mulier occurrit Chriſto, qui nonus eſt locus in octauæ Peregrinatione.* 907.

CAP. XII. *De Sarepta ciuitate maritima, decimo loco octauæ Peregrinationis.* ibid.

CAP. XIII. *De Sidone ciuitate maritima, vndecimo loco octauæ Peregrinationis.* 908

CAP. XIV. *De Beryto vrbe maritima, duodecimo loco octauæ Peregrinationis.* 909

CAP. XV. *De Tripoli Syriæ ciuitate maritima, decimotertio loco octauæ Peregrinationis.* 912

CAP. XVI. *De Antiochia, Syriæ præcipua ciuitate, decimoquarto loco octauæ Peregrinationis.* ibid.

CAP. XVII. *De fundatione Eccleſiæ Antiochenæ, & eius progreſſu tempore Apoſtolorum.* 915

CAP. XVIII. *De quadam vrbis Antiochenæ ſtrage, plurium fidelium & aliquorum Minorum cæde, & Conuentuum demolitione.* 917

LIBRI

Digitized by Google

INDEX LIBRORVM ET CAPITVM

LIBRI OCTAVI ARGVMENTVM.

SEX Peregrinationibus referuntur ac elucidantur præcipua memorabilia, quæ à peregrinis viſuntur in via quæ ex Ieruſalem ducit in Ægyptum, ad ſanctum montem Sinai, deſertum ſancti Macarij & Alexandriam, Ægypti vrbem.

PEREGRINATIO I. *in qua recenſentur & peculiariter explicantur ſeptem præcipua loca, quæ proficiſcentibus ex ſancta ciuitate Ieruſalem vſque ad magnam Cairum occurrunt.* I. *Via qua ex Ieruſalem Cairum, & ex Nazareth in Aegyptum itur.* II. *Azoti ciuitas.* III. *Accaron vrbs.* IV. *Gaza ciuitas.* V. *Cathia Maurorum ciuitas cum ſeptem aliis locis.* VI. *Nilus fluuius Aegypti.* VII. *Ciuitas Damiata.* 918

CAPVT I. *De via qua ex Ieruſalem Cairum, & ex Nazareth in Aegyptum itur, primo loco occurrente in prima Peregrinatione.* ibid.

CAP. II. *De peregrinatione* IESV, MARIÆ & IOSEPH *parentum eius, ex ciuitate Nazareth in Aegyptum, & nonnullis mirabilibus quæ in ea contigiſſe memorantur.* 920

CAP. III. *De Azoto Palæſtinorum vrbe, ſecundo loco primæ Peregrinationis, & vno ſeruo Dei Minorita, aliisq; fidelibus ibidem pro Chriſti fide à Mahometanis interemptis.* 923

CAP. IV. *De Aſcalone Palæſtinorum vrbe, tertio loco primæ Peregrinationis.* 925

CAP. V. *De ciuitate Gaza, quarto loco primæ Peregrinationis.* ibid.

CAP. VI. *De vno ſeruo Dei Minorita, & duobus aliis Chriſti fidelibus, qui Gazæ martyrium paſſi ſunt.* 926

CAP. VII. *De Cathia Maurorum ciuitate, & alijs locis, quinto loco primæ Peregrinationis occurrentibus in via ex Gaza ad Cathiam & Taphnis ciuitatem.* ibid.

CAP. VIII. *De ſeptem aliis locis, quæ inueniuntur inter Cathiam & Cairum.* 929

CAP. IX. *De Nilo fluuio Aegypti, ſexto memorabili primæ Peregrinationis.* 930

CAP. X. *De ciuitate Damiata, ſeptimo loco primæ Peregrinationis.* 935

CAP. XI. *De aliquibus Fratribus S. Franciſci, qui in Aegypto apud Damiatam pro fidei Chriſti confeſſione à Saracenis occiſi fuerunt.* 936

PEREGRINATIO II. *in qua recenſentur & explicantur ſingulariter quinque memorabilia, quæ viſuntur à proficiſcentibus in Aegyptum, & magnam Cairum.* I. *Aegyptus.* II. *Magna Cairus & præcipua Aegypti ciuitas.* III. *Vetus Cairus, Horrea Ioſeph, & vbi beata Virgo Maria cum puero Ieſu & ſponſo Ioſeph habitauit, cùm eſſet in Aegypto.* IV. *Heliopolis, & Matharea cum horto balſami.* V. *Pyramides Aegypti, ſepulchra Aegyptiorum, & ſaxeum idolum.* 937

CAPVT I. *De Aegypto, & Aegyptijs, quod primo loco occurrit in hac ſecunda Peregrinatione.* ibid.

CAP. II. *Duo argumenta contra ſecundam aſſertionem Capitis præcedentis, de origine Aegypti & Aegyptiorum.* 941

CAP. III. *De magna Caire, præcipua Aegypti ciuitate, ſecundo loco ſecundæ Peregrinationis.* 942

CAP. IV. *De Fratribus Minoribus, qui pro fide Chriſti in Cairo & Aegypto mortem obierunt.* 943

CAP. V. *De venerabili ſeruo Dei P. Fratre Anſelmo à Mantua.* 945

CAP. VI. *De veteri Caire, horreis Ioſeph, & loco vbi manſit B. Virgo Maria cum puero Ieſu & ſponſo Ioſeph, quæ tertio occurrunt in ſecunda Peregrinatione.* 947

CAP. VII. *De Heliopoli & Matharea, loco vbi primò manſit B. Virgo Maria in Aegypto, & aliis ibidem obſeruatione dignis, quæ quarto occurrunt loco in ſecunda Peregrinatione.* 948

CAP. VIII. *De Memphi, pyramidibus & ſepulchris Aegypti, quæ quinto loco occurrunt in ſecunda Peregrinatione.* 951

CAP. IX. *Alia explicantur de Aegypti pyramidibus, Sphinge idolo, & aliis Aegypti ſepulchris.* 953

PEREGRINATIO III. *in qua recolluntur & enucleantur tria memorabilia inter alia occurrentia proficiſcentibus ex Cairo ad montem Sinai.* I. *Via qua itur ex Cairo ad montem Sinai per Arabiæ deſertum: item alia, qua itur ad eundem ex Ieruſalem, Iordane tranſnadato, per regionem Moabitarum.* II. *Mare rubrum.* III. *Vbi filij Iſraël ſiccis pedibus idem mare tranſierunt.* 954

CAPVT I. *De via qua ex Cairo itur ad ſanctum montem Sinai, primo notabili tertiæ Peregrinationis.* ibid.

CAP.

CAP. II. *De itinere quo ex Ieruſalem, tranſnadato Iordane, per regionem Moab itur ad montem Sinai.* 956
CAP. III. *De his quæ obſeruantur in via, qua ex Cairo itur ad Sues.* 959
CAP. IV. *De Mari rubro, ſecundo loco occurrente in tertia Peregrinatione, de illius origine, nominibus & conditione.* 961
CAP. V. *De loco Maris rubri vbi filij Iſraël tranſierunt, & eius latitudine, qui tertio loco occurrit in tertia Peregrinatione.* 964
CAP. VI. *Fuerintne vna vel plures viæ factæ in Mari rubro, quando à Moyſe fuit virgâ percuſſum, vt tranſirent filij Iſraël; & an apparent adhuc tranſitus ſigna.* 965
CAP. VII. *Pertranſierintne filij Iſraël ab ea littoris parte à qua diſceſſerunt, venientes ad illi oppoſitam, an potiùs greſſu tortuoſo redierint ad eamdem littoris partem, quam ingreſſi fuerunt?* 967
CAP. VIII. *Pro maiori intelligentia hiſtoriæ & difficultatum, quas in præcedentibus explicauimus, inquiritur, quomodo & à quo facta fuerit Maris rubri diuiſio, quale illius fundum apparuerit: quomodo Iudæi ipſum ingreſſi fuere, & ex ipſo exierunt: & denique, quomodo in eo Ægyptij interfecti fuerunt.* 976
PEREGRINATIO IV. *in qua ſeptem memorabilia recenſentur & enucleantur loca, quæ occurrunt euntibus ex ciuitate Sues ſeque ad montem Sinai.* I. *Sues ciuitas.* II. *Mara, & fontes Moyſi.* III. *Elim, vbi duodecim fontes, & ſeptuaginta palmæ.* IV. *Deſertum Sin.* V. *Raphidim.* VI. *Solitudo Sinai.* VII. *Denique Sepulchra concupiſcentiæ.* 979
CAPVT I. *De ciuitate Sues, primo loco quartæ Peregrinationis.* ibid.
CAP. II. *De Mara & fontibus Moyſi, ſecundo loco occurrentibus in quarta Peregrinatione.* ibid.
CAP. III. *De Elim, duodecim fontibus, & ſeptuaginta palmis, tertio loco in quarta Peregrinatione occurrentibus.* 983
CAP. IV. *De Sin deſerto, quarto loco quartæ Peregrinationis.* 985
CAP. V. *Nonnullæ difficultates ſuper his quæ geſta fuerunt in deſerto Sin, in octaua manſione filiorum Iſraël.* 987
CAP. VI. *De Raphidim, & ibidem actis, quinto loco quartæ Peregrinationis.* 988
CAP. VII. *De ſolitudine Sinai, ſexto loco quartæ Peregrinationis.* 989
CAP. VIII. *De Sepulchris concupiſcentiæ, quæ ſeptimo loco offeruntur conſideranda in quarta Peregrinatione.* 990
PEREGRINATIO V. *in qua recoluntur & explicantur quinque memorabilia loca, quæ inuiſuntur in ipſius montis Sinai viſitatione.* I. *Mons Moyſis, ſiue Horeb.* II. *Mons S. Catharinæ virginis & martyris, ſiue Sinai.* III. *Eccleſia quadraginta Martyrum.* IV. *Petra Horeb.* V. *Denique Monaſterium & Eccleſia S. Saluatoris.* 992
CAPVT I. *De monte Horeb & Sinai in communi.* ibid.
CAP. II. *De ſacro monte Horeb, nunc monte Moyſi appellato, primo loco quintæ Peregrinationis, & peculiaribus aliis locis quæ in eo viſuntur.* 994
CAP. III. *De Eccleſia quadraginta Martyrum ſancti montis Sinai, ſecundo loco quintæ Peregrinationis.* 996
CAP. IV. *De ſacro Monte S. Catharinæ & Sinai, tertio loco quintæ Peregrinationis.* ibid.
CAP. V. *De petra Horeb, quæ à Moyſe virgâ percuſſa dedit aquas largiſſimas, quæ quarto loco occurrit in quinta Peregrinatione.* 998
CAP. VI. *De Monaſterio & Eccleſia ſancti Saluatoris, quinto loco quintæ Peregrinationis, & aliis memorabilibus eius locis.* 1001
CAP. VII. *Memorabilia quædam, quæ in ſacro Sinai monte & aliis iſtarum partium locis contingere nonnulli Scriptores perhibent; & quid ex iis probandum vel improbandum ſit.* 1004
PEREGRINATIO VI. *in qua referuntur & elucidantur quinque digna obſeruatione loca, quæ viſitari poſſunt à Terra ſanctæ peregrinis proficiſcentibus ex magna Cairo Alexandriam Ægypti.* I. *Deſertum ſancti Macarij.* II. *Roſetum ciuitas.* III. *Alexandria Ægypti, & Columna Pompeij.* IV. *Eccleſia S. Marci Euangeliſtæ.* V. *Eccleſia denique ſanctæ Catharinæ virginis & martyris, ſiue S. Sabæ.* 1006
CAPVT I. *De deſerto S. Macarij, primo huius ſextæ Peregrinationis loco.* ibid.
CAP. II. *De Roſeto, Nilotica Ægypti ciuitate, ſecundo loco ſextæ Peregrinationis.* 1008
CAP. III. *De Alexandria Ægypti ciuitate, & columna Pompeij, tertio loco ſextæ Peregrinationis.* ibid.
CAP. IV. *De Eccleſia ſancti Marci Euangeliſtæ, quarto loco ſextæ Peregrinationis.* 1011
CAP. V. *De Eccleſia ſanctæ Catharinæ virginis & martyris, ſiue S. Sabæ, quinto loco ſextæ Peregrinationis.* 1012

INDEX

Digitized by Google

INDEX
LOCORVM S. SCRIPTVRÆ
QVÆ
HOC SECVNDO TOMO
EXPLICANTVR.

Numerus paginam, littera a *priorem,* b *posteriorem pagina columnam designat.*

EX GENESI.

GEN. 1.v.26. Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram,*&c.* *pag.*347,a.485,a

*Gen.*2.v.8. Plantauerat autem Dominus Deus paradisum voluptatis à principio. 775,a & b

v.10. Fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum, qui inde diuiditur in quatuor capita,*&c.* 352,b vsque ad 355.738,a.775,a.931,a & b. 932,a & b

v.13. Et nomen fluuij secundi Gehon: ipse est qui circumit omnem terram Æthiopiæ. 930,b

v.15. Tulit ergo Dominus Deus hominem, & posuit eum in paradiso voluptatis. 777,b

v.23. Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. 324,a

*Gen.*3.v.19. Puluis es, & in puluerem reuerteris. 780,a

v.23. Emisit eum Dominus Deus de paradiso voluptatis, vt operaretur terram de qua sumptus est. 777,b

v.24. Eiecitque Adam, & collocauit ante paradisum voluptatis, & posuit Cherubim, *&c.* 779,b. 780,a

*Gen.*4.v.10. Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. 269,a & b

v.16. Egressusque Cain à facie Domini, habitauit profugus in terra ad Orientalem plagam Eden. 775,b

*Gen.*12.v.1. Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram quam monstrabo tibi. 809,b

*Gen.*13.v.18. Mouens igitur tabernaculum suum Abram, venit & habitauit iuxta conuallem Mambre, quæ est in Hebron. 766,a

*Gen.*14.v.18. At verò Melchisedech Rex Salem,*&c.* 27,b

*Gen.*19.v.26. Respicienſque vxor eius post se, versa est in statuam salis. 761,b.762,b

*Gen.*20.v.7. Redde viro suo vxorem, quia Propheta est: & orabit pro te, & viues. 265,b

*Gen.*22.v.2. Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis, Isaac, & vade in terram visionis: atque ibi offeres eum in holocaustum super vnum montium quem monstrauero tibi. 350,a & b. 580,b. 700,a

v.3. Et abiit ad locum quem dixit Deus in die tertio. 769,a

v.13. Leuauit Abraham oculos suos, viditque post tergum arietem inter vepres hærentem cornibus, quem assumens obtulit holocaustum pro filio 581,a & b

v.14. Dominus videt, *&c.* In monte Dominus videbit. 350,b. 351,a

*Gen.*23.v.1. Vixit autem Sara centum viginti septem annis, & mortua est in ciuitate Arbee, quæ est Hebron. 771,a

*Gen.*28.v.11. Cumque venisset ad quemdam locum, & vellet in eo requiescere post solis occubitum, *&c.* 792,a & b

v.19. Appellauitque nomen vrbis Bethel, quæ prius Luza vocabatur. 791,b

*Gen.*31.v.21. Cumque abiisset tam ipse quàm omnia quæ iuris sui erant, & amne transmisso pergeret contra montem Galaad, *&c.* 871,b

*Gen.*32.v.10. In baculo meo transiui Iordanem istum, & nunc cum duabus turmis regredior. 871,b. 872,a

*Gen.*33.v.19. Emit partem agri in qua fixerat tabernacula, à filiis Hemor patris Sichem, centum agnis. 800,a

*Gen.*35.v.20. Erexit Iacob titulum super sepulchrum Rachelis. 252,a

v.21. Egressus inde, fixit tabernaculum trans Turrim gregis. 683,a & b

v.27. Venit etiam ad Isaac patrem suum in Mambre, ciuitatem Arbee, hæc est Hebron. 771,a

*Gen.*37.v.20. Mittamus eum in cisternam veterem. 870,b

*Gen.*48.v.22. Do tibi partem vnam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio & arcu meo. 800,a

*Gen.*49.v.10. Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est. 796,a

v.11. Ligans ad vineam pullum suum, & ad vitem, ô fili mi, asinam tuam. Lauabit in vino stolam suam, & in sanguine vuæ pallium suum. 770,a

v.13. Zabulon in littore maris habitabit, & in stanio-

ſtatione nauium pertingens vſque ad Sidonem. 908,a & b
v. 27. Beniamin lupus rapax, manè comedet prædam, & veſpere diuidet ſpolia. 43,b

EX EXODO.

EXOD. 14. v. 21. Cumque extendiſſet Moyſes manum ſuper mare, abſtulit illud Dominus flante vento vehementi & vrente tota nocte, &c. 968,b 976,a & b
v. 24. Et ecce reſpiciens Dominus ſuper caſtra Ægyptiorum per columnam ignis & nubis, interfecit exercitum eorum. 978,b
v. 31. Viderunt Ægyptios mortuos ſuper littus maris, &c. 967,b
Exod. 15. v. 22. vſque ad v. 27. Tulit Moyſes Iſraël de Mari rubro, & egreſſi ſunt in deſertum Sur, &c. Et venerunt in Mara, nec poterant bibere aquas, &c. oſtendit ei lignum: quod cùm miſiſſet in aquas, in dulcedinem verſæ ſunt, &c. 979,a & ſeqq.
Exod. 16. v. 16. Gomor per ſingula capita. 489,a

EX LEVITICO.

LEVIT. 13. v. 46. Omni tempore quo leproſus eſt & immundus, ſolus habitabit extra caſtra, &c. 814,b
Levit. 16. v. 17. Nullus hominum ſit in tabernaculo, quando Pontifex Sanctuarium ingreditur. 832,a

EX NVMERIS.

NVMER. 18. v. 19. Omnes primitias Sanctuarij, quas offerunt filij Iſraël Domino, tibi dedi, & filiis ac filiabus tuis, iure perpetuo. Pactum ſalis eſt ſempiternum coram Domino. 761,b. 761,a
Numer. 23. v. 7. De Aram adduxit me Balac rex Moabitarum, de montibus Orientis. 635,a
Numer. 35. v. 2. Præcipe filiis Iſraël, vt dent Leuitis de poſſeſſionibus ſuis vrbes ad habitandum, & ſuburbia earum per circuitum; vt ipſi in oppidis maneant, & ſuburbana ſint pecoribus ac iumentis, &c. 332,a

EX DEVTERONOMIO.

DEVTER. 4. v. 48. Vſque ad montem Sion, qui eſt Hermon. 113,a & b
Deuter. 11. v. 10. Terra enim ad quam ingrederis poſſidendam, non eſt ſicut terra Ægypti, de qua exiſti, vbi iacto ſemine in hortorum morem aquæ ducuntur irriguæ, &c. 934,a. 938,b
Deuter. 32. v. 13. Vt ſugeret mel de petra, oleumque de ſaxo durißimo. 547,b
v. 32. Vua eorum vua fellis, & botri amariſſimi. 453,b
v. 49. Aſcende in montem iſtum Abarim, id eſt, tranſituum, in montem Nebo. 438,a

EX LIBRO IOSVE.

IOSVE 4. v. 19. Populus autem aſcendit de Iordane decimo die menſis primi, & caſtrametati ſunt in Galgalis contra Orientalem plagam vrbis Iericho. 750,a
Ioſue 5. v. 9. Dixitque Dominus ad Ioſue: Hodie abſtuli opprobrium Ægypti à vobis. Vocatumque eſt nomen loci illius Galgala. ibid.
Ioſue 13. v. 3. A fluuio turbido, qui irrigat Ægyptum, vſque ad terminos Accaron contra Aquilonem: Terra Chanaan, quæ in quinque regulos Philiſthiim diuiditur, &c. 924,a
Ioſue 14. v. 15. Nomen Hebron antè vocabatur Cariath Arbe: Adam maximus ibi inter Enacim ſitus eſt. 487,b. 491,b. 492,a & b
Ioſue 15. v. 63. Iebuſæum autem habitatorem Ieruſalem non potuerunt filij Iuda delere: habitauitque Iebuſæus cum filiis Iuda in Ieruſalem vſque in præſentem diem. 43,a. 701,a
Ioſue 18. v. 1. Congregatique ſunt omnes filij Iſraël in Silo, ibique fixerunt tabernaculum teſtimonij, &c. 798,b
Ioſue 21. v. 17. De tribu autem filiorum Beniamin, Gabaon, & Gabaë, & Anathoth, & Almon, cum ſuburbanis ſuis: ciuitates quatuor. 15,b
Ioſue 22 v. 30. Quibus auditis, Phinees ſacerdos, & Principes legationis Iſraël, qui erant cum eo, placati ſunt: & verba filiorum Ruben, & Gad, & dimidiæ tribus Manaſſe, libentiſſimè ſuſceperunt. 271,b

EX LIBRO IVDICVM.

IVDIC. 9. v. 13. Vinum, quod lætificat Deum & homines. 472,b

EX LIBRO I. REGVM.

1. REG. 1. v. 1. Fuit vir vnus de Ramathaim Sophim, de monte Ephraim, & nomen eius Elcana. 727,a
1. *Reg.* 11. v. 14. Dixit Samuel ad populum: Venite, & eamus in Galgala, & innouemus ibi regnum. 750,b
1. *Reg.* 18. v. 10. Inuaſit ſpiritus Dei malus Saul. 117,b
1. *Reg.* 24. v. 1. Aſcendit ergo Dauid inde, & habitauit in locis tutiſſimis Engaddi. 692,b

EX LIBRO II. REGVM.

2. REG. 5. v. 9. Habitauit autem Dauid in arce Sion, & vocauit eam, Ciuitatem Dauid: & ædificauit per gyrum à Mello & intrinſecus. 70,a & b
2. *Reg.* 11. v. 2. Viditque mulierem ſe lauantem ex aduerſo ſuper ſolarium ſuum. 596,b
v. 11. Arca Dei & Iſraël & Iuda habitant in papilionibus, & dominus meus Ioab, & ſerui domini mei ſuper faciem terræ manent: & ego ingrediar domum meam, &c. 441,a
2. *Reg.* 14. v. 19. Manus Ioab tecum eſt. 252,b
2. *Reg.* 18. v. 18. Porrò Abſalom erexerat ſibi, cùm adhuc viueret, titulum qui eſt in valle Regis, &c. Vocauitque titulum nomine ſuo, & appellatur Manus Abſalom. 249,b. 250,a & b. 252,b. 253,b. 254,b. 255,a & b
2. *Reg.* 21. v. 10. Tollens Reſpha filia Aia cilicium, ſubſtrauit ſibi ſupra petram, ab initio meſſis,

meſſis, donec ſtillaret aqua ſuper eos de cælo: & non dimiſit aues lacerare eos per diem, neque beſtias per noctem. 570,b
2. *Reg.* 23. v. 8. Tenerrimus ligni vermiculus. 348,a

EX LIBRO III. REGVM.

3. REG. 1. v. 38. Et adduxerunt eum in Gihon. 713,a & b
3. *Reg.* 3. v. 2. Populus immolabat in excelſis, nondum enim ædificatum erat templum. 123,b
3. *Reg.* 6. v. 7. Cùm ædificaretur, de lapidibus dolatis atque perfectis ædificatum eſt: & malleus, & ſecuris, & omne ferramentum, non ſunt audita in eo. 348,a
3. *Reg.* 7. v. 2. Ædificauit quoque domum ſaltus Libani. 886,b. 887,a. 888,b
3. *Reg.* 11. v. 7. Ædificauit Salomon fanum Moloch, idolo filiorum Ammon. 276,a
v. 27. Coæquauit voraginem ciuitatis Dauid patris ſui. 33,b
3. *Reg.* 15. v. 17. Aſcendit quoque Baaſa Rex Iſraël in Iudam, & ædificauit Rama. 8,b
3. *Reg.* 18. v. 19. Mitte, & congrega ad me vniuerſum Iſraël in montem Carmeli. 894,b
3. *Reg.* 19 v. 8. Ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus & quadraginta noctibus vſque ad montem Dei Horeb. 958, a & b

EX LIBRO IV. REGVM.

4. REG. 16. v. 3. Inſuper & filium ſuum conſecrauit, transferens per ignem ſecundùm idola Gentium, &c. 275,a & b
4. *Reg.* 18. v. 17. Qui cùm aſcendiſſent, venerunt Ieruſalem, & ſteterunt iuxta aquæductum piſcinæ ſuperioris, quæ eſt in via Agri fullonis. 714,a & b
4. *Reg.* 21. v. 16. Sanguinem innoxium fudit multum nimis, donec impleret Ieruſalem vſque ad os. 287,a
4. *Reg.* 23. v. 10. Contaminauit quoque Topheth, quod eſt in Conuallе filij Ennom. 275,a
v. 13. Excelſa quoque, quæ erant in Ieruſalem ad dexteram partem montis Offenſionis, quæ ædificauerat Salomon Rex Iſraël Aſtaroth idolo Sidoniorum, &c. polluit Rex, &c. 279,a & b. 438. b

EX LIBRO I. PARALIPOMENON.

1. PARALIP. 11. v. 5. Porrò Dauid cepit arcem Sion, &c. 70,a. 71,a & b

EX LIBRO II. PARALIPOMENON.

2. PARALIP. 6. v. 41. Conſurge Domine Deus in requiem tuam, tu & arca fortitudinis tuæ. 532,b
2. *Paral.* 8. v. 6. Salomon ædificauit in Ieruſalem & in Libano. 886,b. 887,b. 888,a & b
2. *Paral.* 20. v. 26. Die autem quarto congregati ſunt in Valle benedictionis. 151,b
2. *Paral.* 24. v. 12. Videat Dominus, & requirat. 269,a & b
2. *Paral.* 32. v. 30. Ipſe eſt Ezechias qui obturauit ſuperiorem fontem aquarum Gihon, & auertit eas ſubter ad Occidentem vrbis Dauid. 713,b. 717,b

EX LIBRO II. ESDRÆ.

2. ESDRÆ 2. v. 3. Ciuitas domus ſepulchrorum patris mei deſerta eſt. 128,b
v. 13. Et egreſſus ſum per portam vallis nocte, & ante fontem draconis. 237,b. 191,a
v. 14. Et tranſiui ad portam fontis & ad aquæductum Regis. 714,a
2. *Eſdræ* 3. v. 1. Et ſurrexit Eliaſib Sacerdos magnus, & fratres eius Sacerdotes, & ædificauerunt portam gregis. 101,a & b
2. *Eſdræ* 12. v. 36. Aſcenderunt in gradibus ciuitatis Dauid, in aſcenſu muri ſuper domum Dauid. 126,b

EX LIBRO IOB.

IOB 5. v. 26. Ingredieris in abundantia ſepulchrum, &c. 556,a & b
Iob 14. v. 7. Lignum habet ſpem: ſi præciſum fuerit, rurſum vireſcit. 23,a
Iob 17. v. 6. Poſuit me quaſi in prouerbium vulgi, & exemplum ſum coram eis. 276,b
Iob 30. v. 23. Scio quia morti trades me, vbi conſtituta eſt domus omni viuenti. 128,b

EX PSALMIS.

PSAL. 2. v. 7. Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te. 546,a. 850,b
Pſal. 4. v. 9. In pace in idipſum dormiam, & requieſcam. 551,a
Pſal. 5. v. 13. Scuto bonæ voluntatis tuæ coronaſti nos. 379,a
Pſal. 6. v. 7. Lauabo per ſingulas noctes lectum meum; lacrymis meis ſtratum meum rigabo. 781,a
Pſal. 14. v. 1. Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requieſcet in monte ſancto tuo? 467,a
Pſal. 15. v. 10. Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem. 516,a. 521,b. 521,a
Pſal. 16 v. 4. Propter verba labiorum tuorum ego cuſtodiui vias duras. 467,b
v. 15 Satiabor cùm apparuerit gloria tua. 467,a
Pſal. 21. v. 7. Vermis, & non homo. 348,a
v. 11. In te proiectus ſum ex vtero: de ventre matris meæ Deus meus es tu. 832,a
Pſal. 27. v. 7. Et refloruit caro mea. 521,a
Pſal. 28. v. 9. In templo eius omnes dicent gloriam. 355,b
Pſal. 33. v. 9. Guſtate, & videte, quoniam ſuauis eſt Dominus. 468,b
Pſal. 34. v. 15. Congregata ſunt ſuper me flagella, & ignoraui. 200,b
Pſal. 35. v. 10. Quoniam apud te eſt fons vitæ. 352,b. 353,a
Pſal. 39. v. 3. Eduxit me de lacu miſeriæ, & de luto fæcis. 732,a
v. 7. Sacrificium & oblationem noluiſti, aures autem perfeciſti mihi. Holocauſtum & pro peccato non poſtulaſti; tunc dixi: Ecce venio. 831,b
Pſal. 41. v. 4. Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes

Digitized by Google

nes die ac nocte. 781,a
*Pſal.*44.v.8. Propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ. 882,a
*Pſal.*45. v.5. Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei. 353,a
*Pſal.*47.v.2. Magnus Dominus,& laudabilis nimis in ciuitate Dei noſtri, in monte ſancto eius. Fundatur exultatione vniuerſæ terræ mons Sion, latera Aquilonis, ciuitas Regis magni. 33,b. 34,a. 316,a
*Pſal.*48.v.18. Cùm interierit, non ſumet omnia: neque deſcendet cum eo gloria eius. 555,b
*Pſal.*49.v.9. Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos. 355,b
*Pſal.*51.v.10.Ego autem ſicut oliua fructifera in domo Dei. 317,a
*Pſal.*54. v. 5. Formido mortis cecidit ſuper me. Timor & tremor venerunt ſuper me:& contexerunt me tenebræ. 394,b
*Pſal.*55.v.3.Conculcauerũt me inimici mei. 521,a
Pſal. 56. v. 3. Clamabo ad Deum altiſſimum, Deum qui benefecit mihi. 694,b.695,a
*Pſal.*57.v.11. Lætabitur iuſtus cùm viderit vindictam: manus ſuas lauabit in ſanguine peccatoris. 464,b
*Pſal.*58.v.7. Conuertentur ad veſperam, & famem patientur vt canes,& circuibunt ciuitatem. 153,b
*Pſal.*62.v.3.In terra deſerta,& inuia, & inaquoſa, ſic in ſancto apparui tibi. 164,a
*Pſal.*64. v. 10. Flumen Dei repletum eſt aquis. 743,a & b
Pſal 67.v.28.Beniamin adoleſcentulus in mentis exceſſu. Principes Iuda, duces eorum, *&c.* 965, b
v.30. A templo tuo in Ieruſalem tibi offerent Reges munera. 355,b
v.34. Aſcendit ſuper cælum cæli ad Orientem. 313,a
*Pſal.*68.v.3. Infixus ſum in limo profundi, & non eſt ſubſtantia. 732,b
v.22. Dederunt in eſcam meam fel,& in ſiti mea potauerunt me aceto. 453,b
*Pſal.*73.v.12. Deus autem Rex noſter ante ſæcula, operatus eſt ſalutem in medio terræ. 31,b. 435,b. 436,a & b. 437,a & b. 446,a. 551,b
v.15. Tu ſiccaſti fluuios Ethan. 971,a
*Pſal.*74.v.8. Deus iudex eſt. Hunc humiliat, & hunc exaltat: quia calix in manu Domini vini meri plenus miſto. Et inclinauit ex hoc in hoc; verumtamen fæx eius non eſt exinanita: bibent omnes peccatores terræ. 472,b.473,a
*Pſal.*75.v.3.Et factus eſt in pace locus eius,& habitatio eius in Sion. 28,a.33,a
*Pſal.*77.v.12. Coram patribus eorum fecit mirabilia in terra Ægypti, in campo Taneos. 927,a & b. 928,a
v.44. Conuertit in ſanguinem flumina eorum, & imbres eorum,ne biberent. 962, b
v.60.Et repulit tabernaculum Silo.796,a.799,a
v.67. Et repulit tabernaculum Ioſeph: & tribum Ephraim non elegit, *&c.* 797,b
Pſal. 79. v.2. Qui deducis velut ouem Ioſeph. 804,a
v.6. Cibabis nos pane lacrymarum, & potum dabis nobis in lacrymis in menſura. 225,b
*Pſal.*84.v.13. Terra noſtra dabit fructum ſuum. 436,a
*Pſal.*86. v.1. Fundamenta eius in montibus ſanctis. 32,a. 473,b. 723,a
v. 2. Diligit Dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Iacob. 114,a & b
*Pſal.*87.v.7. Poſuerunt me in lacu inferiori,in tenebroſis, & in vmbra mortis. 732,a
v.9.Longè feciſti notos meos à me: poſuerunt me abominationem ſibi. Traditus ſum, & non egrediebar. 178,a. 394,b
*Pſal.*88.v.13. Thabor & Hermon in nomine tuo exultabunt: tuum brachium cum potentia. 846, a. 850,b
v.21. Oleo ſancto meo vnxi eum. 882,a
*Pſal.*90.v.9 Tu es Domine ſpes mea. 23, b
*Pſal.*92.v.1. Dominus regnauit, decorem indutus eſt, indutus eſt Dominus fortitudinem, & præcinxit ſe. 551,b
*Pſal.*104. v. 18. Humiliauerunt in compedibus pedes eius, ferrum pertranſiit animam eius. 220,b
v.37. Et eduxit eos cum argento & auro, & non erat in tribubus eorum infirmus 955,b
v.40. Petierunt,& venit coturnix: & panecæli ſaturauit eos. 987,a & b
Pſal. 106. v. 34. Terram fructiferam in ſalſuginem, à malitia inhabitantium in ea. 759,b
*Pſal.*115.v.17. Dirupiſti Domine vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis. 395,a
*Pſal.*117.v.16.Dextera Domini fecit virtutem, *&c.* 460,a
*Pſal.*118.v.103. Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, ſuper mel ori meo! 466,b
*Pſal.*120.v.1. Leuaui oculos meos in montes,vnde veniet auxilium mihi. 32,a
*Pſal.*124. v.2. Montes in circuitu eius, & Dominus in circuitu populi ſui. 278,a.341,a
Pſal. 131. v.6. Ecce audiuimus eam in Ephrata. 31,b. 32,b
v.7. Adorabimus in loco, vbi ſteterunt pedes eius. 309,a
v.8. Surge Domine in requiem tuam, tu & arca ſanctificationis tuæ. 522,a
*Pſal.*132. v.3. Sicut ros Hermon qui deſcendit in montem Sion. 113,b.114,a.724,a & b
*Pſal.*135.v.13. Qui diuiſit mare Rubrum in diuiſiones. 965,b. 966,a. 967,a
*Pſal.*138.v.17. Nimis honorificati ſunt amici tui Deus. 141,b
*Pſal.*139. v.7. Exaudi Domine vocem deprecationis meæ Domine, Domine virtus ſalutis meæ,obumbraſti ſuper caput meum in die belli. 460,b
*Pſal.*140. v. 6. Abſorpti ſunt iuncti petræ iudices eorum. 465,a
*Pſal.*141.v.5. Conſiderabam ad dexteram,& videbam, & non erat qui cognoſceret me. 458,a.523,b

EX LIBRO PROVERBIORVM.

PROVERB. 10. v.18. Qui profert contumeliam, inſipiens eſt. 187,a
*Proverb.*16. v. 32. Melior eſt patiens viro forti; & qui dominatur animo ſuo, expugnatore vrbium. 466,a
*Proverb.*18. v.2. Non recipit ſtultus verba prudentiæ. 187,a
v.18. Contradictiones comprimit ſors, & inter potentes quoque diiudicat. 398,b

Proverb. 24. v. 16. Septies cadet iustus, & resurget. 378,b
Proverb. 31. v. 6. Date siceram mœrentibus, & vinum his qui amaro sunt animo, &c. 454,a
v. 23. Nobilis in portis vir eius. 237,b

EX ECCLESIASTE.

ECCLES. 1. v. 7. Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat: ad locum, vnde exeunt flumina, reuertuntur vt iterùm fluant. 740,b
Eccle. 2. v 4. Magnificaui opera mea, ædificaui mihi domos, & plantaui vineas, feci hortos, &c. 765,b
Eccle. 9. v. 18. Melior est sapientia quàm arma bellica. 722,b
Eccle. 12. v. 5. Ibit homo in domum æternitatis suæ. 128,b

EX CANTICIS.

CANT. 1. v. 1. Meliora sunt vbera tua vino. 408,b
v. 3. Curremus in odorem vnguentorum tuorum. 23,a. 439,b. 555,a
v. 4. Nigra sum, sed formosa. 219,b
v. 10. Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento. 347,a
v. 13 Botrus Cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi. 691,b. 692,a
Cant. 2. v. 1. Flos campi, & lilium conuallium. 22,a. 23,a. 25,a
v. 6. Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. 316,b. 460,a
v. 10. 11. 12. Surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni. Iam enim hiems transiit, imber abiit, & recessit. Flores apparuerunt in terra nostra; tempus putationis aduenit. 22,b. 521,a. 571,a
v. 14. Columbi mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ, &c. 441,a & b. 502,b
v. 16. Dilectus meus mihi, & ego illi. 570,b
v. 17 Reuertere: similis esto, dilecte mi, capreæ hinnuloque ceruorum super montes Bether. 367,a
Cant. 3. v. 7. En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israël: omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi, &c. 549,b. 550,a
v. 9. Ferculum fecit sibi Rex Salomon de lignis Libani, columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum; media charitate constravit propter filias Ierusalem. 549,b. 550,a
Cant. 4 v. 6. Ibo ad montem myrrhæ. 439,a
v. 8 Veni de Libano, veni, coronaberis. 818,a. 889,a & b
v. 12. Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus. Emissiones tuæ paradisus, &c. 353,a. 765,a
v. 15. Fons hortorum, puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano. 904,b. 905,a
Cant. 5. v. 12. Oculi eius sicut columbæ super riuulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, & residunt iuxta fluenta plenissima. 765,a
v. 13. Labia eius lilia. 23,a
Cant. 6. v. 3. Terribilis vt castrorum acies ordinata. 243,b
v. 11. Anima mea conturbauit me propter quadrigas Aminadab. 977,b
Cant. 7. v. 1. Quid videbis in Sulamite, nisi choros castrorum? 153,b
v. 2. Venter tuus sicut aceruus tritici vallatus liliis. 551,a
v. 10. Ego dilecto meo, & ad me conuersio eius. 458, b. 570,b
Cant. 8. v. 5. Sub arbore mala suscitaui te amica mea: ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua. 468, b. 469, a & b. 470, a & b
v. 6. Pone me vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum. 243,b

EX LIBRO SAPIENTIÆ.

SAPIENT. 2. v. 19. Contumelia & tormento interrogemus eum, vt sciamus reuerentiam eius, & probemus patientiam illius. Morte turpissima condemnemus eum: erit enim ei respectus ex sermonibus illius. 199,b. 468,a
Sapien. 10. v. 1. Hæc illum, qui primus formatus est à Deo pater orbis terrarum, cùm solus esset creatus, custodiuit; & eduxit illum à delicto suo, & dedit illi virtutem continendi omnia. 484,a & b. 485,a
v. 7. Quibus in testimonium nequitiæ fumigabunda constat deserta terra, & incerto tempore fructus habentes arbores. 761,a
v. 7. Et incredibilis animæ memoria illius stigmentum salis. 761,a
v. 13. Venditum iustum non dereliquit. 484,a
v. 13. Descendit cum illo in foueam, & in vinculis non dereliquit illum. 220,b
v. 18. Transtulit illos per mare Rubrum, & transuexit illos per aquam uimiam. 967,b. 975,b
Sapient. 11. v. 17. Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur. 899,a
Sapient. 16. v. 20. Pro quibus Angelorum esca nutriuisti populum tuum, & paratum panem de cælo præstitisti illis, &c. 988,a
Sapient. 19. v 7. Nam nubes castra eorum obumbrabat, & ex aqua quæ antè erat, terra arida apparuit, & in mari Rubro via sine impedimento, &c. 966,a. 977,a

EX ECCLESIASTICO.

ECCLI. 15. v. 3. Cibabit illum pane vitæ & intellectus, & aqua sapientiæ salutaris potabit illum. 467,a
Eccli. 24. v. 22. Ego quasi terebinthus extendi ramos meos, & rami mei honoris & gratiæ. 603, a
v. 36. Qui multiplicat quasi Iordanis in tempore messis. 738,b
Eccli. 30. v. 4. Mortuus est pater eius, & quasi non est mortuus: similem enim reliquit sibi post se. 254,b
Eccli. 38. v. 16. Fili in mortuum produc lacrymas, & quasi dira passus incipe plorare, & secundùm iudicium contege corpus illius, & non despicias sepulturam illius. 125,b. 528,a
Eccli. 47. v. 22. Profanasti semen tuum inducere iracundiam ad liberos tuos. 276,a

EX

EX ISAIA.

ISAIÆ 1.v.3. Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui. 629,a

Isaiæ 2.v.3. De Sion exibit lex, & verbum Domini de Ierusalem. 302,a & b. 466,b

v.6. Augures habuerunt vt Philisthiim. 188,a

Isaiæ 6.v.1. Vidi Dominum sedentem super solium excelsum & eleuatum. 287,a

Isaiæ 7.v.3. Egredere iam ad extremum aquæductus piscinæ superioris, in via Agri fullonis. 718,a

v.8. Caput Syriæ Damascus. 876,a

v.9. Caput Ephraim Samaria. 811,a

Isaiæ 9. v.6. Cuius imperium factum est super humerum ipsius. 393,b

Isaiæ 10.v.23. Consummationem enim & eleuationem Dominus Deus exercituum faciet in medio omnis terræ. 440,a & b

Isaiæ 11.v.1. Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet. 20,b & seqq. 817,a & b

v.6. Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hœdo accubabit: vitulus & leo & ouis simul morabuntur, & puer paruulus minabit eos. 925,a

v.10. In die illa radix Iesse, qui stat in signum populorum, ipsum Gentes deprecabuntur, & erit sepulchrum eius gloriosum. 20,b. 21,a & b. 24,a & b. 358,a. 521,a & b. 544,b & seqq. 548,b. 554,a

Isaiæ 12.v.3. Hauritis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris. 353,b

Isaiæ 14.v.13. In cælum ascendam, sedebo in lateribus Aquilonis. 516,a

v.19. Tu autem proiectus es de sepulchro tuo. 540,b

Isaiæ 16. v.10. Ablata est lætitia & exultatio de Carmelo. 892,b. 893,a

Isaiæ 19.v.1. Dominus ascendet super nubem leuem, &c. 921,b. 922,a & b

v.5. Et arescet aqua de mari, & fluuius desolabitur, atque siccabitur. Et deficient flumina: attenuabuntur & siccabuntur riui aggerum. 933,a & b

Isaiæ 22. v.9. Et congregastis aquas piscinæ inferioris. 717,b

v.22. Et dabo clauem domus Dauid super humerum eius. 467,b. 468,a

Isaiæ 23. v.3. In aquis multis semen Nili, messis fluminis fruges eius. 933,a

Isaiæ 24. v.8. Cessauit gaudium tympanorum, quieuit sonitus lætantium, conticuit dulcedo citharæ. 276,b

Isaiæ cap. 25. à versu 1. vsque ad 6. explicatur. 464,a & b 465,a & b 466,a

v.6. & seqq. Et faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc conuiuium pinguium, conuiuium vindemiæ, pinguium medullatorum, &c. 466,b & seqq. vsque ad 481

Isaiæ 26.v.1. Vrbs fortitudinis nostræ Sion Saluator, ponetur in ea murus & antemurale. 35,a

Isaiæ 33.v.7. Angeli pacis amarè flebant. 525,b

v.16. Iste in excelsis habitabit; munimenta saxorum sublimitas eius. 626,b

Isaiæ 35.v.1. Lætabitur deserta & inuia, & exultabit solitudo, & florebit quasi lilium. Germinans germinabit, &c. 23,b. 24,a

v.2. Gloria Libani data est ei, decor Carmeli & Saron. 893,a

Isaiæ 45.v.15. Verè tu es Deus absconditus. 22,b

Isaiæ 49. v.6. Dedi te in lucem Gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ. 929,b

Isaiæ 50.v.6. Corpus meum dedi percutientibus. 200,b

Isaiæ 53. v.2. Ascendet sicut virgultum coram eo, & sicut radix de terra sitienti & inuia. 552,a. 817,b

v.2. Non est species ei, neque decor: & vidimus eum, & non erat aspectus, & desideranimus eum: despectum, & nouissimum virorum, &c. 22,b

v.8. Generationem eius quis enarrabit? 546,b. 547,a

v.9. Et dabit impios pro sepultura, & diuitem pro morte sua, eò quòd iniquitatem non fecerit. 541,a

v.12. Et cum sceleratis reputatus est. 459,b

Isaiæ 56.v.3. Non dicat Eunuchus, Ecce ego lignum aridum; quia hæc dicit Dominus Eunuchis: Qui custodierint sabbata mea, &c. dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filiis & filiabus, &c. 82,a

Isaiæ 59. v.16. Et vidit quia non est vir: & aporiatus est. 219,a

Isaiæ 63 v.3. Torcular calcaui solus, & de Gentibus non est vir mecum. 477,b

EX IEREMIA.

IEREM. 1. v.1. Verba Ieremiæ filij Helciæ, de Sacerdotibus qui fuerunt in Anathoth, in terra Beniamin. 15,a

v.5. Antequam exires de vulua, sanctificaui te, & Prophetam in Gentibus dedi te. 929, a & b

v.14. Ab Aquilone pandetur omne malum, &c. 317,a

Ieremæ. 2. v.13. Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, &c. 353,a

v.18. Quid tibi vis in via Ægypti, vt bibas aquam turbidam? 931,a. 941,a

v.21. Quomodo conuersa es mihi in prauum vinea aliena? 453,b

v.27. Verterunt ad me tergum, & non faciem. 164,b. 315,b

Ieremæ. 7. v.12. Ite ad locum meum in Silo, &c. 798,a. 799,a & b

v.31. Et ædificauerunt excelsa Topheth, quæ est in valle filij Ennom, vt incenderent filios suos & filias suas igni: quæ non præcepi, nec cogitaui in corde meo, &c. 274,b. 275,a

v.32. Ideò ecce dies venient, dicit Dominus, & non dicetur ampliùs, Topheth, & Vallis filij Ennom, sed Vallis interfectionis. 277,a

Ieremæ. 11.v.19. Mittamus lignum in panem eius. 414,b. 467,b

Ieremæ. 18. v.14. Numquid deficiet de petra agri nix Libani? 738,b

v.17. Sicut ventus vrens dispergam eos coram inimico: dorsum, & non faciem ostendam

Digitized by Google

dam eis in die perditionis eorum. 447,a
Ierem. 20. v. 2. Et percussit Phassur Ieremiam Prophetam, & misit eum in nervum, quod erat in porta Beniamin superiori, in domo Domini. 733,b
Ierem. 31. v. 39. Et exibit vltrà norma mensuræ in conspectu eius super collem Gareb, & circuibit Goatha. 515,b
Ierem. 33. v. 20. Si irritum potest fieri pactum meum cum die, & pactum meum cum nocte, vt non sit dies & nox in tempore suo. 21,b
Ierem. 46. v. 19. Vasa transmigrationis fac tibi habitatrix filia Ægypti: quia Memphis in solitudinem erit, *&c.* 952,a
Ierem. 48. v. 33. Ablata est lætitia & exultatio de Carmelo. 892,b. 893,a

EX THRENIS.

THREN. 3. v. 44. Opposuisti nubem tibi, ne transeat oratio. 165,b

EX BARVCH.

BARVCH 6. v. 70 In horto spina alba, supra quam omnis avis sedet. 416,b

EX EZECHIELE.

EZECH. 5. v. 5. Ista est Ierusalem, in medio Gentium posui eam, & in circuitu eius terras. 436,b
Ezech. 11. v. 23. Ascendit gloria Domini de medio civitatis, stetitque super montem, qui est ad Orientem vrbis. 315,a
Ezech. 36. v. 37. Multiplicabo eos sicut gregem hominum, vt gregem sanctum, vt gregem Ierusalem in solemnitatibus eius. 684,b
Ezech. 40. v. 2. Et dimisit me super montem excelsum nimis: super quem erat quasi ædificium civitatis, *&c.* 117,a
Ezech. 47. v. 1. Et convertit me ad portam domus, & ecce aquæ egrediebantur subter limen domus ad Orientem, *&c.* 292,a & b

EX DANIELE.

DAN. 9. v. 27. Et erit in templo abominatio desolationis, & vsque ad consummationem & finem perseverabit desolatio. 114,b
Dan. 11. v. 45. Et figet tabernaculum suum Apadno inter maria, super montem inclytum & sanctum. 721,b. 722,a & seqq.
v. 45. Et veniet vsque ad summitatem eius. 726,a & b
Dan. 14. v. 32. Erat autem Habacuc Propheta in Iudæa, & ipse coxerat pulmentum, *&c.* 608, a & b. 609,a

EX OSEE.

OSEE 4. v. 8. Peccata populi mei comedent. 600, a
v. 15. Nolite ingredi in Galgala. 751,b
Osee 5. v. 1. Audite, quoniam laqueus facti estis speculationi, & rete expansum super Thabor. Et victimas declinastis in profundum: & ego eruditor omnium eorum. 845,b
Osee 6. v. 7. Ipsi autem sicut Adam transgressi sunt pactum, ibi prævaricati sunt in me. Galaad civitas operantium idolum supplantata sanguine. Et quasi fauces virorum latronum, particeps Sacerdotum, in via interficientium pergentes de Sichem, *&c.* 793,b. 794,a
Osee 9. v. 15. Omnis nequitia eorum in Galgal. 749,b. 751,b
Osee 13. v. 9. Perditio tua Israël. 279,b
v. 14. De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos: ero mors tua, ô mors, morsus tuus ero inferne. 478,b
Osee 14. v. 6. Israël germinabit sicut lilium. 82,a

EX IOELE.

IOELIS 2. v. 31. Sol convertetur in tenebras, & luna in sanguinem. 222,b
Ioëlis 3. v 2. Congregabo omnes Gentes, & deducam eas in vallem Iosaphat, & disceptabo cum eis, *&c.* 152,a & b. 153,a & b. 154,a

EX AMOS.

AMOS 2. v. 8. Vinum damnatorum bibebant in domo Dei sui. 454,a
Amos 5. v. 5. Galgala captiva ducetur. 751,a

EX MICHÆA.

MICHÆÆ 4. v. 7. Et regnabit Dominus super eos in monte Sion, ex hoc nunc & vsque in æternum: & tu turris gregis nebulosa filiæ Sion vsque ad te veniet. 337,a. 338,a. 682,b. 684,a & b. 685,a & b
Michæe 5. v. 2. Et tu Bethlehem Ephrata parvulus es in millibus Iuda: ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israël; & egressus eius ab initio, à diebus æternitatis. 353,a. 621,b

EX HABACVC.

HABAC. 1. v. 4. Lacerata est lex, & non peruenit vsque ad finem iudicium: quia impius prævalet adversus iustum, propterea egreditur iudicium peversum. 606,b
v. 6. & 7. Quia ecce ego suscitabo Chaldæos, gentem amaram & velocem, ambulantem super latitudinem terræ, vt possideat tabernacula non sua. Horribilis & terribilis est: ex semetipsa iudicium, & onus eius egredietur. 607,a. 609,a
Habac. 3. v. 2. Domine opus tuum, in medio annorum vivifica illud. In medio annorum notum facies. 629,a. 850,b
v. 3. Deus ab Austro veniet, & sanctus de monte Pharan. 685,b

EX SOPHONIA.

SOPHONIÆ 1. v. 11. Vlulate habitatores Pilæ. 156,a

EX AGGÆO.

AGGÆI 2. v. 6. & seqq. Nolite timere, quia hæc dicit Dominus exercituum: Adhuc vnum

Digitized by Google

vnum modicum est, & ego commouebo cælum & terram, &c. & veniet desideratus cunctis Gentibus: & implebo domum istam gloria, &c. Magna est gloria domus istius nouissimæ plus quàm primæ, &c. & in loco isto dabo pacem, &c. 355,b & seqq.

EX ZACHARIA.

ZACHAR. 3. v. 3. Vidi Iesum magnum Sacerdotem indutum vestibus sordidis. 433,a

Zachar. 5. v. 9. Leuauerunt amphoram inter terram & cælum. Et dixi ad Angelum qui loquebatur in me: Quò istæ deferunt amphoram? & dixit ad me: Vt ædificetur ei domus in terra Sennaar, & stabiliatur, & ponatur ibi super basem suam. 713,b

Zachar. 9. v. 11. Emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non erat aqua. 732,a

Zachar. 11. v. 1. Aperi Libane portas tuas. 887,b. 888,b

v. 8. Contracta est anima mea in eis: siquidem & anima eorum variauit in me. 219,a

Zachar. 12. v. 10. Aspicient in eum quem confixerunt. 154,b

v. 11. In die illa magnus erit planctus in Ierusalem, sicut planctus Adadremmon in campo Mageddon. 154 b. 816,a & b

Zachar. 13. v. 1. In die illa erit fons patens domui Dauid, & habitantibus Ierusalem, in ablutionem peccatoris & menstruatæ, &c. 354, a & b. 446,b

Zachar. 14. v. 4. Stabunt pedes eius in die illa super montem Oliuarum, qui est contra Ierusalem ad Orientem. 164,b. 315,a

v. 20. In die illa erit quod super frenum equi est, sanctum Domino. 420,a

EX MALACHIA.

MALACH. 1. v. 10. Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus omnipotens; & sacrificium non accipiam de manibus vestris. 348,b. 349,a

v. 11. Ab ortu solis vsque ad occasum magnum est nomen meum in Gentibus. 317,a

Malach. 3. v. 1. Ecce ego mitto Angelum meũ, &c. Et statim veniet ad templum tuum dominator, quem vos quæritis, &c. 34,a

EX LIBRO I. MACHABÆORVM.

1. MACHAB. 1. v. 35. Et ædificauerunt ciuitatem Dauid muro magno & firmo, & turribus firmis, & facta est illis in arcem. 116,a

EX LIBRO II. MACHABÆORVM.

2. MACHAB. 1. v. 34. Considerans autem Rex, & rem diligenter examinans, fecit ei templum, vt probaret quod factum erat, &c. 271,a

v. 36. Appellauit autem Nehemias hunc locum Nephthar, &c. ibid.

EX EVANGELIO S. MATTHÆI.

MATTH. 1. v. 6. Dauid genuit Salomonem ex ea quæ fuit Vriæ. 597,b

v. 18. Cùm esset desponsata mater eius Maria Ioseph. 828,b

Matth. 2. v. 1. Cùm ergo natus esset Iesus in Bethlehem Iuda in diebus Herodis Regis, ecce Magi ab Oriente venerunt &c. 633,b

v. 6. Et tu Bethlehem terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda: ex te enim exiet Dux, qui regat populum meum Israël. 621,b

v. 9. Et ecce stella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos, vsquedum veniens staret suprà, vbi erat puer. 635,b

v. 11. Et intrantes domum, inuenerunt puerum cum Maria matre eius, & procidentes adorauerunt eum. 633,a. 635,a

v. 13. Qui cùm recessissent, ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph, dicens: Surge, & accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Ægyptum, &c. 821,a. 823,b. 829,b. 921,a

v. 16. Tunc Herodes videns, quoniam illusus esset à Magis, iratus est valdè, & mittens occidit omnes pueros qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus eius, à bimatu & infrà, secundùm tempus quod exquisierat à Magis. 703,b. 821,b

v. 18. Vox in Rama audita est, ploratus & vlulatus multus: Rachel plorans filios suos, & noluit consolari, quia non sunt. 6,b. 610,a. 611,b. 612,a & b. 613,a

v. 23. Et veniens habitauit in ciuitate quæ vocatur Nazareth: vt adimpleretur quod dictum est per Prophetas; Quoniam Nazaræus vocabitur. 821,b

Matth. 3. v. 1. In diebus illis venit Ioannes Baptista prædicans in deserto Iudææ. 823,a

v. 4. Ipse autem Ioannes habebat vestimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos suos: esca autem eius erat locusta, & mel siluestre. 748,a & b

v. 9. Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. 752,a

v. 16. Baptizatus autem Iesus, confestim ascendit de aqua: & ecce aperti sunt ei cæli, &c. 746,a & b

Matth. 6. v. 21. Vbi thesaurus noster est, ibi sit & cor nostrum. 556,a

Matth. 7. v. 16. A fructibus eorum cognoscetis eos. 62,a

Matth. 8. v. 29. Quid nobis, & tibi, Iesu Fili Dei? Venisti huc ante tempus torquere nos? &c. Si eicis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum. 194,a

Matth. 10. v. 23. Cùm autem persequentur vos in ciuitate ista, fugite in aliam. 61, a & b

v. 39. Qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam. 59,b

Matth. 11. v. 12. Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. 474,a

v. 21. Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida: quia, si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, &c. 867,b

v. 23. Et tu Capharnaum, numquid vsque in cælum exaltaberis? vsque in infernum descen-

Digitized by Google

descendes. 868, a. 869, b
Matth. 12. v. 40. Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus; sic erit Filius hominis in corde terræ, *&c.* 521, b
Matth. 13. v. 55. Nonne hic est fabri filius? 840, a
Matth. 16. v. 28. Sunt quidam de hîc stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in regno suo. 851, b
Matth. 17. v. 1. Assumit Iesus Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem eius, & ducit illos in montem excelsum seorsum: & transfiguratus est ante eos. 844, a
v. 4. Faciamus hîc tria tabernacula. 847, b
v. 9. Nemini dixeritis visionem, donec Filius hominis à mortuis resurgat. 848, b
v. 11. Elias veniet, & restituet omnia. 153, b
Matth. 19. v. 28. In regeneratione, cùm sederit Filius hominis, *&c.* 546, a
Matth. 20. v. 18. Ecce ascendimus Ierosolymam. 32, a
v. 23. Calicem quidem meum bibetis. 75, b
Matth. 21. v. 2. Ite in castellum quod contra vos est. 333, a & b. 334, a
v. 19. Et arefacta est continuò ficulnea. 322, a & b
Matth. 22. v. 4. Ecce prandium meum paraui, tauri mei & altilia occisa sunt, & omnia parata: venite ad nuptias. 467, a
v. 13. Ligatis manibus & pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores, *&c.* 90, b
v. 14. Multi sunt vocati, pauci verò electi. 472, a & b
v. 39. Diliges proximum tuum sicut teipsum. 225, a
Matth. 23. v. 27. Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ: quia similes estis sepulchris dealbatis, quæ aforis parent hominibus speciosa, intus verò plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitia. 553, b
v. 29. Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui ædificatis sepulchra Prophetarum, & ornatis monumenta iustorum. 505, a & b
v. 34. & 35. Ecce ego mitto ad vos Prophetas, & sapientes, *&c.* vt veniat super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram, à sanguine Abel iusti vsque ad sanguinem Zachariæ, filij Barachiæ, quem occidistis inter templum & altare. 264, a vsque ad 270
v. 38. Ecce relinquetur domus vestra deserta. 106, a
Matth 24. v. 17. Et qui in tecto, non descendat, *&c.* 596, b
v. 28. Vbicumque fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ 555, a
Matth 26. v. 32. Postquam resurrexero, præcedam vos in Galilæam. 847, a
v. 36. Sedete hîc, donec vadam illuc, & orem. 158, a
Matth. 27. v. 7. Emerunt agrum figuli in sepulturam peregrinorum. 283, b. 284, a & b
v. 26. Iesum autem flagellatum tradidit vt crucifigeretur. 199, b. 201, b
v. 34. Et dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum, *&c.* 453, b. 454, a & b
v. 46. Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me? 523, b
v. 51. & 52. Ecce velum templi scissum est in duas partes à summo vsque deorsum: & terra mota est, & petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt, *&c.* 461, b
v. 55. Erant ibi mulieres multæ à longè, quæ secutæ erant Iesum à Galilæa, ministrantes ei. 841, a
v. 59. Et accepto corpore, Ioseph involuit illud in sindone munda. 528, a. 529, b. 530, a. 535, b
v. 60. Et posuit illud in monumento suo nouo, quod excíderat in petra. 498, a. 499, b
v. 60. Et aduoluit saxum magnum ad ostium monumenti, & abiit. 504, b. 508, b
v. 61. Erat autem ibi Maria Magdalene, & altera Maria, sedentes contra sepulchrum. 496, b
v. 62. Altera autem die, quæ est post Parasceuen, conuenerunt Principes Sacerdotum, & Pharisæi ad Pilatum, *&c.* 507, b
v. 65. Habetis custodiam, ite, custodite sicut scitis. Illi autem abeuntes, munierunt sepulchrum, signantes lapidem, cum custodibus. 504, b. 509, a
Matth. 28. v. 1. & 2. Venit Maria Magdalene, & altera Maria, videre sepulchrum. Et ecce terræmotus factus est magnus. Angelus enim Domini descendit de cælo: & accedens reuoluit lapidem, & sedebat super eum. 503, b. 509, b. 545, a & b
v. 6. Venite, & videte locum, vbi positus erat Dominus. 503, b. 505, a & b
v. 16. Discipuli abierunt in Galilæam, in montem, vbi constituerat illis Iesus. 319, b

EX EVANGELIO S. MARCI.

MARCI 6. v. 3. Nonne hic est faber filius Mariæ? 840, b
Marci 11. v. 13 Non enim erat tempus ficorum. 322, a
v. 20. Viderunt ficum aridam factam à radicibus. 323, a
Marci 13. v. 2. Non relinquetur lapis super lapidem, qui non destruatur. 106, b. 107, b. 108, a
Marci 15. v. 16. Milites autem duxerunt eum in atrium prætorij, & conuocant totam cohortem, *&c.* 181, b
v. 23. Et dabant ei bibere myrrhatum vinum: & non accepit. 453, b. 454, a & b
v. 43. Audacter introiuit ad Pilatum, & petiit corpus Iesu. 524, b
v. 46. Et aduoluit lapidem ad ostium monumenti. 504, b
v. 47. Maria autem Magdalene, & Maria Ioseph, aspiciebant vbi poneretur. 496, b
Marci 16. v. 3. Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti? 503, a
v. 5. Et introeuntes in monumentum viderunt iuuenem sedentem in dextris, *&c.* 503, b
v. 6. Surrexit, non est hîc. 554, a
v. 9. Surgens autem Iesus manè prima Sabbati, apparuit primò Mariæ Magdalene, de qua ciecerat septem dæmonia. 73, a. 74, b
v. 20. Illi autem profecti prædicauerunt vbique, *&c.* 132, b. 133, a. 134, a

EX

INDEX LOCORVM S. SCRIPTVRÆ.

EX EVANGELIO S. LVCÆ.

LVCÆ 1. v. 31. Ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum. 813,a

v. 34. Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? 817,b. 818,a

v. 39. Exurgens Maria abiit in montana cum festinatione, in ciuitatem Iuda: & intrauit in domum Zachariæ, & salutauit Elisabeth. 700,a & seqq.

v. 48. Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. 241,a

v. 65. Super omnia montana Iudææ diuulgabantur omnia verba hæc. 700,a & b

Luca 2. v. 7. Et peperit filium suum primogenitum, & pannis eum involuit, & reclinauit eum in præsepio: quia non erat eis locus in diuersorio. 627, b. 631, a. 633, a. 638, b

v. 35. Tuam ipsius animam pertransibit gladius. 215, b. 217, a. 220, b. 221, a & b. 224, a

v. 37. Quæ non discedebat de templo. 813, b

v. 39. Et vt perfecerunt omnia secundùm legem Domini, reuersi sunt in Galilæam in ciuitatem suam Nazareth. 811, a & b

v. 41. Et ibant parentes eius per omnes annos in Ierusalem in die solemni Paschæ. 814, a

v. 46. Et factum est, post triduum inuenerunt illum in templo, sedentem in medio Doctorum, audientem illos, & interrogantem eos. 787, b. 788, a

v. 51. Et erat subditus illis. 840, b. 841, b

Luca 4. v. 29. Et surrexerunt, & eiecerunt illum extra ciuitatem: & duxerunt illum vsque ad supercilium montis, super quem ciuitas illorum erat ædificata, vt præcipitarent eum. Ipse autem transiens per medium illorum, ibat. 843, a

Luca 7. v. 13. Noli flere. 225, b

v. 37. Ecce mulier quæ erat in ciuitate peccatrix, &c. 96, a

v. 38. Stans retrò secus pedes eius, lacrymis cœpit rigare pedes eius. 215, b

Luca 11. v. 1. Et factum est, cùm esset in quodam loco orans, vt cessauit, dixit vnus ex discipulis eius, &c. 161, b

v. 27. Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti. 550, b. 551, a. 906, b

Luca 12. v. 38. Et si venerit in secunda vigilia, & si in tertia vigilia venerit, &c. 968, b

Luca 13. v. 7. Succide ergo illam, &c. 323, b

Luca 16. v. 26. Et in his omnibus, inter nos & vos chaos magnum firmatum est: vt hi, qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare. 192, b

Luca 17. v. 11. Dum iret in Ierusalem, transibat per mediam Samariam & Galilæam. Et cùm ingrederetur quoddam castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi, qui steterunt à longè; & leuauerunt vocem, dicentes: Iesu præceptor, miserere nostri. 814, b. 815, a & b

Luca 19. v. 41. Videns ciuitatem fleuit super illam. 501, a & b

Luca 21. v. 37. Erat autem diebus docens in templo, noctibus verò exiens, morabatur in monte qui vocatur Oliueti. 162, b

Luca 22. v. 10. Ecce introëuntibus vobis in ciuitatem, occurret vobis homo quidam amphoram aquæ portans: sequimini eum in domum, &c. 94, a & b 110, a

v. 29. Ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus regnum, vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo. 470, b

v. 32. Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua. 259, b. 260, a

v. 39. Ibat Iesus secundùm consuetudinem in montem Oliuarum. 162, a & b

v. 41. Et ipse auulsus est ab eis quantum iactus est lapidis. 159, a & b

Luca 23. v. 7. Remisit eum ad Herodem, qui & ipse Ierosolymis erat illis diebus. 205, a

v. 27. Sequebatur autem illum multa turba populi, & mulierum: quæ plangebant, & lamentabantur eum. 236, b

v. 31. Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? 439, b

v. 49. Stabant autem omnes noti eius à longè, & mulieres quæ secutæ eum erant à Galilæa, hæc videntes. 496, b

v. 50. Et ecce vir nomine Ioseph, qui erat decurio, &c. ab Arimathæa ciuitate Iudææ. 8, a

Luca 24. v. 2. Et inuenerunt lapidem reuolutum à monumento. Et ingressæ non inuenerunt corpus Domini Iesu. Et factum est, dum mente consternatæ essent de ipso, ecce duo viri steterunt secus illas in veste fulgenti. 506, a

v. 26. Nónne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam? 474, b

EX EVANGELIO S. IOANNIS.

IOAN. 1. v. 3. Quod factum est, in ipso vita erat. 346, b

v. 10. In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit. In propria venit, & sui eum non receperunt. 523, b

v. 16. De plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia. 212 a

v. 28. Hæc in Bethania facta sunt trans Iordanem, vbi erat Ioannes baptizans. 328, b. 329, a & b. 745, b

v. 46. A Nazareth potest aliquid boni esse? 819, a

Ioan. 2. v. 11. Hoc autem fecit initium signorum Iesus in Cana Galilææ, & manifestauit gloriam suam. 853, a

v. 19. Soluite templum hoc, &c. 558, b. 545, b

v. 20. Quadraginta & sex annis ædificatum est templum hoc. 556, b

Ioan. 3. v. 23. Erat autem & Ioannes baptizans in Aenon iuxta Salim, &c. 745, b

v. 26. Rabbi, qui erat tecum trans Iordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat. 747, b

Ioan. 4. v. 7. Venit mulier de Samaria haurire aquam. 802, a & b

v. 13. Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum: sed aqua, quam ego dabo

Digitized by Google

dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam. 354,b
v.20. Patres noſtri in monte hoc adorauerunt. 805,a. 807,b
v.28. Reliquit ergo hydriam ſuam mulier, & abiit in ciuitatem. 801,a & b
Ioan. 5. v. 2. Eſt autem Ieroſolymis Probatica piſcina. 98,b. 99,b. 101,b
v.43. Ego veni in nomine Patris mei, & non accipitis me: ſi alius venerit in nomine ſuo, illum accipietis. 723,b
Ioan. 6. v. 1. Abiit Ieſus trans mare Galilææ, quod eſt Tiberiadis. 858,a & b. 859,a & b
Ioan. 7. v. 37. Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat. 353,b. 446,b
v. 52. Scrutare Scripturas, & vide, quia à Galilæa Propheta non ſurgit. 819,a
Ioan. 8. v. 20. Hæc locutus eſt Ieſus in gazophylacio, & erat quotidie docens in templo. 85,b
v.28. Cùm exaltaueritis Filium hominis, tunc cognoſcetis quia ego ſum. 352,a
Ioan. 9. v. 39. In iudicium ego in hunc mundum veni, vt, qui non vident, videant; & qui vident, cæci fiant. 316,a
Ioan. 10. v. 10. Ego veni vt vitam habeant, & abundantiùs habeant. 544,b
v.15. Animam meam pono pro ouibus meis. 480,b
v.23. Et ambulabat Ieſus in templo in porticu Salomonis. 341,a
Ioan. 11. v. 1. Erat autem quidam languens Lazarus à Bethania, de caſtello Mariæ, & Marthæ, *&c.* 96, b. 97,a & b. 324,b. 325,a. 802,b
v.4. Infirmitas hæc non eſt ad mortem, ſed pro gloria Dei, *&c.* 326,a
v.9. Nónne duodecim horæ ſunt diei? 968,b
v.38. Ieſus ergo rurſum fremens in ſemetipſo, venit ad monumentum; erat autem ſpelunca, & lapis ſuperpoſitus erat ei. 327,b
v.44. Statim prodiit qui fuerat mortuus, ligatus pedes & manus inſtitis, & facies illius ſudario erat ligata. 326,a
v.50. Expedit vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat. 468,a
Ioan. 12. v. 24. Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet; ſi autem mortuum fuerit, multum fructum affert. 545,b
v.25. Qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam. 900,b
v.32. Et ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum. 435,b. 443,a. 523, a & b
Ioan. 13. v. 10. Vos mundi eſtis, ſed non omnes. 477,b
Ioan. 15. v. 13. Maiorem charitatem nemo habet, vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. 60,a. 900,a
Ioan. 16. v. 28. Exiui à Patre, & veni in mundum; iterùm relinquo mundum, & vado ad Patrem. 355,a
Ioan. 17. v. 9. Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo, ſed pro his quos dediſti mihi; quia tui ſunt. 472,b
Ioan. 18. v. 2. Iudas ſciebat locum, quia frequenter Ieſus conuenerat illuc cum diſcipulis ſuis. 162,b
v.4. Proceſſit, & dixit eis: Quem quæritis? 168,b
v.22. Vnus aſſiſtens miniſtrorum dedit alapam Ieſu, dicens: Sic reſpondes Pontifici? 183,b. 184,a
v.28. Adducunt ergo Ieſum à Caipha in prætorium. 176,a & b
Ioan. 19. v. 1. Tunc apprehendit Pilatus Ieſum, & flagellauit. 197,a
v. 4. Exiuit ergo iterùm Pilatus foras, & dicit eis: Ecce adduco vobis eum foras, *&c.* 207,a
v.16. Suſceperunt autem Ieſum, & eduxerunt. Et bajulans ſibi crucem, exiuit in eum, qui dicitur Caluariæ, locum, Hebraicè autem Golgotha: vbi crucifixerunt eum. 219,a. 236,b. 393,b. 443,a
v.20. Prope ciuitatem erat locus, vbi crucifixus eſt Ieſus. 446,b
v.22. Quod ſcripſi, ſcripſi. 413,b
v.24. Non ſcindamus eam, ſed ſortiamur de illa, cuius ſit. 398,b. 399,a
v.25. Stabat autem iuxta crucem Ieſu Mater eius. 210,a & b. 214,a. 215,b. 216,a. 445,a
v.27. Et ex illa hora accepit eam diſcipulus in ſua. 143,b
v.30. Conſummatum eſt. Et inclinato capite tradidit ſpiritum. 480,b
v.31. Iudæi ergo (quoniam Paraſceue erat) vt non remanerent in cruce corpora Sabbato (erat enim magnus dies ille Sabbati) rogauerunt Pilatum, *&c.* 403,a & b
v.40. Acceperunt corpus Ieſu, & ligauerunt illud linteis cum aromatibus, ſicut mos eſt Iudæis ſepelire. 530,a. 538,b
v.41. Erat autem in loco, vbi crucifixus eſt, hortus, & in horto monumentum nouum, in quo nondum quiſquam poſitus erat. 434,b. 501,b. 516,b

EX ACTIBVS APOSTOLORVM.

ACT. 1. v. 11. Viri Galilæi, *&c.* ſic veniet quemadmodum vidiſtis eum euntem in cælum. 154,b. 319,a
v.12. Tunc reuerſi ſunt Ieroſolymam à monte qui vocatur Oliueti, qui eſt iuxta Ieruſalem, Sabbati habens iter, *&c.* 298, b. 299, a & b. 308,b
v.13. Cùm introiſſent in cœnaculum, aſcenderunt vbi manebant Petrus & Ioannes. 125,b
v.18. Et hic quidem poſſedit agrum de mercede iniquitatis. 284,b
v.18. Suſpenſus crepuit medius, & diffuſa ſunt omnia viſcera eius. 281,b. 282,a
v.26. Cecidit ſors ſuper Mathiam. 131,b. 132,a & b
Act. 2. v. 41. Erant perſeuerantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus. 147,a. 720,a
v.46. Quotidie quoque perdurantes vnanimiter in templo, & frangentes circà domos panes, *&c.* 147,b
Act. 3. v. 3. Is cùm vidiſſet Petrum & Ioannem incipientes introire in templum. 343, a & b
Act. 8, v. 2. Curauerunt autem Stephanum viri timo-

timorati, & fecerunt planctum magnum ſuper eum. 296,b
v. 26. Surge, & vade contra Meridianum, ad viam quæ deſcendit ab Ieruſalem in Gazam: hæc eſt deſerta. 697,b.698,a & b
v. 36. Dum irent per viam, venerunt ad quamdam aquam, &c. 696, a & b
Act. 9. v. 3. Et cùm iter faceret, contigit vt appropinquaret Damaſco; & ſubitò circumfulſit eum lux de cælo. 874,a
v. 4. Saule, Saule, quid me perſequeris? 873, a & b
v. 11. Surge, & vade in vicum, qui vocatur Rectus: & quære in domo Iudæ Saulum nomine Tharſenſem: ecce enim orat, &c. 878,b.879,a
v. 18. Et ſurgens baptizatus eſt. 879,a
v. 37. Quam cùm lauiſſent, poſuerunt eam in cœnaculo. 527,a
v. 43. Factum eſt autem vt dies multos moraretur in Ioppe, apud Simonem quemdam coriarium. 6,a
Act. 10. v. 9. Aſcendit in ſuperiora, vt oraret circa horam ſextam. 123,b
Act. 12. v. 4. Quem cùm apprehendiſſet, miſit in carcerem. 91,b
v. 7. Ecce Angelus Domini aſtitit, & lumen refulſit in habitaculo. 92, b
v. 8. Præcingere, & calcea te caligas tuas. 399,b
v. 10. Venerunt ad portam ferream, quæ ducit ad ciuitatem, quæ vltrò aperta eſt eis. 90, a & b. 91, b

EX EPISTOLA AD ROMANOS.

Rom. 1. v. 4. Prædeſtinatus eſt Filius Dei in virtute ſecundùm ſpiritum ſanctificationis. 435,a
v. 20. Inuiſibilia *Dei* à creatura mundi per ea quæ facta ſunt, intellecta, conſpiciuntur. 20,a
Rom. 5. v. 10. Reconciliati enim ſumus Deo per mortem Filij eius. 358,b
Rom. 6. v. 4. Conſepulti ſumus cum illo per Baptiſmum in mortem. 548,a
v. 9. Chriſtus reſurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi vltrà non dominabitur. 478,b
Rom. 10. v. 9. Si confitearis in ore tuo Dominum Ieſum, & in corde tuo credideris, ſaluus eris. Corde enim creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem. 59,b
v. 15. Quomodo prædicabunt niſi mittantur? 60,b
Rom. 11. v. 26. Sic omnis Iſraël ſaluus fieret. 153,b

EX EPIST. I. AD CORINTH.

1. Cor. 1. v. 18. Verbum crucis pereuntibus ſtultitia eſt, iis autem qui ſalui fiunt, id eſt nobis, Dei virtus eſt. 218,a
v. 27. Stulta & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia: & ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus, &c. 435,a
1. *Cor.* 3. v. 1. Tamquam paruulis in Chriſto lac vobis potum dedi. 468,a
1. *Cor.* 8. v. 4. Scimus quia nihil eſt idolum in mundo. 794, a & b
1. *Cor.* 9. v. 7. Quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat? 142,b
1. *Cor.* 10. v. 4. Omnes eumdem potum ſpiritalem biberunt: bibebant autem de ſpiritali conſequente eos petra: petra autem erat Chriſtus. 1001,b
v. 31. Siue manducatis, ſiue bibitis, ſiue aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite. 885,a
1. *Cor.* 11. v. 18. Primùm quidem conuenientibus vobis in Eccleſiam. 87,a
v. 22. Numquid domos non habetis ad manducandum & bibendum? aut Eccleſiam Dei contemnitis. ibid.
v. 34. Si quis eſurit, domi manducet, vt non in iudicium conueniatis. ibid.
1. *Cor.* 15. v. 7. Deinde viſus eſt Iacobo. 258,a & b
v. 14. Si autem Chriſtus non reſurrexit, inanis eſt ergo prædicatio noſtra, inanis eſt fides veſtra. 544,b
v. 26. Nouiſſima autem inimica deſtruetur mors. 478,b
v. 54. Cùm autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet ſermo qui ſcriptus eſt: Abſorpta eſt mors in victoria, &c. 478,b

EX EPIST. II. AD CORINTH.

2. Cor. 11. v. 24. Quadragenas, vnâ minùs, accepi. 198, b. 454,a
v. 32. Damaſci Præpoſitus Gentis Aretæ Regis cuſtodiebat ciuitatem Damaſcenorum, vt me comprehenderet: & per feneſtram in ſporta dimiſſus ſum per murum, &c. 879,b. 880,a & b

EX EPIST. AD GALATAS.

Galat. 4 v. 4. At vbi venit plenitudo temporis, miſit Deus Filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege. 520,b
v. 25. Sina enim mons eſt in Arabia, qui coniunctus eſt ei, quæ nunc eſt Ieruſalem. 955,a. 956,b

EX EPIST. AD EPHESIOS.

Ephes. 2. v. 4. Propter nimiam charitatem ſuam, qua dilexit nos, & cùm eſſemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Chriſto. 224,b
Epheſ. 3. v. 18. Vt poſſitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ ſit latitudo, & longitudo, & ſublimitas, & profundum. 414,a

EX EPIST. AD PHILIPPENSES.

Philipp. 2. v. 8. Humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum, &c. 384.b. 474,a & b

EX EPIST. AD COLOSSENSES.

Coloss. 2. v. 14. Delens quod aduerſus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipſum tulit de medio, affigens illud cruci. 477,a & b

v. 15.

Digitized by Google

v. 15. Expolians principatus, & poteſtates, traduxit confidenter, palàm triumphans illos in ſemetipſo. 476,b.477,a

Coloſſ. 3. v. 17. Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Ieſu Chriſti. 885,a

EX EPIST. II. AD THESSAL.

2. THESSAL. 2. v. 3. Niſi venerit diſceſſio primùm, & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui aduerſatur, & extollitur ſupra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita vt in templo Dei ſedeat, oſtendens ſe tamquam ſit Deus. 724,b

EX EPIST. I. AD TIMOTH.

1. TIMOTH. 2. v. 8. Volo viros orare in omni loco. 163,b

EX EPIST. II. AD TIMOTH.

2. TIMOTH. 3. v. 15. Ab infantia ſacras Litteras noſti, quæ te poſſunt inſtruere ad ſalutem, *&c.* 20,a

EX EPISTOLA AD TITVM.

TIT. 1. v. 10. Sunt enim multi etiam inobedientes, vaniloqui, & ſeductores; maximè qui de circumciſione ſunt: quos oportet redargui: qui vniuerſas domos ſubuertunt, docentes quæ non oportet, turpis lucri gratiâ. 559,b

EX EPISTOLA AD HEBRÆOS.

HEBR. 2. v. 9. Vidimus Ieſum, propter paſſionem mortis, gloria & honore coronatum. 475,a

Hebr. 5. v. 7. Qui in diebus carnis ſuæ, preces ſupplicationeſque ad eum, qui poſſit illum ſaltum facere à morte, cum clamore valido & lacrymis offerens, exauditus eſt pro ſua reuerentia. 474,b

Hebr. 7. v. 1. Hic enim Melchiſedech, Rex Salem, Sacerdos Dei ſummi, qui obuiauit Abrahæ regreſſo à cæde Regum, & benedixit ei. 475,b

Hebr. 9. v. 7. In ſecundo tabernaculo ſemel in anno ſolus Pontifex non ſine ſanguine introibat. 84,b

v. 27. Statutum eſt hominibus ſemel mori, poſt hoc autem iudicium. 478,a

Hebr. 10. v. 5. Ingrediens mundum dicit: Hoſtiam & oblationem noluiſti: corpus autem aptaſti mihi: holocautomata pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi: Ecce venio. 831,b.832,a

Hebr. 11. v. 6. Credere oportet accedentem ad Deum. 194,b

v. 33. Per quam Sancti vicerunt regna, operati ſunt iuſtitiam. 524,b

Hebr. 13. v. 12. Ieſus, vt ſanctificaret per ſuum ſanguinem populum, extra portam paſſus eſt. 446,b.501,a

EX EPISTOLA S. IACOBI.

IACOBI 1. v. 1. Iacobus, *&c.* duodecim tribubus, quæ ſunt in diſperſione, ſalutem. 44,a

Iacobi 2. v. 18. Ego oſtendam tibi ex operibus fidem meam. 900,b

EX EPISTOLA II. S. PETRI.

2. PETRI 1. v. 16. Non enim doctas fabulas ſecuti, *&c.* Et hanc vocem nos audiuimus de cælo allatam, cùm eſſemus cum ipſo in monte ſancto. Et habemus firmiorem propheticum ſermonem, *&c.* 848,b

EX EPISTOLA I. S. IOANNIS.

1. IOAN. 4. v. 1. Nolite omni ſpiritui credere. 87,a & b

EX APOCALYPSI.

APOC. 2. v. 7. Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod eſt in Paradiſo Dei mei. 475,b

Apoc. 5. v. 5. Ecce vicit leo de tribu Iuda, radix Dauid. 20,b & ſeqq.

Apoc. 10. v. 11. Oportet te iterùm prophetare Gentibus, & populis, *&c.* 851,a

Apoc. 16. v. 16. Et congregabit illos in locum, qui vocatur Hebraicè Armagedon. 816,b

Apoc. 22. v. 2. Lignum vitæ, afferens fructus duodecim, per menſes ſingulos reddens fructum ſuum, & folia ligni ad ſanitatem Gentium. 544,a

v. 16. Ego ſum radix & genus Dauid. 21,b.

INDEX

Digitized by Google

INDEX
RERVM PRÆCIPVARVM
QVÆ
SECVNDO HOC TOMO
CONTINENTVR.

A.

Abagarus.

ABGARVS *Edeſſano Principi miſſa à Chriſto imago facies ſuæ.* pag. 231,a
Molannus illam negat. ibid.& b
Refellitur. ibid.b
Abagari & Veronicæ linteum, ſeu ſudarium, duo ſunt. ibid.& 232,a
Exemplar ſudarij Abagari miraculosè effornatum per veli applicationem ad ipſum autographum. 232,b
Imago hæc variis locis ſervata fuit, Edeſſæ ſcilicet, & Conſtantinopoli. 233,a
Deinde in Italiam delata fuit; ſed an Romam, an Genuam, inquiritur. ibid.b
Opinio Auctoris. 234,a
Miracula huius ſacræ imaginis. 233,a& b

Abana.

Abana fluuij deſcriptio. 884,a

Abarim.

Abarim eſt nomen montis. 438,a
Nebo dicitur Abarim. ibid.

Abdias.

Abdias Sebaſtæ ſepultus eſt. 306, b

Abdon.

Abdon duodecimus Index populi Iſraël. 728,b

Abdon & Sennen.

Sacellum Abdon & Sennen ſupra villam Eden. 890,a

Abel.

De loco vbi Abel occiſus fuit, tres ſunt ſententiæ. 885,a
Prima ait factum fuiſſe ſupra Damaſcum; vbi & ſacrificarunt. ibid.
Sepulchrum Abel. ibid.b
Secunda, propiùs, in Damaſci ſuburbiis occiſum eſſe dicit. ibid.
Tertia, apud Hebron. ibid.& 886,a
Quare Chriſtus Matth.23. meminerit Abelis & Zachariæ. 269,a
Abelis martyrium maximè publicum fuit. ibid.
Abelis ſanguis vindictam petiit. ibid.b

Abeſan.

Abeſan decimus Judex populi Iſraël. 728,b
Abeſan vixit & mortuus eſt in Bethlehem. 620,b. 621,a

Abia.

Abia fuit quartus Rex Ieruſalem, & regnauit tribus annis. 46, a

Abimelech.

Abimelech ſextus Index populi Iſraël. 728,b

Abraham.

Locus vbi Abraham Angelos & Angelorum Dominum hoſpitio excepit. 767,a
Idem locus à Gentilibus idololatriâ pollutus fuit. ibid.
Purgatus poſteà fuit, & Eccleſiâ ſacratus operâ Conſtantini Magni. ibid.& b
Epiſtola eiuſdem Conſtantini ad Palæſtinæ Epiſcopos de loco prædicto purgando. ibid.b 768,a
Locus vbi erat ilex ante oſtium tabernaculi. 768,a
De loco vbi Abraham filium ſuum Iſaac circumcidit, fabella Hebræorum refutatur. ibid.b.769,a& b
In Berſabee Abraham circumcidit filium ſuum Iſaac. 768,b.& 769,a
In Berſabee, & non in Hebron, iuſſus eſt Abraham Iſaac filium ſuum immolare. 769,a
Locus vbi Abraham victoriam de quinque Regibus reportauit, & Lot liberauit. 883,b
Item, vbi pro parta victoria Deo gratias egit. ibid.
Melchiſedech Deo ſacrificium obtulit, & Abrahamo benedixit, eique conuiuium paranit, 578,a& b
Abraham dat decimas ex omnibus Melchiſedech. ibid.
De loco vbi Melchiſedech Abrahamo occurrit, tres ſunt ſententiæ. ibid.b
Prima ait factum id eſſe in Valle Regis. ibid.
Secunda, ad radicem montis Thabor. ibid.& 579,a
Tertia, in monte Caluariæ. 579,a
Locus, vbi Abraham filium ſuum Iſaac voluit ſacrificare, ſacello extructo decoratus eſt. ibid.b
Caluaria mons fuit locus immolationis Iſaac, & arietis pro eo. ibid.& 580,a
In Caluaria monte oſtenditur arbor, vbi erat aries quem accepit Abraham, & immolauit pro filio ſuo Iſaac. 581,a
Per arborem illam deſignatur myſterium S. Crucis. ibid.b. 582,a
Qualis fuerit arbor, ſub qua Abraham Angelos excepit. 783,b. 784,a & b. 785, a & b
Abraham in Sichem obtulit ſacrificium, quod fuit primum in Terra ſancta oblatum. 809,a. 810,a & b
Quatuor apparitiones Abrahæ facta referuntur. 809,a
Locus ſepulchri ab Abraham empti. 772,a
Quare appellatus fuerit ſpelunca duplex. ibid.b
Cur Abraham elegerit hanc ſpeluncam pro ſepeliendo vxore ſua. ibid.& 773,a
Abraham & Sara in ſpelunca illa ſepulti ſunt. 773,a
Item ibidem Iſaac & Rebecca tumulati ſunt. ibid.
Lia etiam & Iacob. ibid.
In loco huius ſpelunca Helena Eccleſiam & Monaſterium ædificauit. ibid.

Forma Ecclesiæ. ibid.
Magno in honore habetur à Turcis. ibid.
Ibidem est castellum custatis. ibid.b
Alia descriptio ex Adamnano nonnihil diuersa. ibid.
Abrahami spelunca duplex, fuit figura Sepulchri Christi. 521,a

Absalom.

Situs & forma sepulchri Absalonis. 249.b
Quid sit Absalonis sepulchrum, & quæ eius nomina. 250,a
Prima opinio ait fuisse marmoream columnam. ibid.
Refellitur. 251,b
Secunda dit fuisse mannm. 250.a
Refellitur. ibid.& 252.b
Tertia opinio secundæ similis refellitur. 250,a & b
Quarta dicit fuisse marmoream imaginem. ibid b
Refellitur. 251,a & b
Respondetur argumentis pro quarta sententia adductis. 252,b.253,a
Quinta sententia dicit fuisse magnum & pulchrum ædificium. 251,b
Refellitur. 252,a
Sexta asserit fuisse marmoreum monumentum absque statua. ibid.
Absalom sepulchrum dictum, quia ab eo excisum, vt in eo tumularetur. 253,a & b
Probabile est fuisse in eo sepultum. ibid.b.254,a
Adrichomij sententia de loco sepulchri Absalom refellitur. 254.a
Est ad Orientem vrbis. ibid.
Ab omni parte scatet lapidibus, quos transeuntes in ipsum proiciunt, quasi vindicantes Absalonis rebellionem contra parentem proprium. ibid.
Quatuor sententia de causa erectionis tituli Absalom. ibid.b. 255,a & b
Disputatur, an Absalom peccauerit in erectione tituli. 256,a & b. 257,a & b
Non peccauit peccato idololatriæ. 257,a
An alio peccato peccauerit, incertum est. ibid.b

Abyron, *vide* Ptolemais.

Abyssini.

Abyssini inter Orientales deuotiores esse putantur, & Turcarum Sultano gratiores. 557,b

Accaron, *vide* Ptolemais.

Accho, Aco, Acri, *vide* Ptolemais.

Aceldema, *vide* Haceldema.

Acetum.

Ad quid delatum fuerit vas illud aceto plenum in passione Christi; & ad quid milites acetum Christo propinauerint. 420,b

Achaz.

Achaz quomodo filios suos idolo Moloch per ignem sacrificauerit. 275,a & b
Achaz fuit decimusquartus Rex Ierusalem. 47,a
Impiissimus fuit, & proprium filium idolo Moloch in holocaustum obtulit. ibid.
Regnauit sedecim annis. ibid.

Acra.

Non in Acra, sed in monte Sion sese munierunt Antiochi milites. 116,a & b

Adam, Heua.

Extra paradisum Adam plasmatus fuit. 777,b
Vbi peculiariter Adam plasmatus fuerit. 778,a
Aliqui dicunt in campo Damascene prope Damascum Syriæ. ibid.
Reiicitur. ibid.
Alij dicunt conditum fuisse apud Hebron. ibid.
Reiicitur. ib.d.
Quidam assignant pro loco determinato agrum Damascenum prope Hebron. ibid.& b
Reiicitur. ibid.b.779.a
Locus prope Damascum vbi aliqui volunt Adam esse plasmatum. 877.a
Homo è terra conditus fuit, ne superbiret. 778.b
Alij dicunt, & probabilius, Adam plasmatum fuisse in agro Damasceno Mesopotamiæ. 779,a
Adam nominis interpretatio. 778,b
Adam & [illegible] eiecti de paradiso, habitarunt primò in regione eidem proxima, in Eden, sicut & filij eorum. 779,b.780,a
Deus per hoc primos parentes induxit ad diaboli & peccati odium, & ad pœnitentiam. 779,b
Diuina in primos parentes misericordia. ibid.
Deus paradisum cur condidit, à quo breui Adam & Heua eiiciendus erat? 780,a
Primi parentes ex regione Eden venerunt in Iudæam, & in ea habitarunt. ibid.b
Prolixus Ada fletus, & propositum non cognoscendi vxorem suam, seu non generandi. ibid.& 781,a & b
Aliqui dicunt Adam in India fecisse pœnitentiam. 781,b
In pluribus locis egit pœnitentiam. ibid.& 782,a
Ex qua arbore comederint primi parentes; & ex cuius arboris foliis fecerint sibi perizomata. 936,a & b
Primi parentes exhorruerunt arborem, ex cuius fructu comederunt. ibid.b
Sacelli Adæ in templo Resurrectionis forma. 481,a
Locus calvariæ Adæ ex traditione illarum partium. ibid.b
Ratio nominis sacelli Adæ. ibid.
Epitaphia in introitu sacelli Adæ. 482
Scriptura supra Adæ sacellum. 483,a & b
Sacellum Adæ quare in Processione templi Resurrectionis non inuisatur. ibid.b
Tatianus asseruit, Adamum post mortem æternæ damnationis sententiæ adiudicatum fuisse. 484,a. 485,a & b
Adam & Heua salnati sunt. 484,b.485,a & b. 486,a & b
Dicta de Adæ salute, etiam intelligenda sunt de salute Heuæ. 485,a
Adam quare punitus sit à Deo. ibid.b
Si Adam salutem est à Deo consecutus, quare Ecclesia illum non adscripsit catalogo Sanctorum? 486,b. 487,a
An corpus Adæ, vel eius caput, fuerit sepultum in monte Calvariæ, vel in Hebron. 487, b vsque ad 493,a
Quidam dicunt Adam in Hebron esse sepultum. 487,b. 488,a & b
Adam in monte Calvariæ sepultum esse dicunt quidam Auctores. 489,a & b. 490,b
Alij dicunt Adamum quidem fuisse sepultum in Hebron, sed postea corpus eius, vel partem, puta caput, Ierosolymam translatum fuisse, & in monte Calvariæ tumulatum. 489,b. 490,b. 493, a
Adam & Heua quomodo venerint in Iudæam, iuxta quorundam opinionem. 489,b.490,a
Adam & Heua non fuerunt monstra, neque nimis procera statura. 490,a.491,a
Aliqui dicunt Noë habitasse in Iudæa, & in arcam, impendente diluuio, detulisse ossa Adami; eaque deinde post diluuium arcâ egressum, suis filiis

gitized by Google

filiis distribuisse, ut calvariam Adæ dedisse primogenito suo Sem, & terram assignasse Iudeam; atque ita posteritatem Sem eamdem calvariam Adæ in eiusdem sepulchro ibi præparato reposuisse. 490 b
Probabile est Adam mandasse filiis, ut suum corpus in Iudea sepelirent. 491,a
Item, probabile est, propter Adæ caput in Calvaria sepultum, ad pedes crucis, seu crucifixi, appingi crevisse. ibid.
Respondetur ad fundamentum dicentium, Adam in Hebron sepultum esse. ibid.b.492,a & b. 493,a
Nomen Adam *commune est ad quemlibet hominem.* 491,b. 492, a & b

Ader.

Nomen turris Ader de tribus locis enuntiari potest. 684,b.
Turris Ader quare dicatur nebulosa & filia Sion. 685,a & b. *Vide* Pastorum villa.

Adomim.

Adomim locus, & eiusdem nominis interpretatio. 736,a
Perhibetur, ibi hominem ab Ierusalem in Iericho descendentem incidisse in latrones. ibid.
Rejicitur, & ostenditur non fuisse veram historiam, sed parabolam. ibid. & b

Adonisedec.

Adonisedec secundus fuit Rex Ierusalem ante ingressum Iudæorum in Terram sanctam. 44,b
Explicatur S. Hieronymus. ibid.

Adulterium.

Adulterij magna infamia. 597,b

Ædes sacræ, *vide* Ecclesia.

Ædificia.

Ædificia laudari possunt ab intrinseco & extrinseco. 553,a

Ægrotare.

Ægrotare provenit ex mala natura complexionis. S. Maria nunquam ægrotavit. 210,a. 214,a. 215,a. 221,b

Ægyptus.

Duplici via ex Iudæa in Ægyptum iri potest, maritimâ & terrestri. 919,a
Maritima via longitudo. ibid.
Terrestris via conditio. ibid. & 920,a
De longitudine viæ terrestris variæ opiniones proponuntur. 919,b. 920,a
Via illa partim ad Terram Chanaan, partim ad Ægyptum pertinet. 920,a
Latius describitur via illa terrestris. 930,a & b
Terrestre iter peregit B. Virgo cum puero & sponso eundo in Ægyptum ex Nazareth. 920,b
Non iit per Arabiæ desertum, sed per viam Philisthinorum. ibid. & 921,a
Peregrinationis Mariæ & Iesu notabiles eventus. 921,a
Ægypti idola corruerunt ad Christi ingressum. ibid. & b
Hermopolis fuit primus locus mansionis B. Mariæ in Ægypto. ibid. b
Christum ibidem adoratur, & Deus deorum prædicatur. ibid.
Idolorum destructio præfigurata & prænuntiata fuit. 922,a & b
Arbor eximia se inclinans Christum venerata fuit. ibid. b
Item palma, quæ & fructum præbuit. ibid. & 923,a. 948,a
A prædone benignè hospitio excipiuntur Iesus, Maria & Ioseph, qui mirando hospitalitatis mercedem accepit. 923,a
Alia referuntur mirabilia. ibid.
Deipara cum puero & sponso in pluribus Ægypti locis habitavit. 949,b
De tempore mansionis B. Mariæ in Ægypto, variæ sententiæ afferuntur. ibid. & 950,a
Sycomorus Deipara, Christo & Ioseph Ægyptum intrantibus se inclinavit. 951,a
Alia memorabilia referuntur. 950,a & b. 951,a
Vide sub titulo Christi fuga in Ægyptum.
Ægypti situs & conditio. 937,b. 938,a & b
Est pars Æthiopiæ. 938,a
Ex omni parte desertis circumdatur. ibid.
Forma terræ Ægypti. ibid.
Circuitus eiusdem. ibid.
Aëris salubritas, & terræ fertilitas. ibid. & b
Portus Ægypti. ibid. b
Ex aquæ abundantia vel inopia Ægypti proveniunt. ibid.
Mulieres ibidem fecundissimæ sunt. 939,a
Rarò pluvia, grandines, fulmina & tonitrua sunt in Ægypto. ibid. & b
Ægypti duplex acceptio. ibid. b
Ægyptus, prout est terra portio, à Noë filiis suis tributa, suis primò à Adæsraim nepote habitata. ibid.
Postmodum hæc regio vocata fuit Ægyptus ab Ægypto Danai fratre. 940,a
Aliquorum opinio rejicitur de antiquitate Ægyptiorum. ibid. & b
Solvuntur argumenta contra hoc quod dictum est, Ægyptum sic dictam esse ab Ægypto Danai fratre. 941,a & b
Ægypti nomina, & eorum ratio. 942,a
Ægypti calamitas ex Nilo defectu. 933,a
E Nilo tota vivit Ægyptus, & tota ab eo alitur. ibid. b. 934,a
Ægyptus plana est, Chanaan montosa. 934,a
De Fratribus Minoribus, qui pro fide Christi in Cairo & Ægypto mortem obierunt. 944,a & b. 945,a & b. 946,a & b
Ægyptus vocatur terra Cham; & quare. 917,b. 928,a
Iudæi in Ægyptum fugiunt. 918,a
Ieremias cum Iudæis in Ægyptum proficiscitur, ubi multa prædixit. ibid. & b
Ægypti pyramides inter mundi miracula recensentur. 127,a. 951,a & b
Vide plura sub titulo Pyramis.

Ægyptij.

Mos condiendi & condendi corpora apud Ægyptios. 525,b. 528,b. 953,a
Credebant Ægyptij Resurrectionem. 953,a
Vanitas, instabilitas & idololatria Ægyptiorum. 940,b
Adventu Iesu & Mariæ sanati sunt. ibid.

Ælius Adrianus.

Ælius Adrianus civitatem Ierusalem penitus destruit, occisis multis Iudæorum millibus, ac locum civitatis excisa sale aspergi jubet. 40,b. 107,b
Eandem readificat, ac Iudæis ingressum interdicit. 40,b
A suo nomine Ælio vocat illam Æliam Capitoliam. ibid.
Intra urbis pomeria clausit loca sancta illi vicina. 41,a

Ælius Adrianus cur porcum insculpserit portæ Bethlehemiticæ. 595,b

Aën.

Aën an fuerit ciuitas Zacharia patris S. Ioannis Baptistæ. 705,b

Æneas.

Æneam paralyticum sanauit S. Petrus in ciuitate Lyddæ. 9,b

Æneæ sepulchrum licet vnicum sit, plura tamen fuisse aliqui scribunt. 247,a

Æstimare, Æstimatio.

Regio aliqua vnde æstimetur. 543,b. 544,a

Affectiones.

Affectionum corporalium nomine de Deo enuntiantur. 219,a

Ager Damascenus, *vide* Damascenus ager.

Ager figuli, *vel* sanguinis, *vide* Haceldema.

Aggæus.

Aggæus sepultus est Ierosolymis. 306,b

Agnes.

Agnes Romana, Abbatissa Monasterij S. Mariæ Magdalenæ Ierosolymis, sanctitate & sanguine illustris fuit. 577,a

Agnus paschalis.

Agnus paschalis fuit figura Eucharistiæ, & sacrificij Crucis. 385,b

Quare agnus paschalis debebat immolari inter decimamquartam. ibid.

Ahialon.

Ahialon vndecimus Iudex populi Israël. 728,b

Alapa.

Locus in quo Christus alapa percussus est, *vide sub titulo* Annas, & Pilatus.

Qui Christo alapam dedit, non est superstes, sed rationabilis & conformis ad S. Scripturam in inferno detinetur. 184,b vsque ad 196.

Vide reliqua sub titulo Caiphas, & Pilatus.

Alcoren.

Alcoren locus inter Cathuam & Cairum. 930,a

Alexander.

Alexander Iannæus præfuit Iudæis. 49,b

Alexandri Magni reuerentia & pietas erga templum. 906,b. 907,a

Fr. Alexander, Italus laicus Capucinus, Cairi pro Christi fide interimitur. 945,a & b

Alexandra.

Alexandra, Alexandri vidua, præfuit Iudæis. 49,b

Alexandria.

Via Alexandrinæ conditio. 1008,b

Ratio nominis Alexandriæ ciuitatis. ibid.

Alexandria fuit celeberrima ciuitas. ibid. & 1009,a

Insignes in ea viri floruerunt. 1009,a

Præsentis illius status conditio. ibid.

Pyramides ibidem cum hieroglyphicis. ibid. & b

Item, Pompeij columna, & eius forma. ibid. b

De ratione nominis columnæ Pompeij, varia opiniones referuntur. ibid. & 1010,a & b

Ecclesia S. Marci Alexandriæ forma. 1011,a

Ibi suggestum est, in quo S. Marcus prædicabat. ibid.

Alexandriam missus fuit S. Marcus. ibid. b

Alexandrina Sedes est secunda Patriarchalis. 1012,a

Oratoria varia ibidem. 1014,a & b

Creditur Alexandriæ in Ecclesia S. Michaëlis esse imago S. Mariæ Virginis à S. Luca depicta. ibid. b

Alleluia.

Cur in Septuagesima omittatur Alleluia. 486,b

Almericus.

Almericus quonus fuerit Patriarcha Ierosolymitanus. 483,b

Altare.

Reliquiæ Sanctorum in altaribus recondi solent. 139, a & b

Alus.

Alus fuit decima mensis Israëlitarum. 987,a

Amalec.

Amalec Israëlitis primum mouit bellum, & errante Moyse ab iisdem superatur. 989,a

Amalphitani.

Amalphitani ante ianuam Ecclesiæ Dominicæ Resurrectionis Monasterium erexerunt in honorem S. Mariæ Virginis. 577,a

Amasias.

Amasias fuit vndecimus Rex Ierusalem. 46,b

Bellum mouit Ioa Regi Israël, à quo superatur, & capitur. ibid.

Fugit in Lachis, & à suis occisus est. ibid.

Regnauit viginti nouem annis. ibid.

Ammiratus.

Ammiratus ab aliquibus putatur fuisse destructor templi Resurrectionis 364,b

Amnon.

Amnon interfectus fuit in villa Baalasor. 719,a

Amon.

Amon, qui & Helmadan, fuit decimus septimus Rex Ierusalem. 47,a

A seruis suis occiditur. ibid. b

Regnauit duobus annis. ibid.

Amor.

Malum punicum est amoris symbolum. 468,b

Deus super omnia diligendus est, & quare. 225,a

Amor carnalis, *vide* Luxuria.

Amos.

Amos Thecua natus ab Ozia filio Amasiæ vltra per tempora transfixus, feminimus in patriam deuectus, ibidem mortuus & sepultus fuit. 306,b

Amos Sirach duodecimus Dux Iudæorum. 49,a

Ananias.

Situs & forma domus Ananiæ qui Paulum baptizauit. 877,b

Ibi Dominus Ananiæ in visu apparuit. ibid.

Olim fuit à Christianis conuersa in Ecclesiam. ibid.

Nunc redacta est in Mesquitam Turcarum. ibid.

Turcæ ibidem turrim ædificare tentantes, non potuerunt, quia semper corruit. 878,a

Ichnographia vestigij Ecclesiæ domus Ananiæ. ibid.

Ananias dicitur sepultus in domo Iudæ hospitis S. Pauli. 879,a

Anathoth.

Ieremias in Anathoth natus fuit. 15,a & b

Anathoth an sit & debuit dici vicinus. ibid. b. 16,a

Ancona.

Ancona erecta est Ecclesia ad honorem S. Stephani; ibique seruatur vnus lapis quo lapidatus fuit. 294,b

Ancyra.

Ancyra multiplex inuenitur. 647,a

Duo in Ancyra Galatiæ sunt celebrata Concilia, vnum semiarianum, alterum Catholicum. ibid. & b

Catholici Concilij causa. ibid. b

Ancyra est sita in mediterraneo Minoris Asiæ. ibid.

Quot fuerint in Concilio Catholico Ancyrano Episcopi, & quæ determinata. 648,a & b. 649,a

Ancyra-

Ancyranum Catholicum Concilium proponitur Nicæno primo; & quare. 649,a

Andromeda.

Andromeda & Perſei relatio an hiſtoria, an fabula ſit. 5,a & b

Andropolis.

Andropolis ſepulchrum ſignificat; & eius etymologia. 128,a

Angeli petra, *vel* capella, *vide* Chriſti Sepulchrum.

Fr. Angelus.

Fr. Angelus à Meſſana viginti quinque annis laudabiliter vixit in Terra ſancta. 64,a

Concionator fuit, & in Arabica lingua verſatus. ibid.

Omnibus etiam ſchiſmaticis & Turcis charus fuit. ibid.

In cæterem coniectus eſt ob conſervationem locorum ſanctorum. ibid.

Eius pietas & devotio erga loca ſancta. ibid.

Eccleſiæ Sacramentis munitus in Domino obdormivit. ibid. b

Sepultus eſt in monte Sion. ibid.

Animæ.

Animæ ſtatim poſt mortem determinata habent receptacula. 191,b. 192,a & b

Iuſtorum animæ poſt mortem ſtatim in cælum, damnatorum vero ſtatim in infernum mittuntur. ibid.

Dæmones animas defunctorum ſimulant, vt decipiant. 188,a & b

Anima ex Purgatorio interdum poſſunt redire, at non illæ ex inferno. 192,b

Animas mortuorum vivis apparere, eſt magnum miraculum. 193,a & b

Anna.

Patria Anna & Ioachim creditur fuiſſe Sephoris. 852,b

Anna, Deipara mater, & eius ſorores fuerunt oriundæ ex Bethlehem. 621,a & b

S. Anna fuit naturalis mater Deiparæ Virginis. 103,b

Domus S. Annæ, in qua concepit & peperit Deiparam, fuit Ieroſolymis. ibid. b

Domus illa in Eccleſiam conuerſa fuit: cuius forma deſcribitur. 104,a & b

In loco iſto meritis B. Annæ criminum ſuorum veniam conſequuntur fideles. ibid. b

Ibidem non poſſunt habitare Turcarum mulieres. 105,a

S. Anna Deipara genitrix quomodo poſſit dici eraſſe in Sancto ſanctorum. 84,b. 85,b

S. Annæ ſacellum & ſepulchrum. 240,a

Annas.

Chriſtus in Anna domum primùm introductus fuit non per portam Auream, ſed Stercoliniam civitatis. 171,b. 172,a

Geſta in domo Annæ circa Chriſtum referuntur. 172,a

Ab Anna ad Caipham mittitur Chriſtus. ibid.

In domo Annæ Chriſtum alapâ percuſſum fuiſſe communis eſt ſententia, & vetus traditio. ibid. & b

Chriſtus ad oleum legatur in domo Annæ. ibid. b

Conditio illius olim deſcribitur. ibid.

Domus Annæ in Eccleſiam conuerſa fuit, & ſanctis Angelis dicata; & ab Armenis inhabitatur. ibid.

De loco, in quo Chriſtus fuit alapâ percuſſus, duæ ſunt ſententiæ. 173,a

Prima dicit id factum fuiſſe in domo Caiphæ. ibid.

Secunda ſententia cum ſuo fundamento eſt tenenda, ſcilicet id factum eſſe in domo Annæ. ibid. & b

Reſpondetur ad argumenta contraria ſententiæ. ibid. b. 174. a & b

Annas fuit præfectus Concilij Sanedrim. 174,a

Cur Ioannes alapæ Chriſti meminerit, & non alij Euangeliſtæ. 175 a

Ratio dubitationis proponitur circa eiusdem, ad quam Chriſtus in domo Annæ ligatus fuiſſe traditur. ibid.

Reſpondetur. ibid. b

Quo hora Chriſtus ad Annam ductus fuerit. ibid.

Domus Annæ & Caiphæ veterâ fuerunt diſtincta. 176,a

Eandem fuiſſe ſenſit Euthymius. ibid.

Reprobatur. ibid. b

Quantum diſtet domus Annæ à domo Caiphæ. 177,b

Annuntiatio, *vide* S. Mariæ Annuntiatio.

Fr. Anſelmus.

Fr. Anſelmi à Mantua ex Ordine FF. Minorum zelus, doctrina & pietas. 945,b

Mittitur Cairum in Ægypto, item Aleppum in Syria; & cum fructu prædicat. 946,a

Hieronymum iuuenem Aleppenſem in via virtutis & perfectionis inſtruit. ibid.

Imago B. Mariæ in Bethlehem dicitur Fratrem Anſelmum fuiſſe allocuta. ibid.

Ex Aleppo Ieroſolymam reuerſus, inde in Cairum mittitur ad prædicandum. ibid. b

Piè & ſuauiter in Domino moritur, & in marmoreo monumento ſepelitur. ibid.

Antichriſtus.

Explicatur, quomodo Antichriſtus figet tabernaculum ſuum Apadno inter maria, ſuper montem inclytum & ſanctum. 721,a. vſque ad 727.

Antichriſtus ponet thronum ſuum in Ieruſalem. 721,a

Prius tamen regnabit in Babylone. ibid. b

Iudæi Antichriſtum vt Meſſiam recipient. ibid.

Regnabit in fine Ieroſolymis. ibid.

Enoch & Elias ab ipſo Ieroſolymis occidentur. ibid.

In monte figet Antichriſtus ſolium; & in quo. 724,a & b

Antichriſti ſuperbia. ibid. b

Quomodo intelligendum ſit de Antichriſto illud Pauli 2. Theſſal. 2. v. 4. Ita vt in templo Dei ſedeat, oſtendens ſe tamquam ſit Deus. 724,b 725,a & b. 726,a

In monte Oliueti occidetur Antichriſtus. 726,a & b

Tyranni tradit Antichriſtum in monte Sion a Deo interimendum eſſe. 119,a

Quales fideles futuri ſint Ieroſolymæ tempore Antichriſti. 466,a

Antiochia.

Antiochiæ nomen de tredecim vrbibus enuntiatur. 913,a

A quibus vrbes illæ conditæ vel reſtauratæ fuerint. ibid.

Antiochia Syriæ quid ſit, & à quo ædificata fuerit. ibid. & b. 914,a

Diſtinguitur Antiochia Syriæ ab Antiochia Piſidiæ. 913,b

Emath minor & maior etiam Antiochia nomine vocantur. ibid.

Nomina varia Antiochiæ. ibid.

Naturali ac ſupernaturali munere celebris eſt. 914,a

In opimo ſolo ſita eſt, & aquis abundat. ibid. & b

Intra cinctum ambitumque duo ſunt excelſi montes. ibid. b

Distantia Antiochiæ à mari. ibid.
Turres & ædificia ex lateribus constant. ibid.
Ecclesia ibi fuit S. Petri. ibid.
Deipara & Ioannis Euangelistæ præsentiâ decorata fuit Antiochia. ibid. & 915,a
Nunc fert desolata est, & à Turcis & schismaticis inhabitatur. 915,a
Fuit vna ex ciuitatibus quæ Christi Euangelium primò susceperunt. ibid.
S. Petrus Ecclesiam visitat, & Antiochiam regit. ibid.b
Ibidem fundat Ecclesiam, cui septem annis præfuit. ibid.
Antiochiæ Apostoli Synodum celebrarunt. ibid.
Cur S. Petrum Ecclesia Antiochena præfectum fuerit. ibid.
Cur Antiochena Ecclesia aliis prælata fuerit. ibid. & 916,a & b
Gentilium & Iudæorum Antiochia magnum fuit concursus. 916,a
Ecclesia Antiochena magnus progressus. ibid. & b
Fideles ibi primò dicti sunt Christiani. ibid.b
Enumerantur Sedes Episcopales Antiochenæ Patriarchæ subiectæ. ibid.
Qui nunc Antiochiæ Patriarchæ dicantur. ibid.
De quadam vrbis Antiochenæ strage, plurimum fidelium & aliquorum Monasteriorum cede, ac Conventuum demolitione. 917,a & b
Multæ ciuitates Antiochiæ nomine insignitæ sunt; sed inter istas præcipua censetur Antiochia Syriæ. 649, b
Patriarchalis Sedes ac Concilijs decorata fuit. ibid.
Decem Concilia Antiochiæ celebrata fuerunt. ibid. & 650, a
Concilium II. & III. Antiochenum quanta fuerit auctoritatis; & quid in illis Patres statuerint determinatum fuerit. 650,a & b. 651,a
Antiochiam translata est lancea Christi. 421,a
Obsessâ per Carbeam ciuitate, diuinitus revelatur lancea Christi, & victoria contra hostes obtinetur. ibid. & b

Antiochus.

Antiochus contra Ierusalem ac Iudæos sæuitiam exercet. 115,b. 116,a

S. Antonius à Padua.

S. Antonij à Padua prophetia de quodam futuro Martyre, dicto Fratre Philippo. 924,b

Aod.

Aod secundus Iudex Israel. 728,b

Apadno.

Apadno dicitur iuxta Emmaus esse, sed nulla extat memoria. 721,b
De Apadno Porphyrij hæretici sententia refutatur. ibid. & 722,a
De Apadno quinque sunt Catholicorum sententiæ. 722, a
Prima dicit esse nomen proprium loci iuxta Emmaus, vbi Antichristus tabernaculum figet. ibid. & b
Secunda ait esse nomen commune loci. ibid.b
Tertia asserit esse nomen commune ornamenti. ibid.
Quarta tenet esse nomen proprium Regiæ seu palatij Antichristi. ibid.
Quinta dicit esse nomen commune, appropriatum tamen vel palatio Antichristi, vel ipsi Ierosolymæ. ibid. & 723,a
Apadno nominis etymon. 721,b
Quomodo Antichristus dicatur à Daniele cap. 11. posituros tabernaculum suum Apadno inter maria, &c. 721,b vsque ad 717

S. Apollonia.

S. Apollonia vltrò se in flammas proiiciendo se peccauerit. 900,a. 903,a & b

Apostoli.

Apostoli quare dicti Galilæi. 93. b
Latibulorum, in quibus se Apostoli absconderunt tempore Passionis Christi, quando eo relicto fugerunt, situs & nomina varia. 283,a
Principalis latibuli forma. ibid. & b
Pro sacello olim deseruiebat; & interdum nunc ibi Missa celebratur. ibid.b
Ibidem est sepulchrum Christi Sepulchro persimile. ibid.
In eum ibi sepeliuntur corpora Græcorum Monachorum, & aliorum vtriusque sexus Religiosorum. ibid.
Tempore passionis Christi fuit in Apostolis fides. 259,b
Apostoli peccauerunt peccato confessionis fidei. 260,a
Quomodo in triduo mortis Christi dicantur in fide turbasse. 260,a & b. 262,a
Apostoli in templo orabant, & in primatis domibus Eucharistiam distribuebant. 147,b
Diuisione ac prædicatione Apostolorum mundus conuertendus fuit. 132,b
Quo loco facta fuerit diuisio Apostolorum. ibid. & 133,a
De tempore diuisionis Apostolorum variæ sunt sententiæ. 133,a
Prima sententia dicit Apostolos statim post Ascensionem & aduentum Spiritus sancti à se inuicem diuisos fuisse. ibid.
Refellitur. ibid. & b
Secunda ait id factum esse post annos duodecim ab ascensione Christi. ibid.b
Refellitur. ibid. & 134,a
Sententia Auctoris proponitur. 134,a & b
Respondetur argumentis in contrarium adductis. ibid.
Quomodo Apostolorum diuisio facta fuerit. 134,b. 135,a & b
Peculiari Spiritus sancti instinctu in diuersas Prouincias profecti fuerunt. 135,a
Apostoli vbi, & quando celebrarint primum Concilium. 121,b
Vbi, qua occasione Apostoli Symbolum composuerint. 302,a & b. 303,a & b
Apostolorum in doctrina fidei per vniuersum mundum prædicanda consensio. 303,a
Quomodo Apostoli ad Deipara obitum conuenerint. 146,a
Ecclesia sanctorum Apostolorum in loco cœnaculi Christi ædificata. 119,a. 121,b
Vocatur Ecclesia Sion. 121,b
Vide plura sub titulo Sion Ecclesia.
Apostolorum Ecclesia in ciuitate Senonensi. 88,b
Fontis Apostolorum situs & forma. 735,a & b
Ratio nominis. 736,a.

Aqua.

Aqua, qua ablutum fuit mortuum Christi corpus, delata fuit ad Flandros per Abbatem S. Bertini. 527, b
De aquis è petra per Moysen eductis, vide sub titulo Moyses.
Aqua per terram ex abyssis emanans dulceratur. 931,b
Quomodo aqua maris dulcis reddatur. 982,a & b.

Aqua fuerunt in templo Ieroſolymitano. 298,a
Erat in templo aquarum receptaculum mare aneum dictum. ibid.
Item, fuit fons aquarum viuarum in parte Meridionali templi. ibid.b
Exitus aquarum templi, & terminus. ibid.
Aquis doctrina & gratia Chriſti homines purgantur. 283,b

Aquæductus.

Aquæductus nominis ſignificatio. 715,1

Aquiſgranum.

Ab Aquiſgrano transfertur ſudor Chriſti per Capellam Calnum in Picardiam. 533,a

Arabia.

Arabia montes refugium fuerunt Chriſtianorum in perſecutionibus. 1013,b

Arad, Ared, *vide* Paſtorum villa.

Arbe.

Arbe fuit maximus inter Gigantes. 491,b

Arbor ſcientiæ boni & mali.

Cuiuſnam ſpeciei fuerit arbor ſcientiæ boni & mali, incertum eſt. 936,b
Arbor ſcientiæ boni & mali fuit figura Calvariæ montis. 352,a

Arbor vitæ.

Arbor vitæ fuit figura Sepulchri Domini. 352,a

Area.

Area fœderis dicitur præſentia diuinitatis. 43,b
Dimidium arcæ erat in ſorte Beniamin, & alterum dimidium in ſorte Iudæ. ibid.
Arca Deiparam ſignificat. 832,b

Arcadius Auguſtus.

Arcadius Auguſtus corpus Samuelis Prophetæ tranſtulit in Thraciam. 727,b

Arcus Pilati, *vide* Pilatus.

Arena villula.

Arenæ villulæ ſitus. 855,a

Aries.

Chriſtus in cruce pendens deſignatur per arietem hærentem cornibus inter vepres, quo loco Iſaac immolatus fuit. 581,a&b 582,a

Arimathæa.

Arimathæa, Ioſephi nobilis decurionis patria, an ſit Rama. 7,a&b 8,a

Arius.

Contra Arium celebrata fuit Synodus Nicæna prima. 658,a&b 659,a&b
Arij infelix & ſubitus obitus. 659,b

Ariani.

Synodus Sardicenſis celebrata fuit, vt Ariani compellerentur adeſſe, & vt Epiſcopi de ſuis Sedibus expulſi, ab Arianis eiſdem iuriſdictè reſtituerentur. 651,b.652,a
Ne Ariani ſe à Concilio ſubtraherent, ad Imperatorem recurrunt. 652,a
Ariani ægrè ferunt Athanaſium ab Euſebianis damnatum ad Romanum Pontificem appellaſſe. ibid.

Ariſtobulus.

Ariſtobulus Rex præfuit Iudæis. 49,b

Armagedon.

Armagedon & Magedon pro eadem ſumuntur. 816,b

Arnon.

Miraculum in Iudæorum gratiam factum in tranſitu torrentis Arnon in deſerto. 741,a&b

Artemiſia.

Artemiſia ſumptuoſiſſimum & artificioſiſſimum ſepulchrum viro ſuo ædificauit. 127,a

Arundo.

Cur milites arundinem Chriſto pro ſceptro dederint. 433,a
Sacra arundo Conſtantinopolim ad Imperatorem tranſlata fuit. ibid.b
In manus ac poteſtatem magni Turcæ poſtea deuenit. ibid.

Arx Sion, *vide* Sion.

Aſa.

Aſa fuit quintus Rex Ieruſalem. 46,a
Idolorum ſtatuas & aras deſtruxit. ibid.
A Domino defecit confiſus in viribus humanis, ac impœnitens mortuus eſt. ibid.
Regnauit. xxxv & quadrageſimo anno. ibid.

Aſaël.

Aſaël Rex Syriæ expugnat Iudæos. 46,b

Aſcalon.

Aſcalonis ciuitatis ſitus & conditio. 915,a
Numquam à Iudæis poſſeſſa fuit. ibid.
Sæpe deſtructa fuit. ibid.
Herodes Aſcalonitâ Aſcalone natus fuit. ibid.
Philiſthæi ibi à Samſone cæſi fuerunt. ibid.
Aſcalonita ſuperbi & crudeles fuerunt. ibid.

Aſcenſio Domini.

Procedendo ex monte Oliueti ad locum Aſcenſionis Domini, eſt locus vbi Chriſtus prædixit templi & Ieruſalem deſtructionem, qui ab Helena Eccleſiâ fuit inſignitus. 307,a&b
Ex monte Oliueti Chriſtus in cœlum aſcendit. 309,a
Pedum Chriſti veſtigia in rupe impreſſa. ibid.&b
Eadem ſemper remanent veſtigia, etſi à fidelibus eraſa. ibid.b
Aſcenſionis Eccleſia non potuit claudi, ſeu cameratri. ibid.
Domini veſtigia nec pedibus equorum tempore obſidionis Ieroſolymæ delata vel fruſta fuerunt 310,a
Forma Eccleſiæ Aſcenſionis, & illius memorabilia. ibid.&b
Annuum miraculum. ibid.b.311,a
Duæ columnæ & memoria in Eccleſia Aſcenſionis. 311,a&b
Pauimentum operimentum reſpuit. 309,b.310,a. 311,b
Eccleſia ab Helena ædificata fuit. 311,b
An in rupe, an in pulvere Chriſti veſtigia impreſſa fuerint. 312,a
Antiquiores in pulvere, recentiores in rupe vel lapide impreſſa fuiſſe dicunt. ibid.
Conciliantur a Greſſero. ibid.
Conciliationis confirmatio. ibid.&b
Alius conciliandi modus. ibid.b
Brocardus explicatur. ibid.&313,a
Prædicta miracula nunc temporis non ceruntur. 313,a
Præſens ſtatus loci Aſcenſionis. ibid.
Dextrum pedis Chriſti veſtigium ablatum eſt, ſiniſtrum verò remanet. ibid.&314,b
Sacellum nunc eſt clauſum & cameratum. 313,b
Adferuntur ea quæ ſuffragantur dictis de incorrupto veſtigio. ibid.
Præſens Eccleſia non eſt illa vetus. 314,a
Indiſcreta fidelium pietas circa veſtigia Saluatoris in monte Oliueti relicta. ibid.
Veſtigium relictum eſt ſiniſtri pedis Domini, & digitis Aquilonem reſpicit. ibid.
Chriſtus verſâ ad Aquilonem facie aſcendit in cœlum. ibid.

Fr. Anſelmus Minarita refellitur. ibid.
Argumentum probare conantes, quòd Chriſtus non ad Occidentem facie verſa aſcendit. ibid.
Item argumentum probans, quòd ad Orientem verſa facie aſcendit. 315,a
Reſpondetur ad utrumque. ibid.
Doctores conciliantur. ibid.
De loco alterius veſtigij dextri item ablati varia opiniones. ibid.&b
Reſpondetur, ſeruari dextrum veſtigium in muro Meſquitæ Turcarum Ieroſolymis. ibid.b
Chriſtus aſcendens auertit oculos à Iudeis, quia ipſi ei tergo verterunt. ibid.& 316,a
Ad Aquilonem aſcendit Chriſtus, quia ibi ſedem ſuam collocaturus erat. 316,a
Deinde ideò, quia Iudæi reprobandi erant. ibid. &b
Deinde per hoc indicauit ſe noſtrum fore aduocatum. ibid. b
Item, Eccleſia ſedem in Gentibus collocandam. 317, a
Item, ſingulariter Eccleſia ſedem collocandam in urbe Roma. ibid.&b
In loco Aſcenſionis Domini tentabit Antichriſtus ſedem ſuam collocare, ſed ibi à Domino interficietur. ibid. b
Exemplum de quodam nobili, qui in loco, vbi Chriſti veſtigia impreſſa ſunt, corpore & animo præ pietate deficiens, obiit. ibid.& 319,a
Ichnographia Eccleſiæ Aſcenſionis Dominæ. 318
Deſcriptio loci qui dicitur Viri Galilæi. 319, a&b
De ratione illum nominis tres ſunt ſententiæ. ibid. & 320,a

Aſinæ caſtellum, *vide* Caſtellum contra vos.

Aſinus, bos.

De aſino & bone vide ſub titulo Chriſti Natiuitas.

Aſphaltites, *vide* Mare mortuum.

Aſſumptio B. Mariæ, *vide* S. Mariæ Aſſumptio.

Athalia.

Athalia, fœmina regia interfecto, nouo loco Regnum Ieruſalem occupauit. 46,a
Regnauit ſex annis. ibid.
Regno & vita priuatur. ibid.

Athanaſius.

Concilium Sardicenſe celebratum fuit, vt Athanaſius & alij Epiſcopi ſuis Sedibus reſtituerentur. 652,a
Athanaſius iniuſtè ab Euſebianis damnatus, iuſtè ad Romanum Pontificem appellat. ibid.
Id ægrè ferunt Ariani. ibid.
In locum Athanaſij Gregorius Cappadox ab Euſebianis intruſus fuit. ibid.
Athanaſij innocentia magis comprobatur. ibid.

Auguſta, *vide* Sebaſte.

Aurea porta, *vide* Porta aurea.

Azarias, *vide* Ozias.

Azeca.

Azeca ciuitas, & eius nominis interpretatio. 16,b

Azotus.

Azotus vrbs inſignis eſt, & potentiſſima, vna de quinque Philiſthæorum Satrapiis. 923,b
Eius ſitus. ibid.
Azoti montes & turres. 924,a
In ea erat idolum Dagon. ibid.
Acta ibidem referuntur. ibid.
Celebris fuit, & per Chriſtianos Epiſcopali Sede decorata. ibid.b
Fr. Philippus Franciſcanus Azoti pro Chriſto martyrium ſubiit cum aliis multis Catholicis. ibid.

B.

Baalaſor.

Baalaſor villa ſitus, vbi Ammon interfecit Thamar. 719,a

Babylon.

Vetus Cairus Babylon appellatur. 947,b
Babylon duplex eſt, Chaldæa & Ægypti. ibid.
Babylonis Ægypti conditor fuit Cambyſes. ibid.
In Babylone Ægypti eſt Monaſterium S. Ioannis Baptiſtæ. 948,a
Item locus, vbi B. Virgo Maria habitauit, Eccleſia & cœnobio ſanctarum Virginum decoratus eſt. ibid. &b
In Babylone multæ ſunt Eccleſiæ. ibid.b
Perſis interdum dicitur Babylon. 273,b

Balbech.

Bàlbech ciuitas quid ſit. 886,a
Referuntur quæ de Balbech notata & obſeruata ſunt. ibid.&b. 887,a&b

Baldenſel, *vide* Guilielmus.

Balduinus.

Balduinus Ieroſolymorum Rex miſit ad Flandros aquam qua ablutum fuit mortuum Chriſti corpus. 527,b
Balduinus Rex mortuus defertur Ieroſolymam. 535,b
Epitaphium ſepulchri Balduini I. Regis Ieruſalem. 482
Epitaphium tumuli Balduini IV. ibid.

Balſamum, Balſama.

Balſamum quid ſit. 691,a
Arbuſcula balſami Romam tranſlata fuit. ibid.b
Balſamita Engaddi cur dicantur vineæ. ibid.
Balſamum olim erat in vineis Engaddi quæ ad Bethlehem pertinebant. 620,a
Hortus balſami vbi ſitus ſit, & eius conditio deſcribitur. 949,a&b-950,a
Balſami colligendi modus. 950,a
Olim in campeſtribus Iericho balſamum oriebatur. 754,a-756,a

Baptiſmus.

Sacramentum Baptiſmi in Iordane figuratum fuit. 742,b.746,a
Baptiſmus Ioannis gratiam non conferebat, ſed ad eam diſponebat. 746,b
Non in igne, ſed in aqua conficitur Baptiſmus. 562,a
Cur ſuper baptizatos in primitiua Eccleſia frequenter ignis de cœlo miſſus apparuerit. ibid.
Cur Baptiſmus dicatur ſpiritualis ſepultura. 548,a
Num infidelium filij, ſeu proles, poſſint inuitis parentibus baptizari. 58,a
In extremo mortis periculo poſſunt inſciis parentibus baptizari filij infidelium. ibid.&b

Baptiſmus Chriſti, *vide* Chriſti Baptiſmus.

Barachias.

Barachiæ nominis interpretatio. 265,a
Vide reliqua ſub titulo Zacharias.

S. Barbara.

Templum ſanctæ Barbaræ prope montem Libanum. 886,b. 887,b

Fr. Bartholomæus.

Fr. Bartholomæus Martinez, ex Ordine FF. Minorum, pro Chriſti fide à Saracenis à capite uſque deorſum ſectus fuit. 944,a

Digitized by Google

Basilius.

P. Basilius Basilij à Caprarola Præses Terræ sanctæ. 64,b

S. Bassianus.

Propter S. Bassiani corpus Laudæ in Italia omnes præseruantur à lepra. 142,a

Beatitudo.

Beatitudo est vltimum quod natura intellectualis à Deo expectat. 544,b

Inter beatitudinem & fruitionem non est discrimen. ibid.

Distinguitur in inchoatam & consummatam. ibid.

Deus clarè visus & dilectus est causa beatitudinis. 548,b

Beatitudo duplex est, increata & creata. 549,a

Item, beatitudo creata distinguitur in essentialem & accidentalem. ibid.

Beatorum multitudo auget beatitudinem accidentalem. ibid. b

Beatitudo significatur per vinum merum sine permixtum. 472,b. 473,a

Bel, Belus.

Duplex fuit Belus: vnus filius Chus, dictus Nemrod; alter Ægyptus, à quo Ægyptus nomen summ accepit. 941,a&b

Belbes.

Belbes ciuitas inter Cathiam & Cairum. 930,a

Bersabee.

Piscina Bersabee quare sic dicta sit. 596,a

Aliquorum sententia proponitur & reijcitur. ibid. & b. 597,a

Verior ratio nominis Piscinæ Bersabee proponitur. 597,a

Piscina Bersabee quid sit. 597,b. 598,a

Sub alijs nominibus eius fit mentio. 598,a

Forma Piscinæ Bersabee. ibid.

In extremitate Piscinæ Bersabee est fons; cuius origo additur. ibid.b

Via ex Bersabee in Mesopotamiam. 793,a&b

Bendocdar.

Bendocdar Babylonæ Soldanus Syriam vexat. 917,a&b

Iaphan proditerè capit, occisis multis incolis. ibid.b

Item, capit castrum Belfort. ibid.

Obtinet Antiochiam, multis hominum millibus occisis, & pluribus in captiuitatem deductis. ibid.

Benedictio.

Vallis Iosaphat cur dicatur Vallis benedictionis. 151, a&b

Beniamin.

Tribus Beniamin antiquitus in Ierusalem manebat, quia forte ei prouenit. 43,a&b. 44,a

Dimidium Sanctæ sanctorum, item dimidium arcæ in templo erat in sorte tribus Beniamin. 43,b

Cur ex tribu Beniamin & Iuda Reges Ierusalem assumpti fuerint. ibid.

Porta Beniamin duplex est, superior & inferior. 733,b. 734,a

Berytus.

Berytus vrbs maritima describitur. 909,a&b

Olim Episcopalis dignitate insignita fuit. ibid.b

Habitatores huius, præsentis temporis. ibid.

Ecclesia Christianorum ibi in Mesquitam conuersa fuit. ibid.

D. Georgius ibi Regis filiam ab immanissimo draconte, ne deuoraretur, liberasse traditur. ibid.

Circa Berytum cauerna draconis ostenditur quem S. Georgius interfecit. ibid.

Ibidem Ecclesia S. Georgij à Christianis & Mauris in veneratione habetur. ibid.

Ecclesia S. Saluatoris ibidem in Mesquitam conuersa est. ibid.

Refertur miraculum quod circa imaginem Saluatoris in ciuitate ista Dominus operari dignatus est. 910,a&b. 911,a&b 912,a&b

Bethania.

Nominis Bethaniæ etymon. 745,b

Quomodo Maria & Martha dicantur fuisse de castello Bethaniæ. 96,b

Bethania est in Iudæa. ibid.

An in Bethania facta fuerit Magdalenæ conuersio. 96,a. 97,b

Bethaniæ ædificatum Monasterium monialium à Melisenda Regina Ierusalem. 327,a

Vide sub titulo Lazarus.

Bethaniæ nomen multiplex est. 328,a&b

Bethania, ciuitas trans Iordanem. ibid.

Bethania, castellum cis Iordanem. 329,a

Bethaniæ nominis interpretatio. ibid.

Bethania quomodo fuerit castellum Mariæ & Marthæ. ibid.

Situs eius & conditio. ibid.

Bethania nobilissima & veneratione digna, quia fuit Sanctorum habitatio, & Christi hospitium. ibid.

Bethaniam biduo ante mortem quare iuerit Christus. 330,a

Lapidis Bethaniæ forma & nominis ratio. ibid b

Sacellum olim circa hunc lapidem extructum fuit. ibid.

Lapis iste apud omnes est in veneratione. 331,a

Non imminuitur, tametsi ex pietate particulæ à visitantibus accipiantur. ibid.

Dicitur lapis Colloquij seu Dialogi. ibid.

Bethauen.

Locus qui Luza vel Bethel dicebatur, quare appellatus fuerit Bethauen. 794,a. 795,b. 796,a

Bethauen nominis significatio. 794,a&b. 795,b

De loco Bethauen duæ sunt sententiæ. 794,b

Prima est loca plura dicta fuisse Bethauen. ibid.

Item, Bethauen aliam esse ciuitatem, aliam solitudinem. ibid.

Item, ante Ieroboam fuisse locum Bethauen dictum. ibid. & 795,a

Secunda est Bethel & Bethauen esse vnicum locum. 795,a

Bethel.

Bethel, Luza & Bethauen, num sint plura loca illis nominibus appellata. 789,a

Prima sententia dicit vnicum esse locum. Reijcitur. ibid. & b

Secunda est, Bethel & Luzam duas fuisse vrbes, postea vnam esse factam. Reijcitur. ibid.b

Tertia tenet vnicam esse vrbem, sed quæ primùm fuerit sortis Ephraim, postea verò Beniamin. ibid.& 790,a.

Reijcitur. 790,a

Quarta, duas esse vrbes, vnam in Ephraim, alteram in Beniamin. ibid. *Reijcitur.* ibid.

Quinta sententia asseris plura loca fuisse nomine Bethel insignita. ibid.& b

Duæ ciuitates Bethel appellatæ fuerunt; vna in Ephraim, altera in Beniamin. 791,a

Campus Bethel. ibid.

Iuxta Bethel Ephraim Iacob vidit mirabilem illam scalam. 791,a&b

Bethel est inter Silo & Sichem. ibid.b

Bethel, & locus peculiaris visionis scalæ, longè absit

Digitized by Google

abeſt ab Ieruſalem. 793,a
Quare Bethel Bethaven appelletur. 794,a & b. 795,a & b. 796, a
Quare Luza dicta fuerit. 795,b. 796,a
Templum Reſurrectionis vocatum fuit Bethel; & quare. 380,a
Bethel nominis interpretatio. ibid. & 795,b. 796,a

Bethesda.

Bethesda nominis interpretatio. 100,b

Bethlehem.

Bethlehem diſtantia à Ieruſalem. 617,a
Nomine multiplici appellatur. ibid.
Duplex eſt, una in Galilæa, altera in Iudea. ibid.& b
Bethlehem Iudæa dicitur Iuda duplici ratione. ibid. b
De nomine Bethlehem & Ephrata quatuor ſententia. ibid.
Prima ait fuiſſe dictam Ephratam ab vxore Caleph, & ab vbertate Bethlehem. ibid.& 618,a
Reijcitur. 618,a
Similiter reſponſa Pererij refellitur. ibid.b
Secunda ſententia, dicentium Bethlehem Ephrata vocari à Bethlehem filio viri Ephrata, reijcitur. ibid.
Bethlehem non fuit dicta à fertilitate qua fuit tempore Booz & Ruth. 619,a
Tertia ſententia ait Bethlehem & Ephrata dici à naturali regionis fecunditate. ibid. & 620,a
Nominis Bethlehem & Ephrata interpretatio. 618,a. 619,a
Quarta ſententia dicit vocari Bethlehem à Chriſto ex Bethlehem oriundo. 619,b
Dicitur etiam Bethlehem Lehem & Lahem, item, Ciuitas Dauid. ibid.
Item dicitur Caſtellum Dauid. 620,a
Bethlehem fuit parua ciuitas. ibid.
Bethlehem fuit ſita in regione fertiliſſima. ibid. & b
Olim in vineis Engaddi, quæ ad Bethlehem pertinebant, erat balſamus. ibid.b
Excellentia Bethlehem ex præclariſſimis viris quos genuit; qui præclariſſimis ſuis factis illam commendabilem fecerunt. ibid.& 621,a
Bethlehem fuit ſeminarium totius Regiæ & Dauidicæ ſtirpis. 621,a
Parentes Deiparæ & ſponſi eius Ioſeph ex Bethlehem oriundi fuerunt. ibid.
Abeſan vir præclariſſimus ac Iudex fuit oriundus ex Bethlehem. 620,b
Item Elimelech. 621,a
Item S. Matthias Apoſtolus, & Euariſtus Papa. ibid.b
Chriſtus ſua natiuitate illuſtrauit Bethlehem. ibid. & 622,a
Bethlehem ſitu parua, dignitate magna fuit. 621,b
In præſenti tempore dignißima quidem eſt Bethlehem ex Præſepi Domini, ſed ſtructurâ & habitatoribus miſerrima eſt. 622,b
An ex Bethlehem vel alio loco Chriſtus cum parentibus fugerit in Ægyptum. 821, a & b. & ſeqq. *Vide* Chriſti fuga in Ægyptum.
Porta Ieroſolymitana quâ uxit Bethlehem ſitus. 594,a
Huius porta varia eſt appellatio. ibid.
Antiquitus portam Dauid fuiſſe vocatam putat Brocardus. ibid. & b
Villalpandus dicit fuiſſe portam Fontis. ibid.b
Refellit Villalpandum Brocardum & Adrichomium. ibid.
Defenditur Brocardus & Adrichomius. 595,a
Super portam Bethlehemiticam, cui Ælius Adrianus porcum inſculpſerit. ibid.b
Conditio viæ Bethlehemiticæ. 592,a & b. 593,a
Montoſa, ſaxoſa & aſpera eſt. 595,a
Longitudo eius eſt ſex milliarium Italicorum. ibid.
Via Bethlehemitica aſperitas vnde allenetur. ibid.b
Finis viæ Bethlehemiticæ. ibid.
Quinam viam hanc ambulauerint. ibid.& 594,a
Situs & forma ciſternæ Dauid. 614,b
Nominis ratio à quibuſdam aſſertur cum difficultatibus contra facientibus. ibid.& 615,a & b
Reſpondetur ad difficultates obiectas. 616,a & b. 617,a
Alia ſententia proponitur de prædicta ciſterna. 615,b. 616,a
Platea Eccleſiæ S. Mariæ Bethlehem forma. 622,b
Tres in illa ſunt ciſternæ. 623,a
Item ſchola S. Hieronymi. 622,b. 623,a
Monaſterij FF. Minorum S. Franciſco apud Bethlehem ſitus & conditio. 623,a & b
A ſancta Paula ædificatum creditur. ibid.b
Ab aliis Religioſis derelictum, Minoritis conceſſum fuit. ibid.
Tres Eccleſiæ memorabiles ſunt apud Bethlehem, ſcilicet Eccleſia S. Catharinæ, Natiuitatis Domini, & S. Mariæ Bethlehem. ibid.
Eccleſiæ S. Catharinæ ſitus & forma. 624,a
In introitu Eccleſiæ eſt ciſterna optimam continens aquam. ibid.
Ratio nominis Eccleſiæ S. Catharinæ. ibid.
Eccleſia S. Catharinæ Bethlehem non fuit erecta ab Helena vel Conſtantino, ſed à S. Paula Romana, vel aliis fidelibus. 673,b. 674,a
De Eccleſia & ſpeco Natiuitatis Chriſti, vide ſub titulo Chriſti natiuitas.
Bethlehem Romæ opportunior eſt Monachis habitatio. 626,a & b
Extra muros ciuitatis Bethlehem Chriſtus natus fuit. 625,b. 626,a & b
Eccleſia maior S. Mariæ Bethlehem ſupra ſpeluncam Natiuitatis Domini erecta, deſcribitur ex variis Auctoribus. 640,b. 641,a & b. 642,a & b
Sultanus tabulas ex alabaſtro preciоſiſſimas tollere volens, diuinitus miraculo impeditus fuit. 641,b
Deſcribitur prædicta Eccleſia ex iis quæ Author cum aliis obſeruauit. 643,a & b. 644,a & b
Forma Eccleſiæ. 643,a
Eſt ad Orientem in formam crucis ædificata. ibid.
Eius materia. ibid.
Quatuor habet ordines columnarum. ibid.
Habet feneſtras viginti duas. ibid.
Pauimentum varium eſt. ibid.b
Oſtium habet vnicum magnum. ibid.
Veſtibulum, & eius longitudo & latitudo. ibid.
Baptiſterium. ibid.
Tria altaria. ibid.& 644,a
Campanæ. 644,a
Plumbo tecta eſt Eccleſia. ibid.
Longitudo & latitudo eius. ibid.& b
Ichnographia Eccleſiæ & Conuentus S. Mariæ Bethlehem. ibid.
Item Ichnographia Baſilicæ Natiuitatis Chriſti, & eiuſdem imago. 632,a
Picturæ & ſcripturæ Concilierum quæ adhuc cernuntur in Eccleſia S. Mariæ Bethlehem, cum declaratione earundem. 646,a vſque ad 672,a
Item alia picturæ & ſcripturæ variæ. 645,a & b. 672,a & b. 673,a & b

Eccleſiam

Digitized by Google

Eccleſiam Natiuitatis Chriſti & S. Mariæ Bethlehem erexit Helena & Conſtantinus Magnus. 674,a & b. 675,a

De ſacello S. Ioſeph, SS. Innocentium, Oratorio & ſepulchro S. Hieronymi, ſepulchro S. Paulæ, eiuſque filiæ Euſtochij virginis, item de ſepulchro ſancti Euſebij Abbatis Cremonenſis, vide ſub titulis propriis, & ſub titulo Chriſti Natiuitas.

Ichnographia Eccleſiæ & Conuentus S. Mariæ Bethlehem. 676

Octo loca quæ circa Bethlehem & locum Natiuitatis Domini viſuntur, vide ſub propriis titulis qui aſſignantur 678

Octo loca quæ occurrunt redeuntibus ex Bethlehem Ieroſolymam per montana Iudææ, quæ require ſub titulis propriis aſſignatis 695

Bethphage.

Bethphagè quid ſit, & quid ſignificet. 331, a

Quare dicatur Viculus Sacerdotum. ibid.

Prima ſententia ait, quia ad Sacerdotes pertinebat. ibid.

Reuocatur. ibid.

Secunda, quia Sacerdotes ibi ad tempus habitabant. ibid.

Reuocatur. ibid.b

Quare dicatur Domus maxellarum. 331,a & b

Tertia ſententia dicit ideò dici Viculum Sacerdotum, quia ibi victima alebantur, eoque ſe conferebant Sacerdotes ante vel poſt ſacrificia. ibid.b. 332,a

Referuntur ea quæ facta ſunt in Bethphage. 332,a

Bethphage nunc deſolata iacet. 333,a

Lapis, ex quo Chriſtus aſcendit aſinum in die Palmarum, impreſſum dicitur habere Chriſti veſtigium. ibid.

Ex Bethphage quotannis inſtituitur Proceſſio Ieroſolymam in Dominica Palmarum. ibid.b 334,a

Plura vide ſub titulo Palmarum Dominica.

Bethſabee.

Dauid in ſolario domus ſuæ, id eſt, ſuprà tectum, vidit Bethſabee. 596,b

Bethſabee lauabat ſe in ſolario ſuo, quando à Dauide fuit viſa & concupita. ibid.

Domus Bethſabee, ſiue Vriæ, erat in monte Sion, ibid.& 597,a

Bethſabee, quo tempore fuit concupita, & adulterio cognita à Dauide, non fuit effecta mater Salomonis, ſed alterius filij qui per mortem à Deo ſublatus eſt. 597, a & b

Bethſaida.

Bethſaida quid, & vbi ſit. 866,b. 867,a

Bethſaida non eſt Iulias, ſed ab illa diſtincta. ibid. & b

Bethſaida ciuitas & deſertum in oppoſito ſitu ſunt. 859,b. 860,a

Bethſaidæ multa miracula fecit Chriſtus. ibid.

Bethſaida nomina interpretatus. 100, b. 102, b. 86

Betiſo.

Betiſo carcer teterrimus. 90,a & b. 92,a & b

S. Bilhildis.

S. Bilhildis accepit ſindonem, quæ Chriſti caput & facies in ſepulchro tecta fuerunt, à Kunegunde. 533,b

Bombyx.

Bombycem ex Rama deducunt mercatores ad Chriſtianorum terras. 8,b

P. Bonifacius.

Littera P. Bonifacij Stephanij continentes aliqua de Sepulchro & Cruce Domini. 512, a & b. 513,a

Notæ in litteras eiuſdem. 513,a & b. 514, a & b. 515,a

Bos, aſinus.

De bone & aſino vide ſub titulo Chriſti Natiuitas.

Bucolus.

Bucolus, vulgò Bolano, quid, & vbi ſit. 1011,b

Burgundiæ Dux

Duo Burgundiæ Duces mandant cor ſuum ſepeliri Ieroſolymis. 483,a

C.

Caſtauerum vallis.

Caſtauerum vallis vnde dicatur. 401,a & b

Cælum.

Per montem comminij pinguium Iſaiæ cap. 25. aliqui intelligunt cælum & Sanctorum gloriam. 466,b. 467,a. 470,b

Cærimonia.

In Septuageſima quare omittatur in officio Gloria in excelſis Deo & Alleluia. 486,b

Per cærimoniam Hebdomadæ ſanctæ in candelarum extinctione tempore Matutini quid ſignificetur. 261,a & b

Cur in Eccleſiis Chriſtianorum in Hebdomada ſancta erigantur ſepulchra. 520, a

Explicatur & defenditur illa cærimonia. 542,a & b. 543,a & b

Fideles in Proceſſionibus ſuis crucem cur præferant. 17,a & b

Cæſarea.

Cæſarea alio nomine Turris Stratonis dicitur. 9,a

Cæſarea duplex eſt, Philippi & Palæſtinæ. 891,a

Cæſarea Philippi quæ ſit, & eius nomina. ibid.

Cæſarea Palæſtinæ quæ ſit. ibid.b

Dicta fuit vrbs Stratonis. ibid.

Ab Herode aucta fuit. ibid.

Referuntur quæ in ea acta fuerunt. ibid. & 892,a

Deſtructa nunc iacet. 892,a

Item alia eſt Cæſarea Cappadociæ & Mauritaniæ. ibid.

Caſtrum peregrinorum prope Cæſaream Palæſtinæ deſcribitur. ibid.

Referuntur memorabilia quæ acciderunt in Cæſarea Philippi. 741,b & ſeqq.

Mulier à fluxu ſanguinis à Chriſto liberata, fuit oriunda è Cæſarea Philippi. 744,a

Erigit illa mulier ſtatuam Salmatoris in ſignum gratitudinis, & in perpetuam memoriam. ibid.

Memoriam illam & ſtatuam Chriſti deuexit Iulianus Apoſtata. ibid.

Cain.

De loco vbi Cain fratrem ſuum Abel occidit. 885, a & b. 886,a

Locus in monte Carmeli, vbi Cain à Lamech interfectus fuit. 896,b

Caiphas.

In domo Caiphæ non fuit Chriſtus alapâ percuſſus, licet ibi Petrus Chriſtum negauerit. 173,a & b. 174,a & b. 175,a

Domus Caiphæ à domo Annæ verè diſtincta fuit. 176,a

Eandem fuiſſe ſenſit Euthymius. ibid.

Fuiſſe Pilati ſenſit Auguſtinus. ibid.

Euthy-

Euthymij & Augustini sententia reprobatur, & ad eorum rationes respondetur. ibid. b
Caipha domus fuit ordinarium palatium Iudeorum Pontificum. ibid. & 177,a
In domo Caipha Iudeorum Principes consultarunt, quomodo Iesum dolo tenerent & occiderent. 177,a
Non improbabilis tamen est traditio, Concilium illud habitum fuisse non longè extra ciuitatem. ibid.
Referuntur ea quæ acta sunt in domo Caiphæ. ibid. & b
Domus Caiphæ conuersa fuit in Ecclesiam D. Petro dicatam. ibid b
Domus Caiphæ quantum distet à domo Annæ. ibid.
Ibidem inuisitur locus qui dicitur Carcer Christi. 178,a
Item columna, in qua gallus cantans Petrum negationis Christi admonuit. ibid.
Locus peculiaris negationis Petri in domo Caiphæ. ibid. b
Christus in domo Caiphæ semel flagellatus fuit. 202, a & b
Caiphæ ciuitatis situs, auctor, & dignitas. 896,b
Est ibi portus maris. ibid.

Cairus.

Cairus duplex est, noua & vetus. 942,a
Noua Cairus non est Memphis. ibid. & b
Cairus vetus Ægypti est Babylon. ibid. b. 947,b
Cairi nomine, nunc famosa magna Cairi ciuitas intelligitur. 942,b
Magna Cairus est hodie præcipua Ægypti ciuitas. ibid.
Plura hyperbolicè de eius magnitudine scripta sunt. ibid.
Eius magnitudo, & habitantium multitudo, describitur. 943,a
Est publicum emporium. ibid. b
Prope vrbem dicitur esse lacus qui singulis annis instar sanguinis rubescit. ibid.
A Selimo Turcarum Imperatore capta est. ibid.
In castello ciuitatis est puteus Ioseph. ibid.
Cairi conditor quis fuerit. ibid.
De Fratribus Minoribus qui pro fide Christi in Cairo & Ægypto mortem obierunt. 944, a & b. 945, a & b. 946, a & b
Vetus Cairus à noua duobus milliaribus distat. 947,a
Horrea Ioseph apud Cairum. ibid. & b
Iuxta Cairum est palma, quæ B. Virgini intranti in Ægyptum se inclinauit, vt dactylos inde colligeret. 948,a
Item ibi est Monasterium S. Ioannis Baptistæ. ibid.
In Cairo est locus vbi B. Maria Virgo habitauit, qui Ecclesiâ & cœnobio sanctarum Virginum decoratus fuit. ibid. & b
In Cairo multa sunt Ecclesiæ. ibid. b
Duplici viâ ex Iudæa Cairum iri potest, maritimâ & terrestri. 919,a
Maritima via longitudo. ibid.
Terrestris via conditio. ibid.
De terrestri via longitudine variæ opiniones. ibid.
Prima ait esse aliquot annorum iter. ibid.
Reiicitur, & ad fundamentum illius respondetur. ibid. b
Secunda dicit esse iter septuaginta leucarum. ibid.
Alia opiniones referuntur. ibid. & 910,a
Via ista partim ad Terram Chanaan, partim ad Ægyptum pertinet. 920,a
Partim fœcunda, partim sterilis est. ibid.
Latiùs describitur. 930,a & b.
Describitur via quâ ex Cairo itur ad sanctum montem Sinai. 954,b. 955,a & b. 956,a. 961,a
Referuntur ea quæ obseruantur in via quâ itur ex Cairo ad Suez, siue Sur, oppidum. 959,b. 960, a & b. 961,a
Septem loca quæ inueniuntur inter Catbiam & Cairum. 929,b. 930,a

Calicutum.

Rex Calicuti putatur à quibusdam fuisse vnus, vel saltem præcipuus socius, trium Magorum qui Christum adorarunt. 636,a
Ecclesiam in honorem B. Mariæ erexit. ibid.

Caluariæ mons.

Mons Caluariæ quid sit. 434,a
Dictus fuit locus capitalis. ibid.
Naturalis eius vilitas. ibid.
Humilis, non altus est. ibid. & b
Christi passione sublimatus fuit. ibid. b. 435,a
Caluariæ mons ab æterno Christo præparatus fuit. 435,a
Christus quare in Caluaria & extra ciuitatem mortuus fuerit. ibid. & b. 446, b
Caluariæ mons vbi Christus passus est, Terræ medium dicitur. 435,b. 437, a & b
Montis Caluariæ nomina & significationes. 437,b. 438,a & b
Quare dictus sit, Dominus videbit, *& mons Moria.* ibid. & 439,a & b. 580,b
Mons Caluariæ vnde dicatur, & quid significet. 438,b. 439,a. 488,a & b. 489,a
Probabiliter aliqui putant in monte Caluariæ futurum Iudicium vniuersale. 440,a & b
Caluariæ mons à simulacro Veneris dictus est Venerarius. ibid. b
De loco crucifixionis Christi Domini. 442,b. 443, a & b
Elegantia loci crucifixionis. 443,b
Locus in monte Caluariæ vbi B. Virgo Maria stabat cum Ioanne, quando Christus cruci affigebatur. 444,b. 445,a
Locus hic sacello constructo est decoratus, cuius forma describitur. 444,b
An hoc sacellum idem sit cum illo, de quo agunt Brocardus & Adrichomius. 445,a & b
Locus vbi Christus fuit in cruce & cum cruce elevatus. ibid. b. 446,a
Honor loci vbi erecta fuit S. Crux. 446,a
Conditio huius particularis loci. ibid.
Christus in cruce Occidentem respiciebat. ibid. b. 447,a
Christus in cruce non habuit Ierusalem à tergo, sed à sinistro latere; & quare. 447 & b
Sion respicit Caluariam ad Aquilonem. ibid. b. 448, a & b
Nona imago partis Ierusalem, montis Caluariæ, & Sepulchri Domini, vt erat tempore Christi. 448
Accurata descriptio Caluariæ montis. 449, a & seqq.
Inscriptiones & picturæ variæ. 449. 450. 451. 452. 453. 455. 457. 458. 459
Commercium Christo in Caluaria præparatum quale fuerit. 453,b
Canum crucis Christi, in qua Christus cum cruce

Digitized by Google

cruce elevatus fuit. 456,a & b
Scissura montis Calvariæ facta in morte Christi describitur, & ratio additur. 457,a & 462,a & b. 473,a
In qua parte crucis, vel ubi stetrit B. Maria iuxta crucem in monte Calvariæ. 458,a & b
Ichnographia montis Calvariæ sicut modò est. 463
Præcellentia angustissimi ac sacratissimi Calvariæ montis ex Isaia Propheta. 464,a & seqq.
Per montem commixtj pinguium Isaiæ cap. 25. intelligitur mons Calvariæ, & Christi passio. 467,a
Commixtum Calvariæ quale fuerit. ibid.
Verbum Dei, & Evangelium, fuit commixtum in monte Calvariæ. ibid.
Resurrectionis templum & Catholica Ecclesia fuit in Calvariæ monte fundata. 468,b
Christus in Calvariæ monte fecit gloriæ commixtum. 470,b
Calvariam esse montem Isaiæ ostensum, & Christi passionem commixtum, explicatur. ibid.
Moderator huius commixtj, est Pilatus. 471,a
Ministri, Iudæi & Gentiles. ibid.
Commixta, Christus, Ecclesia, latrones, Maria, Ioannes, &c. ibid.
Triclinium, est summitas Calvariæ. ibid.
Mensa, crux; cultri, clavi, lancea, &c. ibid.
Vrceus, vas aceti; cyathus, spongia. ibid.
Dapes & vina, caro & sanguis Christi; item fel, vinum, acetum. ibid.
Flores, spinæ. ibid.
Cantus, cachinnus & blasphemiæ hostium Christi, &c. ibid.
Christus in sacro Calvariæ monte omnibus commixtum spiritualium bonorum præparauit, sed non æqualiter; nec omnes ad illud admissi sunt. 472,a
Christus in monte Calvariæ omnibus mortalibus spiritualia bona, quoad sufficientiam, sed non quoad efficaciam. ibid.
Dominus commixtj huius in monte Calvariæ Index describitur. ibid. b. & 473,a
Ex Calvariæ commixto bonum Latro fructum percepit, malus verò non. 473,a
Christus quomodo ex Calvariæ commixto fructum perceperit. ibid. & b
Violenti commixtus Calvariæ. ibid. b
Conditor huius commixtj quare dicatur Dominus exercituum. 474,a
Qualiter dispositi esse debeant, qui commixtj Calvariæ fructum consequi volunt. 475,b
Ex commixto Calvariæ victoria processit. 476, a. 477, a & b
Calvaria mons fuit locus quietis Christi. 480,b
Præcellentia montis Calvariæ. 481,a
Vide reliqua ad montem Calvariæ spectantia sub titulo Christi crux, & Christi passio.
Num corpus Adæ, vel eius caput, fuerit in monte Calvariæ, an in Hebron tumulatum. 487,b vsque ad 463,a
Calvaria mons sic dictus est prophetice à Christi morte. 489,a
Adam in monte Calvariæ sepultum esse quidam asserunt. ibid. & b
Alij dicunt Adamum sepultum esse in Hebron, sed corpus eius, vel caput, fuisse Ierosolymam translatum, & in monte Calvariæ sepultum. ibid. b. 490,b. 491,a
Locus vbi stabant amici Christi à longè, cùm crucifigeretur, & mulieres, quando ungebatur & sepelebatur corpus illius. 496,a & b
Ichnographia Ecclesiæ Calvariæ montis comprehensa muro templi Resurrectionis. 576,a
In monte Calvariæ occurrit Melchisedech Abrahæ reuertenti de prælio. 579, a & b
Calvaria mons fuit locus immolationis Isaac & arietis pro eo. ibid. b. 580,a
In loco illo eleemosynæ colliguntur. 580, a
Arbor in monte Calvariæ, vbi aries hærens cornibus acceptus fuit & immolatus loco Isaac. 581,a
Per arborem illam designatur mysterium S. Crucis. ibid. b. 582, a
Arbor scientiæ boni & mali fuit figura Calvariæ montis. 352,a
Cur Calvariæ mons vocetur Regio mortis. 544,a
Golgotha est Calvariæ locus. 515,b
Calvariæ mons propter Sepulchrum Domini honorandus est. 516,a
Ad solatium seruorum Dei Christus prope montem Calvariæ sepultus fuit. ibid. b
Vide Iudiciaria porta.

Campana.

Campanæ omnes Ecclesiarum malleis confringi fecit Saladinus captâ Ierosolymâ. 576,a

Cana.

Cana duplex est, maior & minor. 852,b
Minor est ciuitas Galilææ. ibid.
Cana Galilææ situs & conditio. ibid.
Sepher Cana vbi, & quid sit. 853,a
In Sepher Cana probabiliter nuptiæ celebratæ fuerunt. ibid. b
Est ibi fons, ex cuius aqua, vt dicitur, hydriæ fuerunt impletæ. ibid.
Sponsus & sponsa nuptiarum qui fuerint. ibid.
Sponsus non fuit S. Ioannes Euangelista. ibid.
Sponsus fuit Simon Chananæus, vel alius Ieu *amicus.* 854, a
Sponsa quæ fuerit, incertum est. ibid. & b
In loco nuptiarum Ecclesia ædificata fuit. ibid. b
Referuntur illi qui ex Cana oriundi sunt. ibid.
Cana filium Regulj animam agentem Christus sanauit. ibid.
Cana zelum significat. ibid. a

Canonizare, Canonizatio.

Ecclesia quos Sanctos canonizet. 486,b. 487,a
Cur primi parentes, si saluati sint, non fuerint canonizati. ibid.
Ecclesia cur non canonizet Patres veteris Testamenti. 487,a
Canonizatio Sanctorum requirit tempus plenitudinis gratiæ. ibid.
Vide Sancti.

Capharnaum.

Capharnaum fuit olim ciuitas præcipua & florentissima Galilææ. 868,a
Antiquus eius situs. ibid.
Tempore D. Hieronymi oppidum erat. ibid.
Postea fuit viculus. ibid.
Nunc vix est cognitus locus eius. ibid.
Distantia eius ab Ierusalem. ibid. b
Cur à S. Matthæo vocetur ciuitas maritima. ibid.
Capharnaum quid significet. ibid.
Nomen Capharnaum multiplex est. ibid.
Vrbs Capharnaum fuit præsentiâ Christi, Deiparæ & Apostolorum sanctificata. ibid.
Electa fuit ad prædicandum à Christo. ibid. & 869,a
Fuit Christi ciuitas appellata. 869,a

Digitized by Google

Acta in Capharnaum referuntur. ibid. & b
Ibi primo Eucharistiæ doctrina prædicata fuit. ibid. b
Est etiam Capharnaum oppidum maritimum prope Cæsaream Palæstinæ. 870,a
Fontis Capharnaum origo & conditio. ibid.
Eius distantia à mari Galilæa, & à Capharnaum. ibid.
Fons alius prope Capharnaum. ibid. b

Captiuitas.

Via captiuitatis extra muros Ierosolymæ. 150,a
Via captiuitatis nominis ratio. ibid.
Longitudo eius est vnius milliarii. ibid.
Decem in ea sunt memorabilia loca. ibid.
Locus captiuitatis Christi describitur. 168,b
Referuntur illa quæ acta sunt in loco captiuitatis Christi. 169,a
Vide Caiphas.

FF. Capucini.

Duo Capucini in vrbe Cairi pro Christi fide interempti sunt. 945,a & b

Caput.

Caput totum hominem significat. 488,b. 489 a

Carcer.

Plures carceres fuerunt Ierosolymis. 394,a & b. 732,a
Carcer in quem falsi Prophetæ templique ministri delinquentes conijciebantur. 734,a

Carcer Christi.

Carceris Christi nominis ratio. 178,a
Vide Christi carcer.

Carcer S. Petri, *vide* S. Petrus.

Carmelus.

Carmeli nomen multiplex est. 892,b
Carmelus mons vnus est in sorte Iudæ, alter in sorte Issachar. ibid.
In tribu Iudæ, præter montem Carmelum, fuit Carmelus ciuitas. ibid.
Carmeli nomen proprium est, & commune; & eius significatio. ibid. & 893,a
Carmeli Issachar conditio. 893,a
Spelunca & fons Eliæ in monte Carmeli. ibid. b
Saltus Carmeli. ibid.
Distantia montis Carmeli à Cæsarea Palæstinæ. ibid.
In summitate eius olim fuit Ecclesia, quæ nunc collapsa est. ibid.
Nunc temporis mons infecundus est. ibid.
Celebris est prodigioso Eliæ sacrificio. ibid.
In monte Carmeli habitauit Elias & Eliseus, ac vitam eremiticam ibi duxerunt. 894,a & b. 895,a & b
In Carmelo locus erat Religionis operibus destinatus. 895,a & b
Ibi Prophetarum filij Ecclesiam erexerunt in honorem Deiparæ. 896,a & b
Ex Carmelo monte Carmelitanæ Religionis origo fuit. ibid.
Elias est Carmelitarum patronus. ibid. a
Locus in monte Carmeli, vbi Cain à Lamech interfectus fuit. ibid. b

Carnalitas, *vide* Luxuria.

Carnutum.

Druides Carnuti aram ante ortum Virginis erexerunt cum hoc titulo, Virgini parituræ. 636,b

Carolus.

Patriarcha Ierosolymitanus mittit claues Dominici Sepulchri ad Carolum Magnum. 519,b
Carolus Calvus transfert sindonem Christi ab Aquisgrano Compendium in Picardia. 533,a

Carthago.

Carthago est insignis Africæ ciuitas. 656,a & b
Septemdecim ea sunt celebrata Concilia Prouincialia, alia approbata, alia reprobata. ibid. b
Primum Concilium sub Cornelio Papa celebratum fuit, propter dogma Nouati præcidentes admittens salutis peccatoribus. ibid. & 657,a
In hoc Concilio sancitum est, vt lapsi, actâ pœnitentiâ, Ecclesiæ vniantur. 657,b
Numerus Episcoporum qui interfuerunt. ibid.
Hoc Concilium fuit Prouinciale, Catholicum nomen. ibid.

Castellum Afinæ, *vide* Castellum contra vos.

Castellum boni Latronis.

Castellum boni Latronis quantum distet a Rama. 12,a
Ratio nominis illius. ibid.
Vide sub titulo Latro bonus, *vel* Dismas.

Castellum contra vos.

De Castello contra vos triplex est sententia. 333,a
Prima dicit esse Ierusalem. ibid.
Secunda dicit esse Bethphage. ibid. b
Refellitur vtraque sententia. ibid.
Tertia sententia dicit esse vicinum è regione Bethphage. ibid.
Vt hanc castelli & triumphi Christi memoria conseruetur, Processio quotannis ex Bethphage Ierosolymam fieri solet. ibid.
Magnus ad illam Processionem fit populi concursus. 334,a
Ingreditur Processio per portam Sion. ibid.
Vnde originem traxerit Processio illa. ibid. & b
Instituta fuit antiquitus in memoriam triumphi Christi ante Ordinem Minorum. 335,a
Processio hæc intermissa fuit captâ ab infidelibus Ierosolymâ. ibid.
Restituta verò fuit recuperatâ à fidelibus sanctâ ciuitate. ibid. & b. 336,a
Vide reliqua sub titulo Palmarum Dominica.

Castellum Lazari, *vide* Lazarus.

Castitas.

Pro iucunda castitate Clariæ Aconenses nares sibi præsciderunt. 898,b. 899,a
Aliarum mulierum exempla castitatis. 900,a
An pro conseruanda castitate liceat cuipiam sibi auferre vitam, vel seipsum mutilare, &c. 899,b. & seqq.
Mulieri violatæ sine suo consensu non perit castitas, sed ad coronam duplicatur. 901,b
S. Lucia dictum explicatur. ibid.
S. Bernardi notanda sententia. ibid.

Castrametari.

Castrametari quid sit. 750,a

Castrum Peregrinorum, *vide* Peregrinorum castrum.

Castrum Pisanum, *vide* Pisanum.

Catacumba.

Catacumba quid significet. 128,a

Catarra.

Catarra locus inter Cathiam & Cairum. 930,a

S. Catharina.

Pium est credere, S. Catharinam à Christo visibiliter apparente accepisse annulum fidei. 614,a
De patria Catharinæ duæ sunt sententiæ. ibid. & b
S. Catharina in partibus Orientis habetur in magna veneratione. ibid.
De Ecclesia S. Catharinæ apud Bethlehem, vide sub titulo Bethlehem.
S. Catharinæ corpus annis trecentis in summitate montis Sinai mansit. 997,a

Sacellum vbi eius corpus in excelsiori parte montis Sinai positum fuit. ibid.b. 998,a
Arca Reliquiarum S. Catharinæ; & quæ passim à quibusdam de illis dicuntur. 1002,b. 1003,a
De liquore ex illis manante 1002,b
Quæ eius Reliquiæ, & vbi asseruentur. ibid.& 1003,a
Ritus ostendendi sacras eius Reliquias. 1003,a
Memorabilia aliqua, quæ in Ecclesia S. Saluatoris, vel in Sinai, accidisse & accidere dicuntur circa Reliquias S. Catharinæ, examinantur. 1004,b 1005,a & b
Ecclesia S. Catharinæ virginis & Martyris Alexandriæ nominis ratio. 1012,b
Locus vbi rota martyrij S. Catharinæ posita fuit. ibid.
Item columna sanguine illius aspersa, vbi illius caput abscissum fuit. ibid. & 1013,a
Catharina qua fuerit. 1013,a & b
Pictura S. Catharinæ ratio. ibid.b. 1014,a
Palatium patris S. Catharinæ. 1009,a
S. Catharina Senensis stigmatáne habuerit, necne, liberum est opinari absque periculo. 144,a & b

S. Catharinæ mons, *vide* Sinai.

Cathia.

Sex loca à Gaza vsque ad Cathiam occurrentia. 926,b
Cathia distantia à Gaza. ibid.
An Cathia sit Taphnis vel Tanis, incertum est. ibid. *Vide sub titulo* Taphnis.
Septem alia loca quæ inueniuntur inter Cathiam & Casrum. 929,b. 930,a

Cedron.

Vallis Iosaphat quare dicatur vallis Cedron. 151,a
Torrentis Cedron descriptio. 155,a & b
Principium & terminus Cedron. ibid.b
Torrentis Cedron nominis duplex est ratio. ibid. & 156,a
Torrens Cedron Pila appellatur. 156,a
Alba in torrente Cedron. ibid & b
Rupes in torrente Cedron Creatori patientis compatiens, illius pedum, genuum manuumque vestigia in se quasi mollis cera recepit. 169,b
Descriptio prefata rupis. ibid.
Iuxta eadem vestigia est pons lapideus, ex quo aliqui dicunt Christum fuisse præcipitatum. ibid.
Adferuntur argumenta pro veritate prædictorum vestigiorum Christi. 170,a & b. 171,a
Christus ex torrente Cedron ligatus, introductus fuit in ciuitatem ad Annam, non per portam Aurcam, sed per quilibet. 171,b
Forma & auctor pontis supra torrentem Cedron. 297,a & b
Ex hoc loco iaciebant Iudæi lapides super Stephanum. ibid.b
Hac pertransiit Dauid fugiens à facie Absalom, ac postea Christus in Dauide præfiguratus. ibid.

Cedrus.

Cedri & abietes sunt præcipuæ arbores montis Libani. 890,b
Locus & numerus cedrorum Libani. ibid.
Despara cedro Libani comparatur. ibid.
Cedri natura. ibid.

Cenereth mare, *vide* Galilææ mare.

Cetus.

Cetus marinus esuriens fœtidissimum odorem emittit, quo pisces ad se attrahit, quos deuorat. 555,a
Venter ceti Iona fuit figura Sepulchri Christi. 521,b

Chalcedon.

Chalcedon Phrygiæ Hellespontiæ ciuitas celebris est. 664,b. 665,a
Vnicum ibidem celebratum fuit Concilium. 665,a
Patrum numerus qui ei interfuerunt. ibid.
Papa Leonis I. mandato, & Marciani & Pulcheriæ Imperatorum hortatu indictum fuit. ibid.& b
Causa huius Concilij fuit hæresis Eutychetis & Dioscori. ibid.
Dioscorus & Eutyches vnà cum hæresi sua damnati sunt in illo Concilio. ibid. b. & 666,a & b

Chaldaica lingua.

Hebræi è Babylone redeuntes Chaldaismum secum detulerunt, eoque idiomate vsi fuerunt. 438,b

Cham.

Terra Cham pro Ægypto accipitur. 927,b. 928,a

Chanaan, Chananæa regio.

Via ex Mesopotamia in terram Chanaan. 793,a
Chananæa montosa est. 297, b. 934,a

Chananæa mulier.

De loco vbi Chananæa Christum adorauerit, duæ proponuntur sententiæ. 907,a
In eo loco olim Ecclesia ædificata fuit, quæ nunc in Mesquitam conuersa est. ibid.
Adrichomij sententia reijcitur de loco adorationis Chananeæ. ibid.& b

Charitas.

Charitas, per ignem significata, sollicitè est conseruanda. 274,a

Cherinthus.

Cherinthus docuit Dei Filium non fuisse verè incarnatum. 650,a
Exinde Cherinthi hæresis suscitauit Paulus Samosatenus. ibid.b

Chianica.

Chianica ciuitas inter Carbiam & Cairum. 930,a

Chlamys Christi, *vide* Christi chlamys.

Chorbana, *vide* Corbacat.

Christus.

Christus dicitur radix, & quare. 20, b & seqq.
Quare dicatur radix Iesse & Dauid, cum potius contrà dicendum videatur. 20,b. 21,a & b
Propter Christum & Mariam mundus conditus est. 21,b
Quare Christus singulariter dicatur radix Iesse & Dauid, cùm sit causa omnium. ibid.a. 22,a
Omnes gratiæ sunt ex Christo. 22,a
Christus absconditus fuit, vt magis prodesset. ibid.b
In resurrectione cognitus fuit. ibid.
Christus ostenditur in radice illo crucifixo prope Ierosolymam manente. 23,a
Christus dicitur Radix Jesse. 520,b
Fuit radix in morte. ibid.& 521,a
Quare dicatur lilium. 23,a
Fuit sibi spes & nobis. ibid.& b
Est sapientia nostra, & omnium salus. 24,b
Omnibus expositus fuit. 25,a
Salomon diuersimode fuit typus & figura Christi. 348,a & b
Christus in cruce exaltatus, fuit cognitus toti mundo. 352,a
Ex latere Christi formata est Ecclesia. ibid.b
Isaac fuit figura Christi. 350,b. 351,a
Item flumina paradisi. 351,b
Christus quintuplicitèr potest dici flumina paradisi. 352,b
Primò, ratione Diuinitatis. ibid.
Secundò, ratione temporalis generationis. 353,a & b
Tertiò, ratione prædicationis & gratiæ miraculorum.

Digitized by Google

lorum. 353,b
Quarto, ratione paſſionis. 354,a & b
Quinto, ratione reſurrectionis & aſcenſionis. ibid.b
Fonti comparatur. 446,b
Chriſtus conceptus & educatus fuit in Nazareth. 820,a
Chriſtus miniſtravit parentibus ſuis in opere lignario; & ipſemet fabrilem artem exercuit uſque ad tempus ſuæ prædicationis. 840,b. 841,a & b
Quare in nuptiis fecerit aquam vinum, & non lapides panes in deſerto. 195,a
Malefactoribus benefacit. 815,a
Apud plures hoſpitatus fuit. 325,b.
Ubi, vel in cuius domo, ultimam cœnam fecerit. 94, a & b
Per connubium vocatur Nazarenus. 817,b
Chriſti miſericordia oſtenſa fuit in monte Oliveti. 299,b
Chriſtus quare, & ubi fleverit ſuper civitatem Ieruſalem. 301,b
Ubi fleuit, ibi poſita fuit obſidio. ibid.
Ibi olim fuit adificata Eccleſia. ibid.
Locus, ubi Chriſtus prædixit diſcipulis ſuis templi & Ieruſalem deſtructionem, Eccleſiâ fuit inſignitus ab Helena. 307,a & b
Chriſto in die Palmarum porta Aurea diminus aperta fuit. 332,b
Itineris Chriſti ordo è Sion ad hortum Gethſemani. 157,b
Deſcribitur locus, in quo Chriſtus ad locum orationis proficiſcens reliquit octo Apoſtolos. 158,a
Chriſti lineamenta, & impreſſio digitorum eius in lapide, quando captus fuit. ibid.b. 161,a
Vnde ſumenda ſit diſtantia iactus lapidis, quando Chriſtus dicitur fuiſſe auulſus ab Apoſtolis. 159,a & b
Vide Reliqua ad orationem & captivitatem Chriſti ſpectantia ſub titulo Gethſemani, Cedron & Annas.
Chriſtus in horto Gethſemani non pro reprobis, ſed pro electis oravit. 165,b
Chriſti erga Ieruſalem miſericordia. 166,a & b
Chriſtus ex patienda deſiderio offert ſe proditori & hoſtibus in horto Gethſemani. 168,b.169,a
Diverſa veſtigia mirabiliter à Chriſto Eccleſiæ relicta ante mortem, in morte, poſt mortem, in ſui memoriam. 170, a & b. 171,a
Locus cœnæ Domini. 119,a vſque ad 124.
Locus in quo Chriſtus lavit pedes diſcipulorum. 123,b. 124,b
Columna marmorea ad quam Chriſtus flagellatus fuit. 124,a
Chriſti longanimitas reſpectu Iudæorum. 323,b
Davidis ſepulchrum quare dirutum ſit, Chriſti verò conſervatum. 130,a & b
Inſigne miraculum refertur, quod contigit circa imaginem Chriſti in civitate Beryti. 910,a & b. 911,a & b. 912,a & b.
Chriſtus quomodo, & ubi, Diſcipulis euntibus in Emmaus ſociatus fuerit. 718,a & b. 719,a
Loquentibus de Chriſto Chriſtus adeſt. 718,b
Chriſti ultima apparitio, inſtructio & mandatum, ac in montem Oliveti profectio, & in cœlum aſcenſio. 308,b. 309,a.
Vide ſub titulo Aſcenſio Domini.
A quis doctrina & gratia Chriſti homines purgantur. 293,b
Quomodo Sacramenta manarint, ac virtutem acceperint ex aperto latere Chriſti. 223,b. 224,a
Pro Chriſto omnia contemnenda ſunt. 473,b

Chriſtus Eccleſiæ ſponſus.

Chriſtus Eccleſiam ſibi in cruce deſponſavit ex Synagoga, quæ dicitur mater corrupta. 469,a & b. 470,a & b
Sponſas ſuas non virgines, virgines facit. 469,a
Cum dolore peperit Eccleſiam, ac veriſſimè dicitur Sponſus ſanguinum. 470,a
Quos genuit, ſuo corpore & ſanguine paſcit. ibid. & b
Chriſti connubium in monte Calvariæ, per connubium pinguium apud Iſaiam cap. 25. ſignificatum. 467,a vſque ad 481
Vide ſub titulo Calvariæ mons.

Chriſti apparitiones.

Locus, in quo Chriſtus poſt reſurrectionem apparuit Mariæ Magdalenæ in ſpecie hortulani, deſcribitur. 567,a & b. 568,a
Chriſtus poſt reſurrectionem ſuam primò apparuit Matri ſuæ. 568,b. 569,a
In domo prope ſanctum Sepulchrum Chriſtum Matri apparuiſſe, explicatur. 569,a & b. 570, a & b. 571,a & b.
In memoriam huius apparitionis eo loco ſacellum adificatum fuit, & dictum S. Mariæ de Apparitione. 571,a & b
Apparitiones Chriſti poſt reſurrectionem, & earum ordo ſecundùm Scripturam. 572,a
Prima facta fuit Magdalenæ. ibid.
Secunda, tribus mulieribus. ibid.
Tertia, S. Petro. ibid.
Quarta, Iacobo Minori. ibid. & b
Quinta, duobus diſcipulis euntibus in Emmaus. ibid.b
Solvuntur duæ difficultates circa precedentem apparitionem, & ordinem eius. ibid. & 573,a
Sexta apparitio facta fuit diſcipulis abſente Thomâ. 573,b
Septima, diſcipulis Thomâ præſente. ibid.
Octava, ſeptem diſcipulis ad mare Tiberiadis. ibid.
Nona, diſcipulis & aliis in Galilæa. ibid. & b
Decima, diſcipulis in die aſcenſionis. ibid.b
Aliæ apparitiones ab Eccleſiaſticis Scriptoribus referuntur. 573,b
Prima fuit S. Mariæ Matri. ibid.
Secunda, Ioſepho ab Arimathæa. ibid. & 574,a
Tertia, Ignatio Martyri. ibid.
Quarta, Martiali diſcipulo Chriſti. ibid.
Poſt aſcenſionem apparuit Paulo. ibid.
Chriſtus poſt reſurrectionem apparuit in monte Thabor. 846,b.847,a
Chriſti variæ apparitiones. ibid.
Chriſtus redimitus probabiliter apparuit in Galilæa. 820,b

Chriſti arundo, *vide* Arundo.

Chriſti aſcenſio, *vide* Aſcenſio.

Chriſti baptiſmus.

In memoriam baptiſmi Chriſti, Eccleſiam erectam nomine S. Ioannis Baptiſtæ putat P. Bonifacius. 744 b
Negat hoc Beda. 745,a & b
Chriſtum in ulteriori Iordanis ripa baptizatum eſſe, probatur. ibid.b
Baptiſmus noſter Chriſti baptiſmate fuit conſecratus, & præfiguratus eo loco Iordanis, per quem Iudæi ſiccis pedibus tranſierunt. 746,a
Locus, ubi Spiritus ſanctus in columbæ ſpecie ſuper Chriſtum baptizatum apparuit, non fuit in Iordane, ſed extra. ibid.

Quare

Quare Spiritus ſanctus poſt baptiſmum ſuper Chriſtum apparuerit. ibid.& b
In illius memoriam Eccleſia ædificata fuit. 747,a

Chriſti captiuitas, *vide* Captiuitas.

Chriſti carcer.

In Proceſſione, quæ fit quotidie in Eccleſia S. Sepulchri, procedituꝛ ab altari, ſeu columna flagellationis, ad carcerem Chriſti, & quare. 392,b. 393,a
Carcer Chriſti quidſit; & quare ſic dictus. 393, a& b. 394,a & b
Beatſo ſuus probabiliter carcer Chriſti. 394,a & b
Prophetia & figura carcerationis Chriſti. ibid.b. 395,a
Locus iſte nunc in capellam verſus eſt. 395,a
Deſcriptio eiuſdem. ibid.& b
Olim Georgiani, nunc Græci, huius loci curam habent. ibid.b
Vide ſub titulo Caiphas.

Chriſti chlamys.

Chriſti chlamys, in qua tempore paſſionis illuſus fuit, una fuit, non duæ. 432,a & b
Cuius coloris fuerit & formæ. ibid. b

Chriſti circumciſio.

De loco circumciſionis Dominæ ſunt quinque ſententiæ. 636,b
Prima ait Chriſtum circumciſum fuiſſe in templo. ibid.
Refellitur. 637,a & b
Secunda, in ſynagoga Bethlehem. 636,a
Refellitur. 637,b
Tertia, ſupra locum natiuitatis Chriſti. ibid.a
Refellitur. ibid.b
Quarta, in domo Ioſeph. ibid.a
Refellitur. ibid.b
Quinta probabilius putat Chriſtum fuiſſe circumciſum in antro natiuitatis eiuſdem. ibid.a
An S. Maria & Ioſeph præſentes fuerint in circumciſione Domini. ibid.
Quis Chriſtum circumciderit. 640,a
Quidam dicunt fuiſſe S. Ioſeph. ibid.b
Alij S. Mariam Virginem. ibid.

Chriſti cœnaculum, *vide* Cœnaculum.

Chriſti coronatio, *vide ſub titulo* Pilatus, & Spinea corona.

Chriſti crux.

Chriſti crux in ferculo Salomonis præfigurata fuit. 549,b.550,a
Deſignatur per arborem, vbi aries hærens cornibus acceptus & ſacrificatus fuit loco Iſaac. 581, a & b. 582,a
Chriſtus in cruce omnia ad ſe traxit. 523,a& b. 524,a
Chriſtum de cruce depoſitum Deipara brachiis ſuis excepit. 529,a
Chriſtus in cruce quomodo Rex Iudæorum dictus ſit. 522, b
Chriſti crux eſt vexillum Chriſtianorum. ibid.
Chriſtus in cruce fuit Deumque cognitus. 479,a
Maria & Ioannes quare adſtabant cruci. 478, a
Locus vbi ſtabant amici Chriſti à longè cùm crucifigeretur. 496,a & b
Modus depoſitionis corporis Chriſti de cruce. 525,a
Referuntur ea quæ acta fuerunt circa Chriſti corpus de cruce depoſitum, priuſquam ſepultura traderetur. ibid.b.& 526,a vſque ad 529
Particula S. crucis in Domino Sepulchro inuenta fuit. 512,b
Miraculum refertur virtute illius factum. 513,a
Littera P. Bonifacij Stephanij continentes memorabilia aliqua de cruce Dominj. 512, a & b. 513, a
Note in literas P. Bonifacij. 513,a& b. 514,a& b. 515,a
Heraclius Imperator cum pompa deferens Chriſti crucem, impeditus fuit pregredi; & locus aſſignatur vbi hoc contigit. 577,b
Miracula virtute S. crucis per Iudæum quendam facta in ciuitate Tiberiadis. 865,b. 866,a
Cranium cur appingatur ad pedes crucifixi. 491,a
Ichnographia Eccleſiæ S. Crucis comprehenſa muro templi Reſurrectionis. 576
Eccleſia S. Crucis prope Ieruſalem ædificata fuit ab Helena in loco, vbi, iuxta communem traditionem, preciſa fuit olim, ex qua crux Chriſti formata fuit. 712,b
Eccleſiæ illius forma. ibid.

Chriſti doctrina.

Crux doctrinam Chriſti dulciorem facit. 467,b
Chriſti doctrina eſt lac, quia eius paſſione dulcis redditur. ibid.b. 468,a& b

Chriſti flagellatio, *vide* Pilatus.

Chriſti flagellationis columna.

Columna pars, ad quam Chriſtus flagellatus fuit, ſeruatur Ieroſolymis in altari flagellationis. 386, a & b. 387,b
Columna flagellationis diuiſa fuit, & ad diuerſas partes tranſmiſſa. 387,a & b
Solemnis Proceſſio fit Venetiis in honorem columnæ flagellationis. ibid.a
Argumentum probans Chriſtum non fuiſſe flagellatum ad columnam, ſed humi proſtratum. ibid.b
Reſpondetur. 388,b
Argumentum probans Chriſtum non fuiſſe flagellatum ad columnam, cuius pars ſeruatur Ieroſolymis. 387,b.388,a
Reſpondetur. 389,a
Quare Euangeliſtæ non meminerint columnæ flagellationis. 388,a
Ad columnam fuit flagellatus Chriſtus. ibid.b
Triplex modus conciliandi difficultatem de Ieroſolymitana & Romana columna. 389,a
Primus modus proponitur. ibid. & b
Refellitur. ibid.b
Forma columnæ Ieroſolymitanæ & Romanæ. ibid.
Secundus modus conciliandi refellitur. 390,a
Tertius modus conciliandi probabilior proponitur. ibid. & ſeqq.
Chriſtus flagellatus fuit iuſſu Præſidis ad columnam Ieroſolymis aſſeruatam. ibid. & b. 391,a
Quomodo Chriſtus ad columnam ligatus & flagellatus fuerit. 391,b
Columna Romæ ſeruata in Eccleſia S. Praxedis, eſt illa, ad quam Chriſtus in domo Caiphæ ligatus & flagellatus fuit. 390,a. 391,a
Ratio duplicis flagellationis Chriſti. 391,b
Pia fidelium conſuetudo corrigias circumdare & tangere columnam flagellationis. 392,a & b
Tam Romana quam Ieroſolymitana columna fuit contactu Chriſti ſanctificata. ibid.a

Chriſti fuga in Ægyptum.

De loco vnde Chriſtus fugit in Ægyptum, quatuor ſunt ſententiæ. 821,a
Prima dicit fugiſſe ex Bethlehem. ibid.& b
Secunda, ex Ieruſalem. ibid.b. 822,a

Tertio, ex loco proximo Nazareth. 822,a
Quarto, ex Nazareth. ibid & b
Respondetur ad rationes trium priorum opinionum. 823,a & b.824,a & b
Peregrinatio Christi in Ægyptum cum parentibus describitur, & mirabilia quædam quæ in ea contigerunt, referuntur. 920,b vsque ad 923
Christo cum Maria & Ioseph in Ægyptum intranti palma & sycomorus sese inclinauit. 948,a. 951,a
In variis Ægypti locis habitauit. 949,b
De tempore mansionis in Ægypto varia sunt sententia. ibid.& 950,a
Fons, in quo ablutus fuit Iesus, & Deipara panniculos eius lauit in Ægypto. 950,a & b
Item, lapis in quo panni Iesu exsiccati fuerunt. ibid.
Notabilia aliqua referuntur, quæ tempore Christi mansionis in Ægypto contigerunt, & nunc in perpetuam eius memoriam seruantur. ibid.& 951,a

Christi funus, *vide* Christi Sepulchrum.

Christi improperia.

Ratio nominis capellæ improperiorum Christi. 431,b. 432,a
Descriptio columnæ improperiorum Christi. 432,a
Christi chlamys, in qua fuit illusus, an fuerit una vel duæ; & cuius coloris. ibid.& b.433,a
De arundine quæ Christo à militibus pro sceptro fuit data. 433,a & b

Christi incarnatio.

Dei Filium non fuisse incarnatum qui docuerint. 650,a & b
Solvit Iesum, qui deinceps negat incarnationem. ibid.
In mysterio incarnationis plura signa sine instantia considerantur. 831,b
Ioseph fuit reseratum mysterium incarnationis Christi. 827,a
Vide plura sub titulo S. Mariæ Annuntiatio.

Christi lancea.

Miles quare latus Christi lanceâ aperuerit. 421,b. 421,a
Lancea non fuit sepulta cum ceteris instrumentis mortis Christi. 421,a
Vbi lancea illa fuerit asservata. ibid.
Antiochiam translata est. ibid.
Dimittus remittatur, & victoria contra hostes reportetur. ibid & b
Calumnia exorta occasio fuit, cur miraculo Christi lancea magis innotuit. ibid.b
Lancea pervenit ad Imperatorem Constantinopolitanum; qui illius cuspidem misit ad Francorum Regem. ibid.
Ferrum lancea ad Pontificem Romanum delatum est. 422,a
Roma in Basilica S. Petri asservatur. ibid.
Difficultas proponitur, & resolvitur. ibid. & b
In manus magni Turcæ devenit. 433,b

Christi latus.

Ex aperto Christi latere quomodo spiritualia bona manarint. 474,b.475,a

Christi mensa.

Locus Mensa Christi dictus, in quo Christus miraculum multiplicationis septem panum operatus fuit. 856,a. 860,a
Ratio nominis Mensa Christi. 842,b

Christi meritum.

Christus meruit sui nominis claritatem, & gloriosam exaltationem passione sua & morte. 473, a & b. 474,a & b.475,a
Christus in morte sua meruit omnibus spiritualia bona quantum ad sufficientiam, sed non quantum ad efficaciam. 471,b.472,a & b

Christi mons, *sive* Beatitudinum.

Montis Christi, sive Beatitudinum, situs & conditio describitur à Matthæo & Luca; qui inter se conciliantur. 856,a & b

Christi mors, *vide* Christi passio.

Christi natiuitas.

Præstantia loci natiuitatis Christi. 624, b.625,a
Empyreo cælo similis est. 625,a
De loco natiuitatis Christi duæ sunt sententiæ. ibid.
Prima ait fuisse intra Bethlehem. ibid. & b
Item ait fuisse non antrum, seu spelunceam, sed pauperculam domum. ibid.b
Secunda sententia asserit locum natiuitatis fuisse extra Bethlehem in spelunca, seu antro. ibid. & 626,a
Christus quare in via natus fuerit. 626,a
Locus natiuitatis fuit Ecclesiâ decoratus; & est secundus ex Bethlehemitanis. ibid.b
Adrianus Imperator illius memoriam auferre studet. ibid. & 627,a.631,a & b
Turcæ ipsi sanctum locum venerantur. 627,a
Habitarunt ibi semper præstantissimi & sanctissimi viri ac mulieres. ibid.
Respondetur ad argumenta pro prima sententia supra posita. ibid. & b
An præsepe Domini fuerit locus intra, an extra diversorium. ibid.b
Prima sententia asserit speluncam fuisse diversorium ubi erat præsepe. ibid.
Secunda ait præsepium fuisse in diversorio, atque ita ab eo diversum. ibid.
Tertia dicit præsepium esse distinctum à diversorio, nec in loco isto inclusum. 628,a & b
Quomodo Maria & Ioseph ad diversorium ierint, & inde ad præsepium se receperint. ibid.a
Præsepij nomine etiam peculiare parvum præsepium intelligi potest. ibid.b
Erant in specu duo animalia nato Domino obsequium exhibentia. ibid.& 629,a
Vnde eò adducta fuerint animalia, & ad quid. 6[illegible] a & b
Christi natiuitas quibus & ubi annuntiata fuerit. 681,b vsque ad 686,b
Vide Pastorum villa.
Christus probabilius fuit circumcisus in antro natiuitatis. 637,a & b
De petra spelunca natiuitatis Christi non fluxit aqua, qua ablutum aliqui volunt Saluatoris corpusculum. 638,a & b.639,a & b
Christus natus fuit sine secundinis & sordibus. 638,b.639,a
Nulla obstetrix nec lanacrum fuit in Virginis puerperio. 638,b. 639,b. 640,a
Cur Christus ex Maria Virgine non sit natus in ciuitate, sed extra. 638,b. 639,a
Quædam picturæ Græcorum repræsentantes natiuitatem Christi ex Deipara sunt prohibitæ. 639,a
De specu natiuitatis Christi, & tredecim memorabilibus locis eò spectantibus, vide omnia sub propriis titulis, qui assignantur 678
De maiori Ecclesia S. Mariæ Bethlehem, supra speluncam natiuitatis Domini erecta, vide sub titulo Bethlehem.

Ichno-

Digitized by Google

Ichnographia eiusdem Ecclesiæ. 644
Item ichnographia Basilicæ nativitatis Christi, & eiusdem imago. 632
In spelunca nativitatis Christi tria distincta sunt loca, nativitatis, præsepij, & adorationis Magorum. 629,b
Situs & forma Basilicæ nativitatis. ibid.
Locus nativitatis in Basilica describitur. ibid. & 630,a
Item locus præsepij. 630,a
Conditio & materia Dominici præsepij. ibid. & b
Lignea præsepium affirmatur Romæ. ibid.b
Locus adorationis trium Regum. ibid.& 631,b
Distinctio dictorum locorum explicatur. 630,b. 631,a
Chrysostomi desiderium præsepe Domini nudum videndi. 674.b
S. Paula Romanæ devotio ad prædicta loca. 631,b
Quòd Christus non fuerit in spelunca, sed in domo à Magis adoratus, probatur à quibusdam. 633,a
Solvuntur eorumdem rationes & argumenta. 635, a & b
In specu adoratum esse Christum probatur. 633,a & b
Christus die decimo tertio ab ortu suo fuit adoratus à Magis, ante purificationem B. Mariæ Virginis. ibid.b. 634,a & b. 635,a
Ecclesia Nativitatis Christi erecta fuit ab Helena & Constantino Magno. 674,a & b.675,a
Sacellum S. Ioseph in loco nativitatis Christi recenter erectum; & quare. 675,a & b
Sacellum SS. Innocentium in loco nativitatis Christi. ibid.b
Forma & ratio nominis huius sacelli. ibid.
Oratorium S. Hieronymi in loco nativitatis Christi. ibid.& 676,a.
Ratio nominis. 676,a
S. Hieronymi sepulchrum in loco nativitatis Christi, & nominis ratio. ibid.b
Sepulchrum S. Paulæ Romanæ & Eustochij filiæ eius in antro nativitatis, & nominis ratio. ibid.
Item sepulchrum S. Eusebij Abbatis Cremonensis. 677,a & b
Reliqua quæ circa locum nativitatis Domini & circa Bethlehem visuntur, vide sub propriis titulis qui assignantur 678

Christi oratio.

Locus in monte Oliveti, ubi Christus oravit, & orandi formam suis discipulis tradidit. 303,b
Traditio loci orationis Christi comprobatur. ibid. & 304,a
Fuit in illo loco Ecclesia ædificata. 303,b
Orandi formula quoties à Christo & qua occasione discipulis tradita fuerit. 304,a & b

Christi passio.

Christi passio significatur per commixtum pinguium Isaiæ cap. 25. 467,a
Explicatur. 470,b.471,a
Christus in passione sua & morte meruit omnibus spiritualia bona quoad sufficientiam, sed non quoad efficaciam. 471,b 472,a
Agnus Paschalis fuit figura passionis Christi. 385,b
Christus passus seu crucifixus fuit luna decimaquinta. ibid.
Passionis Christi necessitas. 545,b
Passio seu mors Christi non dicitur corruptio. ibid.
Christi passione omnia redduntur suauia. 467,b. 468,a & b
Christi passio est velut acervus Ruth Moabitidis. 467,b
Item est sal Eliszi. ibid.
Christus passione ac morte sua meruit sui nominis clarissimi & gloriosi corporis. 473,a & b. 474,a & b. 475,a
Victoriam reportauit. 476,a & b
Peccati vinculum & eiusdem apparentiam sustulit. 477,a
A maledicto legis nos liberauit. ibid & b
Diabolum in infernum præcipitauit. ibid.b
Christi morte mors devicta fuit. ibid.& 478,a & b
Cur Christus in passione sua ab omnibus fuerit derelictus. ibid.
Lacrymas & passionibus suis abstulit & abstersit lacrymas & passiones nostras. 479,a
Ante passionem suam duo præstitit: nimirum manifestauit Matri suam passionem, & instituit Altaris Sacramentum, ac Apostolos Sacerdotes ordinauit. 384,a & b. 385,a
Passio Christi valdè fuit meritoria. 384,b
Liberam voluntatem & patiendi amorem ante passionem Christus ostendit. 384.b. 385,a
Omnes crudelitates circa Christum in passione consummata Iudæis attribuuntur. 454,b
Tempore passionis duo pocula fuisse Christo propinata aliqui dicunt 453,b. 454,a
Alij dicunt vnicum poculum fuisse propinatum. 454,a
Sententia communis defenditur. ibid.& b
Quare Christus non biberit. ibid b.455,a
Multa prodigia in Christi passione ac morte acciderunt. 461,a & b
Terræ motus vniuersalis factus. ibid.b
Mons Alvernæ scissus. 462,a
Alius mons scissus prope lacum Campanum. ibid.
Scissura montis Calvariæ facta; & quare. 457,a 462,a & b
Christi passionem & mortem omnes creaturæ luxerunt. 523,a & b
Christus in passione sua omnia ad se traxit. ibid. & 524,b
Quo anno ætatis suæ fuerit passus. 407,a
Instrumenta passionis Christi tanquam trophæa victoriæ illius asservantur. 435,b
Luxuria oblivisci facit Christi passionem. 440,b
Christi passio est remedium luxuriæ. ibid. & 441,a & b

Christi potus, *vide* Christi sitis.

Christi præsepe, *vide* Christi nativitas.

Christi quies.

Christi quies est nostra. 479,a & b.480,a

Christi resurrectio.

Pax in nativitate Christi annuntiata, fuit in eius resurrectione consummata. 358,b
In loco resurrectionis Christi simulacrum Iouis erectum fuit. 406,b.407,a
Christi resurrectio ex custodia & signatione Sepulchri gloriosior & illustrior est reddita. 541,b
Christus per suam resurrectionem compauauit nobis gratiam & gloriam. 544 b. 545,a & b. 546,a
Christi resurrectio & nostra nomine generationis significatur. 546,a
Christi resurrectio est causa nostræ spiritualis & corporalis resurrectionis. ibid. & b
Christi resurrectio similis est eiusdem temporalis & æternæ generationi. ibid.b
Christi apparitiones post resurrectionem vbi, quibus & quomodo factæ fuerint; vide sub titulo Christi appariciones.

itized by Google

Christi saltus *sive* præcipitium.

Ratio nominis saltus sive præcipitij Dominici. 842,b
Loci illius descriptio. 843,a & b

Christi Sepulchrum, sepultura.

Arbor vitæ fuit typus Sepulchri Christi. 352,a
Studium infidelium pro obsteranda memoria Sepulchri Domini. 360,a
Veneris simulacrum in loco Sepulchri positum fuit. ibidem.
Sepulchrum Christi detegitur. ibid.b
Circa Sepulchrum Domini mandat Constantinus Imperator angustum extrui templum. ibid.
Epistola Constantini ad Episcopum Ierosolymitanum, vt insistat structuræ templi, prout dignitas eius requirit. 361,a & b. 362,a
Miraculum incantantibus demoliri S. Sepulchrum. 365, a
Æternum Patris sollicitudo pro Filij sepultura. 497,b
Ministerio Ioseph ab Arimathæa Deus Filio suo Sepulchrum construi curauit. 498,a. 516,a & b
Sepulchrum Christi terrâ operuerunt impij, vt Christi fidelium memoriam tollerent. 498,a
Item Iouis statuam in loco Sepulchri erexerunt. ibid. b
Expurgatur locus Sepulchri operâ Constantini, ac Sepulchrum exornatur. ibid. & 499,a
Materia Sepulchri Christi fuit rupes soloinhærens. 499,b
Forma & situs Sepulchri Christi ex variis Auctoribus describuntur. ibid.b. 500,a & b
Auctoris sententia de situ Sepulchri. 501,a & b
Christus more Iudæorum sepultus fuit. ibid.
Quantum distet Sepulchrum à monte Caluariæ, & à monte Sion. ibid.b
Forma Sepulchri. ibid. & seqq.
Tria in Sepulchro loca describuntur. ibid. & 502, a & b. 503, a & b
S. Scriptura istiusmodi de distinctis locis Sepulchri. 502,a & b. 503,b. 504,a
Nouæ imago Sepulchri Christi, vt erat illius tempore. 448
Ornamentis non fuit mutata essentialis forma Sepulchri. 502,b
Distinctio locorum Sepulchri ex Euangelistis. 503,b. 504,a
Vestibulum Sepulchri conuersum fuit in capellam. 503, b
Ostium Sepulchri parum est. 504,a & b
Lapis ostio Sepulchri admolitus vbi asseruetur. 503, a. 510, a. 585, b. 586, a
Sepulchri custodia duplex fuit. 404, b. 540, a. 541, a & b
Lapis Sepulchri an fuerit vnus vel plures. 505,a
Maldonatus asseris duos fuisse lapides. ibid.
Vnicum fuisse lapidem communior tenet sententia. ibid b. 506,a & b
Respondetur ad rationes Maldonati. 506,b. 507,a
Sepulchri signatio describitur ex Nicephoro. 507,a
Nicephorus improbatur. ibid. & b. 508,a
In fero Parasceues Sepulchrum munitum fuit. 507, b
Christi Sepulchrum quare signari & custodiri debuerit. ibid. & 508,a. 540,a & b. 541,a & b
Lapis non supra arcam, sed ad os capellulæ Sepulchri admolitus fuit. 508,b
Lapis ille quomodo signatus fuerit. ibid. & 509,a
Militaris custodia Sepulchri quæ fuerit. 509,a
Sepulchrum Dominicum concluditur templo Resurrectionis. ibid.b
In sacellum conuersum est, ac in duas capellulas distinctum. ibid. & 510,a
Petra Angeli qua dicatur. 509,b
Lapidis monumenti descriptio. 510,a, 585,b. 586,a
Secunda capella & Sepulchri forma. 510,a & b 511, a & b
Sepulchrum Bononiæ ad exemplar Dominici Sepulchri ædificatum. 511,a
Sacellum Sepulchro Domini à Gephitis additum fuit. ibid. b
Literæ Patris Bonifacij Stephanij continentes nonnulla de Sepulchro & cruce Domini. 512, a & b. 513, a
Particula S. crucis in Domini Sepulchro inuenta fuit. 512,b
Notæ aliquæ in literas P. Bonifacij. 513,a & b. 514, a & b. 515, a
Argumenta contra veritatem historiæ S. Sepulchri asseruntur. 515,a & b
Respondetur iisdem. ibid.b. 516, a & b. 517,a
Locus Sepulchri & Sepulchrum Dominicum nobilissima fuerunt. 516,a
Propter Sepulchrum Domini mons Caluaria honorandus est. ibid.
Ad solatium seruorum Dei Christus prope Caluariæ montem sepultus fuit. ibid b
Obiectio Guilielmi de Baldensel contra veritatem historiæ Dominici Sepulchri. 517,a & b
Respondetur eidem. ibid.b. 518,a & b. 519,a & b.
Sepulchrum Christi non fuit ab infidelibus ablatum. 517,b. 518,a & b
Consilium de Sepulchro demoliendo impeditum fuit. 518, a & b. 552,b
Fideles tametsi particulas aliquas Sepulchri abstulerint, non tamen totum Sepulchrum. 519,a & b
Patriarcha Ierosolymitanus mittit Sepulchri claues ad Carolum Magnum. ibid.b
Sepulchrum Christi inter loca deuotionis tenet principatum. 520,a & b
Cur sepulchra eruantur ex Ecclesiæ ordinatione in Hebdomada sancta. ibid.a
Figuræ Sepulchri Dominici variæ asseruntur. 521, a & b. 547,a. 549,b
Prophetiæ de Sepulchro Christi adducuntur. 521,b
Multipliciter gloriosum est Christi Sepulchrum. 522,a
Regium fuit Christi funus. 523,a
Christus omnia ad suum funus traxit. ibid. & b 524,a
Funus Christi illustre fuit ob comitantium excellentiam. 524,a & b
Quomodo Christi corpus de cruce depositum fuerit. 525,a
Referuntur ea, quæ acta fuerunt circa corpus Christi de cruce depositum antequam sepeliretur. 525,b vsque ad 529.
Christus more Hebræorum sepultus fuit. 526,a & b. 539,a & b
Modus pollinctura Christi explicatur. 526,b. 527,a. 539, a & b
Oculi Christi à Deipara clausi fuerunt. 527,a
Christus intonsus sepultus fuit. ibid.
Corpus Christi ablutum fuit. ibid.
Aqua, qua ablutum fuit Christi corpus, ad Flandros delata fuit. ibid.b
Corpus Christi vnctum fuit. ibid. & 528,a
Quomodo linteis involutum fuerit. 528,a & b
Quomodo Sepulchro illatum fuerit, capite an pedibus præmissis. ibid.b

Digitized by Google

Imago referens conditionem funeris Chriſti, & antiquam eiuſdem Sepulchri formam. 529
De variis linteaminibus, quibus Chriſti corpus de cruce depoſitum involutum & ſepultum fuit; quibuſque in Sepulchro relictis, glorioſius reſurrexit. ibid. & ſeqq.
Vide de linteaminibus ſub titulo Sindon, & Sudarium.
Pulcheria Auguſtæ faſcias Chriſti Domini, quas reſurgens reliquit in Sepulchro, locauit in templo Sapientiæ à ſe extructo. 531,a
Quid factum fuerit Sepulchro Domini, poſtquam in eo Chriſti corpus reconditum fuit. 540,a & b. 541, a & b
Angeli fuerunt Sepulchri Chriſti cuſtodes. 441,a
Explicatur cerimonia, quâ ſingulis annis repræſentatur funus ſeu ſepulchrum Chriſti, & defenditur contra impugnantes. 542, a & b. 543, a & b
Sepulchrum Chriſti vocatur regio vitæ, & terra viventium. 544,a
Peperit mundo gratiam & gloriam. ibid.& b
Cæleſtis & humana gloria Sepulchri Chriſti. ibid.b. 546, a
Chriſti Sepulchrum utero S. Mariæ Virginis comparatur. 546,a. 550,b. 551,a
Sepulchro Chriſti lex Moyſi euacuata fuit, & Euangelica ſtabilita. 547, a
Chriſti Sepulchrum glorioſius fuit ſepulchro Ioſiæ. ibid.& b
Chriſti & Sanctorum ſepulchra ſignificantur per lapideas vaſa melle & oleo referta populi Terræ promiſſionis. ibid.b. 548,a & b
Cur Chriſtus ſepeliri voluerit. 547,a & b
Chriſti Sepulchrum magis beatum quàm cæleſtem empyreum; ſingulariter verò, quando corpus Chriſti continuit. 549,a & b
Præfiguratum fuit in lectulo Salomonis. ibid. b. 550, a
Priuilegia uteri virginalis conceſſa ſunt Chriſti Sepulchro. 551,a
Miracula in utero Virginis facta, Sepulchro Chriſti non negantur. ibid.& b. 552,a
Chriſti Sepulchrum cælo ſimile eſt. 552, a & b
Chriſti Sepulchrum fuit in terreſtri paradiſo præfiguratum. ibid.b
Chriſtus quare in alieno ſepulchro ſepeliri voluerit. 553, b
Chriſti Sepulchrum continuit maximum totius mundi theſaurum. 554,a
Fuit theſauri vena. ibid.b
Non poteſt in eo ſepeliri aliud corpus. ibid.
Suauiſſimum ſpirat odorem. ibid.
Omnes ad ſe trahit. 555,a
Immortalitatem imitatur. ibid b
A fidelibus & infidelibus cuſtoditur. ibid.& 556,a
De igne quem in Sabbato ſancto Orientales ſchiſmatici intra ſacellum S. Sepulchri accendunt, quem ſanctum appellant, quoniam diuinitus de cælo miſſum eſſe volunt, 556,b & ſeqq.
Ex variis Auctoribus refertur, quomodo olim, igne de cælo diuinitus miſſo, ſolebant accendi lampades S. Sepulchri. 563,a & b. 564,a & b. 565,a & b. 566,a & b
S. Maria poſt mortem Chriſti aliquamdiu manſit & habitauit prope S. Sepulchrum. 569,b
Ibidem Chriſtus apparuit poſt reſurrectionem ſanctæ Mariæ. ibid.a
Conſideratio Metaphraſtis dicentis B. Virginem aſſediſſe Sepulchro, donec Chriſtum vidit reſurgentem, explicatur. ibid.& b. 570,a & b
Diſtantia locorum ſanctorum, quæ ſingulis diebus poſt Completorium in Supplicationibus viſitari conſueuerunt à Fratribus habitantibus in templo S. Sepulchri: item Indulgentiæ quæ in ipſis impetrantur: & ad quos de facto pertineat illorum gubernatio; quotque lampades in eiſdem appenſæ ardeant. 574,a & b. 575,a & b
Ichnographia Eccleſiæ S. Sepulchri comprehenſæ muro templi Reſurrectionis. 576
Platea S. Sepulchri deſcribitur. 576, a & b
Eccleſiæ & ſacella, ſeu altaria, in prædicta platea occurrentia deſcribuntur. ibid.& 577,a & b
Deſcriptio rotundæ formulæ Eccleſiæ ſuper Sepulchrum Domini ædificatæ ex Adamnano. 582, a & b. 583,a
Notæ aliquæ ponuntur in verba & relationem Adamnani. 583,a & b. 584,a & b
Ichnographia prædictæ Eccleſiæ. 585
Relatio Adamnani de lapide qui ad oſtium monumenti adoluitus eſt, quem Angelus remouit. ibid. a & b
Notæ ponuntur in prædictam Adamnani relationem. 586,a
Deſcriptio Eccleſiæ S. Mariæ quæ rotundæ Eccleſiæ cohæret ex Adamnano. ibid. & b
Notæ aliquæ in prædictam Adamnani deſcriptionem. ibid.b.& 587,a
Inſtructio, ſive enarratio quædam locorum Terræ ſanctæ, eorum præſertim quæ in templo S. Sepulchri viſuntur, ex antiquo manuſcripto accepta. 587,b. 588,a
Notæ aliquot ad præfatam inſtructionem. 588, a & b 589,a & b
Relatio Bedæ de Sepulchro Domini. 589,b. 590,a
Notæ ad præmiſſam relationem. 590,a & b
Alia relatio Othmari Presbyteri de Sepulchro Domini & aliis locis ſanctis. ibid.b. 591,a
Notæ ad præmiſſam relationem. 591,a & b
Inſcriptio inſignis in laudem Genuenſium ſupra arcum altaris S. Sepulchri Ieroſolymis. 375, a & b
Chriſti Sepulchrum quare glorioſum. 358,a

Chriſti ſermo.

Chriſti ſermo in monte habitus fuit in Galilæa. 304,a

Chriſti ſitis.

Sitis Chriſti in cruce unde proceſſerit. 420,b
Chriſtus in paſſione bis potatus fuit. ibid.
Duo pocula diuerſa fuiſſe Chriſto propinata in monte Calnaria quidam dicunt. 453,b. 454,a
Vnicum poculum alij propinatum fuiſſe dicunt. 454, a
Sententia communis defenditur. ibid.& b
Quare Chriſtus non biberit. ibid.b. 455,a

Chriſti ſpinea corona, *vide* Spinea corona.

Chriſti ſpongia.

Spongia olim Ieroſolymis monſtrabatur. 420,b
Romæ poſtmodum aſſeruatur. ibid.
In manus ac poteſtatem magni Turcæ deuenit. 433, b

Chriſti veſtimenta.

Capella diuiſionis veſtimentorum Chriſti Ieroſolymis. 398,a
Ratio nominis Capellæ diuiſionis veſtimentorum. ibid. & b
Veſtes Chriſti plures fuerunt. 399,a
Thorace an uſus fuerit Chriſtus. ibid.

Solus-

Solnitur argumentum contra pluralitatem vestimentorum Christi. ibid. b
Vestes Christi quales fuerint. 400,b
Cuius coloris fuerit tunica inconsutilis Christi. ibid.
Virtus vestimentorum Christi. ibid.b.401,a
S. Maria Christo adhuc parvulo tunicam inconsutilem fecit, qua cum eo crevit. 401,a
Vbi servetur tunica Christi inconsutilis. ibid.b
Subtilem Christo parvulo contexuit B. Virgo. ibid.
Servatur hec Rome. ibid.

Christiani.

Turce vocant Christianos canes. 52,a
Diversimode vexantur à Turcis. 53,a & b. 54, a & b

Chrysostomus.

Chrysostomi desiderium nudum presepe Domini videndi. 674,b

Circumcisio.

Circumcisionis minister nullus fuit determinatus. 640,a
Matres pro maiori parte solitas fuisse filios circumcidere, probabile est. ibid.& b
Vide plura sub titulo Christi circumcisio.

Cisterna Bethlehem, *vide* Bethlehem.

Cisterna Dauid, *vide* Bethlehem.

Cisterna trium Regum, *vide* Magi.

Ciuitas.

Sub nomine Ciuitatis aliquando vicinus intelligitur. 15,b
Nomine Ciuitatis intelligitur Ierusalem. 96,a
Ciuitates & gentes maritime pluribus vitijs sunt obnoxie quam mediterranee. 34,b
Plato quare noluit ciuitatem Reip. metropolim esse maritimam. ibid.
Ciuitas vastanda, & non restauranda; item ciuitas nova Isaie cap.25. revelata qua fuerit. 464,a & seqq.

Ciuitas Dauid, *vide* Dauid.

Clarissæ.

Clarissæ Acone, sive in ciuitate Ptolemaide, omnes interfectæ sunt, puritatis egregium exemplum ostentantes. 898,b.899,a
An laudabiliter pro tuenda castitate sibi nares præciderint. 899,b. & seqq.

Fr. Claudius.

Fr. Claudius à Landa optima fuit indolis, & omnibus charus. 66,a
Dictus fuit in sæculo Marcus Antonius. ibid.
Desiderat fieri Minorita. ibid.
Suscepit habitum, & ex patria recedit. ibid.b
Eius fervor in concionando. ibid.
Vadit Ierosolymam, ibique piè moritur. ibid.& 67,a

Clauus, *vide* S. Crucis claui.

Cleophas.

Cleophæ fuit indigena Emmauntis. 718,b
Reliquiæ domus Cleophæ. 720,a

Coccus.

Coccus & purpura distincti sunt colores. 432,a
Coccus quid sit. ibid. & b
De coccinea chlamyde Christi vide sub titulo Christi chlamys.

Cœcus.

Cœcus non poterat in templo Domini fungi munere Sacerdotis. 600,b

Cœmeterium.

Cœmeterium quid sit, & unde dicatur. 128,a
Vide plura in titulo Sepulchrum.

Cœna, Cœnaculum.

Ecclesia SS. Apostolorum in loco cœnaculi Christi ædificata. 119,a.121,b
Varia sententia de loco ultimæ cœnæ. 119,b
Prima dicit fuisse domum matris Ioannis Marci. ibid.
Secunda ait fuisse Ioannis Evangelistæ. ibid.
Tertia asserit fuisse domum Prisci, Christi discipuli. ibid.
Quarta dicit fuisse domum Simonis Leprosi. 120,a
Refelluntur predicta sententia. ibid.& b
Sententia Auctoris proponitur. ibid.
Dominus cœnaculi dives erat. ibid. b
Genua asservatur catinus, in quo mensa illatus fuit agnus paschalis. ibid.
Quænam facta fuerint in sancto cœnaculo. ibid.
Confirmationis Sacramentum ibi institutum. ibid.
In eodem loco Christus primò apparuit discipulis ipsa die resurrectionis. ibid.
Secundo, post dies octo. ibid.
Ibi Iacobus Minor Ierosolymorum Episcopus ordinatus fuit. ibid.& 121,a
S. Stephanus ibi cum sex aliis in Diaconum electus. 121,a
Eò convenerunt Apostoli, & primum Concilium celebrarunt. ibid b
Aliud Concilium ibidem celebratum est post captam Ierosolymam sub Godofredo. ibid.
Ibidem est sepulchrum Davidis. ibid. & 123,a
A quo fuerit Ecclesia loco illo ædificata. 121,b
Vocatur Ecclesia Sion, & mater Ecclesiarum. ibid. & 122,a
Cœnaculi Ecclesia in Turcarum Mesquitam conversa est. 125,a
Vide plura sub titulo Sion Ecclesia.
Christus in cœna in superiori loco discubuit. 453,a

Colloquij lapis, *vide* Bethania.

Columba.

Columba est symbolum amoris carnalis. 441,a & b

Columna.

Columna marmorea ad quam Christus flagellatus fuit. 124,a
Vide Christi flagellatio & Flagellationis altare.

Comedere, *vide* Mensa.

Compendium.

Sindon Compendiensis Christi describitur. 533,a

Concilium.

Vbi & quando Apostoli celebrarint primum Concilium. 121,b
Aliud Concilium post captam Ierosolymam sub Godofredo vbi celebratum fuerit. ibid.
Contenta in Conciliis & Pontificum diffinitionibus, alia sunt de fide, alia non, & quomodo cognoscantur. 144,a & b
Concilia in genere, alia sunt universalia, alia particularia. 646,b
Particularia Concilia sunt multiplicia. ibid.
Tam generalia quàm particularia Concilia, vel sunt approbata vel reprobata. ibid. & 658,a
De Conciliis Ancyræ celebratis vide 647,a & b
De Concilio Ancyrano vide sub titulo Ancyra.
Quatuor hominum genera ad Concilium convocantur, & conveniunt, Decidentes, Consulentes, Ministrantes, Protegentes. 648,a
Decem Concilia Antiochiæ celebrata fuerunt. 649,b
Reliqua vide sub titulo Antiochia.
Nova hæresis nunquam antèà indicata, est causa quare legitima Concilia celebrari consueverint. 650,a

Concis-

Digitized by Google

Concilium Sardicense duplex, Catholicum & clandestinum. 651,b
Vide sub titulo Sardica.
Concilium Gangrense contra Eustathium hareticum. 654,b
Vide sub titulo Gangra.
Concilium Laodicenum celebratum fuit contra Montanum & reliquas hereses. 655,b
Vide sub titulo Laodicea.
Concilium Carthaginense coactum fuit contra Novatum. 656,a
Vide sub titulo Carthago.
Quatuor prima Concilia, Nicenum, Constantinopolitanum, Ephesinum & Chalcedonense, semper plurimum ab omnibus fuerunt aestimata. 658, a & b
Concilium Nicanum I. contra Arium celebratum fuit tempore Constantini Imperatoris. ibid.a
Vide sub titulo Nicæa.
Evangeliorum codex cur in omnibus Conciliis in medio collocari solitus fuerit. 660,a
Concilia Constantinopolitana quot, qualia, quare, quando habita fuerint. ibid.b. 661, a & b. 662, a & b
Vide sub titulo Constantinopolis.
Concilia Ephesi celebrata. 663, a & b
Vide sub titulo Ephesus.
Concilium Chalcedonense contra Eutychetem & Dioscorum. 664,b
Vide sub titulo Chalcedon.
Quintum Concilium, seu quinta Synodus, alia est particularis, alia generalis fuit, scilicet secunda Constantinopolitana. 667,a
Vide sub titulo Constantinopolis.
Synodus Trullana contra Sergium & Cyrum fuit sexta generalis, & tertia Constantinopolitana. 668,b
Vide Constantinopolis.
Septimum Concilium generale, seu Nicanum secundum, celebratum fuit hortatu Constantini VI. & Irenæ matris, Augustorum. 670,a
Vide Nicæa.
Ratio delineationis picturarum sacrorum Conciliorum in Ecclesia S. Mariæ Bethlehem. 671,b
Mons malus Concilij unde dicatur, & ubi sit. 177,a

Concisio.

Vallis Josaphat cur dicatur vallis concisionis. 152,a

Concordia.

Ex concordia, victoria. 877,a

Concupiscentiæ sepulchra.

Aliqui dicunt villulas & antra in rupibus deserti Pharan excisa esse sepulchra concupiscentiæ, sed falsò. 991, a & b
Sepulchra concupiscentiæ quid, & ubi sint. ibid.b
Non sunt in via ad Sinai. ibid.
Ratio nominis sepulchrorum concupiscentiæ. 992, a & b

Confirmationis Sacramentum.

Confirmationis Sacramentum ubi & quando institutum sit. 120,b

Conradus.

Conradus Rom. Imperator totum se dat ad extruendo & exornanda templa. 365,b. 366,a
Fr. Conradus de Alys a Mauris pro Christo occisus fuit. 898,b

Fr. Consalvus.

Fr. Consalvus laicus, ex Ordine Fratrum Minorum, pro cruciatibus in carcere mutuis. 944, a

Consortium.

Ab impiorum consortio recedendum est. 84, a & b

Constantia.

Aliquarum mulierum insignis animi constantia. 210,b. 211,a

Constantinopolis.

Constantinopolis nomina & dignitas. 661,a
Triginta septem Concilia, cuiusque conditionis, ibidem celebrata fuerunt. ibid.
Tria generalia Concilia Constantinopolitana approbata. ibid.
Primum Concilium Constantinopolitanum celebratum fuit anno Domini 381. sub Damaso Papa, seniore Theodosio fauente. ibid.b
Numerus Patrum fuit centum & quinquaginta. ibid.
Causa huius Concilij fuit hæresis Macedonij, Spiritus sancti divinitatem negantis; & Apollinaris, negantis Christi humanitatem. ibid. & 662, a & b
Canones duo Concilij Constantinopolitani. 662,b
Hæresis Apollinaris & Macedonij in Concilio & Symbolo Constantinopolitano damnata fuit. ibid. a & b
Concilium Constantinopolitanum II. dicitur quintum generale 667,a
Episcoporum numerus qui huic Concilio interfuerunt. ibid.
Confirmatum fuit à Pontifice. ibid.
Eutychius nomine Pontificis eidem præfuit. ibid.
Causa Concilij fuit hæresis Nestorij & Origenis. ibid. & b
In generali & in particulari sunt condemnati. 667,b. 668,a
Tertium Concilium Constantinopolitanum habitum fuit in Secretario sacri palatij, quod cognominatum est Trullus, unde & Trullanum dictum fuit. 668,b
Celebratum fuit auctoritate Agathonis Papæ, & ope Constantini Pogonati. ibid & 669,a
Numerus Episcoporum. 669,a
Agatho Pontifex præsedit per Legatos. ibid.
Causa huius Concilij fuit Sergij hæresis, asserentis unicam in Christo voluntatem. ibid.
Damnatus fuit Sergius cum sectatoribus. ibid.b
Approbatum fuit hoc Concilium communi Ecclesiæ consensu. ibid.

Constantinus.

Epistola Constantini Imperatoris ad Episcopum Ierosolymitanum, ut insistat structuræ templi, prout illius dignitas requirit. 361,a & b. 362,a
Templa Passionis & Crucis Domini ædificavit Constantinus. 362,b
Primum Concilium Nicanum celebratum fuit auxilio Constantini Magni. 659,a
Ope Constantini Pogonati celebratum fuit tertium Concilium Constantinopolitanum. 668,b. 669,a
Impia parentum vestigia non est secutus Constantinus Pogonatus. 669,a
Hortatu Constantini VI. & Irenæ matris eius celebrata fuit secunda Nicæna Synodus. 670,a. 671,a
Constantinus, Leonis Isauri filius, cur dictus sit Copronymus. 670,b
Imperij collega à patre assumitur, & cum eo imperat annis viginti & uno; post patrem verò annis viginti quinque. ibid.
Magicis artibus & luxuriis, &c. addictus fuit, & in Sancto-

Sanctorum imagines ac Reliquias debacchatus. ibid.
Conſtantinus Imperator primò templum Reſurrectionis Dominæ ædificauit. 359,b.360,a & b
An licitè & congruè imago Conſtantini Imperatoris appareat in templo Reſurrectionis Dominæ Ieroſolymis. 378,a & b 379,a & b
Conſtantinus non debet dici hæreticus. 378,b
Laudatus fuit à Patribus. ibid.
Pœnitentiâ culpas delevit. ibid.
Iudicium Senatus populique Romani de Conſtantini pietate in nummis expreſſum. ibid.
Græci eum inter Deos relatum aſſerunt. 379,a
Diem anniverſarium natalis eiuſdem colunt. ibid.
Cur ſupra coronam auream Sancti diadema Conſtantino appoſitum fuerit. 378,a.379,a & b

Contemplari.

Vita contemplativa ſignificatur per ſepulchrum. 556,a & b

Continere, Continentia.

Continere multipliciter accipitur. 484,b

Conuallis Mambre, *vide* Mambre.

Conuiuium.

Conuiuium apud Iſaiam cap. 25. quid ſignificet. 466,b & ſeqq:
Vide plura ſub titulo Calvariæ mons, *vbi omnia ad hoc conuiuium ſpectantia accuratè explicantur.*

Cor.

Olim ſolitum fuit cor affculpi ſepulchris. 556,a

Corallium.

Corallium in mari Rubro invenitur. 977,b

Corandal.

Corandal ſitus & conditio. 984,b
Notabilis eventus qui accidit Auctori inter Mara & Corandal. ibid.& 985,a & b

Corbacat.

Corbacat Dux Perſarum obſidet Antiochiam, & mirabiliter proſligatur. 421,a & b

Corona ſpinea, *vide* Spinea corona.

Coronatio Chriſti, *vide ſub titulo* Pilatus.

Coſan, *vide* Ioſias.

Coſmas.

Fr. Coſmas Ieroſolymis Chriſtum prædicans, ac Mahometem damnans occiditur, & corpus eius comburitur. 55,b. 56,a & b
Collectos cineres combuſti corporis Turcæ vendunt fidelibus cum habitu & chorda ipſius, quæ ea tamquam pretioſas Reliquias in Hiſpaniam miſerunt. 56,b
Retinere fecerit Fr. Coſmas mortis ſe vltrò pro Chriſto exponendæ. 59,b vſque ad 63,b

S. Cotonus.

S. Cotoni Eccleſia Thebæa. 687,a

Cranium.

Cranium quare appingatur ad pedes crucifixi. 491,a

Creatio.

Deus differenter quieſcere dicitur in creatione & redemptione. 480,b

Creatura.

Creatura & Scriptura ducunt nos ad Deum. 20,b

Credere, *vide* Fides.

Credo, *vide* Symbolum Apoſtolorum.

Crocodilus.

Crocodili Nili quales ſint. 935,a & b

Crux, crucifixus.

Columna Iſraëlitas præcedens, item Moyſis virga, fuerunt typi crucis Chriſti. 17,a & b
In Proceſſionibus fidelium crux non ſine ratione præfertur. ibid.
Agnus Paſchalis fuit figura ſacrificij crucis. 385,b
Chriſtus crucifixus fuit luna decimaquinta. ibid.
Mors crucis propriè infligebatur ſeditioſis & Regni affectatoribus. 200,a
Iudæi voluerunt Chriſtum crucifigi, vt magis cruciaretur, & eius memoria ſepeliretur. 199,b
Ratio nominis Via crucis ſine dolorosa. 179,a
Adrichomij relatio de myſterijs & longitudine Viæ crucis. ibid.b.180,a
Alia Viæ crucis deſcriptio. 180, a & b
Frequentatio Viæ crucis. ibid.b
Maria Virgo prima fecit Viam crucis poſt Chriſti mortem. ibid.
Enumerantur præcipua loca Viæ crucis. 179
Vide reliqua de Via crucis ſub titulo locorum particularium eiuſdem Viæ crucis.
Condemnati ad crucem, eandem deferebant. 393,b
Chriſtus quomodo crucem portarit. ibid.
Duplex modus crucifigendi. 198,b. 199,a
Chriſtus vulgari modo crucifixus fuit. 199,a
Non in ære, ſed lignis fuit cruci affixus. 442,b
Cur Euangeliſtæ non explicuerint modum crucifixionis. ibid.
Proponuntur varij modi crucifigendi; & quo illorum Chriſtus crucifixus fuerit. ibid. & 443, a & b. 444,a
Elevatio crucifixi à terra dicitur vera & plena exaltatio. 443,a
Elegantia loci crucifixionis. ibid.b
Chriſtus linteo à S. Maria vel alibunde oblato voluit operiri partes verendas. ibid. & 444,a
S. Maria & S. Ioannes præſentes fuerunt, cum Chriſtus cruci affixus fuit. 444,b. 445,a
Vide Calvariæ mons.
Canum crucis operimen eſt laminâ argentea: cuius exemplar habetur 456
In quo ſitu, vel in qua parte crucis, aut vbi, ſteterit B. Virgo iuxta crucem. 458,a & b
Feſtum Exaltationis S. Crucis operâ Helenæ inſtitutum fuit. 459,b
Chriſtus quare extra civitatem crucifixus fuerit. 435,a & b.446,b
Chriſtus in cruce Occidentem reſpiciebat. 446,b. 447,a
Proinde non habuit Ieruſalem à tergo, ſed à ſiniſtro latere; & quare. 447,a & b.448,a & b
Iudas quare inter latrones Chriſtum crucifixerit. 459,b
Item quare Chriſtus inter latrones crucifigi voluerit. 460,a & b
Bonus Latro à dextris Chriſti in cruce pependit. ibid.b. 461,a
Vmbrâ corporis Chriſti in cruce pendentis bonus Latro converſus fuit. 460,b
Chriſtus in cruce fuit cognitus Deus & homo. 352,a
Crucifixorum corpora tolli non poterant ſine licentia Magiſtratus. 524,b
Iudæi non patiebantur crucifixos in patibulis in magno Sabbato; ſed deponebant, & omnia inſtrumenta ſepelichant ſub terra, propter feſtum & Domini præceptum. 403,a
Alij non Iudæi corpora in patibulis relinquebant. ibid.
Iudæi ſolebant inſtrumenta mortis iuxta corpora damnatorum, vel non longè ab illis ſepelire. ibid.b

Cur Iudæi voluerint reos in arboribus crucifigi. ibid.
Quid dicendum de septem filiis Saul, quos crucifixerunt Gabaonitæ, nec eo die, quo crucifixi erant, deposuerunt corpora eorumdem de patibulis. 404, a & b
Corpus Christi eodem crucifixionis die deponendum fuit de cruce. ibid. b
Dissimiliter actum fuit cum cruce Christi & latronum. 406, a
Joseph & Nicodemus susceperunt curam crucis Christi. ibid. & b
Crux statim post Christi mortem in honore habita fuit. ibid. b. 407, b. 408, b
Ad tollendam crucis memoriam, in loco eius statua Veneris collocata fuit, & quare. 406, b. 407 a. 440, b. 441, a & b
Crux Christi ubi reposita fuerit per aliquod tempus post eius resurrectionem, antequam fuisset ab Helena inuenta. 397, b
Exemplar crucifixi à Nicodemo excisum Lucæ in Tuscia seruatur. 406, b
Crux non fuit statim proiecta in sordidum locum post Christi mortem. 407, a & b
Quid factum fuerit de S. Cruce post Christi mortem. 408, a & b
Quando crux Christi fuerit in fossam sordidam proiecta. ibid. b
Continuum miraculum ligni S. Crucis. 413, a
Ligno S. Crucis totus mundus repletur. ibid.
Forma S. Crucis. ibid. b. 414, a
Stipites trophæorum & signa militaria formam crucis repræsentarunt. 413, b
Altitudo, longitudo, latitudo & profundum crucis quid significent. 414, a
Ex quot lignis facta fuerit crux Christi; & an ligna fuerint eiusdem vel diuersæ speciei. ibid.
Varia sententia proponuntur. ibid. & b. 415, a
Sententia Auctoris proponitur. 415, b
Ex olea fuit crux Christi. ibid.
Crux doctrinam Christi dulciorem facit. 467, b
Crux Christi est clauis intelligentiæ S. Scripturæ. ibid. & 468, a
Crux est malum punicum. 468, b 469, a
Mater corrupta sub arbore malo, id est cruce, dicitur Synagoga; sponsa verò ex ea genita, Ecclesia. 469, a & b
Mysteriosum S. Crucis hieroglyphicum à Iacobo Bosio relatum de Triumphante Cruce lib. 5. cap. 9. 470, a
Crux Domini vegetabilem habet virtutem. 313 b
Crux non potuit comburi, aut vlla ratione corrumpi. ibid.
Crucifixi imaginem in radice lilij inuenerunt Minoritæ in suburbiis S. Ciuitatis. 17, b
Dant eam mercatoribus in Belgium redeuntibus. ibid.
Imago prædicta ob prodigium tradita fuit Monialibus S. Augustini Densæ. 18, a
Gandauo asseruatur, vbi concursu populorum inuisitur. ibid.
Illius descriptio. ibid. & b
Tempus inuentionis licet incertum sit, probabile tamen innititur. ibid. b
Cuius dignitatis sit illa radix crucifixi; & nonnulla quæ in illa latent mysteria ex Isaia explicantur. 20, a vsque ad 25
Duæ aliæ crucifixi imagines à natura mirabiliter productæ, vna Vallisoleti in Hispania ex vite; altera Traiecti ad Mosam in Belgio ex nuce: quarum forma etiam describitur. 25, b. 26, a & b
Insigne miraculum refertur quod contigit circa crucifixi imaginem. 910, a & b. 911, a & b. 912, a & b
Pars S. Crucis è sacro templo ablata, in Armeniam deportata fuit. 383, b
Locus vbi crux Domini posita fuit post eius inuentionem. ibid.
Crux area inuenta fuit in ostijs portæ Aureæ. 333, a
Custoditur hæc in Dominico Sepulchro cum alijs Reliquijs. ibid.
Vnde Equites & alij S. Crucem ante pectus ferre didicerint. 412, b
Ecclesia in crucis formam antiquitus ædificari solebant, & quare. 242, b. 243, a & b
De cruce boni Latronis vide sub titulo Latro.

S. Crucis claui.

Quot clauis Christus fuerit cruci affixus. 417, a & b
Quid de clauis illis factum sit. ibid. b. 419, b
Ex duobus frenum Constantini munitum est. 417, b. 418, a. 419, b
Clauo Dominus mare tranquillum reddidit. 417, b
De quarto clauo quid factum fuerit. ibid. & 418, a
Quomodo, cùm claui Domini tres tantùm vel quatuor fuerint, multo plures recensentur. 418, a
Vbi clauis inuenti fuerint. 419, a
Prima & secunda sententia. ibid. & b
Clauus Mediolani in veneratione habetur. 420, a
Alij claui alibi asseruantur. ibid.

S. Crucis exaltatio.

Festum Exaltationis S. Crucis operâ Helenæ institutum fuit. 459, b

S. Crucis Festum.

Cur Resurrectio Domini Festum S. Crucis præcedat, cùm olim triduo resurrectionem præcesserit. 381, a & b

S. Crucis inuentio.

Cautela est adhibenda in lectione historiæ inuentionis S. Crucis. 402, a
Prima sententia Adrichomij de loco inuentionis S. Crucis. ibid.
Refellitur. ibid. & b
Secunda, Brocardi, & aliorum. ibid. b. 403, a
Tertia sententia proponitur, & altera Brocardi reijcitur. 402, a & b. 404, a & b
Discutitur hæc tertia sententia; & ostenditur Brocardi sententiam non esse improbabilem. 405, a & b. 406, a
Quo anno crux Christi inuenta fuerit. 407, a
Inuentio crucis quare dicta sit Resurrectio. ibid. & b. 408, a
Apud Græcos nullum est Festum inuentionis S. Crucis. 407, a & b
Miracula facta in morte Christi, etiam facta sunt in S. Crucis inuentione. 408, a
Describitur locus inuentionis S. Crucis. ibid. b. 409, a
Ab omnibus tam Catholicis quàm schismaticis locus ille in veneratione habetur. 409, a
Antiqua pictura historiæ inuentionis S. Crucis. ibid.
Communis traditio de inuentione S. Crucis secundùm mentem Auctoris. 406, a vsque ad 410, a
Soluuntur difficultates contra allata. 409, a & b. 410, a
Quo anno Imperij Constantini Magni inuenta fuerit crux Christi. 410, a
Prima sententia proponitur. ibid. & b

Refellitur. ibid.b
Secunda sententia, & communis. ibid. & 411,a
Respondetur ad illa quæ pro prima sententia adducta fuerant. 411,a & b
Helenæ diligentia in Christi cruce inquirenda. 410, b
Locus inventionis S. Crucis quomodo cognitus fuerit. 411,b
Helena minis urget Iudæos ad locum crucis ostendendum. ibid. & 412,a
Terræ motu ac suavi odore locus S. Crucis deprehenditur. 412,a
S. Crux in lucem prodit. ibid.
Vociferatur diabolus cruce inventâ. ibid.
Qui locum crucis ostendit, Christianus postea factus, maximam & patentem erga S. Crucem devotionem ostendit. ibid. & b
In loco inventionis S. Crucis S. Willibaldus oculorum lumen recepit. ibid b
Humanâ diligentiâ & miraculis crux Christi inter alias latronum fuit cognita. ibid.
Continuum miraculum ligni S. Crucis. 413,a
Ex titulo fuit aliqualiter cognita S. Crux. ibid.b
De inventione spineæ coronæ, & clavis quibus Christus crucis affixus est, vide sub titulo Spinea corona, *&* S. Crucis clavi.

S. Crucis titulus.

Capella tituli S. Crucis. 395,b. 397,b
Titulus crucis ubi primò repositus sit. 397,b
Tituli crucis forma & locus. ibid.a & b
Characteres tituli rubro colore tincti erant. ibid.a
Titulus non in charta, sed in ipsa lignea tabella ferreo instrumento insculptus fuit. ibid.b
Materia tabellæ tituli buxea fuit. ibid.
Quomodo tabella illa crucis fuerit apposita, an funiculo, an clavis. ibid.
Solvuntur parva difficultates contra tituli characteres & locum asservationis. 398,a
Tabella tituli non servatur integra Romæ. ibid.

Culpa.

Culpam pœna comitatur. 281,a

Cunegundis, *vide* Kunegundis.

Cyrenæus, *vide* Simon.

Cyriacus.

Qui locum S. Crucis Helenæ ostendit, postmodum Christianus factus, dictus est Cyriacus. 412,a

Cyrus.

Cyrus Persarum Rex dat facultatem Iudæis redeundi in patriam suam, & reædificandi Ierusalem & templum Domini, etiam suis propriis impensis. 48,b

D.

Dæmon.

DÆmones animas defunctorum simulant, ut decipiant. 188,a & b
Infernum non esse perpetuum carcerem mentiuntur. ibid.
Item, persuadent animas post mortem habere corpora, easque de uno in aliud transmigrare. ibid.b
Dæmones libentius extra infernum quam intra sunt. 194, a & b

Dalmanutha.

Dalmanutha est locus trans mare Galilææ. 860,b

Damascus.

Quæ à scriptoribus dicuntur de fecunditate & amœnitate Damasci, præsenti civitati aptata, hyperbolica sunt. 875,b
Damascus vetus Salaia *dicta.* ibid.& 877,a
Damascus quid sit. 875,b
Distantia eius ab Ierosolymis. ibid.
Est civitas pulchra & munita, fontibus affluens. ibid.
Insignis in ea est Ecclesia S. Zachariæ. ibid.
Damascus ob opulentiam & amœnitatem fuit caput Syriæ. 876,a
De conditore Damasci quinque sunt sententiæ. ibid.
Prima aut conditam esse à Damasco seruo Abrahæ. ibid.
Secunda, à Core Edom filio. ibid.b
Tertia, à filio Mercurij. ibid.
Quarta, à Damasco Rege. ibid.
Quinta, ab Hus filio Aram. ibid.
Conciliantur prædictæ sententiæ. ibid. & 877,a
Locus ubi stetit Rex qui Damascum cepit. 877,a
Damasci nominis etymologia. 876,b
Eiusdem nomina. 877,a
Locus prope Damascum, ubi aliqui asserunt Adam esse plasmatum. ibid.
Domus Naaman lepræi prope Damascum. ibid.
Sepulchrum Giezi ibidem. ibid.
Ecclesia Quadraginta Martyrum prope Damascum in eius plaga Septentrionali. ibid.
Locus ubi aliqui asserunt Adam plasmatum fuisse. ibid.
Vide plura sub titulo S. Paulus.
De Fratribus Minoribus qui Damasci pro Christiana Religione passi fuerunt, & memorabili quodam eventu. 884, a & b. 885,a & b

Damascenus ager.

Agri Damascenus situs & conditio. 774,a
Terra eius à Saracenis æstimatur. ibid.& 778,a. 779, a
Damascenus ager triplex est; unus apud Damascum Syriæ; alter, apud Hebronem Iudææ; tertius apud Mesopotamiam. 778,a
Secundum opinionem Orientalium Adam plasmatus fuit in agro Damasceno prope Hebron. 774,a & b. 778,a & b
Refutatur. 778,a & b
Quidam dicunt Adam plasmatum fuisse in agro Damasceno apud Damascum Syriæ. 778,a
Alij verius dicunt Adam plasmatum fuisse in agro Damasceno Mesopotamiæ. 779,a

Damiata.

Damiata olim Memphis dicebatur, ubi floruerunt prima studia litterarum. 935,b
Nunc destructa est. ibid.
Aliam novam Damiatam construxerunt Saraceni; cuius situs describitur. ibid.
Nona Damiatæ feriatus. 736,a
Eiusdem habitatores. ibid.
Duæ traditiones de pomis paradisi ibidem crescentibus rejiciuntur. 936,a & b
Pomorum paradisi conditio ex Brocardo adfertur. ibid.a
De aliquibus Fratribus ex Ordine S. Francisci, qui in Ægypto apud Damiatam pro Christi fidei confessione à Saracenis occisi fuerunt. 937,a & b
Damiatam primò profectus fuit S. Franciscus; & Soldano Ægypti Evangelium prædicavit. ibid. a

Dampati.

Damnatorum corpora tolli non poterant sine licentia Magistratus. 524,b
Damnatus infernum statim post mortem dat Deum. 192,b
Inferni pœna quocunque damnatos insequitur. 194,a
In inferno maior est damnatorum pœna quam exitus. ibid.

Daniel.

Digitized by Google

Daniel.

Lacus leonum Danielis fuit figura Sepulchri Christi. 521,b

Daniel Propheta apud Babylonem tumulatus fuit. 306,a

Trium puerorum amicorum Danielis corpora ibidem sunt. ibid.

Daphca.

Daphca fuit vna mansio Israëlitarum. 987,a

Dauid.

Primus Rex Ierusalem ex Iudæis assumptus fuit Dauid. 45,a

Oppugnat arcem Sion. ibid.

A Iebusæis conatus eius irridentur. ibid.

Capitur ab eo Sion, & Regni sedes instituitur. ibid.

Amplıatur, & fortificatur ab eodem. ibid.

Domus Dauid à militibus custodita, prefiguravit Sepulchrum Christi à Pilati militibus custoditum. 521,a

Turris Dauid & castrum Pisanum idem sunt. 69, a & b

Turris Dauid, ciuitas Dauid, arx Sion, an sint eadem. ibid b

Adrichomij & aliorum opinio. ibid.& 70,a

Opinio Abulensis. 70,a

Auctoris opinio. ibid.b.71,a & b

Dauid arcam Dei in montem Sion introduxit. 117, b. 118,a

Dauid in solario domus suæ, id est supra tectum, vidit Bethsabee. 596,b

Bethsabee lauabat se in solario suo, quando à Dauide fuit concupita. ibid.

Salomon fuit legitimus ex Dauide & Bethsabee filius. 597,a&b

Dauidis pœnitentia post dimissum peccatum. 225,b

Dauid in spelunceam deserti Engaddi se recepit, vt Saulis persecutionem euaderet. 693,a

Quomodo Dauid cum militibus suis ita potuerit in spelunca delitescere, vt Saul in eam ingressus eos nec viderit, nec audierit. ibid.b

Quomodo Saul non aduerterit, cùm Dauid oram chlamydis eius præscidit. ibid.

Varia ad hæc duas quæstiones adferuntur responsiones. ibid.& 694,a & b.695,a & b

Deus in Dauidis gratiam multa fecit miracula. 695,a&b

Dauid regnauit circiter quadraginta annis. 45,a

Turcæ Dauidem venerantur sicut summum pontificem. ibid.

Iidem Dauidis Psalmos in suis Mesquitis legunt. ibid.

Dauid cisterna, *vide* Bethlehem.

Dauid ciuitas.

Duplex est ciuitas Dauid, vna in monte Sion, quia eam deuicit, & in illa habitauit; altera, ex qua Dauid fuit oriundus. 619,b

Bethlehem cur dicatur ciuitas Dauid. ibid.

Dauidis sepulchrum.

Dauid sepultus est in monte Sion. 305,b

Dauidis sepulchrum, & eius forma. 121,b.123,a

Est extra ciuitatem. 126,b.127,a

Illud in monte Sion venerantur Turcæ. 52,a

Quamnam sepulchro Dauid fuerint sepulti. 730,b. 731,a

Excellentia & diuitiæ sepulchri Dauidici. 128,b. 129,a

Eius forma. 129,a&b

Celeberrimum fuit illud sepulchrum. ibid.b

Quousque perdurauerit. ibid.& 130,a

Sepulchrum Dauidis quare diruptum sit, Christi verò conseruatum. 130,a&b

Debbora.

Debbora & Barac quartum locum sortiti sunt inter Iudices Israël. 728,b

Decapolis.

Decapolis quid sit, & eius fines. 860,b

Defuncti.

Defunctorum corpora olim sepeliebantur extra ciuitatem. 26,a. 501,a & b

Priuilegium fuit, quòd Christiani sepelierint intra vrbem Martyrum corpora. 126,a

Vide plura in titulo Sepulchrum, Sepultura.

Mos Iudæorum in defunctorum corporibus sepultura tradendis. 525,b & seqq. 538,b. 539, a & b

Pollinctura duplex ratio apud Hebræos. 525,b

Item mos Ægyptiorum. ibid.& 528,b

Mos Iudæorum in ligandis seu involuendis defunctorum corporibus. 326,b

Defuncti statum post mortem determinata habent receptacula. 191,b.191,a & b

Defunctos viuis apparere, magnum est miraculum. 193,a& b.195,a

Dæmones animas defunctorum simulant, vt decipiant. 188,a & b

Demosthenes.

Demosthenis insigne responsum. 219,

Denominare, Denominatio.

Denominatio fit ab eo quod notius est. 595,a. 739,b

Desertum.

Duplex fuit in Iudæa desertum. 706,b. 707,a

S. Ioannes Baptista quæ & quot deserta sanctificauerit. 707,a

Deus.

Sententia Platonis de ideis diuinis explicatur. 346,b

Omnia creata habemus in Deo esse cognitum. ibid. & 347,a

Omnia cum consilio fecit. 347,a

Affectionum corporalium nomina de Deo enuntiantur. 219,a

Frequentissimum est in diuinis Litteris, quæ excelsa & insigna sunt, siue in bono, siue in malo, Dei *appellari.* 117,a & b

Deus clarè visus & dilectus est causa gloriæ. 548,b

In præsenti vita non nisi obscurè cognoscitur. 685,b

Seruos suos protegit. 497,b

Dilectio Dei respectu hominis, quomodo vnius fuerit, quomodo non. 224,b

Deo propter se solum, & non propter spem mercedis, aut timorem gehennæ seruire oportet. 884,b. 885,a

Dei Filius.

Manus significat Dei Filium. 480,a&b

Opus redemptionis SS. Trinitati commune, Dei Filio appropriatur. ibid.b

Dei misericordia.

Dei misericordia erga peccatores. 118,b. 119,a

Dei prouidentia.

Dei prouidentia erga seruos suos. 984, b. 985, a & b

Deliquium, *vide* Spasmus.

Densa.

Densam Flandriæ oppidum mirabiliter dilata fuit crucifixi imago ex radice lilij dimissa efformata. 17,b. 18,a

Dextra.

Dextra est symbolum misericordiæ. 460,a

Dextra est sinistrâ dignior. ibid.

Dialogi lapis, *vide* Bethania.
Diana, Dianæ templum.
Diane templum ἐπιφανέστατον. 663,2 & b
Dies.
Initium & finis dei apud Iudæos & Romanos. 968,b
Dilectio Dei, *vide* Amor.
Diocæsarea, *vide* Sephoris.
S. Dionysius.
S. Dionysius Areopagita interfuit morti Deiparæ Virginis. 145,2
Quo anno fuerit conuersus. ibid.b
Dioscorus.
Dioscorus in Concilio Chalcedonensi honore ac dignitate primatus, una cum hæresi sua damnatus fuit. 665,b.666,2
Diospolis.
Lydda vocata est Diospolis. 9,2. *Vide* Lydda.
Dismas, *vide* Latro.
Diuersorium.
Diuersorium quid sit. 627,b.628,2
Vide plura sub titulo Christi nauitas.
Dives epulo, *vide* Epulo.
Diuinare, Diuinus.
Inter Mahometanos & in Palæstina frequens est numerus augurum & diuinorum. 188,2
vide Augur.
Dolor.
Doloris subiectum est corpus, tristitia verò anima. 212,b
Non fuit in Deipara excessus doloris vitiosus pro passione Christi. 224,2
Dolor amissionis temporalium licitus est, modo non sit excessiuus. 225,2
Pro Dei offensa nunquam est à dolore & fletu cessandum. ibid b
Dolor B. Virginis, *vide sub titulo* Spasmus.
Dolorosa via, *vide sub titulo* Crux.
Dominica Palmarum, *vide* Palmarú Dominica.
Domus.
Locus vbi aliquid recipitur secundùm Hebræos vocatur domus. 619,2 & b. 635,2
Tecta domorum in Palæstina qualia sint. 596,2 & b
Donatus.
Fr. Donatus à Ratisbona Ierosolymis martyrizatur. 55,2
Dorcas, *vide* Tabitha.
Druides.
Druides Carnuti ante ortum S. Mariæ Virginis aram erexerunt cum hoc titulo, Virgini paritura. 636,b
Dux.
Enumerantur Duces Ierusalem. 48,b.49,2

E.

Ebion.
EBion docuit, Filium Dei non fuisse verè incarnatum. 650,2
Extinctas Ebionis hæreses suscitauit Paulus Samosatenus. ibid.b
Ecclesia.
Ecclesia ex latere Christi formata fuit. 352,b
Ecclesia Catholica est ciuitas illa nona à nono populo inhabitanda, Isaiæ cap. 25. reuelata. 465,b
Per montem communy pinguium Isaiæ cap. 25. aliqui intelligunt Ecclesiam & Euangelium. 466,b
Mater corrupta sub arbore mali, id est cruce, Synagoga dicitur; sponsa vero ex ea genita, Ecclesia. 469,2 & b
Occasione euersionis Synagogæ fuit fundata Ecclesia. ibid.
Christus cum dolore peperit Ecclesiam. 470,2
Ecclesia omnes gratias habet ex Christo. 22,2
Ecclesia duplex significatio. 86,b
Ecclesia materialis dupliciter accipitur. ibid.
In primitiua Ecclesia fuerunt sacræ ædes. ibid. & 87,2 & b 88,2 & b
Sacris ministeriis honesta loca eligenda sunt ob nostrum commodum. 87,b. 88,2 & b
Variæ Ecclesiæ ab antiquo ædificatæ reformantur. 88,b. 89,2 & b
Vnum est Ecclesiæ caput, scilicet Pontifex Romanus. 373,2 & b
Græci faciunt quinque Ecclesiæ capita. ibid. 2
Sion significat Ecclesiam Catholicam, & quare. 114,b
Ratio ordinis Ecclesiasticarum Sedium. 915,b.916, 2 & b
Quomodo Ecclesia B. Mariæ Virginis dicta Nuestra Señora del Pilar *in Hispania, dicatur esse prima totius orbis.* 636,2 & b *Vide* Templum.
Ecclesia Sion, *vide* Sion.
Ecstasis.
In ecstasi, salua rationis vsu, quid circa se agatur exstaticus non sentit. 221,2
Ecmeneas, *vide* Sebaste.
Eden.
Paradisus terrestris fuit in Orientali plaga regionis Eden. 775,2
Eden vbi sit. ibid. & b
Eden nomen multiplex est. ibid. b
Non in communi, sed in propria significatione accipitur. ibid. & 776,2
Eden, cùm dicitur de paradiso terrestri, est nomen commune, sed per excellentiam illi appropriatur. 776,2
Eden villa Archiepiscopalis describitur. 890,2
Nomina Eden interpretatio. ibid.
Supra Eden est sacellum Abdon & Semen. ibid.
Eder, *vide* Pastorum villa.
Elbir.
Elbir nominis ratio. 787,2
Machmas dicitur Arabicè Elbir. ibid.
Vide alia sub titulo Machmas.
Eleazarus.
Eleazari Machabæi virtus. 13,b
Quomodo dicatur fuisse pater septem Fratrum Machabæorum. ibid.
Eliachim.
Eliachim, qui & Ioakim, fuit vigesimus Rex Ierusalem. 47,b
Captus a Nabuchodonosore ducitur in Babylonem. ibid.
Restituitur Regno, & fit tributarius Nabuchodonosoris. ibid.
A Nabuchodonosore deficiens, tandem interfectus fuit. ibid.
Elias.
Eliæ effigies impressa rupi in qua dormiuit. 605,2
E regione huius rupis est Monasterium & templum S. Eliæ nuncupatum. ibid.
Sententia falsa ex ratione nominis monasterij & templi S. Eliæ reuocatur. ibid. & b
Probabilior opinio proponitur, & probatur. ibid. b
Locus vbi Eliæ a corno pastus fuit. 881,2
Descriptio loci illius, siue antri Eliæ. 882,b
Vana de antro illo ab Hebræis conficta refelluntur. 883,2
Currus Eliæ fuit figura Sepulchri Christi. 521,b

Spinu-

Digitized by Google

Spelunca & fons Elie in monte Carmeli. 893,b. 895,b. 896,a
Locus vbi ignis de cælo descendit ad consumendum Elia sacrificium. 893,a & b
Difficultas circa præditum Elia sacrificium enodatur. 894,a
Elias montem Carmeli sua habitatione celebrem reddidit. ibid. & b. 895,a & b
Duxit vitam eremiticam. 894,a & b
Elia & Eliſei diſcrimen. 895,a & b
Elias eſt Carmelitarum patronus. 896,a & b
Elia prædicatione ante diem iudicij conuertentur Iudæi. 153,a & b
Elias & Enoch Ieroſolymis ab Antichriſto occidentur. 723,b

Eliezer, *vide* Achaz.

Elim.

Elim fuit ſexta Iſraelitarum manſio. 984,a
Quid ſit: ibid.
Non eſt Tor. ibid.
Fontium Elim conditio. ibid.b
Septuaginta palmæ in Elim. ibid.

Elimelech.

Elimelech fuit oriundus ex Bethlehem. 621,a

Eliſeus.

Eliſeus in monte Carmelo eremiticam vitam duxit. 894,a & b. 895,a & b
Eliſei & Elia diſcrimen. 895,a
Eliſeus Sebaſte ſepultus eſt. 306,b

Eliſei fons.

Poſt venerationem montis Quarantanæ ad fontem Eliſei ſe recreant peregrini. 756,b
Ratio nominis fontis Eliſei. ibid.
Eliſeus aquas eius ſale iniecto dulces effecit. ibid.
Aqua fontis illius regionem fecundant, & in Iordanem defluunt. ibid.
Eliſei fons eſt cauſa fertilitatis campeſtrium vrbis Iericho. 754,a & b

Elzearius.

Elzearius fœnem multorum nodorum ſubtus cingebat ad carnem; & quare. 441,b

Emath.

Emath duplex eſt, minor & maior. 913,b

Emmaus.

Chriſtus quomodo ſe duobus diſcipulis Emmaunten tantibus aſſociauerit. 718,a & b
Emmaus diſtantia ab Ieruſalem, & ſitus. ibid.b
Cleophas fuit indigena Emmaunti. ibid.
Loquentibus diſcipulis de Ieſu, Ieſus adeſt. ibid.
Locus vbi diſcipulis ſe Ieſus iunxit, eſt in medio via, & à fidelibus Eccleſiâ illuſtratus. 719,a
Acta in via. ibid.
Emmaus duplex eſt, Galilæa & Iudæa. ibid.b
Emmaus Iudæa quid ſit. ibid.
Dicta fuit Nicopolis. ibid. & 720,b
Corruit & combuſta fuit. 719,b
Chriſtianorum tempore Epiſcopali Sede decorata fuit. ibid.
Nunc ſolo æquata eſt. ibid. & 720,a
Reliquiæ domus Cleophæ. 720,a
Ibi probabiliter panem quem fregit Chriſtus conſecrauit. ibid.
Geſtarum Emmaum referuntur. ibid.
Fons Emmaus memorabilis. ibid. & b
Sanat infirmitates. ibid.b
Lauit in eo Chriſtus pedes ſuos. ibid.
An miraculoſa, an naturalis fuerit fontis illius virtus. ibid. & 721,a
Vbi ſit fons ille, inquiritur. 721,a

Emmaus Iudæa arida eſt. ibid. & b
Iuxta Emmaus dicitur eſſe Apadno. ibid.a
Vide Apadno.
Menſam illius cœnæ, quam duo diſcipuli fecerunt Chriſto in Emmaus, aliqui dicunt ſeruari in ciuitate Tiberiadis. 865,b
Conditio balnei quod eſt in Emmaus, vico Galilææ, prope Tiberiadem. 866,a
Caſus notabilis refertur qui ibidem contigit. ibid.

Encratici.

Encraticorum hæreticorum auctor Tatianus. 484,b

Engaddi.

Engaddi nomen multiplex eſt. 691,a
Etymologia nominis Engaddi. ibid.
Engaddi ciuitas palmarum & balſami dines fuit. ibid.
Balſama Engaddi cur dicantur vinea. ibid.b. 692,a
De Engaddi villa, & alia, Abulenſis ſententia. 692,a
Ex parte reijcitur. ibid.
Situs deſerti Engaddi. ibid.
Adrichomium reijcitur. ibid. & b
Conditio deſerti Engaddi deſcribitur. ibid.b
Antri conditio in quo Dauid latuit in deſerto Engaddi. 693,a
Referuntur ea quæ peculiariter acta ſunt in Engaddi. ibid.
Soluuntur duæ difficultates, quomodo Dauid cum militibus ſuis potuerit ita in ſpelunca Engaddi deliteſcere, vt Saul eos non viderit, nec audierit: & deinde, quomodo Saul non aduerterit, cum Dauid oram chlamydis eius præſcidit. ibid.b. 694,a & b. 695,a & b
In vineis Engaddi, quæ ad Bethlehem pertinebant, olim erat balſamum. 620,a

Ennon.

Ab Ennon dicitur vallis Gehennon. 274,b. 275,a

Enoch.

Enoch & Elias Ieroſolymis ab Antichriſto occidentur. 723,b

Epheſus.

Epheſus, Ioniæ ciuitas, ob varia celebris eſt, & inter cetera, Diana templo. 663,a & b
Epheſus metropolis fuit omnium Eccleſiarum. ibid.b
Verum eſt, S. Ioannem Epheſi Euangelium ſuum ſcripſiſſe. ibid.
Tria fuerunt Epheſi celebrata Concilia: primum fuit generale Catholicorum, alia duo ſchiſmaticorum. ibid.
Primum Concilium Catholicum fuit indictum à Cæleſtino Papa, Theodoſio Imore fauente. ibid.
Ducenti interfuerunt Epiſcopi. ibid.
Epiſcopi, Neſtorij ſectatores, recedentes à Concilio Epheſino Eccleſiaſticâ dignitate priuantur. 664,a
Cauſa Concilij huius fuit Neſtorij hæreſis, negantis Chriſtum Dei Filium, & Virginem eſſe Dei Matrem. ibid.
Præſedit Pontifex huic Concilio per Cyrillum. ibid.
Canon Concilij Epheſini. ibid.

Ephrata.

Bethlehem & Ephrata vnde ſic dicantur. 617,b. 618,a & b. 619,a & b
Ephrata nominis interpretatio. 618,a. 619,a
Vide plura ſub Bethlehem.

Epiphania, *vide* Magi.

Epiſcopus, Sedes Epiſcopales.

Ratio ordinis Epiſcopalium ſeu Eccleſiaſticarum Sedium. 915,b. 916,a & b
Epiſcopi & Preſbyteri nomina in primitiua Eccleſia fuerunt Epiſcopo & ſimplicibus Sacerdotibus commu-

Digitized by Google

Abbeys, Ireland, Cistercian, 1 ; Premonstratensian, 2 ; Augustinian, 3 ; Benedictine, 4 ; Cluniac, 5 ; Tironensian, 6 ; Carthusian, 7 ; Trinitarian, 8 ; Dominican, 9 ; Franciscan, 10 ; Carmelite, 11 ; Augustinian Hermits, 12 ; Crutched Friars, 13 ; Knights Templars, 14 ; Knights Hospitallers, 15 ; Nunneries, 16 ; Colleges, 17 ; Hospitals, 18 ; Round Towers, 19 ; Crosses, 20 ; Holy Wells, 21 ; Churches, 22 ; Castles, 23 ; Raths, 24 ; Cromlechs, 25 ; Caves, 26 ; Miscellaneous, 27 ; Addenda, 28 ; Index, 29 ; Table of Contents, 30 ; Errata, 31 ; Preface, 32 ; Introduction, 33 ; Bibliography, 34 ; Table of Contents, 35 ; Errata, 36 ; Preface, 37 ; Introduction, 38 ; Bibliography, 39 ; Table of Contents, 40 ; Errata, 41 ; Preface, 42 ; Introduction, 43 ; Bibliography,

Fecunditas.
Malum punicum eſt ſymbolum fecunditatis. 468,b
Fel.
Fel quare eſca dictum ſit. 453,b
S. Felicitas.
S. Felicitatis inſignis animi fortitudo. 211,a. 222, a & b
Femina.
Homo feminam & virum ſignificat. 485,a
Ferculum Salomonis, *vide* Salomon.
Ferdinandus Medices.
Ferdinandi Medicei Ducis Hetruriæ liberalitas erga loca ſancta. 494,b. 495,a
Feſtum.
Feſtum Corporis Chriſti quando inſtitutũ ſit. 217,b
Et quando Feſtum Annuntiationis. 218,a
Feſtum Sponſus B. Mariæ ſuis celebratum in Eccleſia. 217,a. 218,a
Feſtorum obſervationem ipſa irrationabilia animalia exemplo ſuo docent. 950,b
Feſta Iudæorum incipiebant à veſpera. 507,b
Vide Sancti.
Ficulnea, Ficus.
Ex foliis ficus fecerunt primi parentes ſibi perizomata. 322,b. 916,b
Romulea ficus duratio. 603,a & b
Ficus, ad quam Iudas laqueo ſe ſuſpendit, duratio. ibid. b
Chriſtus eundo Ieroſolymam ficulneam maledictione arefecit. 322,a
Ficulneæ loci deſcriptio. ibid. & b
Ficus fuit tranſgreſſionis arbor. ibid. b
An ficulnea à Chriſto maledicta non ſolùm truncus, ſed etiam radices arefactæ fuerint. ibid. & 323, a & b
Ficulnea hæc fuit Iudæorum typus. 323,a & b.
Fuit omen exidij Iudæorum. ibid. b. 324,a
Fides.
In rebus fidei ad Scripturam & Doctores debent fideles recurrere. 94,b
Qui Scripturæ non credit, nec miraculis credet. ibid.
Regula S. Auguſtini, credere nos debere ea Deum magis feciſſe quàm non feciſſe, quæ vera ratio perſuadet feciſſe. 191,b
Tempore paſſionis & mortis Chriſti manſit fides in Apoſtolis. 259,b
Apoſtoli peccarunt peccato confeſſionis fidei. 260,a
Quomodo dicantur Apoſtoli in triduo mortis Chriſti amiſiſſe fidem, vel in ea titubaſſe, explicatur. ibid. & b. 262,a
Fides in illo triduo non manſit in ſola B. Virgine. 260,b. 261,a & b
In fide dantur gradus. 261,a
An, & quando pro fidei Chriſti confeſſione laudabile ſit mortis vel periculo mortis ſeſe exponere, & quando non. 59,b. 60,a & b. 61,a & b. 62,a & b
Figuli ager, *vide* Haceldema.
Figura.
Populus Iudaicus fuit figura populi Chriſtiani. 347,a
Eccleſiaſticarum rerum figuræ præceſſerunt in vetere Teſtamento. ibid.
Filij.
In filiis conſervatur memoria parentum. 254,b. 255,a
Flagellatio.
Sontes ubi, & quoties flagellabantur. 388,a & b
Flagellationis loca publica fuerunt. 198,a
Flagellatio ad infamiam ordinata fuit. ibid. & b. 203,a
Lege interdictum fuit, civem Romanum flagellare. 198,b
Iudæi numerum quadrageſimum flagellorum quare non attingebant. ibid.
Paulus quare quadragenas, unâ minus, acceperit. ibid.
Flagellatio crucifixionem præcedere ſolita fuit. ibid. & 199,a. 203,a & b
Officium flagellandi infame fuit. 200,b
Vide reliqua ad Chriſti flagellationem ſpectantia ſub titulo Pilatus.
Flagellationis altare.
Altaris flagellationis nomine ratio. 386,a & b
Reliquiæ aliæ ibidem aſſervatæ. ibid. b
Inſcriptio altaris. ibid.
Flandri, Flandria.
Aqua, quâ ablutum fuit mortuum Chriſti corpus, ad Flandros delata fuit per Abbatem S. Bertini. 527,b
Flere.
Conſuetudo deflendi mortuos apud Romanos & Hebræos. 225,b.
Pro Dei offenſa nunquam à fletu ceſſandum eſt. ibid. & 226, a. ubi habes exempla.
Flere licet propter amiſſionem temporalium, modò non ſit exceſſus. 225,a
Chriſtus quare, & ubi fleverit ſuper Ieruſalem. 301,b
Ubi flevit Chriſtus, ibi poſita fuit obſidio. ibid.
Ibi olim fuit ædificata Eccleſia. ibid.
Mulieres fletæ Chriſtum tempore paſſionis. 229,b
Flos.
Nazareth flos interpretatur. 817,b
Fons.
Fons latiùs patet quàm putens. 800,b
Aqua non ſcaturiens fons appellatur. 716,a
Fuit fons in templo Salomonis, & nunc etiam eſt in loco ubi olim erat Salomonis templum. 292,b. 293,a
Chriſtus fonti comparatur. 352,b. 353,a & b. 354,a & b. 446,b
Fons B Mariæ Virginis, *vide* S. Mariæ Virginis fons.
Fons Rogel, *vide* Rogel.
Fons ſignatus.
Fons ſignatus quatuor milliaribus diſtat à Bethlehem. 764,a
Fontis ſignati deſcriptio. ibid. & b
Origo & terminatio fontis ſignati. 765,b
Fontis porta, *vide* Bethlehemitica porta.
Fortis, Fortitudo.
Fortes in magnis eventibus inculpatè triſtantur. 218, b. 219,a
Demoſthenis in morte filij reſponſum. 219,b
Aliquarum mulierum inſignis animi fortitudo. 210,b. 211,a. 222,a & b
Franciſcus.
S. Franciſcus in nativitate ſuâ Chriſto ſimilis fuit. 711,b
S. Franciſci judicium de Chriſti paſſione deplorandâ. 218,b
Pater Franciſcus Dulcedo Præſes Terræ ſanctæ. 64,b
Frater Franciſcus, ex Neapolitana Provincia oriundus, ex Ordine FF. Minorum, pro Chriſti fide moritur. 944,b. 945,a

Fr. Franciſcus Spoletanus ex Ordine S. Franciſci Damiata Chriſti fidem Mauris predicat. 937,a
Carceri traditur, & occiditur. ibid.b
Fr. Franciſcus à Damiata pro fidei confeſſione in duas partes ſectus eſt. ibid.

S. Franciſci Ordo, Regula.

S. Vincentij Ferrerij encomium de Regula FF. Minorum: item aliud encomium Navarri. 63,b
Sorores Tertij Ordinis S. Franciſci habitarunt Ieroſolymis. 57,a & b
Maria Luſitana, Tertij Ordinis S. Franciſci, illuſtre Martyrium. ibid. & ſeqq.

Fugere, Fuga.

Quibus, & quando in perſecutionibus fugere liceat. 61, a & b

Funus, *vide* Defuncti, & Sepelire.
Funus Chriſti, *vide* Chriſti Sepulchrum.

G.

Gabaonitæ.

Gabaonitæ non tenebantur ad leges Hebræorum, quia non erant Hebræi. 404,a

Gabriel.

Eccleſia S. Gabrielis in Nazareth forma, & nominis ratio. 842,a
Fr. Gabriel Cornelius Gallus ſit Minorita. 67,a
Eius fervor in concionando. ibid.
Romam pedes venit. ibid.
Mittitur ad Provinciam Mediolanenſem. ibid.
Ieroſolymam pedes venit. ibid. b
Eius orationes & ſcientia. ibid.
Scandaronam miſſus, omnibus omnia charitatis obſequia cum vitæ diſcrimine præſtitit. ibid.
Aleppi piè moritur. 68,a
In honeſtiſſimo ampliq; ſepulchro ſepelitur. ibid.

Galaad.

Galaad mons & civitas. 793,b
Acta in urbe Galaad referuntur. ibid.& 794,a
Mons Galaad ſecundum diverſas partes diverſa ſortitur nomina. 438,a

Galgal, Galgala.

Galgal nomen multiplex. 749,a & b
Galgal Judææ urbs quid ſit, Auctorum opiniones. ibid b
Ante ingreſſum Iſraëlitarum in Terram promiſſam nulla fuit civitas Galgala nuncupata. ibid.
Ratio nominis Galgal. 750,a
Locus ille ad introitum Iſraëlitarum erat magna planities. ibid.
In predicta planitie poſteà Iſraëlita urbem vel caſtrum ædificaverunt, & Galgal vel Galgala vocaverunt. ibid. & b
Solvuntur rationes contrariorum Auctorum. ibid.b
Communis locus, & particularis, ſeu ſitus Galgala. ibid.& 751,a
Memorabilia in Galgalis facta referuntur. 751, a & b
Ibi multa enormia ſub ſpecie boni patrata fuerunt. ibid. b
Galgal ad tribum Judæ vel Beniamin pertinuit. ibid. & 751,a
Eccleſia in Galgalis ædificata fuit. 752,a

Galilæa, Galilæi.

Apoſtoli quare dicti Galilæi. 93,b
Chriſtus aſcendit versâ facie ad Galilæam; quia illam & Galilæos particulariter dilexit. 316,b
Deſcriptio loci qui dicitur Viri Galilæi. 319,a
De ratione illius nominis tres ſunt ſententiæ. ibid.
Prima ait, quia ibi Apoſtolis dictum fuit: Viri Galilæi, *&c. & rejicitur.* ibid.
Secunda ait, quia illa pars montis Oliveti dicta fuit Galilæa: & refellitur. ibid.b
Tertia dicit locum vocari Viri Galilæi, *à villa Galilæa dicta.* ibid. & 320,a

Galilææ mare.

Mare Galilæa quid ſit. 862,b
Quomodo efficiatur hoc mare. ibid.
Aqua eius dulces ſunt, potabiles & fecundæ. ibid.
Piſces in eo varij ſunt. ibid.
Loca circa ipſum referuntur. ibid.
Nomina maris Galilææ, eorumque ratio. 863,a
Cur vocetur mare. ibid.
Excellentia eius multiplex. ibid.
Quæ apud ipſum acta ſunt, referuntur. ibid.& b

Galilææ mons.

Thabor dicitur per antonomaſiam mons Galilææ. 847,a

Gamaliel.

S. Stephanum ſepultum fuit in villa Gamalielis. 296,b. 297,a

Gandavum.

Gandavi aſſervatur imago crucifixi in radice lilij mirabiliter efformata, & concurſu populorum inviſitur. 18,a

Gangra.

Gangra civitas duplex eſt, una in Arabia, altera in Paphlagonia. 654,b
In Gangra Paphlagoniæ unicum fuit celebratum Concilium. ibid.
Cauſa Concilij celebrandi fuit hæreſis Euſtathij Armeni. ibid.
Auctoritate Silveſtri I. Pontificis Concilium celebratum fuit. ibid.
Tractata in Concilio illo referuntur. 655,a
Fuit hoc Concilium Provinciale. ibid.
Numerus Epiſcoporum qui interfuerunt. ibid.b

Garizim.

De ſitu Garizim & Hebal triplex eſt ſententia. 805,a
Prima ait eſſe prope Iericho. ibid.b
Rejicitur. ibid.
Secunda dicit eſſe prope Sichem ad plagam Occidentalem. ibid. & 806,a
Rejicitur. 806,a
Tertia aſſerit eſſe ad dextram putei Samaritani. ibid. & b. 807,a
Garizim montis conditio. 806,a & b
Acta in Garizim referuntur. 807, a & b
Templum ibi extruxit Iaddi Pontifex Judæorum; quod fuit cauſa diſſidij inter Judæos & Samaritas. ibid.b
Templum illud everſum fuit, ibid.

Gaza.

Gaza duplex eſt, deſerta, ſeu deſtructa & nova. 698,a. 925,b
Gaza nova quid ſit, & à quo ædificata vel reſtaurata. 698,b. 925,b
Veterem Alexander evertit. 925,b
Diſtantia eius à mari Mediterraneo, & ſitus eiusdem. ibid.
Gazæ nominis derivatio. ibid.
Eius ſitus, conditio & mutationes. ibid.& 926,a
Ibidem ſunt ruinæ palatij à Samſone everſi. 926,a
Item mons, ad quem areas portas civitatis detulit. ibid.
Unus Minorita & duo alij peregrini Galli Gazæ pro Chriſto martyrium ſubierunt. ibid.
Sex leucæ à Gaza uſq; ad Cathiam occurrunt. ibid.b

Gedeon.

Gedeon.

Gedeon quintus Index Israel. 718,b

Gehenna.

Gehenna unde dicta sit. 275,a & b. 277,a

Gehennon.

Situs vallis Gehennon. 274,b
Eius descriptio. ibid.
Nomina eiusdem & significatio. ibid.
Gehennon vel Behennon dicta fuit, ab emptore, vel possessore. ibid.
Dicta fuit Topheth & Moloch, ab idololatria. ibid.
Ab hac valle dicta est Gehenna. 275,a & b. 277,a
Vallis Gehennon quare dicta sit Polyandrion. 276,a
In valle Gehennon Angelus sub Ezechia Rege occidit Assyrios. ibid.b
Vide alia sub titulo Moloch & Topheth.
Vallis Iosaphat cur dicatur vallis Gehennon. 151,b

Gehon.

Nilus fluvius Gehon dictus est. 930,b. 931,a

Genesar mare, *vide* Galilææ mare.

Geneiareth stagnum, *vide* Galilææ mare.

Genua, Genuenses.

Genuenses de Regno Ierosolymitano bene meriti sunt. 375,a
Inscriptio pro Genuensibus supra arcum altaris sanctæ Sepulchri. ibid.b
Genua asservantur catenæ, in quo in ultima Christi cœna fuit illatus agnus paschalis. 120,b

S. Georgius.

S. Georgium Beryti filium Regis à draconis ne devoraretur, liberasse traditur. 909 b
Cauerna draconis quem S. Georgius interfecit. ibid.
Ecclesia S. Georgij ibidem à Christianis & Mauris in veneratione habetur. ibid.
In civitate Lydda est Ecclesia S. Georgij Martyris, & in ea caput eiusdem. 9,a & b
A quo illa fuerit ædificata. ibid.b
Fuit probabiliter patronus Anglorum. ibid.
S. Georgij Martyris celeberrima est memoria in Iudæa, Palæstina, & plerisque Orientis regionibus. 10,a
Non solùm Catholici, sed etiam schismatici, Turcæ & Mauri eius opem implorant. ibid.
Ad columnam alligatus & flagellatus fuit; sed postea vinculis absolutus, multis vixit annis. ibid.
Mirabile exemplum refertur. ibid. & b
Item aliud. ibid. & 11,a & b
Quomodo interdum legatur S. Georgium fuisse Confessorem. 11,b
Prope Bethlehem est Ecclesia S. Georgij, ubi eius servantur catenæ, & habetur in veneratione à Christianis & Mauris. ibid.
Per catenam illam plurimi consequuntur sanitatem. ibid.
Sacellum S. Georgij prope Damascum. 872,b

Gerardus.

Gerardi cuiusdam pietas Ierosolymis in hospitali & Monasterio prope templum S. Sepulchri. 577,a

Geth.

Geth creditur esse patria Ionæ; in cuius viculo Micheæ sepulchrum eius esse fertur. 855,a & b

Gethsemani.

In valle Gethsemani sunt olea antiquissima. 156,a. 157,a. 158,b
Conditionem valle & horti Gethsemani explicarunt Evangelistæ. 156,b
Situs vallis Gethsemani. ibid. & 157,a
Creditur fuisse pascuum pro animalibus sacrificandis. 157,a
Itineris Christi ergo è Sion ad hortum Gethsemani. ibid.b
Ratio nominis Gethsemani. ibid.
Explicatur, quare Evangelistæ dixerint Gethsemani esse villam, hortum, prædium 157,a & b
Descriptio loci quietis trium & octo Apostolorum. 158,a & b
Signa mansionis Apostolorum in rupe relicta fuere. ibid.b
Item lineamenta Christi in Lapide. ibid. & 161,a
Describitur antrum ubi Christus oravit, & sanguinem sudavit. 160,a & b
Arbor prodigiosa in loco orationis exorta. ibid.b
Ecclesia in eodem loco ædificata. 161,a
Et lapis habens impressiones genuum, manuum & digitorum Christi. ibid.
Lapis ille inde ablatus, collocatus est in proxima Ecclesia sepulchri S. Mariæ. ibid.
Locum orationis quidam Pontifices Grottam appellarunt. ibid.b
Concesserunt loco illi plenariam Indulgentiam. ibid.
Item Fratribus Minoribus, ubi Ecclesiam & Monasterium ædificarent. ibid.
Quantum distat hic locus à sancto Cœnaculo Sion. ibid.
Respondetur difficultatibus quibusdam de loco orationis Christi. 161,a & b 162,a & b
De peculiari loco antri, & parte versus quam Christus ante passionem suam oravit; & quare conversi ad Orientem oraverit. 163, a usque ad 168, a
Fructus orationis Christi in horto. 166,b
Christus ex patiendi desiderio offert se proditori & hostibus. 168,b
Rupes ubi dormiebant tres Apostoli. ibid.
Referuntur ea quæ in loco captivitatis Christi acta fuerunt. ibid. & 169,a

Giezi.

Sepulchrum Giezi prope Damascum. 877,a

Gigas.

Arbe fuit maximus inter gigantes. 491,b

Gigantum vallis, *vide* Raphaim.

Gihon.

Gihon & Siloë non est idem fons. 595,a
Quomodo dici possit Siloe esse idem quod Gihon. 233 b
Gihon exitum significat. ibid.
Gihon & Siloe secundùm diversos respectus sunt idem & diversa. ibid.
Alius locus ostenditur in Occidentali parte civitatis, qui Gihon vocatur. 289,a
Gihon nomen multiplex, & eius etymologia. 713,a
Dicitur de Nilo, de loco Ierosolymis proximo, de monte, de fonte, de torrente, de Siloe, de valle. ibid. & b
Piscina Gihon nomina. 714,a
Usus. ibid.
Illius aqua artificiosè per ascensum deducta sunt, iuxta Villalpandum; sed melius per descensum, secundum Pererium. ibid.b. 715,a
Situs Piscinæ Gihon. 715,a
Observata ab Auctore circa Piscinam Gihon. ibid. & b
In Gihon nullus est fons. ibid.b
Aqua Gihon non fluunt in Siloë. ibid. & 716,a
Piscina Gihon forma. 716,b
Aqua eius per canalem in civitatem & inferiorem piscinam deducuntur. ibid.
Aquæductus ille non est ex collis lateribus, sed ex

Digitized by Google

ex lapidibus. ibid. & 717,a
Tres in illa regione sunt agnadelli. 717,a

Ginea.

Ginea vicus ubi sit. 815,a

Ginin, *vide* Iemni.

Giobar.

In villula Giobar prope Damascum est memorabilis Synagoga Iudaorum. 881,a

Gloria.

Gloria temporalis non est contemnenda, cùm solidum habet fundamentum. 553,a
Deus clarè visus & dilectus est causa gloriæ. 548,b

Gloria in excelsis Deo.

Cur in Septuagesima omittatur Gloria in excelsis Deo. 486,b

Gloria Patri, *&c.*

In Concilio Nicæno I. Hymno Gloria Patri, *&c. additum fuit,* Sicut erat in principio, *&c.* 660,b

Goatha.

Goatha est Calvariæ locus. 515,b

Godefridus Bullonius.

Epitaphium sepulchri Godefridi Bullonij. 482

Golgotha.

Golgotha nominis significatio. 438,b

Gomorrha, *vide* Sodoma.

Græci, *vide* Orientales.

Gratia.

Omnes gratiæ sunt ex Christo. 21,a
A quo gratiæ Christi homines purgantur. 293,b
Omnes gratiæ à Christo manantes nobis per B. Virginem communicantur. ibid.
Christus omnibus mortuis gratiam sufficientem, sed non efficacem. 472,a & b

Gregorius.

Gregorij Armenorum Episcopi dolus, fraus & pœnitio. 495,b.496,a

Grex, Gregis porta, turris.

Per portam Gregis Christum in die Palmarum Ierosolymam intrasse quamvis probabile sit; probabilius tamen est, id factum fuisse per portam Auream. 337,a & seqq.
Porta Aurea & porta Gregis distinguuntur. 338, a & b
Vocatur à Iosepho porta Gemath & horti Regis. ibid a
Nunc dicitur porta S. Stephani. ibid.
Vide plura sub titulo Palmarum Dominica.
Porta Gregis, vel turris Gregis, unde sit appellata. 684,a
Nomen turris Gregis, sint Ader, dici potest de templo Salomonico, de quadam turri Ierosolymitana, & de loco pastorum prope Bethlehem. ibid. & b
Vide Pastorum villa.
Gregis nomen de omnibus & collectis hominibus dicitur. 684,b

Guder.

Guder quid significet. 681,b
Vide Pastorum villa.

Guilielmus.

Guilielmi de Baldensel obiectio contra veritatem historiæ Dominici Sepulchri solvitur. 517,a & b. 518,a & b. 519,a & b

H.

Habacuc.

Habacuc sepultus est in agro Bezechar. 306, b
Ecclesiæ Habacuc Prophetæ & nomini ratio. 606,a
An Habacuc, qui Danieli prandium detulit, per aërem ab Angelo translatus in Babylonem, fuerit unus ex duodecim Prophetis. ibid.
Sententia negans præfertur affirmativæ. ibid. b. 607,a & b
Duo in Scriptura sacra inveniuntur eodem nomine Habacuc appellati. 606, a
Habacuc unus ex duodecim Prophetis quo tempore prophetaverit. ibid. b. 607,a
Habacuc, qui prandium detulit Danieli, vixit tempore Cyri. 607,a & b
Unde fuerit Habacuc ille translatus. ibid. b
Prima sententia ait illum translatum esse ex suburbiis Ierusalem. ibid. & 608,a
Reicitur. 608,a
Secunda, ex Accaron. ibid.
Tertia, ex loco prope Bethlehem; & est communior ac probabilior. ibid. & b. 609,a & b
Obiectio proponitur, & solvitur. 609,a & b
Dorotheus & Epiphanius dicta de Habacuc considerantur. ibid. b. 610,a

Habitare, Habitatio.

Viris unius tribus in alia tribu habitare licebat. 819, b

Haceldema.

Haceldema nominis significatio. 284,a
Eiusdem agri situs, conditio & forma. ibid.
Item longitudo & latitudo. ibid.
Eiusdem usus. ibid b
Iudas Iscariotes in agro illo sepultus dicitur à quibusdam. ibid.
Ibidem est sepulchrum cuiusdam virginis Magdalena nomine. ibid. & 285,a
Terra illius agri defunctorum corpora viginti quatuor horarum spatio in pulverem redigere solebat. 284,b
Terra illa, etiam aliò asportata, sola peregrinorum corpora admittit. ibid.
Hoc tempore omnia corpora ibidem sepulta putrescunt, & consumuntur, sicut in aliis locis. 285,a
Sepeliuntur nunc ibi Armeni, sed magno pretio Prælatis persolvto. ibid.
Armenorum fabella de virtute agri Haceldema. ibid.

Hæresis.

Nova hæresis unquam antea indicata, est causa, quare legitima Concilia celebrari consueverunt. 650,a
Nova hæresis quæ dicatur. ibid.

Hared, *vide* Pastorum villa.

Hazaël.

Locus ubi Hazaël unctus fuit ab Elia in Regem Syriæ. 881,a
Ad unctionis illius memoriam nobilis ibidem fuit extructa Synagoga. ibid. & b
Dubia de Hazaëlis unctione explicantur. ibid. b. 882,a
Elias verò unxit Hazaëlem in Regem. 882,b

Hebal, *vide* Garizim.

Hebdomada sancta.

Quid significetur per candelarum extinctionem, quando in Hebdomada sancta recitatur Matutinum. 261, a & b

Hebræi, Hebraica lingua.

Hebræi postquam in Babylonem translati sunt, desierunt purâ Hebraâ linguâ uti, sed Chaldaismum

Digitized by Google

...disſimum ſocium detulerunt. 438,b
Quia ſuperlativus caruit, ſolent omnia excelſa & inſigna, ſive in bono ſive in malo, vocare Dei. 117, a & b
Hebræi per deſertum itinerantibus vires dixiſſe, quomodo ſit intelligendum. 955,b
Vide Iſraëlitæ, & Iudæi.

Hebron.

Hebronica regio proprie in Oriente non eſt. 776,b
Hebron & circumiacens regio eſt pars Terræ promiſſionis. ibid.& 777,a
An apud Hebron Adam plaſmatus fuerit. 778, a & b. 779,a
Eccleſia Quadraginta Martyrum in monte apud Hebron poſita deſcribitur. 782,a & b
De terebinthho arbore antiquiſſima, & quibuſdam alijs circa Hebron notandis, vide 783, a & b. 784, a & b. 785, a & b
Hebronica regionis fecunditas. 769,b. 770,a
Hebron fuit civitas Regia, Sacerdotalis, & Refugij. 770,a
Sub Chriſtianis fuit Epiſcopali Sede decorata. ibid.
Illuſtris & celebris eſt ex antiquitate. ibid.& b
Item ex habitatione vitrearum inſignium. ibid.b
Ibidem habitarunt Organtes. ibid.
Hebron nomina, & eorum ſignificatio. 771, a & b
Dicitur autonomaſticè civitas Sacerdotalis. ibid.b
Quando fuerit civitas hæc vocata Hebron. ibid.
Hebron vetus & nova qua dicatur. ibid.
Quomodo dicatur Hebron eſſe in valle. 772,a
Montibus cingitur. ibid.
Deſcribitur Hebron per Brocardum & Adamnanum. ibid.& b
An apud Hebron fuerit terreſtris paradiſus. 774. b & ſeqq.
Vide Paradiſus.
Quidam dicunt probabiliter Adamum ſepultum eſſe in Hebron. 489,a & b. 490,b
Alij, Adamum quidem fuiſſe ſepultum in Hebron, ſed poſtea corpus eius, vel partem Ieroſolymam tranſlatam, & in monte Caluariæ ſepultum. 489,b vſque ad 493,a
Piſcina, quæ eſt in Hebron, deſcribitur. 785,b
Signa aquæductus fontis Hebron. 715,a
Hebron quantum diſtet ab Ieruſalem & Bethlehem. 703,a. 764,a

Helena.

Forma ſacelli S. Helenæ Ieroſolymis. 422, b. 423,a
Ratio nominis ſacelli S. Helenæ. 423,a & b
S. Helenæ inuentio. ib.d.b
Helena ex Britannia fuit oriunda. 424,a
Nubet Conſtantio. ibid.
Repudiatur à Conſtantio marito ſuo. ibid.
Helenæ nobilitas. ibid.
Argumenta contra Helenæ honeſtatem & nobilitatem. ibid.b
Reſpondetur iiſdem. ibid.
Helenæ fuit legitima Conſtantij uxor. ibid.
Cur fuerit dicta Conſtantij concubina. ibid. & 425,a
Quomodo dicatur fuiſſe ignobilis. 425,a
Suſcepit Chriſtianam Religionem. ibid.b
Eius fide & morte baptizatus eſt Conſtantinus. ibid.
Conſtantia quomodo dicatur Helenæ filia. 416, a & b
Zelum Helenæ inuiſendi loca ſancta. ibid.b
Eccleſiæ ab Helena ædificatæ. 427,a
Helenæ liberalitas, pietas, & humilitas. ibid.b
Helena benedicit filio, & ſalutaria dat monita. 428,a
Felix eius tranſitus ex hoc mundo. ibid.
Regnum eius fuerit. ibid & b
De loco ſepulchri ac tranſlatione corporis illius. ibid.
Helenæ tribuitur fabrica templi Reſurrectionis; quia de conſenſu ac iuſſu Conſtantini ea operata dedit. 363,a
Helena ædificauit, aut refecit Eccleſiam Sion Ieroſolymis. 121,a. 121,a & b. 113,a
Helenæ memoria meritò Ieroſolymis in monte Calvariæ conſeruata fuit. 459,a & b
Feſtum Exaltationis S. Crucis operâ Helenæ inſtitutum fuit. ibid.b
Vide S. Crucis inuentio.

Helena Adiabenorum Regina.

Helena Adiabenorum Regina, cum Izate filio ſuo, optimè merita fuit de ſancta Ieroſolymorum ciuitate. 734,b
Helena cum Izate filio Iudæorum religionem ſuſcipit. 735,a
Migrat Ieroſolymam. ibid.
Subuenit Ieroſolymæ fame laboranti. ibid.
Moritur, & illius ac filij oſſa Ieroſolymam delata, in eius tumulo ſepeliuntur. ibid.b

Heli.

Heli decimusquartus Iudex populi Iſraël. 729,a

Heliopolis.

Heliopolis Ægypti ciuitas deſcribitur. 949,a
An in Heliopoli S. Maria Virgo habitauerit. ibid. & b. 950,a
Quæ ibidem, vel circa, facta ſint, vel obſeruatione digna, referuntur. 950,a & b. 951,a

Helmadan, *vide* Amon.

Heraclius.

Heraclius Imperator templum Reſurrectionis reparauit. 363,a & b
Quando declinauerit à fide Catholica; & quorum ſuggeſtione. ibid.b
Heraclius cum pompa deferens Chriſti crucem, impeditus fuit progredi; & ubi præciſè id contigerit. 577,b
Heraclij memoria meritò Ieroſolymis in monte Calvariæ conſeruata fuit. 459,a & b

Hermon.

Hermon ſignificatur per nomen Sion. 113,a & b
Hermon eſt altior omnibus Iudææ montibus. ibid.b
Ros Hermon quomodo deſcendere intelligatur in montem Sion. 724,a & b

Hermopolis.

Hermopolis fuit primus locus manſionis B. Mariæ in Ægypto. 921,b

Herodes.

Herodes Magnus, vel Aſcalonita, Aſcalone natus fuit. 925,a
Herodes Aſcalonita fuit primus Iudææ Rex a Romanis deſignatus. 49,b
Quando Herodes ædificauerit templum Ieroſolymitanum. 83,a & b
Herodes Antipater reædificat Samariam urbem, & Sebaſten vocat. 811,a
Herodes Antipæ in urbe Macharunte decollauit S. Ioannem Baptiſtam. 812,a. 813,b
Vide plura ſub titulo S. Ioannes Baptiſta.

Hero-

Herodes Magnus quando cruentarit occidi pueros. 634,a & b
Crudelitas Herodis in occisione infantium. 612,b
Augusti dictum de Herode infantium interfectore. ibid.
Rachelis mentio quare fiat in occisione infantium. 615,a
In palatio Herodis creditur fuisse absconditum caput Ioannis Baptistæ. 205,b
Ierosolymis duo fuerunt palatia Herodis. 204,a
Regia Herodis Ascalonita. ibid.& b
Regia Herodis Agrippæ. ibid.
Palatij Herodis nominis ratio. ibid.
Adrichomij opinio refellitur. ibid.
Opinio Auctoris proponitur. 205,a
Palatij Herodis forma. ibid.
Gesta in Herodis palatio. ibid.b
Quid per amicitiam Herodis & Pilati tempore passionis Christi unitam significetur. ibid.
In palatium Herodis difficilis est ingressus. ibid.
Prope hoc palatium est domus Indæ proditoris. 206,a

Herodis templum.

Herodes templum ædificat & absolvit. 356,b
Quo modo templum Herodis dici possit templum Zorobabelis. 357,a

Herodias.

Herodias in Macherunte abstruso in loco sepelivit caput S. Ioannis Baptistæ, timens ne iterum uniretur corpori, & de adulterio eandem reprehenderet. 812,a
Caput eius acu perfodit, postquam amputatum esset. 813,b

Hesli.

Hesli Agai decimus Dux Iudæorum. 492

Heua.

Heua & Adam non fuerunt monstra, neque nimis procera statura. 490,a
Heua post peccatum primò sic vocata fuit à contrario sensu. 817,b
Adamum & Heuam damnatos esse asserit Tatianus. 484,a.485,a & b
Uterque salvatus est. 484,b.485,a
Dicta de salute Adæ, etiam intelligenda sunt de salute Heuæ. 485,a & b. 486,a & b
Heua quare à Deo punita sit. 485,b
Cur Ecclesia non adscripserit Heuam catalogo Sanctorum, si à Deo salutem est consecuta. 486,b. 487,a
Heua & Adam quomodo venerint in Iudæam, iuxta aliquorum opinionem. 489,b.490,a

S. Hieronymus.

S. Hieronymus refert aliquando aliorum errores, Auctorum nominibus suppressis, licet illis non adhæret. 785,a
Oratorium S. Hieronymi in loco nativitatis Christi. 675,b. 676,a
Ratio nominis. 676,a
Testamentum vetus bis transtulit S. Hieronymus; primò ex Græco, secundo ex Hebræo in Latinum. ibid.
Nonum Testamentum non convertit de Græco in Latinum, sed solum à multis erroribus purgavit. ibid.
Sepulchrum S. Hieronymi: eius forma, & nominis ratio. ibid.b
Illius corpus Romam translatum fuit. ibid.
S. Hieronymi schola Ierosolymis quid sit; & quare sic dicta. 622,b. 623,a
A Turcis hic locus in inventorium fabulum conversus est. 623,a
Vasta solitudo S. Hieronymi; & in ipsa, Ecclesia & Monasterium, ac imago sancti Hieronymi. 752,a

Hircanus.

Hircanum ultimus præfuit Iudæis. 49,b
Hircano cum fratre suo Aristobulo de Regno dimicante, Iudæa subjugata est à Romanis. ibid.

Hispania.

S. Maria apparuit B. Iacobo Apostolo in Hispania, & in ea cultum angendum prædixit. 636,a
Ibidem Ecclesia fuit ædificata in honorem B. Mariæ. ibid.
Quomodo illa Ecclesia dicatur esse prima totius orbis. ibid. & b

Historia, Historicus.

Tria ad fidelem historiam requiruntur. 190,a

Hoba.

Hoba villa ubi sit. 883,b
Eò usque Abraham quinque Reges insecutus fuit, & Lot liberavit. ibid.
Est ibi locus ubi Abraham pro victoria Deo gratias egit. ibid.

Hollandi.

Hollandorum Aleppi Consul Ierosolymam venions, à Gubernatore carceri mancipatur. 54,a & b

Homar.

Homar Saracenorum Princeps putatur ab aliquibus fuisse vastator templi Resurrectionis Dominicæ. 364, a & b. 365,b

Homar Catab.

Homar Catab permittit fidelibus ædificationem templi. 110,a
Dirui illud multis possessionibus & prædiis. ibid.

Homo.

Homo è terra formatus fuit, ne superbiret. 778,b
est parvus mundus; cuius exemplar est Mundus. 347,a
Est membrum Reipublicæ; cui etiam inservire tenetur. 902,a
Virum & fœminam significat. 485,a
Caput totum hominem significare potest. 488,b. 489,a

Horeb.

Mons Horeb & Sinai sunt unus; tamen pluries dicuntur propter diversa cacumina. 438,a.993,a. 994,b
Radice sibi cohærent. 993,a & b
Situs & conditio. ibid.b
Variæ sententiæ de monte Horeb & Sinai proponuntur. ibid.a & b
Acta in Horeb referuntur. ibid. b. 994,a
Cur dicatur mons S. Catharinæ. 993,b. 994,b
Montis Moysi & S. Catharinæ nominis ratio. 994,b
Mons Moysis dictus quid sit. ibid.
Eius nomina, & illorum ratio. 995,a & b
In monte hoc planities cum fonte. ibid.b
Item sacellum S. Eliæ, & S. Mariæ Ægyptiacæ; & nominis utriusque ratio. ibid. & 996,a
Montis Horeb asperitas rudibus gradibus facilis reddita est. 996,a
In summitate sunt duo sacella; unum pro Græcis, alterum pro Latinis. ibid.
In eodem monte est petra ubi Moysis vidit posteriora Dei. ibid.
Figura Moysis in hac rupe. ibid.
Ibidem est fons & Mesquita Arabum. ibid.

Digitized by Google

Hortus balſami, *vide* Balſamus.

Hortus concluſus.

Hortus concluſus quid ſit. 764.b.765,a & b

Hortus Gethſemani, *vide* Gethſemani.

Hortus Regis.

Hortus Regis, ſive Ora, in monte Sion. 118,a

I.

Iacob.

Iacob vnctie per Ioſeph filium eius præfiguravit vnctionem corporis Chriſti per Ioſeph ab Arimathæa. 521,a

Turris Iacob & ruinæ circumiacentes quid ſint. 610,a

Aliquorum ſententia proponitur, & rejicitur. ibid. & b. 611,b

Turrim illam non fuiſſe domum Iacob probatur. 610,b

Peregrinatio & habitatio Iacob. ibid.

Bonfacij ſententia de turri Iacob & ruinis circumiacentibus. ibid.& 611,a

Duplex alia turris Iacob: nominis ratio. 611,a

Reſpondetur ad auctoritatem Jeremiæ Prophetæ. ibid.b. 612,a

De loco, vbi Iacob vidit mirabilem illam ſcalam, varie ſunt ſententiæ. 791,b

Prima dicit Jeroſolymis in monte Moria: & rejicitur. ibid.

Secunda, in Luza in tribu Beniamin: & refellitur. 792,a

Tertia ſententia ait viſionem illam ſcalæ factam eſſe in Bethel, priùs Luza dicta, extra tribum Beniamin. ibid.

Quarta ſententia, ſive tertiæ declaratiua, eſt, memoratam ſcalæ viſionem factam eſſe intra Bethel Ephraim. ibid.& b

Vbi determinatè ſcalam illam viderit, incertum eſt. ibid.b

Aliquorum ſententia rejicitur. ibid.& 793,a

Alia ſententia. 793,a

Prædium Iacob vbi ſitum ſit. 799,b

Puteus Jacob, & fons Samaritana; & nominum ratio. 800,a & b

Prædium Iacob & Ioſeph, in quo Iacob fodit puteum, quem hæredibus reliquit. ibid.a

Locus putei Eccleſia decoratus fuit. ibid. b. 801,a

Situs putei notandus. 801,a

Eiuſdem conditio. ibid & b

Veritas traditionis putei confirmatur. 802,a

Vide ſub titulo Samaritana.

Pontis ſeu vadi Iacob ſitus & forma. 871,a & b

Nominis ratio. ibid.b

Iacob Jordanem tranſit eundo in Meſopotamiam. ibid.

Diuerſorium è regione pontis vltra Iordanem. 872,a

Locus vbi Iacob Eſau obuium habuit. ibid.

Alius pons ſupra Iordanem. ibid.& b

Iacobitæ.

Iacobitæ cuſtodiunt ſepulchrum Ioſephi ab Arimathæa. 568,b

Iacobus.

Aurei diui Iacobi Minoris forma, & nominis ratio. 258,a

Chriſtus poſt reſurrectionem apparens Iacobo cum comedere iubet. ibid.& b

Tornielli ſententia contraria cum rationibus eiuſdem proponitur. ibid.b. 259,a

Reſpondetur iisdem. 259,a & b. 260,a & b. 261,a & b

Circa tempus quo Chriſtus Matri ſuæ apparuit, etiam Iacobo ſe manifeſtauit. 259,a

Iacobus Minor vbi & quando ſit ordinatus Ieroſolymorum Epiſcopus. 120,b. 121,a

A Chriſto Epiſcopus eſt ordinatus. 262.a & b

Sepultus eſt in monte Oliueti. ibid.b

Quomodo conceſſum fuerit S. Iacobo ingredi in Sancta ſanctorum. 84,b 85,b

Propter mortem iniuſtè illi inflictam putant aliqui Ieruſalem deſtructam, Iudæos diſperſos & occiſos eſſe. 85,b

S. Maria apparet B. Iacobo Maiori in Hiſpania, & iuſſa Catholicum cultum augendum prædicet. 636,a

In loco illo Eccleſia ad honorem B. Mariæ ædificatur. ibid. & b

Eccleſia & Monaſterium S. Iacobi Maioris Ieroſolymis. 75,b. 76,a & b. 77,a

Eiuſdem martyrij locus. 75,b.76,b

Primus inter Apoſtolos pro Chriſto martyrio affectus eſt. ibid.

Eius martyrium à Chriſto fuit prænuntiatum. 75,b. 76,a

Iuit in Hiſpaniam. 76,a & b

Qualis ſit Eccleſia S. Iacobi. 77,a

Corpus eius ex Ieroſolymis in Hiſpaniam tranſlatum eſt. ibid.

Hiſtoria tranſlationis. ibid.& b

Frater Iacobus Cuſtos Syriæ, Accone, ſive in ciuitate Ptolemaide, pro Chriſto occiſus fuit. 898,b

Iair.

Iair Galaadites octauus Index populi Iſraël. 728,b

Iannes.

Iannes Hircanus II. decimus quintus Dux Iudæorum. 49,a

Iapha, *vide* Ioppe.

Iconomachia, Iconomachi.

Iconomachus fuit cauſa celebrandi Concilij Nicæni II. 670,a

Philippicus ſex Synodorum imagines ſeu picturas demolitur. ibid.

Leo tertius in eas debacchatur. ibid.b

Conſtantinus Copronymus in imagines & Sanctorum Reliquias inſanit. ibid.

Item Leo IV. ibid. & 671,a

Sanctum eſt in Concilio Nicæno II. vſum & veneracionem ſanctarum imaginum licitam & vtilem eſſe. 671,a & b

Idea.

Ideam operis ſui artifex concipit & imitatur. 346, a & b

Sententia Platonis de Ideis explicatur. ibid.b

Omnia creata habuerunt in Deo eſſe cognitum. ibid. & 347,a

Mundus fuit idea hominis. 347,a

Idololatria.

Loca idololatriæ deputata amœna erant. 274,b

Idololatria non ſolùm extra Jeruſalem, ſed etiam intra viguit. 280,b

Idolum.

Idolum dicitur offenſio. 279,b

Idola culta fuerunt extra & intra Ieruſalem. 280,b

Iebus.

Ieruſalem dicta eſt Jebus. 28,a

Iechonias, *vide* Ioachim.

Iemni.

Iemni quid ſit, & vbi. 814,a
Ibidem eſt diuerſorium & fons. ibid.
Ibi Chriſto occurrerunt decem viri leproſi. ibid.
Difficultates contra traditionem de decem illis leproſis proponuntur, & ſoluuntur. ibid & b. 815,a & b
Iemni eſt in communi & publica via. 814,b

Iephte.

Iephte nonus Iudex populi Iſraël. 728,b

Ieremias.

Ieremias Taphnim in Ægyptum cum Iudeis profectus fuit, ibique multa prædixit. 928,a & b
Contentiones inter Ieremiam & Iudæos. ibid.b
A Iudæis lapidatur. ibid.
In vtero matris ſanctificatus fuit. ibid.
Honoratus eſt vbi paſſus fuit. 929,a
Miracula ad illius ſepulchrum facta fuerunt. ibid.
Illius Reliquiæ Alexandriam tranſlatæ ſunt. ibid.
Rationes adferuntur aliquorum dicentium Ieremiam non eſſe mortuum. ibid & b
Reijciuntur. ibid.b
Ieremias quomodo ſit Propheta in Gentibus. ibid.
Apud Taphnam in Ægypto lapidatus & ſepultus eſt. 305,b.306,a
Fideles ex eius ſepulchro ſumpto puluere, aſſiduum morſibus medentur. 306,a
Fouea Ieremiæ, vbi deſleuit vaſtationem Ieruſalem, & Threnos compoſuit. 731,b
Fouea illa illuſtris memoriâ ab Helena decorata fuit. ibid.
Fouea ſiue carcer Ieremiæ quis fuerit; qui eo nomine vocatur, & oſtenditur prope foueam Threnorum Ieremiæ. 733,b. 734,a & b
Ieremias quater in carcerem miſſus fuit. 732,b. 733,a & b
Ieremias incarceratus Chriſtum incarceratum præfiguranit. 395,a
Carcer Ieremiæ fuit figura Sepulchri Chriſti. 521,a
Eccleſia S. Ieremiæ ſextus locus primæ Peregrinationis. 14,b
Minorita occiſi in Monaſterio S. Ieremiæ ab Arabibus. ibid.
Deſcribitur locus. ibid.
Eccleſia S. Ieremiæ quare ſic dicta. 15,a. 16,a
Ieremias in Anathoth natus eſt. 15,a & b
Ieremiæ ſermo ſimplex fuit, quia in viculo oriundus. 16,a
Fr. Ieremias Accone, ſiue in ciuitate Ptolemaidæ, pro Chriſto occiſus fuit. 898,b

Iericho.

Campeſtria Iericho quid ſint. 753,a & b
Sunt ſpatioſa & fecunda. ibid.b
Creſcunt ibi myrobalani, ex quibus oleum conficitur medicinale. ibid.
Olim ibi balſamum oriebatur. 754,a.756,a
Fertilitas agri Ierichuntini prouenit, præter cetera, ex fonte Eliſei. 754,a & b
Prouentus ex Iericho tempore Chriſtianorum. ibid.b
Roſa Ierichuntinæ celebres. ibid.
Vbi oriantur, & vnde aduehantur. ibid. & 755,a
Campeſtria Iericho varie appellantur. 755,a
Iericho ciuitas quid ſit. ibid.
A Ioſue capitur, & ſuccenditur. ibid.
Eam ædificanti maledicitur. ibid.
Tempore obſidij Ieroſolymitani deſtructa fuit à Veſpaſiano, poſtmodum ab Adriano Imperatore reſtaurata. ibid.
Readificata fuit ſub Chriſtianis, & Epiſcopum Suffraganeum habuit. ibid.b
Nunc temporis in pauperculam villam conuerſa eſt. ibid.
Diſtantia eius ab Ieruſalem. ibid.
Nomenclatura ciuitatis Iericho. ibid.
Operata inea in veteri & nouo Teſtamento. 756, a & b
Ierichuntina regio aquis abundat. 721,a

Ieruſalem.

Ieruſalem aliquando dicitur Libanus. 887,b
Ieruſalem nomine Ciuitatis intelligitur. 96,a
Vocatur vmbilicus terræ. 436,b
Diſtantia Hebron ab Ieruſalem. 703,a
Opiniones tres circa conditores ciuitatis Ieruſalem. 27,a
Prima opinio ait conditam fuiſſe à Moyſe. ibid.
Refellitur. ibid.b
Secunda opinio ait conditam fuiſſe à gente Solymorum. ibid.
Refellitur. ibid.
Tertia & communis opinio ait primum conditorem fuiſſe Melchiſedech. ibid & 28,a & ſeqq.
Ieruſalem primo dicebatur Salem. 28,a
Deinde dicta eſt Iebus, Iebuſalem, ac poſtea Ieruſalem. ibid.
S. Hieronymus prius vult Ieruſalem dictam eſſe Iebus, & poſterius Salem. ibid. & b
Explicantur difficultates & dubia occurrentia. ibid. & 29,a & b. 30,a & b
Quiſnam ampliauerit aut refecerit Ieruſalem. 31,a
Ieruſalem vetus & noua dicta eſt. Ibid. & b
Situs deſcribitur. ibid. b
Quomodo ſit in medio terræ. ibid.
Sion eſt in ſupremo loco Syriæ. 32,a
Diſpoſitio montium ſanctæ Ciuitatis. ibid.b
Ieruſalem ciuitas in ſuperiorem & inferiorem diuidebatur. ibid.
Deſcriptio vtriuſque. ibid. & 33,a & b
Salomon ampliauit Ieruſalem. 33,a
Quare dicatur ciuitas Regis magni. 34,a
Vallatur montibus & collibus. ibid & b
Eius opulentia ex vicinitate maris. ibid.b
Naturalia & ſupernaturalia ſanctæ Ciuitatis præſidia fuerunt. 35,a
Murorum Ieruſalem conditio. ibid. & b
Triplici muro quomodo cingebatur. ibid.b
Quantum fuerit ſpatium in gyro totius ciuitatis. ibid. & 36 a
Argumenta pro maiori ambitu Ieroſolymæ adferuntur. 36,b. 37,a
Multipliciter reſpondetur. 37,a & b
Enumerantur portæ ciuitatis Ieruſalem. ibid.
Plures portæ diuerſis appellantur nominibus. ibid.b
Deſcriptio Ieroſolymæ curâ Nehemiæ inſtaurata ad mentem Brocardi & Villalpandi. 38.
Ieruſalem vetus quæ ſit. 40,a
A Tito & Romanis quomodo euerſa. ibid. & 106,b. 107,a. 116 b.
Ab Ælio Adriano Imp. turres à Tito relictæ penitus deſtructæ ſunt, ac locus ciuitatis exciſa ſale aſperſus. 40,b. 107,b
Ab eodem readificata fuit. 40,b
Idem in fronte eius portæ, quâ Bethlehem ibatur, ſuem in marmore ſculpſit, Iudæis eidem ſubiectis. ibid.
Iudæis interdixit, ne amplius ciuitatẽ ingrederentur, vel eam ex loco excelſiore communi aſpicerent. ibid.
A ſuo nomine vocat eam Æliam Capitolinam. ibid.
Hæc eſt Ieruſalem noua. ibid.

Forma

Forma eius quadrata. ibid.
Loca sancta illi vicina ab Ælio Adriano intra vrbem conclusa sunt. 41,a
Post hac à Christianis habitata, & Patriarchali dignitate insignita fuit. ibid.
Reficiuntur à Solimo Solimano muri Ierusalem. ibid.
Castellum ciuitatis in loco, vbi quondam erat turris Dauid, dictum Pisanum. ibid.
Exceptis sanctuariis, nihil in ciuitate spectabile est. ibid. b
Solimus Solimanum architectum occidi iubet, eò quòd montem Sion pro maiori parte ciuitate excluserat. ibid.
Describitur noua Ierusalem. ibid.
Sex eius portæ. 42,a
Earum nomina. ibid.& b
Earumdem inscriptiones. ibid.b
Ierusalem antiquitus pertinuit ad Iebusæos & Chananæos. 43,a
Post expulsos Chananæos pertinuit ad tribum Iudæ & Beniamin; Leuitico tamen tribui in ea habitauit. ibid.& b.44,a
Reges Ierusalem ex tribu Iudæ & Beniamin quare fuerint assumpti. 43,b
Temporis successu ex omnibus tribubus aliqui in Ierusalem habitarunt. 44,a
Ierusalem à suo exordio fuit ciuitas Regia. ibid.& b
Duo Reges eius nominati ante ingressum Iudæorum in Terram sanctam, Melchisedech & Adonisedec. ibid.
Quare Saul non vocetur Rex Ierusalem. ibid.
Primus Rex Ierusalem ex Iudæis assumptus fuit Dauid. 45,a
Expugnat arcem Sion, & Iude Iebusæos expellit. ibid.
Salomon fuit secundus Rex Ierusalem, tertius Roboam. ibid.& b
Sub Roboam diuiditur Regnum in duas partes. ibid. b
Sesac Rex Ægypti obsidet Ierusalem. ibid.
Fit Ægyptiis tributaria. ibid.
Quartus Rex Ierusalem fuit Abia, quintus Asa, sextus Iosaphat, septimus Ioram, octauus Ochozias. 46,a
Nono loco Regnum occupauit Athalia. ibid.
Decimus Rex fuit Ioas, vndecimus Amasias, duodecimus Ozias. ibid.b
Decimustertius Ioathan, decimusquartus Achaz, decimusquintus Ezechias, decimussextus Manasses, decimusseptimus Amon, decimusoctauus Iosias, decimusnonus Ioachaz, vigesimus Eliachim, qui & Ioakim. 47,a& b
Nabuchodonosor obsidet Ierusalem, capit, & Regem cum multis nobilibus captiuos ducit in Babyloniam. ibid.b.48,a
Vigesimusprimus Rex Ierusalem fuit Ioachin, vigesimussecundus Sedecias. 48,a
Reuertuntur Iudæi in Ierusalem, & ciuitatem ac templum reædificant. ibid. b.& 107,b
Principes enumerantur qui post captiuitatem Babylonicam Ierosolymis rexerunt Iudæos. 49,a
Vtente Ierusalem Ducatu, Mathathias Machabæus correptis armis legem Dei vindicauit. ibid.b
Succedunt ad eius regimen & Iudaici populi Machabæi; qui enumerantur. ibid.
A Romanis subiugatur Ierusalem, à quibus præfecti fuerunt Reges: quorum primus fuit Herodes maior Ascalonita. ibid.
Modus quo peregrini excipiuntur Ierosolymis, & iterùm dimittuntur. 49,a & b. 50,a & b
In Ierusalem etiam ex Leuitica tribu aliqui habitabant. 701,a
Extra Ierusalem licitum erat sacrificare, existente rationabili causâ. 271,b
Ierosolyma diuina custodia. 278,a
Montes Ierusalem sancti dicuntur. 723,a
Antichristus Ierosolymis thronum suum collocabit. ibid.
Ierosolymorum Sedes quare aliis Ecclesiasticis Sedibus non fuerit prælata. 916,a
Non solùm extra Ierusalem, sed etiam intra vigilii idololatria. 180. b
Turcæ Ierosolymis diuersimodè vexant Christianos. 53,a & b. 54,a & b
Magna pestis ibi grassatur. 53,b. 54,a
Suadetur peregrinis vt Ierosolymam sine pompa & superbia ingrediantur, ob periculum. 54,b
Calamitates quibus obnoxia fuit Ierusalem in obsidione Romanorum. 229,b.230,a
Capitur, incenditur & destruitur ab Antiochis. 115,b.116,a
Captâ vltimo Ierosolymâ per Saladinum, omnes campanæ Ecclesiarum malleis confractæ sunt illius iussu. 576,a
Locus, vbi Christus prædixit discipulis suis templi & Ierusalem destructionem, Ecclesiâ fuit insignitus ab Helena. 307,a & b
Via, quâ ex Ierusalem Cairum, & ex Nazareth in Ægyptum itur, describitur. 918,a vsque ad 923,a.
Nundinæ Ierosolymitanæ circa Festum Exaltationis S. Crucis. 382,a
Platea Ierusalem post nundinas illas miraculosâ pluuiâ emundantur. ibid.& b
Ierosolyma martyrio Fratrum Minorum honoratur. 55,a & seqq.
Vide sub titulo Ftatres Minores.
Duo Burgundiæ Duces mandant cor suum sepeliri Ierosolymis. 483,a
Præsens materialis Ierusalem est ciuitas illa noua à nouo populo inhabitanda, Isaiæ cap. 25. reuelata. 465,b. 473,b
Præsens Ierusalem quare noua dicatur. 465,b
Habitatorum noua Ierusalem conditio. ibid. & 466,a
Habitatores illius spiritu & re pauperes, sed virtute fortes sunt. 466,a
Quales fideles futuri sint Ierosolymæ tempore Antichristi. ibid.
Enoch & Elias Ierosolymis occidentur ab Antichristo. 713,a& b
Ierusalem est ciuitas vastanda & non restauranda Isaiæ 25. capite oftensa. 464,a & b
Adrianus Imperator quare Ierosolymam Æliam appellauerit. ibid.b
Noua imago partis Ierusalem. 448

Iesse.

Christus dicitur radix Iesse. 510,b.521,a

Iesus.

Propter Iesum & Mariam mundus conditus est. 21, b

Iesu & Mariæ fons.

Fons Iesu & Mariæ, & nominis ratio. 841,b

Iether.

Iether an fuerit ciuitas Zachariæ patris S. Ioannis Baptistæ. 705,b

Ignatius.

Ignatio Martyri apparuit Christus in die resurrectionis sue. 574,a

Ignis.

Charitas per ignem significata sollicitè est conservanda. 274,a

Quatuor causæ, quare Deus consueuit mittere ignem de cælo. 560,b

Cur ignis in die Pentecostes super Apostolos, & in primitiua Ecclesia super baptizatos de cælo missus apparuerit. 562,a

Ignis à Persis veneratioui habitus fuit. 270,b

Vide plura sub titulo Nehemias.

Duplex modus sacrificandi filios per ignem. 275,a

Antiqui putarunt, quod ignis purgaret ab impuritate spirituali. ibid.b

Tartarorum mos transeuntium inter ignes. ibid.

Ex variis Auctoribus refertur, quomodo olim, igne de cælo diuinitus misso, solebant accendi lampades S. Sepulchri Ierosolymis. 563, a vsque ad 566,b

De igne quem Orientales schismatici in Sabbato sancto in sacello S. Sepulchri accendunt, quem cælestem esse dicunt, vide sub titulo Orientales.

Imago.

Imago S Mariæ Virginis à S. Luca depicta creditur esse Alexandriæ in Ecclesia S. Michaelis. 1014,b

Imago Deiparæ, ad quam se conuertit Maria Ægyptiaca, & gratiam obtinuit. 445,a & b

Imagines exterius à Turcis prohibentur, interius vero in Ecclesiis & domibus permittuntur. ibid b

Insigne miraculum refertur, quod Dominus operari dignatus est in ciuitate Berytis circa imaginem Christi Saluatoris. 910,a & seqq.

Theodosius deiectas restituit imagines. 670,b

Vide Statua.

Imperium, Imperator.

Quatuor Romani Imperij insignia. 378,a

Improperia Christi, *vide* Christi improperia.

In *Præpositio.*

In *Præpositionis duodecim significationes.* 616, a &

Incarnatio, *vide* Christi incarnatio.

Iniuria.

Iniuria causam meliorem non faciunt. 187,a

Iniurias lacessere est vituperabile. ibid.

Infantes ab Herode occisi, *vide* SS. Innocentes.

Inferus.

Damnatis infernum statim post mortem dat Deus. 192,b

Inferni pœna quoscunque damnatos insequitur. 194,a

In inferno maior est damnatorum pœna quàm extra. ibid.

Dæmones libentius extra infernum quàm intra sunt. ibid. & b

SS. Innocentes.

Suasione Iudæorum facta fuit Innocentium occisio, & ob eandem quæsitus fuit Christus. 704,a & b

Herodes quando sanctos Innocentes occidi curauerit. 634,a & b

Infantium quàm crudelis occisio fuerit. 612,b

Augusti dictum de Herode Innocentium interfectore. ibid.

Rachelis mentio cur fiat in occisione Innocentium. ibid.a & b. 613,a

Vox in Rama quid significet. ibid.

Sacellum sanctorum Innocentium in loco nativitatis Christi, eius forma, & nominis ratio. 675,b

Intentio.

Opus bonum mala intentione factum reprehenditur. 305,a

Deo seruire oportet propter se solum, non spe mercedis, aut timore pœnarum. 884, b. 885,a & b

Inuentio S. Crucis, *vide* S. Crucis inuentio.

Ioab.

Ioab primus ascendit arcem Sion, eamque cepit; vnde & Dux à Dauide constitutus fuit. 45,a

Ioachaz.

Ioachaz, qui & Sellum, fuit decimusnonus Rex Ierusalem. 47,b

Vinctus mittitur in Ægyptum, ibique moritur. ibid.

Ioachim.

Ioachim, qui & Iechonias, fuit vigesimusprimus Rex Ierusalem. 48,a

Captiuus cum matre ducitur in Babylonem. ibid.

Regnauit tribus mensibus & decem diebus. ibid.

Ioachim pater B. Virginis oriundus fuit ex Bethlehem, iuxta probabilem sententiam. 621,a & b

Patria eius creditur fuisse Sephoris. 852,b

Locus domus Ioachim Ecclesiâ decoratus fuit. ibid.

Sacellum & sepulchrum eius. 240,a

Ioakim, *vide* Eliachim.

Ioannes.

Ioannes Hircanus Prisci Machabæi præfuit Iudæis. 49,b

B. Ioannis Eleemosynarij Patriarchæ Alexandrini laus. 577,a

Fr. Ioannes Mantuanus Ierosolymis à Turcis occiditur. 55,b

Item Fr. Ioannes Calaber. ibid.

Fr. Ioannes de Ethco fidem abnegat, & fit Saracenus. 944,a

Post abnegatam Christi fidem eandem confitetur; pro qua viriliter obiit. ibid.

Fr. Ioannes de Zuazo Capucinus in vrbe Cairi pro Christi fide interemptus fuit. 945,a & b

Fr. Ioannes Neapolitanus, ex Ordine Fratrum Minorum, Gazæ pro Christi fide martyrium subiit. 926,a

S. Ioannes Baptista.

S. Ioannes Baptista fuit Eremitarum princeps, & plura deserta sanctificauit. 706,a & b. 707,a

Fugit homines, vacat orationi, cum Angelis conuersatur. 706,b. 707,a

Describitur antrum deserti in quo Ioannes puerilis habitauit. 707,a & b

Extra antrũ, sed prope, est limpidissimus fons. ibid.b

In pueritia secessit in desertum, sed quo pueritiæ anno, incertum est. 708,a

Cum matre sua Elisabeth in speluncam secessit; & mortua matre Angelus curam illius suscepit. ibid. b

Secessit in desertum ob Herodis persecutionem, & vt innocentiam seruaret. ibid.& 709,a

Iudæorum suasione Ioannes Baptista est interfectus. 268,b

Beda ait Ioannem incarceratum & decollatum fuisse Ierosolymis. 812,b

Reiicitur. 813,a

Metaphrastes dicit id factum esse Sebastæ, sine in vrbe Samaria. 812,b

Reiicitur. ibid.& 813,a

Probabilius est Ioannem incarceratum & decollatum fuisse in oppido Macharunte. 812,a. 813,a

Corpus

Corpus absque capite sepelitur à discipulis eius Sebaste in Samaria. 812,a
Caput eius fernat Herodias, timens ne corpori uniretur, & iterum adulterium suum reprehenderet. ibid.& 813,a
In palatio Herodis creditur fuisse absconditum caput S. Ioannis Baptistæ. 205,b
Cur S. Ioannes Baptista sepultus sit Sebastæ, sententia Baronij proponitur, & reuocatur. 812, a&b
Lapis, vbi fuit decollatus S. Ioannes Baptista, seruatur Venetijs. 813,a
Corpus eius primò sepultum fuit in Macharunte vel Ierosolymis. ibid.
Caput ex Macharunte Ierosolymam delatum fuit, & ibi postea inuentum. ibid.b
Corpus postea Sebasten, caput verò in Edessam Syriæ ciuitatem translatum fuit, & sepultum ibidem. ibid.
Caput eius nunc partim Romæ, partim Ambiani seruatur. ibid.
Herodiadis sæuitia contra Ioannem Baptistam. ibid.
Notabilia aliqua circa partem capitis S. Ioannis Baptistæ, quæ seruatur Ambiani in Gallia. ibid.
Cineres corporis ambusti S. Ioannis Baptistæ seruantur Genuæ. 814,a
Digitus, quo monstrauit Christum Agnum Dei, seruatur Meliæ. ibid.
Non quo tempore fuit Ioannes Baptista decollatus, sed quando caput eius inuentum, Festum Decollationis Ecclesia celebrat. 858,b
Locus seu villa natiuitatis S. Ioannis Baptistæ, eius forma, & nominis ratio. 710,a & b
Veneratio, cultus & dignitas eiusdem loci. ibid.b
Natiuitati S. Ioannis Baptistæ interfuit Despara. ibid.
S. Ioannes in natiuitate Christo similis fuit, item in innocentia, prædicatione, magisterio, &c. 711, a&b
Sacer locus natiuitatis S. Ioannis Baptistæ purgatur, & Christiano cultui restituitur. 712,a
Iterùm profanatur. ibid.
Ecclesia S. Ioannis Baptistæ, cui Monasterium Monachorum annexum erat, quarta parte milliaris à Iordane distans, diruta est. 744,b
In memoriam baptismi Christi erectam illam esse Ecclesiam putat Bonifacius. ibid.
In illo Monasterio probabiliter habitauit Zosimus Abbas. ibid.
Beda putat Ecclesiam illam non fuisse ædificatam in tuitu baptismi Christi. 745,a&b
Vbi Christus à Ioanne baptizatus sit. ibid.b
Locus baptismi præfiguratus fuit eodē loco Iordanis, per quem Iudæi siccis pedibus transierunt. 746,a
Alia opinio, quare Ecclesia prædicta in honorem S. Ioannis Baptistæ erecta fuerit. ibid.
Baptismus Ioannis gratiam non conferebat, sed ad eam disponebat. ibid.b
Spelunca in qua Ioannes Baptista tempore suæ prædicationis habitauit, & in qua à Christo visitatus fuit, dignitas ostenditur. 747,a&b
Fons ex quo bibebat Ioannes Baptista. 748,a
Cibus Ioannis Baptistæ. ibid.
De locustis & melle siluestri varia sententia proponuntur. 784,a&b
Templum S. Ioannis Baptistæ apud Sebasten, in quo eiusdem corpus inter Eliseum & Abdiam tumulatum fuit, describitur. 811,b
Ad Maures nunc pertinet, & ab iisdem in magna veneratione habetur. ibid.
Referuntur mirabilia facta ad sepulchrum S. Ioannis Baptistæ. ibid.& 812,a
Ecclesia S. Ioannis Baptistæ in ciuitate Senonensi. 88,b
Monasterium S. Ioannis Baptistæ apud Cairum. 948,a
Saraceni valdè honorant S. Ioannem Baptistam, & circumferunt eius Reliquias singulis annis; quæ miraculosè contra impetum Nili fluminis ascendunt. ibid.

S. Ioannes Euangelista.

S. Ioannes Euangelista non fuit sponsus in nuptiis Canæ Galilææ. 853,b.854,a
Fuit virgo corpore & mente. ibid.
S. Ioanni Euangelistæ adhuc viuenti erigunt Ecclesiam Ephesi. 89,a
Forma Ecclesiæ S. Ioannis Euangelistæ Ierosolymis, & ratio nominis. 93,a
Habitatio eius. ibid.
Quomodo dicatur Galilæus. ibid.b
Eius nobilitas & opulentia. ibid.& 94,a
Quomodo domum Ierosolymis habuerit. 94,a
In domo Ioannis Christus non fecit vltimam cœnam. ibid.& b.119,b.120,a
S. Ioannes Euangelista nunquam Despæram deseruit. 141,b
S. Ioannes & B. Maria Virgo an Ephesi habitauerint. ibid.& 144,a&b
In domo S. Ioannis Euangelistæ habitauit S. Maria Virgo. 143,a&b
Quomodo S. Ioannes Euangelista curam gesserit B. Mariæ, eique comparauerit necessaria pro alimentis. ibid.b
Sacellum in quo S. Ioannes Missam coram Despara celebrabat; eius conditio, & nominis ratio. 147,a&b
Fuit Despara Parochus. ibid.a
Præsens fuit, cùm Christum cruci affixum esset. 444,b. 445,a
Ioannes & Maria quare adstabant cruci. 478,a
Vide de hoc plura sub titulo Caluariæ Mons.

Ioannes Marcus.

In domo matris Ioannis Marci aliqui dicunt Christum fecisse vltimam cœnam. 94,b.119,b
Refellitur hæc opinio. 120,a
Vbi hæc domus sita fuerit. 94,b

Ioanno Ben Resa.

Ioanno Ben Resa fuit tertius Dux Iudæorum. 49,a

Ioas.

Ioas fuit decimus Rex Ierusalem. 46,b
Cultum Dei & veram religionem deseruit. ibid.
Eius iussu Zacharias lapidatur. ibid.
Ab Asaele Rege Syriæ expugnatur, & ignominiâ afficitur, ac in lectulo suo a seruis eius occiditur. ibid.
Regnauit quadraginta annis. ibid.

Ioathan.

Ioathan fuit decimus tertius Rex Ierusalem. 47,a
Regnauit sedecim annis. ibid.

Ioël.

Ioël sepultus est in Bethor. 603,b

Ioiadas.

Ioiadas binominis fuit. 265,a
Vide plura sub titulo Zacharias.

Ionas.

Ionas in Ioppen venit, cùm contra Dei mandatum noluit ire in Niniuen. 5,b
Iona patria & sepulchrum eius creditur fuisse Michiet in terra Geth. 855,a&b

Neſtoriani, ſive Chaldei, dicunt corpus Ionæ eſſe in nona Ninive ciuitate. 855,b
Ionæ in Geth terræ Saar ſepulchrum eſt. 306,b
Venter ceti Ionæ fuit figura Sepulchri Chriſti. 521,b
Item nauis, quam Ionas aſcendit. ibid.

Ionathas.

Ionathas Machabæus præfuit Iudæis. 49,b

Ioppe.

Ioppe portus Terræ ſanctæ præcipuus. 3,a & b.4,a
Quicunque peregrinus in Ioppen peruenit, plenariam Indulgentiam conſequitur, licet vlteriora Terræ ſanctæ loca non viſitauerit. 4,a
Duplex eſt Ioppe, vna in Galilæa, altera in Iudæa. ibid.
Quantum diſtet à Bethlehem, Ieruſalem, & Rama. ibid.b
Eſt in termino tribus Dan. ibid.
A conditore ſuo Iaphet eſt appellata. ibid.
Mutationibus plurimis obnoxia fuit. ibid.
A Romanis bis capta, incenſa & penitus exciſa fuit. ibid.
Ludouicus Francorum Rex eam cinxit turribus & muris. ibid.
Præcipuum ciuitatis Ioppe in planitie & arena ſitum fuit. 5,a
Explicatur Adrichomius. ibid.
Ibidem eſt puteus aqua dulcis prope mare. ibid.
Portus Ioppes conditio. ibid.
Subiacet Baſcio, ſiue Gubernatori Gazæ. ibid.
In eius littore ſaxa olim monſtrabantur; ad quæ Andromeda à bellua marina deuoranda, niſi Perſeus eam liberaſſet, catenis religata fuiſſe dicebatur. ibid.&b
Laurentius Valla refellitur. ibid.b
Ad portum Ioppes venit Ionas nolens ire in Ninuen. ibid.
Illuc ligna & lapides pro templi ſtructurâ de Libano per mare ratibus transferebantur. ibid.
Iuxta Ioppen ducenti Iudæi à Ioppicis ſubmerſi fuerunt. 6,a
Ibi ſæpè habitarunt Iudæi, illamque munierunt. ibid.
Domus Tabithæ prope Ioppen. ibid.
Item domus Simonis Coriarij, apud quem manſit S. Petrus. ibid.
Lorinus refellitur. ibid.
Ruina prope Ioppen. ibid.&b

Ioram.

Ioram fuit ſeptimus Rex Ieruſalem. 46,a
Fuit homo crudeliſſimus, & perſuaſione vxoris ſuæ Athaliæ pietatem deſeruit. ibid.
Omnes fratres ſuos cum quibuſdam Principibus interfecit. ibid.
Miſerè interiit, & ſine regio cultu ſepultus fuit. ibid.
Regnauit octo annis. ibid.

Iordanis.

Iordanis fluuius vnde oriatur & nomen ſuum accipiat. 595,a
De Iordanis origine tres ſunt ſententiæ. 737,a
Prima ait à Ior & Dan fontibus originem trahere. ibid.
Secunda, à Phiala fonte Trachonitidis. ibid. &b
Explicatur in hac ſententia, quomodo Iordanis origo deprehenſa ſit. ibid.b
Conciliantur hæ duæ ſententiæ. ibid.& 738,a
Tertia ſententia aſſerit Iordanis originem eſſe ex paradiſo terreſtri. 738,a
Augetur, iuxta aliquos, Iordanis ex niuibus Libani liquefactis. ibid.
Meſſis tempore exundat. ibid.b
Iordanis dicitur fluuius paradiſi; quia eſt fluuius Terræ promiſſionis; & quia à Libano, vbi eſt locus Eden, originem ducit. 739,a
Iordanis nominis ratio. ibid.
Huius nominis ſignificatio. ibid.b
Diuiditur in maiorem & minorem. ibid.
Alluit Galilæam, Iudæam, & Samariam. ibid.
Quis vocetur Iordanis maior & minor. ibid.
Iordanis longitudo & latitudo. 740,a
De terminatione Iordanis tres ſunt ſententiæ. ibid.
Prima ait ſub terra ſe recludere. ibid.
Reuocatur. ibid.
Secunda dicit ad mare Mortuum terminari. ibid.
Tertia aſſerit Iordanem terminari in mari Rubro vel Mediterraneo. ibid.
Conciliantur duæ poſteriores ſententiæ. ibid.
Iordanis ex diuerſo ſitu diuerſum nomen habere potuit. 741,a
Quemodo Iordanis aquæ, admixtæ aliis maris Mortui, maris Rubri, vel Mediterranei. ibid.b 742,a
Caſus, quo deprehenſum eſt Iordanem in Mediterraneum mare fluere. 742,a
Alius ſimilis euentus à Seneca refertur. ibid.
Iordanis præcellentia; & in eo facta tempore Legis & Euangelij. ibid.&b
Baptiſmi ac Pœnitentiæ Sacramentum in Iordane præfiguratum fuit: in quo & corporales infirmitates ſanantur. ibid.b
Antiqua & ſtultuoſa conſuetudo lauandi ſe in Iordane. ibid.& 743,a
Aquæ & luti Iordanis pius vſus. 743,a
Iordanis fluuij color. ibid.
Vocatur fluuius Dei. ibid.&b
Vitra Iordanem habitauit Mariæ Ægyptiacæ, & aliis ſanctis viri. 744,b.749,a

Iordanis pons, *vide* Iacob.

Ioſaphat.

Ioſaphat fuit ſextus Rex Ieruſalem. 46,a
Regnauit annis vigintiquinque. ibid.
Situs & forma ſepulchri Ioſaphat; item nominis ratio. 249,a

Ioſaphat vallis.

Vallis Ioſaphat deſcribitur. 150, b. 151,a
Eius longitudo, latitudo, & profunditas. 151,a
Habet plura nomina. ibid.
Vallis Cedron à torrente, vel à cedris dicta fuit. ibid.
Item Vallis montium, Vallis Siloë, & Vallis benedictionis, & Vallis Gehennon. ibid.&b
Vallis Sauæ non eſt Ioſaphat. ibid.
Communiter dicitur Vallis Ioſaphat; & additur ratio. ibid.
Item dicitur Vallis iudicij, & Vallis conciſionis. 152,a
Vallis Ioſaphat fuit commune cœmeterium. ibid.
In Valle Ioſaphat ſunt combuſta idola: hæc tranſita Chriſti conſecrata fuit. ibid.
Proponuntur argumenta, Iudicium non eſſe faciendum in Valle Ioſaphat. ibid.b
Ioſaphat nominis interpretatio. ibid.a & b
Communis ſententia eſt, & tenenda, Iudicium faciendum eſſe in Valle Ioſaphat. 153,a & b. 154,a & b

Digitized by Google

Iudicandi non tantùm erunt in Valle Ioſaphat, ſed etiam in locis proximis. 154,a & b
Iudex in Valle Ioſaphat thronum ſuum collocabit. ibid. b

Ioſeph.

Diuerſorium Ioſeph circa Capharnaum quare ſic dictum. 870,b
Ioſeph projicitur in ciſternam quæ erat in ſolitudine. ibid.
Ciſterna Ioſeph conditio & ſitus. 871,a
Quorundam error reijcitur. ibid.
Ciſterna & carcer Ioſeph præfigurarunt Sepulchrum Chriſti. 521,a
Ioſeph in ciſternam & in carcerem conjectus præfiguravit Chriſtum incarceratum. 395,a
Pyramides Ægypti an fuerint horrea Ioſeph. 952,b. 953,a.
Horrea Ioſeph apud Cairum; & nominis ratio. 947,a
Somnia Pharaonis oſtenſa à Ioſeph interpretata fuerunt. ibid.
Ægypti Prorex conſtituitur. ibid. b
Illius prouida ſollicitudo. ibid.
In variis Ægypti locis frumenta recondit. ibid.
Putens Ioſeph in caſtello ciuitatis Cairi. 943.b
De particulari loco ſepulchri Ioſeph filij Iacob in Sichem. 803,a & b
Etiam apud Sichem fratrum Ioſeph oſſa ſepulta fuerunt. ibid. b
Difficultates de oſſibus Ioſeph. ibid. & 804,a & b. 805,a
Oſſa Ioſeph quomodo in Ægypto conſervata & inuenta fuerint, vt tranſferri poſſent in terram Chanaan. 804,a
Hebræorum ſententia proponitur, & reijcitur. ibid. & b
Perery ſententia. ibid. b. & 805,a
Ioſeph ſponſus Deiparæ fuit ex Nazareth oriundus; & meritò in ea natus. 819,a & b. 820,a
Ratio nominis domus S. Ioſeph ſponſi B. Mariæ Virginis. 680,a
Argumenta contra traditionem de domo S. Ioſeph ſoluuntur. ibid. & b. 681,a
Domus & officina S. Ioſeph ſponſi B. Mariæ Virginis. 840,a
Ibidem olim fuit pulchra ædificata Eccleſia. ibid.
S. Ioſeph faber fuit non ferrarius, ſed lignarius. ibid. & b
Chriſtus miniſtrabat parentibus ſuis in opere lignario. ibid. b. 841,a & b
Peregrinatio S. Ioſeph cùm Ieſu & Maria in Ægyptum deſcribitur; & quæ in ea contigerunt referuntur. 920, b vſque ad 923.b
Sacellum & ſepulchrum S. Ioſeph ſponſi B. Virginis. 240,a. 249,b
Aliud ſacellum S. Ioſeph ſponſi Deiparæ in antro nativitatis Chriſti recenter erectum eſt; & quare. 675,a & b
Ioſeph Juſtus & Mathias fuerunt Chriſti diſcipuli. 131,a & b
Ioſeph ab Arimathæa quis fuerit. 524,a
Eius quæ fuerit patria. 7,a & b. 8,a
Ioſeph ab Arimathæa Chriſto Sepulchrum conſtruxit. 498,a. 516,a & b
Quanti æſtimauerit corpus Ieſu, & quid Pilato pro illo dederit. 550,a
Detinetur à Iudæis eâdem veſperâ quâ Chriſtum ſepelierat, in cubiculo clauſo ac ſigillato. 573,b
Apparet ei Chriſtus, conſolatur, oſculatur, ac liberum dimittit. ibid. & 574,a
Sepulchrum Ioſephi ab Arimathæa deſcribitur. 568,a
Ratio nominis eiuſdem ſepulchri. ibid. & b
Iacobitæ cuſtodiunt illud ſepulchrum. ibid. b
Ioſeph iunior Arſes decimusquartus Dux Iudæorum. 49,a
Ioſeph Priſcus fuit quintus Dux Iudæorum. ibid.

Ioſias.

Ioſias, qui & Coſan, fuit decimusoctauus Rex Ieruſalem. 47,b
In campo Mageddo vulneratur, & in Ieruſalem delatus, moritur. ibid.
Regnauit vno & triginta annis. ibid.
Currus Joſiæ Regis Iuda fuit figura Sepulchri Chriſti. 521,b
Item Ioſiæ ſepulchrum. 547,a

Ioſue.

Sepulchrum Ioſue à Iudæis extructum. 127,b

Iſaac.

Fabella Hebræorum, de loco circumciſionis Iſaac, rejicitur. 768,b. 769 a & b
Iſaac in Berſabee circumciſus fuit. 708,b. 769,a
Locus immolationis Iſaac & arietis pro eo, fuit mons Caluariæ. 579,b. 580,a
In loco illo eleëmoſynæ colliguntur. 580,a
Arbor, vbi aries hærens cornibus acceptus & ſacrificatus fuit loco Iſaac, deſignauit myſterium S. Crucis. 581,a & b. 582,a
Locus immolationis Iſaac fuit figura templi Reſurrectionis Domini, vt & Iſaac figura Chriſti. 350,a & b. 351,a

Iſai ſepulchrum.

Eccleſia Quadraginta Martyrum in monte apud Hebron poſita cur dicatur Sepulchrum Iſai. 782,a & b. 783,a

Iſaias.

Iſaias à Manaſſe ſerra per medium ſecatur. 47,a 286 b. 287,a
Locus martyrij Iſaiæ Prophetæ. 285,b
Sepultus eſt circa natatoriam Siloë ſub quercu Rogel. ibid. & 286,b. 305,b
Ibidem nunc eſt locus orationis Turcarum. 285,b
Non tam Propheta dicendus eſt quàm Euangeliſta. 286,b
Martyrium eius ex Scriptura. 287,a
Occaſio mortis illius. ibid.
Miraculum factum in eius martyrio. ibid & 288,a
Aliter refertur eius martyrium. 287,a
Duplex cauſa mortis illius. ibid. b
Reliquiæ Iſaiæ Prophetæ adnectæ fuerunt Pammachedem, & locatæ in Baſilica S. Laurentij. 305,b
Fons Siloë quomodo ex miraculo in gratiam Iſaiæ facto nomen acceperit. 288,a & b
Ciuitas vaſtanda & non reſtauranda, item ciuitas nona Iſaiæ cap. 25. oſtenſa ſeu revelata, quæ fuerit. 464,a & ſeqq.
Mons & conuiuium apud Iſaiam cap. 25. quid ſignificent. 466.b & ſeqq.

Iſraël Regum ſepulchra, *vide* Sepulchra Regum Iſraël.

Iſraëlitæ.

Iſraëlitæ ducuntur in Babylonem. 48,a
Iſraëlitis per deſertum iter facientibus vires datæ eſſe, quomodo ſit intelligendum. 955,b
Ex Rameſſe Iſraëlitæ non fuerunt peregrinati ad Sinæ per facilioremviam, Deo ita diſponente. 959,b. 960,b
Montes per quos inceſſerunt vſque ad mare. 959.b
Iter eorum explicatur. ibid.

Digitized by Google

Prima manſio in Rameſſe. 960,a
Secunda in Socoth, vbi columna nubis & ignis eis apparere cœpit. ibid.
Tertia in Ethan. ibid.
Quarta in Phihahiroth. ibid.
Angustantur Iſraëlitæ ab Ægyptiis. ibid.b
Vbi ab Ægyptiis inuenti fuerint. ibid.
Quomodo, quibus & quot viis Iſraëlitæ Mare rubrum pertranſierint. 965,a & ſeqq.
Vide ſub titulo Mare rubrum.
Quomodo Iſraëlitæ ex Mari rubro egreſſi non inuenerint aquam. 980,a
Prima Iſraëlitarum murmuratio fuit ad Mare rubrum. ibid.b
Secunda, in Mara, propter amaras aquas. ibid.
Qui ex Iſraëlitis murmurauerint; & quomodo. ibid. & 981,a
Moyſes orat pro Iſraëlitis, & exauditur. 981,a
Iſraëlitæ, licet diuiſi inceſſerint per deſertum, vna tamen profecti fuiſſe dicuntur; & quomodo. 983,b
Tertia Iſraëlitarum murmuratio contra Moyſen & Aaron in deſerto Sin. 987,a & b
Veſpere carnes, manè panes eis dati ſunt. ibid.b
Item manna: cuius conditio, ſapor & præparatio deſcribitur. ibid. & 988,a
Prius Iſraëlitis carnes datæ ſunt, quia prius ab eis concupitæ fuerunt. 988,a
Quarta populi Iſraëlitici murmuratio fuit in Raphidim, ob defectum aquæ. ibid.b
Ibidem primum bellum motum fuit contra Iſraël. 989,a
Iſraëlitæ, orante Moyſe, ſuperant Amalecitas. ibid.
Quinta Iſraëlitarum murmuratio in ſolitudine Sinai; quæ à Deo punita. 991,b
Cæleſtis cibi faſtidium & carnium deſiderium in Iſraëlitis punitum fuit. 992,a
Carnes promittit & dat Deus Iſraëlitis; & iiſdem ſaturatos punit. ibid.b

Iuda.

Ad tribum Iudæ pertinuit Ieruſalem à temporibus Dauid. 43,a.44,a
Dimidium Sancti ſanctorum, & dimidium arcæ in templo erant in ſorte tribus Iudæ, alterum dimidium in ſorte tribus Beniamin. 43,b
Ex tribu Iuda & Beniamin quare Reges Ieruſalem aſſumpti fuerint. ibid.

Iudas.

Iudas Hircanus I. fuit quartus Dux Iudæorum. 49,a
Iudas Machabæus præfuit Iudæis. ibid.b
Domus Iudæ proditoris. 106,a
Locus vbi Chriſtus à Iuda oſculo traditus fuit. 168, b. 169,a
Iudæ Iſcariotis à Chriſto in Apoſtolorum electi ingratitudo. 281,a
Chriſti innocentiam confitetur. ibid.
Violenta morte occumbit. ibid.b
Quo genere mortis obierit, diſcrepant Auctores. ibid.
Alijs dicunt eum currum pertranſeunte compreſſum eſſe. ibid. & 282,a
Sententia Adrichomij ait ex ſycomoro ſuſpenſum eſſe. 282,a
Communis opinio dicit laqueo ſuſpenſum ſtatim eſſe mortuum. ibid. & b
Ad ficum appenſus fuit. ibid.b
Locus in quo Iudas ſuſpenſus fuit eſt in monte Offenſionis ad Orientem Ieruſalem. ibid.
Reſpondetur argumentis aliorum ſententiarum. ibid. & 283,a
Iudas Iſcariotes dicitur ſepultus eſſe in agro Haceldema. 284,b
Iudæ hoſpitis S. Pauli in Damaſcum introductis domus in Eccleſiam conuerſa fuit, & cæleſti viſione Paulo factâ illuſtrata. 878,a & b. 879,a
Turcæ illam domum inhabitantes non poſſunt diu viuere. 879,a
Ibi ſepultum fuiſſe corpus S. Ananiæ traditur eſt. ibid.
Prope hanc domum eſt fons vbi S. Paulus baptizatus fuit. ibid.

Iudæa.

Iudæa in Scriptura ſacra varias habet ſignificationes. 8,a
Subiugatur à Romanis. 49,b
Primus Iudæa Rex à Romanis deſignatus, fuit Herodes maior Aſcalonita. ibid.
Duplex fuit in Iudæa deſertum. 706,b. 707,a
S. Ioannes Baptiſta plura deſerta Iudææ ſanctificauit. 706,a & b

Iudæa montana.

Montana Iudæa quanam ſit pars Terræ promiſſionis. 700,a
Montana Hebron à montanis Iudæa diuerſa ſunt. 704,b
Montanorum Iudæa & domus Zachariæ dignitas. 706,a
De domo & ciuitate Zachariæ, quæ fuit in montanis Iudæa, vide ſub titulo Zacharias.

Iudæi.

Iudæis per deſertum itineruntibus vires datas eſſe quomodo ſit intelligendum. 955,b
Vide Iſraëlitæ.
Iudæi dicuntur in Babylonem. 48,a
Iudæorum nequitiâ & perfidiâ procurata fuit demolitio templi Ieroſolymitani. 364,b.365,a
Eorum ingratitudo. 278,a
Et inhumanitas erga Chriſtum. 322,a
Ficulnea à Chriſto arefacta fuit typus Iudæorum. 323, a & b
Eorum odium in Chriſtum. 454,b.455,a
Omnes crudelitates circa Chriſtum in paſſione conſummatæ Iudæis tribuuntur. 454,b
Iudæi tantùm in Scriptura contenta credunt. 269,a
Iudæorum calamitates tempore obſidionis Ieruſalem per Romanos. 229,b.230,a
Iudæi à Tito deleti ſunt. 40,a.106,b.107,a
Superſtites didrachma & tributum ſoluere debuerunt Ioui Capitolino. 40,a
Cum rurſum a Romanis deficiunt, multa eorum millia deleta ſunt; ac, turribus deſtructis, ciuitas ſale aſperſa fuit. ibid.b.107,b
Ipſis interdictum fuit ingredi Ieroſolymam. 40,b
Iudæorum miſeria & confuſio ex deſtructa ciuitate Ieroſolymitana & templo. 108,b.109,a
Statuas erigere Iudæis interdictum fuit. 251,a
Iudæi dimittuntur repelluntur à reædificatione templi. 107,b. 108,a
Miſericordia Dei erga Iudæos. 48,b
Cyrus Perſarum Rex licentiam eis dat redeundi in patriam ſuam, & reædificandi Ieruſalem. ibid.
Reuertuntur ex Babylonica ſeruitute, & reædificant ciuitatem. ibid.
Iudæi oraturi loca ſuperiora conſcendebant. 123,b
Iudæorum feſta incipiebant à veſpera. 507,b
Eorum ſepulchra fuerunt extra ciuitatem. 501, a & b

Digitized by Google

Iudei ante diem iudicij Elia predicatione conuertentur ad fidem Christi. 153,a & b

Iudicum sepulchra.

Situs & forma sepulchrorum Iudicum Israel. 728,a
Nominis ratio. ibid. & b. 729, a
Iudices Israel quindecim; & vbi sepulti fuerint. 728,b. 729,a

Iudiciaria porta.

Ratio veneration is porta Iudiciaria. 236,b
Eadem nunc est que erat tempore Christi. 237,a
Nomina huius porta & situs. ibid. & b
Ratio nominis porta Iudiciaria est, quia olim in portis Iudices iudicia exercebant. ibid. b

Iudicium extremum.

Vallis Iosaphat dicitur Vallis iudicij. 152,a
Iudicium vniuersale faciendum esse, est articulus fidei. ibid. b
Dubium est quo loco futurum sit iudicium. ibid.
Proponuntur argumenta, iudicium non esse faciendum in Valle Iosaphat. ibid.
Contraria sententia communis est, & tenenda. 153,a. 154,a
Ante diem iudicij Elia predicatione conuertentur Iudei ad fidem Christi. 153,a & b
Iudicanda non tantùm erunt in Valle Iosaphat, sed etiam in locis proximis. 154,a & b
Iudex in Valle Iosaphat thronum suum collocabit. ibid. b
Sole damnati in die iudicij in terra mansuri sunt, electi verò per dotem agilitatis rapientur in nubibus coram Christo in aëra. ibid.
Respondetur argumentis in contrarium adductis. ibid. & 155,a
Probabiliter aliqui putant Iudicium vniuersale fore in monte Caluarie. 440,a & b

Iulia.

Bethsaida non est Iulia. 867,a
Iulia est ciuitas transmarina. ibid. & b

Iulianus.

Iuliani Apostata impietas & mors. 107,b. 818,a

Iulius Cæsar.

Iulij Cæsaris mira pyramis. 118,a

Iuniperus.

Fr. Iuniperus Siculus Ierosolymis à Turcis occiditur. 55,b

Iuo.

Iouni ex Ordine Predicatorum mirabilis casus diuinitus ostensus fuit; scilicet paradisum comburendum, & inferni ignem extinguendum esse, vt Deo propter se solùm seruatur. 884,b. 885,a

Iusti.

Sanctos & iustos Deus protegit. 497,a
Dei prouidentia erga iustos. 984,b. 985,a & b
Vide Sancti.

Izates.

Izates filius fuit Helenæ Adiabenorum Reginæ, qui cum matre sua Iudæorum religionem suscepit; ac tandem mortuus Ierosolymis, in eius tumulo sepultus fuit. 735,a & b

K.

Kunegundis.

Kunegundis dedit S. Bilhildi fuderium, quo caput & facies Christi in Sepulchro tecta fuerunt. 553,b

L.

Lac.

Lacti cur doctrinam suam Paulus compararet. 468,a & b

Terra ex antro S. Mariæ prope locum natiuitatis Domini accepta, dicitur lac B. Mariæ Virginis. 678,a & b
Quomodo lac illud elaboretur. ibid. b
Virtus eius & vsus. ibid.
Virtus eius est supernaturalis. ibid.
Armenorum traditio de lacte S. Mariæ. 679,a

Lætari.

Iusti & sancti affectione iustitiæ lætantur in punitione impiorum. 464,b
Item de malis ob finem bonum. 465,a
De liberatione à morte lætantur fideles. 479,b
Boni de bonis Domini magis quam de propriis lætantur. ibid.

Lahem & Lehem.

Lahem & Lehem idem significant. 619,b
Bethlehem dicitur Lahem & Lehem. ibid.
Lahem Arabicè carnem significat. ibid.

Lancea, *vide* Christi lancea.

Laodicea.

Concilium vnicum celebratum fuit in Laodicea, Phrygiæ Pacatianæ ciuitate. 655,b
Creditur celebratum fuisse ante Nicænum. ibid.
Numerus Episcoporum qui interfuerunt. ibid.
Causa Concilij fuit morum reformatio. ibid. & 656,a

Lapis colloquij, *vide* Bethania.

Lapis dialogi, *vide* Bethania.

Latibula Apostolorum, *vide* Apostoli.

Latro.

Castellum boni Latronis quantum distet à Roma, & ratio nominis. 12,a
De patria, nomine, & aliis boni Latronis. ibid. & b
Crux boni Latronis quomodo innotuerit. 429,a
Crucem eius ab Helena acceptam Constantinus sepelirit in platea Constantiniana. ibid. b
Roma pars crucis boni Latronis asseruatur. ibid.
Singularia quædam de cruce eius referuntur, & improbantur. ibid. & 430,a
Bonus Latro an Martyr fuerit. 430,a
Martyrem esse piè creditur; & qui id asseruerint. ibid. & b 431,a
Si est Martyr, quare dicatur Confessor. 431,a
Iudas quare inter latrones Christum crucifixerint. 459,b
Bonum Latronem pependisse in Cruce à dextra Christi, probatur. 460,a
A sinistris Christi pependisse refellitur. ibid. b. 461,a
Bonus Latro quomodo fuerit ad Christum conuersus. 460,b
Christum inter latrones crucifigi cur voluerit. ibid. a & b
Propter malum latronem tempore mortis Christi mons Caluaria scissus est, quasi volens recipere & ad infernum demittere illius animam. 462, a & b. 473,a
Bonus Latro ex communi Caluaria fructum percepit, malus verò non. 473,a

Lauda.

Lauda in Italia omnes præseruantur à lupis, propter corpus S. Bassiani. 142,a

Laudare, Laus.

Ædificia laudari possunt ab intrinseco & extrinseco. 553,a

Laura.

Laura & Monasterij S. Sabbæ apud Bethlehem nominis ratio. 687,b

Digitized by Google

Loci ſitus, forma, & ſterilitas. ibid.
Locus eſt Arabum incurſionibus obnoxius: propter quas ibi ſunt exſtructa duæ turres, vbi excubiæ ſiunt. 688,a & b.
Duæ ibi ſunt Eccleſiæ, vna maior, altera minor. ibid.a
Ibidem plura ſanctorum Martyrum corpora conclu-ſa iacent. ibid.& 690, a & b
Ibi eſt ſepulchrum S. Sabbæ. 688,a
Cellula S. Ioannis Damaſceni, Euthymij, Cyrilli & aliorum Monachorum qui in Laura floruerunt. ibid.
Locus comitiatus Monachorum. ibid.& b
Fons S. Sabbæ, qui miraculoſè fluxit. ibid.b
Ibidem loca ſunt ſolitaria olim à Monachis inhabi-tata. ibid.
Monachi multi ibidem martyrio affecti ſunt. ibid. & 689,a
Referuntur alia quædam ex probatis ſcriptoribus de Monaſterio Laura, ſeu S. Sabbæ. 689,a & b
Epiſtola Antiochi Monachi Laura Sabbæ Abbatis ad Euſtathium, de mirabili vitæ ratione Mo-nachorum qui in Laura floruerunt ſub Heraclio Imperatore, &c. ibid.b.690, a & b

Laureum, Lauretana domus.

Hiſtoria tranſlationis Lauretanæ domus Deiparæ. 834,b.835,a & b
In Nazareth fuerunt duæ ſacræ domus, Chriſti & Deiparæ preſentiâ ſanctiſſimatæ: quarum vna tranſlata eſt Lauretum, altera manſit in Naza-reth. 836,a
Lauretana domus fuit tranſlata è Nazareth loco, vbi nunc eſt capella Angeli ſuperædificata. ibid.b

Lazarus.

Ratio nominis caſtelli Lazari. 324,b.325,a & b
Quare Lazarus non ſit dictus de caſtello Bethaniæ ſicut ſorores eius. 325,a
Meritò locus hic honoratur. ibid.b
Probabiliter ibi ante Paſcha commanſit Chriſtus. ibid.
Pium eſt credere, Lazarum, Mariam & Mar-thaam diſtinctas ac proprias domos habuiſſe. ibid.
Lazari reſurrectio fuit omnium Chriſti miracula-rum maximum. 326,a
Miraculi huius excellentia ex duplici capite oſtendi-tur. ibid. & b
Quomodo ligatus fuerit Lazarus. ibid.b
Locus eccleſiâ fuit illuſtratus in memoriam miraculi: qua in Meſquitam nunc conuerſa eſt. ibid.
Via ad Lazari ſepulchrum: cuius cura ad FF. Mi-nores pertinet. ibid.
Monaſterium Monialium ibidem fuit ædificatum. 327,a
Deſcribitur ſpelunca & ſepulchrum Lazari. ibid. & b
Sepulchrum Lazari eſt diuerſum in forma à Chri-ſti Sepulchro. ibid. b
Sacrificijs & orationibus honoratur. ibid.
Mariam Magdalenam pœnitentiam egiſſe ad ſe-pulchrum Lazari, quomodo ſit intelligendum. 328,a & b.

Leo.

Leo tertius Iſauricus Imperium poſt Theodoſium aſſumit, & in venerandas imagines debacchatur. 670,b
Leo quartus Conſtantinum Copronymum patrem & Leonem tertium auum in impietate imitatus eſt: cuius crudelitates & ſæuitia deſcripta ſunt in Synodo Nicæna ſecunda. ibid. & 671,a
Mortuo Leone IV. fideles mutuibil reſpirarunt. 671, a

Lepra, Leproſus.

Vbi occurrerint Chriſto decem illi viri leproſi, quo-rum meminit Lucæ cap. 17. 814, a & b. 815, a & b
Quâ occaſione Chriſtus leproſos illos mundauerit. 814,b
Leproſi, licet non potuerint in oppidis habitare, potue-runt tamen oppida ingredi, & per publicas pla-teas tranſire. 815,b
Lunæ in Italia omnes præſeruantur à lepra; & quare. 142,a

Leuida.

Aqua Leuida ſalutares ſunt. 743,a

Leui, Leuitæ.

In Iteruſalem ex tribu Leuitica etiam aliqui habita-bant 701,a

Lex.

Æmulatorum legis peculiarem curam habet Deus. 602,b
Lex Moyſi euacuata fuit, & Euangelica ſtabilita Sepulchro Chriſti. 547,a

Libanus.

Libanus nimbis abundat. 738,a & b
Libani nominis interpretatio. ibid.b
Plures fluuij ex Libano fluunt. 905,a
Domus ſaltus Libani non in Libano, ſed Ieroſoly-mis erat. 886,b.887,a
Domus ſaltus Libani nominis ratio. 887,a
Ieruſalem & templum aliquando Libanus dicuntur. ibid. b
Libanus mons an ad Terram promiſſionis perti-nuerit. ibid.
Pertinuiſſe, ſenſit Salmeron. 888,a
Pertinuit promiſſione ac ſortitione, non poſſeſſione. ibid.
Quomodo intelligendum ſit, fuiſſe ſub Salomonis ditione. ibid.
Hiram illius abſolutus fuit dominus. ibid. & b
Turris Libani deſcribitur. ibid.
Libanus mons quod ſit, eius nomina, excellentia, & ſitus. ibid.& 889,a
Diuiditur mons ille in Libanum & Antilibanum; & vtriuſque conditio deſcribitur. 889,a
Libani nominis etymologia. ibid.b
Maria Virgo cur Libano comparetur. ibid.
Et cedris Libani. 890,b
Libanus eſt arbor thus producens. 889,b
Oratoria ſeu eremiteria plura ſunt in monte Libano. ibid.
Patriarchalis Eccleſia ac Conuentus in monte Liba-no conditio. ibid.
Locus, vbi virgo Marina fecit pœnitentiam, tumu-lata fuit, & Patriarcha ſepeliuntur. 890,a
Abietes & cedri ſunt præcipuæ arbores montis Li-bani. ibid.b
Locus & numerus cedrorum Libani. ibid.

Libido, *vide* Luxuria.

Lignum.

Virtus ligni vitæ naturalis fuit. 981,a

Lilium.

In radice lilij propè Ieroſolymam Crucifixi imago producta & inuenta fuit. 17,b
Cuius dignitatis ſit; & nonnulla quæ in illa latent myſteria explicantur. 20,a vſque ad 24,b
Chriſtus dicitur lilium; & quare. 23,a & b

Digitized by Google

Lilium eſt ſpei hieroglyphicum. ibid.

Limbus.

Limbus quomodo dicatur medium terræ. 437,a

Linteamina, *vide* Sindon.

Linteum Veronicæ, Abagari, montis Oliueti, Pauli, *vide ſub titulo* Veronica, Abagarus, Oliueti mons, Paulus.

Lipothymia.

Lipothymia quid ſit. 213,a

Vide Spaſmus.

Locus.

Locus vbi aliquid recipitur, ſecundùm Hebræos, vocatur domus. 619,a & b. 635,a

S. Longinus, S. Longini capella.

Capella S. Longini nominis ratio. 395,b

Longinus quis fuerit. ibid. & 397,b

Corporaliter & ſpiritualiter illuminatus fuit. 396, a & b

Non peccauit aperiendo latus Chriſti. ibid.a

Chriſtum Deum confitetur. ibid.b

Ex multis fit Chriſti præco. ibid.

Iudæorum perſecutio contra Longinum. 397,a

Longini & duorum ſociorum caput amputatur, & defertur ad Pilatum. ibid.

Capitis eius ante portam ciuitatis protectæ curam ſuſcipit Deus. ibid.

Eius corpus vbi nunc ſeruetur. ibid. & b

Lot.

Lot de hoſpitibus cura. 759,a

Angeli manifeſtant Lot Pentapolis ſubuerſionem; & ad ſibi ſuaque familia conſulendum eum hortantur. ibid. & b

Lot de Sodoma egreſſo nobilis regio totaliter ſubuertitur. ibid.b

Sepulchrum Lot vbi ſit. 785,b

Quid ſit, vxorem Lot verſam eſſe in ſtatuam ſalis. 761,b

Prima ſententia ait eam ſulphure, ſale admixto, periiſſe: & reijcitur. ibid.

Secunda ſententia per ſtatuam ſalis intelligit monumentum quoddam perpetuum & incorruptibile: quia ſal eſt incorruptionis & perpetuitatis quoddam ſignum. ibid. & 762,a

Quomodo hæc ſententia admitti & reijci debeat. 762,a

Tertia ſententia tenenda aſſerit vxorem Lot verè in ſalis ſtatuam conuerſam eſſe. ibid.b

Probabilius eſt, vxorem Lot in via ad Segor conuerſam eſſe in ſtatuam ſalis. ibid.

Incredulitas & inobedientia vxoris Lot punita fuit. ibid.

Quæſtio de duratione ſtatuæ vxoris Lot. 763,a & b

Extare & mainſuram eſſe vſque ad ſeculi conſummationem aliqui dicunt. ibid.

Auctorum variorum ſcripta & dicta de ſtatua illa ſalis. ibid.

S. Lucas.

Imago Deiparæ à S. Luca depicta creditur eſſe Alexandriæ in Eccleſia S. Michaëlis. 1014,b

Ludouica.

Ludouica Luſitana pietas erga Chriſti paſſionem. 180,b

Ludouicus.

Ludouicus Francorum Rex Ioppen cinxit turribus & muris. 4,b

Fr. Ludouici Maſſilienſis laici affectus erga loca ſancta. 65,a

Laterali morbo correptus, patiens & hilaris fuit. ibid.

Angelicam habet viſionem. ibid b

Pie in Domino moritur. ibid.

Luxuria.

Luxuria obliuiſci facit Chriſti paſſionem. 440,b

Chriſti paſſio eſt remedium luxuriæ. ibid. & 441, a & b

Columba eſt luxuriæ ſymbolum. 441,a & b

Luza.

Luza, Bethel, Bethauen, num ſint plura loca illis nominibus appellata. 789,a & ſeqq.

Quomodo Luza fuerit inditum nomen Bethel. 790,b. 791,a & b

Vide plura ſub titulo Bethel.

Lydda.

Lydda quantum diſtet a Rama, Ioppe, Cæſarea & Ieruſalem; & vbi ſita. 9,a

A Ceſtio incenſa, reſtaurata, vocata eſt Diospolis. ibid.

Tertia eſt inter decem Iudææ Toparchias. ibid.

Epiſcopalis dignitate fuit inſignita. ibid.

Eccleſia ibi S. Georgij Martyris, & in ea caput eiuſdem. ibid.

A quo fuerit hæc Eccleſia ædificata. ibid b

In hac vrbe S. Petrus ſanauit Æneam paralyticum. ibid.

Ibidem eſt ſtatua marmorea in columna, ad quam alligatus & flagellatus fuit S. Georgius Martyr. 10,a

M.

S. Macarius, Macarij deſertum.

S. Macarij deſertum vbi ſit; & eius conditio. 1006,a & b

Ratio nominis deſerti S. Macarij. 1007,a

Plures viri celebres Macarij nomine inſignes fuit. ibid

Macarius vnus Ægyptius, alter Alexandrinus. ibid.

Deſertum Macarij à Macario Ægyptio denominatur. ibid.b

Quatuor in illo deſerto ſunt monaſteria Goſtarum. ibid.

Primum S. Macarij, in quo eiuſdem corpus ſeruatur; ſecundum, S. Mariæ; tertium, S. Georgij Martyris; quartum, quod cum notabilibus ibi factis deſcribitur. ibid. & 1008,a

Monachorum illorum victus. 1008,a

In eodem deſerto, & præſertim in quarti Monaſterij loco, inueniuntur petræ aquilinæ. ibid.

Machabæi.

Machabæi ſuccedunt ad regimen Ieruſalem & Iudaici populi; qui enumerantur. 149,b

Eccleſia Machabæorum quantum diſtet à caſtro bonæ Latronis. 12,b

Bonifacij ratio de nomine Eccleſiæ ſanctorum Machabæorum refellitur; & vera ſtatuitur. ibid. & 13,a. 14,b

Machabæi in Suſandro caſtello nati ſunt. 13,a

Machabæorum nomina. ibid.

Machabæi nominis interpretatio. ibid.

Eleazari Machabæi virtus. ibid.b

Antiochia martyrio affecti ſunt Machabæi. ibid. & 14,a

Quomodo Eleazarus dicatur fuiſſe pater illorum. 13,b.

Tranſlatio Reliquiarum Machabæorum. 14,a

Duo Machabæorum libri canonici ſunt. 272,a & b. 273,a & b

Machærus oppidum.

In oppido Macherunte decollatus fuit S. Ioannes Baptista. 812,a.813,a

Ibidem corpus eius primò sepultum fuit, item & caput. 813,a & b

Macharus vbi sit. 812,a.813,a

Machmas.

Machmas quid olim fuerit, & quid nunc temporis sit. 786,b.787,a

Est ibidem commune diuersorium cum fonte; à quo Arabicè dicitur Elbir. 787,a

Habitauit ibi Iudas Machabæus. ibid.

Machmas celebris est & venerabilis hospitio Iesu, Mariæ & Ioseph. ibid.

Ibi cognouerunt parentes Iesu ipsum non esse in comitatu. ibid.

In huius mysterij memoriam eadem loco ab Helena erecta est Ecclesia. ibid.

Viatorum consuetudo quiescendi in Machmas. ibid.b

Via ex Machmas ad Sichar montosa est. 788,a

Ecclesia ibidem est adificata. ibid. & b

Magdalena.

Maria Magdalena ad Christum conuertitur. 95,b

Variæ opiniones de communis loco conuersionis eius. ibid. & 96,a & b

Probabilius dicitur eam fuisse conuersam Ierosolymis. 96,a & b

Respondetur argumentis in contrarium adductis. ibid. b. 97,a & b

Quomodo dicatur fuisse de castello Bethania. 96,b

Quare dicatur Magdalena; & eius conditio. 97,a

An fuerit publica meretrix. ibid.

An eadem fuerit Magdalena quæ Ierosolymis & Bethaniæ Christum vnxit. 96,a. 97,b

Duæ sententiæ de loco particulari seu determinato conuersionis Mariæ Magdalenæ. 98,a & b

Ecclesia S. Maria Magdalenæ. ibid.

Eius pœnitentia post remissa peccata. 225,b

Quomodo sit intelligendum, Mariam Magdalenam egisse pœnitentiam ad sepulchrum Lazari. 328,a & b

Carcer Mariæ Magdalenæ. ibid.a

Situs & conditio loci domus eius. 330,a

Sancta fuit hæc domus, atque ideò inuisenda. ibid.

Locus vbi Christus post resurrectionem apparuit Mariæ Magdalenæ in specie hortulani. 567, a & b.568,a

Magdalum.

In Magdalo Galilææ oppido habitauit Magdalena. 97,a

Magdalum triplex est, Ægypti ciuitas, locus in monte situs, & castrum Galilææ. 866,b

Magdalum vnde sit dictum. ibid.

Hinc oriundam fuisse Magdalenam aliqui putant, & à Christo ibidem conuersam. ibid.

Magedan.

Magedan est locus trans mare Galilææ. 866,b

Mageddon.

Mageddon & Armageddon pro eodem sumuntur. 816,b

Magi.

Locus adorationis Magorum. 630,b. 631,b

Proponuntur argumenta, quæ probare contendunt Christum non esse adoratum à Magis in spelunca, sed in domo. 633,a

Respondetur iisdem. 635,a & b

Probatur Magos adorasse Christum in specu vbi natus fuit. 633,a & b

Die decimo tertio ab ortu Christi Magi venerunt Bethlehem ad eius incunabula veneranda. ibid.b

Ante diem purificationis B. Mariæ Virginis Magi Christum adorarunt. ibid. & 634,a & b. 635,a

Quomodo intelligendum sit, Magos venisse ab Oriente. 635,a

In loco adorationis stella apparuit Magis, & disparuit. ibid.b

Rex Calicutij Regni putatur à quibusdam fuisse vnus, aut certè primarius socius trium Regum, qui Christum adorarunt. 636,a

Templum in honorem B. Mariæ extruxit. ibid.

Cisterna Magorum situs, conditio, & nominis ratio. 604,a

Stella quando Magis rursus illuxerit in itinere versus Bethlehem, quæ iisdem in Ierusalem existentibus non apparuerat. ibid.b

A Scriptura, creatura & Creatore Magi ad Christum ducti fuerunt. ibid & 605,a

Quid factum fuerit de stella quæ Magis apparuit, expleto munere suo. 639,b. 640,a

Magnes.

Christus in passione sua instar magnetis omnia ad se traxit. 523,a & b. 524,a

Mahomet.

Mahomet à quibusdam creditur originem traxisse ex Roseto Ægypti ciuitate. 1008,b

Sepulchrum sororis Mahometis. 300,a

Malachias.

Malachias in Iudæa sepultus est. 306,b

Malchus.

Locus vbi Petrus Malcho abscidit auriculam. 169,a

Malchus Christo alapam inflixit in domo Annæ. 172,a

Mali.

Ex malis hominibus etiam bona suspecta sunt. 187, a & b

Malum punicum.

Malum granatum vel punicum est Crux Christi. 468,b

Malum punicum est amoris & fecunditatis symbolum. ibid.

Mambre.

Vallis Mambre descriptio, & nominis ratio. 766, a & b

Dicitur vallis Hebron; & quare. ibid.b

Amœnitate ac cultoribus seu inhabitatoribus celebris est. ibid.

Distantia eius ab Hebron & Ierusalem. ibid.

Mamzer.

Mamzer quid significet. 597,a

Cur Salomon dictus fuerit Mamzer. ibid. & b

Manasses.

Manasses fuit decimus sextus Rex Ierusalem. 47,a

Impius fuit & idololatra. ibid.

Prophetas se increpantes occidit; & inter eos Isaiam serrâ per medium secuit. ibid. & 118,a & b

Captiuus & compedibus vinctus ducitur in Babylonem. 47,a.118,b

In carcere agit pœnitentiam. ibid.

Reducitur Ierosolymam, & Regno restituitur. ibid.

Postquam quinquaginta quinque annis regnasset, moritur. ibid.

Sepulchrum Manassæ in Sion. 118,a

Manasses fuit Regno vtilis. ibid.b

Eius perseuerantia in bono vsque ad finem vitæ. ibid.

Oratio Manassis. 119,a

Digitized by Google

Manna.

Deus Iſraëlitis pluit manna de cælo. 987,b. 988,a
Illius ſapor & præparatio. 988,a
Facti miraculi mandat Deus conſervari memoriam. ibid.& b

Manſio.

Manſiones proprie in Scriptura quæ dicantur 979,b

Manus.

Manus ſignificat Filium Dei. 480,a& b

Mara.

Egreſſus Iſraëlitarum de mari, & profectio ad Etham deſertum & Mara. 971,a & b
Mara quid, & ubi ſit. 972,b
Tempus itineris ab egreſſu maris uſque ad Mara. ibid. & 973, a & b

S. Marcus.

Eccleſia S. Marci forma in civitate Alexandria. 1011, a
Ibi eſt ſuggeſtum in quo S. Marcus prædicabat. ibid.
Eiuſdem ſepulchrum ibidem eſt. ibid.
S. Marcus fuit unus ex ſeptuaginta diſcipulis, qui S. Petri mandato ſcripſit Euangelium. ibid.& b
Quando Euangelium ſcripſerit. 134,a
Alexandriam mittitur ad prædicandum Euangelium. 1011,b
Ibi martyrio coronatus obiit. ibid.
Vide reliqua ſub titulo Alexandria, & Ioannes Marcus.

Mare, trans mare.

Trans mare vox ambigua eſt. 858,a& b. 859, a & b
Congregatio aquarum mare dicitur. 863,a
Quomodo aqua maris dulcis reddatur. 982,a & b
Mare æneum, aquarum templi receptaculum, deſcribitur. 292,a

Mare Galilææ, *vide* Tiberias, & Galilææ mare.

Mare mortuum.

Maris mortui origo. 759,a
Vbi Mare mortuum, ibi olim fuit delicioſa regio. ibid.
Quomodo à Deo regio illa deleta ſit, vide ſub titulo Sodoma & Lot.
Maris mortui natura. 759,b.760,a
Longitudo, latitudo, nomina Maris mortui, & nominum ratio. 760,a & b
Salſiſſimæ ſunt aquæ Maris mortui. ibid.a
Sal ex aquis Maris mortui quomodo efformetur. ibid. & b
Vocatur Mare ſolitudinis; & quare. ibid.b
Quantum diſtet à Iericho. ibid.
Inter Iericho & Mare mortuum eſt clauſtrum ſancti Hieronymi in vaſta ſolitudine. ibid.
Circa hoc mare tota terra infecunda eſt, 761,a
Mare mortuum propter nimiam ſalſedinem, malevolentiam & peſſimam naturam ſterile eſt. ibid.

Mare rubrum.

De origine Maris rubri Abulenſis ſententia. 961,b
Aliorum ſententia proponitur, & approbatur. ibid.
Simile eſt Mari magno, a quo fluit. ibid.
Plura habet nomina. ibid.& 962,a
Quare dicatur Rubrum mare. 962,a & b. 963, a & b.964,a
Locus Maris rubri ubi filij Iſraël tranſierunt, & eius latitudo. 964,a & b.965,a
Fuerint una vel plures viæ facta in Mari rubro, quando à Moyſe fuit virgâ percuſſum, ut tranſirent filij Iſrael; & an appareant adhuc tranſitus ſigna. 965,a & b. 966,a & b. 967,a
Aliqui dicunt Iſraëlitas à littore Ægyptio ad oppoſitum Arabicum tranſiſſe. 967,a & b
Alij aiunt per ſemicirculum ab Ægyptio littore ad idem tranſiiſſe. ibid.b. 968,a& ſeqq.
Maris fundus ante ingreſſum filiorum Iſrael uenti venio nocte exſiccatus fuit. 968,b
In tertia vigilia noctis mare ingreſſi fuerunt, & circa matutinum quarta vigilia egreſſerunt. 969,a
Tribus horis per mare ambulaverunt. ibid.
Egreſſus Iſraëlitarum de mari, & profectio ad Etham deſertum & Mara. 971,a & b
Miraculum circa ſubmerſa Ægyptiorum corpora in quo conſiſtit. 975,a
Mare rubrum cur dicatur ſinus Arabicus. ibid.b
Iſraëlita cum pavore mare ingreſſi ſunt, & cum lætitia egreſſi. 976,a
Reſpondetur argumentis eorum qui dicunt filios Iſrael à littore ad littus oppoſitum per mare tranſiſſe. 974, a & ſeqq.
Maris rubri diviſio miraculoſa fuit: quæ à Deo principaliter facta, ab Angelo miniſterialiter; meritorie per Moyſen, virgâ ut ſigno. 976,a & b. 977,a
Diviſo mari commodus patuit tranſitus Hebræis. 977,a
Fabula Hebræorum de hac re. ibid.
De floribus & plantis quæ apparuiſſe dicuntur in fundo maris. ibid.b
Coralium album in Mari rubro invenitur. ibid.
Ordinatè ceſſerunt per mare Iſraëlita. ibid.
Moyſes præceſſit, & alij ſecuti ſunt. 978,a
Ægyptij interfecti ſunt, non modò quia maris, ſed etiam aliis pœnis. ibid.& b
Liberati Iſraëlitæ, Deo gratias egerunt. ibid.b
Magna Ægyptiorum ſpolia, quibus inhiabant Iſraëlitæ. 979,b
Ex Mari rubro egreſſi, quomodo non invenerint aquam. 980,a

Mareon, Mareone, *vide* Sebaſte.

S. Maria.

Parentes S. Mariæ Virginis ex Bethlehem oriundi fuerunt. 621,a
S. Maria naturali modo fuit concepta. 103,a
Vbi concepta fuerit, variæ ſunt ſententiæ. ibid.b
Optimè, Ieroſolymis fuiſſe conceptam & natam. ibid.& 104,a
Domus conceptionis in Eccleſiam fuit ædificata. 104,a
Forma particularis loci conceptionis, & nativitatis S. Mariæ. ibid. & b
Reſpondetur argumentis in contrarium adductis. ibid b
In loco, quo concepta & nata fuit S. Maria Virgo, non poſſunt habitare Turcarum mulieres. 105,a
Arca teſtamenti S. Mariam ſignificat. 832,b
S. Maria dicitur Paradiſus myſticus. 353,a & b
Cedro Libani comparatur. 890,b
Cur Libano comparetur. 889,b
Omnes gratiæ à Chriſto manantes nobis per S. Mariam communicantur. 293,b
S. Mariam beatam dicunt omnes generationes. 241,a
Hinc & Turcæ eam & templum eius honorant. 80,b
Neſtorius negavit eam eſſe Dei Matrem. 664,a
Occaſione Neſtorianæ hæreſis S. Maria magis fuit exaltata. ibid.b
Salutationi Angelicæ quando additum fuerit, Sancta Maria Mater Dei, ora pro nobis, &c. ibid.
Propter Mariam & Ieſum mundus conditus eſt. 21,b

Vteri S. Mariæ Virginis priuilegia & miracula. 551,a&b. 552,a
Vtero S. Mariæ Virginis comparatur Sepulchrum Christi. 546,a. 550,b. vsque ad 552,a
Quomodo salus nostra in utero B. Mariæ facta fuerit. 436,a & b
Deipara septem petitiones à Deo exaudita. 827,a
S. Maria Virgo Filio suo fuit assimilata in vita. 84,b. 85,a
Deo fuit à parentibus dicata. 82,a
In templo relicta fuit & educata. ibid & b
Locus eius in templo. ibid.b
Pascebatur ibi Angelico ministerio. ibid.
S. Maria virginitas occultata fuit. 267,a & b
S. Maria quando & per quem voverit virginitatem, vide S. Mariæ Annuntiatio.
S. Maria peperit Christum sine secundinis & sordibus. 638,b. 639,a
Non indiguit obstetrice, nec lauacro. ibid.
Cur B. Maria tempore partus non fuerit locus in ciuitate vel diuersorio. ibid.
Consuetudo, quâ honori Deiparæ derogari videbatur, fuit a Concilio Constantinopolitano prohibita. 639,a
Quædam pictura Græcorum, repræsentantes Christi natiuitatem ex B. Maria Virgine, sunt prohibitæ. ibid.
Ecclesia S. Mariæ Bethlehem, vide Bethlehem.
B. Maria legem purificationis obseruauit, licet non obligaretur. 601,a&b. 602,a
Ex Bethlehem detulit Filium ad templum. 601,b
Quadraginta diebus post partum mansit in Bethlehem. ibid.
Non fuit debilitata in partu, nec colore mutata. ibid.
De terebintho B. Mariæ Virginis, vide sub titulo Terebinthus.
S. Maria habitauit in Nazareth: vbi post purificationem mansit vsque ad fugam in Ægyptum. 820,a. 822,b
S. Maria Filio suo seruiebat. 842,a
S. Mariæ peregrinatio ex Nazareth in Ægyptum describitur; & quæ in illa contigerint, referuntur. 920,b vsque ad 923,b
S. Mariæ Ægyptum intranti arbor palma se inclinauit, vt ex ea dactylos colligeret. 948,a
Locus vbi Deipara in Ægypto habitauit, Ecclesia & cœnobio Virginum decoratus fuit. ibid.& b
Item alia memorabilia quæ contigerunt tempore mansionis Deiparæ in Ægypto. 950,a&b. 951,a
De tempore mansionis eius in Ægypto, variæ sunt sententiæ. 949,b. 950,a
Christus S. Mariæ Matri sua passionem suam manifestauit, quæ inde maximum sensit dolorem. 384,a & b. 385,a
S. Mariæ Virginis intercessione omnia nobis bona concedantur. 386,a
Sacellum apparitionis S. Mariæ Virginis cum annexis altaribus describitur. 382,b. 383,a & b
Tempore passionis & mortis Christi non mansit in sola Deipara fides. 260,b. 261,a & b
S. Maria præsens fuit, quando Christus crucifixus est. 444,b. 445,a
Vide de hoc plura sub titulo Caluariæ mons.
S. Maria nunquam aliquo morbo laborauit. 210,a. 214,a. 215,a. 221,b
Ab extrinseco tamen sustinuit infirmitates aut passiones aliquas. 215,a. 221,b. 222,a
Quomodo intelligatur eam stetisse iuxta crucem Iesu. 215,b. 216,a
Suo dolore ostendit se esse Christi Matrem. 217,a
Christo crucem gerenti occurrit. 209,a
Eodem illo loco Ecclesia est erecta, dicta S. Mariæ de Spasmo. ibid. & b
Vide reliqua ad spasmum S. Mariæ Virginis spectantia sub titulo Spasmus.
Nihil indecorum fuit in S. Maria Virgine. 210,b. 214,a&b 215,a
Christo similis fuit. 219,b. 222,b
Sola iustitia originalis non arcuisset naturales passiones à B. Maria. 221,b
Nec spes resurrectionis Christi amouit dolores ab eâdem. 222,a
Quomodo gladius animam Virginis pertransiuit. ibid.
Heroica Virginis fortitudo. ibid.b
Prædictio dolorum Christi & B. Mariæ Virginis. ibid.
B. Maria in passione Filij exercuit actus pietatis & obedientiæ erga Deum. 223,b
Non fuit in illa excessus vitiosus doloris pro passione Christi. 224,a
Quomodo dicatur semper fuisse in deliquio tempore passionis Christi. 227,a
Referuntur nouem vices quibus Deipara spasmum passa est tempore passionis Christi. 226,b. 227,a
S. Maria ex peculiari Dei auxilio non obiit præ dolore in Filij sui passione. 220,a & b
S. Maria & Ioannes quare adstabant cruci. 478,a
Oculi Christi à B. Virgine Maria clausi fuerunt. 527,a
S. Maria in quo situ vel vbi steterit iuxta crucem; seu in qua parte crucis. 458,a & b
Christum de cruce depositum brachijs suis excepit. 525,a
Prima fecit viam Crucis post Christi mortem. 180,b
Ad radicem montis Oliueti orauit Filium summo pro B. Stephano, cùm lapidaretur. 300,a & b
Situs & conditio loci quietis B. Mariæ in monte Oliueti. ibid.a
Olim fuit ibi capella. ibid.b
Item nux amygdalina producens nuces suauissimas infirmis saluores. ibid.
B. Virgo frequenter visitabat loca sancta. ibid.
B. Virginis assumptionis argumentum, fuit illius sepulchrum vacuum, & cingulum S. Thomæ Apostolo demissum. 301,a
Ratio nominis sacelli S. Mariæ de Apparitione. 568,a. 571,a&b
Christus post resurrectionem suam primò S. Mariæ apparuit. 568,b. 569,a
In domo prope sepulchrum, Christum matri apparuisse, explicatur. 569,a& seqq. vsque ad 571,b
S. Maria post mortem Christi non discessit ab illius Sepulchro. 569,a
Metaphrastis consideratio circa hoc explicatur. ibid.b. 570,a&b
Amor Dei erga Christum. 570,b
Prouidentia Dei circa B. Mariam post Christi mortem. ibid.
Prosperari solent, qui aliquod pietatis officium & obsequium exhibent S. Mariæ. 571,b
Domus S. Mariæ Virginis, in qua mansit à die ascensionis Domini vsque ad tempus mortis suæ. 142,b. & seqq.
Quomodo dicatur illa domus fuisse S. Ioannis Euangelistæ. 143,a&b

Quomodo

Quomodo S. Ioannes Euangeliſta procuraverit beata Maria neceſſaria pro alimentis. ibid.b
S. Ioannes Euangeliſta nunquam Deiparam deſeruit. ibid.
B. Maria & Ioannes Epheſi habitarunt. ibid. & 144,a & b
Contraria tamen opinio probabilis eſt. 144,a
Conciliantur hæ opiniones. ibid.b
De tempore vitæ Deiparæ ſex ſunt ſententiæ. ibid. & 145,a
B. Virgo habitavit in monte Sion annis viginti quatuor, vel quatuordecim. 145,a
Apoſtoli omnes mortis eius interfuerunt. ibid.
Deiparam ſeptuaginta duobus annis vixiſſe, probatur. ibid.b
Quomodo Apoſtoli ad eius obitum convenerint, duplex eſt modus dicendi. 146,a
Præter Apoſtolos etiam diſcipuli & alij convenerunt. ibid.& b
Item Chriſtus, & Angeli. ibid.b
In domo illa, in qua Deipara obdormivit, multa miracula facta ſunt. ibid.
Chriſtus Deiparæ animam in cælum, Apoſtoli corpus ad Vallem Ioſaphat deferunt. ibid.
S. Ioannes fuit Deiparæ Parochus. 147,a
Sacellum in quo S. Ioannes Miſſam coram Deipara celebrabat. ibid. & b
Locus ubi Iudæi Deiparæ corpus perdere volverunt, dum ad ſepeliendum deportaretur. 148,a & b. 149, a & b
Hiſtoria funeris Deiparæ, & explicatio. ibid.
Mors eius miraculis fuit illuſtrata. 149,b
Locus ubi S. Maria mortis proximæ dicitur ab Angelo accepiſſe palmam. 320,a & b
Ante feretrum B. Virginis Ioannes Euangeliſta prædictam palmam detulit; & quare. ibid.
Tria B. Virgo à Filio ſuo circa mortem ſuam fieri petiit, & obtinuit. ibid.b
In ſanctorum locorum viſitatione aſſidua fuit. ibid. & 321,a
Supplicationes ante Feſtum Aſſumptionis Deiparæ in Bethlehem fieri ſolitæ. 321,a
Deiparæ dies tranſitus ab Angelo Gabrieli revelatus fuit. ibid.b
Locus ubi B. Maria Virgo obiit. 124,a
In civitate Senonenſi, Maſſilia, & in inſula Antarado Eccleſia in honorem B. Mariæ Virginis ædificatur. 88,b
Eccleſia in Nazareth vocata S. Maria del Timor, *nominis ratio.* 842,a & b
Rex Colicus Eccleſiam erexit in honorem S. Mariæ Virginis. 636,a
S. Maria apparuit B. Iacobo Apoſtolo in Hiſpania, & in ea Catholicum cultum augendum prædixit. ibid.
Ibidem Eccleſia fuit ædificata B. Mariæ adhuc viventi. ibid.
Quomodo hæc Eccleſia dicatur eſſe prima totius orbis. ibid. & b
Pulcheria Auguſta templum inſigne ad Lucem matris in honorem Dei Genitricis extruxit. ibid.
Imago S. Mariæ, ad quam ſe converſa Maria Ægyptia, & gratiam obtinuit. 445,a
Imago S. Mariæ à Luca depicta creditur eſſe Alexandriæ in Eccleſia S. Michaelis. 1014,b

S. Mariæ Annuntiatio.

Eccleſia Annuntiationis B. Mariæ Virginis ſitus, materia, & forma. 825,a & b
Columna, ubi Deipara & Angelus ſteterunt, & ſacellum Angeli. ibid.b
Sacra hæc ædes fuit ab Apoſtolis in Eccleſiam converſa, & poſtea Epiſcopali Sede donata. ibid.
Illius præſens ſtatus. 816,a
Antiquitas peregrinationis ad eam. ibid. & b
Cultus ac virtus columnæ B. Mariæ. ibid.b
Angelicis viſitationibus, & Deiparæ meditationibus & illuminationibus hæc ædes frequens fuit. ibid.
Lutheri impudentia reiicitur. 817,a
Septem Deiparæ petitiones à Deo exaudita. ibid.
Dum ſola eſſet in oratione, ab Angelo ſalutatur. ibid. & b
Ibi votum emiſit virginitatis. ibid.b
Quando votum hoc emiſerit, variant ſententiæ. 828,a
Prima ait voviſſe ante deſponſationem. ibid.
Secunda, poſt deſponſationem ex ſponſi conſenſu. ibid.
Tertia, ante & poſt voviſſe. ibid.
Ante Annuntiationem Deipara deſponſata fuit. ibid.b
Non ſolùm Maria, ſed & Ioſeph ibi virginitatem vovit. 829,a
Domus hæc fuit locus continuæ orationis & laudis. ibid.b
Ichnographia ſacelli Annuntiationis B. Virginis Mariæ. 830
Templum Annuntiationis Salomonico comparatur, atque præfertur. 831,a
Chriſtus ſemel in hoc ſacello, ut Sacerdos, primum obtulit ſacrificium. ibid.b.
Partes templi Salomonis applicantur templo Annuntiationis B. Mariæ Virginis. 832,a & b. 833,a
Propter peccata templum hoc deſolatum eſt, & ſacra ædes inde mirabiliter ſublata. 833,a
Quænam peccata præcipuè cauſa fuerint calamitatis ruinæ templi. ibid.b. 834,a & b
Hiſtoria tranſlationis ſacræ ædis. 834, b 835, a & b
Ex Paleſtina tranſlata eſt in Dalmatiam, inde in Italiam Lauretum. 835,a & b
Situs, ſeu locus præexiſtentis ſacræ ædis, fuit Eccleſiâ illuſtratus ſub nomine Annuntiationis beatæ Mariæ Virginis. ibid.b
In Nazareth duæ fuerunt ſacræ domus Chriſti & Deiparæ præſentiâ ſanctificatæ: quarum una tranſlata eſt Lauretum, altera manſit in Nazareth. 836,a
Antiquum Eccleſiæ Annuntiationis à Minoritis fuit inhabitata: ex quibus dum aliquot eſſent à Nazaræis occiſi, reliqui Ieroſolymam tranſmigrarunt, commiſſâ cuſtodiâ domus & Eccleſiæ cuidam pio ſæculari. ibid.& b
Lauretana domus fuit tranſlata è ſacro Nazareth loco, ubi nunc eſt capella Angeli ſuperædificata. ibid b.837,a
Quomodo temporibus noſtris ſacra ædes Annuntiationis B. Mariæ Virginis a Minoritis recuperata fuerit, & Chriſtiano cultui reſtituta: & de aliquibus caſibus qui ibi & habitantibus acciderunt. 837,b.838,a & b.839,a & b

S. Mariæ antrum.

Antri S. Mariæ prope antrum Nativitatis Domini forma. 678,a
Dicitur Grotta B. Mariæ Virginis, & Eccleſia S. Nicolai. ibid.& 679.b

Ratio nominis. 678,a & b
Terra unde accepta lac B. Virginis dicitur. ibid.

S. Mariæ aſſumptio.

S. Mariæ aſſumptionis argumentum, fuit illius ſepulchrum vacuum, & cingulum S. Thomæ Apoſtolo demiſſum. 301,a
Supplicationes ante Feſtum Aſſumptionis Deiparæ in Bethlehem fieri ſolitæ. 321, a
B. Virgo ſe in anima & corpore in cælum aſſumptam eſſe, revelavit S. Antonio Patauino. 245,a
Aſſumptionem Deiparæ credidit S. Hieronymus. ibid.b

S Mariæ fons.

Fons S. Mariæ circa locum nativitatis S. Ioannis Baptiſtæ, ejus conditio, & nominis ratio. 710,a
Ille fons & Siloë ſunt in eadem plaga Orientali. 289, b
An aqua unius fontis per ſubterraneum canalem ad alterum fluant, incertum eſt. ibid. & 290,a
Periculum factum fuit de tranſitu unius in alterum. ibid.
Probabile eſt, Siloë exire à fonte B. Mariæ. 790, a & b
Situs & conditio fontis B. Mariæ, & ratio nominis. ibid.b
Veneratione habetur. 291,a
In ſacris Literis quomodo fons ille appellatus ſit. ibid.
Prima ſententia dicit appellatum fuiſſe fontem Draconis. ibid. & b
Secunda ait dictum eſſe fontem Regel. ibid b
De fontis hujus origine varia ſunt ſententiæ. ibid.
Prima ait aquas illius ibi ſuam habere ſcaturiginem. ibid.
Secunda dicit fontem iſtum repleri aquis à templo egredientibus. 292,a 293,a
Non omnes tamen aquæ templi eò demittuntur. 293,b

B. Mariæ Bethlehem Eccleſia, *vide* Bethlehem.

B. Mariæ Virginis Præſentatio, *vide* Præſentatio.

S. Mariæ Virginis ſepulchrum.

Situs ſepulchri S. Mariæ Virginis. 238,a
Materia & forma ſepulchri. ibid.b
Incluſum eſt ſacello, quod deſcribitur. ibid. & 239,a
Cultus ſepulchri. 239,a. 241,a
Sepulchrum hoc unum fuit Deiparæ à Domino præparatum. 239,a
Cuſtoditur ab Apoſtolis. ibid.
Excellentia & virtus ſepulchri Deiparæ ex S. Damaſceno. ibid.b. 240,a
Materia & forma Eccleſiæ S. Sepulchri B. Mariæ Virginis. 240,a & b
In prædicta Eccleſia ſunt ſacella ac ſepulchra ſanctorum Annæ, Ioachim, Ioſeph. ibid.a
Ibidem ſepulta fuit Meliſendis Regina Ieruſalem. ibid.b
Jus Eccleſiæ & ſepulchri B. Mariæ pertinet ad Fratres Minores. 241,a
A fidelibus & infidelibus habetur in veneratione. ibid.
Soli Fratres Minores habent ad eam acceſſum & ingreſſum liberum, ex miraculo quod contigit. ibid. & b
De Auctore Eccleſiæ hujus variæ ſunt ſententiæ. ibid.b. 242,a. 246,a
Eccleſia hæc in formam crucis extructa eſt. 241,b
Difficultates ſeu argumenta propponuntur contra veritatem ſepulchri B. Mariæ. 244,a & b
Reſpondetur. 245,a & b 246,a & b. 247,a & b
In vaſtatione Ieruſalem per Romanos illius ruinis ſepulchrum Virginis apertum fuit. 245,a
Epiphanio, Euſebio & Hieronymo incognitum fuit Deiparæ ſepulchrum. ibid.
Gloriosè manifeſtatur ſepulchrum, ad Virginis honorem, & fidelium ſolatium. ibid b
Quam vim Deiparæ ſepulchrum habeat pulchra ſimilitudine oſtendit Damaſcenus. 246,a
Sepulchrum Virginis non eſt tranſlatum Conſtantinopolim, ſed pars aliqua. ibid.b
Ichnographia templi S. Mariæ in Valle Joſaphat. 248

S. Mariæ Virginis villa.

Ratio nominis villæ S. Mariæ Virginis, quæ à ſolis Græcis ſchiſmaticis incolitur. 766,a

Maria.

In domo Mariæ, matris Ioannis Marci, Chriſtus ultimam cœnam fecit. 94,b
Ubi hæc domus ſita fuerit. ibid.
Locus Mariarum, ubi Chriſtus poſt reſurrectionem ſanctis mulieribus apparuit. 71,b
Ratio nominis loci Mariarum, & ejus deſcriptio. ibid. & 72,a
Poſſidetur à Turcis. 72,a
Ordo appariturus factæ mulieribus in prædicto loco ad alias Domini appariciones. ibid. & b. 73,a & b
An illa apparitio facta ſit tribus an quatuor mulieribus. 73,b
Maria Luſitana, tertij Ordinis S. Franciſci, Ieroſolymam peregrinatur, & morata ibidem trahit. 57,a
Pietas & zelus illius. ibid.b
Familiaris erat mulieribus Turcicis, eas adiuvando, & dando monita ſalutis. ibid.
Publicè Chriſtum laudat & prædicat. ibid.
Occiditur à Turcis. ibid.
Baptiſmum conferebat infantibus Turcarum. ibid.
An recte & ſine peccato id fecerit. 58,a & b
Rectène fecerit mortis ſe vitrò pro Chriſto exponendo. 59,b vſque ad 63,b

Maria Ægyptiaca.

Maria Ægyptia impuritas & pœnitentia. 744,b. 745,a
Leo fodit ſepulchrum pro illius humando corpore. 745,a
Ultra Jordanem habitavit. 744,b. 749,a
Ab ingreſſu templi Reſurrectionis dæmonum prohibetur. 445,a
Pœnitens convertit ſe ad imaginem B. Virginis, & gratiam obtinet. ibid.
Sacellum in iſtius imaginis honorem extructum fuit. ibid. & b

Marina virgo.

Locus ubi Marina virgo facta pœnitentiam, & tumulata fuit. 890,a
Ejus corpus Venetias tranſlatum fuit. ibid.

Marnæum.

Celeberrimum idoli Marnæ templum everſum, & aliud vero Deo erectum. 243,a

Martha.

Situs domus S. Marthæ. 330,a
Martha domum venerabilis eſt frequenti Salvatoris hoſpitio. ibid.b
Ratio nominis ciſternæ Marthæ. ibid.

Martialis.

Martiali diſcipulo ſuo Chriſtus apparuit antequam ad cælos aſcendit. 574,a

Martyr,

Digitized by Google

Martyr, Martyrium.

Martyrium quid ſit. 900,b
Mors pro fide aliéve honeſto fine, martyrium eſt. ibid.
Quid requiratur ad martyrium. 430,2.431,a
An bonus Latro fuerit Martyr. ibid.
S. Stephanus quomodo dicatur primus Martyr. 431,a&b
Morti ſe exponere pro Chriſto & fide, non ſolùm licitum eſt, ſed etiam opus Religioni excellentiſſimum. 59,b.60,a&b
Propriâ voluntate ſe periculo mortis exponere pro fide Chriſti confeſſione non licet. 60,b.61,a
Seclusâ ſpeciali Spiritus ſancti illuſtratione, vel Eccleſiæ determinatione, ſciri nequit, an qui ſe ſponte morti obtulerunt pro Chriſto, id fecerint moti à ſancto Spiritu, an potiùs humano vel diabolico. 61,b.62,a
An Martyres laudabiliter fecerint ſeipſos periculis mortis exponendo, vel in certis caſibus ſe mutilando, præcipitando, occidendo, &c. 899,b&ſeqq.
Martyres ex gratia Dei uſum rationis in magnis doloribus conſervarunt. 220,b
Martyres & eorum martyrium non minùs Deo placent, ſi in doloribus ratione utantur, & non utantur. 223,a&b
Quare in partibus Mauroruin hoc poſteriori tempore pauciores inveniantur qui martyrium ſuſtineant. 58,b.59,a&b
Varij Martyres ex Ordine Fratrum Minorum, *vide* Fratres Minores.
Martyrum corpora, *ſeu* Reliquiæ, *vide ſub titulo* Reliquiæ.

Matharea.

Matharea eſt Heliopolis. 942,b
Matharea in Ægypto habitavit B. Maria Virgo. 949,a&b.950,a
Matharea villa eſt hoc tempore, & diſtat decem milliaribus à Cairo. 950,b
Quæ ibi facta ſint, vel obſervatione digna, referuntur. ibid.&951,a

Mathar, *vide* Ozias.

Mathathias.

Mathathias Heli ſeptimus Dux Judæorum. 49,a
Mathathias Machabæus, vacante Ieroſolyma Ducatu, correptis armis legem Dei vindicavit. ibid.b
Mathathias Sidon decimustertius Dux Judæorum. ibid.a

S. Mathias.

S. Mathias fuit oriundus ex Bethlehem & tribu Juda. 621,b
Locus electionis S. Mathiæ ad Apoſtolatum. 131,b
Sors qua cecidit ſuper Mathiam quid fuerit. ibid. &132,a&b

Mauſolcum.

Mauſoleum ab Artemiſia extructum; & unde ſic dicatur. 127,a.128,a
Inſignium virorum ſepulchra dicuntur Mauſolea. 128,a

Medium terræ, *vide* Terra.

S. Melania.

S. Melania inſignis animæ fortitudo. 211,a.222,b. 223,a

Melas, *vide* Nilus.

Melchiſedech.

Nominis Melchiſedech interpretatio. 30,b
An fuerit Judæus, an Chananæus. ibid.a
Fuit conditor unitatis Ieruſalem. 27,b.28,a&b. 29,a&b
Explicantur difficultates occurrentes. ibid.&30,a&b
Melchiſedech Deo ſacrificium obtulit, & Abraha benedixit, eique continuum paravit. 578,a&b
Abraham dat Melchiſedech decimas ex omnibus. ibid.
De loco, ubi Melchiſedech Abraha occurrit, tres ſunt ſententiæ. ibid.b
Prima ait id factum eſſe in Valle Regis. ibid.
Secunda, ad radicem montis Thabor. ibid.&579,a
Tertia, in monte Calvariæ. 579,a
Melchiſedech fuit figura Chriſti. ibid.&b

Meliſendis.

Meliſendis Regina Ieruſalem pro ſalute totius ſuæ familiæ Monialium Monaſterium ædificavit in loco reſurrectionis Lazari. 327,a
Meliſendis Reginæ ſepulchrum. 240,b

Melita, Melitenſes.

Apud Melitenſes ſerpentes cavent veneno, & terra eſt antidotum contra venena in gratiam ſancti Pauli. 678,b.679,a

Memphis.

Damiata olim Memphis dicebatur, ubi floruerunt prima ſtudia, quæ nunc deſtructa eſt. 915,b
Nova Cairus non eſt Memphis. 942,a&b
Memphis ſitus. ibid.b
Eſt civitas à Cairo & Damiata diſtincta. 912,a
Pyramides Ægypti cur miracula Memphis dicantur. ibid.
Fuit olim caput Ægypti: quis eius conditor fuerit. ibid.

S. Mennas.

Laudabile factum S. Mennæ Martyris. 63,a

Menſa.

Hebræi antiquitus menſæ non aſſidebant, ſed accumbebant. 453,a
Chriſtus mœnia in ſuperiori loco mēſa accubuit. ibid.

Mentiri, Mendax.

Ex mendacibus etiam vera ſuſpecta ſunt. 187,a&b

Meritum.

Duo ad meritum ſunt neceſſaria, operis ardnitas, & libera voluntas & amor patiendi. 384,b
Vide Chriſti meritum.

Merom aquæ.

Aquarum Merom ſitus & conditio. 872,b
Paludis Merom deſcriptio. ibid.

Meſchina villula.

Meſchina villulæ quantum diſtet à Sepher Cana. 856,a

Meſopotamia.

Via ex Meſopotamia in terram Chanaan. 793,a
Via ex Berſabee in Meſopotamiam. ibid.&b

Meſraim.

Meſraim, ſecundus filius Cham, fuit primus habitator & quaſi parens gentis Ægyptiorum, ſi conſideretur Ægyptus ut eſt terra partis à Noe filiis ſuis tributa. 939,b

Michæas.

Michæas ex alto loco præcipitatus mortuus eſt, & ſepultus in Moraſthi. 306,b

Michiel.

Locus Michiel creditur fuiſſe patria Ionæ; ubi & ſepulchrum eius eſſe fertur. 855,a&b

Fratres Minores.

Fratres Minores Regulam obſervantes, ſancti ſunt; & quando moriuntur, poſſent canonizari. 63,b
Dicendi ſunt invicti Martyres. ibid.
Habitarunt in monte Sion annis ducentis quadraginta octo. 51,b
Quomodo inde fuerint ejecti. ibid.&52,a

Conuentus S. Saluatoris illis datur. 512,a
Mons Sion ad Fratres Minores de iure pertinet, licet à Turcis inde expulsi sint, & hic ab isdem nunc occupetur. 125,a
Quomodo Fratres Minores sanctæ Ciuitatis extipiendæ dimittant peregrinos. 49,b. 50,a & b
Fratrum Minorum Monasterium apud Bethlehem, vide Bethlehem.
Fratres Minores Accone, siue Ptolemaide, & Antiochiæ occisi. 898,b. 917,b
Referuntur Fratres Minores qui in Cairo & Ægypto pro Christi fide mortem obierunt. 944, a & b. 945,a & b. 946,a & b
Sedecim Minoritæ Damasci medio in carcere consumpti sunt. 884,a & b
Tres alij ibidem à pueris lapidati ac capite truncati fuerunt. ibid. b
Ierosolymis carceri mancipantur à Turcis. 53,b
Item multi peste sublati fuerunt. 54,a
Prefectus Fratrum Minorum cum Consule Hollandorum Ierosolymis carceri mancipatur. ibid. & b
Martyrium quatuor Fratrum Minorum Ierosolymis pro fide occisorum describitur, & eorum nomina recensentur. 55,a
Corpora eorum insigne seruantur. ibid.
Plures alij occisi Ierosolymis. ibid. b
Item alij carcerati, & medià ac pestilentià sublati. ibid.
Abnegat vnum fidem Christi, sed contra sua, martyrio culpam delouit. ibid.
Fr. Cosma laici insigne martyrium. ibid. & 56,a & b
Quare hoc tempore in partibus Maurorum pauciores Fratres martyrium sustineant. 58,b. 59,a & b
Fratres Minores non debent se voluntariè morti exponere pro fidei confessione. 60,b
Fr. Ioannes Neapolitanus, ex Ordine Fratrum Minorum, Gazæ pro Christi fide occisus fuit. 926,a
Duo Fratres Minores in ciuitate Saphet pro Christo mortem obierunt. 904,b
Fratres Franciscus Spoletanus & Franciscus à Damiata, ex Ordine S. Francisci, Damasci pro Christi fidei confessione à Mauris occisi sunt. 937,a & b
Fr. Philippus, ex Ordine Minorum, Azoti pro Christo martyrium subit. 924,b

Miraculum.

Miracula omnia, si comparentur ad diuinam omnipotentiam, sunt æqualia. 191,a
Non fiunt, nec multiplicantur à Deo sine vrgente necessitate. 193,a. 539,a
Quærere miracula sine necessitate, est tentare Deum. 193,a
Assignantur causa miraculorum. ibid.
Mortuos viuos apparere est magnum miraculum. ibid. & b
Quid sit miraculum. ibid. b
Ecclesiæ fundatæ miracula non sunt necessaria. ibid.
Qui non credit Scripturæ, nec miraculis credet. 194,b
Miraculum perpetuum non facilè admittunt Theologi. 312,b
Miracula facta fuerunt, quando erant necessaria, & quando homines merebantur. 314,a
Quare Christus in nuptiis fecerit aquam vinum, & non lapides panes in deserto. 195,a

Misericordia.

Dextra symbolum est misericordiæ. 460,a
Vide Dei misericordia.

Modestus Monachus.

Abdallo in Persidem Zacharià Patriarchâ, demandata est administratio Ecclesiæ Ierosolymitanæ Modesto Patri Monachorum cuiusdam Monasterij Palæstinæ. 363,b. 364,a
Eius Zelus ac pietas in Ecclesiæ restaurandis describitur. 364,a

Moguntia.

Sudarium Moguntinum Christi describitur. 533,b

Moloch.

Vallis Gehennon dicitur Moloch ab idololatria. 274,b
Moloch idoli forma & vsus. 275,a
Achaz huic idolo filium sacrificauit. ibid.
Duplex modus transferendi filios per ignem in sacrificio Molochi. ibid. & b
Maximè crudelis fuit hæc immolatio, atque ideò in summa abominatione. ibid. b
Ara idoli Moloch septem conclauia habuit. ibid.
Salomon hanc idololatriam introduxit. 276,a
Propter illam in Salomonis posteritatem indignatus fuit Deus. ibid.
Deus crudelitatis illius vindex fuit. ibid.
Destruxit statuam Moloch ac lucum succendit Iosias. ibid.

Mons.

Mons apud Isaiam cap. 25. quid significet. 466,b. & seqq.
Montes Ierosolymitani sancti dicuntur. 723,a

Mons offensionis *siue* scandali, *vide* Offensio.

Mons Sion, *vide* Sion.

Montana Iudææ, *vide* Iudææ montana.

Montanus.

Montani hæretici errores. 656,a
Montani hæresis fuit, lapsos non esse ab Ecclesia recipiendos. 647,b

Monumentum.

Monumentum dicitur quasi monens mentem. 128,a

Morbi, *vide* Ægrotare.

Moria.

Moria, est nomen commune regionis & montis. 438,a. 580,b
Varia origo nominis Moria, & significatio. 439, a & b
Mysteria varia eiusdem nominis. ibid. b. 440,a & b. 580,b
Mons Moria est monticulum eminentior in summitate montium Iudææ. 350,a
Moria nominis interpretatio. ibid.
In monte Moria immolauit Abraham filium suum Isaac. ibid. & b
Per montem coninij pinguibus apud Isaiam cap. 25. aliqui intelligunt montem Moria. 466,b

Mors.

Mors est vnitorum dissolutio. 545 b
Mors Christi non dicitur corruptio. ibid.
Mortis vtilitas. 780,a
Adam proposuit non generare, ne mortis filios generaret. ibid. & b
Christus suâ morte mortem denicit. 477, b. 478, a & b
De liberatione à morte per Christum latantur fideles. 479,b
Mortis se exponere pro Christo & fide, non solum licitum est, sed etiam opus Religionis excellentissimum. 59,b. 60,a & b
Se voluntarie mortis exponere, non semper est laudabile ac meritorium, sed interdum vitiosum & damnabile. 60,a

Digitized by Google

Propria voluntate se periculo mortis exponere pro fidei Christi confessione, non licet. ibid.b.61,a
Seclusâ speciali S. Spiritus illustratione, vel Ecclesiæ determinatione, sciri nequit, an qui se sponte morti obtulerunt pro Christo, id fecerint moti S. Spiritu, an potius humano vel diabolico. 61,b.62,a
Probabiliter id ex operibus dijudicari potest. 62,a
An liceat ob honestum finem cupiam sibi mortem inferre. 899,b.& seqq.
Laudabiliter quis se morti exponit pro spirituali vel corporali alterius salute. 900,a & b.903,b
Mors pro fide aliove honesto fine, martyrium est. ibid. b
Nemini licet proprio spiritu ob quemcumque honestum finem sibi mortem inferre. 900,b. 901,a & b

Mortificatio.

Oportet mortificare passiones ad consequendum præmium promissum. 475,b

Mortui, *vide* Defuncti.

Moyses.

Moyses non fuit conditor civitatis Ierusalem. 27, b
Orat pro populo, & exauditur. 981,a
Aquas Mara immisso ligno dulcoravit. 979,b
Non Moysis virgâ, sed alio ligno aquæ dulces redditæ sunt. 981,a
Vide sub titulo Mara.
Deus populo per Moysem constituit præcepta & judicia in Mara. 983,a
Moyses in Raphidim virgâ petram percutit, & aquas populo murmuranti eduxit. 988,b
Moyse orante pro populo superatur Amalec. 989,a
Pro gratiarum actione altare Domino ædificat. ibid.
Super quem collis verticem ascenderit pugnante Iosue contra Amalec. ibid.
Iethro Moysi occurrit, & ab eo benignè suscipitur. ibid.& b
Moysi septuaginta probati viri in auxilium dantur. 992,a
Forma petræ quæ à Moyse percussa aquam dedit. 998,a & b.1001,a
E petra bis aquas eduxit Moyses. 998,b
Utriusque eductionis discrimen. ibid. & 999,a & b
De tempore fluxus aquarum à petra variæ sunt sententiæ. 999,b.1000,a & b.1001, a & b
Petra à Moyse percussa mysterium. 1001,b
Locus ubi Dominus in rubo Moysi apparuit. 1003,b
Moyses ubi sepultus sit; & quare locus peculiaris sepulti corporis ignoretur. ibid. & 1004,a
Mesquita Turcarum, quæ S. Moysi appellatur, situs, & nominis ratio. 736,b.737,a

Moysis fontes.

Moysis fontes ubi sint, & nominis ratio. 979,a. 983, b

Moysis mons, *vide* Horeb.

Mulier.

Mulieres Ægypti fecundissimæ sunt. 939,a
Septem fœtus potest mulier in alvo continere. ibid.
Aliquarum mulierum insignis animi fortitudo. 210,b 211,a.221,a & b
Mulieres in sacris solemniis diligendæ, & in communione privatæ edendæ sunt. 543,a
Olim ministrabant victum & amictum suis Prædicatoribus. 841,a
Mulieres flentes Christum tempore passionis, fleverunt in vanum. 229,b

Mumiæ.

Sepulchra Ægypti, Mumiæ dicta, describuntur. 954,b

Mundi medium, *vide* Terra.

Mundus.

Mundus fuit hominis exemplar seu idea. 347,a
Conditus est propter Iesum & Mariam. 21,b
Medium mundi in templo Resurrectionis Domini ostenditur. 374,b

Murmurare, Murmuratio.

Murmuratio quid sit. 980,b
Murmurationes filiorum Israël. ibid.& 981,a. 987,a & b. 988,a

Myrobalani.

Myrobalani sunt parvæ arbores, quæ fructus velut parvas nuces producunt, ex quibus conficitur oleum medicinale. 753,b
Crescere solebant in campestribus Iericho. ibid.

Myrrha.

Vinum myrrhatum Christo propinatum an fuerit distinctum à vino felle mixto. 453, b. 454, a & b
Myrrha propter suam amaritudinem pœnam significat. 455,a

Mysteria.

Magna mysteria solent ab Evangelistis comprehendi paucis verbis. 202,a

N.

Naaman.

Naaman leprosi domus prope Damascum. 877,a

Naat.

Naat Asar octavus Dux Iudæorum. 49,a

Nabuchodonosor.

Nabuchodonosor obsidet Ierusalem, captumque Regem cum multis nobilibus ducit in Babyloniam. 47,b.48,a
Victor suadet contra Nechao Regem Ægypti. 47,b
Eliachim, seu Ioakim, Rex Ierusalem, fit eius tributarius. ibid.
Nabuchodonosor veniens Ierosolymam, Regem Ioakim interficit. ibid.
Regem Ioachim cum matre ducit in Babylonem. 48, a
De Sedecia, civitate Ierusalem, & aliis pœnas sumit. ibid.
Enilmerodach impietas in patrem suum Nabuchodonosor. 540,b

Nagge.

Nagge Araxad nonus Dux Iudæorum. 49,a

Nahum.

Nahum Masiot undecimus Dux Iudæorum. 49,a
Nahum Propheta sepultus est in Begabar. 306,b

Naim.

Naim duplex est, vicus Idumææ, & civitas Galilææ. 851,b
Naim civitas Galilææ describitur. 852,a
Locus viduæ filij resurrectione memorabilis, est Ecclesiâ illustratus. ibid.
Naim nominis significatio. ibid.
Aliqui putant Magdalenam in Naim ad Christum accessisse. ibid.

Natatoria Siloë, *vide* Siloë.

Nathinæi.

Nathinæi quomodo potuerint tangere illa quæ immolabantur. 102, a & b

Digitized by Google

Natiuitas Christi, *seu* Natiuitatis Christi Ecclesia & specus, *vide sub titulo* Christi Natiuitas.

Nauarrus.

Nauarri encomium de Regula Fratrum Minorum. 63,b

Nazareth, Nazarei.

Nazareth quid sit. 86,b
Nulla mentio eius sit in veteri Testamento, nisi sub alio nomine. 817,a & b
Antiquitus fortè fuit vicus. ibid. a
Nazareth flos interpretatur. ibid. b
Ironicè & à contrario sensu Nazareth dicitur. ibid.
Christus & Christiani per contumeliam vocantur Nazareni. ibid. & 818,a
Nazareth nomina & significatio. 818,a
Aliqua naturalis secunditas & amœnitas est in Nazareth. ibid. & b
Communes & ordinarij eius habitatores pessimi sunt. ibid. b
Incredduli fuerunt, & in ipsum Christum crudeles. ibid.
Vt olim, ita & nunc Nazarei maligni sunt. ibid.
Nazareth conditio. 819,a
Excellentia spiritualis. ibid.
Terrestri paradiso comparatur & præfertur. ibid.
Ex [illegible] *Ioseph fuit oriundus.* ibid. &
Meritò Ioseph fuit in Nazareth natus. ibid. b. 820,
In ea Deipara, si non fuerit nata, saltem habitauit. 820,a
Christus ibidem conceptus fuit & educatus. ibid.
Inde fugit in Ægyptum. ibid.
Probabiliter Christus redemptor apparuit in Nazareth. ibid. b
Nazareth celebris est ex nomine. ibid.
Distantia eius ab Ierusalem, Thabor & mari Galilææ. ibid. & 821,a
An ex Nazareth, vel potiùs ex Bethlehem, aliúve loco Christus Dominus cum parentibus suis fugerit in Ægyptum. 821,a & seqq.
Vide Christi fuga in Ægyptum.
In Nazareth est duplex sacra domus: vna, in qua conceptus fuit Christus; altera, in qua fuit educatus. 825,a. 836,a
Locus, vbi Nazareni Christum ex supercilio montis deturbare voluerunt, describitur. 836,a. 842,b. 84[illegible] & b.
Via, quâ ex Nazareth in Ægyptum itur, describitur: item peregrinatio Iesu, Mariæ & Ioseph ex ciuitate Nazareth in Ægyptum, & nonnulla mirabilia quæ in illa contigerunt, memorantur. 920,b vsque ad 923,a

Neapolis.

Neapolis nominis interpretatio. 808,a
Sichem dicitur Neapolis. ibid. & b

Nebo.

Mons Nebo quid sit. 438,a
Dicitur Abarim. ibid.

Nechao.

Nechao Rex Ægypti contra Regem Assyriorum in bellum proficiscitur. 47,b
In campo Mageddo, contra Iosiam iter impedire volentem, victor euadit. ibid.
Contra Nabuchodonosorem pugnans, in prælio interficitur. ibid.

Necromantia.

Necromantia est idololatria. 188,a

Nehemias.

Puteus Nehemiæ, siue ignis, conditio & situs. 270,a
Nehemia puteo immundante gaudet Ierosolyma. ibid.
Ratio nominis putei Nehemiæ. ibid. b
Prope hunc puteum fuit sacellum mandato Artaxerxis extructum. ibid. & 271,a & b. 272,a
Explicantur difficultates contra ea quæ referuntur de puteo Nehemiæ sine igne. 272,a vsque ad 274, a
De loco abscondito ignis variæ sunt sententiæ. 273,b
Ob simoniæ peccatum ignis ille extinctus fuit. 274,a

Nembrot.

Sepulchrum Nembrot. 886,a

Nestorius.

Contra Nestorium, negantem Christum esse Deum, & B. Virginem Dei Matrem, collectum fuit Concilium primum Ephesinum. 664,a & b
Nestorianorum hæreses in Concilio II. Constantinopolitano damnatæ fuerunt. 667,a & b. 668,a

Nicæa.

Nicæa duplex, Bithyniæ & Thraciæ. 658,b
Nicæna Synodus Arianorum in Thracia. ibid.
Nicæa in Bithynia duo Oecumenica Concilia celebrata fuerunt. ibid.
Causa duæ præcipuæ primi Concilij Nicæni: quarum vna fuit de die Paschatis, altera de Christi diuinitate, quam negabat Arius. ibid.
Celebratum fuit hoc Concilium sub Silvestro, Magno Constantino adiuuante. 659,a
Tempus determinatum huius Concilij incertum est; vt & Patrum numerus incertus. ibid. & b
Verius est, fuisse trecentos & octodecim Episcopos præsentes: qui numerus mysticus est, & præfiguratus fuit in militibus Abrahæ. ibid. b
Huic Concilio non Imperator, sed Papa præfuit per Legatos. ibid.
In hoc Concilio, præter alia, consubstantialitas & coæternitas Filij cum Patre determinata fuit. ibid.
Symbolum Nicæni Concilij. 660,a
In hoc decretum fuit, vt Hymno Gloria Patri, *&c. adderetur,* Sicut erat in principio, *&c.* ibid. b
Secundum Concilium Nicænum, quod est septimum generale, celebratum fuit hortatu Constantini VI. & Irenæ matris, Augustorum, ac iussu Adriani Papæ. 670,a
Episcoporum numerus qui illi interfuerunt. ibid.
Causa Concilij fuit imaginum denuntiatio. ibid. & b
Sanctum fuit vsum & veneration[illegible] sanctarum imaginum licitum ac vtilem esse. 671,a & b
Approbata fuerunt in hoc Concilio alia sex vniuersalia Concilia; & hæretici antea à Conciliis damnati, iterùm damnati fuerunt. ibid. b
Concilium hoc auctoritate Pontificia firmatum fuit. ibid.

Nicodemus.

Nicodemi domus, quæ peregrinorum hospitium est, in Monasterium coaptata fuit. 7,a
Ibidem est capella, in qua Nicodemus crucifixum fabricauit, Mariæ exposuit, & gratia Deo commendauit. ibid.
Nicodemus quis fuerit, qui Ioseph ab Arimathæa in Christi funere socius fuit. 524,b

Fr. Nicolaus.

Fr. Nicolaus à Monte Cornino, ex Ordine Fratrum Minorum, nobilem quendam Hungarum à Mahometica superstitione ad Christi fidem reducit, & cum eodem insigne martyrium subit. 944, a & b. 945,a
Fr. Nicolaus de Tanlicio à Sebenico Ierosolymis martyrizatur. 55,a

Nicome-

Digitized by Google

Nicomedia.

Regiam Salomonis fuisse aliqui dixerunt vrbem Nicomediam. 886,b

Refelluntur. ibid. & 887,a & b

Nicomedia vbi sita sit. 887,b

Nicopolis.

Emmaus vocatur Nicopolis. 719,b

Vide Emmaus.

Nilus.

Nilus fluminis Gehon dictus est. 930,b

An sit distinctus paradisi fluuius. 931,a

Nili nomina. ibid.

Secundùm Latinos, primaria Nili origo est in paradiso. ibid. & b

Secundùm Graecos & Hebraeos, in regione Eden. ibid.b

De primaria paradisi fluuij diuisione & Nili origine varia proponuntur sententia. ibid.& 932,a & b. 933,a

Nili aqua salubres sunt & fecundæ. 933,a

Ægypti calamitas ex Nili defectu. ibid.

Determinato tempore crescit ac decrescit; & quo. ibid b

Ex maiori vel minori Nili augmento, maioris vel minoris messis indicium sumitur. ibid.

Nilo tota vivit Ægyptus, & tota ab eo illustrat. ibid.

Nilus non semper aequaliter crescit. 934,a

Defectus incrementi Nili est malum omen. ibid.

Per Nilum exercitus Christianus à Mauris oppressus fuit. ibid & b

Nili aqua turbida quomodo purgetur. ibid.

Bonis abundat piscibus. ibid.

Nilus vbi diuidatur in modum figura daltæ, quæ est littera apud Graecos. ibid.

De Nili effluuio opiniones. ibid.

Augmentum & decrementum eius est mirandus naturæ effectus. ibid. & 935,a

Esse muratinum dixit Breidenbachius: & reijcitur. 935,a

Aquarum naturali accessione crescit, & probabiliter ex maximis Æthiopiæ pluuijs. ibid.

Crocodili Nili quales sint. ibid. & b

Nix.

Niuibus abundat Libanus. 738,a & b

Nobilis.

Nobiles ob nouitatum cupiditatem sæpè decipiuntur. 188,a

Nobilium stemmata & insignia laudabiliter ponuntur in templis. 256,a

Noë.

Aliqui dicunt Noë in Iudæa habitasse, atque in regione Sodomorum plantasse illas cedros ex quibus arcam construxit. 490,

Item aiunt Noë in arcam ingressum, secum in eam detulisse ossa Adæ, ac post diluuium suis filijs distribuisse, singulariter calvariam Adæ dedisse primogenito suo Sem. ibid.

Dolabra Noë, quâ arcam construxit, à Magno Constantino seruata fuit. 862,a

Nomen.

Denominatio fit à notiori. 739,b

Idem, secundùm diuersam considerationem, plura habet nomina. 611,a

Nomina communia ex circumstantijs fiunt propria. 265,a

Nomina & tituli non tam ex meritis, quàm ex communi vsu imponi solita fuerunt. 379,b

Nouatus.

Nouati errores damnati in primo Concilio Carthaginensi. 656,b. 657,a & b

Nouatus diuulganit in omnibus Ecclesijs, non esse haereticos & lapsos ab Ecclesia recipiendos. 647,b

Nox.

Iudæi & Romani noctem in quatuor vigilias trium horarum distinguunt. 968,b

Nuptiæ.

Nuptias illicitas esse, docuit Eustathius Armenus. 655,a

Licitas esse, determinatum fuit in Concilio Gangrensi. ibid.

Nuptiæ Canæ Galilææ, *vide* Cana.

Nux.

Ex nuce crucifixi imago producta seruatur Traiecti ad Mosam in Belgio. 26,a & b

O.

Occasio.

Occasiones peccatorum vitanda sunt. 780, b. 784,a & b

Non omne, quod potest esse occasio peccati, est peccatum. 257,a & b

Occidens.

De modo orandi versus Occidentem vel Orientem, vide sub titulo Orare, Oratio.

Ochozias.

Oziæus Rex Ierusalem fuit Ochozias. 46,a

In bello vulneratus obijt. ibid.

Regnauit vno anno. ibid.

Odolla, *vide* S. Mariæ Virginis villa.

Offensionis mons.

Situs montis Offensionis & Scandali. 278,a & b. 279,a

Mons Offensionis & Scandali, an sint duo montes. ibid.

Salomon in illo monte diuersas idolorum statuas ædificauit. ibid.

Delicia montis Offensionis. 279,b

In hoc monte sunt ruinæ, signa veteris idololatriæ. ibid.

Ratio nominis montis Offensionis. ibid.

Cur vocetur mons Scandali. ibid.& 280,a

Respondetur ad difficultates allatas contra montem Offensionis. 280,a & b. 281,a

Mons Offensionis interdum pro toto Oliuarum monte accipitur. 280,b

In hoc monte fuit Pantheon Salomonis. 278, b. 280, b

In monte Offensionis, in Orientali parte Ierusalem, suspensus est Iudas Iscariotes. 282, b. 283,a

In summitate illius montis sunt latibula Apostolorum. 283,a

Oleum.

Oleum ex Sanctorum sepulchris profluens miram habet virtutem. 547,b. 548,a & b

Oliua.

Oliua est symbolum misericordiæ. 299,b

Ad oliuam Christus in domo Annæ ligatur. 172,b

Describitur oliua ollim conditio. ibid.

Dubium circa illam soluitur. 175,a & b

Oliueti mons.

Tria montis Oliueti cacumina diuersis nominibus appellantur. 278,a & b. 298,a. 299,a. 438,a & b

Statuæ idolorum in pluribus locis huius montis. 278,b. 279,a

Vide plura sub titulo Offensionis mons.

Digitized by Google

Mons Olivarum eſt celeberrimus. 297,b
Olivarum fertilitas. ibid.
Eius altitudo. 298,a
Tria habet cacumina. ibid.
Eius ſitus. ibid.
De diſtantia montis Olivarum ab Ieruſalem, quatuor ſunt ſententiæ. ibid.& b
Prima ſtatuit mille paſſus. ibid.a
Secunda, ſex ſtadia. ibid.
Tertia ponit duo milliaria. ibid.
Quarta, unum milliare cum dimidio. ibid.b
Præmiſſæ opiniones conciliantur & explicantur. ibid. & 299, a
Olivarum mons quomodo unus & trinus dici poſſit. 299,a
Nomina Olivarum, & ſignificatio. ibid.& b
Chriſti miſericordia oſtenſa fuit in illo monte. ibid.b
Quare dicatur mons trinus Luminum. ibid.
Referuntur ea quæ in eo monte facta fuerunt. ibid.
Godefrido Bullonio civitatem obſidente diminutus in hoc monte animus datus fuit militibus. ibid.
Initio aſcenſus montis Olivarum ad dexteram partem via eſt rupes, in qua B. Maria oravit pro beato Stephano, cum lapidaretur; & in qua interdum quievit. 300,a& b
Vide de hoc loco ſub titulo S. Maria.
Locus ubi S. Thomas Apoſtolus è cælo Mariæ Virginis cingulum accepiſſe dicitur. 301,a
Vide ſub titulo S. Thomas.
Octo memorabilia loca quæ viſuntur ſupra montem Olivarum in reditu ex eo ad ſanctam Civitatem, quæ ſub propriis nominibus & titulis requiro 302
De loco ubi ſancti Apoſtoli compoſuerunt Credo. 302 a& b. 303,a& b
Vide ſub titulo Symbolum.
De loco in monte Olivarum, ubi Chriſtus oravit, & orandi formam ſuis diſcipulis tradidit. 303,b. 304, a& b
Traditio loci orationis Chriſti comprobatur. 303,b. 304,a
An ad ſolitum orationis locum in monte Olivarum profectus fuerit Chriſtus. 162,a& b
Locus ubi Chriſtus videns civitatem flevit ſuper illam. 301,a& b
Vide ſub titulis Flere, & Chriſtus.
Olivarum mons Eccleſiam Gentium deſignat. 317,a
In illo monte tentabit Antichriſtus ſedem ſuam collocare, & ibi à Domino interficietur. ibid.b
Exemplum notabile de quodam Nobili, qui in monte Olivarum puſſimè obiit. ibid.& 319,a
De loco qui appellatur Viri Galilæi. 319,a& b
De loco in deſcenſu montis Olivarum, ubi B. Virgo Maria morti proxima dicitur ab Angelo accepiſſe palmam. 320,a& b. 321,a& b
Sudarium montis Olivarum, quo Chriſtus in horto orans, ac ſanguinem ſudans, ſe abſterſit. 234,b. 235,a
Procedendo ex monte Olivarum ad locum Aſcenſionis Domini, eſt locus ubi Chriſtus prædixit templi & Ieruſalem deſtructionem, qui ab Helena Eccleſiâ fuit inſignitus. 307,a& b
Locus Dominicæ aſcenſionis in monte Olivarum. 308,b & ſeqq.
Vide plura de hac materia ſub titulo Aſcenſio Domini.

Opera, Operari.

Opera bona facere oportet ex ſolo amore Dei, non ſpe mercedis, aut timore gehennæ. 884,b.885,a& b
Agentium in operando conſuetudo. 346,a

Orare, Oratio.

Licet reſpectu Dei nihil referat, quâ formâ corporis, vel in quo loco oretur; tamen reſpectu noſtri utiliter locum & ſitum ad orandum determinatum eligitur. 163, a& b
Chriſtus Iudæorum præſcriptam legem orandi obſervavit. ibid.b
Iudæi Ieroſolymis ad Occidentem, in aliis partibus ad Terram ſanctam & templum converſi orabant; & quare. 164,a& b. 165,a
Chriſtus non oravit pro reprobis, ſed pro electis. 165, b
Peccata fructum orationis impediunt. ibid.
Chriſtus in horto Gethſemani an oraverit verſus Orientem aut Occidentem; & rationes allegantur. 163, a vſque ad 168, a
Quomodo Chriſtus Eccleſiam ſuo exemplo orare docuerit. 166,b
Orare ad Orientem, eſt Apoſtolica traditio. 167,a
Rationes cur oretur ad Orientem. ibid.& b
Chriſtiani ad Orientem orantes, ſanctum Domini Sepulchrum reſpiciunt. 168,a
Ratio nonnihil immutata conſuetudinis. ibid.
Iudæi oraturi loca ſuperiora conſcendebant. 123,b
Locus, ubi Chriſtus oravit, & diſcipulos orare docuit, Eccleſiâ fuit inſignitus. 303,b
Orandi formula quoties & quâ occaſione à Chriſto diſcipulis tradita fuerit. 304,a& b

Oriens.

Orientis nomine quæ Regio intelligatur. 635,a
Regiones Orientales in Scriptura quæ dicantur. 775,a
De modo Iudæorum, Chriſti & Chriſtianorum orandi verſus Orientem vel Occidentem, vide ſub titulo Orare, Oratio.

Orientales.

Orientalium errores craſſi & abſurdi ſunt. 556,b. 557,a
Orientales ſchiſmatici in ſero Sabbati ſancti dicunt cæleſtem ac ſanctum ignem deſcendere ſuper Dominum Sepulchrum, vel ex ipſo Sepulchro exire. 557, a& b
Naturaliter ignem illum accendi oſtenditur. 558, a& b
Cæleſtis naturæ & conditionis faciunt illum ignem. ibid.b
Ignis illius ſancti diſpenſatio. 559,a
Quanta ſit devotio erga iſtum ignem. ibid.b
Dicunt ignem illum non comburere. ibid.a
Probatur amplius, ignem illum ſchiſmaticorum non miraculoſè, ſed naturaliter accendi. ibid.b. 560, a& b. 561,a
Unde prædicti ignis relatio originem habere potuerit, examinatur. 561,a vſque ad 567,a
Orientalis porta templi, *vide* Porta Orientalis templi.

Origenes.

Origenis hæreſes duæ in Concilio II. Conſtantinopolitano condemnatæ ſunt. 667,a& b. 668,a

Oſee.

Oſee ſepultus eſt in Belemot. 306,a

Oſſuaria.

Oſſuaria quid ſint, aut quid ſignificent. 128,a

Othoniel.

Othoniel primus Dux & Index populi Iſraël. 728,b

Oza.

Hortus Regis, ſive Oza, in monte Sion. 118,a

Digitized by Google

Ozias.

Ozias, qui & Azarias & Mathat dictus est, fuit duodecimus Rex Ierusalem. 46,b

Volens incensum offerre, cùm non esset Sacerdos, lepra a Domino percussus fuit. 47,a

Regnauit quinquaginta duobus annis. ibid.

P.

Palæstina.

Palestinæ domorum tecta qualia sint. 596, a & b

Frequens numerus augurum & diuinorum in Palestina. 188,a

Palma.

Palma, ex qua præcisi fuerunt rami à Iudæis in die Palmarum, superstes mansit in excidio Ierosolymitano, cæteris arborium excisis. 332,a & b

Palmarum Dominica.

De porta, per quam Christus in die Palmarum Ierosolymam ingressus fuit, duæ sunt sententiæ. 336,b

Prima dicit fuisse portam Auream. ibid.& 337,a

Secunda sententia tradit esse portam Gregis. 337, a & b

Responsio Villalpandi ad rationes primæ sententiæ. ibid.b

Neutra sententia est contra Scripturam. ibid. & 338,a

Prima sententia communis est, & tenenda. 338,a

Respondetur ad argumenta secundæ sententiæ. ibid. & b.339 a

Confutatio responsionis Villalpandi ad rationes primæ sententiæ. 339,a

Compendiaria via, quâ Christus ex monte Oliueti Ierosolymam per portam Auream ingressus fuit. ibid b

Porta hæc diuinitus Christo tunc aperta fuit. 332,b

De porta templi, quæ Speciosa creditur, per quam Christus in die Palmarum in templum intrauit. 340,a vsque ad 344,b

Vide alia sub titulo Bethphage, Castellum contra vos, Gregis porta, Porta aurea, Speciosa porta.

Palmos.

Palmos quid sit. 212,b

Paneas, *vide* Cæsarea Philippi.

Panis.

Panis fractione significatur Eucharistia. 720,a

Pantheon.

Pantheon Salomonis. 278,b. 280,b

Panum miraculosa multiplicatio.

Christus bis panes miraculose multiplicauit. 856,b

Discrepantia vtriusque miraculi, & conuenientia. ibid.& 857,a

An vtraque panum multiplicatio citra vel vltra mare contigerit. 857,a

Item, an vtraque in eodem loco facta fuerit. ibid.

Prima sententia dicit quinque panum multiplicationem citra mare contigisse, & septem panum vltra mare. ibid.b

Secunda sententia ait multiplicationem quinque panum a Christo factam esse vltra mare Galilææ in eius plaga Orientali; septem verò panum multiplicationem contigisse citra mare in plaga eius Occidentali. 858,a & b. 859, a. 860,a & b

Respondetur ad argumenta in contrarium. 859, a & b. 860,a

Locus Mensæ Christi dictus est à secundo miraculo septem panum. 860,a

Matthæus & Marcus conciliantur. 861,a

Quo loco præcisè saziata fuerint quatuor millia hominum, præter paruulos & mulieres. ibid. & b

Duodecim cophini, septem sporta ac reliquiæ decenter conseruatæ fuerunt per Magnum Constantinum. 862,a

Paradisus.

Deus cur paradisum condiderit, à quo breui homo excidendus erat. 780,a

Paradisus non est vltra Oceanum. 490,a

An apud Hebron fuerit terrestris paradisus. 774,b vsque ad 777,b

Terrestris paradisus fuit in Oriente plantatus. 775, a & b

Fuit situs in eminentiori loco quàm sit Terra promissionis. 776,a

Quantitas & amplitudo paradisi non fuit mediocris, sed multò maior quam Hieronica regio & tota Terra promissionis. ibid.b

Quam deliciosus fuerit paradisus. 777,a

In Orientali Indiæ plantatum fuisse paradisum, qui senserint. ibid.& b

Extra eum Adam plasmatus fuit. ibid.b

De loco diuisionis fluminum paradisi sententiæ variæ. 931, b

Prima dicit diuisionem illam fieri in paradiso. ibid.

Secunda, extra paradisum in determinato loco. ibid.

Tertia, extra, sed in diuersis locis. ibid.

Quarta, extra ipsam regionem Eden. 932,a

Nilus origo vbi sit. ibid.& b

An Nilus sit distinctus paradisi fluuius. 931,a

Virtus ligni vitæ naturalis fuit. 982,a

Paradisus voluptatis fuit figura templi Resurrectionis Domini. 551,b

Fluuius paradisi quintuplici ratione Christum præfiguranit. ibid.& 552,a vsque ad 555,a

Paradisus terrestris fuit figura Sepulchri Christi. 552, b

S. Maria dicitur Paradisus mysticus. 353, a & b

Quatuor fluminum è fonte paradisi derivationum significatio. ibid.b. 354,a

Parasceue.

Cur in Parasceue in templis Christianorum erigantur sepulchra. 520,a

Explicatur & defenditur illa cærimonia. 542, a & b. 543,a & b

Parentes.

Parentes pro Christo contemnendi sunt, si impedimentum præbeant. 473,b

Memoria parentum conseruatur in filiis. 254, b. 255,a

Parentes primi, *vide* Adam & Heua.

Passio.

Passiones mortificandæ sunt ad consequendum fructum Eucharistiæ. 475,b

Passio Christi.

S. Francisci iudicium de Christi passione deplorandâ. 218,b

Vide Christi passio.

Pastorum villa, Pastorum locus.

Conditio villæ Pastorum, & nominis ratio. 634, a

Est ibi cisterna B. Mariæ Virginis dicta; & quare. ibid.

Digitized by Google

Loci Paſtorum circa Bethlehem conditio, nomina, & interpretatio. ibid.b. vſque ad 686,b
Acta ibidem referuntur. ibid.
Eccleſia fuit ibi ædificata ab Helena, nunc multùm diruta. ibid.
Eiuſdem Eccleſiæ forma, numen, ac nominis ratio. 682, a
Tres fuerunt Paſtores conſcij facti natiuitatis Chriſti. ibid.
Olim monaſterium in loco Paſtorum ædificatum fuit. ibid.
Tres illi Paſtores ibidem ſepulti fuerunt. ibid.
Locum hunc ipſi Mauri venerantur. ibid.
Sententia D. Hieronymi de villa & loco Paſtorum proponitur. ibid.b
Reiicitur à Villalpando. 683,a
Defenditur ſententia Hieronymi, & argumenta Villalpandi reſpondetur. ibid.& b.684,a
Locus Paſtorum eſt uberior valle Hennon. 684,a
Argumentum probare contendens, in loco Paſtorum templum Salomonis ædificatum eſſe, proponitur & ſoluitur. ibid. & b
Turris Ader, ſiue Gregis, enuntiatur de loco Paſtorum; & quare. ibid.b
Conditio loci Paſtorum à Michæa præmonſtrata fuit. 685,a & b
Locus Paſtorum à Brocardo deſcribitur. ibid.b

Patientia.

Per patientiam vincere oportet. 476,b

Patriarcha.

Ordo precedentiæ inter Sedes Patriarchales. 373, a & b. 374, a. 377,a & b

S. Paula.

S. Paula Romana apud Bethlehem quatuor ædificauit monaſteria, tria pro mulieribus, & vnum pro viris. 674,a.679,b
Item probabile eſt eam erexiſſe Eccleſiam S. Catharinæ Bethlehem. 674,a
S. Paulæ deuotio ad loca Chriſti natiuitatis. 631,b
Sepulchrum S. Paulæ & Euſtochij filiæ eius in antro natiuitatis Domini; & nominis ratio. 676,b
Hoc ſepulchrum verſibus exornauit S. Hieronymus. 677,a
Caret nunc corporibus & verſibus. ibid.
Monaſterij S. Paulæ Romanæ prope locum natiuitatis Chriſti præſens conditio, & nominis ratio. 679, b. 680, a

S. Paulus.

Sauli Chriſti Eccleſiæ perſecutoris conuerſio. 873,a
Accidit in via Ieruſalem ad ciuitatem Damaſci. ibid.
De loco particulari & determinato conuerſionis ſancti Pauli ſunt quatuor ſententiæ. ibid.b
Prima ait a Damaſco diſtare duodecim milliaribus. ibid.
Secunda, ſex milliaribus. ibid.
Tertia, duobus milliaribus. ibid.
Quarta probabilior, medio milliari. 874,a
Quomodo fuerit Paulus Damaſcum introductus. ibid. & b
Locus, vbi conuerſus fuit, Eccleſiâ illuſtratus. ibid.b
Porta per quam fuit introductus Damaſcum. ibid.
Latibulum S. Pauli. 875,a
S. Paulus in domo Iudæ hoſpitatus fuit Damaſci. 878,b
In eadem domo mirabilem ſuam habuit viſionem. ibid.& 879,a
Fons, vbi baptizatus fuit. 879,a
Iunxit ſe diſcipulis Damaſci, & Chriſtum prædicat. ibid.b
Abiit in Arabiam. ibid.
Doctor Gentium quare ſic dictus ſit. ibid.
Damaſcum reuertitur. ibid.
Iudæi ipſi inſidiantur. ibid.
A fratribus liberatur, dimiſſus in ſporta. ibid.
Modus, & determinatus locus, vnde dimiſſus fuit. 880,a & b.881,a
Quare quadragenas vnâ minùs acceperit. 198,b
S. Pauli Apoſtoli facies in ſudario impreſſa. 234,b
In eius gratiam in terra Melitenſi ſerpentes carent venenis, & terra paras antidotum contra venena. 679,a

Paulus Samoſatenus, *vide* Samoſatenus.

Pax.

Pax nuntiata in Chriſti natiuitate, fuit in eius reſurrectione conſummata. 358,b

Peccator.

Peccator numquam à fletu ceſſare deberet propter Deum offenſum. 225,b.226,a
Vbi habes varia exempla.
Nullus peccator debet de miſericordia Dei deſperare. 119,a

Peccatum.

Peccatum ex Angelo fecit dæmonem, & ex paradiſo infernum conſtituit. 277,a & b
Pœna comitatur peccatum. 281,a
Fugienda ſunt loca quæ peccandi cauſa extiterunt vel occaſio. 780,b.784,a & b
Lutum ob peccata & Dei offenſam laudabile eſt. 781,a & b
Non omne, quod poteſt eſſe occaſio peccati, eſt peccatum. 257,a & b
Quomodo Sacerdotes comedant peccata populi. 600, a

S. Pelagia.

Situs lupanarij & Eccleſia S. Pelagiæ, meretricis olim Antiochenæ. 307,b 308,a
Verſa eſt illa Eccleſia in Turcarum Meſquitam, & non niſi furtim ad eam intrari poteſt. 308,a
Pelagia ob pulchritudinem, feſtum, &c. Margarita dicta fuit. 307,b
Huius conuerſio. 308,a
Ieroſolymam abit, vbi in Monachi habitu ſe in antro incluſit; in quo & ſpiritum Deo reddidit. ibid.
Pelagia cum filiabus virginibus ſtupri euadendi cauſâ è muro ciuitatis in flumina ſe præcipitauit; & an laudabiliter id fecerit. 900,a.903,b

Peluſium, *vide* Damiata.

Pentapolis, *vide* Sodoma.

Pentecoſte, *vide* Spiritus ſanctus.

Peregrini.

Peregrini, cùm in Ioppen perueniunt, ad terram exeunt, eamque genuflexi venerantur & exoſculantur. 3,b.4,a
Indulgentiam plenariam conſequuntur, mox vt in Ioppen venerunt, licet vlteriora Terræ ſanctæ loca non viſitauerint. 4,a
Peregrinorum lætitia Ciuitati ſanctæ appropinquantium. 16,b.17,a
Duce Chriſto peregrini Ieroſolymam ingrediuntur, & alia ſancta loca venerantur. 17,a & b
Modus quo excipiuntur in ſancta Ciuitate, & ſtatim ex ea dimittuntur. 49,a & b. 50,a & b
Præfectus S. Montis Sion abluit pedes peregrinis. 50,a
Proceſſionaliter in Eccleſiam introducuntur, & ad illos ſermo habetur. ibid.
Quomodò à Turris viſitentur. 99,a

Ordo

Ordo quem ſeruant in ſanctis locis viſitandis 68, a & b
Quæ obſeruent in Eccleſia S. Sepulchri. 382,b. 383,a

Peregrinorum caſtrum.

Caſtrum Peregrinorum circa Cæſaream Paleſtinæ quid ſit. 892,a
Ibi triplex fuit Eccleſia; nunc demolita. ibid.
Aliud caſtrum Peregrinorum apud Tripolim. ibid.

Perſecutio.

Quibus, & quando, in perſecutione liceat fugere. 61, a & b

Perſis.

Perſis regio quæ dicatur. 273,b
Aliquando dicitur Babylon. ibid.

Peſtis.

Magna peſtis graſſatur Ieroſolymis. 53,b.54,a

Petra.

Petra ex qua Moyſes aquas eduxit. 998, a & ſeqq.
Vide Moyſes.

Petra vnctionis, *vide* Vnctio.

Petrus.

S. Petrus vbi à Chriſto vocatus fuerit. 6,a
Sacellum in honorem S. Petri ædificatum fuit in loco domus Simonis Coriarij. ibid.
Domus Caiphæ conuerſa eſt in Eccleſiam S. Petro dicatam. 197,b.
In illa immiſſum locus qui dicitur Carcer Chriſti. 178,a
Columna in qua gallus cantans S. Petrum negationis Chriſti admonuit. ibid.
Locus peculiaris negationis S. Petri. ibid.b
Ter tantùm Chriſtum negauit. ibid.
In qua parte domus illæ negationes contigerint. ibid.
S. Petri pœnitentia & fletus poſt negationem Chriſti vſque ad vitæ finem. 225,b.226,a
Locus, vbi S. Petrus è domo Caiphæ egreſſus flemit, in Eccleſiam mutatur. 149,b.150,a & b
Tempore Paſſionis & mortis Chriſti non amiſit fidem. 259,b
Imò ne quidem peccauit peccato confeſſionis ſuæ. 260,a
Negatio S. Petri qualis fuerit. ibid.
Carceris S. Petri deſcriptio. 89, a & b
Quantum diſtet à templo Reſurrectionis Domini. ibid.b
Olim in illo loco fuit à fidelibus erecta Eccleſia. ibid,
An prædictus carcer fuerit intra an extra ciuitatem, quando S. Petrus in illum miſſus fuit. 90,a
Prima ſententia ait fuiſſe extra ciuitatem. ibid.
Opinio Villalpandi. ibid.& b
Secunda ſententia, quæ eſt Baronij, dicit fuiſſe intra ciuitatem. ibid.b
Opinio Adrichomij, & Auctoris. 91, a & b
Carcer D. Petri non eſt turris Antonia. ibid. b
Non fuit communis carcer, ſed Regius. ibid. & 92,a
Reſpondetur argumentis contrarijs. 92,a & b
Porta ferrea, per quam S. Petrus è carcere liberatus tranſiit. 90,a.91,b.95,a
In ciuitate Lydda ſanauit Æneam paralyticum. 9,b
Collegio Apoſtolico præfuit. 131,a
Chriſtus S. Petro ex vrbe fugienti obuiam factus, marmoreo lapidi pedum ſuorum veſtigia impreſſit. 171,a
Romæ dignitas ex Reliquiis S. Petri. 140,b
Eccleſiæ D. Petro viuenti dicatæ. 88,b.89,a
Eccleſia S. Petri in vrbe Antiochia. 914,b
Eccleſias viſitat, & Antiochiam pergit. 915.b
Ibidem fundat Eccleſiam, cui ſeptem annis præfuit. ibid.
Cur Eccleſiæ Antiochenæ præfectus fuerit. ibid. & 916,a
Fr. Petrus ex Ordine Fratrum Minorum in vrbe Cairi inſigne martyrium ſubiit. 944,b 945,a
Fr. Petrus à Narbona Ieroſolymis martyrizatur. 55,a

Pharan.

In deſerto Pharan inueniuntur villulæ & antra in rupibus excisa, quæ aliqui dicunt eſſe Sepulchra concupiſcentiæ, ſed falsò. 991,a & b
Pharan deſerti multiplex acceptio. ibid.
Quid fuerint illa antra in rupibus excisa. 992,b

Pharphar.

Pharphar fluuij deſcriptio. 884,a

Phihahiroth.

Quarta manſio Iſraëlitarum fuit in Phihahiroth. 960,a
Phihahiroth vbi ſit. ibid.

Philippicus.

Philippicus, ingulato Iuſtiniano, Imperium occupat. 670,a
Non vult recipere ſextam Synodum, ſed ſex Synodorum imagines & picturas demolitur; & Sanctorum imagines ex omnibus templis eradi curat. ibid.
Cyrum Catholicum Patriarcham ejicit, & Ioannem Monothelitam ſubrogat, Anaſtaſiumque ſautorem Catholicæ fidei Regno expellit, & oculis privat. ibid.b
Ab exercitu Imperio exuitur, & Theodoſius in Imperio confirmatur. ibid.

Philippus.

Philippus primus Dux Burgundiæ cor ſuum mandat ſepeliri Ieroſolymis: corporis interiora ſepulta ſunt Brugis apud S. Donatianum. 483,a
Alter Philippus Dux Burgundiæ, vigeſimusnonus Comes Hollandiæ, mandat cor ſuum ſepeliri Ieroſolymis. ibid.
Martyrium Fratris Philippi Franciſcani in Azote. 924,b

Philippus, fons S. Philippi.

Ratio nominis fontis S. Philippi prope Bethlehem. 696,a
De ſitu fontis huius ſententia Bezæ proponitur: & reijcitur. ibid.
Aliorum ſententia adfertur: & refellitur. ibid.b
Verior ſententia D. Hieronymi & communis proponitur. ibid. & 697,a
D. Hieronymus & Adrichomius conciliantur. 697,a
Origo & fluxus huius fontis. ibid.& b
Eccleſia quidem ædificata eſt in memoriam baptiſmi & converſionis Eunuchi per Philippum. ibid.b
Ibi eſt locus dictus Villa S. Philippi. ibid.
Via ex Bethlehem ad hunc fontem conditio. ibid.
Duæ difficultates proponuntur contra dicta de hoc fonte: & reſpondetur ad vtramq;. ibid.698,a & b
Eunuchus per Philippum baptizatus non fuit Gentilis, ſed proſelytus Iudæorum. 699,a
Fuit locuples & potens. ibid.
Philippus, qui Eunuchum baptizauit, non fuit Apoſtolus, ſed Apoſtolorum diſcipulus. ibid.
Eunuchus à Philippo baptizatus, in Æthiopiam reuerſus Chriſtum prædicat. ibid.b
Martyrio coronatus eſt Eunuchus. ibid.

Picardia.

Sindon Christi per Carolum Calvum transfertur in Picardiam. 533,a

Pictura.

Pictura in Ecclesiis exponenda à Prælatis approbari debent. 217,b.

Vide Imago.

Pilatus.

Situs palatij Pilati, & eius nominis ratio. 181,a

Vetus & nova palatij forma. ibid.

In illo commorantur Præfecti Ierosolyma, sicut tempore Christi. ibid.

Atrium, prætorium, & alia loca describuntur. ibid.

Palatium hoc fuit in Ecclesiam conversum. ibid.b

Locus coronationis Christi. ibid.

Ad hoc palatium ductus fuit Christus, vt cruci adiudicaretur. 181,a

Ibi innocens Christus declaratur à iudice, & inde mittitur ad Herodem. ibid.

Ibi quoque comparatur Barabba, eique postponitur. ibid.

Vxor Pilati intercedit pro Iesu. ibid.

Pilatus mandat vt Christus flagellaretur. ibid.

Ibidem spinis coronatur, & morti adiudicatur. ibid. & b

Pilatus manus lauat. ibid.b

Christus baiulat sibi crucem. ibid.

Describitur domus seu palatium Pilati. ibid.

Aliquando facilis, aliquando difficilis fuit ingressus ad Pilati palatium. 183,a

Gradus scala sancta. ibid.

Per scalam palatij tribus vicibus ascendit & descendit Christus. ibid.

Ritus ascendendi scalam sanctam Romæ. ibid.

Referuntur illa quæ à quibusdam in palatio Pilati Præsidis euenire dicuntur illis, qui alapâ & flagellis Christum percusserunt. ibid b. 184,a

Examinatur veritas accuratissimè; & tandem resolnitur esse meras fabellas & nugas. 184,b vsque ad 196,a

Christus in loco vbi sontes flagellabantur, flagellatus fuit. 196,a & b

In loco flagellationis Ecclesia ædificata fuit. ibid.b

Eventus notabilis circa prædictum locum. ibid.

Duplex sententia de loco flagellationis Christi. 197,a

Prima dicit factam fuisse flagellationem in palatio Pilati. ibid. & b

Secunda sententia extra palatium contigisse asserit. ibid.b 198,a&b. 199,a

Christus verè ex legis præscripto flagellatus fuit. 199,a

Non fuit timendum de Christi morte ex flagellatione. ibid.b

Christi flagellationi B. Virgo interfuit. 200,a

Respondetur ad rationes primæ sententiæ. ibid.b. 201,a

Forma sententiæ flagellationis Christi. 200,b

Non leuiter, sed grauiter Christus flagellatus fuit. ibid.

An semel vel pluries, & quoties Christus flagellatus fuerit. 201, a & seqq. & 390,a

Prima sententia dicit Christum vnica vice flagellatum fuisse; secunda, duabus; tertia tribus. 201,a & b. 202,a

Christus prius in domo Caiphæ inscio Pilato fuit flagellatus. 202,a & b. 390,a

Post dictam flagellationem iussu Pilati flagellatus fuit. 202,b

Non fuit tertiò flagellatus. ibid.

Responsio ad Auctores primæ sententiæ. 204,a

Respondetur ad argumenta pro secunda sententia adducta. 205,a & b

Arcus Pilati forma, & nominis ratio. 206,a

Quantum distet à domo Pilati. ibid.

Lapides albi in arcu Pilati quibus litteris inscripti fuerint. ibid.b

Arcus Pilati est vetustissimum Ierosolymæ monumentum. 297,a

Quomodo olim appellabatur; & cui vsui deputatus erat. ibid.

Extra prætorium Christum fuit à Pilato populo ostensus. ibid.

Adrichomij sententia de nomine & vsu arcus Pilati. ibid.b

Arcus Pilati xystus dici potest, quia formam xysti habet. 208 b

Opinio Auctoris de vsu arcus Pilati. ibid. & 209,a

Pisanum castrum.

Pisanum castellum ciuitatis Ierusalem, & eius structura. 41,a & b

Castri Pisani descriptio. 68,b

Vnde sic dictum sit. ibid.

Peculiaris illi præficitur Castellanus. 69,a

Ad portam castelli visitantur peregrini. ibid.

Pisanum castrum & turris Davidem sunt. ibid. & b

An Pisanum castrum, turris David, arx Sion, & ciuitas Davidis sint eadem, an distincta. ibid.b

Adrichomij & aliorum opinio. ibid. & 70,a

Abulensis & Auctoris opinio. 70,a & b. 71,a

Respondetur obiectionibus. 71,a & b

Piscina.

Piscina quis locus dicatur. 598,a

Piscina superior & inferior quæ dicatur. 716,a & b. 717,a & b. 718,a & b

Probatica Piscina descripta. 98,b. 99,a

Quibus aquis implebatur. 99, a & b

Probaticæ nominis ratio. ibid.b. 100,a

Argumenta contra historiam probaticæ piscinæ. 100, b. 101,a

Respondetur argumentis. 101,a & b. 102,a & b

Vsus aquarum piscinæ. 102,a & b

Illarum virtus vnde. ibid.b. 103,a

Per piscinam illam Baptismi sacramentum præfiguratum fuit. 103,a

Piscina Bersabee, *vide* Bersabee.

Piscinæ Salomonis, *vide* Salomonis piscinæ.

Piscina S. Sepulchri, *vide* S. Sepulchri piscina.

Pœna.

Pœna comitatur culpam. 281,a

Myrrha propter suam amaritudinem pœnam significat. 455,a

Pœna duplex est, interior & exterior. ibid.

Pœnitentiæ Sacramentum.

Sacramentum Pœnitentiæ in Iordane præfiguratum fuit. 712,b

Pollinctura.

Pollinctura duplex ratio apud Iudæos. 315,b. 526,a

Vide sub titulo Defuncti, & Sepelire.

Polyandrium.

Polyandrium sepulchrum significat; & vnde vox derivetur. 281,a

Pomum paradisi.

Duæ traditiones de pomis paradisi proponuntur, & reiciuntur. 936,a & b

Digitized by Google

Pomorum paradiſi conditio ex Brocardo aſſertur. ibid. b

Pompeius.

Pompeij columna, & eius forma Alexandriæ. 1009,b

De ratione nominis quatuor opiniones. ibid. & 1010,a & b.

Pompeius vbi interfectus fuerit. ibid.

Pons Cedron, *vide* Cedron.

Pontifex.

Romanus Pontifex eſt totius Eccleſiæ caput. 373, a & b. 377,a

Porcus.

Cur Adrianus Imp. porcum inſculpſerit portæ Bethlehemiticæ. 595,b

Porphyria.

Porphyria ciuitas deſcribitur. 896,b

Porſina.

Porſina ciuitas. 896,b

Porta.

Olim in portis Iudices iudicia exercebant. 237,b

Porta Aurea.

Chriſto in die Palmarum porta Aurea diuinitus aperta fuit. 332,b

A capta Ieroſolyma clauſa manet; & quare. ibid. & 340,a

In porta Aureæ oſtiis area crux inuenta fuit. 333,a

Per Auream portam Chriſtum in Dominica Palmarum Ieroſolymam intraſſe, probabilius eſt. 336,b & ſeqq.

Aurea porta nominis ratio. 336

Aurea porta & Gregis diſtinguuntur. 338,a & b

Porta Aurea venerabilis ac memorabilis eſt. 340,a

Vide plura ſub titulo Palmarum Dominica.

Porta ferrea.

Porta ferrea quæ, & vbi fuerit. 90,a. 91,b. 95,a

Porta Gregis, *vide* Gregis porta.

Porta iudiciaria, *vide* Iudiciaria.

Porta Orientalis, *vide* S. Stephanus.

Porta Orientalis templi.

Porta Orientalis templi interior dicatur ſignum emerſionis templi. 344,a

Porta S. Stephani, *vide* S. Stephanus.

Porta templi Speciosa, *vide* Speciosa porta.

Porticus Salomonis, *vide* Salomonis porticus.

Potus Chriſti, *vide* Chriſti potus.

Præcipitium Domini, *vide* Chriſti præcipitium.

Prædicator.

Mulieres olim miniſtrabant victum & amictum ſuis Prædicatoribus. 841,a

Prædium Iacob, *vide* Iacob.

Præmium.

Nemo præmiatur, niſi legitimè certet. 475,b

Præſentatio B. Mariæ Virginis.

Templum Præſentationis B. Mariæ Virginis Ieroſolymis. 77.b

Ratio nominis huius templi. ibid. & 78,a & b. 80,a

Auctor & forma eiuſdem. 79,a & b

Turcæ illud inhabitant, & ingreſſum Chriſtianis interdicunt. ibid.a

Præſentationis B. Mariæ Feſtum quando inſtitutum ſit. ibid.b. 80,a

Hoc templum honoratur à Turcis. 80,b

B. Maria Virgo Deo fuit a parentibus dicata. 81,a

In templo relicta & educata fuit. ibid. & b

Eius locus in templo. ibid. b

Paſcebatur ibi Angelorum miniſterio. ibid.

Reſpondetur argumento, quo probatur B. Mariam non fuiſſe in templo præſentatam, nec in loco Deo dicatarum virginum habitaſſe. ibid. & 83,a & b

Templum quomodo fuerit & non fuerit ædificatum tempore præſentationis B. Mariæ Virginis. 83,b

An S. Maria Virgo habitauerit in communibus templi habitationibus, quæ promiſcuè virginibus aſſignatæ erant, vel in Sancto ſanctorum. 84,a vſque ad 86.a

Præſepe Chriſti, *vide* Chriſti natiuitas.

Presbyter.

Presbyteri & Epiſcopi nomina in primitiua Eccleſia fuerunt Epiſcopis & ſimplicibus Sacerdotibus communia. 648,a

Priſcus.

In domo Priſci, Chriſti diſcipuli, non fuit facta vltima cœna Dominica. 119,b. 120,a

Probatica piſcina, *vide* Piſcina.

Proceſſio.

In proceſſionibus fideles crucem non ſine ratione præferunt. 17,a & b

Chriſtianorum proceſſionum efficacia. 334.b

Proceſſio inſignis, qua annuatim in Dominica Palmarum ex Bethphage Ieroſolymam fit. 333,b. 334,a

Vnde hæc proceſſio originem traxerit, examinatur. 334 b vſque ad 336,a

Opera Indæorum interdicta eſt quadam proceſſio. 334,b

Vide de hac proceſſione plura ſub titulo Caſtellum contra vos.

Vrbanus IV. præcepit Euchariſtiæ Sacramentum ſolemni proceſſione honorari. 543,a

Propheta, Prophetia.

Propheta nomen multiplex. 265,b

Propheta eſt non tantùm qui verbis, ſed & qui factis ventura prædicit. ibid.

Eliſei corpus quomodo prophetauerit. ibid. & 266,a

Propheta dicitur Doctor legis & Concionator. ibid.

Spiritus prophetiæ communiter dabatur anno trigeſimo. 607,b

Prophetæ, vt Deo ſacri, apud Hebræos vngebantur. 882,a

Noui Teſtamenti Scriptura Prophetiæ appellantur. 851,a

Sermo propheticus, de quo S. Petrus Epiſt. 2 cap. 1. quis dicatur. 848,b & ſeqq.

Prophetarum ſepulchra, *vide* Sepulchra.

Ptolemais.

Ptolemaidis nomina, & eorum ratio. 896,b. 897,a

Eſt diuiſionum Orientis & Occidentis emporium. 897,a

Eſt in tribu Aſer, licet ab Aſeritis nunquam poſſeſſa fuerit. ibid.

Regia & Epiſcopali Sede decorata fuit. ibid.

Acta in ea referuntur. ibid.

Vltimò à Saracenis captâ Ieroſolymâ, fuit refugium plurimum Magnatum. ibid.

Curiæ, quæ ſimul ibidem fuerunt, referuntur. ibid. & b

Multa facinora ibi perpetrata fuerunt. ibid. b

Aliarum vrbium vaſtatio, omen fuit deſtructionis Ptolemaidis. ibid.

De eius expugnatione per Soldanum e Ægypto, & de Fratribus Minoribus ac Clariſſis ibidem martyrio coronatis. ibid. & 898,a & b. 899,a & b

Ex ruinis amplitudo ciuitatis dijudicatur. 899, a & b.

Diſtantia eius à Caipha ciuitate. ibid. b

Inſigne ibidem eſt templum S. Ioannis Baptiſtæ. ibid.

Puerpera.

S. Maria legem puerperarum obseruauit, licet non obligaretur. 601,a & b. 602,a
Lex puerperarum. 601,b

Pugna.

Pugna debet praecedere victoriam. 475,b

Pulcheria.

Pulcheria Augusta fasciae Christi Domini, quas resurgens reliquit in monumento, collocauit in templo Sapientiae à se extructo. 531,a
Templum insigne ad littus maris in honorem Dei Genitricis extruxit. 664,a
Hortatu Pulcheriae & Marciani celebratum fuit Concilium Chalcedonense. 665,a & b
Marciano nubit Pulcheria absque virginitatis suae praeiudicio. ibid.

Punicum malum, *vide* Malum punicum.

Purpura.

Coccum & purpura distincta sunt colores. 432,a
De purpurea chlamyde Christi, vide sub titulo Christi chlamys.

Puteus aquarum viuentium.

Puteus aquarum viuentium, quid sit. 904,b. 905,a
Nominis eiusdem putei ratio. 905,a
Ab Alexandro Magno constructus fuit, & a Balduino Ierosolymorum Rege instauratus. ibid.
Describitur puteus aquarum viuentium. ibid. & b
Ex illo proxima campi fecundantur. ibid. b
Putei eiusdem praesens status describitur. ibid. & 906,a
Christi & Apostolorum praesentiâ illustratus fuit. 906,a

Puteus Iacob, *vide* Iacob.

Puteus Nehemiae, *vide* Nehemias.

Puteus Samaritanae, *vide* Samaritana.

Pyramis.

Pyramis vnde dicatur, vel quare sic dicatur. 128,a
Iulij Caesaris mirabilis pyramis. ibid.
Pyramides Aegypti fuerunt sepulchra Pharaonum seu Regum. 127,a
Inter septem praecipua mundi miracula numerantur, & describuntur. 951,a & b
Vbi posita vel sita fuerint. 952,a
Quare dicantur miracula Memphis. ibid.
Vnde illa aestimentur. ibid.
Condita sunt à Regibus Aegypti per Hebraeos. ibid. & b
Vocantur insana substructiones à Iosepho. ibid. b
Aedificata fuerunt ad maiorem afflictionem Hebraeorum. ibid.
Putat Abulensis pyramides illas fuisse horrea Iosephi: & reijcitur. ibid.
Assignatur alia causa extructionis illarum pyramidum. 953,a
Tres pyramides, maior, minor, & inter has media. ibid.
Aliter describuntur praedictae pyramides. ibid. b
Maioris pyramidis accurata mensura & descriptio. ibid. & 954,a
Creditur haec pyramis praeparata fuisse pro humando Pharaone. ibid.
Prope Aegypti pyramides est vetus idolum quod Sphingem appellant. ibid. b

Q.

Quadraginta Martyres.

Quadraginta Martyrum Ecclesia in monte apud Hebron posita, vide sub titulo Isai sepulchrum.

Quarantana.

Quarantana desertum & mons. 757,a
Quarantana desertum describitur ex Adrichomio. ibid.
Quarantana montis descriptio: item alia ex Bonifacio. ibid. b. 758,a
Locus vbi de gula fuit Christus tentatus. 757,b
Ibi est cisterna, vbi sanctis Anachoretis aquas pluuiales recipiebant. ibid.
In summitate montis Quarantana est locus, vbi de idololatria Christus tentatus fuit. ibid.
In eodem monte est spelunca, vbi Sanctorum corpora mirabiliter disposita sunt. 758,a
Distantia. Quarantana à Iordane & Ierusalem. ibid. b

Quercus Rogel, *vide* Rogel.

Quiescere, Quies.

Verbi quiescere *multiplex significatio.* 480,a
Deus differenter quiescere dicitur in creatione & redemptione. ibid. b
Quies Christi est nostra. 479,a & b. 480,a

R.

Rachel.

Rachel sepulta est circa turrim Iacob. 610,a
Quomodo dicatur plorare filios suos. 612,a & b
Fuit ama Ephraim. ibid. a
Sententia Hebraeorum de voce è Rachelis sepulchro audita, cùm Iudaei ducerentur captiui in Babylonem, refellitur. ibid.
Cur fiat mentio Rachelis à Prophetâ in occisione infantium. 613,a
Nominis sepulchri Rachelis ratio. ibid. b
Eiusdem descriptio. ibid.
Honorificum fuit illud sepulchrum. ibid. & 614,a
Situs sepulchri. 614,a
Antiqua sepulchri illius forma. ibid.
Locus, in quo sepulta fuit Rachel, dicitur Hippodromus. ibid.

Radix.

Christus dicitur radix; & quare. 20,b & seqq.
Fuit radix in morte. 520,b 521,a
In radice lily prope Ierosolymam Crucifixi imago producta & inuenta fuit. 17,b
Cuius dignitatis sit: & nonnulla, quae in illa latent mysteria, ex Isaia explicantur. 20,a vsque ad 25.

Radix Iesse, *vide* Iesse.

Rama, Ramatha Sophim, &c.

Rama quot milliaribus à Ioppe distet. 6,b
Adrichomij sententia, Rama esse iuxta Gabaa, refellitur. ibid.
Rama excelsum significat. ibid.
Sita est in campestribus. ibid.
A quibus aedificata fuerit. ibid. & 8,b
An sit Arimathea, patria Iosephi, nobilis illius Decurionis. 7,a & b
Ibi est hospitium peregrinorum emtum ad Terram sanctam. ibid. b
Inde bombycem deuehunt mercatores. 8,b
Rama campestria fecunda sunt & amoena. 12,a
Ibi Nicodemi domus, quae peregrinorum hospitium est, in Monasterium coaptata fuit. 7,a
Illa in domo est capella, in qua Crucifixum ipse fabricauit, Mariae exposuit, & gratiae Dei commendauit. ibid.
Fuerunt ibi duae insignes Ecclesiae, vna S. Ioannis, altera Quadraginta Martyrum. ibid. & b. 8,b
Rama quos habeat incolas. 8,b

Digitized by Google

Rama, Ramatha, Remula, Ramatheim, Arimathea, Arimathia, idem significant. 611,b
Loca multa Rama nomine appellantur. ibid. & 612,a
Sententia Hebræorum de Rama & Rachelis sepulchro refellitur. 612,a
Vox in Rama *quid significet.* ibid.& b
Cur fiat Rachelis mentio in occisione infantium ab Herode. 613,a
Rama, Ramatheim Sophim nominum conditio & significatio. 727,a
Mons Rama excelsus est. ibid.
Ramatha fuit patria, habitatio & sepultura Samuelis Prophetæ. ibid.& b
Locum hunc possident Turcæ. 728,a
Ramatha Sophim an sit Rama. 7, b

Rameſſe.

Prima Israëlitarum mansio fuit in Rameſſe. 960,a
Ex Rameſſe Israëlitæ non fuerunt peregrinati ad Sua per faciliorem viam; & quare. 959,b.960,b
Rameſſe non est Thebe neque Suez. 961,a

Raphaim.

Vallis Raphaim conditio, situs, & nomina. 598,b. 599,a
Eiusdem Vallis præcipui nominis ratio. 599, a & b

Raphidim.

Raphidim fuit undecima Israëlitarum mansio. 988,b
Ibi populus murmuravit ob defectum aquæ. ibid.
De petra primò ibi educta fuit aqua. ibid. & 999, a & b
Amalec ibi primum Israëlitis mouit bellum, & ab eisdem orante Moyse superatus fuit. 989,a
Forma petræ, quæ à Moyse percussa aquas dedit in Raphidim. 998,a & b
E petra bis aqua educta sunt. ibid.b
Vtriusque eductionis discrimen. ibid.& 999,a
De tempore fluxus aquarum è petra, variæ responsiones & sententiæ. 999, b. 1000, a & b. 1001, a & b

Razias.

Razias de Iudæorum scriptoribus in seipsum violentas manus intulit; & an laudabiliter id fecerit. 900,a. 903,a

Redemptio.

Opus redemptionis SS. Trinitati communis Filio appropriatur. 480,b
Deus differenter quiescere dicitur in creatione & redemptione. ibid.

Reges.

Reges olim ungebantur tanquam Dei sacri. 881,b. 882,a
Quid fuerit, vel quomodo facta sit illa unctio. 882, a & b
Enumerantur Reges Ierusalem 44,b vsque ad 48,a
Christus in cruce quomodo fuerit Rex Iudæorum. 512, b

Regum cisterna, *vide* Magi.

Regum Israël sepulchra, *vide* Sepulchra Regum Israël.

Reliquiæ.

Reliquiæ Sanctorum in altaribus recondi solent. 139,a & b
Item in Ecclesiis, vbi Clerici diuina celebrant officia. ibid.b
De Reliquiis S. Stephani Protomartyris vide 136,a vsque ad 142,b
Corpora Sanctorum, siue Reliquiæ, rarò inueniuntur integra in aliquo monumento. 140,b.141,a
Roma dignitas ex Reliquiis S. Petri. ibid.
Ratione partis Reliquiarum Deus elargitur sua beneficia illis locis vbi condita sunt, ac si in illis integra essent Sanctorum corpora. 141,a.142,a
Iustum est vt Sanctorum Reliquiæ honorentur; & additur ratio. 141,a & b. 142,b
Iustitia & misericordia Dei elucet in honore sacrorum corporum, seu Reliquiarum. 141,a & b
Sanctorum Reliquiæ sunt gratiarum fontes. ibid.b. 142,a

Resa Mosolla.

Resa Mosolla, siue Misciola, secundus fuit Dux Iudæorum. 49,a

Resurrectio.

Resurrectionem credebant Ægyptij. 953,a
Christus quibus primò apparuerit post resurrectionem. 72,b.73,a
An prima apparitio facta sit tribus an quatuor mulieribus. 73,b.74,a
Christus resurgens vbi primò & secundò apparuerit Apostolis. 120,b.124,b
Inuentio Crucis quare dicta sit Resurrectio. 407, a & b. 408,a
Resurrectio quid sit 407,a & b
Vide Christi Resurrectio.

Resurrectionis Dominicæ templum.

Duodecim memorabilia loca quæ occurrunt visitantibus templum Dominicæ Resurrectionis, referuntur; quæ sub propriis titulis vide 345
Templum Resurrectionis præfiguratum fuit in templo Salomonis. 347,b. 348,a
Comparatio templi Resurrectionis cum templo Salomonis. 348,a
Fama templi Resurrectionis. ibid. & b
Templum Resurrectionis, licet sæpè fuerit destructum, semper tamen fuit reparatum. 349,b
Locus immolationis Isaac fuit figura templi Resurrectionis. 350,a & b. 351,a
Appositè locus, in quo templum illud ædificatum est, dictus fuit, In monte Dominus videbit. 350,b. 351,a
Paradisus voluptatis in statu innocentiæ fuit figura templi Resurrectionis. 351,b & seqq.
Caluaria mons & Sepulchrum Christi in templo Resurrectionis fuerunt præfigurata per arborem scientiæ boni & mali, & arborem vitæ. 352,a
Prophetia aliqua de templo Resurrectionis Domini, & excellentia eius. 355, b. vsque ad 358, b
In templo Resurrectionis omnes Deum laudent. 355,b
Gloria templi Resurrectionis. 357,a & b. 358,a
Diuitiæ ad vsum templi huius destinatæ. 358,a
Pluribus adscribitur constructio templi Resurrectionis, quia plures operam structuræ dederunt. ibid.b
Tria particularia templa ambiuntur à templo Resurrectionis. 359,a
Aliqui dicunt templum hoc primò ædificatum fuisse tempore Ælij Adriani à Christianis, & reformatum sub Constantino Magno: qui refelluntur. ibid.& b
Imperatoris Constantini iussu & sumptibus primò fuit templum hoc ædificatum. ibid.b
Epistola Constantini ad Episcopum Ierosolymitanum, vt insistat structuræ huius templi, prout illius dignitas requirit. 361,a & b. 362,a
Templi huius descriptio. 361,b.362,a

Templum hoc cœptum est sub Macario, & absolutum fuit sub Maximo, S. Cirilli Episcopis. 362,b.
Helenæ tribuitur fabrica hujus templi, quia de ipsius & consensu Constantini operam illi dedit. 363,a
Heraclius templum illud reparavit. ibid.&b
Abducto in Persidem Zachariâ, administratio hujus insuncta est Modesto Monachorum Patri. 364,a
Fuit hoc desolatum, & postea restauratum. ibid.
Homar, secundum Tyrij opinionem, putatur hoc vastasse. ibid.&b
Per Heliopolitanum Imperatorem Constantinopolitanum æstimatur fuisse readificatum, sicut nunc cernitur. ibid.b
Alij volunt, persuasione Hebræorum per Ammiratum Babylonis Principem fuisse destructum, & postea per eius matrem Christianam readificatum. ibid.& 365,a&b
Conradus Imperator intendit reparando & exornando Resurrectionis templo. 365,b 366,a
Connitantur Auctores, qui inter se dissentire videntur, circa reparatorem templi Resurrectionis. 366,a&b. 367,a&b
Situs templi Resurrectionis Domini. 366,b
Conditio loci ubi templum hoc fuit ædificatum. 367,a
Dignitas templi Resurrectionis à conditoribus & reparatoribus eiusdem. ibid.b
Referuntur ordine destructores & readificatores templi Resurrectionis. ibid.&b
Forma templi Resurrectionis, & tota eius descriptio. 368,a&b
Imagines & inscriptiones ex parte Meridionali & Aquilonari. ibid.b. 369,a&b. 370,a&b
Duæ porticus & duæ templi partes, inferior & superior. 370,a&b
Describuntur partes illæ & porticus. ibid.b.&371,a
Pars Orientalis templi describitur. 371,a&b
Imagines & inscriptiones a parte Orientali. ibid.b
Describitur altera pars templi, scilicet Augustale sanctuarium. ibid.& 372,a
Describuntur reliqua templum concernentia cum imaginibus & inscriptionibus. 372,a vsque ad 375,b
In templo Resurrectionis externo signo ostenditur primatus Apostolicæ Romanæ Sedis. 373,a&b. 374,a. 377,a&b
Locus in templo Resurrectionis, quem medium mundi esse Græci dicunt. 374,b
Gemmensium latus templi arcui inscripta. 376,b
Judicium Auctoris de auctore templi Resurrectionis proponitur; & Historicorum aliorum dicta explicantur. ibid a
Quare tot partibus inter se diversis, inferioribus & subterraneis, superioribus & supereminentibus, cum tot porticibus & portis, &c. erectum fuerit templum Resurrectionis. ibid.b & seqq.
In templo Resurrectionis fuerunt loca determinata pro omnibus fidelibus, viris & mulieribus. 376,a. 377,a&b
Templum Resurrectionis quinque nominibus appellatum fuit, scilicet, Bethel, Nova Ierusalem, Martyrion, Basilica Constantiniana, & templum sacratissimi Sepulchri Domini, sive Dominicæ Resurrectionis. 380, a&b
Dedicatio templi Resurrectionis quando facta fuerit. ibid.b. 381,a
Annus & dies consecrationis eiusdem. 381,a&b. 382,a&b
Nundinæ Ierosolymitanæ circa diem anniversarium Dedicationis templi Resurrectionis. 382,a&b
De sacello Apparitionis B. Mariæ Virginis in templo Dominicæ Resurrectionis. ibid.b & seqq.
Septem loca observatione ac veneratione digna, quæ inveniuntur in templo Dominicæ Resurrectionis inter Calvariæ montem & sacellum S. Mariæ Virginis de Apparitione: quæ vide sub propriis titulis assignatis 481
Distantia locorum sanctorum, quæ singulis diebus post Completorium in templo Resurrectionis Dominj in supplicationibus visitari consuenerunt: item Indulgentiæ quæ in ipsis impetrantur; & ad quos de facto pertinent illorum gubernatio; quotque lampades in eisdem appensæ ardeant. 574, a&b. 575,a&b
Ichnographia templi Resurrectionis Domini cum eiusdem peculiarium locorum notis. 376

Resurrectionis Festum.

Cur nunc Resurrectionis Festum S. Crucis festivitatem præcedat. 381,a&b

Revelatio.

Discrimen inter bonam & malam revelationem. 65,b
Revelationes communiter fiunt bonis ac fidelibus. 187,b
Quid dicendum sit de revelationibus factis peccatoribus & infidelibus. ibid.
Secluså divinâ revelatione, nihil est dicendum contra Scripturam & Dei communem legem. 191,b

Roboam.

Roboam fuit tertius Rex Ierusalem. 45,b
Regnavit septemdecim annis. ibid.
Sub ipso dividitur Regnum in duas partes, in Judæ & Israël. ibid.
Quarto anno Regni sui Deum deserit. ibid.
Culpam agnoscit. ibid.

Rogel.

Fons Rogel an sit fons B. Mariæ Virginis. 291,b
Fontis Rogel situs. ibid.
Rogel quid significet. ibid.
Sub quercu Rogel sepultus est Isaiæ Propheta. 285,b.286,b

Roma, Romani, Romanum Imperium.

Quatuor Romani Imperij insignia. 378,a
Romani subjugant totam Judæam, ac præficiunt illi Reges: quorum primus fuit Herodes Magnus Ascalonita. 49,b
Roma dignitas ex Reliquiis S. Petri. 140,b
Romanæ Sedis Apostolicæ Primatus supra omnes alias ostenditur, contra Græcos. 373,a&b. 374,a. 377,a&b

Ros.

Ros Hermon quomodo in montem Sion descendere intelligitur. 724,a&b

Rosa.

Rosa Iericuntina celebres. 754,b
Ubi crescant, & unde dilectentur. ibid.& 755,a

Roserum.

Roserum est civitas Ægypti ad Nilum ædificata. 1008,b
Ejus conditio & habitatores. ibid.
Æstimatur à Turcis. ibid.

Rufinus.

Pater Rufinus Præses Terræ sanctæ. 64,b

S.

S. Sabbas.

S. Sabbæ Monasterium: & de Monachis ibidem olim & nunc viventibus, &c. vide Laura.

Sab-

Digitized by Google

Sabbatum.

Sabbatum, & magnum sabbatum quid fuerit; & quanta illius observantia apud Iudæos. 403, a & b

Iudæi eodem die deponebant crucifixos de crucibus, & eos auferebant, propter festum & Domini præceptum. ibid.

Sabbatum sanctum.

De cerimoniis varijs ac risu dignis schismaticorum Orientalium in Sabbato sancto, præsertim circa ignem, quem sanctum vocant, cœlestem ac diuinum, vide sub titulo Orientales.

Sacerdos.

Duo sunt boni Sacerdotis munera: primum orare pro populo, secundum, sindere ac docere. 600,a

Quomodo Sacerdotes emendent peccata populi. ibid.

Loca opportuna Sacerdotibus præscripta fuerunt. ibid.

Carni non poterat in templo Domini fungi munere Sacerdotis. ibid.b

Sacerdotes vt Deo sacri apud Hebræos vngebantur. 881,b. 882,a

Sacerdotes Iudæorum in templo habitabant illâ hebdomadâ, quâ in templo ministrabant. 331,b

Item quo tempore sacrificabant, ab vxoribus abstinebant. ibid.

Episcopi & Presbyteri nomina in primitiua Ecclesia, fuerunt Episcopis & simplicibus Sacerdotibus communia. 648,b

Sacramenta.

Sacramenta manarunt ac virtutem acceperunt ex aperto latere Christi. 123,b. 124,a

Sacramentorum virtus quomodo ex aperto Christi latere manarit. 474,b. 475,a

Sacrificare.

Extra Ierusalem locum erat sacrificare existenti rationabili causâ. 271,b

Saffa.

Saffa vicinus quantum distet à Nazareth. 843,b

Eius situs & conditio. ibid.

Fuit patria Zebedæi. 844,a

Sal.

Sal ex aquis Maris mortui quomodo efformetur. 760,a & b

Quid sit, vxorem Lot versam esse in statuam salis. 761,b & seqq.

Sal à putrefactione & corruptione seruat corpora. 761,b

Sal metallicum imbre non liquescit. 763,b

Salai.

Salai ciuitas inter Cathum & Cairum. 930,a

Salaia.

Salaia villa & mons. 875,b. 877,a

Salêm.

Salem an sit Ierusalem. 28,a. & seqq.

Salem nominis interpretatio. 30,b

Salomon.

Salomon non fuit nothus, sed legitimus filius. 597,a

Quare dictus sit Amabilis, siue dilectus Domini. ibid.b

Cur Mamzer appellatus sit, id est de scorto natus. ibid. a & b

Fuit secundus Rex Ierusalem. 45,a

Depranatus cor eius per mulieres. ibid. b

An pœnitentiam egerit, dubium est. ibid.

Regnauit annis quadraginta. ibid.

Amplianit Ierusalem. 53, a & b

Regiam Salomonis fuisse aliqui dixerunt vrbem Nicodemiam: & refellantur. 886, b. 887, a & b

Salomon introduxit idololatriam Molech in populum Dei. 276,a

Propter illum in Salomonis posteritatem indignatus fuit Deus. ibid.

Summa Salomonis impietas, & ingratitudo, ac idololatria. 278,b. 279,a

Pantheon Salomonis. 278,b. 280,b

Salomon fuit typus & figura Christi. 348,a & b.

Fuit exemplum humanæ fragilitatis. 280,b. 281,a

Non reperitur in Scriptura eius pœnitentia. 281,a

Intra & extra ciuitatem sanctam aras & fana idolis erexit. 280,b

Salomonis fercolum.

Crux Christi in fercolo Salomonis, & sepulchrum eius in lectulo Salomonis præfigurantur. 549,b. 550,a

Salomonis Piscinæ.

Piscinæ Salomonis quid sint. 764, a & b.

Tres sunt Piscinæ Salomonis: quarum conditio describitur. ibid.b

Piscinæ Salomonis dicuntur fuisse planissimæ. 765,a

Salomonis porticus.

Quæ pars templi dicta fuerit porticus Salomonis, & quare. 341,b. 342,a

Salomonis templum.

Templo Salomonis comparatur templum Annuntiationis B. Mariæ Virginis, eique præfertur. 831,a

Conditio interioris partis templi, quam semel in anno ingrediebatur summus Sacerdos. ibid b

Quare in tabernaculo, seu Sanctuario, nullus homo poterat esse cum Sacerdote. 831,a

Arca Deiparam significat. ibid.b

Propitiatorium Deum. ibid.

Cherubim se mutuo respicientes, significant custodem & nuntium Deiparæ Virginis excellentiam illius admirantes. ibid. & 833,a

Turris Gregis, siue Ader, enuntiatur de templo Salomonis; & quare. 684,b

Salomonis templum fuit figura templi Resurrectionis Dominicæ. 347,b

Salomonici templi excellentia. ibid.

Iudæorum peccata fuerunt causa euersionis templi Salomonis. ibid.

Diuinum consilium in destructione illius. 348,a

Comparatio templi Salomonis cum templo Resurrectionis. ibid.

Lapides templi quomodo sine strepitu scindebantur. ibid.

Fama templi Salomonis. ibid. & b

Signum reprobationis Iudæorum, & institutio populi Christiani, fuit destructio templi Salomonis. ibid. b. 349,a & b

Vaticinium Christi de templi Salomonis destructione. 106, a & b

Hoc vaticinium quomodo impletum sit. ibid.b

Templum Salomonis est precipua Mesquita Turcarum. ibid.a

Destruitur à Tito. ibid.b. 107,a

Readificatur à Iudæis. 107,b

Destruitur ab Ælio Adriano. ibid.

Mirabiliter ac diuinitus repelluntur Iudæi ab eiusdem readificatione. ibid. & 108,a

Aliud templum ad honorem Christi in loco destructi Salomonici templi ad maiorem Iudæorum confusionem ædificatur. 108,b. 109,a

Digitized by Google

De tempore & auctore huius templi. 109,a & b. 110,a
Opinio Adrichomij; qua refellitur & explicatur. 109,a & b
Non fuit ædificatum ab Helena. ibid.b
Opinio Auctoris proponitur, & probatur. ibid. & 110,a
Homar Catab ditauit prædictum templum multis possessionibus & prædiis. 110,a
Eodem loco antea habuerunt Saraceni domum orationis. ibid.
Forma & structura templi Domini, siue Salomonis. ibid.b. 111,a & b. 112,a & b
Templum Domini nunc templum Salomonis vocatur; & templum Salomonis nunc dicitur Præsentationis B. Virginis Mariæ. 112,b
Consecratio templi Domini. ibid.
A Saracenis vnà cum ciuitate occupatur, & vsque in hodiernum diem possidetur. ibid.
Aquæ fuerunt in templo Salomonis. 292,a
Erat in eo aquarum receptaculum, mare æneum dictum. ibid.
Item fuit fons, è quo aqua viua manabant in parte Meridionali templi. ibid.
Item duo putei, vel cisternæ, & alius puteus. ibid.b
Exitus aquarum templi, & terminus. ibid. & 293,a
Nunc in loco, vbi olim erat Salomonis templum, est quidam fons. 293,a
Templum Salomonis hoc tempore ingredi Christianis est interdictum sub pœna mortis. 56, a. 106,a

Salomonis villa.

Salomonis villa situs, & nominis ratio. 765,a

Salus Domini, *vide* Christi salutis.

Salus Libani, *vide* Libanus.

S. Saluator.

Conuentus S. Saluatoris est commune Latinorum hospitium. 50,a
Forma & situs Conuentus S. Saluatoris in S. Ciuitate. ibid.b
Forma Ecclesiæ. 51,a
Cur dicatur S. Saluatoris. ibid. & b
Datur Memoriæ. 52,a
Ad hanc Ecclesiam translata sunt Indulgentiæ sanctæ montis Sion. ibid. & b
Conuentus S. Saluatoris est præcipuus locus quoad commoditatem Fratrum Minorum. ibid. b
In eo habitat Præsul Terræ sanctæ. ibid.
Destruitur ex parte. ibid.
Præfectus Conuentus S. Saluatoris cum Hollandorum Consule carceri mancipatur. 54,a & b
Ecclesia S. Saluatoris & Monasterium in planitie & solitudine Sinai describuntur. 1001,b. vsque ad 1004,a
Vide particularia sub titulo Sinai.

Samaria, Samaritis, *vide* Sebaste.

Samaritana.

Fons, seu puteus Samaritanæ, vbi situs fuerit. 799,b
Fontis Samaritanæ nominis ratio. 800,a
Situs & conditio putei describuntur. ibid. b. 801, a & b
Locus putei Ecclesiâ illustratus fuit. 800,b. 801,a
Veritas traditionis putei confirmatur. 801,a
Samaritana vnde venerit ad puteum. ibid. & b
Conuersa quare abierit in ciuitatem. ibid.b
Vetus Sichar puteo huic proximior est. 803,a
Samaritana mulier ad Christum conuersa, fuit ex vrbe vel regione Sichar. 810,b
Martyrio coronata est. ibid.

Samgar.

Samgar tertius Index Israël. 728,b

Samosatenus.

Paulus Samosatenus suscitauit hæresim Ebionis. 650,b
Nefaria illius dogmata. ibid.
In Concilio Antiocheno illi occurrit Dionysius Papa. ibid.
Samosatenus ex timore simulat pœnitentiam. ibid.
Ad vomitum reuersus commentitur. ibid.
Concilium tertium congregatur, vbi cum erroribus Samosatenus damnatus, à Sede Episcopali deponitur. ibid. & 651,a

Samson.

Samson decimustertius Index populi Israël. 728,b
An peccauerit seipsum interimendo. 899,b. 903,a

Samuel.

Samuelis patria, habitatio, & sepultura fuit Ramatha. 727,a & b
Solemne festum celebratum fuit in obitu Samuelis. ibid.b
Nunc temporis sepulchrum est absque corpore Samuelis, quod in Thraciam translatus olim Arcadius Augustus. ibid.
Locum sepulchri Samuelis possident Turcæ. 728,a
Fons Samuelis, apud quem peregrini reficiuntur. ibid.
Samuel decimusquintus Index populi Israël. 729,a

Sancti.

Sancti affectione iniustitiæ lætantur in punitione impiorum, qui de eâdem ex naturali pietate tristantur. 464,b
Sunt conformes diuinæ voluntati. 465,a
De malis ob finem bonum lætantur. ibid.
Sanctorum sepulchra vacua piè honorantur, quia aliquando sacra pignora continuerunt. 805,a
In Sanctorum corporibus & sepulchris est virtus præfigurata per lapidea vasa mellis & olei referta Palæstinorum. 547,b. 548,a & b
Sanctorum corpora, vel Reliquiæ, vide sub titulo Reliquiæ.
Cur Adam & Heua, si salvati sint, non adscribantur catalogo Sanctorum. 486,b. 487,a
Quos Ecclesia in Sanctorum catalogum referat. ibid.
Causa & fundamentum omnium Sanctorum est Christus. 487,a
Cur Patres veteris Testamenti ab Ecclesia non adscribantur catalogo Sanctorum. ibid.
Consuetudo antiqua circa festorum institutionem, vel Sanctorum canonizationem, nunc abolita. 80, a
Cur Sanctorum capitibus pro corona sertum rotundum, diadema dictum, superimponatur. 379,a

Sanctum sanctorum, *vide* Templum.

Sanedrim.

Annas fuit præfectus & princeps Concilij Sanedrim. 174,a
Concilium Sanedrim ab Herode sublatum fuit, & aliud simile substitutum. ibid. & b

Sanguinis ager, *vide* Haceldema.

Sanzachi.

Sanzachi sunt Præsides & Gubernatores Turcarum. 181,a

Saphet.

Saphet quid sit. 904,a
Est ciuitas adinstar castri munita. ibid.b

Ibidem

Digitized by Google

Ibidem duo Minorite cum aliis ſæcularibus pro Chriſto mortem obierunt. ibid.

Sapientiæ liber.

Liber Sapientiæ eſt canonicus. 484,b

Sarcophagus.

Sarcophagus unde dicantur; vel quare ſic dicatur. 128,a

Sardica.

In Sardica ciuitate duo ſunt celebrata Concilia, primum Catholicum, ſecundum clandeſtinum. 651,b

Primi Concilij celebrandi cauſa duplex aſſignatur. ibid. & 652,a

Determinata in Concilio Sardicenſi. 652,b

Concilium hoc fuit vniuerſale. ibid.

Inter vniuerſalia Concilia non numeratur, quia fuit appendix Concilij Nicæni primi. 653,a & b

De numero Epiſcoporum, qui Concilio Sardicenſi interfuerunt, varia ſunt opiniones. 652,b.653,a

A Summo Pontifice indictum fuit. 653,a

De huius Concilij approbatione ſententia. ibid.b. 654,a

Secundum Sardicenſe emenditum Concilium Semigianorum contra Catholicos Philippis celebratum fuit. ibid.

Fuit hoc Concilium dictum Sardicenſe, vt ei fides præſtaretur, & emulgaretur. 654,a

Sarepta.

Sarepta ciuitatis maritimæ ſitus. 907,b

Conditio & dignitas eius deſcribitur. 908,a

Satrapa.

Satrapæ qui dicantur. 923,b

Saue.

Vallis Saue non eſt Vallis Ioſaphat. 151,b

S. Sauinianus.

S. Sauinianus mittitur à S. Petro in Galliam. 88,b

Per illum Senonenſis ciuitas ad fidem addicta eſt. ibid.

Saul.

Quare Saul non vocetur Rex Ieruſalem. 44,b

Saulus, *vide* S. Paulus.

Scala ſancta.

De gradibus ſcalæ ſanctæ. 183,a

Ritus aſcendendi ſcalam ſanctam Romæ. ibid.

Scandalum.

Non omne illud, ex quo poteſt ſequi ſcandalum, eſt peccatum mortale, ſi fiat. 257,a & b

Vide Offenſionis mons.

Scriptura ſacra.

S. Scriptura canonica poteſt dupliciter ſpectari. 851,a

Liber Sapientiæ eſt canonicus. 484 b

Duo Machabæorum libri canonici ſunt. 272,a & b. 273, a & b.

Sermo propheticus de Scripturis noui Teſtamenti intelligi debet. 851,a

Noui Teſtamenti Scriptura Prophetia appellantur. ibid.

In rebus fidei ad Scripturam & Doctores debent recurrere fideles. 194,b

Quæ Scriptura non creditur, nec miraculis creatur. ibid.

Scriptura ſacra & creatura ducunt nos ad Deum. 20,a

Seclusâ diuinâ reuelatione, nihil eſt ſtatuendum contra Scripturam, & Dei communem legem. 191,b

Iudæi tantùm in Scriptura conuenta credunt. 269,a

Scythopolis.

Scythopolis quid, & vbi ſit. 80,b

Sebaſte.

Sebaſtes vrbis varia ſunt nomina. 810,a

Fuit olim Regia ciuitas. ibid.

Ab Amri Rege condita fuit, & dicta Samaria. ibid. & b

In vberrima regione ſita eſt. 811,a

Fuit caput Regni decem tribuum. ibid.

Ab Hircano euerſa, ab Herode Antipatro reædificata & munita fuit. ibid.

Ab eodem Herode Sebaſte dicta fuit. ibid.

Nunc temporis deſtructa eſt, & ruinæ apparent. ibid.

De templo S. Ioannis Baptiſtæ apud Sebaſten ædificato, vide ſub titulo S. Ioannes Baptiſta.

Sedecias.

Sedecias fuit vigeſimus ſecundus Rex Ieruſalem. 48,a

A Nabuchodonoſore capitur, & ducitur in Babylonem. ibid.

Regnauit vndecim annis. ibid.

Selimus.

Selimus Solimanus reficit muros ciuitatis Ieruſalem. 41,a

Architectum occidi curat, eò quòd montem Sion pro maiori parte ciuitate excluſerat. ibid.b

Semei.

Semei Abner ſextus Dux Iudæorum. 49,a

Sennaar.

Sennaar quid ſit. 723,b

Senonenſis ciuitas.

In ciuitate Senonenſi quatuor Eccleſiæ ædificatæ ſunt à S. Sauiniano. 88,b

Abeodem hæc ciuitas ad fidem addicta fuit. ibid.

Sepher Cana, *vide* Cana.

Sephoris.

Fons Sephorianus deſcribitur. 852,a

Sephoris olim fuit nobilis ciuitas, nunc diruta eſt. ibid. & b

Creditur fuiſſe patria Ioachim & Annæ. ibid.b

In loco domus Ioachim fuit Eccleſia ædificata. ibid.

Septuageſima.

Quare in Septuageſima omittatur Gloria in excelſis Deo, & Alleluia. 486,b

Sepulchrum, Sepultura, Sepelire.

Veterum ſollicitudo pro honeſta ſepultura. 125,b

Crudelitati tyrannorum, & iniuriæ ac pœnæ mortuorum imputatur, ſi horum corpora inſepulta relinquantur, vel ſine honore tumulentur. ibid.

Sepulchra olim extra ciuitatem, & in locis ſteribus ſita erant. 126,a & b. 501,a & b

Priuilegium fuit, quòd Chriſtiani ſepeliuerint intra vrbem Martyrum corpora. 126,a & b

Olim Cæſari tantùm conceſſum erat intra mœnia ſepeliri. ibid.

Hebræorum ſpeluncis ſepelichant defunctorum corpora. ibid. & 127,b

Iudæorum ſepulchra qualia fuerint. 127,b

Sepulchra Iudæorum patentia erant; & tantùm eorum oſtia admonebatur lapis. 506,a

Mos Hebræorum in defunctorum corporibus ſepulturæ tradendis 326,b. 525,b. & ſeqq. 538,b

Pollinctura duplex ratio apud Hebræos. 525,b. 526,a. 538, b. 539,a & b

Mos condiendi & condendi corpora defunctorum apud Ægyptios. 525,b. 528,b. 953,a

Sepulchra Ægypti Mumiæ *dicta deſcribuntur.* 954,b

Solum Christi Sepulchrum ẽſt modò intra ciuitatem Ieroſolymæ. 126,b
Sepulchrum Dauidis eſt extra ciuitatem. ibid. & 127,a
Præcipuorum virorum ſepulchra ſumptuoſa & affabre facta fuere. 127,a & b
Sepulcrum ab Artemiſia viro ſuo conſtructum. ibid.a
Pyramides Ægypti ſepulchrum Pharaonum ſeu Regum fuerunt. ibid.
Sepulchra filiorum Heth. ibid.
Sepulchrum Ioſuæ à Iudæis extructum. ibid.b
Sepulchrum à Simone Machabæo parentibus fratribuſque ædificatum. ibid.
Multis nominibus ſepulchra appellantur. ibid.& 128,a & b
Sepulchrum vnde deriuetur, ſeu eius etymologia. 128,a
Inſignium virorum ſepulchra dicuntur Mauſolea. ibid.
Honeſtè veteres defunctorum corpora ſepeliebant, ob ſpem reſurrectionis. ibid.b
Sepulchrum Dauidis, prout à Salomone antiquitus ædificatum fuit. ibid.
Vide ſub titulo Dauid.
Quare hoc dirutum ſit, Chriſti verò conſeruatum. 130, a & b
Sepulchrum diruturn olim erat malum omen. ibid.
Sepulchri cuiuſdam deſcriptio cum innumeris conſepultis dimittis. 129,a & b.
Antiquitus ſolebat cor inſculpi ſepulchris. 556,a
Vita contemplatiua ſignificatur per ſepulchrum. ibid. & b
Olim in ſepulchris recondebantur diuiſſimi theſauri. 554. a. 556 a
Sepulchra quorumcumque hominum foris ſunt pulchra, intus fœtentia. 553,b. 554,a
Loca diuerſa ſunt in Paleſtina pro diuerſis ſepeliendis, pro Iudæis, ſchiſmaticis, Catholicis, hereticis, &c. 773,a
In monte Sion ſepelire ſolebant tam Catholici quam ſchiſmatici; in diſtincta tamen partibus. 150,b
Sanctorum ſepulchra & corpora miram habent virtutem. 547,b. 548,a & b
Eorum ſepulchra vacua piè honorantur; quia aliquando ſacra pignora continuerunt. 805,a
Pulueres ſanctorum ſepulchrorum reuerenter ſeruantur à Neſtorianis. 640,a
Vnius viri quomodo plura ſint ſepulchra. 247, a & b
Ænea ſepulchrum vnum cùm ſit, plura tamen fuiſſe aliqui ſcribunt. ibid.b
Cur ex Eccleſiæ ordinatione in hebdomada ſancta erigantur ſepulchra in templis. 520,a
Explicatur & defenditur illa cæremonia. 523,a & b. 543,a & b
Sepulchrum Chriſti, *vide* Chriſti Sepulchrum.
Sepulcura concupiſcentiæ, *vide* Concupiſcentia.
S. Sepulchri Eccleſia.
Peregrini quæ obſeruent in Eccleſia S. Sepulchri. 382,b. 383,a
Proceſſio quotidiana S. Sepulchri. 383,a
Ordo proceſſionis illius, & ratio. ibid. & 384,a & ſeqq.
Forma ſacelli S. Mariæ de Appariſione cum connexis altaribus deſcribitur. 384,a & b
De altari flagellationis Chriſti. 386,a & ſeqq.
Vide Flagellationis altare, & Chriſti flagellatio.
Sepulchrum Ioſaphat, *vide* Ioſaphat.
Sepulchra Iudicum, *vide* Iudicum ſepulchra.
Sepulchrum S. Mariæ Virginis, *vide* S. Mariæ ſepulchrum.
S. Sepulchri Piſcina.
Piſcinæ S. Sepulchri ſitus, forma, vſus, & nominis ratio. 717,a & b
Sepulchra Prophetarum.
Sepulchrorum Prophetarum nominis ratio. 305,a 307,a
Sepulchra Prophetis extructa eſſe, ratio & auctoritas perſuadet. 305,a
Quid dicendum de ſepulchris in monte Oliueti. ibid.b
Enumerantur & aſſignantur Prophetarum ſepulchra. 305,b. 306,a & b
Sepulchra Regum Iſraël.
Ieroſolymis, præter Dauidis ſepulchrum, alia fuerunt Regia ſepulchra. 729,a & b
Sepulchra illa fuerunt extra ciuitatem. ibid.b
Situs & forma Regiorum ſepulchrorum ex Zuallardo apud Villalpandum. 730,a
Alia deſcriptio eorumdem ſepulchrorum. ibid.& b
Sepulchra Regia ab aliquibus comparantur ſeptem mirabilibus mundi. ibid.b
Sepulchrorum Regum Iſraël nominis ratio. ibid.& 731,a & b.
Sergius.
Sergij hæreſis, aſſerentis vnicam in Chriſto eſſe voluntatem & operationem, vnà cum ſectatoribus damnata fuit in Concilio Trullano ſiue Conſtantinopolitano III. 669, a & b
Sermo.
Sermo Chriſti in monte habitus fuit in Galilæa. 304,a
Serpentes.
Serpentes carent veneno in terra Melitenſi, in gratiam S. Pauli. 679,a
Seſac.
Seſac Rex Ægypti obſidet Ieruſalem, & facit eam ſibi tributariam. 45,b
Seth.
Sepulchrum Seth. 886,a
Sichar, Sichem.
Sichar ſitus & conditio. 807,b. 808,a
Nomina & ſignificatio. 808,a
Sichar vetus & noua. ibid.b
Diſtantia Sichar ab vrbe Samaria, ſiue Sebaſte. ibid.
In nouam Sichar Chriſtum intraſſe, probabile eſt. 809,a
Quis fuerit conditor Sichem vel reſtaurator. ibid.
Abraham in Sichem obtulit ſacrificium, quod fuit primum in Terra ſancta oblatum. ibid. & b
Alia in Sichar referuntur. ibid. & 810,a & b
Ex vrbe, vel ſaltem regione Sichar, fuit Samaritana illa mulier à Chriſto conuerſa. 810,b
Sichar fuit interdum metropolis Regni Iſrael. 811,b
Vetus Sichar puteo Samaritanæ proximior eſt. 803,a
De ſepulchro Ioſeph, filij Iacob & fratrum eius apud Sichem. 803,a vſque ad 805,a
Sidon.
Sidon quid ſit, & eius nomina. 908,a
Vnde ſit dicta. ibid.
Olim fuit & nunc eſt emporium. ibid.

Digitized by Google

Eius situs. ibid.
Asseritis obtigit in partitione Terræ promissionis. ibid.
Numquam ab Israëlitis possessa fuit. ibid.b
Olim Sidonis Tyrus præferebatur, in præsenti tempore è conuerso. ibid.
Traditio de loco vbi Christus Petrum vocauit, reuocatur. ibid.& 909,a
Alia traditio de sepultura Zabulon improbatur. 909,a

Silo.

Silo nomen multiplex, & eius significatio. 796,a
Silo locus quid sit. ibid.& b
In sacris Literis loci Silo conditio non exprimitur. ibid.b
Fuit præcipua vrbs. ibid.
In qua tribu fuerit, manifestè ex Scriptura non constat. ibid.
In Beniamin fuisse dicunt Hebræi: & refelluntur. ibid.& 797,a
Fuit in sorte Ephraim. 797,a & b
Ex Silo in Iuda Deus tabernaculum transtulit; & quare. ibid.b. 798,b. 799,a
De peculiari situ Silo varia sententia. 797,b 798, a & b
Acta in Silo referuntur. 798,b
Arca ibi mansit vsque ad vltimum Samuelis annum. 799,a
Ablatâ arcâ à Silo, ipsa ciuitas derelicta & desolata fuit. ibid.& b

Siloë.

Vallis Iosaphat quare dicatur vallis Siloë. 271,a
Villa & vallis Siloë quid, & vbi sit. 270,a
Fontis Siloë situs. 285,b
Prope locum, ex quo fons scaturire videtur, est piscina, ad quam Christus misit cæcum à natiuitate. ibid.
Hoc loco in memoriam miraculi erecta fuit Ecclesia, cuius nunc exstant ruinæ. ibid.
E regione huius piscinæ est ruinosa illa turris, de qua fit mentio Luc. cap. 13. ibid.
Item prope est locus martyrij Isaiæ Prophetæ. ibid.
Vide sub titulo Isaias.
Ibi nunc est locus orationis Turcarum. ibid.
Hæc piscina non est eadem cum Probatica. 286,a
Siloë non fuit ordinarius sanitatis consequendæ locus. ibid.
Irenæus refellitur. ibid. & b
Ratio nominis fontis Siloë. 288,a
Miraculum in Iudæorum gratiam factum circa fontem Siloë. ibid.
Postquam Iudæi Christum occiderunt, aqua illa Iudæis se abscondentibus, & hostibus se præbentibus. ibid.
Ante Isaiam Siloë erat. ibid b
Siloë quomodo idem dicatur quod Gihon. ibid.
Siloë & Gihon diuerso respectu sunt eadem & diuersa. ibid. & 595,a
Fons Siloë ita dictus fuit, ad præsignrandum aduentum Filij Dei in mundum. 289,a
Fons Siloë & B. Maria sunt in eâdem plagâ Orientali. ibid.b
An aqua vnius fontis per subterraneum canalem ad alterum fluant, incertum est. ibid. & 290,a
Periculum factum fuit de transitu vnius in alterum. ibid.
Probabile est Siloë exire à fonte B. Mariæ. 290, a & b
Terminatio fontis Siloë. ibid.b

S. Simeon.

Conditio turris S. Simeonis, & nominis ratio. 599,b
Simeon, qui in templo Christum in vlnas accepit, fuit iustus ac sacerdos. ibid.& 600,a
Simeon ille non fuit cæcus, sed Propheta. 600,b
Exultatio S. Simeonis visâ Deipara cum Filio. ibid.
Senio confectus moritur. 601,a
Cæterorum Sacerdotum inuidiam & odium incurrit, eò quòd palam annuntiaret Christi aduentum. ibid.

Simon.

Simon Machabæus præfuit Iudæis. 49,b
Simonis Pharisæi domus vbi sita fuerit. 98,a & b
In domo Simonis leprosi Christus non fecit vltimam cœnam. 120,a
Simon Leprosus an fuerit pater Lazari & Mariæ Magdalenæ. 96,a
An sit idem Simon, in cuius domo Magdalena sunt dimissa peccata, & ante Christi passionem effusum unguentum. ibid.& 97,b
In loco domus Simonis Leprosi olim Ecclesia fuit ædificata. 324,a
Ratio nominis domus eiusdem Simonis. ibid.
Quare dictus sit Leprosus. ibid.
In domo eius creditur conuiuium paratum fuisse Christo & discipulis ante Pascha. ibid.b. 325,b
Domus hæc semper fuit pijs peregrinationibus frequentata. 324,b
Simon Cyrenæus in triuio angariatur, vt ferat crucem Christi. 229,a & b
Domus Simonis Coriarij, apud quem mansit sanctus Petrus. 6,a
Eius loco sacellum in honorem S. Petri ædificatum fuit. ibid.

Sin.

Sin fuit octaua mansio Israëlitarum. 985,b
Distinguitur à Sin trigesimatertia mansione. 986, a & b
Sin desertum non est Sinai; sed eremus ab Elim vsque ad Sinai montem. 985,b. 986,a & b
Acta in Sin referuntur. 986,b. 987,a
Ibi murmurarunt Israëlita contra Moysen & Aaron. 987,b
Carnes & manna ibi pluit illis Deus de cælo. ibid. & 988,a
Primò verò iis carnes datæ sunt, quia primò ab eis concupitæ fuerunt. 986,a

Sina, Sinai.

Mons Sinai & Horeb vnus mons est; propter diuersa tamen cacumina plures. 438,a. 993,a. 994, a & b
Mons Sinai sanctus & celebris est. 954,a
Duplex est via ex Iudæa ad montem Sinai: vna per campestria Moab & Arabiam Petræam; altera per desertum Ægypti, sine per viam Philistæam. ibid.b. 955,a
Per Arabiam via brevior est. 955,a
Longitudo viæ à Cairo ad montem Sinai. ibid. & b. 956,a
Qualitas viæ describitur. 956,a
De longitudine itineris, quo ex Ierusalem, transmeato Iordane, per regionem Moab itur ad montem Sinai, variant scriptores. ibid.b. 957,a
Iordane transmeato, octo diebus perueniunt ad Sinai, siue Horeb. 957,a & b. 958,a & b. 959,a
Etiam per montes Seir & terram Edom itur ad Sina. 957,b. 959,a
Sententia Tornielli de Sinai montis cum Ierusalem con-

coniunctione reiicitur. 956,b
Via qua hodie ex Cairo itur ad Sina. 961,a
Mirabilis euentus & Dei prouidentia erga seruos suos ad montem Sinai proficiscentes 984,b.985, a & b
Sin desertum non est Sinai. 485,b.486,a
Solitudinis Sinai descriptio. 989,b
Hac fuit duodecima Israelitarum mansio. ibid.
In qua parte solitudinis Sinai fixerit populus tabernacula. ibid.
Lyrani responsio: qua reiicitur. ibid.& 990,a
Responsio Abulensis probabilior. 990,a & b
Burgensis responsio reiicitur. ibid.
Alia in solitudine Sinai referuntur. ibid.b
Sepulchra concupiscentiæ non sunt in via ad Sinai. 991,b
Sinai mons & solitudo. 993,a
De monte Sinai & Horeb varia sententiæ proponuntur. ibid.& b
Situs & conditio. ibid.b
Alia ibidem referuntur. ibid.& 994,a
Cur vocetur Mons S. Catharina. 993,b.994,b
Ecclesia Quadraginta Martyrum sanctis montis Sinai, & ratio nominis. 996,b
S. Catharina corpus annis trecentis in summitate montis illius mansit. 997,a
Sacellum, vbi S. Catharina corpus in montis excelsioris parte positum fuit. ibid.b.998,a
Mons Sinai altus est & difficilis ascensu. 997, a & b
Circa montis medietatem est fons; item lapides naturaliter floribus exornati. ibid.b
Conditio Ecclesiæ & Conuentus S. Saluatoris in planitie & solitudine Sinæ. 1001,b. 1002,a
Nomina Ecclesiæ S. Saluatoris; eius conditor, & forma. 1002,a & b
In Ecclesia illa duo sunt veneratione digna: vnum est arca & mausoleum S. Catharinæ virginis & Martyris; alterum, locus, in quo Dominus in rubo Moysi apparuit. ibid.b.1003,a & b
Memorabilia quædam quæ in sancto Sinai monte & aliis istarum partium locis contingere aliqui Scriptores perhibent: & quid ex iis probandum vel improbandum sit. 1004,b vsque ad 1006,b

Sindon.

Sindon & Sudarium licet diuersas habeant significationes, accipiuntur tamen promiscuè pro eodem. 529,a & b
Plures sindones in funere Christi adhibitæ fuerunt. ibid.b. 530,a
Miracula circa sindonem seu sudarium capitis Christi referuntur. 530,b.531,a
Pulcheria Augusta fascias Christi, quas resurgens reliquit in monumento, collocauit in templo Sapientiæ à se extructo. 531,a
Sindones primigenia, quæ Dominico corpori inseruierunt, sunt quatuor; Taurinensis, Vesontina, Compendiensis, & Moguntina. ibid.b
Quæcunque dextra sunt in sindone Taurinensi & Vesontina, sinistra fuerunt in Christi corpore, & contrà. ibid & 532,a
Taurinensis sindon notata fuit ante pollinctura, Vesontina verò in sepulchro. 532,a
Longitudo sindonis Taurinensis & Vesontinæ. ibid.
Statura corporis Christi in sindone Taurinensi & Vesontina. ibid.
Differentia vtriusque huius sindonis, ac descriptio. ibid.& b.533,a
Sindon Compendiensis à Carolo Calvo translata est in Picardiam Galliæ prouinciam. 533,a
Sindonem Moguntinam S. Bilhildis accepit a Kunegunde. ibid.b
Aliæ sindones Christi. ibid.
Imago sindonis Taurinensis & Vesontinæ. 534
Sindon Taurinensis fuit illa quam emit Ioseph ab Arimathea, quæ Christi corpus de cruce depositum excepit. 535,a
An sindon Taurinensis, an Vesontina, fuerit sudarium quod Ioannes dicit positum fuisse super caput Iesu. ibid.& b.536,a
Tam sindon Taurinensis quam Vesontina, sunt intra circa defunctum Christi corpus adhibita, & tamquam sacra pignora in veneratione habenda. 536,a
Non potest determinatè & infallibiliter sciri, vtrùm sindon Taurinensis, an Vesontina, fuerit sudarium positum super caput Iesu; neque etiam negari, Taurinensem sindonem in sepulchro cum Christi corpore fuisse. ibid.& b.537,a
Sudarium positum super caput Iesu, putat Auctor fuisse sindonem Moguntinam. 537,a
Modi conciliandæ opiniones dissentientes de sindonibus, seu sudariis, vel linteaminibus Christi. ibid.b
Hæreticorum argumenta contra veritatem sindonum Christi. ibid.& 538,a
Responsiones diuersæ: quibus Auctoris responsio annectitur. 538,a & b. 559,a & b. 540,a
Modus quo Christi corpus sindonibus illis involutum fuit. 539,a & b
Imagines sindonibus illis impressæ sunt partim naturaliter, partim supernaturaliter. ibid.a

Sinistra.

Dextera est dignior sinistrâ. 460,a
Christus in cruce habuit Ierusalem à sinistris; & quare. 447,a & b.448,a & b

Sion.

Sion nominis interpretatio. 113,a
Nomen Sion significat primò montem Hermon. ibid.& b
Sion Iudæa & Sion Galilææ per scriptionem distinguuntur. ibid.b
Sion Iudæa antonomasticè dicitur Sion ibid.
Secundò, Sion significat vniuersa montana Iudæa, vel etiam totam Terram promissionis. ibid & 114,a
Tertiò, totam ciuitatem Ierusalem. 114,a
Quartò, eam partem Ierusalem, quæ dicitur pars seu ciuitas superior, vbi erat arx munitissima, & domus Regum Iuda. ibid.
Quintò, Ecclesiam Catholicam. ibid.& b
Mons Sion, iuncta quartam significationem, est præcipuus inter alios montes sanctæ Ciuitatis. 115,a
Describitur mons Sion. ibid.
Sion facta fuit hostium munitio. ibid. b. 116, a & b
Macedonibus è Sion per Machabæos expulsis, amplius munitur. 116,b
Quousque mons Sion se extendat. 117,a
Olim multò erat latior quàm nunc sit. ibid.
Commendabilis est ex natura, arte, & ex ibidem patratis. ibid.& b
Montis Sion nomina. ibid.
Mons Sion ab Ezechiele vocatur excelsus nimis. ibid.
Quomodo vocetur Mons Dei. 117,a & b
Dauid arcam Dei in ciuitatem Sion introduxit. ibid.b. 118,a
Sepulchrum Manassis erat in Sion. 118,a

Lyra-

Digitized by Google

Tyrannus tradit Antichriſtum ibi à Deo interimendum. 119,a
De Sion quando & quomodo lex egreſſa ſit. 302,b
Mons Sion & vltima cœna ſignificatur per montem commixtum pinguium apud Iſaiam cap.25. iuxta aliquorum opinionem. 466,b
Sion reſpicit Calvariæ montem ad Aquilonẽ. 447,b. 448,a
Oppugnatur arx Sion à Dauide. 45,a
Ab eodem capitur, & Regni ſedes inſtituitur. ibid.
Item, ab eodem ampliatur, fortificatur, & Ciuitas Dauid vocatur. ibid.
Arx Sion, Turris Dauid, & Ciuitas Dauid an ſint eadem. 69,b
Adrichomij & aliorum, vnà cum Abulenſis & Antoris opinione. ibid. & 70,a & b. 71,a & b
Reſpondetur obiectionibus. 71,a & b
Montis Sion nomine hodie vocatur ſola pars exterior. 68,b
Eccleſia Sion dicitur mater Eccleſiarum. 121, b. 122, a & b
A principio parua fuit. 122,a & b
Duas partes habebat antiquitus, ſcilicet ſuperiorem & inferiorem. ibid.b. 123,a
Illa quæ hodie cernitur, ædificata fuit à Sancia Regina Siciliæ. ibid.
Vbi fuerit locus in prædicta Eccleſia, cùm Spiritus ſanctus ſuper B. Mariam & Apoſtolos venit in die Pentecoſtes. 113,a
Tam ſuperior quàm inferior Eccleſia tota alba eſt, & lumen recipit ex vitreis feneſtris à parte Auſtrali. ibid.b
Locus cœnæ Domini; columna marmorea, ad quam Chriſtus flagellatus eſt; locus vbi S. Maria obiit; locus in quo agnus Paſchalis aſſus eſt, & alia deſcribuntur. ibid. & 124, a & b
A monte Sion, Præſul Terræ ſanctæ vocatur Guardianus montis Sion. 125,a
Prædictus locus ad Fratres Minores de iure pertinet, licet à Turcis occupetur. ibid.
In monte Sion habitarunt Fratres Minores 248. annis. 51,b
Quomodo inde fuerint eiecti. ibid. & 52,a
In eo eſt Dauidis ſepulchrum. 52,a
Conuentus cum Eccleſia montis Sion traditus eſt Turcicis Religioſis. ibid.
Indulgentiæ montis Sion tranſlatæ ſunt ad Eccleſiam S. Saluatoris. ibid. & b
Ros Hermon quomodo deſcendere intelligatur in montem Sion. 724, a & b
In eodem monte ſepeliri ſolebant Chriſtiani tam Catholici quàm ſchiſmatici, in diſtinctis tamen partibus. 150, a

Sior, *vide* Nilus.

Sitis Chriſti, *vide* Chriſti ſitis.

Socho.

Caſtrum Socho, cinſque nominis interpretatio. 16,b

Socoth.

Secunda Iſraëlitarum manſio fuit in Socoth. 960,a
Ibi columna nubis & ignis Iſraëlitis apparere cœpit. ibid.

Sodoma.

Sodomitica regio paradiſo Domini comparata, propter peccata omni decore & gratiâ fuit ſpoliata. 277, a & b
Sodomæ & aliarum ciuitatum ſubuerſio Abrahæ manifeſtata fuit. 759,a
Inſana libido Sodomitarum. ibid.
Angeli manifeſtant Lot Sodomæ & aliarum ciuitatum ſubuerſionem; & ad ſibi ſuæque familiæ conſeruandum eum hortantur. ibid. & b
Lot de Sodoma egreſſo, nobilis illa regio ſubuertitur. ibid. b
Tota regio infecunda eſt, in nefandi criminis deteſtationem. 761,a
Lapides illius regionis combuſtibiles ſunt & fœtentes. ibid.
In regione illa eſt perpetuum teſtimonium nefandi ſceleris & diuini iudicij. ibid.

Solymi.

Solymorum gens non condidit ciuitatem Ieruſalem. 27,b

Sophim, *vide* Ramatha.

Sophonias.

Sophonias Ieroſolymis ſepultus eſt. 306,b

Sorec, Soreth, Zored.

Sorec torrens, & eius vineæ. 696,b

Sors.

Sors quid ſit. 398 b
Vbi milites ſortem miſerint, pro tunica Chriſti inconſutili. ibid.
An id fecerint ſuper terram, an ſuper tabulam aliquam. 399,a
Quid fuerit ſors quæ cecidit ſuper Mathiam. 131,b 132, a & b

Spaſma, Spaſmus.

Eccleſia Spaſmi B. Mariæ Virginis nominis ratio. 209,a
Sub hac Eccleſia eſt ſtabulum equinum Gubernatoris Ieruſalem: in quo frequenter moriuntur equi. ibid.b
De ſpaſmo B. Mariæ Virginis duæ ſunt oppoſitæ ſententiæ. 210,a
Adducuntur Auctores negantes ſpaſmum in S. Maria, cum eorum rationibus. ibid. & b. 211,a & b
Spaſmus quid ſit. 210,a. 212,b
Proponuntur Auctores & fundamenta ſententiæ ponentis ſpaſmum in B. Virgine. 211,b. 212,a
Spaſmi cauſa. 212,b
An per ſpaſmum vſus rationis auferatur. ibid. & 213, a & b. 220, a. 221, a & b
Spaſmus differt à ſyncope. 213,b
Spaſmi triplex acceptio. ibid.
Deipara non eſt paſſa ſpaſmum ſecundùm primam & ſecundam ſpaſmi acceptionẽ. ibid. & 214,a & b
Non eſt tamen hæreticum aut temerarium, ponere ſpaſmum in Deipara iuxta primam ſpaſmi acceptionem. 214,b. 215,a & b 216,a
S. Maria paſſa fuit ſpaſmum iuxta tertiam acceptionem, id eſt, animi deliquium. 216,a & b
Deliquium animi ſine ſpaſmum ponere in B. Virgine, eſt valde decens & rationi conſentaneum. ibid. b vſque ad 221,a
Feſtum Spaſmi Deiparæ celebratum fuit in Eccleſia. 217,b. 218,a
Reſpondetur argumentis contra ſpaſmum Deiparæ adductis. 221,a & b
Deipara nonies ſpaſmum paſſa eſt tempore paſſionis Chriſti. 226 b. 227,a
Quomodo Deipara ſemper dicatur fuiſſe in deliquio tempore paſſionis Chriſti. 227, a
Quando magis fuerit ſpaſmum paſſa B. Virgo. ibid.b
Quare ſingulariter in loco, vbi B. Virgo vidit Filium ſuum crucem geſtantem, fuerit erecta Eccleſia Spaſmi B. Mariæ Virginis. 228, a & b. 229,a

Speciosa porta.

Chriſtus probabilius per Specioſam portam in die Palmarum intrauit in templum. 340, a & ſeqq.
De Speciosa porta ſitu eſt diſſenſio. 340,a

Digitized by Google

Speciosa porta vocatur etiam Corinthia. 341,a
Auctor Speciosæ portæ, & nominis ratio. ibid.b
Pars templi, vbi erat porta Speciosa, vocatur Porticus Salomonis. ibid.
Speciosa porta fuit in fastigio Orientali secundæ atrij. 342,a
Fuit absolutè prima templi porta. ibid.b.343,a
Respondetur ad rationes Baronij in contrarium adductas. 343,b.344,a
Speciosa porta è regione Aureæ habebat. 344,a
Eius felicitas. ibid. & b
Traditio de fine portæ Speciosæ in parte Occidentali templi, reiicitur. ibid.b

Spelunca.

Spelunca duplex Abrahami fuit figura Sepulchri Christi. 521,a. *Vide* Abraham.

Spes.

Lilium est spei hieroglyphicum. 23,a & b

Sphinx idolum.

Sphingis idoli forma. 954,b

Spinea corona.

Corona Christi ex qua materia compositæ fuerit. 416,a
Prima, secunda, & tertia sententia. ibid. & b 417,a
Forma spineæ coronæ. 417,a
Cum spinea corona fuerint Christum crucifixum. 418,b
Variæ sententiæ, quibus affirmativè respondetur. ibid. & 419,a
Corona spinea vbi inuenta fuerit; & vbi sit. 419,b. 420,a

Spiritus.

Discrimen inter bonum & malum spiritum. 65,b
Dæmones animas defunctorum simulant, vt decipiant. 188,a & b

Spiritus sanctus.

Signa, ex quibus cognosci potest aliquem in operibus suis moueri à Spiritu sancto. 62,a & b
Locus in quo Spiritus sanctus in die Pentecostes venit super discipulos. 123,a. 124,a

Spongia Christi, *vide* Christi spongia.

Stadium.

Stadij longitudo. 298,a

Stare.

Verbi stare *multiplex significatio.* 215,b

Statua.

Statuas erigere, Iudæis interdictum fuit. 251,a

Stemmata.

Stemmata & insignia nobilium ponuntur laudabiliter in templis. 256,a

S. Stephanus, S. Stephani porta.

Septem loca singulari obseruatione digna, occurrentia egredientibus ex porta Orientali S. Stephani dicta: quæ omnia explicata, vide sub propriis eorum nominibus, quæ ponuntur in argumento pag. 293
Portæ S. Stephani nomina, & eorum significatio. 293,a
Locus & lapis, in quo iacuit S. Stephanus, quando fuit lapidatus. ibid. & 294,a
Eius martyrium. 293,a
In hoc loco vidit cælos apertos, &c. 294,a
Vbi, & quando fuerit ordinatus Diaconus. 121,a
S. Maria erauit pro eo, cùm fuit lapidatus. 300, a & b
Petra, supra quam S. Stephanus extra ciuitatem lapidatus obdormiuit. 124,a
Rupes vbi lapidatus est Stephanus, miraculosè eius corporis effigie consignata est. 293,a. 294,a. 295,a
Pia consideratio circa factum miraculum. 294,a & b
S. Stephani meritis obdurati in peccatis emolliuntur. ibid.b
Eius oratione Saulus conuersus fuit. ibid.
Locus vbi mansit Saulus, quando lapidabatur Stephanus. 294,a
Lapides quibus lapidatus fuit, in rupe recepti, tamquam nodi in tabula apparent. ibid.b
Lapis vnus, quo lapidatus fuit, Anconam delatus est. ibid.
Ad eius honorem ibidem Ecclesia erecta est. ibid.
In loco martyrij S. Stephani ab Eudoxia Augusta Ecclesia extructa fuit, quæ nunc diruta est. 295,a
Ex lapidibus prædicta Ecclesia fortè ædificata fuit nouæ ciuitatis. ibid.
Duplex difficultas mouetur contra locum martyrij & rupem cui S. Stephani effigies miraculosè impressa fuit; & soluitur. ibid. & b. 296,a
Porta S. Stephani quomodo, cùm Orientalis sit, Aquilonaris dici possit. 295,b
De lapide mobili, super quem Beda dicit S. Stephanum fuisse lapidatum, quid dicendum. ibid. & 296,a
Situs & forma loci vbi corpus S. Stephani præfatum fuit, ex vetustis manuscriptis, & Adrichomio: & reiicitur. 296,a & b
Corpus S. Stephani non fuit ibi sepultum, sed in villa Gamalielis. ibid.b
Non statim post mortem corpus eius fuit humatum. ibid.
Vbi interim iacuerit, donec postea humatum fuit. ibid. & 297,a
Quare Ecclesia S. Stephanum dicat esse primum Martyrem. 431,a & b
Triplex corporis S. Stephani translatio. 136,a
Prima, in montem Sion, secunda Constantinopolim, tertia Romam. ibid. & b
Virtus Reliquiarum S. Stephani. ibid.a
Eius sepulchrum meritò in veneratione habetur. 137,a
Noua relatio inuentionis Reliquiarum S. Stephani apud Secusiam in Pedemonte. ibid. & seqq.
Examinatur veritas rei. 139,a & seqq.
Respondetur argumentis in contrarium adductis. 140,a & b
S. Augustini insigne dictum de corpore seu Reliquiis S. Stephani. 142,a
S. Stephano erecta est Ecclesia in ciuitate Senonensi. 88,b
Fr. Stephanum de Turele Ierosolymis martyrizatur. 55,a

Stigmata.

An S. Catharina Senensis habuerit stigmata nec ne, liberum est absque periculo opinari. 144,a & b

Strapedon.

Strapedon quid fuerit Ierosolymis. 91,a

Strato, *vide* Turris Stratonis.

Sudarium, *vide* Sindon.

Sudarium Veronicæ, Abagari, montis Oliueti, Pauli, *vide sub titulo* Veronica, Abagarus, Oliueti mons, Paulus.

Sues & Mara.

Sues & Sur idem sunt, & quid sint. 979,a
Triduo ex Mari rubro & Sur ad Mara peruenerunt Israelitæ. ibid.b
Mara, siue Marath, vbi sit. ibid. a
Aquæ Mara amaræ fuerunt. ibid.b
A Moyse immisso ligno dulcoratæ sunt. ibid.
Non tamen Moysis virgâ, sed alio ligno. 981,a
De natura & virtute illius ligni. ibid.

Mara

Mara amaritudinem significat; & locus quando sic dictus sit. 980,a
Fontium Mara conditio. ibid b
Miraculose aquas indulcatas fuisse quidam affirmant. 981, a & b
Alij naturaliter contigisse dicunt. ibid.b.982,a
Tripliciter aquæ Mara ligno dulcorari potuerunt. 982, b
Respondetur contrarijs argumentis. ibid.& 983,a
In Mara Deus tradidit per Moysem Israelitis præcepta. 983,a
Fontium Mara descriptio. ibid. & b
Mara fuit quinta Israelitarum mansio. 984,a
Notandus eventus qui accidit inter Mara & Corandal. ibid.b.985,a & b

Supplicatio, *vide* Processio.

Sur.

Sur & Etham quid sit, secundùm varias sententias. 971,b. 972,a.
Sunt distincta loca. 972,a
Vide Sues, & Tyrus.

Sycomorus.

Sycomori conditio & fructus eius describitur. 753,a
An sycomorus, in quam Zacheus ascendit, adhuc extet. ibid.

Symbolum Apostolorum.

De loco compositionis Symboli Apostolorum duplex est sententia. 302,a
Prima ait Apostolos in Cœnaculo Sion illud composuisse; secunda, in monte Oliveti. ibid.
Duplex ratio pro secundâ sententia. ibid.& b
Ibidem ædificata fuit Ecclesia sub titulo S. Marci. ibid. a
Cisterna ibi memorabilis. ibid.& b.303,a & b
Qua occasione Apostoli Symbolum composuerint. 303, a
Est fundamentum fidei, & in Conciliis recitari solet. ibid.
Adamnani relatio ex S. Arnulpho de loco compositionis Symboli Apostolorum. ibid.& b
Symboli nominis ratio. ibid.a

Synagoga.

Synagoga Moysis significatur per tabernacula Iacob. 114,b
Mater corrupta sub arbore malo Synagoga dicitur, sponsa verò ex ea genita Ecclesia. 499,a & b

Syncope.

Syncope quid sit. 213,a
Differt à spasmo. ibid.b

Synodus, *vide* Concilium.

T.

Tabernacula Iacob.

Tabernacula Iacob designant mutationem Synagogæ Iudaicæ. 114,b

Tabitha.

Tabithæ domus prope Ioppen. 6,a
Tabitha non in civitate Lyddæ, sed in Ioppe à sancto Petro sanata fuit. 9,b
Explicatur S. Hieronymus. ibid.

Taphnis, *sive* Tanis.

Taphnis duplex est; una prope Memphim, altera ad Nili ostium Taniticum. 926,b
Taphnis ad ostium Nili sita. ibid.
Fuit gigantum habitatio. ibid.
Ibi Pharaonem fugit Moyses allocutus, & miracula fecit. 927,a & b.928,a & b
Est in terra Gessen. 927,a
Illius præsens status. ibid.
Quando, & à quibus condita sit. ibid.
Ieremias in Taphnis civitate multa prædixit. 928, a & b
Ibidem contigerunt contentiones illæ graves inter Ieremiam & Iudæos. ibid.b
Ibi lapidibus obrutus fuit. ibid.

Tartari.

Tartari putant ignem purgare ab impuritate spirituali. 275,b
Cur ad præsentiam Imperatoris venientes transeant inter ignes. ibid.

Tatianus.

Tatianus fuit auctor Encratitarum hæreticorum. 484,b
Docuit, primos homines post mortem æterna damnationis sententiæ addictos fuisse. ibid. & 485, a & b

Taurinum.

Sindon Christi Taurinensis describitur. 532,b. 532, a & b
Imago sindonis Taurinensis. 534.
Vide Sindon.

Tectum.

Tecta domorum in Palæstina qualia sint. 596, a & b

Templum.

Sacerdotes Iudæorum in templo habitabant, quando in illo ministrabant. 331,b
Templa in formam crucis ædificari solebant antiquitus; & quare. 242,b.243,a & b
Item instar navis. 376, a & b
Forma templorum in castris Israël præfigurata fuit. 243, a & b
Primi fideles sacras ædes frequentabant orationibus & Eucharistiæ sumptione. 247, a & b
Apostoli in templo orabant, & in privatis domibus Eucharistiam distribuebant. ibid.b
In templis Christianorum fideles ab invicem distinctis in locis separati manebant. 376,a & b.377,a
Decentes deauratæ figuræ debent poni in templis. 378,a
Stemmata & insignia nobilium laudabiliter ibi ponuntur. 256,a
Exemplum religionis Alexandri Magni erga templum. 906,b.907,a
Licet respectu Dei nihil referat quâ formâ corporis, vel in quo loco oretur; tamen respectu nostri utiliter locus & situs ad orandum determinatus eligitur. 163, a & b
Iudæi an in templo versus Orientem an versus Occidentem oraverint. 164,a & b.165,a & b
Templa antiqua & moderna, item altaria omnia respiciunt Orientem; & quare. 167,a & b
Quid intelligatur nomine templi Dei à Paulo in Epistola 2. ad Thessal. cap. 2. vers. 1. 724,b.725,a
Non solùm fidelium, sed etiam infidelium delubra, templa dicuntur. 725,a
In primitiva Ecclesia, Christianorum Ecclesiæ non dicebantur templa. ibid.b
In veteri Testamento liberum erat Deo consecratis servire in templo, & redire. 80,b
In Salomonico templo erant loca pro viris & mulieribus Deo devotis. ibid.& 81,a & b
Ad Austrum erat hæc mulierum & virginum habitatio. 81,b.82,a
B. Maria Deo in templo à parentibus fuit dicata. 82,a & b
Locus eius in templo. ibid.b

An Deipara habitauerit in communibus templi habitationibus, quæ promiſcuè virginibus aſſignata erant, vel in Sanctis ſanctorum. 84, a vſque ad 86, a
In Sancta ſanctorum ex lege ſolus Sacerdos intrare poterat, aly ex priuilegio. 84,b
S. Iacobo id fuit conceſſum ex priuilegio ſingulari. ibid.& 85,b
Item S. Annæ genitrici B. Mariæ Virginis; ſed commodè explicandum eſt. 84,b. 85,b
In qua templi parte fecerit Chriſtus ea quæ de illo aſſeruntur. 85,a
Zacharias, Ioannis Baptiſtæ pater, occiſus dicitur inter templum & altare, eò quòd B. Virginem Mariam à communi loco reliquarum virginum non arcuerat. ibid. & b
Vide plura in titulo Eccleſia.
Chriſtus in die Palmarum intrauit templum à Seniore Herode inſtauratum per portam Speciosam. 340, a & b
Quatuor habebat porticus, quæ communi & proprio appellabantur nomine. ibid. b
Difficultas de numero & diſpoſitione portarum exterioris vel ſecundi templi. ibid.
Septem tantùm portas habuit; tres à Meridie, tres ab Aquilone, & vnam magnam ad partem Orientis. 341,a
De nomine ac conditione portarum Orientalium: quæ extra templum, Corinthia; quæ intra, Magna vel Maior à Ioſepho eſt appellata. ibid.
Maior ſuper Corinthiam dicitur, quia templo propinquior. ibid.
Corinthia idem eſt quod Speciosa. ibid.
Pars templi, vbi erat porta Speciosa, vocatur Porticus Salomonis. ibid. b
Quæ pars templi Porticus Salomonis diceretur, duæ ſunt ſententiæ. ibid.
Prima ait fuiſſe ſecundam partem templi; ſecunda, primam. ibid.
Secunda hæc communior & probabilior eſt. ibid.
Quare illa pars templi vocetur Porticus Salomonis. 341,a
Speciosa porta fuit abſolutè prima porta templi. ibid. b. 343,a
Mundorum atrium ingredi, fuit imperiali decreto Gentilibus interdictum. 343,a
Porta Orientalis interior templi dedit ſignum euerſionis eius. 344,a
Templum Ieroſolymitanum quando ab Herode fuerit ædificatum. 83,a & b
Quomodo fuerit & non fuerit ædificatum tempore Præſentationis B. Mariæ Virginis. ibid. b
Templum Domini nunc vocatur Salomonis; & Salomonis templum, Præſentationis B. Virginis Mariæ. 112,b
Conſecratio templi Domini. ibid.
Vide plura ſub titulo Salomon.

Templum Salomonis, *vide* Salomon.

Templum Zorobabel, *vide* Zorobabel.

Temporalia.

Dolor ob amiſſionem temporalium licitus eſt, modò non ſit exceſſimus. 225,a
Pro Chriſto omnia temporalia contemnenda ſunt. 473, b

Tempus.

Diuiſio temporis, dies & noctis per horas & vigilias. 968, b

Terebinthus.

Deſcriptio vallis terebinthi, vbi Dauid gigantem ſuperauit; item torrentis, ex quo limpidiſſimos lapides collegit. 16,a & b
Terebinthi circa Hebron conditio. 783,a
Terebinthus quanam arbor ſit. ibid.
Apud Hebræos terebinthum aliqui execrandam eſſe dicunt. ibid. & b
In maiorem idolorum execrationem, illa ſubter terebinthum Iacob infodit. ibid. b
Aliqui putant Abraham ſub terebintho apud Hebron Angelos excepiſſe: qui reiiciuntur. ibid. & 784,a & b. 785,a & b
Terebinthus B. Mariæ Virginis ſitus & conditio. 601,a. 602,b
Ratio nominis & venerationis huius terebinthi. 601,a
Sub terebintho illa Deipara cum puero quieuit. 602,a
Illa ei miraculosè ſe inclinauit. ibid. b 603,a
Ea modò eſt quæ antiquitus. 603,a
Hæc ab omnibus æſtimatur. ibid. b
Viſio cuidam Mauro facta circa hanc terebinthum. ibid.
Infideles & hæretici Orientales ac Mauri terebinthum hanc in veneratione habent. ibid.
Terebinthus alia apud Hebron, quæ vſque in præſens tempus perdurare dicitur à principio orbis conditi. ibid. a

Terra.

E terra homo formatus fuit, ne ſuperbiret. 778,b
Terra medium quod ſit materialiter & ſpiritualiter. 435,b 436,a & b. 437,a & b
Vnde æſtimetur terra aliqua regio. 543,b. 544,a

Terra ſancta.

Terra ſancta montoſa eſt. 297,b
Tota Terra ſancta antiquitus pertinuit ad Iebuſæos & Chananæos. 43,a
Inſtructio ſeu enarratio quædam locorum Terræ ſanctæ ex antiquo manuſcripto. 587,b. 588,a
Nota ad prædictam inſtructionem. 588, a & b. 589, a & b
Relatio Othmari Presbyteri de locis ſanctis. 590,b. 591,a
Nota ad prædictam relationem. 591,a & b
Terra ſancta dicitur medium ſeu umbilicus terræ. 436, b

Terra viſionis, *vide* Viſionis terra.

Thabor.

Thabor montis conditio. 844,a & b
Quomodo dicatur excelſus, & ſeorſum. ibid.
Diſtantia eius à Nazareth. ibid. b
Antiquitus eius planities muro cincta fuit. ibid.
Arx a Saracenis ibi extructa fuit. ibid. & 845,a
Eius fecunditas & amœnitas. 845,a
Geſta in monte Thabor. ibid. & b
Ibi fuit idololatriæ cultus: quem vt auferret Chriſtus, ibidem transfiguratus eſt. ibid. b
Transfigurationis locus Eccleſiâ decoratus fuit. ibid.
Thabor & Hermon quandò exultauerint. 846,a
Sermonem illum plenum Dominicis inſtitutis habuit Chriſtus in monte Thabor. ibid. & b
Chriſtus ibi poſt reſurrectionem apparuit. ibid. b. 847,a & b
Mons Thabor per antonomaſiam dicitur Mons Galilææ. 847,a
Eccleſiâ Cathedrali & Monaſteriis Monachorum decoratus fuit. ibid. b
Beda ait tres Eccleſias ibi fuiſſe ædificatas, & quare. ibid.
Inter plura Monaſteria in hoc monte ædificata, fuit etiam Monaſterium Cluniacenſium: quod tertium

Digitized by Google

terunt Turcæ, & Monachos occiderunt. 848,a
Peregrinationibus sanctissimorum hominum celebris fuit. ibid.
Sacellum est in pede montis. ibid.
Nomina huius montis. ibid.
Est etiam Thabor urbs Leuitis data. ibid.

Thebe.

Rameſſes non est Thebe. 961,a
Thebe vbi sit. ibid.

Thecua.

Thecua vrbis conditio, & nominis ratio. 686,b
Distantia eius à Ieruſalem & Bethlehem. ibid.
Zieglerij & Callisti sententia improbatur. ibid.
Adrichomij sententia explicatur. ibid.& 687,a
S. Ephanius malè ponit hanc Thecuam in terra Zabulon. 687,a
A Thecua Thecuites & Thecueni dicuntur habitatores eius: sunt prudentes habiti. ibid.
Est ibi Ecclesia S. Cosmi. ibid.

Theodosius.

Theodosius in Imperio loco Philippici suffcitur, & detectas imagines reſtituit. 670,b
Imperio renuntiare cogitur. ibid.

Thola.

Thola septimus Iudex populi Israël. 728,b

Thomas.

S. Thomas Apostolus post B. Mariæ assumptionem cingulum eius vbi, quomodo & quare è cælo acceperit. 301,a
S. Thomæ domus Ieroſolymis in Ecclesiam à fidelibus conuerſa est. 75,a&b
In illam nullus non baptizatus ingredi potest, quin statim moriatur. ibid.b
Pater Thomas à Nursia, familiæ Ieroſolymitanæ Guardianus, peste extinctus est Ieroſolymis. 55,b
Nobilis quidam Hungarus Thomas nomine, Christi fide abnegatâ, Mahometanæ superstitioni adhærens, à Fratre Nicolao à Monte Ceruino, ex Ordine Fratrum Minorum, conuertitur, & cum eodem insigne martyrium pro Christi fide subit. 944,a&b.945,a

Tiberias.

Distantia Tiberiadis à Nazareth. 855,a
Loca occurrentia inter Nazareth & mare Tiberiadis. ibid.& b.856,a&b
Tiberias quid sit, & eius nominis ratio. 864,a
Herodes quomodo eam ædificasse dicatur. ibid.
Iosephi & Adrichomij de Tiberiade ciuitate conciliatio. ibid.b
Describitur à Bonifacio. ibid.
Præsens Tiberiadis status refertur. ibid.
Ibidem est templum D. Petro dicatum. 865,a
Alia circa Tiberiadem. ibid.
Nicephorus reiicitur; potest tamen explicari. ibid.& b
Adrichomium refellitur. ibid.
Aliqui dicunt, mensam illius cœnæ, quam duo discipuli fecerunt Christo in Emmaus, esse in ciuitate Tiberiade. ibid.b
Miracula ibidem facta virtute S. Crucis per quemdam Iudæum. ibid.& 866,a
Casus notabilis refertur, qui contigit cum Saladino Tiberiadem obsedit. 866,a

Tiberiadis mare, *vide* Galilææ mare.

Tigris.

Tigris fluuius quando soleat exundare. 738,b. 739,a.

Titanum vallis, *vide* Raphaim.

Titulus.

Tituli nomen capitur pro sepulchris & statuis seu imaginibus. 253,a
Quatuor sententiæ de causa erectionis tituli Absalom. 254,b.255,a&b
Plures laudabiliter titulos erexerunt. 256,a
Tituli erecti fuerunt signa laudis diuinæ. ibid.
Titulorum erectio aliquando fuit interdicta. ibid.b
Tituli quadruplex acceptio. ibid.
Tituli & nomina non tam ex meritis quàm ex communi vsu solita fuerunt imponi. 379,b

Titulus S. Crucis, *vide* S. Crucis titulus.

Titus.

Titus Ieroſolymam oppugnat, & destruit. 40,a. 106,b.107,a.116,b

Topheth.

Vallis Gehennon dicitur Topheth ab idololatria. 274,b
Topheth nominis interpretatio. ibid. & 275,a. 276,b.277,a
In Topheth multitudo populi à Deo cæsa fuit. 276,a
Quare dictum fuit Polyandrion. ibid.
Ratio primaria nominis Topheth, quod tympanum significat, est à voluptate. ibid.b.277,a
Licet vallis Topheth significet locum deliciis & voluptatibus repletum; tamen vsurpatur ad significandas pœnas inferni; & quare. 277,a&b

Tor.

Elim non est Tor. 984,a
Tor quid sit. ibid.

Torrens Cedron, *vide* Cedron.

Tosza.

Tosza villa quid sit, & eius conditio. 890,a

Traiectum.

Tractus ad Mosam in Belgio Crucifixi imago ex nuce producta. 26,a&b

Transfiguratio.

Christus transfiguratus fuit in monte Thabor, vt idololatriæ cultum, qui ibi vigebat, auferret. 845,b
Transfigurationis locus Ecclesiâ illustratus fuit. ibid.
An verba S. Petri 2. Epist. cap. 1. v. 16. de voce Patris & Filij transfiguratione sint intelligenda. 849,a
Responsio prima, secunda, tertia & quarta: quæ reiiciuntur. ibid.& b
Quinta responsio proponitur, & approbatur. ibid.b
Duodecies in veteri & nouo Testamento ad Christi transfigurationem facta fuit allusio. 850,a&b. 851,a&b
Transfiguratio quomodo dicatur Regnum Dei. 851,b
Vide sub titulo Thabor.
Transfigurationis Domini Festi antiquitas. 51,a
Vide Christi transfiguratio.

Tribulatio.

Deus in tribulationibus est consolator. 809,b
Per tribulationes perueniturad gloriam. 475,b

Tribus.

Viris vnius tribus in alia tribu habitare licebat. 819,b

SS. Trinitas.

Manus significat secundam in SS. Trinitate personam. 480,a&b
Opus redemptionis SS. Trinitati commune, Filio appropriatur. ibid.b

Tripolis.

Tripolis Syriæ ciuitatis maritimæ situs & conditio describitur. 912,b
Habitatores eius & distantia à Beryto. ibid.
Sanctus quorundam illius Gubernatorum. ibid.

Tristitia.

Subiectum tristitiæ est anima, doloris verò corpus. 212,b
Fortes, in magnis euentibus inculpatè tristantur. 218,b. 219,a
Demosthenis de filij morte responsum. 219,b
B. Virgo ex Dei peculiari auxilio non obiit præ tristitia in Pilij sui passione. 220,a

Trullus.

Trulli nominis significatio. 668,b.

Concilium Trullanum, *vide* Constantinopolis.

Tumba.

Tumba quid significet. 128,a

Tumulus.

Tumulus vnde & quare sic dicatur. 128,a

Turcæ.

Inter Turcas frequens est numerus augurum & diuinorum. 188,a
Turcarum auaritia. 189,a. 195,b
Turcæ honorant B. Mariam Virginem. 241,a
Expellunt Fratres Minores ex Cœnaculo & Ecclesia montis Sion. 51,b. 52,a
Venerantur Dauidem sicut summum parentum. 52,a
Psalmos Dauidis in suis Mesquitis legunt. ibid.
Vocant Christianos canes. ibid.
Eos diuersimodè Ierosolymis vexant. 53,a & b. 54,a & b
Turcarum bruta cupiditas. 53,b. 54,a & b
Fratres Minores à Turcis Ierosolymis carcere mancipantur. ibid.
Turcæ Ierosolymis peste sublati. 53,b
Opinio & dictum Turcarum de illis qui religionem seu fidem mutare volunt. 59,a

Turris Dauid, *vide* Dauid.

Turris gregis, *vide* Pastorum villa.

Turris Iacob, *vide* Iacob.

Turris Stratonis.

Turris Stratonis dicitur Cæsarea. 9,a

Tyrus.

Tyrus ciuitas maritima describitur. 906,a & b
Fuit olim regia ciuitas, & Archiepiscopali dignitate decorata. ibid.
Distantia eius à Fonte signato. ibid.b
Lapis, ibi ostenditur, super quem Christus stetisse & prædicasse dicitur. ibid.
Item locus, vbi mulier Euangelica Christum laudauit. ibid.
Exemplum pietatis Alexandri erga templum Tyri. ibid. & 907,a
Olim Tyrus Sidoni præferebatur, nunc è contrà. 908,b.

V.

Vallis.

Vallis Cedron, Saue, Siloë, Gehennon, Benedictionis, Concisionis, vide sub titulo Cedron, Saue, &c.

Vallis cadauerum, *vide* Cadauerum vallis.

Vallis Iosaphat.

Quindecim loca obseruatione digna citra & supra Vallem Iosaphat signa omnia explicantur sub propriis nominibus in argumento assignatis, 238
Vide Iosaphat.

Vallis terebinthi, *vide* Terebinthus.

Vallisoletum.

Vallisoleti in Hispania crucifixi imago ex vite producta. 25,b. 26,a

Venenum.

Serpentes venenu carent apud Melitenses; & terra antidotum parat contra venena, in gratiam sancti Pauli. 679,a

Venerarius.

Caluaria mons quare dictus sit Venerarius. 440,b
Vide Luxuria.

Verbum Dei.

Verbum Dei non est alligatum loco. 302,b
Est dulcissimum animæ alimentum. 466,b. 467, a & b
Christi passione suum redditur. 467,b. 468, a & b

S. Veronica.

S. Veronica qua & qualis fuerit. 234,a.
S. Veronica Christo occurrens crucem gerenti sudarium obtulit: cui effigiem faciei suæ Christus impressit. 230,a & b
Domus S. Veronicæ descriptio. ibid.b
Sudarij eius materia. ibid.
Huius conditio. 234,a
Transfertur Romam, & seruatur ibi in S. Petri Basilica. 230,b. 234,b
Roma ex vna Ecclesia in alteram transfertur. 234,b
Seruatur imagine illâ Tiberium Augustum. ibid.
Veronicæ & Abagari sudarium dato sunt. 231,b. 232,a
Præter archetypum sudarij Veronicæ sunt aliæ imagines ad exemplar illius depictæ. 235,a
Item aliæ per admotionem ad autographum, miraculo in velis expressæ fuerunt. ibid.
Quomodo facta fuerint prædictæ imagines. ibid. & b
Argumenta siue calumniæ contra relata de Veronica sudario, & earumdem confutatio. ibid. b. 236, a & b

Vesontio.

Sindon Christi Vesontina describitur. 531,b. 532, a & b
Imago sindonis Vesontinæ. 534
Vide sub titulo Sindon.

Vestigia.

Diuersa vestigia mirabiliter relicta à Christo Ecclesiæ ante mortem, in morte, & post mortem, in sui perpetuum monumentum. 169,b. 170, a & b. 171,a

Vestis.

Apostoli an pluribus vestibus vsi fuerint. 399,b
Semicinctia quid sint. ibid. & 400,a
Superfluæ ac mutatoriæ vestes Apostolis interdictæ fuerunt. 400,a
Vnius vestis nomine intelligitur vestimentum necessarium. ibid.

Vestimenta Christi, *vide* Christi vestimenta.

Vexillum.

Christi crux est vexillum Christianorum. 522,b

Via captiuitatis, *vide* Captiuitas.

Via crucis, *vide sub titulo* Crux.

Victor, Victoria.

Victores olim è bello redeuntes frontem redimebant tanquam coronam & diadema super capita portabant. 379,a
Pugnare oportet ante victoriam. 475,b
Per patientiam obtinetur victoria. 476,b
Victoria ex concordia. 877,a

Vicu-

Digitized by Google

Viculus.
Viculus sub nomine ciuitatis aliquando intelligitur. 15,b
Vicus.
Vici sunt intra ciuitatem. 90,a
Consuetudo Orientalis circa vicorum custodiam. 91,b
Vicus rectus.
Vicus rectus Damasci quid sit, & quare sic dictus. 878,b
Vide plura sub titulo Iudas S. Pauli hospes.
Vigilia.
Noctis vigilia apud Iudaeos & Romanos, quot & quanta fuerint. 968,b
Villa Gethsemani, *vide* Gethsemani.
Villa S. Mariæ Virginis, *vide* S. Mariæ Virginis villa.
Villa Pastorum, *vide* Pastorum villa.
S. Vincentius.
S. Vincentij Ferrerij de Regula Fratrum Minorum encomium. 63,b
Vinum.
Vinum dentum quare damnatis datum fuerit. 454,a
Vinum myrrhatum Christo propinatum an fuit distinctum à vino fellis mixto. 453, b. 454, a & b
Vinum merum sine purum beatitudinem significat. 472,b. 473,a
Vini faces significant miseriae praesentis vel futurae vitae. ibid.
Vir.
Homo virum & feminam significat. 485 a
Viri Galilæi, *vide* Galilæa.
Virgo, Virginitas.
Virginum aureola quibus concedatur. 854,b
S. Maria & S. Ioseph vir & quando emiserint votum virginitatis. 827,b. 828,a
Virtus.
Unius virtute alterius virtutum derogatur. 262,a
Visio, *vide* Reuelatio, Spiritus.
Visionis terra.
Terra visionis quid sit, & nominis ratio. 350,a
Ratio nunquam loci Dominus videt, *vel* videbitur. ibid. b
Vita.
Homo non est dominus vitae suae, sed Deus. 901,a
Vita cuicunque alteri temporali bono praeferenda est, etiam virginitati. ibid.
An aliquis liceat vitam sibi auferre ob honestum finem. 899,b. & seqq.
Vitæ lignum, *vide* Lignum vitæ.
Vitis.
Ex radice vitis imago crucifixi producta & inuenta, seruatur Vallisoleti in Hispania. 25,b.26,a
Vitulus.
Corpus vituli extra castra positum praefiguratis sepulturam Christi. 251,a
Vmbilicus.
Ierosolyma vocatur vmbilicus terrae. 436,b
Vmbra.
Vmbra corporis Christi in cruce pendentis bonus Latro conuersus fuit. 460,b
Vngere, Vnctio, Vnctionis petra.
Reges, Sacerdotes & Prophetae apud Hebraeos, vt Deo sacri, vngebantur. 881,b.882,a
Vnctio alia materialis, alia spiritualis. 882,a
Petra vnctionis, in qua Christi corpus exadime vnctum dicitur, nominis ratio. 493,a & b
Petra vnctionis est ipsi soli inhaerens, non separata. ibid. b
Locus ille muro inclusus fuit. ibid.
Descriptio Petrae vnctionis. ibid & 494,a
Petra vnctionis semper habita fuit in veneratione. 494,a
Varij euentus referuntur, qui diuersis temporibus acciderunt circa Petram vnctionis; ex quibus innotescit, quanti aestimetur. ibid. & b. 495,a & b. 496,a
Locus vbi stabant mulieres, quando vngebatur corpus Christi. 496,a & b
Voluptas carnalis, *vide* Luxuria.
Vrbanus.
Vrbanus IV. praecepit Eucharistia Sacramentum solemni Processione honorari. 543,a
Vt.
Vt *particula duplex significatio.* 823,b
Vxor.
Sacerdotes Iudaeorum quo tempore sacrificabant, ab vxoribus abstinebant. 331,b

W.

S. Willibaldus.
S. Willibaldus in loco inuentionis S. Crucis oculorum lumen recepit. 412,b

X.

Xystus.
Xystus & xystum quid sit. 207,b. 208,a
Xysta erant ad Meridiem & Occidentem templi. 208,a
Arcus Pilati potest xystus appellari, quia formam xysti habet. ibid.b

Z.

Zacharias.
Zacharias Ioiadae filius iussu Regis Ioas lapidatur. 46,b
Zacharias Propheta Ierosolymis iuxta Agganum sepultus est. 306,b
Forma & situs sepulchri Zachariae. 262,b
Quatuor insignes viri Zacharia nomine sunt appellati. 263,a
A quo Zacharia sepulchrum, ex rupe montis Oliueti excisum, sit denominatum; probabilius, à Zacharia filio Ioiadae. ibid.
Non fuit tamen in eo tumulatus, sed alibi. ibid.b
Inuentio corporis Zachariae. ibid.
Venetiis nunc seruatur illius corpus. 264,a
Quis fuerit ille Zacharias, Barachiae filius, occisus inter templum & altare. 264, a vsque ad 270
Rupertus putat fuisse Iacobum fratrem Domini. 264,a
Reuocatur. ibid. & 265,a
Alij putant esse illum Zachariam, qui est vndecimus inter Prophetas. 264.b
Refelluntur. 265.a vsque ad 267,a
De martyrio Zachariae, vnius ex duodecim Prophetis, non constat. 266,a
Tempore huius Zachariae templi ruina non erat. ibid.b. 267,a
Alij Zachariam, Barachiae filium, inter templum & altare occisum, putant fuisse patrem Ioannis Baptistae. 264,b. 265,a
Refelluntur. 265,a & b. 267, a & b
Non videtur probabile, Zachariam Ioannis Baptistae

Digitized by Google

ptiſta patrem à Iudæis eſſe interfectum 267, a & b
Zacharias; Ioannis Baptiſtæ pater, occiſus dicitur inter templum & altare; quia S. Mariam Virginem à communi loco reliquarum virginum non arcuerat. 85,a & b
Quarto, alij dicunt fuiſſe Zachariam, de quo agitur libro 2. Paralip. cap. 24. 267,b.268,a
Quæ Zachariæ & Abelis meminit Chriſtus. 269, a & b
Zachariæ martyrium fuit maximè publicum. ibid.
Occiſio Zachariæ fuit deteſtabilis, propter multas circumſtantias. ibid.
Eius ſanguis vindictam petiit. ibid.b
De ciuitate, vbi erat domus Zachariæ patris ſancti Ioannis Baptiſtæ, ſunt quinque ſententiæ. 700,a
Prima ſententia ait ciuitatem illam vocari Montana: *& reiicitur.* ibid.& b
Secunda dicit eſſe Ieruſalem. ibid.b
Confutatur à quibuſdam; ſed eorum confutatio improbatur. ibid.& 701,a
Aliter confutatur. 701,a
Tertia aſſerit fuiſſe Bethlehem. ibid.b
Reiicitur. ibid.
Quarta tenet fuiſſe Hebron. ibid.& 702,a
Reiicitur, & reſpondetur ad rationes eius. 704,b. 705,a
Quinta communis & vera proponitur & probatur. 702,a vſque ad 704, b
Quonam nomine appellata fuerit ciuitas in qua Zacharias habitauit. 705,b
Montanorum Iudææ & domus Zachariæ dignitas. 706,a
Domus Zachariæ, in quam intrauit S. Maria Eliſabeth viſitatura, in Eccleſiam conuerſa eſt. 70
Deſcribitur prædicta Eccleſia. ibid.& b
Locus, vbi Deipara ſalutauit Eliſabeth, & dixit Canticum Magnificat, *&c.* ibid.b
Locus vbi Zacharias ſanctus prophetauit, & dixit, Benedictus, *&c.* ibid.
Dignitas domus Zachariæ. ibid.
S. Zachariæ, patris D. Ioannis Baptiſtæ, Eccleſia Damaſci. 875,b
Ibidem corpus eius humatum eſſe fertur. ibid.
Turcæ gloriantur ſe eiuſdem caput habere. ibid.

Zachæus.

Zachæi domus hoſpitio Chriſti illuſtrata adhuc exſtat. 752.b
Qua occaſione, & quomodo in ea ſit Chriſtus exceptus. ibid.
Quæ ſit arbor ſycomorus, & an adhuc extet illa quam Zacheus aſcendit. 753,a
Erat adhuc tempore S. Hieronymi & Bonifacij; nunc verò non extat. ibid.

Zanich, *vide* Iemni.

Zared.

Zared eſt torrens & vallis. 741,a&b

Zebedæus.

Zebedæus habitauit in Saffa vicula. 854,a
Zebedæi domus in Eccleſiam conuerſa fuit. 93,a

Zemc.

Zemc locus inter Cathiam & Cairum. 930,a

Zin, *vide* Sin.

Zored, *vide* Sorec.

Zorobabel.

Duce Zorobabel reuertuntur Iudæi ex Babylonica ſeruitute in patriam ſuam. 48,b
Reædificat ſanctam Ciuitatem & templum Domini. ibid.
Cæpit regere Ieruſalem ſub titulo Ducis & Principis. ibid.& 49,a
Magnificentia templi Zorobabel qualis. 356, a & b
Templum eius quamdiu duraverit; & an ab Herode inſtauratum & amplificatum fuerit. 357,a

Zoſimus Abbas.

Zoſimus Abbas habitauit in Monaſterio Paleſtinæ, & inſtruxit Mariam Ægyptiacam. 744,b.745,a



ELEN-

Digitized by Google

ELENCHVS
AD
FORMANDAS CONCIONES
PRO
DOMINICIS ET FESTIS PLERISQVE
AC
FERIIS ALIQVOT QVADRAGES.

DOMINICA I. ADVENTVS.

EVNT *signa in sole, & luna, & stellis*, &c. Lucæ 21. De Iudicio finali quod faciendum est in valle Iosaphat, agitur longè & latè à pag. 152,b vsque ad 155.

IN NATIVITATE DOMINI.

Peperit filium suum primogenitum, & pannis eum involvit, &c. Lucæ 2. Aduentus Filij Dei in carnem præfiguratus fuit per fontem Siloë; quia ab æterno, sine strepitu, ac cum silentio procedens, id est, inuisibili processione & immutabiliter, homo factus est; atque, vt canit Ecclesia, *Dum medium silentium tenerent omnia, & nox in suo cursu medium iter perageret; omnipotens sermo tuus, Domine, à regalibus sedibus venit.* Hic enim, velut fons gratiarum & spiritualium bonorum, in sanctam Ecclesiam, & fideles animas, velut in vineas & hortos, abundè se effudit; vnde & Chrysostomus docet, Christi virtute, non verò aquarum Siloë, cæcum fuisse illuminatum. 289,a

Pannis eum involvit, & reclinauit eum in præsepio. Christus natus fuit absque secundinis & sordibus. Locus natiuitatis eius, item præsepij descriptio, ac præstantia loci natiuitatis Christi, & reliqua eò spectantia, pluribus habentur 624,b vsque ad 632.

Pannis eum involvit, &c. Christus absconditus fuit, vt magis prodesset: comparatur enim pulchrè radici & lilio; per eius quippe aduentum omnia hactenus arida reflorucrunt. 21,b & seqq.

Pastores loquebantur ad inuicem, &c. De loco pastorum, & pastoribus ipsis, quibus Angelus Christi natiuitatem annuntiauit, pulchra & rara occurrunt, 681,a vsque ad 686.

IN FESTO S. STEPHANI PROTOMARTYRIS.

Ecce ego mitto ad vos Prophetas, sapientes & Scribas: & ex illis occidetis, &c. Matth. 23. Aliqui dicunt Zachariam, Ioannis Baptistæ patrem, occisum fuisse inter templum & altare, quòd B. Virginem Mariam à communi reliquarum virginum loco non arcuisset. 85,a & b

Quem occidistis inter templum & altare. Disputatur longè & latè, quis fuerit ille Zachariæ filius Barachiæ, qui occisus fuit inter templum & altare. 264. vsque ad 270.

Vbi & quando S. Stephanus fuerit ordinatus Diaconus, vide 121, a. Quo in loco martyrio fuit affectus, habetur rupes miraculosè corporis eius effigie consignata. Circa quod miraculum, præter alias considerationes, illa ad propositum est, quòd S. Stephani meritis obdurati in peccatis, emolliantur, vt patet in Saulo. 293,a & seqq.

Reliqua ad martyrium & sepulturam S. Stephani spectantia vide 273, vsque ad 297.

De translatione corporis & Reliquiis eiusdem, vide 136, vsque ad 142.

IN FESTO S. IOANNIS APOSTOLI ET EVANGELISTÆ.

Conuersus Petrus, vidit illum discipulum quem diligebat Iesus, sequentem, Ioan. 21. Adeò dilexit Ioannem, vt suam ei Matrem in cruce pendens dederit, eiusque curam illi demandarit, quam & ipse assiduè curauit, nec vnquam deseruit. 143, b & seqq.

Missam item coram Deiparâ celebrauit, eique Eucharistiæ Sacramentum administrauit. 147, a & b

IN FESTO SS. INNOCENTIVM.

Surge, & accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Ægyptum, Matth. 2. Disputatur pluribus, quonam ex loco Christus in Ægyptum fugerit, an ex Ierusalem, an è Bethleheem, an è Nazareth. 821, a & seqq. multis.

Cùm in Ægyptum iam venisset Christus infantulus, à Deipara ad Nili ripam marmori superpositus, donec madidæ eius vestes exsiccarentur, marmori huic corpusculi sui figuram impressit, quæ ad hæc vsque tempora cernitur. 170,b

Via, quâ ex Nazareth in Ægyptum itur, describitur; item peregrinatio seu fuga Iesu, Mariæ & Ioseph è Nazareth in Ægyptum, & nonnulla

Digitized by Google

nulla mirabilia quæ in illa contigerunt, referuntur. 920,b vſque ad 923,b

Mittens, occidit omnes pueros, &c. Quando Herodes cruauerit Innocentes occidi,& ob quam cauſam. 634,a & b. 704,a

Vox in Rama audita eſt, &c. *Rachel plorans filios ſuos*, &c. Quid ſignificet *Vox in Rama*; & quomodo Rachel plorare dicatur filios ſuos; & cur in infanticidio à Propheta Rachelis mentio fiat: quàm crudelis fuerit illa occiſio. 610,a. 612, & ſeqq.

DOMINICA INFRA OCTAVAM NATIVITATIS DOMINI.

Ecce poſitus eſt hic in ruinam, &c. *& in ſignum cui contradicetur*, Lucæ 2. Verba Iſaiæ cap. 11. *Qui ſtat in ſignum populorum*, &c. de Chriſto ſecundùm eius humanitatem intelligenda ſunt; ſecundùm quam poſitus fuit in ſignum cui contradiceretur, cùm fuit in cruce exaltatus, & in ſepulchro tumulatus. 21,a

IN EPIPHANIA DOMINI.

Ecce Magi ab Oriente venerunt Ieroſolymam, &c. Matth. 2. Stella quæ apparuerat Magis in Oriente, iiſdem in Ieruſalem exiſtentibus non apparuit; ciuitate verò per vnius circiter horæ ſpatium egreſſis, in via Bethlehemitica rurſus illuxit, in loco vbi etiamnum ciſterna illa Magorum in veneratione eſt. 604, a& ſeqq.

Ecce Magi ab Oriente venerunt Ieroſolymam. Quando Magi venerint Bethlehem: & locus adorationis eorum. 630, b & ſeqq. 633, a & ſeqq.

DOMINICA INFRA OCTAVAM EPIPHANIÆ.

Cùm factus eſſet Ieſus annorum duodecim, aſcendentibus illis Ieroſolymam, &c. *remanſit puer Ieſus in Ieruſalem*, Lucæ 2. Olim apud Orientales & Occidentales cùm agerentur ſacri Conuentus, fideles ab inuicem diſtinctis in locis ſeparati manebant, viri à mulieribus, ſacerdotes à populo, &c 376, a & ſeqq. Atque hæc eſſe ratio potuit, cur Ioſeph & Maria, cùm & in templo ab inuicem ſeparati, & per diſtinctam portam egreſſi eſſent, putauerit Ioſeph Ieſum eſſe apud Mariam; Maria verò eumdem eſſe apud Ioſeph. ibid.

Remanſit puer Ieſus in Ieruſalem. In Machmas eſt locus, vbi Ioſeph & Maria cognouerunt Ieſum non eſſe in comitatu: atque inde regreſſi ſunt dolentes in Ieruſalem. Hoc verò in loco ab Helena Eccleſia exſtructa eſt in perpetuum doloroſæ inquiſitionis Mariæ & Ioſeph monumentum. Deſcribitur hiſtoria, quomodo eò deuenerint; atque indicatur, quomodo triduum illud explicandum ſit, dè quo dicitur: *Et factum eſt poſt triduum, inuenerunt illum in templo*, &c. 786,a & ſeqq. multis.

Et erat ſubditus illis. Chriſtus miniſtrauit parentibus ſuis in opere fabrili,& aliis quibus indigebant. Circa quam materiam multa pia ac pulchra vide 840,b & ſeqq.

DOMINICA II. POST EPIPHAN.

Nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ, &c. Ioan. 2. Deſcribitur Cana, & oſtenditur in qua Cana nuptiæ celebratæ ſint; & inquiritur quis in illis fuerit ſponſus & ſponſa. 852,b vſque ad 855.

Vt autem guſtauit architriclinus aquam vinum factam, &c. Quare Chriſtus in nuptiis his conuerterit aquam in vinum, noluerit verò lapides in panes conuertere, tentatus in deſerto. 195,a

DOMINICA QVINQVAGESIMÆ.

Ecce aſcendimus Ieroſolymam, &c. Matth. 20. Ieroſolyma ſita eſt in altiſſimo loco, & in ſupremo totius Syriæ, ac in medio terræ; vnde & adſcenſus vocatur, quòd vndequaque arduo aſcenſu adeatur: explicatur id totum per ſimilitudinem vmbilici in corpore humano. 31,b & ſeqq.

Et Filius hominis tradetur, &c. Luxuria obliuiſci facit paſſionem Chriſti; contra eam verò nullum efficacius eſt remedium quàm Chriſti paſſio. Hinc eam Eccleſia eo tempore in Euangelio proponit, quo homines in carnalia ita ſunt effuſi. 440,b & ſeqq.

DOMINICA I. QVADRAGESIMÆ.

Ieſus ductus eſt à Spiritu in deſertum, vt tentaretur, &c. Matth. 4. A Spiritu ſancto ductus fuit Chriſtus, proprio verò motu aut voluntate in tentationem ſe non ingeſſit; vt doceret, neminem vltrò debere tentationes quærere, vel grauioribus periculis ſe exponere, etiam pro confeſſione fidei; vnde & fugam ſuaſit, cùm graue malum timetur, dicens: *Cùm autem perſequentur vos in ciuitate ista, fugite in aliam*, Matth. 10. 60,a & ſeqq.

Dic vt lapides iſti panes fiant. In Quarantana monte eſt locus, vbi de gula Chriſtus tentatus fuit; vbi etiam altare eſt, in quo aliquando Miſſa celebratur; vel, ſi facultas non ſuppetit, cantatur Euangelium huius Dominicæ in memoriam Chriſti à diabolo tentati. Ibidem etiam eſt locus, vbi de idololatria Chriſtum ſatanas tentauit. 757,& ſeqq.

Dic vt lapides iſti panes fiant. Quare Chriſtus in nuptiis Canæ Galilææ aquam conuerterit in vinum; noluerit autem lapides in panes conuertere, tentatus in deſerto. 195,a

FERIA V. POST DOMINICAM I. QVADRAGESIMÆ.

Ecce mulier Chananæa de finibus illis egreſſa, &c. Matth. 15. De loco, vbi Chananæa Chriſtum adorauerit, ac pro filiæ ſuæ ſalute rogauerit, duæ ſunt ſententiæ. Eodem autem loco fuit olim Eccleſia ædificata ad perpetuam memoriam; hæc nunc in Meſquitam conuerſa eſt. 907,a & b

FERIA VI. POST DOMINICAM I. QVADRAGESIMÆ.

Eſt autem Ieroſolymis Probatica piſcina, &c. Ioan. 5. Deſcribitur hæc piſcina, & rationes adferuntur, cur dicta fuerit Probatica. 98, a & ſeqq.

Argu-

Digitized by Google

Argumenta quoque contra hiſtoriam Piſcinæ illius proponuntur, & ſoluuntur. 100. vſque ad 101. Vſus aquarum Piſcinæ, illarumque virtus explicatur. 102,a & ſeqq.

DOMINICA II. QVADRAGESIMÆ.

Duxit illos in montem excelſum ſeorſum, & transfiguratus eſt ante eos, Matth. 17. Deſcribitur mons Thabor; & ratio aſſignatur, quare in illo Chriſtus voluerit transfigurari. Plura alia huc ſpectantia, & myſterium Transfiguratonis concernentia explicantur 844,a & ſeqq.

FERIA V. POST DOMINICAM II. QVADRAGESIMÆ.

Homo quidam erat diues, &c. & erat mendicus nomine Lazarus, &c. Lucæ 16. Domus diuitis Epulonis ſtructura deſcribitur: illa hoc tempore adhuc conſeruat diuitis Epulonis nomen & monimentum, ad refricandum memoriæ luxum & inferni cruciatus, quibus immitis ille diues torquetur in æternum; vt eius exemplo diuites huius ſæculi prudentes effecti, diſcant erga inopes eſſe miſericordes. Cùm verò eadem ſancti illius mendici, vlceribuſque pleni Lazari præſentiâ & patientiâ fuerit decorata, meritò inuiſitur; ac firmum reddit teſtimonium, non niſi per multas tribulationes oportere nos introire in regnum Dei, & in patientia poſſidere animas noſtras. 105,a & b

Inter nos & vos chaos magnum firmatum eſt, vt hi qui volunt hinc tranſire ad vos, non poſſint, neque inde huc tranſmeare. Damnatos ſtatim à morte inferno addicit Deus; qui inde non facilè emigrant, nec viuis apparent. 192,b. 194,a & b

FERIA II. POST DOMINICAM III. QVADRAGESIMÆ.

Nemo propheta acceptus eſt in patria ſua, Luc. 4. Communes & ordinarij ciuitatis Nazareth habitatores peſſimi fuerunt, & nunc adhuc tales ſunt; increduli, & in Chriſtum crudeles. 818, a & b

Duxerunt eum ad ſupercilium montis, &c. Locus vbi Nazarethani Chriſtum è ſupercilio montis deturbare voluerunt, deſcribitur, 836, a. 842,b & ſeqq.

Ipſe autem tranſiens per medium illorum ibat. In deflexu ſupercilij collis, è quo impij Nazarethani Chriſtum præcipitare voluerunt, etiamnum videtur locus, vbi Chriſtus (dum tranſiens per medium illorum ibat) ſe abſcondit, contrahente ſe rupe, & opifici ſuo intra ſe latibulum parante: in quo rugæ veſtimentorum, & pedum Chriſti veſtigia impreſſa cernuntur. 170,b

FERIA VI. POST DOMINICAM III. QVADRAGESIMÆ.

Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum, ſed fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam, Ioan. 4. Chriſtus fonti & fluuio paradiſi comparatur quintupliciter. 352,b vſque ad 355. Ad propoſitum verò præſentis Euangelij, Chriſtus fluuius myſticus irriganit terram, & fecit illam germinare ac producere nouellas plantationes, quæ in tantum exſurgerent, vt vſque ad cæleſtem paradiſum peruenirent. Referans autem Saluator mulieri Samaritanæ aquæ ſui fontis virtutem, dixit: *Qui biberit ex hac aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum; ſed fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.* Tantum aſcendit aqua aquilegum peritiâ, quantum altus eſt locus ex quo aſcendit. Chriſtus noſter fluuius, vnde deſcendit? è cælo. Quouſque aſcendit? vſque ad cælum; vt inde vniuerſum mundum cæleſtibus gratiarum aquis lætificaret ac fecundaret. 354, b & ſeqq. & 446,b

Mulier credo mihi, quia venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Ieroſolymis adorabitis Patrem. Licet reſpectu Dei nihil referat quo loco oretur; tamen reſpectu hominum vtiliter locus determinatus ad orandum ſeligitur. 163, a & b

De prædio Iacob, & puteo ſuper quem Chriſtus ſedit, & ad quem Samaritana mulier exiuit, vt aquam hauriret, & alus quibuſdam particularibus hiſtoriam hanc concernentibus, vide 795,b vſque ad 803.

DOMINICA IV. QVADRAGESIMÆ.

Vnde ememus panes, vt manducent hi? Ioannis 6. Deus ſuos tempore neceſſitatis & tribulationis numquam deſerit: quod confirmatur ex mirabili euentu, & Dei prouidentia erga quoſdam Religioſos, & alios pios Chriſtianos ad montem Sinai proficiſcentes. 984, b & ſeqq.

FERIA IV. POST DOMINICAM IV. QVADRAGESIMÆ.

Vade ad natatoria Siloë, &c. Ioan 9. Deſcribitur fons Siloë, & Piſcina eius, ad quam miſſus hic cæcus à natiuitate, lumen recepit: in cuius miraculi memoriam Eccleſia inſignis ibi erecta fuit, cuius hodie exſtant ruinæ. Non fuit tamen Siloë ordinarius ſanitatis conſequendæ locus; alioquin Chriſtus miſiſſet eò cæcum vt illuminaretur. Cùm enim teſtimonio Saluatoris, ille natus fuerit cæcus, vt manifeſtarentur opera Dei in illo, vt, inquam Ieſus, Meſſias & Dei Filius, ex hac miraculoſa illuminatione cognoſceretur; ſi ad aquas Siloë fieri miracula conſueuiſſent, hæc cæci illuminatio non fuiſſet adſcripta virtuti Saluatoris, ſed aquis illis, vel Deo, quem non videbant Iudæi: nec tanta fuiſſet altercatio inter Iudæos ac parentes cæci nati, & ipſum cæcum iam illuminatum; ſed omnes miraculum illud virtuti Piſcinæ adſcripſiſſent. 285, b & ſeqq.

Vade ad natatoria Siloë. Ratio quare cæcus ille ex templo, illitis à Chriſto oculis, ad Piſcinam Siloë miſſus fuerit, habetur 286, a & b

Vade ad natatoria Siloë. Ratio nominis fontis Siloë & originis eius explicatur 288,a & ſeqq.

Vade ad natatoria Siloë. Natatoria illa dicitur Siloë, ad præfigurandum Filij Dei aduentum in mundum, qui ab æterno ſine ſtrepitu, ac cum ſilentio, procedens, id eſt, inuiſibili proceſſione & immutabiliter, homo factus eſt; iuxta illud quod canit Eccleſia: *Dum medium ſilentium tenerent omnia, & nox in ſuo curſu medium iter peragerat, omnipotens ſermo tuus Domine à regalibus ſedibus venit.* 289,a

CONCIONVM FORMANDAR. ELENCHVS.

FERIA VI POST DOMINICAM IV. QVADRAGESIMÆ.

Erat quidam languens Lazarus à Bethania, &c. Ioan. 11. De loco resurrectionis Lazari, & miraculi excellentiâ ex duplici capite considerată, ac sepulchro Lazari, vide 326, vsque ad 328.

FERIA II. POST DOMINICAM PASSIONIS.

Si quis sitit, veniat ad me, & bibat, Ioan. 7. Christus fonti & fluuio paradisi comparatur quintupliciter. 352, b vsque ad 355. Et sanè ad propositum Euangelij hodierni: quando enim Christus ad perfectam ætatem peruenit, prædicatione suâ, misericordiâ, gratiâ miraculorum, velut cælesti aquâ, incultam & arentem cordium humanorum terram coluit & fecundauit. Hinc etiam supra fontem Iacob sedens, sitienti mulieri propinauit aquas, quas bibens, in æternum non sitiret: & hodie in templo stans, quemlibet sitientem ad se vocat, vt sitim restingueret, dicens: *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat.* Nullus ab isto fonte repellitur, omnes ad eum inuitantur, &c. 353, b & seqq. & 446, b

FERIA III. POST DOMINICAM PASSIONIS.

Ambulabat Iesus in Galilæam: non enim volebat in Iudæam ambulare, quia quærebant eum Iudæi interficere, Ioan. 7. Christus suo docuit exemplo, neminem se debere vltrò periculo mortis exponere; imò nec debere, nec licere, confiteri fidem, sed sese occultare, quando malum timetur, iuxta id Matth. 10. *Cum persequentur vos in ciuitate ista, fugite in aliam.* 60, a & seqq.

FERIA VI. POST DOMINICAM PASSIONIS.

Expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat, Ioan. 11. Caiphas optimè dixit Christi mortem esse necessariam; impia tamen atque iniusta fuit sententia, quia ex deprauato affectu & passione processit, & Caiphas illam non vti debebat, intellexit, & multò minùs ex eadem fructum percepit: Christus enim passione & morte suâ non solùm à iustis, sed & ab iniustis, & ipsismet dæmonibus, maximè cognitus fuit. 468, a

DOMINICA PALMARVM.

Cùm appropinquasset Iesus Ierosolymis, & venisset: Bethphage, &c. Matth. 21. Per portam Auream ingressus est Iesus Ierosolymam, quæ non aperitur nisi in Dominica Palmarum. 41, b & seqq.

Cum appropinquasset Iesus Ierosolymis, & venisset Bethphage, &c. Describitur Bethphage, & referuntur, quæ ibi facta fuerunt. Hoc singulare est, quòd palma, ex qua rami præcisi fuerunt à Iudæis vt Christum honorarent, quasi egregium Christi monimentum, in excidio Ierosolymæ superstes manserit, licet ceteræ arbores tunc excisæ fuerint. Tunc quoque porta Aurea Christo ingredienti diuinitus aperta fuit. 332, b. 333, a & b

Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem. Pueri, qui Christo tunc obuiàm facti acclamarunt, à S. Spiritu moti fuerunt. 62, b & seqq.

Quotannis ex Bethphage Ierosolymam Processio fieri solet in Dominica Palmarum, vt conseruetur memoria triumphi Christi. 335, b & seqq.

IN FESTO PASCHÆ.

Surrexit, non est hîc, &c. Marc. 16. Christus suâ resurrectione nobis gratiam & gloriam comparauit. Sicut enim flores arboris ad fructus procreationem, & frondes ad fructuum conseruationem ordinantur: ità opera, miracula, & mors Christi velut flores; eiusque prædicatio tamquam frondes, ad gratiam & gloriam acquirendam & conseruandam diriguntur. Et sicut non prosunt flores & frondes, nisi ad matùritatem fructus perueniant: ita, nisi Christus nobis per suam resurrectionem gratiam & gloriam comparasset, quid nobis eius incarnatio, natiuitas, vita miraculosa, ipsa denique mors & æterni regni prædicatio profuisset? 544, b. Christi resurrectio est item causa nostræ corporalis & spiritualis resurrectionis. 546, a & b

Surrexit, non est hic. Christus, qui in vita & morte quodammodò absconditus & incognitus fuit, in resurrectione maximè cognitus fuit; vnde pulchrè radici & lilio comparatur: fuit enim tibi & nobis spes resurgendi post mortem. 22, b & seqq.

Christus vbi, & quibus, primò post resurrectionem apparuerit. 71, & seqq. multis.

FERIA II. PASCHÆ.

Ipse Iesus appropinquans, ibat cum illis, &c. Luc. 24. De loco vbi Christus duobus discipulis euntibus in Emmaus apparuit. Descriptio Emmaunis, & eorum quæ ibi vel circà contigerunt. 718, a vsque ad 721, b

Nonne hæc oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam? Christus licet essentialem animæ beatitudinem & alia gratiæ dona gratis à Patre obtinuerit, suâ tamen passione & morte nominis sui claritatem & gloriam corporis meruit. 473, a & seqq.

IN FESTO ASCENSIONIS DOMINI.

Et Dominus quidem Iesus, postquam locutus est eis, assumptus est in cælum, Marc. 16. De loco Ascensionis Domini & mirabilibus quæ circa vel post eamdem contigerunt, scilicet quomodo vestigia in rupe indelebiliter impressa fuerint; atque Ecclesia claudi non potuerit, & ceteris notatu dignissimis, vide à 309, vsque ad 319. Singulariter autem inuestigatur, quare Christus versâ ad Aquilonem facie ascenderit, vbi curiosa & moralia multa inueniuntur. 314, b vsque ad 317, b

IN FESTO PENTECOSTES.

Paracletus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, &c. Ioannis 14.

Digitized by Google

nis 14. Quatuor ob causas soler ignis à Deo de cælo mitti: assignantur hæ pag. 560, b. Ignis verò qui in die Pentecostes super discipulos Christi in Cœnaculo congregatos descendit, & qui in primitiua Eccl. sia super baptizatos subinde apparebat, ideò apparebat, vt illo visibili signo Spiritus sanctus iliis innotesceret. 562, a

FERIA II. PENTECOSTES.

Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret, Ioan. 3. Quomodo dilectio Dei erga homines nimia fuerit, & non nimia, explicatur, 224, b

IN FESTO SS. TRINITATIS.

Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra: euntes ergo docete omnes gentes, Matth. 28. Licet olim Deus notus esset in Iudæa, & in Israël magnum nomen eius; hodie tamen beneficio Christi Saluatoris, diuinæ cognitionis lux vbique terrarum effulsit, cùm Apostolis præcepit, vt irent in vniuersum mundum, & Euangelium omni creaturæ prædicarent. 25, a

Euntes docete omnes gentes. Christus fuit omnibus spes salutis, quam omnibus modis procurauit. 23, b & seqq.

Euntes docete omnes gentes. Debebant Apostoli diuidi & dispergi per omnem terram, ad hominum conuersionem. 131, b

DOMINICA INFRA OCTAVAM CORPORIS CHRISTI.

Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocauit multos, Lucæ 14. Variæ sunt explicationes huius parabolæ. Quidam eam explicant de Eucharistia; quidam, de Euangelio; quidam, de gloria cælesti, &c. Nos verò per cœnam illam magnam non incongruè significari dicimus conuiuium & cœnam illam, quam fecit Christus in monte Caluariæ, in qua cuiuscumque generis cibi animam hominis confortantes, scilicet spiritualium bonorum, à Christo omnibus præparati sunt; licet non æqualiter omnes ad illud conuiuium admissi sint. Christus enim morte suâ omnibus spiritualia meruit bona, quoad sufficientiam, sed non quoad efficaciam. Aliqui namque illius salutares dapes degustarunt; at plures easdem neglexerunt: quidam fructum perceperunt, quidam non. 471, b & seqq.

Si quis huius conditiones conuiuij pulchrè descriptas habere velit, videat 470, b & seqq. Conuiuarum conditio, & quomodo Saluator conuiuij illius dapibus pastus fuerit, explicatur, 473, b & seqq.

DOMINICA IX. POST PENTECOST.

Videns Iesus ciuitatem, flenit super illam, Lucæ 19. Sancti licet ex affectu iustitiæ in punitione malorum lætentur; ex naturali tamen pietate de eadem tristantur. Christus similiter licet ex affectu iustitiæ gauderet, prænidens Ierosolymam ob innumera peccata vastandam; videns tamen ciuitatem, ac illius desolationem præcognoscens, præ compassione lacrymatus est: nam *videns ciuitatem, flenit super illam.* 464, b & seqq.

Videns Iesus ciuitatem, flenit super illam. Inuestigatur, quare & vbi fleuerit Christus: nam in eodem loco vbi fleuit, posita fuit obsidio ciuitatis. 301, a & b. In eodem loco vbi Christus prædixit destructionem templi & Ierosolymæ, ædificata fuit Ecclesia. 307, a & b

DOMINICA XII. POST PENTECOST.

Homo quidam descendebat ab Ierusalem in Iericho, &c. Lucæ 10. Parabola hæc est, non vera historia. Causa autem, cur Christus eam proposuit, fuit, vt doceret quemdam Legisperitum quid facere eum oporteat, vt vitam æternam consequatur, scilicet Deum & proximum diligere. Cumque ille à Christo quæreret, quis esset eius proximus; respondit, illum esse proximum qui benefacit, quicumque ille sit, siue Iudæus, siue Gentilis; & explicat hoc parabolâ illâ hominis descendentis ab Ierusalem in Iericho. 736, a & b

DOMINICA XIII. POST PENTECOST.

Occurrerunt ei decem viri leprosi, Lucæ 17. Vbi, & quâ occasione Christus decem illos leprosos sibi occurrentes mundauerit, pulchrè & curiosè describitur, 814, a & seqq.

DOMINICA XV. POST PENTECOST.

Noli flere, &c. Lucæ 7. Propter amissionem temporalium, amicorum, prolium, &c. dolere & flere licet, modò non fiat excessus. Consuetudo deflendi mortuos apud Romanos & Hebræos. 225, a & b

DOMINICA XVII. POST PENTECOST.

Diliges Dominum Deum tuum, &c. Matth. 22. Diligere Dominum Deum super omnia, non est excellus; sed necessarium ac laudabile, quia illi omnis honor & gloria debetur tum ratione infinitæ excellentiæ ipsius, tum ratione creationis, redemptionis & glorificationis, tum ratione diuini præcepti. Sed non similiter debemus nosmetipsos & proximum nostrum diligere: id enim cum limitatione & modo fieri debet. 225, a

Diliges Dominum Deum tuum. Deum oportet diligere, eique seruire, non spe mercedis, aut timore pœnarum; quod P. Fr. Iuoni, ex Ordine Prædicatorum mirabili euentu ostensum fuit. 884, a & seqq.

DOMINICA XIX. POST PENTECOST.

Prandium meum paratum est, altilia mea occisa sunt, Matth. 22. Tametsi variæ sint sententiæ de hoc prandio & conuiuio; tamen id optimè intelligi potest de conuiuio in monte Caluariæ, per montem conuiuij pinguium apud Isaiam cap. 25. significato. Nusquam enim vtilius conuiuium fecit Christus, quàm in crucis mensa, seu cathedra, vbi septem illis efficacissimis verbis, exemplo firmatis, velut septeni suauissimis vitalibus cibis, omnem animam esurientem satiauit: illis namque plus profecit, vti verè opinantur graues Doctores, quàm præcedenti trium annorum prædicatione. 467, a & seqq. Vbi similiter omnia ad conuiuium, commentales eiusdem, ac eorum condi-

Digitized by Google

conditiones ſpectantia, accuratè ac moraliter explicantur.

DOMINICA XXIII. POST PENTECOST.

Tetigit fimbriam veſtimenti eius, Matth. 9. Mulier quæ à fluxu ſanguinis curata eſt, oriunda fuit ex Cæſarea Philippi; quæ accepti beneficij memor, ſtatuam æream Saluatori erexit, ſub qua herba excreſcens, & vſque ad fimbriam veſtimenti pertingens, virtutem habuit ſanandi quoſcumque morbos: hanc ſtatuam deiecit Iulianus Apoſtata. 744,2

DOMINICA XXIV. POST PENTECOST.

Cùm videritis abominationem deſolationis, &c. Matth. 24. Tametſi Ieroſolyma non fuerit ſummæ magnitudinis; tamen tot hominum, tam virorum quàm mulierum millia tempore obſidionis per Titum in ea diurnâ diſpoſitione inuenta fuerunt, vt omnes velut carceri eſſent incluſi, atque ita ex obſeſſorum anguſtia, facta ſit regia & delicata ciuitas ſpelunca latronum, demeritis Iudæorum id poſtulantibus, ob iniuſtam Saluatori illatam necem. 37, a & b

Cùm videritis abominationem deſolationis. A Tito deſtructi ſunt Iudæi, & eorum ciuitas; ac didrachmæ tributum, quod quotannis in templum inferebant, pendere debuerunt Ioui Capitolino. 40, a

Cùm videritis abominationem deſolationis. Multa Iudæorum millia rurſum deleta ſunt ab Imp. Ælio Adriano, qui & ciuitatem penitus deſtruxit, ac locum excitæ ciuitatis ſale aſpergi iuſſit. Itaque adimpletum fuit Chriſti vaticinium, quòd in ea non eſſet relinquendus lapis ſuper lapidem. Deinde reædificatâ ciuitate, Iudæis tamen interdictum fuit illam ingredi. 40, b

Cùm videritis abominationem deſolationis. Quomodo vaticinium Chriſti de Ieroſolymæ deſtructione impletum fuerit. 106, a & ſeqq. 114, a

ELENCHVS AD FORMANDAS CONCIONES PRO FESTIVITATIBVS SANCTORVM.

IN FESTO S. ANDREÆ APOSTOLI.

AMBVLANS *Ieſus iuxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem qui vocatur Petrus, & Andream fratrem eius*, &c. Matth. 4. Lorinus dicit, non procul à portu Ioppes monſtrari ſaxum, ſuper quo Petrus lauans retia ſua, vocatus fuit à Chriſto ad Apoſtolatum; ſed refellitur, & oſtenditur quo loco id factum fuerit. 6, a

Ambulans Ieſus iuxta mare Galilææ. Quare omnes Apoſtoli dicti ſint Galilæi. 93, a & b

IN FESTO S. THOMÆ APOSTOLI.

Domus S. Thomæ Apoſtoli Ieroſolymis in Eccleſiam à fidelibus conuerſa eſt: in quam nemo non baptizatus ingredi poteſt, quin ſtatim moriatur. 75, a & b

Materiam pro Feſtis aliis circa Natiuitatem Domini occurrentibus, vide in Elencho Concionum de Tempore.

IN FESTO PVRIFICATIONIS B. MARIÆ VIRGINIS.

Poſtquam impleti ſunt dies purgationis eius ſecundùm legem Moyſi, Lucæ 2. B. Maria Virgo, vt ad tempus ſuam virginitatem occultaret, voluit, etſi omnium creaturarum purißima, corruptis & impuris mulieribus ſe purificando aſſimilare, & templi ingreſſu quadraginta à ſuo partu diebus abſtinere: quibus exactis, Filium ſuum ſecundùm legem, ac ſi virgo non eſſet, obtulit cum oblatione puerperarum aliarum. 267, a & b

Poſtquam impleti ſunt dies purgationis eius, &c. B. Maria tametſi purgationis lege non teneretur, ex humilitate tamen illam obſeruauit: & poſtquam quadraginta diebus à partu in Bethlehem manſiſſet, detulit Filium ad templum, nullo modo in partu debilitata, nec colore mutata; in via autem quieuit ſub arbore terebinthi, quæ ſeſe miraculosè illi inclinauit: hæc vſque in præſens tempus adhuc perſeuerat. 601, a & b & ſeqq.

Accepit puerum in vlnas ſuas, &c. Simeon, qui Chriſtum in templo in vlnas accepit, fuit iuſtus, & ſacerdos: vnde concluditur, illum non fuiſſe cæcum. Erat autem non tantùm videns oculis corporis, ſed & ſpiritus; vtpote Propheta. Deſcribitur eius exultatio visâ Deiparâ & Chriſto; item, quomodo ſenio confectus mortuus fuerit. 599, b & ſeqq.

Quod parasti ante faciem omnium populorum, Lumen, &c. Chriſtus fuit omnibus expoſitus; vnde non dicitur Lumen Iudææ, vel alicuius particularis prouinciæ aut populi, ſed Lumen omnium populorum. 25, a

IN FESTO CATHEDRÆ S. PETRI APOSTOLI.

Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, Matth. 16. S. Petrus Eccleſias viſitans Antiochiam pergit, ac ibidem fundat Eccleſiam, cui ſeptem annis præfuit. Datur ratio, quare illi Eccleſiæ præfectus fuerit, & quare Eccleſia Antiochena aliis Eccleſiis prælata ſit. Eccleſiæ Antiochenæ progreſſus, vbi fideles primò Chriſtiani ſunt appellati. 915, b & ſeqq.

Tu es Petrus, &c. Antiochiæ domus Theophili, nobilis Antiocheni, in Eccleſiam ad honorem S. Petri, adhuc viuentis, conſecrata fuit, in eaque S. Petri cathedra collocata. 88, b. & ſeqq.

Portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. Eccleſia Chriſti ſignificatur per Sion, ob eius durationem, firmitatem ac celſitudinem: Sion enim *excelſum* ſeu *ſpeculam* ſignificat. Vnde Auguſtinus explicans illud Pſalmi 86. *Diligit Dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Iacob;*

Digitized by

eob; Sionis nomine intelligit Ecclesiam; per tabernacula verò, Moysis Synagogam, cui illam in dilectione prætulit Deus. Tribuit, proinde portas Sioni, propter firmitatem Ecclesiæ; tabernacula verò Iacob, propter Synagogæ mutationem. 114, b

IN FESTO S. MATHIÆ APOSTOLI.

Et cecidit sors super Mathiam, Actor. 1. Locus electionis S. Mathiæ ad Apostolatum describitur, 131. b. Declaratur quid fuerit illa sors, quæ super eum cecidit. ibid. & 132, a & b

IN FESTO SS. PHILIPPI ET IACOBI.

Iacobo licitum fuit ingredi in Sancta sanctorum propter magnam & notam eius sanctitatem. 84, b & seqq. Iosephus lib. 20. Antiquit. cap. 8. tanti facit S. Iacobum, vt Ierosolymam destructam, ac Iudæos dispersos & occisos fuisse censeat, propter mortem iniustè illi inflictam. 85, b. Quando fuerit Ierosolymæ Episcopus. 120, b & seqq.

IN FESTO INVENTIONIS S. CRVCIS.

Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, Ioan. 3. Tota historia Inuentionis S. Crucis longè & latè explicatur 402, vsque ad 413. Hoc autem singulariter notandum est, quòd, sicuti ad tollendam memoriam sanctæ Crucis, in loco eius erecta fuerat statua Veneris; ita postmodum Constantinus Imp. vt iniuriam S. Cruci Ierosolymis factam vindicaret, & è dilecta ciuitate impurum amorem auferret, Veneris & Cupidinis fanum ac statuam deiecerit, aliudque templum erexerit, in quo partem inuentæ Crucis, cui illud dicauerat, pio cultu venerandam reliquit. Nihil enim est ad tollendam memoriam Crucis & passionis Christi efficacius, quàm venus & luxuria; nullum est vice versâ contra luxuriam & venerem remedium potentius, quàm Crux & passio Christi. 440, b & seqq.

Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto &c. Christi corpus, & regio vbi passus est, mundi est meditullium. Sicut enim à medio participant extrema, & è centro protrahuntur ad circumferentiam lineæ, & eædem à circumferentia ad centrum protenduntur: ita omnes è Christo in Caluariæ monte in ara crucis exaltato, diuina charismata participarunt, ex ipso originem traxerunt fideles, & ex omnibus mundi partibus ad ipsum, ceu ad centrum (quod vbique est, & nullâ circumferentiâ clauditur) omnes gentes confluxerunt: tunc enim omnia, tam quæ in cælis quàm in terra sunt, ad se traxit, sicut & antè prædixerat: *Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia trahàm ad me ipsum.* 435, b. Sanè ad Christum in cruce pendentem omnia tracta fuerunt; eiusque passionem ac mortem quodam modo deflcuerunt. 513, a & seqq.

Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis. Verba Isaiæ capite 11. *Qui stat in signum populorum*, &c. de Christo iuxta eius humanitatem intelligenda sunt, secundùm quam positus fuit in signum cui contradiceretur, cùm in cruce exaltatus, & in sepulchro tumulatus fuit: propter quam etiam vbique, in cælo & in terra, & subtus terram adoratur. 21, a

IN FESTO NATIVITATIS S. IOANNIS BAPTISTÆ.

Quis putas puer iste erit? &c. Lucæ 1. S. Ioannes Baptista fuit Eremitarum princeps, & plura deserta sanctificauit; fugit homines, vacauit orationi, & cum Angelis conuersatus fuit. Describitur eius antrum, in quo puerulus habitauit; & quæritur quò anno pueritiæ secesserit in desertum. 707, a vsque ad 709, a

Quis putas puer iste erit? S. Ioannes Baptista in conceptione, natiuitate, innocentia, prædicatione, Christo similis fuit. Solet enim Deus quos sibi præuidet similes fore in vita, etiam similes facere in natiuitate. 711, a & b

De loco natiuitatis S. Ioannis Baptistæ, vide 710, a & seqq.

In qua ciuitate decollatus fuerit S. Ioannes; vbi corpus & caput eius sepultum fuerit; vbi nunc seruetur caput eiusdem, cineres corporis, digitus, &c. 812, a & b & seqq.

Saraceni honorant S. Ioannem Baptistam, & Reliquias eius in serinio positas quotannis honorificè deportant; quæ contra impetum Nili fluminis miraculosè ascendunt. 948, a

IN FESTO VISITATIONIS B. MARIÆ VIRGINIS.

Exurgens Maria abiit in montana, &c. Luc. 1. Disputatur latè quæ sint illa montana Iudææ, & quæ fuerit ciuitas ac domus Zachariæ, in quam Maria intrauit. 700. & seqq. Domus Zachariæ describitur, & locus assignatur vbi Deipara dixit: *Magnificat anima mea Dominum*, &c. 709, a & b.

IN FESTO S. MARIÆ MAGDALENÆ.

Ecce mulier quæ erat in ciuitate peccatrix, Lucæ 7. Variæ sententiæ de loco communi & particulari conuersionis S. Mariæ Magdalenæ referuntur, nec non alia historiam illam concernentia explicantur 95. vsque ad 98, b

Ecce mulier quæ erat in ciuitate peccatrix. Peccator, licet innumeris criminibus irretitus, non debet de misericordia Dei desperare; quia magna est Dei misericordia, vt patet exemplo huius peccatricis famosissimæ, & regis Manassis; qui licet nequissimus, postea tamen conuersus fuit, & benè mortuus, ac propterea eius sepulchri memoria ab antiquis omnibus in monte Sion fuit conseruata. 118, a & seqq.

IN FESTO S. IACOBI APOSTOLI.

Calicem quidem meum bibetis, &c. Matth. 20. S. Iacobus primus Apostolorum pro Christo sanguinem suum fudit: cuius martyrium à Christo fuit prænuntiatum, his verbis: *Calicem quidem meum bibetis*. Eius autem martyrium, & historia translationis corporis illius in Hispaniam describitur, 76, a & seqq.

IN FESTO S. LAVRENTII.

Nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet, &c. Ioannis 12. Volnit Christus his verbis, secundùm omnium

Doctorum ſententiam mortis ſuæ neceſſitatem oſtendere, ex qua tum ſibi tum aliis vberes gloriæ fructus prouenire debebant, ſicut ex ſeminis grano terræ mandato, & putrefacto, plenæ meſſis manipuli colliguntur; non autem ſi integrum in horreo maneat. Quare autem ſeminis corruptionem & putrefactionem, mortem appellauerit, explicatur 545, b

IN FESTO ASSVMPTIONIS B. MARIÆ VIRGINIS.

Deſcribitur domus, in qua Deipara à die Adſcenſionis Domini vſque ad obitum ſuum manſit. 142,b & ſeqq. Quomodo S. Ioannes Euangeliſta curam B. Mariæ geſſerit: probabiliter in Epheſi cum illa habitauit. 143,b & ſeqq.

Quot annis ipſa vixerit, quomodo Apoſtoli omnes Ieruſalem conuenerint, ei morienti adfuerint, Chriſto cum Angelis præſente, eiuſque animam ſuſcipiente, & Apoſtolis corpus eius in vallem Ioſaphat deferentibus. 144,b & ſeqq. Deſcribitur hiſtoria funeris illius. 148,a & ſeqq.

Item ſitus, materia & forma ſepulchri Deiparæ, ex quo poſt triduum corpore & animâ glorioſa ſurrexit, atque Angelis comitata, magno omnium iubilo aſſumpta fuit in cælum, ſuper omnes Angelorum choros collocata. 238,a & b. Illuc in Feſto Aſſumptionis huius ad Veſperas Fratres Minores conueniunt, ibique manent vſque ad ſequentem diem, magno cum gaudio Virginis in cælum aſſumptæ feſtiuitatem celebrantes. 239,a

Plura ſepulchrum prædictum concernentia, vide 239,a & ſeqq. Quomodo S. Thomæ Apoſtolo poſt glorioſam hanc Deiparæ aſſumptionem cingulum ipſius è cælo demiſſum fuerit, vide 301,a

IN FESTO NATIVITATIS B. MARIÆ VIRGINIS.

Liber generationis Ieſu Chriſti, &c. Matth. 1. Matthæus in Genealogia Chriſti, nullam ſanctam mulierem refert, ſed eas tantùm quæ in Scriptura ſacra referuntur vt peccatrices; vt *qui propter peccatores venerat, de peccatoribus naſcens, omnium peccata aboleret*, ait Hieronymus. 24,b

IN FESTO S. MATTHÆI APOSTOLI ET EVANGELISTÆ.

Vidit Ieſus hominem ſedentem in theloneo, &c. Matth. 9. Chriſtus in mundum venit, vt omnium ſalutem operaretur: hinc ad domos virorum æquè ac mulierum, pauperum ſimul & diuitum, Matthæi, Zachæi, &c. accedebat, vt omni loco & apud omnes ſalutares inſtructiones daret. Obibat Chriſtus ciuitates & caſtella, prædicans & euangelizans regnum Dei, vt oſtenderet ſe omnium ſaluti intendere. 23,b & ſeqq.

IN FESTO S. LVCÆ EVANGELISTÆ.

Ecce ego mitto vos ſicut agnos inter lupos, Luc. 10. Licitum & laudabile eſt ſeſe morti exponere pro Chriſto & fide. 59,b. Confeſſio verò fidei laudabilis & meritoria eſt in his qui ab habente auctoritatem mittuntur ad prædicandum infidelibus Euangelium, ex quorum prædicatione fructus ſperatur. Ideò laudandi ſunt Apoſtoli, qui à Chriſto miſſi fuerunt in mundum vniuerſum, vt prædicarent Euangelium omni creaturæ: laudandi quoque alij viri Apoſtolici, ad infidelium conuerſionem miſſi. 60,a & b. Non eſt autem licitum, vltrò ſeſe pro fidei confeſſione morti exponere, vel ibi eam prædicare, vbi nullus ſperatur fructus, ſed potiùs timetur damnum, ac Dei & fidei contemptus. 60,b

IN FESTO PRÆSENTATIONIS B. MARIÆ VIRGINIS.

Quando Feſtum Præſentationis B. Mariæ Virginis inſtitutum ſit, & quomodo templum Præſentationis etiam ipſi Turcæ honorent, habetur 79,b & ſeqq.

B. Maria Virgo fuit à parentibus Deo dicata, & in templo relicta ac educata, vbi Angelorum miniſterio paſcebatur; atque in eo loco templum Præſentationis exſtructum fuit, cuius auctor & forma deſcribitur, 77,b & ſeqq. & 82,a & b

Reſponderur etiam argumentis, quibus probatur Deiparam non fuiſſe in templo præſentatam, nec in Deo dicatarum virginum loco habitaſſe. 82, b ſeque ad 89. vbi multa habentur rara & doctrinalia ad hiſtoriam Præſentationis Deiparæ ſpectantia.

IN FESTO S. CATHARINÆ VIRGINIS ET MARTYRIS.

S. Catharinæ corpus quamdiu manſerit in ſummitate montis Sinai. De ſacello, vbi eius corpus ibi poſitum fuit; de Reliquiis eius, & liquore ſtillante, &c. 997, a & ſeqq. 1002, b & ſeqq.

Vide in Indice rerum ſub titulo S. Catharina.

IN COMMVNI MARTYRVM.

Sanctorum Reliquiæ honorandæ, & quæ beneficia illarum intuitu Deus elargiatur. Quomodo Sanctorum ſuorum corpora honorari velit; in quo eius iuſtitia & miſericordia eluceſcit. 140, b & ſeqq.

Vide ſuprà in Feſto S. Lucæ, quomodo Martyres laudabiliter pro fide Chriſti ſe morti exponere poſſint.

IN DEDICATIONE ECCLESIÆ.

Ingreſſus Ieſus perambulabat Iericho, Lucæ 19. Quomodo Chriſtus omnium ſalutem procurare intenderit, vide ſuprà in Feſto S. Matthæi.

Hodie ſalus huic domui facta eſt. Zachæi domus adhuc exſtat. Quomodo, vel quâ occaſione Chriſtus in ea exceptus fuerit. 752, b. An adhuc exſtet ſycomorus, in quam Zachæus aſcendit. 753, a. Sacris miniſteriis honeſta debent eligi loca, ad noſtrum commodum, ad maiorem erga Deum reuerentiam, ad Eccleſiæ pacem conſeruandam, & inſidias hæreticorum declinandas. Sic factum fuit in primitiua Eccleſia; in qua ad hoc ſacræ ædes deputatæ ſunt. 87,a & ſeqq.

Licet reſpectu Dei, nihil referat quo loco oretur; tamen reſpectu noſtri, vtiliter locus & finis ad orandum determinatus eligitur. 163,a & ſeqq.

Quare olim Eccleſiæ in formam Crucis exſtructæ fuerint, vide 242, b & ſeqq.

BENEVOLO LECTORI.

PVS *de Terra Sancta, pie ac ſtudioſe Lector,* CHRISTO IESV *inſpirante conceptum, eiuſdem ſpeciali auxilio circa annum milleſimum ſexcenteſimum decimum ſextum ab illius feliciſſimo ortu inchoatum, circa* M. DC. XXV. *abſolutum, & approbatum, anno verò Domini* M. DC. XXXIV. *imprimi cœptum, tandem* M. DC. XXXIX. *in lucem prodit. Quare autem Opus ſummi Opificis gloriam commendans, publicæque proſpiciens vtilitati, non ſtatim ſit editum, ſed intra cellulam tot annis delituerit; ſuſpicari non immeritò quis poſſet, factum id iuxta Lyrici placitum, monentis, Opus expeditum non ſtatim euulgandum, ſupprimendum potiùs; vt priùs non animaduerſa deprehendantur & corrigantur, atque Opus magis magisque perficiatur. Sed altiori id factum conſilio arbitror, ſine vtique conſimili. Porrò non ſemel Operis huius impreſſionem tentaui: nam Mediolani primò, deinde Venetiis excudendum propoſui. Verùm amici dehortabantur: timebant enim ne imperfectum, aut non ſatis limatum prodiret. Optabant alij, Romam irem, Operi meliùs conſultum iri exiſtimantes; ſed omnia infecta. Interim Deo ita diſponente, à Seraphici Ordinis Generali iuſſus fui Ieroſolymam redire, vt quæ anteà notaram, denuò accuratiùs obſeruarem, corrigenda emendarem, & multa adderem prætermiſſa: vtinam feliciter factum! In Italiam reuerſus, vix, vt verum fatear, illi lucem ſperabam, aliis atque aliis ſubnaſcentibus cogitationibus: ſed opportunam nactus occaſionem in Belgium proficiſcendi, Antuerpiam præſertim, amicorum tale iter ſuadentium conſilio acquieui: fore enim dicebant, vt faciliori negotio, exactiusque Opus illic cuderetur. Verùm ibi quoque exortæ difficultates: ſed, vt mihi certiſſimè perſuadeo, euentu comprobante, à Deo, cui de omnibus eſt cura, ordinatæ. A Deo inquam, cui Opus hoc in ſanctiſſimo Caluariæ monte, ac glorioſo illius Sepulchro, ſuper Altare poſitum inter Miſſarum ſolemnia commendaram, & obtuleram. Et quidem non fuiſſe irritas preces & ſacrificia, non meis meritis, ſed Sanguinis* IESV CHRISTI, *piè ſentio. Deus itaque tot immiſit difficultates, vt non niſi à peritiſſimo viro, æquo rerum æſtimatore, tale Opus excuſum ederetur. Peruenit propterea ad manus eximij Typographi, nulli in eo munere ſecundi, viri clariſſimi, non mediocris eruditionis, & Chriſtianâ pietate illuſtris. Eſt hic Balthaſar Moretus, celeberrimæ Typographiæ Plantiniana columen & decus.* CHRISTVS IESVS *crucifixus, Dominus noſter, hunc ſibi inter ceteros delegit. Fuit iſte obſtetricans Domini manus, quâ obſtetricante, fetus hic tandem in lucem incolumis prodiit; vt olim per Ægyptias obſtetrices Hebræorum maſculis vitam & ſalutem conſeruauit.* Exod. 1. *Sed perpendè, quæſo, ac diligenter conſidera viri huius pietatem, ac liberalitatem. ipſe libenter, gratoque animo Opus imprimendum ſuſcepit: ipſe diligenter vidit, legit, approbauit: ipſe vt emendatè, ac pro dignitate cuderetur, inuigilauit; & aliis haud ſatis fidens, tutius fore exiſtimauit, ſi ipſe oculis ſuis lynceis Operi aſſiſteret. quod & ſummâ animi contentione præſtitit; ſuiſque ſumptibus non ſolùm Opus prælo tradidit, ſed etiam imagimbus in ære inciſis exornauit. nihil denique intactum reliquit, quo minùs vndequaque perfectum & expolitum prodiret. Armorum ſtrepitus in Lotharingiâ, vnde Antuerpiam charta adferri ſolet, impreſſionem retardauit. Sed diuinâ id prouidentiâ factum velim cogites: quemadmo-*

dum enim infans diuturniore matris nutricisve custodiâ vegetior existit; ita fetus hic accuratior & emendatior, quia serotinus, apparuit. Hæc dixisse placuit, tum vt Typographi tarditatem excusem, tum vt CHRISTO *meo* IESV *omnium bonorum largitori corde, ore scriptóque gratias agam, atque tam præclaro viro, eximioque* CHRISTI *administro, erga me munificentissimo, memorem accepti beneficij mentem animumque declarem. hoc enim Deo & hominibus acceptum, perficienti verò vtile.*

Lib. 2. de Benef. c. 24. *nam verè Seneca:* Nemo non gaudet beneficium suum latiùs patere. *& Christus dixit:* [a] Colligite fragmenta, ne pereant; *id est, nec minima beneficia obliuiscimini, vt S. Bernardus* [b] *explicat. maiora ergo oblivioni tradenda? Vitium igitur ingrati animi vitium,* [c] *animæ inimicum, meritorum exinanitionem, dispersionem virtutum, beneficiorum perditionem. Idque certè nisi præstitissem, meritò dici posset:* Non est inuentus qui rediret, & daret laudem Deo. *Itaque Deus Opt. Max. semper glorificetur, & tamquam prodigus bonorum omnium auctor agnoscatur, & viuat in æternum, & vltrà. Reddantur etiam gratiæ pro cõllatis beneficiis Moreto nostro eiusdem administro: qui vt diu sospes & incolumis viuat, ad Dei laudem & gloriam, & ad Christiani orbis vtilitatem, Dominum meum* IESVM *obnixè precor: & post vitæ præsentis laboriosam peregrinationem, ad cælestem Ierusalem, & pacem peruenias sempiternam. Vtque olim benefecit Deus obstetricibus Hebræarum, & ædificauit eis domos; quia timentes magis Deum quàm Ægyptium Regem, puerperas Hebræas obstetricantes, natos masculos, iuxta crudele & inhumanum eiusdem Regis præceptum, non interficiebant, sed illos seruabant: ita Balthasari nostro, qui lucis vsuram tot filiis, id est libris, concessit; his nostris præcipuè (non tam lucri gratiâ, quàm ad maiorem Dei gloriam, & communem proximi vtilitatem) post terrestris domus suæ dissolutionem, ædificetur domus non manufacta, æterna in cælis, vt loquitur Apostolus, in quâ videat filios filiorum suorum, pacem super Israël: videat, inquam, & recipiat mercedem & præmium, quæ velut filios pepererunt ipsius bona opera; & in felici mansione tamquam Sanctorum ciuis, ac Dei domesticus, cum eodem, beatissima Virgine Deipara, Angelis, & Sanctis omnibus sempiterno perfruatur æuo. Vale beneuole Lector.*

[a] Ioan. 6.
[b] Serm. 51 in Cant.
[c] Bernard. ibid.
Luc. 17. 18.
Exod. 1, 20. & 21.
2. Cor. 5, 1.

Digitized by Google

ANTVERPIÆ,

EX OFFICINA PLANTINIA

BALTHASARIS MORETI.

M. DC. XXXIX.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

conditiones ſpectantia, accuratè ac moraliter explicantur.

DOMINICA XXIII. POST PENTECOST.

Tetigit fimbriam veſtimenti eius, Matth. 9. Mulier quæ à fluxu ſanguinis curata eſt, oriunda fuit ex Cæſarea Philippi; quæ accepti beneficij memor, ſtatuam æream Saluatori erexit, ſub qua herba excreſcens, & vſque ad fimbriam veſtimenti pertingens, virtutem habuit ſanandi quoſcumque morbos: hanc ſtatuam deiecit Iulianus Apoſtata. 744,a

DOMINICA XXIV. POST PENTECOST.

Cùm videritis abominationem deſolationis, &c. Matth. 24. Tametſi Ieroſolyma non fuerit ſummæ magnitudinis; tamen tot hominum, tam virorum quàm mulierum millia tempore obſidionis per Titum in ea diuinâ diſpoſitione inuenta ſuerunt, vt omnes velut carceri eſſent incluſi, atque ita ex obſeſſorum anguſtia, facta ſit regia & delicata ciuitas ſpelunca latronum, demeritis Iudæorum id poſtulantibus, ob iniuſtam Saluatori illatam necem. 37, a & b

Cùm videritis abominationem deſolationis. A Tito deſtructi ſunt Iudæi, & eorum ciuitas; ac didrachmæ tributum, quod quotannis in templum inferebant, pendere debuerunt Ioui Capitolino. 40, a

Cùm videritis abominationem deſolationis. Multa Iudæorum millia rurſum deleta ſunt ab Imp. Ælio Adriano, qui & ciuitatem penitus deſtruxit, ac locum excitæ ciuitatis ſale aſpergi iuſſit. Itaque adimpletum fuit Chriſti vaticinium, quòd in ea non eſſet relinquendus lapis ſuper lapidem. Deinde reædificatâ ciuitate, Iudæis tamen interdictum fuit illam ingredi. 40, b

Cùm videritis abominationem deſolationis. Quomodo vaticinium Chriſti de Ieroſolymæ deſtructione impletum fuerit. 106, a & ſeqq. 114, a

ELENCHVS AD FORMANDAS CONCIONES PRO FESTIVITATIBVS SANCTORVM.

IN FESTO S. ANDREÆ APOSTOLI.

AMBVLANS *Ieſus iuxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem qui vocatur Petrus, & Andream fratrem eius*, &c. Matth. 4. Lorinus dicit, non procul à portu Ioppes monſtrari ſaxum, ſuper quo Petrus lauans retia ſua, vocatus fuit à Chriſto ad Apoſtolatum; ſed refellitur, & oſtenditur quo loco id factum fuerit. 6, a

Ambulans Ieſus iuxta mare Galilææ. Quare omnes Apoſtoli dicti ſint Galilæi. 93, a & b

IN FESTO S. THOMÆ APOSTOLI.

Domus S. Thomæ Apoſtoli Ieroſolymis in Eccleſiam à fidelibus conuerſa eſt: in quam nemo non baptizatus ingredi poteſt, quin ſtatim moriatur. 75, a & b

Materiam pro Feſtis aliis circa Natiuitatem Domini occurrentibus, vide in Elencho Concionum de Tempore.

IN FESTO PVRIFICATIONIS B. MARIÆ VIRGINIS.

Poſtquam impleti ſunt dies purgationis eius ſecundùm legem Moyſi, Lucæ 2. B. Maria Virgo, vt ad tempus ſuam virginitatem occultaret, voluit, etſi omnium creaturarum purißima, corruptis & impuris mulieribus ſe purificando aſſimilare, & templi ingreſſu quadraginta à ſuo partu diebus abſtinere: quibus exactis, Filium ſuum ſecundùm legem, ac ſi virgo non eſſet, obtulit cum oblatione puerperarum aliarum. 167, a & b

Poſtquam impleti ſunt dies purgationis eius, &c. B. Maria tametſi purgationis lege non teneretur, ex humilitate tamen illam obſeruauit: & poſtquam quadraginta diebus à partu in Bethlehem manſiſſet, detulit Filium ad templum, nullo modo in partu debilitata, nec colore mutata; in via autem quieuit ſub arbore terebinthi, quæ ſeſe miraculosè illi inclinauit: hæc vſque in præſens tempus adhuc perſeuerat. 601, a & b & ſeqq.

Accepit puerum in vlnas ſuas, &c. Simeon, qui Chriſtum in templo in vlnas accepit, fuit iuſtus, & ſacerdos: vnde concluditur, illum non fuiſſe cæcum. Erat autem non tantùm videns oculis corporis, ſed & ſpiritus; vtpote Propheta. Deſcribitur eius exultatio viſâ Deiparâ & Chriſto; item, quomodo ſenio confectus mortuus fuerit. 599, b & ſeqq.

Quod paraſti ante faciem omnium populorum, Lumen, &c. Chriſtus fuit omnibus expoſitus; vnde non dicitur Lumen Iudææ, vel alicuius particularis prouinciæ aut populi, ſed Lumen omnium populorum. 25, a

IN FESTO CATHEDRÆ S. PETRI APOSTOLI.

Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, Matth. 16. S. Petrus Eccleſias viſitans Antiochiam pergit, ac ibidem fundat Eccleſiam, cui ſeptem annis præfuit. Datur ratio, quare illi Eccleſiæ præfectus fuerit, & quare Eccleſia Antiochena aliis Eccleſiis prælata ſit. Eccleſiæ Antiochenæ progreſſus, vbi fideles primò Chriſtiani ſunt appellati. 915, b & ſeqq.

Tu es Petrus, &c. Antiochiæ domus Theophili, nobilis Antiocheni, in Eccleſiam ad honorem S. Petri, adhuc viuentis, conſecrata fuit, in eaque S. Petri cathedra collocata. 88, b. & ſeqq.

Portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. Eccleſia Chriſti ſignificatur per Sion, ob eius durationem, firmitatem ac celſitudinem: Sion enim *excelſum* ſeu *ſpeculam* ſignificat. Vnde Auguſtinus explicans illud Pſalmi 86. *Diligit Dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Iacob*;

Digitized by Google

ob; Sionis nomine intelligit Ecclesiam; per tabernacula verò, Moysis Synagogam, cui illam in dilectione prætulit Deus. Tribuit. proinde portas Sioni, propter firmitatem Ecclesiæ; tabernacula verò Iacob, propter Synagogæ mutationem. 114, b

IN FESTO S. MATHIÆ APOSTOLI.

Et cecidit sors super Mathiam, Actor. 1. Locus electionis S. Mathiæ ad Apostolatum describitur, 131. b. Declaratur quid fuerit illa sors, quæ super eum cecidit. ibid. & 132, a & b

IN FESTO SS. PHILIPPI ET IACOBI.

Iacobo licitum fuit ingredi in Sancta sanctorum propter magnam & notam eius sanctitatem. 84, b & seqq. Iosephus lib. 20. Antiquit. cap. 8. tanti facit S. Iacobum, vt Ierosolymam destructam, ac Iudæos dispersos & occisos fuisse censeat, propter mortem iniustè illi inflictam. 85, b. Quando fuerit Ierosolymæ Episcopus. 120, b & seqq.

IN FESTO INVENTIONIS S. CRVCIS.

Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, Ioan. 3. Tota historia Inuentionis S. Crucis longè & latè explicatur 402, vsque ad 413. Hoc autem singulariter notandum est, quòd, sicuti ad tollendam memoriam sanctæ Crucis, in loco eius erecta fuerat statua Veneris; ita postmodum Constantinus Imp. vt iniuriam S. Cruci Ierosolymis factam vindicaret, & è dilecta ciuitate impurum amorem auferret, Veneris & Cupidinis fanum ac statuam deiecerit, aliudque templum erexerit, in quo partem inuentæ Crucis, cui illud dicauerat, pio cultu venerandam reliquit. Nihil enim est ad tollendam memoriam Crucis & passionis Christi efficacius, quàm venus & luxuria; nullum est vicè versâ contra luxuriam & venerem remedium potentius, quàm Crux & passio Christi. 440, b & seqq.

Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, &c. Christi corpus, & regio vbi passus est, mundi est meditullium. Sicut enim à medio participant extrema, & è centro protrahuntur ad circumferentiam lineæ, & eædem à circumferentia ad centrum protenduntur: ita omnes è Christo in Caluariæ monte in ara crucis exaltato, diuina charismata participarunt, ex ipso originem traxerunt fideles, & ex omnibus mundi partibus ad ipsum, ceu ad centrum (quod vbique est, & nullâ circumferentiâ clauditur) omnes gentes confluxerunt: tunc enim omnia, tam quæ in cælis quàm in terra sunt, ad se traxit, sicut & antè prædixerat: *Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia trahàm ad me ipsum.* 435, b. Sanè ad Christum in cruce pendentem omnia tracta fuerunt; eiusque passionem ac mortem quodam modo deflecterunt. 513, a & b & seqq.

Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis. Verba Isaiæ capite 11. *Qui stat in signum populorum*, &c. de Christo iuxta eius humanitatem intelligenda sunt, secundùm quam positus fuit in signum, cui contradiceretur, cùm in cruce exaltatus, & in sepulchro tumulatus fuit: propter quam etiam vbique, in cælo & in terra, & subtus terram adoratur. 21, a

IN FESTO NATIVITATIS S. IOANNIS BAPTISTÆ.

Quis putas puer iste erit? &c. Lucæ 1. S. Ioannes Baptista fuit Eremitarum princeps, & plura deserta sanctificauit; fugit homines, vacauit orationi, & cum Angelis conuersatus fuit. Describitur eius antrum, in quo puerulus habitauit; & quæritur quò anno pueritiæ secesserit in desertum. 707, a vsque ad 709, a

Quis putas puer iste erit? S. Ioannes Baptista in conceptione, natiuitate, innocentia, prædicatione, Christo similis fuit. Solet enim Deus quos sibi præuidet similes fore in vita, etiam similes facere in natiuitate. 711, a & b

De loco natiuitatis S. Ioannis Baptistæ, vide 710, a & seqq.

In qua ciuitate decollatus fuerit S. Ioannes; vbi corpus & caput eius sepultum fuerit; vbi nunc seruetur caput eiusdem, cineres corporis, digitus, &c. 812, a & b & seqq.

Saraceni honorant S. Ioannem Baptistam, & Reliquias eius in scrinio positas quotannis honorificè deportant; quæ contra impetum Nili fluminis miraculosè ascendunt. 948, a

IN FESTO VISITATIONIS B. MARIÆ VIRGINIS.

Exurgens Maria abiit in montana, &c. Luc. 1. Disputatur latè quæ sint illa montana Iudææ, & quæ fuerit ciuitas ac domus Zachariæ, in quam Maria intrauit. 700. & seqq. Domus Zachariæ describitur, & locus assignatur vbi Deipara dixit: *Magnificat anima mea Dominum*, &c. 709, a & b

IN FESTO S. MARIÆ MAGDALENÆ.

Ecce mulier quæ erat in ciuitate peccatrix, Lucæ 7. Variæ sententiæ de loco communi & particulari conuersionis S. Mariæ Magdalenæ referuntur, nec non alia historiam illam concernentia explicantur 95. vsque ad 98, b

Ecce mulier quæ erat in ciuitate peccatrix. Peccator, licet innumeris criminibus irretitus, non debet de misericordia Dei desperare; quia magna est Dei misericordia, vt patet exemplo huius peccatricis famosissimæ, & regis Manassis; qui licet nequissimus, postea tamen conuersus fuit, & benè mortuus, ac propterea eius sepulchri memoria ab antiquis omnibus in monte Sion fuit conseruata. 118, a & seqq.

IN FESTO S. IACOBI APOSTOLI.

Calicem quidem meum bibetis, &c. Matth. 20. S. Iacobus primus Apostolorum pro Christo sanguinem suum fudit: cuius martyrium à Christo fuit prænuntiatum, his verbis: *Calicem quidem meum bibetis.* Eius autem martyrium, & historia translationis corporis illius in Hispaniam describitur, 76, a & seqq.

IN FESTO S. LAVRENTII.

Nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet, &c. Ioannis 12. Voluit Christus his verbis, secundùm omnium

Digitized by Google

Doctorum ſententiam mortis ſuæ neceſſitatem oſtendere, ex qua tum ſibi tum aliis vberes gloriæ fructus prouenire debebant, ſicut ex ſeminis grano terræ mandato, & putrefacto, plenæ meſſis manipuli colliguntur; non autem ſi integrum in horreo maneat. Quare autem ſeminis corruptionem & putrefactionem, mortem appellauerit, explicatur 545, b

IN FESTO ASSVMPTIONIS B. MARIÆ VIRGINIS.

Deſcribitur domus, in qua Deipara à die Aſcenſionis Domini vſque ad obitum ſuum manſit. 142, b & ſeqq. Quomodo S. Ioannes Euangeliſta curam B. Mariæ geſſerit: probabiliter is Epheſi cum illa habitauit. 143, b & ſeqq.

Quot annis ipſa vixerit, quomodo Apoſtoli omnes Ieruſalem conuenerint, ei morienti adfuerint, Chriſto cum Angelis præſente, eiuſque animam ſuſcipiente, & Apoſtolis corpus eius in vallem Ioſaphat deferentibus. 144, b & ſeqq. Deſcribitur hiſtoria funeris illius. 148, a & ſeqq.

Item ſitus, materia & forma ſepulchri Deiparæ, ex quo poſt triduum corpore & animâ glorioſa ſurrexit, atque Angelis comitata, magno omnium iubilo aſſumpta fuit in cælum, ſuper omnes Angelorum choros collocata. 238, a & b. Illuc in Feſto Aſſumptionis huius ad Veſperas Fratres Minores conueniunt, ibique manent vſque ad ſequentem diem, magno cum gaudio Virginis in cælum aſſumptæ feſtiuitatem celebrantes. 239, a

Plura ſepulchrum prædictum concernentia, vide 239, a & ſeqq. Quomodo S. Thomæ Apoſtolo poſt glorioſam hanc Deiparæ aſſumptionem cingulum ipſius è cælo demiſſum fuerit, vide 301, a

IN FESTO NATIVITATIS B. MARIÆ VIRGINIS.

Liber generationis Ieſu Chriſti, &c. Matth. 1. Matthæus in Genealogia Chriſti, nullam ſanctam mulierem refert, ſed eas tantùm quæ in Scriptura ſacra referuntur vt peccatrices; vt *qui propter peccatores venerat, de peccatoribus naſcens, omnium peccata deleret*, ait Hieronymus. 24, b

IN FESTO S. MATTHÆI APOSTOLI ET EVANGELISTÆ.

Vidit Ieſus hominem ſedentem in telonio, &c. Matth. 9. Chriſtus in mundum venit, vt omnium ſalutem operaretur: hinc ad domos virorum æquè ac mulierum, pauperum ſimul & diuitum, Matthæi, Zachæi, &c. accedebat, vt omni loco & apud omnes ſalutares inſtructiones daret. Obibat Chriſtus ciuitates & caſtella, prædicans & euangelizans regnum Dei, vt oſtenderet ſe omnium ſaluti intendere. 23, b & ſeqq.

IN FESTO S. LVCÆ EVANGELISTÆ.

Ecce ego mitto vos ſicut agnos inter lupos, Luc. 10. Licitum & laudabile eſt ſeſe morti exponere pro Chriſto & fide. 59, b. Confeſſio verò fidei laudabilis & meritoria eſt in his qui ab habente auctoritatem mittuntur ad prædicandum infidelibus Euangelium, ex quorum prædicatione fructus ſperatur. Ideò laudandi ſunt Apoſtoli, qui à Chriſto miſſi fuerunt in mundum vniuerſum, vt prædicarent Euangelium omni creaturæ: laudandi quoque alij viri Apoſtolici, ad infidelium conuerſionem miſſi. 60, a & b. Non eſt autem licitum, vltrò ſeſe pro fidei confeſſione morti exponere, vel ibi eam prædicare, vbi nullus ſperatur fructus, ſed potiùs timetur damnum, ac Dei & fidei contemptus. 60, b

IN FESTO PRÆSENTATIONIS B. MARIÆ VIRGINIS.

Quando Feſtum Præſentationis B. Mariæ Virginis inſtitutum ſit, & quomodo templum Præſentationis etiam ipſi Turcæ honorent, habetur 79, b & ſeqq.

B. Maria Virgo fuit à parentibus Deo dicata, & in templo relicta ac educata, vbi Angelorum miniſterio paſcebatur; atque in eo loco templum Præſentationis exſtructum fuit, cuius auctor & forma deſcribitur, 77, b & ſeqq. & 82, a & b

Reſpondetur etiam argumentis, quibus probatur Deiparam non fuiſſe in templo præſentatam, nec in Deo dicatarûm virginum loco habitaſſe. 82, b ſeque ad 89. vbi multa habentur rara & doctrinalia ad hiſtoriam Præſentationis Deiparæ ſpectantia.

IN FESTO S. CATHARINÆ VIRGINIS ET MARTYRIS.

S. Catharinæ corpus quamdiu manſerit in ſummitate montis Sinai. De ſacello, vbi eius corpus ibi poſitum fuit; de Reliquiis eius, & liquore ſtillante, &c. 997, a & ſeqq. 1002, b & ſeqq.

Vide in Indice rerum ſub titulo S. Catharina.

IN COMMVNI MARTYRVM.

Sanctorum Reliquiæ honorandæ, & quæ beneficia illarum intuitu Deus elargiatur. Quomodo Sanctorum ſuorum corpora honorari velit; in quo eius iuſtitia & miſericordia eluceſcit. 140, b & ſeqq.

Vide ſuprà in Feſto S. Lucæ, quomodo Martyres laudabiliter pro fide Chriſti ſe morti exponere poſſint.

IN DEDICATIONE ECCLESIÆ.

Ingreſſus Ieſus perambulabat Iericho, Lucæ 19. Quomodo Chriſtus omnium ſalutem procurare intenderit, vide ſuprà in Feſto S. Matthæi.

Hodie ſalus huic domui facta eſt. Zachæi domus adhuc exſtat. Quomodo, vel quâ occaſione Chriſtus in ea exceptus fuerit. 752, b. An adhuc exſtet ſycomorus, in quam Zachæus aſcendit. 753, a. Sacris miniſteriis honeſta debent eligi loca, ad noſtrum commodum, ad maiorem erga Deum reuerentiam, ad Eccleſiæ pacem conſeruandam, & inſidias hæreticorum declinandas. Sic factum fuit in primitiua Eccleſia, in qua ad hoc ſacræ ædes deputatæ ſunt. 87, a & ſeqq.

Licet reſpectu Dei, nihil referat quo loco oretur; tamen reſpectu noſtri, vtiliter locus & ſitus ad orandum determinatus eligitur. 163, a & ſeqq.

Quare olim Eccleſiæ in formam Crucis exſtructæ fuerint, vide 242, b & ſeqq.

BENEVOLO LECTORI.

PVS *de Terra Sancta, pie ac studiosè Lector,* CHRISTO IESV *inspirante conceptum, eiusdem speciali auxilio circa annum millesimum sexcentesimum decimum sextum ab illius felicissimo ortu inchoatum, circa* M. DC. XXV. *absolutum, & approbatum, anno verò Domini* M. DC. XXXIV. *imprimi cæptum, tandem* M. DC. XXXIX. *in lucem prodit. Quare autem Opus summi Opificis gloriam commendans, publicæque prospiciens vtilitati, non statim sit editum, sed intra cellulam tot annis delituerit; suspicari non immeritò quis esset, factum id iuxta Lyrici placitum, monentis, Opus expeditum non statim euulgandum, supprimendum potiùs; vt priùs non animaduersa deprehendantur & corrigantur, atque Opus magis magisque perficiatur. Sed altiori id factum consilio arbitror, sine vtique consimili. Porrò non semel Operis huius impressionem tentaui: nam Mediolani primò, deinde Venetiis excudendum proposui. Verùm amici dehortabantur: timebant enim ne imperfectum, aut non satis limatum prodiret. Optabant alij, Romam irem, Operi meliùs consultum iri existimantes; sed omnia infecta. Interim Deo ita disponente, à Seraphici Ordinis Generali iussus fui Ierosolymam redire, vt quæ antè notaram, denuò accuratiùs obseruarem, corrigenda emendarem, & multa adderem prætermissa: vtinam feliciter factum! In Italiam reuersus, vix, vt verum fatear, illi lucem sperabam, aliis atque aliis subnascentibus cogitationibus: sed opportunam nactus occasionem in Belgium proficiscendi, Antuerpiam præsertim, amicorum tale iter suadentium consilio acquieui: fore enim dicebant, vt faciliori negotio, exactiusque Opus illic cuderetur. Verùm ibi quoque exortæ difficultates: sed, vt mihi certissimè persuadeo, euentu comprobante, à Deo, cui de omnibus est cura, ordinatæ. A Deo inquam, cui Opus hoc in sanctissimo Caluariæ monte, ac glorioso illius Sepulchro, super Altare positum inter Missarum solemnia commendaram, & obtuleram. Et quidem non fuisse irritas preces & sacrificia, non meis meritis, sed Sanguinis* IESV CHRISTI, *piè sentio. Deus itaque tot immisit difficultates, vt non nisi à peritissimo viro, æquo rerum æstimatore, tale Opus excusum ederetur. Peruenit propterea ad manus eximij Typographi, nulli in eo munere secundi, viri clarissimi, non mediocris eruditionis, & Christianâ pietate illustris. Est hic Balthasar Moretus, celeberrimæ Typographiæ Plantinianæ columen & decus.* CHRISTVS IESVS *crucifixus, Dominus noster, hunc sibi inter ceteros delegit. Fuit iste obstetricans Domini manus, quâ obstetricante, fetus hic tandem in lucem incolumis prodiit; vt olim per Ægyptias obstetrices Hebræorum masculis vitam & salutem conseruauit.* Exod. 1. *Sed perpende, quæso, ac diligenter considera viri huius pietatem, ac liberalitatem. ipse libenter, gratoque animo Opus imprimendum suscepit: ipse diligenter vidit, legit, approbauit: ipse vt emendatè, ac pro dignitate cuderetur, inuigilauit; & aliis haud satis fidens, tutius fore existimauit, si ipse oculis suis lynceis Operi assisteret. quod & summâ animi contentione præstitit; suisque sumptibus non solùm Opus prælo tradidit, sed etiam imaginibus in ære incisis exornauit. nihil denique intactum reliquit, quo minùs vndequaque perfectum & expolitum prodiret. Armorum strepitus in Lotharingiâ, vnde Antuerpiam charta adferri solet, impressionem retardauit. Sed diuinâ id prouidentiâ factum velim cogites: quemadmo-*

dam enim infans diuturniore matris nutriciſve cuſtodiâ vegetior exiſtit; ita fetus hic accuratior & emendatior, quia ſerotinus, apparuit. Hæc dixiſſe placuit, tum vt Typographi tarditatem excuſem, tum vt CHRISTO *meo* IESV *omnium bonorum largitori corde, ore ſcriptóque gratias agam, atque tam præclaro viro, eximioque* CHRISTI *miniſtro, erga me munificentiſſimo, memorem accepti beneficij mentem animumque declarem. hoc enim Deo & hominibus acceptum, perficienti verò vtile.*

Lib. 2. de Benef. c. 24.

nam verè Seneca: Nemo non gaudet beneficium ſuum latiùs patere. *& Chriſtus dixit:* [a] Colligite fragmenta, ne pereant; *id eſt, nec minima beneficia obliuiſcimini, vt S. Bernardus* [b] *explicat. maiora ergo obliuioni tradenda? Vitaui igitur ingrati animi vitium,* [c] *animæ inimicum, meritorum exinanitionem, diſperſionem virtutum, beneficiorum perditionem. Idque certè niſi præſtitiſſem, meritò dici poſſet:* Non eſt inuentus qui rediret, & daret laudem Deo. *Itaque Deus Opt. Max. ſemper glorificetur, & tamquam prodigus bonorum omnium auctor agnoſcatur, & viuat in æternum, & vltrà. Reddantur etiam gratiæ pro cõllatis beneficiis Moreto noſtro eiuſdem miniſtro: qui vt diu ſoſpes & incolumis viuat, ad Dei laudem & gloriam, & ad Chriſtiani orbis vtilitatem, Dominum meum* IESVM *obnixè precor: & poſt vitæ præſentis laborioſam peregrinationem, ad cæleſtem Ieruſalem, & pacem perueniat ſempiternam. Vtque olim benefecit Deus obſtetricibus Hebræarum, & ædificauit eis domos; quia timentes magis Deum quàm Ægyptium Regem,* Exod. 1, 20. & 21. *puerperas Hebræas obſtetricantes, natos maſculos, iuxta crudele & inhumanum eiuſdem Regis præceptum, non interficiebant, ſed illos ſeruabant: ita Balthaſari noſtro, qui lucis vſuram tot filiis, id eſt libris, conceſſit; his noſtris præcipuè (non tam lucri gratiâ, quàm ad maiorem Dei gloriam, & communem proximi vtilitatem) poſt ter-*

[a] Ioan. 6.
[b] Serm. 51 in Cant.
[c] Bernard. ibid.
Luc. 17, 18.

2. Cor. 5, 1. *reſtris domus ſuæ diſſolutionem, ædificetur domus non manufacta, æterna in cælis, vt loquitur Apoſtolus, in quâ videat filios filiorum ſuorum, pacem ſuper Iſraël: videat, inquam, & recipiat mercedem & præmium, quæ velut filios pepererunt ipſius bona opera; & in felici manſione tamquam Sanctorum ciuis, ac Dei domeſticus, cum eodem, beatiſſima Virgine Deipara, Angelis, & Sanctis omnibus ſempiterno perfruatur æuo. Vale beneuole Lector.*



Digitized by Google

ANTVERPIÆ,

EX OFFICINA PLANTINIA

BALTHASARIS MORETI.

M. DC. XXXIX.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google